
s ſénſibus.
BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
B556
BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala:
Estante:
Número:

R-18.228

DECIMVS TOMVS OPERVM

DIVI AVRELII AVGVSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTINENS

SERMONES AD POPVLVM ET CLERICOS VETVSTISS.

exemplarium collatione multis in locis emendatus, & nouo iam auctario non contemnendo amplificatus: Quod facile ex uersa pagina intelliges.

BASILEAE

ANNO M. D. LVI.

DES. ERASMVS LECTORI.

QVAE sine controuersia sunt Augustini, primo posuimus loco. Impudẽtissimum figmentum sermonum ad fratres in eremo agentes, in suum angulum reiecimus, de quo suo loco nonnihil dicemus. Insunt & cæteris multa parũ referentia phrasim & eruditionem Augustini, quorum aliquot notauimus.

CATALOGVS SERMONVM.

De uerbis domini,	Euangelium audiuimus.	col.5
De uerbis Apostoli,	Sancta & diuina eloquia.	248
Homiliæ 50	Vocans genus humanum.	411
Homiliæ de tempore,	Appropinquante iam.	563
Homiliæ de Sanctis.	Fratres charissimi.	1167
Ad fratres in Eremo,	Fratres mei & lætitia.	1273

His accedunt & isti antehac nunquam excusi.

De Iacob & Esau, ad populum Sermo	col.1487
In 31.cap. Prouerb. Salomonis	1505
In orationem Dominicam, tractatus	1523
De parabola seminantis	1517
In locum Euangelij, Si quis uult me sequi &c.	1519

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI LIBER
DE VERBIS DOMINI SALVATORIS.

A DE VERBIS DOMINI IN EVANGELIO SECVNDVM MATTAEVM.

5

De eo quod scriptum est in Euangelio secundum Matthæum, Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum: Tractatus ac sermo primus.

B VANGELIVM audiuimus, & in eo dominum eos arguentem, qui faciẽ cœli norunt probare, & tempus fidei regno cœlorum appropinquante, nesciunt inuenire. Iudæis autem hoc dicebat, sed etiam ad nos sermo peruenit. Dominus aũt ipse Iesus Christus
Mat.4 euangelij sui prædicationem ita cœpit, Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum.] Similiter & Ioannes baptista præcursor ipsius ita cœpit, Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum. Et modo corripit eos dominus qui nolunt agere pœnitentiam, C
Lucæ 17 appropinquante regno cœlorum. Regnum cœlorum, sicut ipse ait, non ueniet cum obseruatione, & iterum ipse ait, Regnum cœlorum intra uos est. Prudenter ergo accipiat unusquisque monita præceptoris, ut non perdat tempus misericordiæ saluatoris, quæ modo impenditur, quamdiu generi humano parcitur. Ad hoc enim parcitur homini ut conuertatur, & non sit qui damnetur. Viderit deus quando uenerit finis seculi: Est tamẽ modo tẽpus fidei. Finis seculi utrum hic aliquem nostrũ inueniat nescio, & fortasse non inueniet, Tempus enim cuiq; nostrũ proximũ est, quia mortales sumus. Inter casus ambulamus. Si uitrei essemus, minus casus timeremus. Quid fragilius uase uitreo? & tamen seruatur & durat per secula. Et si D eẽ casus uitreo uasi timẽtur, senectus ei & febris nõ timetur. Nos ergo fragiliores & infirmiores sumus, quia & casus omnes qui non cessant in rebus humanis, fragilitate utiq; nostra quotidie formidamus: & si ipsi casus non accedant, tẽpus ambulat. Vitat homo ictum, nunquid uitat exitum? Vitat quæ extrinsecus eueniunt, nunquid quod intus nascitur pellitur? Deniq; nunc lumbricos gignunt interiora, nunc morbus quilibet subito occupat. Postremo quantũuis homini parcatur, nouissime senectus cum uenerit, nõ est quod differatur. Proinde audiamus dominum in nobisipsis, agamus quod præcepit. Videamus quis est ille
Lucæ 12 aduersarius, de quo nos terruit, dicens, Si uadis cum aduersario tuo ad principẽ, da operam in uia liberari ab illo, ne forte tradat te principi, & princeps ministro, & mittaris in carcerem, unde non

6

exies donec soluas nouissimũ quadrantem. Quis est iste aduersarius nisi diabolus? Iam liberati sumus ab illo. Quale preciũ pro nobis datum est, ut ab illo redimeremur? De quo dicit Apostolus de ipsa redemptione nostra, Qui eruit nos de potesta Col.1.
te tenebrarũ, & transtulit in regnũ filij charitatis suæ. Redempti sumus, diabolo renunciauimus: Qũo dabimus operã liberari ab illo, ne nos iterũ captiuos faciat peccatores? Sed nõ est ipse aduersarius, de quo nos dominus cõmonet. Alio enim loco alius euangelista sic illud posuit, ut si utraque uerba iungamus, & utraq; uerba sibi euangeliorũ duorũ cõparemus, aduersariũ istum cito intelligamus. Ecce eẽ hic quid dixit? Cũ uadis ad principem cũ aduersario tuo, da operã in uia liberari ab eo. Alius aũt euãgelista hoc ipsum sic posuit, Esto Matt.5
consentiẽs aduersario tuo cito cũ es cũ illo in uia. Cætera similia sunt: ne forte aduersarius tradat te iudici, iudex ministro, minister in carcerẽ. Ambo C euangelistæ similiter hoc explicauerunt: unus dixit, Da operã in uia liberari ab illo: alter dixit, Cõsenti illi. Nõ eẽ poteris liberari ab illo, nisi ei consenseris. Vis liberari ab illo? cõsenti illi. Nunquid diabolus est cui debet consentire Christianus? Quæramus ergo istum aduersarium cui debemus cõsentire, ne tradat nos iudici, & iudex ministro. Quæramus illũ, & consentiamus illi. Si peccas, aduersarius tuus sermo dei est: uerbi causa, Forsitã delectat te inebriari, dicit tibi, Noli. Delectat te spectare & nugari, ille dicit tibi, Noli. Delectat te adulterari, dicit tibi sermo dei, Noli. In quibuscunq; peccatis uolueris facere uolũtatẽ tuam, dicit tibi, Noli, Aduersarius est uolũtatis tuæ, donec fiat autor salutis tuæ. O q̃ bonus aduersarius, quã utilis D aduersarius, nõ quærit nostrã uoluntatẽ, sed utilitatẽ. Aduersarius est nobis, quãdiu sumus & ipsi nobis. Quãdiu tu tibi inimicus es, inimicũ habes sermonẽ dei. Esto tibi amicus, & concordas cum illo. Non homicidium feceris, audi, & concordasti. Non furtum facias, audi, & concordasti. Non mœchaberis: audi, & concordasti. Nõ falsum testimoniũ dicas, audi & concordasti. Non concupisces uxorem proximi tui: audi & concordasti. Non concupisces rem proximi tui: audi, & concordasti. In his omnib. cum tuo isto aduersario cõcordasti, dic mihi quid perdidisti? Non solum nihil perdidisti, sed & teipsum qui perieras inuenisti. Via, uita ista est. Si concordauerimus cum illo, si consenserimus illi, finita est uia, non timebimus iudicẽ, ministrũ, carcerẽ. Quando finitur uia, nõ omnib. una hora finitur. Vnusquisq; habet horã, quãdo finiat uia. Via, uita ista dicta est: finisti

istam uitã, finisti uiã. Ambulamus, & ipsum uiuere accedere est: nisi forte putatis, quia tẽpus accedit, & nos stamus. Non potest fieri. Quõ accedit tempus, accedimus & nos. Et nõ anni nobis accedũt, sed magis decedũt. Valde errãt homines, quando dicunt, Puer iste adhuc minus sapit, accedũt illi anni, prudẽs erit. Attẽde quid dixisti, Accedũt dixisti, Ego ostẽdo quia decedũt, cũ tu dicis, accedũt: & audi quàm facile probo, Putemus nos scisse annos iplius ex quo natus est: uerbi gratia, ut bene illi optemus, 80. annos uicturus est, peruẽturus est ad senectutẽ. Scribe 80. annos. Vixit unum annum: Quot habes in summa? Quot tenes? 80. Deduc unũ 79. restiterunt. Vixit decem, septuaginta restiterũt. Vixit uiginti, sexaginta restiterunt. Certe accedebãt. Quid est hoc? Veniunt ut abeant. Anni nostri ueniũt, inquam, ut eant. Non enim ueniũt ut stent nobiscũ, sed cum trãseant per nos, terunt nos, & minus minusq; ualere nos faciunt. Talis est uia in qua uenimus, Quid facturi sumus cũ aduersario illo, id est, cũ sermone dei? Concorda cũ illo: Nescis enim quando uia finiat. Cum uia finita fuerit, iudex restat & minister & carcer. At si seruaueris aduersario tuo bonã uoluntatẽ, & cum eo consenseris, pro iudice inuenias patrẽ, pro ministro sæuo, angelũ tollentem in sinu Abrahæ, pro carcere paradisum. Quã cito in uia cuncta mutasti, quia tuo bono aduersario consensisti.

De eo quod scriptum est in Euangelio secundum eundem, Sic luceat lux uestra coram hominibus: ut uideãt opera uestra bona, & glorificẽt patrem uestrum qui in cœlis est: & contra, Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus ut uideamini ab eis. Sermo II

A OLET multos mouere charissimi, q̃d dñs
s noster Iesus Christus in sermone euangelico, cum prius dixisset, Luceat lumen ue
Matth. 5 strũ corã hominib. ut uideant bona opera uestra,
Mat. 6. & glorificent patrẽ uestrũ qui in cœlis est: postea dixit, Attendite ne iustitiã uestrã faciatis corã hominibus ut uideamini ab eis.] Turbat enim mẽs parum intelligentis: & præcepto utriq; obaudire cupientis animus per diuersa & aduersa distenditur. Tam nemo enim potest quamuis uni dño obtemperare repugnantia iubenti, quã nemo potest etiã duobus dominis seruire: quod eodẽ sermone saluator ipse testatus est. Quid ergo faciet animus nutãs, cum se obtẽperare non posse existimat, & non obtẽperare formidat? Si em̃ bona opera sua in luce posuerit hominib. intuẽda, ut faciat quod præceptum est, Sic luceat lumẽ uestrũ coram hominibus ut uideant bona opera uestra, & glorificent patrẽ uestrum qui in cœlis est: reum se tenerí arbitrabitur, quia contra præceptũ fecit, ubi dicitur: Attẽdite ne iustitiã uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis. Rursumq; si hoc timens & cauens, ea quæ bene facit absconderit, non se putabit seruire imperãti & dicenti: Luceat lumen uestrum coram hominibus, ut uideant bona opera uestra. Qui recte aũt intelligit, utrũq; implet & seruiet uniuersissimo domino, qui seruum pigrum non damnaret, si ea quæ fieri nullo modo
A poterãt imperaret. Audi em̃ Paulum seruum Christi Iesu uocatũ apostolũ, segregatũ in Euangelium dei, utrũq; & facientẽ & dicentẽ, Videte quemadmodũ luceat lumẽ eius corã hominibus, ut uideant bona opera eius. Commendamus, inquit, nos- 2 Cor. 4
metipsos ad omnẽ conscientiã hominum in con-
spectu dei: & iterum, Prouidemus em̃ bona, non 2. Cor. 8
solum coram deo, sed etiã coram hominibus: & iterum, Placete omnibus per omnia, sicut & ego 2. Cor. 10
omnibus per omnia placeo. Videte rursus quã attendat ne faciat iustitiam suam coram hominibus ut uideat ab eis: Opus autẽ suum probet, inquit, Gal. 6
unusquisq;, & tunc in semetipso habebit gloriam, & non in altero. Et iterum, Nam gloria nostra hæc 1 Cor. 1
B est, testimonium conscientiæ nostræ: Et illud quo nihil est manifestius, Si adhuc, inqt, hominib. placerem, Christi seruus non essem. Sed ne quisq; eorum qui de præceptis quasi repugnantibus ipsius domini moueatur, multo magis Apostolo eius ingerat quæstionem & dicat, Quõ tu dicis, Placete omnib. per omnia sicut & ego omnibus per omnia placeo: & tu idem dicis, Si adhuc hominibus placerẽ, Christi seruus non essem? Adsit ipse dñs, qui etiam in suo seruo & Apostolo loquebat, & aperiat nobis uoluntatem suam, & tribuat obediendi facultatem. Ipsa quippe uerba euangelica secum portant expositiones suas, nec intercludunt ora esurientiũ, quia pascunt corda pulsantiũ. Intentio quippe cordis hũani quò dirigat, & quò spectet,
C intuendum est. Si em̃ qui uult uideri ab hominibus bona opera sua, gloriam & utilitatem suã ponit ante homines, & hanc in cõspectu hominum quærit, nihil eorũ, quæ de hac re dominus præcepit, impleuit: quia & attẽdit facere iustitiam suam coram hominib. ut uideretur ab eis, & non sic eluxit lumen eius coram hominibus, ut ad hoc uiderent bona opera eius, ut glorificarent patrem qui in cœlis est. Se quippe uoluit glorificare, non deum, & suã quæsiuit utilitatem, non dilexit domini uoluntatẽ: de quib. dicit Apostolus, Omnes enim Philip. 2
quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Itaq; non illic sententia terminata est, ubi ait, Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant bona
D opera uestra: sed cõtinuo subiunxit cur faciẽdum sit, Vt glorificent patrẽ, inquit, uestrũ qui in cœlis est: ut homo cum bene faciens uidetur ab hominibus, intentionem boni facti habeat in conscientia sua, intentionem uero innotescẽdi nõ habeat nisi in laudibus dei, propter eorũ quib. innotescit utilitatẽ: quibus hoc prodest ut deus placeat qui hoc præstitit homini, atq; ita non desperent etiam sibi si uoluerint hoc posse præstari: itaq; aliam sententiam ubi ait: Attendite ne iustitiã uestram faciatis coram hominibus: nõ alibi terminauit, quàm ubi dixit, Vt uideamini ab eis: nec addidit, Et glorificent patrem uestrũ qui in cœlis est: sed potius addidit, Alioquin mercedem nõ habebitis apud patrem uestrum qui in cœlis est. Hinc enim ostendit eos qui tales sunt, quales suos fideles esse nõ uult, in eo ipso mercedẽ quærere q; uidentur ab hominibus

nibus, ibi constituere bonũ suum, ibi oblectare uanitatem cordis sui, ibi exinaniri & inflari, ibi tumescere & cõtabescere. Cur em̃ non suffecit, ut diceret, Attẽdite ne faciatis iustitiã uestram corã hominibus: sed addidit, ut uideamini ab eis: nisi q̃a sunt quidam qui sic faciunt iustitiam suã coram hominibus, non ut uideantur ab eis, sed ut ipsa opera uideãtur & glorificetur pater qui est in cœlis, qui ea iustificatis impijs donare dignatus est? Qui tales sunt, nec suam iustitiam deputant, sed eius ex cu-
Philip. 3 ius fide uiuũt: unde & Apost. dicit, Vt Christũ lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed eam quæ per fidẽ Christi quæ est ex deo, iustitiam ex fide: & in alio loco,
2. Cor. 5 Vt nos simus iustitia dei in illo: unde & Iudæos
Rom. 10 ita reprehendit, Ignorantes, inquit, dei iustitiam, & suam uolentes statuere, iustitiæ dei nõ sunt subiecti. Quisquis ergo ita uult uideri ab hominibus, opera sua, ut ille glorificetur à quo ea quę in illo uidentur accepit, & sic ad imitandum bonum idem ipsi qui uident pietate fidei prouocentur, uere lumen eius lucet coram hominibus: quia lux charitatis radiatur, non superbię fumus euomitur: & in eo ipso cauet ne iustitiam suam faciat coram hominibus ut uideatur ab eis, quia nec suam deputat illam iustitiam, nec ideo facit ut ipse uideatur, sed ut ille intelligatur qui laudatur in homine iustificato, ut faciat & in laudãte quod laudatur in altero, id est, ut laudantem faciat esse laudabilem. Attendite et Apostolum cùm dixisset, Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnib. per omnia placeo:
C quomodo non ibi remãsit quasi ibi cõstituerit finem intentionis suæ ut placeret hominibus: alioquin falsum dixisset, Si adhuc hominib. placerem, Christi seruus non essem: sed statim subiũxit quare hominibus placeret. Non quærens, inqt, quod mihi utile est, sed quod multis ut salui fiant. Ita & nõ placebat hominib., ppter suã utilitatẽ, ne Christi seruus nõ esset, & placebat hominib. propter illorum salutẽ, ut Christi esset dispensator idoneus: quia & illi coram deo cõscientia sufficiebat, & de illo coram hominib. quod imitarentur elucebat.

De eo quod scriptũ est in euangelio secundum eundem, Qui fecerit & docuerit sic, maximus uocabitur in regno cœlorum. Sermo III

VM nobis pro officio competat dicere,
C uobis autẽ conueniat pro deuotione audire, quid tam necessarium tamq; pertinens poterit utrisq; contingere, q̃ ut quod religiose dicitur & deuote auditur, obsequijs competentibus teneatur? Nam si religiosa non tacere lucrum est, tacere dispendium: quanto itaque potiora lucra potuerint prouenire, cum operationis effectus monstratur quicquid magisterijs cœlestibus & discitur & tenetur? Par em̃ causa & docentem & audientem constringit, ut utriusq; professio sanctorum testificatione signetur. Et quamuis dissimile sit doctoris discentisq; officium, tamen utrisq; debet sanctarum legum obsequiũ: ut iungantur factis qui separantur officijs, copulentur opere qui diuersi sunt nomine, et quos uocabula abinuicẽ se parãt, eos obseruãtia præceptorũ fideliter ac deuo
A te coniungat. Quare sic fit ut utriusq; diuersus sit actus, sed obseruantiæ par sit necessarius in utrisq; effectus, ut factorũ in ambobus cõspiret assensus, quibus diuersus est in uocabulis sonus. In doctore enim molesta est causa dicere, nec facere: præcipere, nec obseruare: in discente uero audire uelle q̃d nolit implere, aures uero auditui accõmodare, & ab opere uoluntatẽ auertere. Cęterum qui facit q; docet, & quicquid imperat complet, maximus in cœlestibus sententia dñi declaratur. At uero qui quod discit negligit, & quicquid audit cõtemnit, salutis reus existit, qui obseruãda cõtempsit, & pericula non uitauit. Amat em̃ mortẽ, qui uitæ præcepta non seruat, & horret uitam qui peccata morti
B debita desperata morte frequentat. Vt enim per obseruantiam legis uita acquiritur, ita per cõtemptum mors contumacibus inuenit: dicente dño, Si uis in uitã uenire, serua mãdatũ. Ita enim perfe- Matth. 19
ctus doctor liber est à discente quẽ docuit, & discipulus contemptor inexcusatus erit, qui facienda didicit & contempsit. Nam & doctor econtrario grauius affligit, et obsequentis discipuli exemplo plectit, qui facienda alijs tradidit, quæ ipse non fecit: ut nec à discipulis quos docuit potuisset edíscere, ut quibus doctrinæ tradiderit magisterium, ab ijsdẽ factorũ mutuaretur exemplũ. Neq; enim perfectio in legum est notitia constituta, cum sit scriptũ: Non enim auditores legis iusti sunt apud Rom. 2
deũ, sed factores legis iustificabuntur. Neq; enim,
C inquã, is religiosus & sanctus est, qui nouit legem cessantib. factis, cum expedit facere magis q̃ docere, quia molestum est docere & nõ facere. Vos Ioan. 15
amici mei estis, inquit, si feceritis ea quæ mando uobis. O magna bonitas dei: Cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote serui domino, famuli deo, subiecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarũ nobis præmia repromittit, ut à nobis obsequia debita seruitutis extorqueat: ut quos nolle seruire cõspicit spõte, suorum beneficiorũ possit promissionibus inuitare, et quorum uoluntates à se conspicit alienas, eorũ mẽtes præmiorum liberalitatibus constituat suas. Nam unde frequenter aut inuitat præmio aut terret supplicio, nisi ut benignitatis cõsilio à se formato homini consulat, redempto prouideat: ut qui nõ terretur supplicio, inuitetur præmio, & quẽ metus à factis reuocare non possit, promissionũ benignitas prosit? Cupit em̃ etiã nolentib. subuenire, desiderat misereri peccãti, si is qui peccauerit dignos fructus exhibeat pœnitentiæ. Inuitus enim in reos uindicat, si rei indulgentiam miserantis nõ contemnãt. Amat enim corrigi peccatores, qui in uitam non in mortem à principio constituit homines. Ipse enim sibi infert interitum, qui medentis
D domini contẽnit consilium, Reuertimini, inquit, Malac. 3
ad me, & reuertar ad uos. & iterum, Nolo mortem morientis, tantum reuertatur & uiuat. Ezech. 18 Non uult dominus in quenquã dominari mortem, non uult in pœnã deduci hominem, quem in uita constituit. Cæterum homo ipse se dignum efficit mor

te, qui non paruit legi. Odit uitã, qui diuinam contempsit disciplinam. Nam cum dominus uellet homini demonstrare, quæ obseruanti uitam, contemnenti afferunt mortem, inuitauit præmio, terruit supplicio. Ita enim de contemptu uita non poterit prouenire, ut de obseruantia mors euenire non poterit, ut iã homo quod uoluerit mereatur, & eo quod meruerit iudicetur: & hoc totũ in potestate hominis consistit, qui sibi ex qualitate uitę meritum quod haberet inuenit. Quare his solicite perpẽsis, id est, unde salus, & unde periculum enascatur, salutis commodum diligẽti obseruantia teneamus, ut periculorũ incommoda de legis contemptu & prouidi caueamus, & contemnentes prospera & repellentes aduersa in conspectu dñi inueniamur ab ipso cum omnibus sanctis in æterna secula seculorum, Amen.

Matt. 5 De eo quod scriptum est in Euangelio secundum eũdem, Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis &c. Sermo IIII

A 5 ANCTI euangelij capitulum quod modo cum legeret audiuimus, ualde nos terruit si fidem habeamus: eos autẽ non terruit qui fidẽ non habent. Et quia non terret eos, uolunt esse peruerse securi, nescientes distribuere & distinguere tempora timoris & securitatis. Timeat ergo qui ducit modo uitam cum fine, quo possit in illa uita habere securitatem sine fine. Ergo timemus. Quis enim non timeat loquentem
Mat. 5 ueritatem & dicentem, Qui enim dixerit fratri
Iac. 3 suo fatue, reus erit gehennę ignis?] Linguam au C tem nullus hominum domare potest. Et homo domat feram, non domat linguã. Domat leonem, & non refrenat sermonem. Domat ipse, & non domat seipsum. Domat qd timebat, & ut se domet nõ timet quod timere debebat. Sed quid fit? Sententia uera, & ista processit de oraculo ueritatis, Linguam autẽ nullus hominum domare potest. Quid ergo faciemus fratres mei? Video me quidem ad multitudinem loqui, sed qa unum sumus omnes in Christo, tanquã in secreto consilium capiamus. Nullus nos audit extraneus, unũ sumus, quia in unum sumus. Quid faciemus? Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis: Linguam aũt nullus hominũ domare potest. Ibunt ergo oẽs
Psal. 82 in gehennã ignis? Absit. Dñe refugium tu factus D es nobis, à generatione in generationẽ. Ira tua iu-
Psal. 138 sta est, neminẽ in gehennã mittis iniuste, Quò ibo à spiritu tuo, & à te quo fugiam nisi ad te? Ergo intelligamus charissimi, quia si linguã nullus hominum domare potest, ad deum confugiendũ est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare uolueris, non potes, quia homo es: linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestijs quas domamus. Equus non se domat: Camelus non se domat: Elephantus non se domat: Aspis non se domat: Leo non se domat: sic & homo non se domat. Sed ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aspis, quæritur homo: Ergo deus quęratur ut dometur homo. Ergo, Domine refugiũ tu factus es nobis. Cõferimus nos ad te, & bene nobis erit de te. Malum est enim nobis, de nobis. Quia dimisimus te, dimisisti nos nobis. Inueniamur ergo in te, quia perieramus in nobis. Dñe refugiũ tu factus es nobis. Quid ergo fratres mei? Dubitare debemus quia mansuetos nos faciet dñs, si nos domandos ei præbeamus? Domuisti leonem quem non fecisti, non domat te qui fecit te? Vnde em̃ bestias tam immanes domare potuisti? Nunqd eis æquaris uiribus corporis? Qua ergo uirtute ingẽtes bestias domare potuisti? Ipsa iumẽta quæ dicuntur, bestiæ sunt. Non em̃ indomita tolerant̃. Sed quia nõ eas nouit consuetudo nisi in manibus hominũ & sub frenis hominũ & sub potestate hominum, putas eas mansuetas nasci potuisse? Certe feras B immanes attende. Fremit leo, quis non timeat? Et tamen unde te intelligis fortiorem? Non corporis uirtute, sed mentis ratione interiore. Fortior es leone, unde factus es ad imaginem dei. Imago dei domat feram, & non domat deus imaginem suam? In illo spes est, ei nos subdamus, & misericordiam precemur. In illo spem nostram ponamus, & donec domemur & perdomemur, id est, perficiamur, domitorem feramus. Plerunq; enim profert domitor noster etiam flagella. Si em̃ tu ad domanda iumenta tua profers uirgam, profers flagellum, deus non profert ad domanda iumenta sua quod sumus nos, qui de iumentis suis faciet filios suos? Domas equum tuum, Quid daturus es equo tuo cum te cœperit portare, mãsuetus ferre disciplinam tuam, obedire imperio tuo, esse iumentũ, hoc est adimentũ infirmitatis tuæ? Quid ei retribuis, quem nec saltem sepelis cum mortuus fuerit, sed discerpendũ uolatilibus projicis? Domito tibi deus hæreditatem seruat, quod est ipse deus: & ad tempus mortuum resuscitat te, carnem tuam usque ad numerum capillorum reddet tibi: & constituet te cum angelis in æternum, ubi iam non indigeas domari, sed tantummodo à pijssimo possideri. Erit enim tunc deus omnia in omnibus, nec erit ulla infelicitas quæ nos exerceat, sed felicitas sola quæ pascat. Ipse autem pastor noster, deus noster est, Ipse potus noster, deus noster: Honor noster, deus noster: Diuitiæ nostræ, deus noster, Quæcunq; hic uaria quæris, ipse tibi unus omnia erit. Ad hãc spem homo domatur, & domitor intolerabilis habetur? Ad hãc spẽ homo domatur, & contra istum utilẽ domitorem, si forte flagellum proferat murmuraẽ? Audistis exhortantem Apostolum, Si separatis uos à disciplina, Heb. 12 ergo nothi & non estis filij. Nothi sunt adulteri. Quis enim est filius, cui nõ det disciplinam pater eius? Et carnis quidẽ nostræ, inquit, patres habebamus correptores, et ferebamus, non multo magis subijciemur patri spirituũ & uiuemus? Quid enim tibi potuit præstare pater tuus, quia corripuit te, quia uerberauit te, qui flagellum protulit & cecidit te? Nunquid præstare potuit ut uiueres in æternũ? Quod nõ potuit prestare sibi, qũo præstaret tibi? Propter pecuniã suam quãtulamcũq; quã de usuris & labore collegit, erudiebat te flagellis

gellis, ne tibi dimissus labor eius te male uiuente disperderet̃. Et cecidit filios, timẽs perire labores suos, quoniam reliquit tibi qd nec tenere hic poterat, nec auferre. Non enim hic aliquid tibi dimisit qd ipsius esse possit: Cessit ut sic accederes. Deus aũt tuus, redemptor tuus, domitor tuus, castigator tuus, pater tuus, erudit te. Quò? Vt accipias hæreditatẽ, ubi nõ efferas patrẽ, sed hęreditatẽ habeas ipsum patrẽ. Ad hãc spem erudiris, & murmuras, & si qd triste acciderit, fortasse blasphemas? Quò ibis à spiritu eius? Ecce dimittit te & non flagellat: deserit blasphemantem, nõ senties iudicantẽ? Nónne melius est ut flagellet te & recipiat te, q̃ parcat tibi & deserat te? Dicamus ergo dño deo nostro, Dñe refugiũ tu factus es nobis, in generatione & generationẽ. In prima generatione & altera generatiõe, refugium tu factus es nobis. Tu refugiũ ut nasceremur q non eramus: Tu refugiũ ut renasceremur qui mali eramus: Tu refugium ut pasceres desertores tuos. Tu refugium ut erigas & dirigas filios tuos: Tu refugium factus es nobis: At e non recedemus, cũ liberaueris nos ab omnib. malis nostris, & impleueris nos bonis tuis. Bona das, blandiris ne fatigemur in uia. Corripis, cędis, percutis, dirigis, ne aberremus à uia. Siue ergo blãdiris ne fatigemur in uia, siue castigas ne aberremus à uia: Dñe refugium tu factus es nobis.

De eo quod scriptũ est in euãgelio secundum eundem, Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis &c. Sermo V

A IN lectione sancti euãgelij hortatus est C
Matth. 7 I nos dñs ad orandũ, Petite, inquit, & dabit̃ uobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Omis em̃ qui petit accipit, & quærẽs inuenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex uobis homo à quo petit filius eius panem, nunquid lapidẽ porriget ei? Aut si piscẽ petierit, nunquid serpẽtem porriget ei? Aut cũ petit ouũ, nunquid scorpionẽ porriget ei? Si ergo uos, inq̃t, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis pater uester q̃ in cœlis est, dabit bona petẽtib. se? Cũ sitis, inq̃t, mali, nostis bona data dare filijs uestris. Miranda res fratres, mali sumus, & bonum patrem habemus. Quid euidẽtius? Audiuimus nomen nostrũ, Cũ sitis, inquit, mali, bona data nostis dare filijs uestris. Et quos dixit malos, D uidete qualẽ patrem illis ostendit, Quanto magis pater uester? Quorum pater? Certe malorum. Et
Luc. 18 qualis pater? Nemo bonus, nisi solus deus. Ergo fratres ideo mali, bonũ patrẽ habemus, ne semper mali remaneamus. Nemo malus facit bonum. Si nemo malus facit bonũ, homo malus quomodo se facit bonũ? Facit de malo bonũ, qui semper est
Hier. 17 bonus: Sana me dñe, inquit, et sanabor, saluum me fac, & saluus ero. Quid mihi dicunt uani uana, tu te saluũ facis si uolueris? Sana me domine, & sanabor. Nos boni conditi sumus à bono: Fecit enim deus hominem rectum, arbitrio aũt nostro facti sumus mali. Potuimus esse ex bonis mali, & poterimus esse ex malis boni. Sed qui semper est bonus, ipse facit ex malo bonũ, quia ipse homo uolũtate sua se sanare non potuit. Nõ quæris medicũ ut uul A neres te, sed cũ uulneraueris te, quęris qui sanet te. Bona ergo secundũ tẽpus bona tẽporalia, corporalia, carnalia nouimus dare filijs nostris etiã cum simus mali. Bona sunt em̃ & ista, quis dubitet? Piscis, ouũ, panis, pomũ, frumẽtũ, lux ista, aer iste quẽ ducimus, Bona sunt hæc, ipsæ diuitiæ in quib. homines extollunt̃, & pares suos homines alios non agnoscunt. In quibus, inq̃, homines extollunt̃, magis amantes uestẽ fulgentẽ, q̃ cogitantes cõmunẽ cutẽ. Ipsę ergo diuitię bonę sũt, sed ista omia bona quę cõmemoraui, à bonis & malis haberi possunt. Et cũ bona sint, bonos tamẽ facere nõ possunt. Est ergo bonũ quod faciat bonũ, & est bonum unde facias bonũ. Bonum quod facit bonũ, deus est. Nõ B em̃ facit hominẽ bonũ, nisi ille qui semper est bonus. Ergo ut sis bonus, deum inuoca. Aliud aũt bonũ est unde facias bonũ, id est, quicquid habueris, Aurũ est, argentũ est: bonũ est, non qd te faciat bonum, sed unde facias bonũ: habes aurũ, habes argẽtum, & concupiscis aurũ, & cõcupiscis argentũ. Et habes & concupiscis, & plenus es & sitis, morbus est nõ opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni sunt, & semper sitiũt. Qũo ergo delectas opulentiã, qui habes hydropẽ cõscientiã? Habes ergo aurũ, bonũ est: habes nõ unde sis bonus, sed unde facias bonũ. Quod bonum, inquis, facturus
Psal. 113 sum de auro? Nõ audisti psalmũ, Dispersit, inquit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculũ seculi? Hoc est bonum, hoc est bonũ, unde sis iustitia bonus, si habes bonum unde sis bonus: Fac bonum de bono unde nõ es bonus. Habes pecuniã, eroga, Erogãdo pecuniam, auges iustitiã. Dispersit enim, distribuit, dedit pauperibus, iustitia eius
Psal. 112 manet in seculum seculi. Vide quod minuatur, & quod augeat̃. Minuit̃ pecunia, auget̃ iustitia. Illud minuitur quod eras dimissurus, illud minuit̃ quod eras relicturus: illud augetur quod in æternum es possessurus. Consilium do lucrorum, disce mercari. Laudas enim mercatorem qui uẽdit plumbum & acquirit aurum: & non laudas mercatorẽ qui erogat pecuniã & acquirit iustitiam? Sed ego, inquit, non erogo pecuniã, quia non habeo iustitiã. Eroget pecuniã, qui habet iustitiam. Ego non habeo iustitiam, habeam uel pecuniã. Ergo quia nõ habes iustitiã, ideo nõ uis erogare pecuniam. Magis eroga pecuniam ut habeas iustitiam. A quo enim habebis iustitiam, nisi à deo fonte iustitiæ? Ergo si uis habere iustitiam, esto mẽdicus dei, qui te paulo ante ex euãgelio ut peteres, quereres, pulsares, monebat. Mendicũ suum sciebat, & ecce paterfamilias & magnus diues, diuitiarum scilicet spiritualium & æternarum, hortatur, & dicit, Pete, quære, pulsa. Qui petit accipit, quærens inueniet, Matt. 7 pulsanti aperietur. Hortat̃ ut petas, negabit quod petis? Attende à cõtrario similitudinẽ uel comparationẽ, de illo diuite, iniquo, hortantẽ nos ad o-
Luc. 18 rationem, quãdo ait dñs, Erat quidã iudex in ciuitate, q̃ nec deum timebat, nec hominẽ reuerebat̃. Quædam uidua interpellabat eũ quotidie, & dicebat, Vindica me. Nolebat ille per tẽpus. Illa inter-

pellare nõ desinebat, & fecit tædio quod nolebat
beneficio. Sic enim à contrario nos admonuit ut A
Luc. 11 petamus, Venit, inquit, ad amicum suum cui hospes uenerat, & cœpit pulsare & dicere, Hospes mihi uenit, commoda mihi tres panes: respondit ille, Iam requiesco, & mecum serui mei requiescũt. Ille non cessat, astat, instat, pulsat, & tanquam amicus ab amico mendicat. Et quid ait? Dico uobis, quia surgit, & nõ propter amicitiam eius, sed propter improbitatem dat illi quantos uoluerit. Non propter amicitiam, quia amicus eius sit, sed propter improbitatẽ. Quid est propter improbitatẽ? Quia pulsare nõ destitit, quia & cum esset negatũ, non se auertit. Ille qui nolebat dare, quod petebat fecit, quia ille in petẽdo non defecit. Quanto magis dabit deus bonus qui nos hortat ut petamus,
B cui displicet si non petamus? Sed cũ aliquando tardius dat, cõmendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur, cito autem data uilescũt. Pete, quære, insta. Petendo & quærendo crescis ut capias. Seruat tibi deus quod nõ uult cito dare, ut & tu discas magna magne desiderare. Inde oportet semper orare & nõ deficere. Si ergo fratres mei mendicos suos nos fecit deus, monendo nos, & hortando & iubendo ut petamus, quæramus, pulsemus, attendamus & nos qui à nobis petunt. Petimus nos. A quo petimus? Qui petimus? Quid petimus? A quo uel qui uel quid petimus? Petimus à deo bono, petimus homines mali. Petimus aũt iustitiã, unde simus boni. Hoc ergo petimus, quod in æternũ habeamus: Quo cũ saturati fuerimus, ulterius non egeamus. Sed ut saturemur, esuriamus & sitiamus. Esuriendo & sitiẽdo petamus, quæramus, pulsemus. Beati em̃ qui esuriũt & sitiũt iustitiam: Quare beati? Esuriũt & sitiunt & beati sunt?
Matt. 5 Aliquando em̃ egestas beata est. Non inde beati sunt, qa esuriũt & sitiũt, sed qa ipsi saturabunt̃. Ibi erit beatitudo in saturitate, nõ in fame. Sed præcedat saturitatẽ fames, ne fastidiũ nõ perueniat ad panes. Ergo diximus, à quo petamus, qui petamus, quid petamus. Sed petit̃ à nobis, Mendici em̃ dei sumus: Vt agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus nos nostros. Sed & ibi etiam cogitemus quãdo petitur à nobis, qui petunt, à quibus petunt, q̃d petunt. Qui petũt? Homines. A quibus petũt? Ab hominibus. Qui petunt? Mortales. A quibus petunt? A mortalibus. Qui petunt? Fragiles. A quibus petunt? A fragilibus. Qui petunt? Miseri. A quibus petunt? A miseris. Excepta substantia facultatum, tales sunt qui petunt, quales sunt à quibus petunt. Quam frontem habes petẽdo ad dominum tuum, qui non agnoscis parem tuũ? Non sum, inquit, talis, absit à me ut talis sim. Inflatus ob sericatus ista loquitur de pannoso. Sed ego nudos interrogo. Non interrogo in uestibus, quales sitis, sed quales nati fueritis. Ambo nudi, ambo infirmi, ambo miseram uitam inchoantes, ideo ambo plorantes. Ecce recole diues primordia tua, uide utrũ huc aliquid attuleris. Iam uenisti, & tanta inuenisti? dic rogo te quid attulisti? Dic quid attuleris: aut si dicere erubescis, Apostolum audi, Nihil intulimus in hunc mundum. Nihil, inquit, intuli- 1. Tim. 6
mus in hunc mundum. Sed forte quia nihil attulisti, & hic multa inuenisti, aliquid hinc tecum ablaturus es? Et hoc fortasse amore diuitiarum trepidas confiteri: audi & hoc. Apostolus dicat, qui te non palpat, Nihil intulimus in hunc mundum, utique quando nati sumus. Sed nec auferre aliquid possumus, utiq; quando de mundo eximus. Nihil attulisti, nihil hinc auferes, quid te inflas contra pauperem? Quando nascuntur infantes, recedant de medio parentes, serui, clientes, recedant de medio turbæ obsequentes, & agnoscantur pueri diuites flentes. Pariant simul diues & pauper, pariant simul mulier diues & mulier pauper, non attendant quod pariunt, discedant paululum, redeant
B & agnoscant. Ecce diues nihil intulisti in hunc mũdum, sed nec auferre hinc aliquid potes. Quod dixi de natis, hoc dico de mortuis. Certe quando casu aliquo uetera sepulchra franguntur, ossa diuitis agnoscuntur? Ergo diues audi Apostolum. Nihil intulimus in hunc mundum: Agnosce, uerum est. Sed nec auferre aliquid possumus: Agnosce, & hoc uerum est. Quid ergo sequitur? Victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & desideria multa & noxia, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Radix est enim omnium malorum auaritia, quam quidam sequentes, à fide pererrauerũt.
Attende quid dimiserunt. Doles quòd hoc dimi-
C serunt, uide quò se inseruerunt: doloribus multis. Sed qui? Qui uolunt diuites fieri. Aliud est esse diuitẽ, aliud uelle diuitem fieri. Diues est qui à diuitibus natus est, non qui uoluit. Diues est, cui multi hæreditates dimiserunt. Video facultates, non interrogo uoluptates, Hic cupiditas accusatur, non aurum, non argentum, non diuitiæ, sed cupiditas. Nam qui nolunt diuites fieri, uel qui non curant, uel qui non ardent cupiditatibus, non auaritiæ facibus accenduntur, sed diuites sunt, audiant Apostolum, hodie lectum est, Præcipe diui- Ibidem
tibus huius mundi. Præcipe, Quid? Præcipe ante omnia, non superbe sapere. Nihil est enim quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne
D lignum habet uermem suum. Alius est uermis mali, alius piri, alius fabæ, alius tritici: uermis diuitiarum, superbia. Ergo præcipe diuitibus huius mũdi, non superbe sapere. Exclusit uitium, non superbe sapere. Doceat usum de eo quod sequit̃, Neq; sperare in incerto diuitiarũ. Qui non sperãt in incerto diuitiarũ, nõ superbe sapiũt. Qui altũ sapiũt, timeant. Si timẽt, nõ altũ sapiũt. Quàm multi heri diuites, hodie pauperes: quàm multi dormiunt diuites, & uenientibus latronibus & cuncta auferẽtibus euigilãt pauperes? Ergo nõ sperare in incerto diuitiarum, sed in deo uiuo q̃ præstat nobis omnia abũdãter tẽporalia et ẹterna, sed magis ad fruẽdũ æterna, ad utendum tẽporalia. Temporalia tanquam uiatoribus, æterna tãquam habitatoribus. Temporalia, unde bona faciamus: æterna, unde

boni

boni efficiamur. Ergo hoc faciant diuites, non superbe sapiant, neq; sperent in incerto diuitiarum,
A sed in deo uiuo qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Hoc faciant. Ex eo autem quod habent quid faciant? Audi quid. Diuites sint in operibus bonis, facile tribuant. Habent enim unde. Quare non faciunt? Paupertas difficultas est. Facile tribuant, habẽt unde. Communicẽt, id est, pares suos mortales agnoscant. Communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum. Non enim quia dico, inquit, facile tribuant, cõmunicent, expoliare illos uolo, nudare illos uolo, inanes relinquere uolo. Doceo lucrum, cum ostendo, thesaurizent sibi. Non enim uolo ut pauperes remaneant. Thesaurizent sibi, non ut perdãt dico, sed quò migrent ostendo. Thesaurizent sibi
B fundamentum bonũ in futurum, ut apprehendant ueram uitã. Hæc ergo falsa uita est, apprehendant ueram uitã. Vanitas enim uanitatum & omnia uanitas. Quæ abundãtia tanta hominis in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole? Apprehendenda est ergo uera uita, migrandẹ sunt facultates nostrẹ ad locum ueræ uitæ, ut hoc ibi inueniamus quod hic damus. Mutat illa, qui mutat & nos. Date ergo pauperibus fratres mei, Victum & tegumentũ habentes, his contenti simus. Nihil diues habet de diuitijs suis, nisi quod ab illo postulat pauper, uictum & tegumentũ. Hinc tu quid plus habes ex omnib. quæ habes? Accepisti uictum, accepisti necessariũ tegumentum. Necessariũ dico, nõ inane,
C nõ superfluũ. Quid plus de diuitijs tuis capis? Dic mihi. Certe omnia tua superflua erunt. Quæ sunt tua superflua, sint pauperibus necessaria. Sed ego, inquit, preciosas epulas accipio, preciosis cibis uescor. Pauper quid? Vilibus. Vilibus cibis uescitur pauper, ego, inquit, preciosis, Interrogo uos quando fueritis ambo satiati, preciosus cibus ad te intrat: quid fit cum intrauerit? Nonne si specularia in uentre haberemus, de omnibus cibis preciosis erubesceremus, quib. saturatus es? Esurit pauper, esurit diues. Saturari quærit pauper, saturari quærit diues. Saturat̃ pauper de uilibus cibis, saturat̃ diues de preciosis cibis. Saturitas ęqualis est, possessio una est, quò ambo uolunt, peruenere. Sed ille per cõpendiũ, ille multũ circuit. Sed melius, inquit, mihi sapiunt apparata preciosa. Vix fastidio-
D sus satiaris. Nescis quõ sapit, quod fames accẽdit. Neq; ita hoc dixi, ut diuites cogam epulis & cibis pauperũ uesci. Vtant̃ diuites consuetudine infirmitatis suæ, sed doleãt aliter se nõ posse. Melius enim possint, si aliter possint. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quare extolleris de infirmitate? Vtere cibis electis, preciosis, quia sic consuesti, quia nõ aliter potes, quia si cõsuetudinẽ mutas, ægrotas. Conceditur tibi, utere superfluis, da pauperibus necessaria. Vtere preciosis, da pauperibus uilia. Expectat à te, expectas à deo. Expectat ille manum quæ facta est secum, expectas tu manum quæ fecit te. Sed non solum te fecit, sed & pauperem tecum. Dedit nobis unam uiã istam uitam. Inuenistis uos comites, unã uiam ambulastis. Ille nihil portat, tu nimium oneratus es. Ille nihil
A secũ portat, tu interim plus portas q̃ opus est, Oneratus es, da illi de eo quod habes, & illũ pascis, & pondus minuis. Date ergo pauperibus, rogo, moneo, præcipio, iubeo. Quicqd uultis date pauperibus. Nõ em̃ occultabo charitati uestræ, quare hũc sermonem necesse habui uobis promere. Ex quo hic sumus eũtes ad ecclesiã & redeuntes, pauperes interpellant nos, & dicũt ut dicamus uobis ut aliquid accipiãt à uobis. Nos monuerunt loqui uobis: & cũ se uident non accipere à uobis, inaniter arbitrant̃ nos laborare in uobis. Expectant & aliquid à nobis. Damus quãtum habemus, damus sicut possumus. Nunquid tamẽ ad eorũ necessitatem implẽdam idonei sumus? Quia ergo ad eorũ
B necessitatem implẽdam idonei non sumus, uel ad uos legati ipsorum sumus. Audistis, laudastis: deo gratias. Semen accepistis, uerba reddidistis. Laudes istẹ uestrẹ grauant nos potius & in periculum mittunt. Toleramus illas & tremimus inter illas. Tamen fratres mei istæ laudes uestræ folia sunt arborum, fructus quæritur.

De puero Centurionis & uerbis eius indignum se præsentia domini iudicantis, in euangelio secundum eundum. Sermo VI

A VDIVIMVS cum euãgelium legeret̃ fidem nostrã in humilitate laudari. Ad domũ quippe Cẽturionis cũ se promitteret dñs Iesus iturum ut puerum eius sanaret, ille respondit, Nõ sum dignus ut sub tectum meum Matt. 8
intres, sed tãtum dic uerbum & sanabit̃. Dicẽdo
C se indignũ, præstitit dignum, nõ in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret. Neq; hoc diceret cum tanta fide et humilitate, nisi iam illum, quẽ timebat intrare domũ suam, corde gestaret. Nam non erat magna felicitas, si dñs Iesus intraret in parietes eius, & non esset in pectore eius. Magister quippe humilitatis & uerbo & exẽplo, discubuit & in domo cuiusdam pharisæi superbi nomine Simonis, Et cũ in domo eius recumberet, nõ erat in corde eius ubi caput filius hominis reclinaret. Ita em̃ quẽdã superbũ quãtũ intelligit̃ ex uerbis ipsius dñi, ultro secũ ire cupiẽtẽ à suo discipulatu reuocauit, Sequar te dñe ait quocunq; ieris. Et dñs in corde eius inuisibilia uidẽs, Vulpes, inquit, foueas Luc. 9
habent, & uolatilia cœli nidos, filius autem homi- Matt. 8
nis non habet ubi caput reclinet: hoc est, habitant in te insidiẹ sicut uulpes, habitat superbia sicut cœli uolatilia, filius autem hominis simplex contrà insidias, humilis contra superbiam, nõ habet ubi caput reclinet. Et ipsa reclinatio capitis, nõ erectio: humilitatis magistra est. Reuocat ergo istum ire cupientẽ, trahit alterum recusantem. Eodẽ quippe loco ait cuidã, Sequere me. Et ille, Sequar domine, sed sine me primo ire & sepelire patrẽ meum. Pie quidem excusauit, & ideo dignior cuius excusatio remoueret̃, uocatio firmaret̃. Pium erat quod uolebat facere, sed docuit magister quid debuisset præponere. Volebat enim eum esse uiui uerbi prædicatorem, ad faciendos uicturos. Erant autem alij per quos illa necessitas impleretur. Si-

nis

ne, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. Infideles cadauer quando sepeliunt, mortui mortuum A sepeliunt. Illius corpus animam perdidit, illorum anima deum. Sicut enim anima est uita corporis, sic uita animæ deus. Sicut expirat corpus cum animam emittit, ita expirat anima cum deum amittit. Deus amissus, mors animæ: anima emissa, mors corporis. Mors corporis necessaria, mors animæ uoluntaria. Discumbebat ergo dñs in domo cuiusdam pharisæi superbi. In domo eius erat, ut dixi, & in pectore eius non erat. In huius uero Centurionis domum non intrauit, sed pectus possedit. Zacchæus uero dominũ & domo suscepit & animo. Huius tamen fides in humilitate laudat̃. Dixit enim, Non sum dignus ut sub tectũ meum intres.

Et dominus, Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israel,] secundũ carnem. Nam & iste B iam Israelites erat secũdum spiritum. Venerat dñs ad Israelem carnalem, id est, ad Iudæos, ibi primum quærere oues perditas, in quo populo & de quo populo etiam corpus assumpserat: non ibi inuenit tantam fidẽ, ipse dicit. Possumus nos metiri fidem hominũ sicut homines? Ille q̃ interiora cernebat, ille quem nemo fallebat perhibuit testimoniũ cordis hominis, audiens uerba hũilitatis, pronunciãs sententiam sanitatis. Vnde autẽ hoc præsumpsit?

Et ego, inquit, homo sum sub potestate cõstitutus: habẽs sub me milites, et dico huic uade et uadit, & alio ueni & uenit, & seruo meo fac hoc & facit.] Potestas sum quibusdã sub me positis, sub potestate quadam super me. Si ergo ego, inquit, homo sub potestate, iubẽdi habeo potestatẽ, quid tu possis cui omnes seruiunt potestates? Erat autẽ iste de gentibus, erat quippe centurio. Iam Iudæa gens habebat militẽ, habebat Romanum imperium. Ibi iste militem agebat, quantum agere centurio poterat. Et habens potestatẽ, & sub potestate subditus obediens, subditos regens. Dominus autem (quod intendat præcipue necessario charitas uestra) quãuis in populo Iudaico esset, iam pronũciabat ecclesiam toto orbe terrarum futuram, in qua erat missurus apostolos, Ipse à gentibus nõ uisus & creditus, à Iudæis uisus & occisus. Quomodo enim domũ huius dominus corpore non intrauit, & eius tamen fidem atq; ipsam domum absens corpore, præsens maiestate sanauit: sic & idem dominus in solo Iudæo populo corpore fuit, apud alias gentes nec de uirgine natus est, nec passus est, nec pedibus ambulauit, nec humana pertulit, nec diuina mirabilia fecit. Nihil horum in cæteris gentibus, & tamen de illo impletum est, quod dictum
Psal.17 erat, Populus quem non cognoui, seruiuit mihi. Quomodo si non cognouit? In auditu auris obediuit mihi. Iudæa gens cognouit & crucifixit, orbis terrarum audiuit & credidit. Hanc quodammodo absentiam corporis sui & præsentiam uirtutis suæ in omnibus gentibus, & in illa muliere significauit quæ fimbriam uestimenti eius tetigerat, cum requirit dicens, Quis me tetigit? Tanquã
Lucæ 8 absens requirit, tanquam præsens sanat. Turbæ te, inquiunt discipuli, comprimunt, & dicis, quis me tetigit? Quasi enim sic ambularet, ut à nullo prorsus corpore tangeretur, ita dixit, Quis me tetigit? Et illi, turbæ te comprimunt. Et tanquam diceret dominus, tangentem quero, non prementem. Sic etiã nunc est corpus eius, id est, ecclesia eius. Tangit eam fides paucorum, premit eam turba multorum. Corpus enim Christi esse ecclesiam tanquã filij eius audistis, & si uultis ipsi estis. Apostolus Col.1
multis locis hoc dicit, Pro corpore, inquit, eius 1.Cor.12
quod est ecclesia. Et iterũ, Vos autem estis corpus Christi, & membra. Si ergo eius corpus sumus, q̃d tunc corpus eius in turba patiebatur, hoc patitur ecclesia ipsius. A turbis premitur, à paucis tangit̃. Caro eam premit, fides tangit. Erigite quippe oculos obsecro uos, qui habetis unde uideatis. Habetis enim quod uideatis. Erigite oculos fidei, tangite extremã fimbriam uestimẽti, sufficiet ad salutem. Videte quod audistis ex euãgelio tunc futurum, nũc præsens est. Ideo, inquit, dico uobis propter laudatam centurionis fidẽ, tanq̃ alienigenæ carne, domestici corde. Propterea inquit, multi ab oriente & occidente ueniẽt. Non omnes, sed multi, tamen ipsi ab oriente & occidente, istis partib. duabus totus orbis designatur. Multi ab oriẽte & occidente uenient, & recũbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorũ, filij aũt regni eij cientur in tenebras exteriores.] Filij regni, Iudæi scilicet. Vnde filij regni? Quia legem acceperunt, ad quos prophetę missi sunt, apud quos templum & sacerdotium fuit, qui celebrabant figuras omnium futurorum. Quarum enim rerum figuras ce
C lebrauerunt, præsentiam non agnouerunt. Filij ergo regni ibunt, inquit, in tenebras exteriores, ibi erit ploratus, & stridor dentium.] Videmus Iudæos reprobatos, uidemus Christianos ab oriente & occidente uocatos ad quoddam conuiuium cœleste, ut recũbant cũ Abrahã, Isaac & Iacob, ubi panis iustitia, ubi potus sapientia. Attendite ergo fratres, Hoc em̃ uos estis, ex hoc populo estis, iam tunc prædicato, nũc præsentato. De his utiq; estis qui uocati sunt ab oriente & occidente recũbere in regno cœlorũ, nõ in templis idolorũ. Esto te ergo corpus Christi, nõ pressura corporis Christi. Habetis uestimẽti fimbriam, quã tangatis, ut à profluuio sanguinis, id est, à carnalium uoluptatũ
D fluxu sanemini. Habetis, inq̃, uestimẽti fimbram quã tangatis. Vestẽ putate apostolos, sub textura unitatis adhęrentes laterib. Christi. In his apostolis erat tanquam fimbria minimus & nouissimus Paulus, ipso dicente, Ego sum minimus apostolorũ. In uestẽ nouissimũ & minimũ fimbria est. Fimbria cũ contẽptu aspicit̃, sed cũ salute tangit̃. Vsq; ad hanc horã, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, et colaphizamur. Quid tam extremum, quid tã cõtemptibile? Tange si fluxũ sanguinis pateris, exiet uirtus de illo cuius uestis est, & sanabit te. Fimbria modo tangẽda proponebat̃, quando ex eodẽ Apostolo legebat̃, Si em̃ quis uiderit eũ qui habet scientiã in idolio recumbentẽ, nónne conscientia eius cũ sit infirma, ædificabit̃ ad manducãdum idolothyta? Et pibt infirmus in tua sciẽtia

frater

frater, propter quem Christus mortuus est? Quõ putatis decipi posse simulacris homines, quæ à A Christianis honorari putant̃? Nouit, inquit, deus cor meũ, sed frater tuus nõ nouit cor tuum. Si infirmus es, caue maiorẽ ægritudinẽ. Sin firmus es, cura infirmitatẽ fratris. Qui uident ista, ædificant̃ ad idolia, ut nõ tantũ ibi manducare, sed & sacrificare desiderẽt. Ecce perit infirmus in tua cõscientia frater. Audi frater, Si contemnebas infirmũ, etiam fratrem contemnis. Expergiscere. Quid in ipsum Christum peccas? Attẽde enim quod nullo pacto possis contemnere. Sic autem peccantes, inquit, in fratres, & percutientes conscientiã eorum infirmam, in Christum peccatis. Eant nunc qui ista cõtemnunt, & recũbant in idolio, nónne erunt prementes, non tangentes? Et cũ recubuerint in idolio ueniant & impleant ecclesiam, non salutem ac B cepturi, sed pressuram facturi. Sed timeo, inquies, ne offendam maiorẽ. Time prorsum ne offendas maiorem, & nõ times ne offendas deum. Quid enim times, ne offendas maiorẽ? Vide ne forte maior sit isto quem times offendere. Maiorẽ certe noli offendere. Hæc tibi regula proponitur. Nónne manifestum est, eum minime offendendum, qui maior est cæteris? Discute nunc maiores tuos. Primi tibi sunt pater & mater, Si recte educantes, si in Christum nutrientes, audiendi in omnibus, obtẽperandum eis in omni iussione, contra maiorẽ si nihil iubeant, & seruiatur illis. Quis est, inquis, maior eo qui me genuit? Ille qui teipsum creauit. Generat enim homo, creauit deus. Vnde generat homo nescit, quid generaturus sit nescit. Ille qui te uidit ut faceret antequam esset quem fecit, certe ma
C ior est patre tuo. Maior sit patria & ipsis parentibus tuis, ut quicquid iusserint parentes contra patriam, nõ audiant̃, & quicquid iusserit patria contra deum, non audiatur. Si enim sanari uis, si post fluxum sanguinis, si post duodecim annos in illo morbo, si post consummata omnia in medicis, & non recepta sanitate aliquando uis sana fieri ò mulier, quã alloquor in typo ecclesiæ, iubet ille pater tuus, & illud iubet populus tuus. Sed dicit tibi dominus tuus, Obliuiscere populum tuum, & domũ
Psal.44 patris tui, Quo bono, quo fructu, qua mercede? Quoniam concupiuit, inquit, rex decorem tuum. Concupiuit quod fecit, quoniam ut pulchram faceret fœdam amauit. Pro infideli & fœda sangui
D nem fudit, fidelem ac pulchram reddidit, dona sua in te amauit. Quid em̃ sponso tuo cõtulisti? Quid in dotẽ à priore patre & priore populo accepisti? Nónne luxurias & pannos peccatorum? Abiecit pannos tuos, discidit cilicium tuum, misertus est ut ornaret, ornauit ut amaret. Quid plura fratres Christiani? Audistis quia peccantes in fratres, &
1 Cor.8 percutientes conscientiã eorum infirmã, in Christum peccatis. Nolite contẽnere, si nõ uultis deleri de libro uitæ. Quãdiu conamur luculẽter & delectabiliter uobis dicere, quod dolor noster cogit quomodo cũq; dicere, & tacere nõ pmittit? Quicũq; uoluerint ista cõtẽnere, in Christũ peccãt, uideãt q̃d agãt. Paganos reliquos colligi uolumus. Lapides estis in uia, uenire uolẽtes offendũt & re
A deunt. Dicunt enim in cordib. suis, Quare nos relinquamus deos, quos Christiani ipsi nobiscũ colunt? Absit à me, inquis, ut ego deos gentiũ colã. Noui, intelligo, credo. Quid facis de cõsciẽtia infirmi quã percutis? Quid facis de precio, si cõtemnis quod emptũ est? Vide quãti emptũ est. Peribit inquit, infirmus in tua scientia quã te dicis habere, ut scias quia nihil est idolũ, & animo cogites deũ, & sic recũbas in idolio. In hac scientia perit infirmus. Et ne contẽnas infirmũ, addidit, Propter quẽ Christus mortuus est. Quẽ uis contẽnere, preciũ eius attẽde, et cũ morte Christi totũ mundũ appende. Et ne adhuc te putares in infirmũ peccare, & leue duceres peccatũ ac paruipenderes: In Christum, inquit, peccatis. Solẽt em̃ homines dicere, In
B hominẽ pecco, nũquid in deũ? Negas deum Christũ. Audes negare Christũ deũ? An aliud in idolio cũ recũberes didicisti? Non admittit istã doctrinã Christi doctrina. Quære ubi didiceris, Christum non esse deum. Pagani hoc solent dicere, Vides quid faciũt mensæ malæ? Vides quõ corrũpũt mo
1 Cor.15 res bonos, colloquia mala? Tu ibi de euãgelio loqui nõ potes, & de idolis loquẽtes audis. Amittis ibi q̃ Christus deus est. Et q̃d ibi bibis, in ecclesia uomis. Forte his audes loqui, forte inter turbas audes murmurare. Nunquid Christus non homo fuit? Nónne crucifixus est? A Paganis hoc didicisti, salutẽ perdidisti, fimbriã nõ tetigisti. Tange & in hoc fimbriã, recipe salutẽ, sicut eam te tan
1 Cor.8 gere docuimus in eo quod scriptũ est, Qui uiderit fratrẽ in idolio recũbentẽ. Tange illam de diuinitate Christi. Et de Iudæis dicebat eadem fimbria, Quorũ patres, ex quib. Christus secundũ carnem, Rom.9 qui est sup̃ omnia deus benedictus in secula. Ecce in quẽ uerũ deũ peccas, dũ discũbis apud deos falsos. Nõ est, inq̃t, deus, quia geniũ est Carthaginis, quasi si Mars aut Mercurius esset, deus esset. Sed quõ ab ipsis habeat̃ attẽde, nõ quid sit. Nã & ego tecũ scio, quia lapis est. Si geniũ ornamentũ est aliquod, ciues Carthaginis bene uiuant, & ipsi erunt genium Carthaginis. Si aũt genium dæmoniũ est, audisti & ibi, Quæ immolãt gẽtes, dæmonib. im-
1 Cor.10 molant, & nõ deo. Nolo uos socios fieri dæmoniorum. Nouimus quia nõ est deus, utinã & illi sic norint, Sed propter eos qui hoc nõ norint infirmos,
D nõ debet pcuti cõscientia ipsorũ. Hoc monet Apostolus. Nã & illi q̃ numẽ habeant, & pro numine accipiant illam statuã, ara testat̃. Quid illic faciat ara, si illud non habet̃ pro numine? Nemo mihi dicat, Nõ est numen, non est deus. Iã dixi, utinã sic ipsi norint hoc, quõ nouimus omẽs nos. Sed quid habeãt, pro qua re habeant, quid ibi faciat, ara illa testatur. Conuicit omniũ colentiũ mentes, nõ conuincat recũbentes, sed non premant Christiani, si premant Pagani. Corpus Christi est. Nónne hoc dicebamus, quia corpus Christi premebatur, & non tangebatur? Tolerabat ille prementes, quærebat tangẽtes, atq; utinã fratres à Paganis premat̃ corpus Christi, à quibus premi solet, Christiani non premant corpus Christi. Fratres, ad nos

pertinet

pertinet uerbũ uobis dicere, ad nos pertinet Chri
1.Cor.5 stianis loqui. Quid enim mihi de his qui foris sunt A
iudicare? ipse Apost. ait. Illos alloquimur aliter,
tanq̃ infirmos. Blandiendũ est illis ut audiant ue-
ritatẽ, in uobis secãda putredo est. Si quæritis un-
de uincãtur pagani, unde illuminentur, unde ad sa-
lutẽ uocentur, deserite omnes solẽnitates eorũ, dese
rite nugas ipsorũ, & si non cõsentiunt ueritati no-
stræ, erubescãt paucitati suæ. Bonus si fuerit qui ti
bi prœest, nutritor tuus est. Malus si fuerit, tentator
tuus est, & nutrimenta libenter accipe, & in tenta-
tione approbare. Esto aurũ, attende mundũ istum
tanq̃ fornacem aurificis. In uno angusto loco tria
sunt, aurũ, palea, ignis. Ad illa duo ignis apponit,
palea uritur, aurum purgat. Cessit nescio quis minis
& adductus est ad idolũ, Vę mihi quia paleã plã-
go, cinerẽ uideo. Non cessit minis, non cessit ter-
roribus, adductus ad iudicẽ, stetit in confessione
sua, nõ est flexus ad idolũ, Quid facit flãma? Nõn-
ne aurũ purgat? State in dño fratres, potentior est
qui uocauit uos. Minas impiorũ ne timueritis, ini-
micos patimini. Habetis pro quibus oretis. Pror-
sus non uos terreant, Hæc est sanitas, haurite hinc
in isto cõuiuio, hic bibite unde satiemini, non illic
unde insaniatis. State in dño. Aurũ eritis, argentei
estis. Ista similitudo non à nobis est, de diuina scri-
Sap.3 ptura est. Legistis, audistis, Sicut in fornace aurũ
probauit illos, & sicut holocausti hostiã accepit il
los. Ecce quid eritis ad thesauros dei? Estote diui-
tes de deo, non eũ facturi diuitẽ, sed de illo futuri
diuites. Impleat uos, aliud non admittatis ad cor C
uestrũ. Nunquid in superbiã uos erigimus, aut di-
cimus uobis ut aduersus potestates ordinatas con
tẽptores sitis? Nõ hoc dicimus. Qui & hinc ægro-
tatis, tangite & hinc fimbriam illã uestimenti. Ipse
Rom.13 dicit Apostolus, Omnis anima potestatibus subli
mioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à
deo. Quæ aũt sunt, à deo ordinatæ sunt. Qui enim
resistit potestati, dei ordinationi resistit. Sed quid
si illud iubeat q̃d non debeas facere? Hic sanè con
temne potestatẽ, timendo potestatẽ. Ipsos huma-
narũ rerũ gradus aduertite. Si aliquid iusserit Cu-
rator, nónne faciendũ est? Tamẽ si cõtrà Procõsul
iubeat, nõ utiq̃ cõtemnis potestatẽ, sed eligis ma-
iori seruire. Nec hinc debet minor irasci, si maior
prælata est. Rursum si aliquid ipse Proconsul iu-
beat, & aliud iubeat Imperator, nũquid dubitat in D
illo contẽptu illi esse seruiendũ? Ergo si aliud Im-
perator, & aliud Deus, quid iudicatis? Solue tri-
butũ, esto mihi in obsequiũ. Recte, sed nõ in ido-
lio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Maior po-
testas. Da ueniã, tu carcerẽ, ille gehennã minatur.
Hinc iam tibi assumẽda est fides tua tanq̃ scutũ, in
quo possis omnia ignita iacula inimici extingue-
re. Sed insidiat cõtra te potẽs, acuit nouaculã un-
de capillos radat, nõ unde caput incidat. Quod di
Psal.51 xi modo audistis in Psalmo, Sicut nouacula acuta
fecisti dolũ. Quare dolũ potentis malæ nouaculæ
cõparauit? Quia nõ admittit nisi ad superflua no-
stra. Sicut capilli in corpore nostro tanquã super-
flui uidentur, & sine detrimento carnis radunt; sic

quicquid potest tibi facere iratus potens, inter su-
perflua tua munera. Tollit paupertatẽ tuã, nũquid
tollit diuitias tuas? Paupertas tua, diuitiæ tuæ, in
corde tuo. Superflua tua potuit tollere, dãno po-
tuit afficere, permissus est usq̃ ad lędendũ corpus.
Etiã ista uita cogitãtibus aliã uitã, ista inquam uita
inter superflua deputãda est. Nã & martyres con-
tempserunt illã, Non uitã perdiderunt, sed uitã ac-
quisierũt. Certi estote fratres, inimicos non amitti
aduersus infideles, nisi quantũ prodest tentãdis &
pbandis fidelibus. Certi estote fratres, nemo aliud
dicat. Omnẽ curam uestrã super dominũ mittite,
prorsus uosipsos totos proijcite in eũ. Non se sub-
ducit ut cadatis, ille qui nos creauit, & de ipsis ca-
pillis nostris securitatẽ nobis dedit, Amẽ dico uo
B bis, inquit, & capilli capitis uestri numerati sunt. Matt.10
Capilli nostri numerati sunt deo, quãto magis mo
res nostri, cui sic noti sunt sicut capilli nostri? Vi-
dete, quia minima nõ cõtemnit deus. Nam si con-
tẽneret, nec crearet. Nam & capillos nostros ipse
utiq̃ creauit, & numeratos habet. Sed modo cum
sunt, inquis, forte peribũt. Et hinc audi uocẽ eius,
Amen dico uobis, capillus capitis uestri non per- Luca 21
ibit. Quid times hominẽ, ô homo in sinu dei posi-
tus? Tu de illius sinu noli cadere, quicquid ibi pas
sus fueris, ad salutẽ ualebit, nõ ad pernicie. Lania-
tus membrorũ martyres pertulerũt, & timẽt Chri
stiani iniurias temporum Christianorũ? Qui tibi
facit iniuriã modo, timens facit, Non dicit aperte,
ueni ad idolũ, non dicit aperte, ueni ad aras meas,
ibi conuiuare. Et si dixerit, & nolueris, hoc cõque
ratur, hoc in postulationẽ, hoc in querimoniã de-
ponat, Noluit uenire ad aras meas, noluit uenire
ad templum quod ueneror. Hoc dicat. Non audet
dicere, sed alia machinatur dolose. Para capillos,
nouaculam acuit, ablaturus est superflua tua, rasu-
rus quicquid relicturus es, Tollat quicquid per-
manebit si potest. Quid tulit potens nocẽs? Quid
magnũ tulit? Quod fur, quod effractor, ut multũ
sæuiat quod latro. Si & ad ipsum corpus occiden-
dum permissus fuerit, quid tollit nisi quod latro?
Honorauí cũ dixi latro. Nã qualiscunq̃ latro, ho-
mo est. Quod febris, quod scorpius, quod fungus
malus. Ista tota potẽtia sæuientiũ est, facere quod
fungus. Manducant homines fungũ malũ, & mo-
riunt. Ecce in qua fragilitate est uita humana, quã
quãdoq̃ relicturus es, noli pro illa sic pugnare ut
tu relinquaris. Via nostra Christus est, Christũ at-
tẽde. Pati uenit, sed & glorificari. Contẽni, sed etiã
exaltari. Mori, sed etiam resurgere. Opus te terret,
mercedẽ uide. Quare uis peruenire delicatus ad
eam rem, ad quam nõ perducit nisi labor? Sed tí-
mes ne perdas argentũ tuũ, quia ad argentũ tuum
cũ magno labore peruenisti. Si ad argẽtum tuum
quod quãdoq̃ uel moriẽs amissurus es, non perue
nisti sine labore: ad uitã æternam sine labore uis
peruenire? Charior sit tibi illa ad quam post om-
nes labores sic peruenies ut nunquam amittas. Si
hoc tibi charũ est, ad quod post omnes labores, sic
peruenisti, ut aliquando amissurus sis, quanto ma
gis illa perpetua desiderare debemus? Verbis
ipsorum

ipsorũ ne credatis, nec timeatis, hostes nos dicũt
idolorũ suorũ. Sic præstet deus & det omnia in po-
A testate, quõ dedit q̃d fractum est. Hoc emẽ dicimus
charitati uestræ, ne faciatis ista, quando in potesta
te uestra non est ut faciatis illud. Prauorũ hominũ
est, furiosorũ Circumcellionum, & ubi potestatẽ
non habẽt sæuire, & uelle mori, Properãt sine cau
Deu.7 sa. Audistis quæ uobis legimus, omnes qui nuper
in mapalibus affuistis. Cum data uobis fuerit terra
in potestatem, (Prius ait in potestatem, & sic di-
xit quæ faciẽda sunt) Aras eorum, inquit, destrue
tis, lucos eorũ cõminuetis, & omnes titulos eorũ
confringetis. Cũ acceperitis potestatẽ hoc facite.
Vbi nobis non est data potestas, nõ facimus, ubi
data est, nõ prætermittimus. Multi pagani habẽt
istas abominationes in fundis suis: nũquid accedi
B mus & cõfringimus? Prius emẽ agimus, ut idola in
eorum corde frangamus. Quando Christiani & ipsi
facti fuerint, aut inuitant nos ad tam bonũ opus,
aut præueniunt nos. Modo orandum est pro
illis, non irascẽdum illis. Si mouet dolor magnus,
aduersus Christianos mouet, aduersus fratres no-
stros mouet, qui sic uolunt intrare in ecclesiam ut
hic corpus habeant, alibi cor. Totus intus esse de-
bet. Si intus est quod uidet homo, quare foris est
quod uidet deus? Sciatis autem charissimi mur-
mura eorum coniungere se cum hæreticis, cum lu
dæis. Hæretici, ludæi & Pagani unitatem fecerũt
contra unitatem: quia cõtigit ut quibusdã locis di
sciplinã acciperẽt ludæi propter improbitates su-
as, criminantur & suspicantur, aut fingunt, quia ta
lia de illis semper queramus: quia contigit ut alicu
C bi hæretici pœnas darent legibus pro impietate
& furore uiolentiarum suarũ, iam nos dicunt per
omnia quærere aliquã incõmoditatẽ ipsorum ad
pernicie. Rursus quia cõtra Paganos placuit ut le
ges ferrent, imò pro Paganis si sapiant, (Sicut emẽ
pueris insensatis ad lutum ludentibus, & manus
coinquinantibus pædagogus cum uenit seuerus,
lutũ de manu excutit, codicem porrigit, ita uoluit
deus per principes subditos sibi terrere corda in-
sensata puerilia, ut abijciant lutũ de manibus, &
Esa.58 aliquid utile faciant. Quid est utile de manibus?
Frange esuriẽti panẽ tuum, & egenum sine tecto
induc in domũ tuã. Et tamẽ pueri euadunt ab ocu
lis pædagogi, & redeũt ad lutum furtim, & quãdo
D inueniunt, abscõdunt manus ne uideantur) Quia
ergo uoluit deus, putãt nos ubicunq̃ quærere ido
la, quæ cũ inuenerimus, in omnibus locis frãgere.
Quare? Non ante nos sunt loca in quibus sunt?
Aut uero ignoramus ubi sint ista? Et tamen nõ fa
cimus, quia nõ dedit in potestatẽ deus. Quãdo da
bitur deus in potestatẽ? Quãdo Christianus erit
cuius res est, modo factũ uoluit cuius res est. Si nol
let ipsum locũ dare ecclesię, & tantũ iuberet in re
sua, nõ esse idola, puto quia deberet summa deuo-
tione fieri à Christianis: ut adiuuaret absens. Chri
stiana anima quæ in terra uult deo gratias age-
re, nõ uult ibi aliquid esse in cõtumeliã dei. Huc ac
cedit, quia ecclesia dedit ipsa loca, & in re ecclesię
idola futura erant. Fratres, ecce quid displicet Pa-

ganis? Parum est illis quia de uillis ipsorum nõ illa
tollimus, non illa frangimus, & in nostris uolunt
ea seruari. Contra idola prædicamus, de cordibus
illa tollimus, sumus persecutores idolorum, Profi
temur. Nunquid seruatores? Non facio ubi non
possum, non facio ubi conqueretur dominus rei.
Vbi autem uult fieri & gratias agit, reus ero si non
fecero.

De tribus quorũ unus dixit, Domine sequar
te quocunq̃ ieris & reprobatus est, Alius nõ au-
debat, & excitatus est, Tertius differebat, & cul-
patus est, Sermo VII

E hoc capitulo euãgelij quod dñs dona- A
D uit, audite. Lectũ est emẽ dominũ Iesum
differenter egisse, cum obtulit se unus ut
eum sequeret, & reprobatus est, alius nõ audebat
B & excitatus est, tertius differebat, & culpatus est.
Quod emẽ dixit, Dñe sequar te quocũq̃ ieris,] Matt.8
Quid tã promptũ, quid tã impigrũ, quid tam para
tum, & quid ad tantũ bonũ aptissimũ, sequi dñm
quocunq̃ ierit? Miraris hoc, dicẽs, Quid est hoc, Luc.9
quod magistro bono domino Iesu Christo inuitã
ti discipulos, quibus daret regnum cœlorum, dis-
plicuit tam paratus? Sed quia talis magister erat
qui futura præuiderit, intelligimus fratres istum
hominem si sequeret Christum, sua quæsiturũ fu-
isse, non quæ Iesu Christi. Ipse enim dixit, Nõ om- Matt.7
nis qui dicit mihi dñe domine, intrabit in regnum
cœlorum. Et ipse de ipsis fuit, nec ipse sic nouerat
quõ inspiciebatur. Nam si iam se factum esse spera
bat, si iam dolosum & insidiosum se nouerat, cui
C loqueretur non nouerat. Ipse est emẽ de quo euan-
gelista dicit, Non opus habebat ut quisq̃ ei testi- Ioan.2
monium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat
quid esset in homine. Quid ergo respondit?
Vulpes foueas habent, & uolatilia cœli nidos, Mat.8
filius aũt hominis nõ habet ubi caput reclinet.]
Sed ubi non habet? In fide tua. Vulpes enim foue
as habent in corde tuo, quia dolosus es. Volatilia
cœli habẽt nidos in corde tuo, elatus es. Dolosus
& elatus, nõ me sequeris. Quomodo dolosus se-
quitur simplicitatem? Et ad alterum continuo ta-
centem, & nihil dicentẽ, nihil promittentẽ dicit,
Sequere me.] Quantũ mali in illo, tantũ boni
uidebat in isto, Sequere me dicis nolẽti. Ecce ha-
bes hominẽ paratũ, Sequor te quocũq̃ ieris, & tu
D dicis nolenti, Sequere me? Istũ, inquit, declino, qa
uideo ibi foueas, uideo nidos. Quid ergo mole-
stus es huic, quẽ prouocas, & excusat? Ecce iam
compellis & non uenit, hortaris & non sequitur.
Quid enim dicit? Ibo potius sepelire patrẽ me-
um.] Fides cordis eius domino se ostẽdebat, sed
pietas differebat. Dominus autẽ Christus quando
parat homines euãgelio, nullã excusationem uult
interponi carnalis huius tẽporalisq̃ pietatis. Equi
dem, & lex dei habet, & ipse dominus arguit Iu-
dæos, quia destruebant ipsum mandatum dei. Et
Paulus Apostolus in epistola sua posuit & dixit,
Hoc est mandatũ primum in repromissione, Ho- Eph.6
nora patrem tuum & matrem tuam: deus utiq̃ di-
xit. Volebat enim iste iuuenis obtemperare deo,

& ſepelire patrẽ ſuũ: ſed eſt locus, & eſt tempus, & eſt res, quæ huic rei, huic tẽpori, huic loco ſeruiat. A Honorandus eſt pater, ſed obediendũ deo eſt. Amãdus eſt generator, ſed præponẽdus eſt creator. Ego, inquit, ad euangeliũ te uoco, ad aliud opus mihi neceſſarius es. Maius eſt hoc q̃ quod uis facere. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.] Pater tuus mortuus eſt, ſunt alij mortui qui ſepeliãt mortuos. Mortui ſepelientes mortuos qui ſunt? Poteſtne mortuus à mortuis ſepeliri? Quomodo inuoluũt, ſi mortui ſunt? Quomodo portant, ſi mortui ſunt? Quõ plangunt, ſi mortui ſunt? Et inuoluunt, & portant, & plangunt, & mortui ſunt, quia infideles ſunt. Docuit nos quod ſcriptũ eſt in Can
Can.2 tico canticorum, dicente eccleſia, Ordinate in me charitatem. Quid eſt, ordinate in me charitatem? Facite gradus, & cuicunq; debetur reſtituite. Nolite anteriora poſterioribus ſubdere. Amate parentes, ſed præponite deũ parentibus. Atten
2 Mach.7 dite matrem Machabæorum, Filij, inquit, neſcio quomodo apparuiſtis in uentre. Concipere uos potui, parere potui, formare uos non potui. Illum ergo audite, illum mihi præponite. Nolite attendere, ne ſine uobis remaneã. Præcepit, & ſecuti ſunt. Quod docuit mater filios, hoc docebat dominus Ieſus Chriſtus iſtũ cui dicebat, ſequere me. Quia nunc alius diſcipulus miſit ſe in medio, cui
Luc.9 nemo aliquid dixit, Proſequar te domine, ait, ſed uado primum renunciare his qui in domo ſunt.] Credo hic ſenſus eſt, Nũtiem meis, ne forte quomodo fieri ſolet, quærant me. Et dominus, Nemo ponens manum ſuper aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno cœlorum.] Vocat te oriẽs, & tu attendis occidentem. In hoc capitulo hoc diſcimus, quoniam quos uoluit dominus, hos ele git. Elegit autem, ſicut dicit Apoſtolus, & ſecun-
Rom.11 dum ſuam gratiam, & ſecundũ illorum iuſtitiam. Talia enim ſunt uerba Apoſtoli. Attendite, inquit, quid dicit Helias, Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua euerterũt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi reſponſum diuinũ? Reliqui mihi ſeptem milia uirorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Solum te putas eſſe ſeruum bene laborantem, ſunt & alij me timentes, & non pauci. Nam ſeptem milia habeo. Et adiunxit, Sic ergo & in hoc tempore. Crediderunt ergo aliqui Iudæi, & multi fuerant reprobati, ſicut & ille qui uulpium D foueas geſtabat in animo. Sic ergo, inquit, & in hoc tempore, reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt, id eſt, idem Chriſtus eſt nunc qui tunc, & modo qui & illic tunc Heliæ dixit, Reliqui mihi. Quid eſt reliqui mihi? Ego illos elegi, qui uidi mentes eorum de me præſumentes non de ſe, nec de Baal, Nõ ſunt mutati, ſic ſunt ut à me facti ſunt, & tu qui loqueris niſi de me præſumeres ubi eſſes? Niſi gratia mea plenus eſſes, nonne ante Baal etiam ipſe genu flecteres? Gratia autem mea plenus es, quia nihil de tua uirtute, ſed totum de mea gratia præſumpſiſti. Noli ergo in hoc gloriari, ut putes te in ſeruitio tuo non habere conſeruos, ſunt quos elegi ſicut & te, de me ſcilicet præ-
A ſumentes, Sicut ait Apoſtolus, Et nunc reliquiæ per electionẽ gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Caue ò Chriſtiane, caue ſuperbiã. Licet enim imitator ſanctorum ſis, totum gratiæ ſemper reputa, quia ut eſſet aliquid reliquum, gratia in te dei, non tuum meritum fecit. De ipſis deniq; reliquijs, dixerat prophe
Eſa.1 ta Eſaias commemorans. Niſi dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus. Sic ergo, inquit, & in hoc tẽpore reliquiç per electionẽ gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si aũt gratia, inquit, iam nõ ex operibus, id eſt, iam non de tuo merito extollaris,
Rom.11 Alioquin gratia iam non eſt gratia. Si enim de tua opera præſumis, ergo merces tibi redditur, nõ gratia condonatur. Si autem gratia eſt, gratis datur. B Interrogo nunc, Credis ò peccator Chriſto? Dicis Credo. Quid credis? Gratis uniuerſa peccata per ipſum tibi poſſe remitti? Habes quod credidiſti. O gratia gratis data. Quid tu iuſte credis? Te ſine deo poſſe ſeruare iuſtitiam ipſius? Ergo totum reputa, quod iuſtus es, pietati. Quod autem peccator es, tuæ iniquitati aſcribe. Eſto accuſator tuus, & ille erit indultor tuus. Omne enim crimen, facinus, uel peccatum noſtræ eſt negligentiæ, & omnis uirtus & ſanctitas dei eſt indulgentia. Conuerſi ad dominum.

De eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecun- A
dum Matthæum, Cõfiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus. Et
C cætera quæ ſequuntur. Sermo VIII

S ANCTVM euangelium cum legeretur, audiuimus exultaſſe dominum Ieſum in ſpiritu, & dixiſſe, Confiteor tibi pa-
Mat.11 ter domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.] Hucuſq; interim uerba domini, ſi digne, ſi diligenter, ſi quod primũ eſt pie conſideremus, inueniemus primitus non ſemper cum in ſcripturis legimus confeſſionem, debere nos intelligere uocem peccatoris. Maxime autem hoc dicendum fuit, & hinc admonenda charitas ueſtra, quia mox ut hoc uerbum ſonuit lectoris, ſecutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris ueſtri, audito ſcilicet quod dominus ait, Confiteor tibi pater. In hoc ipſo quod ſonuit, Confiteor, pectora tutudiſtis. Tũdere autem pectus quid eſt, niſi arguere quod D latet in pectore, euidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Quare hoc feciſtis, niſi quia audiſtis, Confiteor tibi pater? Confiteor audiſtis, qui confitetur non attendiſtis. Nunc ergo aduertite. Si confiteor Chriſtus dixit, à quo eſt longe omne peccatum, non ſolius eſt peccatoris, ſed etiam laudatoris. Cõfitemur ergo, ſiue laudantes deum, ſiue accuſantes noſipſos. Pia eſt utraq; confeſſio, ſiue cum te reprehendis qui non es ſine peccato: ſiue cum illum laudas qui non poteſt habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehenſio tua laus ipſius eſt. Quare enim iam confiteris in accuſatione ipſius tui? Quare confiteris, niſi quia ex mortuis uiuus factus es? Scriptura quippe ait,

A mor-

Eccli.17 A mortuo quaſi qui non ſit perit confeſſio. Si perità mortuo confeſſio, qui confitetur uiuit. Et ſi A peccatum confitetur, utique à morte reuixit. Si peccati confeſſor reuixit à morte, quis eum ſuſcitauit? Nullus mortuus eſt ſuijpſius ſuſcitator. Ille ſe potuit ſuſcitare, qui mortua carne non mortuus eſt. Etenim hoc ſuſcitauit quod mortuum fuerat. Ille ſuſcitauit ſe qui uiuebat in ſe, in carne autem ſuſcitanda mortuus erat, Non enim pater ſolus
Phil.2 filium ſuſcitauit, de quo dictum eſt ab Apoſtolo, Propter quod eum deus exaltauit: ſed etiam do-
Ioan.2 minus ſeipſum, id eſt, corpus ſuum, Vnde dicit, Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud. Mortuus autem eſt peccator, maxime ille quem moles conſuetudinis premit, quaſi ſepultus La-
Ioan.11 zarus. Parum enim erat quia mortuus, etiam ſe- B pultus. Quiſquis igitur malæ conſuetudinis, malæ uitæ, terrenarum ſcilicet cupiditatum mole premitur, ita in illo iam factum ſit, quod in quodam
Pſal.13 Pſalmo mirabiliter dicitur, Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt deus. Fit talis, de quali dictum eſt. A mortuo uelut qui non ſit perit confeſſio. Quis eum reſuſcitabit, niſi qui remoto lapide clamauit dicens, Lazare prodi foras? Quid eſt autem foras prodire, niſi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non poſſet niſi uiueret. Viuere uon poſſet niſi reſuſcitatus eſſet. Ergo in confeſſione ſui accuſatio, dei laudatio eſt. Dicit ergo aliquis, Quid prodeſt Eccleſia ſi iam confeſſor uoce dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt eccleſia confitenti, C
Mat.16 cui dominus ait, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta
Ioan.11 erunt & in cœlo? Ipſum Lazarum attende, Cum uinculis prodit, Iam uiuebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat uinculis irretitus. Quid ergo facit eccleſia cui dictum eſt, Quæ ſolueritis ſoluta erunt, niſi quod ait dominus continuo ad diſcipulos, Soluite illum & ſinite abire? Siue ergo nos accuſemus, ſiue deum laudemus, bis deum laudamus ſi pie nos accuſamus, deúmque laudamus. Quando deum laudamus, tanquam eum qui ſine peccato eſt, prædicamus. Quãdo autem noſipſos accuſamus, ei per quem reſurreximus gloriam damus. Hoc ſi feceris, nullam occaſionem inuenit inimicus qua te circũueniat ante iudicem. Cum enim tuipſe fueris accuſator, & dominus liberator, quid erit ille niſi calumniator? Merito D ille hinc ſibi tutelam prouidit aduerſus inimicos non conſpicuos, carnem & ſanguinem miſerandam potius quàm cauendam, ſed aduerſus illos inimicos contra quos Apoſtolus nos hortatur ut armemur. Non eſt nobis colluctatio aduerſus car
Ephe.6 nem & ſanguinem, id eſt, aduerſus homines quos uidetis ſæuire in uos. Vaſa ſunt, alius utitur. Organa ſunt, alius tangit. Immiſit ſe, inquit, diabolus in cor Iudæ, ut traderet dominũ. Ait aliquis, Quid
Ephe.4 ergo ego feci? Audi Apoſtolum, Neque dedit locum diabolo. Tu mala uoluntate locum dediſti, intrauit, poſſedit, utitur. Si locum non dares, non poſſideret. Ergo nos admonens ait, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates. Poſſit quiſque putare aduerſus reges terræ, aduerſus potentes ſe culi. Quare? Ipſi non caro & ſanguis? Semel dictum eſt, non aduerſus carnem & ſanguinem. Auertere ab omni homine. Qui ergo reſtant inimici? Aduerſus principes & poteſtates ſpiritalis nequitiæ, rectores mundi. Quaſi plus dedit diabolo & angelis eius. Plus dedit, rectores mundi appellauit. Sed ne male intelligas, exponit quid ſit mundus, cuius ſint illi rectores. Rectores mundi tenebrarum harum. Quid eſt mundi? tenebrarum harum. Quibus eſt rector? Dilectoribus ſuis & infidelibus quibus plenus eſt mundus. Has appel lat Apoſtolus tenebras, harum rector eſt diabolus & angeli eius. Hæ tenebræ nõ naturales ſunt, non incommutabiles ſunt, mutantur & lumen efficiuntur, credunt, & credendo illuminantur. Quod cum in eis factum fuerit, audient. Fuiſtis e- Eph.5
nim aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Nam quando tenebræ, non in domino. Iterum quando lux, non in te, ſed in domino. Quid 1 Cor.4
enim habes quod non acceſiſti? Quia ergo ſunt inuiſibiles inimici, inuiſibiliter ſunt expugnandi. Quippe hoſtem uiſibilem uincis feriendo, inuiſibilem uincis credendo. Viſibilis eſt hoſtis homo, uiſibile eſt & ferire. Inuiſibilis eſt hoſtis diabolus, inuiſibile eſt credere. Eſt ergo pugna inuiſibilis aduerſus inuiſibiles inimicos. Ab his inimicis quo modo ſe tutum dicit quidam? Hoc enim cœperam dicere, & neceſſe habui de his inimicis aliquando cum mora tractare. Iam ergo cognitis i- C Pſal.17
nimicis, uideamus tutelam. Laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Habes quid agas. Laudans inuoca, ſed dominum laudans inuoca. Si enim te laudaueris, ab inimicis tuis ſaluus non eris. Laudans inuoca dominum, & ab inimicis tuis ſaluus eris. Quia quod ait ipſe do Pſal.49
minus. Sacrificium laudis glorificabit me, & ibi uia eſt ubi oſtendam illi ſalutare meum. Vbi uia? In ſacrificio laudis. Noli pedem extra hanc uiam mittere. In uia eſto, noli à uia recedere. A laude domini nec unguem moue nedum pedem. Si em uolueris ab hac uia deuiare, & pro domino te laudare, non eris ſaluus ab illis inimicis, quia de illis Pſal.139
dictum eſt, luxta ſemitam ſcandala poſuerunt mihi. Quicquid ergo putaueris boni te habere abs te, deuiaſti à laude dei. Quid iam miraris ſi te ſedu D
cit inimicus, quando tuijpſius ſeductor es? Audi Gal.6
Apoſtolum. Qui enim putat ſe aliquid eſſe cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit. Dominum ergo attende confitentem, Confiteor tibi domine pater cœli & terræ. Confiteor tibi, laudo te. Laudo te, non accuſo me. Quantum autem pertinet ad ipſius hominis ſuſceptionem, tota gratia, ſingularis gratia, perfecta gratia. Quid meruit homo ille qui Chriſtus eſt, ſi tollas gratiam, & tantam gratiam, qua unũ oportebat eſſe Chriſtũ, & ipſum eſſe quẽ nouimus? Tolle gratiam iſtam, quid eſt Chriſtus niſi homo? Quid niſi quod tu? Suſcepit animã, ſuſcepit corpus, ſuſcepit plenum hominem, Coaptat ſibi, unam facit dominus cum ſeruo perſonam.

Quanta

Quanta ista gratia? Christus in cœlo, Christus in terra, Simul Christus & in cœlo & in terra, nec duo Christi, sed idem Christus & in cœlo & in terra. Christus apud patrem, Christus in utero uirginis, Christus in cruce, Christus apud inferos subueniens quibusdam. Eo autem ipso die Christus in paradiso cum latrone confitente. Et ibi latro quid meruit, nisi quia illam uiam tenuit, ubi ostendit salutare suum? A qua tibi pes non exeat. In eo enim quod se accusauit, deum laudauit, & uitam suam beatam fecit. Præsumpsit quidem à
Luc.23 domino, & ait illi, Domine memento mei dum ueneris in regnum tuum. Considerabat enim facinora sua, & pro magno habebat si ei uel in fine parceretur. Dominus autem continuo cum ille diceret, memento mei: sed quando? cum ueneris in regnum tuum, Amen, inquit, dico tibi: hodie me cum eris in paradiso. Misericordia obtulit, quod
Mat.11 miseria distulit. Audi ergo dominum confitentem, Confiteor tibi domine pater cœli & terræ. Quid confiteor? In quo te laudo? Hæc enim confessio, ut dixi, laudem habet. Quia abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Quid est hoc fratres? A contrario sensu intelligite, Abscondisti hæc, inquit, à sapientibus & prudentibus, & non dixit, reuelasti ea stultis & imprudentibus, sed ait, Abscondisti quidem à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus falso grandibus, uere autem tumentibus, opposuit non sapientes, non prudentes, sed paruulos. Qui sunt paruuli? Humiles. Ergo abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. Nomine sapientium & prudentium, superbus intelligi potest: ipse exposuit cum ait, Reuelasti ea paruulis. Ergo abscondisti non paruulis. Quid est non paruulis? Non humilibus. Quid est non humilibus, nisi superbis? O uia domini, aut non erat, aut latebat ut reuelaretur nobis. Vnde dominus exultauit, nisi quia reuelatum est paruulis? Debemus esse paruuli, nam si uoluerimus esse ma
Rom.1 gni, quasi sapientes & prudentes, non nobis illud reuelatur. Qui sunt magni? Sapientes & prudentes, Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. Habes remedium à contrario. Si dicendo te esse sapientem stultus factus es, dic te stultum, & sapiens eris. Sic dic, dic, & intus dic, quia sic est ut dicis. Si dicis, coram hominibus noli dicere, & coram deo non dicere. Prorsus quod ad teipsum pertinet, quod ad tua, tenebrosus es. Quid est enim aliud esse stultum, nisi esse tenebrosum in corde? Denique de illis sic ait, Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Antequam hoc dicerent quid rursum? Et obscuratum est insipiens cor eorum. Dic quia tu tibi lumen non es. Vt multum, oculus es, lumen non es. Quid prodest patens & sanus ocu
Psal.17 lus, si lumen desit? Ergo dic à te tibi lumen non esse, & clama quod scriptum est, Tu illuminabis lucernam meam domine. Lumine tuo domine illuminabis tenebras meas. Meæ enim nihil nisi tenebræ, tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me, non à me mihi lumen existens, sed lumen non participans nisi in te. Sic & Ioannes amicus sponsi, Christus putabatur, lumen putabatur. Non e-
Ioan.1 rat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Quod autem erat lumen, erat lumen uerum. Quid est uerum? Quod illuminat omnem hominem. Si uerum lumen quod illuminat omnem hominem, ergo & Ioannem recte dicentem, recte confitetem, Nos autem de plenitudine eius accepimus. Vide si aliud dixit quàm tu illuminabis lucernam meam domine. Denique iam illuminatus, testimonium perhibebat. Propter cæcos, lucerna diei testimonium perhibebat. Vide quia lucerna est, Vos, inquit, misistis ad Ioannem, & uo-
Ioan.5 luistis exultare ad horam in lumine eius. Ille erat lucerna ardens & lucens. Ille lucerna, hoc est, res illuminata, accensa ut luceret. Quæ accendi potest, potest & extingui. Sed ut non extinguatur, uentum superbiæ non patiatur. Ergo confiteor tibi domine pater cœli & terræ, qui abscondisti hęc à sapientibus, & prudentibus, lumen se putantibus, & tenebræ erant: Et eo quod tenebræ erant, & lumen se putabant, nec illuminari potuerunt. Illi autē qui tenebræ erant, & tenebras se esse confitebantur, paruuli erant, non magni, humiles erant, non superbi. Recte ergo dicebant: tu illumi-
Psal.17 nabis lucernam meam domine. Se agnoscebant, dominum laudabant, à uia salutari non recedebant. Laudantes dominum inuocabant, & ab inimicis suis salui erant.

De eo quod scriptū est in euāgelio secūdū eundem, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos, &c. Sermo IX

IRVM quibusdam uidetur fratres charissimi, cum audiunt dominum dicentem. Venite ad me omnes qui la-
Matt.11 boratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris, Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.] Et considerant eos qui iugū ipsum intrepida ceruice subierunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari & exerceri difficultatibus huius seculi, ut non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad labo-
2 Tim.3 rem uocati uideātur, cum & Apostolus dicat, Omnes qui uolunt in Christo pie uiuere, persecutionem patientur. Ait ergo aliquis, Quomodo iugum lene est, & sarcina leuis, quandoquidem illud iugum & sarcinam ferre, nihil est aliud quàm pie uiuere in Christo? Et quomodo dicitur, Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, ac nō potius dicit, Venite qui uacatis ut
Matt.20 laboretis? Nam & uacantes inuenit quos cōduxit
2 Cor.6 in uineā, ut ferrent æstum diei. Et sub illo iugo leni & sarcina leui, audiamus Apostolum dicere, In omnibus cōmendantes nosmetipsos tanquā dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis &c. Et alio
2 Cor.11 loco in eadem epistola, A iudæis quinquies quadragenas una minus accepi, Ter uirgis cęsus sum, semel

semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, Et cætera quæ numerari quidem pericula possunt, sed tolerari nisi spiritu sancto iuuante non possunt. Omnia ergo illa quę commemorauit aspera & grauia, frequentius & abundantius sustinebat, sed profecto aderat ei spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spiritali in affluentia deliciarum dei, in spe beatitudinis futuræ omnia pręsentia deliniret aspera,, & omnia grauia releuaret. Ecce quàm suaue iugum Christi portabat, & quàm leuem sarcinam, & omnia illa quæ superius enumerata dura, & immania omnis auditor horrescit, leuem tribulationem diceret, intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto precio temporalium emenda sit futura uita, non pati æternos labores impio-
B rum, sed sine ulla solicitudine perfrui æterna felicitate iustorum. Secari & uri se homines patiuntur, ut dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris ulceris acriorum dolorum pretio redimantur, in languida & incerta uacationis breuissimæ atque ultima uita. Immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in otio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremenda sæuitia cœli & maris impleti sunt mercatores, ut diuitias perituras acquirant, maioribus quàm quibus acquisitæ sunt periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula, ab equis, à fossis, à præcipitijs, à fluminibus, à feris perferūt uenatores, quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas uilissimi & sordidissimi cibi & potus angustias, ut bestiam capiant, & interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, epulis necessarias? Quanquam etsi aper cer uisue capiatur, magis suaue sit uenantis animo quia captus est, quàm comedentis palato quia coctus est. Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam in scholis uigiliarum & abstinentiæ molestijs exercentur, non propter discendam sapiētiam, sed propter opus honoresq; uanitatis, ut numeros, & literas, & disertas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur. Qui uero amant, eadem
D quidem, sed non grauia pati uidentur. Omnia enim sæua & immania, prorsus facilia & propè nulla efficit amor. Quanto ergo certius ac facilius ad ueram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit? Quàm facile toleratur quælibet aduersitas temporalis, ut æterna pœna uitetur, æterna requies comparetur? Non immerito ille uas electionis cum ingenti læ-
Rom.8 titia dixit, Non sunt condignæ passiones huius tēporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ecce unde illud iugum suaue est, & sarcina leuis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista, Pro-
Psal.15 pter uerba labiorum tuorum, ego custodiui uias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Propter quod ita diui-
A næ pietatis dispensatione actum est, ut interior homo qui renouatur de die in diem, non adhuc sub
2 Cor.4 lege positus, sed iam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium obseruationum, quod erat re uera graue iugum, sed duræ ceruici conuenienter impositum, facilitate simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctę charitatis, quicquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille princeps qui missus est foras, interiori gaudio leue fieret. Nihil enim tam facile bonæ uoluntati est, quàm ipsa sibi & hæc sufficit deo. Quantumlibet ergo sęuiat iste mundus, uerissime angeli nato in carne domino
Luc.2 clamauerūt, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis, quia qui natus erat suaue iugum est & sarcina leuis. Et sicut dicit A-
B postolus, Fidelis deus qui nos non sinit tentari su-
1 Cor.10 pra quod possumus ferre, sed facit cū tentatione etiam exitum ut possimus sustinere.

De eo quod supra, Venite ad me omnes &c.

Sermo X

VDIVIMVS in Euangelio dominum exhilaratum spiritu dixisse deo patri, A
A Cōfiteor tibi pater dne cœli & terræ,
Matth.11 qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quia sic placitum est ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo agnoscit filium nisi pater, neque patrem quis agnoscit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare.] In clamando laboramus, in audiendo laboratis. Audiamus ergo eum qui sequitur & dicit,

C Venite ad me omnes qui laboratis.] Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus mortales, fragiles, infirmi, lutea uasa portantes, quæ faciunt inuicem angustias? Sed si angustiantur uasa carnis, dilatentur spatia charitatis. Quid ergo dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, nisi ut non laboretis? Denique promissio eius in promptu est, quoniam laborantes uocauit, quærent forte qua mercede uocati sunt. Et ego uos, inquit, reficiam. Tollite iugum meum super uos, & discite à me,] non mundum fabricare, non cuncta uisibilia & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare: sed, Quoniā mitis sum, & humilis corde.] Magnus esse uis, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque uult & disponit super imponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit, Qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur. Quod est fastigium construendæ fabricæ quam molimur? Quò peruenturum est cacumen ædificij? Cito dico, usq; ad conspectum dei. Videtis quàm excelsum est, quanta res est conspicere deum. Qui desiderat, & quod dico, & q̄d audit intelligit. Promittitur nobis conspectus dei, ueri dei, summi dei. Hoc enim bonum est, uidentem uidere. Nam qui

qui colunt falſos deos, facile illos uidēt, ſed eos ui-
dent qui oculos habent & nō uidēt. Nobis autem
promittitur uiſio dei uiuentis & uidentis, ut illum
deum uidere cōcupiſcamus, de quo dicit ſcriptu-
Pſal.93 ra, Qui plantauit aurē nōne audiet? Qui finxit o-
culum nōne conſiderat? Nō ergo audit qui fecit ti
bi unde audias? Et non uidet qui creauit unde ui-
deas? Bene aūt proloquitur in ipſo pſalmo, & di-
cit, Intelligite ergo qui inſipiētes eſtis in populo,
& ſtulti aliquando ſapite. Multi em̄ propterea ma
la faciunt, dum putant quod non uideantur à deo,
& difficile eſt quidem ut eum credant uidere non
poſſe, ſed putant nolle. Pauci inueniuntur tantæ
impietatis, ut impleat in eis quod ſcriptum eſt, Di
Pſal.13 xit ſtultus in corde ſuo, non eſt deus. Inſania iſta
paucorum eſt, Sicut enim magna pietas paucorū
eſt, ita & magna impietas nihilominus paucorum
eſt. Hoc autem quod dico, turba dicit, Ecce mo-
do inde cogitat deus ut ſciat quid faciam in domo
mea, & curat deus quid uelim agere in lecto meo?
Quis dicit? Intelligite qui inſipientes eſtis in po-
pulo, & ſtulti aliquando ſapite. Tu homo cum ſis,
quia laboras, ſi omnia domus tuæ noueris, & per-
tineant ad te omnia uerba, omnia facta ſeruorum
tuorum, putas & deum ſic laborare, ut attēdat ad
te, qui nō laborauit ut crearet te? Oculum in te nō
Rom.4 intendit ſuum, qui fecit tuū. Non eras, & creauit te
ut eſſes. Nō te curat cum iam ſis, qui uocat ea quæ
non ſunt tanquam ſint? Nō ergo tibi hoc promit-
tas, uelis, nolis, uidet te, & ab eius oculis nō eſt ubi
abſcondas te. Si enim in cœlum aſcenderis, ibi eſt,
ſi deſcenderis in infernum, adeſt. Laboras, nolens
recedere à factis malis, & uolens non uideri à deo,
Magnus labor. Facere uis mala quotidie, ſuſpica-
Pſal.93 ris te non uideri, audi ſcripturā dicentē, Qui plan-
tauit aurem, nōne audiet? Qui finxit oculum, nō-
ne conſiderat? Vbi mala facta tua abſcondis ab o-
culis dei? Si uis recedere ab ipſis, multum labo-
ras. Audi dicentem, Venite ad me omnes qui la-
boratis. Non finis laborem fugiendo. Ab illo eli-
gis fugere, nō ad illum. Inueni quò, & fuge. Si aūt
propterea nō potes ab illo fugere, quia ubiq; præ-
ſens eſt, de proximo fuge ad deū, quia præſens eſt
ubi ſtas. Fuge. Ecce fugiendo exceſſiſti cœlos, ibi
eſt. Deſcendiſti ad inferos, ibi eſt: quaſcunq; terra-
rum ſolitudines elegeris, ibi eſt qui dixit, Cœlum
Hier.23 & terrā ego impleo. Ergo ſi cœlum & terram ipſe
implet, & quò fugere poſſis ab illo nō eſt, noli la-
borare. Fuge ad præſentem, ne ſentias uenientem.
Præſume te uiſurum bene uiuendo, à quo uideris
& male uiuendo. Male em̄ uiuendo uideri potes,
uidere non potes, bene autem uiuendo & uideris
& uides. Quanto enim te familiarius uidebit qui
coronat dignum, qui miſericorditer uidit ut uoca
ret indignum? Nathaniel ait domino quem non-
Ioan.1 dum ſciebat, Vnde me noſti? Ait ei dominus, Cū
eſſes ſub arbore fici uidi te. Videt te Chriſtus in
umbra tua, non te uidebit in luce ſua? Quid eſt e-
nim, cū eſſes ſub arbore fici uidi te? Quid ſibi hoc
uult? Quid ſignificat? Recordare originale pec-
catum Adæ, in quo omnes morimur. Quando pri
mo peccauit, de folijs ficulneis ſuccinctoria ſibi fe Gen.3
A cit: ſignificās in illis folijs pruritum libidinis, quò
peccando peruenit. Inde naſcimur, ſic naſcimur,
in carne peccati naſcimur, quam ſola ſanat ſimili-
tudo carnis peccati. Ideo miſit deus filium ſuum Rom.8
in ſimilitudine carnis peccati. Inde uenit, ſed ſic
non uenit. Non enim eum uirgo libidine, ſed fide
concepit. Venit in uirginem, qui erat ante uirgi-
nem. Quam creauit elegit, quam eligeret creauit.
Attulit uirgini fœcunditatē, nō abſtulit integrita-
tē, Qui ergo ſine pruritu foliorū ficus uenit ad te,
cū eſſes ſub arbore fici uidit te. Para te uidere ſub-
limiter, à quo uiſus es miſericorditer. Sed qa ma-
gnum faſtigiū eſt, de fundamēto cogita. Quo, in-
quis, fundamēto? Diſce ab illo, quoniā mitis eſt, et
humilis in corde. Hoc in te fodi fundamētū humi
B litatis, & peruenies ad faſtigium charitatis.

De eo q̄d ſcriptū eſt in euāgelio ſecūdū eundē,
Qui dixerit uerbū cōtra ſpiritūſanctū, nō remittet
ei neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. Ser. XI A

In Enchir. ca. 83 appellat hunc ſermonē libellū: in quo ſe dicit enucleatiſſime diſputaſſe De irremiſſibili peccato in ſpiritū ſanctum

MAGNA quæſtio eſt de recenti euange
lica lectione propoſita, Cui ſoluendæ
quantum ad nos attinet, impares ſu-
mus, ſed ſufficientia noſtra ex deo eſt, quantum
eius adiutoriū uel accipere uel capere poſſumus.
Prius ergo magnitudinem aduertite quæſtionis,
ut cum eius molem humeris noſtris impoſitam ui
deritis, oretis pro laboribus noſtris, atque in au-
xilio quod nobis præbetur inueniatis ædificatio-
nem mentibus ueſtris. Cum domino fuiſſet ob Mat.12
C latus dæmonium habens, cæcus & mutus, & cu-
raſſet eum ita ut loqueretur & uideret, & ſtupe-
rent omnes turbę dicentes, nunquid hic eſt filius
Dauid? Phariſæi audientes dixerunt, Hic non eij-
cit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmo-
niorum. Ieſus autem ſciens cogitationes eorum
dixit eis, Omne regnum in ſeipſum diuiſum de-
ſolabitur, & omnis ciuitas uel domus diuiſa con-
tra ſe non ſtabit. Et ſi ſatanas ſatanam eijcit, aduer
ſum ſe diuiſus eſt, Quomodo ergo ſtabit regnum
eius?] Hoc dicens ex ipſorum confeſſione uole-
bat intelligi, quod in eum non credendo in re-
gno diaboli eſſe delegiſſent, quod utique aduer-
ſum ſe diuiſum ſtare non poſſit. Eligant ergo Pha
riſæi quod uoluerint. Si ſatanas ſatanam non po-
teſt eijcere, nihil contra dominum quod dicerent
inuenire potuerunt. Si autem poteſt, multo ma-
D gis ſibi proſpiciant, & recedant de regno eius, q̄d
aduerſum ſe diuiſum ſtare non poteſt. In quo au-
tem dominus Chriſtus eijciat dæmones, ne dæ-
moniorum principem exiſtiment, attendant q̄d
ſequitur. Et ſi ego, inquit, in Beelzebub eij-
cio dæmones, filij ueſtri in quo eijciunt? Ideo i-
pſi iudices ueſtri erunt.] Dixit hoc itaque de diſ-
cipulis ſuis, illius populi filijs, qui certe diſcipuli
domini Ieſu Chriſti bene ſibi cōſcij fuerant, nihil
ſe malarū artium à bono magiſtro didiciſſe, ne in
principe dæmoniorum eijcerent dæmones. Ideo,
inquit, ipſi iudices ueſtri erunt, Ipſi, inquit, ipſi i-
gnobilia & contemptibilia huius mundi, in quib.
non artificioſa malignitas, ſed ſancta ſimplicitas
meæ

meæ uirtutis apparet, ipſi teſtes mei, iudices ueſtri
erunt. Deinde ſubiungit: Si autem ego in ſpiri- A
tu dei eijcio dæmones, igitur peruenit in uos re-
gnum dei,] Quid eſt hoc? Si ego, inquit, in ſpiritu
dei dæmones eijcio, non aliter poſſunt filij ueſtri
eijcere, quibus non malignam doctrinam, ſed fi-
dem ſimplicē dedi: proculdubio peruenit in uos
regnum dei, quo ſubuertitur regnum diaboli, cū
quo & uos ſubuertemini. Et quoniam dixerat: Fi-
lij ueſtri in quo eijciunt, ut oſtenderet in eis gra-
tiam ſuam, non meritum illorum: Aut quomo-
do poteſt quiſq;, inquit, intrare in domum fortis,
& uaſa eius diripere, niſi prius alligauerit fortem,
& ſic domū eius diripiat?] Filij, inquit, ueſtri, uel
qui crediderunt in me, uel adhuc credituri ſunt &
eiecturi dęmones, non in dęmonum principe, ſed
in ſimplici ſanctitate, qui certe uel fuerūt, uel hoc B
ſunt quod etiam uos eſtis, id eſt, peccatores atq;
impij, & ideo in domo diaboli, & uaſa diaboli,
quomodo ab illo poſſint erui, quos præualēte ini
quitate fortiter obtinebat, niſi alligaretur iuſtitiæ
meæ uinculis, & uaſa eius diriperem quæ fuerant
uaſa iræ, & ea facerē mea uaſa miſericordiæ? Hoc
eſt quod etiā beatus Apoſtolus ſuperbis, & quaſi
1 Cor.4 de ſuis meritis gloriantibus increpans dicit: Quis
enim te diſcernit? Hoc eſt, à maſſa perditionis ex
Adam, & à uaſis iræ quis te diſcernit? Et ne quiſ-
quam diceret, iuſtitia mea: Quid enim habes, in-
quit, quod non accepiſti? Vnde & de ſeipſo dicit:
Fuimus enim & nos aliquando naturaliter filij iræ
ſicut & cæteri. Ergo & ipſe uas erat in domo illius
male fortis, cū eſſet Eccleſiæ perſecutor, blaſphe- C
mus, iniurioſus, in malitia, & inuidia, ſicut fatetur,
agens. Sed ille qui alligauit fortem, ab eo uaſa per-
ditionis eripuit, & uaſa electionis effecit. Deniq;
ne putarent increduli & impij aduerſantes nomi-
ni Chriſtiano, propter diuerſas hæreſes & ſchiſma
ta eorum, qui ſub nomine Chriſtiano gręges col-
ligunt perditorum, etiam Chriſti regnum aduer-
ſum ſe eſſe diuiſum, conſequenter adiungit:

Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non
congregat mecum, ſpargit.] Nec ait, qui non eſt
ſub uoce nominis mei, aut ſub ſpecie ſacramenti
mei, ſed qui non eſt mecum, cōtra me eſt. Nec ait,
qui non congregat ſub inuocatione nominis mei,
ſed qui non congregat mecum, ſpargit. Non ergo D
eſt aduerſum ſe diuiſum regnum Chriſti, & ſi ho-
mines conantur diuidere, quod emptum eſt pre-
cio ſanguinis Chriſti. Nouit em̄ dominus qui ſunt
2 Tim.2 eius. Et recedat, inquit, ab iniquitate omnis qui
nominat nomen domini. Nam ſi ab iniquitate nō
recedit, non pertinet ad regnum Chriſti etiam no
minans nomen Chriſti. Vt ergo aliqua, exēpli gra
tia, cōmemorem, ſpiritus auaritiæ, & ſpiritus luxu
riæ, quia ille cōtrahit, ille profundit, diuiſi ſunt am
bo aduerſum ſe, & pertinent ad regnum diaboli.
Apud idolorum cultores ſpiritus Iunonis, & ſpiri
tus Herculis diuiſi ſunt aduerſum ſe, & ambo per-
tinent ad regnum diaboli. Paganus & Iudæus ho-
ſtes Chriſti, diuiſi ſunt aduerſum ſe, & ambo perti
nent ad regnum diaboli. Arianus & Photinianus
ambo hæretici, & aduerſum ſe ambo diuiſi. Dona
tiſta & Maximinianiſta ambo hæretici, & aduer-
ſum ſe ambo diuiſi. Omnia uitia erroresq; morta-
lium inter ſe contrarij, diuiſi ſunt aduerſum ſe, &
omnes pertinent ad regnum diaboli, ideo non ſta
bit regnum eius: iuſtus autem & impius, fidelis &
incredulus, catholicus & hęreticus, diuiſi quidem
ſunt aduerſum ſe, ſed non ambo pertinent ad re-
gnum Chriſti. Nouit dominus qui ſunt eius. Ne-
mo ſibi de uocabulo blandiatur. Si uult ſibi pro-
deſſe nomen domini, recedat ab iniquitate qui in-
uocat nomen domini. Sed iſta uerba euāgelica &
ſi habebant aliquid obſcuritatis, quod adiuuante
domino arbitror explanatum, non erant tamē tan
tæ difficultatis, quātæ apparet eſſe quod ſequitur.
Ideo dico uobis, Omne peccatum & blaſphemia
remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia
non remittetur. Et quicunq; dixerit uerbum con-
tra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixe-
rit cōtra ſpiritumſanctum non remittetur ei, neq;
in hoc ſeculo neq; in futuro.] Quid ergo fiet de
his quos lucrari cupit eccleſia? Nunquid nam cor
rectis & ad eam ex quocunq; errore uenientibus
ſpes falſa promittitur in remiſſione omnium pec-
catorum? Quis enim non conuincitur dixiſſe uer-
bum contra ſpiritumſanctum, antequam Chriſtia
nus uel catholicus fieret? Primo ipſi qui Pagani
appellantur multorum deorum falſorumq; culto-
res & idolorum adoratores, cum dicunt dominū
Chriſtum magicis artibus feciſſe miracula, nónne
iſtis ſunt ſimiles qui eum dixerunt in principe dæ-
moniorum eieciſſe dæmonia? Deinde cum quo-
tidie noſtram ſanctificationem blaſphemāt, quid
aliud blaſphemant quàm ſpiritumſanctum? Quid
Iudæi qui dixerunt de domino unde iſte ortus eſt
ſermo? Nónne adhucuſq; uerbum contra ſpiri-
tumſanctum loquuntur, ſic negantes eum eſſe in
Chriſtianis, ſicut illi in Chriſto eſſe negauerunt?
Neq; enim & illi ſpirituiſancto non maledixerūt:
aut non eum dicentes eſſe, aut eſſe quidem, ſed
deum non eſſe, ſed eſſe creaturam: aut ad dæmo-
nes eijciendos nihil ualere: non iſta indigna, non
aliquid ſimile de ſpirituſancto locuti ſunt? Sadu-
cæi enim ſpiritumſanctum negabant, Phariſæi uè
ro eum eſſe contra Saducæorum hæreſim defen-
debant, ſed eſſe in domino Ieſu Chriſto negabant,
quem dæmones eijcere in principe dæmonio-
rum putabant, cum eijceret ille in ſpirituſancto:
Ac per hoc & Iudæi & quicunque hæretici ſpiri-
tumſanctum confitentur, ſed eum negant eſſe in
Chriſti corpore, quod eſt unica eius Eccleſia, non
utiq; niſi una catholica, proculdubio ſimiles ſunt
Phariſæis qui tunc etiamſi eſſe ſpiritumſanctum
fatebantur, negabant tamen eum eſſe in Chriſto,
cuius opera in dæmonibus eijciendis dæmonio-
rum principi tribuebant. Omitto quòd quidam
hæretici ipſum omnino ſpiritumſanctum uel non
creatorem, ſed creaturam eſſe contendunt, ſi-
cut Ariani & Eunomiani & Macedoniani, uel
eum prorſus ita negant, ut ipſum deum negent eſ-
ſe trinitatem, ſed tantummodo eſſe deum patrem

asseuerãt, & ipsum aliquãdo uocari filiũ aliquãdo uocari spiritumsanctũ: sicut Sabelliani, quos quidam Patripassianos uocant, ideo quia patrẽ perhibent passum, cuius cũ negant esse aliquẽ filiũ, sine dubio negant esse spiritũsanctũ. Photiniani quoq; patrem solum esse deũ, filium uero non nisi hominem dicunt, negantes omnino tertiam personam spiritumsanctũ. Manifestum est igitur & à paganis & à Iudæis & ab hæreticis blasphemari spiritũsanctum. Nunquid nã ergo deserendi sunt & sine ulla spe deputandi, quoniã fixa sententia est: Qui uerbũ dixerit cõtra spiritumsanctũ non ei dimittetur neq; in hoc seculo neq; in futuro, & illi soli existimandi sunt ab huius grauissimi peccati reatu liberi, qui ex infantia sunt catholici? Nam quicunq; uerbo crediderunt ut catholici fierẽt, utiq; aut ex paganis, aut ex Iudæis, aut ex hæreticis in gratiam Christi pacemq; uenerunt: quibus si nõ est dimissum quod dixerunt uerbum contra spiritũ sanctũ, inaniter promittit & prædicat hominibus ut conuertantur ad deũ, & siue in baptismo siue in ecclesia pacẽ remissionemq; accipiant peccatorũ. Neq; enim dictũ est: Non remittetur ei nisi in baptismo, sed non remittetur, inquit, neq; in hoc seculo neq; in futuro. Nonnullis uidetur eos tantũmodo peccare in spiritumsanctũ, qui lauacro regenerationis abluti in ecclesia, & accepto spiritu sancto, uel tanto postea dono saluatoris ingrati, mortifero aliquo peccato se immerserint, qualia sunt adulteria uel homicidia, uel ipsa discessio, siue omnimodo à nomine Christiano siue à catholica ecclesia. Sed iste sensus unde probari possit ignoro, cum & pœnitentiæ quorunq; criminum locus in ecclesia non negetur, & ipsos hæreticos ad hoc utiq; corri
2 Tim.2 piẽdos dicat Apostolus: Ne forte det illis deus pœnitentiam ad cognoscendã ueritatẽ, & resipiscant de diaboli laqueis à quo captiui tenent secũdum ipsius uoluntatẽ. Quis enim est fructus correctionis sine ulla spe remissionis? Postremo nõ ait, qui fidelis catholicus dixerit uerbum cõtra spiritũsanctum, sed qui dixerit, hoc est quilibet dixerit, quicunq; dixerit, non remittetur ei, neq; in hoc seculo neq; in futuro. Siue ergo sit ille Paganus, siue Iudæus, siue Christianus siue hæreticus, siue quodlibet aliud habeat nomen erroris, non dictum est ille aut ille, sed qui dixerit uerbũ contra spiritũsanctum, id est blasphemauerit spiritumsanctum, nõ remittet ei neq; in hoc seculo neq; in futuro. Porro aũt si omnis error cõtrarius ueritati & inimicus catholicę paci, sicut supra ostendimus, dicit uerbũ cõtra spiritumsanctũ, nec tamen cessat ecclesia ex omni errore corrigere atq; colligere, qui remissionem peccatorũ, & ipsum quẽ blasphemauerãt accipiant spiritumsanctũ, puto q; grande secretũ tã magnæ huius quæstionis ostendimus, lumẽ ergo expositionis à domino requiramus. Erigite itaq; fratres, erigite ad me aures, ad dñm mentes. Dico charitati uestræ: Forte in omnibus sanctis scripturis nulla maior quęstio, nulla difficilior inuenitur. Vnde ut uobis aliquid de meipso fatear, semper in sermonibus quos ad populũ habui, huius quæstionis difficultatẽ molestiãq; uitaui: nõ quia nihil haberẽ quod inde utcunq; cogitarẽ, neq; enim in re tãta petere, quærere, pulsare negligerẽ: sed quia ipsi intelligẽtiæ quæ mihi aliquantũ aperiebatur, uerbis ad horã occurrẽtibus me posse sufficere nõ putarẽ. Hodie aũt lectiones audiẽs de quibus uobis esset sermo reddẽdus cũ euangeliũ legerẽ, ita pulsatũ est cor meũ, ut crederem deũ uelle aliquid hinc per meũ ministeriũ uos audire. Prius ergo ut aduertatis & intelligatis admoneo, nõ dixisse dominum, Omnis blasphemia spiritus nõ remittetur ei, neq; dixisse, Qui dixerit quodcunq; uerbũ contra spiritum sanctũ, non remittet, sed, qui dixerit uerbum. Illud enim si dixisset, nihil nobis omnino remaneret unde disputare possemus, quoniam si omnis blasphemia & omne uerbũ quod dicit contra spiritumsanctũ nõ remitteretur hominibus, ex nullo genere impietatis eorũ qui dono Christi & sanctificationi ecclesię cõtradicunt uel paganorũ uel Iudæorũ uel quorũlibet hæreticorũ, nullorum etiã in ipsa catholica imperitorũ quenq; in ecclesia lucrarẽt. Sed absit ut hoc dñs diceret: absit, inquam, ut ueritas diceret, omnẽ blasphemiã & omne uerbũ quod cõtra spiritumsanctũ diceretur, nõ habere remissionẽ, neq; in hoc seculo neq; in futuro. Exercere quippe nos uoluit difficultate quæstionis, non decipere sententiæ falsitate. Quapropter nõ est necesse ut omnẽ blasphemiã & omne uerbũ quod dicit cõtra spiritumsanctũ, remissionẽ quisq; existimet non habere: sed necesse est planè ut sit aliqua blasphemia, & aliquod uerbum: qd si dicat contra spiritumsanctũ, nullã unq; ueniam remissionẽq; mereat: quia si omne acceperimus, quisnã poterit saluari? Si aũt rursus nullũ putauerimus, cõtradicimus saluatori. Est ergo sine dubio aliqua blasphemia & aliquod uerbum, quod si dictum fuerit cõtra spiritumsanctũ, non remittetur. Quid sit aũt hoc uerbũ, quæri à nobis dñs uoluit, ideo nõ expressit. Quæri, inquã, uoluit, nõ negari. Solent enim scripturæ ita loqui, ut quãdo aliquid sic dicitur, ut neq; ex toto neq; ex parte dictum finiatur, non sit necesse ut ex toto fieri possit, ut ex parte non intelligatur. Ista ergo sententia ex toto, id est, uniuersaliter pronunciaretur, si diceretur, Omnis blasphemia spiritus non remittetur, qualecunq; uerbũ contra spiritumsanctum non remittetur ei, neq; in hoc seculo neq; in futuro. Ex parte autem, id est, particulariter pronuntiaretur si diceretur: Quædam blasphemia spiritus non remittetur. Quia ergo nec uniuersaliter nec particulariter enuntiata sententia est: Non enim dictum est, Omnis blasphemia spiritus, aut quędam blasphemia, sed tantummodo indefinite dictum est, spiritus blasphemia non remittetur: nec dictum est, Quicunq; dixerit quodcunq; uerbum, aut qui dixerit quoddam uerbum, sed indiffinite, qui dixerit uerbum: nõ est necesse ut omnem blasphemiã uel omne uerbum intelligamus, sed necesse est planè ut quandam blasphemiam uel quoddã uerbum uoluerit intelligi dominus: quamuis id exprimere noluerit, ut petendo, quærendo, pulsando, si

do, si quid recti intellectus acceperimus non uiliter habeamus. Hoc ut manifestius uideatis, illud
Ioan.15 attendite quod ait idem ipse Iudæis, Si non uenissem & locutus fuissem eis, peccatũ non haberent. Neq; enim ita dictum est, ut sine ullo peccato omnino uellet intelligi futuros fuisse Iudæos si non uenisset & locutus eis fuisset. Plenos quippe inuenit, oneratosq; peccatis. Propter quod dicit: Ve-
Matt.11 nite ad me omẽs qui laboratis & onerati estis. Vnde, nisi sarcinis peccatorum & transgressionibus legis? Quoniam lex subintrauit, ut abundaret de-
Matt.9 lictum. Cum ergo ipse etiam alibi dicat, Non ueni uocare iustos, sed peccatores, quomodo si non uenisset peccatum non haberent, nisi quia sententia ista nec uniuersaliter nec particulariter, sed indiffinite pronuntiata non omne peccatum cogit intelligi? Sed planè nisi aliquod peccatum intellexeritmus, quod non haberent nisi Christus uenisset & locutus eis fuisset, falsam, quod absit, sententiam diceremus. Non ergo ait, Si non uenissem & locutus fuissem eis, nullum peccatum haberent, ne ueritas mentiretur: nec rursus diffinite dixit: Si non uenissem & locutus fuissem eis, quoddam peccatum non haberent, ne pium studium parum exerceretur. In omni quippe copia scripturarum sanctarum pascimur apertis, exercemur obscuris. Illic fames pellitur, hic fastidium. Quia ergo non est dictum, peccatum nullum haberent, non perturbemur cum peccatores Iudæos etiam si dominus non uenisset, gnoscimus. Sed tamẽ quia dictum est, Si non uenissem peccatum non haberent: unde necesse est etiam si non omne, aliquod tamen eos ex aduentu domini quod non habebant contraxisse peccatum: illud ipsum profecto est, quod in præsentem sibiq; loquentem non crediderunt, eumq; inimicum deputantes quoniam uera dicebat, insuper occiderunt. Hoc peccatum tam magnum & tam horrendum, si non uenisset & locutus eis fuisset, utiq; non haberent. Sicut ergo ibi cũ audimus, Peccatum non haberent, non omne, sed aliquod peccatum intelligimus: ita in hodierna lectione cum audimus: Spiritus blasphemia non remittetur, non omnem blasphemiam, sed quãdam: Et cum audimus, Qui dicit uerbum contra spiritumsanctum, non remittetur, non omne uerbum, sed quoddam uerbum intelligere debemus. Nam & hoc ipsum quod ait, Spiritus autem blasphemia non remittetur, utiq; non omnis spiritus, sed spiritus blasphemia necesse est intelligamus. Quod etsi planius alibi non diceret, quis tam uecors esset ut aliquid aliud intelligeret? Secundum hanc regulam locutionis, & illud accipitur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu. Non enim & ibi ait, spiritusancto, hoc tamen intelligitur. Nec quoniam dixit, ex aqua & spiritu, omnem spiritum quisq; intelligit. Quocirca cum audis, spiritus autem blasphemia non remittetur, sicut nõ omnem spiritum, ita non omnis spiritus blasphemia oportet accipias. Audire iam uelle uos uideo, quoniam non est omnis, quęnam illa sit blasphemia spiritus quæ nõ remittetur: & quod sit uerbum, quoniam non est omne, quod si dictum fuerit contra spiritumsanctum non remittetur, neque in hoc seculo neq; in futuro. Iam & ego uellem dicere quod intentissime expectatis audire, sed tolerate aliquantas maioris diligentię moras, donec adiuuante domino totum quod occurrit expediam. Alij quippe duo Euangelistę Marcus & Lucas, cum de hac re loquerentur non dixerunt, blasphemiã seu uerbum, ut intelligeremus non omnem blasphemiã, sed quandam: nec uerbum omne, sed quoddam. Quid ergo dixerũt? Apud Marcum ita scriptum
est, Amen dico uobis, quoniam omnia dimittun- Mar.12
tur filijs hominum peccata & blasphemiæ quibus blasphemauerunt: qui autem blasphemauerit in spiritumsanctum non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Apud Lucam ita:
Omnis qui dicit uerbum in filium hominis remit- Luc.12
tetur ei, ei autem qui in spiritumsanctum blasphemauerit, non remittetur. Nunquid propter nõ ullam uerborum diuersitatem receditur ab eiusdem ueritate sententiæ? Nã neq; alia causa est cũ euangelistæ eadem non eodem modo dicãt, nisi ut inde discamus res uerbis, nõ rebus uerba præponere, nihilq; aliud in loquente quærere nisi uoluntatem, propter quam insinuandã uerba promuntur. Quid enim ad rem interest, utrum dicatur spiritus blasphemia nõ remittetur, an dicatur, qui blasphemauerit in spiritumsanctum non ei remittetur, nisi forte quòd eadẽ apertius isto modo q̃ illo dicuntur, & alium euangelistam non destruit alius, sed exponit? Spiritus autem blasphemia, clause dictũ est, quia non expressum est, cuius spiritus. Non enim quicunq; spiritus, spiritussanctus est. Item potest dici spiritus blasphemia, cũ spiritu quisq; blasphemat, quomodo potest dici spiritus oratio, cũ
spiritu quisq; orat. Vnde dicit Apostolus: Orabo 1.Cor.14
spiritu, orabo & mente. Cum uero dictũ est: Qui blasphemauerit spiritumsanctũ, illæ ambiguitates solutę sunt. Item quod scriptum est: Non habet remissionem in æternum, sed reus erit ęterni delicti: quid est aliud, q̃ id quod secundum Matth. legitur, Non remittetur ei, neq; in hoc seculo neq; in futuro? Alijs quippe uerbis, & alio loquendi modo eadẽ ipsa est expressa sententia. Et quod est apud Matthæum: Qui dixerit uerbum contra spiritumsanctũ, ne aliud aliquid quàm blasphemiã intelligeremus, planius alij dixerunt: Qui blasphemauerit in spiritumsanctum. Eadem tamen res ab omnibus dicta est, nec aliquis eorum à loquentis uoluntate discessit, propter quam intelligendam uerba dicuntur, scribuntur, leguntur, audiuntur. Sed ait aliquis, Ecce accepi & intellexi, quia cum dicitur blasphemia, nec exprimit omnis aut quædam, potest quædam intelligi, aut omnis. Sed nõ necesse est ut omnis. Nisi autem quædam intelligatur, falsum est quod dicitur. Ita uerbum si non dicatur omne seu quoddam, non est necesse ut omne intelligatur: sed nisi uel quoddam fuerit intellectum, nullo modo potest uerum esse quod dicitur. Sed ubi legitur, qui blasphemauerit; quomodo intelligo quandam blasphemiam ubi non

nõ legitur nisi blasphemia, uel quoddam uerbum ubi non legitur nisi uerbũ: sed tanquam generaliter dici uidetur, qui blasphemauerit? Huic contradictioni respondemus, quia etiam hic si diceretur, qui blasphemauerit quãcunq; blasphemiam in spiritum sanctũ nihil esse cur aliquã blasphemiã quærendã putaremus, quãdo omnẽ intelligere deberemus. Sed quia omnis non potest intelligi, ne paganis, Iudæis, hæreticis, omniq; hominum generi, qui diuersis errorib. & contradictionib. suis blasphemant in spiritumsanctũ, spes remissionis si se correxerint auferat: restat utiq; ut in eo quod scriptũ est, qui blasphemauerit in spiritũsanctum non habere remissionẽ in æternũ, ille intelligatur qui non omni modo, sed eo modo blasphemauerit ut ei nunq; possit ignosci. Sicut in eo enim quod dic-
Iaco.1 tum est: Deus neminem tẽtat, nõ omni, sed quodam tẽtationis modo deus neminẽ tentare intelligendus est, ne falsum sit illud quod scriptum est, Tentat uos dominus deus uester: & ne Christum negemus deũ, uel dicamus falsum Euangeliũ ubi legimus: Quia interrogabat discipulũ tentãs, ipse autem sciebat quid esset facturus. Est enim tẽtatio adducens peccatũ, qua deus neminem tẽtat, & est tentatio probãs fidem, qua & deus tentare dignatur. Ita cum audimus: Qui blasphemauerit in spiritum sanctũ, nõ omne blasphemandi genus debemus accipere, sic nec ibi omne tentandi. Item cum
Mar.ult. audimus: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: non utiq; intelligimus eo modo credentem quo & dæmones credunt & cõtremiscũt, nec in eo numero baptizatos, in quo Simõ magus baptizari potuit, sed saluus esse non potuit. Sicut ergo cum diceret: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, nõ omnes credentes & baptizatos, sed quosdam intuebatur, in ea scilicet fide constitutos, quę apostolo distinguente per dilectionem operatur: Ita cum dixerit, Qui blasphemauerit in spiritumsanctũ non habet remissionẽ in æternũ, non omnẽ, sed quendã blasphemãtis in spiritumsanctũ intendebat reatũ, quo quisquis fuerit obligatus, nulla unq; remissione soluet. Illud etiam q
Ioan.6 ait: Qui manducat carnem meã, & bibit sanguinẽ meũ, in me manet & ego in illo: quomodo intellecturi sumus? Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quòd iudiciũ sibi manducent & bibant, cum ipsam carnẽ manducent & ipsum sanguinem bibant? Nunquid & Iudas magistri uenditor et traditor impius, quamuis primum ipsum manibus eius cõfectum sacramentum carnis & sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas euangelista declarat, manducaret & biberet, mãsit in Christo, aut Christus in eo? Multi deniq; qui uel corde ficto carnem illam manducant & sanguinem bibunt, uel cũm manducauerint & biberint apostatæ fiunt, nunquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profecto est quidam modus manducandi illam carnẽ & bibẽdi illum sanguinẽ quomodo qui manducauerit & biberit in Christo manet & Christus in eo. Non ergo quocũq; modo quisquã mã-

ducauerit carnem Christi, & biberit sanguinem
A Christi, manet in Christo et in illo Christus: sed certo quodam modo, quem modum utiq; ipse uidebat quando ista dicebat. Sic igitur & in eo quod ait, Qui blasphemauerit in spiritumsanctum non habet remissionem in æternum, non quocunque modo blasphemauerit reus est huius irremissibilis delicti, sed modo quodam quem nos quærere aut intelligere uoluit, qui hanc sententiam ueram terribilemq; deprompsit. Quisnam sit autem iste blasphemandi modus, uel potius immoderatio, quænam sit ista blasphemia, & quod sit uerbum contra spiritum sanctum: iam, quantum existimo, ipse ordo postulat ut dicamus, uestramq; expectationem tamdiu, sed necessario detentam, non ul-
B terius differamus. Nostis charissimi in illa inuisibili & incorruptibili trinitate, quam fides nostra & catholica ecclesia tenet & prędicat, deum patrem non spiritussancti patrem esse, sed filij, & deum filium non spiritussancti filium esse, sed patris: deum autem spiritum sanctum non solius patris aut solius esse filij spiritum, sed patris & filij. Et hanc trinitatem quamuis seruata singularium proprietate & substantia personarum: tamen propter ipsam indiuiduam & inseparabilem æternitatis, ueritatis, bonitatis essentiam uel naturam, non esse tres deos, sed unum deum. Ac per hoc pro captu nostro quantum ista per speculum & in ænigmate, præsertim talibus, quales adhuc sumus, uidere conceditur, insinuatur nobis in patre autori-
C tas, in filio natiuitas, in spiritusancto patris filijq; communitas, in tribus ęqualitas. Quod ergo commune est patri & filio, per hoc nos uoluerunt habere communionem, & inter nos & secum: & per illud donum nos colligere in unum quod ambo habent unum, hoc est, per spiritumsanctum deum & donum dei. In hoc enim reconciliamur diuinitati eaq; delectamur. Nam quid nobis prodesset quicquid boni nossemus, nisi etiam diligeremus? Sicut autem ueritate discimus, ita charitate diligimus, ut & plenius cognoscamus, & beati cognito perfruamur. Charitas porrò diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Et quia peccatis alienamur à possessione uerorum bonorum, Charitas cooperit mul-
D titudinem peccatorum. Est ergo pater filio ueritati origo uerax, & filius de ueraci patre orta ueritas, & spiritussanctus à patre bono & filio bono effusa bonitas: omnium est autem non impar bonitas nec separabilis unitas: Primum ergo in nos, ad accipiẽdam uitam æternam quæ in nouissimo dabitur, de bonitate dei munus uenit ab initio fidei, remissio peccatorum: illis enim manentibus manent quodãmodo inimicitiæ aduersus deũ, & ab illo alienatio quæ à nostro malo est, quoniam non mentitur scriptura dicens: Peccata uestra separant inter uos & deum. Non itaq; nobis infert bona sua, nisi auferat mala nostra. Et intantum illa crescunt, inquantum ista minuuntur: nec illa perficientur, nisi ista finiantur. Iam uero quòd dominus Iesus sic in spiritusancto peccata dimittit, quemad-

quemadmodum in spiritusancto dæmones eijcit: hinc intelligi potest, quòd posteaquam resurrexit A
Ioan.20 à mortuis, cum dixisset discipulis suis, Accipite spiritum sanctum: continuo subiecit: Si cui dimiseritis peccata dimittentur ei, si cui tenueritis tenebuntur. Nam & illa regeneratio ubi fit omnium præteritorum remissio peccatorum, in spiritu sancto fit,
Ioan.3 dicente domino: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum dei. Sed aliud est nasci de spiritu, aliud pasci de spiritu: sicut aliud est nasci de carne, quod fit cum parit mater, aliud pasci de carne, quod fit cum lactat infantem, ad hoc conuersum ut cum uoluptate biberet, unde natus est ut uiueret: ut inde accipiat uiuendi alimentum, unde accipit nascendi initium. Primum itaq; credendum beneficium est benignitatis dei, in spiritu sancto remissio peccatorum. Vnde ita B
cœpit & prædicatio Ioannis Baptistæ, qui præcur
Matt.3 sor domini missus est. Sic enim scriptum est: In diebus illis uenit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Ait aũt Ioannes inter cætera quæ locutus est ad eos qui uenerunt ut ab illo baptizarentur: Ego quidem uos baptizo aqua in pœnitentia, qui autem uenturus est post me fortior me est, cuius non sum dignus calciamẽta portare. Ipse uos baptizabit in spiritu sancto & igni. Ait & dominus, Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autẽ baptizabimini spiritu sancto nõ post multos hos dies, quem accepturi estis usq; ad pentecosten. Quod autem dicit Ioannes, C
Et igni, quãuis possit intelligi & tribulatio quam pro nomine Christi credentes fuerant perpessuri, tamen non ab re est eũdem spiritum sanctũ etiam
Acto.2 nomine ignis significatum uideri. Propter quod & in aduentu eius dictum est: Visæ sunt illis linguæ diuisæ uelut ignis, qui & insedit super unumquenq; eorum. Hinc & ipse dominus ait, Ignem
Luc.12 ueni mittere in mundum. Hinc & Apostolus ait,
Rom.12 Spiritu feruẽtes, quoniam hic feruet charitas. Diffunditur quippe in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Cui feruori contra-
Matt.24 rium est quod dominus ait: Refrigescet charitas multorum. Sed perfecta charitas, perfectum donum est spiritus sancti. Prius est autem illud quod ad remissionem pertinet peccatorum, per quod D
beneficium eruimur de potestate tenebrarum, & princeps huius mundi mittitur foras fide nostra, qui operatur in filijs infidelitatis, nulla alia re nisi societate & obligatione peccati. In spiritu enim sancto quo in unum dei populus cõgregatur, eijcitur spiritus immundus, qui in seipsum diuisus est. Contra hoc donum gratuitum, contra istã dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia est spiritus blasphemia, quæ non remittetur neq; in hoc seculo neq; in futuro. Contra spiritum enim sanctum, quo baptizantur quorum peccata omnia dimittuntur, & quem accepit ecclesia, ut cui dimiserit peccata, dimittantur ei: uerbum ualde malum & nimis impium, siue cogitatione, siue etiam lingua sua dicit: quem patientia

dei cum ad pœnitentiã adducat, ipse secũdum duritiam cordis sui & cor impœnitẽs thesaurizat sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, A
qui reddet unicuiq; iuxta opera eius. Hęc ergo impœnitẽtia: sic enim uno aliquo nomine possumus utcunq; appellare & blasphemiã & uerbum cõtra spiritumsanctũ quod remissionem non habet in ęternũ: hæc inquã, impœnitentia cõtra quã clama Mat.3.4
bat & præco & iudex dicẽtes: Pœnitẽtiam agite, appropinquauit enim regnũ cœlorũ: contra quã dominus os euangelicæ prædicationis aperuit, & cõtra quã ipsum euangeliũ in toto orbe prædicandũ esse prædixit: ubi posteaquam resurrexit à mortuis, ait discipulis: Oportebat pati Christum, & re- Luc.24
surgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionẽ peccatorũ per B
omnes gẽtes, incipientibus ab Hierusalem. Hæc omnino impœnitentia nõ habet remissionẽ, neq; in hoc seculo neq; in futuro, quia pœnitẽtia impetrat remissionem in hoc seculo, quæ ualeat in futuro. Sed ista impœnitentia uel cor impœnitẽs quãdiu quisq; in hac carne uiuit, non potest iudicari. De nullo enim desperandum est quandiu patiẽtia dei ad pœnitentiam adducit, nec de hac uita rapit impium, qui nõ mortẽ uult impij, quantum ut reuertat & uiuat. Paganus est hodie, unde scis, utrũ sit futurus crastino Christianus? Iudæus infidelis est hodie, quid si cras credit in Christo? Hæreticus est hodie, quid si cras sequatur catholicam ueritatem? Schismaticus est hodie, quid si cras amplecta-
tur catholicam pacem? Quid si isti quos in quo- C
cunq; genere erroris notas, & tanquam desperatissimos damnas, antequã finiant istam uitã agant pœnitẽtiam, & inueniant ueram uitam in futuro? Proinde fratres etiam ad hoc uos admoneat quod
ait Apostolus: Nolite ante tempus quicquam iu- 1.Cor.4
dicare. Hæc enim blasphemia spiritus cui nunquã est ulla remissio, quoniam non omnem, sed quandam intelleximus, eamq; perseuerantẽ duritiam cordis impœnitentis, uel diximus uel inuenimus, uel etiam quantum existimauimus ostendimus, non potest in quoquã, ut diximus, dum in hac adhuc uita est, deprehendi. Quod nõ ideo uideatur absurdum, quia cum homo usq; in finem huius uitæ in dura impœnitẽtia perseuerãs, diu multumq; loquatur aduersus hanc gratiã spiritussancti, euan-
gelium tamen tam longam contradictionem cor- D
dis impœnitentis, quasi breue aliquod uerbum appellauit dicens: Quicunq; dixerit uerbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritumsanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo neq; in futuro. Hæc enim quamuis prolixa sit & pluribus uerbis contexta & producta blasphemia, solet tamen scriptura etiam multa uerba uerbum appellare. Neq; enim unum uerbum locutus est quicunque propheta, & tamen sic legitur: Verbum quod factum est ad illum uel ad illum Prophetam: Et Apostolus, Presbyteri, 1 Tim.5
inquit, duplici honore honorentur, maxime qui laborant in uerbo & doctrina. Non ait in uerbis, sed in uerbo. Et sanctus Iacobus. Estote, inquit, Iac.1
facto-

factores uerbi,& non auditores tantũ. Non ait &
ipse uerborum,sed uerbi:quãuis tam multa uerba
de scripturis sanctis in ecclesia celebriter & solen-
niter legantur,dicantur,audiantur.Sicut ergo quan
tocunq; tempore quisq; nostrum in prædicando
Euangelio laborauerit, non uerborum sed uerbi
dicitur prædicator: & quantocunq; tẽpore quisq;
uestrum nostram prædicationem diligenter atq;
instanter audierit, non uerborum sed uerbi audi-
endi studiosissimus nuncupatur:Ita eo more quo
scripturæ loquuntur, & quem nouit ecclesiastica
consuetudo,quisquis uniuersa sua uita, qua istam
gerit carnem,quantalibet lõgitudine prolongatur,
quæcunq; uerba uel ore uel sola cogitatione locu
tus fuerit corde impœnitenti, cõtra remissionem
peccatorum quæ fit in ecclesia,uerbum dicit con-
tra spiritum sanctum. Ideo autem non solum uer-
bum quod dictum fuerit contra filium hominis,
sed omne prorsus peccatum & blasphemia remit-
tetur hominibus,quia ubi hoc peccatũ non fuerit
cordis impœnitentis contra spiritum sanctũ, quo
in ecclesia peccata soluuntur, cuncta alia dimittun-
tur.Quomodo aũt hoc dimittitur, quod etiam re-
missionem impedit aliorum? Omnia ergo dimit-
tuntur eis,in quibus non est quod nunquã dimit-
tetur:in quibus est autẽ,quomodo hoc nunquam
dimittitur,nec alia dimittuntur, quia omnium re-
missio uinculo istius impeditur. Non ergo pro-
pterea quicunq; dixerit contra spiritũ sanctũ non
remittetur ei,quia in Trinitate maior est filio spiri
tus sanctus,quod nullus unq; uel hæreticus dixit:
sed qm̃ quisquis restiterit ueritati,& blasphemaue
rit ueritatem,quod est Christus, etiam post tãtam
sui prædicationẽ apud homines, ut uerbum caro
fieret,& habitaret in nobis, quod est filius homi-
nis, id est, ipse Christus, si nõ dixerit uerbum illud
cordis impœnitentis contra spiritum sanctum, de
quo dictum est:Qui non renatus fuerit ex aqua &
spiritu:& de quo item dictum est:Accipite spiritũ
sanctum,si cui dimiseritis peccata,dimittuntur ei:
id est,si pœnituerit eum, accipiet hoc donum re-
missionem omnium peccatorum, simul & huius,
q; uerbum dixit contra filium hominis: quia pec-
cato ignorantiæ siue contumaciæ uel cuiuscunq;
blasphemiæ, non addidit peccatum impœniten-
tiæ contra donum dei & gratiam regenerationis
uel reconciliationis quæ fit in ecclesia spiritu san-
cto. Proinde nec illud sentiendum est, q; quidam
putant ideo remitti uerbum quod dicitur contra
filium hominis,nõ remitti autem quod dicitur con-
tra spiritum sanctum,quia propter susceptam car-
nem factus est filius hominis Christus, qua carne
utiq; maior est spiritus sanctus, qui substãtia pro-
pria æqualis est patri & unigenito filio secundum
eius diuinitatem, secundum quam & ipse unige-
nitus filius æqualis est patri & spiritui sancto. Nã
si hoc propterea dictum esset, profecto de omni
blasphemia taceretur,hęc sola irremissibilis uide-
retur,quæ contra filium hominis dicitur, quasi cũ
homo solus putatur.Cum uero pręmissum sit om-
ne peccatũ,& blasphemia remittetur hominibus,
quod etiã apud alium Euangelistam ita impositũ
A est:Omnia dimittentur filijs hominum peccata &
blasphemiæ, quibus blasphemauerint proculdu-
bio & illa blasphemia quæ contra patrem dicitur,
ista generalitate concluditur,& tamen hæc sola irre
missibilis definitur quæ dicitur contra spiritũ san-
ctum.Nunquid nam & pater formã serui accepit,
qua sit maior spiritus sanctus? Non utiq;, sed ideo
post uniuersalem cõmemorationem omniũ pec-
catorum omnisq; blasphemiæ, eminentius uoluit
exprimere blasphemiã quæ fit contra filium homi
nis,q̃a etiã si in illo peccato fuerint homines obli-
gati,quod cõmemorauit ubi ait, Si non uenissem Ioan.6
& locutus eis fuissem,peccatũ non haberẽt:quod
etiam in Euangelio secundũ Ioannem ualde gra-
ue ostendit esse peccatũ, ubi ait de spiritu sancto,
B cum eum se missurum esse promitteret:ille arguet
mundum de peccato & de iustitia & iudicio: De
peccato quidẽ quia non crediderunt in me:tamen
si non dixerit illa cordis impœnitentis duricia uer
bum contra spiritum sanctum, etiam hoc quod di
ctum est cõtra filium hominis remittetur.Hic for-
tassis aliquis quęrat,utrum tantũmodo spiritus san
ctus peccata dimittat,an pater & filius? Respon- Matt.6
demus q; & pater & filius.Ipse enim filius de patre
dicit: Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet
uobis & pater uester peccata uestra.Cui nos quo-
que dicimus in oratione dominica: Pater noster
qui es in cœlis.Atq; inter cætera & hoc petimus,
dicentes: Dimitte nobis debita nostra.De seipso
aũt ait:Vt sciatis q; habeat filius hominis potesta- Matt.9
C tem in terra dimittendi peccata. Si ergo inquis &
pater & filius & spiritus sanctus dimittũt peccata,
cur illa impœnitentia quæ nunq; dimittetur, tan-
tũmodo ad spiritus blasphemiã dicitur pertinere:
tanquã ille qui hoc impœnitentiæ peccato fuerit
obligatus, dono spiritus sancti resistere uideatur,
q̃d eo dono fiat remissio peccatorum? Vbi & ego
quęro,utrũ Christus eiecerit dęmonia,an pater &
spiritus sanctus? Si em̃ tantũmodo Christus, quid
est quod ipse dicit.Pater aũt in me manens, ipse fa Ioan.14
cit opera? Ita enim dictũ est:Ipse facit opera,tanq;
filius non facit,sed pater manens in filio.Cur ergo
alio loco dicit,Pater meus usq; modo operatur, & Ioan.5
ego operor? Et paulopost:Quæcunq; enim ille fe
D cerit,hæc & filius eius similiter facit. Quod alio lo
co dicit,Si opera non fecissem in eis quæ nemo a- Ioan.15
lius fecit, ita dicit quasi solus faciat. Si autem hæc
ita dicuntur ut tamen inseparabilia sint opera pa-
tris & filij quid credendum est de spiritu sancto,
nisi quia & ipse pariter operatur? Nam in eo ipso
loco unde exorta est ista quæstio quam discuti-
mus, cum filius eijceret dæmonia, ipse tamen ait.
Si ergo in spiritu sancto eijcio dæmonia, igitur
peruenit in uos regnum dei. Hic forte quis di-
cat, spiritum sanctum dari potius à patre & filio,
quàm sua uolũtate aliquid operari,& ad hoc perti
nere quod dictum est, in spiritu sancto eijcio dæ-
monia, quòd non ipse spiritus sanctus, sed Chri-
stus id faceret spiritu: ut sic intelligatur quod di-
ctum est, in spiritu sancto eijcio, tanquam dice-
retur

retur,spiritu eijcio.Solent quoq; ita loqui scriptu-
rę,Interfecerunt in gladio,id est,gladio.Succende
runt in igne,id est,igni. Et accepit Iesus cultros pe
trinos in quibus circũciderat filios Israel. Sed qui
propterea demunt in spiritu sancto propriam po-
testatem, illud attendãt quod à dño dictum legitur,
Ioan.3 Spiritus ubi uult spirat. Illud uero q̃d Apostolus
1.Cor.12 ait,Omnia aũt hæc operatur unus atq; idem spiri-
tus:uerendum est ne quisq; arbitretur q; ea non o-
peretur pater & filius, cum in eis operib. comme-
morauit donationes curationũ & operationes uir
tutum, ubi est utiq; & expulsio dæmoniorũ. Cum
uero adiungit & dicit, Diuidens propria unicuiq;
prout uult: nõne manifestat etiã sancti spũs pote-
statẽ,sed à patre et filio plane indiuiduam? Si ergo
hæc ita dicuntur,ut tamen inseparabilis intelligatur
operatio trinitatis,ita ut cum operatio patris dici-
tur, nõ eam sine filio & spiritu sancto intelligatur
operari: & cum operatio filij nõ sine patre & spiri
tu sancto: & cum operatio spiritus sancti non sine
patre & filio: satis notum est recte credẽtibus, uel
etiam ut possunt intelligentibus, & illud ideo di-
ctum esse de patre,Ipse fecit opera, quòd ab illo sit
etiam origo operum, à quo est existentia cooperã
tium personarum: quia & filius de illo natus est,&
spiritus sanctus principaliter de illo procedit,de q̊
natus est filius,& cum quo illi communis est idem
Ioan.15 spiritus. Et illud quod ait dominus, Si opera non
fecissem in eis quæ nemo alius fecit: non ad patrẽ
uel spiritum retulisse,quòd ei non sint in illis ope-
ribus cooperati:sed ad homines,à quibus legũtur
multa facta miracula, & tamen à nullo quæ filius
fecit.Et quod ait Apostolus de spiritu sancto,Om
nia autem hæc operatur unus atq; idem spiritus:
non ideo dictum:quia non ei cooperator pater &
filius: sed quia in his operibus non sint multi, sed
unus spiritus, & in diuersis suis operationibus nõ
est à se ipse diuersus. Nec tamen inaniter, sed ratio
nabiliter & ueraciter dicitur patrem dixisse, nõ fi-
Matt.17 lium & spiritum sanctum, Tu es filius meus dile-
ctus,in quo mihi complacui. Sed hoc miraculum
de cœlo sonabilis uerbi quamuis ad personam pa
tris tantummodo noscamus pertinere, coopera-
tos esse tamen filium & spiritum sanctum non ne-
gamus.neq; enim quia tunc filius carnem portans
cum hominibus conuersabatur in terra, ideo non
erat etiam in sinu patris tanq; unigenitum uerbũ,
quando illa de nube uox facta est: aut sapiẽter aut
spiritaliter credi potest, deum patrem operationẽ
uerborum suorũ sonantium atq; transeuntiũ à suæ
sapientiæ suiq; spiritus cooperatione separasse.Eo
dem modo cum rectissime dicamus, nõ patrẽ nec
spiritũ sanctum, sed filiũ super mare ambulasse, cu
ius unius caro erat illa & plantæ fluctibus inniten
tes,illud tamen opus tanti miraculi patrem & spi-
ritũ sanctum cooperatos esse quis abnuat? Sic e-
nim & solũ filium uerissime dicimus ipsam susce-
pisse carnem,non patrem aut spiritum sanctum,&
tamẽ hanc incarnationem ad solũ filium pertinen
tem, quisquis negat cooperatum patrẽ aut spiritũ
sanctũ,nõ recte sapit. Itẽ dicimus, nec patrem nec
filiũ,sed solum spiritum sanctũ, & in columbę spe
A cie, & in linguis uelut igneis apparuisse & sedisse
pronunciare illis in quos uenerat, multis & uarijs
linguis magnalia dei: à quo tamen miraculo ad so
lum spiritum sanctum pertinẽte, cooperationem
patris & uerbi unigeniti separare nõ possumus.Ita
quoq; singulorũ in trinitate opera trinitas operatur,
unicuiq; operanti cooperantibus duobus,conue-
niente in tribus agendi concordia,non in uno de-
ficiente efficacia peragẽdi.Quæ cum ita sint,hinc
est q; dominus Iesus in spiritu sancto dæmones eij
cit.Neq; em̃ & solus hoc implere non poterat,atq;
illud adiutorium tanq; huic operi non sufficiẽs as-
sumebat: sed spiritum diuisum in semetipsum, eo
spiritu congruębat expelli,quem pater et filius in-
diuisi in semetipsis cõmuniter habẽt. Sic & pecca
B ta quia præter ecclesiam non dimittuntur,in eo spiri
tu dimitti oportebat, quo in unum ecclesia cõgre-
gatur.Deniq; si quenq; extra ecclesiam suorũ pœ-
niteat peccatorum,& huius tanti peccati quo alie
nus est ab ecclesia dei cor impœnitens habeat, q̃d
ei ꝓdest illa pœnitẽtia, cũ isto solo peccato uerbũ
dicat contra spiritum sanctum, quo extraneus est
ab ecclesia,quæ accepit hoc donũ,ut in ea in spiri-
tu sancto fiat remissio peccatorũ? Quã remissio-
nem cũ trinitas faciat,proprie tamen ad spũm san-
ctum intelligitur pertinere.Ipse enim est spiritus ad-
optionis filiorũ,in quo clamamus, abba pater, ut
ei possimus dicere, Dimitte nobis debita nostra.
Et in hoc cognoscimus, sicut dicit Apostolus Ioã 1.Ioan.4
nes,quoniã Christus manet in nobis de spũ quem
C dedit nobis, Ipse spiritus testimoniũ reddet spiri-
tui nostro,quia sumus filij dei.Ad ipsum em̃ perti-
net societas,qua efficimur unum corpus unici filij
dei.Vnde scriptum est,Si qua igitur exhortatio in Philip.2
Christo,si quod solatium charitatis,si qua societas
spiritus. Propter hãc societatem illi in quos primi
tus uenit,linguis omnium gentiũ sunt locuti, quia
per linguas cõsociatior est societas generis huma
ni.Sic oportebat per linguas omnium gentium si-
gnificari istam societatem filiorũ dei & membro-
rum Christi futuram in omnibus gentibus: ut quẽ
admodum tunc ille apparebat accepisse spiritum
sanctum qui loquebatur linguis omniũ gentium
ita se nũc ille agnoscat accepisse spiritum sanctum,
D qui tenetur uinculo pacis ecclesiæ, quæ diffundit
in omnibus gentibus. Vnde dicit Apostolus,Stu- Ephes.4
dentes seruare unitatem spiritus in uinculo pacis.
Quòd autem sit ipse spiritus patris, ipse filius di-
cit,De patre procedit.Et alio loco,Non enim uos
estis qui loquimini,sed spiritus patris uestri qui lo
quitur in uobis. Quòd uero ipse sit & spiritus filij,
Apostolus dicit,Misit deus spiritum filij sui in cor Gal.4
da nostra,clamantem abba pater,hoc est, clamare
facientem.Nos em̃ clamamus,sed in illo,id est, ipso
diffundente charitatem in cordib. nostris,sine qua
inaniter clamat quicunq; clamat. Vnde item dicit,
Quisquis aũt spũm Christi non habet,hic nõ est e- Rom.2
ius.Ad quẽ ergo in trinitate ꝓprie pertineret hu-
ius cõmunio societatis,nisi ad eũ spũm qui est pa-
tri filioq; cõmunis? Hunc spiritũ q; illi nõ habeant

qui ſunt ab eccleſia ſegregati, Iudas apoſtolus à-
Iudæ 1 pertiſſime declarauit, dicẽs, Qui ſeipſos ſegregãt,
animales, ſpũm nõ habẽtes. Vnde in ipſa eccleſia
etiam illos qui per nomina hominũ quãuis in uni-
tate eius conſtitutorũ quædã ſciſmata moliebant,
1. Cor. 2 Paulus Apoſtolus arguens inter cætera ait, Ani-
malis aũt homo non percipit quę ſunt ſpiritus dei:
ſtultitia em̃ eſt illi & non poteſt intelligere, quo-
niam ſpiritaliter dijudicat̃. Oſtendit quid dixerit,
Non percipit, id eſt, ſcientiam nõ capit uerbi. Hos
in eccleſia conſtitutos paruulos, dicit, nondũ ſpiri
tales, ſed adhuc carnales, & lacte alendos nõ eſca,
1. Cor. 3 Quaſi paruulis, inq̃t, in Chriſto lac uobis potum
dedi non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec
adhuc quidem poteſtis. Vbi dicitur, Nondum uel
non adhuc, profecto non deſperatur, ſed eo tendi
tur ut ſit aliquando quod nondum eſt. Adhuc em̃
eſtis, inquit, carnales. Et oſtendens unde ſint car-
nales, Cum enim ſit, inquit, inter uos æmulatio, nõ
ne carnales eſtis, & ſecundum carnem ambulatis?
Atq; idipſum planius aperiens: cũ em̃ quis dicat,
Ego, inquit, ſum Pauli, alius aũt Apollo, nõne ho-
mines eſtis? Quid ergo Apollo? quid autem Pau-
lus? Miniſtri Chriſti per quos credidiſtis. Hi ergo,
id eſt, Paulus & Apollo, concordes erant in unita-
te ſpiritus, in uinculo pacis, & tamen quia eos iſti
inter ſe diuidere & pro altero inflari aduerſum al-
terũ cœperant, dicunt̃ & homines carnales & ani
males, non ualentes pcipere quę ſunt ſpiritus dei:
& tamen quia nõ ſunt ab eccleſia ſegregati, paruu
li appellant̃ in Chriſto, quos utiq; uel angelos uel
deos eſſe cupiebat, quos arguebat, quia homines
erant, id eſt, in his cõtentionibus nõ quæ dei ſunt,
ſed quæ hominum ſunt ſapiebãt. De illis uero qui
ſunt ab eccleſia ſegregati, non dictum eſt, ea quæ
ſunt ſpiritus non percipientes, ne ad ſcientiæ per-
ceptionem referrentur: ſed dictum eſt, ſpũm non
Matt. 5 habentes. Non eſt autem cõſequens, ut qui habet,
etiam ſciendo percipiat quod habet. Habent ergo
iſtum ſpũm in eccleſia conſtituti paruuli in Chri-
ſto, adhuc animales, adhuc carnales, quid habeãt
percipere non ualentes, id eſt, intelligere & noſſe.
Nam quomodo eſſent paruuli in Chriſto, niſi rena
ti ex ſpiritu ſancto? Nec mirũ uideri debet q̃ q̃ſq;
aliquid habet, & quod habet ignorat. Vt em̃ taceã
de omnipotenti diuinitate atq; incõmutabilis tri-
nitatis unitate, quis facile ſcientia percipit quid ſit
anima, & quis non habet animam? Poſtremo ut
certiſſime nouerimus quòd paruuli in Chriſto nõ
percipientes quæ ſunt ſpiritus dei, habẽt tamẽ ſpi-
ritum dei: paulopoſt intueamur quemadmodum
eoſipſos increpãs ait, Neſcitis quia templum dei
eſtis, & ſpiritus dei habitat in uobis? Hoc utiq; nul
lo modo diceret ab eccleſia ſegregatis, q̃ dicti ſunt
ſpũm non habẽtes. Sed nec ille dicẽdus eſt eſſe in
eccleſia, & ad iſtam ſocietatẽ ſpũs ptinere, qui oui
bus Chriſti corporali tantũ cõmixtione ficto cor-
de miſceẽ. Sanctus em̃ ſpiritus diſciplinæ fugiet fi-
ctũ. Quapropter quicũq; in ſchiſmaticis uel hereti
cis cõgregationib. uel potius ſegregationibus ba-
ptizant̃, quamuis nõ ſint renati ſpiritu, tanq; His-

maeli ſimiles, qui ſecundum carnẽ natus eſt Abra
A hæ, non ſecundum Iſaac, qui ſecundũ ſpiritũ, quia
per repromiſſionẽ: tamen cum ad catholicam fidẽ
ueniunt, & ſocietati ſpiritus aggregant̃, quẽ foris
proculdubio non habebant, nõ eis repetitur laua
crum carnis. Non enim defuit etiam foris poſitis
iſta forma pietatis, ſed accedit eis quę niſi intus nõ
poteſt dari unitas ſpiritus in uinculo pacis. Tales
quippe erãt anteq; catholici eſſent: de qualibus di
cit Apoſtolus: Habentes formã pietatis, uirtutem
2. Tim. 3 autem eius abnegantes. Poteſt em̃ eſſe uiſibilis for
ma palmitis etiã pręter uitẽ, ſed inuiſibilis uita ra-
dicis haberi non poteſt niſi in uite. Proinde corpo
ralia ſacramenta quæ portant & celebrant etiam
ſegregati ab unitate corporis Chriſti, formam poſ
B ſunt exhibere pietatis. Virtus enim pietatis inuiſi
bilis & ſpiritualis, ita in eis non poteſt eſſe, quẽad-
modum ſenſus non ſequit̃ hominis membrũ, quã
do amputatur à corpore. Quæ cũ ita ſint, remiſſio
peccatorum, qm̃ nõ datur niſi in ſpiritu ſancto, in
illa eccleſia tantummodo dari poteſt, quæ habet
ſpiritum ſanctum. Hoc em̃ fit remiſſione peccato
rũ, ne princeps peccati ſpiritus qui in ſeipſum di-
uiſus eſt regnet in nobis, ut eruti à poteſtate ſpũs
immundi, templũ deinceps efficiamur ſancti ſpiri
tus: & à quo mundamur accipiendo indulgentiã,
ipſum accipiamus habitatorẽ ad faciendã, augen-
dam, perficiẽdamq; iuſtitiam. Nam & in primo e-
ius aduentu cum hi qui eum acceperãt linguis o-
mnium gentium loquerent̃, & ſtupentes eos qui
C aderant alloquerẽt̃ apoſtolus Petrus, compuncti
ſunt corde, & dixerũt ad Petrum & ad apoſtolos,
Act. 2 Quid ergo faciemus fratres, monſtrate nobis? Et
dixit Petrus ad eos, Agite pœnitentiam, & bapti-
zetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine Ieſu Chriſti
in remiſſionẽ peccatorũ, & accipietis donum ſpi-
ritus ſancti. Vtiq; in eccleſia utrũq; factũ eſt, id eſt,
& peccatorũ remiſſio, & doni huius acceptio, in
qua erat ſpũs ſanctus. Ideo aũt in nomine Ieſu Chri
ſti, quia cum eũdem ſpiritum ſanctũ promitteret,
quẽ mittit, inquit, pater in nomine meo. Neq; em̃ Ioan. 14
habitat in quoq; ſpiritus ſanctus ſine patre & filio,
ſicut nec filius ſine patre & ſpiritu ſancto, nec ſine
illis pater. Inſeparabilis quippe eſt habitatio, quo-
rũ inſeparabilis operatio, ſed ſingillatim plerunq;
D per creaturæ ſignificationes nõ per ſuã ſubſtantiã
demonſtrant̃: ſicut ſua temporũ ſpacia ſyllabis oc-
cupantibus ſeparatim uoce pronunciantur, nec ta
men à ſeipſis ullis interuallis momentiſq; tempo-
rum ſeparantur. Non enim unquã dici poſſunt ſi-
mul, cum eſſe nõ poſſint niſi ſemper ſimul. Sed ut
iam nõ ſemel diximus, ideo remiſſio peccatorum
qua in ſe diuiſi ſpiritus euertitur & expellitur re-
gnũ, ideo ſocietas unitatis eccleſiæ dei, extra quã
non fit ipſa remiſſio peccatorum, tãquam propri-
um eſt opus ſpiritus ſancti, patre ſane & filio coo-
perantibus, quia ſocietas eſt quodammodo patris
& filij ipſe ſpiritus ſanctus. Nam pater non com-
muniter habetur pater à filio & ſpiritu ſancto, quia
non eſt pater amborum. Et filius non cõmuniter
habetur filius à patre & ſpiritu ſancto, quia nõ eſt
filius

filius amborum. Spiritus autem ſanctus commu-
niter habetur à patre & filio, quia ſpiritus eſt unus
A amborum. Quiſquis igitur reus fuerit impœniten
tiæ contra ſpiritum in quo unitas & ſocietas com-
munionis congregatur eccleſiæ, nunq; illi remitte
tur, quia hoc ſibi clauſit ubi remittitur: & merito
damnabit̃ cũ ſpiritu qui in ſeipſum diuiſus eſt, diui
ſus & ipſe contra ſpiritum ſanctũ qui in ſeipſum di
uiſus non eſt. Hoc ipſum & euangelica teſtimonia
nos admonent, ſi ea perſcrutemur attentius. Nam
& ſecundum Lucam quidem non ibi hęc dicit do
minus, ubi reſpondet eis qui dixerũt quòd in prin
cipe dæmoniorum eijcit dæmones, non ei remitti
qui blaſphemauerit in ſpiritũ ſanctum. Vnde ap-
paret non ſemel à domino dictũ hoc: ſed ibi quoq;
non negligenter pretereundum quo loco dictum
Lucæ 12 ſit. Loquebatur enim de his qui eum confeſſi eſ-
B ſent uel negarent coram hominibus, ubi ait. Dico
autem uobis, quicunq; confeſſus fuerit me coram
hominibus, & filius hominis cõfitebitur illum co-
ram angelis dei. Qui autem negauerit eum coram
hominibus, denegabitur coram angelis. Et ne ex
hoc apoſtoli Petri deſperaretur ſalus, qui eum co-
ram hominibus ter negauit, continuo ſubiecit, Et
omnis qui dicit uerbum in filium hominis remitte
tur ei, ei autem qui in ſpiritum ſanctũ blaſphema-
uerit non remittetur: illa ſcilicet blaſphemia cor-
dis impœnitentis qua reſiſtitur remiſſioni pecca-
torum quæ fit in eccleſia per ſpiritum ſanctum.
Quam blaſphemiã Petrus nõ habuit, quem mox
pœnituit quando amare fleuit, uictoq; ſpiritu qui
in ſeipſum diuiſus eſt, & qui eum uexandum po-
poſcerat, contra quẽ pro illo dominus rogauit ne
deficeret fides eius, accepit etiam ipſum cui nõ re
ſtitit, ſpiritum ſanctum, ut non ſolum ei remitteretur
peccatum, ſed per eum prædicaretur & dare-
tur remiſſio peccatorum. Apud duos autem alios
euangeliſtas quod narratur, ut de blaſphemia ſpi-
ritus hæc ſententia diceretur, cauſa extitit ex com
memoratione ſpiritus immundi, qui in ſeipſum di
uiſus eſt. Dictum enim erat de domino, quòd in
principe dæmoniorum eijceret dæmones. Ipſe ſe
dominus ait in ſpiritu ſancto eijcere dæmones, ut
ſpiritus qui non eſt in ſe diuiſus, eum qui in ſe diui-
ſus eſt uincat atque eijciat. Ille autem homo in e-
ius perditione maneat, qui in huius qui in ſe diui-
ſus non eſt pacem per impœnitentiam tranſire de
Marci 3 tractat. Hoc enim Marcus ita narrat, Amen dico
uobis, quia omnia dimittuntur hominibus pecca-
ta & blaſphemiæ quibus blaſphemauerint, qui au
tem blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum non ha-
bet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni
delicti. Hæc uerba domini cum dixiſſet, ſua dein-
de coniunxit dicens, quoniam dicebant ſpiritum
immundum habet: ut oſtenderet hinc fuiſſe exor-
tam cauſam, ut hoc diceret, eo quòd diximus eum
in Beelzebub principe dæmoniorum dæmones
pellere: non quia eſſet blaſphemia quæ non remit
titur, cũ & hæc remittatur ſi recta pœnitentia con
ſequatur: ſed quòd hinc, ut dixi, cauſa extitit, ut à
domino illa ſententia proferretur, facta mentione

Aug. to. 10

ſpiritus immundi: quẽ aduerſum ſeipſum diuiſum
dominus oſtendit propter ſpiritum ſanctum, qui
nõ ſolũ aduerſum ſe diuiſus nõ eſt, ſed etiam quos
colligit efficit indiuiſos, peccata quæ aduerſum ſe
diuiſa ſunt dimittendo, eosq; mundatos inhabitã-
do, ut ſit quemadmodum ſcriptum eſt in Actibus
apoſtolorum, multitudinis credentium cor unum Act. 4
& anima una. Cui dono remiſſionis non reſiſtit, ni
ſi qui duriciã cordis impœnitentis habuerit. Nam
& alio loco dixerunt Iudæi de domino, q̃ dæmo-
nium haberet, nec tamen ibi aliquid dixit de blaſ- Ioan. 7 & 8
phemia ſpiritus ſancti: quoniam nõ ita obiecerũt
ſpiritum immundum, ut in ſe diuiſus ex ore ipſo-
rum poſſit oſtendi, ſicut Beelzebub à quo eijci dę
mones poſſe dixerunt. In hac uero lectione ſecun
dum Matthæum multo manifeſtius aperuit domi Matt. 12
nus quod hic uellet intelligi, id eſt, q̃ ipſe dicat uer
bum contra ſpiritum ſanctum, qui unitati eccleſiæ
corde impœnitenti reſiſtit, ubi in ſpiritu ſancto fit
remiſſio peccatorum. Hunc enim ſpiritum nõ ha-
bent, ut iam dictum eſt, qui etiam Chriſti ſacramẽ
ta portantes atq; tractantes, ab eius congregatiõe
ſeiũcti ſunt. Nã ubi dixit de diuiſiõe ſatanę aduer-
ſus ſatanã, q̃ ipſe in ſpiritu ſancto eijceret dæmo-
nes, utiq; in ſpiritu qui non eſt aduerſus ſeipſum, ſi
cut ille, diuiſus: ibi cõtinuo ne per illos qui ſub no-
mine Chriſti extra eius ouile cõuentícula ſua con
gregant, quiſq; putaret etiam regnum Chriſti ad-
uerſum ſe eſſe diuiſum, Qui nõ eſt mecum, inquit,
contra me eſt, & qui non congregat mecum ſpar-
git: ut illos oſtẽderet ad ſe nõ pertinere, qui extra
C congregãdo nollent congregare, ſed ſpargere. De
inde ſubiunxit, Ideo dico uobis, omne peccatũ &
blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem
blaſphemia non remittetur. Quid eſt hoc? Ideo ſo
la ſpiritus blaſphemia nõ remittetur, quoniam qui
non eſt cum Chriſto cõtra ipſum eſt, & qui cũ illo
non congregat ſpargit? Ideo utiq;. Qui enim non
cum illo congregat, quomodolibet ſub eius nomi
ne congreget non habet ſpiritum ſanctum. Hic o-
mnino, hic cõpulit nos nõ alibi intelligere fieri re-
miſſionem omis peccati, omniſq; blaſphemię, niſi
in Chriſti congregatione quæ nõ ſpargit. Congre
gatur quippe in ſpiritu ſancto qui non eſt cõtra ſe
ipſum diuiſus, ſicut ille immundus ſpiritus. Et pro
pterea omnes congregationes, uel diſperſiones,
D quæ ſe Chriſti eccleſias appellant, & ſunt inter ſe
diuiſæ atq; cõtrariæ, & unitatis cõgregationi quæ
uera eſt eccleſia eius inimicæ, nõ quia uidentur e-
ius habere nomẽ, idcirco pertinent ad eius cõgre-
gationẽ. Pertinerent aũt ſi ſpiritus ſanctus, in quo
ſociatur hæc congregatio, aduerſus ſeipſum diui-
ſus eſſet. Hoc autem quia non eſt: qui em̃ non eſt
cum Chriſto contra ipſum eſt, & qui cum illo non
congregat ſpargit: ideo peccatũ omne atq; omis
blaſphemia dimittetur hominibus in hac congre-
gatione, quam in ſpiritu ſancto, & non aduerſus ſe
ipſum diuiſo, congregat Chriſtus. Ipſius aũt ſpiri-
tus blaſphemia illa, quę fit ut corde impœnitẽti hu
ic tanto dei dono uſq; in finem uitæ iſtius reſiſtat̃,
non remittetur. Nam & ſi quiſq; ita ſit contrarius

ueritati, ut deo loquēti, nō in pphetis, sed in unico filio, cum propter nos eum ut nobis in eo loquere tur filium hominis esse uoluit, reluctetur, remittet ei, cum pœnitendo cōuersus fuerit ad dei benigni tatem: qui cum mortem impij nollet quātum ut re uertatur & uiuat, dedit ecclesiæ suæ spiritum sanctum, ut quicunq; in eo peccata dimitteret, dimit terent ei. Qui uero huic dono extiterit inimicus, ut non illud per pœnitentiā petat, sed ei per impœ nitentiam contradicat, fit irremissibile: non quod cūq; peccatum, sed cōtempta uel oppugnata ipsa remissio peccatorum, atq; ita dicitur uerbum con tra spiritum sanctum, cum ex dispersione ad cōgre gationem nunquam uenitur, quæ ad remittenda peccata accepit spiritum sanctum. Ad quā congre gationem etiam si per malum clericum, sed tamen catholicum ministrum, reprobū et fictum, aliquis accesserit corde non ficto, in ipso sancto spiritu re missionem accepit peccatorum: qui spiritus in san cta ecclesia, etiam isto tempore quo uelut area cū palea trituratur, sic operatur ut nullus ueram con fessionem aspernetur, nullius simulatione fallat, atq; ita reprobos fugiat, ut etiam per eorū minister rium probos colligat. Vnum ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemia, ut cor impœnitēs caueat: nec aliter pœnitentia prodesse credat, nisi ut teneatur ecclesia, ubi remissio peccatorum da tur, & societas spiritus in pacis uinculo custodit. Vt potui difficillimam quæstionem, si tamen ali quatenus potui, domino miserāte atq; adiuuante tractaui: quicquid tamē in eius difficultate appre hendere non potui, nō imputetur ipsi ueritati quę salubriter pios etiam cum occultatur exerceat, sed infirmitati meæ, qua uel intelligenda conspicere, uel intellecta explicare nō potui. De his autē quæ forte potuimus & cogitando inuestigare & dicen do expedire, illi sunt agendæ gratiæ à quo quęsiui mus, à quo petiuimus, ad quem pulsauimus, ut ha beremus unde & nos meditando aleremur, & uo bis loquendo ministraremus.

De eo quod scriptum est in Euangelio secundū eundem, Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, &c. Sermo XII

A Dmonuit nos dominus noster Iesus Chri
A stus ut bonæ arbores simus, & fructus bo
nos habere possimus. Ait enim, Aut faci-
Matth.12 te arborem bonam, & fructum eius bonum: aut fa
cite arborem malam, & fructum eius malum. De
fructu enim arbor cognoscitur.] Vbi ait, Facite ar
borem bonam, & fructum eius bonū, hoc utiq; nō
est admonitio, sed præceptum salubre, cui obediē
tia necessaria est. Quod autem dicit, Facite arborē
malam, & fructum eius malum, non præceptū est
ut facias, sed admonitio ne facias. Cōtra hos enim
dixit, qui putabāt se, cū mali essent, loqui bona pos
se, uel bona opera habere. Hoc dominus Iesus di-
cit non posse. Prius est enim mutandus homo, ut
opera mutentur. Si enim manet homo in eo quod
malus est, bona opera habere non potest. Si manet
in eo quod bonus est, mala opera habere non po-
test. Quis autem à domino bonus inuentus est, cū

Christus pro impijs mortuus fit? Omnes ergo ma
las arbores inuenit, sed dedit potestatem filios dei
A fieri, credentibus in nomine eius. Quisquis igitur
homo hodie bonus est, id est, arbor bona, mala in
uenta est, & bona facta est. Et si quando uenit ma
las arbores eradicare, uellet utiq; remanere, quæ
nō digna esset eradicari, sed uenit prærogare mise
ricordiā, ut postea exerceret iudicium, cui dicitur,
Psal.100 Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine.
Dedit ergo credentibus remissionem peccatorū,
noluit cum eis & de pręteritis chartis rationem ha
bere. Remissio enim peccatorum facit arbores bo
nas. Distulit securim, dedit securitatem. De hac se-
curi Ioannes loquitur, dicens, Iam securis ad radi-
Matt.3 cem arborum posita est. Omnis arbor, quæ non fa
B cit fructum bonum excidetur, & in ignem mitte-
tur. De hac securi comminat paterfamilias in eu-
Luc.13 angelio, dicens, Ecce triennium est quod uenio
ad hanc arborem, & fructum in ea non inuenio,
Non debeo locum euacuare, proinde amputetur.
Et intercedit colonus, dicēs. Domine dimitte eam
hoc anno, circumfodiam eam, & adhibebo cophi
num stercoris: si fecerit fructum, bene, si minus, ue
nies & amputabis eam. Tanquam per triennium
dominus uisitauit genus humanum, hoc est, tri
bus temporibus. Quibus? Primum tempus ante
legem, secundum tempus in lege, tertiū quod mo
do est, tempus est gratiæ. Nam si non uisitauit ge
nus humanum ante legem, unde Abel? unde E
noch? unde Noe? unde Abrahā? unde Isaac? unde
C Iacob? quorum dominum se dici uoluit: & cuius
omnes gentes erant, quasi trium hominum deus
Exod.3 esset, Et ego sum, inquit, deus Abraham, & Isaac,
& Iacob. In lege autem si non uisitaret, ipsam legē
non daret. Post legem uenit & ipse paterfamilias,
Matt.12 passus est, mortuus est, & resurrexit, spiritū sanctū
dedit, euāgelium p̄ totū orbē terrarū prædicari fe-
cit, & adhuc quædā arbor infructuosa permāsit.
Est quædam adhuc pars generis humani, quæ ad-
huc se non corrigit, Intercedit colonus, pro plebe
orabat Apostolus, Flecto, inquit, genua mea pro
Ephes.3 uobis ad patrē, ut in charitate radicati & fundati,
ualeatis apprehendere cum omnibus sanctis quæ
sit latitudo, lōgitudo, altitudo & profundum. Co-
gnoscere etiam supereminentem scientiam chari-
D tatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudi-
nē dei. Flectēdo genua pro nobis intercedit apud
patrēfamilias, ne eradicemur. Ergo quia necesse
est ut ueniat, agamus ut fructuosos nos inueniat.
Circūfossio arboris, est humilitas pœnitētis. Om-
nis enim fossa humilis. Cophinum stercoris, sor-
des pœnitentiæ. Quid enim stercore sordidius?
Sit ergo unusquisq; arbor bona, non se arbitretur
habere fructus bonos, si manet arbor mala. Non
erit fructus bonus, nisi arboris bonæ. Muta cor, &
mutabitur opus. Extirpa cupiditatem, planta cha-
1.Tim.6 ritatem. Sicut enim radix est omnium malorum
cupiditas, sic est radix omnium bonorū charitas.
Quid ergo mussitant homines inter se uel conten
dunt, dicentes, Quid est bonum? O si scires, quid
sit bonum. Quod habere uis nō est ualde bonum,
quod

quod esse non uis, hoc est bonum. Vis enim habe
re sanitatem corporis, hoc est bonū, nec tamen pu
A tes magnū bonū esse quod habet & malus. Aurū
& argentum habere uis, ecce & hoc dico bonum
est, sed si bene usus fueris. Bene autem non uteris
si malus fueris, ac per hoc aurum & argentum ma
lis malum est, bonis bonum est: non quia eos bo-
nos aurum & argentum facit, sed quia bonos inue
nit, in unum bonū conuertitur. Honorem habere
uis, bonū est, sed & hoc si bene utaris. Quàm mul-
tis honor occasio exitij fuit. Discernamus ergo i-
sta bona, si possumus, quia de bonis arboribus lo-
quimur. Et hic nihil est, quod sic quisque cogitare
debeat, nisi ut in semetipsum oculos cōuertat, in se
discat, se inspiciat, se discutiat, se quærat, & se inue-
niat, & quod displicet necet, quod placet optet &
B plātet. Cum enim se homo inanem inuenerit me-
liorum bonorū, ut quid est auidus externorū bo-
norū? Ecce quid prodest plena bonis arca, inanis
cōscientia? Bona uis habere, & bonus nō uis esse.
Nō uides te erubescere debere de bonis tuis, si do
mus tua plena est bonis, & te habet malum? Quid
enim est quod uelis habere malū? Nihil omnino,
non uxorem, non filium, non filiā, non seruum,
non ancillam, non uillam, non tunicam, postremo
non caligam, & tamen uis habere malā uitam. Ro
go te, præpone uitam tuā caligę tuæ. Omnia quæ
circa iacent oculis tuis, elegantia, & pulchra tibi
chara sunt, & tibi ipse uilis es, fœdus es. Si tibi pos-
sent respōdere bona, quibus est plena domus tua,
quæ habere optasti, quę perdere timuisti, nōne &
C tibi clamarent, Sicut tu nos bona uis habere, sic &
nos uolumus bonum habere dominum? Tacita
uoce interpellant contra te dominum tuum, Ecce
bona tanta dedisti huic, & ipse malus est. Quid ei
prodest quod habet, quādo eum qui omnia dedit
nō habet? Quærit ergo aliquis admonitus his uer
bis meis, & forte compunctus quærit quid sit bo-
num, quale bonum,, unde bonum? Bene intellexi
sti, hoc te quęrere debere. Respōdebo quęrēti &
dicam, Hoc est bonum, quod non potes inuitus a-
mittere. Potes enim aurum perdere, & nolens, po
tes domum, potes honores, potes ipsam carnis sa-
lutem. Bonum uero quo uere bonus es, nec inui-
tus accipis, nec inuitus amittis. Quæro ergo quale
sit hoc bonum? Psalmus quidam admonet nos rē
magnam forte, quam quęrimus, Ait enim, Filij ho
minum, quousq; graues corde? Quid est graues
Psal.4 corde? Vt quid diligitis uanitatem, & quęritis mē
dacium? Et à tergo ait quod quęrēdum est, Scito-
te quoniam dominus magnificauit sanctum suū.
Iam & Christus uenit, iam magnificatus est, iam
surrexit, & ascendit in cœlum, iam nomen eius to
to mundo prædicatur, quousq; graues corde? Suf
ficiāt præterita tempora. Iam magnificato illo san
cto, quousq; graues corde? Post triēnium quid re-
stat, nisi securis? Quousq; graues corde? Vt quid
diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Ad-
huc uana, adhuc inutilia, adhuc pompatica, & uo-
latica, ita Christo sancto magnificato, adhuc ista
requiruntur? Iam clamat ueritas, & adhuc quęri-
tur uanitas? Quousq; graues corde? Merito forti-
A ter flagellatur hic mundus. Cognouit enim iā uer-
ba domini mundus. Et seruus, inquit, nesciens uo- Luce 12
luntatem domini sui, & faciens digna plagis, uapu
labit paucis. Quare? Vt quęrat uolūtatem domini
sui. Seruus ergo nesciens uoluntatē, hoc erat mun
dus antecq; magnificaret sanctum suum. Seruus e-
rat nesciens uoluntatem domini sui, & ideo uapu-
labat paucis. Seruus autem iam uoluntatem sciēs
domini sui, hoc est, modo ex q̄ magnificauit deitas
sanctum suum, & non faciēs uoluntatem eius ua-
pulabit multis. Quid ergo mirum si mundus mul-
ta uapulat? Seruus est sciēs uolūtatem domini sui,
& faciens digna plagis. Non ergo recuset uapula-
re multis, quoniam si non uult audire pręceptorē,
B iuste patietur ultorem, uel non murmuret contra
castigatorem, cum uideat se plagis dignum, ut mi-
sericordiam mereatur per Christum dominū no-
strum, qui uiuit & regnat cum patre & spiritu san-
cto. Amen.

De domino Christo ambulāte super aquas ma-
ris, & Petro titubante, In Euangelio secundum e-
undem, Sermo XIII

Vangelium quod recentissime recitatum A
E est de domino Christo, qui super aquam Matt.14
maris ambulauit, & de apostolo Petro q̄
ambulans timendo titubauit, & diffidēdo mersus,
confitendo rursus emersit, admonet nos intellige
re mare præsens seculum esse, Petrum uero aposto
lum ecclesiæ unicæ typum. Ipse enim Petrus in a-
C postolorum ordine primus, in Christi amore prō-
ptissimus, sæpe unus respondit pro omnibus. Ipse Matt.16
denicq; domino Iesu Christo requirenti, quēnam
homines dicerēt eum esse, & opiniones uarias ho
minum discipulis respondentibus, rursusq; domi-
no interrogante, & dicente, Vos autem quem me
esse dicitis? Respōdit Petrus, Tu es Christus filius
dei uiui. Vnus pro multis dedit responsum, unitas
in multis. Tunc ei dominus ait, Beatus es Simon
Bar Iona, quia non reuelauit tibi caro & sanguis,
sed pater meus qui est in cœlis. Deinde addidit, Et
ego dico tibi. Tāquam diceret, Quia tu dixisti mi-
hi, Tu es Christus filius dei uiui, & ego tibi, Tu es
Petrus. Simon quippe ante uocabatur. Hoc autē
nomen ei ut Petrus appellaretur à domino impo
D situm est, & hoc ut ea figura significaret ecclesiam.
Quia enim Christus petra, Petrus populus Chri-
stianus. Petra enim principale nomen est, ideo Pe
trus à petra, nō petra à Petro, quomodo nō à Chri
stiano Christus, sed à Christo Christianus uocat.
Tu es ergo, inquit Petrus, & super hanc petram
quam confessus es, super hanc petrā quam cogno
uisti, dicens, Tu es Christus filius dei uiui, ędifica-
bo ecclesiam meā, id est, super meipsum filium dei
uiui, ædificabo ecclesiam meam. Super me ędifica
bo te, non me super te. Nam uolētes homines ædi
ficari super homines, dicebant, Ego quidem sum 1.Cor.1
Pauli, ego autē Apollo, ego uero Cephæ, ipse est
Petrus. Et alij qui nolebant ædificari super Petrū,
sed super petram, ego autē sum Christi. Apostolus
autē Paulus ubi cognouit se eligi, & Christū con-

Aug.to.10

temni. Diuisus est, inquit, Christus? Nūquid Paulus pro uobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, ut Petrus ædificaret supra petrā, & nō petra super Petrum. Idē ergo Petrus à petra, cognominatus beatus, ecclesię figurā portans, apostolatus principatū tenens, continuo post paululum iam audito quòd beatus esset, iam audito q̄d supra petram ædificatus esset, posteaq̄ audiuit futuram dñi passionē, quia prædixerat eā cito futuram discipulis suis, displicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quē cōfessus fuerat uitæ fon
Matth.18 tem. Turbatus est. Absit à te, inquit, domine, ne fiat istud. Propitius esto tibi domine, nolo te mori. Petrus dicebat Christo, Nolo te mori, sed melius dicebat Christus, Volo pro te mori. Deniq̄ continuo reprehendit, quem paulo ante laudauerat, & quem beatum dixerat, satanan appellat. Redi, inquit, post me satana, scādalum mihi es, nō enim sapis quæ dei sunt, sed quæ sunt hominū. Quid nos uult facere ex hoc quod sumus, qui sic culpat quia homines sumus? Vultis scire quid nos uelit face-
Psal.81 re? Audite psalmū, Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Sed humana sapiendo, Vos autē sicut homines moriemini. Idem ipse Petrus paulo ante beatus, postea satanas. In momento uno, infra pauca uerba miraris, differentias attēde causarum. Quid miraris, quia paulo ante beatus, postea satanas? Attende causam quare beatus, Quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed pater meus qui in cœlis est. Ideo beatus, quia tibi non caro & sanguis reuelauit. Si enim caro & sanguis hoc tibi reuelaret, de tuo: quia uero nō caro & sanguis tibi reuelauit, sed pater meus qui in cœlis est, de meo, non de tuo.
Ioan.16 Quare de meo? Quia omnia quę habet pater, mea sunt. Ecce audisti causam, quare beatus, & quare Petrus. Quare autē illud quod horrescimus, & repetere nolumus? Quare, nisi quia de tuo? Non em̄ sapis quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum. Hoc intuentes nos ecclesiæ membra, discernamus quid de dei, quid de nostro. Tunc em̄ non titubabimus, tunc in petrā fundabimur, fixi & stabiles erimus aduersus uentos, imbres, flumina, tētationes uidelicet præsentis seculi. Illum tamen uidete Petrum, qui tunc erat figura uestra, modo fidit, modo titubat, modo immortalē confiteī, modo timet ne mo
D riatur. Proinde quia ecclesia Christi habet firmos, habet & infirmos, nec sine firmis potest esse, nec si ne infirmis. Vnde dicit Paulus apostolus, Debe-
Rom.10 mus aūt nos firmi infirmorū onera sustinere. In eo q̄ dixit Petrus, Tu es Christus filius dei uiui, firmos significat. In eo autē q̄ trepidat & titubat, & Christum pati nō uult, mortem timendo, uitā nō agnoscendo, infirmos ecclesiæ significat. In illo ergo uno apostolo, id est, Petro in ordine apostolorum primo & prēcipuo, in quo figurabat ecclesia, utrūq̄ genus significandū fuit, id est firmi & infirmi, quia sine utroq̄ nō est ecclesia. Hinc est ergo,
Mat.14 & q̄d modo lectū est, Domine, si tu es, iube me uenire ad te super aquas.] Si tu es, iube me. Non em̄ possum hoc in me, sed in te. Agnouit quid sibi

A esset à se, qd ab illo cuius uoluntate credidit se posse, q̄d nulla infirmitas humana possit. Ergo si tu es iube, quia cū iusseris fiet. Quod ergo nō ualeo præsumendo, tu potes iubendo. Et dominus, ueni, inquit. Et sine ulla dubitatione Petrus ad uerbum iubentis, ad prēsentiā sustētantis, ad prēsentiā regentis sine ulla cūctatione desiluit in aquas, & ambulare cœpit. Potuit q̄d dominus, nō in se, sed in dño.
Ephes.5 Fuistis em̄ aliquando tenebræ, nūc autē lux, sed in dño. Quod nemo potest in Paulo, nemo in Petro, nemo in alio ullo Apostolorum, hoc potest in domino. Ideo bene Paulus utiliter se contēnens, illū
1 Cor.1 cōmendans, nūquid Paulus, inquit, pro uobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Nō ergo in me sed mecū, nō sub me sed sub illo. Ergo
B ambulauit Petrus super aquas in iussu domini, sciens hoc se à se habere nō posse. Fide ualuit, q̄d humana infirmitas nō ualeret. Hi sunt firmi ecclesiæ. Attendite, audite, intelligite, agite, Neq̄ em̄ agendum est cū firmis alibi ut sint infirmi, sed agēdū est cū infirmis ut sint firmi. Multos autē impedit à firmitate, præsumptio firmitatis. Nemo erit à deo fir
Psal.67 mus, nisi qui se à seipso sentit infirmū. Pluuiam uoluntariā segregans deus hæreditati suæ. Quid præceditis, qui q̄d dicturus sum nostis? Temperet uelocitas, ut sequatur tarditas. Hoc dixi & hoc dico, audite, capite, facite. Nemo à deo fit firmus, nisi q̄ se à seipso sentit infirmū. Pluuiā ergo uoluntariam, sicut psalmus dicit uolūtariā, nō meritorū nostrorum, sed uoluntariā. Pluuiā ergo uoluntariā segre-
C gās deus hæreditati suæ, etem̄ infirmata est: tu uero perfecisti eā, quia pluuiam uolūtariam segregasti, non attendens hominum merita, sed tuam gratiam & misericordiā. Infirmata est ergo ipsa hæreditas, & agnouit se infirmā in se, ut firma esset in te. Non firmaretur, si non infirmaretur, ut abs te in te perficeret. Vide huius infirmitatis portiūculam, Paulū uide infirmatū, q dixit, Nō sum idoneus uo
1. Cor.15 cari Apostolus, quia persecutus sum ecclesiā dei. Quare ergo apostolus es? Gratia dei sum id quod sum. Nō sum idoneus, sed gratia dei sū q̄d sum. Infirmatus est Paulus, tu uero perfecisti eū. Iam uero quia gratia dei est q̄d est, uide quid sequat, Et gratia dei in me nō fuit uacua, sed plus omnibus illis laborauī. Vide ne præsumptiōe perdas, quod in-
D firmitate meruisti. Bene hoc bene, Nō sum idoneus uocari Apostolus, gratia eius sum quod sum, & gratia eius in me non fuit uacua. Omnia optime, sed plus illis omnibus laborauī: quasi tibi cœpisti tribuere, quod paulo ante deo dederas. Agnosce & sequere. Non ego autē, sed gratia dei mecū. Bene infirme firmissime eris exaltatus, quia nō es ingratus: tu es idē ipse Paulus, in te paruus, in domino
magnus. Tu es qui ter dominū rogasti, ut stimulus 2. Cor.12
carnis angelus satanæ à quo colaphizabaris auferretur à te. Quid tibi dictū est, quid audisti quando hoc petisti? Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus in infirmitate perficitur. Etenim infirmatus est, tu uero perfecisti eum: sic & Petrus, Iube me, inquit, uenire ad te sup aquas. Homo audeo, sed nō homi nē rogo. Iubeat deus homo, ut possit q̄d nō potest

homo

homo. Veni, inq̄t. Et cœpit ambulare super aquas & potuit Petrus, quia iusserat petra. Ecce quid Pe
A trus in domino, quid in se? Videns uentum uali dum, timuit, & cum cœpisset mergi, exclamauit, Domine pereo, libera me.] Præsumpsit de domino, potuit de domino. Titubauit ut homo, rediuit
Psal.39 ad dominū. Si dicebā, motus est pes meus. Psalmus loquitur, sancti cantici uox est, etsi agnoscamus & nostra, imò si uelimus & nostra est, Si dicebam, motus est pes meus. Quare motus, nisi quia meus? Et quid sequitur? Misericordia tua domine adiuuabit me, nō uirtus mea, sed misericordia tua. Nunquid enim dominus deseruit titubantē, quē audiuit inuocantē? Vbi est illud, Quis inuocauit
Iobel.2 deū, & desertus est ab eo? Vbi est illud, Et omnis
B qui inuocauerit nomen domini, saluus erit? Continuo porrigens adiutoriū dexteræ suę, leuauit mergentem, increpauit dissidentē, Modicæ fidei quare dubitasti?] De me prēsumpsisti, de me dubitasti? Eia fratres sermo concludendus est. Attendite seculū quasi mare, uētus ualidus, & magna tempestas. Vnicuiq̄ sua cupiditas, tēpestas est. Amas deum, ambulas super mare, sed pedib. tuis est timor seculi. Amas seculū, absorbebit te. Amatores suos uorare nouit non portare. Sed cū fluctuat cupiditate cor tuū, ut uincas tuā cupiditatē, inuoca Christi diuinitatē. Putatis tunc esse uentū contrarium, quādo est huius seculi aduersitas? Quando enim bella, quādo tumultus, quādo fames, quādo pestilentia, quando cuiq̄ hominū, etiā singulo euenit
C priuata calamitas, tunc putat uentus aduersus, ibi putat inuocandus deus. Quando aūt tēporali felicitate seculū arridet, quasi non est uētus cōtrarius. Noli hinc interrogare tēporis tranquillitatē, interroga, sed tuā cupiditatē. Vide si tranquillus est in te, uide si non te subuertit uētus interior. Hoc uide, Magnæ uirtutis est cū felicitate luctari, ne illi ceat, ne corrūpat, ne ipsa subuertat felicitas. Magnę, inquā, uirtutis est cū felicitate luctari, magnę felicitatis est à felicitate uinci. Disce calcare seculū, memēto fidere te in Christo, & si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua nō superas, si mergi incipis, dic, dñe pereo, libera me. Dic, domine pereo, ne pereas. Solus em̄ à morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te. Conuersi ad dominū.

De eo, de quo supra. Sermo XIIII

A

Vetusti codices: Sermo Beradij presb. de lectione Euangelij, ubi Petrus super mare ambulauit.

D VM sanctum euangelium legeretur, audiuimus nautellam periclitantē, Christum
C periclitantibus subuenientē, Petrum Christo occurrentem. In quibus omnibus miraculū expectauimus, mysteriū requiramus. Quando enim possumus de diuinis operibus quę leguntur, intellectū alicuius mysticæ significationis exculpere, quasi de abstrusis fauorū cellis mella pducimus, uel Christi discipulos imitātes, spicas manibus cōfricamus, ut ad latētia grana perueniamus, et in eis uitam inueniamus. Ascēdit ergo dominus noster Iesus Christus, ut lectum est, in montem solus orare. Mons altitudo est. Quid enim in hoc mundo
Ioan.3 altius cœlo? Quis uero in cœlū ascēdit, nouit opti me fides uestra. Cur aūt solus ascendit? Quia nemo ascendit in cœlū, nisi qui de cœlo descendit, fi- Ioan.3.
A lius hominis qui est in cœlo. Quāuis & in fine cū uenerit, & nos omēs sua membra collegerit, ac le uauerit in cœlū, etiā tunc solus ascēdit, quia caput cum corpore suo unus est Christus. Nunc aūt solū caput ascēdit, mediator dei et hominū homo Christus Iesus. Ipse ascēdit solus orare, qa ipse ascendit ad patrē, p nobis interpellare. Veruntamē charissimi, dū ille orat in excelso, nauicula turbat fluctibus in pfundo: qa insurgūt fluctus, potest ipsa nauicula turbari, sed qa Christus orat nō potest mergi. Nautellā quippe istā fratres ecclesiam cogitate, turbulentū mare hoc seculū. Quādo aliqs impiæ uolūtatis, maximę potestatis persecutionē indicit ecclesiæ, & quantū in ipso est, Christianū nomen
B conatur extinguere, super nauiculā Christi grādis unda cōsurgit. Sed in his tentationib. erigatur antemna, ut suspensa arbori crucē figuret. Hāc Christianus respiciat & nō deficiat, quia sicut dicit A- I.Pet.2
postolus Petrus, Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplū, ut sequamur uestigia e- I.Ioan.3
ius. Dicit etiam beatus Ioannes, Sicut enim Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratrib. animas ponere. Huic ergo antemnæ, id est, cruci Christi, simplex cōuersatio & pura confessio tanquā candentia uela religentur. Et uela nostra fluctibus abluantur, uestisq̄ tendatur, ut sine macula & ruga inueniatur. Quantūlibet mare sæuiat, uētus incūbat inter fluctus & fluctus, nauis ista turbetur tantū, non mergat, & cur
C rit. Deniq̄ postea quàm nauis hæc ædificata est in Hierusalē, atq̄ inde in medio pelagi huius frementis emissa est, ęstuantiū uolumina undarum, & furentium flabra uentorum, dum eam huc atq̄ illuc circūferunt, omnium gentiū litoribus appulerūt, peregrinas merces quacūq̄ inuenit aduexit. Quid enim tam peregrinū in terra nostra, quàm per pœnitentiam remissio peccatorum, regnumq̄ cœlorum: & tamē oportebat Christū pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine eius pœnitētiā, & remissionē peccatorum per omnes gentes, incipientib. ab Hierusalē? Venit ergo dominus ad uisitādos discipulos suos, qui turbabantur in mari quarta uigilia noctis, Quarta uigilia noctis, extrema pars noctis. Vigilia una tres ho-
D ras habet, ternis horis per singulas uigilias distributis. Quarta ergo uigilia noctis, hoc est, penè iā nocte finita. Sic uenit in fine seculi, iniquitatis nocte transacta, ad iudicādos uiuos & mortuos. Venit enim nunc, sicut audistis, ualde mirabiliter, ambulans super aquas. Surgebāt fluctus, sed calcabātur. Fremens pelagus sub domini uestigia murmurabat, sed tamen eum uolens nolens portabat. Quantūlibet tumores seculi potestatesq̄ consurgant, premit eorum caput nostrum caput. Cum uero appropinquaret nauiculæ, turbati sunt præ timore discipuli, & exclamauerunt putātes phantasma esse, quibus dominus ait, Habetote fiduciam, ego sum, nolite timere. Quid est, ego sum? Non sum phantasma quod putatis, agnoscite quē uidetis. Ad hanc uocem exilijt Petrus & ait,

Matt. 14 Domine ſi tu es, iube me uenire ad te ſup aquas.] Si tu es, non miror quod ſolidam carnem ſuper liquentis elementi terga ſuſpendis. Quid enim mirum, ſi conditori ſuo creatura famulatur? Hoc ego nõ miror, fac quod mirer, ambulet Petrus. Fac ꝗd mirer, Iube me uenire ad te ſuper aquas. Scio enim quod corpus humanum naturæ lege non ſinitur in fluctib. liquidis habere fixa ueſtigia, ſed accedat donum gratiæ, & paululum ceſſet lex iſta naturæ. Si tu es, iube me uenire ſuper aquas. Tu deus es, ego homo ſum. Voluiſti de meo habere infirmitatem in carne quã portas, habeam & ego de tuo poteſtatem ut unda me portet. Domine ſi tu es, iube me uenire ad te ſuper aquas. Quomodo enim mihi in mari non erit uia ſi tu iuſſeris, qui ꝓpter nos factus es uia? Et dominus, ueni, inqt.] Nec dubitauit Petrus, audiuit domini uerbum, & mox cucurrit ad uerbũ. Cito credidit, quia fidelis homo erat. Sed cũ ſurrexiſſet uentus ualidus titubauit, quia homo erat. Titubatio iſta fratres, quaſi mors fidei fuit. Sed ubi exclamauit, fides iterũ reſurrexit, Non ambularet niſi crederet, ſed nec mergereẽ niſi dubitaret. In Petro itaq; cõmunis omnium noſtrum conſideranda conditio eſt, ut ſi nos in aliquo tentationum uentus conatur ſubuertere, uel unda ſubmergere, clamemus ad Chriſtum. Quid eſt clamemus? Oremus, porriget ille manũ & eruet de profundo. Etenim manus eius deducet nos, & continebit nos dextra eius, donec nos ad ſempiterna ſua promiſſa perducat.

De eo quod ſcriptũ eſt in euangelio ſecundum C eundẽ, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Sermo XV

A ESTERNA die ſanctum euangelium admonuit nos non negligere peccata noſtro H
Matt. 18 rum, Sed ſi peccauerit, inquit, in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem contempſerit, adhibe tecum duos uel tres, ut in ore duorum uel trium teſtium ſtet omne uerbum. Si autem & ipſos contempſerit, dic eccleſiæ. Quod ſi & eccleſiam contempſerit, ſit tibi ſicut ethnicus et publicanus.] Hodierna etiam die ad ipſam rem pertinet capitulũ quod ſequitur, quod modo cum legeretur audiuimus. Cum enim diximſſet hoc dominus Ieſus Petro, ſubiecit & interrogauit magiſtrum, quoties ignoſceret fratri qui in illo peccaſ-
Ibidem. ſet, & quæſiuit utrum ſufficeret ſepties. Reſpondit illi dominus, Non ſolũ ſepties, ſed etiã ſeptuagies ſepties.] Deinde narrauit ſimilitudinem ualde terribilem, Quia ſimile eſt regnũ cœlorum homini patrifamilias, qui poſuit rationẽ cum ſeruis ſuis, in quibus inuenit debitorem decem milium talentorum. Et cum iuſſiſſet ut omnia quæ habebat, & omnis eius familia, & ipſe uenderetur & debitum ſolueretur, aduolutus genibus domini ſui rogabat dilationem, meruit remiſſionem. Miſertus eſt enim dominus eius, ſicut audiuimus, & omne debitum dimiſit illi. At ille debito liber, ſed iniquitatis ſeruus, poſteaquam egreſſus eſt à facie domini ſui, inuenit etiam ipſe debitorem ſuũ qui debebat, non decem milia talentorum, quantum A ipſius debitum fuit, ſed centum denarios, cœpit eum ſuffocatum trahere, & dicere, Redde quod debes. At ille rogabat conſeruum, ſicut & ipſe rogauerat dominum, ſed non talem iſte inuenit conſeruum, qualem ille dominum. Non ſolum remittere illi debitum noluit, ſed nec dilationem dedit, contortum rapiebat ad ſolutionem. Iam debito dominico liber, diſplicuit conſeruis, & renuntiauerunt domino ſuo quod actum eſſet, et dominus fecit adeſſe ſeruũ, & dixit ei, Serue nequam, cum mihi tanta deberes, miſertus tui omnia dimiſi tibi, Non ergo & te oportebat miſereri conſerui tui, ſicut & tui miſertus ſum? Et iuſſit omnia quæ illi dimiſerat exigi. Ergo hanc ſimilitudinẽ ad noſtram B inſtructionẽ propoſuit, et admonendo perire nos noluit. Sic, inquit, & uobis faciet pater ueſter cœleſtis, ſi non remiſeritis unuſquiſq; ueſtrum fratribus ueſtris ex corde ueſtro. Ecce fratres, res in aperto eſt, admonitio utilis, & ualde ſalubris obedientia debeẽ, ut quod iuſtũ eſt impleatur, quia omnis homo & debitor eſt dei, & debitorẽ habet fratrem ſuum. Quis eſt enim qui non ſit debitor dei, niſi in quo nullũ poteſt inuenire peccatum? Quis eſt autem qui non habet debitorem fratrem, niſi in quem nemo peccauit? Putasne quiſquã in genere humano reperiri poteſt, qui non & ipſe aliquo peccato obſtrictus ſit fratri ſuo? Debitor eſt ergo omnis homo, habens tamen & ipſe debitorem. Ideo deus iuſtus conſtituit tibi regulam in de bitore tuo, quod faciet & ipſe cum ſuo. Duo ſunt enim opera miſericordiæ, quæ nos liberant, quæ breuiter ipſe dominus poſuit in Euãgelio, Dimittite, & dimittetur uobis, date, & dabitur uobis. Di- Luc. 6
mittite, & dimittetur uobis, ad ignoſcendum pertinet. Date, & dabitur uobis, ad præſtandum beneficium pertinet. Quod ait de ignoſcendo, & de us tibi ignoſcit quod peccas, & habes alium cui tu poſſis ignoſcere. Rurſus quod pertinet ad tribuendum beneficium, petit te mendicus, & tu es dei mendicus. Omnes enim quãdo oramus, mendici dei ſumus, ante ianuam magni patrisfamilias ſtamus. Imò etiã ꝓſternimur, ſupplices ingemiſcimus aliquid uolẽtes accipere, & ipſum aliquid ipſe deus eſt. Quid à te petit mendicus? Panẽ. Et tu
D quid petis à deo, niſi Chriſtum, qui dicit, Ego ſum Ioan. 6
panis uiuus, qui de cœlo deſcendi? Ignoſci uobis uultis, ignoſcite, Remittite, & remittetur uobis. Accipere uultis, date, & dabiẽ uobis. Sed quid in hac aperta præceptione mouere poſſit, audite. In remiſſionem ubi uenia petitur, & ab ignoſcẽte debetur. Hoc poteſt mouere, quod & Petrum mouit, Quoties debeo, inquit, ignoſcere? Sufficit uſque ſepties? Non ſufficit, ait dominus, Non dico ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. Iã tu enumera quoties in te peccauerit frater tuus. Si potueris peruenire uſq; ad ſeptuageſimã culpã & octauã, ut tranſeas ſeptuagieſſepties, tũc moliris uindictã. Itane uerũ eſt q; dicit? Et uere ita ſe res habet, ut ſi peccauerit ſeptuagieſſepties, ignoſcas. Si autẽ peccauerit ſeptuagies octies, iam licet tibi non ignoſcere?

Audeo

Audeo dicere, & ſi ſeptuagies octies peccauerit, ignoſcas. Si autem peccauerit, ut dixi, ſeptuagies A octies, ignoſce. Et ſi centies peccauerit, ignoſce. Et quid dicam toties & toties? Omnino quoties peccauerit, ignoſce. Ergo ego auſus ſum ſupergredi modum domini mei? Ille in ſeptuageſimo & ſeptimo numero ignoſcendi limitem fixit, hunc ego limitem tranſilire præſumam? Non eſt uerum, non ſum auſus plus aliquid. Ipſum dominũ meũ audi loquẽtem in Apoſtolo ſuo, ubi modus & nu
Coloſ. 3. merus præfixus non eſt. Ait enim, Donantes uobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut deus in Chriſto donauit uobis. Audiſtis formam. Si ſeptuagies ſepties peccata tibi Chriſtus donauit, ſi hucuſq; ignouit, & ultra negauit, pone & tu limitem, & ulterius noli ignoſcere. Si B autem Chriſtus milia peccata peccatorum inuenit, & tamen omnia donauit, noli ſubducere miſe ricordiã, ſed poſce illius numeri ſolutionem. Non enim ſine cauſa dominus ſeptuagies ſepties dixit, cum omnino nulla culpa ſit quam non debeat ignoſcere. Ecce ille ipſe ſeruus, cuius debẽtis inuentus eſt debitor, decem milia talentorum debebat. Puto enim quia decem milia talentorum, ut parũ ſit, decem milia peccatorum ſunt. Nolo enim dicere unum talentum, quod omnia peccata cõcludat. Seruus autem ille quantum ei debebat? Centum denarios debebat. Iam plus eſt quam ſeptuagies ſepties, & tamẽ iratus eſt dominus, quia non dimiſit. Non ſolum enim centum plus ſunt quàm ſeptuaginta ſeptem, ſed centum denarij forte mille aſſes ſunt. Sed quid ad decem milia talẽtorum? C Ac per hoc omnes culpas quæ in nos committuntur, parati ſimus ignoſcere, ſi nobis deſideramus ignoſci. Si enim conſideremus peccata noſtra & numeremus, quid facto, quid oculo, quid aure, quid cogitatiõe, quid innumerabilibus motibus, neſcio utrum dormiamus ſine talento. Ergo quotidie petimus, quotidie diuinas aures orando pulſamus, quotidie nos proſternimus & dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus
Matt. 6 debitorib. noſtris. Quę debita tua? Omnia an aliquam partẽ? Reſpondebis, omnia. Sic ergo & tu debitori tuo. Hanc ergo regulam ponis, hanc conditionem loqueris. Hoc pacto & placito quando oras, cõmemoras ut dicas, Dimitte nobis, ſicut & D nos dimittimus debitoribus noſtris. Quid ſibi ergo uult ſeptuagies ſepties? Audite fratres magnũ
Lucæ 3 myſterium, admirabile ſacramentũ. Quando dominus baptizatus eſt, Lucas euangeliſta ſanctus ibi cõmemorauit generationes eius, quo ordine, qua ſerie, quo ſtẽmate ad illam generationẽ uentum fuerit, qua natus eſt Chriſtus. Matthæus cœpit ab Abrahã, & uenit uſq; ad Ioſeph deſcẽdẽdo. Lucas aũt aſcendendo cœpit numerare. Quare ille deſcendendo, iſte aſcendẽdo? Quia Matthæus generationẽ Chriſti cõmemorabat qua deſcendit ad nos, ideo quando natus eſt Chriſtus, cœpit numerare deſcendendo. Lucas aũt quia tunc cœpit numerare, quãdo baptizatus eſt Chriſtus, ibi eſt initiũ aſcenſionis. Iſte aſcendendo numerare cœpit, numerando autem cõpleuit generationes ſe- A ptuaginta & ſeptẽ. A quo numerabat? Intendite à quo. Exorſus eſt numerare uſq; ad ipſum Adam, qui primus peccauit, & nos cũ peccati obligatione generauit. Peruenit uſq; ad Adã, & numerantur generationes ſeptuaginta ſeptem, Hoc eſt, à Chriſto uſque ad Adam, quas diximus ſeptuaginta ſeptem. Et ab Adam uſque ad Chriſtum ſeptuaginta ſeptem. Si ergo nulla generatio prætermiſſa eſt, nulla culpa præteritur, ubi non debet ignoſci. Nam ideo ipſius ſeptuaginta ſeptem generationes enumerauit, quẽ numerũ dominus in peccatorum remiſſione cõmendauit, quoniam à baptiſmo cœpit numerare, ubi omnia peccata ſoluuntur. Et in hoc fratres adhuc accipite ſacramentum maius. In ſeptuageſimo ſeptimo numero, myſterium eſt remiſſionis peccatorum. Tot generationes inueniuntur à Chriſto uſq; ad Adam. Dein de paulo diligẽtius interroga ipſius numeri ſecretum, latebrasq; inquire, pulſa diligẽtius ut aperiatur tibi. Iuſtitia lege dei conſtat, Verum eſt. Nã lex in decem præceptis cõmendatur, ideo ille debebat decem milia talentorum. Ipſe eſt ille memorabilis decalogus ſcriptus digito dei, traditus populo per Moyſen famulum dei. Debebat ergo ille decem milia talentorũ, omnia peccata ſignificat propter numerũ legis. Debebat & ille cẽtũ denarios, non minus ab eodẽ numero. Nam & centies centum fit decem milia, & decies deni fit centum. Et ille decem milia talentorum, & ille decies dena. A legitimo enim numero non receſſum eſt, in quo C utroq; inuenies utraq; peccata. Vterq; debitor, & uterq; ueniæ deplorator & impetrator, ſed ille ſeruus malus, ſeruus ingratus, iniquus, noluit rependere quod accepit, noluit præſtare quod illi indigno præſtitum fuit. Videte ergo fratres. Quiſquis incepit à baptiſmo liber exit, dimiſſa ſunt illi decẽ milia talentorũ, & cum exierit, inuenire habet cõſeruum ſuum debitorẽ. Obſeruet ergo ipſum peccatum, qui numerus undenarius tranſgreſſio legis eſt. Lex enim denarius, peccatum undenarius. Lex enim per decem, peccatũ per undecim? Quare peccatum per undecim? Quia trãſgreſſio denarij eſt ut eas ad undenariũ. In lege autem modus fixus eſt, trãſgreſſio autem peccatum eſt. Iam ubi trãſgrederis denarium, ad undenarium uenis. A- D deo magnum myſteriũ figuratum eſt, quando iuſſum eſt tabernaculum fabricari. Multa ibi numeroſa dicta ſunt, in magno ſacramento, Inter cętera uela cilicina iuſſa ſunt fieri, non decem, ſed undecim, quia per cilicium oſtenditur confeſſio peccatorum. Quid autem amplius quæris? Vis noſſe omnia peccata cõtineri numero iſto ſeptuageſimo ſeptimo? Septimũ ſolet pro toto computari, quoniam ſeptem diebus uoluitur tempus. Et finito ſeptenario, rurſus ad caput reditur, ut eadem forma uoluatur. Per huiuſmodi formę reuolutiones ſecula tranſeunt, à ſeptenario tamen numero non recedũt. Omnia enim peccata dixit, quãdo ſeptuagieſſepties dixit, quia illud undecim ductum ſepties, fiũt ſeptuagieſſepties. Omnia ergo dimitti peccata Exodi 36.

uoluit

uoluit, qui ea septuagesimo septimo numero presignauit. Nemo cõtra se teneat nõ ignoscẽdo, ne cõ
A tra illũ teneatur quãdo orat. Dicit illi deus, Dimit te, & dimittuntur tibi, Si ego prior dimisi, dimitte uel postea. Nam si non dimiseris, reuocabo te, & quicquid tibi dimiseram, replicabo tibi. Nõ enim mentitur ueritas, non fallit, aut fallitur Christus,
Matt. 18 qui subiecit, dicens, Sic & uobis faciet pater uester qui in cœlis est. Inuenis patrem, imitare patrem. Si enim imitari non uis, exhæredari disponis. Faciet ergo uobis ista, inquit, pater uester cœlestis, si non remiseritis unusquisq; fratrib. uestris ex cordibus uestris. Ne dicas in lingua, ignosco, et corde differas, Supplicíũ enim ostendit tibi deus, minãdo uindictam. Nouit deus ubi dicas. Vocem tuam homo audiuit, conscientiam tuam deus con
B spicit. Si dicis dimitto, dimitte. Melius est cum clamas ore & dimittis in corde, quàm blandus ore, crudelis in corde. Iam ergo obsecrant pueri indisciplinati & nolũt uapulare, qui sic præscribunt nobis quando uolumus dare disciplinam, Peccaui, ignosce mihi. Ecce ignoui, & iterum peccat. Ignosce, ignoui. Peccat tertio, Ignosce, tertio ignoui. Iam quarto uapulet. Et ille, Nunquid septuagies septies te fatigauit? Si hac præscriptione seueritas disciplinæ dormiat, repressa disciplina seuit impunita nequitia. Quid ergo faciendum est? Corripiamus uerbis, & si opus est & uerberibus, sed delictum dimittamus, culpam de corde abijciamus: ideo enim dominus subdidit, De cordib. uestris, ut si per charitatem imponitur disciplina, de cor-
C de lenitas nõ recedat. Quid enim tam pium q̃ medicus ferens ferramentum? Plorat secandus & secatur, plorat urendus et uritur. Non est illa crudelitas, absit ut sæuitia medici dicat̃. Sæuit in uulnus ut homo sanet̃, quia si uulnus palpetur, homo perditur. Sic ergo ista monuerim fratres mei, ut fratres nostros q̃ peccauerint omnimodo diligamus de corde nostro. Charitatẽ in eos nõ dimittamus, et disciplinã cum opus est demus, ne per solutionẽ disciplinę crescat nequitia, & incipiamus propter
1. Tim. 5 deũ accusari, quia recitatũ est nobis, Peccantes coram omnib. corripe, ut cæteri timorẽ habeãt. Certe si quis q̃ solũ est uerũ distinguit tempora, & soluit quæstionẽ, uerũ est. Si peccatũ in secreto est, in secreto corripe. Si peccatũ publicũ est & apertũ, publice corripe, ut ille emendet̃, & cæteri timeãt.

De eo, de quo supra, Si peccauerit in te frater tuus, &c. Et de uerbis Salomonis, Annuens oculis cum dolo, cõgerit hominibus mœstitiam. Qui autem arguit palam, pacem facit.

Sermo XVI.

A DMONET nos dominus noster non ne-
A gligere inuicem peccata nostra, non quærendo quid reprehendas, sed uidẽdo quid
Matt. 6. corrigas. Eius quippe dixit acutũ oculum ad eijcendam festucã de oculo fratris sui, qui trabem in oculo suo non habet. Quid aũt hoc sit, breuiter insinuo charitati uestræ, Festuca in oculo ira est, Trabes in oculo odiũ est. Quãdo ergo qui odit reprehẽdit irascẽtẽ, festucã uult de oculo fratris tollere, sed trabe impeditur quam ipse portat in ocu
lo suo. Festuca initiũ trabis est. Nam trabes quando nascitur, prius festuca est. Rigando festucam perducis ad trabem, Alendo iram malis suspicionibus perducis ad odium. Multum autem interest inter peccatum irascẽtis, & crudelitatem odio habentis. Nam & filijs nostris quãdoq; irascimur. Odisse uero filios quis inuenitur? In ipsis quoque pecoribus mater aliquando bucula fugentem uitulum tædio quodam auertit irascens, sed uisceribus amplectitur matris. Quasi tædium facit cum impingit, quæritur tamen si deest. Nec damus aliter filijs disciplinam, nisi aliquantum irascendo & indignando, nec tamen daremus disciplinam, nisi amando. Vsqueadeo non omnis qui irascitur
B odit, ut aliquando magis odisse conuincatur qui non irascitur. Fac enim puerum in aqua fluminis ludere, cuius impetu pereat, tu si uides & patienter permittis, odisti. Tua patientia illius mors est. Quanto melius est si irasceris & corrigis, quàm si non irascendo interire permittis? Odiũ ergo ante omnia uitandum est, trabes de oculo eijciẽda est. Multum quippe aliud est quando quisq; irascens in aliquo uerbi modũ excedit, quod postea deleat pœnitendo, & aliud est seruare insidias inclusas in corde. Multum postremo interest inter hęc uerba scripturæ, Turbatus est præ ira oculus meus. Psal. 6.
De illo autem quid dictum est? Qui odit fratrem 1. Ioan. 3
suum homicida est. Multum interest inter turbatum oculum & extinctum. Festuca turbat, trabes
C extinguit. Hoc ergo primũ nobis persuadeamus, ut quod hodie admoniti sumus bene facere atq; implere possimus, ante omnia non odisse. Tunc em̃ quãdo trabes non est in oculo tuo, uides recte quicquid fuerit in oculo fratris tui, & uim pateris donec eijcias de oculo fratris tui, qd̃ uides nocere oculo fratris tui. Lumẽ quod in te est, nõ te permittit negligere lumen fratris tui. Nam & si odisti, & uis corripere, quomodo emendas lumẽ qui perdidisti lumen? Dixit enim & hoc aperte eadẽ scriptura, ubi dictũ est: Qui odit fratrẽ suum homicida est. Qui odit, inquit, fratrem suũ in tenebris est usq; adhuc. Odium tenebræ sunt. Non potest autẽ fieri, ut qui odit alterum non sibi prius noceat. Illũ enim lędere conatur extrinsecus, se uastat intrinse
D cus. Quantum autem animus noster corpore maior est, tantum ei prospicere debemus ne ipse lædatur. Lædit aũt animum suum, qui odit alterum. Et quid facturus est ei quem odit? Quid facturus? Tollit pecuniam, nunquid fidem? Lædit famam, nunquid conscientiam? Quicquid nocet, forinsecus nocet. Sibi attendat quid noceat. Intus em̃ sibi ipse inimicus est, qui odit alterum. Sed q̃a non sentit quid sibi mali faciat, in alterum sæuit, eo periculosius uiuens, quo non sentit quid secum mali agat, quia & sæuiendo sensum perdit. Sęuisti in inimicum tuũ, te sæuiẽte, ille nudatus est, tu iniquus es. Multũ interest inter nudũ & iniquũ. Ille perdidit pecuniã, tu innocẽtiã. Quære q̃s grauius damnũ perpessus est, Ille perdidit rẽ perituram, tu factus es periturus. Ideo debemus amãdo corripere, non

nocendi

nocendi cupiditate, sed studio corrigẽdi. Tales si
Matt. 8 fuerimus, optime facimus quod hodie admoniti A sumus. Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum.] Quare illum corripis? Quia tu doles quòd peccauerit in te. Absit. Si amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, optime facis. Denicq; in ipsis uerbis attende, cuius amore id facere debeas, utrum tui aut illius. Si te audierit, inquit, lucratus es fratrem tuum:] Ergo propter illum fac ut lucreris illum. Si faciendo lucraris, nisi fecisses perierat. Quid est ergo q̃d plericq; homines ista peccata contemnunt & dicunt, Quid magnum feci? In hominẽ peccaui. Noli contemnere. In hominẽ peccasti, uis nosse quia in hominem peccando peristi? Si te ille in quem peccasti corripuerit inter te & ipsum solum, & audieris
B illum, lucratus est te. Quid est, lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucrarer̃ te? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo cõtemnat, quando peccat in fratrem. Ait enim quodam
1 Cor. 8 loco Apostolus, Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, ideo quia membra Christi omnes facti sumus. Quomodo non peccas in Christum, quia peccas in membrum Christi? Nemo ergo dicat, quia nõ peccaui in deum, sed peccaui in fratrem. In hominem peccaui, leue peccatum est, aut nullum peccatum. Forte inde dicis, leue est, quia cito curatur. Peccasti in fratrem, fac satis & sanatus es. Cito fecisti mortiferam rem, sed remedium cito inuenisti. Quis nostrum speret regnum C cœlorum fratres mei, quando dicit Euangelium,
Matt. 5 Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis? Magnus terror, sed uide ubi remedium. Si obtuleris munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare. Non irascitur deus, quia differs imponere munus tuum. Te quærit deus magis quàm munus tuum. Nam si malum animum gerens aduersus fratrem tuum, adueneris cum munere ad deum tuum, respõdet tibi. Tu peristi, mihi quid attulisti? Offers munus tuum, & tu non es munus dei. Plus quærit Christus quem redemit sanguine suo, q̃ qd̃ tu inuenisti in horreo tuo. Ergo relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens D offer munus tuum. Ecce ille reatus gehẽnæ quàm cito solutus est. Nondum reconciliatus, eras gehennæ reus: reconciliatus, securus offers munus tuum ad altare. Homines autem faciles sunt ad irrogandas iniurias, & difficiles ad concordiam requirẽdam. Pete, inquit, ueniam ab homine quem læsisti. Respõdet. Non me humiliabo. Vel deum
Luc. 14 tuum audi, si fratrem tuum contemnis, Qui se humiliat, exaltabitur. Non uis te humiliare qui cecidisti? Multum interest inter se humiliantem, & interiacentem. Iam iaces, & humiliare te non uis? Bene diceres, nolo descendere, si noluisses ruere. Hoc ergo debet facere qui fecit iniuriam. Qui autem passus est, quid debet? Quod audiuimus hodie. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum in ter te & ipsum solũ. Si neglexeris, peior es. Ille in-
A iuriam fecit, & iniuriã faciendo graui seipsum uulnere percussit, tu uulnus fratris tui contẽnis? Tu eũ uides perire & negligis? Peior es tacẽdo q̃ ille conuiciãdo. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnã curã, non pro nobis (Nam gloriosum est iniurias obliuisci) sed obliuiscere iniuriam tuã, non uulnus fratris tui. Ergo corripe inter te & ipsum solum, intuens correctioni, parcẽs pudori. Forte enim prę uerecũdia incipit defendere peccatũ suũ, & quemuis correctiorem, facis peiorem. Corripe ergo inter te & ipsum solũ. Si te audierit, lucratus es fratrem tuũ, quia perierat nisi faceres. Si aũt non te audierit,] id est, peccatũ suum quasi iustitiã defenderit, Adhibe tecum duos
B uel tres: quia in ore duorũ uel triũ testiũ stat omne Deu. 17
uerbũ. Si nec ipsos audierit: sit tibi sicut ethnicus & publicanus.] Noli illũ deputare iã in numero fratrũ tuorũ, nec ideo tamẽ salus eius negligenda est. Nam & ipsos ethnicos, id est, gẽtiles, & paganos in numero quidem fratrũ non deputamus, sed tamen eorũ salutem inquirimus. Hoc ergo audimus dominũ ita monentẽ, & tãta cura præcipientem, ut etiam hoc adderet continuo, Amen dico Matth. 18
uobis, quæcũq; ligaueritis super terrã, ligata erunt & in cœlo, & quęcũq; solueritis super terram, soluta erunt & in cœlo. Cœpisti habere fratrẽ tuũ tanquam publicanũ, ligas illũ in terra, sed ut iuste alliges uide. Nam iniusta uincula dirumpit iustitia. Si autẽ correxeris, & concordaueris cũ fratre tuo, soluisti illum in terra. Cum solueris in terra, solutus erit & in cœlo. Multum non tibi præstas sed illi, qui multum nocuit non tibi, sed sibi. Hæc cum ita sint, quid est quod ait Salomon, quod ex alia lectione primitus audiuimus? Annuens oculis, cũ dolo congerit hominib. mœstitiam, qui autem arguit palàm, pacẽ facit.] Quomodo corripis illum inter te & ipsum solum? Metuendũ est, ne sibi contraria sint præcepta diuina. Sed intelligamus esse ibi summam concordiam, non quemadmodum quidã uani sapiamus, qui errantes opinantur contraria sibi esse duo testamenta in libris ueterib. & nouis, ut ideo putemus hoc ipsum esse contrariũ, quoniã illud est in Salomonis libro, hoc in euan-
C gelio. Si enim aliquis imperitus & calumniator diuinarum scripturarũ diceret, Ecce ubi sibi contra-
D dicunt duo testamenta. Dominus dicit, Corripe illum inter te & ipsum solum, Salomon dicit, Qui arguit palam, pacẽ facit. ergo nescit dominus q̃d prę cepit. Salomon uult contundi frõtem peccantis, Christus parcit pudori erubescentis. Ibi enim scriptum est, Qui arguit palàm, pacẽ facit: hic autem, Corripe illum inter te & ipsum solum, nõ palàm, sed in secreto & occulte. Vis nosse q̃squis talia cogitas, non sibi repugnare duo testamenta, q̃a illud in libro Salomonis, hoc in euangelio reperitur? Apostolũ audi. Certe Apostolus minister est
nouí testamenti. Audi ergo Apostolum Paulum 1 Tim. 5
Timotheo pręcipientẽ & dicentẽ, Peccãtes corã omnibus argue, ut cęteri timorẽ habeant. Iam nõ Salomonis liber cum euãgelio, sed Pauli apostoli

epistola

epistola uidetur confligere. Salomonē paululum
sine iniuria seponamus, Christum dominum & A
Paulum seruum eius audiamus. Quid dicis domi-
ne? Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum in
1.Tim.5 ter te & ipsum solum. Quid dicis Apostole? Pec-
cantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem
habeant. Quid facimus? Controuersiam istam ue
lut iudices audimus? Absit. Imo sub iudice con-
stituti pulsemus, uti nobis aperiri impetremus, fu-
giamus sub alas domini dei nostri. Non enim A-
postolo suo contrarium locutus est, quia & in illo
2.Cor.13 ipse locutus est, sicut dicit, An uultis experimen-
tum eius accipere, qui in me loquitur Christus?
Christus in Euāgelio, Christus in Apostolo, Chri
stus ergo utrunque dixit: unum ore suo, alterum
ore præconis sui: quia quando præco de tribuna-
li aliquid dicit, non scribitur in gestis, præco di-
xit, sed ille dixisse scribitur, qui præconi quod di-
ceret imperauit. Duo ergo ista præcepta fratres sic B
custodiamus, ut intelligamus, et inter utraq; præce
pta pacati cōstituamur, cum corde nostro nos cō-
cordemus, et scriptura sancta in nulla parte discor
dat. Verum est enim omnino, utrumq; uerum est.
Sed discernere debemus, aliquādo illud, aliquan-
do illud esse faciendum: aliquando corripiēdum
fratrem inter te & ipsum solum, aliquando corripi
endum fratrem coram omnibus, ut & cæteri timo
rem habeant. Si aliquando illud, aliquando illud
fecerimus, concordiā scripturarum tenebimus, &
in faciendo atq; temperando non errabimus. Sed
dicit mihi aliquis, Quando facio illud, quando il-
lud: ne tunc corripiam inter me & ipsum solum, C
quādo debeo coram omnibus corripere: aut tunc
corripiam coram omnibus, quando debeo in se-
creto corripere? Cito uidebit charitas uestra, quid
quando facere debeamus, sed utinam facere pigri
non simus. Intendite & uidete, Si peccauerit, inq̄t,
in te frater tuus, corripe eū inter te & ipsum solū.
Quare? Quia peccauit in te. Quid est, in te pecca-
uit? Tu scis, quia peccauit. Quia ēm secretum fuit,
quādo in te peccauit, secretū quære cū corrigis q̄d
in te peccauit. Nā si solus nosti quia peccauit in te,
& eum uis coram omnibus arguere, non es corre
Matt.1 ptor sed proditor. Attendite quemadmodum uir
iustus Ioseph, tanto flagitio quod de uxore fuerat
suspicatus, tanta benignitate pepercit, antequam
sciret unde illa conceperat, quia grauidā senserat
& se ad illam nō accessisse nouerat. Restabat itaq;
certa adulterij suspicio, & tamē qa ipse solus sense
rat, ipse solus sciebat, quid de illo ait Euāgelium?
Ioseph autem cum esset uir iustus, & nollet eam di
uulgare. Mariti dolor, non uindictā quæsiuit. Vo-
luit prodesse peccanti, non puniri peccantē. Cum
inquit, nollet eā diuulgare, uoluit eam occulte di-
mittere. Hæc eo cogitāte, ecce angelus domini ap
paruit ei in somnis, & indicauit quid esset, quia nō
uiolauit uiri thorum, quia de spiritu sancto conce
perat dominum amborum. Peccauit ergo in te fra
ter tuus, si tu solus nosti, tunc uere in te solum pec-
cauit. Nam si multis audientibus tibi fecit iniuriā,
& in illos peccauit, quos testes suæ iniquitatis esse
cit. Dico ēm fratres charissimi, quod & uosipsi in
uobisipsis potestis agnoscere, Quādo me audien-
te, fratri meo quisq; iniuriā facit, absit ut à me iniu-
riā illā alienā putē. Prorsus & mihi fecit, imò mihi
plus fecit, cui putat placere q̄ fecit. Ergo ipsa cor-
ripienda sunt corā omnibus, quæ peccantur coram
omnibus. Ipsa uero corripiēda sunt secretius, quæ
peccantur secretius. Distribuite tēpora, & concor
dat scriptura. Sic agamus, & sic agendum est, non
solum quando in nos peccatur, sed quando pecca
tur ab aliquo, ut ab altero nesciat, in secreto debe-
mus corripere, in secreto arguere, ne uolētes pub-
lice arguere, prodamus hominem. Nos uolumus
corripere & corrigere, quid si inimicus quærit au-
dire quod puniat? Nouit enim nescio quem homi
cidam episcopus, & alius illum nemo nouit, Ego
uolo illum publice corripere, et tu quæris inscribe
re. Prorsus nec ꝓdo, nec negligo, corripio in secre
to, pono ante oculos dei iudicium, terreo cruentā
conscientiam, persuadeo pœnitentiam. Hac chari
tate prediti esse debemus. Vnde aliquando homi
nes reprehendunt nos, quod quasi non corripiā-
mus, aut putāt nos scire quod nescimus, aut putāt
nos tacere quod scimus. Sed forte quod scis & e-
go scio, sed non coram te corripio, quia curare uo
lo, nō accusare. Sunt homines adulteri in domib.
suis, in secreto peccant, aliquando nobis produnt
ab uxoribus suis plerunq; zelantibus, aliquando
maritorum salutem quærentibus, nos non prodi-
mus palàm, sed in secreto arguimus. Vbi contigit
malum, ibi moriatur malum. Non tamen uulnus
illud negligimus, ante omnia ostendētes homini
in tali peccato constituto, sauciamq; gerenti cōsci
entiā, illud uulnus esse mortiferū: quod aliquādo
q̄ cōmittunt, nescio qua peruersitate contēnunt,
& nescio unde sibi testimonia nōnulla & uana cō
quirunt, dicentes, Peccata carnis deus non curat.
Vbi est q̄ hodie audiuimus, Fornicatores & adul Heb.13.
teros iudicat deus? Ecce quod attēde, quisquis ta-
li morbo laboras, quod dicit deus audi, non quod
tibi dicit fauēs peccatis tuis amicus tuus, aut eadē
tecū iniquitatis catena ligatus amicus tuus, uel po
tius inimicus tuus & suus. Audi ergo quod dicit
Apostolus, Honorabiles, inquit, nuptiæ in omni- Heb 13
bus, & thorus immaculatus. Fornicatores aūt &
adulteros iudicat deus. Age ergo frater, esto corre
ctus. Times ne te inscribat inimicus, & non times D
ne te iudicet deus? Vbi est fides, time cū est quan-
do timeas. Longe est quidem dies iudicij, sed uni-
uscuiusq; hominis dies ultimus longe esse non po
test, quia breuis est uita. Et quia ipsa breuitas sem-
per incerta, quādo sit dies tuus ultimus, nescis. Cor
rige te hodie propter cras. Prosit tibi & modo in
secreto correctio. Palàm ēm loquor, & in secreto
arguo. Aures omniū pulso, sed cōsciētias quorun
dā cōuenio. Si dicerē, tu adulter corrige te, primo
forte dicerē quod nescirē, forte q̄d temere audie-
rā suspicarer. Nō dico, tu adulter corrige te, sed qs-
qs in hoc populo adulter es corrige te. Publica est
correptio, sed secreta correctio. Scio, qa ille q timu
erit, corrigit se. Non dicat qs in corde suo, peccata
carnis

1 Cor.3 carnis non curat deus. Nescitis, inquit, Apostolus
quia templū dei estis, & spiritus dei habitat in uo- A
bis? Quisquis templū dei uiolauerit, disperdet illū
deus, Nemo se fallat, Sed forte ait aliquis, Templū
dei animus meus est, non corpus meum, adiecit e-
1 Pet.1 tiam testimoniū: Omnis caro fœnum. Infœlix in-
terpretatio, punienda cogitatio. Fœnum dictū est
caro, quia moritur, sed quod ad tempus moriē, nō
resurgat cum crimine. Vis nosse apertam inde sen
1.Cor.6 tentiam? Nescitis, inquit idē Apostolus, quia cor-
pora uestra templū in uobis est spiritus sancti, quē
habetis à deo. Contemnis corporale peccatū, cō-
temnas quod peccas in templū, ipsum corpus tuū
templum in te est spiritus sancti. Iam uide quid fa-
cias de templo dei. Si eligeres in ecclesia facere a-
dulterium intra istos parietes, quid te esset scelera B
tius? Modo aūt tuipse es templum dei, templū in-
tras, templū exis, templū in domo tua manes, tem
plum surgis. Vide quid agas, uide ne offendas tē-
pli habitatorē, ne deserat te & in ruinam uertaris.
Nescitis, inquit, quia corpora uestra (& hoc de for
nicatione loquebat Apostolus, ne contemnerent
corporalia peccata) templum in uobis est spiritus
sancti quē habetis à deo, & non estis uestri. Empti
enim estis precio magno. Si cōtemnis corpus tuū,
consydera precium tuum. Scio ego & mecum om
nis homo qui paulo attētius cōsyderauerit, nemi-
nem deum timentem sub uerbis eius non se corri-
gere, nisi qui putat quia plus habet uiuere. Ipsa res
est quę multos occidit, cū dicunt, cras, cras, & subi
to ostiū clauditur. Remāsit foris cū uoce coruina, C
quia nō habuit gemitum columbinum. Cras, cras,
corui uox. Geme ut columbus, & tūde pectus, sed
plagas tibi dando in pectus, cæsus correctus esto,
ne non uidearis cōscientiam cædere, sed malā con
scientiam pugnis pauimento solidiorem reddere,
non correctiorem. Geme nō inani gemitu. Forte
enim dicis tibi, promisit mihi deus indulgentiam,
quando me correxero, securus sum: lego diuinam
Ezech.18 scripturā: Iniquus in qua die cōuersus fuerit ab ini
quitatibus suis, & fecerit iustitiā, omnes iniquita-
tes eius obliuiscar. Securus sum, quando me corre
xero, dat mihi deus indulgentiā de malis meis. Et
quid ego dicturus sum cōtra deū? Reclamaturus,
dicturus sum deo, noli illi dare indulgētiā? Dictu-
rus sum hoc scriptū non esse, hoc deum nō promi-
sisse? Si ista dixero, omnia falsa dico. Bene dicis, ue
rum dicis. Indulgentiam correctionis tuæ promi-
sit deus, negare non possum, sed dic mihi rogo te:
Ecce ego consentio & cōcedo & cognosco, quia
indulgentiā deus promisit tibi. Crastinū enim diē,
quis tibi promisit? Vbi mihi legis indulgentiā te
accepturum si te correxeris, lege ibi mihi quātum
uicturus sis. Nō lego inquis. Nescis ergo quātum
uicturus sis. Esto correctus & semper paratus. No
li timere diem ultimū tanquam furem, qui dormi-
enti perfodiat parietem, sed uigila & corrige te ho
die. Quid differs in crastinum? Lōga uita erit. Ipsa
longa bona sit. Prandium bonum longum nemo
differt, & uitam malam longam uis habere? Vtiq;
si longa erit, melius bona erit. Si breuis erit, bene

factum est ut bona produceretur. Sic autem homi
nes negligunt uitam suam, ut nolint habere malā
nisi ipsam. Villam emis, bonam quæris. Vxorem
uis ducere, bonam eligis. Filios tibi uis nasci, bo-
nos optas. Caligas locas & nō uis malas, & uitam
amas malam? Quid te offendit uita tua, quam solā
uis malam, ut inter omnia bona tua solus sis ma-
lus? Ergo fratres mei si aliquem uestrum uellem
in parte corripere, forte audiret me, multos uestrū
publice corripio, omnes me laudant. Audiat me
aliquis: non amo in uoce laudatorem, & in corde
contemptorem. Cum enim laudas & non te corri
gis, cōtra te testis es. Si malus es, & quod dico pla
cet tibi, displicet tibi, quia si malus displicueris ti-
bi, correctus placebis tibi. Quod nudiustertius, ni
fallor, dixi, in omnibus uerbis meis speculū propo B
no. Nec mea ista sunt uerba, sed domino iubente
loquor, quo terrente non taceo. Nam quis nō eli-
geret tacere, & rationem de uobis non reddere?
Sed iam suscepimus onus, quod ab humeris no-
stris excutere non possumus nec debemus: audi-
stis fratres mei, cum epistola ad Hebræos legerē:
Obedite præpositis uestris & subditi estote, quia Heb.13
ipsi uigilant pro animabus uestris, tanquā rationē
reddituri pro uobis, ut cum gaudio hoc faciant &
non cū tristicia: Non enim expedit uobis. Quan-
do facimus ista cum gaudio? Quādo uidemus ho-
mines proficere in uerbis dei. Quando laborat cū
gaudio operarius in agro? Quando attendit in ar-
borem & fructum uidet, quando attendit segetē
& in fructu areæ prospicit ubertatem, nō sine cau C
sa laborauit, non sine causa dorsum curuauit, non
sine causa manus attriuit, non sine causa frigus &
æstus tolerauit: hoc est quod ait, Vt cum gaudio
hoc faciant & non cum tristicia: Non enim expe-
dit uobis. Nunquid dixit, non illis expedit? Sed di
xit, non expedit uobis. Nam illi præpositi quando
contristantur de malis uestris, expedit illis, ipsa tri
sticia prodest illis, sed nō expedit uobis. Nihil au-
tem nobis uolumus expedire, quod non expedit
uobis. Simul ergo in dominico agro fratres bonū
operemur, ut simul de mercede gaudeamus.

De eo quod scriptum est in Euangelio secundum
eundem. Si uis uenire ad uitam serua
mandata. Sermo XVII

D IXIT dominus cuidam adolescenti. A
D Si uis uenire ad uitā: serua mandata,] Matt.19

Non dixit, si uis uenire ad uitam æternā,
sed si uis uenire ad uitā, eam definiens uitam quæ
fuerit eterna uita. Huius ergo uitæ amorē nos pri-
mitus cōmendemus. Etenim amatur qualiscunq;
uita ista, & ipsam qualemcunq; erumnosam, mise
ram finire homines timent & pauescunt. Hinc ui-
dendum est, hinc consyderandū, quemadmodum
amāda sit æterna uita, quando sic amat misera ista
& quandoq; finiēda uita, Consyderate fratres quā
tum amanda sit uita, ubi nunq; finias uitam. Amas
ergo istā uitam ubi tātū laboras, curris, satagis, an-
helas, & uix enumerant quæ necessaria sunt in mi
sera uita: Seminare, arare, nouellare, nauigare, mo
lere, coquere, texere, et post hęc omia finire habes.

uitã. Ecce quæ pateris in misera ista quã diligis uita, & putas te semper uiciturũ, & nunq̃ moriturũ? A
Tẽpla, saxa, marmora, ferro plumboq̃ cõsolidata, tamen cadunt, & homo nũquam se putat moriturum? Discite ergo fratres quærere ęternam uitam, ubi ista non tolerabitis, sed in æternũ cum deo regnabitis. Qui enim uult uitam, sicut dicit prophe-
Psal.33 ta, diligit dies uidere bonos. Nam in diebus malis mors potius optatur quàm uita. Nonne audimus & uidemus homines in aliquibus tribulationibus & angustijs & cõflictationibus & ægritudinibus dũ sunt constituti, & uident se laborare, nihil aliud dicere nisi, Deus mitte mihi mortẽ, accelera dies meos, & aliquando uenit ęgritudo, curritur, adducuntur medici, solidi & munera promittuntur. Dicit tibi ipsa mors: Ecce assum, quã pauloante à domino petebas, quid me modo fugere uis? Inueni
te falsatorem, & miseræ uitæ amatorem, de his au-
Ephe.5 tem diebus quos agimus, ait Apostolus, Redimẽtes tempus, quoniam dies mali sunt. Non sunt ergo dies mali quos agimus in corruptela huius carnis, in tanta uel sub tanta sarcina corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tãtas difficultates, ubi falsa uoluptas, nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas auida, tristitia arida? Ecce quàm malos dies, & nemo uult finire ipsos malos dies, multumq̃ hinc rogant homines deum ut diu uiuant. Quid est autem diu uiuere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu uiuere, nisi malos dies malis diebus addere? Et cum crescunt pueri, quasi accedunt illis dies & nesciunt quia minuuntur, & ipsa est falsa computatio. Crescentibus enim dece dunt dies potius quàm accedunt. Constitue alicui homini nato, uerbi gratia, octoginta annos, quicquid uiuit de summa minuit. Et inepti homines gratulantur plurimis natalicijs, tam suis, q̃ filiorũ suorum. O uirum prudentem, si tibi unum minuatur in utre, tristaris, dies perdis & gaudes? Mali ergo sunt dies, & eo peiores quia diligunt. Sic blanditur hic mũdus, ut nemo uelit finire ærumnosam uitam. Vera enim uita uel beata hæc est, cum resurgemus & cum Christo regnabimus. Nam & impij resurrecturi sunt, sed in ignem ituri. Vita utiq̃ nõ est nisi beata. Et uita beata esse nõ potest nisi æterna, ubi sunt dies boni, nec multi sed unus. Ex consuetudine huius uitæ appellati sunt. Dies ille nescit ortũ, nescit occasum. Illi diei nõ succedit crasti D
nus, quia non præcedit eum hesternus. Hunc diẽ uel hos dies & hanc uitam & ueram uitam in promissis habemus. Alicuius ergo operis merces est. Si enim mercedem amamus, in opere non deficiamus, & in æternum cum Christo regnabimus.

Matt.20 De duobus cæcis sedentib. secus uiã & clamantibus: Domine miserere nostri fili Dauid, In euangelio secundum eundem. Sermo XVIII

A ENE nobiscũ nouit sanctitas uestra dominum nostrũ & saluatorẽ Iesum Christum medicum nostræ salutis esse & salutis æternæ: & ad hoc eum suscepisse infirmitatem
B naturæ nostræ ne sempiterna esset infirmitas nostra. Assumpsit enim corpus mortale in quo occideret mortem. Et quamuis crucifixus est ex infir-
A mitate nostra: sicut ait Apostolus, sed uiuit in uir- 2 Cor.13
tute dei: eiusdem Apostoli uerba sunt: Et quia iam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur. Rom.6
Hæc ergo bene nota sunt fidei nostræ, simul & hoc consequens est, ut nouerimus omnia miracula quę corporaliter fecit ualere ad admonitionem nostram, ut percipiamus ab eo quod non est trãsiturum neq̃ in fine abiturum. Oculos reddidit cæcis, quos erat utiq̃ mors aliquãdo clausura: resuscitauit Lazarum, iterum moriturum. Et quæcunque ad salutem corporum fecit, non ad hoc fecit ut sempiterna essent, cum tamen daturus sit etiam ipsi corpori in fine sempiternã salutem. Sed quia illa quę non uidebantur non credebantur, per ista temporalia quæ uidebantur ædificauit fidem ad
B illa quæ non uidebantur. Nemo itaque fratres dicat, non facere ista modo dominum nostrum Iesum Christum, & propter hoc præsentibus ecclesiæ temporibus priora præponere. Quodam quip peloco ipse dominus uidentibus & ideo credentibus, præponit eos qui non uident & credunt. Nanq̃ eousq̃ illo tempore discipulorum eius nutabat infirmitas, ut quem uidebant iam resurrexisse, etiam contrectandum putarent ut crederẽt. Non sufficiebat oculis quòd uiderent, nisi & manus admouerentur membris, & cicatrices recentium uulnerum tangerentur, ut ille qui dubitabat discipulus, repente tactis & cognitis cicatricibus, exclamaret, Dominus meus & deus meus. Cicatrices ostendebant eum, qui omnia uulnera in a-
C lijs sanauerat. Nunquid non poterat dominus sine cicatricibus resurgere? Sed in corde discipulorum uulnera nouerat, propter quæ sananda cicatrices in corpore suo seruauerat. Et quid dominus illi confitenti ac dicenti, Dominus meus & deus Iohn.20
meus? Quia uidisti, inquit, credidisti: beati qui nõ uiderunt & crediderunt. Quos dixit fratres, nisi nos? Non quia solos nos, sed & post nos. Post parum enim tempus postea quàm ab oculis mortalibus recessit ut firmaretur in cordibus, quicunq̃ crediderunt non uidentes crediderunt, & magnũ meritum habuit fides eorum, cui fidei comparandæ, cor tantum admouerunt pium, non & palpantem manum. Hæc ergo fecit dominus ut inuitaret ad fidem. Hæc fides nunc feruet in Ecclesia, toto orbe diffusa. Et nunc maiores sanitates operatur, D
propter quas non est dedignatus tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore, sic & melior salus animi, quàm salus corporis. Modo caro cæca non aperit oculos miraculo domini, & cor cæcũ aperit oculos sermone domini. Modo non resurgit mortale cadauer, resurgit anima quæ mortua iacebat in uiuo cadauere. Modo aures corporis surdæ non aperiuntur, sed quàm multi habent aures clausas cordis, quæ tamen uerbo dei penetrante pateſcũt, ut credãt qui non credebant, & bene uiuant qui male uiuebãt, & obediant qui non obediebãt, & dicimus ille credidit, ac miramur cũ audimus de his quos aliquãdo duros nouerамus. Cur ergo nũc miraris credentem

innocentem

innocentem, deo seruientem, nisi quia cõspicis uidentem quem noueras cæcum, cõspicis uiuentem A
quem noueras mortuũ, cõspicis audientem quem noueras surdũ? Nã uidete aliter mortuos, de quibus mortuis dicebat dominus cuidam ideo tardãti ne dominũ sequeretur, quia sepelire patrẽ uolebat, Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. Certe mortuos sepulturi nõ sunt corpore mortui, quia si hoc essent, mortua corpora sepelire nõ pos-
Matt.8 sent. Tamen mortuos eos uocat. Vbi, nisi intus in anima? Sicut enim etiã uisibiliter plerũq̃ in domo integra & salua, dominus eiusdẽ domus mortuus iacet: sic in corpore integro multi habẽt intus animam mortuam, & hos sic excitat Apostolus, Sur-
Eph.5 ge qui dormis, exurge à mortuis & illuminabit te Christus. Ipse illuminat excęcatũ, qui excitat mortuũ. Eius enim uoce per Apostolum clamatur ad B
mortuũ. Surge qui dormis. Cæcus luce illuminabitur cum resurrexerit. Surdos autem q̃ multos ante oculos suos dominus intuebat, cũ diceret, Qui
Matt.11 habet aures audiendi audiat. Quis enim ante illũ sine corporis auribus stabat? Quas ergo alias aures nisi interioris hominis requirebat? Itẽ quales oculos quærebat cũ loqueretur utiq̃ uidentibus, sed uidentibus per oculos carnis? Nam cum ei diceret Philippus, Domine ostende nobis patrẽ & sufficit nobis: bene quidẽ hoc intelligebat ut demõstratus pater posset sufficere, sed cui nõ sufficiebat æqualis patri, quomodo sufficeret pater? Quare aũt non sufficiebat? Quia nõ uidebatur. Quare nõ uidebat? Quia nõ erat sanus oculus unde possit uideri. Hoc enim quod in carne domini uidebatur, his oculis non soli discipuli uiderũt qui honorauerunt, sed & Iudæi qui crucifixerunt. Qui ergo aliter se uideri uolebat, alios oculos requirebat: & ideo sic respondit dicenti, Ostende nobis patrẽ & sufficit nobis: Tanto tempore uobiscũ sum & non me cognouistis? Philippe qui me uidet, uidet et patrẽ. Et ut interim fidei oculos sanaret, prius admonetur secundum fidem ut possit ad speciẽ peruenire. Et ne sic putaret Philippus cogitandũ deum quomodo uidebat in corpore dñm Iesum Christũ, statim subiecit, Non credis quia ego in patre & pater in me est? Iam dudum dixerat, Qui me uidet, uidet & patrem. Sed nondum habebat Philippus sanum oculũ unde uideret patrẽ, atq̃ ideo nec unde D
uideret ipsum filiũ patri coæqualẽ. Itaq̃ aciẽ mentis adhuc sauciã & tantam lucẽ aspicere nõ ualentem, sanandam atq̃ firmandã fidei medicamentis fomentisq̃ suscepit, & ait, Non credis, quia ego in patre & pater in me est? Qui ergo nondum potest uidere quod demõstraturus est dominus, nõ quęrat prius uidere quod credat, sed prius credat ut possit oculus sanari quo uideat. Sola enim forma serui exhibebat seruilibus oculis, quia ille qui nõ rapinam arbitratus est esse æqualis deo, si ab eis quos sanari uoluit ita uideri posset æqualis deo, nõ opus haberet semetipsum exinanire, & formã serui accipere. Sed quia nõ erat unde uideretur deus, & erat unde uideretur homo, qui deus erat factus est homo, ut id quod uidebatur sanaret illud unde

Aug.to.10

non uidebatur: ipse enim alio loco ait, Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Poterat Matt.5
utiq̃ Philippus respondere & dicere, Domine ecce te uideo. Talis ne est pater quale est hoc quod uideo, quoniam dixisti, Qui uidet me, uidet & patrem? Antequam hoc responderet Philippus, uel fortasse antequã cogitaret, cum dixisset dominus, Qui uidet me, uidet & patrem: continuo subiunxit, Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Illo enim oculo nondũ uidere poterat, nec patrem nec æqualem patri filiũ, sed ut sanaretur oculus ad uidendũ, inungendus erat ad credendum. Ideo antequam uideas quod uidere nõ potes, crede quod nondum uides. Ambula per fidẽ, ut peruenias ad speciem. Species non lætificabit in patria, quem fides non consolatur in uia: sic enim di
cit Apostolus: Quamdiu sumus in corpore, pere- 2.Cor.5
grinamur à dño. Statimq̃ subnectit quare à dño peregrinemur, quãuis iam crediderimus: Per fidẽ, inquit, ambulamus, non per speciem. Tota igitur opera nostra fratres in hac uita est, sanare oculum cordis unde uidetur deus. Ad hoc sacrosancta mysteria celebrãtur, ad hoc sermo dei prædicatur, ad hoc exhortationes ecclesiæ morales, id est, pertinentes ad corrigendos mores, ad emendãdas carnales concupiscentias, ad renũciandum non uoce tantum sed mutata uita huic seculo, ad hoc agunt quicquid agunt diuinæ sanctæq̃ literæ, ut purget illud interius ab ea re quæ nos impedit ab aspectu dei. Sicut enim oculus factus ad hanc lucem temporalem uidendam, & quamuis cœlestem tamen C
corpoream atq̃ conspicuam, non solum hominibus sed etiam uilissimis animãtibus: Ad hoc enim factus est ut hanc lucem uideat: tamen si aliquid iniectum fuerit uel irruerit unde turbetur, secludi tur ab hac luce, & quamuis eum sua præsentia circumfundat, ille tamẽ se auertit atq̃ absens est, Nõ solum aũt absens fit perturbatione sua à luce præsenti, sed etiam pœnalis illi est lux ad quam uidendam factus est. Sic & oculus cordis perturbatus atq̃ sauciatus auertit se à luce iustitiæ, nec audet eã contemplari nec ualet. Quid turbat oculum cordis? Cupiditas, auaricia, iniquitas, concupiscentia secularis, turbat, claudit, excæcat oculum cordis, Et tamen quõ quærit medicus cum oculus carnis turbatus est, quomodo non differtur ut aperiatur atq̃ purgetur & sanetur, unde lux ista uideatur? Currit, nemo requiescit, nemo differt si uel stipula in oculo cadat. Solẽ certe, quem sanis oculis uidere uolumus, deus fecit. Multo est utiq̃ lucidior ille qui fecit, nec huius generis lux est quæ pertineat ad oculum mentis. Lux illa est æterna sapientia. Fecit autem te deus ò homo ad imaginem suã: Darẽne tibi unde uideres solem quẽ fecit, & non tibi daret unde uideres eum qui te fecit? Cũ te ad imaginem suam fecerit, dedit & hoc. Vtrunq̃ dedit tibi, sed multum hos oculos exteriores diligis, multum illum interiorem negligis. Detritum portas atque sauciatum, pœna tibi est si se uoluerit ostendere fabricator tuus, pœna est oculo tuo antequam curetur atque sanetur. Nam & in paradi-

d 2 so pec-

so peccauit Adam, & abscondit se à facie domini, cũ haberet ergo cor sanum puræ conscientię, gau
A debat ad præsentiam dei. Postquam peccato oculus ille sauciatus est, cœpit lucem formidare diuinam, refugit in tenebras atq; in densa lignorũ, ueritatem fugiens, umbras appetens. Ergo fratres mei, quoniã & nos inde nati sumus: & sicut dicit
1 Cor. 13 Apostolus, In Adam omnes moriunt, omnes em̃ nos duo homines aliquando fuimus: si noluimus obtemperare medico ut nõ ægrotaremus, obtemperemus ut ab ęgritudine liberemur. Dedit nobis præcepta medicus sanis, dedit præcepta medicus
Matt. 9 ne medico indigeremus. Non opus est, inquit, sanis medicus, sed ægrotantibus. Sani pręcepta contempsimus, & experimento sensimus in quantam perniciem nostram præceptum illud contempserimus. Ægrotare iam cœpimus, laboramus in lecto, infirmati sumus, sed non desperemus. Quia enim ad medicũ uenire non poteramus, ipse ad nos uenire dignatus est. Non contempsit saucium contemptus à sano. Nõ destitit dare alia præcepta languenti, qui prima custodire noluit ne langueret: tanquam diceret, Certe experimento sensisti uerũ me dixisse, quando dixi, Noli tangere hoc. Sanare ergo tãdem & reuiuisce. Ecce porto infirmitatem tuam: Bibe amarum calicem, tu enim tibi fecisti. Præcepta illa mea quæ sano data sunt tam dulcia, non laboriosa contempta sunt. Cœpisti laborare, sanari non potes nisi amarum calicem biberis: Calicem tentationũ quibus abundat hæc uita, calicẽ tribulationũ, angustiarũ, passionum: Bibe, inquit, bibe ut uiuas. Et ne responderet ei languidus: Nõ possum, nõ fero, non bibo, prior biberat medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid em̃ amarum est in tali poculo quod ille nõ biberit? Si contumelia, prior audiuit cum dęmones expelle-
Lucæ 7 ret, Dæmoniũ habet, & quod in beelzebub eję́cit dæmonia. Vnde ut & ipse consolaretur ęgros, ait,
Matt. 10 Si patremfamilias beelzebub uocauerũt quanto magis domesticos eius? Si dolores amari sunt, ligatus & flagellatus & crucifixus est. Si mors amara est, etiã mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tẽpore fuit ignominiosius q̃ mors crucis. Non enim frustra cõmendans eius
Philip. 2 obedientiã Apostolus, addidit dicẽs, Factus obe-
D diens usq; ad mortẽ, mortem aũt crucis. Sed quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine huius seculi, prius honorauit crucem in hoc seculo, ut terrarum principes credentes in eũ prohiberent aliquem nocentiũ crucifigi, & quod cũ magna insultatione persecutores Iudæi domino procurarunt, magna fiducia serui eius etiã & reges in frõte nũc portant. Non tantum apparet modo qualem mortem pro nobis dominus subire dignatus est: sicut
Gal. 3 ait Apostolus, Factus pro nobis maledictũ, & cũ ei pẽdenti Iudæorũ cæcitas insultaret, posset utiq; descendere de cruce, qui si nollet, non esset in cruce, sed amplius erat de sepulchro resurgere, q̃ de cruce descẽdere. Hæc ergo dns faciens diuina, & patiẽs humana, admonet nos corporalib. miraculis & patientia corporali, ut credamus & sanemur:

ad conspicienda illa inuisibilia quæ carnis oculus
A nescit. Hoc ergo agens curauit cęcos istos de quibus nunc euangeliũ recitatum est, & in curãdo uidete quid admonuerit ægrotũ interiorem. Attendite ipsius facti exitum & ordinẽ rerum. Sedent illi in uia duo cæci, transeunte domino exclamabãt ut eorũ misereret. A turba uero quæ cũ dño erat, cõpescebantur ne clamarẽt. Neq; hoc sine mysterio derelictũ putetis. Illi aũt cõpescentẽ se turbam perseuerantissimo clamore uincebant, ut peruenire uox eorũ ad aures domini, quasi non iam ille cogitata cognosceret. Clamauerunt ergo duo cæci ut audirẽtur à domino, & turbis cõprimi nequiuerunt. Transiebat dominus, & illi clamabãt, Stetit dominus & sanati sunt: Nã stetit Iesus & uo-
B cauit eos, & ait: Quid uultis ut uobis faciã? At illi dixerunt, Vt aperiantur oculi nostri.] Pro fide illorum fecit dominus, instaurauit oculos eorũ. Si intellexerimus iam interiorem ęgrotũ, interiorem surdum, interiorem mortuũ, ibi quæramus & interiorem cæcum. Clausi sunt oculi cordis, transit Iesus ut clamemus. Quid est trãsit Iesus? Agit transitoria Iesus. Attendite & uidete quanta eius gesta transierunt. Natus est de uirgine Maria, nunquid semper nascitur? Infans lactatus est, nunquid semper sugit? Per ætates cucurrit usq; ad iuuentutem. Nũquid semper corporaliter crescit? Infantię puericia, puericiæ adolescentia, adolescentiæ iuuentus transeunti cedentiq; successit. Ipsa etiam quæ fecit miracula transierunt. Leguntur & credũtur.
C Quia enim talia scripta sunt ut legi possint, transiebant cum fierẽt. Postremo ne in multis moremur, crucifixus est, nunquid semper pendet in cruce? Sepultus est, resurrexit, ascendit in cœlũ, iam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur, & diuinitas eius semper manet, & immortalitas iã corporis eius nunq; deficiet. Sed tamẽ illa omnia quę temporaliter ab eo gesta sunt transierunt, & legẽda scripta sunt, & credẽda prædicantur. In illis ergo omnibus trãsijt Iesus. Quid duo cæci iuxta uiã sunt, nisi duo populi ad quos sanãdos uenit Iesus? Ostendamus hos duos populos in scripturis sanctis: est in euãgelio scriptũ: Habeo alias oues quæ
Ioan. 10 non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, ut sit unus grex & unus pastor. Qui sunt ergo
D duo populi? Vnus Iudæorũ, & alius gentiũ. Non
Matt. 15 sum missus, ait, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Quibus hoc dixit? Discipulis, quando illa Chananæa clamabat, quæ se esse canem cõfessa est ut micas de mensa dominorũ mereretur. Et quia meruit, iam duo demonstrati sunt ad quos uenerat, Iudaicus scilicet populus, de quo ait, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel: & gentiũ populus, cuius typũ prætendebat hæc mulier, quam primo respuerat, dicens, Non est bonũ sumere panem filiorũ & mittere canibus: & dicenti, Ita domine, nam & canes edunt de micis quę cadunt de mensa dominorum suorum, responderat,
Matt. 8 O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Inde enim erat & ille Cẽturio, de quo dicit idem dominus, Amen dico uobis, nõ inueni tantam fidem

in Israel: quia ille dixerat, Nõ sum dignus ut intres
A sub tectum meum, sed tantũ dic uerbo & sanabitur puer meus. Ita ergo dominus ante passionẽ & clarificationẽ suã duos iam populos designabat. Vnum ad quem uenerat, ꝓpter promissa patrũ, & al
Gen. 12 terum quẽ propter misericordiam nõ repellebat, ut impleret quod promissum erat Abrahæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Propterea & Apostolus iam post resurrectionem domini & ascensionẽ ubi cõtemptus est à Iudęis, perrexit ad gentes, nec tamẽ ecclesijs quæ de Iudæis crediderant tacuit: Eram, inquit, ignotus facie ecclesijs Iudææ quę sunt in Christo: Tantũ aũt audiebãt, quia qui aliquando nos persequebat̃, nũc euãgelizat fidem quã aliquando uastabat: & in me, inquit, magnificabant deũ. Sic & angularis lapis dicit̃ Christus, qui fecit utrunq; unũ. Angulus em̃ duos pa-
B rietes copulat de diuerso ueniẽtes. Quid tã diuersum, q̃ circũcisio & præputiũ? Habes unũ parietẽ
Psal. 117 de Iudæa, alterũ parietẽ de gentibus, sed angulari lapide copulant̃. Lapidẽ quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Angulus in ædificio nõ est, nisi cũ duo parietes ex diuerso ueniẽtes in illũ cõueniunt, & quadã unitate iunguntur. Isti ergo duo parietes secundũ typum, duo cæci erant clamantes ad dn̄m. Attendite nunc dilectissimi: Dominus trãsiebat, cæci clamabãt. Quid est trãsiebat? Transitoria opera faciebat, sicut iam diximus. Secundũ hæc transitoria opera fides nostra operat̃. Credimus enim in filiũ dei, nõ tantum quia uerbum dei est per quem facta sunt omnia: Si enim semper in forma dei manẽs æqualis deo, nõ semetipsum exinaniret formã serui accipiens, nec sentirent cæci ut possint clamare: Sed cũ operaret̃ trãsitoria, id est, humiliaret se, factus obediẽs usq; ad mortem, mortem aũt crucis: clamauerunt cęci,

Miserere nostri fili Dauid,] quia & hoc ipsum quod dominus & creator Dauid, etiã filius Dauid esse uoluit, in tempore hoc egit, trãsiens hoc fecit. Quid est aũt clamare ad Christũ, nisi gratiæ Christi cõgruere bonis operibus? Hoc dico fratres, ne forte simus strepentes uocibus & muti moribus. Quis est qui clamat ad Christum ut pellatur interior cæcitas trãseunte Christo, id est, dispẽsante nobis temporalia sacramenta, quibus admoneamur ad æterna capienda? Quis est qui clamat ad Christum? Qui contemnit mundum, clamat ad Christũ. Qui spernit seculi uoluptates, clamat ad Christum. Qui dicit nõ lingua, sed uita, Mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. Qui dispergit, dat pauperibus ut iustitia eius maneat in seculũ seculi, clamat ad Christum. Qui enim audit & nõ surdus audit: Res uestras uẽdite & date pauperibus: Facite uobis sacculos nõ ueterascentes, thesaurũ nõ deficientem in cœlis: tanq; uestigiorum sonitũ Christi transeuntis audiens clamet, adhuc cęcus: id est, faciat ista. Vox eius in factis sit, incipiat mundũ contemnere, inopi sua distribuere, pro nihilo habere quæ homines amant: contẽnat iniurias, nõ appetat uindicari, paret maxillã percutienti, oret p inimicis, si quis ei abstulerit sua non repetat, si quid

alicui abstulit, reddat quadruplũ. Cum ista facere
A cœperit, omnes sui cognati, affines, amici cõmouentur. Quid diligunt seculũ, contradicunt. Quid insanis? Nimius es. Nunquid alij nõ sunt Christiani? Ista stultitia est, ista dementia est, & cætera alia turba clamat. Ne cæci clamẽt, turba clamãtes corripiebat, sed eorũ clamores nõ uincebat. Intelligãt quid faciant, qui uolunt sanari: Et nunc Iesus transijt, qui iuxta uiam sunt clament. Hi sunt enim qui labijs honorant, cor autem eorum lõge est à deo. Ipsi sunt iuxta uiã, quibus præcipit dominus obtritis corde. Nam cum recitantur ea quæ fecit dominus transeuntia, semper nobis exhibetur transiẽs Iesus, quia usq; in finem seculi non desunt cæci sedentes ad uiam. Opus ergo est ut clamẽt illi iuxta uiam sedẽtes. Turba quæ cum domino erat, com-
B pescebat clamorem quærẽtium sanitatem. Fratres uidetis quid dicam, Nescio enim quomodo dicã, sed plus nescio quomodo taceam. Hoc dico & aperte dico. Timeo enim Iesum trãseuntem & manentem, & ideo tacere non possum. Bonos Christianos, uere studiosos, uolentes facere præcepta dei quæ in Euãgelio scripta sunt, Christiani mali, & tepidi prohibẽt. Turba ipsa quę cũ domino est, prohibet clamantes, id est, prohibet bene operantes, ne perseuerãdo sanent̃. Clament illi, non deficiant, neq; ducantur quasi autoritate turbarũ, nec eos qui priores Christiani facti sunt male uiuẽtes & bonis operibus inuidentes imitent̃. Non dicãt, quomodo isti uiuũt tam multi, sic uiuamus. Quare non potius quomodo dicit euãgelium? Quare
C uis uiuere secundum increpationem turbæ prohibentis, & non secundũ uestigia domini transeuntis? Insultabũt, uituperabũt, reuocabunt, tu clama quousq; peruenias ad aures Iesu. Nã qui perseuerauerit in faciendo talia qualia præcepit Christus, & nõ attenderint turbas prohibentes, neq; magni penderint q; Christum uidẽtur sequi, id est, quòd Christiani appellantur, sed plus amauerint lucem quam Christus est redditurus, q̃ timuerint strepitũ prohibentiũ, nullo modo separabunt̃, & stabit Iesus & sanabit eos. Quomodo enim sanant̃ oculi nostri? Quomodo per fidẽ sentimus Christũ transeuntem temporali dispẽsatione, sic intelligamus Christũ stantem incõmutabili ęternitate. Ibi enim
D sanatur oculus, quãdo intelligitur Christi diuinitas. Percipiat hoc charitas uestra: attẽdite quod dicam grande sacramentũ: Omnia temporaliter gesta à domino nostro Iesu Christo, fidem nobis insernunt. Credimus in uerbum dei, non solum in uerbum per quod facta sunt omnia, sed ipsum uerbũ factum carnem ut habitaret in nobis, natũ de uirgine Maria, & cætera quæ fides habet, quæ nobis exhibita sunt, ut Christus transiret, & ut cæci uestigia transeuntis audientes, clamarent operibus uitæ, professione fidei commemorantes. Iam ut clamãtes sanentur, stat Iesus. Etenim iam stantem uidet Iesum, qui dicit, Et si noueramus Christũ se-
2 Cor. 5 cundum carnem, sed iam nunc nõ nouimus. Christi enim diuinitatem uidebat, quantum in hac uita potest. Est diuinitas Christi, est humanitas Christi.

Diuinitas ſtat, humanitas tranſit. Quid eſt diuinitas ſtat? Non mutatur, non conuellitur, non recedit. Nõ enim ſic ad nos uenit ut à patre diſcederet, nec ita aſcendit ut loco moueretur. Aſſumpta carne, locum mutauit: deus aũt aſſumens carnẽ, quia in loco non eſt nec mutat locum. Tangamur ſtante Chriſto, ſanentur oculi noſtri. Sed quorum oculi? Clamantiũ ſcilicet cum tranſit, id eſt, bene operantiũ per eam fidẽ quæ diſpenſata eſt temporaliter ad erudiendos nos paruulos. Sanatis aũt oculis, quid precioſius habere poterimus fratres? Lumen hoc qui uident quod factum eſt de cœlo, uel quod exhibetur de lucerna, gaudẽt: & quomodo miſeri uidentur qui hoc uidere non poſſunt? Ego autem quare loquor, quare iſta dico, niſi ut horter omnes uos ad clamandum dum tranſit Ieſus? Lucem cõmendo ſanctitati ueſtræ amandam, quam forte non uidetis. Crediẽte dum nõdum uidetis, & clamate ut uideatis. Quanta putatur infelicitas hominum qui lucẽ iſtã corporalem non uident? Excæcatus eſt aliquis, cõtinuo dicitur, Iratum deũ habuit, aliquid mali cõmiſit. Hoc uxor Tobiæ dicebat uiro. Clamabat ille propter hœdum ne de furto eſſet, nolebat ſonũ furti audire in domo ſua. Illa defendens factũ ſuum, opprobrio percutiebat ma-
Tob.2 ritum: & cum ille diceret: Reddite ſi de furto eſt: illa reſpondebat inſultans, Vbi ſunt iuſtitiæ tuæ? Quàm cæca erat ſi furtum defendebat, & quam lucem uidebat qui furtum reddi imperabat. Illa erat foris in luce ſolis, ille erat intus in luce iuſtitiæ. Quis eorum erat in luce meliore? Ad hanc lucem fratres amandam hortamur dilectionem ueſtram, ut clametis operibus. Cum dominus tranſit, ſonet uox fidei, ut ſtans Ieſus, id eſt, incõmutabilis manens dei ſapiẽtia, & maieſtas uerbi dei per quod facta ſunt omnia, aperiat oculos ueſtros. Idẽ Tobias monens filium ſuũ ad hoc monebat ut clamaret, id eſt, ad bona opera monebat. Dicebat illi ut daret pauperibus, præcipiebat ut eleemoſynas face-
Tob.4. ret indigentibus, & docebat dicens, Fili eleemoſynæ nõ ſinunt ire in tenebras. Conſiliũ percipiẽdæ atq; obtinẽdæ lucis cæcus dabat. Eleemoſynæ, inquit, non ſinũt ire in tenebras. Si ei filius reſpõderet miratus, quid ergo pater, tu eleemoſynas nõ feciſti, ut modo cæcus loquaris, tu nunc nõnne in tenebris es, qui mihi dicis, Eleemoſynæ nõ ſinũt ire in tenebras? Nouerat ille de qua luce doceret filiũ D nouerat in interiore homine q̃d uidebat. Filius patri porrigebat manũ ut ambularet per terrã, & pater filio ut habitaret in cœlo. Breuiter ut concludã fratres ſermonẽ iſtũ ex eo quod nos plurimũ tangit atq; angit, uidete eſſe turbas quæ corripiebant cæcos clamãtes. Omẽs qui in hac turba ſanari uultis nõ uos deterreãt, quia multi ſunt nomine Chriſtiani & operib. impij, non uos deterreant à bonis operib. Clamate inter turbas compeſcentes, reuocantes, inſultãtes, male uiuẽtes. Non enim ſolis uocibus cõprimunt bonos Chriſtianos mali, ſed & malis operib. Nõ uult bonus Chriſtianus ire ſpectare. Hoc ipſum quod frenat cõcupiſcentiã ſuam ne pergat ad theatrũ, clamat poſt Chriſtũ, clamat ut ſanet. Alij cõcurrunt, ſed forte pagani, forte lu-

dæi. Imò uero tam pauci eſſent in theatris ut eru-
A beſcendo diſcederent, ſi Chriſtiani ad theatra non accederẽt. Currunt ergo & illi portãtes ſanctũ nomen ad pœnã ſuam. Clama ergo nõ eũdo premẽs in corde tuo temporalẽ concupiſcentiã, & tene te in clamore forti & perſeuerãti ad aures ſaluatoris, ut ſtet Ieſus & curet te. Inter ipſas turbas clama, ne deſperes de auribus domini. Non enim & illi cęci ex illa parte clamauerũt ubi turba non erat, ut ex ea parte audirentur ubi non eſſet impedimentum prohibentiũ. Inter ipſas turbas clamauerunt, & tamen dñs audiuit. Sic & uos etiã inter peccatores & luxuriantes, inter amatores ſeculariũ uanitatũ, ibi clamate, ibi clamate ut ſanet uos dominus. Nolite per aliam partẽ clamare ad dominũ, nolite ad hæreticos ire, & ibi clamare ad deũ. Attendite fra-
B tres, quia in illa turba quæ clamare prohibebat, illi ſanati ſunt qui clamabant. Nam & hoc attendat ſanctitas ueſtra, quid ſit perſeuerare in clamando. Dicã q̃ multi me cũ experti ſunt in nomine Chriſti. Nõ enim ceſſat eccleſia tales prohibẽte. parere. Cum quiſq; Chriſtianus cœperit bene uiuere, feruere bonis operibus mũdumq; contemnere, in ipſa nouitate operũ ſuorũ patitur reprehẽſores & cõtradictores frigidos Chriſtianos: ſi autem perſeuerauerit & eos ſuperauerit perdurãdo, & nõ defecerit à bonis operibus, ij demipſi iam nobis obſequentur qui ante prohibebant, Tãdiu enim corripiunt & perturbant & uetant, quamdiu ſibi cedi poſſe præſumunt. Si aũt uicti fuerint perſeuerantia proficientium, conuertunt ſe & dicere incipi-
C unt: Magnus homo, ſanctus homo, felix cui deus conceſſit. Honorant, gratulãtur, benedicunt, laudãt, quomodo illa turba quæ cũ domino erat. Ipſa prohibebat ne cæci clamarẽt, ſed poſtquam illi ita clamauerunt ut mererenẽ audiri & impetrare miſericordiã domini, ipſa turba rurſum dicit, Vocat uos Ieſus. Iam & hortatores fiunt qui pauloante corripiebant ut tacerent. Solus autem ille non uocatur à domino, qui in hoc ſeculo nõ laborat. Sed quis in iſta uita non laborat in peccatis & iniquitatibus ſuis? Si autem omnes laborant, omnibus dictum eſt, Venite ad me omnes qui laboratis. Si au- Mat.11
tem omnibus dictum eſt, quare culpam tuam tribuis inuitatori tuo? Veni. Non tibi ſit anguſta domus eius, pariter ab omnibus, totũ à ſingulis poſſidetur. Regnum dei creſcẽte poſſeſſorum numero non minuitur, quia non diuiditur. Vnicuiq; integrum eſt, quod cõcorditer habet à multis. Hoc tamẽ in myſterio lectionis huius cognouimus fratres, q̃ alijs librorum ſanctorum locis apertiſſime ſonat, eſſe intus in eccleſia & bonos & malos, q̃d ſępe dicimus & frumentum & paleam. Nemo ante tempus deſerat aream, toleret paleam in tritura, toleret in area. Quod enim toleret, in horreo non habebit. Veniet uentilator & qui diuidit malos à bonis. Erit etiam corporalis ſeparatio, quam modo ſpiritalis pręcedit. A malis corde ſemper diſiũgimini, ad tempus caute corpore copulemini, nec tamen negligentes ſitis in corrigendis ueſtris, ad curam ſcilicet ueſtram quoquo modo pertinentibus, monendo, docendo, hortãdo, terrendo. Qui-

buſcunq;

buſcũq; modis poteſtis agite, ne cum inuenitis in ſcripturis & in exẽplis ſanctorũ, ſiue qui ante, ſiue
A qui poſt dñi aduentũ in hac uita fuerũt, q̃ mali bonos in unitate non maculant, efficiamini pigri ad corrigendos malos: Duobus modis nõ te maculat malus, ſi ei nõ cõſentias, et ſi redarguas: hoc eſt, nõ cõmunicare, non cõſentire. Cõmunicaẽ quippe quando facto eius cõſortio uoluntatis uel approbationis adiungiẽ, hoc ergo admonẽs Apoſto
Eph.5 lus ait, Nolite cõmunicare, magis aũt & redarguite. Et quia parũ erat non conſentire, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ. Magis aũt inquit & redarguite. Videte quẽadmodũ utrunq; cõplexus eſt, Nolite cõmunicare, magis aũt et redarguite. Quid eſt, nolite cõmunicare? Nolite conſentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid eſt, magis aũt & redarguite? Reprehẽdite, corripite, coercete. De-
B inde in ipſa correctione uel coertione alienorum peccatorũ cauendũ eſt, ne ſe extollat qui alterum corripit, & apoſtolica illa cogitãda ſentẽtia, Quap-
1Cor.10 pter qui ſe putat ſtare, uideat ne cadat. Foris terribiliter perſonet increpatio, intus lenitatis teneat dilectio. Si præocupatus fuerit homo in aliquo de
Gal.6 licto, ſicut dicit idem Apoſtolus, uos qui ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite in ſpiritu manſuetudinis, intendẽs teipſum ne & tu tenteris: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legẽ Chriſti:
2.Tim.2 item alio loco, Seruũ, inquit, dñi non oportet litigare, ſed mitẽ eſſe ad oẽs, docibilẽ, patientẽ, in modeſtia corripientẽ diuerſa ſentientes, ne forte det illis deus pœnitentiã ad cognoſcendã ueritatẽ, & reſipiſcant à diaboli laqueis à quo capti tenenẽ ad ipſius uoluntatẽ. Neq; ergo cõſentientes ſitis malis ut approbetis, neq; negligẽtes ut non arguatis, neq; ſuperbiẽtes ut inſultãter arguatis. Qui aũt deſeruerit unitatẽ, uiolat charitatẽ, & quiſqs uiolat charitatẽ, quodlibet magnũ habeat, ipſe nihil eſt,
1Cor.13 Si linguis hominũ loquat & angelorũ, ſi ſciat omnia ſacramenta, ſi habeat omnẽ fidẽ ut mõtes trãſferat, ſi diſtribuat omnia ſua pauperibus, ſi corpus ſuũ tradat ut ardeat, nihil eſt, nihil ei prodeſt. Vniuerſa inutiliter habet, qui unũ illud quo uniuerſis utaẽ non habet. Amplectamur itaq; charitatẽ, ſeruare unitatẽ ſpũs in uinculo pacis. Non nos ſeducant qui carnaliter intelligũt, & corporaliter ſeparationẽ faciẽtes, ab eccleſię frumẽtis toto orbe diffuſis ſpiritali ſacrilegio ſeparanẽ. Per totũ em̃ mun-
Mat.13 dũ ſeminatũ eſt bonũ ſemẽ. Bonus ille ſeminator filius hominis, nõ in Africa ſola ſed ubiq; ſparſit ſemen bonũ. Inimicus aũt ſuperſeminauit zizania. Sed tamẽ quid ait paterfamilias? Sinite utraq; creſcere, uſq; ad meſſem. Per quid creſcere? Vtiq; per agrum. Quis eſt ager? Nunquid nam Africa? Nõ. Quis eſt ergo? Non interpretemur nos, dominus dicat, Neminem ſinamus aliquid pro arbitrio ſuſpicari: dixerunt enim magiſtro diſcipuli. Enarra nobis parabolam zizaniorum. Et enarrauit dominus, Semen bonum, dixit, filij ſunt regni, zizania uero filij mali. Quis ea ſeminauit? Inimicus autem, inquit, qui ea ſeminauit, diabolus eſt. Quis eſt ager? Ager eſt, inquit, hic mundus. Quæ eſt

meſſis? Meſſis eſt, ait, finis ſeculi. Qui ſunt meſſo-
A res? Meſſores, inquit, angeli ſunt. Nunquid Africa eſt mũdus? Nũquid meſſis hoc tẽpus? Nunqd meſſor Donatus? Per totũ orbẽ terrarũ expectate meſſem, per totũ orbẽ terrarũ creſcite in meſſem, per totũ orbẽ terrarũ zizania tolerare uſq; ad meſſem. Nõ uos ſeducãt peruerſæ paleæ nimis leues, euolant ante aduentũ uẽtilatoris ex area. Non uos ſeducãt. Tenete eos ad iſtam uel ſolã ſimilitudinẽ zizaniorũ, neq; illos ſinatis loqui amplius. Ille codices tradidit? Nõ. Sed ille cõdices tradidit. Quiſlibet tradiderit, nunquid infidelitas traditorũ fidem dei euacuauit? Quæ eſt fides dei? Quã pmiſit Abrahæ, dicens, In ſemine tuo benedicenẽ oẽs gentes. Quæ eſt fides dei? Sinite utraq; creſcere uſque ad meſſem. Per quid creſcere? Per agrũ. Quid eſt per agrũ? Per mundũ. Hic illi dicũt, Creuerat quidem utrunq; per mundũ, ſed iam frumẽta diminuta ſunt, & in iſtam noſtrã regionẽ paucitatẽq; reuocata. Non te permittit dominus interpretari q̃d uis. Ipſe qui exponit hanc parabolã claudit os tuum, os ſacrilegum, os impium, os prophanũ, os tibi cõtrarium, qui cõtradicis teſtatori etiã te ad hæreditatẽ uocanti. Quõ claudit os tuum? Dicendo, Sinite utraq; creſcere uſque ad meſſem. Si iam fuit meſſis, credamus eſſe frumenta diminuta: quanq̃ne tũc quidẽ minuenẽ, ſed in horreũ recõdenẽ: ſic em̃ ait, Colligite primũ zizania & alligate faſcicu los, ad cõburendũ ea, frumentũ aũt recondite in horreũ meũ. Si ergo uſq; ad meſſem creſcunt, poſt meſſem recondunẽ, improbe, impie, quando minuuntur? Concedo in cõparatione zizaniorũ ſimul atq; palearum frumenta eſſe pauciora, tamen utraq; creſcunt uſque ad meſſem. Cum enim abundat iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, creſcũt zizania, creſcit palea. Sed quia toto agro deeſſe nõ poteſt frumentũ quod perſeuerando uſq; ad finem ſaluum fiat, creſcunt utraq; uſq; ad meſſem. Et ſi propter abundantiam malorum dictum eſt, Putas ueniens filius hominis inueniet fidẽ in Luca 18
terra? hocq; nomine ſignificanẽ quicũq; legis præuaricatione imitanẽ eum cui dictũ eſt, Terra es & in terrã ibis, tamẽ & propter abundantiã bonorũ, & propter eũ cui dictũ eſt, Sic erit ſemẽ tuũ ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena maris: etiã illud nõ tacitum eſt, Quia multi ab Oriẽte & Occidẽte ueniẽt
D & recũbent cum Abraam in regno dei. Vtraq; ergo creſcunt uſq; ad meſſem & ſuas ſentẽtias in ſcripturis habẽt zizania uel paleæ, ſuas autem frumẽta. Quæ qui non intelligũt cõfundunt & confunduntur, atq; ita perſtrepunt cæca cupiditate, ut nolint obmuteſcere uel patefacta ueritate. Ecce, inquiunt, dicit propheta, Recedite, exite inde, & im- Eſa.52
mundũ ne tetigeritis. Quõ ergo malos pro pace tolerabimus, à quibus exire & recedere iubemur ne tangamus immundũ? Nos iſtã receſſionẽ ſpiritaliter intelligimus, illi corporaliter. Nam & ego clamo cũ propheta, & qualia cũq; ſumus uaſa, uiſ nobis deus in diſpenſatione ueſtra. Clamamus & nos & dicimus uobis, Recedite, exite inde, & immũdũ ne tetigeritis, ſed cõtactu cordis nõ corpis.

Quid est eñ tangere immundũ,nisi cõsentire pec
catis? Quid est aũt exire inde, nisi facere q̃d perti-
net ad correptionẽ malorũ, quantũ pro uniuscu-
iusq; gradu atq; psona salua pace fieri potest? Dis-
plicuit tibi q quisq; peccauit,non tetigisti immun
dum.Redarguisti,corripuisti, monuisti, adhibui-
sti etiã si res exigit congruã & quæ unitatem non
uiolet disciplinã,existi inde. Attẽdite in facta san-
ctorum,ne forte nostra uideaᵗ interpretatio.Quõ
hæc uerba intellexerunt sancti, sic utiq; intelligen
da sunt.Exite inde,inquit, propheta. Prius usitata
ipsius uerbi cõsuetudine assero istam sententiã,&
postea ostendo non meam. Plerunq; accusanᵗ ho
mines,& cum accusati fuerint defendunt se. Cum
aũt se ille qui accusaᵗ homo rationabiliter iusteq;
defenderit, qui audiunt,dicunt,exijt inde.Manẽs
loco, exijt inde. Quomodo inde exijt? Ratione
reddita,& defensione iustissima. Hoc est quod fa-
Luc.10 ciebant sancti, quando excutiebant puluerem de
pedibus aduersus eos qui sibi pacem nunciatam
non accipiebant.Exijt inde ille speculator, cui di-
Ezech.3 ctum est, Speculatorem posui te domus Israel: illi
enim dicitur, Si dixeris iniquo ut auertat se, & nõ
se auerterit ab iniquitate & à uia sua, iniquus ille
in sua iniquitate morieᵗ,& tu animã tuã liberabis.
Hoc si facit,exijt inde,nõ separatiõe corporis, sed
defensione operis sui.Fecit eñ iste quod faciendũ
fuit, etiã si ille non obtẽperauit, cui obtemperan-
dum fuit. Hoc est, exite inde. Clamauit ista Moy-
ses,clamauit Esaias,clamauit Hieremias,clamauit
Ezechiel. Videamus si hoc ipsi fecerunt, si dimise
runt populum dei, & se ad gentes alias transtule-
runt.Quàm multa & q̃ uehemẽter Hieremias in-
crepauit in peccatores & sceleratos populi sui,in-
ter eos tamen erat.Vnum cũ illis templũ intrabat,
eadem sacramenta celebrabat. In ea hominũ scele
ratorũ congregatione uiuebat,sed clamando exi-
bat inde.Hoc est exire inde, hoc est immundũ nõ
tangere, & uoluntate non consentire, & ore non
parcere.Quid dicã de Hieremia, de Esaia, de Da-
niele,de Ezechiele, de cætetis prophetis, qui non
recesserunt à populo malo, ne desererent bonos,
illi populo cõmixtos, ubi & ipsi tales esse potue-
runt? Moyses ipse fratres, cũ acciperet legẽ in mõ
te, populus deorsum idolũ fecit: Populus dei,po-
pulus ductus cedentib. fluctibus rubri maris, qui
sequentes inimicos obruerant,post tanta signa &
miracula in Ægyptiorũ plagis ad mortem, & sua
protectione ad salutem,tamẽ idolũ poposcit,ido-
lum extorsit, idolum fecit,idolũ adorauit,idolo sa
crificauit.Indicat deus famulo suo populi factũ,et
dicit eos se perditurũ à facie sua. Intercedit Moy-
ses ad ipsum populũ rediturus, & habuit occasio-
nem recedendi & exeundi ab eis, sicut isti intelli-
gunt,ne immundum tangeret, ne cum talibus ui-
ueret. Non fecit tamen. Et ne forte hoc necessita-
te potius quàm charitate fecisse uideretur,obtulit
Exod.32 illi deus alium populum: Facio te, inquit, in gen-
tem magnam ut illos deleret. At ille non accepit,
cohæret peccatoribus,petit pro peccatoribus. Et
quomodo petit? Magna probatio dilectionis fra-

tres.Quõ petit? Videte illã de qua sæpe locuti su-
A mus maternã quodãmodo charitatẽ. Cũ deus mi-
nareᵗ sacrilego populo, pia Moysi uiscera tremu-
erunt,opposuit se pro illis iracũdiæ dei,Dñe,inq̃t,
si dimittis eis peccatũ dimitte,sin aũt, dele me de li
bro quem scripsisti. Quàm paternis maternisq; ui
sceribus, q̃ securus hoc dixerit, attẽdẽs iustitiã &
misericordiã dei,ut quia iustus est nõ perderet iu-
stum,quia misericors,ignosceret peccatorib.Cer-
te iam manifestũ est prudẽtiæ uestrę,quõ accipien
da sint omnia talia testimonia scripturarũ,ut quan
do scriptura sonat, recedere nos debere à malis,
nõ aliud intelligere iubeamur, nisi ut corde rece-
damus,ne maius malũ in separatiõe bonorũ com-
mittamus q̃ in malorũ cõiunctiõe fugiamus,sicut
ipsi Donatistę fecerũt.Quid si uere boni malos ar
B guerent,ac nõ potius ipsi mali bonos infamarent,
qualeslibet pro pace tolerarẽt qui Maximiniani-
stas receperunt tanq̃ integros, quos tanq̃ perdi-
tos antea dãnauerũt:certe manifeste dixit prophe
ta, Recedite, exite inde, & immundũ ne tetigeri-
tis.Ego ut intelligam quod dixit,attendo quod fe
cit.Facto suo mihi exponit dictum suum.Dixit re
cedite.Quibus dixit? Vtiq; iustis. A quibus ut re-
cederent dixit? Vtiq; à peccatoribus & iniquis.
Quæro à talibus utrum ipse recesserit? Inuenio q
non recesserit.Ergo aliter intellexit. Recessit cor-
de,obiurgauit atq; arguit,continendo se à consen
su non tetigit immundum. Obiurgando aũt exijt
liber in conspectu dei, cui neq; sua deus peccata
C imputat quia nõ fecit, neq; alia quæ non approba
uerit, neq; negligentiam quia non tacuit, neq; su-
perbiam quia in unitate permãsit. Sic ergo fratres
mei quotquot habetis inter uos qui adhuc amore
seculi prægrauanᵗ,auaros,periuros,adulteros,spe
ctatores nugarũ,cõsultores mathematicorũ,pha-
naticorum,augurum,auspicum,ebriosos,luxurio
sos,quicquid inter uos malorum esse nostis, quan
tum potestis improbate,ut corde recedatis, & re-
darguite ut exeatis inde,& nolite cõsentire ut im-
mundum non tangatis.

De eo quod scriptũ est in Euãgelio secũdũ eun
dẽ, Reddite quæ sunt dei deo, & quę sunt Cęsaris
Cęsari: Et de stipẽdijs militantiũ. Sermo XIX

Sermo D. Maximi episcopi

NONNVLLI fratres qui aut militiæ cin-
gulo detinentur,aut in actu sunt publico
constituti, cum peccant grauiter, hac so
D lent à peccatis suis prima se uoce excusare, quòd
militant,& ne bene aliquando faciant,occupatos
malis actibus conqueruntur: Perinde quasi mili-
tia hominũ non uoluntas in culpa sit, ita quod ip-
si gerunt,officijs suis ascribunt. Nõ enim militare
delictũ est, sed propter prædam militare peccatũ
est. Nec rempublicam gerere criminosum est, sed
ideo agere rempublicam ut rem familiarẽ potius
augeas,uideᵗ esse damnabile.Propterea eñ proui
dentia quadã militantib. sunt stipẽdia constituta,
ne dum sumptus quærit,præda grassetur.Illud aũt
quale est,cũ ob errorẽ aliquẽ à senioribus arguun-
tur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit,
cur res alienas peruaserit, cædem cur turbulentus
admiserit

admiserit:statim respondeat, quid habebam face-
re,homo secularis aut miles,nunquid monachum A
sum professus aut clericũ? quasi omis qui clericus
non est aut monachus, possit ei licere q̃d nõ licet.
Cunctis igitur officijs sacris literis præscribitur
norma uiuendi, omnis ad bene uiuendum prouo
catur sexus,ætas & dignitas. Igitur nemo se excu-
set publicis actibus, nemo de occupatiõe militiæ
conqueratur. Apud omnem Christianum prima
honestatis debet esse militia. Nam ut id quod dici
Luc.3 mus autoritate euangelica comprobemus,uidea-
mus lectionem quæ pauloante decursa est: ait eñ
euangelium. Venerunt autem & publicani ad Io-
annem ut baptizarentur ab eo,et dixerũt ad eum,
Magister quid faciemus? At ille dixit,Nihil ampli
us exigatis,q̃ quod constitutũ est uobis. Honesta B
plane publicanorũ interrogatio,ac sancti prophe
tæ iusta respõsio. Illi eñ solicite interrogãt, ne aut
ignorãtes plus exigendo peccatũ incidant,aut ces
santes publicã decipiãt functionẽ: Hic aũt mode-
rate præcepit,ut & iniquitas locum nõ habeat, &
cõstitutũ habeat uectigal effectũ. Nõ enim dixit,
Nihil exigatis,sed nihil amplius exigatis. Vnde in
telligimus quòd apud deum non tam exactio q̃
exactio iniqua damnetur: dicit enim ipse domi-
nus, Reddite quæ dei sunt deo, & quæ Cęsaris
Cæsari.] Igitur quod Cæsar pręcipit ferẽdum est,
quod imperator indicit tolerandum est: sed fit in-
tolerabile,dum illud pręda exactionis accumulat.
Hoc autẽ quale est,quòd ijdem ipsi qui huiusmo-
di necessitates procurant,peccatis suis peccata cõ
geminant,hoc est quòd fraudes suas ac rapinas cõ C
modum uocant,cum ipsa præda inferatur incom-
modum.Illud autẽ addunt sceleribus suis,ut quos
indefensos uiderint, ipsos potius persequantur,&
putant se necessitates decepisse publicas nisi do-
mos deceperint orphanorum: ita quorũ pater an-
te biduum forsitã fuerit amicus, collega uel frater,
interueniente morte, eiusdem liberi habeãtur tan
quam ignoti,uiles & miseri. Vidua aũt si qua fue-
rit aut sic iniurijs exagitatur ut nubat,aut si uolue-
rit in castitatis permanere proposito,dãdo mune-
ra in facultate uix permanet. Cum his ergo fraudi
bus repleuerint sacculos suos,uideas illos lętos &
accuratos ad ecclesiã properare, & deo gratias a-
gere,quasi ab ipso illis hæc pecunia conferatur,il-
lud quoq; peccantes q rapinarum suarũ deum uo D
lunt esse participem: dicit enim sanctum euange-
lium,Interrogauerunt illum & milites,quid facie-
Luc.3 mus & nos? Ait illis Ioannes,Neminem concutia
tis,neq; calumniã faciatis, sed cõtẽti estote stipen
dijs uestris. Hic iam cognoscere se debet omis ho
mo qui militat. Non enim tantum de his militanti
bus scriptura loquitur, qui armata militia detinen
tur, sed quisq; militiæ suæ cingulo utitur, dignita-
tis suæ miles asscribitur,atq; ideo hæc sentẽtia po-
test dici: Verbi gratia, militibus, protectoribus,
cunctisq; rectoribus. Quicunq; stipendia sibi pu-
blice decreta cõsequitur, si amplius quærit, tan-
quam calumniator & concussor Ioãnis sententia
condemnatur. Vsqueadeo autẽ hoc inoleuit ma-

lum, ut iam quasi ex cõsuetudine uendanᵗ leges,
corrumpanᵗ iura,sentẽtia ipsa uenalis sit, & nulla
iam causa possit esse sine causa.Hęc aũt diuina sen
tentia quæ ad milites loquitur,potest etiam ad cle
ricos retorqueri,quia etiam si non militare uidea-
mur seculo, tamẽ deo & domino militamus, sicut
ait Apostolus, Nemo militans deo, obligat se ne- 2 Tim.2
gotijs secularibus. Videmur, inquam,non milita-
re remissis ac fluentibus tunicis, sed habemus mi-
litiæ nostræ cingulum, quo castimoniæ interiora
cõstringimus: de quo cingulo dominus ait ad dis-
cipulos suos,Sint lumbi uestri præcincti,& lucer- Luc.12
næ uestræ ardentes in manibus uestris, Milites igi
tur Christi sumus, & stipendiũ ab ipso donũq; per
cipimus,sicut dicit Apostolus,Qui dedit nobis pi
gnus spiritus, hoc est qui spiritussancti nos remu-
neratione ditauit. Si quis ergo Christianorũ hoc
donatiuo contentus forte non fuerit,& quęrit am
plius,incipit hoc ipso carere quod meruit. Quod
specialiter contingit hæreticis Arianis, Dum eñ
nescio quid amplius quærunt,inuenientes erroris
spiritum,grãm sanctispiritus perdiderunt.Nam &
catholicus clericus hac sententia retinetur. Si eñ
non contentus stipendijs fuerit quæ de altario dõ
mino iubente consequitur,sed exercet mercimo-
nia,intercessiones uẽdit, uiduarum munera liben
ter amplectitur, hic negociator magis potest uide
ri quàm clericus.Nec dicere possumus,nemo nos
inuasores arguit, uiolẽtiæ nullus accusat, quasi nõ
interdum maiorem prędam à uiduabus blandimẽ
C ta eliciant q̃ tormẽta. Nec interest apud deum u-
trum ui an circũuentiõe quis res alienas occupet;
dummodo quoquo pacto teneat alienum.

De eo quod scriptum est in euangelio secun-
dum eundem, Væ prægnantibus & nutrientibus.
Sermo XX

SCIRE & intelligere debemus fratres
charissimi, quia Christianis dũ in hoc
corpore uiuũt tribulatio deesse nõ po
terit, Sic eñ nos,sicut audistis, cõtestatur Aposto
lus,dicens,Omnes qui uolunt pie uiuere in Chri- 2.Tim.3
sto,persecutionẽ patientur: & iterum, Per multas Acto.14
tribulationes oportet nos intrare in regnũ cœlo-
rum. Venturi sunt dies tribulationum, & malarũ
tribulationum uẽturi sunt,sicut dicit scriptura, Et
quantum accedunt dies, augentur tribulationes.
D Nemo sibi promittat quod euangelium non pro-
mittit. Quomodo enim appropinquãte fine mun
di, sicut dicit dominus in euangelio, Abundabit
iniquitas,refrigescet charitas: sic propter ipsas ini-
quitates nũquam deerit aduersitas: Opus est ut a-
nimum nostrum non solum ad pœnitentiam, sed
etiam ad patientiam præparemus. Fratres mei, ob
secro uos,attendite scripturas sanctas,si aliquid fe
fellerunt,si aliquid dixerũt, & aliter accidit quàm
dixerunt: necesse est ut usq; ad finem sic fiat quem
admodum dixerunt. Non nobis promittunt scri-
pturæ nostræ in hoc seculo, nisi tribulationes,
pressuras, angustias, augmenta dolorum, abun-
dantiam tentationum. Sicut & ipse dominus in
Euangelio dicit, In mundo pressuram habebitis.
Et iterum

Et iterum, Mundus gaudebit, & uos tristes eritis, sed tristitia uestra uertetur in gaudiũ. Ad ista præcipue nos paremus, ne imparati deficiamus. De ipsis enim tribulationibus cum euangelium legeretur audistis, Mat.29 Væ prægnantibus & nutrientibus.] Prægnantes sunt, qui in spe intumescũt. Nutrientes autem, id est, lactãtes, qui iam adepti sunt quod concupierant. Etenim mulier prægnans in spe tumet filij, nondum uidet filium: quę autẽ iam lactat, amplectitur quod sperabat. Prægnans est, qui res alienas concupiscit: nutriens est qui iam rapuit quod cõcupierat. Et ut hoc apertius etiã simplices intelligere possint, aliquã similitudinẽ proponamus. Concupiscit aliquis uillam alienã & dicit, Bona est ista uilla uicini mei, ò si mea esset, ò si adiungerem illam & facerem de isto fundo & de illo unitatem. Amat & auaritia unitatem. Quod amat bonum est, sed ubi amandum sit nescit. Forte diues est uicinus ille qui habet uillam bonã, & suspicatur quòd illam non possit tollere, quia potens homo est, & non præualet se contra illum defendere, nec concupiscit, nec imprægnatur, nihil sperans non concepit, non est prægnans animo. Si uero iuxta aliquis uicinus sit pauper, qui uel in necessitate positus est ut possit uẽdere, uel potest opprimi ut cogatur uendere: inijcitur oculus, sperat se posse tollere aut uillam aut coloniam uicini pauperis, & immittit illi aliquas tribulatiões. Verbi gratia, Agit secretius apud eos qui possunt, ut illũ exactores aut afflictũ, aut in aliqua publica administratione constringant, ex quibus contractis debitis multis necesse habeat infelix uendere casellam, unde aut ipse aut filij sui sustẽtabantur. Necessitate ergo compulsus uenit ad illum, per cuius nequitiam premitur & affligitur, & nesciẽs quòd ipsius immissione hoc patitur, dicit ad eum. Da mihi domine, rogo te, paucos solidos, patior necessitatem, urgeor à creditore. Et ille, Non habeo modo in manibus. Ideo se dicit in manibus non habere, utille oppressus calumnia, necesse habeat uendere. Denique cum ei dixerit, quòd pro nimia afflictione sua compellatur distrahere, statim ille respondet, Et si non habeã pecuniam propriam, undecunque studeo mutuare ut tibi amico subueniam, & si ita necesse est etiã argenteolum meum distraho, ne tu iniuriam patiaris. Quando beneficium petebat, professus est penitus nõ habere: at ubi dixit quòd possessionem suam uenderet, quasi amico se subuenire dixit: & cũ eum ad hanc necessitatem adduxerit, dicit illi, ut uenditionem facere debeat, & casellam pro qua prius, uerbi gratia, forte centum solidos offerebat, ut eum opprimi uiderit, nec medietatem precij dare acquiescit. Istis enim talibus, sicut iam supradictum est, euangelista proclamat, Væ prægnantibus & nutrientibus. Istis emẽ uæ erit in die iudicij, & ab auditu malo nõ poterunt liberari, sed auditurí sunt, Discedite à me maledicti in ignem ęternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius, quia esuriui, & nõ dedistis mihi manducare: sitiui, & nõ dedistis mihi bibere. Hoc loco diligenter attendat charitas uestra. Si in ignem mittitur qui nõ dedit rem propriam, putas ubi mittendus est qui inuasit alienã? Si cũ diabolo ardere habet qui nudum non uestiuit, putas ubi arsurus est qui expoliauit? Et ideo quotiens cũq; uobis euãgelica lectio recitata fuerit in qua dicit, Vę prægnantibus & nutrientibus, nõ hoc de mulieribus legitimos uiros habẽtibus credite. Quid emẽ mali fecit mulier quæ de proprio marito cõcepit? Quare illi in die iudicij male erit, quę hoc fecit q̃d deus iussit? Nõ ergo de mulieribus quæ iuste concipiunt & pariunt, hoc credendum est, sed de illis quos supra diximus, qui iniuste cõcupiscẽdo rem alienam, imprægnati esse uidẽtur. De quibus scriptum legimus, Concepit dolorẽ, & peperit iniquitatem. Omnis enim homo concipit, nec ullus potest esse sine conceptu. Sed alij concipiũt de Christo, alij de diabolo. Sicut enim de illis qui à diabolo concipiunt dicitur, Concepit dolorẽ & peperit iniquitatem, Ita & de illis qui à spiritusancto cõcipiunt: scriptum est, A timore tuo in utero cõcepimus & peperimus spiritum salutis tuæ, Hęc enim quæ diximus fratres charissimi qui diligẽter attendit, & supradicta mala aut fuisse in se, aut forsitan adhuc esse cognoscit, cito se corrigat. Nõ enim nocent mala præterita si non placent: adhuc enim est pœnitẽdi & corrigẽdi locus. Nondũ facta est illa disiunctio aliorũ ad dexteram, aliorũ ad sinistram. Nondum apud inferos sumus, ubi est diues ille sitiens & stillã desiderans. Audiamus, dum uiuimus corrigamur. Non cõcupiscamus res alienas & imprægnati tumeamus, nec uelimus peruenire ad illas, & eas adipiscendo tanquam filios osculemur. Quando enim concupiscit aliquis rem alienam, sicut iam dictũ est, anima sua quasi concepisse uidetur. Si uero quod concupiscit per aliquã callidítatem aut nequitiam potuerit obtinere, quasi natũ filium osculari ac nutrire cognoscit. Nõ ergo sic amemus ista terrena fratres, ut perdamus cœlestia. Mutandũ est cor, leuandũ est cor, non hic habitemus iã corde. Mala regio est amor mũdi, sufficiat quòd hic adhuc in carne esse uidemur. Audiamus Apostolum dicentẽ, Si surrexistis cum Christo quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærite, nõ quæ super terrã. Nõ apparet quod nobis promissum est. Iam emẽ paratũ est, sed nõ uidetur. Concupiscendo impręgnari uis, hinc impręgnare. Cõcupisce uitã ęternam, ad quam uitã te inuitat deus ipsa sit spes tua. Certus erit partus tuus, nõ erit aborsus, Non tẽporaliter amplecteris q̃d pepereris, sed in æternũ possidebis. Quod enim promissum est, sine dubio dãdũ est sed adhuc retro est. Nõ dabitur modo, sed dabitur postea. Videte iam quãta data sint fratres. Quis illa uel enumerare prę ualet? De omnibus enim rebus quę in scripturis diuinis promissa sunt, una tantũmodo remãsit. Deus emẽ qui nobis in tantis rebus uerum dixit, in una nos fallit? Scriptũ est de ecclesia, quia erit, & uidetur quia est. Scriptum est de idolis, quia nõ erunt, & uidetur quia nõ sunt. Scriptum est quia perdituri erant Iudæi regnũ, & uidetur. Scriptum est de hæreticis, quia futuri erant, & uidetur. Scriptum est & de

Psal.7

& de die iudicij, scriptũ est & de præmijs bonorũ & de pœna malorũ: nemo se circũueniat fratres. Quõ illa omnia uenerũt quæ promissa sunt, sic & dies iudicij, & malorũ pœna, & iustorũ præmia sine ulla dubitatiõe uẽtura sunt. Et ideo unusquisq; nostrũ dum licet & cum dei adiutorio in potestate nostra consistit, & peccata uitare, & quod bonũ est exercere cõtendat, ut cum ille dies terribilis & metuendus aduenerit, non cũ impijs & peccatoribus perenni incendio cõcremetur, sed cũ iustis & deũ timẽtibus peruenire ad æternũ præmiũ meretur, quod ipse præstare dignet, cui est honor & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est in euangelio secundum eundẽ, Mat.24 De die illo & hora nemo scit, neq; angeli cœlorum & cætera. Sermo XXI

A FRATRES quod audistis monentem scripturã atq; dicentẽ, ut propter diem nouissimum uigilemus, unusquisq; de nouissimo suo die cogitet, ne forte cum senseritis uel putaueritis longe esse nouissimũ seculi diem, Mat.2 dormitetis ad nouissimum uestrum diem, de die nouissimo seculi huius, audistis quid dixerit,

Quia nesciunt eum neque angeli cœlorum, neque filius, nisi pater.] Vbi quidem magna quęstio est, ne carnaliter sapiẽtes putemus aliquid patrem scire quod nesciat filius. Nam utique cum dixit, Pater scit, ideo hoc dixit, quia in patre & filius scit. Quid enim est in die quod non in uerbo factum est, per quod factus est dies? Nemo ergo quærat nouissimum diem quando futurus sit, sed uigilemus omnes bene uiuẽdo, ne nouissima dies cuiuscunque nostrum nos inueniat imparatos, & qualis quisq; hinc exierit suo nouissimo die, talis inueniatur in nouissimo seculi die. Nihil te adiuuabit quod hic non feceris. Vnumquenque opera sua iuuabũt, aut opera sua pressura sunt. Et quomodo in Psalmo cantauimus domino, Miserere mei domine, quoniam cõculcauit me homo? Homo dicitur qui secundum hominem uiuit. Deniq; illis qui secundum deum uiuunt dicitur, Dij estis, & filij excelsi omnes. Reprobis autem qui uocati sunt ut essent filij dei, & esse potius uoluerunt homines, id est, secundum hominem uiuere, Vos autem, inquit, sicut homines moriemini, & sicut unus ex principibus cadetis. Etenim quòd mortalis est homo, ad disciplinam illi debet ualere, non ad iactantiam. Vnde se iactat uermis, crastino moriturus? Dico charitati uestræ fratres, de diabolo debent erubescere mortales superbi. Ille enim & si superbus tamen immortalis est, spiritus est & si malignus. Illi dies nouissimus pœnalis seruatur in finem, tamen mortem quam nos patimur, ille nõ patitur. Audiuit autem homo, Morte morieris, utatur bene pœna sua. Quid est quod dixi, Vtatur bene pœna sua? Nõ inde erat ad superbiam unde accepit pœnam, agnoscat se mortalem, & frangat elationem: audiat sibi dici, Quid superbit terra & cinis? Etiam si superbit diabolus, non est terra & cinis: ideo dictum est, Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis.

Psal.55 Psal.81 Gen.2 Eccli.10 Psal.81

Non attendítis quia mortales estis, & sicut diabolus superbi estis. Vtatur ergo homo pœna sua fratres, & bene utatur malo suo, ut proficiat bono suo. Quis nescit quia pœna est necesse esse ut moriamur, & quod est grauius, quando nescimus? Pœna certa est, hora incerta: & de ista pœna sola certi sumus in rebus humanis. Cætera nostra & bona & mala incerta sunt, sola mors certa est. Quid est quod dico? Conceptus est puer, forte nascitur, forte aborsum facit. Ita incertum est, Forte crescit, forte non crescit. Forte senescit, forte non senescit. Forte diues erit, forte pauper. Forte honoratus, forte humiliatus. Forte habebit filios, forte non habebit. Forte ducet uxorem, forte non ducet. Quicquid aliud nominaueris in bonis, respice & ad mala. Forte ægrotat, forte non ægrotat. Forte à serpente percutitur, forte non percutitur. Forte à bestia deuoratur, forte non deuoratur. Et respice omnia mala, ubicq; est, forte erit, forte non erit. Nunquid potes dicere, forte moritur, forte non moritur? Quomodo medici quando inspexerunt ualetudinem & mortiferam esse cognouerint, hoc pronunciant, moritur, inde non euadit. Ex quo nascitur homo, dicendum est non euadit. Quando natus est, ægrotare cœpit. Quando mortuus fuerit, finit quidem ægritudinem, sed nescit utrum pergat in peiorem. Finierat diues ille ægritudinem deliciosam, uenit ad tortuosam. Luc.16 Pauper uero ille finijt ægritudinem, & peruenit ad sanitatem. Sed quod postea haberet hic elegit, & quod ibi messuit, hic seminauit. Ideo cum uiuimus uigilare debemus, & eligere debemus quod in futuro teneamus. Mundum non amemus. Premit amatores suos, non eos ad bonum adducit. Laborandum est in eo potius ne capiat, quàm timendum ne cadat. Ecce cadit mundus, stat Christianus, quia non cadit Christus. Nam quare dicit dominus, Gaudete, quia ego uici mũdum? Ioan.16 Respondeamus ei si placet, Gaude, sed tu. Si tu uicisti, tu gaude. Quare nos? Quare nobis dicit, gaudete, nisi quia nobis uicit, nobis pugnauit? Vbi enim pugnauit? Quia hominem suscepit. Tolle quod de uirgine natus, tolle quod semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Philip.2 Tolle hoc, ubi luctamen? ubi certamen? ubi tentatio? ubi uictoria quam non præcessit pugna? In principio erat uerbum, Ioan.1 & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Nunquid hoc uerbum Iudæus crucifigeret? Nunquid huic uerbo impius insultaret? Nunquid hoc uerbum colaphis cæderetur? Nunquid hoc uerbum ipsius coronaretur? Vt autem ista pateretur, uerbum caro factum est, & ista passus resurgendo uicit. Ergo nobis uicit quibus securitatem resurrectionis ostendit. Dicis ergo deo, Miserere mei domine, quoniam conculcauit me homo. Psal.55 Tu te noli conculcare, & non te uincit homo. Ecce enim homo potens terret te. Vnde te terret? Spolio, dãno, torqueo, occido, & clamas

tu;

tu, Miserere mei domine quoniã conculcauit me homo. Si uerũ dicis, teipsum attendis, quia times minas hominis, mortuus te cõculcat. Et quia non timeres nisi esses homo, cõculcat te homo. Quod est ergo remediũ ò homo? Hære deo à quo factus es homo, illi adhære, in ipso præsume, ipsum inuoca, uirtus tua ipse sit. Dic illi, In te dñe uirtus mea, & à cõminationibus hominũ cantabis: & quid postea cantes ipse dominus dicit, In deo sperabo, nõ timebo quid faciat mihi homo.

De decem uirginibus, In Euangelio secundum eundem. Sermo XXII

A INTER parabolas à domino dictas, solet quærentes mouere ista, quæ de decem uirginib. posita est. Et multi quidem hinc multa senserunt quæ non sunt præter fidem, sed quomodo partibus eius omnibus conueniat expositio, id elaborandũ est. Legi etiã in quadam scriptura, ex earum genere quæ apocryphæ nominant, quòd non sit contra catholicã fidem, sed huic loco mihi minus congruere uisum est, cõsideranti omes huius similitudinis partes. De qua tamẽ expositione temere nihil audeo iudicare, ne forte non eius incõuenientia mihi angustiã fecerit, sed mea tarditas in eam conuenientiã non uenerit. Quid autem mihi uideatur non absurde de hoc loco accipi, quantũ potero breuiter & diligẽter exponam. Interrogatus igitur dñs noster à discipulis de cõsummatione seculi: inter multa quæ est locutus, hoc quoq; dixit. Tunc simile æstimabitur regnum cœlorũ decem uirginibus, quæ acceperunt lampades suas, & uenerũt obuiã sponso. Quinq; ex eis erant fatuę, & quinq; prudentes. Sed quinq; fatuæ acceptis lampadib. suis nõ sumpserunt oleum secum. Prudentes autẽ acceperunt oleum in uasis cũ lampadibus. Tardante aũt sponso, dormierunt omnes. Media aũt nocte clamor factus est, Ecce sponsus uenit, surgite obuiã ei. Tũc surrexerunt illæ uirgines & aptauerunt lampades suas. Et dixerunt illæ stultæ ad sapientes, Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt aũt sapientes dicẽtes, Ne forte nõ sufficiat nobis & uobis, ite potius ad uendentes & emite uobis. Et dum eunt emere, uenit sponsus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissime aũt uenerunt reliquæ uirgines dicentes, Domine domine, aperi nobis. At ille respondens ait, Amen dico uobis, nescio uos: uigilate ergo quia nescitis diẽ neq; horam.] Decem utiq; uirginum quòd quinq; admittuntur, quinq; excluduntur, bonorum & malorum discretionem significat. Quapropter si uirginitas nomen honorabile est, cur receptis excluisq; commune est? Deinde quid sibi uult numerus in utraq; parte quinarius? Quicquid aũt significat oleũ, mirum uidetur quod sapientes petentibus non cõmunicant: cum inuidere fas non sit eas quæ ita perfectæ sunt ut ab sponso recipiant, quo nomine nullo dubitante dñs Iesus Christus significatur: & misericordes esse oporteat ad præstandum ex eo quod habent, præscribente illa sententia eiusdem dñi dicentis, Omni petenti te tribue.

Ad uerbũ desumpta sunt ex to. 4 col. 560

Matth. 25

A Quid est autem quod possit dando non sufficere utrisq;? Hæc maxime augent quæstionis difficultatem: quanquam & cætera diligenter considerata ut omnia in unam rationem concurrant, nihilq; in unam partem dicatur quo impediatur alia, magna cautio est adhibẽda. Videnẽ itaq; mihi quinq; uirgines significare, quinq; partitam continẽtiam à carnis illecebris. Continẽdus est enim animi appetitus à uoluptate oculorum, à uoluptate auriũ, à uoluptate olfaciẽdi, gustandi, tangẽdi. Sed quia ista cõtinentia partim coram deo fit, ut illi placeatur interiore gaudio cõscientiæ: partim coram hominibus tantũ ut gloria humana capiatur: quinq; dicuntur sapientes, & quinq; stultæ, utræq; tamen B uirgines, quia utraq; continentia est, quamuis diuerso fomite gaudeat. Lampades autem sunt, quia manibus portantur, opera quæ secundum istam continentiam fiunt. Dictum est autem, Luceant opera uestra coram hominibus. Omnes uero acceperunt lampades suas, & uenerunt obuiã sponso. Intelligendũ est ergo Christi nomine cẽseri, de quibus agitur: Non enim possunt qui Christiani non sunt, spõso Christo uenire obuiã. Sed quinq; fatuæ acceptis lampadibus suis nõ sumpserunt oleum secum. Multi enim quamuis de Christi bonitate plurimum sperent, gaudiũ tamen non habent dum cõtinenter uiuunt, nisi in laudibus hominũ. Non ergo habent oleum secum. Nam ipsam lætitiam oleo significari arbitror. Propterea, inquit, C unxit te deus deus tuus oleo lętitiæ. Qui autẽ non propterea gaudet, quia deo intrinsecus placet, nõ habet oleum secum. Prudentes autem acceperunt oleum secum in uasis cum lãpadibus suis, id est, lætitiam operum bonorum in corde atq; conscientia posuerunt. Sic & Apostolus monet. Probet se, inquit, homo, & tunc in semetipso habebit gloriam & non in altero. Tardante ergo sponso, dormierunt omnes, quia ex utroque genere continentium hominum, siue eorum qui coram deo exultant, siue eorum qui in laudibus hominum acquiescunt, moriuntur hoc interuallo temporis, donec sub aduentu domini fiat resurrectio mortuorum. Media autem nocte, id est, nullo sentiente aut sperante: quippe cum ipse dominus dicat, De die autem illa & hora nemo scit, Et D Apostolus dicat, Dies domini sicut fur ita in nocte ueniet: ex quo significat penitus latere cum uenit: clamor factus est, ecce sponsus uenit, surgite obuiam ei. In ictu oculi, nouissima tuba, omnes resurgemus. Ergo surrexerunt omnes illæ uirgines, & aptauerunt lampades suas, id est, rationes reddendas operum suorũ. Oportet enim nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisq; q̃d gessit in corpore, siue bonũ siue malum. Et dixerũt stultæ ad sapientes, Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Quorũ enim facta aliena laude fulciuntur, eadem subtracta deficiunt, & de consuetudine id semper inquirit unde animus gaudere solet. Itaque hominum qui corda non uident, testimonium uolunt habere

Matt. 5

Psal. 44

Gal. 6

Mat. 14
1 Thes. 5

habere apud deum, qui cordis inspector est. Sed quid responderunt sapientes? Ne forte non suffi- A ciat nobis. Vnusquisq; enim pro se rationem reddet, nec alieno testimonio quicquam adiuuatur apud deum, cui secreta cordis apparent, & uix sibi quisq; sufficit, ut ei testimonium perhibeat conscientia sua. Quis enim gloriabitur mundum se habere cor? Inde est quod Apostolus dicit, Mihi minimum est ut à uobis dijudicer, aut ab humano die, sed neq; meipsum iudico. Quapropter cum de se quisq; aut non omnino, aut uix possit ueram proferre sententiã, quomodo potest de alio iudicare, cũ sciat nemo quid agatur in homine, nisi spiritus hominis? Ite magis ad uendentes & emite uobis. Non consilium dedisse putandæ sunt, sed crimen earum ex obliquo commemorasse. Vendũt enim B oleum adulatores, qui siue falsa, siue ignorata laudando, in errores animas mittunt, & eis uana gaudia tanquam fatuis conciliando, aliquam de his mercedem, siue ciborum, siue pecuniæ, siue honoris, siue alicuius cõmodi temporalis accipiunt, nõ intelligentibus quod dictum est: Qui uos felices dicunt, in errorem uos mittunt. Melius est autem obiurgari à iusto, quàm à peccatore laudari. Emendauit me iustus, inquit, in misericordia & arguit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ite ergo ad uendentes magis & emite uobis: id est, uideamus nunc quid uos adiuuãt, qui uobis laudes uendere consueuerunt, & uos in errorem inducere, ut nõ coram deo, sed ab hominibus gloriam quæreretis. Euntibus autem illis e- C mere, uenit sponsus: id est, inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt, & solitis gaudere quærentibus, quia gaudia interna nõ nouerant, uenit ille qui iudicat. Et quæ paratæ erant, id est, quibus bonum coram deo testimonium cõsciẽtia perhibebat, intrauerunt cum eo ad nuptias: id est, ubi munda anima sempiterno dei uerbo fœcũdata copulatur. Clausa est ianua, id est, receptis illis qui sunt in angelicam uitam immutandi, Omnes enim resurgemus, inquit, sed non omnes immutabimur: clausus est aditus ad regnum cœlorũ. Non enim post iudicium patet precũ aut meritorũ locus. Nouissime aũt ueniunt & reliquæ uirgines dicẽtes, Domine dñe aperi nobis. Non dictũ est quod emerint oleum, & ideo intelligẽdæ sunt nullo iam remanẽte testimonio, de alienis laudibus & magnis afflictionibus redire ad imploratione dei. Sed magna est eius seueritas post iudiciũ, cuius ante iudicium ineffabilis misericordia prerogata est. Itaq; respõdẽs ait. Amẽ dico uobis nescio uos. Ex illa scilicet regula quã nõ habet ars dei, hoc est sapientia dei ut intrẽt in gaudiũ eius qui nõ corã deo, sed ut placerent hominib. uisi sunt aliquid secundum præcepta eius operari. Atq; ita concludit, Vigilate ergo, quia nescitis diem neq; horam: non modo illius ultimi temporis quo uenturus est sponsus, sed suæ quisq; dormitionis diem & horã nescit. Quisquis autem paratus est usq; ad somnum, id est, usque ad mortem, quæ omnibus debetur, paratus inuenietur etiam cum illa uox media nocte sonuerit, qua omnes euigilaturi sumus. Quod uero spõso dixit obuiam uenire uirgines, sic intelligẽdum puto, ut ex ipsis uirginibus constet ea quæ dicitur sponsa, tãquam si omnibus Christianis in ecclesiam concurrentibus filij ad matrem concurrere dicantur, cum ipsis filijs congregatis constet ea quæ dicitur mater. Nunc enim desponsata est ecclesia, & uirgo est ad nuptias deducenda, id est, cũ se cõtineat à corruptione seculari. Illo autem tempore nubit, quo uniuersa mortalitate prætereunte immortali cõiunctione fœtatur. Desponsaui uos, inquit, uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Vos, inquit, uirginẽ, à plurali ad singularẽ conludẽs: ideo & uirgines dici possunt & uirgo. Cur autem quinq;, ut mihi uidetur, expositũ est. Sed uidemus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: & nunc ex parte, tunc autẽ ex toto. Ipsum autem in ænigmate & ex parte nunc in scripturis aliquid cernere, quod tamen sic secundũ catholicã fidem, ex illo pignore contigit quod accepit uirgo ecclesia humili aduentu sponsi sui, quæ illo ultimo aduentu cũ ueniet in claritate nuptura est, cũ iam facie ad faciẽ contuebitur. Dedit enim nobis pignus spiritũ, sicut dixit Apostolus: & ideo ista expositio nihil certum intuetur, nisi ut secundum fidem sit, neq; alijs preiudicat quæ nihilominus secundum fidem esse potuerint.

1 Cor. 4

Isa. 3

Psal. 14

De eisdem de quibus supra. Sermo XXIII.

H ESTERNO die qui affuistis, promissionem nostram tenetis, quæ hodie non solis uobis, sed pluribus etiam qui conuenerũt, domino adiuuante, reddenda est. Quę sint decem uirgines, quarũ sint quinq; prudentes, quinq; stultæ, non facile indagari potest. Veruntamen secundum ea quæ continet ipsa lectio, quã charitati uestræ etiã hodie uolui recitare, quantum mihi dominus intellectum donare dignatur, non mihi uidetur ista parabola uel similitudo ad eas solas pertinere propria & excellentiori sanctitate uirgines quæ in ecclesia nominantur, quas etiam usitatiori uocabulo sanctimoniales appellare cõsueuimus: sed, nisi fallor, hæc similitudo ad uniuersam ecclesiam pertinet. Quamuis & si illas solas intelligeremus quę sanctimoniales uocantur, nunquid decẽ sunt? Absit, ut tanta uirginũ multitudo ad tam exiguum numerum reuocetur. Forte autem dicat aliquis, Quid si multæ sunt nomine, & tam paucæ sunt in ueritate, ut uix decem inueniantur? Non ita est. Nam si solas decẽ intelligi uellet bonas, nõ ibi ostenderet quinq; fatuas. Si enim multæ sunt uirgines quæ uocantur, quare contra quinq; ostia domus magnæ claudũtur? Intelligamus ergo charissimi ad omnes nos, id est, ad uniuersam omnino ecclesiã istã pertinere parabolam, non ad solos prepositos, de quibus hesterno die locuti sumus: nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes. Quare ergo quinq;? Quinq; istæ & quinq; uirgines, oẽs omnino sunt animæ Christianorum. Sed ut dicamus uobis, quod deo inspirante sentimus, non qualescunq; animæ, sed tales animæ quæ habent catholicam fidem, et habere uidentur bona opera

Matt. 25

in ecclesia dei: & tamen ex ipsis quinque sunt pru
dentes, & quinque fatuæ. Quare appellatæ sunt A
quinq;, & quare uirgines, prius uideamus, & dein
de cætera consideremus. Omnis anima in corpo-
re ideo quinario numero cẽsetur, quia quinq; sen-
sibus utitur. Nihil est enim quod sentimus in
corpore nisi ianua quinq; partita, aut uidendo, aut au
diendo, aut odorando, aut gustando, aut tangen-
do. Qui ergo se abstinet ab illicito uisu, abstinet
ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gu
statu, ab illicito tactu, ꝓpter ipsam integritatẽ uir-
ginis nomen accepit. Sed si bonum est abstinere
ab illicitis sentiẽdi motibus, & ideo unaquæq; ani
ma Christiana uirginis nomẽ accepit, quare quin
que admittuntur, quinq; aũt repelluntur? Et uirgi-
nes sunt & repelluntur, Parũ est quia uirgines sunt B
& lampades habent: uirgines propter abstinenti-
am ab illicitis sensibus, lampades habent propter
opera bona. De quibus operibus dominus dicit,
Matth.5 Luceant opera uestra corã hominibus, ut uideant
bona facta uestra, & glorificent patrem uestrũ qui
Luc.12 in cœlis est. Item discipulis dicit, Sint lumbi uestri
præcincti, & lucernę ardentes. In lumbis accinctis
uirginitas, in lucernis ardẽtibus opera bona. Non
solet dici uirginitas utiq; in coniugatis, tamen etiã
ibi est fidei uirginitas quæ exhibet pudicitiã coni-
ugalem. Nam ut nouerit sanctitas uestra, non im-
portune secundum animam & secundum integri
tatem fidei, qua etiam ab illicitis abstinetur, & bo
na opera fiunt, nunumquẽq; uel unumquanq; ani
mam uirginem dici, tota ecclesia quæ constat ex
uirginibus & pueris, & maritatis fœminis, & uxo C
ratis uiris, uno nomine uirgo est appellata. Vnde
hoc probamus? Apostolum audi dicentem, non
solis sanctimonialibus, sed uniuersę prorsus eccle
2. Cor. 11 siæ, Desponsaui uos uni uiro uirginem castam ex-
hibere Christo. Et quia huius uirginitatis corru-
ptor diabolus cauendus est, cõtinuo ipse Aposto-
lus cũ dixisset, Desponsaui uos uni uiro uirginem
castam exhibere Christo: adiunxit & ait, Timeo
autem ne sicut serpens Euam seduxit in uersutia
sua, sic & uestri sensus corrumpantur à castitate
quæ est in Christo. In corpore uirginitatem pauci
habent, in corde omnes habere debẽt. Si ergo ab
illicitis abstinẽtia bona est, unde uirginitas nomẽ
accepit, & opera bona laudabilia sunt quæ signifi D
cantur lampadibus: quare quinq; admittuntur &
quinq; repelluntur? Si & uirgo est & lampades fert,
& tamen non admittitur, ubi se uidet qui nec uir-
ginitatem ab illicitis seruat, nec opera bona uolẽs
habere, in tenebris ambulat? De istis ergo fratres
mei, de istis potius disputemus. Qui non uult ui-
dere quod malũ est, qui non uult audire quod ma-
lum est, ab illicitis sacrificiorum nidoribus auer-
tit odoratum, ab illicitis sacrificiorum cibis auer-
tit gustatum, fugit complexũ alienæ, frangit pa-
nem esurienti, hospitem inducit in domum, uestit
nudum, concordat litigiosum, uisitat ægrotum, se
pelit mortuum: ecce uirgo, ecce habet lampades.
Quid quærimus amplius? Adhuc quæro. Quid
adhuc quęris, inquis? Adhuc quęro, intentum me
fecit euangelium sanctũ. Etiam ipsas uirgines &
ipsas ferentes lampades, alias dixit prudentes, ali-
as stultas. Vnde intuemur, unde discernimus? De
oleo. Aliquid magnũ significat oleum, ualde ma
gnũ. Putas non charitas est? Quærendo dicimus,
non sententiam præcipitamus. Vnde mihi uidea-
tur oleum charitas significari, dicam uobis. Apo-
stolus dicit, Adhuc supereminentiorem uobis ui-
am demonstro. Supereminentiorem uiam quam
demonstrat? Si linguis hominum loquar & ange- 1 Cor. 13
lorum, charitatem aũt non habeam, factus sum
æramentum sonans, aut cymbalũ tinniens. Ipsa
est supereminens uia, id est, charitas, quæ merito
oleo significatur. Omnib. enim humoribus oleũ
supereminet. Mitte aquam, & superinfunde o-
leum, oleũ supereminet. Mitte oleum, superin-
funde aquam, oleũ supereminet. Si ordinem ser-
uaueris uincit, si ordinem mutaueris uincit. Cha-
ritas nunquam cadit. Quid ergo fratres? Iam di-
sceptemus de quinq; uirginibus prudentibus, &
quinq; fatuis. Voluerũt obuiam ire sponso. Quid
est ire obuiam sponso? Corde ire, expectare eius
aduentũ, sed ille tardabat. Dum tardat ille, dor-
mierũt omnes. Quid est omnes? Et fatuæ & sapi-
entes, dormitauerũt omnes & dormiuerũt. Puta-
mus bonus est somnus iste? Quid est somnus iste?
Ne forte tardante sponso, quoniam abundat ini-
quitas refrigescet charitas multorũ? Siccine in-
tellecturi sumus istum somnũ? Non mihi placet:
dico quare, quia sunt ibi prudentes, & utiq; quan-
do dixit dominus, Quoniam abundauit iniqui-
tas, refrigescet charitas multorum, subiecit & ait,
Qui autem perseuerauerit usq; in finem, hic salu-
uus erit. Vbi uultis esse istas prudẽtes? Nonne in
his quæ perseuerauerunt usq; in finem? Non ob a-
liud fratres, non ob aliud prorsus admitterentur
intro, nisi quia perseuerauerũt usq; in finem. Non
ergo eis obreplit frigus charitatis, non in eis refri-
guit charitas, sed feruet usq; in finem. Quia feruet
usq; in finem, ideo sponsi ianuæ patuerũt, ideo eis
dictum est ut intrarent, sicut illi optimo seruo, In-
tra in gaudium domini tui. Quid est ergo, dor-
mitauerũt omnes? Est alius somnus quem nemo
euadit. Non recordamini Apostolum dicentem, 1 Thes. 4
De dormientibus autem nolo uos ignorare fra-
tres: id est de his q; mortui sunt? Quare enim dor-
mientes uocantur, nisi quia suo die resuscitantur?
Ergo dormiunt omnes. Putas, quia prudens est,
ideo non habet mori? Fatua sit uirgo, prudens sit
uirgo, somnum mortis omnia patiuntur, Aliquan
do autem dicunt sibi homines, Ecce iam dies iudi
cij uenit, tanta mala fiunt, tantæ tribulationes cre-
brescunt: ecce omnia quæ Prophetæ dixerũt pe-
nè completa sunt, iam dies iudicij instat. Qui hoc
dicunt & fideliter dicunt, tanquam obuiam eunt
sponso cogitationibus talibus. Sed ecce bellum su
per bellum, tribulatio super tribulationem, terræ-
motus super terræmotum, fames super famem,
gens super gentẽ, & nondum uenit sponsus. Cum
ergo expectatur ut ueniat, dormiũt omnes illi qui
dicunt: Ecce uenit dies iudicij, ecce hic nos inue-
nit. Cum

nit. Cum dicit, dormit, ergo obseruet ad somnum
suum, & perseueret in charitate usq; ad somnum A
suum, expectantem illum inueniat somnus. Puto
enim quia dormit. Nunquid qui dormit non adij
ciet ut resurgat? Dormierunt ergo omnes, & de il
lis prudentibus, & de illis fatuis dictum est, dor-
mierũt. Ecce media nocte clamor factus est. Quid
est media nocte? Quando non speratur, quando
omnino non creditur. Noctem posuit pro ignora
tione, ne aliquis quasi computet sibi & dicat, Ec-
ce ab Adam tot anni transierũt, & ecce complen-
tur sex milia annorum: & cõtinuo quomodo qui-
dam tractatores computauerunt, cõtinuo ueniet
dies iudicij: & ueniunt & transeunt computatio-
nes, & adhuc remoratur sponsi aduentus, & dor-
miunt uirgines quæ obuiam ierãt. Ecce dum non B
speratur, dum dicitur sex millia annorum expe-
ctabãtur, & ecce trãsierũt, unde scimus iam quãdo
ueniet? media nocte ueniet. Quid est, media no-
cte ueniet? Dum nescis ueniet. Quare dum nescis
Act.1 ueniet? Ipsum dominum audi, Non est uestrum
scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate.
1 Thes. 5 Dies domini, ait Apostolus, tanquam fur in no-
cte ita ueniet. Ecce uigila nocte ne furem patia-
ris. Nam somnus mortis uelis nolis ueniet. Sed cũ
factus fuerit clamor media nocte: quis est iste cla-
1. Cor. 13 mor, nisi de quo Apostolus dicit, In ictu oculi in
nouissima tuba? Canet enim tuba, et mortui re-
surgent incorrupti, & nos immutabimur. Denicq;
clamore facto media nocte quo clamabitur, ecce
sponsus uenit: quid sequitur? Surrexerũt omnes. C
Quid est, surrexerunt omnes? Veniet hora, dixit
ipse dominus, quando omnes qui sunt in monu-
mentis audiunt uocẽ eius & procedunt. Ergo ad
nouissimam tubam surgent omnes. Prudentes au
tem illæ tulerũt oleum secum in uasis suis, stultæ
uero illæ nõ tulerunt oleum secum. Quid est, non
tulerunt oleum secum in uasis suis? Vnde dicit A-
2. Cor. 1 postolus, Gloria nostra hæc est, testimonium con
scientiæ nostræ. Ibi oleum, magnum oleum. De
dono dei est hoc oleum. Denicq; homines oleum
mittere intro possunt, oliuam creare non possunt.
Ecce habeo oleum: nunquid tu creasti oleum? De
dei dono est. Habes oleum, porta tecũ. Quid est
porta tecum? Intus habe, ibi place deo. Etenim ec
ce istæ uirgines stultæ quæ nõ portauerũt oleũ se-
cum, abstinentia sua qua uirgines appellantur, &
bonis operibus suis quãdo lampades ferre uiden-
tur, hominibus uolunt placere, & ideo omnia ista
laudabilia faciunt, oleum secum non portant. Tu
ergo tecum porta, intus porta. Vbi uidet deus, ibi
porta testimonium conscientiæ tuæ. Qui autem
ambulat ad testimonium alienũ, oleum non por-
tat secum. Si ideo abstines ab illicitis, & facis bo-
na opera ut ab hominibus lauderis, nõ est intus o-
leum. Denicq; cum cœperint homines, non defici-
unt lampades. Intendat itaq; charitas uestra, An-
tequam dormirent illæ uirgines, non est dictum,
quia extinguebantur lampades illarum. Sapienti
um lampades ardebant de oleo æterno, de consci
entiæ securitate, de interiore gloria, de intima cha

ritate. Ardebant tamen & illarum fatuarum. Qua
re tunc ardebant? Quia non deerant laudes homi
num. Postea uero quàm surrexerunt, id est, in re-
surrectione à mortuis, cœperunt aptare lampades
suas, id est, parare deo operum suorum reddere ra
tionem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis
homo causæ suæ uacat, nemo est tunc qui non de
se cogitet: non ergo erant qui oleum uenderent,
cœperunt deficere lampades, & conuerterunt se
fatuæ ad quinq; prudentes, Date nobis, inquiunt,
de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguun-
tur. Hoc quærebant quod consuerant, id est, alie-
no oleo lucere, ad alienas laudes ambulare. Date
nobis de oleo uestro, qa lãpades nostrę extinguũ-
tur. At illæ, Ne forte, inquiunt, non sufficiat no-
bis & uobis, ite potius ad uendentes & emite uo-
bis. Non consulentium, sed irridentium est ista re-
sponsio. Quare irridentium? Quia sapientes erãt,
quia sapientia erat in illis. Non enim sapientes de
suo erant, sed illa in illis erat sapientia, de qua scri-
ptum est in quodam libro, quæ dicit contemptori
bus suis cum uenirẽt ad mala, quæ illis minata est,
Et ego uestræ perditioni superridebo. Quid mi- Prouer. 1
rum est quia sapientes irrident fatuas? Quid est ir
ridere? Ite ad uendentes & emite uobis, quæ non
solebatis bene uiuere, uisi quia uos homines lau-
dabant, quia uobis oleum uendebant. Quid est o-
leum uendebãt? Laudes uendebant. Qui uendũt
laudes nisi adulatores? Quãto magis non acquie-
scetis adulatoribus, et intus oleum portaretis, &
propter bonam conscientiam omnia bona opera
faceretis: tunc diceretis, Emendauit me iustus in Psal. 140
misericordia & arguit me, oleum autem peccato-
ris non impinguet caput meum. Melius, inquit,
emendet me iustus, arguat me iustus, colaphizet
me iustus, corrigat me iustus, quàm impinguet ca
pus meum oleum peccatoris. Quid est oleum pec
catoris, nisi blandimenta adulatoris? Ite ergo ad
uendentes & emite uobis, hoc facere consueui-
stis. Nos autem non uobis damus, Quare? Ne for-
te non sufficiat nobis & uobis. Quid est non suffi
ciat? Non desperatione dictũ est, sed sobria & pia
humilitate. Quamuis enim bonus habeat bonam
conscientiam, unde scit, quemadmodum iudicet
ille qui neminem fallit? Habet bonam conscien-
D tiam, non illi titillant crimina in corde concepta:
sed ꝓpter quotidiana quędam uitę humanæ pec-
cata, licet bona cõsciẽtia sit, tamen dicit deo, Di-
mitte nobis debita nostra, quia fecit quod sequi- Matt. 6
tur, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
Fregit panem esurienti ex corde, uestiuit nudum
ex corde, de oleo interiore fecit opera bona, & ta-
men in illo iudicio trepidat ipsa bona conscientia.
Vide quid est, Date nobis oleum: audierunt, Ite
potius ad uẽdentes, quia laudibus humanis uiue-
re consueuistis, uobiscum oleum nõ portatis: non
autem nos damus, ne forte non sufficiat nobis &
uobis. Vix enim de nobis iudicamus, quanto mi-
nus de uobis possumus iudicare? Quid est uix de
nobis possumus iudicare? Quia cũ rex iustus sede
rit in throno, q̃s gloriabit castum se cor habere?

Forte tu non inuenis aliquid in conscientia tua,& inuenit ille qui melius uidet,cuius acies diuina pe A
netrat altiora. Videt forte aliquid,inueniet forte
Psal.141 aliquid.Quãto melius illi dicis, Ne intres in iudi-
cium cum seruo tuo? Etiam quanto melius dicis,
Dimitte nobis debita nostra? Quia & dicitur tibi
propter illas faces, propter illas lampades, Esuri-
ui,& dedistis mihi manducare. Quid ergo? Et il-
læ non illud fecerunt? Non fecerunt ante illum.
Sed quomodo fecerunt? Quomodo prohibet do
minus qui dixit,Cauete iusttiam uestrã facere co
Matt. 6 ram hominibus ut uideamini ab eis,alioquin non
habebitis mercedẽ apud patrem qui in cœlis est.
Et,Nolite similes esse hypocritis quãdo oratis.A-
mãt em̃ stare in plateis & orare ut,uideãtur ab ho-
minibus. Amen dico uobis, receperũt mercedem B
suam.Emerunt oleum, precium dederunt. Eme-
runt,non sunt fraudati laudib. humanis. Quæsie-
runt laudes humanas,& habuerũt.Istæ laudes hu-
Matt.5 manæ in die iudicij non eos adiuuãt.Illæ aũt quo-
modo fecerũt? Luceant opera uestra corã homini
bus ut uideant bona facta uestra,& glorificent pa
trem uestrũ qui in cœlis est. Non ait uos.Non e-
nim de tuo habes oleũ. Iacta te,et dic habeo. Sed
non habes.Quid enim habes quod nõ accepisti?
Ergo illæ sic fecerunt,illę sic.Non est autẽ miran-
dum cum eunt emere,cum quærunt à quibus lau-
dentur,& non inueniunt: cum quærunt à quibus
consolentur, & non inueniunt, aperta est ianua,
uenit sponsus & sponsa. Tunc glorificata est cum
Christo Ecclesia, ut singula membra ad totum se C
colligant.Et intrauerunt cũ eo ad nuptias,& clau-
sum est ostium.Et illæ fatuæ postea uenerunt, sed
nunquid oleũ emerunt,aut à quibus emerent in-
uenerunt? Ideo ianuas clausas inuenerunt: pulsa-
re cœperunt,sed sero.Dictum est,uerum est, non
Matt. 7 fallaciter dictum est, Pulsate & aperietur uobis.
Sed modo quando tempus est misericordiæ,non
quando tẽpus est iudicij. Non enim possunt con-
fundi ista tempora, cum misericordiam & iudici-
um domino suo cantet Ecclesia.Tempus est mise
ricordiæ,age pœnitentiã. Tempore iudicij illã ha
bes agere? Eris in uirginibus illis,cõtra quas clau-
sum est ostium.Domine dñe aperi nobis. Nunqd
non pœnitentiam egerũt, quæ secum oleum non
portauerũt? Et quid illis profuit sera pœnitentia,
quando eas irridebat uera sapientia? Clausum est
ergo ostium. Et quid illis dictum est? Non noui
uos.Non illas nouit, qui omnia nouit? Quid ergo
est,Non noui uos? Improbo uos,reprobo uos. In
arte mea non uos agnosco, ars mea nescit uitia.
Hoc est aũt magnũ,& nescit uitia,& iudicat uitia.
Nescit faciendo,iudicat arguendo. Sic ergo non
noui uos, ierunt, intrauerunt quinq; prudentes.
Quãm multi estis fratres mei in nomine Christi,
sint in uobis quinq; prudentes, sed nolite quinq;
homines. Sint in uobis quinq; prudẽtes, ad istam
prudentiã quinarij numeri pertinẽtes. Veniet em̃
hora,& quando nescimus ueniet.Media nocte ue
niet,uigilate.Sic clausit Euangeliũ,Vigilate,quia
nescitis diem neq; horam. Si ergo dormituri su-
mus,quomodo uigilamus? Corde uigila, fide ui-
gila, spe uigila, charitate uigila, operibus uigila,
& quando corpore dormieris,ueniet tẽpus ut sur
gas. Cum autem surrexeris, præpara lampades.
Tunc non extinguantur,tunc interiore conscien-
tiæ oleo uegetentur:tunc sponsus ille incorporeis
nexibus amplectatur,tunc te introducat in domũ
ubi nunquam dormias, ubi nunquam possit tua
lampas extingui. Hodie uero laboramus,& lam-
pades nostræ inter uentos seculi huius tentatio-
nesq; fluctuant: sed ardeat in rubore flamma no-
stra, ut uentus tentationis augeat ignem potius
quàm extinguat.

DE VERBIS DOMINI IN EVAN-
gelio secundum Lucam.

De eo quod scriptum est in Euangelio secun Luca 10
dum Lucam, Qui uos spernit, me spernit. Ser-
mo XXIIII.

A OMINVS noster Iesus Chri-
stus qd' discipulis suis loque-
batur illo tempore scribeba-
D tur, & nobis audiendum para
batur. Audiuimus ergo uerba
eius. Quid enim uobis pro-
desset si uideretur? Nec modo
aliquid obest,quia non uidetur & tamen auditur.
Dicit ergo, Qui uos spernit me spernit.] Si so- Luca 10
lis apostolis dixit,Qui uos spernit me spernit,sper
nite nos. Si autem sermo eius peruenit ad nos &
uocauit nos,& in eorum loco constituit nos,uide
te ne spernatis nos, ne ad illum peruenìat iniuria
quam nobis feceritis.Si enim nos non timetis, il-
lum timete qui dixit, Qui uos spernit me spernit.
Quid autem nos loquimur uobis qui sperni nolu
mus à uobis,nisi ut de uestris bonis moribus gau-
deamus? Periculorũ nostrorum sint solatia, uestra
bona opera. Viuite bene,ne moriamini male.Nec
in his uerbis quæ dixi, Viuite bene, ne moriamini
male,attendatis eos qui forte male uixerunt, & in
lectulis suis mortui sunt,& acta est pompa fune-
ris eorum & positi sunt in preciosis sarcophagis,
in sepulchris pulcherrime & operosissime fabri-
catis. Et quia forte dicit sibi unusquisq; uestrum,
sic uellem mori, putetis me rem uanam dicere uo
luisse, quoniam dixi uelle me ut bene uiuatis ne
male moriamini? Contra forte occurrit aliquis,
qui & bene uixit,& secundum opinionem homi-
num male est mortuus.Forte à ruina est mortuus,
à naufragio mortuus est,à bestijs mortuus est. Et
dicit unusquisq; carnalis in corde suo, Quid est be
ne uiuere? Ecce ille sic uixit,& sic est mortuus.Re
dite ergo ad cor, & si fideles estis inuenietis ibi
Christũ.Ipse uobis loquit̃ ibi,Ego enim clamo, il-
le uero in silentio plus docet. Ego loquor per so-
num sermonis:ille intus loquitur per timorem co
gitationis. Ergo ipse asserat in corde uestro uer-
bum meum, quoniam dicere ausus sum,bene ui-
uite ne male moriamini. Ecce quomodo fides est
in cordib. uestris,& ibi est Christus, & ipse habet
docere quod ego cupio personare. Recordamini
in Euan-

Luca 16. in Euangelio diuitem illum, & pauperem illum.
Diuitem indutũ purpura & bysso, & quotidianis A
epulis saginatum,pauperem uero illum iacentem
ante ianuam diuitis esurientem, & de mensa eius
micas requirentem, ulceribus plenum, à canibus
linctũ.Recordamini ergo. Vnde recordamini,ni
si quia Christus ibi est in cordib.uestris? Dicite mi
hi quod ipsum intus interrogaueritis,& respondẽ
rit uobis.Sequit̃ enim & dicit, Contigit mori in-
opem illum,& auferri ab angelis in sinum Abra-
hæ.Mortuus est autem & diues & sepultus est in
infernum. Cum autem in tormentis esset, leuauit
oculos & uidit Lazarũ requiescentem in sinu A-
brahæ.Tunc clamauit dicens,Pater Abrahã, mit-
te Lazarum ut intingat digitum suum in aqua ut
stillet in linguam meam,quia crucior in hac flam-
ma.Superbus temporis,mẽdicus inferni. Pauper
enim ille perueniebat ad micam,ille uero non per
ueniebat ad guttã.De duobus ergo istis dicite mi-
hi, quis est bene mortuus,& quis male mortuus?
Nolite oculos interrogare,ad cor redite. Si enim
oculos interrogaueritis, falsa uobis respondent.
Multũ em̃ splẽdida sunt & secularitẽr fucata, quæ
illi diuiti morienti exhiberi potuerũt.Quę potue-
runt agmina plangentium esse seruorũ & ancilla-
rum? quæ pompa clientiũ? qui splendor funeris,
quod precium sepulturæ? Credo eum aromatib.
obrutũ.Quid ergo dicturi sumus fratres,bene istũ
mortuũ, an male mortuũ? Si oculos interrogatis,
optime mortuus est,si magistrum uestrum interio
rem requiritis,pessime mortuus est.Si ergo sic mo
riuntur superbi rerum suarũ conseruatores, & ni-
hil inde pauperibus largiẽtes:quomodo moriun-
tur qui rapiunt res alienas? Verum ergo dixi,uiui
te bene ne male moriamini,ne quomodo diues il-
le moriamini.Non probat malam mortẽ,nisi tem
pus post mortem.Econtra attendite illum paupe-
rem,sed nolite oculis: nam errabitis. Fides atten-
dat,cor uideat. Constituite illum ante oculos ue-
stros iacentem in terra ulcerosum, uenientes ca-
nes lingentes ulcera eius.Sed cum talem illum re-
uocatis ante o culos uestros, continuo expuitis,fa
ciem auertitis,nares obturatis.Cordis oculis uide
te.Mortuus est & ablatus est ab angelis in sinum
Abrahæ.Familia diuitis uidebatur plãgens,ange-
li non uidebantur gaudẽtes. Quid ergo respõdit
diuiti Abraham? Memento fili,quia percepisti bo
na in uita tua. Nihil bonũ putasti nisi quod in ista
uita habuisti.Accepisti bona,sed transierunt dies,
& totũ perdidisti,& torquendus in inferis reman
sisti. Opportunũ ergo est fratres,ut hæc uobis di-
cantur.Attendite pauperes,siue iacentes,siue am
bulantes.Attendite pauperes,facite bona opera.
Qui soletis facite,& qui non soletis facite.Crescat
numerus bene operantium,quoniam & crescit fi-
delium numerus.Quod facitis quantũ bonum sit
nondum uidetis,quia & rusticanus quando semi-
nat segetẽ non uidet,sed terrę credit.Tu deo qua-
re nõ credis? Veniet messis nostra. Puto quia mo
do laborantes agimus,laborantes operamur,rece
Psal.125 pturi sicut scriptum est,Euntes ibant et flebant ia-
ctantes semina sua,uenientes autem ueniunt cum
exultatione portantes manipulos suos.

De diuite & Lazaro,In Euangelio secundum Luca 16.
eundem. Sermo XXV

A DVERTIT sanctitas uestra fratres charis-
simi,& mecum,ut arbitror,tota mentis in-
tentione perspexit opulentiam diuitis, & Phrasis nõ re-
indigentiam mendicãtis: unum cibis æstuantem, spondet Augu-
& alium fame deficientem.Ambo quidem homi- stinianæ.Est
nes,ambo carnales,ambo mortales, sed nõ ambo tamen lectu di-
æquales.Natura una,sed uita non una. Nullus eo- gnus.
rum à conditione mortis immunis,& tamen unus
epulatur splẽdide,& alter in pannis & in ærumna
sordescit. Ille delicatis escis ad intẽtionẽ coquorũ
gaudebat,iste si caderẽt micæ de mẽsa eius expe-
B ctabat.Audiant nunc diuites qui nolunt esse mise
ricordes, audiant quia una omnes nascimur lege,
una uiuimus luce,unum spiramus aerem,una quo
que extinguimur morte,quæ si non intercederet,
nec pauper ipse duraret.Hic ulcerosus et nudus ia
cens Lazarus,ad Abrahę sinum angelorũ porta-
tur manibus.Ecce diues refectus & splẽdidus tar
tareo carcere claudit̃. Vbi est uestis byssina? Vbi
uita abundans & affluens copijs multis? Nonne
morte omnia transeunt tanquam umbra? Nihil in 1.Tim.6
tulimus in hunc mundũ, dicit Apostolus, sed nec
quicquam auferre possumus.Nihil nobiscũ tolli-
mus aut rapimus.Quod si aliqd tolleremus, nõn-
ne uiuos homines uoraremus? Quæ est ista auidi-
tas concupiscentiæ,cum ipsæ beluæ habeant mo-
C dum? Tunc enim rapiunt quando esuriunt,par-
cunt uero prædæ cum senserint satietatem. Inex-
plebilis est sola auaricia diuitum, semper rapit, &
nunquam satiatur,nec deum timet,nec hominem
reueretur:non patri parcit,non matrem agnoscit,
nec fratri obtemperat,nec amico fidem seruat:ui-
duam opprimit,pupilli rẽ inuadit, liberos in serui
tiũ reuocat,testamentũ falsum profert. Res mor-
tui occupantur, quasi non & ipsi qui hoc faciant
moriantur. Quæ est ista rogo animarum insania,
amittere uitam, appetere mortẽ, acquirere aurũ,
& perdere cœlum? Sed quia nemo cogitat deum,
ideo manet in morte iudicium.Merito dictum est
diuiti,Quia percepisti bona in uita tua, & Laza-
rus similiter mala: nunc aũt hic consolatur,tu ue-
D ro cruciaris.] Audiant ista diuites,qui nolunt esse
misericordes. Audiant irrogari supplicia,eis qui
nolunt erogare subsidia. Audiant pauperem refri
gerantem, audiant diuitem pœnis grauioribus æ-
stuantem. Pater Abraham, inquit, dimitte Laza
rum ut intingat extremum digiti sui in aquam &
refrigeret linguã meam,quia crucior in hac flam-
ma.At ille,Memento,inqt,fili,quia percepisti bo
na in uita tua,& Lazarus similiter mala.] Pensan-
tur pro diuitijs pœnæ, refrigeriũ pro paupertate,
pro purpura flamma,refectio pro nuditate,ut sal-
ua sit æquitas stateræ,& non mentitur modus illi-
us mẽsuræ,In qua,inquit,mensi fueritis mensura,
ita metietur uobis.Ideo negatur in pœnis miseri-
cordia diuiti,qa ipse dum uiueret noluit misereri.
Ideo rogãs diues nõ exauditur in tormentis, quia
rogan-

rogantem pauperem non audiuit in terris. Diues & pauper duo sunt sibi contraria, sed iterum duo **A** sunt sibi necessaria. Nullus indigeret si inuicem supportarent, & nemo laboraret si se ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem. Pauperis est orare, & diuitis erogare. Dei est pro paruis magna pẽsare. De misericordia eius parua, magna nascitur copia. Fœcundus est ager pauperum, cito reddit dominantibus fructum. Via cœli pauper, per quã uenitur ad patrem. Incipe ergo erogare si non uis errare. Patrimonij tui, quo es ligatus, compedem in hac uita resolue, ut libere ad cœlum possis accedere. Abijce abs te diuitiarum onera, abijce uincula uoluntaria, abijce anxietates & tædia, quæ te pluribus in annis inquietant. Da petenti ut possis ipse **B** accipere: tribue pauperi, si non uis flammis exuri. Da in terra Christo, ut tibi reddat in cœlo. Obliuiscere quod es, & attende quid futurus es. Præsens uita fragilis est, & in mortem procliuis. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. Nolentes imus, inuiti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hospitiũ ueniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos pręmittimus, ꝗ aũt rapimus hic totũ dimittimus.

Lucæ 10 De Martha & Maria, In euangelio secundum eundem. Sermo XXVI.

A VERBA domini nostri Iesu Christi quę modo ex Euangelio recitata sunt, admonent nos, esse unũ aliquid quò tendamus, quando in huius seculi multitudine laboramus. Tendi- **C** mus aũt adhuc peregrinantes, nondum manẽtes: adhuc in uia, nõdum in patria: adhuc desiderãdo, nondũ fruendo. Tamen tẽdamus & sine pigricia & sine intermissione tendamus, ut aliquando peruenire ualeamus. Martha & Maria duę sorores erãt, ambę nõ solũ carne sed etiã religione germanæ, ambæ domino cohæserunt, ambæ domino in carne præsenti cõcorditer seruierũt. Suscepit eum Martha, sicut solent suscipi peregrini. Sed tamen suscepit famula dominum, ægra saluatorem, creatura creatorẽ. Suscepit autẽ spiritu pascẽda in carne pascendum. Voluit enim dominus formã serui accipere, et accepta forma serui in illa pasci à seruis, dignatione non cõditione. Nam & ista dignatio fuit, se præbere pascendum. Habebat carnem **D** in qua esuriret quidem & sitiret, sed nescitis quia in eremo esurienti angeli ministrabant? Ergo qđ pasci uoluit, pascenti præstitit. Quid autem mirum si & de sancto Helia præstitit uiduæ quẽ prius coruo ministrante pascebat? Nunquid pascendò defecerat, quando ad uiduam mittebat? Non. Sed religiosam uiduam per obsequium exhibitum seruo suo benedicere disponebat. Sic ergo susceptus est dominus tanquam hospes, qui in sua propria uenit, & sui eum non receperũt: sed quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, adoptans seruos & liberos faciens, redimens captiuos & faciens cohæredes. Ne quis tamen uestrum forsitan dicat, O beati qui Christum suscipere in domum propriã meruerunt, Noli dolere, noli murmurare, quia tẽporibus natus, quando iam dominum non uides in carne, non tibi abstulit istam dignationem, Cum uni, inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Matt.25* Hæc de domino pascendo pascente in spiritu, pauca pro tempore diximus, Veniamus ad causam quã de unitate proposui. Martha dominum pascere disponẽs & præparans, circa frequens ministerium occupabatur, Maria soror eius pasci à domino magis elegit. Deseruit quodammodo sororem suam circa multum ministerium laborantem, & sedit ipsa ad pedes domini, & uacans audiebat uerbum eius. Auris fidelissima audierat, Vacate & uidete quoniam ego sum dominus. *Psal.45* Illa turbabatur, ista epulabatur. Illa multum disponebat, ista unum aspiciebat. Vtrunq; officium bonum, sed tamẽ quod sit melius, quid nos dicamus? Habemus quem interrogemus, patienter audiamus. Quid sit melius, iam cum legeretur audiuimus, & me commemorantem audiamus. Interpellat Martha hospitem, ad iudicem deponit postulationem piarum querelarum, quòd eam soror deseruerit, & sic laborantem ministerio adiuuare neglexerit. Non respõdente illa, sed tamen præsente, iudicat dominus. Maria causam suam tanquam otiosa iudici maluit committere, nec in respondendo uoluit laborare. Si enim pararet respõdendi sermonem, remitteret audiendi intentionẽ. Respondit ergo dominus, qui in uerbo non laborat, quia uerbum erat. Quid ergo dixit? Martha Martha.] Repetitio nominis est indicium dilectionis, aut forte mouendę intentionis, ut audiret attentius, Bis uocata est Martha Martha, Audiuit, circa multa es occupata, Vnum autem opus est,] Id est, unum necessarium est. Non unum, quasi singulare opus, sed opus est, expedit, necessarium est. Quod unũ elegerat Maria? Vnum cogitate fratres mei, & uidete in ipsa multitudine si delectat nisi unum. Ecce deo propitio quàm multi estis, Quis uos ferret, nisi unum saperetis? Vnde in multis ista quies? Da unum, & populus est. Tolle unum & turba est. Quid est enim turba, nisi multitudo turbata? Sed audite Apostolum, Obsecro autem uos fratres, Multitudini dicebat, sed omnes in unum facere uolebat, Obsecro autẽ uos fratres, ut idipsum dicatis omnes, *1. Cor.1* & non sint in uobis schismata, sitis aũt perfecti in eodem sensu, & in eadẽ scientia. Et alio loco, Vnanimes unum consentiẽtes, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam. *Philip.2* Et dominus ad patrem de suis, Vt sint unum, sicut & nos unum sumus. *Ioan.17* Et in actibus Apostolorũ, Multitudinis autem credentium erat anima una, & cor unum. *Act.4* Ergo magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in unum, *Psal.33* quia unum est necessarium, unum illud supernum, unum ubi pater & filius & spiritus sanctus sunt unum. Videte nobis commendari unitatem. Certe trinitas est deus noster. Pater non est filius, filius nõ est pater, spiritus sanctus nec pater est nec filius, sed amborum spiritus, & tamen ista tria non tres dij, nõ tres omnipotentes, sed unus omnipotens, ipsa trinitas unus deus, quia

quia unum necessarium est. Ad hoc unum non nos perduxit, nisi multi habeamus cor unum. Bona sunt ministeria circa pauperes, & maxime circa sanctos dei seruitia debita, obsequia religiosa. Redduntur enim, non dantur, dicente Apostolo, *1 Cor.9* Si nos uobis spiritalia seminauimus, magnum est si carnalia uestra metamus? Bona sunt, exhortamur ad hæc, & in uerbo domini ædificamus uos, *Heb.13* nolite pigri esse ad suscipiendos sanctos. Aliquando nescientes, suscipiendo quos nesciunt, angelos susceperunt. Bona sunt hæc, melius est tamẽ quod elegit Maria. Illud enim habet ex necessitate occupationem, illud autem habet ex charitate suauitatem. Vult homo occurrere quando ministrat, & aliquando non potest. Quæritur quod deest, paratur quod adest, distenditur animus. Nam si Martha illa sufficeret, adiutorium sororis nũquam posceret. Multa sunt, diuersa sunt, quia carnalia sunt, quia tẽporalia sunt, & si bona sunt, trãsitoria sunt. *Luc.10* Marthæ autem quid ait dominus? Maria meliorem partem elegit.] Non tu malam, sed illa meliorem, quia non auferetur ab ea, A te auferetur aliquando onus necessitatis, æterna est dulcedo ueritatis. Non auferetur ab ea quod elegit, Non auferetur, sed tamen augetur. In hac uita augetur, in alia uita perficietur, nunquam auferetur. Cęterum tu Martha, pace tua dixerim, in bono ministerio benedicta, pro isto labore tuo mercedem quæris quietem, modo occupata es circa multũ ministerium, pascere uis mortalia corpora, licet sanctorum, Nunquid cum ueneris ad illam patriam inuenies peregrinum quem suscipias hospitio? Inuenies esurientem cui panem frangas? sitientem cui potum porrigas? ægrum quem uisites? litigantem quem concordes? mortuum quem sepelias? Quod Maria elegit, ibi pascemur, non pascemus. Ideo hoc ibi erit plenum atq; perfectum, quod hic elegit Maria. De illa mẽsa opulenta, de uerbo domini micas colligebat. Nam uultis nosse quid ibi erit? Dominus ipse dicit seruis suis, Amen dico uo- *Lucæ 12* bis, quia faciet eos recũbere, & transibit, & ministrabit illis. Recũbere quid est, nisi uacare? Recũbere quid est, nisi requiescere? Quid est, transibit & ministrabit illis? Prius transibit, & sic ministrat. Sed ubi? In illo conuiuio superno de quo dicit, *Matt.8* Amen dico uobis, multi ab Oriẽte & Occidente uenient, & recũbent cũ Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Ibi dominus pascit, sed prius hinc transit. Nam ut noueritis, pascha transitus interpretatur. Venit dominus, fecit diuina, passus est humana, Nunquid adhuc conspuitur? Nunquid adhuc expalmatur? Nunquid adhuc spinis coronatur? Nunquid adhuc flagellatur? Nũquid adhuc crucifigitur? Nunquid adhuc lancea uulneratur? Transiuit. Deniq; & euangelium sic loquitur, quando pascha fecit cum discipulis suis. *Ioan.13* Quod dicit euangelista? Cum autem uenisset hora, ut Iesus transiret de hoc mundo ad patrem. Ergo ille transiuit ut pascat, nos sequamur ut pascamur.

De eisdem, de quibus supra.
Sermo XXVII

A SANCTVM euangelium cum legeretur, **A** audiuimus à fœmina religiosa susceptum *Luc.1* esse dominum hospitio, eaq; Martha uocabatur. Et cum esset ipsa occupata in cura ministrãdi, soror eius Maria sedebat ad pedes domini, & audiebat uerbum eius. Laborabat illa, uacabat ista. Illa erogabat, hæc implebatur. Veruntamen Martha, laborans multũ in illa occupatione & negotio ministrãdi, interpellauit dominum: & de sorore sua conquesta est, quòd eam laborantem nõ adiuuaret. Dominus aũt pro Maria respõdit Marthæ, et ipse eius factus est aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus. Martha, inquit, circa multa es **B** occupata, quando unum est necessarium. Maria meliorem partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea.] Audiuimus enim interpellationem interpellãtis, & sententiam iudicis. Quę sententia interpellanti respondit, susceptam defendit. Erat enim Maria intenta dulcedini uerbi domini, intẽta erat Martha, quomodo pasceret dominum, intenta Maria quomodo pasceretur à domino. A Martha cõuiuium domino parabatur, in cuius conuiuio Maria iã iocũdabatur. Cum ergo Maria suauiter audiret uerbum dulcissimum, & corde intentissimo pasceret̃, interpellato domino à sorore sua, quomodo putamus eam timuisse, ne diceret ei dominus, Surge & adiuua sororem tuam? Mira eñ suauitate tenebatur, quæ profecto maior est mentis quàm uentris. **C** Excusata est, sedit securior. Quomodo autem excusata est attendamus, inspiciamus, perscrutemur quod possumus. Pascamur & nos. Quid enim? Putamus nos reprehensum esse ministerium Marthę, quam cura hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum dominum hospitio receperat? Quomodo recte reprehendat̃, quæ tanto hospite lætabat̃? Hoc si uerum est, dimittant homines quod ministrent egẽtibus, eligant sibi partẽ meliorẽ, quæ non auferetur ab eis, uacent uerbo, inhient doctrinæ dulcedini, occupentur circa scientiam salutarem, nihil eis curæ sit quis peregrinus in uico sit, quis egeat pane, quis indumento, quis uisitandus, quis redimẽdus, quis sepeliendus, uacent opera misericordiæ, uni instetur scientię. Si melior pars est, cur nõ om- **D** nes hoc faciunt, quando ipsum dominũ in hac causa patronũ habemus? Non eñ timemus in hac re, ne offendamus eius iustitiam, cum patronam teneamus eius sententiam, Et tamen ita non est, sed sicut dixit dominus, ita est. Quomodo intelligis nõ est, est autem quomodo intelligere debeas. Ecce aduerte, Circa multa es occupata, quando unũ est necessarium. Maria meliorem partem elegit. Non tu malam, sed ista meliorem. Sed unde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa unum. Præponitur unum multis. Non enim à multis unum, sed multa ab uno. Multa sunt quę facta sunt, unus qui fecit cœlum, mare, & omnia quæ in eis sunt. Quã multa sunt, quis ista enumeret? Quis horum multitudinem cogitet? Quis hoc fecit? Deus omnia. Ecce bona ualde. Bona ualde quæ fecit, quanto *Gen.1*

melior ille est qui fecit? Attendamus igitur occu-
pationes nostras circa multa, necessarium est mini A
sterium corpora refecturis. Quare hoc? Quia esu-
ritur, quia sititur, misericordia miseris necessaria
est. Frangis panẽ esurienti, quia inuenisti esurien-
tem. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle pere-
grinationem, cui exhibes hospitalitatẽ? Tolle nu-
ditatem, cui præparas uestem? Non sit ægritudo,
quem uisitas? Non sit captiuitas, quem redimis?
Non sit rixa, quẽ concordas? Non sit mors, quem
sepelis? In illo seculo futuro non erunt ista mala,
ergo nec ista ministeria. Bene ergo Martha circa
corporalem domini, quid dicam, necessitatem an
uoluntatem, ministrabat carni mortali. Sed quis
erat in carne mortali? In principio erat uerbum, &
uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum, Ec
Ioan.1 ce quod Maria audiebat. Verbũ caro factum est,
& habitabit in nobis, Ecce Martha cui ministra-
bat. Ergo Maria meliorem partem elegit, quę nõ
auferetur ab ea. Hoc enim elegit, quod semper ma
nebit, ideo non auferetur ab ea. Circa unum se uo-
Psal.72 luit occupari, iam tenebat. Mihi autem adhærere
deo bonum est. Sedebat ad pedes capitis nostri,
Quanto humilius sedebat, tanto amplius capie-
bat. Confluit enim aqua ad humilitatem conual-
lis, denatat de tumoribus collis. Non ergo domi-
nus opus reprehendit, sed munus distinxit. Circa
multa es occupata, porrò unũ est necessarium. Iam
hoc sibi Maria elegit. Transit labor multitudinis,
& remanet charitas unitatis. Ergo quod elegit, nõ
auferetur ab ea, à te autem quod elegisti, utiq; hoc
sequitur, utiq; hoc subintelligitur, à te quod elegi-
sti auferetur. Sed bono tuo auferetur, ut quod me-
lius est detur. Auferetur enim à te labor, ut requies
detur. Tu nauigas, illa iam in portu est. Videtis er-
go charissimi, & quãtum arbitror, iam intelligitis,
in his duabus mulieribus, quæ ambę fuerunt do-
mino gratæ, ambę amabiles, ambæ discipulæ, Vi-
detis ergo, & magnũ aliquid intelligitis, quicunq;
intelligitis, q̃d audire & scire debetis, etiã qui non
intelligitis, in his duabus mulierib. duas uitas esse
figuratas, præsentẽ & futurã, laboriosam & quie-
tam, ęrumnosam & beatam, temporalem & æter-
nam. Duæ sunt uitę, de illis uos copiosius cogita-
te. Quid habeat hæc uita, non dico mala, non ini-
qua, non nefaria, non luxuriosa, non impia, sed la-
boriosa, ęrumnis plena, timoribus castigata, tenta
tionibus solicita: hanc ipsam innocentem uitã di-
co, qualem decebat habere Martham: hanc ergo,
quantum potestis, inspicite, & de hac, ut dixi, co-
piosius quàm loquimur cogitate. Vita uero ini-
qua aberat ab illa domo, nec cũ Martha erat, nec
cum Maria. Et si aliquando fuit, domino intrante
fugit. Remanserunt ergo in illa domo, quæ susce-
perat dominum, in duabus fœminis duæ uitæ, am
bæ innocentes, ambæ laudabiles. Vna laboriosa,
altera otiosa, nulla facinorosa, nulla desidiosa, Am
bæ innocentes, ambæ, inquam, laudabiles, sed u-
na laboriosa, altera otiosa, nulla facinorosa, quam
cauere debet laboriosa, nulla desidiosa, quã caue-
re debet otiosa. Erant ergo in illa domo istæ duæ
uitæ, & ipse fons uitæ. In Martha erat imago præ-
sentium, in Maria futurorum. Quod agebat Mar-
tha, ibi sumus: quod agebat Maria, hoc speramus.
Hoc agamus bene, ut illud habeamus plene. Nam
quid inde habemus? Inquãtum habemus? Quam-
diu hic sumus, quantum est quod inde habemus?
Nam & modo inde aliquid agimus, remoti à ne-
gotijs, sepositis familiaribus curis, conuenistis, sta
tis, auditis. Inquantum hoc agitis, Mariæ similes
estis. Et facilius uos intenditis quod agit Maria, q̃
ego qui prærogo. Si quid tamen dico, Christi est.
Ideo uos pascit, quia Christi, quia panis cõmunis
est, unde & ego uobiscũ uiuo. Nunc aũt uiuimus,
si uos fratres statis in domino, Nolo in nobis, sed 1 Cor.3
in domino, quia neq; qui plantat est aliquid: neq;
B qui rigat, sed qui incrementum dat deus.

De eo quod scriptum est in euangelio secũ-
dum eundem, Domine doce nos orare.

Sermo XXVIII

POSTOLI sancti dicebant ad dominum
A Iesum, Domine docè nos orare, sicut Io Lucæ 11
annes docuit discipulos suos. Tũc ait do E quinto.
minus orationẽ, Pater noster qui es in cœlis, san- Ambrosij de
ctificetur nomen tuũ, Adueniat regnum tuum.] Sacram. lib.
per totum. Vides quàm breuis oratio, & omnium cap. 4
plena uirtutum. Primus sermo, quantæ sermo gra-
tiæ, O homo, faciem tuam non audebas ad cœlum
attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subi-
to accepisti gratiam Christi. Omnia tibi peccata
dimissa sunt. Ex malo seruo, factus es bonus filius,
C Ideo præsume non de operatione tua, sed de Chri
sti gratia. Gratia enim saluati estis, Apostolus ait. Ephes.2
Non ergo hic arrogantia est, sed fides, prædicare
quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Er-
go attolle oculos ad patrem, qui te per lauacrum
genuit, ad patrem qui per filium te redemit, & dic,
Pater noster. Bona præsumptio, sed moderata. Pa
trem dicis, quasi filius, sed noli tibi aliquid spe-
cialiter uendicare. Solius Christi specialis est pa-
ter, nobis omnibus in commune est pater, quia il
lum solum genuit, nos creauit. Dic ergo & tu per
gratiam, Pater noster, ut filius esse merearis eccle
liæ. Contuitu & consideratione teipsum com-
menda, Pater noster qui es in cœlis. Quid est in
cœlis? Audi scripturam dicentem, Excelsus super Psal.56
D omnes cœlos dominus. Et ubique habes, quòd su
per cœlos cœlorum dominus sit, quasi non in cœ
lis & angeli, quasi non in cœlis & dominationes,
sed in cœlis illis, de quibus dictum est, Cœli enar-
rant gloriã dei. Cœlum est, ubi culpa cessauit. Cœ-
lum est ubi flagitia non sunt. Cœlum est, ubi nul-
lum mortis uulnus est. Pater noster qui es in cœ-
lis, sanctificetur nomen sanctum tuum in nobis.
Quid est sanctificetur? Quasi optemus ut sanctifi
cetur ille qui ait, Estote sancti, quia & ego sanctus Leuit.19
sum, quasi aliquid ei ex nostra precatione sanctifi-
cationis accedat? Non. Sed sanctificetur in nobis,
ut ad nos possit eius sanctificatio peruenire. Pater
noster qui es in cœlis, sanctificetur nomẽ sanctum
tuum in nobis, adueniat regnum tuum. Quasi nõ
sempiternum sit dei regnum, ipse dominus dicit,

Ego

Ego in hoc natus sum, & tu dicis, pater ueniat re-
gnum tuum, quasi non uenerit? Sed tunc uenit re-
A gnum dei, quando estis gratiam eius consequuti.
Luc.17 Ipse enim ait, Regnum dei intra uos est. Veniat re
gnũ tuũ, fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra.
Col.1 Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie. San-
guine Christi pacificata sunt omnia, uel in cœlo,
uel in terra. Sanctificatum est cœlum, deiectus est
diabolus. Ibi uersatur, ubi & homo quem ille de-
cepit. Fiat uoluntas tua, hoc est, sit pax in terra,
quemadmodum in cœlo. Panem nostrum quoti-
dianum da nobis hodie. Memini sermonis mei,
cum de sacramentis tractarem, dixi uobis, quod
ante uerba Christi quod offertur panis dicatur:
ubi Christi uerba deprompta fuerint, iam non pa-
nis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in
B oratione dominica quæ postea sequitur, ait, Panẽ
nostrum. Panem quidem dixit, sed ὑπερούσιον dixit,
hoc est, supersubstãtialem. Non iste panis qui ua-
dit in corpus, sed ille panis uitę ęternę, qui animæ
nostræ substantiam fulcit. Ideo ergo Græce ὑπερ-
ούσιον dicitur. Latinus autem hunc panem quotidia
num dixit, quia Græci dicunt aduenientem. Ergo
quod Latinus dixit & Græcus, utrunq; utile uide-
tur. Græcus utrũq; uno sermone significauit, La-
tinus quotidianum dixit. Si quotidianus est pa-
nis, cur post annum illum sumas, quem iam mo-
dum Græci in Oriente facere consueuerunt? Ac-
cipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic uiue,
ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur
C quotidie accipere, non meretur post annum acci-
pere. Quomodo sanctus Iob quotidie pro filijs of
ferebat sacrificium, ne forte aliquid uel in corde
uel in sermone peccassent. Ergo tu audis quod
quotiescunq; offertur sacrificium, mors domini,
resurrectio domini, eleuatio domini significetur
& remissio peccatorum, & panem istum uitæ no
stræ quotidianum non assumis? Qui uulnus ha-
bet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub pec-
cato sumus, medicina est, cœleste & uenerabile sa
cramẽtum. Panem nostrum quotidianum da no-
bis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie
est. Tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit.
Psal.2 Quomodo? Filius meus es tu, ego hodie genui te.
Hodie est, quando Christus resurgit. Heri & ho-
die ipse est, Paulus apostolus ait. Sed alibi dicit,
D Nox præcessit, dies appropinquauit. Nox hester
Rom.13 na præcessit, dies hodiernus appropinquauit. Se-
quit, Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos
dimittimus debitoribus nostris. Debitũ quid est,
nisi peccatum? Ergo si non accepisses alieni fœno
ris pecuniam nõ egeres, & ideo peccatum tibi im
putatur. Habuisti pecuniam cũ qua diues nascere-
ris. Diues eras, ad imaginem dei & similitudinem
Gen.1 factus, perdidisti quod habebas, hoc est, humilita-
tem. Dum arrogantiam desideras uendicare, per
didisti pecuniam. Sicut Adã nudus es factus, acce
Gen.3 pisti à diabolo debitum, quod nõ erat necessariũ.
Et ideo qui eras liber in Christo, debitor factus es
diabolo. Cautionem tuã tenebat inimicus, sed eã
dominus crucifixit, & suo cruore deleuit. Abstu-
lit debitum tuum, reddidit libertatem. Bene ergo
A ait, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimit
timus debitoribus nostris. Vide quid dicas. Quo-
modo ego dimitto, sic & tu dimitte mihi. Si dimi-
seris, bene conuenis ut dimittatur tibi. Si non di-
mittis, quomodo eũ conuenis? Et ne patiaris nos
induci in tentationem, quam ferre non possumus,
sed libera nos à malo. Vide quid dicat, Quam fer-
re non possumus. Non dicit, non inducas in tenta
tionem, sed quasi athleta talem uult tentationem
quam ferre possit humana conditio, & unusquisq;
ut à malo, hoc est, ab inimico, à peccato liberetur.
Potens est autem dominus qui abstulit peccatum
uestrum, & delicta uestra donauit, tueri & custodi
re uos aduersum diaboli aduersãtis insidias, ut nõ
B uobis obrepat inimicus qui culpam generare con
sueuit. Sed qui deo se committit, diabolum non ti-
met. Si enim deus pro nobis, quis contra nos? ipsi Rom.8
ergo gloria à seculis nunc & semper, & in omnia
secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est in euãgelio secun-
dum eũdem: Quis uestrum habet amicum, & ibit
ad illum media nocte &c. Sermo XXIX

VDIVIMVS nos exhortatũ dominum A
A nostrũ cœlestem magistrũ & fidelissimũ
cõsiliariũ, eũdem hortatorẽ, ut petamus,
& datorẽ cũ petimus. Audiuimus eũ in euange-
lio hortantẽ nos eũ petere instãter, & pulsare usq; Lucæ 11
ad similitudinem improbitatis. Proposuit eũ no-
bis, exẽpli gratia, si quis uestrũ haberet amicum, à
C quo nocte peteret tres panes, cũ illi amicus de uia
uenisset, & quod ei apponeret nõ haberet. Si autẽ
ille respõdeat iam se requiescere & seruos suos se-
cũ, nec debere illius precibus inquietari, instando
ille pulset & perseueret, nec pulsare territus absce
dat, sed necessitate coactus immineat, surrecturũ
illũ, & si non propter amicitiã, certe propter illius
improbitatẽ, & daturũ ei quantos uoluerit. Quan
tos autem uoluerit? Nihil plus ille uoluit q̃ tres. In
hac ergo similitudine adiũxit hortationem domi-
nus, & omnino stimulauit nos quęrere, petere, pul
sare, donec accipiamus quod petimus, quod quæ
rimus, quod pulsamus, usus exemplo à contra-
rio: sicut de illo iudice qui nec deum timebat, nec
homines reuerebat, & tamẽ cũ eum quędã uidua
interpellaret quotidie, tedio uictus dedit q̃d non Luc.18
beneficio potuit inuitus. Dñs autem noster Iesus
Christus inter nos petitor, cũ patre dator, nõ utiq;
nos tantũ hortaret ut peteremus, nisi dare uellet.
Erubescat humana pigritia, plus uult ille dare q̃
nos accipere. Plus uult ille misereri, quàm nos à
miseria liberari, & utiq; si non liberati fuerimus,
nos miseri remanebimus. Nã ille quod nos horta-
tur, propter nos hortatur. Euigilemus, & hortanti
credamus, promittenti obsequamur ut ad dantem
gaudeamus. Fortassis enim & nobis aliquando ue
nit amicus de uia, & non inuenimus quod ei appo
neremus, & necessitatẽ passi sumus, & accepimus
& nobis & illi. Fieri enim non potest, nisi ut ali-
quis passus fuerit amicum aliq̃d interrogãtẽ q̃d re
spondere non possit, & tunc se inuenit nõ habere

quan-

quãdo coactus est dare. Venit amicus tibi de uia,
id est, de uita huius seculi, in qua omnes uelut pe- A
regrini transeunt, nec ullus quasi possessor ma-
Eccle.29 net, sed omni homini dicitur, Refectus transi, age
iter, da uenturo locum. Aut forte de uia mala fati-
gatus nescio quis amicus tuus, nòn inueniens ueri
tatem, qua audita & percepta beatus fiat, sed lassa
tus in omni cupiditate & egestate seculi, uenit ad
te tanquam ad Christianum, & dicit, Redde mihi
rationem, Fac me Christianũ. Et interrogat forte
quod tu per simplicitatem fidei nesciebas, Et non
est unde reficias esurientem, & te admonitus inue
nis indigentem, & cum uis docere aliquem, coge-
ris discere. Et dum erubescis eum qui interroga-
uit, quod quærebat non inueniens, compelle-
ris quærere, ut merearis inuenire. Et ubi quæras?
Vbi, nisi in dominicis libris? Fortassis quod ille in B
terrogauit, in libro positum est, sed obscurum est.
Forte dixit hoc apostolus in epistola sua. Sic dixit,
ut intelligere possis, aut intelligere non possis: trã
sire non permitteris. Vrget enim interrogator, ip-
sum Paulum aut Petrum, aut aliquem prophe-
tam interrogare non sineris. Iam enim requiescit
familia ista cum domino suo, & seculi huius igno-
rantia ualida est, hoc est, nox media, & urget ami-
cus esuriens. Tibi forte sufficiebat simplex fides,
illi non sufficit. Nunquid deserendus est? Nun-
quid de domo proijciendus? Ergo ad ipsum do-
minum, ad ipsum cum quo familia requiescit, pul-
sa orando, pete, insta. Non quomodo amicus ille
in similitudine positus tedio uictus, surgit & da-
bit, Dare uult, tu pulsans nondum accepisti, pul- C
sa, dare uult, Et quod dare uult, differt, ut amplius
desideres dilatum, ne uilescat cito datum. Cum au
tem peruneneris ad tres panes, hoc est, ad cibum &
intelligẽtiam Trinitatis, habes & unde uiuas, &
unde pascas. Nec peregrinum ueniẽtem de uia re-
formides, sed excipiendo ciuem domesticum fa-
cies, nec timeas ne finias. Non panis ille finietur,
sed indigentiam tuã finiet, Panis est, & panis est,
& panis est, deus pater, deus filius, deus spiritus
sanctus. Aeternus pater, coæternus filius, coæter-
nus spiritus sanctus. Incõmutabilis pater, incom-
mutabilis filius, incommutabilis spiritus sanctus.
Creator & pater, & filius, & spiritus sanctus. Pa-
stor, & uitæ dator, pater, & filius, & spiritus san-
ctus. Cibus & panis ęternus, & pater, & filius, &
spiritus sanctus. Disce & doce, uiue & pasce. Deus
qui tibi dat, nihil melius quàm se tibi dat. Auare
quid aliud quærebas? Aut si aliud petas, quid ti-
bi sufficit, cui deus non sufficit? Sed opus est ut ha
beas charitatem, habeas fidem, habeas spẽ, ut pos-
sit tibi dulce esse quod datur. Et hęc ipsa tria sunt,
Rom.12 fides, spes, charitas. Et hæc ipsa dona dei sunt.
Nam fidem ab ipso accepimus, sicut deus, inquit,
unicuique partitus est mensuram fidei. Et spem
Psal.115 ab ipso accepimus, cum dicitur, In quo spem dedi
sti mihi. Et charitatem ab ipso accepimus, de qua
Rom.5 dicitur, Charitas dei diffusa est in cordibus no-
stris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sed
hæc tria itidem aliquantulum diuersa, sed omnia

dei dona. Manent ergo tria hæc, fides, spes, chari- 1.Cor.13
tas. Maior autem horum est charitas, In illis pani-
bus nõ est dictus aliquis panis maior alijs, sed sim-
pliciter petite, & dat tres panes. Ecce alia tria.
Quis est uestrum, à quo petit filius suus panem,
nunquid lapidem porriget ei? Aut quis est uestrũ
à quo petit piscem, nunquid serpentem porriget
ei? Aut à quo petit ouũ, nunquid porriget ei scor-
pionem? Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona
data dare filijs uestris, quanto magis pater uester
de cœlo dabit bona petentibus se? Tria ergo rur-
sus ista consideremus, ne forte ibi sint illa tria, fi-
des, spes, charitas. Maior autem horum est chari-
tas. Pone ergo tria, panem, piscem, ouum. Ma-
ior horum panis, Ideo panem bene intelligi-
mus in his tribus charitatem. Propterea pani la-
pidem opposuit, quia duritia contraria est chari-
tati. Piscem fidem intelligimus. Dixit quidam san
ctus, & nos dicere delectat. Piscis bonus, pia est
fides. Viuit inter fluctus, nec frangitur, nec soluí-
tur fluctibus. Viuit inter tentationes tempesta-
tesq; huius seculi, pia fides. Sæuit mundus, & inte-
gra est. Tantum contrarium fidei serpentem illũ
obserua. In fide enim despõsata est illa, cui dicitur Can.4
in Canticis canticorum, Veni de Libano sponsa,
ueniens & pertransiens ab initio fidei. Ideo & de-
sponsata, quia & desponsatis initiũ fides est. Pro-
pterea desponsatæ huic dicit Apostolus, Despon 2.Cor.11
saui uos uni uiro, uirginem castam exhibere Chri-
sto. Et timeo ne sicut serpens seduxit Euam, astu-
tia sua, sic & uestri sensus corrumpantur à castita-
te quæ est in Christo, id est, quæ est in fide Christi.
Habitare enim, inquit, Christum per fidem in cor Ephe.3
dibus uestris. Diabolus ergo non corrumpat fi-
dem, ne deuoret piscem. Restat spes, quæ, quan-
tum mihi uidetur, ouo comparatur. Spes em̃ non-
dum peruenit ad rem, Et ouũ est aliquid, sed non-
dum est pullus. Quadrupedes ergo pariunt filios,
aues autem spem filiorum. Spes ergo nos adhuc
hortatur, ut præsentia contemnamus, futura expe
ctemus ea quæ retro sunt obliuiscẽtes, cũ Aposto-
lo in anteriora extendamur. Sic enim dicit, Vnum Phil.3
autem quæ retro oblitus in ea quæ ante sunt ex-
tentus, secũdum intentionem sequor ad palmam
supernę uocationis dei in Christo Iesu. Nihil ergo
D tam inimicum spei quàm retro respicere, id est, in
eis rebus, quæ præterlabuntur & transeunt spem
ponere, sed in his quæ nondum datæ sunt, sed dan
dæ quandocunque nunquam transibunt non spe
rare. Quando autem scatet tentationibus mũdus
uelut pluuia Sodomę sulphurea, metuendum est
exemplum uxoris Loth. Retro enim respexit, & Gen.19
ubi respexit, ibi remansit. In salem conuersa est, ut
prudentes condiret exemplo. Apostolus Paulus
de hac spe ita loquitur, Spe em̃ salui facti sumus. Rom.8
Spes autem quæ uidetur, nõ est spes. Quod enim
uidet quis, quid sperat? Si autem quod non uide-
mus speramus, per patiẽtiam expectamus. Quod
enim uidet quis, quid sperat? Ouum est. Est ouũ,
& nondum pullus est, & testudine tectum est, non
uidetur quia operitur, cum patientia expectetur,
feruescat

feruescat ut uiuescat. Intende extendere in ante-
riora, obliuiscere præterita. Quæ enim uidentur A
temporalia sunt. Non respicientes, inquit, quæ ui 2.Cor.4
dentur, sed quæ non uidentur. Quæ enim uiden-
tur, temporalia sunt, quæ autem non uidentur, æ-
terna. In illa ergo quæ non uidentur, extẽde spem,
expecta, sustine, noli retro respicere. Ouo tuo scor
pium time. Vide quia de cauda percutit, quam re-
tro habet. Nõ ergo scorpius perimat ouum tuum,
mundus iste spem tuã, ut ita dicam, ueneno eo cõ-
trario quo retrario. Quanta tibi loquitur mũdus,
quãta post dorsum strepit ut retro respicias? id est,
ut in rebus præsentibus nec præsentibus, non em̃
dicenda sunt præsentia nũquam stantia, spẽ tuam
ponas, & ab eo quod promisit Christus & nõdum
dedit, sed quia fidelis est dabit, auertas animũ tuũ, B
& uelis requiescere in mundo pereunte. Ideo em̃
deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut
alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non fal-
lat: & de ipsis amaritudinibus conatur mundus a-
uertere ab eo quod intendis interiora, & retro cõ-
uertere. De ipsis amaritudinibus, de ipsis tribula-
tionibus murmuras & dicis, Ecce pereunt omnia
Christianis temporibus. Quid strepis? Non hoc
promisit mihi deus, quod ista non peribunt, Non
hoc mihi promisit Christus. Aeterna promisit æ-
ternus, si credidero, ex mortali fiã æternus. Quid
strepis? O munde immũde, quid strepis? Quid a-
uertere conaris? Tenere uis periẽs, quid faceres si
maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus
uertere conaris? Tenere uis periẽs, quid faceres si
maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus
alimenta mentiris? Ego si habeo spẽ, si teneo spẽ,
ouum meum nõ est à scorpione percussum, Bene-
dicam domino in omni tempore, semper laus eius
in ore meo. Felix sit mundus, euertatur mundus,
Psal.33 Benedicam dominum qui fecit mundum. Benedi
cam prorsus. Secundum carnẽ bene sit, secundum
carnem male sit. Benedicã dominũ in omni tem-
pore, semper laus eius in ore meo. Nam si benedi-
co, quando bene est, & blasphemo, quando male
est, suscepi scorpionis aculeum, compunctis respe
Iob.1 xi retro. Quod absit à nobis. Dominus dedit, do-
minus abstulit, sicut domino placuit, ita factum
est, sit nomen domini benedictum. Manet ciuitas
quæ nos carnaliter genuit. Deo gratias. Vtinã &
spiritualiter generetur, & nobiscũ transeat ad eter
nitatem. Si non manet ciuitas quæ nos carnaliter
Psal.146 genuit, manet quæ nos spiritaliter genuit. Aedifi-
cans Hierusalem dominus. Nunquid dormitan-
do ædificium suum perdidit, aut nõ custodiendo,
Psal.126 hostes admisit? Nisi dominus custodierit ciuitatẽ,
frustra uigilat qui custodit eam, Et quam ciuitatẽ?
Psal.120 Non dormit, nec dormitabit, qui custodit Israel.
Quid est Israel, nisi semen Abrahæ? Quid est semẽ
Gal.3 Abrahæ, nisi Christus? Et semini tuo, inquit, quod
est Christus. Et nobis quid? Vos autem Christi, er
go semẽ Abrahæ estis, secundum promissionẽ hę
1.Cor.3 redes. In semine tuo, inquit, benedicentur omnes
gentes. Ciuitas sancta, ciuitas fidelis, ciuitas in ter-
ra peregrina, in cœlo fundata est. O fidelis, noli
corrumpere spem, noli amittere charitatem, accin
ge lumbos tuos, accende, prætende lucernas tuas,

expecta dominum quando ueniat à nuptijs. Quid
expauescis, qa pereũt regna terrena. Ideo tibi cœ-
leste promissum est, ne cum terrenis perires. Nam
ista peritura prædicta sunt, prædicta omnino. Nõ
enim negare possumus, quod prædictum est. Do-
minus tuus quẽ expectas, dixit tibi. Exurget gens Mar.13
contra gentẽ, & regnũ aduersus regnũ. Habẽt mu
tationes terrena regna. Veniet ille de quo dictum
est, Et regni eius non erit finis. Qui hoc regnis ter- Luca 1
renis promiserunt, nõ ueritate ducti sunt, sed adu-
latione mentiti sunt. Poeta illorum quidam indu-
xit Iouem loquentem, & ait de Romanis, His ego
nec metas rerum, nec tempora pono. Imperium
sine fine dedi. Non plane ita respõdet ueritas. Re-
gnum hoc, quod sine fine dedisti, in terra est an in
B cœlo? Vtiq; in terra. Et si esset in cœlo. Cœlum &
terra transient. Trãsient quæ fecit ipse deus, quãto
citius quod condidit Romulus? Forte si uellemus
hinc exagitare Vergilium, & insultare quare hoc
dixerit, in parte tolleret nos, & diceret nobis, Et
ego scio. Sed quid facerẽ qui Romanis uerba uen
debam, nisi hac adulatione aliquid promitterem
quod falsum erat? Et tamẽ in hoc cautus fui, quan
do dixi, Imperium sine fine dedi, Iouem ipsorum
induxi, qui hoc diceret, Non ex persona mea dixi
rẽ falsam, sed Ioui imposui falsitatis personam. Si-
cut deus falsus erat, ita mendax uates erat. Nam
uultis nosse quia ista noueram? Alio loco quan-
do non Iouem lapidem induxi loquentem, sed ex
persona mea locutus sum, dixi, Non res Romanæ Georgicor.2
C perituraq; regna. Videte quia dixi peritura regna.
Dixit peritura regna, non tacuit peritura. Veritá-
te non tacuit, semper mansura adulatione promi-
sit. Non ergo deficiamus fratres, finis erit terrenis
omnibus regnis. Nunc si finis est, deus uidet. For-
te enim nondum est, & infirmitate quadam uel
misericordia, uel miseria hoc optamus, ut nõdum
sit, nunquid tamen ideo non erit? Figite spem in
deũ, æterna concupiscite, æterna expectate. Chri-
stiani estis fratres, Christiani sumus. Non ad deli-
cias Christus in carnẽ descendit, toleremus potius
præsentia q̃ diligamus, aduersorum manifesta est
pernicies, prosperorũ falsa blandities. Time mare,
& quando tranquillũ est. Omnino non frustra au-
diamus, Sursum cor. Quid ponimus cor in terra,
D cum uideamus quia euertitur terra? Nos non pos-
sumus nisi exhortari uos, ut habeatis quod dicatis,
& quod pro spe uestra respondeatis insultatori-
bus, & blasphematoribus nominis Christiani. Ne
mo uos murmurando auertat ab expectatione fu
turorum, Omnes qui propter istas aduersitates
blasphemãt Christum nostrum, cauda scorpionis
sunt. Nos ouum nostrum sub alis ipsius gallinę po
namus, euangelicæ gallinæ, quæ clamat, Hierusa- Matt.23
lem, Hierusalem, illi falsæ & perditæ, quoties uo-
lui colligere filios tuos tanq; gallina pullos suos,
& noluisti? Non nobis dicatur, quoties uolui &
noluisti. Illa enim gallina diuina sapientia est, sed
assumpsit carnẽ ut pullis congrueret. Videte galli
nam hispidam plumis, dimissis alis, uoce fracta, &
quassa, & lassa, & languida congruere pullis suis.
Ouum

Ouum ergo nostrum, id est spem nostram, sub alis illius gallinę ponamus. Animaduertitis forte, quo modo gallina cõcidat scorpionem. Vtinam ergo & istos blasphemantes, in terra reptantes, de cauernis prodeuntes, & male pungentes, illa gallina concidat & deuoret, in corpus suum trajciat, & in ouum uertat. Non irascantur, commoti uidemur,
1. Cor. 4 sed maledicta maledictis non reddimus. Maledicimur & benedicimus, blasphemati deprecamur. Sed nõ dicat de Roma, dictũ est de meo. Sed taceat de Roma, quasi ego insultator sim, & nõ potius domini deprecator, & uester qualiscunq; exhortator. Absit à me ut insultem. Auertat deus à corde meo, & à dolore conscientiæ meæ. Ibi multos fratres non habuimus? Non adhuc habemus? Portio peregrinantis Hierusalem ciuitatis, nõ ibi magna degit, non ibi temporalia pertulit, sed æterna non
B perdidit? Quid ergo dico cum de illa non taceo, nisi quia falsum est, quod dicũt de Christo nostro, quòd ipse Romã perdiderit, quòd dij lapidei tue-
Psal. 113 bantur & ligneí? Adde precium, ærei: adde plus, argentei & aurei: Idola gentium argentum & aurum. Non dixit lapides, non dixit lignum, non dixit testa, sed quod pro magno habent aurum & argentum. Tamen ipsum aurum & argentum oculos habent & non uident. Deus aureus, & deus ligneus ad precum dispares sunt, ad habere oculos & non uidere pares sunt. Ecce qualibus docti homines Romam custodibus commiserunt, habentibus oculos, & non uidentibus. Aut si Romam seruare potuerunt, quare ipsi ante perierunt? Inquiunt, tunc perijt Roma. Tamen perierunt. Nõ, inquiunt, ipsi perierunt, sed simulachra eorum. Quomodo ergo custodirent tecta uestra, qui non potuerunt custodire simulachra sua? Alexandria olim tales deos perdidit. Constãtinopolis ex quo cõdita est in magnam ciuitatem, quoniam à Christiano imperatore condita est, olim deos ipsos falsos perdidit, & tamen creuit, & crescit, & manet. Quamdiu uult deus manet. Nõ & illi ciuitati quia hoc dicimus, ęternitatem promittimus. Carthago in nomine Christi manet, & olim euersa est Cœlestis, quia non fuit cœlestis, sed terrestris. Et illud quod dicunt non est uerum, quia dijs perditis Roma capta est, afflicta est. Prorsus non est uerum, ante simulachra ipsa euersa sunt, & sic uicti sunt Gothi cum Rhadagaiso. Mementote fratres, mementote, non est longum, pauci anni sunt, recordamini. Euersis in urbe Roma omnibus simulachris, Rhadagaisus rex Gothorum cum ingenti exercitu, multo numerosiore quàm Halarici fuit, uenit. Paganus homo erat Rhadagaisus, Ioui sacrificabat quotidie. Nuntiabatur ubiq; quòd sacrificijs non desisteret Rhadagaisus. Tunc omnes isti, Ecce nos non sacrificamus, ille sacrificat, uinci habemus à sacrificante, quib. non licet sacrificare. Deus ostendens quia non in istis sacrificijs est ipsa temporalis salus, ipsa regna terrena, uictus est Rhadagaisus adiuuante domino miro modo. Postea uenerunt Gothi non sacrificantes, & si fide Christiana, non catholici, tamẽ idolis inimici uenerũt, idolis aduersantes, & ipsi ceperunt. Vicerunt de idolis præsumentes, & perdita idola adhuc quærentes, & pditos adhuc sacrificare cupientes. Sed ibi erant & nostri, & afflicti sunt, sed nouerant dicere, Benedicam dominum in omni tempore. Afflicti Psal. 33
sunt in regno terreno, sed regnũ cœlorum non perdiderunt, imo ad illud capessendum exercitatiõe tribulationum meliores effecti sunt. Et si in tribulationibus non blasphemauerunt, tanquam integra uasa de fornace exierunt, & dominica benedictione repleti sunt. Isti autẽ blasphematores, terrena sectantes, terrena desiderantes, in terrenis spem ponentes, cũ ista uelint nolint perdiderint, quid tenebunt? ubi remanebũt? Foris nihil, intus nihil, inanis arca, inanior cõscientia, Vbi requies? Vbi salus? Vbi spes? Veniant ergo, desinant blas-
B phemare, discant adorare, scorpij pungẽtes à galli na comedantur, in corpus trajciẽtis conuertãtur, in terra exerceantur, in cœlo coronentur.

De eo quod scriptum est in euangelio secundum eundem, Nunc uos pharisæi quod foris est paropsidis lauatis, &c. Sermo XXX.

A VDISTIS sanctum euangelium, quo- A
modo dominus Iesus in eo quod pharisęis dicebat, suos utiq; discipulos cõmonebat, ne in corporis mundatione putarent esse iustitiam. Omni die enim pharisæi antequã pranderent abluebant se aqua, quasi quotidiana lauatio possit cordis esse mundatio. Deniq; quales tales essent ostẽdit. Ille dicebat qui uidebat, non em̃ tantum facies eorum, sed etiã interiora cernebat. De-
C niq; ut hoc sciatis, ille pharisæus cui respõdit Christus, apud seipsum cogitauit, uoce non sonuit, & ille tamen audiuit. Apud se enim reprehendit dominum Christum, quia sic uenit ad conuiuium eius non lotus. Ille cogitabat, hic audiebat, ideo respondebat. Quid ergo respondit? Nunc uos pha Luc. 11
risæi quod foris est paropsidis lauatis, intus autem pleni estis dolo & rapina.] O uenire ad prãdium, quomodo pepercit homini à quo fuerat inuitatus? Magis obiurgando pepercit, ut correcto in iudicio parceret: Deinde quid ostendit nobis? Quia & baptismũ quod semel adhibetur, per fidem mũ-
dat. Fides autem intus est, non foris. Vnde dicitur Act. 25
& legitur in Actibus apostolorum, Fide mundãs I. Petri 1
D corda eorum. Et apostolus Petrus in epistola sua ita loquit, Sic, inquit, & nobis dedit similitudinẽ de arca Noe, quomodo octo animæ saluę factæ sunt per aquam. Et adiunxit, Sic & uos simili forma baptisma saluos faciet, nõ carnis depositio sordiũ, sed conscientiæ bonæ interrogatio in deum. Hanc conscientię bonæ interrogationem pharisæi contemnebant, & quod erat foris lauabant, intus inquinatissimi permanebãt. Et quid eis ait postea? Veruntamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis.] Laudata est eleemosyna, facite & probate, Sed paulisper attendite quod pharisæis dictum est. Pharisæi isti Iudæi erãt, quasi egregij Iudæorum. Nobiliores enim atq; doctiores tunc pharisæi uocabantur. Baptismo Christi abluti non erãt, in Christum filiũ dei unigenitum qui

qui inter illos ambulabat, & ab eis nõ agnoscebatur, nõdum crediderant, Quomodo eis dicit, Da-
A te eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis? Si audirent illum pharisæi, & darent eleemosynas, iam secundum uerbum eius munda illis essent omnia, quid opus erat ut crederent in eo? Si autem mundari non possent, nisi credentes in eum qui fide mundat cor, quid est, date eleemosynas, & ecce omnia munda sunt uobis? Attendamus, & forte ipse exponit. Cum hæc dixisset, sine
Luc. 11 dubio cogitauerunt illi qui dabant eleemosynas. Et quomodo dabant? Omnia sua decimabant, de omnibus fructibus suis decimam partem detrahebant, & ipsam dabant. Non facile hoc facit aliquis Christianus. Ecce quod faciebant Iudæi, Non tri-
Matt. 23 ticum solum, sed oleum & uinum, neq; hoc solũ, sed etiam & res contemptibiles propter pręceptũ
B dei, ciminum, rutam, mentam, & anetum totũ decimabant, id est, decimam partem detrahebãt, & eleemosynam dabant. Credo ergo quia reuocaue runt ad se, & putauerunt dominũ Christum inaniter loqui, quasi eis qui nõ facerent eleemosynas, cum ipsi scirent opera sua, quod & minutissima, & cõtemptibilia fructuum suorum decimabant, & eleemosynas dabant, irriserunt illum apud se talia dicentẽ, quasi hominibus qui eleemosynas nõ
Luc. 11 facerent. Hoc dominus sciens, continuo subiunxit, Veruntamen uæ uobis scribæ & pharisæi, qui decimatis mentam, ciminũ & rutam, & omne olus.] Vt sciatis, noui eleemosynas uestras. Certe istæ sunt eleemosynæ uestræ, istæ sunt decimæ, etiam minuta quæq; & contemptibilia fructuum
C uestrorum decimatis, Et relinquitis grauiora legis, iudicium & charitatem.] Attendite. Reliquistis iudiciũ & charitatẽ, & decimatis olera. Non est hoc facere eleemosynã. Et hæc, inquit, oportet facere & illa non omittere.] Quæ facere? Iudicium & charitatem, iustitiã & misericordiam, & illa non omittere. Facite illa, sed ista præponite. Si hæc ita sunt, quid est quod illis dixit, Facite eleemosynas, & ecce omnia munda sunt uobis? Quid est, facite eleemosynam? Facite misericordiã. Quid est, facite misericordiã? Si intelligis, à te incipe. Quomodo enim es misericors alteri, si crudelis sis tibi? Date eleemosynã, & omnia munda sunt uobis. Facite ueram eleemosynam. Quid est
Eccl. 30 eleemosyna? Misericordia. Audi scripturam, Miserere animæ tuæ placẽs deo, Fac eleemosynam, miserere animæ tuæ placẽs deo. Mendicat à te anima tua, redi ad conscientiã tuã. Quicunq; male uiuis, quicunq; infideliter uiuis, redi ad cõsciẽtiam, & ibi inuenis mendicantẽ animam tuam, inuenis egentẽ, inuenis pauperẽ, inuenis ærumnosam, inuenis forte nec egentẽ, sed egestate obmutescentẽ. Nam si mendicat, esurit iustitiam. Quando inueneris animam tuã talem, intus in corde tuo sunt illa. Fac prius eleemosynam, da illi panem, Quem panem? Si pharisæus interrogaret, diceret illi dominus, Fac eleemosynam cum anima tua. Hoc enim illi dixit, sed ille non intellexit, quando illis enarrauit eleemosynas quas faciebãt, & putabãt latere Christũ, & ait illis, Noui quid facitis, deci-
A matis mentã & anetũ, ciminũ & rutã. Sed ego alias eleemosynas loquor, Contemnitis iudicium & charitatẽ. In iudicio & charitate fac eleemosynam cum anima tua. Quid est iudiciũ? Respice & inueni, displice tibi, pronuntia in te. Et quid est charitas? Dilige dn̄m in toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua, Dilige proximũ tanquã teipsum, & fecisti misericordiã prius cum anima tua, Mat. 22
in conscientia tua. Hanc aũt eleemosynam si pretermittis, da quantũ uis, dona quantum uis, retrahe de fructibus tuis, non decimas sed dimidias: nouem partes da, & unã tibi dimitte, nihil facis, quãdo tecũ non facis, & tecum pauper es. Anima tua uescatur, ne fame pereat. Da illi panem. Quem panem, inquit? Ipse tecum loquitur. Tu si audires, &
B intelligeres, & crederes dominũ, ipse tibi diceret, Ego sum panis uiuus, qui descendi de cœlo. Nõne Ioan. 6
istum panem primum dares animæ tuæ, & faceres cum illa eleemosynam? Si ergo credis, facere debes, ut prius pascas animam tuam. Crede in Christum, & mundabuntur quæ intus sunt, & quæ foris sunt munda erunt. Conuersi ad dominũ deum patrem omnipotentem puro corde, & quantum potest paruitas nostra, maximas atq; ueras gratias agamus, precantes toto animo singularem mansuetudinem eius, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur, inimicũ quoq; à nostris actibus & cogitationibus sua uirtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentẽ gubernet, spiritales
C cogitationes cõcedat, & ad beatitudinẽ suã perducat, per Iesum Christum filiũ suum.

De arbore ficulnea, quæ per trienniũ fructum non afferebat, & de muliere, quæ decem & octo annos habebat in infirmitate, In euangelio secundum eundem. Sermo XXXI

E arbore ficulnea, quæ triennium habebat, A
D & fructum nõ afferebat, & de muliere quæ Luc. 13
decem & octo annos habebat in infirmitate, quod dominus donauerit audite. Arbor ficulnea genus humanum est. Triennium autem tria sunt tempora, unum ante legem, alterũ sub lege, tertium sub gratia. Non est autem importunum, ut arbor ficulnea intelligatur genus humanũ. Pri- Gen. 3
mus enim homo quãdo peccauit, folijs ficulneis
D pudenda uelauit. Hæc uelauit, unde nati sumus, mẽbra. Quæ em̃ ante peccatũ fuerant gloriande, post peccatũ pudenda sunt facta. Deniq; antea nudi erant, & non confundebantur. Non enim erat unde erubescerent, quando peccatum non præcesserat, nec poterant de sui creatoris operibus erubescere, qui operib. sui creatoris bonis nullum adhuc malum opus suum miscuerant. Nondum enim manducauerant de ligno scientiæ boni & mali, unde manducare prohibiti erant. Postea ergo quàm manducauerunt & peccauerũt, natum est de illis genus humanũ, id est, homo de homine, obnoxius de debitore, mortalis de mortali, peccator de peccatore. Hos ergo appellat in hac arbore, qui per omne tempus fructum dare noluerunt, & propter hoc imminebat securis radicibus

arboris infructuosæ. Intercedit colonus, differtur
supplicium, ut adhibeatur auxilium. Qui autem A
intercedit colonus, est omis sanctus, qui intra ec-
clesiam orat pro eis qui sunt extra ecclesiam. Et
quid orat? Domine dimitte illam & hoc anno, id
est, tēpore isto sub gratia, parce peccatoribus, par-
ce infidelibus, parce sterilibus, parce infructuosis.
Circumfodi eam, & adhibeo cophinum sterco-
ris. Si fecerit fructum, bene, sin autem minus, ue-
nies & amputabis eam. Venies, quando? In iudi-
cio uenies, quando uenturus es iudicare uiuos &
mortuos. Interim modo parcitur, Quid est autem
fossa, quid est circumfodere, nisi humilitatem, pœ
nitentiam, & patientiam docere? Fossa enim hu-
milis terra est. Cophinum stercoris, in bono intel
lige, Sordes sunt, sed fructum dant. Sordes culto-
ris, dolores sunt peccatoris. Qui agūt pœnitentiā, B
in sordibus agunt, si tamen intelligant, & uerací-
ter agunt. Huic ergo arbori dicitur, Agite pœni-
Matt.3 tentiam, appropinquabit enim regnum cœlorū.
Quid illa mulier decem & octo annos habens in
infirmitate? Sex diebus deus perfecit opera sua.
Ter seni, decem & octo faciunt. Quod ergo signi
ficauit triennium in arbore, hoc decem & octo an
ni in illa muliere. Curua erat, & sursum aspicere
non potuit, quia sursum cor, sine causa audiebat.
Sed erexit eam dominus. Est ergo spes, sed filijs.
Quousq; ueniat dies iudicij, multū sibi dat homo.
Et quid est homo? Iustus homo, magnum aliquid
est homo. Sed tamē iustus homo, gratia dei iustus
Psal.8 est homo. Nam quid est homo, nisi quòd memor
Psal.115 es eius? Vis uidere quid est homo? Omnis homo
Psal.9 mendax. Cantauimus, Exurge domine, non præ-
ualeat homo. Quid est, nō præualeat homo? Nón
ne apostoli erant homines? Nónne martyres ho-
mines erant? Ipse dominus Iesus deus esse nō de-
sistens, homo esse dignatus est. Quid est ergo? Ex
urge domine, non præualeat homo? Si omnis ho-
mo mendax, exurge uerítas, non præualeat falsi-
tas. Homo ergo, si uult esse aliquid boni, nō sit de
suo proprio. Si enim de suo esse uoluerit, mendax
erit. Si uerax esse uoluerit, de dei, non de suo erit.
Exurge ergo domine, non præualeat homo. Tan
tum ualuit mendacium ante diluuium, ut post di-
luuium octo remansissent homines. Per ipsos ter-
ra rursus impleta est hominibus mendacibus, &
electus est populus dei, Facta sunt miracula mul-
ta, prærogata diuina beneficia, Ad terrā promis- D
sionis perductus est, ab Ægyptiorum seruitute li-
beratus, prophetæ in illo excitati sunt, Templum
accepit, sacerdotium accepit, unctionem accepit,
legem accepit. Sed de ipso postea dictum est, Fi-
Psal.17 lij alieni mentiti sunt mihi. Ad extremum missus
est ille per prophetas ante promissus, Non præua
leat homo, uel quia deus factus est homo, sed etiā
ipse faciens diuina contemptus est, præstans tam
multa beneficia prensus est, flagellatus est, suspen
sus est. Huc usq; præualuit homo dei filium pren-
dere, dei filium flagellare, dei filium spinis corona
re, dei filium ligno suspendere. Tantum præualuit
homo. Sed quousq; nisi quousq; de ligno deposi-

tus, positus est in sepulchro? Si ibi remansisset, ue-
re homo pręualuisset. Sed propheta iste etiam ip-
sum dominum lesum alloquitur, dicens, Exurge
domine, non præualeat homo. Domine in carne
uenire dignatus, uerbum caro factus, uerbum su-
per nos, caro inter nos, uerbū caro inter deum &
hominē, uirginem unde nascereris secundū carnē
elegisti, uirginem concipiendus inuenisti, natus
uirginem reliquisti, sed non agnoscebaris. Appa-
rebas & latebas. Apparebat infirmitas latebat po
testas. Hoc totum factum est, ut sanguinem fun-
deres, quod est precium nostrum. Fecisti miracu-
la tanta, ualetudinibus ægrotorū sanitatem tribui
sti, beneficia multa pręstitisti, & recepisti mala pro
bonis. Insultatum est tibi, pependisti in ligno, agi-
tatū est ante te caput ab impijs, & dictum est, Si fi Matt.27
lius dei es, descende de cruce. Itane tu perdideras
potentiam, an potius demonstrabas patientiam?
Et tamen illi insultauerunt, & tamen illi riserunt,
tamen illi te occiso quasi uictores discesserunt. Ec
ce in sepulchro iaces, Exurge domine, non præua
leat homo. Non præualeat impius inimicus, non
præualeat cæcus Iudæus. Cum enim crucifigere-
ris, præualuisse sibi uisus est Iudæus cæcus. Exur-
ge domine, non præualeat homo. Factum est, om
nino factum est, Et quid restat, nisi ut iudicentur
gentes in cōspectu tuo? Resurrexit enim, sicut no
stis, ascendit in cœlum, inde uenturus est iudicare
uiuos & mortuos. Eia arbor infructuosa, non deri
deas quia parcitur tibi, dilata est securis, noli esse
C secura, ueniet & amputaberis. Crede quia uentu-
rus est. Ista omnia quæ uides non erant, Christia-
nus populus toto orbe terrarum aliquando nō e-
rat, In prophetia legebatur, in terra nō uidebatur,
modo autē & legitur & uidetur. Ipsa ecclesia sic
est cōpleta. Non ei dictum est, Vide filia & audi, Psal.44
sed audi & uide. Audi prædicta, uide completa.
Quomodo ergo fratres charissimi non erat Chri-
stus natus de uirgine, promissus est, & natus est,
Non fecerat miracula, promissa sunt & fecit, Nō-
dum erat passus, promissum est & factum est, Nō
resurrexerat, prædictum est & impletum est, No-
men eius per totum mundum nō erat, prædictum
est & impletum est, Idola deleta & fracta non e-
rant, prædictum est & impletū est, Hæretici im-
pugnantes ecclesiam nō erant, prædictum est, &
impletum: Sic & dies iudicij nondum est, sed
quia prædictus est, implebitur. An fieri potest ut
qui in tantis uerax apparuit, de die iudicij mēdax
sit? Promissorum suorū nobis chirographū fecit.
Non debendo sed promittendo debitorē se deus
fecit, id est, non mutuo accipiēdo. Non possumus
ergo ei dicere, Redde quod accepisti, Quoniam Rom.11
quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Nō possu-
mus dicere, Redde quod accepisti, sed plane dici-
mus, Redde quod promisisti. Inde nāq; est quod Matth.6
audemus dicere quotidie, Adueniat regnū tuum,
ut adueniēte regno eius & nos cū illo regnemus.
Quod nobis in his uerbis promissum est, Tūc di- Matt.25
cā illis, Venite benedicti patris mei, percipite re-
gnum quod uobis paratū est ab origine mundi.
Sed

Sed planè, si fecerimus quod ibi sequitur, Esuri-
ui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Promisit A
patribus nostris, sed cautionem fecit quam lege-
remus & nos. Si faciat nobiscum rationem, qui di
gnatus est facere cautionem, & dicat, legite debi
ta mea, hoc est, debita promissionum mearum, &
computate quæ reddidi, cōputate etiam quæ de-
beo, ecce quàm multa reddidi, modicū est quod
debeo: pro modico quod restat, infidelē me pro-
missorem esse putabitis? quid respondemus con-
tra manifestissimam ueritatē? Ergo qui sterilis est
agat pœnitentiam, & faciat fructum dignum pœ-
nitentiæ, Qui curuus est, ut terram intueatur, ter-
rena felicitate lætetur, istam solam putat esse uitā
beatam ubi beatus esse possit, aliam non credit:
Quicunq; tam curuus est, erigatur, si per seipsum
non potest inuocet dominum, Nunquid enim & B
mulier illa per seipsam erecta est? Væ illi esset, si
manum ille non porrexisset.

De eo quod scriptū est in euangelio secundum
eundem, Domine si pauci sunt qui saluantur: Et
quomodo per angustam portam pauci intrant.

Sermo XXXII

A RIA sata farinæ de quibus dominus lo
T quebatur, genus humanū est. Recolite
diluuiū, unde cæteri repararentur, tres
remanserunt. Tres filios habebat Noe, de ipsis re
paratum est genus humanum. Mulier illa sancta
quæ abscondit fermentū, sapientia est. Ecce cla-
Psal.134 mat orbis totus in ecclesia dei: Ego cognoui quia
magnus est dominus. Certe pauci sunt qui saluan
tur. Recolitis quæstionē ex euangelio nobis mo-
Luc.13 do propositam? Domine, dictū est, si pauci sunt
qui saluantur?] Dominus ad hoc quid? Non ait,
Non pauci, sed multi sunt qui saluantur. Non hoc
dixit. Sed quid dixit? Cum audisset, si pauci sunt
qui saluātur. Contendite, inquit, intrare per an-
gustam port.] Quando audis ergo, Pauci sunt
qui saluantur, cōfirmauit dominus quod audiuit,
& inquiens, Per angustam portam pauci intrant:
Mat.7 alio loco ipse hoc ait, Arta uia est & angusta quæ
ducit ad uitam, & pauci sunt qui ingrediūtur per
illam. Lata autem & spaciosa est uia quæ ducit ad
interitū, & multi sunt qui ambulant per eā. Quid
gaudemus ad multitudines? Audite me pauci,
Scio quia multi auditis & pauci obauditis. Areā
uideo, & grana quæro. Et uix uidētur grana quan D
do area trituratur, sed uenturum est ut uentiletur.
Pauci ergo qui saluantur in comparatione multo
rum periturorum. Nam ipsi pauci magnam mas-
sam facturi sunt, cum uenerit uentilator ferēs uen
tilabrum in manu sua, & mundabit aream suam,
frumenta recondet in horreo, paleam autem com
buret igni inextinguibili. Nō subsannet palea gra
num, hoc uerū loquitur, neminem fallit. Estote er
go inter multos multi, sed in comparatione quo-
rundam multorum pauci. Tanta massa processu-
ra est de hac area ut impleat horreum cœli. Non
enim contrarius sibi esset dominus Iesus qui dixit,
Pauci sunt qui intrant per angustam portam, mul
ti per latā uiam pereunt: Contrarius sibi esset qui

alio loco dixit, Multi ab Oriēte & Occidente ue- Matth.8
nient. Multi certe & pauci, & pauci & multi. Alij
ergo pauci, alij multi? Non. Sed ipsi pauci q mul-
ti. Pauci in comparatione multorum perditorum,
multi in societate angelorum. Audite charissimi. Apoc.7
Apocalypsis hoc scriptū habet, Post hæc uidi ex
omni lingua & gente & tribu uenientes cum sto-
lis albis & palmis multitudinem quam nemo di-
numerare potest, Hæc est massa sanctorum. Quā-
to clariore uoce dictura est area uentilata, à turba
impiorum & malorū falsorumq; Christianorum
segregata, ad ignes æternos separatis his qui pre-
munt nō tangūt: Mulier enim quædam fimbriam
tangebat, turba Christum premebat. Segregatis
ergo omnibus damnandis, massa purgata stans ad
dexteram, nullū sibi misceri timens malorum, nul
lum timens perdere bonorum, regnatura cū Chri
sto, quanta fiducia dictura est, Ego cognoui quia
magnus est dominus? Si ergo fratres mei granis
loquor, si agnoscunt quod dico prædestinati in ui
tam æternam, operibus loquantur non uocibus.
Cogimur loqui uobis quod non debuimus. Inue-
nire enim in uobis debuimus quod laudaremus,
non quærere quod admoneremus, Ecce tamē bre
uiter dico, non immoror. Agnoscite hospitalita-
tem, per quam peruentum est ad dominum: Susci
pe hospitem, cuius & tu es comes in uia, quia o-
mnes peregrini sumus. Ipse est Christianus, qui &
in domo sua, & in patria sua peregrinū se esse co-
gnoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non
erimus. Nam unusquisq; hic & in domo sua ho- C
spes est. Si non est hospes, non inde transeat. Si
transiturus est, hospes est, Non se fallat, hospes est,
Velit nolit, hospes est. Sed dimittit illam domum
filijs suis, hospes hospitibus. Quare? Et in stabulo
si esses, non alio ueniēte discederes? Hoc facis &
in domo tua. Cessit tibi locum pater tuus, cessu-
rus es locum filijs tuis. Nec mansurus manes, nec
mansurus relinquis. Si omnes transimus, aliquid
quod transire non potest operemur, ut cum trāsie
rimus & illo uenerimus, unde non transeamus, o-
pera nostra bona ibi inueniamus. Custos est Chri
stus. Quid times ne perdas quod erogas? Cōuer-
si ad dominū. Et post sermonem quod nouit cha-
ritas uestra suggerimus. Dies anniuersarius ordi-
nationis domini senis Aurelij crastinus illucescit,
rogat & admonet per humilitatem meam charita
tem uestrā, ut ad basilicam Fausti deuotissime ue-
nire dignemini.

De eo quod scriptum est in euangelio se- Luc.14
cundum eundem, Homo quidam fecit cœnam
magnam &c. Sermo XXXIII

L ECTIONES sanctæ propositæ sunt, & A
quas audiamus, & de quib. aliquid ser-
monis adiuuante domino proferamus.
In lectione apostolica gratiæ aguntur deo de fide
gentiū, utiq; ideo qa ipse fecit. In psalmo diximus,
Deus uirtutum conuerte nos, & ostende faciem Psal.79
tuam & salui erimus. In euangelio, ad cœnam uo-
cati sumus, imò alij uocati, nos non uocati sed du-
cti: Non solum ducti, sed etiā coacti. Sic enim au-
diuimus

diuimus, quia Homo quidam fecit cœnam magnã.] Quis est iste homo, nisi mediator dei & hominum, homo Christus Iesus? Misit ut uenirẽt inuitati, quia hora iam erat ut uenirent.] Qui sunt inuitati, nisi per præmissos uocati ꝓphetas? Quia olim ex quo mittunt̃ prophetæ & inuitant ad cœnam Christi: Mittuntur ergo ad populum Israel. Sæpe missi sunt, sæpe uocauerunt ut ad horam cœnæ uenirent. Illi autem inuitantes acceperunt, cœnam repudiauerunt, Quid est inuitantes acceperunt, cœnam repudiauerũt? Prophetas legerunt, & Christum occiderunt. Sed quando occiderunt, tunc nobis cœnam nesciẽtes præparauerunt. Parata iam cœna immolato Christo, post resurrectionem Christi commendata quam sciunt fideles cœna domini, eiusq́ manibus & ore firmata, missi sunt apostoli ad quos missi ante fuerant prophetæ. Venite ad cœnam. Excusauerũt qui uenire noluerunt. Quomodo? Tres fuerunt excusationes.

Vnus dixit, Villam emi, eo uidere illam, habeme excusatum. Alius dixit, Iuga boum emi quinque, ea uolo probare, habeme excusatum. Tertius dixit, uxorem duxi, habeme excusatum, non possum uenire. Putamus nõ istæ sunt excusationes quæ impediunt omnes homines, qui ad istam cœnam uenire detrectant? Quæramus eas, discutiamus, inueniamus, sed ut caueamus. In uilla empta dominatio notatur, ergo superbia castigatur. Habere enim uillam, tenere, possidere, homines sibi in illa subdere & dominari delectat, Vitiũ malum, uitium primum. Primus enim homo dominari uoluit, qui dominũ habere noluit. Quid est dominari, nisi propria potestate gaudere? Est maior potestas, illi subdamur ut tuti esse ualeamus. Villam emi, habeme excusatũ. Inuenta superbia, uenire noluit: Alius dixit, Quinq́ iuga boũ emi. Nonne sufficeret boues emi? Aliquid proculdubio est quod nos ad quærendum & intelligẽdum obscuritate sui prouocat. Et quia clausum est, ut pulsemus hortatur. Quinq́ iuga boum, sensus huius carnis quinq́ numerant̃. Sensus carnis huius quod omnibus notum est, & qui forte non aduertunt, commoti sine dubio recognoscunt, Sensus ergo carnis huius quinq́ inueniũtur, In oculis uisus est, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustus in faucibus, tactus in omnib. mẽbris. Alba & nigra & quoquomodo colorata, lucida & obscura sentimus uidendo. Rauca & canora, audiendo sentimus. Suaue olentia & graue olentia, odorando sentimus. Dulcia & amara, gustãdo sentimus. Dura & mollia, lenia & aspera, calida & frigida, grauia & leuia, tangẽdo sentimus. Quinq́ sunt & iuga sunt. Sed quia iuga sunt, in tribus prioribus sensib. facilius apparet. Duo sunt oculi, duæ aures, geminæ nares. Ecce tria iuga. In faucibus, id est, sensu gustãdi, geminatio quędam inuenitur quia nihil gustando sapit nisi lingua & palato tãgatur. Voluptas carnis quæ ad tactum pertinet occultius geminatur. Est enim & forinsecus & intrinsecus, ergo & ipsa gemina est. Quare boum dicunt̃ iuga? Quia per sensus istos carnis terrena requi-

A

runtur. Boues enim terrã uersant. Sunt autem homines remoti à fide, terrenis dediti, carnalibus occupati, nolũt credere aliquid nisi ad quod sui corporis sensu quinq́ partito perueniunt. In eis quinque sensibus totius uolũtatis sibi regulas ponunt. Non, inquit, credo ego, nisi quod uideo. Ecce q̃d noui, ecce quod scio. Album est, nigrũ est, rotundum est, quadratũ est, sic uel sic coloratũ est, noui, sentio, teneo, natura ipsa me docet. Nõ cogor credere, quod mihi non potes ostẽdere. Vox est, sentio, quia uox est. Bene cantat, male cantat, suauis est, rauca est, noui, scio, peruenit ad me, Bene olet, male olet, scio, sentio. Hoc dulce est, hoc amarũ, hoc salsum, hoc insulsum: Quid mihi plus dicas nescio. Tangendo noui quod durũ est, quid molle sit, quid lene sit, quid asperũ sit, quid caleat, quid

B

frigeat: Quid mihi plus monstraturus es? Tali impedimento tenebatur apostolus noster Thomas, qui domino Christo, id est, de Christi resurrectione nec solis oculis credere uoluit, Nisi misero, inquit digitos meos in clauorũ & uulnerum loca, & nisi manũ meã in latus eius misero, non credã. Et dominus qui possit sine ullo signo uulneris resurgere seruauit cicatrices, quæ à dubitante tangerẽtur & cordis uulnera sanarentur: Et tamen uocaturus ad cœnam contra excusationẽ quinq́ iugorum boum, Beati, inquit, qui nõ uident & credũt. Nos fratres mei ad cœnam uocati, ab istis quinq́ iugis non sumus impediti. Non em̃ carnis faciem domini uidere in hoc tempore cõcupiuimus, aut uocem ex ore carnis illius procedentẽ auribus ad

Ioan.20

C

mittere desiderauimus, nullũ in illo tẽporalẽ odorem quęsiuimus. Perfudit em̃ eum quædã mulier preciosissimo unguẽto, domus illa odore impleta est, sed nos ibi non fuimus, & non olfecimus & credimus. Cœnam manibus suis consecratã discipulis dedit, sed nos in illo conuiuio non discubuimus, & tamẽ ipsam cœnã fide quotidie manducamus. Nec magnũ putetis in illa cœna quam suis manibus dedit sine fide interfuisse, melior extitit fides postea q́ tunc perfidia, Non ibi fuit Paulus qui credidit, ibi fuit Iudas qui tradidit. Quãmulti & modo in ipsa cœna quãuis illam tũc mẽsam nõ uiderint, nec panẽ quẽ dominus gestauit in manibus oculis suis aspexerint uel faucibus gustauerint, tamen quia ipsa nunc præparatur, quammulti etiam nunc in ipsa cœna iudicium sibi manducant & bibunt. Vnde autẽ tanq́ occasio nata est

D

domino, ut de ista cœna loqueretur, dixerat unus de discũbentibus, in cõuiuio enim erat quo fuerat inuitatus, Beati qui manducãt in regno dei panẽ: quasi in longinqua iste suspirabat, & ipse panis ante illũ discũbebat. Quis est panis de regno dei, nisi qui dicit, Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi? Nolite parare fauces sed cor, Inde cõmendata est ista cœna, Ecce credimus in Christũ, quẽ fide accipimus. In accipiẽdo nouimus quid cogitemus. Modicũ accipimus, et in corde saginamur. Non ergo quod uidetur, sed quod credit̃ pascit. Non ergo etiam sensum illum externũ quæsiuimus nec diximus, Crediderint qui dominũ ipsum resurgen-

Ioan.6

resurgentẽ si uerũ est quod dicit̃, uiderunt oculis, manibus palpauerũt, nos nõ tangimus, quare credimus? Si talia cogitaremus, quinq́ illis iugis boũ ad cœnã impediremur. Vt noueritis fratres istorũ quinq́ sensuũ non delectationẽ quę permulcet & ingerit uoluptatẽ, sed curiositatẽ quandam notatã fuisse, nõ ait, Quinq́ iuga boũ emi, eo pascere illa, sed eo probare illa. Qui uult probare, per iuga boum non uult dubitare quõ sanctus Thomas per iuga noluit dubitare. Videam, tangam, digitos mittã, Ecce, inq́t, digitos tuos mitte per latus meum, & noli esse incredulus. Occisus sum propter te, per locũ quẽ uis tangere, sanguinẽ fudi ut redimerẽ te, & adhuc dubitas de me, nisi tetigeris me? Ecce & hoc prę̃sto, ecce & hoc exhibeo. Tãge & crede inueni locũ uulneris, sana uulnus dubitationis. Tertius dixit, Vxorẽ duxi. Ista uoluptas carnis

A

B

quę multos impedit, utinã foris & non intus. Sunt homines qui dicunt, Nõ est homini bene, nisi cui assunt carnis delicię: ipsi sunt quos notat Apostolus, dicẽs. Manducemus & bibamus, cras em̃ moriemur. Quis inde surrexit? Quis nobis quod ibi agitur dixit? Hoc nobiscũ tollimus q̃d in hoc tempore bene est nobis. Qui hoc dicit, uxorẽ duxit, carnẽ amplexat̃, carnis uoluptatibus iocundatur, à cœna excusatur, obseruet ne fame interiore moriatur: attendite sanctũ Ioannẽ apostolum & euangelistam. Nolite diligere mundum, neq́ ea quæ in mundo sunt. O qui ad cœnam domini uenitis, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt: nõ dixit, Nolite habere, sed nolite diligere. Habuisti, possedisti, dilexisti. Amor rerum terrenarum,

1 Cor.15

1 Ioan.2

C

uiscum est spiritaliũ pennarũ. Ecce concupisti, hæsisti, Quis dabit tibi pennas ut colũbæ? Quando uolabis, ubi uere requiescas, quando hic ubi male hæsisti, peruerse requiescere uoluisti? Nolite diligere mundum, tuba diuina est. Cõtinuo huius tubæ uerbis, orbi terrarũ & uniuerso dicit̃ mundo. Nolite diligere mundũ, nec ea quæ in mũdo sunt. Quisquis dilexerit mundũ, nõ est charitas patris in illo. Qm̃ omnia quę in mũdo sunt, concupiscẽtia carnis sunt, & cõcupiscentia oculorũ, & ambitio seculi. Ab uno cœpit quo euangeliũ terminauit. Inde ille cœpit, ubi euangeliũ terminum posuit. Concupiscentia carnis, uxorẽ duxi. Concupiscentia oculorum, quinq́ iuga boum emi. Ambitio seculi, uillam emi. Ideo autem à parte seculi per solos oculos cõmemorati sunt isti sensus, quia oculorũ est in quinq́ sensibus principatus. Propterea cũ proprie ad oculos pertineat uisus, ipsum uidere per oẽs quinq́ sensus solemus appellare. Quõ? Primo quod ad ipsos oculos pertinet dicis, uide q̃ candidum est, intende & uide q̃ candidũ est, hoc ad oculos pertinet. Audi & uide q̃ canorum est. Nunquid conuersim potes dicere, Audi & uide quàm candidum est? Hoc quod dicitur, uide, per omnes sensus currit. Intende & uide quàm canorũ est: odora & uide quàm suaue est, Gusta & uide q̃ dulce est. Tange & uide quàm molle est. Vtq́ quoniam sunt sensus, sic potius diceremus. Audi & senti quàm canorum est. Odora & senti quàm

Psal.54

Aug.to.10

suaue est, Gusta & senti quàm dulce est. Tange & senti quàm calidum est. Palpa & senti q̃q́ lene est. Palpa & senti quàm molle est. Nihil horum. Nam ipse dominus post resurrectionem cum apparuit discipulis suis, cumq́ cernentes adhuc titubarent in fide putantes se spiritum uidere, Quid, inquit, dubitatis, & quare cogitationes ascendunt in cor uestrũ? Videte manus meas & pedes meos. Et parum est uidere, tangite & palpate, inquit. Intendite & uidete, palpate & uidete, in solis oculis uidete, in omnibus sensibus uidete. Quia interiorẽ sensum fidei quærebat, exterioribus corporis sensib. adiacebat. Nos nihil ab istis exterioribus sensibus in dño carpsimus, auditu audiuimus, corde credidimus, & ipsum auditum non ab illius ore, sed ab ore prædicatorum eius, ab ore illorũ qui iam cœnabant & nos ructãdo inuitabãt. Tollamus ergo de medio excusationes uanas & malas, & ueniamus ad cœnam qua intrinsecus saginemur. Non nos impediat extollentia superbiæ, nõ nos extollat, uel non nos terreat curiositas illicita & auertat à deo. Non nos impediat uoluptas carnis à uoluptate cordis. Veniamus & saginemur. Et qui uenerunt nisi mẽdici, debiles, claudi & cęci? Illic autem non uenerunt diuites, sani, quasi bene ambulantes & acute cernentes, multum de se prę̃sumentes, & ideo desperatiores quanto superbiores. Veniant mendici, quia ille inuitat qui propter nos pauper factus est cũ diues esset, ut illius paupertate mendici ditaremur. Veniant debiles, quia non est opus sanis medico, sed male habentibus. Veniant claudi qui ei dicant, Cõpone gressus meos in semitis tuis. Veniant cæci qui dicant, Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte. Tales uenerunt ad horam. Illis prius inuitatis, sua excusatione reprobatis, uenerunt ad horam, intrauerunt de plateis & uicis ciuitatis. Et respondit seruus] qui missus erat, Domine factũ est quod iussisti, & adhuc locus est, Exi, inquit, in uias & sepes, & quos inueneris coge intrare.] Quos inueneris ut dignentur noli expectare, coge intrare. Magnam cœnam, magnam domum parauí, non ibi patior locum uacare. Venerũt de plateis & de uicis gentes, ueniant de sepibus hęretici, hic inueniunt pacem. Nam qui construunt sepes, diuisiones quærunt. Trahantur à sepibus, euellantur à spinis, In sepibus hæserunt, cogi nolunt. Voluntate, inquit, nostra intremus. Non hoc dominus imperauit. Coge, inquit, intrare. Foris inueniatur necessitas, nascitur intus uoluntas.

Mat.9
Psal.16
Psal.12

D

De eo quod scriptum est in euangelio secundũ eundem, Homo quidam habuit duos filios &c.

Titulus hic sermoni neutiquã respondet

Sermo XXXIIII

IN lectione euangelica quam audiuimus, de homine dictum est qui habuit duos filios. Deniq́ filius minor qui uoluit in suã potestatem habere substantiam quæ illi apud patrem optime seruabatur, factus suæ potestatis, profectus est in regionẽ longinquam. Hæsit principi malo, & porcos pauit, fame correptus est, q́ saturitate superbus abscesserat. Ergo quisquis ita uult

Ex Aug. enarratiõe in psal. 70 omnia deprompta sunt uide tom. 8 col. 770

ſimilis eſſe deo, ut ad illum ſtet, fortitudinẽq; ſuã,
ſicut ſcriptum eſt, ad illud cuſtodiat, non ab illo re A
cedat ei cohærendo, ſignetur tanquã ex anulo ce-
ra affixus, habeat imaginem eius, faciens quod di
Pſal.72 ctum eſt, Mihi autẽ adhærere deo bonũ eſt, ut cu-
ſtodiat ſimilitudinẽ & imaginem ad quam factus
eſt. Porrò autẽ ſi peruerſe uult imitari deũ, ut quo-
modo deus nõ habet aliũ à quo formet, nõ habet
à quo regatur, ſic ipſe uelit ſua poteſtate uti, ut quo
modo deus nullo formante, nullo regente uiuat:
quid reſtat fratres niſi ut recedẽs ab eius calore tor
peſcat, recedens à ueritate uaneſcat, recedẽs ab eo
quod ſumme atq; incõmutabiliter eſt, in deterius
mutatus deficiat? Hoc diabolus fecit. Imitari deũ
uoluit, ſed peruerſe, non eſſe ſub illius poteſtate,
ſed habere contra illum poteſtatẽ. Homo autem
poſitus ſub præcepto audiuit à domino deo, Noli, B
Gen.2 inquit, tãgere hanc arborem. Quid eſt enim illa ar
bor? Si bona eſt, quare nõ tango? Si mala eſt, quid
facit in paradiſo? Prorſus ideo eſt in paradiſo, quia
bona eſt, ſed nolo eã tãgas, Quare nõ tãgo? Quia
obedientem te uolo, non contradicentem. Serue
audi, adhuc ſerue, ſed noli male ſerue. Serue audi
prius domini iuſſum, & tunc iubentis diſce conſi
lium. Bona eſt arbor, nolo tãgas. Quare? Quia do
minus ſum & tu ſeruus. Hæc tota cauſa eſt. Si par-
ua eſt, dedignaris eſſe ſeruus? Quid autem tibi ex-
pedit, niſi eſſe ſub domino? Quomodo eris ſub do
mino, niſi fueris ſub præcepto? Porrò ſi expedit ti
bi eſſe ſub domino & ſub præcepto, quid tibi iuſſu
rus erat dominus deus? C Aliquid enim quærit abs
te. Offer mihi ſacrificium, dicturus eſt tibi, nonne
ipſe fecit omnia, in quibus te fecit? Obſequere
mihi, dicturus eſt tibi, ſiue ad lectum cum requie-
ſco, ſiue ad menſam cum reficio, ſiue ab balneum
cum lauo. Quia ergo nihil abs te indiget deus, ni-
hil ergo tibi debuit iubere? Si autẽ debuit aliquid
iubere, ut te, q̃d tibi expedit, ſentires eſſe ſub do-
mino, neceſſe ab aliquo prohibendus eras, nõ pro
pter illius arboris maliciam, ſed propter tuã obe-
dientiam, Non potuit deus perfectius demonſtra
re, quantum bonum ſit obedientia, niſi cum pro-
hibuiſſet ab ea re quæ nõ erat mala. In qua obediẽ
tia tenet palmam, ſola ibi inobediẽtia inuenit pœ-
nam. Bonum eſt, ſed nolo tangas. Non enim non
tangendo moriturus eras: Nunquid qui hinc pro-
hibuit alia ſubtraxit? Nonne eſt paradiſus fructuo
ſus, plenus arboribus? Quid tibi deeſt? Hoc nolo
tangas, hinc nolo guſtes. Bonum eſt, ſed obedien
tia melior eſt. Proinde cum tetigeris, nunquid ar-
bor illa malum erit ut moriaris? Sed inobedien-
tia te ſubiecit morti, qui prohibita tetigiſti. Ideo ar
bor illa appellata eſt ſcientiæ dignoſcẽdi boni &
mali, nõ quia inde talia quaſi poma pendebãt, ſed
quicquid eſſet arbor illa cuiuslibet pomi, cuiuſli-
bet fructus eſſet, ideo ſic uocata eſt, qa homo qui
nollet bonũ à malo diſcernere p̃ præceptũ, diſcre-
turus erat per experimentũ, ut tãgendo uetitũ in-
ueniret ſuppliciũ. Quare autẽ tetigit fratres mei?
Quid deerat illi? Dicat mihi quid deerat illi in pa
radiſo cõſtituto, in media opulentia medijs q̃ deli
cijs, cui magnæ deliciæ erãt uiſitatio dei, cuius fa-
ciem quaſi inimici timuit poſt peccatũ? Quid illi
deerat ut tãgeret, niſi quia ſua poteſtate uti uoluit
præceptũ rũpere delectauit, ut nullo ſibi dominã-
te fieret ſicut deus, quia deo utiq; nullus domina-
tur? Male elatus, male præſumens, futurus mortu
us recedẽdo à uia iuſtitiæ, ecce ſoluit præceptum.
Excuſſit à ceruice iugum, & diſciplinæ habenas,
non ueſcendi libidine, ſed exultandi animoſitate
dirupit. Vbi eſt nũc? Certe captiuus clamat, Dñe Pſal.70
quis ſimilis tibi? Volui eſſe peruerſe ſimilis tibi, &
factus ſum ſimilis peccatori. Sub tua dominatio-
ne, ſub tuo præcepto uere ſimilis eram, Sed homo
in honore poſitus, nõ intellexit, cõparatus eſt iu- Pſal.48
mentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Iam
de ſimilitudine iumentorum clamat ſero, & dicit,
Domine quis ſimilis tibi? Quantas oſtendiſti mi-
hi tribulationes multas & malas. Merito ſuperbe
ſerue: Voluiſti enim ſuperbe eſſe ſimilis dño tuo,
qui factus eras ad imaginem domini tui. Bene tibi
uelles ut eſſet, recedẽti ab illo bono. Prorſus dicit
tibi deus, Si recedis à me & bene eſt tibi, ego non
ſum bonũ tuũ. Proinde ſi ille bonus, & ſummè bo
nus, & de ſe ſibi bonus, & nullo alieno bono bo-
nus, & noſtrũ ſummũ bonũ: ipſe recedendo inde,
quid eris niſi malus? Item ſi ipſe eſt beatitudo no-
ſtra, quid erit recedẽti niſi miſeria? Redi ergo poſt
miſeriam & dic, Domine quis ſimilis tibi? Quan-
tas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas,
ſed diſciplinæ fuit admonitio nõ deſertio. Deniq;
gratias agens quid dicit? Et conuerſus uiuificaſti
me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. Quan
do enim antea? Quid eſt hoc iterum? Cecidiſti ab
altitudine ò homo mancipiũ inobediens, ſuperbe
aduerſus dominũ cecidiſti: Factum eſt in te, Om- Lucæ 14
nis qui ſe exaltat humiliabit, fiat in te, Omis qui ſe
humiliat, exaltabit. Redi de profundo. Redeo, in-
quit, Redeo agnoſco. Deus quis ſimilis tibi? Quã
tas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas,
& cõuerſus uiuificaſti me, & de abyſſis terræ iterũ
reduxiſti me. Intelligo, audio. Reduxit em̃ te de a-
byſſis terræ. Reduxiſti em̃ de abyſſis terrę. Redu-
xiſti em̃ à profunditate et ſubmerſiõe peccati. Sed
quare iterum, quãdo iam factũ erat? Sequamur ne
forte poſteriora pſalmi ipſius exponat nobis q̃d
hic nõ intelligimus, quid dixerit iterum. Ergo au-
diamus, Quantas oſtendiſti mihi tribulationes
D multas & malas, & conuerſus uiuificaſti me, &
de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. Quid dein-
de? Multiplicaſti iuſtitiam tuam, & cõuerſus con-
ſolatus es me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti
me. Ecce alterum iterum, ſi hoc iterum ſoluere la-
boramus ſemel poſitum, quis ſoluere poterit ge-
minatum? Iam ipſum iterum geminatio eſt, & rur
ſus poſitũ eſt iterum. Aſſit ille à quo gratia, Aſſit
brachium quod annunciamus omni generationi
ſuperuenturæ. Aſſit ipſe, & tanquam claue crucis
ſuæ clauſum ſacramentum aperiat.

De eo quod ſcriptũ eſt in euangelio ſecundũ Luc.16
eundem, Facite uobis amicos de mammona ini-
quitatis. Sermo XXXV

Quod

A QVOD admonemur, admonere debemus.
Recens euangelica lectio admonuit fa- A
cere amicos de mammona iniquitatis, ut
eos qui faciunt recipiãt & ipſi in æterna tabernac-
cula. Qui ſunt qui habebunt tabernacula æterna,
niſi ſancti dei? Et qui ſunt qui ab ipſis accipiendi
ſunt in tabernacula æterna, niſi qui eorũ indigen-
tiæ ſeruiunt, & quod eis opus eſt, hilariter ſubmi-
niſtrant? Recordemur ergo in nouiſſimo iudicio
dominũ eſſe dicturum eis qui ſtabunt ad dexte-
ram eius, Eſuriui & dediſtis mihi mãducare, & cæ-
tera quæ noſtis. Et cũ illi quererent quando ei ob-
ſequia iſta prębuiſſent, reſpondet, Quando uni ex
minimis meis feciſtis mihi feciſtis. Iſti minimi ſunt
qui recipiuntur in æterna tabernacula. Hoc dixit
dextris qui fecerunt, hoc dixit ſiniſtris, quia facere
noluerunt. Sed dextri qui fecerũt quid acceperũt, B
Matt.25 uel potius quid accepturi ſunt? Venite, inquit, be-
nedicti patris mei, poſſidete paratũ uobis regnũ
à conſtitutione mundi. Eſuriui enim & dediſtis mi
hi mãducare. Et, Quando uni ex minimis meis fe-
ciſtis, mihi feciſtis. Minimi ergo qui ſunt Chriſti?
Hi illi ſunt, qui omnia ſua dimiſerũt & ſecuti ſunt
eũ, & quicquid habuerunt pauperibus diſtribue-
runt, ut deo ſine ſeculi compede expediti ſeruirẽt,
& ab oneribus mundi liberatos, uelut pennatos
ſurſum humeros tollerent. Hi ſunt minimi. Qua-
re minimi? Quia humiles, quia non elati, non ſu-
perbi. Appende minimos iſtos, & graue pondus
inuenies. Sed quid eſt quòd ait eos eſſe amicos de
mammona iniquitatis? Quid eſt mãmona iniqui-
tatis? Primum quid eſt mammona? Verbum eſt
enim quod latinum non eſt. Hebræũ uerbum eſt, C
cognatũ linguæ Punicæ. Iſtæ enim linguæ ſibi ſi-
gnificationis quadam uicinitate ſociantur. Quod
Punici dicunt mammon, Latine lucrum uocatur.
Quod Hebræi dicunt mammona, latinè diuitiæ
uocantur. Vt ergo latine totum dicamus, hoc ait
dominus noſter Ieſus Chriſtus, Facite uobis ami-
cos de diuitijs iniquitatis. Hoc quidam male intel
ligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pau-
peribus largiuntur, & putant ſe facere quod præ-
ceptum eſt. Dicunt enim, rapere res alienas, mam
mona eſt iniquitatis: erogare inde aliquid maximè
egẽtibus ſanctis, hoc ita eſt facere amicos de mam
mona iniquitatis. Intellectus iſte corrigendus eſt,
imò de tabulis cordis ueſtri omnino delendus eſt.
Nolo ſic intelligatis. De iuſtis laboribus facite e-
leemoſynas, ex eo quod recte habetis date. Non
enim corrupturi eſtis iudicem Chriſtum, ut non
uos audiat cum pauperibus quibus tollitis. Si e-
nim deprædareris aliquem inualidum, tu ualidior
& potentior, & ueniret tecum ad iudicem homi-
nem quemlibet in hac terra, habentem iudicandi
aliquam poteſtatẽ, uelletq; tecum cauſam dicere,
ſi tu de præda & ſpoliatione illa inopis dares ali-
quid iudici, ut pro te iudicaret iudex ille, uel tibi
placeret? Nempe pro te iudicauit, & tamen tanta
uis eſt iuſtitiæ ut & tibi diſpliceat. Noli tibi talem
pingere deum, noli collocare in templo cordis tui
tale idolum. Non eſt talis deus tuus, qualis nõ de-
bes eſſe nec tu. Si tu non ſic iudices, ſed iuſte iudi-
ces, etiã ſic melior eſt te deus tuus, nõ eſt inferior,
iuſtior eſt, fons iuſtitiæ eſt. Quicquid boni feciſti,
inde ſumpſiſti, & quicquid boni eructaſti, inde bi
biſti. Laudas uas, quia habet inde aliquid, & uitu-
peras fontẽ? Noli uelle eleemoſynas facere de fœ
nore & uſuris. Fidelibus dico, eis quibus corpus
Chriſti erogamus dico. Timete, corrigite uos, ne
dicam poſtea, tu facis & tu facis. Et puto quia ſi fe-
cero non mihi debetis iraſci, ſed uobis ut corriga-
mini: ad hoc enim ualet quod dictũ eſt in pſalmo:
Iraſcimini & nolite peccare. Volo uos iraſci, ſed Pſal.4
non ut peccetis. Vt aũt non peccetis, quibus ha-
betis iraſci niſi uobis? Quid eſt enim homo pœni
tens, niſi homo iratus ſibi? Vt accipiat ueniam, de
ſeipſo exigit pœnam, & recte dicit deo: Auerte fa Pſal.50
ciem tuã à peccatis meis, quoniã peccatum meum
ego agnoſco. Si tu agnoſcis, & ille ignoſcet, qui fa
ciebatis nolite facere. Non licet. Sed iam ſi feciſtis
& pecunias tales habetis, & inde ſaccellos imple-
ſtis, inde theſaurizabitis. De malo eſt quod habe-
tis, iam noli malũ facere, & facite uobis amicos de
mãmona iniquitatis. Nunquid Zachæus de bono
habebat? Legite & uidete. Maior erat publicano-
rum, id eſt, cui uectigalia publica cõferebant. Inde
habebat diuitias: Multos preſſerat, multis abſtule
rat, multa cõgeſſerat. Intrauit domũ eius Chriſtus,
& uenit ſalus ſuper domũ eius: ſic enim ait ipſe do
minus, Hodie ſalus huic domui facta eſt. Sed ip-
ſam ſalutẽ uidete. Primo deſiderabat dominum ui
dere, quia ſtatura puſillus erat, ſed turba impediẽ-
te aſcendit in arborem ſycomorũ & uidit trãſeun-
tem. Ille aũt aſpexit eum & ait, Zachæe deſcende,
apud te oportet me manere. Tu pendes, ſed nõ te
ſuſpendo, hoc eſt non te differo. Volebas uidere
tranſeuntẽ, hodie me apud te inuenies habitantẽ.
Ingreſſus eſt ad eũ dominus, repletus ille gaudio
ait, Dimidium rerũ mearum do pauperibus. Ecce
quomodo currit qui currit facere amicos de mam
mona iniquitatis. Et ne reus aliũ de tenereẽ, Si cui
aliquid tuli, ait, quadruplum reddam. Inflixit ſibi
condemnationẽ, ne incurreret damnationẽ. Ergo
qui habetis de malo, facite inde bonũ. Qui non ha
betis de malo, nolite acquirere de malo. Eſto bo-
nus tu qui bonũ facis de malo, & cũ cœperis boni
aliquid facere de malo, noli remanere tu malus,
D Nũmi tui cõuertuntur in bonum, tu aũt remanes
malus? Eſt quidẽ & alius intellectus, nec ipſum ta
cebo. Mãmona iniquitatis, diuitiæ ſunt ſeculi om-
nes undecunq; ſint. Vndecunq; enim congregen
tur, mãmona iniquitatis eſt, id eſt, diuitiæ ſunt ini-
quitatis. Quid eſt diuitiæ ſunt iniquitatis? Pecu-
nia eſt quã nomine diuitiarum appellat iniquita-
tis. Si enim ueras diuitias queris, alię ſunt. Talibus
Iob nudus abundabat, quando in deum cor ple-
num habebat, & laudes deo perditis omnibus re-
bus tanquam gemmas preciosiſſimas proferebat.
De quo theſauro ſi nihil habebat, ipſæ ſunt ueræ
diuitiæ. Iſtę aũt, ab iniquitate appellantur diuitiæ.
Habes illas, nõ reprehẽdo, hæreditas uenit, pater
tuus diues fuit & dimiſit tibi. Honeſte acq̃ſiſti, de

iustis laboribus plenam domum habes, non repre
hendo. Tamen etiam sic non illas dices diuitias: A
Nam si dicis illas diuitias, amabis illas. Et si amaue
ris illas, peribis cum illis, perde ne pereas, dona ut
acquiras, semina ut metas. Has diuitias noli appel
lare, quia uerę non sunt. Paupertate plenæ sunt, &
semper obnoxiæ casib. Quales diuitiæ sunt, pro-
pter quas latronem times, propter quas times ser-
uum tuũ, ne te occiso auferat & fugiat? Si uere di-
uitiæ essent, securitatem tibi darent. Ergo illæ sunt
ueræ diuitiæ, quas cum habuerimus, perdere non
possumus. Et ne forte propter illas furem timeas,
ibi erunt ubi nullus auferet: Audi dominum tuũ,
Matt.6 Thesaurizate uobis thesauros in cœlo, quò fur nõ
accedat. Tunc erunt diuitiæ, quando eas migraue
ris. Quãdiu in terra sunt, diuitiæ nõ sunt, sed diui-
tias uocat illas mũdus, iniquitatis uocat deus. Ideo
B mãmona iniquitatis, quia diuitias uocat iniquita-
Psal.143 tem, audi Psalmum: Domine libera me de manu fi
liorum alienorum, quorum os locutum est uanita
tem, & dextera eorum, dextera iniquitatis. Quo-
rum filij sicut nouellæ cõstabilitę à iuuentute sua.
Filiæ eorum ornatæ, circumornatæ ut similitudo
templi. Cellaria eorum plena eructantia ex hoc in
illud. Boues eorum crassæ, oues eorum fœcundæ,
multiplicatæ in itineribus suis. Non est ruina ma-
ceriæ neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum.
Vidisti Psalmum qualem felicitatẽ descripsit, sed
audi quid sit, quos proposuit filios iniquitatis.
Quorum os locutũ est uanitatem, & dextera eo-
rum dextera iniquitatis. Ipsos proposuit & dixit
felicitatem eorum tantum super terram, & quid
C adiũxit: Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.
Sed qui dixerunt? Filij alieni, alienigenæ & non
pertinentes ad semen Abrahæ. Ipsi dixerunt po-
pulum beatum cui hæc sunt. Qui dixerunt? Quo-
rum os locutum est uanitatem. Ergo uanum est, di
cere beatos esse eos quibus hæc sunt, & tamen di-
citur ab eis, quorũ os locutũ est uanitatem. Ab ip-
sis dicuntur istæ diuitiæ, quæ uocantur mãmona
iniquitatis. Tu autem quid dicis? Quia illi filij alie
ni, quia illi quorum os locutum est uanitatem, di-
xerunt beatum esse populum cui hęc sunt, tu quid
dicis? Falsæ sunt istæ diuitiæ, da mihi ueras. Repre
hendis istas, ostende quod laudas. Vis ut contem
nam hoc, ostende quid præferam. Dicat ipse psal-
mus, Qui enim dixit, beatum dixerunt populum
D cui hæc sunt, tale nobis dat responsum, quasi dice
remus illi, id est, ipsi psalmo, Ecce hoc nobis tulisti
& nihil nobis dedisti. Ecce ista contemnimus, un-
de uiuimus, unde beati erimus? Quia qui locuti
sunt, ipsi de seipsis recipient. Homines enim diui-
tias habentes beatos esse dixerunt: Tu quid dicis?
Respondet sic interrogatus & dicit, Illi dicunt di-
uites beatos, ego dico, Beatus populus cuius do-
minus deus eius. Audistis ueras diuitias, fac ami-
cos de mãmona iniquitatis, et eris beatus populus
cuius est dñs deus ipsius. Aliquãdo transimus uiã,
& uidemus amœnissimos & uberes fundos & di-
cimus, Cuius est ille fundus? Asserit illius, & nos
dicimus, Beatus homo, uanitatem loquimur. Bea
tus cuius est illa domus, beatus cuius est ille fun-
dus, beatus cuius est illud pecus, beatus cuius est
ille seruus, beatus cuius est illa famula: Tolle ua-
nitatem, si uis audire ueritatẽ. Beatus est, cuius est
dominus deus ipsius. Non enim cuius est fundus
iste beatus est, sed ille cuius est deus. Sed ut aper-
tissime beatitudinem rerum annũcies, dicis, quòd
beatum te fecit fundus tuus. Quare? Quia inde ui
uis. Nam quando laudas pro magno fundũ tuum
hoc dicis, Ille pascit me, inde uiuo. Attẽde unde ui
uas. Ille est unde uiuis, cui dicis, Apud te est fons
uitæ. Beatus populus cuius est dominus deus ip-
sius. O domine deus meus, ô domine deus noster,
ut ueniamus ad te, fac nos beatos de te. Nolumus
de auro neq; de argento, nec de fundis: Nolumus
de terrenis istis & uanissimis, & de caducæ uitæ
B trãsitorijs. Non loquatur os nostrum uanitatem:
Fac nos beatos de te, quia non perdimus te. Cum
tenuerimus te, nec te perdimus, nec nos perimus.
Fac nos beatos de te, quia beatus populus cuius
est dominus deus ipsius. Nec irascitur aũt si dixe-
ris de deo, fundus noster. Legimus enim, Domi- Psal.15
nus pars hæreditatis meæ. Magna res fratres, &
hæreditas ipsius sumus, & hæreditas nostra est,
quia & colimus eum & colit nos. Nulla est iniuria
illi, quia colit nos. Quia si nos colimus illũ ut deũ
nostrum, ille colit nos ut agrum suum. Et ut sciatis
quia colit nos, audite eum quem misit nobis. Ego
sum, inquit, uitis, uos estis palmites, pater meus a- Ioan.15
gricola est. Ergo colit nos, sed si fructũ reddamus
parat horreũ. Si aũt sub tanto cultore steriles esse
C uoluerimus, & pro frumẽto spinas protulerimus,
nolo dicere quod sequitur ad gaudiũ finiamus.

De iudice iniquo qui nec deum timebat nec
homines reuerebatur, In Euangelio secundum
eundem. Sermo XXXVI.

LECTIO sancti euangelij ædificat nos ad A
orandũ & credendum, & nõ de nobis sed
de domino præsumendũ. Quæ ad orandũ
maior hortatio, q̃ ut nobis de iudice iniquo pro-
poneret similitudo? Iudex enim iniquus nec deũ Luc.18
timẽs nec hominẽ reuerens, audiuit tamen uiduã
interpellantẽ se, uictus tedio non pietate inclina-
tus. Si ergo audiuit qui oderat q̃d rogabat, quo-
modo nõ exaudit qui ut rogemus hortat? Cum er
go nobis ista è cõtraria cõparatione dominus sua
deret, Quia oportet semper orare, & non defi-
cere:] adiecit & ait, Verũtamen cum uenerit fi-
lius hominis, putas inueniet fidẽ in terra?] Si fides
deficit, oratio perit. Quis enim orat qui nõ credit?
Vnde & beatus Apostolus cum ad orandũ exhor
taretur, ait, Omnis quicunq; inuocauerit nomen Rom.10
domini saluus erit. Et ut ostenderet fidẽ fontẽ esse
orationis, nec posse ire riuũ ubi caput aquæ sicca-
retur, adiunxit atq; ait: Quomodo aũt inuocabũt
in quẽ nõ crediderũt? Ergo ut oremus credamus,
& ut ipsa non deficiat fides qua oramus, oremus.
Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat
firmitatẽ, Fides inquã, fundit orationẽ, fusa oratio
etiã ipsi fidei impetrat firmitatẽ: Etenim ne in ten-
tationibus deficeret fides, propterea dominus ait,

Vigilate

Luc.22 Vigilate, & orate ne intretis in tentationẽ. Quid
est, in tentationẽ intrare, nisi à fide exire? Intãtum
enim tentatio proficit, inquantum fides deficit: Et
intantum tentatio deficit, inquantũ fides proficit.
Nam ut apertius nouerit charitas uestra de fide ne
deficeret & periret dixisse dominum, Vigilate &
orate ne intretis in tentationem: eo loco euange-
lium ait, Hac nocte postulauit satanas uexare uos
sicut triticũ, & ego rogaui patrẽ pro uobis ne defi-
ciat fides uestra. Rogat qui tuetur, & nõ rogat qui
periclitatur? Quod aũt ait dominus, Cum uenerit
filius hominis, putas inueniet fidem in terra? de fi-
de dixit quæ perfecta est. Ipsa enim uix inuenitur
in terra. Ecce plena est dei ecclesia: Quis huc acce
deret, si nulla esset fides? Quis non montes trans-
ferret, si plena esset fides? Attẽdite ipsos Aposto-
los: Dimissis omnibus suis calcata spe seculi domi
num non sequerentur, nisi magnam haberent fi-
dem. Et tamen si plenã haberent fidem, non dice-
Luc.17 rent domino, Auge nobis fidem. Vide etiã utrũq;
illum de se confitentẽ. Vide fidem, & non plenam
fidẽ. Qui cũ obtulisset domino filiũ à malo dæmo
nio sanãdum, & esset interrogatus, utrũ crederet,
respondit, & ait, Credo domine, adiuua incredulí-
Mar.9 tatem meã: Credo, inquit, credo domine, ergo est
fides. Sed adiuua incredulitatẽ meã, ergo non ple-
na est fides. Sed quia nõ est fides superborum, sed
humilium: Dixit ad quosdam qui sibi iusti uide
Luc.18 bantur, & spernebant cæteros, similitudinẽ hanc,
Duo homines ascenderunt in templũ orare, unus
pharisæus & alter publicanus: Pharisæus dicebat,
Gratias tibi deus, quia non sum sicut cæteri homi-
nũ.] Diceret saltẽ sicut multi homines. Quid est
cæteri homines, nisi omnes præter ipsum? Ego,
inquit, iustus sum, cæteri peccatores. Non sum
sicut cæteri homines, iniusti, raptores, adulteri.]
Et ecce tibi ex uicino publicano maioris tumoris
occasio. Sicut, inquit, publicanus iste.] Ego, in-
quit, solus sum, iste de cæteris est. Nõ sum, inquit,
talis qualis iste, per iustitias meas quibus iniquus
non sum. Ieiuno bis in sabbato, decimas do om
nium quæ possideo.] Quid rogauerit deum, quę-
re in uerbis eius nihil inuenies. Ascẽdit orare, no-
luit deum rogare, sed se laudare. Parũ est nõ deum
rogare, sed se laudare, insuper & roganti insultare.
Publicanus aũt de longinquo stabat.] & deo ta D
men ipse propinquabat, cordis conscientia eũ re-
mouebat, pietas applicabat. Publicanus aũt de lõ-
ginquo stabat, sed dominus eum de propinquo at
tẽdebat. Excelsus enim dominus & humilia respi
cit. Excelsos autem qualis erat ille Pharisæus, Ex-
celsa quidem à longe cognoscit. Deus autẽ à lon-
ge cognoscit, sed non ignoscit. Adhuc audi humi
litatem publicani. Parum est, quia de lõginquo sta
bat: Nec oculos suos ad cœlũ leuabat:] ut aspi-
ceretur non aspiciebat, respicere nõ audebat, pre-
mebat conscientia, spes subleuabat, adhuc audi,
Percutiebat pectus suũ, dicens, Domine, propi
tius esto mihi peccatori.] Ecce q̃ rogat. Quid mi-
raris si deus ignoscit, quãdo ipse agnoscit? Denicq;
de pharisæo & publicano accepisti controuersiã:
audi sententiã, Audisti superbũ accusatorem, au-
A disti reum humilem: audi nunc iudicem: Amen
dico uobis:] ueritas dicit, deus dicit, iudex dicit,
Amen dico uobis, descendit iustificatus publi-
canus ille de templo, magis q̃ ille pharisęus.] Dic
domine causam, Ecce uideo publicanũ iustificatũ
magis de tẽplo descẽdere q̃ Pharisęũ. Quæro qua
re. Quæris quare? audi quare, Quia omnis qui se
exaltat, humiliabit, & qui se humiliat exaltabit.]
Audisti sententiã, caue causam malam: aliud dico:
Audisti sententiã, caue superbiã. Videant nũc, au-
diant ista nescio qui impie garrientes & de suis uir
tutibus præsumentes: audiant qui dicũt, Deus me
hominẽ fecit, iustũ ipse me facio. O peior & dete-
stabilior pharisæo. Pharisæus ille superbe quidem
iustum se dicebat, sed inde ille deo gratias agebat.
B Iustũ se dicebat, sed tamẽ deo gratias agebat. Gra-
tias tibi deus, quia non sum sicut cæteri homines.
Gratias tibi deus, gratias deo agit, quia non est si-
cut cæteri homines, & tamen tanquã superbus &
inflatus reprehenditur, non quia deo gratias age-
bat, sed quia uelut nihil sibi addi cupiebat. Gratias
tibi, quia nõ sum sicut cæteri homines iniusti: Er-
go tu iustus, ergo nihil rogas, ergo iam plenus es;
Ergo non est tentatio uita humana super terrã, Er
go iam plenus es, ergo iam abundas, Ergo iam nõ
est quare dicas, Dimitte nobis debita nostra. quid
est ergo qui impie oppugnat gratiã, si reprehen-
ditur qui superbe agit deo gratias? Et ecce post di
ctam controuersiam, prolatamq; sententiã, proce-
C dunt & paruuli, imò afferuntur tangendi. Cui tan
gendi, nisi medico? Certe insani cui offeruntur in-
fantes tangendi? Cui? Saluatori. Sed si saluatori,
utiq; sanandi. Cui nisi illi qui uenit quærere & sal-
uare quod perierat? Vbi isti perierant, quantũ ad
ipsos proprie attinet innocentes? Video reatum,
quero unde, Apostolũ audio, Per unũ hominẽ in- Rom.5
trauit peccatũ in orbem terrarũ. Per unum, inquit,
hominẽ peccatum intrauit in mundũ, & per pec-
catum mors, & ita in omnes homines pertransiuit
in quo omnes peccauerũt. Veniant ergo paruuli, Luc.18
ueniant: audiatur dominus: Sinite paruulos uenie
re ad me. Veniãt paruuli, ueniant languidi ad me-
dicum, ueniant perditi ad redemptorem, ueniant;
nemo prohibeat. In ramo adhuc nihil cõmiserunt;
sed in radice perierunt. Benedicat dominus pusil-
los cũ magnis. Tangat medicus & pusillos & ma-
gnos. Causam paruulorum cõmendamus maiori-
bus. Loquimini pro tacentibus, orate pro flenti-
bus. Si nõ frustra estis maiores, estote tutores, tue-
mini eos qui adhuc causam suã agere nõ possunt;
Cõmunis fuit perditio, sit cõmunis inuentio. Si-
mul perieramus, simul inueniamur in Christo. Di-
spar est meritum, sed cõmunis est gratia. Nihil ma
li habent, nisi quod de fonte traxerunt. Nihil ha-
bent mali nisi quod de origine traxerũt. Non eos
impediant à salute, qui ad id quod traxerunt mul-
ta addiderunt. Qui maior est ætate, maior est ini-
quitate. Sed gratia dei delet quod traxisti, delet &
quod addidisti. Vbi enim abundauit peccatũ, su-
perabundauit gratia:

Deed

De eo quod ſcriptum eſt in euangelio, ſecundum eundem, Homo quidam deſcẽdit ab Hieruſalem in Hierico & incidit in latrones.

Sermo XXXVII

A AVDERE nos Apoſtolus præcipit, ſed
Philip.4 G in domino nõ in ſeculo. Quicunq; enim
Iaco.4 uoluerit amicus eſſe huius ſeculi, ſicut ſcri
Matt.6 ptura dicit, inimicus dei reputabitur. Sicut autem non poteſt homo duobus dominis ſeruire, ſic & nemo poteſt gaudere & in ſeculo & in domino. Multum inter ſe hęc duo gaudia differunt, ſuntq; omnino cõtraria. Quãdo gaudetur in ſeculo, non gaudetur in domino. Quando gaudetur in domino, nõ gaudetur in ſeculo. Vincat gaudiũ in domino, donec finiatur gaudium in ſeculo. Gaudiũ in domino ſemper augeatur, gaudium in ſeculo ſemper minuatur donec finiatur. Non ideo iſta dicuntur, quia in hoc ſeculo cũ ſumus, gaudere nõ debemus, ſed etiã in hoc ſeculo conſtituti iam in domino gaudeamus. Sed ait aliquis, In ſeculo ſum, utiq; ſi gaudeo, ibi gaudeo ubi ſum. Quid enim? Quia es in ſeculo, in domino nõ es: audi eundem Apoſtolũ ad Athenienſes loquentẽ, & in actibus Apo
Act.17 ſtolorũ dicentẽ de deo & de domino creatore no
Philip.4 ſtro, In illo uiuimus, mouemur & ſumus. Qui em̃ ubiq; eſt, ubi non eſt? Nónne ad hoc nos exhortabatur, Dominus in proximo eſt, nihil ſoliciti fueritis? Magnũ eſt hoc quòd aſcendit ſuper omnes cœlos, & proximus eſt eis qui adhuc uerſantur in terris. Quis eſt iſte longinquus & proximus, niſi qui nobis miſericordia factus eſt proximus? Totũ C enim genus humanum eſt homo ille qui iacebat in uia ſemiuiuus à latronibus relictus, quem contempſit trãſiens ſacerdos & Leuites, & acceſſit ad eum curandum eiq; opitulandum tranſiens Samaritanus. Vt autem narraret hoc unde cauſa deſcendit, quendam quærentem quæ ſint optima præcepta & ſumma in lege, admonuit hæc duo eſſe.
Luc.10 Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua: & diliges proximum tuũ ſicut teipſum. Ille autem, Et quis eſt meus proximus?] Et narrauit dominus,

Homo quidã deſcendit ab Hieruſalem in Hierico.] Oſtendit illum quodammodo Iſraelitam.

Et incidit in latrones. Quem cũ expoliaſſent & plagas ei graues irrogaſſent, dimiſerunt eum ſe miuiuũ in uia. Tranſijt ſacerdos, utiq; genere proximus, præterijt iacentẽ. Trãſijt Leuites, & hic genere proximus, iacentem etiam ipſe contempſit. Tranſijt Samaritanus, genere longinquus, miſericordia proximus, fecit quod noſtis. In quo Samaritano ſe uoluit intelligi dominus noſter Ieſus Chriſtus. Samaritanus enim cuſtos interpretatur. Ideo reſurgens à mortuis iam non moriẽ, & mors ei ultra non dominabiẽ, quia non dormit neq; dormitat qui cuſtodit Iſrael. Deniq; quãdo cõuicijs tan-
Ioan.8 tis blaſphemabant Iudæi, dixerunt illi, Nónne uerum dicimus, quia Samaritanus es & dæmonium habes? Cum ergo duo eſſent cõuitioſa obiecta domino, dictumq; illi eſſet, Nónne uerum dicimus, quia Samaritanus es & dęmonium habes: poterat respõdere: Nec Samaritanus ſum, nec dæmonium A habeo: reſpondit aũt, Ego dæmonium nõ habeo. Quod reſpõdit refutauit, q̃d tacuit cõfirmauit. Negauit ſe habere dæmoniũ qui ſe nouerat dęmoniorũ excluſorẽ, nõ ſe negauit infirmi cuſtodẽ. Ergo dñs in proximo eſt, quia dñs nobis factus eſt in proximo. Quid tam lõginquum, quid tam remotũ q̃ deũ ab hominibus, immortalẽ à mortalibus, iuſtũ à peccatoribus? Nõ loco lõge ſed diſſimilitudine. Nã ſolemus etiã ita loqui, cũ de duobus hominib. dicimus, quãdo diuerſi ſunt mores. Iſte lõge eſt ab illo. Etiã ſi iuxta ſteterint, etiã ſi uicinius inhabitẽt, etiã ſi una catena colligent̃, longe eſt pius ab impio, longe eſt innocẽs à reo, longe eſt iuſtus ab iniuſto. Si hoc de duobus hominibus dicit̃, quid de deo & hominibus? Cũ ergo lõge à nobis eſſet immortalis & iuſtus tanq; à mortalibus et peccatoribus, deſcẽdit ad nos ut fieret nobis proximus ille longinquus. Et quid fecit cũ haberet ipſe duo bona, & nos duo mala? Ille duo bona, iuſtitiã & immortalitatẽ: nos duo mala, iniquitatẽ & mortalitatem. Si utrunq; malũ noſtrũ ſuſcepiſſet, par noſter fuiſſet, & liberatore nobiſcũ opus haberet. Quid ergo fecit ut eſſet proximus nobis? Proximus, non hoc q̃d nos, ſed prope nos. Duo attẽde, Iuſtus eſt, immortalis eſt. In duob. tuis malis, una eſt culpa altera eſt pœna. Culpa eſt q; iniuſtus es, pœna eſt, quia mortalis es, Ille ut eſſet proximus ſuſcepit pœnam tuã, nõ ſuſcepit culpã tuam. Et ſi ſuſcepit, delendam ſuſcepit non faciendam, iuſtus & immortalis, lõge ab iniuſtis & mortalib. Peccator mortalis, lõge eras à iuſto immortali. Non eſt factus ille peccator q̃d tu, ſed factus eſt mortalis q̃d tu. Manens iuſtus, factus eſt mortalis. Suſcipiẽdo pœnã & nõ ſuſcipiẽdo culpã, & culpã deleuit & pœnã, dñs ergo in proximo eſt, nihil ſoliciti fueritis. Et ſi ſuper omnes cœlos aſcendit corpore, non receſſit maieſtate. Vbiq; præſens eſt qui fecit omnia. Gaudete in domino ſemper. In ſeculo gaudium quod eſt? Gaudere de iniquitate, gaudere de turpitudine, gaudere de decore, gaudere de deformitate. De his ergo omnibus gaudet ſeculũ. Quæ omnia non eſſent niſi homines uoluiſſent. Alia ſunt quæ faciunt homines, alia ſunt quæ patiuntur, & ſi nolunt, ferunt. Quid ergo eſt hoc ſeculũ, & quod eſt D gaudiũ ſeculi? Dico fratres breuiter quãtum poſſum, quantũ deus adiuuat, feſtinanter, breuiter dico. Seculi læticia, eſt impunita nequitia: Luxurientur homines, fornicent̃, in ſpectaculis nugent̃, ebrioſitate ingurgitent̃, turpitudine fœdent̃, nihil mali patiant̃, et uidete ſeculi gaudiũ. Iſta mala quę cõmemoraui, nõ caſtiget fames, nõ belli timor nõ aliquis timor, nõ aliquis morbus, nõ ulla aduerſitas, ſed ſint omnia in rerũ abũdãtia, in pace carnis, in ſecuritate malæ mẽtis, ecce uide ſeculi gaudiũ. Sed nõ cogitat deus ſicut homo. Alia eſt dei cogitatio, alia hominis. Magnæ miſericordię eſt nequiciæ impunitatẽ non relinquere, & ne cogat̃ in extremo gehẽnę dãnare, modo flagello dignat̃ caſtigare. Nã uis noſſe nulla pœna quãta ſit pœna, non tamẽ iuſto ſed peccatori, cui eſt tẽporalis pœna ne ſucce-

ſuccedat æterna? Vis ergo noſſe, nulla pœna quã-
Pſal.19 ta ſit pœna? Pſalmum interroga, Irritauit dominũ A peccator. Exclamauit uehementer, attẽdit, conſyderauit, exclamauit, Irritauit dominum peccator. Quare obſecro? Quid uidiſti? Qui autem hoc exclamauit, uidit peccatorem impune luxuriantem, male facientẽ, bonis abundantem, & exclamauit, Irritauit dñm peccator. Quare hoc dixiſti? Quid enim uidiſti? Præ magnitudine iræ ſuæ non requiret. Intelligite fratres Chriſtiani miſericordiã dei, quando caſtigat mũdum, non uult damnare mundum. Præ magnitudine iræ ſuæ non exquirit. Ideo non exquirit, quia multum irascitur. Magna eſt ira eius. Parcẽdo ſæuit, ſed iuſte ſæuit. Eſt enim ſeueritas, quaſi ſęua ueritas. Si ergo aliquando ſæuit parcendo, bonum eſt nobis ut ſubueniat caſtigando. Et tamen ſi facta generis humani conſyderemus, quid patitur? Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis. Filij eius ſumus. Vnde hoc pbamus? Mortuus eſt pro nobis unicus, ne remaneret unus. Noluit eſſe unus, qui mortuus eſt unus. Multos enim filios dei fecit unicus filius deo. Emit ſibi fratres ſanguine ſuo: Probauit reprobatos, redemit uenditos, honorauit iniuriatos, uiuificauit occiſos. Dubitas quod dabit tibi bona ſua, qui non dedignatus eſt ſuſcipere mala tua? Ergo fratres gaudete in domino non in ſeculo, id eſt, gaudete in ueritate non in iniquitate. Gaudete in ſpe æternitatis, non in flore uanitatis. Ita gaudete & ubiq;, & quãdiucunq; hic fueritis, dominus in proximo eſt, nihil ſoliciti ſitis.

DE VERBIS DOMINI IN EVANgelio ſecundum Ioannem.

De eo quod ſcriptum eſt in euangelio ſecundum Ioannem, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum: Et reprehenſione Arianorum. Sermo XXXVIII

APITVLVM Euangelij quod lectũ eſt fratres dilectiſſimi, purum oculũ cordis inquirit. Dominum enim noſtrũ Ieſum Chriſtum accepimus ſecundũ diuinitatem ad condendã uniuerſam C creaturã, ſecũdũ humanitatem ad reparandã lapſam creaturã, euangelizante Ioanne. In ipſo aũt euangelio quãtus & qualis uir Ioannes fuerit inuenimus, ut ex dignitate diſpenſatoris intelligat̃, quanti precij ſit uerbum quod per talẽ dici potuit, imò quàm nullius ſit precij quod ſuperat omnia. Precio enim aut cõparatur res uenalis, aut ſubijcitur, aut excedit eam. Quando tanto quiſq; comparat quanto ualet, æquatur preciũ rei quæ comparatur: quando uilius, ſubijcitur ei, quando charius, ſuperat eam. Verbo autẽ dei nec æquari aliquid poteſt, nec ad mutationem ſubijci, nec ſuperponi aliquid. Subijci enim omnia poſſunt uerbo dei, quia omnia per ipſum facta ſunt: non tamen ſubijciantur quaſi precium ſint uerbi, ut quiſq; det aliquid ut illud accipiat. Tamen ſi dici poteſt & admittit nomẽ hoc ratio aliqua uel loquendi conſuetudo, precium comparandi uerbi ipſe comparator eſt, qui ſeipſum pro ſeipſo dedi-
A rit huic uerbo. Itaq; quãdo aliquid emimus, quęrimus aliquid quod demus, ut habeamus rem dato precio quã uolumus emere. Et extra nos eſt quod damus, & ſi apud nos erat fit extra nos illud quod damus, ut ſit apud nos illud quod comparamus. Quicquid precij inuenerit qui emit, aliquid neceſſe eſt ut tale inueniat, ut det quod habet, accipiat quod non habet. Manet tamen ille à quo abſcedit precium, & accedit illud pro quo dat preciũ. Qui autem uult comparare uerbum hoc, qui uult habere, non quærat extra ſeipſum quod det, ſeipſum det. Quod cum fecerit, non ſe amittit, ſicut amittit precium, quando aliquid emit. Verbum ergo dei propoſitum eſt omnibus. Comparẽt qui poſſunt, poſſunt autẽ qui pie uoluerint. In illo enim uerbo B pax, & pax in terra hominibus bonæ uoluntatis. Ergo qui uult comparare, det ſeipſum. Quaſi preciũ eſt hoc uerbi, ſi dici aliquo modo poteſt, quando nec ſe perdit qui dat, & acquirit uerbũ pro quo ſe dat, & ſeipſum in uerbo acquirit cui ſe dat. Et quid dat uerbum? Non aliquid ab ipſo alienũ pro quo ſe dat, ſed quod per ipſum uerbum factum eſt hoc ei redditur ut reficiatur. Omnia per ipſum facta ſunt. Si omnia, utiq; & homo. Si cœlum, ſi terra, ſi mare, ſi omnia quæ in ipſis, ſi uniuerſa creatura, utiq; ille manifeſtius qui ad imaginem dei factus per uerbum factus eſt homo. Non modo fratres tractamus, quomodo poſſit intelligi quod dictum eſt, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum.] Ineffabili-
C ter poteſt intelligi. Non uerbis hominis fit, ut intelligatur uerbũ dei. Tractamus & dicimus, quare non intelligatur. Nunc non dicimus ut intelligatur, ſed dicimus quid impediat ne intelligatur. Eſt enim forma quædam, forma non formata, ſed forma omnium formatorum: Forma incõmutabilis, ſine lapſu, ſine defectu, ſine tempore, ſine loco, ſuperans omnia, exiſtens in omnibus, & fundamentum quoddã in quo ſint, & faſtigium ſub quo ſint. Pſal.103 Si dicis, quia omnia in illo ſunt, non mentiris. Dictum eſt enim ipſum uerbum ſapientia dei: habemus aũt ſcriptum: Omnia in ſapientia feciſti. Ergo in illo ſunt omnia, & tamen quia deus eſt, ſub ipſo ſunt omnia. Dicimus quàm incomprehenſibile ſit D quod lectum eſt, & tamen lectum eſt, non ut comprehenderetur ab homine, ſed ut doleret homo, quia non comprehendit, & inueniret unde impeditur à comprehenſione, & remoueret ea, & inhiaret perceptioni incommutabilis uerbi, ipſe ex deteriore in melius cõmutatus. Non enim uerbum proficit aut creſcit accedente cognitore, ſed integrũ manet ſi permãſeris, integrũ ſi receſſeris, integrum cum redieris, manens in ſe & innouans omnia. Ergo eſt forma omnium rerum: Forma infabricata ſine tempore, ut diximus, & ſine ſpacijs locorum. Quicquid enim loco capitur, circumſcribitur. Forma circumſcribitur finibus, habet metas unde & quouſq; ſit. Deinde quod loco capitur & mole quadã & ſpatio diſtenditur, minus eſt in parte quàm in toto. Faciat deus ut intelligatis. Quotidie

tidie autem de corporibus quæ ante oculos nostros sunt, quæ uidemus, quæ tangimus, inter quæ
A sumus, possumus iudicare corpus quodlibet in loco habere formam. Omne autem quod spacium
loci occupat, minus est in parte, quàm in toto. Pars corporis humani, uerbi gratia, brachium. Vtique
minus est brachium quàm totum corpus. Et si minus est brachium, breuiorem locum occupat.
Item caput, quia pars est corporis, in minori loco est, & minus est quàm totũ corpus, cui caput est,
sic omnia quæ sunt in loco, minora sunt in parte q̃ in toto. Nihil tale de illo uerbo sentiamus, nihil
tale cogitemus. Non de suggestione carnis spiritalia imaginemur. Non est ille sermo, non est ille
deus minor in parte quàm in toto. Sed non potes tale aliquid cogitare. Magis pia est talis ignoran-
tia, quàm præsumpta scientia. Loquimur enim de
B deo. Dictum est, Et deus erat uerbum. De deo loquimur, quid mirũ si nõ comprehendis? Si enim
cõprehendis, non est deus. Sit pia confessio ignorantiæ magis quàm temeraria professio scientiæ.
Attingere aliquantũ te mente deum, magna beatitudo est: cõprehẽdere aũt omnino impossibile.
Ad mentẽ deus pertinet, intelligendus est, ad oculos corpus, uidendum est. Sed corpus oculo comprehendere te putas? Omnino non potes. Quicquid enim aspicis, non totum aspicis. Cuius hominis faciem uides, dorsum non uides eo tempore quo faciẽ uides. Et quando dorsum uides, eo tempore faciem nõ uides. Non sic ergo uides ut comprehendas, sed quando aspicis aliã partem quam
C non uideras, nisi memoria tecum faciat ut memineris te uidisse unde recedis, nunquam te diceres, aliquid uel in superficie comprehendisse. Tractas quod uides, uersas huc atq̃ illuc, uel ipse circuis ut totum uideas. Vno ergo aspectu totum uidere non potes. Et quamdiu uersas ut uideas, partes uides, & contexendo quia uidisti alias partes, uideris totum inspicere. Non autem hic oculorum uisus, sed memoriæ uiuacitas intelligitur. Quid ergo de illo uerbo fratres dici potest? Ecce de corporibus dicimus subiacentibus oculis nostris, nõ illa possunt comprehendere aspectu, quis ergo oculus cordis comprehendit deum? Sufficit ut attingat, si purus est oculus. Si autem attingit, tactu quodam attingit incorporeo, & spiritali, non tamen comprehendit: & hoc si purus est, &
D homo fit beatus cõtingẽdo corde illud quod semper manet, & est illud beatitudo perpetua, & unde fit homo uiuus uita perpetua, unde fit homo sapiens, sapientia perfecta, unde homo fit illuminatus, lumẽ sempiternum est. Et uide quemadmodum tu contingendo efficeris quod non eras, non illud quod contingis facis esse quod non erat. Hoc dico, Deus nõ crescit ex cognitore, sed cognitor ex cognitione dei. Ne putemus fratres charissimi, quia beneficium præstamus deo, quia diximus precium nos dare quodammodo. Non enim unde augeatur ille damus, qui & te lapso integer est, & te redeunte integer manet, paratus uidere ut beatificet conuersos, & auersos puniat cæcitate, Qui enim se auertit à lumine uero, id est, à deo, iam cæcus efficitur. Nõdum sentit pœnam, sed iam habet. Itaq̃ uerbũ dei fratres charissimi incorporaliter, inuiolabiliter, incommutabiliter, sine temporali natiuitate, natum tamen intelligamus à deo. Putamus ne possumus aliquo modo persuadere quibusdam infidelibus non abhorrere à uero, quod dicitur à nobis fide catholica quæ contraria est Arianis, à quibus ecclesia dei sæpe tentata est, cum carnales homines facilius illud accipiunt quod uidere consuerunt? Ausi sunt enim quidam dicere. Maior est pater filio, & præcedit eum tempore, id est, maior est filio pater, & minor est patre filius, & à patre in tempore procedit. Et sic disputant: si natus est, utiq̃ erat pater antequam filius illi esset natus. Attendite, Adsit ipse nobis, adiuuantibus orationi-
B bus uestris, & pia intentione accipere cupientibus quod ipse donauerit, quod ipse suggesserit: Affit nobis ut possimus quoquo modo explicare quod cœpimus. Tamen fratres ante dico, Si non potero ego explicare, non rationẽ putetis, sed hominem defecisse. Itaq̃ uos hortor & deprecor ut oretis, affit misericordia dei, & ita rem à nobis dici faciat, ut uos audire oportet, & nos dicere. Hoc ergo illi dicunt, Si filius dei est, natus est. Hoc fatemur. Non enim esset filius si natus non esset. Manifestum est, admittit fides, approbat ecclesia catholica, uerum est. Adiungunt deinde, Si natus est patri filius, erat pater antequam filius ei nasceretur. Hoc respuit fides, respuunt aures catholicæ. Ana-
C thematizatur, extra est qui hoc sapit, non pertinet ad participationem societatemq̃ sanctorum. Ergo ait, Rationem mihi redde, quomodo & filius potuit nasci patri, & coæuus ei esse à quo natus est Et quid faciemus fratres, quando carnalibus ista spiritalia intimamus, si tamen & nosipsi non carnales sumus, quando carnalibus ista spiritalia insinuamus, homine assuefacto natiuitate terrena, & uidenti istius creaturæ ordinem, ubi successus & decessus, gignentes & genitos ætate distinguit? Post patrem enim nascitur filius, patri utiq̃ morituro successurus. Hoc in hominibus, hoc in alijs animantibus inuenimus, parentes priores tempore, filios tẽpore posteriores. Hac consuetudine uidendi, carnalia transferre illi ad spiritalia cupiunt,
D & intentione carnaliũ facilius seducuntur. Non enim ratio audientium sequitur talia precantes, sed consuetudo quæ etiam inuoluit eos ut talia prædicarent. Et quid faciemus nos? Silebimus? Vtinam liceret. Forsitan enim silendo aliquid dignum de re ineffabili cogitaretur. Nam quicquid potest fari, non est ineffabile. Ineffabilis est autẽ deus. Si enim raptum se dicit usq̃ in tertium cœlum apostolus Paulus, & dicit se audisse ineffabilia uerba, quãto magis ipse ineffabilis qui talia demonstrauit, quæ fari non possit cui demõstrata sunt? Itaq̃ fratres, melius erat si possemus tacere & dicere, Hoc habet fides, sic credimus. Non potes capere, paruulus es, patienter tolerandus donec pennas nutrias, ne cum uolare implumis uolueris, nõ sit illa aura libertatis, sed casus temeritatis. Quid ille contra? O si

tra? O si haberet quod diceret, diceret mihi. Defi-
A ciẽti ista excusatio est. Victus est, nescit qui respõdere non uult. Ille cui hoc dicitur, si non respondeat, & si in seipso uictus non est, uincitur tamẽ in titubantibus fratribus. Audiunt enim fratres infirmi & putant reuera non esse quod dicatur, & forsitan uerum putant nõ esse quod dicatur, nõ tamẽ non esse quod sentiatur. Homo enim nihil potest dicere, q̃d nõ etiam sentire possit. Potest etiam aliquis sentire, quod dicere non possit. Tamen serua ta illius maiestatis ineffabilitate, ne cum aliquas si militudines contra illos dederimus putet nos aliquis per istas similitudines iam peruenisse ad id quod nec dici nec cogitari potest, certe à paruulis: & si potest ab aliquibus maioribus, potest ex parte, potest in ænigmate, potest per speculum,
B nondum autem facie ad faciem: demus & nos aliquas similitudines aduersus illos unde illi refellantur, non unde illud capiatur. Etenim cum dicimus ualde posse fieri, posse intelligi, ut & natus sit & coæternus sit ei à quo natus est, ut hoc refellãt & quasi falsum esse demõstrent, similitudines nobis dãt. Vnde? De creatura & dicunt nobis, Homo utiq̃ erat antequã generaret filium, maior est filio suo. Et equus erat antequam generaret filium, & ouis & cætera animalia. Similitudines adhibẽt de creaturis. Quid? Nobis laborandum est ut & nobis inueniamus similitudines earum rerum quas astruimus? Quid si non inuenirem? Non recte possem dicere, natiuitas creatoris fortasse similitudinem in creatura non habet? Quanto enim superat ea quæ sunt hic, in eo quod ibi est: tanto superat ea quæ hic nascuntur, in eo quod ibi natus est, Omnia per deum hic sunt. Et quid tamen est comparandum deo? Sic omnia quæ hic nascuntur, illo efficiente nascuntur. Et sic forsitan non inuenitur aliqua similitudo natiuitatis eius, quomodo non inuenitur & substantiæ eius & immutabilitatis diuinitatis & maiestatis eius. Quid em̃ simile hic inueniri potest? Si ergo forsitan nec natiuitatis similitudo inueniatur, nunquid inde oppressus sum, quia non inueni similitudines, creatori omnium in creatura, cupiens inuenire quod esset si mile creatori? Et reuera fratres non sum inuenturus temporales similitudines quas æternitati possim comparare. Sed & tu quas inuenisti, quid sunt? Quid enim inuenisti? Quia pater maior est tempore q̃ filius, & ideo uis ut filius dei tempore minor sit q̃ pater ęternus, quia inuenisti minorem filium patre temporali. Da mihi æternum patrẽ hic, & inuenisti similitudinem. Filium minorem inuenis patre in tempore, filium temporalem minorẽ patre temporali, Nunquid inuenisti mihi filiũ temporalem minorem æterno patre? Quia ergo in æternitate stabilitas est, in tempore autem uarietas, in æternitate omnia stãt, in tempore alia accedũt, alia succedunt, potes inuenire filium minorem in uarietate temporis, succedentem patri, quia etiam patri suo ipse successit non æterno patri temporalis. Quid ergo possumus fratres mei in creatura inuenire coæternum, quando in creatura nihil inue-

nimus æternum? Inueni æternum patrem in crea-
A tura, & inuenio coæternum filium. Si autem non inuenis æternũ, & uincũt se in tempore, sufficit ut ad similitudinem inueniamus coæuum. Aliud est enim coæternũ, aliud coæuum. Coæuos quotidie dicimus eos, qui eandẽ habent mensuram temporum. Non alter ab altero præceditur tempore, ambos tamen esse cepimus quos dicimus coæuos. Si potuerimus inuenire coæuum quod nascitur ei à quo nascitur: si possunt inueniri coæua duo generans & generatus, hic inuenimus coæua, ibi intelligimus coæterna. Si hic inuenero genitum ex eo esse cœpisse ex quo cœpit generator, intelligimus certe filium dei ex eo esse non cœpisse ex quo non cœpit generator. Ecce fortasse fratres inuenimus aliquid in creatura quod de alia re nascatur, & tamen ex eo tempore esse incipiat, ex quo cœpit illud unde nascitur, hoc ex eo ex quo illud cœpit, illud ex eo ex quo illud non cœpit. Hoc ergo coæuum, illud coæternum. Arbitror sanctitatem uestram iam intellexisse quod dico, non posse cõparari tẽporalia ęternis, sed posse ex aliqua tenui & parua similitudine coęua coæternis. Inueniamus itaq̃ coæua, & de scripturis admoneamur ad has similitudines. Legimus in scripturis de ipsa sapientia, Candor est enim lucis æternæ. Item legimus, Speculum sine macula dei maiestatis. Ipsa sapien- Sap.7
tia dicta est, Candor est enim lucis æternæ. Dicta est imago patris. Hinc capiamus similitudinem, ut inueniamus coæua, ex quibus intelligamus coæterna. O Ariane si inuenero genitorem non præce-
C dere temporaliter illud quod genuit, si genitũ nõ esse minorem tempore illo à quo generatus est, iustum est ut concedas mihi posse ista coæterna inueniri in creatore, quando coæua in creatura inueniri potuerũt. Iam quidem aliquibus fratribus hoc occurrere puto. Nam præuenerunt aliqui ex quo dixi, Candor est enim lucis æternæ. Ignis enim lucem fundit, lux ab igne fundit. Quid à quo existat si quæramus, quotidie cũ lucernã accendimus admonemur rei cuiusdam inuisibilis & inenarrabilis, ut lucerna aliqua intelligentiæ nostræ in ista nocte seculi possit accendi. Attende eũ qui lucernã accendit. Non accẽsa lucerna nondũ est ignis, nondum est & fulgor q̃ ab igne exit. Interrogo aũt
D ego & dico, Fulgor ab igne existit, an ignis à fulgore? Omnis anima mihi respondet (uoluit enim deus inseminare omni animæ initia intellectus, initia sapientiæ) omnis mihi anima respondet & nemo dubitat quòd splendor ille de igne existit, non ignis de splendore. Ponamus ergo ignem patrem illius splendoris, quia iam prælocuti sumus coæua nos quærere, non coæterna. Si lucernam accendere cupio, nondum est ibi ignis, nondum & ille splendor. Mox aũt ut accendero, simul cum igne & splendor existit. Da mihi hic ignem sine splendore, & credo tibi patrem fuisse sine filio. Attendite, Dicta est ut tanta res potuit à nobis dici, domino adiuuante intentionem orationis uestræ & præparationem cordis uestri, excepistis quantũ capere potuistis. Illa tamen ineffabilia sunt. Ni-

hil dignum putetis dictũ, uel eo ipso quo coæuis coæterna comparantur, tẽporalia semper manentibus, extinguibilia immortalibus. Sed quia dictus est filius & imago patris, accipiamus & aliquam similitudinem hinc in rebus longe differentibus, ut prælocuti sumus. Imago existit de speculo hominis intuentis speculum. Non nobis potest suffragari ad euidentiã rei huius quã explicare utcũq; conamur. Etenim dicitur mihi, Ille qui attendit speculum iam utiq; erat, etiam natus erat. Existit imago ut aspector extiterit. Nã ille qui inspicit erat, & antequã accederet ad speculum. Quid ergo inuenimus unde possimus eruere talem similitudinem, sicut eruimus de igne & splendore? Faciamus hoc animo. Facile nostis quemadmodum aqua corporum sæpe reddat imagines. Hoc dicimus, quãdo quisq; uel trãsit super aquã uel stat, uidet ibi imaginem suam. Ponamus ergo aliquid super aquam natum, uel uirgultum aut herbã, nõne cum imagine sua nascitur? Mox ut incipit existere, incipit cum illo existere imago eius, non præcedit nascendo imaginem suam, non mihi ostenditur natum esse aliquid super aquam, & postea apparuisse imaginem eius, cum illud sine imagine prius non apparuisset, sed nascitur cum imagine sua, & tamen imago ab illo, non illud ab imagine. Nascitur ergo cum imagine sua, & simul esse incipiunt, uirgultum & imago eius. Nũquid non fateris imaginem esse de uirgulto, nõ uirgultum de imagine? Genitam ergo de uirgulto illo cõfiteris imaginem. Itaq; & generãs & quod genitum est simul esse cœperunt. Ergo coæua sunt, si semper uirgultũ, semper & imago de uirgulto. Quod aũt de alio est, utique natum est. Potest ergo semper esse generans, & semper cum illo quod de illo natum est. Ibi em æstuabamur, ibi laborabamus, quomodo intelligeretur sempiterna natiuitas. Ergo filius dei secũdum hoc dicitur quòd pater est, q; habet de quo sit, non secundum quod prior esset pater, & postea filius. Sẽper pater, semper filius de patre. Et quia quicquid de aliquo est, natum est: semper igitur filius natus, semper pater, semper imago de illo, qũo imago illa uirgulti, & de uirgulto nata est, & si semper uirgultum, semper nata esset imago de uirgulto. Non potuisti inuenire coæterna genita æternis genitoribus, & inuenisti coæua nata temporalibus gignentibus. Intelligo coæternum filium natum æterno gignenti. Quod enim est temporali coæuum, hoc est, æterno coæternum. Hinc etiam est modicum quod aduertatis fratres propter blasphemias. Semper enim dicitur, Ecce dedisti similitudines, sed splendor qui funditur de igne minus lucet quàm ipse ignis, & imago uirgulti minus utiq; habet proprietatem quàm illud uirgultum unde imago est. Habent ista similitudinem, sed non habent omnimodo æqualitatem, quare non uidentur esse eiusdem substantiæ. Quid ergo dicemus? Ecce intellexi æternum patrem, intellexi coæternum filium. Tamen sicut effusum splendorem minus lucentem igne, aut sicut effusam imaginẽ minus quàm uirgultum existentem dicimus? Non, Sed æqua
A litas omnimodo est. Non credo, ait, quia non inuenisti similitudinem, sed credo Apostolo, qui potuit uidere quod dixit. Ait enim, Non rapinam Philip.
arbitratus est esse æqualis deo. Aequalitas omni modo coniungitur. Et quid dixit? Non rapinam. Quare? Quia illud est rapina quod alienum est. Tamen ex istis duabus collationibus, & generibus duobus, similitudinem fortassis inuenimus in creatura quomodo intelligamus filium coæternum patri, & nequaquam minorem. Sed non illud possumus inuenire in uno genere similitudinum. Iungamus ambo genera, unum unde ipsi dãt similitudines, & alterum unde nos dedimus. Dederunt enim similitudines illi ex his qui nascuntur
B in tempore, & præceduntur tempore ab eis à quibus nascuntur, sicut homo de homine. Maior ille tempore prior natus, sed tamen homo & homo, id est eiusdem substantiæ. Homo enim hominem generat, & equus equum, & pecus pecudem. Ad eandem substantiam generat, sed nõ ad idẽ tẽpus. Diuersa sunt tempora, sed nõ sunt diuersa natura. Quid ergo hic laudamus in ista natiuitate? Certe æqualitatẽ naturæ. Quid aũt deest? Aequalitas tẽporis. Teneamus hic unum quod laudatur, id est, æqualitatem naturæ. In illo aũt genere similitudinum quod nos dedimus de splendore ignis, & de imagine uirgulti, æqualitatem naturæ nõ inuenis, inuenis coæuitatem. Quid hic laudamus? Coæuitatem. Quid deest? Aequalitas naturæ. Coniunge
C quæ laudas. In creaturis enim deest aliquid quod laudas, in creatore deesse nihil potest, quia quod inuenis in creatura, à creatore artifice processit. Quid ergo in coæuis? Nónne hoc deo dandum quod ibi laudas? Quod autem deest non tribuendum maiestati, in qua nullus defectus est. Ecce offero tibi genitis coæua gignentia. Laudas ibi coæuitatem, sed disparilitatem reprehendis. Quod reprehendis noli tribuere deo, quod laudas tribue: & tribuis illi ex isto genere similitudinũ pro coæuitate coæternitatem, & coæternus sit natus cũ eo à quo natus sit. De alio autem similitudinum genere quæ & ipsa creatura dei est & debet laudare creatorem, quid ibi laudas? Aequalitatem naturę. Iam propter illam distinctionem dederas coæter-
D nitatem, da propter istam æqualitatem, & perfecta est natiuitas eiusdẽ substantiæ. Quid enim dementius fratres mei, quàm ut in aliquo laudem creaturam quod non sit in creatore? Laudo in homine æqualitatem naturæ, & non credo in eo qui fecit hominem? Quod de homine natum est homo est, & quod de deo natum est, non id erit quod ille de quo natum est? Laudent ergo creatorem omnia opera sua. Inuenio hic coæuum, cognosco ibi coæternum. Hic æqualitatem inuenio naturæ, ibi intelligo æqualitatem substantiæ. Totum ergo ibi, quod hic ex partibus singulis & rebus singulis inuenitur. Totum ergo ibi simul & non hoc solum quod in creaturis totum inuenio ibi, sed tanquam in creatore, quanto amplius quod hæc uisibilia, illa inuisibilia: hæc tempo-

ralia illa æterna: hæc commutabilia, illa incommutabilia: hæc corruptibilia, illa incorruptibilia. A
Postremo in homine ipso ea quæ inuenimus homo & homo duo homines sunt, ibi pater & filius unus deus. Domino deo nostro gratias ago inenarrabiles, quòd ex hoc loco scrupulosissimo & laboriosissimo infirmitatem meam liberare dignatus est, petentibus uobis. Ante omnia tamen seruate hoc, quicquid de creatura potuimus colligere, aut sensu corporis, aut cogitatione animi, inenarrabiliter transcendere creatorem. Sed uis illum mente contingere, purga mentem, purga cor tuum. Mundum fac oculum, unde illud quicquid est possit attingi. Mundum fac oculum cordis, Beati enim mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Non autem mundato corde, quid potuit misericordius procurari aut donari ab eo, B
nisi ut illud uerbum de quo tanta & tam multa diximus, & nihil dignum diximus, nisi ut illud uerbum per quod facta sunt omnia, fieret quod nos sumus, ut attingere possimus illud quod non sumus? Non enim deus sumus, sed possumus mente uel cordis acie interiore uidere deum. Peccatis acies nostræ obtritæ, obtusę, infirmitate deiectæ cupiunt uidere: sed in spe sumus, in re non dum sumus. Filij dei sumus. Hoc ait Ioannes qui ait, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum: qui supra pectus domini discumbebat, qui secreta ista de sinu illi-
1.Ioan.3 us cordis hauriebat. Ipse ait, Dilectissimi, filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam C
uidebimus eum sicuti est. Hoc nobis promittitur. Sed ut perueniamus, si nondũ possumus uerbum uidere domini, audiamus uerbum carnem, quia carnales facti sumus, audiamus uerbum carnem factum. Ideo enim uenit, ideo suscepit infirmitatem nostram, ut possis firmam locutionem capere dei portantis infirmitatem tuam. Et uere dictum est lac, Lac enim dat paruulis, ut cibum sapientiæ det maioribus. Lactare patienter, ut aui de pascaris. Quomodo enim fit etiam lac quo lactantur infantes? Nónne esca erat in mensa? Sed inualidus est infans ad comedendam escam, quæ in mensa est: quid facit mater? Incarnat escam, & conficit lac de ipsa. Conficit nobis quod ca-
D pere possimus, Sic uerbum caro factum est, ut lacte paruuli nutriremur, qui ad cibum quidem eramus infantes. Verum hoc interest, quia quando cibum mater incarnatum lac facit, cibus in lac conuertitur. Incommutabiliter autem manens uerbum carnem assumpsit, ut esset quodammodo contextum. Quod est, non corrupit, non commutauit, ut per habitum tuum tibi loqueretur, nõ in hominem transmutatus atq; conuersus. Inconuertibilis enim & incommutabilis & omnino inuiolabilis manens, factus est quod tu ad te, quod ipse ad patrẽ. Ipse enim infirmis quid dicit ut possint recuperato uisu uerbum ex aliqua parte at-
Matth.11 tingere, per quod facta sunt omnia? Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde. Quid magister filius dei, sapientia dei per quem facta sunt omnia concionatur? Vocat humanum genus & dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, & discite à me. Putabas forte dicturam sapientiam dei, Discite quomodo cœlos feci & astra. Omnia etiam in me antequam fierent numerata erant, quomodo in uirtute rationum incommutabilium etiam capilli uestri numerati sunt. Hæc putabas & talia esse dicturam? Non. Sed prius illud, Quoniam mitis sum & humilis corde. Ecce quod capiatis, uidete fratres, certe paruũ est. Ad magna nos tendimus, parua capiamus, & magni erimus. Vis capere celsitudinem dei, cape prius humilitatem dei. Dignare esse humilis propter te, quia deus dignatus est humilis esse propter eundem te, non enim propter se. Cape ergo humilitatem Christi, disce humilis esse, noli superbire. Confitere infirmitatem tuam, iace patienter ante medicum. Cum ceperis humilitatem eius, surgis cum illo: non quasi & ipse surgat secundum quod uerbum est, sed tu potius ut magis magisq; à te capiatur. Intelligebas primo titubanter atq; hæsitanter, intelligis postea certius & clarius. Nõ ille crescit, sed tu proficis, & quasi tecum uidetur surgere. Sic est fratres, Credite præceptis dei & facite illa, & donabit uobis robur intelligentiæ. Non præsumatis & quasi anteponatis scientiam præcepto dei, ne inferiores non solidiores remaneatis. Arborem attendite. Petit ima prius, ut sur-
C sum excrescat. Figit radicem in humili, ut uerticem tendat ad cœlum. Nunquid nititur nisi ab humilitate? Tu autem sine charitate, sine humilitate uis excelsa comprehendere, sine radice auras petis. Ruina est ista, nõ incrementũ. Habitante Christo per fidem in cordibus uestris, in charitate radicamini atq; fundamini, ut impleamini in omnem plenitudinem dei.

Nec hic titulus sermoni quoquam modo respondet. Exponitur hoc sermone, domini uerba secundũ Lucã, Sint lumbi uestri &c.

De eo quod scriptum est in euangelio secundum eundẽ, In mundo erat & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.

Sermo XXXIX

D OMINVS noster Iesus Christus, & uenit ad homines, & abscessit ab hominibus, & uenturus est ad homines. D
Et tamen hic erat quando uenit, nec recessit quando abscessit, & ad eos uenturus est quibus dixit, Ecce ego uobiscum sum omnibus dieb. usque ad consummationem seculi. Secundum formam ergo serui quam suscepit pro nobis, quodam tempore natus est, occisus est & resurrexit, & iam nõ moritur, nec mors illi ultra dominabitur. Secundum diuinitatem autẽ qua æqualis est patri, In hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus ipsum non cognouit.] De hoc audistis modo euãgelium, quid monuerit nos uel admonuerit, cautos nos faciens, & uolens esse expeditos & paratos ad expectandum nouissima: ut post nouissima quæ sunt in hoc seculo metuenda, succedat requies quæ non habet finem. Beati

qui participes facti fuerint. Erũt autẽ tunc securi,
qui modo non sunt securi, & iterum tunc time-
bunt, qui modo timere nolunt. Ad hanc expecta-
tionem & propter hanc spem Christiani facti su-
mus. Nónne spes nostra non est de seculo? Non
amemus seculum. Ab amore seculi huius uocati
sumus, ut aliud seculum speremus & diligamus In
hoc abstinere nos debemus, ab omnibus illicitis
concupiscentijs, hoc est, lumbos accinctos habe-
re debemus, & feruere & lucere in operibus bo-
nis, hoc est, lucernas ardentes in manibus habe-
re. Dixit enim ipse dominus discipulis suis alio lo-
Matt.5 co euangelij, Nemo accendit lucernam & ponit
eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat
omnibus qui in domo sunt. Et ut ostenderet unde
dicebat, subiecit & ait, Sic luceat lux uestra coram
hominibus ut uideant bona facta uestra, & glori-
ficent patrẽ uestrum qui in cœlis est. Ideo lumbos
nostros accinctos esse uoluit, & lucernas arden-
Psal.33 tes. Quid est lumbos accinctos? Declina à malo.
Quid est lucere? Quid est lucernas ardentes ha-
bere? Hoc est, Et fac bonum. Quid est quod ad-
Lucæ 12 iunxit & ait, Et uos similes estote hominibus ex
pectantibus dominum suum quando reuertatur
à nuptijs: nisi quod in illo psalmo sequitur, Inquí-
re pacem & persequere eam? Hæc tria, hoc est,
abstinentia à malo, & operatio boni, & spes præ-
mij æterni commemorata sunt in actibus Apósto-
Actor.24 lorum, ubi scriptum est, Quia docebat eos Pau-
lus de continentia, de iustitia, & spe uitæ æterne.
Ad continentiam pertinet, Sint lumbi uestri
C accincti. Ad iusticiam pertinet, Et lucernæ arden-
tes. Ad expectationem domini pertinet, spes ui-
tæ æternæ. Ergo declina à malo, hæc est continen-
tia, hi sunt lumbi accincti. Et fac bonum, hæc est
iusticia, hæ sunt lucernæ ardentes, Quære pacem
& sequere eam, hæc est expectatio futuri seculi.
Ergo similes estote hominibus expectantibus do
minum suum, quando ueniat à nuptijs. Habentes
autem ista præcepta & promissa, quid quærimus
in terra dies bonos, ubi eos inuenire non possu-
mus? Scio enim quia eos quæritis quando aut æ-
grotatis, aut in tribulationibus estis, quæ abun-
dant in hoc seculo, quoniam quando ętas uergit
ad finem, & senex plenus est querelis & nullis gau
dijs, inter omnes tribulationes quibus conteritur D
genus humanum non quærunt homines nisi dies
bonos, & uitam uolunt longam quam hic habe-
re non possunt: quia & longa hominis uita tan-
ta breuitate cõstringitur ad uniuersi seculi illius la
titudinem, quasi si una gutta ad uniuersum mare
comparetur. Quid ergo est uita hominis, etiam il-
la quæ longa dicitur? Longam uitam dicunt quæ
in seculo isto breuis est, & sicut dixi, abundãt gemi
tus usq; ad decrepitã senectutem. Hoc totum mo-
dicum & breue est, & tamen quomodo quæritur
ab hominibus, quanta diligentia, quanto labore,
quanta cura, quanta uigilantia, quanto opere que
runt homines ut diu hic uiuant & senescant? Ip-
sum aũt diu uiuere, quid est aliud nisi ad finem cur
rere? Habuisti hesternum diem, habere uis & cra-
stinum diem. Sed cum dies iste transierit & cra-
A stinus, minus illum habes. Ideo optas ut lucescat
dies, ut propinquet tibi quò tu non uis peruenì-
re. Exhibes aliquam solennitatem amicis tuis, au-
dis ibi à bene optantibus, dicitur tibi, multos an-
nos uiuas, & ueniat quod illi dixerunt. Quid? Vt
ueniant anni & anni, & non uis ut ueniat finis an-
norum. Studia tua contraria sunt. Ambulare uis,
& peruenire non uis. Veruntamen, ut dixi, si tan-
ta cura inest hominibus, ut quotidianis magnis
perpetuisq; laboribus capiant ut tardius moriantur,
quanta cura agendum est ut nunquam moriãtur?
Inde nemo uult cogitare. Quotidie quæruntur in isto seculo dies boni ubi non inueniuntur,
& nemo uult sic uiuere ut illuc perueniat ubi in-
B ueniuntur. Ideo eadem scriptura admonet & di-
cit, Quis est homo qui uult uitam, & diligit dies
uidere bonos? Sic interrogauit scriptura, ut sci- Psal.33
ret quid illi responderetur, sciens quòd omnes
homines uitam quærerent & dies bonos. Pro de-
siderio ipsorum interrogauit, tanquam sibi de o-
mnium corde responderetur, Ego uolo. Sic dixit,
Quis est homo qui uult uitam, & diligit dies ui-
dere bonos? Quemadmodum etiam ista hora qua
uobis loquor, cum audistis me dixisse, Quis est
homo qui uult uitam, & diligit dies uidere bonos:
omnes respondistis in corde uestro, Ego. Nam
& ego qui uobiscum loquor, uitam uolo & dies
bonos. Quod quæritis uos, hoc quæro & ego.
Quomodo si aurum nobis omnibus esset necessa-
C rium, & ego ad aurũ unà uobiscum peruenire uo-
lens, & esset alicubi in agro uestro in loco uestræ
potestatis subdito, & uiderem uos quærentes au-
rum, & dicerem uobis, quid quęritis, respondere-
tis mihi aurum: & ego uobis dicerem, aurum
quæritis, & ego aurum quæro: quod quæritis &
ego quæro, sed non ibi quæritis ubi possumus in-
uenire. Ergo audite me, ubi possumus inuenire:
uobis non tollo, locum uobis ostendo, imò se-
quamur omnes eum qui nouit ubi sit quod quæ-
rimus. Sic & nunc, quia desideratis uitam & dies
bonos: non possumus uobis dicere, nolite deside-
rare uitam & dies bonos: sed illud dicimus, noli-
te hic quærere in hoc seculo uitam & dies bo-
nos, ubi boni esse non possunt. Nónne uita ipsa
morti similis est? Dies autem ipsi properantes
transeunt, quia hodiernus dies hesternum ex-
clusit. Crastinus ideo nascitur, ut excludat ho-
diernum. Ipsi dies non stant, tu quare cum illis uis
stare? Desiderium ergo uestrum quòd uitam uul-
tis & dies bonos, non solum non reprimo, sed e-
tiam uehementius accendo. Prorsus quærite ui-
tam, quærite dies bonos, sed ubi possunt inueni-
ri, ibi quærantur. Vultis enim audire mecum con-
silium eius qui nouit ubi sint dies boni, & ubi sit
uita? Audite non à me, sed mecum simul (Ait enim
nobis quidam, Venite filij audite me) & concur-
ramus & stemus, & aures arrigamus, & corde in-
telligamus patrem qui ait, Venite filij audite me,
timorem domini docebo uos. Et quam rem uult
docere, & cui rei utilis est timor domini. Sequitur,
Quis

Quis est homo qui uult uitã & diligit dies uidere
bonos? Respõdemus omnes, Nos uolumus. Quid A
sequitur audiamus, Cohibe linguam tuam à malo,
& labia tua ne loquantur dolum. Modo dic, Ego,
Iamdudum quãdo dicebã, Quis est homo qui uult
uitam, & diligit dies uidere bonos? omes respon-
debamus, Ego. Eia respondeat mihi aliquis, Ego,
Ergo cohibe linguã tuam à malo, & labia tua ne
loquantur dolũ. Dic modo, Ego. Ergo dies bonos
& uitam uis, cohibere linguam tuam nõ uis à ma-
lo, & labia tua ne loquantur dolum? Ad mercedẽ
alacer, ad opus piger, & cum non operanti non
redditur merces, utinam in domo tua uel operanti
mercedẽ reddas. Nam scio quia non operanti non
reddis. Quare? Quia nihil operanti, nihil debes.
Et deus proposuit mercedẽ. Quã mercedẽ? Vitã
& dies bonos quos omnes desideramus, ad quos B
dies omnes conamur uenire. Promissam mercedẽ
daturus est. Quam mercedem? Vitam & dies bo-
nos. Et qui sunt dies boni? Vita sine fine, requies
sine labore. Magnã mercedem proposuit. In tanta
proposita mercede, uideamus quid iussit. iam em
mercede tantæ pollicitationis & amore mercedis
accensi, paremus iussioni eius uires nostras, latera,
lacertos. Quasi iussurus est onera grandia nos por
tare, forte aliquid fodere, forte aliquam machinã
erigere? Non iussit tibi rem laboriosam, sed mem-
brum quod inter omnia membra cito moues, ip-
sum tibi precepit refrenare, dicens, Cohibe linguã
tuam à malo. Non est labor erigere fabricam, & la
bor est tenere linguam? Cohibe linguam tuã à ma C
lo. Noli loqui mendacium, noli loqui criminatio-
nes, noli loqui calumnias, noli loqui falsa testimo-
nia, noli loqui blasphemias. Cohibe linguam tuã
à malo. Vide qũo irascaris, si quis de te male loqua
tur. Quomodo irasceris alteri quando de te male
loquitur, sic irascere tibi, quando de altero male
loqueris. Labia tua non loquantur dolum. Quod
est intus in corde tuo, hoc dicatur foras. Non ali-
ud pectus tegat, & aliud lingua proferat. Declina
à malo & fac bonũ. Nam qũo dicturus sum ei, Ve-
sti nudum, qui adhuc spoliare uult uestitum? Nam
qui premit ciuem suum, qũo habet suscipere pere-
grinũ? Ergo per ordinem, prius declina à malo &
fac bonum: prius accinge lumbos tuos, & tunc lu-
cernam accende. Et cum hoc feceris, securus expe
cta uitam & dies bonos: quære pacem & sequere
eam, & tunc bona frõte dices domino, Feci quod
iussisti, redde quod promisisti.

De eo quod scriptũ est in euangelio secun-
Ioan.1 dum eundem de Nathanaele, Cum esses sub arbo-
re fici uidi te. Sermo XL

A Q VOD dictum audiuimus à domino
Iesu Christo Nathanaeli, si bene intel
ligamus, non ad ipsum pertinet solũ.
Ipse quippe dñs Iesus sub ficu uidit omne genus
humanũ. Isto em loco intelligit per arborẽ fici si-
gnificasse peccatũ. Non ubiq; hoc significat, sed
hoc loco ut dixi, ea scilicet significandi congruen
tia, qua nostis primum hominẽ quando peccauit,
Gen.3 folijs ficulneis fuisse subtectũ. His folijs em puden
da texerũt, quando de peccato suo erubuerunt, &
quæ deus illis mẽbra, ipsi sibi pudenda fecerũt. Nõ
em erubescendũ est de opere dei, sed cõfusionem
præcessit causa peccati. Si nõ præcessisset iniqui-
tas, nunq; erubescerẽt nuditas. Nudi em erant, &
non cõfundebantur. Non em cõmiserant unde cõ
funderentur. Hoc aũt quare dixi, Vt per ficum in-
telligamus significatũ esse peccatũ? Quid est er-
go, Cum esses sub ficu uidi te? Cũ esses sub pecca-
to uidi te. Et ad rem quidẽ respiciẽs gestam, recor-
datus est Nathanael se fuisse sub ficu, ubi non erat
Christus. Non autem ibi erat prçsentia corporali,
scientia uero spiritali ubi non est? Et quoniam scie
bat se solũ fuisse sub ficu, ubi dñs Christus nõ erat:
dixit ei, Cum esses sub arbore ficus uidi te.] Et
B agnouit in illo diuinitatem, & exclamauit, Tu es
rex Israel. Dñs ait, Quia dixi, uidi te cum esses sub
arbore ficus inde miraris, maiora horũ uidebis.]
Quæ sunt ista maiora? Et dixit, Videbis cœlum
apertum, & angelos dei ascendentes & descẽden
tes super filium hominis.] Recolamus ueterem hi
storiam cõscriptã in libro sancto, id est, in Genesi.
Quando Iacob obdormiuit, lapidem ad caput po Gen.28
suit, & in somnis uidit scalã à terra ptingentẽ usq;
ad cœlũ, & dñs incũbebat super eam. Angeli aũt
ascendebant & descendebant per eam. Hoc uidit
Iacob. Somniũ hominis non scribereẽ, nisi magnũ
in illo aliquid figurareẽ mysteriũ: & magnũ aliqd
prophetatũ in illa uisione intelligereẽ. Deniq; ipse
Iacob q̃a intellexit q̃d uiderit, posuit ibi lapidẽ & Mat.28
C pfudit oleo. Agnoscitis chrisma, agnoscite et Chri
stum. Ipse est em lapis quẽ reprobauerũt ędificantes, ipse factus est in caput anguli. Ipse est lapis de
q̃ ipse dixit, Quicũq; offenderit in lapidẽ illum, cõ
quassabiẽ: super quem uero uenerit lapis ille, con-
teret eum. Offendiẽ in iacentẽ, ueniet aũt super eũ.
Cũ aũt uenerit de alto iudicare uiuos & mortuos,
uæ ludæis, quia cum iaceret humiliter Christus, of Ioan.9
fenderunt in eũ. Nõ est, dicũt, homo iste à deo, qui
soluit sabbatum. Si filius dei est descẽdat de cruce. Mar.15
Insane, iacet lapis, & ideo rides. Sed cum rides, cæ-
cus es. Cum cæcus es, offendis. Cum offendis, cõ-
quassaris. Cum quassatus fueris illo modo iacen-
te, postea ueniente desuper contereris. Ergo un-
xit lapidem Iacob. Nunquid idolum fecit? Signi-
ficauit, non adorauit. Modo autẽ istum Nathanae
D lem attendite, per cuius occasionem dominus Ie-
sus exponere nobis uoluit uisionẽ Iacob. Nostis
qui in schola Christi eruditi estis, Iacob ipsum esse
& Israel. Duo sunt nomina, nam homo unus fuit.
Primum nomen Iacob quando natus est accepit,
quod interpretatur supplantator. Quando autem
illi gemini nati sunt, prior natus est frater Esau, &
inuenta est manus illius minoris, in pede maio-
ris. Tenebat pedem fratri suo præcedenti nascen-
do, postea & ipse secutus est. Et propter hoc factũ
quia plantã tenuit fratri suo appellatus est Iacob,
id est, supplantator. Postea uero cum rediret de
Mesopotamia, luctatus est cum eo angelus in uia.
Quæ uirtus comparari potest angeli & hominis?
Ergo mysterium est, ergo sacramentum est, ergo
prophe-

prophetia est, ergo figura est, ergo intelligamus. Videte etiã luctaminis modum. Dum luctat, præ ualuit angelo Iacob. Magna significatio, ut prẽua luisset homo angelo. Tenuit illũ, tamẽ ipse homo eum quem uicerat tenuit. Et ait illi, Non te dimittam, nisi benedixeris mihi. Quãdo uictor à uicto benedicebat, Christus figurabat. Angelus ergo ille qui intelligit dñs Iesus, ait ad Iacob. Iam nõ uocaberis Iacob, sed erit nomẽ tuum Israel, quod est interpretatum, uidens deum. Deinde tetigit nerum femoris eius, id est latitudinem femoris, & aruit ei, & factus est claudus Iacob. Ipse est ille uictus. Tantum potuit uictus ut femur tangeret, & claudum faceret. Ergo si uolẽs uictus est: potestatem eã habuit ponendi uirtutẽ suam, & potestatem habuit assumendi eam: non irascitur uictus, qui non irascitur crucifixus. Nam & benedixit eum dicẽs, Non uocaberis Iacob, sed Israel. Tum supplantator factus est uidens deum. Et tetigit sicut dixi, femur eius, & fecit eum claudicare. Attẽde in Iacob populum Iudæorum, in illa milia sequentium & præcedentium iumentum domini, qui iuncti apostolis adorabant dominum & clamabant, Osanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini. Ecce Iacob benedictus. Iam claudus in eis remansit, qui modo Iudæi sunt. Latitudo enim femoris, significat multitudinem
Psal.17 generis. De quibus psalmus, cum gentes credituras prophetasset dicens, Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Nõ ibi fui & auditus sum, affui & occisus sum. Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in au-
Rom.10 ditu auris obediuit mihi. Igitur fides ex auditu, auditus autem per uerbum Christi. Et sequitur, Filij alieni mentiti sunt mihi, de Iudæis. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterauerunt, & claudicauerunt à semitis suis. Assignaui uobis Iacob, & benedictum & claudum. Verum ex hac occasione non est prætereundum, quod potest fortasse sua sponte uestrum aliquem commouere. Quid sibi uult quod commutatum est nomen Abrahæ aui huius Iacob? Nam & ipse Abrã uocabatur prius, & deus mutauit illi nomen & dixit,
Gen.17 Non uocaberis Abrã, sed Abrahã: ex illo non est uocatus Abram. Quærite in scripturis, & uidebitis superius antequam acciperet aliud nomẽ, non D est uocatus nisi Abram: posteaquam accepit, non est uocatus nisi Abraham. Iste autem Iacob quando accepit aliud nomen, eadem uerba audiuit,
Gen.33 Non uocaberis Iacob, sed Israel. Quærite scripturas & uidete, quia utrunque uocatus est semper, & Iacob & Israel. Acceepto alio nomine Abraham, non aliud est uocatus nisi Abraham. Accepto autem alio nomine Iacob, & Iacob uocatus est & Israel. Nomen Abrahæ in hoc seculo explicandum fuit, Hic est enim factus pater multarum gentium, unde nomen accepit. Nomen autem Israel ad alterum seculũ pertinet, ubi uidebimus deum. Populus ergo dei, populus Christianus in hoc tẽpore, & Iacob est & Israel. Iacob in re, Israel in spe. Supplantator eã fratris dicitur populus minor populi maioris. Nunquid nos supplantauimus Iudæos? Sed supplantatores dicimur illorũ, quia nostri causa sunt supplantati. Nisi excæcati essent, Christus non crucifigeretur. Si Christus non crucifigeretur, sanguis ille preciosus nõ funderetur. Si sanguis ille non funderetur, orbis terrarum non redimeretur. Quia ergo nobis profuit cæcitas illorum, ideo à minore fratre maior supplantatus est, & appellatus est minor supplantator. Sed quamdiu hoc? Veniet tempus, ueniet finis seculi, & credet totus Israel. Non illi qui modo sunt, sed filij ipsorũ qui tũc erũt. Nam modo isti per uias suas ambulantes ibũt ad loca sua, transibunt ad damnationem perpetuam. Quando autem factus totus populus unus, fiet illud quod
B canimus, Saturabor dum manifestabitur gloria Psal.16 tua. Dum uenerit promissio quæ promittitur, ut uideamus facie ad faciem. Modo uidemus per speculum in ænigmate & ex parte: quando autem uterque populus iam purgatus, iam resuscitatus, iam coronatus, iam in immortalem formam & in corruptionem perpetuam commutatus, uidebit deum facie ad faciem, & iam non erit Iacob, sed solus erit Israel, tunc eũ in persona huius sancti Na-
Ioan.1 thanael uidebit dominus & dicet, Ecce uere Israelita, in quo dolus non est. Quando audis, Ecce uir Israelita, ueniat tibi in mentem Israel. Cum uenerit in mentem tibi Israel, ueniat tibi in mentem somnium illius, in quo somnio scalam uidit à terra usque ad cœlum, deum superincum-
C bentem, angelos dei ascendentes & descendentes. Hoc somnium uidit Iacob. Post hoc autem appellatus est Israel, id est, post paululum ueniens de Mesopotamia & agens iter. Si ergo Iacob uidit scalam, qui est & Israel appellatus: est autem & Nathanael iste uere Israelita, in quo dolus non est: ideo cum miratus esset quia dixit ei dominus, Sub arbore fici uidi te: dixit ei, Maius his uidebis. Et item dixit somnium Iacob. Cui dixit? Ei quem appellauit Israelitam, in quo dolus non est. Quasi qui diceret, Cuius nomine te appellaui, ipsius somnium in te apparebit, noli festinare mirari, maiora horum uidebis. Videbis cœlum apertum, & angelos dei ascendentes & descendentes ad filium hominis. Ecce quid uidit Iacob. Ecce quare perfudit lapidem oleo Iacob. Ecce quare Christum prophetam significauit, & figurauit Iacob. Illud enim factum prophetia erat. Nunc quid expectetis noui, quid à me uelitis audire, intelligo. Dicam, & hoc breuiter, ut dominus donat, ascendentes & descendentes angelos ad filium hominis. Quomodo si descendũt ad illum, hic est: si ascendunt ad illum sursum est? Si autem ad illum ascendũt, ad illum descendunt & sursum est, & hic est: nullo pacto fieri potest ut ad illum ascendant, & ad illum descendant, nisi & ibi sit quò ascendunt, & hic sit quò descendunt. Quomodo probamus & illic eũ esse, & hic eũ esse? Respõdeat nobis Paulus, qui primo Saulus. Expertus est illud ipse quãdo prius erat persecutor, & postea factus est prædicator: prius Iacob,

postea Israel: qui erat & ipse de genere Israel, de tribu Beniamin erat. In illo uideamus Christum sursum, Christũ deorsum. Primo ipsa domini uox de cœlo hoc ostendit, Saule Saule quid me persequeris? Nunquid Paulus in cœlum ascenderat? Nunquid Paulus lapidem saltem in cœlum miserat? Christianos persequebatur, ipsos ligabat, ipsos occidendos trahebat, ipsos ubique latentes quærebat, ipsis inuentis nulla ratione parcebat. Cui ait dominus Christus, Saule Saule. Vnde clamat? De cœlo. Ergo sursum est. Quid me persequeris? Ergo deorsum est. Omnia & si breuiter ut potui exposui charitati uestræ. Erogaui quod ad me pertinet, quod autem ad uos pertinet pauperes cogitate. Conuersi ad do.

Ioan.2 De conuersione aquæ in uinum, In euangelio secundum eundem, Sermo XLI

A CITIS fratres, in Christum enim credentes didicistis, & assidue etiam nos ministerio nostro commendauimus uobis, quòd medicina tumoris hominis, humilitas est Christi. Non enim perisset homo, nisi superbia
Eccl.10 tumuisset. Initium enim, sicut dicit scriptura, omnis peccati superbia. Contra initium peccati, initium iustitiæ necessarium fuit. Si ergo omnis peccati superbia initium, unde sanaretur tumor superbiæ, nisi deus dignaretur humilis fieri? Erubescat homo esse superbus, quoniã factus est humilis deus. Nam quando dicitur homini ut humiliet se, dedignatur: & ut uelint homines uindicari quando læduntur, superbia facit. Cum humiliari dedignant, uindicari uolunt, quasi pœna cuique prodesse possit aliena. Læsus & iniuriam passus, uindicari uult, de aliena pœna sibi quærit medicamentum, & acquirit grande tormentum. Ideo in omnibus dominus Christus humiliari dignatus est, præbens nobis uiam, si tamen dignemur ambulare per eam. Ecce inter cætera filius uirginis uenit ad nuptias, qui cum apud patrem esset instituit nuptias. Quomodo facta est prima mulier, per quam uenit peccatum, de uiro sine fœmina: sic uir per quem deletum est peccatum, de fœmina sine uiro. Per illũ ruimus, per hunc surgimus. Et quid in ipsis nuptijs fecit? De aqua uinum. Quid potentius? Qui poterat talia facere, dignatus est indigere. Qui fecit de aqua uinum, potuit facere & de lapidibus panem: eadem potentia erat. Sed tunc diabolus tentauit, ideo Christus non fecit. Scitis enim quando tentatus est dominus Christus, hoc ei suggessit diabolus. Esuriuit enim, quia & hoc dignatus est, quia & hoc ad humilitatem pertinuit. Esuriuit panis, sicut defecit uia, sicut uulnerata est sanitas, sicut mortua est uita. Cũ
Matt.4 ergo esuriret ut nostis, ait illi tẽtator, Si filius dei es, dic lapidibus istis ut panes fiant. Et respondit tentatori, docens te respondere tentatori. Ad hoc enim pugnat imperator ut milites discant. Quid respondit? Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo dei. Et non fecit de lapidibus panes, qui utique sic potuit facere sicut de aqua uinum. Eiusdẽ enim potentiæ est facere de lapide panem, sed non fecit ut uoluntatem contemneret tentatoris. Aliter enim tentator non uincitur nisi contemnatur. Et cum uicisset diabolum tentatorem, uenerũt angeli & ministrabãt ei. Qui ergo tãtum poterat, quare illud non fecit, & hoc fecit? Lege, imò recole, quõ audisti quãdo fecit hoc, id est, de aqua uinum. Quid addidit euangelista? Et credi-
Ioan.2 derunt in eum discipuli eius, Nunquid tunc diabolus fuerat crediturus? Qui ergo tanta potuit, esuriuit, sitiuit, fatigatus est, dormiuit, cõprehensus est, cęsus est, crucifixus est, occisus est. Ista est uia, ambula per humilitatem ut uenias ad æternitatem. Deus Christus, patria est quo imus, homo Christus uia est quà imus, ad illum imus, per illum imus. Quid timemus ne erremus? Non recessit à
B patre, & uenit ad nos. Vbera sugebat, & mũdum cõtinebat. In prę̃sepi iacebat, & angelos pascebat. Deus & homo, idem deus qui homo, idem homo qui deus. Sed non unde homo, inde deus, quia uerbum homo, quia uerbum caro factum est, & deus manendo, & hominis carnem assumendo, addendo quod non erat, non perdendo quod erat. Ergo & modo iam passus per ipsam humilitatem, iam mortuus, iam sepultus, iam resurrexit, iam ascendit in cœlum, ibi est & sedet ad dextram patris, sed hic est egens in pauperibus suis. Et iam hesterno die hoc commendaui charitati uestræ, propter illud quod dixit Nathanaeli, Maius his uidebis. Dico autem uobis, uidebitis cœlum apertum, & angelos dei ascendentes & descendentes
C ad filium hominis. Quæsiuimus quid esset, & diu locuti sumus: nunquid & eadem hodie replicare debemus? Qui affuerũt recordentur, breuiter tamen commemoro, Non diceret ascendentes ad filium hominis nisi sursum esset, non diceret descẽdentes nisi deorsum esset. Ipse sursum, ipse deorsum. Sursum in se, deorsum in suis. Sursum apud patrem, deorsum in nobis. Vnde & uox illa ad Saulum, Saule Saule quid me persequeris? Non diceret, Saule Saule, nisi quia sursum erat. Sursum eum Saulus non persequebatur. Non diceret, quid me persequeris, qui sursum erat, nisi esset & deorsum. Timete Christum sursum, agnoscite deorsum, Habe Christum sursum largientẽ, hic agnosce indigentem. Hic pauper est, ibi diues est. Quod hic pauper est Christus, pro nobis
D ipse loquitur, Esuriui, sitiui, nudus fui, hospes fui, Matt.25 in carcere fui: & quibusdam dixit, ministrastis mihi, quibusdam dixit, non mihi ministrastis. Ecce probauimus Christum pauperem, Christum diuitem quis nescit? Et hic ad ipsas diuitias pertinebat, aquam in uinum uertere. Si diues est qui habet uinum, qualis diues est qui facit uinum? Ergo diues & pauper Christus. Tanquam deus diues, tanquam homo pauper. Iam & ipse homo diues ascendit in cœlum, sedet ad dextrã patris, adhuc tamen hic pauper esurit, sitit, nudus est. Tu quid es? Diues an pauper? Multi mihi dicunt, pauper sum, & uerum dicunt. Agnosco pauperem aliquid habentem, agnosco & indigentem, Sed habet quidam multum auri & argenti, O si agno-

ſcat ſe pauperẽ. Agnoſcit ſe pauperem, ſi agnoſcit iuxta ſe pauperem. Quid enim? Quantumuis habeas quicunq; diues es, dei mendicus es. Venitur ad horam orationis, et ibi te probo. Petis. Quomodo non pauper es qui petis? Plus addo. Panem petis. An non es dicturus, Panẽ noſtrũ quotidianum da nobis? Qui panẽ quotidianum petis, pauper es an diues? Et tamen Chriſtus dicit tibi, Da mihi ex eo quod tibi dedi. Quid enim attuliſti quando ueniſti? Omnia quæ creaui, creatus hic inueniſti, nihil attuliſti, nihil hinc tolles. De meo mihi quare nõ donas? Quia tu plenus es, & pauper inanis eſt. Primordia ueſtra attendite, ambo nudi nati eſtis. Et tu ergo nudus natus es. Multa hic inueniſti, Nunquid tecum aliquid attuliſti? De meo quero. da & reddo. Habuiſti me largitorem, facito debitorem, habeam te fœneratorem. Pauca mihi das, plura reddã. Terrena mihi das, cœleſtia reddam. Temporalia mihi das, æterna reſtituã. Teipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero.

Ioan. 5 De infirmo iacente ad piſcinam, In euangelio ſecundum eundem. Sermo XLII

A RECENTISSIMA in auribus noſtris ſonuit euangelica lectio, & ad cognoſcendum quid ſibi uellent quæ lecta ſunt, fecit attẽtos. Hoc de me expectari arbitror, hoc me pro uiribus expoſiturũ, domino adiuuante, polliceor. Proculdubio enim nõ fruſtra fiebant illa miracula, & aliquid nobis pro æterna ſalute figurabant. Nam ſalus corporis quæ reddita eſt homini, quanti temporis fuit? Quę eſt enim uita ueſtra,
C Luc. 4 dicit ſcriptura? Vapor, inquit, ad modicum apparens, deinceps exterminabitur. Quòd ergo illius hominis corpori ad tẽpus reddita eſt ſanitas, reddita eſt nõnulla diuturnitas uapori. Non itaq; pro
Pſal. 59 magno illud habendum eſt, Vana ſalus hominis. Et illud recolite fratres, illud propheticũ & euan-
Eſa. 49 gelicũ, Omnis caro fœnum, & omnis honor carnis ut flos fœni: fœnum aruit, flos decidit, uerbum domini manet in æternum. Verbum domini etiam fœno dat honorem, & honorẽ non tranſitorium. Dat enim & carni immortalitatem. Sed prius tranſit tribulatio uitæ huius, de qua nobis præſtat auxilium cui diximus, Da nobis auxilium de tribulatione. Tota quippe iſta uita intelligẽtibus tribulatio eſt. Sunt enim duo tortores animæ, nõ ſimul torquẽtes, ſed cruciatus alternãtes. Horum duorum tortorum nomina ſunt timor & dolor. Quando tibi bene eſt times, quando male eſt doles. Seculi huius quẽ non decipit proſperitas, non frangit aduerſitas? Tenenda eſt in hoc fœno, & in diebus fœni uia tutior, uerbum dei. Cum enim dictum eſſet, Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ut flos fœni, fœnum aruit, flos decidit: quaſi nos quæramus quæ fœno ſpes, quæ flori fœni ſtabilitas: ſed uerbum, inquit, domini manet in æternum. Et unde, inquis, ad me uerbũ domini? Verbũ caro factũ eſt, & habitauit in nobis. Verbum enim domini tibi dicit, Noli reſpuere promiſſum meum, quia non reſpui fœnum tuum. Hoc ergo quod nobis præſtitit uerbum domini ut ad ipſum nos teneremus, ne cum flore fœni tranſiremus: hoc ergo quod nobis præſtitit ut uerbum caro fieret, ſuſcipiens carnem non mutatum in carnem, manens & aſſumens, manens quod erat, aſſumẽs quod non erat: hoc ergo quod nobis præſtitit, etiam piſcina illa ſignificat. Breuiter dico, Aqua illa, Iudaicus populus erat: quinque porticus, lex. Quinq; enim libros ſcripſit Moyſes. Ergo aqua quinq; porticibus cingebatur, ſicut ille populus lege coercebatur. Aquæ perturbatio, in illo populo eſt domini paſſio. Qui deſcendebat ſanabatur non niſi unus, qa ipſa eſt unitas. Quibuſcunq; iſta diſplicet Chriſti paſſio, ſuperbi ſunt, nolunt deſcendere, non ſanãtur. Et ego, inquis, crediturus ſum deum in carne, deum natum ex fœmina, de-
B um crucifixum, flagellatum, mortuum, uulneratum, ſepultum? Abſit ut hoc credam de deo, indignum eſt. Cor loquatur non ceruix. Superbo uidetur domini humilitas indigna, ideo à talibus longe fit ſanitas. Noli te extollere, ſi uis ſanari deſcende. Expaueſcere pietas debuit, ſi Chriſtus in carne mutabilis diceretur. Nunc autem commendat tibi ueritas immutabilem Chriſtum quantum attinet ad uerbum. In principio enim erat uerbum, & uerbum erat apud deum, non quod ſonaret & tranſiret, quia deus erat uerbum, Manet ergo incommutabilis deus tuus. O uerax pietas, manet deus tuus. Noli timere, nõ perit, & per ipſum nec tu peris. Manet, naſcitur ex fœmina, ſed in carne, Verbum autem & matrem fecit. Qui erat ante
C quam fieret, fecit ſibi in qua fieret, Infans fuit, ſed in carne. Suxit, creuit, alimenta ſumpſit, per ætates cucurrit, ad iuuentam peruenit, ſed in carne. Fatigatus dormiuit, ſed in carne. Eſuriem, ſitimq; paſſus eſt, ſed in carne. Comprehenſus, ligatus, flagellatus, contumelijs affectus, poſtremo crucifixus, occiſus, ſed in carne. Quid expaueſcis? Verbum domini manet in æternũ. Qui reſpuit iſtam dei humilitatem, non uult ſibi à mortifero tumore ſuperbiæ ſanitatem. Præſtitit ergo dominus Ieſus Chriſtus per carnem ſuam carni noſtræ ſpem. Suſcepit enim quod noueramus in hac terra: quod hic abundabat naſci & mori. Naſci & mori hic abundabat, reſurgere, & in æternum uiuere non hic erat. Inuenit hic uiles merces terreſtres, attu-
D lit peregrinas cœleſtes. Si expaueſcis mortem, ama reſurrectionem. Dedit tibi auxiliũ de tribulatione ſua, nam uana remanſerat ſalus tua. Salutem itaq; in hoc mundo peregrinã, hoc eſt, ſempiternam fratres agnoſcamus & diligamus, & in hoc mundo tanquam peregrini uiuamus. Trãſire nos cogitemus, & minus peccabimus. Agamus potius deo gratias, quia huius uitæ ultimum diem & breuem eſſe uoluit & incertum. A prima infantia uſq; ad decrepitam ſenectutẽ, ſpatium breue eſt. Quod tam diu uixerat, quid profuiſſet ei ſi Adam hodie mortuus eſſet? Quid diu eſt, ubi finis eſt? Heſternum diem nemo reuocat, hodiernus craſtino urgetur ut tranſeat. Ipſo paruo ſpatio bene uiuamus, ut illo eamus unde non tranſeamus. Et modo cum loquimur utique tranſimus.

Verba

Verba currunt, & horæ uolant: ſic ætas noſtra, ſic actus noſtri, ſic honores noſtri, ſic miſeria noſtra, A ſic iſta felicitas noſtra. Totum tranſit, ſed non expaueſcamus, Verbum domini manet in ęternum. Conuerſi ad dominum.

De eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum eundem, Si ego teſtimonium perhibeo de me &c. Sermo XLIII

A VDIVIMVS uerba ſancti euãgelij, & hoc
Ioan. 5 A poteſt aliquem permouere, quod ait dominus Ieſus, Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimoniũ meũ non eſt uerũ.] Quomodo ergo non eſt uerũ teſtimoniũ ueritatis? Nonne ipſe eſt qui dixit, ego ſum uia, & ueritas, & uita? Cui er
Ioan. 14 go credendum eſt, ſi ueritati non eſt credendum? Profecto eũ non uult credere niſi falſitati, qui nõ B eligit credere ueritati. Dictũ eſt ergo hoc ſecundũ ipſos, ut ſic intelligas, & ex his uerbis hũc ſenſum cõcipias, Si ego teſtimoniũ perhibeo de me, teſtimoniũ meum non eſt uerũ, id eſt, ſicut putatis. Ille enim nouerat uerũ eſſe de ſe teſtimoniũ ſuum, ſed propter infirmos, propter incredulos, propter nõ intelligentes, ſol lucernas quęrebat. Fulgorẽ quippe ſolis, lippitudo eorum ferre non poterat. Ideo quæſitus eſt Ioannes qui teſtimonium perhiberet ueritati, & audiſtis quid ait, Vos ueniſtis ad Ioannem. Ille erat lucerna ardens & lucens, & uos uoluiſtis exultare ad horam in lumine eius.] Lucerna iſta ad illorum confuſionem parata eſt, quia de
Pſal. 131 hoc dictum eſt ante tantum tempus in pſalmis, Parauí lucernam Chriſto meo. Vt quid lucernam ſoli? Vt inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea, Denique hinc ſunt cõfuſi quodam loco per ipſum Ioannẽ, quando dixerunt domino Iudæi, In qua poteſtate
Matt. 21 iſta facis? Dic nobis. Quib. reſpondit, Dicite mihi & uos, Baptiſmũ Ioannis de cœlo eſt, an ex ho-
Luc. 20 minibus? Audierũt & tacuerunt. Cogitauerunt enim apud ſe cito, Si dixerimus, ab hominibus, lapidabit nos populus, quia prophetam habent Ioannem. Si dixerimus, de cœlo, dicturus eſt nobis, Quare ergo non credidiſtis ei? Quia Ioannes perhibebat Chriſto teſtimoniũ. Anguſtati in cordibus ſuis queſtionib. ſuis, & illaqueati laqueis ſuis, reſponderũt, Neſcimus. Quæ potuit alia uox eſſe tenebrarum? Rectũ eſt quidem homini, ut quãdo D neſcit, dicat, Neſcio. Quando aũt ſcit, & dicit, Neſcio, teſtis eſt cõtra ſe. Vtiq; nouerant excellẽtiam Ioãnis, & quia de cœlo erat baptiſmũ eius, ſed nolebant acquieſcere cui teſtimoniũ perhibuit Ioannes. At ubi dixerunt, Neſcimus, reſpondit eis Ieſus, Nec ego dicam uobis in qua poteſtate iſta facio, Et confuſi ſunt, & impletum eſt, Parauí lucernam Chriſto meo, ut inimicos eius induam confuſione. Martyres nonne teſtes ſunt Chriſti, & teſtimoniũ perhibẽt ueritati? Sed ſi diligentius cogitemus, quando illi martyres perhibent teſtimoniũ ipſe ſibi perhibet teſtimoniũ. Ipſe enim habitat in martyribus, ut perhibeãt teſtimoniũ ueritati. Au-
1. Cor. 13 di unũ ex martyribus, ipſum apoſtolũ Paulũ, Nunquid experimentũ uultis accipere eius qui in me loquitur Chriſtus? Dũ perhibet ergo teſtimoniũ Ioannes, Chriſtus ſibi perhibet teſtimoniũ qui habitat in Ioanne. Perhibeat teſtimoniũ Petrus, perhibeat Paulus, perhibeant cæteri Apoſtoli, perhibeat Stephanus, ipſe ſibi perhibet teſtimoniũ, qui habitat in omnibus. Ipſe enim ſine illis deus eſt, illi ſine illo quid ſunt? De ipſo dictum eſt, Aſcẽdit in Pſal. 67 altum, captiuauit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Quid eſt, captiuauit captiuitatem? Mortem ꝓcurauit diabolus, et ipſe diabolus de morte Chriſti eſt captiuatus. Aſcendit in altũ. Quid altius cœlo? Nouimus euidenter & ante oculos diſcipulo- Acto. 1 rum ſuorũ aſcẽdit in cœlũ. Hoc ſcimus, hoc credimus, hoc fatemur. Dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritũ ſanctum. Quis tale dat donũ qualis ipſe eſt? Magna eſt aũt miſericordia dei. Donum dat ęquale ſibi, quia donũ eius ſpiritus ſanctus eſt, & unus deus tota Trinitas, pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Quid nobis præſtitit ſpiritus ſanctus? Apoſtolũ audi, Charitas dei, inq̃t, diffuſa eſt Rom. 5 in cordibus noſtris. Vnde tibi ò mendice charitas dei diffuſa eſt in corde tuo? Quid, aut in quo charitas dei diffuſa eſt in corde humano? Habemus, in- 2. Cor. 4 quit, theſaurũ iſtũ in uaſis fictilibus. Quare in uaſis fictilibus? Vt eminentia uirtutis ſit dei. Deniq; cum dixiſſet, Charitas dei diffuſa eſt in cordib. noſtris, ne putaret quiſq; à ſe ſibi eſſe qd̃ diligit deũ, cõtinuo addidit, Per ſpiritũ ſanctum qui datus eſt nobis. Vt ergo ames deũ, habitet in te deus, & amet ſe de te, id eſt, ad amorẽ ſuũ moueat te, accendat te, illuminet te, excitet te. Lucta eſt eũ in iſto corpore. Quãdiu uiuimus pugnamus, quãdiu pugnamus periclitamur, Sed in his omnibus ſuperRom. 8 ramus, per eũ qui dilexit nos. Pugnã noſtrã modo cum Apoſtolus legereẽ audiuimus, Omis, inquit, Gal. 5 lex in uno ſermone impleẽ, in eo ꝓ diligis proximum tuũ ſicut teipſum, Iſta dilectio de ſpiritu ſancto eſt. Diligis proximũ tuũ ſicut teipſum, prius uide ſi iam noſti diligere teipſum, & cõmitto tibi proximum quem diligas ſicut teipſum. Si autem nondum noſti diligere te, timeo ne decipias proximum ſicut te. Si enim amas iniquitatẽ non diligis te, pſalmus teſtis eſt, Qui autẽ diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Si autem odiſti animam Pſal. 10 tuam, quid tibi prodeſt quia diligis carnẽ tuam? D Si odiſti animam tuam, & diligis carnem tuam, reſurgit caro tua, ſed ut torqueatur anima tua. Ergo prius anima diligenda eſt, quæ deo ſubdenda eſt, ut ordinẽ ſuum ſeruitus iſta cuſtodiat, anima deo, animæ caro. Vis ſeruiat caro tua animæ tuæ. Deo ſeruiat anima tua. Debes regi, ut poſſis regere. Nam lucta iſta tam periculoſa eſt, ut ſi dimiſerit rector ruina ſequatur. Quę lucta? Si autem morde tis & comeditis inuicẽ, uidete ne ab inuicẽ conſumamini, Dico autem, ſpiritu ambulate, Apoſtoli Gal. 5 uerba dico quę modo recitata ſunt de epiſtola ipſius: Dico autem, ſpiritu ambulate, & concupiſcentias carnis ne perfeceritis. Dico autem, ſpiritu ambulate, & concupiſcentias carnis, non dixit, non habueritis, neq; hoc dixit, ne feceritis, ſed ne perfeceritis. Quid ſit aũt hoc adiuuante dño dicam ut

potero

potero, adeste ut intelligatis, si spiritu ambulatis.
Dico aũt, spiritu ambulate, et cõcupiscẽtias carnis
A ne perfeceritis. Sequit, ne forte aliqd in hoc quod
hic obscurũ est, in eius sequentibus uerbis facilius
possit intelligi. Dixi em nõ frustra Apostolũ nolu
isse dicere, Cõcupiscẽtias carnis ne feceritis, sed di
xisse, Concupiscẽtias carnis ne perfeceritis: ipsam
nobis luctã proposuit. In hoc prælio uersamur, si
deo militamus. Quid ergo sequit? Caro em cõcu-
cupiscit aduersus spiritũ, spiritus aduersus carnẽ.
Hęc em sibi inuicẽ aduersant, ut non ea quæ uul-
tis faciatis. Hoc si non intelligat, periculosissime
audit, ideo solicitus ne male homines intelligẽdo
pereant, suscepi hæc uerba Apostoli, adiuuãte do
mino, exponere uestræ charitati. Vacat nobis, ma
tutina cœpimus, hora prandij nõ urget, ad iustum
B diem, id est sabbatũ, maxime hi assolẽt conuenire,
qui esuriũt uerbũ dei. Audite, attẽdite, dicã, quan-
tum potero, diligẽter. Quid est hoc ergo qd dixi,
Periculose audit, si nõ intelligat? Multi concupi-
scentijs carnalib. & damnabilibus uicti, cõmittũt
quęq; facinora atq; flagitia, & immũditijs tã pesi-
mis uolutant, quæ turpe est etiã dicere, & dicunt
Rom.7 sibi ista uerba Apostoli. Vide quid dixit Apostolus, Vt nõ ea quæ uultis faciatis. Nolo facere, co-
gor, cõpellor, uincor, facio quæ nolo, sicut ait A-
Gal.5 postolus, Quia caro concupiscit aduersus spiritũ,
spiritus aũt aduersus carnẽ, ut non illa quæ uultis
faciatis. Videtis q̃ periculose audit, si non intelligat. Videtis quemadmodũ pertineat ad officium
pastoris opertos fontes aperire, & aquã purã inno
xiam sitientib. ouibus ministrare. Noli ergo uinci
quãdo pugnas. Videte quale bellũ ꝓposuit, qualẽ
pugnã, qualem rixã intus intra teipsum, Caro con
cupiscit aduersus spiritũ. Si nõ cõcupiscit & spiri-
tus aduersus carnẽ, fac adulteriũ. Si aũt spiritus cõ
cupiscit aduersus carnẽ, luctam uideo, uictũ nõ ui
deo. Pugna est, cõcupiscit caro aduersus spiritum,
delectat adulteriũ. Fateor quia delectat. Sed spiri-
tus concupiscit aduersus carnem, Delectat & ca-
stitas. Ergo uincat spiritus carnem, aut certe non
uincatur à carne. Adulteriũ tenebras quærit, casti
tas lucẽ desiderat. Qũo uis innotescere, sic uiue.
Qũo uis hominib. innotescere, etiã præter oculos
hominũ sic uiue, quoniã q fecit te, & in tenebris ui
det te. Quare laudat castitas publice ab omibus?
Ioan.3 Quare nõ laudãt adulteriũ nec adulteri? Qui er-
go quærit ueritatẽ, ueniet ad lucẽ. Sed delectat &
adulteriũ, contradicat, resistat, repugnet. Nõ em
non habes unde pugnes, Deus tuus in te est, spiri-
tus bonus datus est tibi. Et tamẽ permittit ipsa ca-
ro cõcupiscere aduersus spiritũ, suggestionib. pra
Rom. 6 uis & delectationib. genuinis. Fiat qd ait Apostolus, Non regnet peccatũ in uestro mortali cor-
pore. Nõ dixit, Nõ sit. Iã est ibi. Quod ideo pecca-
tum uocat, qa merito peccati cõtigit. Non em in
paradiso caro concupiscebat aduersum spũm, aut
erat ibi ista pugna ubi pax erat sola, sed facta trãs-
gressione, posteaq̃ homo uoluit seruire deo, et do
natus est sibi, nec sic donatus sibi ut possit saltem
possidere se, sed ab eo possessus, à quo deceptus,

cœpit caro cõcupiscere aduersus spiritũ. Et hoc in
bonis cõcupiscit aduersus spiritũ: nam in malis nõ
habet contra quẽ concupiscere. Ibi em cõcupiscit
aduersus spiritũ, ubi est spiritus. Quod em ait, Ca- Gal.5
ro cõcupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus
carnẽ, noli putare spiritui hominis tantundẽ datũ.
Spiritus dei est qui pugnat in te aduersus te, aduer
sus illud quod est in te cõtra te. Noluisti em stare
ad dominũ, cecidisti. Fractus es, q̃modo uas quan-
do de manu hominis cadit in terrã. Fractus es. Et
quia fractus es, ideo es cõtra te. Nihil sit in te con-
tra te, & integer stabis. Nã ut noueritis ad spiritũ
sanctũ hoc officiũ pertinere, alio loco dicit Apo-
stolus, Si enim secundũ carnẽ uixeritis, moriemi- Rom.8
ni, Si aũt spiritu facta carnis mortificaueritis, uiue-
B tis. In his uerbis se iã extollebat homo quasi spiri-
tu suo facta carnis possit mortificare: Si secundum
carnẽ uixeritis, moriemini: Si aũt spũ facta carnis
mortificaueritis, uiuetis. Expone nobis Apostole
quo spiritu. Habet enim et homo spiritũ ad naturã
ꝓpriam pertinentẽ, quo homo est. Homo em con
stat ex corpore et spiritu, Et de ipso spiritu homis
dictũ est, Nemo scit quæ sunt hominis, nisi homi- 1 Cor.2
nis spiritus q in ipso est. Vide ergo & ipsum homi
nẽ habere spiritũ suũ pertinentẽ ad naturã suã, &
audio te dicentẽ, Si aũt spiritu facta carnis mortifi
caueritis, uiuetis. Quęre quo spiritu? Meo an dei?
Audio em uerba tua, & adhuc ambiguitate pmo-
ueor, Spiritus enim cũ dicitur, & hominis est ali-
quando & pecoris spiritus dicit, sicut scriptũ est,
C Per diluuiũ mortuã esse omnem carnẽ quæ habe- Gen.7
bat in se spiritũ uitę. Ac per hoc & pecoris spiritus
dicit, & hominis spiritus dicit. Aliquãdo & uẽtus
spiritus dicit, sicut habet in Psalmo, Ignis, grãdo, Psal.14
nix, glacies, spiritus tẽpestatis. Cũ ergo multis mo
dis dicat spiritus, quo spiritu dixisti ò Apostole, fa
cta carnis mortificãda, meo an dei? Audi quod se-
quit, & intellige. Sublata est quæstio sequentibus
uerbis. Cũ enim dixisset, Si aũt spiritu facta carnis
mortificaueritis uiuetis, continuo addidit, Quot-
quot enim spiritu dei agũtur, hi filij sunt dei. Agis
si agaris, & bene agis, si à bono agaris. Ergo quod
dixi tibi, Si spiritu facta carnis mortificaueritis, ui
uetis, & ambiguum tibi erat de quo spiritu dixe-
rit, in sequentibus uerbis intellige præceptorem,
D agnosce redemptorẽ. Etenim ille redemptor tibi
spiritum dedit, quo mortifices facta carnis. Quot-
quot enim spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei. Nõ
sunt filij dei, si non aguntur spiritu dei. Si autem
spiritu dei aguntur, pugnant, quia magnum ha-
bent adiutorem. Non enim deus sic nos spectat
pugnantes, quomodo spectat populus uenato-
res. Populus uenatori fauere potest, periclitãtem,
adiuuare non potest. Si ergo hic caro concupiscit Gal.5
aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem
& quid est ut non ea quæ uultis faciatis? Hic e-
nim periculum est mali intellectoris. Sit nunc of-
ficium qualiscunq; expositoris, ut non ea quæ uul
tis faciatis. Attendite sancti quicunque pugnatis,
prælianti bus loquor. Intelligũt qui pugnant, non
me intelligit qui non pugnat. Nã qui pugnat non
ideo

ideo intelligit me, sed præuenit me, quia uult ho-
mo castus ut nulla omnino surgat in membris e-
A ius concupiscentia aduersaria castitati. Pacẽ uult,
sed nondum habet. Quando enim ad illud uen-
tũ fuerit, ut nulla omnino exurgat concupiscen-
tia aduersanda, nullus erit hostis cum quo lucte-
mur, nec expectatur ibi uictoria, quia de hoste
iam uicto triũphatur. Audi ipsam uictoriã, ipso
1 Cor.15 apostolo dicente, Oportet corruptibile hoc in-
duere incorruptionẽ, & mortale hoc induere im-
mortalitatẽ. Cum autẽ corruptibile hoc induerit
incorruptionẽ, & mortale hoc induerit immorta-
litatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta
est mors in uictoria. Audi uoces triũphantium.
Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors acule-
us tuus? Percussisti, uulnerasti, deiecisti, sed uul-
B neratus est ꝓpter me q fecit me. O mors, o mors,
uulneratus est pro me qui fecit me, & de morte
sua uicit te. Et nunc triũphantes dicturi sunt, Vbi
est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tu-
us? Modo autem quando caro concupiscit ad-
uersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ conten-
tio mortis est. Nõ quod uolumus facimus. Quare?
Quia uolumus ut nullæ sint concupiscentiæ,
sed non possumus. Velimus nolimus habemus il-
las, uelimus nolimus titillant, blandiuntur, stimu-
lant, infestant, surgere uolunt, premuntur, nondũ
extinguuntur, quamdiu caro concupiscit aduer-
sus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Nun-
quid hoc etiã cum mortuus fuerit homo? Absit.
Deponis carnẽ, quomodo tecum trahis concupi-
C scentias carnis? Sed si bene pugnasti, recipieris
ad quietem. De qua quiete coronandus es, non
dãnandus, ut postea perducaris ad regnũ. Ergo
quãdiu hic uiuitur fratres, sic est sicut & nos qui
senuimus in ista militia. Minores quidẽ hostes ha
bemus, sed tamen habemus. Fatigati sunt quodã
modo hostes nostri iam etiã per ætatẽ, sed tamen
etiã fatigati non cessant qualibuscunque motibus
infestare senectutis quietẽ. Acrior pugna iuuenũ
est. Nouimus eã, transiuimus per eã. Caro enim
concupiscit aduersus spiritum, & spiritus adue-
rsus carnẽ, ut non ea quęcunq; uultis faciatis. Quid
enim uultis ò sancti, ò boni præliatores, ò fortes
milites Christi? Quid uultis? Vt non sint omni-
no concupiscentiæ malæ, sed non potestis. Exer- D
cete bellũ, sperate triumphũ. Modo enim inte-
rim pugnatur. Caro enim concupiscit aduersus
spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ, ut non ea quæ
uultis, faciatis, id est, ut omnino nullæ sint concu-
piscentiæ carnis. Sed facite quod potestis, quod
ait ipse Apostolus in alio loco, quod cõmemora-
re iam cœperam, Non regnet peccatũ in uestro
mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius.
Ecce quod nolo mala desideria surgunt, sed nolo
obedire. Arma te, sume instrumenta bellorum.
Præcepta dei, arma sua sunt. Si bene me audis, &
Rom.6 quod loquor, armaris. Non, inquit, regnet pecca-
tum in uestro mortali corpore. Quãdiu enim por-
tatis mortale corpus, pugnat contra uos peccatũ,
sed non regnet. Quid est non regnet? Id est, ad o-

bediẽdum desiderijs eius. Si cœperis obedire, re-
A gnat. Et quid est obedire, nisi ut exhibeatis mem-
bra uestra arma iniquitatis peccato? Nihil hoc do
ctore præclarius. Quid uis iam ut exponam tibi?
Fac quod audisti. Non exhibeas mẽbra tua ar-
ma iniquitatis peccato. Dedit tibi deus potesta-
tem per spiritum sanctũ, ut membra tua teneas.
Surgit libido, tene tu membra. Quid factura est
quæ surrexit? Tu tene membra. Noli exhibere
mẽbra tua arma iniquitatis peccato. Noli arma-
re aduersariũ tuũ contra te. Tene pedes ne eant
ad illicita. Libido surrexit, tu tene membra tua.
Tene manus ab omi scelere. Tene oculos ne ma-
le attendant. Tene aures, ne uerba libidinis liben-
ter audiant, Tene totum corpus, tene latera, tene
B summa, tene ima. Quid facit libido? Surgere no-
uit, uinci non nouit? Surgendo assidue sine cau-
sa, discit & non surgere. Redeamus ergo ad uerba
quæ obscura de Apostolo proposuerã, & plana iã
esse uidebimus. Hoc enim proposuerã, quod non
dixit Apostolus. Spiritu ambulate, & cõcupiscen Gal.5
tias carnis ne habueritis, qa necesse est ut habea-
mus illas. Quare ergo non dixit, Concupiscentias
carnis ne feceritis? Quia facimus eas, concupisci-
mus. Ipsum concupiscere, facere est. Sed ait Apo-
stolus, Iam nõ ego operor illud, sed quod habitat Rom.7
in me peccatũ. Ergo quid tibi cauendũ est? Hoc
sine dubio ne perficias. Surrexit libido damnabi-
lis, surrexit, suggessit, non audiatur. Ardet, non se
compescit, & uelles ut non arderet. Et ubi est, ut
C non ea quæ uultis faciatis? Noli dare membra.
Ardeat sine causa, & consumat se. In te ergo fiunt
ipsæ concupiscentiæ. Fatendum est, fiunt. Ideo di
xit, Ne perfeceritis, Sed non perficiantur. Decre-
uisti facere, perfecisti. Perfecisti etenim, si decer-
nas faciendũ esse adulteriũ, & ideo nõ facis, quia
locus nõ est inuẽtus, quia opportunitas nõ datur,
quia forte illa casta est, de qua uideris esse commo
tus. Ecce iam illa casta est, & tu adulter es. Quare?
Quia perfecisti cõcupiscentias. Quid est, perfeci-
sti? In animo tuo faciendũ esse adulterium decre-
uisti. Iam quod absit, si & mẽbra fuerint operata,
in mortẽ deuolutus es. Suscitauit Christus mor-
tuam in domo filiam archisynagogi. In domo e- Mar.5
rat, elata nondũ erat. Sic est homo qui flagitium
decreuit in corde, Mortuus est, sed intus iacet.
Si aũt usq; ad membrorũ perpetrationem peruę-
nerit, elatus est foras. Sed & iuuenem filium uiduę Luca
suscitauit dominus, quãdo extra portam ciuitatis
mortuus efferebatur. Sic ergo audeo dicere, aliqd
decreuisti in corde tuo, si reuocaberis ab actu tuo
sanatus eris antequã perpetres. Si enim egeris in
corde tuo pœnitentiam, quia rem malam, & scele
ratam, & flagitiosam, damnabilemq; decreueras,
ibi ubi mortuus iacebas intus, sic intus surrexisti.
Si autem perfeceris, iam es foras elatus, sed habes
qui tibi dicat, Iuuenis tibi dico surge. Etiam si per-
petrasti, & pœniteat te, de proximo redi, noli in
sepulchrum uenire. Sed hic mihi tertius mortuus Ioan.11
est, qui etiam perductus est ad sepulchrum, iam
supra se habet consuetudinis pondus, moles eum
terren-

terrena multum premit. Multū enim exercitatus eſt in flagitijs,conſuetudine ſua nimia prægrauatur,clamat et Chriſtus,Lazare prodi foras.Homo enim peſsimę conſuetudinis iam putet,merito ibi Chriſtus clamauit. Nec ſolum clamauit,ſed magna uoce clamauit. Ad Chriſti enim clamorem etiam tales licet mortui,licet ſepulti,licet putētes, reſurgent tamen & ipſi.De nullo enim iacente deſperandum eſt ſub tali ſuſcitatore.

De tribus mortuis,quos dominus ſuſcitauit. Sermo XLIIII.

A MIRACVLA domini noſtri & ſaluatoris Chriſti Ieſu, omnes quidem audientes & & credentes mouent,ſed alios atcꝫ alios, aliter & aliter.Quidam enim corporalia eius miracula ſtupentes,maiora intueri non norunt. Qui dam uero ea quę geſta audiunt in corporibus,nūc amplius in animis mirantur. Dicit ipſe dominus.
Ioan.5 Sicut enim pater ſuſcitat mortuos & uiuificat, ſic & filius quos uult uiuificat.] Non uticꝫ alios filius,alios pater,ſed eoſdē pater & filius,quia omīa pater per filium.Nemo ergo dubitet qui Chriſtianus eſt,etiam nunc mortuos ſuſcitari. Sed omnis homo habet oculos,quibus uideri poteſt mortuus reſurgens.Ita reſurrexit filius huius uiduæ, qui modo ex euangelio recitatus eſt.Vnde autem uideant homines reſurgere mortuos in corde, non omnes habent,niſi qui iam reſurrexerunt in corde.Amplius eſt reſuſcitare ſemper uicturū, quàm ſuſcitare iterum moriturū. De iuuene illo reſuſcitato,gauiſa eſt mater uidua,de hominibus in ſpiritu quotidie ſuſcitatis, gaudet mater eccleſia.Ille quidem mortuus erat corpore, illi autem mente. Illius mors uiſibilis uiſibiliter plangebat̄, illorum mors inuiſibilis nec quęrebat̄ nec uidebat̄.Quæſiuit ille qui nouerat mortuos, ille ſolus nouerat mortuos,qui poterat facere uiuos. Niſi enim ad mortuos ſuſcitandos ueniſſet, non Apoſtolus di-
Ephe.5 ceret, Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Dormientem audis cum dicit,Surge qui dormis. Sed mortuum intellige, cum audis,Exurge à mortuis.Dicti ſunt ſæpe dormientes & mortui uiſibiliter. Et planè omnes,ei qui poteſt excitare dormiunt.Mortuus enim tibi mortuus eſt,qui quantumlibet pulſes, quantumlibet uellices,quātumlibet lanies,non expergiſcitur.Chriſto auem ille dormiebat, cui dictum eſt, Surge, & cōtinuo ſurrexit.Nemo tam facile excitat in lecto, quàm facile Chriſtus in ſepulchro. Tres autē mortuos inuenimus à domino ſuſcitatos uiſibiliter,milia inuiſibiliter.Quot autem mortuos uiſibiles ſuſcitauerit,quis nouit? Non enim omnia quæ fecit ſcripta ſunt. Ioannes hoc dixit,
Ioan.21 Multa alia fecit Ieſus, quæ ſi ſcripta eſſent, arbitror tamen totum mundum non poſſe libros capere. Multi ergo ſunt alibi ſine dubio ſuſcitati, ſed non tres fruſtra commemorati. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus ea quæ faciebat corporaliter,etiam ſpiritaliter uolebat intelligi, Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat,ſed ut illa quæ faciebat mira eſſent uidētibus, uera eſſent intelligentib. Quēadmodū qui uidet
A literas in codice optime ſcripto,et non nouit legere,laudat quidem antiquarij manū, admirans apicum pulchritudinē,ſed quid ſibi uelint,quid indicent illi apices neſcit,& eſt oculis laudator,mente non cognitor. Alius aūt & laudat artificiū, & capit intellectū, ille uticꝫ qui non ſolū uidere quod cōmune eſt omnib.poteſt,ſed etiā legere, qđ qui non didicit non poteſt.Ita qui uiderūt Chriſti miracula,& non intellexerunt quid ſibi uellent, & quid intelligentibus quodāmodo innuerent, mirati ſunt tantū quia facta ſunt.Alij uero & facta mirati,& intellecta aſſecuti.Tales nos in ſchola Chriſti eſſe debemus. Qui enim dicit Chriſtum propterea tantum feciſſe miracula,ut non eſſent niſi mi-
B racula,poteſt illū etiā dicere neſcire quod nō eſſet tempus pomorū quando ficus quęſiuit in arbore. Non enim erat illius pomi tempus,ſicut euangeli Matt.21
ſta teſtatur,& tamen eſuriens poma quæſiuit in arbore. Chriſtus neſciebat quod ruſticus ſciebat? Quod nouerat arboris cultor,non nouerat arboris creator? Cum ergo eſuriens poma quæſiuit in arbore,ſignificauit aliquid aliud ſe eſurire,& aliquid aliud quærere, & arborem illam ſine fructu folijs plenam reperit, & maledixit, & aruit. Quid arbor fecerat fructum non afferēdo? Quæ culpa arboris infœcunditas? Sed ſunt qui fructum uoluntate dare poſſunt. Illorum eſt culpa ſterilitas,quorum fœcunditas eſt uoluntas. Erant ergo Iudæi habētes uerba legis,& facta non habentes,
C pleni folijs,& fructus non ferentes, Hoc dixi ut perſuaderem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ideo miracula feciſſe,ut aliquid illius miraculis ſignificaret, ut excepto eo quod mira, & magna, & diuina erant,aliquid inde etiam diſceremus. Videamus ergo qd nos diſcere uoluit in tribus mortuis,quos ſuſcitauit.Reſuſcitauit filiam mortuam archiſynagogi,ad quā ægrotantē petebat̄,ut eam de ægritudine liberaret. Et cum pergit, mortua Mar.5
nunciatur,et quaſi iam fruſtra fatigaret̄,renunciatum eſt patri eius,Puella mortua eſt,qd adhuc fatigas magiſtrum? Ille aūt perrexit, & ait patri puellæ,Noli timere,crede tantummodo.Venit ad domum,& inuenit iam obſequia funeri debita præparata,& dicit illis,nolite flere,non enim eſt mor-
D tua puella,ſed dormit. Verum dixit, dormiebat, ſed illi à quo poterat excitari.Hanc excitans,reddidit uiuā parentibus.Excitauit & hunc iuuenem Luca 7
filium uiduæ,de quo nūc admoniti ſumus,ut hinc iſta quę ipſe largiri dignatur,cum ueſtra charitate loqueremur.Modo audiſtis quomodo excitatus eſt. Appropinquabat dominus ciuitati, & ecce ferebat̄ iam mortuus extra portā.Miſericordia commotus,qđ flebat mater uidua,& deſtituta unico filio,fecit quod audiſtis,dicēs, Adoleſcēs tibi dico ſurge. Surrexit ille mortuus, cœpit loqui, & reddidit illū matri ſuæ.Excitauit & Lazarū de ſepul- Ioan.11
chro.Et ibi cū ægrotantē ſcirēt diſcipuli cum quibus loquebat̄ (diligebat aūt illū)Lazarus,inquit, amicus noſter dormit.Illi putantes ægri ſomnum ſalubrem,Si dormit,inquiunt, ſaluus erit. Et ille:

dico uobis,apertius iam loquēs, Lazarus amicus noſter mortuus eſt.Vtruncꝫ uerum dicens, Mor-
A tuus eſt uobis, dormit mihi. Iſta tria genera mortuorum,ſunt tria genera peccatorū,quos hodiecꝫ
Matt.5 ſuſcitat Chriſtus.Illa enim mortua filia archiſynagogi intus erat in domo,nōdum erat à ſecretis parietibus elata in publicum.Ibi intus ſuſcitata eſt,uiua parentibus reddita.Iſte autem iam quidem nō in domo,ſed tamen nondum in ſepulchrò, parietibus elatus erat,terræ mandatus nō erat.Qui ſuſcitauit mortuam nondum elatam,ſuſcitauit mortuū iam elatum,nondum ſepultum. Tertium reſtabat ut & ſepultum ſuſcitaret, & hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo intus qui peccatum in corde habent,in facto nondum habent.Neſcio qui cōmotus eſt aliqua cōcupiſcētia.Dicit enim ipſe dominus, Qui
B uiderit mulierem ad concupiſcendū eam,iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.Nondum acceſſit corpore,cōſenſit in corde,mortuū intus habet, nondum extulit.Et fit ut nouimus, ut quotidie homines in ſe experiunt̄ aliquando audito uerbo dei, tanquam domino dicente, Surge, condemnatur conſenſus ad iniquitatem,reſpiratur in ſalutem & iuſtitiam.Surgit mortuus in domo, reuiuiſcit cor in cogitationis ſecreto.Facta eſt iſta reſurrectio animæ mortuæ intus intra latebras conſcientiæ,tāquam intra domeſticos parietes.Alij poſt conſenſum eunt in factum, tanquam efferentes mortuū, ut quod latebat in ſecreto, appareat in publico. Nunquid iam iſti quia in factū proceſſerāt, deſperati ſunt? Nónne & illi iuueni dictum eſt, Tibi di-
C co ſurge? Nónne & ille redditus eſt matri ſuę? Sic ergo & qui iam fecerit,ſi forte cōmonitus & commotus uerbo ueritatis ad Chriſti uocem reſurgit, uiuus redditur.Potuit ad tempus progredi,in ęternum perire non potuit. Qui autem faciēdo quod malum eſt,etiam mala conſuetudine ſe implicant, ut ipſa conſuetudo mali non eos ſinat uidere quia malum eſt,fiunt defenſores malorum factorū ſuorum.Iraſcuntur cum reprehenduntur, intātum ut Sodomitę quondam dicerēt uiro iuſto reprehen-
Gen.19 denti nequiſſimam uoluntatem,Habitare ueniſti, nō leges dare.Tanta ibi nefandę turpitudinis conſuetudo erat,ut iam nequitia eſſet iuſtitia, & prohibitor potius reprehenderetur quàm factor. Tales conſuetudine maligna preſſi,tāquam ſepulti ſunt. Sed quid dicamus fratres? Ita ſepulti, ut de Lazaro dictum eſt,iam putet.Moles illa impoſita ſepulchro,ipſa eſt uis dura conſuetudinis qua premitur anima, nec reſurgere, nec reſpirare permittitur. Dictum eſt autem, Quatriduanus eſt. Reuera ad iſtam conſuetudinem de qua loquor,quarto quodam progreſſu peruenit anima. Prima eſt enim quaſi titillatio delectationis,in corde,ſecūda conſenſio,tertium factū,quarta cōſuetudo.Sunt enim qui res illicitas obuias cogitationibus ſuis prorſus ita abijciunt,ut nec delectentur. Sunt qui delectantur & non cōſentiunt.Nōdum perfecta mors eſt,ſed quodāmodo inchoata. Delectationi accedit conſenſio. Iam eſt illa damnatio. Poſt conſenſionem in factum proceditur.Factum in cōſuetudinem uertitur,& fit quædam deſperatio, ut dica-
A tur, Quatriduanus eſt,iam putet. Venit ergo dominus cui uticꝫ facilia erāt omnia,& difficultatem quandam oſtendit. Ibi infremuit ſpiritu, oſtendit multo clamore obiurgationis opus eſſe ad eos qui conſuetudine duruerunt. Tamen ad uocem clamātis domini,rupta ſunt uincula neceſſitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus eſt Lazarus uiuus.Liberat enim & de mala conſuetudine dominus quatriduanos mortuos: nam ipſe quatriduanus Chriſto uolenti reſuſcitare dormiebat. Sed quid ait? Videte genus reſuſcitationis. Proceſſit de monumento uiuus, & ambulare non poterat. Et dominus ad diſcipulos, Soluite eum, & ſinite Ioan.11
abire. Ille ſuſcitauit mortuum, illi ſoluerunt ligatum. Aliquid pertinere uidete, ad proprium maieſtatis dei ſuſcitātis. Increpatur aliquis in mala conſuetudine poſitus, uerbo ueritatis, Quam multi increpantur & non audiunt, Quis ergo agit intus cum illo qui audit? Quis uitam inſpirat intrinſecus? Quis eſt qui ſecretam pellit mortem, ſecretam dat uitam? Nónne poſt obiurgationes, poſt increpationes dimittuntur homines cogitationibus ſuis,& incipiunt ſecum uoluere,quàm malam uitam gerant,quàm peſſima cōſuetudine premantur? Deinde diſplicentes ſibi, mutare uitam inſtituunt.Reſurrexerunt iſti, reuixerunt quibus diſplicet quod fuerunt. Sed reuiuiſcentes ambulare non poſſunt. Hæc ſunt uincula ipſius reatus. Opus eſt ergo ut qui reuixit ſoluatur, & ire permit-
C tatur. Hoc officium diſcipulis dedit, quibus ait, Quę ſolueritis in terra,ſoluta ſunt & in cœlo. Hęc Matt.18
ergo chariſſimi ſic audiamus, ut qui uiuūt uiuant, qui mortui ſunt reuiuiſcant. Siue ſit adhuc peccatum corde conceptum, & non proceſſit in factū, pœniteat, corrigatur cogitatio, ſurgat mortuus intra domum conſcientiæ. Siue iam quod cogitauit admiſit,nec ſic deſperetur. Non ſurrexit mortuus intus, ſurgat elatus. Pœniteat facti,de proximo reuiuiſcat, non eat in profundum ſepulturæ, non accipiat deſuper conſuetudinis molem. Sed forte iam illi loquor, qui iam duro ſui moris lapide premitur,qui iam urgetur conſuetudinis pondere,qui iam quatriduanus putet.Nec ipſe deſperet,profundus mortuus eſt, ſed altus eſt Chriſtus.
D Nouit clamādo terrena onera rumpere, nouit intrinſecus per ſeipſum uiuificare, ſoluendum diſcipulis tradere. Agant etiam tales pœnitentiam. Necꝫ enim Lazaro reſuſcitato poſt quatriduum ullus putor in uiuente remanſerat. Ergo qui uiuunt uiuant.Quicuncꝫ autem mortui ſunt,in quacuncꝫ harum trium morte ſe inuenerint, agant ut celeriter iam reſurgant.

De eo quod ſcriptū eſt in euangelio ſecundum Ioannem,Scrutamini ſcripturas, in quibus putatis uos uitam æternam habere. Sermo XLV

A AD euangelicam lectionem,quę recens ſonuit in auribus noſtris, aduertat charitas ueſtra, dum pauca loquimur quæ dominus donat. Ad Iudæos dominus loquebat̄ Ieſus, & dicebat eis, Scrutamini ſcripturas, in qui- Ioan.5

bus putatis uos uitam æternam habere, ipsę testimonium perhibent de me.] Deinde post paululum. Ego, inquit, ueni in nomine patris mei, & non accepistis me, Si alius uenerit in nomine suo, ipsum accipietis.] Deinde post paululum.

Quomodo potestis mihi credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à deo solo est non quærentes?] Ad extremum ait, Non ego uos accuso apud patrem, est qui uos accusat Moyses, in quem uos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit, Cum autem uerbis illius non creditis, quomodo potestis mihi credere?] Ad hæc proposita nobis diuinitus, ex ore lectoris, sed ministerio saluatoris, audite pauca non numeranda, sed appendēda. Nam ista omnia facile est intelligere de Iudæis. Sed cauēdum est ne cum illos nimis attendimus, à nobis oculos auferamus. Discipulis enim suis dominus loquebatur, & utiq; quod eis loquebatur, & nobis posteris loquebatur. Neq; enim ad
Matt.28 illos pertinet quod ait, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi, sed ad omnes etiam postea futuros Christianos, & usq; in finem
Matt.16 seculi prouenturos. Loquens ergo illis ait, Cauete à fermento pharisæorum. Tunc putauerūt ideo dominum dixisse hoc, quia panes non tulerāt, nō intellexerunt, quia cauete à fermento pharisæorum, hoc dictum est, cauete à doctrina pharisæorum. Quæ fuit doctrina pharisæorum, nisi quam modo audistis? Gloriam ab inuicem quærentes, & gloriā ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo deo est non quærētes. De his apostolus Paulus dicit ita, Testimonium eis perhibeo, quia zelū dei habent, sed non secundum scientiam. Zelum, inquit, dei habēt, noui, scio, apud illos fui, talis fui.
Rom.10 Zelum dei habent, sed non secundum scientiam. Quid est hoc Apostole, Non secundum sciētiam? Expone nobis quam cōmendes scientiam, quam doleas in illis non esse, & in nobis uelis esse. Secutus adiunxit, & quod clausum posuerat aperuit. Quid est, Zelum dei habent, sed non secundū scientiam? Ignorantes enim dei iustitiam, & suā uolentes constituere, iustitiæ dei non sunt subiecti. Ignorare ergo dei iustitiam, & suam uelle constituere, hoc est, ab inuicem gloriā expectare, & gloriam quæ à solo deo est non requirere, Hoc est fermentum pharisæorū. Ab hoc cauere dominus iu-
D bet. Si seruus iubet, & dominus iubet, caueamus ne audiamus, Vt quid mihi dicitis domine domine, & non facitis quæ dico? Relinque ergo paululum ludæos, quibus dominus tūc loquebatur. Foris sunt, audire nos nolunt. Ipsum Euangeliū oderunt, falsa testimonia in dominum procurauerūt, ut damnarent uiuum, alia testimonia emerunt pecunia contra mortuum. Quando eis dicimus, Credite in Iesum, Respondent nobis, In hominē mortuum credituri sumus? Cum autem addimus, Sed resurrexit, Respondent, Absit. Discipuli eius furati sunt eum de sepulchro. Amant falsitatem ludæi emptoris, & contemnunt ueritatem domini redemptoris. Quid loqueris Iudæe, parentes tui

A

pecunia emerunt, & hoc in te remansit, quod emerunt. Attende potius eū qui emit te, non qui mendacium emit tibi. Sed istos ut diximus, relinquamus, istos attendamus fratres nostros, cum quibus agimus. Nam Christus caput est & corpus. Caput in cœlo est, corpus in terra est. Caput dominus est, corpus eius ecclesia est. Sed meministis dictum, Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc
Ephes.5 magnum est, ait Apostolus, Ego autem dico in Christo & in ecclesia. Si ergo duo sunt in carne una, duo sunt in uoce una. Caput nostrum dominus Christus locutus est ad Iudæos ea, quę audiuimus cum euangelium legeretur. Caput ad inimicos suos loquatur, & corpus, id est, ecclesia, ad inimicos suos loquatur. Nostis ad quos loquatur. Qui habet loqui, non dixi de meo, ut uox una sit,
B quia caro una, uox una. Hoc ergo illis dicamus, Voce ecclesiæ loquor. O fratres, filij dispersi, oues errantes, rami præcisi, quid mihi calumniamini? Quid me non agnoscitis? Scrutamini scripturas, in quibus uos putatis uitam æternam habere, ipsę testimonium perhibent de me. Iudæis dicit caput nostrum, quod uobis corpus dicit. Quæritis me, Ioan.7 & non me inuenietis. Quare? Quia non scrutamini scripturas, quæ testimonium perhibent de me. Testimonium pro capite. Abrahæ dictæ sunt pro-Gal.3 missiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno, & semini tuo quod est Christus. Testimonium pro corpore ad Abraham, quod cōmemorauit Apostolus. Abrahæ dictæ sunt promissiones. Viuo ego, dicit Gen.22
C dominus, per memetipsum iuro, quia obaudisti uoci meæ, & non pepercisti dilecto filio tuo propter me, nisi benedicens benedicam te, & implendo implebo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam maris, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Habes testimonium pro capite, habes pro corpore, Audi aliud breue, & prope una sententia complexum pro capite & pro corpore. De resurrectione Christi Psalmus loquebatur, Exaltare super cœlos deus. Continuo pro cor Psal.56 pore, Et super omnem terram gloria tua. Audi testimonium pro capite, Foderunt manus meas, & Psal.21 pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi uero considerauerunt & conspexerunt me, diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Audi continuo pro corpore, post pauca uerba, Commemorabuntur & conuertentur ad dominum uniuersi fines terræ, Et adorabunt in conspectu eius uniuersæ patriæ Psal.44 gētium, Quoniam domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Audi pro capite. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. In ipso Psalmo audi pro corpore, In omnem terram Psal.18 exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Hæc Iudæis, & istis nostris. Quare?

Quia istas scripturas ueteris testamenti & Iudæi accipiunt, & nostri ipsi accipiunt. Sed ipsum Christum quem illi non accipiunt, uideamus si isti accipiunt. Dicat & ipse, dicat & pro se qui caput est, & pro corpore suo quod est ecclesia, quia

& in

& in nobis caput loquiť pro corpore. Audi pro ca
Luca 24 pite, Resurrexit à mortuis, inuenit discipulos hæsi A tantes, dubitantes præ gaudio, nō credentes, aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas, & dicit eis. Quia sic scriptū est, & sic oportebat Christū pati, & resurgere à mortuis die tertio. Habes pro capite, dicat & pro corpore. Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorū per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalē. Dicat ergo ecclesia inimicis suis, dicat. Dicit planè, non tacet, sed si illi audiant. Fratres audistis testimonia
Ioan.5 iam noscite me. Scrutamini scripturas, in quibus uos speratis uitam æternam habere, ipsæ testimonium perhibent de me. Quæ dixi nō sunt de meo, sed de domini mei, & tamē adhuc auersamini, adhuc tergiuersamini. Quomodo potestis mihi credere gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam B quæ à solo deo est non quærentes, quia ignoratis dei iustitiam? Zelum dei habetis, sed non secundū
Rom.10 scientiam. Ignorantes enim dei iustitiam, & uestrā uolentes constituere, iustitiæ dei non estis subiecti. Quid est aliud ignorare dei iustitiam, & suam uelle constituere, nisi dicere, Ego sanctifico, ego iustifico, quod ego dedero sanctum est? Dimitte deo quod dei est, agnosce homo quod hominis est. Ignoras dei iustitiam, & tuam uis constituere. Iustificare me uis, sufficit tibi ut mecum iustificeris. De Antichristo dictum est, & omnes sic intelligunt quod ait dominus, Ego ueni in nomine patris mei, & nō suscepistis me, si alius uenerit in nomine suo, hunc suscipietis. Sed audiamus & Ioan-
1.Io.2 nem. Audistis quia uenit antichristus, & nunc an- C tichristi multi facti sunt. Quid autē expauescimus in antichristo, nisi quia nomen suum honoraturus est, & nomen domini contempturus? Quid aliud facit qui dicit, Ego iustifico? Respondetur ei, Ego ad Christum ueni, non pedibus, sed corde ueni. Vbi euāgelium audiui, ibi credidi, ibi baptizatus sum: quia in Christum credidi, in deum credidi. Et ille, Non es mundus. Quare? Quia non ibi fui. Dic quare non sum mūdatus, homo qui baptizatus sum in Hierusalē, homo qui baptizatus sum uerbi gratia, apud Ephesios, ad quos datā epistolā legis, & quorū pacem spernis? Ecce ad Ephesios scripsit Apostolus. Fundata est ecclesia, manet usq; nunc, & uberius manet, multiplicius manet,
Gal.1 tenet quod accepit ab Apostolo. Si quis annūtiauerit uobis præter q̄ quod accepistis, anathema sit. Quid ergo? Quid dicis mihi mūdus non sum? Ibi baptizatus mundus nō sum? Etiā nō es. Quare? Quia ego ibi non fui. Sed qui ubiq; est, ibi fuit, in cuius nomen credidi. Tu nescio unde ueniens, imò non ueniens, sed uolens ut ego ad te ueniam, hic positus dicis mihi. Non es recte baptizatus, quia ego ibi non fui. Vide quis ibi fuit. Quid di-
Ioan.1 ctum est Ioanni? Super quē uideris spiritū descendētem quasi columbā, hic est qui baptizat. Ipsum habes quærentē te, imò quia mihi ab ipso baptizato inuidisti, ipsum perdidisti. Intelligite ergo fratres mei uocem nostram & illorum, & uidete quid eligatis. Nos hoc elegāter dicimus. Simus sancti,

deus scit. Simus iniqui, & hoc magis ipse scit. Vos in nobis spem non ponatis, qualescunq; simus. Si boni sumus, facite quod scriptum est: Imitatores 1. Cor.10 mei estote, sicut & ego Christi. Si autem mali sumus, nec sic deserti estis, nec sic sine consilio remansistis. Audite dicentē, Quæ dicūt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Illi autem contrà, Nisi boni fuerimus peristis. Ecce est alius qui ueniet in nomine suo. Ergo uita mea ex te pēdebit, & salus mea ex te religabiť? Ita ne oblitus sum fundamentum meū? Nonne petra erat Christus? Nonne qui 1 Cor.10 ædificat super petrā, ipsum non deiicit uentus, pluuia, flumina? Veni ergo mecum si uis super petrā, Matt.7 & noli mihi esse uelle pro petra. Dicat ergo & nouissimum illud ecclesia, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi. De me enim ille scripsit, quia corpus sum eius de quo scripsit. Et de ecclesia Moyses scripsit. Nam Moysi uerba dixi, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Moyses hoc in primo libro scripsit, Si crederetis Moysi, crederetis utiq; & Christo. Quia Moysi uerba contemnitis, necesse est ut Christi uerba contemnatis. Habent Luc.16 ibi, inquit, Moysen & prophetas, audiāt illos. Nō pater Abrahā, si quis à mortuis uenerit, ipsum audient. Et ille, Si Moysen & Prophetas non audiūt, nec si quis à mortuis resurrexerit, credent. Hoc de Iudæis dictū est, Ergo non dictum de hæreticis? A mortuis resurrexerat qui dicebat, Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die. Hoc credo. Credo inquit. Credis. Quare non credis quod sequitur? Quia credis, Oportebat Chri- Luca 24 stum pati, & surgere die tertio à mortuis? Hoc dictum est de capite, crede quod sequiť de ecclesia, Prædicari in nomine eius pœnitētiā, & remissionem peccatorū per omnes gētes. Quare credis de capite, & nō credis de corpore? Quid tibi fecit ecclesia, ut eam uelis quodāmodo decollare? Tollere uis ecclesiæ caput, & capiti credere, corpus relinquere, quasi exanime corpus. Sine causa capiti, quasi famulus deuotus blandiris. Qui decollare uult, & caput & corpus conatur occidere. Erubescunt negare Christum, & non erubescunt negare uerba Christi. Christum nec nos uidimus oculis, nec uos. Iudæi uiderunt & occiderunt. Nos nō uidimus & credimus, uerba ipsius nobiscum sunt. Cōparate uos Iudæis. Illi cōtempserunt pendentē D in ligno, uos cōtemnitis sedentē in cœlo. Illis suggerentibus stetit titulus Christi, uobis stātibus deletur baptismus Christi. Sed quid restat fratres, nisi oremus & pro superbis, oremus & pro elatis, qui se sic extollūt? Dicamus pro illis deo, Cognoscāt, quia tibi nomen dominus, & non homines, sed tu solus altissimus super omnem terram.

De eo quod scriptū est in euangelio secundum eundem, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum &c. Sermo XLVI

ICVT audiuimus, cum sanctum euāgelium legeretur, dominus Iesus Christus A exhortatus est, pmissione uitę ęternæ ad manducandam carnem suam, & bibendū sanguinem suum. Qui audistis hæc, nondum omnes in-

tellexistis. Qui em̃ baptizati & fideles estis, quid dixerit nostis. Qui autē inter uos adhuc catechumeni, uel audientes uocantur, potuerunt esse cum legereť audientes, nunquid & intelligētes? Ergo sermo noster ad utrosq; dirigitur. Qui iam manducant carnē domini, & bibunt sanguinem eius, cogitent quid manducent, & quid bibant, ne, sicut
1.Cor.11 Apostolus dixit, iudicium sibi manducent & bibant. Qui autem nondū manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas inuitati festinent. Per istos dies magistri pascūt, Christus quotidie pascit, mēsa ipsius est illa in medio cōstituta. Quid causæ est ò audientes, ut mensam uideatis, & ad epulas non accedatis? Et forte modo cum Euangelium legeretur, dixistis in cordibus uestris, Putamus quid est quod dicit, Caro mea uera esca est, & san-
Ioan.6 guis meus uere potus est.] Quomodo manducatur caro domini, & bibitur sanguis domini? Putamus quid dicit? Quis contra te clausit ut hoc nescias? Velatum est. Sed si uolueris, erit reuelatum. Accede ad professionem, & soluisti quæstionem. Quid enim dixit dominus Iesus, iam fideles noue runt. Tu autem catechumenus diceris, audiens & surdus es. Aures enim corporis patentes habes, quia uerba quæ dicta sunt audis. Sed aures cordis adhuc clausas habes, quia quod dictum est nō intelligis. Disputo, non dissero. Ecce pascha est, da nomen ad baptismum. Si non te excitat festiuitas, ducat ipsa curiositas, ut scias quid dictum sit, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Vt scias quid di- C ctum sit, pulsa, & aperietur tibi. Et ut tibi dico, pulsa, & aperietur tibi, ita & ego pulso, aperi mihi. Auribus persono, & ad pectus pulso. Sed si catechumeni exhortādi sunt fratres mei, ut ad tantam gratiam regenerationis accedere nō morentur, quanta nobis cura esse debet in ædificandis fidelibus, ut prosit eis quod accedunt, ne sibi tales epulas in iudicium manducent & bibant. Vt autem non iudicium manducent & bibant, bene uiuant. Exhortatores estote non sermonibus, sed moribus uestris, ut illi qui non sunt baptizati, sic uos sequi festinent, ut non pereant imitando uos. Qui coniugati estis, fidem thori seruate coniugibus uestris. Reddite quod exigitis. Vir à fœmina exigis castitatem, præbe illi exemplum, non uerbum. Tu D es caput, quà is uide. Hac enim debes ire, quà illi non sit periculosum sequi, Imo tuipse quà uis eam sequi, illuc debes ambulare. Ab imbecilliori sexu exigis fortitudinem, carnis cōcupiscentiam ambo habetis, Qui fortior est prior uincat. Et tamen quod dolendum est, multi uiri à fœminis uincuntur. Seruant fœminæ castitatem, quam uiri seruare nolunt, & in eo quod non seruant, se uiros uideri uolunt, quasi propterea sit fortior sexus,
Ephes.5 ut eum facilius subiuget inimicus. Lucta est, prælium est, pugna est. Vir fortior fœmina, uir caput est fœminæ. Fœmina pugnat & uincit, tu hosti succumbis? Stat corpus, & caput iacet. Qui autem uxores nondum habetis, & tamen ad mensam dominicam iam acceditis, & carnem Christi mandu-

A catis, & sanguinem bibitis, si ducturi estis uxores, seruate uos uxoribus uestris. Quales eas uultis ad uos uenire, tales & uos debēt ipsæ inuenire. Quis iuuenis est, qui non castam uelit ducere uxorem? Et si accepturus est uirginem, quis non intactam desideret? Intactam quæris, intactus esto. Puram quæris, noli esse impurus. Non enim illa potest, & tu nō potes. Si fieri nō possit, nec illa posset. Quia uero illa potest, doceat te quia fieri potest. Et illam ut possit, deus regit. Sed tu gloriosior eris, si feceris. Quare gloriosior? Illam premit parentum custodia, refrenat infirmioris sexus ipsa uerecundia. Postremo leges timet, quas tu non times. Ideo ergo gloriosior eris si feceris, quia tu si feceris, deum times. Habet illa multa quæ timeat præter de- B um, tu solum deum timeas. Sed tu quem times, maior est omnibus. Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis, uideris: intras, uideris. Lucerna ardet, uidet te: lucerna extincta est, uidet te. In cubile intras, uidet te. In corde uersaris, uidet te. Ipsum time, illū cui cura est ut uideat te, & uel timendo castus esto. Aut si peccare uis, quere ubi te non uideat, & fac quod uis. Qui uero iam uouistis corpus artius castigate, & concupiscentiæ frenos nec ad ipsa quæ permissa sunt patiamini relaxare, ut non solum à concubitu illicito diuertatis, sed etiam licitū contemnatis aspectum. Mementote in Matt.11 quocunq; sexu sitis, siue mares, siue fœminæ, angelorum uitā ducere uos in terra. Angeli enim non nubunt, neq; uxores ducunt. Hoc erimus cū resurrexerimus. Quāto uos meliores, qui id quod erūt homines post resurrectionē, hoc uos incipitis esse ante mortē? Seruate gradus uestros, seruat enim deus honores uestros. Comparata est resurrectio mortuorum, stellis in cœlo cōstitutis. Stella enim 1 Cor15. ab stella differt in gloria, ut Apostolus dicit, Sic & resurrectio mortuorum. Aliter ibi lucebit uirginitas, aliter ibi lucebit castitas cōiugalis, aliter ibi lucebit sancta uiduitas. Diuersæ lucebunt, sed omnes ibi erunt. Splendor dispar, cœlum commune. Cogitantes ergo gradus uestros, seruātes & professionem uestrā, accedite ad carnem domini, accedite ad sanguinem domini. Qui se scit aliter esse non accedat. Cōpungimini magis sermone meo. Congratulant enim qui sciunt seruare cōiugibus D quod à coniugibus exigunt, qui sciūt seruare omnimodo continentiā, si hanc deo uouerunt. Qui uero audiūt dicentem me, Quicunq; non seruatis castitatē, nolite accedere ad illum panem, contristātur. Et ego nollem hoc dicere. Sed quid facio? Timebo hominē, & taceam ueritatem? Ergo si illi serui non timēt deū, etiā ego non timeam, quasi Matt.25 non sciam dictū esse, Serue nequā & piger, tu dares, & ego exigerē. Ecce dedi domine deus meus, ecce in conspectu tuo & angelorum tuorum, & in cōspectu ipsius plebis tuæ erogaui pecuniā tuam. Timeo enim iudicium tuum. Ego dedi, tu exige, Et si nō dicam, facturus es. Ergo hoc potius dico, Ego dedi, tu conuerte, tu parce, Fac pudicos qui fuerunt impudici, ut simul in tuo conspectu cum iudicium uenerit gaudeamus, & qui erogauit, & cui

cui erogatum est. Placet hoc? Placeat. Quicunq; impudici estis, corrigite uos dū uiuitis. Ego enim uerbū dei loqui possum, impudicos autem in nequitia perseuerantes, de iudicio dei & damnatione liberare non possum.

A De muliere deprehensa in adulterio, In euan-
Hic sermo est tractatus 339 in Ioannem gelio secundum eundem. Sermo XLVII

M EMINIT charitas uestra sermone pristino, ex occasione lectionis euāgelij locutos nos esse uobis de spiritu sancto. Ad hunc potandum cum dominus inuidisset credentes in se, loquens inter eos qui illum tenere cogitabant, & interficere cupiebant, nec ualebant, quia
Ioan.7 ille nolebat. Cum ergo hæc locutus esset, nata est de illo in turba dissensio, alijs putantib. quod ipse esset Christus, alijs dicētibus, quia de Galilæa non exurget Christus. Qui uero missi fuerant, ut eum tenerent, redierūt immunes à crimine, & pleni admiratione. Nam & testimoniū perhibuerunt diuinæ doctrinæ, cum dicerent, à quibus missi erant. Quare non adduxistis eum? Respōderunt enim, nusquā se audisse hominē ita locutum. Non enim quisquam sic loquit homo. Ille aūt sic locutus est, quia deus erat & homo. Tamen Pharisæi testimonium eorum repellētes, dixerunt eis, Nunquid & uos seducti estis? Videmus em̃ delectatos uos esse sermonibus illius. Nunquid aliquis de principibus credidit in eū, aut ex Pharisæis? Sed turba hęc quæ non nouit legē, maledicta est. Qui non noue rant legem, ipsi credebāt in eum qui miserat legē, & eum qui miserat legē cōtemnebant illi qui do- C cebāt legem, ut impleret quod dixerat ipse domi-
Ioan.9 nus, Ego ueni ut nō uidentes uideant, & uidentes cæci fiant. Cæci enim facti sunt Pharisęi doctores, illuminati sunt populi legē nescientes, & in autorem legis credentes. Nicodemus tamen unus ex Pharisæis, qui ad dominum nocte uenerat, & ipse quidē nō incredulus, sed timidus, nā & nocte uenerat ad lumen, quia illuminari uolebat, & sciri timebat, respondit Iudæis, Nūquid & lex nostra iudicat quenq; hominē, nisi audierit ab ipso prius, & cognouerit quid faciat? Volebāt illi peruerse ante esse damnatores q̄ cognitores. Sciebat enim Nicodemus, uel potius credebat, quia si tantūmodo uellent eum patienter audire, forte similes fierēt illis qui missi sunt tenere, & maluerunt credere. Illi D responderunt præiudicio cordis sui, quod & illis, Nunquid & tu Galilæus es, id est, quasi à Galilæo seductus? Dominus enim Galilęus dicebat, quoniam de Nazareth ciuitate erant parētes eius. Secundum Mariam dixi parentes, non secundum uirile semen. Non enim quæsiuit in terra patrē, quia iam habebat desuper patrem. Nam utraq; eius natiuitas mirabilis fuit, diuina sine matre, humana sine patre. Quid ergo illi quasi legis doctores ad Nicodemum? Scrutare & uide, quia propheta à Galilæa non surget, sed dominus prophetarum inde surrexit. Reuersus est, inquit Euangelista, unusquisq; in domum suam. Inde perrexit Iesus in montem: In montem oliueti, in mōtem fructuosum, in mōtem unguenti, in mōtem chrismatis. Vbi enim

A decebat docere Christum, nisi in monte Oliueti? Christi enim nomē à chrismate dictū est. Chrisma aūt grece, latinè nuncupat. Ideo nos unxit, quia luctatores contra diabolū fecit. Et diluculo iterū uenit in templū, & omnis populus uenit ad eum, & sedens docebat eos, & non tenebatur, quia nō pati dignabatur. Nunc iam attendite ubi ab inimicis tentata sit domini mansuetudo. Adducunt aūt illi Scribæ & Pharisæi mulierē in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerūt ei, Magister, hæc mulier modo deprehēsa est in adulterio. In lege aūt Moyses mādauit nobis huiusmodi lapidare: Tu ergo quid dicis? Hæc dicebant tentantes ut possent accusare eum.] Vnde accusare? Nunquid ipsum in aliquo facinore deprehenderant, aut illa mulier ad eum aliquando pertinuisse B dicebatur? Quid est ergo tentantes ut accusarent eum? Intelligimus fratres admirabilē mansuetudinem in domino pręminuisse, animaduerterunt eū nimiū esse mitem, nimiū māsuetū. De illo quippe fuerat ante prædictū, Accingere gladio tuo circa Psal.44 femur tuū potētissime. Specie tua, & pulchritudine tua, intēde prospere, procede & regna. Propter ueritatē & māsuetudinem & iustitiā. Ergo attulit ueritatem ut doctor, māsuetudinem ut liberator, iustitiā ut cognitor. Propter hæc eum esse regnaturū in spiritu sancto Propheta prædixerat. Cum loquebatur, ueritas agnoscebatur: cū aduersus inimicos non moueret, mansuetudo laudabat. Cum ergo de duobus istis, id est, de ueritate & mansue- C tudine eius inimici liuore & inuidia torquerētur: in tertio, id est, iustitia scandalum posuerūt. Quare? Quia lex iusserat adulteros lapidari, & utique quod iniustum erat lex iubere non poterat. Sed si quis aliter diceret q̄ lex iusserat, iniustus deprehēderetur. Dixerunt ergo apud semetipsos, Verax putat, mansuetus uidetur, de iustitia illi quærenda calūnia est. Offeramus ei mulierē in adulterio deprehensam, dicamus de illa quid in lege scriptum est. Si eam iusserit lapidari, mansuetudinem nō habet. Si eam dimitti censuerit, iustitiam nō tenebit. Vt aūt mansuetudinem, inquiunt, non perdat, in qua populis iam amabilis factus est, sine dubio dimitti eam iubebit. Hinc nos inueniemus occasionem accusandi, & reum faciemus tanquam legis præuaricatorem, dicentes ei, Hostis es legis, contra D Moysen respondes, imò contra eum qui per Moysen dedit legē: Reus es mortis, cum illa & tu ipse lapidandus. Posset his uerbis atq; sententijs inflāmari inuidia, feruere accusatio, flagitari damnatio. Sed cui hæc? Peruersitas rectitudini, falsitas ueritati, curuū directo, stulticia sapientiæ? Quando illi laqueos pararent, in quos non ipsi prius caput inijcerent? Non est captus, cui ipsi tendebant, sed potius capti sunt qui tendebant, quia non crediderunt in eum qui eos possit de laqueis eruere. Ecce dns in respōdendo, & iustitiā seruaturus est, & à mansuetudine non est recessurus. Quid enim respōdit dns Iesus? Quid respōdit ueritas? Quid respondit sapientia? Quid respondit ipsa cui calumnia parabatur iustitia? Non dixit, non lapide-

tur,ne contra legẽ dicere uideretur.Absit aũt ut di
ceret,lapidef. Venit enim nõ perdere quod inue- A
nerat,sed querere quod perierat.Quid ergo respõ
dit? Videte q̃ plenus est iustitia,plenus mãsuetu-
dine & ueritate. Qui sine peccato est uestrũ,in-
quit,prior in illã lapidẽ mittat.] O responsio sapi-
entiæ, quomodo eos intromisit in se. Foris enim
calũniabantur, seipsos intrinsecus non perscruta-
bantur.Adulterã uidebant,se nõ respiciebãt.Præ-
uaricatores legis, legẽ implere cupiebant, & hoc
calumniando non uere tanquã adulteria castitate
damnando.Audistis Iudæi, audistis Pharisæi, au-
distis legisdoctores,legis custodem, sed nondum
intellexistis legislatorẽ. Quid aliud uobis signifi-
cat,cũ digito scribit in terrã? Digito enim dei lex
scripta est.Sed propter duros in lapidẽ scripta est.
Nunc dominus in terra scribebat, quia fructũ re-
quirebat.Audistis ergo, impleatur lex, lapidetur
adultera.Sed nunquid quia punienda est, lex im-
plenda est à puniendis? Consideret se unusquisq;
uestrum, intret in semetipsum, ascendat tribunal
mentis suę,constituat se ante cogitationem suam,
cogat se confiteri.Scit enim qui lit, quia nemo scit
hominum quæ sunt hominis nisi spiritus hominis
qui in ipso est. Vnusquisq; in se intendens, pecca-
torem se inuenit.Ita plane.Ergo aut istã dimittite,
aut simul cum illa legis pœnam excipite. Si dice-
ret non lapidetur,iustus nõ uideretur:si diceret, la
pidetur,mansuetus nõ uidereť. Dicit quod dicere
debet & mãsuetus & iustus, Qui sine peccato est
uestrũ,prior in illam lapidẽ mittat.Hæc uox iusti-
tiæ est:Puniatur peccatrix,sed nõ à peccatoribus. C
Impleatur lex, sed non à præuaricatoribus legis.
Hæc uox omnino iustitiæ est, qua iustitia illi tan-
quã trabali telo percussi sese inspicientes, & reos
se inuenientes,unus post unũ omnes recesserunt.
Relicti sunt duo, misera & misericordia. Domi-
nus autem cũ eos telo iustitiæ percussisset, nec di-
gnatus est cedẽtes attẽdere, sed auerso ab eis ob-
tutu rursus scribebat in terra. Relicta autẽ illa sola
muliere omnibusq; abeũtibus,leuauit oculos suos
ad mulierem, Audiuimus uocem iustitiæ, audia-
mus & mãsuetudinis. Plus enim credo territa erat
mulier,cum audisset à domino dictũ,Qui sine pec
cato est uestrum, prior in illam lapidem mittat. Illi
enim attendentes & ipso abscessu confessi, dereli-
querũt mulierem cum magno peccato, ei qui erat D
sine peccato. Et quia illa hoc audierat, Qui sine
peccato est uestrum, prior in illam lapidẽ mittat,
ab illo se puniendam sperabat, in quo peccatũ in-
uenirі non poterat.Ille aũt qui aduersarios eius re-
pulerat lingua iustitiæ,leuans in eam oculos man
suetudinis,interrogauit eam. Nemo te cõdem-
nauit? Respondit illa,Domine nemo. Et ille, Nec
ego te cõdemnabo.] A quo forte damnari timui-
sti,quia in me peccatum non inuenisti.Nec ego te
condemnabo.Quid est domine? Faues ergo pec-
catis? Non planè ita:attẽde quod sequitur, Va-
de,deinceps iam noli peccare.] Ergo & dominus
damnauit,sed peccatum non hominem. Si autem
peccatorum fautor esset,diceret,Nec ego te dam-
nabo,uade uiue ut uis,de mea liberatione esto se-
cura,ego te quãtuncunq; peccaueris ab omni pœ
na,etiã à gehennæ & inferni tortoribus liberabo.
Non dixit hoc, Intendant ergo qui amant in do-
mino mãsuetudinem & timeant ueritatẽ. Etenim Psal.34
dulcis & rectus dñs.Amas q̃ dulcis est, time q̃ re-
ctus est.Tãquam mansuetus dixit, Tacui:sed tan-
quã iustus,Nũquid semper tacebo? Misericors & Psal.102
miserator dominus.Ita planè. Adhuc adde, Lon-
ganimis.Adde adhuc, Et multũ misericors.Sed
time quod est in nouissimo,Et uerax.Quòd enim
modo sustinet peccantes,iudicaturus est contem-
nentes.An diuitias lõganimitatis eius cõtemnis? Rom.2
Ignoras quia patientia dei ad pœnitentiam te ad-
ducit? Tu aũt secũdum duriciam cordis tui & cor
impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ & re-
B uelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuiq; iu-
xta opera sua.Mãsuetus dominus, lõganimis do-
minus,misericors dominus,sed & iustus dominus
& uerax dominus.Largitur tibi spaciũ correctio-
nis,sed tu plus amas dilationem q̃ emẽdationem.
Malus fuisti heri,hodie bonus esto.Et hodiernum
diem in malicia peregisti,uel cras mutare.Sed ex-
pectas,& de misericordia dei tibi plurimum polli
ceris,quasi ille qui tibi per pœnitentiam promisit
salutem,promiserit tibi etiam longã uitam. Vnde
scis quid pariat crastinus dies? Recte dicis in cor-
de tuo, quando me correxero, deus mihi omnia
peccata dimittet.Negare non possumus q̃ correc-
tis atq; conuersis indulgentiã deus promisit. Nã
in quo Propheta mihi legis,quia ꝓmisit deus cor-
recto indulgentiã,non mihi legis quia promisit ti
bi longam uitã.Ex utroq; igiť homines periclitan
tur,sperando & desperãdo contrarijs rebus.Spe-
rãdo decipiť,qui dicit,Bonus est deus, misericors
est deus,faciã quod mihi placet,quod libet,laxem
habenas cupiditatibus meis, impleã desideria ani
mæ meæ. Quare hoc? Quia misericors est deus,
mãsuetus est deus.Spe isti periclitantur. Desperatione aũt,qui cũ inciderint in grauia peccata, pu-
tãtes sibi iam nõ posse ignosci pœnitẽtibus,& sta-
tuẽtes se ad damnationem sine dubio destinatos,
dicunt apud seipsos:Iam dãnati sumus,quare non
quod uolumus facimus? animo gladiatorum fer-
ro destinatorum.Ideo molesti sunt desperati. Iam
enim quod timeant non habent,& uehementer ti
mendi sunt.Istos desperatio necat, illos spes.Inter
spem & desperationem æstuat anima. Metuendũ
est ne te occidat spes,& cum multũ speras de mise
ricordia,incidas in iudicium. Metuendum est rur
sus ne te occidat desperatio, & cum putas iam nõ
tibi ignosci quæ grauia cõmisisti, non agas pœni-
tentiam,& incurras iudicem sapientiam, quæ di-
cit, Et ego uestræ perditioni superridebo. Quid
ergo egit deus cũ periclitantibus utroq; morbo?
Illis qui spe periclitanť, hoc dicit, Ne tardes con-
uerti ad deum, neq; differas de die in diem. Subi-
to enim ueniet ira eius, & in tẽpore uindictæ dis-
perdet te.Illis qui desperatione periclitantur quid
dicitur? In quacunq; die iniquus conuersus fuerit,
omnes iniquitates eius obliuiscar. Propter illos
qui

qui desperatiõe periclitanť, proposuit indulgẽtiæ
portũ. Propter illos qui spe periclitanť & dilatio- A
nib.illudunť,fecit deus diẽ mortis incertũ.Quãdo
ueniat ultimus dies nescis.Ingratus es, qui hodier
nũ habes,in quo corrigaris? Sic ergo ad istã mulie
rẽ,Nec ego te condẽnabo.Sed facta secura de præ
terito,caue futura.Deleui q̃d cõmisisti,obserua q̃d
præcepi ut inuenias quod promisi.

Ioan.8 De eo quod scriptum est in euangelio secundũ
eundem, Si manseritis in uerbo meo,uere discipu
li mei estis. Sermo XLVIII

OVIT charitas uestra omnes nos unũ
N magistrum habere, & sub illo condisci
pulos esse. Nec ideo magistri sumus,
quia de loco superiore loquimur uobis, sed magi
ster est omnium qui habitat in omnibus. Ipse mo-
do in euangelio nobis omnibus loquebatur,& di B
cebat nobis, quod etiã ego dico uobis.Dicit autẽ
ille de uobis & nobis,Si manseritis in uerbo meo,
non utiq; in meo qui modo loquor,sed in eius qui
modo in euangelio loquebať, Si manseritis in
uerbo meo,inq;t, uere discipuli mei estis.] Ad di-
scipulũ est parum accedere,sed manere. non ergo
ait, Si audieritis uerbũ meum,aut si accesseritis ad
uerbũ meũ, aut si laudaueritis uerbũ meũ. Sed ui-
Ioan.8 dete quid dixerit, Si manseritis in uerbo meo,ue
re discipuli mei eritis,& cognoscetis ueritatem,&
ueritas liberabit uos.] Quid diximus fratres? Ma
nere in uerbo dei,labor est an nõ est? Si labor est,
attende magnum præmium.Si labor non est,gra-
tis accipis præmium. Maneamus ergo in eo qui
manet in nobis. Nos si non manserimus in illo, C
cademus. Ille autem si in nobis non manserit, non
ideo domum perdidit. Nouit ille manere in se,
qui nunquam deserit se. Absit autem ab homine
ut maneat in se, qui perdidit se. Ergo nos in illo
maneamus indigentia, ipse in nobis manet miseri
cordia. Iam ergo si propositum est quod facere
debeamus, quid accepturi sumus, uideamus. In-
dixit enim opus, & promisit mercedem. Quod
est opus? Si manseritis in uerbo meo.Breue opus.
Verbo breue, magnum opere: Si manser.tis.
Mat.7 Quid est si manseritis? Si in petra ædificaueritis.
O quàm magnum est fratres hoc, supra petram
ædificare quàm magnum est. Venerunt flumina,
flauerunt uenti, descenderunt imbres & impege-
runt in domum illam & non cecidit, fundata em̃ D
erat supra petram.Quid est ergo in uerbo dei ma-
nere, nisi nullis tentationibus cedere? Præmium
quid est? Cognoscetis ueritatem, & ueritas libe-
rabit uos. Compatimini nobis, quia uocem me-
am sentitis obtusam. Adiuuate me tranquillita-
te. O præmium. Cognoscetis ueritatem. Forte
aliquis diceret, & quid mihi prodest cognoscere
ueritatem? Et ueritas liberabit uos. Si non dele-
ctat ueritas, delectet libertas. In consuetudine
latinæ linguæ liberari duobus modis dicitur. Et
maxime in eo consueuimus audire hoc uerbum,
ut quicunq; liberatur,intelligatur periculum eua-
dere,molestijs carere. Liberari autem proprie di-
citur liberum fieri: Quõ saluari saluum fieri, sana
ri sanum fieri, sic liberari liberum fieri. Ideo dixi, Si
nõ delectat ueritas, delectet libertas. Hoc in Grę A
ca lingua euidẽtius sonat,nec potest aliter intelli-
gi. Et ut noueritis, quia aliter intelligi non potest,
loquente domino, responderunt Iudæi, Nos ne-
mini seruiuimus unquam,quomodo dicis,ueritas
liberabit uos,Id est,ueritas liberos uos facit? Quo
modo dicis nobis qui nemini unquã seruiuimus:
quos uides, inquiunt non habere seruitutis neces-
sitatem,quomodo eis polliceris libertatem? Au-
dierunt quod debuerunt, sed non fecerunt quod
debuerũt. Quid audierunt? Quia dixit, Veritas li-
berabit uos. Attendistis uos qui non seruitis homi
ni, & dixistis, Nemini seruiuimus unquam. Omis
Iudæus & Græcus, diues & pauper, honoratus &
priuatus, imperator & mendicus, Omnis qui fa-
cit peccatum, seruus est peccati. Omis, inquit, qui
facit peccatum,seruus est peccati. Si agnoscãt ho-
mines seruitutem,uidebunt unde accipiunt liber-
tatem. Ingenuus est aliquis, captiuatur à Barba-
ris, ex ingenuo factus est seruus. Audit homo mi-
serator, cõsiderat se habere pecuniam, fit redem-
ptor, pergit ad Barbaros, dat pecuniam, redimit
hominem. Planè reddidit libertatem, si abstulit
iniquitatẽ.Sed quis abstulit iniquitatem? Homo
homini? Ille qui seruiebat apud Barbaros, à redẽ-
ptore suo redemptus est. Et multum interest inter
redemptorẽ & redemptũ, tamen sub domina ini-
quitate forte conserui sunt. Interrogo redemptũ,
habes peccatũ? Habeo, inquit, Interrogo redem-
ptorem,habes peccatũ? Habeo,inquit. Ergo nec
tu te iactes redemptum, nec tu extollas redẽptо-
rem,fugite ambo ad uerum liberatorẽ. Parum est,
quia sub peccato sunt, serui dicti sunt & mortui di
cuntur. Quod timet homo ne faciat illi captiui-
tas, iam illi fecit iniquitas. Quid enim, quia uide-
tur uiuere? Nunquid ideo errauit ille, qui dixit, Di Matt.8
mitte mortuos sepelire mortuos suos? Ergo mor
tui omnes sub peccato,serui mortui,seruiẽdo mor
tui,moriendo serui. Quis ergo liberat à morte & à
seruitute,nisi in mortuis liber? Quis est in mortuis
liber, nisi inter peccatores sine peccato? Ecce ue-
nit princeps mundi, ipse dicit redemptor noster,
liberator noster: Ecce uenit princeps mundi, & Ioan.14
in me nihil inueniet. Tenet quos decepit quos se-
duxit,quibus peccatum mortemq; persuasit,in me
nihil inueniet. Veni domine, ueni redẽptor,ueni:
Agnoscat te captiuus,fugiat te captiuator, tu esto
mihi liberator.Ille me perditũ inuenit, in quo dia
bolus nihil inuenit quod caro agit. Inuenit carnẽ
in illo princeps huius mũdi? Inuenit.Et qualẽ car-
nem? Mortalẽ,quã possit tenere,quã possit cruci-
figere,quã possit occidere.Erras deceptor,nõ falli
redẽptor.Erras. Vides in dño carnẽ mortalem,
non est caro peccati, similitudo est carnis peccati.
Misit enim deus filium suũ in similitudinẽ carnis
peccati.Vera caro,mortalis caro, sed non peccati
caro.Misit em̃ deus filium suũ in similitudinẽ car- Rom.8
nis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in
carne. Misit em̃ deus filiũ suum in similitudinẽ car
nis peccati in carnem, non tamẽ in carnẽ peccati.

Propter quid? Vt de peccato, quod certe nullum in se erat damnaret peccatum in carne, ut iustitia dei impleretur in nobis, qui non secundum carnẽ ambulamus, sed secundum spiritum. Si ergo similitudo carnis erat peccati, non caro peccati, quõ ut de peccato damnaret peccatum in carne? Solet & similitudo capere nomen eius rei, cuius est similitudo. Homo dicitur uerus, sed etiam si pictum in pariete ostendas, & quæras quid sit, respondetur homo. Peccatum ergo appellata est caro, habens
2 Cor.5 similitudinẽ carnis peccati, ut esset sacrificiũ pro peccato, dicit idem Apost. alio loco. Eum qui nõ nouerat peccatũ, pro nobis peccatũ fecit. Eũ qui non nouerat peccatum: Quem qui non nouerat peccatũ, nisi eum, qui dixit, Ecce ueniet princeps mundi, & in me nihil inueniet? Eũ qui non nouerat peccatum, peccatũ pro nobis fecit: Eum ipsum Christũ nescientẽ peccatum, fecit deus pro nobis peccatũ. Quid est hoc fratres? Si diceretur, Fecit in illum peccatum, aut fecit illum habere peccatum, intolerabile uideret. Quõ toleramus quod dictũ est, Fecit eũ peccatũ, ut ipse Christus sit peccatum? Qui nouerũt scripturas Veteris testamenti, recognoscunt quod dico. Non em̃ semel dictũ est, sed aliquoties creberrime. Peccata dicta sunt sacrificia pro peccatis. Offerebatur, uerbi gratia, pro peccato hircus, aries, quodlibet, ipsa uictima quæ offerebat̃ pro peccato, peccatũ nominabat̃. Peccatũ ergo dicebat̃ sacrificium pro peccato, ita ut alicubi dicat lex sacerdotes ponere debere manus suas super peccatũ. Ergo eũ qui nõ nouerat peccatũ, fecit pro nobis peccatũ, id est sacrificium pro peccato. Factus est Christus peccatũ, oblatus est, & deletũ est peccatũ. Fusus est sanguis redemptoris, & delata est cautio debitoris. Ipse est sanguis qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum. Quid est ergo ꝙ insipiẽter exultasti, meus captiuator, quia carnem mortalem habuit meus liberator? Si habuit peccatum uide, Si aliquid tuum in eo inuenisti tene. Verbũ caro factum est. Verbũ creator est, caro creatura est. Quid ibi tuum inimice? Et uerbũ deus est, & anima hominis creatura est, & caro hominis creatura est, & caro mortalis dei creatura est. Peccatũ quære. Sed quid
Ioan.14 quæras ueritas loquit̃, Veniet princeps mundi, & in me nihil inueniet. Non ergo non inuenit carnẽ, sed nihil suum, id est, nullum peccatum. Decepisti innocentes, fecisti nocentes. Occidisti innocentem, peremisti quem non debebas, redde quod tenebas. Quid ergo? Ad horam insultasti, quia inuenisti in Christo carnem mortalem? Muscipula tua erat. Vnde lætatus es, inde captus es. Vbi te exultasti aliquid inuenisse, inde nunc doles quod possederas perdidisse. Ergo fratres qui credimus in Christum, maneamus in uerbo eius. Si em̃ manserimus in uerbo eius, uere discipuli eius sumus. Non enim soli illi duodecim, sed omnes qui manemus in uerbo eius, uere discipuli eius sumus, & cognoscemus ueritatem, & ueritas liberabit nos: id est, Christus filius dei, qui dixit, Ego sum ueritas, liberos nos faciet, hoc est liberabit nos, non à Barbaris sed à diabolo, nõ à corporis captiuitate, sed ab animæ iniquitate. Solus est qui sic liberat. Nemo se liberum dicat, ne seruus remaneat. Non remanebit in seruitute anima nostra, quia quotidie dimittuntur debita nostra.

De pastore & mercenario & fure, In euangelio Ioan.10
secundum eundem. Sermo XLIX

ON ignorat fides uestra charissimi, & ita uos didicisse nouimus, dicẽte magistro de cœlo in quo spem uestrã posuistis, quia dominus noster Iesus Christus qui iam pro nobis passus est & resurrexit, caput est ecclesiæ, & est corpus eius ecclesia, & in eius corpore unitas membrorum, & compago charitatis tanquam sanitas existit. Quicunq; autem in charitate friguerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille qui exaltauit caput nostrũ, etiam infirma membra sanare, dum tamen non nimia impietate præcidant̃, sed hæreant corpori donec sanentur. Quicquid enim adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est. Quod autẽ præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest. Cum ergo ille sit caput ecclesiæ, & sit corpus eius ecclesia, totus Christus caput & corpus est. Resurrexit iam ille. Caput ergo habemus in cœlo. Caput nostrũ interpellat pro nobis. Caput nostrum sine peccato et sine morte, iam propitiat pro peccatis nostris deum, ut & nos in fine resurgentes & immutati in gloriam cœlestem, sequamur caput nostrum. Quò enim caput & cętera membra. Sed dum hic sumus, membra sumus, ne desperemus, quia secutura sumus caput nostrũ. Videte enim fratres dilectionem illius capitis nostri. Iam in cœlo est, & hic laborat quamdiu hic laborat ecclesia. Hic Christus esurit, hic sitit, nudus est, hospes est, infirmatur, in carcere est. Quicquid enim hic patitur corpus eius, se dixit pati: & in fine segregans ipsum corpus suum ad dexterã, & reliquos à quibus modo conculcatur segregans ad sinistram, dicturus est his qui sunt ad dexterã, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratũ est ab origine mundi. Quibus meritis? Esuriui enim & dedistis mihi manducare &c. Sic exequitur tanquam ipse accepisset, usque adeo ut illi non intelligẽtes, respondeant & dicant, Domine quando te uidimus esurientẽ, hospitẽ, & in carcere? Et dicit eis, Cũ uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, Sic etiã in nostro corpore caput sursum est, pedes in terra sunt, tamẽ in aliqua cõstipatione & coartatione hominũ, quãdo tibi aliquis pedẽ calcat, nõne dicit caput, calcas me, nec caput tuũ nec linguam tuam quisquã calcauit? Sursum est, in tuto est, nihil ei mali cõtigit, & tamẽ quia per connexionem charitatis unitas est à capite usq; ad pedes, non se inde lingua separauit, sed dixit, Calcas me, cum eam nemo contigerit. Quomodo ergo lingua quã nemo contigit dicit, Calcas me: Sic Christus caput quod nemo calcat, dixit, Esuriui & dedistis mihi manducare. Et illis qui hoc non fecerunt, dixit, Esuriui & non dedistis mihi manducare. Et quomodo conclusit? Sic. Ibunt illi in cõbustionẽ

æternam

æternam, iusti aũt in uitã æternã. Cũ ergo nunc loquerẽt dixit se esse pastorem, dixit se esse ianuam. Vtrũq; ibi habes, & ego sum ianua, & ego sum pastor. Ianua est in capite, pastor est in corpore. Dicit em̃ Petro, in quo uno format ecclesiam, Petre amas me? Respondit, Dñe amo. Pasce oues meas.
Ioan.21 Et tertio, Petre amas me? Cõtristatus est Petrus, ꝙ eum tertio interrogauit, quasi ille qui uidit conscientiã negatoris, non uideat fidẽ confitentis. Nouerat illum semper, nouerat illum & quãdo se Petrus ipse non nouerat. Tunc enim se non nouerat,
Luc.22 quando dixit, Tecũ ero usq; ad mortẽ, & ꝙ esset infirmus nesciebat. Quõ plerunq; reuera & infirmis contingit, ut ægrotus nesciat quid cũ illo agatur, medicus aũt sciat: cũ ille ægritudinẽ illã patiatur, medicus nõ patiat̃. Magis dicit medicus quid agatur in altero, ꝙ ille qui ægrotat quid agatur in seipso. Petrus ergo tunc infirmus, dñs autẽ medicus. Dicebat se habere uires quas non habebat. Ille autẽ tangens uenã cordis eius, dicebat ꝙ ter eũ esset negaturus. Et ita factũ est quõ prædixit medicus, nõ quõ præsumpsit ægrotus. Ergo post resurrectionẽ suam dñs interrogauit eum, non nesciẽs quo ille animo confiteret̃ amorẽ Christi, sed ut trina cõfessiõe amoris, deleret trinã negationẽ timoris. Ergo hoc dñs exigit à Petro, Petre amas me? Quasi quid mihi dabis, quid mihi præstabis, quia amas me? Quid erat præstaturus Petrus resurgenti dño et eunti in cœlum, atq; sedenti ad dexteram patris? Quasi diceret, hoc mihi dabis, hoc mihi præstabis, si amas me, ut pascas oues meas, Per ianuam intres, non per aliam partem ascendas: audistis cum euangeliũ legeretur, Qui intrat per ianuam, pastor est: qui aũt ex alia parte ascendit, fur est & latro. Et dissipare quærit & spargere & tollere. Quis est qui intrat per ianuã? Qui intrat p Christũ. Quis est ille, qui imitat̃ passionẽ Christi? Qui cognoscit humilitatẽ Christi, ut cum deus factus sit homo pro nobis, cognoscat se homo non esse deum sed hominẽ. Qui enim uult deus uideri cum sit homo, nõ imitatur illum qui cum deus esset homo factus. Tibi autẽ non dicitur, esto aliquid minus ꝙ es, sed cognosce quid es. Cognosce te infirmum, cognosce te hominem, cognosce te peccatorem, cognosce te quia ille iustificat, cognosce q̃a maculosus es. Appareat in confessione tua macula cordis tui, & pertinebis ad gregem Christi: quia confessio peccatorum inuitat medicum sanaturum, quomodo in ægritudine qui dicit, Sanus sum, non quærit medicum. Nunquid ad templum
Luc.18 ascenderat pharisæus ille & publicanus? Ille de sua sanitate gloriabatur, ille uulnera sua medico ostendebat: dicebat enim ille, Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut publicanus iste: Gloriabatur super alterum. Ergo si publicanus ille sanus esset, inuideret illi pharisęus, quia non haberet super quem extolleretur. Quõ ergo uenerat qui sic inuidebat? Non erat utiq; sanus. Et cũ se sanum diceret, non descendit curatus. Ille autẽ ad terram oculos deijciens, & non audens in cœlũ attollere, percutiebat pectus suũ, dicẽs, Propitius esto mihi peccatori. Er quid dicit dñs? Amen dico uobis, quia descendit iustificatus de templo publicanus magis ꝙ pharisæus, Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Qui autem se exaltant, per alteram partem uolunt ascẽdere ad ouile. Qui se humiliant, per ianuam intrant ad ouile. Ideo de illo dicit, intrat, de illo, ascendit. Qui ascendit uidetis quia alta petit, non intrat sed cadit. Ille autem qui se submittit ut per ianuam intret, nec cadit, sed pastor est. Sed tres personas dixit dñs, & debemus illas inuestigare in euãgelio, pastoris, mercenarij & furis. Cum legeretur puto ꝙ animaduertistis, designauit pastorem, designauit mercenarium, designauit furẽ. Pastorem dixit animã suam ponere pro ouibus suis, & intrare per ianuam. Furẽ dixit ascendere per aliam partẽ. Mercenarium dixit lupum uel furem si uideat fugere, quia non est illi cura de ouibus. Mercenarius est enim nõ pastor. Ille intrat per ianuam, quia pastor est. Ille ascendit per aliam partẽ, quia fur est. Ille uidens eos qui uolunt tollere oues, timet & fugit, quia mercenarius est, quia non est illi cura de ouibus: Mercenarius est enim. Si inuenerimus tres istas personas, inuenit sanctitas uestra & quos diligatis, & quos toleretis, & quos caueatis. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius, cauendus est latro. Sunt homines in ecclesia, de quibus dicit Apostolus, qui ex occasione euangelizant, quærentes ab hominib. cõmoda sua, siue pecuniaria, siue honorũ uel laudis humanę. Quomodolibet uolentes accipere munera euãgelizãt, nõ tam salutẽ eius quærunt cui annũciãt, ꝙ cõmodũ suum. Ille autẽ qui audit salutem ab eo qui non habet salutẽ, si ei crediderit quẽ ille annunciat, neq; in illo spem posuerit per quem illi annunciatur salus, qui annũciat habebit detrimentũ, cui annunciatur habebit lucrũ. Habes dominũ dicentem de
Matt.23 pharisæis, Cathedram Moysi sedent. Non eos solos significabat dominus, quasi uero eos qui crederent in Christum ad Iudæoũ scholam mitteret, ut ibi discerent quemadmodũ iter sit ad regnũ cœlorum. Nónne ideo dominus uenit ut instrueret ecclesiam, ipsosq; Iudæos bene credẽtes & bene sperantes & bene diligentes segregaret tanq; frumenta à paleis, & faceret unum parietem circumcisionis, cui coniungeretur alius paries ex præputio gentium, quibus duobus parietibus de diuerso uenientibus esset ipse lapis angularis? Nónne ergo idem dominus de duabus istis plebibus in uno futuris dixit, Habeo & alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili? Loquebat̃ autem Iudæis, Opor
Ioan.10 tet me, inquit, & eas adducere, ut sit unus grex & unus pastor. Ideo duæ naues erãt unde uocauerat discipulos, duas personas plebis significabãt, quãdo miserunt retia & leuauerunt tantã uim & tantum numerum piscium, ita ut pene retia rumperentur: Et ouerauerunt, inquit, duas naues. Duæ naues significabãt unã ecclesiã, sed de duabus plebibus factam coniunctam in Christo, aliquando de diuerso uenientem. Hoc significãt etiam duæ uxores habentes unũ uirũ Iacob, Lia & Rachel,

Has

Has duas ſignificant etiam duo cęci, qui ſedebant iuxta uiam quos dñs illuminauit. Et ſi aduertatis ſcripturas, in multis locis inuenietis ſignificari duas eccleſias, quæ non ſunt duæ ſed una. Ad hoc em̃ ualet lapis angularis, ut ex duabus faciat unã. Ad hoc ualet ille paſtor, ut de duobus gregibus faciat unũ. Ergo dñs docturus eccleſiã, et habiturus ſcholã ſuam præter Iudæos, ſicut uidemus modo, nunquid credentes in ſe ad Iudæos miſſurus erat ut diſcerent? Sed nomine phariſęorũ et ſcribarum ſignificauit quoſdã in eccleſia ſua futuros, qui dicerent & nõ facerent: Se aũt figurauerat in perſona Moyſi. Etem̃ perſonã eius gerebat Moyſes, & uelum ante ſe ideo ponebat, quando loquebatur populo, quia quãdiu illi in lege carnalib. gaudijs & uoluptatibus dediti erant, & regnũ terrenum quærebãt, uelamen poſitũ erat cõtra faciẽ eorum ne uiderent Chriſtũ in ſcripturis. Ablato em̃ uelamine, poſtea ꝗ paſſus eſt dominus, uiſa ſunt ſecreta tẽpli. Ideo cum in cruce penderet, ſciſſum eſt uelum templi à ſummo uſqꝫ deorſum: & aperte dicit Apoſtolus Paulus, Cum aũt trãſieris ad Chriſtum, auferetur uelamen. Qui aũt non tranſierit ad Chriſtum, quamuis legat Moyſen, uelamen poſitum eſt ſuper cor eius, ſicut dicit Apoſtolus. Cum ergo præfiguraret quoſdã tales futuros dñs in eccleſia ſua quid ait? Scribæ & phariſæi cathedrã Moyſi ſedent. Quæ dicunt facite, ſed quæ faciunt facere nolite. Quando illud audiunt clerici mali quod in ipſos dicit̃, uolunt peruertere iſtam ſententiã. Nunquid nõ ſi illis liceret, delerẽt illam de euangelio? Quia uero delere illam nõ poſſunt, peruertere illam quęrunt. Sed adeſt dñi gratia & miſericordia, nec ſinit eos facere, quia circumſepſit ueritate ſua oẽs ſententias ſuas & liberauit: ut quiſquis inde aliquid præcidere uoluerit, aut inducere male legẽdo uel interpretando, ille cor habet, q̃d præciſum eſt iungat ſcripturæ, & legat ſuperiora uel inferiora, & inueniat ſenſum quẽ uolebat ille male interpretari. Quid ergo putatis iſtos dicere de quibus dicitur, Quæ dicunt facite? Quia reuera à ſanis laicis dicitur. Laicus enim qui uult bene uiuere, cum attenderit clericum malum, quid ſibi dicit? Dominus dixit, Quę dicũt facite, quę faciunt facere nolite. Ambulabo uiam domini, non ſequar iſtius mores. Audiam ab illo, non uerba ipſius ſed dei. Sequar deum, ſequatur ille cupiditatem ſuam: Quia ſi uoluero apud deum ſic me defendere ut dicam, Domine uidi male uiuentem clericum tuum, & ideo male uixi, nõne mihi dicturus eſt, Seruę nequam non à me audieras, Quę dicunt facite, quæ aũt faciunt facere nolite? Malus aũt laicus, infidelis, non pertinens ad frumẽtũ Chriſti, qui tanquam palea in area toleratur, quid ſibi dicit quando cœperit illum arguere uerbum dei? Exi: Quid mihi loqueris? Ipſi epiſcopi, ipſi clerici nõ illud faciunt, & me cogis ut faciam. Quærit ſibi non patronum ad cauſam malam, ſed comitem ad pœnã. Nam nunquam eum ille defenſurus eſt in die iudicij, quemcunq; malum uoluerit imitari. Quomodo enim diabolus omnes quos ſeducit nõ ſeducit cũ quibus regnet, ſed cũ quibus damnetur: Sic oẽs qui ſequunt̃ malos comites ſibi ad gehennã quærunt, nõ patrocinia ad regna cœlorum. Quõ ergo peruertũt iſti hanc ſententiã qñ illis dicit̃ male uiuentibus, merito dictũ eſt à dño: quæ dicunt facite, quæ aũt faciunt facere nolite? Recte dictũ eſt, inquiũt. Dictũ eſt enim uobis, ut quæ dicimus faciatis, quæ aũt nos facimus uos non faciatis. Nos enim offerimus ſacrificiũ, uobis nõ licet. Videte uerſutias hominũ, quid dicã? mercenariorũ. Nam ſi paſtores eſſent, iſta non dicerent. Ideo dñs ut os illis clauderet, ſecutus eſt, & dicit, Cathedrã Moyſi ſedent, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Dicunt enim & non faciunt. Quid eſt ergo fratres? Si de ſacrificio diceret offerendo, dicunt & non faciunt. Faciũt enim ſacrificium deo. Offerunt quidem quod dicunt, & non faciunt: audi quid ſequatur, Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt ea ſuper ceruices hominum, quæ ipſi uno digito nolunt attingere. Aperte exprobrauit, deſcripſit & oſtendit. Sed illi quando ſic uolunt peruertere ſententiam, oſtendunt quia nihil quęrunt in eccleſia niſi commoda ſua, nec Euangelium legerunt. Si enim noſſent ipſam paginam, & totum legiſſent, nunquam hoc dicere auderent. Sed apertius attendite, quia habet tales eccleſia. Ne quis dicat nobis, prorſus de Phariſæis dixit, de Scribis, de Iudæis dixit. Nam tales non habet eccleſia. Qui ſunt ergo illi de quibus dominus dicit, Non omnis qui mihi dicit, domine domine intrabit in regnum cœlorum? Et addidit, Multi dicẽt mihi in illa die, domine domine, nõne in tuo nomine prophetauimus & in nomine tuo uirtutes multas fecimus, & in nomine tuo mãducauimus & bibimus? Nũq̃d in nomine Chriſti Iudęi faciũt iſta? Certũ eſt, manifeſtũ eſt quia de his dicit qui nomẽ Chriſti habẽt. Sed quid ſequit̃? Tunc dicam illis, Nunq̃ uos cognoui. Recedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ, Audi Apoſtolum gementẽ de talibus. Dicit alios annunciare euangelium per charitatẽ, alios per occaſionẽ: de quibus dicit, Annunciant euangeliũ nõ recte. Rem rectam, ſed ipſi non recti. Quod annunciãt rectũ eſt, ſed qui annunciant non ſunt recti. Quare non eſt rectus? Quia aliud quęrit in eccleſia, nõ deũ quærit. Si deũ quæreret, caſtus eſſet, qa legitimũ maritũ anima deũ habet. Quiſquis à deo præter deũ aliquid quærit, nõ caſte deũ quęrit. Videte fratres, ſi uxor amet maritũ quia diues eſt, non eſt caſta. Non em̃ maritũ amat, ſed aurũ mariti. Si aũt maritũ amat & nudum amat & pauperẽ amat. Si em̃ propterea amat quia diues eſt, quid ſi quomodo ſunt caſus humani proſcribatur, ſubito egens remaneat? Renunciat illi forte, quia quod amabat non maritus erat, ſed res eius eſt. Si autem uere maritũ amet, etiam pauperem plus amat, quia cũ miſericordia amat. Et tamen fratres deus noſter nunquam pauper eſſe poteſt, diues eſt, ipſe fecit omnia, cœlũ & terrã, mare & angelos. Quicquid uidemus, quicquid nõ uidemus in cœlo, ipſe fecit. Sed tamen non diuitias amare debemus, ſed eum

qui

qui fecit illas: Non enim tibi promiſit niſi ſe. Inueni aliquid precioſius, & hoc dabit. Pulchra eſt terra, cœlum et angeli, ſed pulchrior eſt qui fecit hęc. Qui ergo annunciant deum, amantes deum, qui annunciant deum propter deum, paſcunt oues, & non ſunt mercenarij. Ipſam caſtitatẽ exigebat dominus noſter Ieſus Chriſtus, quando dicebat Petro, Petre amas me? Quid eſt, amas me? Caſtus es. Non eſt cor tuum adulterum. Non tua quæris in eccleſia ſed mea. Si ergo talis es & amas me, paſce oues meas. Non enim eris mercenarius, ſed eris paſtor. Illi autem non caſte annunciabant, de quibus gemit Apoſtolus. Sed q̃a dicit, Quid em̃? Dum omi modo ſiue occaſione ſiue ueritate Chriſtus annunciet̃, permiſit ergo eſſe mercenarios. Paſtor ueritate Chriſtũ annunciat, mercenarius occaſione Chriſtũ annunciat, aliud quærens. Tamẽ & ille Chriſtũ annunciat, & ille Chriſtũ: audi uocẽ paſtoris Pauli, Siue occaſiõe ſiue ueritate Chriſtus annuncietur. Ipſe paſtor uoluit habere mercenarium, Faciunt em̃ ubi poſſunt, utiles ſunt quantum poſſunt. Quando autem ad alios uſus, quærebat Apoſtolus cuius uias imitarent̃ infirmi. Miſi uobis, inquit, Timotheũ qui uos cõmone faciat uias meas. Et quid ait? Miſi paſtorẽ qui uos cõmoneret uias meas, id eſt, quia quõ ego ambulo & ipſe ambulat. Et mittẽs paſtorẽ, quid ait? Neminẽ em̃ habeo tam unanimẽ, qui ſyncera affectiõe pro uobis ſolicitus ſit. Nonne cum illo erant multi? Sed quid ſequitur? Omnes enim ſua quærunt, nõ quæ ſunt Chriſti Ieſu, id eſt, ego uobis paſtorem mittere uolui, nam multi mercenarij ſunt, ſed non oportuerat ut mercenarius mitteretur. Ad alias res & negocia peragenda mittitur mercenarius, ad illas autem quas tunc uolebat Paulus, paſtor erat neceſſarius. Et uix inuenit unum paſtorẽ inter multos mercenarios, quia pauci paſtores, multi mercenarij. Sed quid dicitur de mercenarijs? Amen dico uobis, perceperunt mercedem ſuam. De paſtore autem quid ait Apoſtolus? Quiſquis autem mundauerit ſe ab huiuſmodi, erit uas in honorem ſanctificatum & utile domino ad omne opus bonum paratum ſemper. Non ad quaſdam res paratum, & ad quaſdam non paratum, ſed ad omne bonum opus paratum. Hæc de paſtoribus dixi. De mercenarijs autem iam diximus. Mercenarius quando uidet lupum inſidiantem ouibus fugit. Hoc dominus dixit. Quare? Quia non eſt ei cura de ouibus. Tamdiu eſt ergo utilis mercenarius quandiu non uidet lupum, quamdiu non uidet furem & latronẽ. Cum autẽ uiderit, fugit. Et quis eſt de mercenarijs qui fugit de eccleſia, quando uidet lupum aut latronem? Abundant lupi, abunbant latrones. Ipſi ſunt qui aſcendunt per alteram partem. Qui ſunt iſti qui aſcendunt? Qui de parte Donati uolunt deprædari oues Chriſti. Ipſi per alteram partem aſcendunt, non per Chriſtum intrant, quia non ſunt humiles. Quia ſuperbi ſunt, aſcendunt. Quid eſt aſcendunt? Extolluntur. Vnde aſcendunt? Per alteram partem. Vnde de parte dici uolunt, qui in unitate nõ ſunt, de altera parte ſunt, & de ipſa parte aſcendunt, id eſt, extolluntur, & uolunt tollere oues. Quomodo aſcendunt, uidete. Nos, inquiunt, ſanctificamus, nos facimus iuſtos. Ecce quõ aſcenderũt: Sed qui ſe exaltat humiliabitur. Potens eſt dominus deus noſter humiliare eos. Lupus autem diabolus eſt, inſidiatur ut decipiat & qui illum ſequuntur: nam dictum eſt, Induti quidem pellibus ouium, intus autem ſunt lupi rapaces. Si uiderit mercenarius aliquem peccare, aut ſentire ſecundũ pernicię̃ animæ ſuæ, aut aliquid facere ſceleratũ & obſcœnũ, & tamẽ quia uidetur haberi alicuius momenti in eccleſia, unde ſibi ſperat commoda, mercenarius eſt. Et cum uidet hominem perire peccato, uidet illum ſequi lupum, uidet illius guttur trahi morſu ad ſupplicũ: non illi dicit, Peccas, non illum obiurgat, ne perdat cõmoda ſua. Hoc eſt ergo, cum uiderit lupum fugit, non illi dicit, Scelerate facis. Non corporis ſed animæ hæc fuga eſt. Quem uidet corpore ſtare, fugit animo, cum uidet peccatorem & non dicit illi peccas, cum etiã conſilium cum illo habet. Fratres mei, nunquid non aſcendunt aliquando aut presbyter aut epiſcopus: & non dicit aliud de ſuperiori loco niſi ne rapiantur res alienæ, ne fraudes fiant, ne ſcelera admittant̃? Non poſſunt dicere aliud, qui cathedrã Moyſi ſedent, & ipſa loquitur de illis nõ ipſi, Quid eſt ergo, nũquid colligũt de ſpinis uuas, aut de tribulis ficus? Et omis arbor ex fructu cognoſcit̃. Phariſęus poteſt bona loqui. phariſæus ſpina eſt. Quõ de ſpina lego uuas, quia tu dñe dixiſti, Quæ dicunt facite, quæ aũt faciunt, facere nolite? De ſpinis iubes uuã decerpere, cum dixeris, Nunquid colligunt de ſpinis uuam? Reſpondet tibi deus, Non iuſſi te de ſpinis uuam legere, ſed uide & attende bene. Forte ut fieri ſolet: uitis cum circuierit per terram inuoluta ſit in ſpinis. Nam aliquando inuenimus illud fratres mei, uitem poſitã ſuper caricem, quia ibi habet ſepem ſpinoſam, extendit palmites ſuos & inſerit in ſepem, extendit in ſpinas botros, & qui uidet botrum carpit, non tam de ſpinis quàm de uite quæ circũplexa eſt ſpinis: Sic ergo illi ſpinoſi ſunt, ſed ſedendo in cathedra Moyſi, inuoluit eos uitis, & pendent ad eos botri, id eſt, uerba bona, & bona præcepta. Tu lege uuã, non te pungit ſpina quando legis. Quæ dicunt facite, ſed quæ faciunt facere nolite. Pungit aũt te ſpina, ſi quod faciunt facis. Vt ergo legas uuam, & non inhæreas ſpinis, quæ dicunt facere debetis, ſed quæ faciunt nolite facere. Facta ipſorum ſpinæ ſunt, uerba ipſorũ uua eſt, ſed de uite, id eſt de cathedra Moyſi. Fugiunt ergo iſti quando uident lupum, quãdo uident latronem. Hoc aũt incœperã dicere, quia de loco ſuperiore nõ poſſunt dicere iſti, niſi bene facite. Nolite periurare, nolite fraudare, nolite aliquẽ circumuenire. Aliquando autem ſic uiuunt, ut de tollenda uilla aliena, cũ epiſcopo conſiliũ habeatur, & petatur ab illo tale conſiliũ. Aliquãdo nobis contingit, experti dicimus, nam non credemus. Multi à nobis conſilia mala petunt, conſilia mentiendi, circumueniendi, putãtes quia placeãt talia nobis.

Sed

Sed in nomine Christi, si dño placet q̃d dicimus,
nullus talis nos tentauit, & inuenit q̃d uolebat in A
nobis. Quia si uult ipse qui nos uocauit, pastores
sumus nõ mercenarij, Sed quid ait Apostolus? Mi
1 Cor. 4 hi minimum est ut à uobis iudicer aut ab humano
die, sed neq; ego memetipsum iudicõ. Nihil enim
mihi conscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum,
Qui aũt iudicat me, dñs est. Nõ ideo bona est con
scientia mea, quia uos illã laudatis. Quid em̃ lauda
tis quod nõ uidetis? Ille laudet qui uidet. Ille etiã
corrigat siquid ibi uidet quod eius oculos offen-
dit, quia & nos nõ dicimus perfecte nos sanos,
sed tundimus pectus nostrũ, & dicimus deo, Pro-
pitius esto ne peccẽ. Tamẽ puto, coram illo em̃ lo
quor, nihil aliud à uobis quærẽs nisi salutẽ uestrã,
& gemimus plerunq; in peccatis fratrũ nostrorũ,
& uim patimur, & torquemur animo, & aliquan-
do corripimus illos: Imò nunquã nõ corripimus,
testes sunt oẽs qui recordant quod dico, quotiens
sunt à nobis correpti fratres peccãtes & uehemen
ter correpti. Modo consiliũ nostrum tracto cum
sanctitate uestra. In nomine Christi plebs dei e-
stis, plebs catholica estis, mẽbra Christi estis. Nõ
estis diuisi ab unitate. Cõmunicatis membris apo
stolorum, communicatis memorijs sanctorũ mar
tyrum diffusorum per orbem terrarum, & pertine
tis ad curam nostram, ut rationem bonam de uo-
bis reddamus. Tota autem ratio nostra quæ est, sci
tis, Domine scis quia dixi, scis quia non tacui, scis
quo animo dixi, scis quia fleui tibi cum dicerem
& nõ audirer. Ipsa puto quod integra ratio nostra
est. Securos em̃ nos fecit spiritussanctus per Eze-
chielem prophetam. Nostis enim ipsam lectionẽ
Ezech. 33 de speculatore, Fili, ait, hominis speculatorẽ po-
sui te domus Israel, Si me dicente ad impiũ, Impie
morte morieris, nõ dixeris: hoc est, ego enim tibi
dico ut dicas: si non annunciaueris ueneritq; gla-
dius & tulerit eum, id est, quod minatus sum pec-
catori: ille quidem impius in pietate sua morietur,
sanguinẽ autem eius de manu speculatoris requi-
ram. Quare? Quia non dixit. Si aũt speculator ui-
derit gladium uenientem, & cecinerit tuba ut fu-
giat, & non se obseruauerit, id est, non se correxe
rit, ut non eum inueniat in supplicio quod mina-
tur deus, ueneritq; gladius & tulerit aliquem, ille
quidem impius in iniquitate sua mortuus est, tu
autem, inquit, animam tuam liberasti. Et in illo lo
co euangelij quid aliud dicit seruo, cum diceret,
Luc. 19 Domine sciebam te molestum siue durum homi-
nem, quia metis ubi non seminasti, & colligis ubi
non sparsisti, & timens abij & abscondi talentum
tuum in terra, ecce habes quod tuũ est. Et ille, Serue,
inquit, nequã & piger, magis quia me sciebas
molestũ & durũ esse, metere ubi non seminaui, &
colligere ubi non sparsi, ipsa auaritia mea debuit
te docere, quia lucrum quæro de pecunia mea.
Oportuit te ergo ut dares pecuniam meã nummu
larijs, & ego ueniens cum usuris exegissem meũ,
Nunquid dixit, dares ut exigeres? Nos ergo fra-
tres damus, ueniet ille qui exigat, Orate ut para-
tos nos inueniat.

De eo quod scriptum est in Euangelio
secundum Ioãnem, Ego sum pastor bo- Ioan. 10
nus, &c. Sermo L

A VDIAMVS dominum Iesum com- A
mẽdantem nobis boni pastoris offi-
cium. In qua commendatione admo
nuit nos utiq; ut intelligi datur bonos esse pasto-
res. Et tamen ne intelligeretur peruerso modo
multitudo pastorum, Ego sum, inquit, pastor
bonus.] Et unde sit pastor bonus, consequenter
ostendit, Pastor, inquit, bonus, animam suam
pro ouibus ponit. Mercenarius autem & qui non
est pastor, uidet lupum uenientem & fugit, quia
non est ei cura de ouibus, mercenarius enim est.]
Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nónne
B bonus pastor? Nónne & ipse animam suam
pro ouibus posuit? Quid Paulus? Quid cæteri
Apostoli? Quid eorum tempora consequentes
beati episcopi martyres? Quid etiam iste sanctus
Cyprianus? Nónne omnes pastores boni, non
mercenarij, de quibus dicitur, Amen dico uo- Mat. 6
bis, perceperunt mercedem suam? Omnes ergo
isti pastores boni, non solum quia sanguinem fu-
derunt, sed quia pro ouibus fuderunt. Non enim
fuderunt elatione, sed charitate. Nam & apud
hæreticos qui propter iniquitates & errores suos
aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine
martyrij se iactant, ut hoc pallio dealbati facilius
furentur, quia lupi sunt. Si autem uultis scire in
quo numero habendi sunt, pastorem bonum Pau
C lum Apostolum audite, Quoniam non omnes
qui corpora sua in passione etiam ignibus tradũt,
æstimandi sunt sanguinem fudisse pro ouibus, sed
potius contra oues, Si linguis hominum loquar 1. Cor. 13
& angelorum, charitatem autem non habeam,
factus sum uelut æramentum sonans, & cymba-
lum tinniens. Si sciero omnia sacramenta & ha-
buero omnem prophetiam, & omnem fidem ita
ut montes transferam, charitatem autem non ha-
beam, nihil sum. Magna ergo res est, postremo
fides montes transferẽs. Illa quidem magna sunt,
sed si ego hæc sine charitate habeam, inquit, non
illa, sed ego nihil sum. Sed adhuc istos non teti-
git, qui falso martyrij nomine in passionibus glo-
riantur. Audite ut eos tangat, imò ut transfodiat,
Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, &
D tradidero corpus meum ita ut ardeã, iam ipsi sunt.
Sed uide quid sequit, Charitatẽ aũt non habeã, ni-
hil mihi prodest. Ecce uenit ad passionẽ, ecce ue-
nitur & ad sanguinis effusionẽ, uenit & ad corpo-
rum incensionẽ, & tamẽ nihil prodest, quia chari-
tas deest. Adde charitatẽ, prosunt omnia. Detrahe
charitatẽ, nihil prosunt cætera. Quale bonum est
charitas ista fratres? Quid preciosius, qd luminosi
us, quid firmius, quid utilius, quid securius? Multa
sunt dei dona quæ tamẽ habent & mali, qui dictu
ri sunt, Domine in nomine tuo prophetauimus, Mat. 7
in nomine tuo dæmonia eiecimus, in nomine tuo
uirtutes multas fecimus. Nec respondebit ille,
Non fecistis. Non enim in conspectu tanti iudi-
cis audebunt mentiri, aut iactare quæ non fece-
runt

runt: Sed quia charitatem non habuerunt, respon
debit omnibus illis, Non noui uos. Quomodo au A
tem habet uel exiguam charitatem, qui etiam con
uictus non amat unitatem? Hanc dominus unita-
tem commendans pastoribus bonis, non com-
mendans pastores bonos, noluit multos appella
re pastores. Neq; enim, ut dixi iam, nõ erat pastor
bonus Petrus, Paulus, apostoli cæteri, posterio-
res sancti episcopi, beatusq; Cyprianus? Omnes
hi pastores boni, & tamen ille pastoribus bonis
non commendauit pastores bonos, sed pastorem
bonum, Ego sum, inquit, pastor bonus. Interroge
mus dominum qualicunq; sensu, & humillima di-
sceptatione cum tãto patrefamilias colloquamur.
Quid dicis domine bone pastor? Tu enim bonus
pastor qui bonus agnus: Idem pastor & pascua,
idem agnus & leo. Quid dicis? Audiamus, & ad-
iuua ut intelligamus, Ego sum, inquit, bonus pa-
stor. Quid Petrus? Aut non pastor aut malus? Vi
deamus si non pastor. Amas me? Tu ei dixisti do
Ioan. 12 mine, Amas me? & respondit, Amo. Et tu ei, Pa-
sce oues meas. Tu tu domine interrogatione tua,
firmamento oris tui, amatorem fecisti pastorem.
Pastor est ergo cui pascendas oues credidisti. Ipse
commendasti, pastor est. Videamus iam utrum
non bonus. Ipsa id interrogatione & responsio-
ne eius inuenimus. Quæsisti utrum amat te, Re-
spondit, Amo. Vidisti eor, quia uerum respon-
dit. Non est ergo bonus, qui amat tãtum bonum?
Vnde illa responsio ex intimis prolata uisceribus,
unde ille Petrus testes oculos tuos habens in cor-
C de suo, contristatus quòd eum non solum semel,
sed iterum & tertio interrogasti, ut trina cõfessio
ne amoris, deleret trinum peccatum negationis?
Vnde ergo cõtristatus quòd sæpe interrogatus es-
set ab eo qui sciret quod interrogabat, & donaue-
rat quod audierat? Vnde contristatus, talia uerba
retulit, Domine tu scis omnia, ipse nosti quoniam
te amo. Itá ne illa talia cõfitens, imò profitẽs men-
tiretur? Veraciter ergo respondit amorem tuum,
& de intimo corde protulit amãtis uocem. Tu au
tẽ dixisti, Bonus homo de bono thesauro cordis
sui profert bona. Ergo & pastor & bonus pastor,
nihil quidem ad potestatem ac bonitatem pasto-
ris pastorum, sed tamen etiam ipse & pastor & bo
nus, & cæteri tales pastores boni. Quid est ergo
D quòd pastoribus bonis commendas unum pasto-
rem, nisi quia in uno pastore doces unitatẽ? Et ex-
ponit apertius ipse dominus per ministerium no-
strum, ex ipso euangelio commemorans charita
tem uestram, & dicens, Audite quid commenda-
ui, Ego sum pastor bonus dixi, quia omnes cæteri,
omnes pastores boni membra mea sunt. Vnũ ca-
put, unũ corpus, unus spiritus. Ergo & pastor pa-
storum, & pastores pastoris, & oues cum pastori-
1. Cor. 12 bus sub pastore. Quid sunt hæc nisi quòd dicit
Apostolus? Sicut enim corpus unum est & mem-
bra habet multa, omnia autem membra corporis
cum sint multa unũ est corpus, sic & Christus. Er-
go si sic & Christus, merito Christus in se habens
omnes pastores bonos, unum commẽdat, dicens

Ego sum pastor bonus. Ego sum, unus sum, me-
cum in unitate omnes unum sunt. Qui extra me
pascit, contra me pascit: Qui mecum non colligit
spargit. Ergo audite ipsam unitatem uehemẽtius
cõmendatam, Habeo, inquit, alias oues, quæ non
sunt ex hoc ouili. Loquebat enim primo ouili de
genere carnis Israel. Erant autem alij de genere fi-
dei ipsius Israel, & extra adhuc erant in gentibus.
Erant prædestinati, nondum congregati. Hos no
uerat quos prædestinauerat, nouerat qui redime-
re sanguine suo fuso uenerat. Videbat eos non-
dum uidentes eum, nouerat eos nondum creden-
tes in eum. Habeo, inquit, alias oues, quę non sunt
de hoc ouili, quæ non sunt de genere carnis Israel,
sed tamẽ non erunt extra hoc ouile, quia oportet
B me adducere eas, ut fit unus grex & unus pastor.
Merito huic pastori pastorum, amata eius, sponsa
eius, pulchra eius, sed ab ipso pulchra facta, prius
peccatis fœda, post indulgentiam & gratiam for-
mosa, loquitur amans & ardens in eum, & dicit ei.
Vbi pascis? Et uidere quemadmodũ quo affectu Canti. 1
hic erigatur amor spiritalis. Melius isto multo affe
ctu delectãtur, qui aliquid ex huius amoris dulce-
dine gustauerunt. Illic hoc bene audiũt, qui amãt
Christum. In ipsis enim hoc, & de ipsis cantat ec-
clesia in canticis canticorũ. Qui amat Christum,
quasi fœdum & solum formosum, Vidimus enim Esa. 53
eum, inquit, & non habebat speciem neq; deco-
rem. Talis in cruce apparuit, talem se spinis coro-
natus exhibuit, fœdum & sine decore, quasi amis-
C sa potentia, quasi non filium dei. Talis uisus est cæ
cis. Ex persona quippe Iudæorũ hoc dixit Esaias,
Vidimus eum & non habebat speciem neque de
corẽ: quando dicebatur, Si filius dei est descendat Mat. 15
de cruce. Alios saluos fecit, seipsum non potest. Et
percuciẽtes calamo in caput dicebant. Prophetiza Matt. 26.
nobis Christe, qs te percussit: nõ habebat spe-
ciẽ neq; decorẽ. Talem Iudęi uidebatis, Quia cęci Rom. 11
tas ex parte Israel facta est, donec plenitudo gẽtiũ
intraret, donec aliæ oues uenirẽt. Quia ergo cęci-
tas facta est, ideo decorũ sine decore uidistis. Si em̃ 1. Cor. 2
cognouissetis, nunq; dominũ glorię crucifixisse-
tis. Fecistis aũt, quia non cognouistis. Et tamen il-
le qui uos quasi fœdos tolerauit, pro uobis formo
sus orauit. Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt Luca 13
D quid faciunt. Si enim sine decore, quid est quod
amat ista, quæ dicit, Annũcia mihi quem dilexit
anima mea? Quid est quod amat, quid est quod ar
det, quid est quod tãtum ne ab illo aberret timet?
Quid est quod tantũ delectat in ipso, cui sola pœ-
na est esse sine ipso? Quid esset unde amaretur, ni-
si formosus esset? Verũ quomodo illa sic amaret,
si ille illi sic appareret, quomodo cæcis persequen
tibus, & quid faciant nescientibus? Qualem ergo Psal. 44
illa amauit? Speciosum forma pre filijs hominum,
diffusa est gratia in labijs tuis. Ergo de ipsis labijs
tuis annũcia mihi quẽ dilexit anima mea. Annun-
cia, inqt mihi, ò quẽ dilexit non caro mea, sed ani-
ma mea. Annuncia mihi ubi pascis, ubi cubas in
meridie, ne forte fiam sicut operta super greges so
dalium tuorum. Obscurum uidetur. Obscurum

est, quia thalami sacri mysteriũ est: ipsa eũ dixit, Introduxit me rex in cubiculũ suum. Talis cubiculi A hoc secretum est. Sed uos qui ab isto cubiculo profani non estis, audite quod estis, & dicite cũ illa, si amatis cũ illa. Amatis aũt cũ illa, si estis in illa. Dici te omnes & tamẽ una dicat, quia unitas dicit, Annuncia mihi quem dilexit anima mea. Erant enim illis in deum una anima & cor unum. Annuncia mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie. Quid significat meridies? Magnũ feruorem, magnumq; splendorem. Ergo notũ fac mihi qui sint sapientes tui, Spiritu feruentes & doctrina fulgentes. Dexterã tuam notã fac mihi, & eruditos corde in sapientia. Ipsis inhæreã in corpore tuo, ipsis socier, cum ipsis te fruar. Dic mihi. Ergo annuncia mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne incurram in eos qui B alia de te dicunt. Aliud dicunt, aliud de te sentiũt: Alia de te credunt, alia de te prædicant. Et greges suos habent, & sodales tui sunt, quia de tua mensa uiuunt, & mensæ tuæ sacramenta pertractant. Sodales enim dicti sunt quòd simul edãt, quasi simul
Psal.54 edales. Tales exprobrãtur in Psalmo, Si enim inimicus super me magna locutus fuisset, abscondissem me utiq; ab eo, Et si hic qui oderat me super me magna locutus fuisset, absconderẽ me utique ab eo: tu uero unanimis meus, dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo dei ambulauimus cum consensu. Quare contra domum domini modo cum dissensu, nisi quia ex nobis exierunt, sed non erãt ex nobis? Ideo ò tu quem dilexit anima mea, ne in tales inci C dam sodales tuos, sed quales fuerunt sodales Sampson, non seruantes amico fidem, uolẽtes eius corrumpere uxorẽ. Ergo ne in tales incurram, ne fiam super eos, id est, incidam in eos, uelut operta, uelut latens & obscura, non uelut in mõte constituta. Annuncia ergo mihi ò quẽ dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie, qui sint sapientes & fideles in quibus maxime requiescis, ne forte sicut latens incurrã in greges nõ tuos, sed sodalium tuorum. Nam tu Petro non dixisti, Pasce oues tuas, sed pasce oues meas. Respondeat ergo amatæ huic pastor bonus, & speciosus forma præ filijs hominũ: respondeat ei quam formosam fecit ex filijs hominũ. Audite quid respondeat, intelligite, cauete quod terret, amate quod monet. Quid ergo respondit? Quã non blande, sed blandicijs seueritatem reddit. Corripit ut constringat, ut seruet. Nisi cognoueris temetipsam, inq̃t, ò pulchra inter mulieres: quantumlibet enim sint aliæ pulchræ donis uiri tui, hęreses sunt, ornatu non uisceribus pulchræ sunt, foris extrinsecus nitent, nomine iustitiæ se dealbant: omnis autem pulchritudo filiæ regis intrinsecus. Nisi ergo cognoueris temetipsam quia una es, quia per omnes gentes es, quia casta es, quia colloquio peruerso malorũ sodalium corrũpi nõ debes. Nisi cognoueris temetipsam, quia recte mihi desponsauit ille uirginẽ castam exhibere Christo, rectęq; mihi teipsam exhibeas, ne malis colloquijs, sicut serpens Euã seduxit astutia, sic & tui sensus corrũpantur à castitate mea. Nisi ergo talẽ cognoueris temetipsam, exi. Tu exi. Alijs enim dicturus sum, Intra in gaudiũ domini tui. Tibi non dicam, intra, sed exi, ut sis inter eos qui ex nobis exierũt, exi tu. Sed nisi cognoueris temetipsam, tunc exi. Si autem cognoueris temetipsam, intra. Si autem non cognoris, exi tu in uestigijs gregum, & pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorum. Exi in uestigijs non gregis, sed gregum: & pasce non sicut Petrus oues meas, sed hœdos tuos in tabernaculis non pastoris, sed pastorum: non unitatis, sed dissensionis. Non ibi posita ubi est unus grex & unus pastor. Confirmata est, ædificata est, amata fortior est facta, parata mori pro uiro, & uiuere cũ uiro. Hæc uerba quæ cõmemorauimus de sanctis Cãticis canticorũ, de sponsi & sponsæ epithalamio quodam: spiritales enim nuptiæ sunt, in quibus nobis magna castitate uiuendũ est, quia ecclesiæ concessit Christus in spiritu, quod mater eius habuit in corpore, ut & mater & uirgo sit. Hęc uero uerba Donatistæ accipiunt ad sensum suũ peruersum multo aliter. Et quemadmodũ, non tacebo, & quid eis respondeatis, adiuuante domino, quantum potero, breuiter admonebo. Cum eos urgere cœperimus luce unitatis ecclesiæ diffusæ toto orbe terrarũ, & poposcerimus ut ostendant ipsi de scripturis aliquod testimoniũ, ubi deus prædixit in Africa futuram ecclesiam, quasi perditis cæteris gentibus: hoc solent testimonium in ore habere & dicere, Africa in meridie est. Interrogans ergo, inquiunt ecclesia C dominũ ubi pascat, ubi cubet, respõdet ille in meridie: ut quasi uox interrogantis sit, Annuncia mihi quẽ dilexit anima mea, Vbi pascis? Vbi cubas? Can.1 Et uox quasi respondentis, in meridie, hoc est, in Africa. Si ergo quæ interrogat ecclesia est, & dominus ubi pascat, respõdet, in Africa, quia in Africa erat, ecclesia quę interrogat non erat in Africa. Annũcia, inquit, mihi quẽ dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas: & respondet ille cuidã ecclesiæ præter Africã, In meridie in Africa cubo, in Africa pasco, quasi te non pasco. Porrò si quæ interrogat, ecclesia est, q̃ nullus ambigit, quod nec ipsi contradicũt, & audiũt nescio quid de Africa, hæc ergo quæ interrogat præter Africam, & quia ecclesia est, est præter Africã ecclesia. Ecce accipio D in meridie esse Africã, quanquã magis in meridie sub sole medij diei Aegyptus quàm Africa. Illic autẽ in Aegypto quomodo pastor est iste, qui norunt agnoscunt: qui non norunt, requirant quàm magnũ illic gregẽ colligat, quantã numerositatẽ sanctorũ atq; sanctarũ habeat contemnentiũ penitus mundum. Grex ille tantum creuit, ut etiam inde superstitiones expulerit. Vt ergo omittã quomodo inde omnem idolorum superstitionẽ quæ illic ualida fuerat credendo fugauerit, accipio q̃d dicitis ò sodales mali, accipio prorsus, assentio Africam in meridie esse & Africam significatam in eo quod dictum est, Vbi pascis, ubi cubas in meridie. Sed & uos æquitatẽ attendite, adhuc ista uerba spõsę esse nondum sponsi. Adhuc sponsa dicit, Annũcia mihi quẽ dilexit anima mea, ubi pascis,

ubi cubas in meridie, ne forte sicut operta fiã. Surde, cæce, si in meridie uides Africã, quare in operta non intelligis fœminã? Annũcia mihi dicit quẽ dilexit anima mea. Vtiq; uirum alloquitur cũ dicit, Quẽ dilexit, quomodo si diceret, Annũcia mihi quã dilexit anima mea, intelligeremus spõsum hæc loqui ad sponsam, Sic cum audis, Annuncia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas, illuc adde: ad hæc huius uerba pertinent, & quæ sequũtur in meridie. Quero ubi pascas in meridie, ne forte fiã sicut operta super greges sodaliũ tuorũ. Audio prorsus, accipio de Africa quod intelligis, in meridie ipsa significata est. Sed ecclesia Christi sicut intelligis trãsmarina alloquitur sponsum suũ, timẽs errorẽ incidere africanũ. O quẽ dilexit anima mea, annũtia mihi, doce me. Audio e- B nim in meridie, id est, in Africa duas esse partes, imo multas cõcisiones. Annũtia ergo mihi ubi pascis, quæ oues ad te pertinẽt, quod ouile illic me iubes amare, cui me debeo sociare, ne forte fiã uelut operta. Illudunt enim quasi latenti, insultant quasi perditæ, quasi nusquã alibi existẽti. Ne ergo quasi operta quasi latens fiam super greges, id est, super cõgregationes hæreticorũ, sodaliũ tuorũ, Donatistarum, Maximinianistarũ, Rogatistarum, cęterarumq; pestiũ extra colligentiũ & ideo spargentiũ, rogo te, annuncia mihi, si illic pastorem meũ requiram, ut non in gurgitem rebaptizationis incurrã. Hortor uos, obsecro uos per sanctitatẽ talium nuptiarum, amate hanc ecclesiam, estote in tali ecclesia, estote talis ecclesia, amate pastorem bonum, ui C rum pulchrum, neminem fallentem, neminem perire cupientẽ. Orate et pro dispersis ouibus, ueniãt & ipsi, cognoscant & ipsi, ament & ipsi: ut fit unus grex, & unus pastor. Conuersi ad Dominum.

De eo quod scriptum est in euãgelio secundum Ioannem, Ego & pater unum sumus.

Sermo LI

A D OMINVS deus Christus Iesus filius dei unicus, natus de deo patre sine aliqua matre, & natus de uirgine matre, sine homi-
Ioan.10 ne patre, audistis quid dixerit, Ego & pater unũ sumus] Sic accipite, sic credite, ut mereamini intelligere. Fides enim debet præcedere intellectũ, ut sit intellectus fidei præmiũ. Propheta enim apertis-
Esa.7 sime dixit, Nisi enim crediderit is non intelligetis. D Quod ergo simpliciter prædicatur credẽdum est, quod subtiliter disputatur intelligendũ est. Primitus ergo ad imbuendas uestras mentes per fidem prædicamus uobis Christũ dei patris unicũ. Quare additur unicũ? Quia cuius est unicus, multos filios habet gratia. Cęteri ergo omnes sancti filij dei sunt gratia, solus ille natura. Qui gratia filij sunt, nõ sunt quod pater. Deniq; nullus sanctorũ ausus est dicere, quod ille unicus ait, Ego & pater unum sumus.] Nũquid non pater est & noster? Si nõ est pater noster, quomodo dicimus orantes, Pater noster qui es in cœlis? Sed nos filij sumus quos uolũtate sua filios fecit, non ex natura sua filios genuit. Genuit quidem et nos, sed quomodo dicitur adoptatos, ab adoptãte generatos beneficio non natura. Deniq; & hoc dicti sumus, quia uocauit nos A deus in adoptionẽ filiorum. Homines adoptati sumus. Ille dicitur unicus, unigenitus, quia hoc est quod pater, nos autẽ homines sumus, deus est pater. Quia ergo ille hoc est quod pater: dixit, & uerum dixit, Ego & pater unũ sumus. Quid est, unũ sumus? Vnius naturæ sumus. Quid est, unum sumus? Vnius substãtiæ sumus. Forte minus intelligitis. Quid est unius substãtiæ? Laboremus ut intelligatis, adiuuet deus, & me loquentẽ & uos audientes. Me ut ea dicam quæ uera sunt & apta sunt uobis: uos autem ante omnia & pręcipue ut credatis, deinde ut quomodo potestis intelligatis. Quid est ergo unius substantiæ? Similitudines uobis adhibeam, ut quod minus intelligiẽ, exẽplo clarescat. B Vtputa aurũ est deus, aurũ & filius eius. De terrenis si ad cœlestia non sunt dãdæ similitudines quõ scriptũ est, Petra erat Christus? Ergo quicquid est 1.Cor.10 pater, hoc est & filius, Sicut dixi, uerbi gratia, aurũ est pater, aurũ est filius. Nam qui dicit, nõ est ipsius substantiæ filius cuius pater, q̃d aliud dicit q̃, aurũ est pater, argentũ est filius. Si aurũ est pater, argentum est filius, degenerauit à patre unicus filius. Homo hominem generat. Cuius substantiæ est pater qui generat, ipsius substantiæ est filius qui generatur. Quid est ipsius substantiæ? Homo est ille, homo & ille. Animam habet ille, animam & ille. Carnem habet ille, carnem & ille. Quod est ille, hoc & ille. Sed respondet mihi & dicit hæresis Ariana. Quid mihi dicit? Attende quod dixisti. Quid dixi? Quia filius hominis comparandus est filio dei. C Plane comparandus, sed non ut putas ad propriẽtatem, sed ad similitudinem. Tu autem quid uis hinc facere? Dic. Non uides dicit, quia maior est pater qui genuit, & minor est filius qui generatus est. Quomodo ergo uos dicitis? Dicite mihi. Quomodo ergo uos dicitis quòd ęquales sunt pater & filius, deus & Christus, cum uideatis quia homo quando generat filium, minor est filius & maior est pater? Homo sapiens in æternitate tempora inquiris? ubi nõ sunt tempora, quæris ætates? Quando maior est pater minor est filius, ambo temporales sunt. Ille senescit, quia ille crescit. Nam per naturam homo pater, per naturam, ut dixi, non genuit minorem, sed per ætatem. Vis nosse, quia per D naturam non genuit minorem? Expecta, crescat, & patri erit æqualis. Puer enim paruus uel crescendo peruenit ad magnitudinem patris sui. Tu autem sic dicis minorem dei filium natum, ut nunquam crescat, & ad sui patris magnitudinem uel crescendo perueniat. Iam ergo filius hominis natus ex homine meliore cõditione natus est quàm filius dei. Quomodo? Quia ipse crescit, & peruenit ad magnitudinem patris sui. Christus autem, sicut dicitis, ideo minoratus est, ut remaneat minor, & non sit expectandus saltem ætatis accessu. Sic ergo dicis, Quæ est in natura diuersitas? Sed quare hoc dicis, nisi quia nõ uis eiusdẽ substantiæ credere filium, cuius substantiæ est pater? Postremo prius confitere ipsius esse substantiæ, & dic minorem. Attende hominem, homo est. Quæ est

substantia eius? Homo est. Quid ille quem generat? Minor est, sed homo est. Aetas dispar est, equalis natura est. Dic & tu, Quod est pater, hoc est filius, sed minor est filius. Dic, fac gradũ, dic eiusdem substantiæ, sed minorem, & peruenis ad equalem, Non enim parum accedis, nõ parum propinquas ueritati, quia confiteris æqualẽ, si eiusdem substantiæ confessus fueris & minorem. Si nõ est eiusdem substantiæ, hoc dicis, aurum est & argentum. Ergo quia hoc dicis, aurum est & argentũ, tale est quod dicis, quale si homo generaret equum. Alterius enim substantiæ est homo, alterius equus. Si ergo filius alterius substantiæ est quàm pater, mõstrum generauit pater. Quando enim creatura, id est, mulier parit quod non est homo, monstrum dicitur. Vt autem non sit monstrum, hoc est qui natus est, quod est ille qui genuit, id est, homo & homo, equus & equus, columba & columba, passer & passer. Creaturis suis dedit deus, creaturis mortalibus terrenis dedit, donauit ut hoc quod sunt generẽt: & putas quia hoc sibi non potuit ipse seruare qui est ante secula, qui non habet initium temporis, ut qui generaret filiũ non hoc q̃d ipse est generaret, sed degenerem? Audi & quanta blasphemia sit dicere, unicum dei filium, esse alterius substantiæ. Prorsus si ita est, degener est. Si dicas alicui filio hominis degener, quãta iniuria est? Et quomodo dicitur filius hominis degener? Vtputa pater ipsius fortis est, ille timidus & ignauus. Quicũq; illum uiderit, & uult corripere, attendens patrem ipsius uirum fortem, quid ei dicit, Porro uade degener. Quid est degener? Fortis uir fuit pater tuus, & tu timore contremiscis. Ille cui hoc dicitur, uitio degener est, natura par est. Quid est, natura par est. Homo est, quod est & pater ipsius. Sed ille fortis, ille ignauus: ille audax, ille timidus, tamen homo & homo. Vitio ergo degener est, non natura. Tu quando dicis unicum filium, unum patris filium degenerem esse, non aliud dicis, nisi quia non hoc est quod pater, & iam nõ natus degener factus est dicis, sed generatus est. Istam blasphemiã quis ferat? Qualibuscunq; oculis, si istam blasphemiam uidere possent, fugerent eam, & catholici fierent. Sed quid dicam fratres? Nõ eis irascamur, sed pro eis oremus, ut det dominus eis intellectum, quia forte hoc nati sunt. Quid est, hoc nati sunt? Hoc acceperunt à parentibus suis quod tenent. Preponunt genus ueritati, fiant quod nõ sunt, ut possint seruare quod sunt, hoc est, fiant catholici ut possint seruare quod homines sunt, ut non in illis pereat dei creatura, accedat dei gratia. Putant enim, quia patrẽ honorant per contumeliam filij. Quando illi dixeris, blasphemas: respondet, Quare blasphemo? Quia dicis filium nõ hoc esse quod pater est. Et ille mihi, Imo tu blasphemas. Quare? Quia æquare uis patri filium. Aequare uolo patri filium, nunquid extraneum? Gaudet pater, quando illi æquo filium unicum. Gaudet quia non inuidet. Et deus quia filio unico nõ inuidet, ideo quod ipse est hoc genauit. Tu & filio facis iniuriam, & ipsi patri, in cuius honorem uis contumeliam fare filio. Certe enim ideo dicis nõ esse eiusdem substantiæ filium, ne iniuriam facias patri ipsius. Ego tibi cito ostẽdo, quia iniuriã facias ambobus. Quomodo inquit? Si dicam filio alicuius, degener non hoc es quod pater, audit illud filius & irascitur, & dicit, Ergo degener natus sum? Audit illud pater, & plus irascitur. Iratus aũt quid dicit? Ergo ego filium degenerẽ generaui? Ergo si aliud sum, aliud generaui, monstrum generaui. Quid est quia cum uis uni deferre, per alterius iniuriam, ambobus facis iniuriam? Filium offendis, sed patrem nõ propitiabis. Cum de filij contumelia honoras patrem, & filiũ offendis & patrem. A quo fugis, ad quem confugis? Nunquid irascente tibi patre, fugis ad filium? Quid tibi dicit? Ad quem fugis, quem degenerẽ fecisti? Nũquid offenso filio curris ad patrẽ? Dicit & ipse tibi, Ad quẽ fugis, quẽ degenerẽ genuisse dixisti? Sufficiat uobis, hæc tenete, hoc memoriæ commendate, hoc in uestra fide cõscribite. Hoc autem ut intelligatis, ad deum patrem & filium, qui unum sunt, preces effundite.

A
B
C
D

De resuscitatione Lazari quatriduani, in euangelio secundum Ioannem.

Sermo LII.

LICET omnes uirtutes quas in terris dei filius maiestatẽ suam proditurus impleuit, mirari tantum homines ualeant, ut uerbis definire non possint, excedit tamen omne miraculum quod Christus circa Lazarum fecit, cui non ægro reddidit sanitatem, nec debilitatis languore uiribus medelam protinus uerbo restituit. Nõ denique reliquias animæ adhuc possidenti uitam rursus reddidit, sed iam monumentis recondito, iam legitimis temporũ spatijs ascripto inferis inquilino: ab ipsa sede pallẽte, destructa lege tartarea, mãcipium mortis redire iussit ad superos: & post concilia stridentium umbrarum, post profundas noctis æternæ caligines uitam ducere, in conuiuio discumbere, frui discumbentium colloquio, prandere & gaudere fecit: atq; ut miraculum diuinę uirtutis accresceret, dum conuiuis interrogantibus tristia loca pœnarũ, sedesq; alta nocte semper obscuras, Lazarus indicat diligenti narratione per ordinem, diu quæsiti longisq; temporibus ignorati, in uenerũt tãdem inferi proditorem. Nec leues iam præcesserant in multis curationibus diuersæ uirtutes. Neq; enim leuia sunt uel ludicra præter Lazarum quæ Christus impleuit: q̃ claudi redintegratis gressibus cucurrerũt, & accepto beneficio sanitatis domino gratias retulerũt: quòd manci utraq; manus ad cœlum cum laudibus leuauerunt, quòd resoluta sunt mutis claustra linguarum, & post horrificum uocis inarticulatæ mugitum, uinculo nodatæ linguę dirupto, ex ore diuiduo sensibilia uerba processerunt: quòd cæcus recepit lucem, quam uiolentus dolor nube crassi humoris obscurans ab orbium sede rapuerat, & noctem funeratæ frontis excutiẽs dum totum recipit uisum, resurrectionem cæcus meruit oculorum. Recepit hic quidem oculos, alter accepit, & quod natura non dederat, manus Christi formauit. Imposuit enim fronti puluerem sputo conspersum, & ad tactum sacræ manus operis disciplina festinans luciferas gemmas orbibus præparatis infixit, & quod natura non dederat, Christus artifex integrauit. Hæc omnia cunctis fuere miraculum dum fiebãt. Quis enim protinus saxeus mirari non cogatur, cum omnia damna membrorum non medicinę pigmẽtis, nec arte aliqua, nec remedijs, sed solo tantummodo uideret sermonis imperio restituta? Parua hæc tamen ad Christi potentiam uidebantur, nisi amicus Christi Lazarus moreretur. Quem ideo Christus uitæ naturę restituit, ut mutaret naturam, & uitæ ordinem uerteret: ut unus homo semel nasci & bis mori disceret, ut conditionem mortis noua resurrectionis lege turbaret, Inuadit igitur Lazarum pernicies inimica languoris, & fornace febris anhelo corpus exurẽs, miserandi hominis robur quotidie edax incendium absumebat. Iacebat uisceribus anhelis exæstuans, crebrisq; singultibus corpus excussum, migraturam de domo corporis animam promittebat. Non amici, non consilia, non fomenta, non artis magisterio remedia prouisa succurrũt. Omnia enim quę pro salute data fuerant, in contrarium uertebantur. Languor enim iste non aliquo remedio, sed sola morte fuerat finiendus, & mors ipsa per resuscitationem Christi uincenda. Aderant enim duæ sorores languenti, & casum dolentes iuuenis, ęgrotantis lectulo iugiter inhærebant. Fouebant uero iacentem talibus frequenter alloquijs. Patienter, inquiunt, sustine, fortiter dura, noli desperatione corruere. Dum enim languorem istum fortitudine toleras, cum sustines, cum foueris, uenit inter hæc Christus, ut credimus forsitan & sanaberis. Sed quid uos ò Maria & Martha pro germano tantus dolor exurit? Quid iugibus suspirijs optatis mori cum fratre? In contrarium potius uota pectoris immutate, precamini crementa languoris, augmenta febrium quærite, & ut in extrema uitæ lumina tempestas morbi sæuientis citius impingat optate. Frater enim uester Lazarus, cuius ingemiscitis tanto affectu languorem, nisi mortuus fuerit non recipiet sanitatem. Vrebat igitur ægrotum febris assidua, edax flamma penetrali uapore siccabat. Incumbit quęstionarius corporis dolor, totus homo sæuientium morborũ oneribus premitur, ut corporis uinculis anima resoluatur. Vicit tandem succum corporis ægritudo, & caminus febrium extremo diuortio de sede corporis animam compulit emigrare. Scindebant Maria & Martha germanæ uestes, laniabant iratis unguibus genas, spargebant euulsos crines, ululatibus astra pulsabant: & tamen incumbẽtes funeri amplexæq; corpus exanime inania figentes oscula, sæpius hoc dicebant. Poteras miser nec ægrotare nec mori, si nulla ratio fecisset Christum absentem. Inter omnes enim quibus sermone medico desiderata concessit, si te quoq; languentem contingeret aut uideret, nõ te frigidi corporis sopore oppressum, non spoliatum lumine uideremus. Imo illo præsente non tibi febris accederet, non inuaderet dolor, non ægritudo uastaret. Tanta est enim illius omnipotẽtia, ut etiam iam mortuus resurgeres si ueniret. Procedit interea funus, longoq; ordine tristibus obsequijs deco ratum, infertur sepulchris. Absconditur cauato saxo, luctuosisq; uocibus cõclamatur. Venit igitur ad Bethaniam Christus, claustra mortis diuina potentia destructurus. Occurrunt lachrymosæ sorores, funus hominis contestantes, dei auxilium requirebant. Erat enim insitus amori Lazari, erat sororum eius quędam delectatio apud dominum, de seruitijs amoris sui pignus intrinsecus deponẽtes, in uisceribus habere dominum uidebantur. Sed interrogat de lachrymis deus, et licet sciret qd contigerit, tamẽ ex illarum uoce optat audire. Lazarus, inquiunt, quem diligebas mortuus est. O inuidia, ó infidelis conuentio. Te adhuc posito in seculo, Lazarus amicus tuus moritur. Si amicus moritur, inimicus quid patiatur? Parum est si tibi non soli superi seruiunt, ecce tuum dilectum inferi rapuerunt. Lazarus, inquiũt, quem diligebas, moritur. Exclusit humanitatis consuetudinem, & uox illa mortalis dicit, Amicus dei plus debuit uiuere, sed moritur, Dominus noster Christus intendẽs in lachrymas mulierum, quę iugibus suspirijs optabant mori cum fratre, ad mausoleum Lazari unà cum discipulis suis uel prolixis turbis accelerat. Iam enim intra cauatum saxum quatuor dies habuit ut iacebat, iam fluescentium membrorum teterrimus fœtor prohibebat accessum, iam in cõcauis orbibus tabido situ marcescentes resederant oculi, iam deficiebat narium mollitudo, iam rictus oris dentibus nudatis horrebat, iam nudata cute, laxa temporibus cerebri sedes tegimine attenuato pallescens, capillis subinde rarescentibus apparebat, iam Maria & Martha sorores Lazari, quæ Christũ frequenter resuscitasse mortuos uiderant, fratrem suum posse resuscitari penitus non credebant. Ibi uere Christus probatus est deus, ibi tantum fecit, quantum ausa non est etiam ipsa fides optare. Et commotus spiritu dixit, Vbi posuistis eum?] Non tamen locum sepulti ignorare credi debuerat, sed fidem populi approbare uolebat. Venit igitur Christus ad monumẽtum in quo Lazarus dormiebat, & non tanquam mortuum, sed tanquam sanum, tanquam uiuum, tanquam audire paratum, de sepulchro protinus euocauit. Lazare, inquit, prodi foras.] Ideo dicit nomen, ne omnes mortui cogerentur exire. Clamat tamen ad monumentum, turbãt se inferi, expectant audientiam omnes mortui, quærebant sua nomina uocari, Ne, inquiunt, & nos dominus suscitabit? Vbicunq; Christus steterat, patebant inferi. Subito una uox intercepit cæteros, Lazare ueni foras. Non dilatio ulla retinet resurgentem, non tardant reditus animæ, non impediunt uincula sepulturæ. Inuolutus linteis nodisq; lineis irretitus, uoce Christi citius egreditur. Surgit, ambulat, currit. Et ne quid quisquam deesse diceret resurgenti, præsentibus cunctis agit gratias redemptori.

Non est ipsi.

A
B
C
D

A De eo quod dictum est in euangelio secundum Ioannem, Qui credit in me credit in eum qui me misit

Sermo LIII.

Ioan.12 HOC admonuit dominus cum euangelium legeretur, quoniã qui credit in eũ, credit in illũ qui misit eũ.] Missum esse ad nos saluatorẽ mundi fides uerissima tenet, quoniã Christum ipse prædicat Christus, hoc est corpus Christi toto orbe diffusum. In cœlis enim ille erat, & sæuienti in terra persecutori dicebat, Quid me persequeris? Vbi dominus sic expressit, & hic se esse in nobis. Sic totus crescit, quia quemadmodum ille in nobis est hic, sic & nos ibi in illo sumus. Hoc facit compago charitatis. Ipse qui caput nostrum, saluator est corporis sui. Prędicat ergo Christus Christum, prędicat corpus caput suum, & tuetur caput corpus suum, & ideo nos mundus odit, sicut ab ipso domino audiuimus. Nõ enim apostolis hoc dicebat paucis, quòd odisset eos mundus, & quia gaudere deberẽt cum eis detraherent homines & dicerent omnia mala aduersum eos, quia propter hæc merces eorum maior esset in cœlis: Nõ eis solis dixit dominus cum hæc dixit, sed dixit uniuerso corpori suo, dixit omnibus membris suis. Quicunque in corpore eius & membrum eius esse uoluerit, non miretur quia odit eum mundus. Corporis autem eius sacramentũ multi accipiunt, sed nõ omnes qui accipiunt sacramentum, habituri sunt apud eum etiam locum promissum membris eius. Penè quidem sacramentum omnes corpus eius dicunt, quia omnes in pascuis eius simul pascũt: sed uẽturus est qui diuidat, & alios ponat ad dexterã, alios ad sinistram, & utraq; pars dictura est, Domine domine, quando te uidimus & non ministrauimus tibi, uel quando te uidimus & ministrauimus tibi? Pars utraq; dictura est, uni tamen dicet, Veni-
Matth.25 te benedicti patris mei percipite regnum. Alteri, Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Non ergo solos inimicos nostros deputare debemus charissimi, quicunq; bona conscientia Christi membra sumus, non solos eos inimicos nostros putare debemus, qui aperte foris sunt. Multo enim peiores sunt qui intus uidentur, & foris sunt. Amant enim mundum, & ideo mali sunt. Et quidem de nobis ea sentiunt quæ ipsi diligunt, & in huius mundi quasi prosperitatibus quibus ingemiscimus, inuident nobis. Ibi nos felices putãt, ubi nos periclitamur. Felicitatẽ uero nostrã internã nec nouerunt, quia nõ gustauerunt. Quia uero quicquid nobis temporaliter mundus arridet, magis est periculum quàm ornamentum nostrum nesciunt, quia ista distinguere gaudia non nouerũt, Vnde hortamur charitatem uestram, maximè quia uos uidemus frequentius conuenisse, qui propositum altius habetis, id est, in ipso corpore Christi ex eius munere nõ meritis uestris excellentiorem locum tenetis, habentes cõscientiã quę à deo donata est. Nam & ipsa malis & inuidis nostris in suspicionem uenit. Ad hoc tamẽ mordetur, ut probetur. Si enim in ipsius cõscientiæ professio-

A ne laudes quærimus hominũ, deficimus reprehensionibus hominum. Cum sis castus seruus dei, ecce te mũdus suspicatur forsitan impudicũ, & mordet & reprehendit, & libenter in tuis detractionibus immoratur. Maleuolæ quippe animæ quasi dulciter sapit, quod pessime suspicatur. Tu autem si propter laudes humanas continentiam suscipere uoluisti, reprehẽsionibus humanis defecisti, & totum quod tibi proposueras perdidisti. Porrò autem si nosti dicere cum Apostolo, Gloria nostra 2.Cor.1
hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, non solum tibi reprehensionibus mercedem nõ minuit, sed & facit ampliorem: tu tamen pro illo ora, ne tua mercede moriatur. Nã & hinc probamus charissimi, quia si non haberemus inimicos, nõ essent
B pro quibus oraremus ex præcepto domini nostri Matth.5
dicentis, Diligite inimicos uestros, & orate pro his qui uos oderũt, Vnde probamus, unde cor nostrum interrogamus, utrum hoc facere ualeamus: si nullum inimicum, nullum reprehensorem, nullum detractorem, nullum maledicum experiremur? Videtis ergo, quia & mali necessarij sunt bonis. In fornace quodammodo aurificis sumus, hoc est in hoc mundo. Si aurũ nõ es, simul ardes. Si aurum es, palea tua est malus. Si & tu palea es, simul eritis fumus. Veruntamen primum ut noueritis charissimi, in corpore Christi excellentiora membra esse, non sola est enim coniugalis uita laudabilis, & habet in corpore Christi locum suũ: sicut & in nostro corpore non ea sola habent locum quæ
C excellentius locata sunt, sicut sensus in facie superiorem corporis partem occupauerunt: sed nisi pedes portarent, quiquid sublime est in terra iaceret. Vnde Apostolus dicit, Et quæ inhonesta sunt 1.Cor.12
nostra, magis necessaria sunt. Deus temperauit corpus, ut nõ essent scissuræ in corpore. Nouimus autem membra Christi quę coniugalem agunt uitam, si membra Christi sunt, id est, si fideles sunt, si futurum seculum sperant, si quare signum Christi portent, sicut nouimus quòd honorem deferant uobis, nouimus quòd meliores esse uos iudicant, quàm ipsi sint. Sed quantum uos illi honorant, tantum & uos mutuam honorificentiam eis præstare debetis. Si enim est in uobis sanctitas, timete ne perdatis eam. Vnde? Per superbiam. Aliter pe-
D rit sanctitas casti si adulter fuerit, aliter perit si superbus fiat. Et audeo dicere: coniugalem agentes uitam, si tenent humilitatem, superbis castis meliores sunt. Consideret enim charitas uestra quod dico. Diabolum attendite. Nũquid ei in iudicio dei obijciẽdum erit adulterium aut fornicatio? Nihil horum facit, qui non habet carnem. Sola eum superbia & inuidia mittit in ignem æternum. Seruo ergo dei cui surrepserit superbia, cõtinuo ibi est & inuidia. Non potest superbus esse non inuidus. Inuidia filia est superbiæ, sed ista mater nescit esse sterilis, ubi fuerit, cõtinuo parit. Vt autẽ nõ sit in uobis: hoc cogitate, persecutionis tempore nõ solam Agnen fuisse coronatã uirginẽ, sed & Crispinam mulierẽ, & forte quod nõ dubitatur, aliqui tũc de cõtinentibus defecerũt, & multę de coniugatis pu-

gnaue-

gnauerunt atq; uicerunt. Vnde nõ frustra dicit Apostolus omnibus membris Christi, Alter alterum
philip.2 existimantes superiorẽ sibi, & honore mutuo præuenientes. Hęc etenim si cogitetis non eritis apud uos magni. Magis enim cogitare debetis quid uobis desit, quàm quid uobis assit. Quod habes caue ne perdas, quod nondum habes, supplica ut habeas. In quantis sis minor, tibi cogitandum est, non in quantis sis maior. Si enim cogitas quantum præcessisti alterũ, time tumorem. Si uero cogitas quãtum tibi deest adhuc, ingemiscis, & cum ingemiscis curaris, humilis eris, tutior ambulabis, nõ pręcipitaberis, nõ inflaberis. Et utinã possint omnes de una charitate cogitare. Sola est enim quæ & uincit omnia, & sine qua nihil ualẽt omnia, & quę ubicunque fuerit trahit ad se omnia. Ipsa est quæ non æmulatur. Quæris causam? attende quod sequitur. Non inflatur. Prior est in uitijs superbia, ut dicere cœperam: deinde inuidia. Non enim inuidia peperit superbiam, sed superbia peperit inuidiam. Non enim inuidet, nisi amor excellentię. Amor excellentiæ, superbia uocatur. Cum ergo in ordine prior sit superbia, sequatur autem inuidia, Apostolus in laudib. charitatis noluit dicere prius, Non inflatur, & postea, nõ æmulatur, sed prius dixit, Non æmulatur, & postea, non inflatur. Quare hoc? Quia cum dixisset, Non æmulatur, quasi quæsiturus eras causam, Quare non æmulatur? Subdidit, Non inflatur. Ergo si ideo non æmulatur, quia nõ inflatur: si inflaretur ęmularetur. Hoc in uobis crescat, & anima solidatur, quia nõ infla-
1.Cor.8 tur. Scientia, ait Apostolus, inflat. Quid ergo? Scientiam fugere debetis, & electuri estis nihil scire potius quàm inflari? Vt quid uobis loquimur, si melior est ignorãtia quàm scientia? Vt quid uobis disputamus, ut quid ista distinguimus, ut quid quod nostis admonemus, quod non nostis inferimus? Sciẽtia cauẽda est ne inflet. Ergo amate sciẽtiam, sed anteponite charitatem. Sciẽtia si sola sit, inflat. Quia uero charitas ædificat & non permittit scientiam inflari, ibi ergo inflat scientia, ubi charitas non ædificat: ubi autem ædificat, solidata est. Non est ibi inflatio, ubi petra est fundamẽtũ. Quãdo aũt tentat inflatio, hoc est, elatio? utiq; qm̃ charitas deest. Nã propter hoc uitiũ etiã tantus ille A-
2.Cor.12 postolus, appositũ sibi esse dicebat stimulũ carnis angelũ satanæ, à quo colaphizaret. qui colaphizatur, tundit caput eius ne erigat: nã & ibi de sciẽtia metus erat inflationis, hoc est, elationis. Ait enim: in magnitudine reuelationum mearũ ne extollar: ibi metuenda erat elatio, ubi magnarũ rerũ erat reuelatio: in magnitudine reuelationũ mearum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanę qui me colaphizet. Propter quod ter dominũ rogaui ut auferret eum à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. Nam uirtus in infirmitate perficitur. Petit ęger ut quod ad salutem apponit medicus, cum uoluerit ægrotus auferatur. Medicus dicit, Non mordet, sed sanat. Tu dicis, Tolle quod mordet. Medicus dicit. Non tollo, quia sanat. Tu ad medicum, Quare uenisti? Sanare, an molestiã

non pati? Non ergo exaudiuit dominus Paulum
A ad uoluntatem, quia exaudiuit ad sanitatem. Nam non est magnum exaudiri à deo ad uoluntatem, non est magnum. Nec putetis magnum esse hoc, quando quisq; orat pro magno, si exauditur. Quære quid orat, quære in quo exaudiatur. Nam non habeatis pro magno exaudiri ad uoluntatem, habete pro magno exaudiri ad utilitatem. Ad uoluntatem etiam dæmones exauditi sunt, & ad porcos quos petiuerant, ire permissi sunt. Ad uoluntatem etiam princeps eorum exauditus est diabolus, à quo petitus Iob tentandus non est negatus, ut esset ille probatus, iste confusus. Ad uoluntatem etiam Israelitæ exauditi sunt, & cũ adhuc cibus esset in ore ipsorum, nostis quæ consecuta sunt. No-
B lite ergo pro magno habere ad uoluntatem exaudiri. Aliquãdo deus iratus dat quod petis, & deus propitius negat quod petis. Cum uero ea quę deus laudat, quæ deus præcipit, quæ deus in futuro seculo promittit ab illo petitis, securi petite, & incũbite quantum potestis orationibus ut sumatis. Illa enim propitio deo conceduntur, illa eius non ira sed misericordia largiuntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut si prosint, det: si scit obesse, nõ det. Quid autem obsit, quid prosit, medicus nouit non ægrotus. Sunt ergo continẽtes humiles, sunt superbi. Non sibi promittant superbi regnum dei. Excellentior locus est, quo ducit continentia, Sed qui se exaltat, humiliabitur. Quid quæris celsiorẽ
C locum appetitu celsitudinis, quẽ potes apprehendere retentione humilitatis? Si extollis te, deus deijcit te. Si tu deijcis te, deus eleuat te. Sentẽtia domini est, nec addi aliquid, nec detrahi potest. Vsq; eo autem continentes homines superbiunt, ut nõ solum quibuscunq; hominibus, sed etiam parentibus ingrati sint, & aduersus parentes extollantur. Quare? Quia illi genuerunt, isti nuptias contempserunt. Vnde ingrati essent qui nuptias contempsissent, nisi illi genuissent? Sed melior est filius patre coniugato, quia ipse nõ duxit uxorẽ. Et melior est filia matre sua maritata, quia ipsa non quæsiuit uirum. Si superbior, nullo modo melior: si melior, sine dubitatione ulla humilior. Si uis te inuenire meliorem, interroga animam tuã si uides ibi infla-
D tionẽ. Vbi inflatio, inanitas est. Diabolus ubi inane inuenerit, nidum facere molitur. Deniq; fratres mei audeo dicere, superbis continẽtibus expedit cadere ut in eoipso in quo se extollunt humilientur. Quid enim prodest cui inest continentia, si dominatur superbia? Contempsit unde natus est homo, & appetit unde cecidit diabolus. Nuptias cõtempsisti, bene fecisti. Aliquid melius elegisti, sed noli superbire. De nuptijs homo natus est, de superbia angeli ceciderunt. Si singula bona uestra considerem, melior es patre tuo qui nuptias contempsisti, & tu melior matre tua, quæ nuptias contempsisti. Etenim melior est uirginalis sanctitas, quàm pudicitia coniugalis. Ista duo simul si comparẽtur, melius est illud quàm illud, quis dubitat? Sed addẽdo alia duo, superbiam & humilitatem.

in istis duobus interrogo uos, & de his respōdete
mihi. Quid est melius, superbia an humilitas? Re- A
spondes, Humilitas. Iunge illam uirginali sanctita
ti. Superbia uero non solum non sit in uirginitate
tua, sed nō remaneat nec in matre tua. Si eñ tu te-
nueris superbiā, & tua mater humilitatē, melior e-
rit mater q̃ filia, iterū comparabo uos. Iamdudum
singula cum intēderem meliorem te inueneram,
modo bina cū intendo, nō dubito præferre humi
lem mulierē uirgini superbæ. Et quomodo pręfer
re? Videte quomodo præferrē illā, quomodo cō-
parabā. Bona pudicitia cōiugalis est, melior inte
gritas uirginalis. Duo bona comparabam, non
malum & bonū, sed & bonum melius distingue-
bam. Porrò aūt duo illa cum posuero, superbiā &
humilitatem, nunquid possumus dicere, bonum B
est superbia, sed melior est humilitas? Sed quid di
cimus? Superbia malum est, humilitas bonum: &
superbia magnum malum, humilitas magnū bo-
num. Si ergo horum duorum, unum est malum, &
alterum bonum, iungitur malum ad maius tuum
bonum, & fit totum malum. Iungitur bonū ad ma
tris tuæ minus bonum, & fit magnum bonum. Mi
norem enim locum habebit mater in regno cœlo
rum, quoniā maritata est, quàm filia quoniam uir-
go est. Maiorem enim locum filia uirgo, minorem
locum mater maritata: ambæ tamē ibi, quomodo
fulgida stella, obscura stella, ambæ tamen in cœlo:
Si uero mater tua fuerit humilis, tu superba, illa
habebit qualemcunq; locum, tu autem nullum lo
cum. Et quis inuenit alterum locum qui ibi nō ha C
buerit locum, nisi cum illo qui inde cecidit, stan-
temq; deiecit? Inde cecidit diabolus, stantemq; de
iecit hominē. Deiecit stantem, sed Christus descē
dēs erexit iacentē. Vnde te tamē erexit dominus
tuus. Attende, Humilitate erexit, factus obediens
usq; ad mortem, humiliauit semetipsum. Princeps
tuus humilis, & tu superbus? Caput humile, & mē
brum superbum? Absit. Non uult esse de corpore
capitis humilis, qui amat superbiam. Si autem nō
fuerit, uideat ubi erit. Ego nolo dicere, ne amplius
uidear terruisse. Imò utinam terruerim & aliquid
egerim. Vtinā qui sic fuerat, uel quæ sic fuerat, nō
sit ulterius. Vtinā uerba ista infuderim, & nō effu-
derim. Totum sperandū de misericordia dei: quia
qui terret, contristat: qui contristat, cōsolatur: sed D
si quis contristatus est, emendatur.

De eo quod scriptum est in euāgelio secun-
dum eundem, Ego sum uia, ueritas & uita.

Sermo LIIII

Ex hemilia 34. col. 50. decerptus uidetur. nam ibi duplo prolixior, aptéq; sibi cohærent omnia.

E ERIGVNT nos diuinæ lectiones ne despe
ratione frangamur: & rursus terrent, ne su
perbia uentilemur. Tenere autem uiam
mediam, ueram, rectam, tanquam inter sinistram
desperationis & dexteram præsumptionis, diffi-
cillimum nobis esset, nisi Christus diceret, Ego
Ioan. 14 sum, inquit, uia, ueritas & uita.] Tanquam dice-
ret, Quà uis ire? Ego sum uia. Quò uis ire? Ego
sum ueritas. Vbi uis permanere? Ego sum uita. Se
curi ergo ambulemus in uia, sed insidias timea-
mus iuxta uiam. Inimicus insidiari non audet in
uia, quia Christus est uia. Sed iuxta uiā planè non
desinit. Vnde in psalmo dicitur, Iuxta semitam
scandala posuerunt mihi. Dicit & alia scriptura,
Memento quia in medio laqueorum ingrederis. Psal. 140
Isti laquei per quos ingredimur, nō sunt in uia, sed
tamen sunt iuxta uiam. Quid formidas, quid me-
tuis, si in uia ambulas? Tunc time, si deseras uiam.
Nam ideo etiam permittit̃ inimicus ponere iuxta
uiam laqueos, ne securitate exultationis uia dese-
ratur, & in insidias incidatur. Via Christus est, hu-
milis Christus, ueritas Christus, & uita, excelsus
& deus. Si ambules in humili, peruenies ad excel
sum. Si infirmus humilem non asperneris, in ex-
celso fortissimus permanebis. Quę enim causa hu
militatis Christi, nisi infirmitas tua? Valde enim
& irremediabiliter te obsidebat infirmitas. Et hęc
res fecit, ut ueniret ad te tantus medicus. Si enim
uel sic ægrotares ut tu posses ire ad medicum, po-
terat tolerabilis uideri ipsa infirmitas. Sed quia tu
ire non potuisti ad eum, ille uenit ad te. Venit do-
cens humilitatem. Quare? Videamus. Quia super
bia nos redire nō sinebat ad uitam, & ipsa fecerat
nos à uita recedere. Exaltatum enim humanum
cor aduersus deū, & negligēs in ipsa sanitate præ-
cepta salutaria, decidit anima in infirmitatem. Di-
scat audire infirma, audire illum quem cōtempsit
incolumis. Audiat ut surgat, quem spreuit ut ca-
deret. Audiat tandem experimento edocta, quod
præcepto docta noluit obtinere. Docuit eñ eam
miseria sua quam fecit negligentem felicitas, heu
quid mali sit à domino fornicari de se præsumen-
do: ó quàm bonum sit semper adhærere domino;
semper humilia sentiendo. Recedere enim ab illo
simplici & singulari bono, in istas multitudinum
uoluptates & in amorē seculi corruptionesq; ter-
renas accedere, hoc est fornicari à domino. Hinc
clamatur, facies fornicaria facta est tibi, & impu- Hier. 9
dorata facta es tota. Videamus nūc obiurgationis
consilium. Non enim sic increpat ut insultet, sed
ad confusionē uult perducere pręsumptionem ut
sanet. Exclamauit scriptura uehementer, nec pal-
pauit adulando, quos uoluit raparare sanando. A-
dulteri, nescitis quia amicus huius mundi, inimi-
cus deo constituetur? Amor mundi adulterat ani-
mā, amor fabricatoris mūdi castigat animā. Sed ni
si de corruptione erubuerit, ad amplexus illos ca-
stos redire nō cōcupiscit. Cōfundat̃ ut redeat, quę
se iactabat ne rediret. Superbia ergo impediebat
animæ reditū. Qui autem increpat nō facit pecca-
tū, sed ostendit peccatum quod nolebat anima ui
dere. Ponitur ei ante oculos, & quod post dorsum
habere cupiebat, ad faciē illi admouetur. Vide te
in te, qui uides stipulam in oculo fratris tui, trabē
autem in oculo tuo nō uides. Reuocatur ad se ani
ma tua, quæ ibat à se. Sicut à se ierat, sic à domino
suo. Si enim respexerat sibiq; placuerat, suæq; po-
testatis amatrix facta fuerat, recessit ab illo & non
remāsit in se. Ideo & à se pellitur & à se excludit̃,
& in exteriora prolabitur. Amat mundum, amat
temporalia, amat terrena, quæ si seipsam amaret,
neglecto

neglecto à quo facta est, iam minus esset, iam defi
ceret amādo quod minus est. Minus est enim ipsa A
quàm deus, & longe minus, tantoq; minus, quan-
tum minus est res facta quàm factor. Ergo aman-
dus est deus ꝑ amore eius, ita ut si fieri potest nos
ipsos obliuiscamur. Quis ergo est iste trāsitus? Ob
lita est anima seipsam, amando mundum, nunc
obliuiscat̃ se, sed amādo artificem mūdi. Pulsa est
ergo à se quòd amando perdidit se, quia nec facta
sua nouit uidere. Iustificat iniquitates suas. Effer-
tur & superbit in petulantia, in luxuria, in honori-
bus, in potestatibus, in diuitijs, in potentia uanita
tis. Arguitur, corripitur, ostenditur sibi. Confite-
tur fœditatem, desiderat pulchritudinem, & quæ
ibat effusa, redit confusa. Contra illam uidetur o-
Psal. 82 rare qui dicit, Imple facies eorum ignominia. Im- B
ple, inquit, facies eorum ignominia, & quærant
nomen tuum domine. Oderat eos quorum facies
impleri ignominia cupiebat? Vide quemadmo-
dum amet eos, quos uult quærere nomē domini,
Amat tantum, an odit tantū? An & odit & amat?
Imò & odit & amat. Odit tua, amat te. Quid est
odit tua, amat te? Odit quod fecisti, amat quod
deus fecit. Quæ sunt enim tua nisi peccata? Et q̃d
es tu nisi quod fecit deus? Negligis quod factus
es, diligis q̃d fecisti, amas extra te opera tua, neg-
ligis in te opus dei. Merito is, merito laberis, me-
rito & à teipso pergis, merito audis, Spiritus am-
Psal. 77 bulās & non reuertens. Audi potius uocantē & di
Zach. 1 cētem, Conuertimini ad me, & conuertar ad uos.
Non enim deus auertitur & conuertitur, manens C
corripit, incōmutabilis corripit. Auersus est quia
tu te auertisti. Tu ab illo fecisti casum, non ipse à
te fecit occasum. Ergo audi dicentem tibi, Con-
uertimini ad me, & ego reuertar ad uos: hoc est
enim quòd conuertar ad uos, quia conuertimini
ad me. Fugientis dorsa persequitur, qui faciem re-
deuntis illuminat. Quo enim fugies à deo? Fu-
giens quò fugies? Fugies ab illo qui nullo loco
continetur, & nusquam absens est? Qui conuer-
sum liberat, punit auersum, Quem habes iudicem
fugiens, hunc patrem habeto rediens. Tumuerat
autē superbia, & in ipso tumore per angustum re-
Matt. 7 dire non poterat. Clamat ille qui factus est uia, In
trate per arctam portam. Conatur ingredi, impe-
dit tumor, & tāto magis perniciose conatur, quan D
to magis impedit tumor. Tumidum enim uexat
angustia. Vexatus autem amplius tumebit. Am-
plius tumens quando intrabit? Ergo detumescat
si cupit ingredi. Vnde autem detumescat? Acci-
piat humilitatis medicamētum, bibat cōtra tumo
rem poculum amarum, sed salubre poculum bi-
bat humilitatis. Quid se arctat? Non sinit moles,
non magna sed tumida. Magnitudo enim solidita
tem habet, tumor inflationem. Non sibi magnus
tumidus uideatur. Detumescat ut magnus sit, ut
certus & solidus. Non ista desideret, non de statu
pomparum rerum labentiū corruptibiliumq; glo
rietur. Audiat eum ipsum qui dixit, Intrate per an
gustam portam, dicentem, Ego sum uia. Quasi e-
nim quæreret tumidus qua intrabo, respondit, E-
go sum uia, per me intra. Nō nisi per me ambules
ut intres per ianuā. Nam sicut dixit, Ego sum uia,
ita ego sum ianua. Quid quæris quà redeas, quò
redeas, qua intres? Ne alicubi erres, ipse tibi omia
factus est. Breuiter ergo dicit, Humilis esto, mitis
esto. Audiamus hoc apertissime dicentem, ut ui-
deamus quà sit uia, quæ sit uia, quò sit uia, quò uis
uenire. Certe forte auaritia omnia uis possidere?
Omnia mihi tradita sunt à patre meo inquit. For- Matt. 11
tasse dicturus es, Christo sunt tradita, nunquid mi
hi? Audi Apostolum dicentem, audi ut dixi iam-
dudum, ne desperatione frangaris. Audi quomo-
do amatus es, non amandus. Audi quomodo ama
tus es fœdus, turpis, antequam esset in te quod a-
mari dignum esset. Amatus es prius, ut dignus fie
res qui amareris. Etenim Christus, sicut ait Apo- Rom. 5
stolus, pro impijs mortuus est. Ante forte impius
amari merebat̃? Quare? Quid merebat̃ impius?
Damnari, respondes. Christus tamen pro impijs
mortuus est. Ecce quid tibi pręstitū est impio, iam
pio quid seruat̃? Quid præstitum est impio? Chri
stus pro impijs mortuus est. Desiderabas autem
omnia possidere, noli per auariciam, per pietatem
hoc quęre. Si enim ita quæsieris, possidebis. Tene
bis enim eum per quem facta sunt omnia, & cum
ipso omnia possidebis.

De eo de quo supra, Ego sum uia, ueritas, & Ioan. 14
uita

Sermo LV

INTER cætera, cum sanctum euangelium A
legeretur, audistis. Ait dominus Iesus,
Ego sum uia, ueritas & uita.] Veritatē
& uitam omnis homo cupit, sed uiam non omnis
homo inuenit. Deum esse quandam uitam æter-
nam, immutabilem, intelligibilem, intelligentem,
sapientem, sapientes facientem, nonnulli etiā hu-
ius seculi philosophi uiderunt, ueritatem fixam,
stabilem, indeclinabilem, ubi sunt omnes ratiōes
rerum omnium creatarum. Viderunt quidem, sed
de longinquo uiderunt, sed in errore positi, & id-
circo ad eam tam magnam & ineffabilem & bea-
tificam possessionem, qua uia perueniret̃ non in-
uenerunt. Nam quia uiderūt, etiam ipsi quantum
uideri ab homine potest, creatorē per creaturam,
factorē per facturam, fabricatorē mundi per mun
dum: Paulus apostolus testis est, cui utiq; debent
credere Christiani. Ait enim cum de talib. loque- D
retur, Reuelatur ira dei de cœlo super omnem im Rom. 1
pietatem & iniustitiā hominū, q ueritatem in ini-
quitate detinent. Nunquid dixit eos nō detinere
ueritatem? Sed ueritatem in iniquitate detinent.
Bonum est quod tenent, sed malum ubi tenent.
Veritatē in iniquitate detinent. Occurrebat autē
ut diceret̃ ei. Vnde aūt illi impij ueritatē detinēt?
Nunquid deus ad quenquam eorum locutus est?
Nunquid legem acceperunt sicut Israelita popu-
lus per Moysen? Vnde ergo detinent ueritatem,
uel in ipsa iniquitate? Audite quod sequitur, & o-
stendit. Quia quod nouum est dei, inquit, manife
stū est in illis. Deus eñ illis manifestauit. Manife-
stauit illis quib. legem nō dedit? Audi quomodo
manifestauit. Inuisibilia eñ eius per ea quæ facta
sunt

sunt intellecta conspiciuntur. Interroga mundi
ornatum,cœli fulgorem,dispositionemq́ syderũ, A
solem diei sufficientem,lunam noctis solatium:in
terroga terram fructificantem herbis & lignis, a-
nimalibus plenam, hominibus exornatam:inter-
roga mare quantis & qualibus natalibus plenum,
interroga aera quantis uolatibus uiget, interroga
omnia & uide si non sensu suo tanq́ tibi respõdẽt,
Deus nos fecit. Hæc & philosophi nobiles quæ-
sierunt, & ex arte artificem cognouerunt. Quid
ergo? Quare reuelatᷣ ira dei super ipsam impieta-
tem? Quia ueritatem in iniquitate detinent. Ve-
niat,ostendat quomodo.Iam enim dixit, quomo-
do cognouerunt inuisibilia eius, id est, dei, & per
ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.Sempi
terna quoq́ eius uirtus & diuinitas,ut sint inexcu
sabiles,quia cum cognouissent deum nõ sicut de- B
um honorificauerunt aut gratias egerunt,sed eua
nuerunt in cogitationibus suis,& obscuratum est
insipiẽs cor eorum. Apostoli uerba sunt,nõ mea,
& obscuratum est cor eorum.Dicentes enim se es
se sapiẽtes,stulti facti sunt. Quod curiositate inue
nerunt,superbia perdiderunt. Dicentes se esse sa-
pientes,id est,donum dei sibi tribuentes, stulti fa-
cti sunt. Verba,inquam,Apostoli sunt. Dicẽtes se
esse sapientes,stulti facti sunt.Ostende, proba stul
titiam eorum. Ostende Apostole,& sicut ostendi
sti nobis,unde potuerunt peruenire ad cognitio-
nem dei,quoniam inuisibilia eius per ea quę facta
sunt intellecta cõspiciuntur:ita nũc ostende quo-
modo dicentes se esse sapiẽtes,stulti facti sunt.Au
di,quia immutauerunt, ait,gloriam incorruptibi- C
lis dei in similitudinem imaginis corruptibilis ho
minis & uolucrum & quadrupedum & serpen-
tium.Figuras enim istorum animalium , sibi deos
Pagani fecerunt.Inuenisti deum, & colis idolum.
Inuenisti ueritatem,& ipsam ueritatem in iustitia
detines. Et quod per dei opera cognouisti,per o-
pera hominis perdis. Totum considerasti, cœli,
terræ,maris,elementorum omnium ordinem col-
legisti, istud non uis attendere quòd mũdus opus
est dei? Idolum opus est fabri. Si faber idolo, sicut
dedit figuram,cor daret,ab ipso idolo faber adora
retur. Quomodo ẽm ò homo faber tuus deus est,
sic homo idoli faber est. Quis est deus tuus? Qui
te fecit. Quis est deus fabri? Qui illum fecit. Quis D
est deus idoli? Qui fecit illud. Ergo si idolũ cor ha
beret,nõ fabrũ adoraret q̃ illud fecit? Ecce in qua
iniquitate ueritatẽ tenuerũt, & ad possessionẽ illã
quã uiderũt uiam perducentẽ nõ inuenerũt. Chri-
stus autem quia ipse est apud patrem ueritas & ui
ta,uerbum dei de quo dictũ est, Vita erat lux ho-
minum,Quia ergo ipse est apud patrem ueritas &
uita,& non habebamus quà iremus ad ueritatem,
filius dei qui semper in patre ueritas & uita est, as-
sumendo hominem factus est uia.Ambula per ho
minem,& peruenis ad deum. Per ipsum uadis, ad
ipsum uadis. Noli quærere quà ad illũ peruenias
præter ipsum. Si enim uia ipse esse noluisset, sem-
per erraremus. Factus ergo uia est qua uenias, nõ
tibi dico quare uiam. Ipse uia ad te uenit, surge &
ambula.Ambula moribus,non pedibus. Multi e-
nim ambulãt bene pedibus,& male ambulãt mo-
ribus. Aliquando ẽm ipsi bene ambulantes, præ-
ter uiam currunt. Inuenies quippe homines bene
uiuentes, & non Christianos. Bene currũt,sed in
uia non currunt.Quanto plus currunt, plus errãt,
quia à uia recedunt.Si aũt tales homines perueni-
ant ad uiam,& teneant uiã, ò quanta securitas est,
quia & bene ambulant, & nõ errãt. Si aũt non te-
nent uiam,quantumuis bene ambulent,heu quã-
tum dolendum est. Melius est enim in uia claudi-
care,quàm præter uiam fortiter ambulare.Hæc sa
tis sint charitati uestræ.

De eo quod scriptum est in euangelio secundum Ioãnem, Quæ ego loquor uobis, à meipso non loquor.

Sermo LVI

A AVDITE auribus,accipite mentibus dile- A
ctissimi, loquentib.quidẽ nobis, sed ipso Fragmentũ est tractatu in Ioan.tra. 9. col.425. fusius.
docente qui non recedit à nobis. Domi-
nus dicit,quod modo cũ legeretur audistis, Ver
ba quæ loquor uobis,à meipso non loquor. Pater
autẽ in me manens, ipse facit opera.] Ergo & uer Ioan.14
ba opera sunt? Planè ita est. Nã profecto qui pro-
ximum loquendo ædificat, bonũ opus operatur.
Sed quid est à meipso nõ loquor, nisi à meipso nõ
sum qui loquor? Ei quippe tribuit quicquid facit,
de quo est ipse qui facit.Pater enim deus nõ est de
aliquo , filius autem deus patri ęqualis ,sed de pa-
tre deo:ideo ille deus,sed non de deo,& lumẽ, sed
non de lumine,iste uero deus de deo, lumen de lu
mine. Nam in his duabus sententijs, una qua di-
ctum est,Non à meipso loquor,alia qua dictũ est,
Pater aũt in me manens ipse facit opera, singulas
tenentes diuersi nobis aduersantur hæretici, qui
non ex una parte, sed in contraria conantes, à uia
ueritatis exorbitant. Ariani quippe dicunt, Ecce
inęqualis est patri filius,non à seipso loquitur.Di-
cunt Sabelliani contra, id est, Patripassiani, Ecce
qui pater est,ipse est & filius. Quid est enim pater
in me manẽs ipse facit opera, nisi in me maneo e-
go qui facio? Cõtraria dicitis,sed non eo modo si-
cut falsum est contrarium uero,sed sicut sunt inter
se duo falsa contraria. Errando in diuersa istis. In
medio est uia quam reliquistis,inter uosipsos lon-
giore interuallo separati estis,quàm ab ipsa uia cu
ius desertores estis. Vos hinc,uos autẽ illinc, huc
uenite:alteri ad alteros trãsire nolite,sed hinc atq́
illinc ad nos ueniendo inuicem uos inuenite. Sa-
belliani agnoscite quẽ prętermittitis,Ariani ęqua
te quem subditis,& in uia uera nobiscum ambula
tis. Est enim quod inuicem ex uobis alteri ex alte-
ris admoneri utriq́ debeatis. Audi Sabelliane, Vs
queadeo non ipse est pater q̃ filius, ut eũ Arianus
inæqualem asserat patri. Audi Ariane, Vsq́ adeo
est filius æqualis patri, ut Sabellianus eũdem esse
dicat & patrem. Tu adde quem tollis, tu adimple
quem minuis,& nobiscum ambo consistitis: quia
nec tu tollis , nec tu minuis eum, qui & alter est à
patre, ut conuincat Sabellianum, & æqualis pa-
tri,ut cõuincat Arianũ. Vtrisq́ enim clamat, Ego
& pater

& pater unum sumus. Quod ait, Vnum,audiant
Ariani. Quod ait, Sumus,audiant Sabelliani. Et A
nec illi æqualem,nec illi alterum,negando sint ua
Ioan.14 ni.Si ergo quãdo dixit,Verba quę ego loquor uo
bis,à meipso nõ loquor, propterea putatur esse in
patris potestate,ut nõ quod ipse uult faciat: audia
Ioan.5 tur quod dixit, Sicut pater suscitat mortuos & ui-
uificat,sic & filius quos uult uiuificat. Itẽ si quan-
do dixit,Pater in me manens ipse facit opera, pro
pterea putatur non alius esse pater, alius ipse : au-
diatur quod dixit,Quæcunq́ facit pater,hæc & fi
lius similiter facit,Et intelligatur nõ bis unus, sed
duo unum. Verum quia sic æqualis alter alteri, ut
tamen alter ex altero , ideo non loquitur à seipso,
quia nõ est à seipso. Ideo pater in me manens,ipse
facit opera,quia per quẽ,& in quo facit,nõ est nisi
ab ipso.Deniq́ adiũgit & dicit,Non creditis,quia
ego in patre, & pater in me est,Alioquin propter
ipsa opera credite. Ante solus Philippus argueba
tur , nunc autem nõ eum ibi solum fuisse qui esset
arguendus ostenditur.

De eo quod scriptum est in euangelio secũdum Ioannem, Pacẽ meam do uobis,pacẽ meam relinquo uobis.

Sermo LVII

A
Ioan. 14 DOMINI uox est fratres charissimi, Pa-
cem meam do uobis, pacem meam relin-
quo uobis.] De pace dicturi,prius quę pa
cis sint commoda uideamus.Est pax serenitas mẽ
tis,tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris
uinculum,consortium charitatis. Hæc est quæ si-
multates tollit,bella compescit, cõprimit iras, su-
perbos calcat, humiles amat, discordes sedat, ini-
micos concordat,cunctis est placita. Non quærit
alienum,nihil deputat suum,docet amare,quæ o-
disse non nouit. Nescit extolli,nescit inflari. Hanc
ergo qui accepit teneat, qui perdidit repetat, qui
amisit exquirat,quoniã qui in eadem nõ fuerit in-
uentus,abdicatur à patre, exhæredatᷣ à filio,nihil-
ominus & à sancto spiritu alienus efficitᷣ. Respu-
it enim munus oblatum, qui datæ legis cõtempse
rit bonum.Nec poterit ad hæreditatem dei perue
nire,qui testamẽtum noluerit obseruare. Non po
test concordiam habere cum Christo,qui discors
uoluerit esse cum Christiano. Contumaciæ ergo
crimen est,quod iubetur contemnere, quod præ-
cipitur nolle, quod imperatũ est declinare. Quid
tibi cõmune cum discordia Christiane? Quid si-
multates amas,quod autori pacis placere non po
tuit? Quid exerces inimicitias, quas euadere non
potuit,nec ille qui eas primus inuenit? Initio nãq́
inimicitias in protoplastum dum serpẽs exerit in
terficitur,dum homini inuidet , ipse prosternitur.
Dum Adam cupit decipere,ipse primitus iugula-
tur.Quare aut Christi charitatẽ amplectere Chri-
stiane, aut discordiæ autori de similitudine operũ
parem te esse cognosce.

De eo quod scriptum est in euangelio secũdum Ioannem,Non turbetur cor uestrum,neque formidet.

Sermo LVIII

A ACCEPIMVS fratres uerba domini dicẽ A
tis ad discipulos suos, Nõ turbetur cor Et huius prior pars æque est in tom.9. tractatu in Ioã.78
uestrũ,neq́ formidet. Audistis q̃a ego di
xi uobis,quia uado,& uenio ad uos,Si diligeretis
me,gauderetis utiq́,quia uado ad patrẽ,quia pa-
ter maior me est.] Hinc ergo turbare & formida-
re poterat cor illorum quod ibat ab eis, quãuis uẽ
turus ad eos,ne forsitan gregẽ lupus hoc interual
lo inuaderet,pastoris absentia. Sed à quib. homo
abscedebat,deus non relinquebat,quia idẽ Chri-
stus homo et deus.Ergo et ibat per id q̃d homo e-
rat,& manebat per id quod deus erat. Ibat per id
quod uno loco erat,& manebat per id quod ubiq́
erat.Cur itaq́ turbaretur & formidaret cor, quan
do sic deserebat oculos, ut nõ desereret cor? Quã
B uis deus etiã qui nullo cõtinetur loco, discedat ab
eorũ cordibus,qui eum relinquunt moribus,non
pedibus,& ueniat ad illos, q̃ conuertuntᷣ ad eum,
non facie,sed fide,& accedũt ad eũ mente,nõ car-
ne. Vt aũt intelligerent secundũ id quod homo e-
rat,eũ dixisse, Vado,& uenio ad uos, Adiecit atq́
ait, Si diligeretis me,gauderetis utiq́, q̃a uado ad
patrem,quia pater maior me est.Per quod ergo fi
lius non est ęqualis patri,per hoc erat iturus ad pa
trẽ,à quo & uẽturus est uiuos iudicaturus & mor
tuos.Per illud aũt,in quo æqualis est gignenti ge-
nitus,nunq́ recedet à patre,sed cũ illo est,ubique
totus,pari diuinitate, quam nullus cõtinet locus.
Cum ẽm in forma dei esset,sicut Apostolus loqui Philip.2
tur, nõ rapinã arbitratus est, esse se æqualem deo.
C Quomodo enim rapina possit esse natura,quę nõ
erat usurpata sed nata? Semetipsum autem exina-
niuit,formam serui accipiens.Non ergo amittens
illam,sed accipiens istam,eo modo se exinaniens
quo hic minor apparebat, q̃ apud patrem mane-
bat.Forma quippe serui accessit,non forma dei re
cessit.Hęc assumpta est,nõ illa cõsumpta.Propter
hanc dicit,Pater maior me est,propter illam uero, Ioan.10
Ego & pater unum sumus. Hoc attẽdat Arianus,
& hac attentione sit sanus, nec contentione rema
neat insanus.Hæc est enim forma serui, in qua dei
filius minor est,non patre solo,sed etiã spiritu san-
cto.Neq́ id tantũ,sed etiã seipso, quia ipse in for-
ma dei maior est seipso. Neq́ ẽm homo Christus
non dicitur filius dei,quod etiam sola caro eius in
D sepulchro meruit appellari.Nam quid aliud confi
temur,cum dicimus credere nos in unigenitũ filiũ
dei, qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepul-
tus? Et quid eius sepultũ est, nisi caro sine anima?
Ac per hoc cum credimus in dei filium qui sepul-
tus est,profecto filium dei dicimus & carnem quę
sola sepulta est.Ipse ergo Christus filius dei æqua-
lis patri in forma dei,quia semetipsum exinaniuit,
non formam dei amittens , sed formam serui acci-
piens,maior est & seipso,quia maior est forma dei
quæ amissa non est,q̃ serui quæ accepta est. Quid
itaq́ mirum,uel quid indignum, si secundum hãc
formam serui loquens ait idem ipse dei filius, E-
go & pater unum sumus? Vnum enim sunt secun
dum id quod deus erat uerbum,& minor est patre
secundum id quod deus uerbum caro factum est.
Dicam

Dicam etiam quod Ariani & Eunomiani negare
non possunt. Secundum hanc serui formam puer
Christus etiã parẽtib. suis minor erat, quando par
uus maiorib. sicut scriptũ est, subditus erat. Quid
igitur hęretice, cum Christus sit deus & homo, lo-
quitur ut homo, & calũniaris deo? Ille in se natu-
ram commẽdat humanã, tu in illo audes deforma
re diuinam? Aequalis em̃ patri filius, per quem fa-
ctus est homo. Quod nisi fieret, quid esset homo?
Dicat planè dominus & magister noster, Si dilige
retis me, gauderetis utiq;, quia uado ad patrẽ, quia
pater maior me est. Cum discipulis audiamus uer-
ba doctoris, non cum alienis sequamur astutiã de-
ceptoris, Agnoscamus geminã substantiã Christi,
diuinã scilicet, qua æqualis est patri, humanã, qua
maior est pater. Vtrunq; autẽ simul, nõ duo, sed u-
nus Christus, ne sit quaternitas, non trinitas deus.
Sicut enim unus est homo anima rationalis, & ca-
ro, sic est unus Christus deus & homo. Ac per hoc
Christus deus & anima rationalis & caro. Chri-
stum enim in his omnibus, Christũ in singulis cõ-
fitemur. Quis est ergo per quẽ factus est mundus?
Christus Iesus, sed in forma dei. Quis est sub Pon-
tio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma
serui. Item de singulis quibus homo constat. Quis
nõ est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in
anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in se-
pulchro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur
ergo & in his singulis Christus. Verum hæc om̃ia
non duo uel tres, sed unus Christus. Ideo dixit, Si
diligeretis me, gauderetis utiq;, quia uado ad pa-
trem. Quia naturæ humanæ gratulãdum est, eo ꝙ
sic assumpta est à uerbo unigenito, ut immortalis
cõstitueretur in cœlo, atq; ita fieret terra sublimis,
ut incorruptibilis puluis sederet ad dexteram pa-
tris. Nam profecto ad illum ibat, qui cum illo erat.
Sed hoc erat ire ad eum, & recedere à nobis, muta
re, atque immortale facere quod mortale suscepit
ex nobis, & leuare in cœlũ ꝑ quod fuit in terra pro
nobis. Quis non hinc gaudeat? quis nõ sic diligat
Christum, ut & suã naturam iam immortalem gra
tulet̃ in Christo, atq; se speret futurum esse immor
talem per Christum? Obijciunt nobis Ariani, crea
turam dei filium asserentes. Quid est quod Salo-

Hæc aliunde adiecta sunt

mon ad hoc ex persona Christi consentit & dicit,
Dominus creauit me, in principio uiarum suarum
in opera sua ante seculum fundauit me: initio pri-
usq; terrã faceret, priusquã prodirent fontes aqua-
rum, priusquam montes stabilirentur, ante omnes
colles genuit me? Aduersus quos ita responde-
mus. Multi quidem doctissimi uiri, hoc ex perso-
na illius sapiẽtiæ dictum asserũt, quam Salomõ ad
iudicandum regẽdumq; populum acceperat. Sed
qa uos animo pertinaci hoc à nobis ex Christi per
sona dictũ exigitis, nõ reluctamur, neq; renitimur,
sed ipsius ueritatis auxilio roborati, quocunq; du-
xeritis sequimur. Primo quia iam, ut superius dixi-
mus, licet unam personam in Christo credamus,
duas tamẽ substantias, id est, naturas esse fatemur,
diuinitatis scilicet & humanitatis, assumptricis &
assumptæ, creatricis & creatæ. Quæ tamẽ substan-
tiæ non sunt confusæ, sed unitæ, atq; in una eadẽq;
persona inseparabiles, & in sua semper proprieta-
te manẽtes. Quapropter unicuiq; substantiæ pro-
pria utiq; aptanda sunt, id est, infirmitates huma-
nitati quæ creata est, signa uero uel mirabilia diui-
nitati quæ creauit. In tantum em̃ hæ duę naturæ si
bimet unitæ sunt atq; coniunctæ, ut idem atq; idẽ
Christus deus & homo, aliquãdo res aut agat, aut
loquatur humanas, aliquando diuinas, Sicut illud
est quod dormit in naui, & imperat uẽtis & mari:
aut quod esurierit, & quòd quinq; milia hominũ
de quinq; panibus & duobus piscibus saturarit.
Postremo quòd moritur; & quod Lazarũ quatri-
duanũ autoritate diuina iubeat à mortuis reuoca-
ri. Ex quo mirari non debes, si Christus de huma-
nitate sua dixerit, Dominus creauit me initio uia-
rum suarum in opera sua: quia subsequens dictum
quid diuinitati cõueniebat, priori præmisso osten
dit, dicẽs, Ante seculum fundauit me initio prius-
quam terram faceret, & priusquam abyssos face-
ret, priusquam prodirẽt fontes aquarum, priusquã
montes stabilirentur, ante autem omnes colles ge
nuit me. Hoc est dicere, Licet creauerit me deus,
ut initia uiarũ atq; operũ eius per euangeliũ demõ
strarem, sed ante seculũ, id est, ante initium, anteq;
uel cœlũ uel terra, uel tẽpora fierẽt, genuit me, hoc
est, ut sine tẽpore, & sine initio separatim genitum
demonstraret. Nam ut totũ breuiter cõprehendã,
Christus filius dei deus & homo, secundum diuini
tatẽ ante tẽpora, sine initio inenarrabiliter à patre
genitus est, sicut Esaias dicit, Generationem eius
quis enarrabit? Nouissimo autẽ tempore secundũ
humanitatẽ creatus est. Adueniẽs em̃ diuinitas in
uterũ uirginis Mariæ, autoritate illa qua in paradi
so Adam de limo formauit, carnẽ sibi ex substãtia
ipsius Mariæ fabricauit, quã pro salute nostra susci
piens, & sibi coadunans natus est deus & homo.
Quam generationem Matthęus enarrat dicens,
Christi autẽ generatio sic erat & c. Item solent ad-
uersum nos huiusmodi uenenatum cõponere syl-
logysmũ dicẽtes, Si coæternũ patri creditis filiũ, di
cite quæsumus, dũ esset genitus est, an dũ nõ esset.
Si dũ esset, duo ergo ingẽiti ante fuerũt, & postmo
dũ unus aliũ generauit: aut si, ut ratio uera permit-
tit: dũ non esset, genitus est, erit utiq; patre posteri-
or. Ad quã rẽ nobis nõ aliud agẽdũ est, nisi ut tam
grandi hęreticorũ malitiæ, exẽplis apostolicis resi
stamus, quib. facile sapiẽtia secularis elidit̃. Dũ er-
go nobis memorata superius obiecerint, dicimus:
Nos sicut solũ patrẽ semper, & sine initio ingenitũ
nouimus, ita filiũ semper & sine initio ex patre ge-
nitũ cõfitemur. Nec alia aliqua causa est quę diui-
sionẽ faciat personarũ, nisi quod hic ingenitus est,
& ille genitus, id est, hic pater est, & ille filius: quia
pater semper pater est, nunquã filius, quia ut dixi-
mus, non est genitus, sed ipse genuit. Et filius sem-
per filius est, nunq; pater, quia nõ genuit, sed geni
tus est. Qua de re nõ alius quàm Apostolus ipse in
medio prouocãdus est, Qui præuidens Eunomij
& Arij maliciã, exemplis rerũ uisibiliũ, & inuisibi-
lem & inenarrabilem, & incõprehensibilem rem,

inquantum potuit, uel res ipsa permisit explanare
conatus est. Quid enim scribens ad Hebræos de
Heb.1 filio dicit? Qui est, inquit, splendor gloriæ, & figu
ra substantiæ eius. Videamus ergo quid causæ est,
quod filium splẽdorem nominauit, Splendorem,
nisi fallor, non dicimus nisi aut solis, aut lunæ, aut
cuiuslibet certi luminis. Quid ergo est? Nunquid
tam insanimus, ut Apostolum putemus inęstima
bilem illam diuinitatis speciẽ, soli aut igni assimi-
lasse? Absit. Sed ut exẽplo illo intelligamus, quia
sicut splendor ex substantia solis nascitur, ita & fi-
lium ex substãtia patris genitũ. Et sicut non est sol
aut ignis prior splẽdore suo, licet ex illo nascatur:
sic ex quo sol aut ignis processit, simul & cum eo
splendor eius apparuit, nec dici potest splendor so
le uel igne posterior, cũ tamen, ut dixi, ex ipso na-
scatur. Si ergo in creaturis aliquid inuenitur, quod
& nascat̃, & posterius nõ sit genitore suo, cur hoc
hęretice à creatore fieri posse desperas? Accipe e-
tiã huius rei aliã similitudinẽ, Sicut splendor est so
le natus, replet orbẽ terrarum, & tamẽ à genitore
suo nõ abscindit̃ aliquãdo nec recedit: ita filius ex
patre genitus ubiq; dũ sit, in patre semper perma-
net. Et sicut substãtialiter splẽdor in sole est, & sol
in splẽdore, ita substãtialiter pater in filio, & filius
in patre est. Et sicut soli & splendori una substan-
tia dũ sit, nõ tamẽ est una persona: quia nec solem
splendorẽ esse, nec splẽdorẽ dicimus solẽ, quia sci-
mus quod sol genuit splendorẽ, splendor uero na
tus ex sole est: ita & pater & filius cũ sint unius es-
sentiæ, nõ tamen sunt unius personæ, sicut iam su-
perius ad plenum memorauimus. Et sicut sol per
splendorẽ & calefacit, & illuminat, & siccat, & sol
uit, & cãdidat, & denigrat, & om̃ia quę ei à deo in
iuncta sunt operat̃: ita & patrẽ per unigenitũ filiũ
suũ omnia legimus fuisse operatũ. Creatũ inquiũt,
esse filiũ à patre, non genitũ. Ad q̃d breuiter respõ
dendũ est. Si creatus est, utiq; & seruus, quia omne
Philip.2 quod creatũ est, necesse est ut creatori deseruiat. Et
si seruus est filius, quõ in forma dei cõstitutus for-
mam serui accepit? Seruus em̃ serui formã accipe-
re nõ potest. Iidẽ dicunt, nõ natura esse dei filium,
sed creatũ. Aduersus huiusmodi quæstiones solito
respondendũ est. Quia si natura deus nõ est filius,
sed creatura, nec colendus est omnino, nec ut de-
Rom.1 us adorãdus, Dicẽte Apostolo, Et coluerũt & ser-
uierunt creaturæ potius ꝙ creatori, qui est benedi
Gal.4 ctus in secula. Et ad Galatas, Sed tunc ignorãtes
deum, his qui natura non sunt dij seruiebatis. Sed
illi ad hæc replicabunt & dicent, Quid quod car-
nem eius quã creaturã esse non negas, simul cum
diuinitate adoras, atq; ei nõ minus ꝙ diuinitati de
seruis? Ego dominicã carnẽ, imò perfectã in Chri-
sto humanitatẽ, propterea adoro, quod à diuinita
te suscepta, atq; deitati unita est, ut non aliũ atq; a-
liũ, sed unũ eundemq; deũ & hominẽ dei filiũ con
fitear. Deniq; si hominẽ separaueris à deo, ut Pho
tinus, uel Paulus Samosatenus, illi ego nunquam
credo nec seruio. Velut, Si quis nostrum aut pur-
puram, aut diadema regale iacens inueniat, nun-
quid ea conabitur adorare? Cum uero ea rex fue-
rit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul
cũ rege quis adorare contempserit, Ita etiã in Chri
sto domino humanitatẽ nõ solam aut nudam, sed
diuinitati suę unitã, unum dei filium deum uerum
& hominẽ uerum qui adorare contempserit, æter
næ mortis pœnam patietur.

De eo quod scriptũ est in euangelio secundum
Ioannem, Ego sum uitis, uos estis sarmenta, pater
meus agricola. Sermo LIX

Sermonis contextus titulo nõ respondet: agit potius de operarijs in uineæ culturã à domino conductis. Mat.21

DE sancto euangelio pręsenti tẽpori con
sonantem similitudinẽ audistis, qui ope
rantur in uinea. Est em̃ modo tẽpus uin
demiæ temporalis. Est autẽ & spiritalis uindemia
ubi deus gaudet ad fructũ uineæ suæ. Colimus em̃
deũ, & colit nos deus. Sed nos sic deum colimus,
ut nõ eum meliorẽ faciamus. Colimus enim eum
adorando, nõ arando, ille autem colit nos tanquã
agricola agrum. Quod ergo nos ille colit, melio-
res nos reddit, quia & agricola agrum colendo fa
cit meliorẽ, & ipsum fructũ in nobis quærit ut eũ
colamus. Cultura ipsius est in nos, quod non ces-
sat uerbo suo extirpare semina mala de cordib. no
stris, aperire cor nostrũ tanquam aratro sermonis,
plantare semina præceptorũ, expectare fructũ pie
tatis. Cum enim istam culturã sic acceperimus in
cor nostrum, ut eum bene colamus, non existimus
ingrati agricolæ nostro, sed fructũ reddimus quo
gaudeat. Et fructus noster non illũ ditiorem facit,
sed nos beatiores. Ecce audite quia sicut dixi, Co-
lit nos deus. Nam quia colimus nos deũ, nõ opus
est ut probetur uobis. Omnis enim homo hoc ha-
bet in ore, quia homines colunt deum. Quia uero
deus colit homines, quasi expauescit auditor qñ
audit: quia non est in usu hominum ut dicat̃, quia
deus colit homines, sed quia deum colunt homi-
nes. Debemus ergo probare uobis, quia & deus
colit homines, ne forte putemur uerbum indisci-
plinatum dixisse, & aliquis in corde suo disputet
contra nos, & nesciens quid dixerimus reprehen-
dat nos. Hoc ergo constitutum est demonstrare
uobis, quia & deus colit nos, sed iam dixi, sicut
agrum, ut meliores nos faciat. Dominus dicit in
euangelio. Ego sum uitis, uos estis sarmenta, *Ioan.15*
pater meus agricola.] Quid facit agricola? Inter-
rogate uos qui agricolæ estis, quid facit agricola.
Puto quia agrum colit. Si ergo pater deus agri-
cola est, habet agrum, & colit agrũ suum, & expe-
ctat inde fructum. Deniq; plantauit uineam, sicut
ipse dominus Iesus Christus dicit, Et locauit eam *Matth.21*
agricolis, qui redderent ei fructum temporibus
proprijs. Et misit ad eos seruos suos ut peterent
mercedem uineæ. Illi autem contumelijs eos affe-
cerunt, aliquos occiderunt, & fructum reddere
contempserunt. Misit alios, talia perpessi sunt. Et
dixit ille paterfamiliâs, cultor agri sui, & planta-
tor & locator uineæ suæ, Mittam unicum filium
meum, forte uel ipsum reuerebuntur. Et misit, in-
quit, etiam filium suum. Dixerunt illi apud semet-
ipsos. Hic est hæres, uenite occidamus eum, & no
stra erit hæreditas. Et occiderunt eum, & proie-
cerunt eum extra uineam. Cum uenerit domi-

nus uineæ, quid faciet illis malis colonis? Respon
sum est, Malos male perdet, & uineam locabit a- A
lijs agricolis qui reddent ei fructum in tẽpore suo.
Plantata est uinea, lege data in cordibus Iudæorũ.
Missi sunt prophetæ, quærentes fructum, bonam
uitam eorum. Prophetæ ab eis cõtumelijs affecti,
& occisi sunt. Missus est Christus unicus filius pa-
tris familias, & ipsum occiderunt hæredẽ, & ideo
perdiderunt hæreditatem. In contrarium eis uer-
tit malum consilium, Vt possiderent occiderunt,
& quia occiderunt perdiderunt. Et modo audistis
Matt.20 similitudinem ex euãgelio sancto, Quia simile est
regnum cœlorum patrisfamiliâs, qui exijt conducere operarios in uineam suam. Et exijt mane, & quos inuenit conduxit in uineam suam, & placuit cum eis mercedem denarium. Exijt & hora tertia, inuenit alios, & adduxit ad opus uineæ. Et sexta
B hoc fecit, & nona hoc fecit. Exijt etiam in hora un decima prope finẽ diei, inuenit quosdam uacuos & stantes, & ait illis, Quid hic facitis? Quare non operamini in uinea? Responderũt quia nemo nos conduxit. Venite, inquit, & uos, & quod iustum fuerit dabo uobis. Mercedẽ denarium placuit. Isti qui una hora erant operaturi, quomodo sibi aude rent sperare denarium? Sed tamen se aliquid acce pturos gratulabantur. Adducti sunt & ipsi ad unã horam. Finito die, iussit omnibus reddi mercedẽ, à nouissimis usque ad primos. Inde cœpit reddere ab eis qui hora undecima uenerant, iussit eis dare denariũ. Illi qui prima hora uenerãt uidentes illos accepisse denarium, quem cum ipsis placuerat, spe
C rauerunt se plus aliquid accepturos. Ventũ est ad ipsos, & acceperunt denarium. Murmurauerunt aduersum patremfamiliâs dicentes, Ecce nos qui sustinuimus ardorem diei, & æstum, æquasti, & pa res fecisti illis qui una hora operati sunt in uinea. Et ait paterfamilias, iustissimum responsum reddens uni eorum. Sodalis non tibi feci iniuriã, hoc est, te non fraudaui, quod placui reddidi tibi. Frau dem tibi non feci, quicquid pactus sum reddidi tibi. Huic non uolo reddere sed donare. Non licet mihi facere quod uolo de meo, an oculus tuus ne quam est, quia ego bonus sum? Si alicui tollerem alienum, recte reprehẽderer quasi fraudator & ne gator alieni. Cum uero debitum reddo, & cui uo lo etiam dono, nec cui debebam potest me repre hẽdere, & cui donaui debet amplius gaudere. Nõ erat quod responderetur, & ęquati sunt omnes, & facti sunt nouissimi primi, & primi nouissimi, quia tantundẽ acceperunt & primi & nouissimi. Quid est ergo quod à nouissimis cœpit reddere? Nõne omnes sicut legimus simul accepturi sunt? Legi
Matt.25 mus enim in alio loco euãgelij, quod dicturus est eis quos ponet ad dexteram, Venite benedicti pa tris mei, percipite regnum quod uobis paratũ est ab initio mundi. Si ergo oẽs simul accepturi sunt, quomodo hic intelligimus priores accepisse illos qui undecima sunt operati, & posteriores illos qui prima? Si potuero sic dicere, ut peruenìat ad intel lectum uestrum, deo gratias, Illi enim debetis gra tias agere, qui uobis per nos erogat. Non enim de nostro erogamus. Si interroges de duobus, uerbi gratia, quis prior acceperit, qui post unam horã ac cepit, an qui post duodecimam, omnis homo re spondet, quia prior accepit, qui post unam horam accepit, quàm qui post duodecim. Si ergo quamuis una hora acceperint omnes, tamen quia alij ac ceperunt post unã horã, alij acceperunt post duo decim horas, illi dicti sunt prius accepisse, qui post modicum tempus acceperũt: primi iusti, sicut A bel, sicut Noe, quasi prima hora uocati, felicitatẽ resurrectionis nobiscum accepturi sunt. Alij iusti post illos, Abraham, Isaac, Iacob, & quicũq; erant seculi ipsorum, quasi tertia hora uocati, felicitatẽ resurrectionis accepturi sunt nobiscum. Alij iusti, Moyses & Aaron, & quicunq; cũ illis tanq; hora sexta uocati, felicitatẽ resurrectionis nobiscũ acce
B pturi sunt, Post ipsos prophetæ sancti tanquã no na hora uocati, eandem felicitatẽ nobiscum acce pturi sunt. In fine seculi oẽs Christiani tanquã un decima hora uocati, felicitatẽ illius resurrectionis cum illis accepturi sunt. Omnes simul accepturi sunt, sed uidete illos primos post quãtum tempus accipiunt. Si ergo illi primi post multum tempus, nos post modicum tempus, quãuis simul accipia mus, priores uidemur accepisse, quia merces no stra non tardauit. Erimus ergo in illa mercede om nes æquales, tanquam primi nouissimi, & nouissi mi primi, quia denarius ille uita æterna est, & in ui ta æterna omnes æquales erunt. Quamuis eẽ me ritorum diuersitate fulgebũt, alius maius alius mi nus, quod tamẽ ad uitam æternã pertinet, æqualis
C erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri breuius, quod pariter sempiternum est, quod non habet finem, nec tibi habebit nec mihi. Alio mo do ibi erit castitas cõiugalis, alio modo ibi erit in tegritas uirginalis. Alio modo ibi erit fructus bo ni operis, alio modo corona passiõis. Illud alio mo do, aliud alio modo: tamen quantũ pertinet ad ui uere in æternũ, nec ille plus uiuit illo, nec ille plus illo. Pariter eẽ sine fine uiuũt, cũ in suis quisq; cla ritatibus uiuat, & ille denarius uita æterna est. Nõ murmuret ergo qui post multũ tẽpus accipit, con tra eũ qui post modicũ tẽpus accipit. Illi redditur, illi donatur, utrisq; tamẽ una res donatur. Est & in ista uita simile aliquid, & excepta illa solutiõe simi litudinis, huius qua intelligunt prima hora uocati
D Abel & ipsius seculi iusti, tertia Abrahã & ipsius seculi iusti, sexta Moyses & Aaron & ipsius seculi iusti, nona prophetæ & ipsius seculi iusti, undeci ma tanq; in fine seculi Christiani omnes: excepta solutiõe ista similitudinis, & in hac uita nostra po test aduerti hęc similitudo. Tanq; enim prima ho ra uocantur qui recentes ab utero matris incipiũt esse Christiani, quasi tertia pueri, quasi sexta iuue nes, quasi nona uergẽtes in seniũ, quasi undecima omnino decrepiti, Vnũ tamen uitæ æternę dena riũ omnes accepturi. Sed attendite & uos fratres mei, ne ideo quisq; differat uenire ad uineam, quia securus est, qm̃ quãdocunq; uenerit, ipsum dena riũ accepturus est. Securus est quidẽ q; ipse dena rius illi promittit, sed differre nõ iubet. Nunquid enim

enim & illi qui sunt ad uineam conducti, quando
ad illos exiebat paterfamiliâs, ut cõduceret quos A
inuenit hora tertia & conduxit, uerbi gratia, dixe
runt illi, expecta, nõ illuc imus nisi hora sexta, aut
quos inuenit hora sexta dixerunt, nõ imus nisi no
na, aut quos nona inuenit dixerunt, non imus nisi
undecima? Omnibus enim daturus est tãtundem,
quare nos amplius fatigamur? Quid ille daturus
sit, & quid facturus sit, penes ipsum consilium est.
Tu quando uocaris ueni. Merces enim cunctis æ-
qualis promittitur, sed de ipsa hora operandi ma-
gna quęstio est. Si enim illi, uerbi gratia qui uoca-
ti sunt hora sexta, in hac ætate corporis constituti,
ubi iuueniles anni feruẽt, sicut ipsa hora sexta fer-
uet: si dicerent illi iuuenes uocati, expecta audiui-
mus enim in euangelio, quia omnes unam merce
B dem accepturi sunt, cum senes fuerimus hora un-
decima ueniemus, tantundem accepturi quare la-
boraturi: responderetur eis & diceretur, Laborare
non uis, qui utrũ uiuas ad senectutem, nescis? Se-
xta hora uocaris, ueni. Paterfamiliâs tibi quidem
etiam undecima uenienti denarium promisit, sed
utrum uiuas usq; ad septimam nemo tibi promisit.
Non dico usq; ad undecimam sed usq; ad septimã.
Quare ergo differs uocantem te certus de merce-
de, incertus de die? Vide ne forte quod tibi ille da
turus est promittendo, tu tibi auferas differendo.
Si hoc recte dicitur de infantibus tanquam ad ho-
ram primam pertinentibus, si recte dicitur de pue
ris, tanquam ad horam tertiam pertinentibus, si re
cte de iuuenibus, tanquam in horæ sextæ flagrãtia
C constitutis, quãto magis recte dicitur decrepitis,
Ecce iam hora undecima est, & adhuc stas, uenire
piger es? An forte non exijt ad te uocãdum pater
familiâs? Si non exijt, quid est q̃d loquimur? Nem
pe nos serui de familia ipsius sumus, conducere
operarios missi sumus. Quid ergo stas? Finisti iam
annorum numerum, festina ad denarium. Hoc est
enim exire patremfamiliâs, innotescere: quoniam
qui in domo est, in abdito est, non uidet ab eis qui
foris sunt. Cum autẽ exijt de domo, uidetur ab eis
qui foris sunt. Christus qm̃ non intelligitur & non
agnoscit, in secreto est. Quãdo autem agnoscitur
exijt cõducere, ex occulto eẽ ꝓcessit ad notitiã,
notus est Christus, ubiq; prædicatur Christus, glo
riam Christi omnia quæcunq; sunt sub cœlo cla-
mant. Fuit irrisibilis quodammodo & reprehẽsibi
D lis inter Iudæos, uisus est humilis, contemptus est.
Occultabat enim maiestatem, promptã habebat
infirmitatem. Contemptum est in illo quod prom
1.Cor.2 ptum erat, nec cognitũ quod occultum erat. Si eẽ
cognouissent nunquã dn̄m gloriæ crucifixissent.
Nunquid adhuc cõtemnẽdus est sedens in cœlo,
si contemptus est cum penderet in ligno? Agita-
uerunt caput qui eum crucifixerunt, & ante crucẽ
eius stantes, & tanquam ad fructum suæ sæuitiæ
Matt.27 peruenientes, insultantes dicebant, Si filius dei
est descendat de cruce. Alios saluos fecit, seipsum
saluũ facere non potest. Descẽdat de cruce, & cre-
dimus in eũ. Non descendebat, quia latebat. Mul-
to enim facilius poterat de cruce descendere, qui
potuit de sepulchro resurgere. Ad nostrã informa
tionem demonstrabat patiẽtiam, differebat poten
tiam, & nõ est agnitus. Nõ enim tũc exierat cõdu
cere operarios, nõ exierat, non innotuerat. Tertio
die resurrexit, demõstrauit se discipulis, ascẽdit in
cœlum, & misit spiritumsanctum quinquagesimo
die, Post ascensionem missus spiritussanctus, im-
pleuit omnes qui fuerunt in uno cõclaui: centum
uiginti homines impleti illi spiritu sancto, cœpe-
runt loqui linguis omnium gentium, & expressa
est uocatio, exijt ille conducere. Cœpit enim ueri
tatis potẽtia omnibus innotescere. Nam tunc etiã
unus accepto spiritu sancto, etiã unus loquebatur
omnium gentium linguis. Modo autem in eccle-
sia ipsa unitas tanq; unus loquitur, omnium genti
um linguis. Ad quam linguam religio Christiana
non peruenit? Ad quos fines non pertendit? Iam Psal.18
non est qui se abscondat à calore eius. Adhuc fit
mora ab eo qui stat in undecima. Manifestum est
ergo fratres mei, omnino manifestum est, tenete,
certi estote, qm̃ deus noster Iesus Christus, quan-
do quisq; se conuerterit ad fidem ipsius, à uia sua
uel superflua uel nequissima, omnia illa præterita
dimittuntur & omnino, iamq; donatis debitis, fi-
unt cum illo tabulæ nouæ. Prorsus omnia dimittun
tur. Nemo sit solicitus quod aliquid ei non dimit-
tatur. Sed iterum nemo peruerse sit securus. Ista e-
nim duo occidunt animas, aut desperatio, aut per-
uersa spes. De his duobus malis pauca audite. Nã
sicut liberat bona spes & recta spes, ita decipit per
uersa spes. Prius attendite quemadmodum decipi
C at desperatio. Sunt homines qui cum cogitare cœ
perint mala quæ fecerunt, non sibi putant ignosci
posse, dant animam iam perire, desperatione pere
unt, dicentes in cogitationibus suis, Iam nulla no-
bis spes, neq; enim tanta illa quæ cõmisimus dona
ri nobis aut ignosci possunt, Quare ergo nõ satis-
facimus cupiditatibus nostris? Impleamus saltem
præsentis tẽporis uoluptatẽ, quia nullam in futu-
ro habemus mercedẽ. Faciamus quicq̃d libet, etsi
nõ licet, ut habeamus suauitatẽ uel tẽporalẽ, quia
percipere non meremur æternã. Talia dicẽtes de
sperãdo pereunt, siue anq; omnino credãt, siue
iam Christiani, & in aliqua peccata et scelera male
uiuendo prolapsi. Procedit ad eos dn̄s uineæ, &
tanq; desperantes & uacantes, tergum dantes, pul
sat & clamat in propheta Ezechiel: In quacunque Ezech.18
D die conuersus fuerit homo à uia sua pessima, om-
nes iniquitates eius obliuiscar. Hac uoce audita &
credita à desperatione recreantur, & ab illa altissi-
ma & profunda uoragine qua submersi fuerant e-
mergunt. Sed his timendum est ne in aliam uora-
ginem incurrant, & peruerse sperãdo moriantur,
qui desperando mori non potuerunt. Mutant
enim cogitationes longe quidẽ diuersas, sed tamẽ
perniciosas, & rursus incipiunt dicere in cordib.
suis, Si quacũq; die conuersus fuero à uia mea pes-
sima, deus misericors, sicut ueraciter per prophe-
tam promisit, omnes iniquitates meas obliuiscitur,
quare hodie conuertar & non cras? Quare hodie
& nõ cras? Erat hodiernus dies sicut hesternus, sit
in ne-

in nequissima uoluptate, sit in flagitiorũ gurgite, uolutetur in mortifera delectatione. Cras conuertar, & finis est. Respondet tibi, Cuius rei finis? Dicis, Iniquitatũ mearũ. Bene, gaude, quia crastino iniquitatũ tuarũ erit finis. Quid si ante crastinum tuum erit finis? Ergo bene quidẽ gaudes, quia propter iniqtates tuas conuerso tibi indulgentiã deus promisit, sed crastinũ diẽ tibi nemo promisit. Aut si forte promisit mathematicus, longe aliud est. Quàm ò deus multi mathematici fefellerũt, quia sibi plerunq; lucra promiserunt, & damna inuenerunt. Ergo etiam propter istos male sperãtes, procedit paterfamiliãs. Quemadmodũ processit ad illos qui male desperauerunt, et perierunt desperando, & reuocauit eos in spem, Sic procedit etiã ad istos qui male sperãdo uolũt perire, & dicit eis per
Eccl.5 aliũ librũ, Ne tardes cõuerti ad dñm. Quõ illis di-
Ezech.18 xerat, In quacũq; die iniquus cõuersus fuerit à uia sua mala, oẽs iniqtates eius obliuiscar, & tulit eis desperationẽ qua iam dederãt animas suas perditioni, omnimodo indulgentiã desperãtes: sic procedit etiam ad istos qui sperando & differẽdo uolunt perire, & loquitur ad eos & increpat eos, Ne tardes conuerti ad dñm, neq; differas de die in diem. Subito em̃ ueniet ira eius, & in tẽpore uindictæ disperdet te. Ergo noli differre, noli q̃d patet cõtra te claudere. Ecce indulgẽtiæ dator aperit tibi ostiũ. Quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti. Nõ pulsasti & aperit, & foris remanes? Ne ergo differas. De misericordiæ o-
Prou.3 peribus quodã loco scriptura dicit, Ne dixeris uade & reuertere, cras ego dabo, cũ possis continuo bene facere. Nõ em̃ scis quid cõtingat sequẽti die. Audisti præceptũ nõ differẽdi, ut in aliũ sis misericors, & differẽdo in te es crudelis? Non debes differre panẽ daturus, & differs indulgentiam accepturus? Si miserando alterũ nõ differs, miserere & animæ tuæ placẽs deo. Exhibe animę tuæ eleemosynã. Non dicimus ut tu ei des, sed ne repellas manũ dantis. Sed aliquãdo homines inde sibi plurimũ nocẽt, cũ alios offendere timent. Multũ ualent boni amici ad bonũ, & mali amici ad malum. Ideo dñs pro salute nostra potentiũ amicitias cõtemnẽs, noluit prius eligere senatores, sed piscatores. Magna artificis misericordia. Sciebat em̃ quia si eligeret senatorẽ, diceret senator, Dignitas mea electa est. Si eligeret diuitẽ, diceret diues, Opulentia mea electa est. Si prius eligeret imperatorẽ, diceret imperator, Potestas mea electa est. Si prius eligeret oratorẽ, diceret orator, Elo quẽtia mea electa est. Si eligeret philosophũ, diceret philosophus, Sapiẽtia mea electa est, Interim, inquit, differantur superbi isti, multum tumẽt. Distat aũt inter magnitudinẽ & tumorẽ, Vtrunq; grande est, sed non utrũq; sanũ est. Differant̃ ergo, inquit, isti superbi, aliqua soliditate sanãdi sunt. Da mihi, inqt, prius istum piscatorẽ. Veni tu pauper sequere me, nihil habes, nihil nosti, sequere me. Idiota pauper, sequere me. Non est quod in te expauescatur, sed multum est quod in te impleatur. Tam largo fonti uas inane admouendum est. Dimisit retia piscator, accepit gratiam piscator, & factus est diuinus orator, Ecce quid fecit dñs, de quo dicit Apostolus, Infirma mundi elegit deus, ut cõfundat fortia, & ignobilia mũdi elegit deus, & ea quæ non sunt
1 Cor.1 tanq; quæ sunt, ut ea quæ sunt euacuent̃. Denique leguntur modo uerba piscatorũ, & colla subduntur oratorũ. Tollantur de medio inanes uenti, tollatur de medio fumus qui crescẽdo euanescat, prsus pro salute ista cõtemnantur. Si quisq; in ciuitate aliquo periculoso morbo corporis ægrotaret, & esset in ciuitate peritissimus medicus amicus ęgrotantis, potentibus inimicus, qui dicerent amico suo: noli eum adhibere, nihil nouit: dicerẽt autem, non iudicante animo, sed inuidente, nõne ille pro salute sua remoueret amicorũ potentiũ fabulas, & ut paucis diebus plus uiueret, cum illorũ qualibet offensione, pellendo sui corporis morbo medicũ illũ quem peritissimũ cõmendauerat adhiberet? Ægrotat humanũ genus, nõ morbis corporis, sed peccatis. Iacet toto orbe terrarũ ab Oriente usq; ad Occidentẽ grandis ægrotus. Ad sanandum grandẽ ægrotũ descẽdit omnipotens medicus. Humiliauit se usq; ad mortalẽ carnẽ, tanq; usq; ad lectum ægrotantis. Dat salutis præcepta, contemnitur, qui audiunt liberãtur, Contemnit̃, cum dicunt amici potentes, nihil nouit. Si nihil nosset, potentia eius gentes non impleret. Si nihil esset, non esset anteq; apud nos esset, prophetas ante se non mitteret. Nonne modo implentur quæ ante prædicta sunt? Nonne probat medicus iste artis suę potentiã promissa cõplendo? Nonne per totũ mundũ perniciosi euertunt̃ errores, & tritura mũdi domant̃ cupiditates? Nemo dicat, Antea melior erat mundus q̃ modo. Ex quo cœpit iste medicus artem suam exercere, multa hic uidemus horrenda. Noli mirari. Anteq; aliquis curaretur, munda à sanguine statio medici uidebatur: imò iam tum hoc uidẽs ex cute uanas delicias, uenit ad me dicum, sanitatis tempus est, non uoluptatis. Curemus ergo fratres. Si nec medicũ agnoscimus, non in eum tanq; phrenetici sæuiamus, nõ ab eo tanq; lethargici auertamur. Multi em̃ sæuiendo, multi dormiendo perierunt. Phrenetici sunt qui nõ dormiendo insaniunt. Lethargici sunt qui multũ dormiendo premuntur. Prorsus tales sunt homines. Cõtra istum medicum alij sæuire in eum uolunt, & quoniam ipse iam in cœlo sedet, membra eius in terra persequũtur. Curat & tales. Multi ex eis conuersi ex inimicis facti sunt amici, ex persecutoribus facti sunt prædicatores. Tales etiam ipsos Iudæos, in seipsum cũ hic esset sæuientes, tanq; phreneticos sanauit, pro quibus in ligno pendens orauit. Dixit enim, Pater ignosce illis, quia nesciunt Luca 23
quid faciunt. Multi tamen eorũ, sedato furore, tanquam phrenesi oppressa cognouerunt deum, cognouerunt Christũ. Post ascensionẽ misso spiritu sancto, conuersi sunt ad eum quem crucifixerunt, & in sacramento credentes sanguinem eius biberunt, quem sæuiendo fuderunt, Habemus exempla. Persequebatur mẽbra eius iam sedentis in cœlo Saulus, persequebat̃ grauiter in phrenesi mẽte

perdita

perdita, morbo nimio. At ille una uoce de cœlo
Act.9 clamans ei, Saule Saule quid me persequeris? per cussit phreneticum, erexit sanum: occidit persecutorem, uiuificauit prędicatorem. Etiam lethargici multi sanantur. Ipsis enim similes sunt qui non sæuiunt in Christũ, nec malitiosi sunt aduersus Christianos, sed tantum differendo languescũt uerbis somnolẽtis, in lucẽ oculos extẽdere pigrescũt, & qui eos excitare uolũt molesti sunt. Recede à me, inquit languidus lethargicus, obsecro te, recede à me. Quare? Dormire uolo. Sed ille, Morieris inde. Ille amore somni, mori uolo, respõdet. Et charitas desuper, Nolo. Plerũq; istum charitatis affectum exhibet etiam filius seni patri morituro post paucos dies, iã utiq; ætate finita, si lethargicũ uidet, & lethargico morbo premi suum patrẽ à medico agnoscit, dicente sibi, Excita patrem tuũ, noli eum permittere dormire, si uis ut uiuat: adest puer seni, pulsat, uellicat, pungit, pietate molestus est: nec mori cito permittit cito moriturum, et si uiderit ut aliquando plures dies uiuat cum decesserit successurus. Quãto maiore charitate nos amicis nostris molesti esse debemus, cum quibus non paucos in hoc mundo dies, sed apud deum in æternum uiuamus? Ament ergo nos, & faciãt quod audiunt per nos, & colant quem colimus & nos, ut recipiant quem speramus & nos.]

Ioan.16 De eo quod scriptum est in euangelio secundũ Ioannem, Ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Sermo LX

A EDICINA animæ omniũ uulnerum, M & una propitiatio pro delictis hominum est, credere in Christũ, Nec omnino quisquã mũdari potest, siue ab originali peccato q̃d ex Adam traxit, in quo oẽs peccauerũt, & filij iræ naturaliter facti sunt: siue à peccatis quæ ipsi non resistendo carnali cõcupiscentiæ, sed eam sequendo, eiq; seruiẽdo in flagitijs & facinorib. addiderunt: nisi per fidem coadunent̃ & cõpaginent̃ corpori eius, qui sine ulla illecebra carnali & mortifera delectatione conceptus est, Nec eum in delictis mater in utero aluit, & peccatũ nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. In eum quippe credentes filij dei fiunt, quia ex deo nascunt̃ per adoptionis gratiam, quæ est in fide Iesu Christi domini nostri. Quapropter charissimi merito idem dominus & saluator noster hoc unum peccatum dicit, de quo arguit mundũ spiritus sanctus, quia nõ
Ioan.16 credit in eum. Ego, inquit, ueritatem dico, expedit uobis ut ego uadã. Si em̃ ego nõ abiero, paracletus non ueniet ad uos. Si aũt abiero, mittã eum ad uos. Et cum uenerit, ille arguet mũdũ de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia in me non credunt. De iustitia, quia ad patrem uado, & iam nõ uidebitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iudicatus est.]

De hoc ergo uno peccato uoluit mundum argui, quod non credunt in eum: uidelicet quia in eũ credendo cuncta peccata soluuntur, hoc unum imputari uoluit, quo cætera colligunt̃. Et quia credendo
Ioan.1 nascuntur ex deo, & filij dei fiunt, Dedit enim, inquit, illis potestatem filios dei fieri, credentibus in eum, Qui ergo credit in filium dei, inquantum adhæret illi, & fit etiã ipse per adoptionem filius & heres dei, coheres aũt Christi, intantum nõ peccat. Vnde dicit Ioãnes, Qui natus est ex deo non peccat. Et ideo peccatũ unde mundus arguit̃ hoc est, quod non credunt in eum: hoc est peccatũ de quo identidem dicit, Si nõ uenirem, peccatũ non Ioan.15
haberent. Nunquid enim alia innumerabilia peccata non habebant? Sed aduentu eius hoc unum peccatum accessit nõ credentibus, quo cætera tenerentur. In credentibus aut quia hoc unum defuit, factum est ut cuncta dimitterẽtur credentibus. Nec ob aliud apostolus Paulus, Oẽs inquit, pec Rom.3
cauerunt, & egent gloria dei, ut qui crediderit in eum non confundatur, sicut & psalmus dicit, Ac- Psal.33
cedite ad eum, & illuminamini, et uultus uestri nõ confundentur. Qui ergo in se gloriatur, confunditur. Non enim sine peccatis inuenient̃. Ille itaq; tantũmodo non confunditur, qui in dño gloriatur. Omnes em̃ peccauerunt, & egent gloria dei. Itaq; Apostolus cum de Iudæorũ infidelitate loquerẽt̃ non ait, Etenim si quidam illorũ peccauerũt, nunquid peccatũ illorũ fidẽ dei euacuauit? Quõ enim diceret, Si quidam illorum peccauerunt, cum ipse dixerit, Omnes enim peccauerunt. Sed ait, Si quidam illorum non crediderunt, nunquid incredulitas eorum fidem dei euacuauit? Vt hoc peccatum expressius demõstraret, quo uno clauditur aduersus cætera, ne per dei gratiã relaxent̃, De quo uno peccato per aduentum spiritus sancti, hoc est, per donum ipsius gratiæ quod fidelibus datur, mũdus arguitur, dicente dño, De peccato quidẽ, quia nõ credunt in me, Nõ aũt esset meritũ grande credentium & beatitudo gloriosa, si semper dñs in resuscitato corpore humanis oculis appareret. Spiritus ergo sanctus hoc magnum munus attulit creditoris, ut eum quẽ carnalibus oculis nõ uiderẽt, à carnalibus cupiditatibus mente sobria, & spiritalib. desiderijs ebria suspirarẽt. Vnde & ille discipulus qui se dixerat nõ crediturũ, nisi cicatrices eius manu tetigisset, cũ cõtrectato corpore dñi quasi euigilãs exclamasset, Dñs meus & deus meus, Ait illi
Ioan.20 dominus, Quia uidisti, credidisti, beati qui non uident & credunt. Hanc beatitudinem spiritus sanctus paracletus attulit, ut ab oculis carnis serui for
D ma remota, quam de uirginis utero accepit, in ipsam dei formam, in qua patri æqualis, etiam cum in carne apparere dignatus est, permansit, purgata mẽtis acies tenderetur: ut eodẽ spiritu repletus Apostolus diceret, Etsi noueramus Christum se- 2 Cor.5
cundum carnẽ, sed iam non nouimus: quia & carnẽ Christi non secundũ carnẽ, sed secundũ spiritũ nouit, in uirtutẽ resurrectionis eius, non palpãdo curiosus, sed credẽdo certus agnoscit. Non dicẽs in corde suo, quis ascendit in cœlũ, hoc est Christũ deducere: aut quis descendit in abyssum, hoc est Christũ à mortuis reducere: sed prope est, inquit, uerbũ in ore tuo, quia dominus est Iesus, & si crediderís in corde tuo, quia deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde em̃ creditur ad iustitiã,

ore aũt cõfessio fit ad saluẽ. Hæc fratres Apostoli uerba, sunt ipsius sancti spiritus, sancta ebrietate A
eructantis. Cũ ergo hanc beatitudinẽ qua non uidemus & credimus, nullo modo haberemus, nisi
eam à spiritu sancto acciperemus, merito dictum
Ioan.16 est, Expedit uobis ut ego uadam. Si em̃ non abiero, paracletus non ueniet ad uos. Si autem abiero, mittam illum ad uos. Semper quidem diuinita
te nobiscũ est. Sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter uideremus, & nunquam spiritaliter crederemus: qua fide iustificati & beatificati, id ipsum uerbum deũ apud deum, per quod facta sunt omnia, & quod caro factũ est, ut habitaret in nobis, corde mundato cõtemplari mereremur, & sic non manu tangendo, sed corde creditur ad iustitiã. Recte de iustitia nostra mundus arguit, qui nõ uult credere nisi quod uidet. Vt B
aũt nos haberemus iustitiã fidei, de qua mundus argueret incredulus, propterea dñs ait, De iustitia, quia ad patrẽ uado, & iam non uidebitis me. Tanquam si diceret, Hęc erit iustitia uestra, ut credatis in me mediatorẽ, quem resuscitatum ad patrem isse certissime habebitis, quãuis eum carnaliter nõ uideatis, ut per ipsum recõciliati deum spiritaliter uidere possitis. Vnde figurã ecclesiæ gestanti mulieri, cum ei post resurrectionẽ ad pedes
Ioan.20 caderet, Noli me tãgere, inquit, nondũ enim ascendi ad patrem. Quod mystice dictum intelligitur, Noli me per corporeum contactũ carnaliter credere, spiritaliter aũt credis, id est, fide spiritali me tangis, cũ ascẽdero ad patrẽ, quia beati qui nõ uident & credunt. Et hæc est iustitia fidei qua mundus carens, de nobis qui ea nõ caremus arguit, qa
Abac.2 iustus ex fide uiuit. Siue ergo quia in illo resurgẽ-
Rom.1 tes, & in illo ad patrẽ ueniẽtes inuisibiliter & in iustificatiõe perficimur: siue quia nõ uidentes & credẽtes ex fide uiuimus, qm̃ iustus ex fide uiuit: propterea dixit, De iustitia, quia ad patrẽ uado, & iam non uidebitis me. Nec inde se mũdus excuset, qd à diabolo impedit, ne credat & Christum. Credentibus em̃ princeps mundi mittitur foras, ut iam nõ operet in cordibus hominũ, quos Christus per fidem cœperit possidere, sicut operatur in filijs diffidentiæ, quos ad tentandos & tribulandos iustos plerunq; concitat. Quia enim missus est foras, qui intrinsecus dominabatur, extrinsecus præliatur.
Psal.18 Etsi ergo per eius persecutiones dñs dirigit mites in iudicio, tamen iam ipse hoc ipso q̃ foras missus est, iudicatus est, Et de hoc iudicio mundus arguitur, quia frustra de diabolo queritur, qui non uult credere in Christum, quem iudicatum, id est, foras missum, & propter nostram exercitationem forinsecus expugnare permissum, nõ solum uiri, sed etiam mulieres, & pueri, & puellæ, martyres uicerunt. Sed in quo uicerunt, nisi in illo quem crediderunt, & quem non uidentes dilexerunt, & quo dominante in cordibus suis pessimo dominatore caruerunt? Et hoc totum per gratiam, hoc est, per donum spiritus sancti. Recte itaq; idem spiritus arguit mundum, & de peccato, quia non credidit in Christum: & de iustitia, quia qui uoluerunt credi-

derunt, quãuis in quẽ crediderunt nõ uiderunt, & A
per eius resurrectionem se quoq; in resurrectione perfici sperauerũt: & de iudicio, quia ipsi si uellent credere, à nullo impedirent, quoniã princeps huius mundi iam iudicatus est.

De eo quod scriptũ est in euangelio secundum Ioannẽ, Ipse arguit mundũ de peccato, de iustitia, & de iudicio.

Sermo LXI

VM dominus & Saluator noster Iesus Christus de aduentu spiritus sancti, quem se missurum esse promisit, A
multa diceret: ait inter cætera, Ipse arguet Ioan.16
mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio.] Neque hoc cum dixisset, sermonem traiecit in aliud, sed ipsa aliquanto expressius insinuare digna
B tus est. De peccato quidem, inquit, quia nõ crediderunt in me. De iustitia aũt, quia ad patrem uado. De iudicio uero, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.] Oboritur ergo nobis intelligẽdi desiderium, cur peccatum hominũ quasi solum esset nõ credere in Christo, ita hoc solo dixit quòd mundum spiritus sanctus argueret. Si autem manifestum est præter hanc infidelitatem alia multa hominum esse peccata, cur de hoc solo mundum spiritus sanctus arguat? An quia peccata omnia per infidelitatem tenentur, per fidem dimittuntur? Propterea hoc unum præ cæteris imputat deus, per quod fit ut cætera non soluantur, dum non credit in humilem deum homo superbus. Sic em̃ scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus au-
Iac.4 tem dat gratiam. Gratia quippe dei, donũ dei est.
C Donum autẽ maximum ipse spiritus sanctus est, & ideo gratia dicitur. Cum enim omnes peccassent, & egerent gloria dei, quia per unum hominẽ
Rom.3 peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerũt, ideo gratia, quia gratis dat. Ideo gratis datur, quia non quasi merces reddit post discussionẽ meritorũ, sed donũ datur post delictorũ ueniã. De peccato igitur arguuntur infideles, id est, dilectores mundi, nam ipsi significant mundi nomine, Cũ em̃ dicitur, Arguit mundũ de peccato, non alio q̃ q̃ non crediderũt in Christo: hoc deniq; peccatũ si non sit, nulla peccata remanebunt, quia iusto ex fide uiuente cuncta soluuntur. Sed multum interest, utrum quisq;
D credat ipsum esse Christũ, & utrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christũ, Nam si fidem habet sine spe, ac sine dilectione, Christũ esse credit, non in Christũ credit. Qui ergo in Christum credit, credẽdo in Christum ueniet in eũ Christus, & quoquo modo unitur in eum, & membrum in corpore eius efficit. Quod fieri non potest, nisi & spes accedat & charitas. Quid sibi etiam uult quod ait de iustitia, quia ad patrem uado? Et primo quærẽdum est, si de peccato mundus arguitur, cur & de iustitia? Quis em̃ de iustitia recte argui possit? An de peccato quidẽ suo, de iustitia uero Christi mundus argui

dus arguit? Non uideo quid aliud possit intelligi. quandoquidem de peccato, inquit, quia non crediderunt in me, De iustitia, quia ad patrem uado. Illi non crediderunt, ipse ad patrem uadit. Illorum ergo peccatum, ipsius autem iustitia. Sed cur in eo solo uoluit nominare iusticiã, quia uadit ad patrem? Num non iusticia est etiam quod huc uenit à patre? An illa potius misericordia est, qd à patre ad nos uenit, iusticia uero quod ad patrem uadit? Ista fratres expedire arbitror, ut in tanta profunditate scripturarum, in quibus forte uerbis abscõditum aliquid latet quod opportune aperiẽdum sit, tanquam simul fideliter inquiramus, ut salubriter inuenire mereamur. Cur ergo hanc appellat iustitiam, quia uadit ad patrem, & non etiam quia uenit à patre? An quia misericordia est quòd uenit, B
ideo iustitia est quòd uadit, ut & in nobis discamus impleri posse iustitiam, si pigri non fuerimus prærogare misericordiam, non quæ nostra sunt quærentes, sed quæ aliorum? Quod cum monuisset Apostolus, continuo de ipso domino coniun-
Phil.2 xit exemplum. Nihil, inquit, per contentionem, neq; per inanem gloriam, sed in humilitate mentis alter alterutrum existimantes superiorem sibi, non quæ sua sunt unusquisq; intendentes, sed & quæ aliorum. Deinde statim addidit, Singuli quique hoc sentite in uobis, quod & in Christo Iesu. Qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus & habitu inuentus ut homo, humiliauit se, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Hęc est misericordia qua uenit à patre. Quæ igitur iustitia est qua uadit ad patrẽ? Sequitur & dicit, Propter quod & deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Hęc est iustitia qua uadit ad patrem. Sed si solus uadit ad patrem, quid nobis prodest? Vt quid ab spiritu sancto de hac iustitia mundus arguitur? Et tamen nisi solus iret ad patrem, non
Ioan.3 alio loco diceret, Nemo ascẽdit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo. Sed etiam Paulus apostolus dicit, Nostra autem
Philip.3 cõuersatio in cœlis est. Sed quare hoc? Quia item
Col.3 dicit, Si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedẽs, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Quomodo ergo ille solus? An ideo solus, quia Christus unus est cũ omnibus membris suis, tanquam caput cum corpore suo? Quod aũt
I Cor.12 corpus eius nisi ecclesia? Sicut dicit idem doctor, Vos autem estis corpus Christi, & mẽbra ex parte. Cum ergo nos ceciderimus, & propter nos ip-
Ioan.3 se descenderit, quid est, Nemo ascẽdit, nisi qui descendit, nisi quia nemo ascẽdit, nisi unum cum eo factus, & tanquam membrum compactus in eius corpore qui descẽdit? Sic & discipulis dicit, Quia

sine me nihil potestis facere. Aliter enim est unũ
A cum patre, aliter unum nobiscum. Vnum cum pa Ioan.15
tre est, quia una substantia est patris & filij. Vnum cum patre est, quia cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis deo. Vnus autem nobiscum factus est, quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Vnus nobiscum factus est secundum semen Abrahæ, in quo benedicentur omnes gentes. Quod cum Apostolus cõmemorasset, Non dicit in seminibus tanquam in multis, sed tanquam in uno, & semini tuo quod est Christus. Et quia et nos ad id pertinemus quod est Christus, nobis simul incorporatis, & illi capiti cohærentibus, unus est Christus, quia & nobis dicit, Ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes. Si enim unum est semen
B Abrahæ, & illud unum semen Abrahæ non intelligitur nisi Christus, hoc autem semen Abrahæ etiam nos sumus, hoc ergo totum, id est, caput & corpus, unus est Christus. Et ideo nos non debemus ab illa iustitia separatos putare, quam domi-
Ioan.16 nus ipse cõmemorat dicens, De iustitia, quia ad patrem uado. Cum Christo enim & nos resurreximus, & nos cum capite nostro Christo sumus interim fide & spe. Complebitur autem spes nostra in ultima resurrectione mortuorum. Cum autem complebitur spes nostra, tunc complebitur etiam iustificatio nostra. Quam completurus dominus, quid sperare debeamus, ostendit in carne
Rom.4 sua, hoc est, in capite nostro, in qua resurrexit &
C ascendit ad patrem, quia sic scriptum est, Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Arguitur ergo mundus de peccato in eis qui non credunt in Christo, & de iustitia in eis, qui non resurgunt in membris Christi. Vnde dictum est, Vt nos simus iustitia dei in ipso.
2 Cor.5 Si enim non in ipso, nullo modo iustitia. Si autem in ipso, totus nobiscum uadit ad patrem, & hæc
Ioan.6 in nobis impletur perfecta iustitia. Propter hoc & de iudicio mundus arguitur, quia princeps huius mundi iam iudicatus est, id est, diabolus princeps iniquorum, qui corde non habitant, nisi in mundo, quem diligunt, & ideo mundus uocantur: sicut nostra conuersatio in cœlis est, si resurrexerimus in Christo. Ergo quemadmodum nobiscum, id est, cum corpore suo unus est Christus: sic cum
D omnibus impijs quibus caput est, cum quodam corpore suo unus est diabolus. Quapropter sicut nos non separamur à iustitia, de qua dominus dixit, Quia ad patrem uado: sic impij non separantur ab illo iudicio, de quo dixit, Quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

De trina interrogatione domini si Petrus se dili A
geret, & trina Petri responsione. Sermo LXII

ECTIONE hodierna animaduertit chari Ioan.21
L tas uestra, dictum esse Petro à dño per interrogationem, Diligis me? Cui respõdit ille, Scis dñe quia amo te.] Hoc secũdo, hoc tertio: & ad singula uerba respondentis dicebat dñs, Pasce agnos meos.] Cõmendabat Petro Christus agnos suos pascendos, qui pascebat & Petrũ,

Quid enim Petrus poterat præstare dño, maximè
iam immortale corpus gerenti, & in cœlũ ascẽsu-
ro? Tanquã ei diceret, Amas me? In hoc ostende A
quia amas me, Pasce oues meas. Ergo fratres cum
obediẽtia audite oues uos esse Christi, quia & nos
cũ timore audimus, Pasce oues meas. Si nos cum
timore pascimus & timemus ꝓ ouibus, ipsæ oues
quomodo pro se debẽt timere? Pertineat ergo ad
nos cura, ad oues obedientia, ad nos uigilãtia pa-
toralis, ad uos humilitas gregis: Quanquã & nos
qui uobis uidemur de superiore loqui loco, cũ ti-
more sub pedibus uestris sumus, quoniã nouimus
q̃ periculosa ratio de ista quasi sublimi sede redda
tur. Proinde charissimi catholica germina, mem-
bra Christi, cogitate quale caput habeatis. Filij dei
cogitate qualem patrem inueneritis. Christiani co
gitate quæ uobis hæreditas promittatur. Non ta-
lis qualis in terra possideri à filijs nõ potest, nisi cũ
mortui fuerint parentes eorũ. Nullus enim in ter-
ra possidet hæreditatẽ patris, nisi mortui. Nos ui-
uo patre nostro possidebimus q̃d donabit, quia
pater noster mori nõ poterit. Plus addo, plus dico,
& uerũ dico, ipse pater erit hæreditas nostra, Con
gruenter uiuite, maximè uos candidati Christi re-
cens baptizati, modo regenerati, sicut uos ante
admonui & modo dico & solicitudinẽ meã pro-
nũcio, quia timorem mihi maiorem ingessit præ-
sens euangelica lectio. Obseruate uos, nolite imi-
tari malos Christianos. Nolite dicere faciam hoc,
quia multi fideles hoc faciunt. Hoc non est defen-
sionem parare animæ, sed comites ad gehennã in-
quirere. Crescite in hac area dominica, in hac inue
nietis bonos qui & uobis placẽt, si & uos boni fue C
ritis. Nunquid enim peculium nostrum estis? Hæ-
retici & schismatici, & de furtis dominicis peculia
sibi fecerunt, & greges nõ Christi, sed suos contra
Christũ pascere uoluerunt. Planè in ipsis depræda
tionibus suis titulũ illius posuerũt, ut prædæ ipso-
rum quasi defenderentur per titulũ potẽtis. Quid
facit Christus quando tales conuertuntur, qui fo-
ris ab ecclesia titulũ eius baptismatis acceperunt?
Eijcit prædatorem, titulum non deponit, & possi-
det domum, quia inuenit ibi titulum suum. Quid
opus est ut mutet nomen suũ? Nunquid attendũt
quod ait dominus Petro, Pasce agnos meos, pasce
oues meas? Nũquid dixit ei, Pasce agnos tuos, aut
pasce oues tuas? Exclusis autem, quid dixit in can D
ticis canticorum ad ecclesiã? Loquens sponsus ad
Cant. 1 spõsam, ait, Nisi cognoueris temetipsam pulchrã
inter mulieres, exi tu. Tanquam dicens, Non ego
te eijcio, exi tu, nisi temetipsam cognoueris pul-
chram inter mulieres, nisi cognoueris te in specu-
lo scripturæ diuinæ, nisi attenderis ô mulier pul-
Psal. 56 chra speculum quod te falso nitore non fallit, nisi
cognoueris quia de te dictũ est, Super omnẽ ter-
Psal. 2 ram gloria tua: quia de te dictũ est, Dabo tibi gen-
tes hæreditatem tuã, & possessionem tuam termi-
nos terrę: Et alia innumerabilia testimonia quę ca
tholicam ecclesiam cõmendant, nisi cognoueris,
partẽ non habes, hæredẽ non te potes facere. Er-
go exi tu in uestigijs gregum, nõ in societate gre-
gis, & pasce hœdos tuos, non quomodo Petro di-
ctũ est, oues meas. Petro dicitur, oues meas: schis-
maticis dicitur, hœdos tuos. Hic oues, ibi hœdi.
Hic meas, ibi tuos. Recolite dextram & sinistrã iu
dicis nostri, recolite ubi stabũt hœdi & ubi oues,
& apparebit uobis ubi dextera, ubi sinistra, candi-
da & nigra, luminosa & tenebrosa, pulchra & de-
formis, acceptura regnum & inuentura suppliciũ
sempiternum.

De manifesta ostensione trinitatis in deo no- A
stro ex Euangelio de baptismo domini apud flu-
men Iordanem. Sermo LXIII

VANGELICA lectio proposuit nobis
E unde loquamur ad charitatem uestram,
tanquã domini imperio: Et uerè domini
imperio, ab illo enim expectauit cor meum, tanq̃
iussionẽ proferẽdi sermonis, ut hinc eũ intelligerẽ
B loqui me uelle, quod recitari ipse uoluisset. Au-
diat ergo studium & deuotio nostra, & adiuuet a-
pud ipsum dominũ deũ nostrũ laborẽ meũ. Vide-
mus enim & tanquã proposito diuino spectaculo
cõtuemur, apud flumẽ Iordanẽ cõmendari nobis
deũ nostrũ in trinitate. Cum enim ueniret Iesus &
baptizatus esset à Ioanne, dominus à seruo, quod
fecit ad humilitatis exemplũ: in ipsa quippe humi
litate ostendit impleri iustitiã, quãdo dicente sibi
Ioãne, Ego debeo à te baptizari & tu uenis ad me: Matt.
Respondit, Sine modo, ut impleatur omnis iusti-
tia. Cum ergo baptizatus esset, aperti sunt cœli &
descendit super eũ spiritussanctus in specie colum
bæ. Deinde uox desuper consecuta est, Hic est fi-
C lius meus dilectus in quo bene sensi. Habemus er
go distinctã quodãmodo trinitatẽ. In uoce patrẽ,
in homine filium, in colũba spiritũ sanctum. Hoc
quidem cõmemorare opus erat: Nam uidere facil
limum est. Euidenter enim nec ullo dubitationis
scrupulo cõmendatur hæc trinitas, cũ ipse domi-
nus Christus in forma serui ueniens ad Ioannem,
utiq̃ filius est. Non enim dici potest quòd pater,
aut dici potest ꝓ spiritussanctus, Venit, inquit, Ie-
sus, utiq̃ filius dei. De columba quis dubitet? Aut
quis dicat quid est columba, cum ipsum Euange-
lium testetur apertissime, Descendit super eũ spi-
ritussanctus in specie columbæ? De uoce aũt illa
similiter nulla dubitatio quòd patris sit, cum dicit,
Tu es filius meus. Habemus distinctam trinitatẽ.
D Et si consideremus loca audeo dicere, quamuis ti-
mide id dicam, tamen audeo, quasi separabilẽ tri-
nitatem, cum Iesus uenit ad fluuiũ, ex alio loco in
aliũ locum: Columba descendit de cœlo ad terrã,
de alio loco ad alium locũ: Vox ipsa patris nec de
terra, nec de aqua sonuit, sed de cœlo. Tria hæc
quasi separantur locis, separantur officijs, separan
tur operibus. Dicat mihi aliquis, Ostende insepa-
rabilem trinitatem. Memento catholicũ te loqui,
catholicis loqui. Fides enim nostra, id est, fides
uera, fides recta, fides catholica, nõ opinione præ-
sumptionis, sed testimonio lectionis collecta, nec
hęretica temeritate incerta sed apostolica ueritate
fundata, hoc insinuat, hoc nouim⁹, hoc credimus.
Hoc & si non uidemus oculis, nec adhuc corde
quamdiu

quamdiu fide mũdamur, ipsa tamẽ fide rectissime
acrobustissime retinemus patrem, filiũ, spiritum- A
sanctum, inseparabilem esse trinitatẽ, unũ deum,
non tres deos. Ita tamen unum deum ut filius non
sit pater, ut pater non sit filius, ut spiritussanctus,
nec pater sit nec filius, sed patris & filij spiritus.
Hanc ineffabilẽ diuinitatem apud seipsam manen
tem, omnia innouantẽ, creantem, recreantem, mit
tentem, reuocantẽ, iudicantem, liberantem, Hãc
ergo trinitatem ineffabilem simul nouimus & in-
separabilem. Quid ergo agimus? Ecce seorsum
uenit filius in homine, seorsum spiritussanctus de
cœlo descendit in specie columbæ, seorsum uox
de cœlo sonuit, Hic est filius meus. Vbi est inse-
parabilis trinitas? Fecit uos per me deus intentos.
Orate pro nobis, & quasi aperiẽtes sinum, donec
ipse unde uolumus dicere quod aperuistis imple- B
at, collaborate nobis. Videtis enim quid susceperimus, non solum quid, uerumetiam qui, unde uo
lumus dicere, ubi positi, quomodo positi in corpo
re quod corrumpitur & aggrauat animam, & de-
primit terrena inhabitatio sensum multa cogitan
tem. Quando ergo istum sensum à multis extra-
ho, & ad unum deum trinitatem ineffabilem colli
go, ut aliquid uideam quod dicã, putásne in hoc
corpore quod aggrauat animam, ut aliquid uobis
digne loquar, potero dicere, Quoniã ad te domi-
Psal. 85 ne animam meam leuaui? Adiuuet me, leuet eam
mecum. Nam infirmus sum illi, & grauis est mihi.
Solet hæc quęstio ab studiosissimis fratribus pro-
poni, solet in amatorum uerbi dei sermone uersa-
ri, solet pro hac multum pulsari ad deum, dicenti- C
bus hominibus, Facit aliquid pater quod non fa-
cit filius, aut facit aliquid filius quod non facit pa-
ter? Interim de patre & filio dicamus. Cum autem
hinc expedierit conatum nostrum, cui dicimus,
Adiutor meus esto domine ne derelinquas me,
intelligitur etiã spiritussanctus ab operatione pa-
tris & filij nequaquã discedere. De patre ergo &
filio fratres audite. Facit aliquid pater sine filio?
Respondemus, Non. An dubitatis? Quid enim fa
cit sine illo, per quẽ facta sunt omnia? Omnia, in-
quit, per ipsum facta sunt. Et faciate inculcans tar-
dis, duris, litigiosis, addidit, Et sine ipso factum est
nihil. Quid igitur fratres? Si omnia per ipsum fa-
cta sunt, intelligimus utiq̃ uniuersam creaturam
factam per filium, fecisse patrem per uerbum su-
um, deum per uirtutem & sapientiam suam. Nun-
quid dicturi sumus, omnia quidem quãdo creata
sunt per ipsum facta sunt, sed nunc non omnia per
ipsum facit pater? Absit. Recedat hæc cogitatio à
fidelium cordibus, abigatur à sensu deuotorũ, ab
intellectu piorum. Fieri non potest ut per ipsum
creauerit, & nõ per ipsum gubernet. Absit ut sine
ipso regatur quod est, quando per ipsum factum
est ut esset. Sed & hoc testimonio scripturę docea
mus, non solum per ipsum facta & creata omnia:
sicut ex euangelio cõmemorauimus, Omnia per
ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: sed
per ipsum etiam regi & disponi quæ facta sunt. A-
gnoscitis ergo Christum dei uirtutem & dei sapi-
entiam, agnoscite dictum & de sapiẽtia, Attingit Sap. 8
à fine usq̃ ad finem fortiter, & disponit omnia sua-
uiter. Nõ ergo dubitamus per ipsum regi omnia,
per quem facta sunt omnia. Nihil itaq̃ pater sine
filio, nihil filius sine patre facit. Occurrit quæstio,
quam in nomine domini & eius uoluntate soluen
dam suscipimus. Si nihil facit pater sine filio, & ni-
hil filius sine patre, nónne quasi consequens erit,
ut & patrẽ dicamus natum de uirgine Maria, pa-
trem passum sub Pontio Pilato, patrem resurre-
xisse & in cœlum ascendisse? Absit. Non hoc dici-
mus, quia nõ hoc credimus. Credidi ꝓpter quod
locutus sum: & nos credimus propter quod & lo-
quimur. Quid est in fide? Quia filius de Virgine
natus est, non pater. Quid est in fide? Quia filius
passus est sub Pontio Pilato & mortuus, non pa-
ter. Excidit nobis quosdam male intelligentes uo
cari Patripassianos, qui dicunt ipsum patrem natũ
ex fœmina, ipsum patrem passum, ipsum esse pa-
trem qui est filius, duo esse nomina, non res duas:
& remouet istos ecclesia catholica à cõmunione
sanctorum ne aliquem deciperent, ut separati liti-
garent. Reuocemus ergo difficultatẽ quæstionis
sensibus uestris. Dicat aliquis mihi, Tu dixisti, ni-
hil patrem facere sine filio, neq̃ filiũ sine patre, &
testimonia de scripturis adhibuisti, nihil facere pa
trẽ sine filio, quia omnia per ipsum facta sunt: nec
quod factum est regi sine filio, quia ipse est sapien
tia patris, attingens à fine usq̃ ad finem fortiter, &
disponens omnia suauiter. Modo mihi dicis quasi
contra teipsum loquens, Filius natus est de Virgi-
ne non pater, filius passus est non pater, filius re- C
surrexit non pater. Ecce teneo aliquid facere filiũ
quod non facit pater. Aut ergo confitere, facere
aliquid filium sine patre, aut confitere etiã patrem
natum, passum, mortuũ, resurrexisse. Aut illud, aut
illud dic, Elige unum de duobus. Ego neutrũ eligo,
nec hoc nec illud dico: nec aliquid facere filiũ
sine patre dico, quia mentior si hoc dixero: nec pa
trem natũ, passum, mortuũ, resurrexisse dico, quia
nihilominus mẽtior si hoc dixero. Quomodo, in-
quit, explicaberis ab his angustijs? Placet uobis
quæstio proposita, deus adiuuet ut placeat & solu
ta. Ecce q̃d dico, ut liberet & me & uos: In una eã
fide stamus in nomine Christi, & in una domo sub
uno dño uiuimus, & in uno corpore membra sub D
uno capite sumus, & in uno spiritu uegetamur. Vt
ergo dominus ab his angustijs molestissimæ quę-
stionis liberet, & me qui loquor, & uos qui audi-
tis, hoc dico, Filius quidem, inquam, non pater na
tus est de uirgine Maria, sed ipsam natiuitatem fi-
lij non patris de Virgine, & pater & filius opera-
tus est. Non est quidem passus pater sed filius, pas-
sionem tamen filij & pater & filius operatus est.
Non resurrexit pater sed filius, resurrectionem ta-
men filij & pater & filius operatus est. De quæ-
stione ista uidemur iam expediti, sed forte uer-
bis meis, uideamus etiam utrum uerbis diuinis.
Pertinet ergo ad me sanctorum librorum testimo
nijs demonstrare, natiuitatem filij & patrem ope-
ratum & filium, ita passionẽ, ita resurrectionem:
ut cum

ut cum filij tãtum sit & natiuitas & passio & resurrectio, hæc tamẽ tria quæ ad filiũ solum pertinent, nec à patre solo facta sint, nec à solo filio, sed à patre utiq; & filio. Probemus singula, iudices auditis causa proposita est, testes procedãt. Dicat mihi iudiciũ uestrũ, quod solet causas agẽtibus dici. Doce quod promittis. Doceo plane adiuuãte dño, & cœlestis iuris recito lectionẽ. Intẽte audistis proponentẽ, audite intentius iam probantẽ. De Christi natiuitate mihi primo dicendũ est, quomõ eam & pater fecerit, & filius fecerit, quãuis non nisi ad filiũ pertineat quod fecit pater & filius. Paulũ recito, idoneum iuris diuini cõsultum. Nã & causidici habẽt hodie Paulũ dictantẽ iura litigatorum, non Christianorũ. Recito, inquã, Paulũ dictantẽ pacis iura nõ litis. Ostendat nobis sanctus Apostolus, quomodo natiuitatẽ filij pater operatus sit. Cũ aũt uenit, inquit, plenitudo temporis, misit deus filiũ suum in terris natũ ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Audistis, & quia planũ & apertum est, intellexistis. Ecce pater fecit filiũ nasci de Virgine. Cũ enim uenisset plenitudo tẽporis, misit deus filiũ suum, utiq; pater Christũ. Quomodo eum misit? Factũ ex muliere, factũ sub lege. Fecit ergo eũ pater ex Virgine sub lege. An forte hoc mouet quia de Virgine dixi, & Paulus dicit ex muliere? Non moueat, non immoremur. Neq; enim rudibus loquor. Vtrunq; scriptura dicit, & ex uirgine & ex muliere. Ex uirgine quomodo? Ecce uirgo in utero accipiet & pariet filiũ. Ex muliere aũt, sicut audistis, non est contrarium. Proprietas enim locutionis Hebrææ mulieres nõ corruptas uirginitate, sed et fœminas appellat. Habes euidentẽ scripturã Geneseos, quando ipsa primo facta est Eua, formauit eam in mulierẽ. Dicit enim alio loco scriptura, iubete deũ separare mulieres, quæ nõ cognorũt cubile uiri. Hoc ergo iam notũ esse debet, nec teneat uos, ut alia quæ merito tenebunt, domino adiuuãte explicare possimus. Probauimus ergo natiuitatem filij à patre factam, probemus et à filio factã. Quid est natiuitas filij de uirgine Maria? Certe assumptio formę serui in uirginis utero. Nunquid nam est aliud nasci filio, nisi accipere formã serui in uirginis utero? Audi quia hoc & filius fecit, Qui cũ in forma dei esset, nõ rapinam arbitratus est esse ęqualis deo, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiẽs. Cũ uenit plenitudo tẽporis, misit deus filiũ suũ factũ ex muliere, qui factus est ei ex semine Dauid secundũ carnẽ. Vidimus ergo natiuitatẽ à patre factã, sed quia ipse filius semetipsum exinaniuit formã serui accipiẽs, uidemus natiuitatẽ filij ab ipso filio factã. Probatũ est, trãseamus hinc, intẽti aliud accipite quod ex ordine sequit, probemus & passionẽ filij, & à patre factã & à filio factã. Faciat pater passionẽ filij. Qui proprio filio suo nõ pepercit, sed pro omnibus tradidit illũ. Faciat et filius passionẽ suã. Qui me dilexit, & tradidit seipsum pro me. Passio hæc uni facta est: sed ab utroq; facta est. Sicut ergo natiuitatẽ, ita passionẽ Christi nec pater sine filio fecit nec filius sine patre. Tradidit pater filium, tradidit

Esaiæ 7

Philip. 2

Rom. 8

Gal. 2

filius seipsum: Quid hic fecit Iudas nisi peccatum? A Trãseamus & hinc, ueniamus ad resurrectionem. Videamus filiũ quidẽ nõ patrem resurgentẽ, sed resurrectionẽ filij & patrẽ & filiũ facientem. Operetur pater resurrectionẽ filij. Propter hoc enim exaltauit eũ, & donauit ei nomen quod est super omne nomen. Resuscitauit ergo pater filiũ, exaltando eum & excitando eum à mortuis. Nunquid et filius resuscitat semetipsum? Resuscitauit planè. In figura sui corporis de tẽplo dixit, Soluite templũ hoc, & in tribus diebus resuscitabo illud. Postremo sicut ad passionẽ pertinet, animã ponere: sic ad resurrectionẽ, animã iterum sumere. Videamus si filius quidẽ animã suã posuit, & ei animam suam pater reddidit non ipse sibi. Pater enim quia reddidit, manifestũ est, Inde enim Psalmus dicit, B Et resuscita me, & reddam illis. Sed quia & filius animam suam reddidit, quid à nobis expectatis? Ipse dicat, Potestatem habeo ponẽdi animã meã. Nondũ dixi quod promisi. Ponendi dixi, sed iam clamastis, quia præuolatis. Eruditi quippe in schola magistri cœlestis, tanq; lectiones intente audientes, pie reddentes, quid sequatur nõ ignoratis. Potestatem, inquit, habeo ponendi animã meam, & potestatẽ habeo iterũ sumendi eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eã à me, & iterũ sumo eam. Exoluimus quæ promisimus, propositiones nostras firmissimis, ut arbitror, testimoniorũ documentis probauimus. Tenete quod audistis. Breuiter replico, & rem utilissimã quãtum existimo, C mentibus uestris collocandam cõmendo. Pater non est natus de Virgine, natiuitatem tamẽ istam filij & pater & filius operatus est ex Virgine. Pater non est passus in cruce, passionẽ tamen filij & pater & filius operatus est. Non resurrexit pater à mortuis, resurrectionẽ tamen filij & pater & filius operatus est. Habetis personarũ distinctionem, & operationis inseparabilitatẽ. Non ergo dicamus aliquid patrẽ operari sine filio, nec aliquid filiũ sine patre. An forte miracula quæ fecit Iesus mouẽt uos, ne forte aliqua ipse fecerit quę nõ fecit pater? Et ubi est, Pater aũt in me manẽs facit opera sua? Hæc quę diximus plana erant, tantũ dicenda erãt, nõ laborandũ ut intelligerentur, sed curandũ ut cõmemorarentur. Aliquid adhuc uolo dicere, ubi uere & acriorẽ intentionẽ uestram requiro, & deuotionẽ apud deũ. Etenim locis corporalibus nõ tenentur nec occupantur nisi corpora, Vltra locos corporales est diuinitas, nemo eam tanquã in spacijs requirat. Vbiq; inuisibilis & inseparabiliter adest, non in parte maior, in parte minor, sed ubiq; tota, nusq; diuisa. Quis uidet hoc? Quis capit hoc? Cõpescamus nos, meminerimus qui unde loquamur illud & illud. Quicquid est quod deus est, pie credatur, sancte cogitetur, & quantũ datur quantum potest ineffabiliter intelligatur. Quiescant uerba, cesset lingua, cor excitetur, cor illuc leuetur. Nõ enim est illud tale quod in cor hominis ascẽdit, sed quò cor hominis ascendat. Attendamus creaturam: inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: ne forte in his

Ioan. 2

Psal. 40

Ioan. 20

Ioan. 14

D

quæ

quæ fecit deus in quibus habemus quandam consuetudinis familiaritatem, inueniamus aliquam similitudinem, unde probemus esse aliqua tria, quæ tria separabiliter proferantur, inseparabiliter operentur. Eia fratres adestote toto animo, uidete prius quid promittã, ne forte in creatura inueniã, quia creator à nobis excelsus est: Et forte uerba cuiusquam nostrũ, cui fulgor ueritatis aliquam mentem quasi coruscatione perstringit, potest dicere uerba illa, Ego dixi in extasi mea, In extasi tua qd dixisti? Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Etenim uidetur mihi iste qui hoc dixit, leuasse ad deum animã suam, & effudisse super se animã suã, cum ei diceretur quotidie, ubi est deus tuus, peruenisse spiritali quodam contactu ad illam incommutabilem lucẽ, eamq; infirmitate conspectus ferre non ualuisse, & in suam quasi ægritudinem atq; languorem iterum recidisse, & cõparasse se illi, & sensisse adhuc cõtemperari non posse aciem mentis suæ luci sapientiæ dei, & quia hoc in extasi fecerat, abreptus à sensibus corporis & subreptus in deum. At ubi quodãmodo à deo ad hominem reuocatus est, ait, Ego dixi in extasi mea. Vidi enim nescio quid in extasi quod diu ferre non potui, & redditus mortalibus membris, & multis mortaliũ cogitationibus à corpore quod aggrauat animã dixi. Quid? Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Lõge sursum es, lõge deorsum sum. Quid ergo dicamus fratres de deo? Si enim quod uis dicere sic cœpisti, non est deus. Si comprehendere potuisti, aliud pro deo cõprehendisti. Si quasi cõprehẽdere potuisti, cogitatione tua te decepisti. Hoc ergo non est, si comprehendisti. Quid ergo uis loqui, quod cõprehendere nõ potuisti? Videamus ergo ne forte in creatura inueniamus aliquid, ubi probemus aliqua tria, & separabiliter demõstrari, & inseparabiliter operari. Quò ibimus? Ad cœlũ, ut de sole & luna & syderib. disputemus? Ad terram, ut forte de frutectis, de arboribus, de animalibus terrã implẽtibus? An de ipso cœlo, an de ipsa terra, quæ cõtinent omnia quæ sunt in cœlo & in terra? Quãdiu homo circuis creaturam? Ad te redi, te uide, te inspice, te discute. In creatura quæris aliqua tria, & separatim demonstranda, & inseparabiliter operantia. Si in creatura quæris, in te prius quære. Non enim tu non es creatura. Similitudinem quæris, quæsiturus es in pecore? De deo enim loquebaris, cum quæreres quãdam similitudinem. De trinitate ineffabilis maiestatis loquebaris, & quia defecisti in diuinis, tuamq; infirmitatem debita humilitate confessus es, ad humana uenisti, ibi discute. Quæris in pecore, quæris in sole, in stellis? Quid enim horum factum est ad imaginem & similitudinẽ dei? Prorsus familiarius & melius aliquid horum quæris in te. Hominem enim deus fecit ad imaginem & similitudinem suam. In te quære, ne forte imago trinitatis habeat aliquod uestigium trinitatis. Et quæ? Imago facta longe distans, similitudo tamen, & imago longe distans, non quomodo imago filius hoc quod pater. Aliter enim imago in filio, aliter in speculo. Multum

Psal. 30

C

distat. In filio imago tua, tu ipse es. Hoc est enim filius quod tu natura. Substantia hoc quod tu, persona alius quàm tu. Non ergo homo imago tanquam unigenitus filius, sed ad imaginem quãdam & quandam similitudinem factus. Quærat in se aliquid si possit inuenire, & tria quædã quæ separabiliter pronuncientur, inseparabiliter operentur. Quæram, quærite mecum, Non ego in uobis, sed uos in uobis, & ego in me. Queramus cõmuniter, & cõmunem naturam atq; substãtiam cõmuniter pertractemus. Vide homo, aduerte si uerũ est, q̃d dico. Habẽsne corpus, habes carnem? Habeo, inquis. Nã unde est unde in loco sum, unde de loco in locum moueor, unde uerba loquẽtis audio, nisi per aurẽ carnis? Vnde os loquentis uideo, nisi per oculos carnis? Habes, constat, nec diu satagendũ est de re manifesta. Vide aliquid aliud quod operatur per carnẽ. Audis enim aure, sed non ab aure audis. Alius est intus qui audit per aurẽ. Vide per oculũ, ipsum intuere. An domũ agnouisti, habitatorẽ neglexisti? Nũquid nã uidet oculus per seipsum? Nonne alius est qui uidet per oculum? Non dico nõ uidet oculus mortui, de quo cõstat corpore habitatorẽ abscessisse: sed oculus de re alia cogitãtis, nõ uidet faciẽ præsentis. Respice ergo interiorẽ hominẽ tuũ. Ibi em̃ magis aliqua similitudo quærenda est quorundã triũ separatim demõstratorũ, inseparabiliter operantiũ. Quid habet mens tua? Forte si quærã, multa inuenio. Sed aliquid proximũ est, quod facilius intelligit. Quid habet anima tua? Intus cõmemora, recole. Non enim quod dicturus sum id posco ut credatur mihi, noli acceptare, si in te nõ inueneris. Intuere ergo, sed primo quod nõ filij tantũ imago est, aut patris tantũ imago est, sed patris & filij, & utiq; iam cõsequenter & spiritussancti. Genesis loquitur, Faciamus, inquit, hominẽ ad imaginem & similitudinẽ nostrã. Non ergo facit pater sine filio, nec filius sine patre. Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinem nostram. Faciamus, non faciã, aut fac, aut faciat ille, sed faciamus ad imaginẽ nõ tuam, aut meã, sed ad nostrã. Ergo interrogo, dissimilem rem dico. Nemo dicat, Ecce quod cõparauit deo. Iam locutus sum, & prelocutus, & cautos reddidi, et cautus fui. Longe distant à summis ima, ab incõmutabilibus mutabilia, à creantibus creata, à diuinis humana. Ecce primo hoc cõmendo, quia q̃d dicturus sum longe distat, nemo mihi calumnietur. Ne forte ergo & ego aures quærã & ille dentes paret, hoc me promisi exhibiturũ, aliqua tria demõstrata separatim, operãtia inseparabiliter. Quàm sint ista similia uel dissimilia trinitati omnipotẽti, nõ nũc ago, sed in ipsa creatura ima & mutabili inuenimus aliqua tria, quæ possint separabiliter demonstrari, & inseparabiliter operari. O carnalis cogitatio, & cõscientia pertinax atq; infidelis. Quid de illa maiestate ineffabili in ea re dubitas, quã in te inuenire potuisti? Ecce dico, ecce interrogo. Homo habes memoriã? Si non habes, quod dixi quomõ tenuisti? Sed forte iam quod pauloante dixi oblitus es. Hoc ipsum q̃d dico, dixi; duas istas syllabas nõ teneres

Gen. 1

D

neres, nisi per memoriam. Vnde enim scires duas
esse si sonante secunda oblitus es primam? Quid
ergo diutius immoror? Quare sic urgeor? Quare
sic cogor conuincere? Manifestum est, habes me-
moriã. Quæro aliud, Habes intellectum? Habeo,
inquis. Si enim non haberes memoriam, non tene
res quod dixi. Si non haberes intellectũ, nõ agno-
sceres quod tenuisti. Habes & hoc, intellectũ tuũ
ad id quod intus tenes reuocas & uides, & uiden-
do formaris ut sciens dicaris. Tertium quæro, Ha-
bes memoriam qua teneas quod dicitur, habes
intellectum, quo intelligas quod tenetur: De his
duobus requiro abs te, uolens tenuisti & intelle-
xisti? Volens plane, inquis. Habes ergo uoluntat-
tem. Hæc sunt tria quæ me dicturum esse promise
ram auribus & mentibus uestris, tria hæc sunt in
te, quæ potes numerare & nõ potes separare. Hæc
ergo tria, memoriam, intellectũ, uoluntatem, hęc,
inquam, tria animaduerte separatim pronunciari,
inseparabiliter operari. Aderit dominus, & uideo
quod adsit. Ex intellectu uestro intelligo eum a-
desse. Ex his enim uocibus uestris quemadmodũ
intellexeritis aduerto, præsumo eum adiuturum
ut omnia intelligatis. Tria promisi separabiliter
demonstrari, inseparabiliter operari. Ecce nescie-
bam quid esset in animo tuo, demonstrasti mihi di
cẽdo memoriam, hoc est, uerbum: sonus iste, uox
ista processit ad aures meas ab animo tuo. Hoc
enim quod est memoria tacite cogitabas, & non
dicebas. Erat in te, & nondum uenerat ad me. Vt
autem quod erat in te proferretur ad me, dixisti
ipsum nomen, id est, memoria audiui. Quatuor
has syllabas in nomine memorię audiui. Quatuor
syllabæ, nomẽ est, uox est, sonuit, ad aurem meam
processit, menti aliquid insinuauit. Quod sonuit
transijt, unde insinuatum & quod insinuatum est
manet. Sed hoc quæro, quando dixisti hoc nomẽ
memoriæ, uides certe, quia hoc nomen non perti-
net nisi ad memoriam. Cætera enim duo habent
nomina sua. Namq; aliud uocatur intellectus, a-
liud uoluntas, non memoria. Illud autem unum
uocatur memoria. Sed ut hoc diceres, ut quatuor
istas syllabas operareris, unde operatus es? Hoc
nomen quod pertinet ad solam memoriam ope-
rata est in te & memoria, ut teneres quod dicebas,
& intellectus ut scires quod tenebas, & uoluntas
ut pferres quod sciebas. Gratias domino deo no-
stro. Adiuuit nos, & in uobis & in nobis. Vere dí-
co charitati uestræ, hoc discutiendum & insinuan
dum trepidissime aggressus erã. Metuebam enim
ne forte lætificarem capacium ingenium, & face-
rem graue tardioribus tędium. Nũc autem uideo
uos & attentione audiendi, & celeritate intelli-
gendi, non solum percepisse dictum, sed præuo-
lasse me dicturum. Gratias domino. Videte ergo,
iam securus cõmendo quod intellexistis, non in-
culco incognitum, sed repetens cõmendo perce-
ptum. Ecce de tribus illis una res nominata est, u-
nius rei nomen dictũ est. Memoria nomen est u-
nius ex illis tribus, tria ipsa operata sunt. Non po-
test dici sola memoria, nisi operante uoluntate, in-
tellectu, memoria. Non potest dici solus intelle-
ctus, nisi operãte memoria, uolũtate & intellectu.
Nec potest dici sola uolũtas, nisi operante memo-
ria & intellectu & uoluntate. Explicata sunt, ut ar
bitror, quæ promissa sunt, quod separatim pronun
ciaui, inseparabiliter cogitaui. Vnum horum om-
nium tria fecerũt, sed tamen hoc unum quod tria
fecerunt, non ad tria pertinet, sed id unum tria fe-
cerunt. Nomen memoria est, sed hoc nõ pertinet
nisi ad solã memoriam. Tria fecerunt, nomẽ intel-
lectus, sed non pertinet nisi ad solum intellectum.
Tria fecerũt nomen uolũtatis, sed nõ pertinet nisi
ad solam uoluntatẽ. Ita trinitas fecit carnem Chri-
sti, sed nõ pertinet nisi ad solũ Christum. Trinitas
fecit de cœlo colũbam, sed non pertinet nisi ad so
lum spiritumsanctum. Trinitas fecit de cœlo uo-
cem, sed non pertinet uox nisi ad solum patrem.
Nemo ergo dicat mihi, nemo calũniosus me infir
mum urgere conetur, Quid ergo in his tribus quę
in mẽte nostra uel in anima esse ostẽdisti, quid ex
his tribus pertinet ad patrem, id est, quasi ad simi-
litudinem patris, quid horum ad filij, quid horum
ad spiritussancti, Non possum dicere, non possum
explicare. Aliquid & cogitantibus relinquamus,
aliquid & silentio largiamur, Redi ad te, ab omni
strepitu tolle te. Intra te uide, si habes illic aliquod
secretarium dulce cõscientiæ tuæ, ubi non perstre
pas, ubi non litiges, aut lites pares, ubi non disse-
siones & peruicaciam mediteris. Esto mansuetus
ad audiendum uerbum ut intelligas. Forte dictu-
rus es, Auditui meo dabis exultationẽ & læticiã, Psal.50
& exultabunt ossa, sed humiliata non elata. Suffi-
cit ergo quia ostendimus tria quædam separabili-
ter demonstrari, inseparabiliter operari. Si hoc in
te inuenisti, si hoc in homine, si hoc in quadã per-
sona in terra ambulãte, corpus fragile quod aggra
uat animam apportante, crede patrem & filium &
spiritumsanctum per singula quæq; uisibilia, per
species quasdam assumptæ creaturæ posse & sepa
rabiliter demonstrari, & inseparabiliter operari.
Sufficit hoc. Non dico, Pater memoria est, filius
intellectus est, spiritus uolũtas est, non dico quo-
modolibet intelligatur, non audeo. Seruemus ma
iora capientibus, infirmis infirmi quod possumus.
Non dico ista illi trinitati uelut æquanda, quasi ad
analogiam, id est, ad rationem quãdam compara-
tionis dirigẽda. Non hoc dico. Sed quid dico? Ec-
ce in te inueni tria separabiliter demonstrata, inse
parabiliter operata, & eorum trium unumquodq;
nomẽ à tribus factũ, quod tamẽ nõ ad tria, sed triũ
horũ unum aliquod pertinet. Crede iam ibi quod
non potes uidere, si hic audisti & uidisti & tenui-
sti. In te enim quod est potes nosse, in eo qui te fe-
cit quod est, quicquid est, quando potes nosse? Et
si poteris, nondum potes, Et tamen cum poteris,
nunquid sic poteris tu nosse deũ, quomodo se no-
uit deus? Sufficiat ergo charitati uestræ, quod po-
tuimus, diximus. Exigentibus promissa reddidi-
mus, cætera quæ addẽda sunt, ut superficiatur sen-
sus uester, à domino quærite.

De eo

De eo quod scriptum est in euãgelio secun-
Ioan.5 dum Ioannem, Amen amẽ dico uobis quia uenit
hora & nũc est quando mortui audient uocẽ filij
dei & qui audierint uiuent. Serm. LXIIII

PES nostra fratres non de isto tempore,
neq; de hoc mundo est, neq; in ea felicita
te qua excæcantur homines qui obli-
scuntur deum. Hoc nosse primitus & Christiano
corde tenere debemus, nõ ad pręsentis temporis
bona nos factos esse Christianos, sed ad nescio
quid aliud quod deus iam promittit & homo non
dum capit. De hoc enim bono dictum est, Quod
oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor ho-
minis ascendit, quæ præparauit deus diligentibus
se. Ergo quia hoc bonũ tam magnum, tam præcla
rum, tam ineffabile, non inuenit hominem perce-
ptorem, tenebit deum promissorẽ. Nũc em̃ quod
ei promissum est, homo cæcus corde nõ percipit,
nec ei potest ostendi in pręsenti, quid ipse cui pro
mittit̃ sit futurus: quia & infans natus si possit uer
ba loquentis intelligere, cum ipse loqui non pos-
sit, nec ambulare, nec aliquid agere, sed sicut eum
uidemus infirmum, iacentem, indigum opis alie-
nę, tantummodo intelligere possit eum qui sibi lo
queretur & diceret ei, Ecce sicut me uides ambu-
lantem, operantẽ, loquentem, post paucos annos
talis erit: attẽdens se & illũ, quamuis quod promit
teretur uideret, tamẽ suam cõsiderans infirmitatẽ,
non crederet, & uideret tamen quod promitteba-
tur. Nobis aũt tanq; infantib. in hac carne atq; in-
firmitate iacentibus, & magnũ est quod promitti-
tur & non uidetur, & erigitur fides qua credimus
quod nõ uidemus, ut mereamur uidere quod cre-
dimus. Quicunq; irridet hanc fidem, ut ideo putet
non sibi esse credendũ quia nõ uidet, quãdo uene
rit quod non credebat erubescit, confusus separa-
tur, separatus damnatur. Qui autem crediderit se-
gregatur ad dexteram, & stabit cum magna fidu-
cia & læticia, inter illos quibus dicetur, Venite be
Matt.25 nedicti patris mei, percipite regnum quod uobis
paratum est ab origine mundi. Conclusit aũt do-
minus cum hæc uerba diceret sic, Ibunt isti in cõ-
bustionem ęternã, iusti aũt in uitam ęternam. Hęc
est uita æterna, quæ nobis promittitur. Qui amãt
homines uiuere in hac terra, promissa est illis uita,
& quia multum timent mori, promissa est illis æ-
terna. Quid amas, uiuere? Hoc habebis. Quid ti-
mes, mori? Non patieris. Hoc sufficere uisum est
humanę infirmitati, ut diceretur, habebis uitam ę-
ternam. Capit hoc mens humana, utcunq; ex hoc
quod agit quod futurum est capit. Sed quantum
capit ex hoc paruo quod agit? Quia uiuit & mori
non uult, amat uitam æternã, uult semper uiuere,
nunquam mori. Sed & illi qui torquebũtur in pœ
nis, uelle habent mori & non possunt. Non ergo
magnum est diu uiuere aut semper uiuere, sed ma
gnum est beate uiuere. Amemus uitam æternam:
& ex eo nouerimus quantum pro uita æterna la-
borare debemus, cum uidemus homines amato-
res pręsentis uitæ temporalis atq; finiendę sic pro
illa laborare, ut quãdo uenerit metus mortis, quic
quid possunt faciant, non ut auferant sed ut diffe-
rant mortem. Quantũ laborat homo quãdo mors
imminet, fugiendo, latendo, quicquid habet dan-
do & se redimendo, laborãdo, cruciatus molesti-
asq; sustinendo, medicos adhibendo, & quicquid
aliud homo potest. Videte q̃ consumptis labori-
bus & facultatibus suis, ut aliquãtum uiuat potest
facere, ut semper uiuat non potest. Si ergo labore
tanto, tanto conatu, tantis impendijs, tanta instan
tia, tanta uigilantia, tanta cura agitur ut aliquan-
tum plus uiuatur, quo agẽdum est ut semper uiua-
tur? Et si prudentes dicuntur qui omnibus modis
agunt ut differant mortẽ & uiuant paucos dies ne
perdant paucos dies, q̃ stulti sunt qui sic uiuunt
ut perdãt diẽ æternũ? Hoc solum ergo nobis pro-
mitti potest, ut dulcescat nobis utcũq; munus dei
ex hoc quod habemus modo, quia de munere ip-
sius habemus ut uiuamus, ut salui simus. Ponamus
ergo nobis ante oculos talẽ uitam cum promittit̃
æterna, uti remoueamus ab illa quicquid hic mo-
lestum patimur. Facilius enim inuenimus quid ibi
non sit, q̃ quid ibi sit. Ecce hic uiuimus, uiuemus
& ibi. Salui sumus quando non ægrotamus neq;
aliquid dolet in corpore, salui erimus & ibi. Et quã
do nobis est bene in hac uita nullas pœnas pati-
mur, nullas patiemur & ibi. Pone ergo hic homi-
nem uiuentem saluum, nullas pœnas patientem,
si ei donaret quisq; ut semper sic esset, & hoc bonũ
nõ desineret, quantũ gauderet? quãtũ extolleret̃,
qũo se non caperet lęticia sine pœna, sine crucia-
tu, sine fine uitæ? Si hoc solum nobis promitteret
deus, quod dixi, quod modo, quib. potui uerbis de
scripsi & cõmendaui, quanti erat emendũ si uena-
le esset, quãtum dandũ erat ut emeret̃? Sufficeret
quicquid haberes, etiã si totũ mundũ possideres?
Et tamen uenale est: Eme si uis. Nec multum exæ-
stues de re magna propter precij magnitudinem.
Tãtum ualet, quãtum habes. Ad aliquid ergo ma
gnũ & preciosum cõparandũ cõparares aurũ uel
argentum uel pecuniã uel fructus aliquos pecorũ
aut frugũ qui in tua possessiõe nascerent̃, ut eme-
res nescio quid hoc magnum & præclarũ quo ui-
ueres in hac terra felix. Et hoc eme si uis. Noli quę
rere qd habeas, sed qualis sis. Res ista te ualet, Tan
tũ ualet, quantũ es tu. Te da & habebis illã. Quid
exæstuas? quid turbaris? Nunquid quæsiturus es
te, aut empturus es te? Ecce tu q̃ es, qualis es, da te
illi rei, & habebis illã. Sed malus sum, inquies, &
forte me non accipit. Dando te illi, bonus eris. Vt
huic fidei promissionique te des, hoc est, bonũ esse.
Cum aũt bonus fueris, precium ipsius rei eris, &
habebis, non quod dixi solum, salutẽ, incolumita-
tem, uitam, & sine fine uitã, non hoc solum habe-
bis: adhuc alia tollo, Non ibi erit lassari & dormi-
re, non ibi erit esurire & sitire, non ibi erit crescere
& senescere, quia nec nasci erit, ubi numeri inte-
gri manent. Numerus qui est ipse est, nec opus est
ut augeat̃, quia non ibi fit ut minuat̃. Ecce quanta
tuli, & nondũ dixi quid ibi erit. Ecce iam uita est,
iam incolumitas est, iam nulla pœna, nulla fames,
nulla sitis, nullus defectus, nihil horũ, & tamẽ nõ-

dum dixi, quod oculus nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Si em̃ dixi, falsum est A
q̃d scriptum est, Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit. Vnde em̃ ascẽderet in cor meũ, ut dicerẽ, q̃d in cor hominis non ascendit? Creditur & nõ uidetur, nõ solum non uidetur, sed nec dicitur. Qũo ergo creditur si non dicitur? Quis credit quod nõ audit? Si autem audit aut credit, dicitur: si dicitur, cogitatur: si cogitatur & dicitur, & in auribus hominũ intrat. Et quia nõ diceretur, nisi cogitaretur, & in cor hominis ascendit. Iam ecce ista quæstio tantæ rei conturbat nos, ut non possimus uerbis explicare quæstionem: Quis explicat rem? Attendamus itaq; euangeliũ, modo dñs loquebat̃, & faciamus quod ipse dixit.

Qui credit in me, inquit, transitum facit à morte in uitam. Amen dico uobis, quia uenit hora & B
nunc est, quando mortui audient uocem filij dei, & qui audierint uiuent. Sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso.] Generando dedit: quia genuit, dedit. Filius enim de patre est, pater non est de filio, sed pater filij pater est, & filius patris est filius. Veruntamẽ filius de patre genitus, non pater de filio, & semper filius: Semper ergo genitus. Quis hoc capiat, semper genitum? Omis em̃ homo cum audit genitum, occurrit illi: Ergo erat tẽpus, quando nõ erat iste qui genitus est. Quid ergo dicimus? Non sic erat tempus ante filium, quia omnia p ipsum facta sunt. Si omnia p ipsum facta sunt, & tẽpora per ipsum facta sunt: Qũo possent esse tempora ante filiũ, per quẽ facta sunt tempora? Tolle ergo omia tẽpora, semper cum patre filius. Si semper cum patre filius, & tñ filius semper genitus. Si semper genitus, semper cum genitore erat qui genitus est. Nunq̃ hoc uidi, inquies tu, aliquem generantẽ & semper cum illo quem genauit: sed pręcessit ille qui genauit, & secutus est tẽpore ille qui generatus est. Bene dicis, nunq̃ hoc uidi, quia hoc ad illud pertinet quod oculus non uidit. Quęris qũo dicatur, Non potest dici, quia nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit. Credat̃ & colat̃. Cum creditur colitur, cum colitur creditur, cum credit̃ capitur. Adhuc em̃ in ista carne q̃diu peregrinamur à dño, ad angelos sanctos qui hoc uident infantes sumus, lactandi fide, pascendi specie: sic em̃ dicit Apostolus, Quandiu sumus in corpore, peregrinamur à domino. Per fidem em̃ ambulamus non per speciẽ. Vẽturi sumus ad speciem, quę nobis sic promittit̃ per Ioannẽ in epistola eius. Dilectissimi, filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Filij dei sumus per gratiã, p fidẽ, per sacramentũ, p sanguinẽ Christi, p redemptionẽ saluatoris, filij dei sumus, & nõdum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit ei similes erimus, qm̃ uidebimus eum sicuti est. Ecce ad quod nutrimur capiendum, ecce ad quod nutrimur percipiendum, comedẽdum, ut tamen quod comeditur non minuatur, & qui comedit uegetetur. Non modo cibus uegetat comedendo, sed minuitur cibus qui comeditur, Quando autẽ cœperimus comedere iustitiã, comedere sapientiã, comedere illum immortalem cibum, & nos uegetamur, & cibus nõ minuitur. Si enim nouit oculus pasci luce, nec tamen minuit lucẽ: non em̃ minor erit lux, q̃a uidetur à pluribus, plurium oculos pascit, & tamẽ tanta est quanta erat, & illi pascuntur & illa nõ minuit̃. Si deus dedit hoc luci, quam fecit ad oculos carnis, quod est ipse lux ad oculos cordis? Si ergo laudaret̃ tibi aliquis cibus magnus quẽ pransurus esses, parares uentrẽ: Laudatur tibi deus, para mentem: ecce quid tibi dicit dominus tuus, Veniet hora, inquit, & nũc est. Veniet hora, & ipsa hora nũc est. Quando, quid? Quando mortui audiẽt uocem filij dei, & qui audierint, uiuent. Qui ergo non audierint non uiuent. Quid est, qui audierint? Qui obedierint. Quid est, qui audierint? Qui crediderint & obtemperauerint, ipsi uiuent. Ergo anteq̃ crederent & obedirent mortui iacebant, & ambulabant & mortui erant. Quid ualebat quia ambulabant mortui? Et tamen si quis inter illos moreretur corpore, currerẽt, sepulchrũ pararent, inuoluerent, portarent, sepelirent mortui mortuum: de quibus dictũ est, Sine mortuos sepelire mortuos Matt.8
suos. Tales mortui sic suscitantur uerbo dei, ut uiuant in fide. Qui mortui erant in infidelitate, uerbo excitantur: de ipsa hora dicit dominus, Veniet hora & nunc est. Verbo enim suo suscitabat mortuos infideles: de quibus dicit Apostolus, Surge q Ephes.5
dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Hæc resurrectio mentium est, hæc resurrectio interioris hominis est, hæc resurrectio animæ est. Sed non ista sola est, restat & corporis. Qui C
resurgit in anima, bono suo resurgit in corpore. Non enim omnes resurgunt in anima, omnes resurrecturi sunt in corpore. In anima, inq̃, non oẽs resurgũt, sed qui credunt & obediunt, quia qui au 2.Thes.3
dierint, uiuent: sicut aũt ait Apostolus, Non omniũ est fides. Si ergo non omniũ est fides, non oẽs resurgunt in anima. Cum uenerit hora resurrectionis corporis, omnes resurgent: Boni sint, mali sint, omẽs resurgent, Sed qui prius resurgit in anima, bono suo resurgit in corpore: Qui non resurgit in anima, malo suo resurgit in corpore. Qui resurgit in anima, resurgit in corpore ad uitam: Qui nõ resurgit in anima, resurgit in corpore ad pœnam. D
Quia ergo dominus cõmendauit nobis resurrectionem istam animarum, ad quam oẽs debemus festinare, in qua laborare ut uiuamus & uiuendo usq̃ ad finem perseueremus, restabat ut cõmendaret nobis etiã resurrectionem corporũ quæ futura est in fine seculi. Sed audite qũo & ipsam cõmendauit, cum dixisset, Amen dico uobis, quia ueniet hora & nunc est quãdo mortui, id est, infideles audient uocem filij dei, id est, euangelium: & qui audierint, id est, qui obedierint, uiuent, id est, iustificabuntur, & infideles iam non erunt: cum ergo dixisset, quoniã uidit docendos nos esse & de resurrectione carnis, non sic relinquẽdos, secutus est & ait, Sicut enim habet pater uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso, hoc ad suscitandas mentes, hoc ad uiuificandas mentes:

deinde

deinde adiecit, Et potestatẽ dedit ei facere iudicium, quoniã filius hominis est.] Iste filius dei, filius hominis est. Etenim si filius dei, filius dei maneret, & filius hominis non fieret, filios hominum non liberaret, Ipse qui fecerat hominem, factus est quod fecit, ne periret quod fecit. Sic autem factus est homo, ut maneret filius dei. Factus est homo suscipiendo quod non erat, non perdendo quod erat. Manens deus, factus est homo. Accepit te, non consumptus est in te. Talis ergo ad nos uenit, filius dei filius hominis, faciens & factus, creator & creatus, creator matris, creatus ex matre. Talis ad nos uenit. Secundum id quod filius dei est, ait, Veniet hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij dei. Non dixit filij hominis: Veritatem em̃ commendabat, in qua æqualis est patri. Et qui audierint uiuent. Sicut em̃ pater habet uitam in se B
metipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso. Non participando, sed in semetipso. Nos enim non habemus uitã in nobisipsis sed in deo nostro. Ille autẽ pater uitam in semetipso habet, & talem genuit filium qui haberet uitam in semetipso. Nõ fieret uitæ particeps, si ipse uita nõ esset cuius nos uitæ participes essemus: Planè ut haberet uitam in semetipso, & esset ipse uita. Vt autem fieret filius hominis, à nobis accepit, Filius dei in semetipso, filius hominis ut esset à nobis accepit. De suo filius dei, de nostro filius hominis. Quod minus est, à nobis suscepit: quod plus est, nobis dedit. Nam & mortuus est ex illo q̃d filius hominis est, non secundum illud quod filius dei. Mortuus est tamen filius dei, sed secundum carnem mortuus, C
non secundum uerbum q̃d caro factum est, & habitauit in nobis. Ergo q̃d est mortuus, de nostro mortuus est. Quod uiuimus de ipsius uiuimus. Nec ille potuit mori de suo, nec nos uiuere de nostro. Hoc ergo tãq̃ deus, tãq̃ unigenitus, tanq̃ generãti æqualis, cõmẽdauit nobis dñs Iesus, q̃d si audierimus uiuemus. Sed & potestatẽ, inquit, dedit ei iudicium facere, qm̃ filius hominis est. Ergo ad iudicium illa forma uentura est. Forma hominis uẽtura est ad iudicium, ideo ait, Potestatem dedit ei iudicium facere, qm̃ filius hominis est. Iudex hic erit filius hominis, forma illa hic iudicabit quæ iudicata est. Audite & intelligite: iam hoc propheta Ioan.19
dixerat, Videbunt in quem pupugerunt. Ipsam D
formã uidebunt quam lancea percusserunt. Sedebit iudex, qui stetit sub iudice. Damnabit ueros reos, qui factus est falsus reus. Ipse ueniet, forma illa ueniet. Hoc & in euangelio habes, Cum ante oculos discipulorum suorum iret in cœlum, stabãt Act.1
illi & attẽdebant, & sonuit uox angelica, Viri Galilæi quid statis &c. Hic Iesus sic ueniet, quomodo uidistis euntem in cœlum. Quid est, sic ueniet? In ipsa forma ueniet. Potestatem enim dedit ei iudicium facere, qm̃ filius hominis est. Videte aũt qua ratione hoc oportebat, & hoc rectum erat ut iudicandi uiderent iudicem. Iudicandi aũt erãt & boni & mali. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Restabat ut in iudicio formæ seruí & bonis & malis ostenderetur, forma dei solis

Aug.to.10

bonis seruaretur. Quid enim accepturi sunt boni? Ecce iam dico quod paulo ante non dixi, & tamẽ A
dicẽdo non dico. Dixi enim, quia erimus i lic salui, erimus incolumes, erimus uiuentes, erimus sine pœnis, erimus sine fame & siti, erimus sine defectu, erimus sine orbitate oculorum nostrorũ. Totum hoc dixi, & quid habebimus plus? Nondum dixi: Videbimus deum. Hoc autem tãtum erit & tanta res erit, ut eius comparatiõe nih il sit totum. Dixi quòd uiuentes erimus, quòd salui & incolumes, quòd famem sitimq̃ non patiemur, quòd in lassitudine non cadimus, quòd somnus non nos premit. Totum hoc quid est ad illã felicitatem qua deum uidebimus? Quia ergo deus ipse ut est, modo ostendi non potest, quem tamen uidebimus, ideo quod oculus non uidit, nec auris audiuit, hoc
uidebunt boni, hoc uidebũt pij, hoc uidebunt misericordes, hoc uidebunt fideles, hanc uidebunt B
bonam sortem in resurrectione corporis, qui habuerunt bonã obedientiam in resurrectione cordis. Ergo & malus deum uisurus est: de quo dicit Esaias, Tollatur impius ne uideat gloriam dei. Ergo & pij & impij uidebunt formam dei, & cum fuerit dicta sententia, tollatur impius ne uideat claritatem dei, restat ut circa pios & bonos implea tur quod dominus ipse promisit cũ hic in carne esset, & uideret̃ nõ solum à bonis sed etiam à malis. Loquebatur inter bonos & malos, & conspicuus omnibus, deus occultus, homo manifestus, deus regẽs homines, homo apparẽs inter homines: loquebat̃ ergo inter illos & dicebat, Qui diligit me Ioan.14
mandata mea custodit, & qui diligit me diliget̃ à C
patre meo, & ego diligam eum. Et quasi diceret̃ illi, & quid ei dabis? Et ostendam me illi. Quando hoc dixit? Quando ab hominibus uidebatur. Quando hoc dixit? Quando & ab eis uidebatur, à quibus nõ dilígebatur. Quomodo ergo se ostensurus erat dilectoribus suis, nisi quia talem qualem non uidebant dilectores suis? Ergo quia forma dei seruabatur, forma hominis ostendebatur. Per formam hominis hominibus loquens, conspicuus & uisibilis & bonis & malis omnibus ostendebat se, dilectoribus suis seruabat se. Quando se demonstraturum dilectoribus suis? Post resurrectionem corporis, quando tolletur impius ne uideat claritatem dei. Tunc enim cum apparuerit, si D
miles ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Ipsa est uita æterna. Nam totũ quicquid dicebamus, nihil est ad illam uitam qua uiuimus quidem qui salui sumus, quia uidebimus deum magnum. Ipsa est uita æterna: ipse hoc dicit, Hæc est Ioan.17
autem uita eterna, ut cognoscant te unum uerum deum, & quẽ misisti Iesum Christum. Hæc est uita æterna, ut cognoscant, uideant, capiant, norint quod crediderant, percipiãt quod nondum capere poterant. Iam uideat mens, quod oculus non uiderat, nec auris audierat, nec in cor hominis ascenderat: hoc illis dicetur in fine, Venite benedicti pa Matt.25
tris mei, percipite regnum quod uobis paratũ est ab initio mundi. Ibunt ergo illi mali in combustionem æternã. Iusti autẽ quo? In uitã æternam. Quid

 est uita

est uita æterna? Hæc est uita æterna, ut cognoscãt te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum. Loquens ergo de futura resurrectione corporis, & non suos dimittens, ait, Potestatẽ dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc quia ueniet hora.] Ibi non addidit, Et nũc est, quia ista hora postea erit, quia ista hora in fine seculi erit, quia ista hora nouissima erit, in nouissima tuba erit. Nolite mirari quia hoc dixi, Dedit ei potestatẽ iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari: Ideo dixi, quia hominem ab hominib. oportet iudicari. Quibus hominibus iudicandis? Quos inuenit uiuos. Non solum. Sed quid? Veniet hora quando hi qui sunt in monumentis. Quomodo expressit carne mortuos, qui sunt in monumentis, quorum iacẽt sepulta cadauera, quorum fauillæ sunt tectæ, quorum ossa dispersa sunt, quorum caro iam non est, & tamẽ deo integra est? Veniet hora quando omnes qui sunt in monumentis audient uocem eius, & prodient omnes.] Boni sint, mali sint, audient uocẽ & exient. Rumpuntur omnia uincula inferorum, omne quod perijt, imò perisse putatur, restituetur. Si em̃ deus fecit hominẽ qui non erat, non reparare potest quod erat? Puto quia cum dicitur, Deus mortuos suscitaturus est, non res incredibilis dicitur, quia de deo non homine dicitur. Magna res est quæ fiet, & incredibilis res est quæ fiet, sed non sit incredibilis, quia uide qui facit. Ille dicitur quòd suscitabit te, qui creauit te. Non eras & es, & factus non eris? Absit, ne credas. Mirabilius aliquid fecit deus quando fecit quod non erat, & non creditur reparaturus quod erat, ab eis ipsis quos fecit quod non erant? Hoc est quod rependimus deo, qui nõ eramus, & facti sumus? Hoc illi rependimus, ut eum resuscitare quod fecit non posse credamus? Hęc est merces quam illi reddit creatura sua? Ideo te feci, dicit tibi deus, ô homo antequã esses, ut nõ mihi credas futurum te esse qui eras, qui potuisti esse quod non eras? Sed ecce, inquit, in sepulchro quod uideo fauilla est, cinis est, ossa sunt, & hoc item accipiet uitã, cutem, pulpas, carnem, & resurget? Quid fauilla ista, quã uideo in sepulchro? Vel in sepulchro uides fauillã, uides ossa, in utero matris tuæ nihil erat. Hoc uides, uel fauilla sunt uel ossa sunt, Tu antequam esses nec fauilla erat, nec ossa erant, & tamen factus es, cum omino non esses, & credis quia ossa ista quoquo modo sunt, qualiacunque sunt, quia sunt tamen, recipiant formam quam habebant, cum tu acceperis quod nõ habebas. Crede, quia si crediderís hoc, tunc suscitabitur anima tua. Et si suscitabitur anima tua, tunc ueniet hora & nunc est. Tunc bono tuo resurgit caro tua, quando ueniet hora, ut omnes qui sunt in monumentis audiant uocem eius & procedant. Non enim quia audis & prodis, iam gaudere debes: audi quid sequitur, Qui bona egerunt in resurrectionem uitæ, qui autem mala egerunt in resurrectionem iudicij.] Conuersi ad dominum &c.

Libri sermonum de uerbis domini, Finis.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, LIBER Sermonum De uerbis Apostoli.

De indiuidua Trinitate & inseparabili unitate, Arianorumq; confutatione ac fidelium populorũ de fide catholica cõfirmatione, Sermo I

SANCTA & diuina eloquia fratres iugiter, imò quotidie nobis salubriter recitantur, ut animæ nostræ pascantur: in futuro autẽ seculo æternis epulis saginentur, dicente propheta, Satiabor dũ manifestabitur gloria tua. Psal.16

Qualis sit autem hæc gloria futura, & quibus diuitijs floreat, quantoq; splendore prefulgeat, laudare possumus, explicare non possumus. Quare? Quia legimus, Nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit deus diligentibus se. Si igitur tanta & talia sunt bona æterna cœlestia quæ dñs omnipotens præparauit sanctis suis catholicis & fidelibus populis, quid est ipse deus qui talia & tanta præparauit? Isa.64 Quid est, inquam, omnipotens deus? Quid nisi inæstimabilis, ineffabilis, incõprehensibilis, ultra omnia, extra omnia, præter omnia? Omnem enim creaturã suam excedit, omnẽ facturã preterit, uniuersa præcellit. Si enim quæras magnitudinem, maior est, si pulchritudinem, pulchrior, si dulcedinem, dulcior, si splendorem, fulgidior, si iustitiam, iustior, si fortitudinẽ, fortior, si pietatem, clemẽtior. Nulla enim ratio patitur, ut uel factura factori suo æquetur, uel opus artifici comparetur, sicut legitur in propheta, Qui fecit fortia, fortior est, & qui fecit pulchra, pulchrior illis est. Sic autem huius unicæ deitatis præcelsa insignia prædicamus, ut tamen non sicut Iudæi, sed sicut Christiani, trinitatis diuina mysteria pariter fateamur. Sicut enim omnipotens & ineffabilis pater est, ita omnipotens & incomprehensibilis filius, ita etiam spiritussanctus in patre & filio indiscrete connexus, ineffabilis atque immensus est. Pater enim & filius & spiritussanctus, unus omnipotens deus, unus in trinitate, unus in potestate, unita trinitas, sempiterna maiestas, unum potens per omnia, & trinitas in unitate, & unitas in trinitate consistit, sed nec trinitas diuiditur, nec unitas separatur. Hac igitur catholica fide armati atque instructi charissimi, nefandos Arianos hæreticos qui se hoc tempore impie iactitãt, & multos Christianos nostros seducendo corrumpunt atque decipiunt, breuiter percontemur, quomodo orant dominum, qui sentiunt contra dominum. Respõdent nobis dicẽtes, Oramus dominum utiq; in trinitate, sed ut legimus patrem maiorem, filium minorem

norem, spiritũsanctum inferiorẽ, quia ipse Christus dicit, Pater maior est me. His respondemus. Ioan.14 Sic, inquam, oratis & colitis deum? Sic planè, sic legimus, sic colimus, sic oramus. Ad hos dicimus, Si ergo ita deum colitis & oratis, hoc non est deum magnum unum colere & rogare, sed tres deos facere: & ubi est quod in lege diuina legitur? Deut.6 Audi Israel, dominus deus tuus deus unus est. Et iterum alibi ait, Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Si enim aliud est pater, aliud filius, aliud spiritussanctus, iam non est una trinitas, sed diuisa potestas. Quomodo autem discrepans potestas stare potest? Iuxta euangelium legimus, Matt.12 Domus in semetipsa diuisa uel regnum, stare non potest. Quomodo aũt diuinitas à semetipsa discernitur, cum lucis splendor aut solis calor nullatenus separetur? Ecce enim sicut uidimus, in sole tria sunt, & separari omnino non possunt. Quæ autem tria sunt uideamus, Cursus, splendor & calor. Videmus enim solem in cœlo currentem, fulgẽtem, calentem. Diuide ergo, si potes, Ariane solem, & tum demum diuide trinitatem. Sed fortassis de sole discernendo difficilis est ratio, quia in cœlo est, & à nobis longe positus est. Ecce aliud proponimus elementum quod minus est, & in terra nobiscum est, Ignem dico qui in manibus nostris habetur, & tamen non diuiditur. Et ignis em̃ tria habet, & diuidi non potest, hoc est, motum, lucem & feruorem. Si igitur nefande hæretice diuidere non potes creatum solem & ignem, quomodo potes diuidere deum omnium creatorem? Audi autem & disce hanc magnam & unicam trinitatem ab exordio generis humani fuisse ostensam. Audi in lege & prophetis, in psalmis & in euangelio. Audi in apostolo proculdubio declaratam. Audi inquam in Genesi, Gen.1 Fecit deus hominem ad imaginem dei. Vt simul ostenderet inseparabilem trinitatem, ait in eo libro, Et spiritus dei ferebatur super aquas. Audi prophetam dicentem ex persona Christi, Spiritus domini super me propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me. Isa.61 Audi in psalmis, Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et iterum, Psal.132 Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Psal.50 Audi hoc idem in euangelio confirmatum. Dominus Christus apostolis dicit, Matt.28 Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Euntes baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & spiritussancti. Rom.11 Audi Apostolum, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientię dei, quàm in scrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Quis em̃ cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sũt omnia, ipsi gloria in secula seculorũ, Amẽ. Si igitur tam ueteribus quàm nouis scripturis satis aperteq; probatum est diuinam unitatem, trinitatem inseparabilem, spretis penitus hæreticis secundum Apostolum, Hæreticum post unam correptionem deuita, iam fideles nostros populos de ipsa fide catholica confirmemus. Ad Tit.3 Nullæ quippe sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mũdi huius maior substantia q̃ est fides catholica, quę peccatores homines saluat, cęcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, uirgines, uiduas & coniugales casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, in æterna hæreditate cum angelis sanctis communicat. Sicut ipse dominus promittendo confirmat. In resurrectione neq; nubunt neq; uxores ducunt, sed erunt æquales angelis dei, per Christum dominũ nostrum, qui cum patre & spitusancto uiuit & regnat deus per omnia secula seculorum, Amen. Matt.22

De corpore & sanguine domini Iesu Christi, & de uerbis Apostoli, Cum timore & tremore uestram salutem operamini. Philip.2 Sermo II

VDIVIMVS ueracem magistrum, diuinum redemptorem, humanum saluatorem commendantem nobis precium nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore & sanguine suo, corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium. Agnoscunt fideles. Audientes autem quid aliud quàm audiunt? Cum ergo commendans talem escam & talem potum diceret, Nisi manducaueritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis uitam in uobis (& hoc diceret de uita, quis alius quàm ipsa uita? erit autem illi homini mors non uita, qui mendacem putauerit uitam) scandalizati sunt discipuli eius, non quidem omnes, sed plurimi, dicentes apud semetipsos, Durus est hic sermo, quis eum potest audire? Cum autem hoc dominus apud semetipsum cognouisset, & murmur ac cogitationes audisset, cogitantibus nec sonantibus uoce respondit, ut se auditos esse cognoscerent, & talia cogitare desinerent. Quid ergo respondit? Hoc uos scandalizat? Si ergo uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. Quid sibi uult, hoc uos scandalizat? Putastis quia de hoc corpore quod uidetis partes facturus sum, & membra mea concisurus & uobis daturus? Quid si ergo uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Certe qui integer ascẽdere potuit, consumi non potuit. Ergo de corpore ac sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem, & tam magnam breuiter soluit de sua integritate quæstionem. Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt, esuriant & sitiant, uitam manducent, uitam bibant. Illud manducare refici est, sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficeris. Illud bibere quid est nisi uiuere? Manduca uitam, bibe uitam, habebis uitam, & integra est uita. Tunc autem hoc erit, id est, uita unicuiq; erit corpus & sanguis Christi: si quod in sacramẽto uisibiliter sumitur, in ipsa ueritate spiritaliter mãducetur, spiritaliter bibatur. Audiuimus enim ipsum dominum dicentem, Spiritus est qui uiuificat, caro autem non prodest quicquam. Verba quæ locutus sum uobis, spiritus & uita sunt. Sed

ſunt, inquit, quidam, qui non credunt, ipſi dicebant, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Durus eſt, ſed duris, id eſt, incredibilis, ſed incredulis. Sed ut doceret nos etiam ipſum credere doni eſſe non meriti, Sicut, inquit, dixi uobis, nemo uenit ad me niſi cui datum fuerit à patre meo. Vbi autem hoc dominus dixerit, ſi ſuperiora euangelij recolamus, inuenimus eum dixiſſe,
Ioan.6 Nemo uenit ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum. Non dixit, duxerit, ſed traxerit. Iſta uiolentia cordi fit non carni. Quid ergo miraris? Crede & uenis, ama & traheris. Ne arbitreris iſtam aſperam moleſtamq; uiolentiam, dulcis eſt, ſuauis eſt, ipſa ſuauitas te trahit. Nónne ouis trahitur, cum eſurienti herba monſtratur? Et puto quia non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur: ſic & tu ueni ad Chriſtum, noli longa itinera meditari. Vbi credis, ibi uenis. Ad illum enim qui ubique eſt amando uenitur, non nauigando. Sed quoniam etiam in tali itinere abundant fluctus & tempeſtates diuerſarum tentationum, in crucifixum crede, ut fides tua lignum poſſit aſcendere. Nõ mergeris, ſed ligno portaberis. Sic ſic in huius ſeculi fluctibus nauigabat ille qui dicebat, Mihi
Gal.6 autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Mirum eſt autem quòd prædicato Chriſto crucifixo, audiunt duo, unus contemnit, alter aſcendit. Qui contemnit, imputet ſibi, qui aſcendit non arroget ſibi. Audiuit enim à ueraci magiſtro, Nemo uenit ad me, niſi datum fuerit ei à patre. Gaudeat quia datum eſt, gratias agat danti corde humili, non arroganti, ne quod humilis meruit, ſuperbus amittat. Nam etiam qui iam in ipſa uia iuſta ambulant, ſi ſibi eam tribuerint & uiribus ſuis, pereunt de illa. Ideo humilitatem docẽs
Philip.2 nos ſancta ſcriptura, per Apoſtolum dicit, Cum timore & tremore ueſtram ipſorum ſalutem operamini. Et ne ſibi aliquid inde darent quia dixit, operamini, continuo ſubiunxit, Deus enim eſt qui operatur in uobis, & uelle & operari pro bona uoluntate. Deus eſt qui operatur in uobis, ideo cum timore & tremore uallem facite, imbrem ſuſcipite, depreſſa implentur, alta ſiccantur. Gratia plu-
Iacob.4 uia eſt. Quid ergo miraris, ſi deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam? Ideo cum timore
Rom.11 & tremore, id eſt, cum humilitate: Noli altum ſapere, ſed time. Time ut implearis, noli altum ſapere ne ſicceris. Sed iam, inquis, ambulo uiam iſtam, opus erat ut diſcerem, opus erat ut per doctrinam legis ſcirem quid agerem. Habeo liberum uoluntatis arbitrium, quis me ab iſta uia ſeparabit? Si legas diligenter, inuenies quendam de ſua quadam abundantia, quam tamen acceperat, extollere ſe cœpiſſe: dominum autem miſericordem ut doceret humilitatem, quod dederat abſtuliſſe: illum uero ſubito inopem remãſiſſe, & miſericordiam dei
Pſal.29 recordatione confeſſum diximſſe, Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Ego dixi
Pſal.115 in abundantia mea. Sed ego dixi, homo dixi, Omnis homo mendax. Ego dixi. Ego ergo dixi in abũdantia mea. Tanta erat abundantia ut hoc dicere

A auderem, Non mouebor in æternum. Quid deinde? Domine in uoluntate tua præſtitiſti decori meo uirtutem, Auertiſti autem faciem tuam, & factus ſum conturbatus. Oſtendiſti, inquit, mihi, quia illud quo abundabam de tuo erat. Oſtendiſti mihi unde peterem, cui retribuerem quod acceperam, cui gratias agere deberem, ad quem currerem ſitiens, unde implerer, & quo impletus eſſem ad quem cuſtodirem. Fortitudinem enim meam ad te cuſtodiam. Quod te largiente impleã, te ſeruatore non perdam. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Hoc ut oſtenderes mihi, auertiſti faciem tuam, & factus ſum conturbatus. Conturbatus, quia ſiccatus: ſiccatus, quia exaltatus. Dic ergo ſiccus & aridus, ut rurſus implearis, Anima Pſal.142
B mea uelut terra ſine aqua tibi. Dic anima mea uelut terra ſine aqua tibi. Tu enim dixeras, non dominus dixerat, Non mouebor in æternum, Tu dixeras præſumens de te, ſed non de tuo, & quaſi putabas de tuo. Quid ergo dominus dicit? Ser- Pſal.2
uite domino in timore, & exultate ei cum tremore: Sic Apoſtolus, Cum timore & tremore ueſtrã ipſorum ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in uobis. Ergo exultate cum tremore, nequando iraſcatur dominus. Video quia clamando præuenitis. Quid enim dicturus ſum ſcitis, clamando præuenitis. Et hoc unde habetis, niſi quia docuit ad quem credendo ueniſtis? Hoc ergo dicit, audite quod noſtis, non doceo, ſed commemo
C ro prædicando, imò nec doceo, quia noſtis, nec commemoro quia meminiſtis, ſed ſimul dicamus quod nobiſcum tenetis. Hoc dominus dicit, Apprehendite diſciplinam & exultate, ſed cum tremore, ut ſemper humiles teneatis quod accepiſtis, ne quando iraſcatur dominus, utique ſuperbis ſibi quod habent tribuentibus, non illi à quo habent gratias agentibus. Ne quãdo iraſcatur dominus, & pereatis de uia iuſta. Nunquid dixit, ne quando iraſcatur dominus, & non ueniatis ad uiã iuſtam. Nunquid ne quando iraſcatur dominus, & non uos perducat ad uiam iuſtam, aut non uos admittat ad uiam iuſtam? Iam in illa ambulatis, noli te ſuperbire, ne etiam de illa pereatis. Et pereatis, inquit, de uia iuſta, cum exarſerit in breui ira eius ſuper uos. Non in longum, Vbi ſuperbis,
D ibi quod acceperas perdis. His territus homo quaſi diceret, Quid ergo faciam? Sequit̃, Beati omnes qui confidunt in eum. non in ſe, ſed in eum. Gratia ſalui facti ſumus, non ex nobis, ſed dei donum eſt. Forte dicatis, Quid ſibi uult quod hoc ſępe dicit? Iterum hoc, & tertio hoc, & proprie nunquam loquitur niſi quando iſta dicit. Vtinam nõ ſine cauſa dicam. Sunt enim homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi ſauciæq; naturę. Verum eſt, magnas arbitrij liberi uires homo cum conderetur accepit, ſed peccando amiſit. In mortem lapſus eſt, infirmus factus eſt, à latronib. ſemiuiuus in
uia relictus eſt: in iumentum ſuũ leuauit eum tran Luca 10
ſiens Samaritanus, quod interpretatur cuſtos, ad ſtabulum adhuc perducitur. Quid extollitur? Ad huc curat̃. Sed ſufficit, inquit, mihi, q; in baptiſmo accepi

accepi remiſſionẽ omniũ peccatorũ. Nũquid q̃a
A deleta eſt iniquitas, finita eſt infirmitas? Accepi, inquit, remiſſionem omniũ peccatorũ. Prorſus uerum eſt, deleta ſunt cuncta peccata in ſacramento baptiſmatis, cuncta prorſus, dicta, facta, cogitata, cuncta deleta ſunt. Sed hoc eſt quod infuſum eſt in uia, oleũ & uinum. Retinetis, ſemiuiuus in uia ille à latronibus ſauciatus, quomodo ſit conſolatus, accipiens oleũ & uinum uulneribus ſuis. Iam utiq; errori eius indultũ fuit, & tamen ſanat̃ languor in ſtabulo. Stabulũ ſi agnoſcitis, eccleſia eſt. Stabulũ modo quia uiuendo tranſimus, domus erit unde nunquam migrabimus cum ad regnum cœlorũ ſaniperuenerimus. Interim in ſtabulo libenter curemur non adhuc languidi de ſanitate gloriemur, ne nihil aliud ſuperbiendo faciamus, niſi ut nunquam curando ſanemur. Benedic anima mea dominum, dic animæ tuæ, dic, Adhuc in hac uita es, adhuc carnẽ fragilem portas, adhuc corpus quod corrumpit̃ aggrauat animã: adhuc poſt integritatem remiſſionis accepiſti remedium orationis: ad huc utique dicis, donec ſanentur lãguores tui, Dimitte nobis debita noſtra. Dic ergo animæ tuæ, humilis uallis, non erectus collis, dic animæ tuæ, Benedic anima mea dñm & noli obliuiſci oẽs retributiones eius: Quas retributiões? Dic, enumera, gratias age. Quas retributiones? Qui propitius fit omnibus iniquitatib. tuis. Hoc factũ eſt in baptiſmo, Quid fit modo? Qui ſanat oẽs languores tuos. Hoc fit modo, Agnoſco. Sed quamdiu hic ſum, corpus quod corrũpitur aggrauat animam. Dic ergo & quod ſequitur, Qui redimit de corru
ptione uitã tuã. Poſt redemptionẽ de corruptione
1.Cor.15 quid reſtat? Quando corruptibile hoc induerit incorruptionẽ, & mortale hoc induerit immortalitatẽ, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in uictoria. Vbi eſt mors contentio tua? Ibi recte. Vbi eſt mors aculeus tuus? Quæris locũ eius & nõ inuenies. Quid eſt aculeus mortis? Quid eſt, ubi eſt mors aculeus tuus? Vbi eſt peccatum? Quæris, & nuſquã eſt. Aculeus em̃ mortis eſt peccatũ. Apoſtoli, non mea uerba ſunt. Tũc dicet̃, Vbi eſt mors aculeus tuus? Nuſquã erit peccatum, nec quod te capiat, nec quod te impugnet, nec quod conſcientiã tuã titillet. Tũc nõ dicet̃, Debita
Eſa.26 noſtra dimitte nobis: ſed quid dicetur? Dñe deus
D noſter pacẽ da nobis, omnia em̃ reddidiſti nobis. Deniq; poſt redemptionẽ ab omni corruptione, quid reſtat niſi corona iuſtitiæ? Ipſa certe reſtat, ſed etiã in ipſa uel ſub ipſa nõ ſit caput turgidũ, ut recipiat coronã. Audi, attende pſalmũ q̃ nolit corona illa turgidũ caput. Cũ diximſſet, Qui redimet de corruptione uitam tuã, qui coronat te, inquit. Iam hic dicturus eras, Coronat te, merita mea fatentur, uirtus mea fecit hoc: debitum redditur: non donatur. Audi potius pſalmum, nam & hoc tu dicis, Omnis homo mendax. Audi deus quid dicat, Qui coronat te in miſeratione & miſericordia. De miſericordia te coronat, de miſeratione te coronat. Non enim dignus fuiſti quem uocaret, & uocatum iuſtificaret, & iuſtificatum glori-

A ficaret. Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si autẽ gratia, non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia. Nam ei qui operat̃, merces non imputabitur ſecundũ gratiam, ſed ſecundum debitũ. Apoſtolus loquitur, Non ſecundum gratiam, ſed ſecundũ debitum. Te aũt coronat in miſeratione & miſericordia: & ſi tua merita præceſſerunt, dicit tibi deus, Diſcute bona merita tua, & uidebis quia dona ſunt mea. Hæc eſt iuſticia dei. Quomodo dicitur, Domini eſt ſalus, non qua Pſal.3
ſaluus eſt dominus, ſed quam dat eis quos ſaluos facit: ſic & dei gratia per Chriſtum dominum noſtrum, iuſticia dei dicitur, non qua iuſtus eſt dominus, ſed qua iuſtificat eos quos ex impijs iuſtos facit. Quidam uero, quoniam aliquando Iudæi &
B Chriſtianos ſe dici uolunt, & adhuc ignorantes dei iuſticiam, ſuam uolunt conſtituere, etiam temporibus noſtris, temporibus apertæ gratię, temporibus nunc reuelatæ, prius occultatæ gratiæ, nunc in area manifeſtæ gratiæ quæ aliquando latebat in uellere: paucos intellexiſſe uideo, plures non intellexiſſe, nequaquã tacendo fraudabo. Quidam de antiquis iuſtis Gedeon petiuit à domino ſi-
gnum & dixit. Peto domine ut uellus quod in a- Iud.6
rea pono compluat̃, & area ſicca ſit. Factũ eſt, conplutũ eſt uellus, area tota ſicca erat. Expreſſit mane uellus in peluim, quoniã humilibus datur gratia, & in pelui dominus noſtis quid fecerit diſcipulis ſuis. Item petiuit alterum ſignum, Volo, inquit, domine, ut uellus ſiccum ſit, area cõpluta. Et hoc factum eſt. Repete tẽpus ueteris teſtamenti, gratia occultata eſt in nube tanquã imber in uellere;
C Attende modo tẽpus nouí teſtamẽti, diſcute gentem Iudæorum, quaſi uellus ſiccũ inuenies, orbis uero totus tanquã illa area plenus eſt gratia, non occulta, ſed manifeſta. Vnde multum plãgere cogimur fratres noſtros, qui non contra occultam, ſed contra apertam gratiam manifeſtãq; contendunt. Ignoſcitur Iudæis, Quid Chriſtiani? Quare inimici gratiæ Chriſti? Quare de uobis præſumentes? Quare ingrati? Quare enim Chriſtus uenit? Nunquid natura hic non erat? Natura non erat, quam multum laudãdo decipitis? Nunquid lex hic non erat? Sed ait Apoſtolus, Si per legẽ iu Gal.2
ſticia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Quod ait
D Apoſtolus de lege, hoc nos iſtis dicimus de natura. Si per naturam iuſticia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Quod ergo dictum eſt de Iudęis, hoc omnino in iſtis uidemus. Zelum dei habent, ſed non ſecundũ ſcientiam. Quid eſt non ſecundũ ſcientiã? Ignorãtes enim dei iuſticiã & ſuam uolẽtes conſtituere, iuſticiæ dei non ſunt ſubiecti. Fratres mei, cõpatimini mecum. Vbi tales inueneritis, occultare nolite, non ſit in uobis peruerſa miſericordia: prorſus ubi tales inueneritis occultare nolite. Redarguite contradicentes, & reſiſtentes ad nos perducite. Iam em̃ de hac cauſa duo concilia miſſa ſunt ad ſedem apoſtolicam, inde etiam reſcripta uenerũt. Cauſa finita eſt, error utinam aliquãdo finiatur. Ergo ut aduertant monemus, ut inſtruant docemus, ut mutentur oremus. Conuerſi &c.

Gal.5 De uerbis Apostoli, Spiritu ambulate, & desideria carnis ne perfeceritis. Sermo III

A Si consideremus fratres, ante gratiã domini quid fuerimus, & per gratiam domini quid esse cœperimus, profecto inueniemus, ꝙ sicut homines in melius cõmutãtur, ita etiam terrarum loca quæ prius contra dei gratiam fuerunt, dei gratiæ dicantur. 2.Cor.6 Nos enim, sicut dicit Apostolus, templum dei uiui sumus, propter quod dicit deus, inhabitabo in illis & deambulabo. Quæ autem hic simulachra fuerunt, figi nouerunt, ambulare non nouerũt. Deambulat autem in nobis præsentia maiestatis, si latitudinem inuenerit charitatis. Ad hoc nos exhortans Apostolus ait, Dilatamini, ne sitis iugum ducẽtes cum infidelibus. Si dilatemur, deambulat in nobis deus, sed ut dilatemur operetur ipse deus. Si enim latitudinem charitas facit, quæ non nouit angustias, uidete quia deus sibi in nobis latitudinem facit, Rom.5 ipso dicente Apostolo, Charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctũ qui datus est nobis. Propter hanc latitudinem, inquam, in nobis deambulat deus. Modo Apostoli epistola cum recitaretur audiuimus, Gal.5 Spiritu ambulate, & desideria carnis ne perfeceritis, caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc inuicem aduersantur, ut non ea quæcunque uultis faciatis. Baptizatis dicebat, sed templum dei ædificabat, adhucnõdum dedicabat. Videte fratres mei, quemadmodũ cum loca ipsa terrena in melius conuertantur, alia diruuntur atque franguntur, alia in meliores usus cõmutantur, sic & nos sumus. Opera carnis fuerunt in nobis. Audistis cum commemorarentur, Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, idolorum seruitus, ueneficia, non beneficia, id est, non à bonis dicta, sed à uenenis, contentiones, inimicitiæ, hereses, inuidiæ, ebrietates, & his similia, deijcienda sunt non mutanda, quæ prædico inquit, uobis sicut prædixi, qnoniam qui talia agunt regnum dei non possidebunt. Ista in nobis tanꝗ idola frangenda sunt, in usus autẽ meliores uertẽda sunt ipsa corporis nostri mẽbra, ut quæ seruiebant immundiciæ cupiditatis, seruiant gratiæ charitatis. Sed uidete quid dixerit, & diligenter aduertite. Operarij dei sumus, adhuc ædificatur templum dei: in capite suo iam dedicatum est, quoniam dominus resurrexit à mortuis, deuicta morte, mortalitate consumpta, ascendit in cœlum, quia scriptus de illo erat psalmus dedicationis domus. Psal.26 Ideo post passionẽ dicit, Conuertisti luctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & accinxisti me iocunditate, ut psallat tibi gloria mea, & non compungar. Facta est ergo illa post passionem dedicatio in resurrectione. Ergo & nostra modo fit ædificatio per fidẽ, ut fiat & ipsa dedicatio per ultimã resurrectionẽ. Deniq; post istũ psalmũ dedicationis domus, ubi ostẽditur resuscitatio capitis nostri, alius est psalmus post istum, nõ Psal.95 ante istum, Sic habet titulus, Quãdo domus ędificabat post captiuitatẽ. Recolite captiuitatem, ubi

A ante fuerimus quando totũ mũdum uelut massam infideliũ diabolus possidebat. Propter hãc captiuitatem redẽptor aduenit, preciũ nostrum sanguinem suũ fudit. Fuso suo sanguine, captiuitatis nostræ instrumenta deleuit. Lex, inquit Apostolus, spiritalis est, ego aũt carnalis sum, uenundatus sub Rom.7 peccato. Antea sub peccato uenundati, sed postea gratia liberati. Post illam captiuitatẽ domus modo ædificatur, & ut ædificetur euangelizatur. Sic enim incipit psalmus iste, Cantate domino cantic- Psal.95 cum nouum. Et ne putes domum istam in uno angulo ædificari, sicut ædificant schismatici uel hæretici: attende quod sequitur. Cãtate domino omnis terra. Cantate domino canticum nouũ, contra canticum uetus: testamentum nouũ, quia prius te-
B stamentum uetus. Nouus homo, ut deponatur uetus homo. Col.3 Exuite uos, inquit, ueterem hominem cum actibus suis, & induite nouum qui secundum deum creatus est, in iusticia & sanctitate ueritatis. Ergo cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Cantate & ædificate, cantate & bene canite. Annuntiate diem ex die salutare eius, annuntiate diem ex die Christum eius. Quid est enim salutare eius, nisi Christus eius? Psal.84 Pro isto salutari orabamus in psalmo, Ostende nobis domine misericordiã tuã, & salutare tuũ da nobis. Desiderabant hoc antiqui iusti salutare, de quibus dñs dicebat discipulis, Multi uoluerũt Luce.10 uidere quæ uos uidetis, & nõ potuerunt. Et salutare tuũ da nobis. Dixerunt hoc antiqui iusti, Salu-
C tare tuum da nobis, Christũ tuum cum in hac carne uiuimus uideamus, uideamus in carne qui nos liberet à carne, ueniat caro mundans carnem, patiatur caro, & redimat animam & carnem. Et salutare tuum domine da nobis. In hoc desiderio erat ille sanctus senex Simeon, In hoc, inquam, desiderio erat senex ille sanctus & de deo bene meritus Simeon, sine dubio & ipse dicebat, Ostẽde nobis domine misericordiã tuam, & salutare tuũ da nobis. In hoc desiderio, in talibus precibus responsum accepit, quia nõ gustaret mortẽ, nisi uideret Christũ dñi. Natus est Christus, ueniebat ille, ille ibat, sed donec ueniret ille ire nolebat. Iam senectus matura excludebat, sed syncera pietas detinebat. At ubi uenit, at ubi natus est, at ubi eũ portari matris manibus uidit, & diuinam infantiam
D pia senectus agnouit, accepit eum in manus suas & dixit, Nunc dimittis domine seruum tuum in Luca.2 pace, quia uiderunt oculi mei salutare tuum. Ecce unde dicebat, Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Impletum est desiderium senis, mundi ipsius senectute uergente. Ipse ad senem hominem uenit, qui mũdum ueterem inuenit. Ergo si mundum ueterem inuenit, audiat mundus, Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Destruatur uetustas, nouitas surgat. Cantate domino canticum nouum, cantate domino. Videte certamen ædificantium. Cantate domino, benedicite nomen eius, bene nuntiate, quod est græce euangelizate, Quid? Diem ex die. Quem diẽ ex die? Lumen

men ex lumine, filium de patre, salutare eius. An-
A nuntiate in gentibus gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius. Ecce quomodo domus ædi- Psal.18 ficatur post captiuitatem. Terribilis est super omnes deos. Super quos deos? Quoniam omnes dij gentium dæmonia, dominus autem cœlos fecit. Sanctos fecit, Apostolos fecit, Quoniam cœli enarrant gloriam dei. Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur uoces eorum. In omnem terrã exiuit sonus eorum, quia omnis terra cantat canticum nouum. Audiamus ergo & Apostolum, architectum magistri, Vt sapiẽs, inquit, 1.Cor.3 architectus fundamentum posui. Audiamus ergo istum architectum quædam nota construentem, Gal.5 quædam uetera deijcientem. Spiritu, inquit, ambulate. Noua est ista constructio. Et concupiscentias carnis ne perfeceritis. Veterum est ista destructio. Caro enim, inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim in uicem aduersantur, ut non ea quæ uultis faciatis. Adhuc enim ædificamini, nondum dedicamini, ut non ea quæ uultis faciatis. Quid enim uultis? ut omnino nullæ sint concupiscentiæ malarum & illicitarum delectationum. Quis sanctus hæc non uelit? Sed non efficit: quandiu hic uiuitur, hoc nõ impletur. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, ut ea quæ uultis facere, ut nullæ sint in uobis prorsus rerum illicitarum concupiscentiæ, non possitis. Quid ergo restat? Spiritu ambulate. Et quia non potestis efficere ut concu-
C piscentias carnis consumatis, cõcupiscentias carnis ne perficiatis. Consumere quidem illas atq; finire & penitus extirpare omnino uelle debetis: sed quandiu sunt in uobis, & est alia lex in membris uestris repugnans legi mentis uestræ, concupiscentias carnis ne perfeceritis. Quid enim uultis? Vt omnino non sint concupiscentiæ carnis: non uos permittunt implere quod uultis, nolite eas permittere implere quod uolunt. Quid uultis? Vt omnino non sint, sed sunt: caro concupiscit aduersus spiritum, concupiscat spiritus aduersus carnem, ut non ea quæ uultis faciatis: id est, ut non sint in uobis ipsæ concupiscentiæ carnis, nec ipsæ faciant quod uolunt, ut opus earum perficiatis. Si non tibi in totum ceditur, noli & tu cedere. Prius æquetur pngna, ut aliquando sit uictoria. Etenim proculdubio fratres mei erit (credamus, speremus, amemus) erit aliquando uictoria in dedicatione domus quę modo ædificatur post captiuitatẽ. Nouissima enim inimica destruetur mors, 1.Cor.15 cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Præmeditamini uerba triumphãtium, Vbi est mors contentio tua? Triumphantium ista uox est, non pu- Psal.6 gnantium. Pugnantium autem uox est, Miserere mei domine quoniam infirmus sum, sana me domine quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est ualde, et tu domine usquequo? Vide laborantẽ in certamine. Et tu domine usque quo? Quid est usq; quo? Quousq; ꝓbes, quia ego

A subuenio. Si enim cito subuenirẽ, luctamẽ nõ sentires, si luctamẽ nõ sentires, tanquã de tuis uiribus superbires, & per istã superbiam nunquam ad uictoriam peruenires. Dictum est quidem, Adhuc te loquente, dicam: ecce assum. Sed deus & cũ dif- Isa.58 fert adest, & differẽdo adest, ne prꝗproperam cum implet uoluntatem, perfectam non impleat sanitatem. Non enim fratres mei apostolo Paulo non aderat, qui cum certaret, ne extolleretur, timebat, In magnitudine, inquit, reuelationum mearum ne 2.Cor.12 extollar. Videte in conflictatione certantem, nõ dum in securitate triumphantem. In magnitudine reuelationum mearum ne extollar. Quis dicit, ne extollar? O terror, ò tremor, Quis dicit ne extollar? Cum tanta eius uerba sint retundentia elationem, compescentia tumorem, & dicit ne extol-
B lar? Parum est quia dicit, ne extollar: uidete medicamentum, quod sibi dicit appositum. Ne extollar, inquit, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ. O uenenum quod non curatur nisi ueneno. Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. Caput cædebatur, ne caput extolleretur. O antidotum, quasi quod de serpente conficitur, & propterea theriacum nuncupatur. Serpens enim ille superbiã persuasit. Gustate & eritis sicut dij, superbię persuasio est. Vnde cecidit, inde deiecit. Merito ergo uenenum serpentis de serpente sanatur. Quod ait Apostolus, Propter quod ter dominum rogaui, ut auferret eum à me. Vbi est, Adhuc te loquente di-
C cam, ecce assum? Propter quod non semel, sed iterum & tertio dominum rogaui. Nonne tunc & ipse dicebat, Et tu domine usq; quo? Sed nunquid quia differebat, inde non aderat, & falsum erat, Adhuc te loquente, dicam ecce assum? Quid enim? Medicus quãdo dat quod desideras adest, quando secat, non adest? Nonne sub medici ferramento clamas ut parcat? Et quia magis adest, magis secat. Denique ut scias quia aderat, uidete quod ter roganti respondit. Dixit, inquit, mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus in infirmita- 2.Cor.12 te perficitur. Ego, inquit, noui, medicus optimus, ego, inquit, noui in quem tumorem pergat quod uolo sanare, quiesce, adhibeam quod scio. Sufficit tibi gratia mea, non tibi sufficit uoluntas tua.
D Hæc erant utique uerba certantis, & in certamine periclitantis, & diuinum auxilium postulantis. Triumphantis autem uerba quæ erunt? Verba certantis dum domus ædificatur, sequuntur uerba triumphantis cum domus in ultimo dedicatur. Vbi est mors contentio tua? ubi est mors 1.Cor.15 aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum. Sic ista dicebat Apostolus, quasi ipse iam ibi esset. Denique post hæc uerba quæ constat esse de futura perceptione, non de præsenti conflictatione, quando quidem dicit, tunc fiet, non modo fit, sed tunc fiet. Quid tunc fiet? Sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in uictoriam. Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Tunc fiet ut nusquam sit aculeus mortis, nusquam possit inueniri peccatũ. Quid festinas?

tunc

Tunc fiet, tũc fiet. Mereatur in te humilitas ut tunc in te fiat, ne superbia non permittat, ut uel tunc in te fiat. Tũc fiet, modo interim dum pugnas, dum laboras, dum periclitaris, dic dic, Dimitte nobis debita nostra. Dic omnino dum pugnas, uerum
1.Ioan.1 dic, ex animo dic, Si dixerimus quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus. Tu tibi diabolus eris, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Non enim uerum dicimus, dicendo nos non habere peccatum, cum hic non simus sine peccato. Dicamus ergo ueritatem, ut aliquando inueniamus securitatem. Sit ueritas in pugna, ut acquiratur securitas in uictoria. Tunc fiet, Vbi est mors aculeus tuus? aculeus enim mortis est peccatum. Sed de lege præsumis, quia data est tibi lex, & da-
2.Cor.3 tum est tibi præceptum, Bonum est tibi ut spiritus te uiuificet, ne litera occidat. Volo ut uelis, sed nõ sufficit ut uelis. Adiuuandus es ut plene uelis, & impleas quod uelis. Nam uis uidere quid ualeat sine spiritu adiuuante litera iubens? Ibi dixit. Cum
1.Cor.15 dictum est, Vbi est mors aculeus tuus, aculeus autem mortis est peccatum: continuo subiunxit, Virtus autem peccati lex. Quid est uirtus peccati lex? Non mala iubendo, uel bona prohibendo, imò uero mala prohibendo, & bona iubẽdo. Vir-
Rom.5 tus autẽ peccati lex, quia, Subintrauit, inquit, lex ut abundaret delictum. Quid est ut abundaret delictum? Quia ubi gratia non erat, auxit prohibitio desiderium, & cum quasi de proprio præsumitur uirtus, factum est grande conuitium. Sed quid fecit gratia? Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Venit dominus, totum quod de Adam traxisti, totum quod tuis prauis moribus addidisti, totum dimisit, totum deleuit, orationem docuit, gratiam promisit, certamen indixit, laboranti subuenit, uictorem coronauit. Itaque, inquit Apostolus, Lex quidem sancta, & mandatum san-
Rom.7 ctum & iustum & bonum. Quod ergo bonũ est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum. Nam quando non prohibebaris, erat, sed non apparebat. Nam concupiscẽtiam, inquit, nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione igitur accepta, peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Ecce quid est, litera occidit. Si uis ergo euadere legem minantem, ad spiritum fuge adiuuantem. Quod enim lex imperat, fides sperat. Clama ad deum tuum, adiuuet te, non remaneas sub litera reus, sed spiritu suo te adiuuet deus, ne similis sit tibi superbus Iudæus. Cum enim aculeus mortis esset peccatum, uirtus autem peccati lex, quid ageret humana infirmitas, in qua fatigabatur uolũtas? Velle, inquit, adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Quid ergo ageret? Ecce aculeus mortis peccatum, ecce uirtus peccati lex, id est, lex
Rom.5 subintrauit ut abundaret delictum. Si enim lex posset uiuificare, omnimodo ex lege esset iusticia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato. Quomodo conclusit? Ne uagareris, ne præcipitareris, ne mergereris. Cancellos tibi fecit lex, ut nõ inueniendo qua exires, ad gratiam cõuolares. Sed con

A clusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio. Qui promittit, quod facit promittit, non quod tu facis. Si tu facturus esses, prænũtiator esset deus, deus non promissor. Sed conclusit, inquit scriptura, omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Audi, daretur. Quid superbis? Audi, daretur. Quid enim habes quod non accepisti? Ergo quia aculeus mortis est peccatum, uirtus autem peccati lex, & hoc de bona prouidentia dei, ut concluderentur homines sub peccato, & quærerent adiutorem, quærerent gratiam, quærerent deum, non de sua uirtute præsumerẽt, & ideo & hic cum dixisset, Aculeus autem 1.Cor.15
mortis peccatum, uirtus autem peccati lex: quid times? quid laboras? quid sudas? Audi quod se-
B quitur, Gratias autem deo qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Certe tu tibi das uictoriam? Gratias deo qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Ergo cum cœperis laborare pugnans contra concupiscentias carnis, spiritu ambula, spiritu inuoca, donum dei quære, & si lex in membris repugnat legi mentis tuæ ex parte inferiori, id est, à carne captiuum te tenet sub lege peccati, & hoc emendabitur, & hoc transiet in iura uictoriæ. Tu tantum clama, tu tantum inuoca: oportet semper orare & non deficere. Inuoca omnino, inuoca ad iutorium. Adhuc te loquente, dicit, Ecce assum. Psal.34
Intellige & audi dicentem animæ tuæ: Salus tua ego sum. Cum ergo lex carnis repugnare cœperit
C legi mentis, & captiuum te ducere in lege peccati quæ est in membris tuis: orando dic, confitendo dic: Miser ego homo. Quid est enim aliud homo? Rom.7
Quid est homo: nisi quia memor es eius? Dic, miser ego homo, quia nisi uenisset filius hominis, perisset homo. Exclama in angustijs, Quis me liberabit de corpore mortis huius, ubi lex in membris meis repugnat legi mentis meæ? Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Si hoc fideliter, si humiliter dicis, uerissime respondetur, Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Conuersi ad dominum deum patrem omnipotentem puro corde ei quantum potest paruitas nostra, maximas atq; uberes gratias aga-
D mus, precantes toto animo singularem mansuetudinem eius, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur: inimicum quoq; á nostris actibus & cogitationibus sua uirtute expellat, nobis multiplicet fidem, mẽtem gubernet, spiritales cogitationes cõcedat, & ad beatitudinem suam perducat, per dom.

De uerbis Apostoli, Cum essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt operabantur in membris nostris ut fructum ferrent morti. Rom.7
Cum Manichæorum confutatione.

Sermo IIII

A VDIVIMVS concorditerq; respondimus, & deo nostro consona uoce cantauimus, Beatus uir quem tu erudieris domine A

Psal.93 mine, & ex lege tua docueris eum. Silentium si præbeatis, auditis. Non inuenit locum sapientia, ubi non est patiẽtia. Nos loquimur, sed erudit deus: nos loquimur, sed deus docet. Non enim beatus dictus est quem docet homo, sed quem tu erudieris domine. Nos plantare possumus & rigare, sed dei est incremẽtum dare. Qui plantat & qui rigat forinsecus operatur, qui uero dat incrementum, intus opitulatur. Quæ nobis lectio de sancti Apostoli epistola proposita sit ad loquendum, cũ difficilis, cũ latebrosa, cũ si non intelligatur aut male intelligatur periculosa: puto fratres, imò scio, quia nobis cũ recitaretur, audistis, & fluctuastis si aduertistis: aut si aliqui intellexistis, quàm sit arduum sine dubitatione audistis. Hanc itaq; lectionem totum q; ipsum molestum & obscurum, sed intelligẽtibus salubrem epistolæ Apostoli locum suscepimus, adiuuante misericordia dei, exponere disserendo. Charitati uestræ debitores uos esse scio, exactores uos esse sentio. Quemadmodum nos, ut ista percipiatis, oramus, sic & uos orate, ut ea uobis explicare ualeamus. Si enim oratio nostra concordet, & uos facit deus idoneos auditores, & nos debiti huius fidelissimos auditores.
Rom.7 Cum enim essemus in carne, ait Apostolus, passiones peccatorũ quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti. Hic uidet, quod nõ intelligentib. primũ & grande periculũ est, Apostolũ reprehendere & culpare legẽ dei. Dicit aliquis, Absit hoc ab animo qualiscunq; Christiani. Quis hoc uel insanus audeat de Apostolo suspicari? Et tamen fratres mei, uerba ista male intellecta, fomitẽ insaniæ furori Manichæorum subministrarunt. Manichæi enim legem dei per Moysen datam, dicunt non à deo datã, & eam euangelio contrariã esse contendũt: & quando cũ eis agitur, his testimonijs Apostoli Pauli quæ nõ intelligunt, conantur conuincere, quid dicam catholicos non intelligẽtes, & non potius negligentes? Non enim multũ est, si quis uelit esse diligens, post calumnias ab hæretico auditas saltem considerare in codice circumstantiam lectionis: quod si fecerit, ibi mox inueniet unde aduersarium loquacem redarguat, unde hostes legis rebellesq; prosternat. Et si enim tardus est ad intelligenda uerba Apostoli, manifesta ibi laus est expressa legis dei. Videte enim prius & aduertite. Cum enim essemus in carne, ait, passiones peccatorum quæ per legem sunt. Hic iam Manichæus erigit ceruicem, exaltat cornua, impetit te, & facit impetum.
Rom.7 Ecce, inquit, passiones peccatorũ quæ per legem sunt. Quõ bona est lex per quã in nobis sunt passiones peccatorũ, & operantur in mẽbris nostris, ut fructum ferant morti? Lege aliquantum, progredere, totum audi patienter etsi non intelligenter. Hoc enim quod ait, Passiones peccatorum quæ per legem sunt operabantur in membris nostris, multum est ut intelligas, sed prius esto mecum legis laudator, & tunc fieri mereberis intellector. Clausum cor habes, & clauem accusas? Ecce interim quod nõ intelligimus paululum sepo-

A namus, ad laudem legis quæ aperta est ueniamus. Passiones, inquit, peccatorum, quæ per legẽ sunt, operabantur in membris nostris ut fructum ferremus morti. Nunc ergo euacuati sumus à lege mortis in qua detinebamur, ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ. Adhuc uidetur legem arguere, culpare, improbare, detestari, sed non intelligentibus. Cũ enim dicit, Cum essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt operabãtur in membris nostris ut fructum ferrent morti, Nunc ergo euacuati sumus à lege mortis in qua detinebamur, ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & nõ in uetustate literæ: quasi utique uidetur legem accusare atq; culpare. Vidit hoc & ipse uidit, sensit se non intelligi, & contra
B obscuritatẽ uerborum suorũ cogitationes hominũ cõmoueri: sensit quid possis dicere, sensit quid possis cõtradicere & prior hoc uoluit dicere, ut tu nõ inuenias quid diceres. Quid ergo dicimus, inquit? Hoc sequitur. Quid ergo dicimus? Lex peccatũ est? Absit. Vno uerbo legẽ absoluit, legis accusatorẽ damnauit. Autoritatem Apostoli contra me proferebas, o Manichæe, & dicebas mihi cum legem reprehẽderes, ecce audi Apostolũ, lege Apostolũ, Passiones peccatorũ quæ per legem sunt operabantur in membris nostris, ut fructũ ferrent morti. Nunc ergo euacuati sumus à lege mortis in qua detinebamur, ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & non in uetustate literę. Iactabas te, clamabas: dicebas, audi legẽ. Vide ista dixeras, & iã uer-
C so tergo ire cupiebas. Expecta, audiui te, audi me, imò nec ego te, nec tu me, sed ambo audiamus Apostolũ, qui soluit se & alligat te. Quid ergo dicimus inquit? Lex peccatũ est? Hoc dicebas, lex peccatũ est, hoc nempe dicebas. Ecce audisti quod dicebas, audi quod dicas. Legẽ dei peccatum esse dicebas quãdo eam cæcus & improuidus reprehendebas. Errasti. Vidit Paulus errorem tuũ. Quod dicebas, ipse dixit. Quid ergo dicimus? Lex peccatum est? Quod dicebas, hoc dicimus, Lex peccatum est? Absit, Si Apostoli sequebaris autoritatem, appende uerbum, & cape inde consilium. Audi, Lex peccatum est? Audi, Absit. Si apostolum sequeris, si eius autoritatẽ plurimi pendis, audi. Absit, & quod sentiebas à te absit. Quid ergo
D dicimus? Quid dicimus, quia dixi, Passiones peccatorum quæ per legem sunt operabãtur in membris nostris ut fructum ferrent morti: quia dixi, Euacuati sumus à lege mortis in qua detinebamur: quia dixi, Seruiamus in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ? Lex peccatum est? Absit, Quare ergo Apostole post tanta illa dixisti, Lex absit ut sit peccatum? Sed peccatũ, inquit, non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces. Iam Deut.5
modo interrogo te Manichæe, modo te interrogo, respõde mihi. Mala est lex quæ dicit, non concupisces? Hoc ne luxuriosus mihi, & nequam aliquis respondet? Etemẽ ipsi homines flagitiosi quãdo reprehẽduntur erubescunt, & quando sunt inter castos, lasciuire non audent. Si ergo malam dicis

cis esse legem quæ dicit, non concupisces, impu-
ne uis concupiscere, accusas legem, quia percutit A
libidinem. Fratres mei si non audiremus Apostolum dicentem lex peccatum est, absit: sed tantũmodo uerba legis cõmemorãtem, ubi dictum est, non concupisces: etiam legem illo non laudante, nos eam laudare deberemus, illam laudare, nos accusare. Ecce lex, ecce desuper tuba diuina clamat homini, Non concupisces. Non concupiscere, reprehende si potes, fac si reprehendere nõ potes. Audisti, non concupisces, reprehendere non audes. Quia bonum est quod dixit, non cõcupisces, malum est cõcupiscere, Malum culpat lex, à tuo malo te prohibet lex. Ergo concupiscere malũ culpat lex, à tuo malo te prohibet lex. Ergo fac qd iubet lex, noli facere quod uetat lex, noli concupiscere. B
Sed quid ait Apostolus? Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces. Ibam enim post concupiscentiam meam, & qua trahebat currebam, eiusq; illecebras blandas, & ex carnali suauitate iucundas magnam felicitatem arbi-
Psal.9 trabar. Laudatur enim peccator, ait lex, in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. Inuenis hominem concupiscentias suas carnales sectantẽ, totumq; se illis seruum donantẽ, occupari undiq; uoluptate, fornicari, inebriari, non dico amplius, fornicari, inquã, inebriari. Hæc dixi quæ licite committũtur, sed nõ dei legibus. Quis enim aliquando ad iudicem ductus est, quia meretricis lupanar intrauit? Quis enim aliquando in publicis tribunalibus accusatus est, quia per suas lyristrias lasciuus immũdusq; defluxit? Quis aliquando habẽs uxorẽ quia ancillam suã uitiauit crimen inuenit? Sed in foro, nõ in cœlo, in lege mũdi, non in lege creatoris mundi. Luxuriosus autẽ immundus atq; lasciuus felix dicitur, abundare uoluptatibus, frui delicijs. Iam uero si se etiam uino ingurgitet, si bibat mensuras sine mensura, parũ est quia non inuenit crimen, etiã uiri fortis accipit nomen, tanto nequior, quãto sub poculo inuictior. Cum laudãtur ista & dicitur, felix est, magnus est, bene est illi, & non solum hoc non putatur esse peccatum, sed etiam putatur uel dei donum, uel certe suaue, blãdum & licitum bonum, procedit lex dei & dicit, Non concupisces. Ille homo qui putabat magnũ bonum esse, magnãq; felicitatem existimabat, ea quæ possit suæ cõcupiscentiæ non negare, sequi quà trahit, audit, Non cõcupisces, & cognoscit esse peccatũ. Deus dixit, homo audit, deo credidit, peccatũ suum uidit, quod bonum putabat, malum esse cognouit, uoluit frenare concupiscentiam, non ire post eam, strinxit se, conatus est, uictus est, qui fuit antea nescius malorum suorũ, factus est doctus, & peius uictus, cœpit esse non solum peccator, sed etiam præuaricator. Peccator enim & antea erat, sed antequam legem audiret, peccatorẽ se esse nesciebat. Legẽ audiuit, peccatũ uidit, conatus est uincere, superatus atq; prostratus est, factus est & legis præuaricator, qui fuit antea nescius peccator. Hoc dicit Apostolus, Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Nam cõcupiscentiam nesciebã nisi lex diceret, Nõ concupisces. Occasione autẽ accepta, peccatũ per mandatũ operatũ est in me omnẽ concupiscẽtiam. Minor erat concupiscẽtia quando ante legẽ securus peccabas, nunc oppositis tibi obicibus legis, fluuius cõcupiscentiæ quasi frenatus est, paululũ siccatus, sed increscẽte impetu qui te ducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiscẽtia tua minor erat quando tuam mouebat libidinem, omnis est quando transcẽdit in legẽ. Vis nosse quam magna sit? Vide quid ruperit, Nõ cõcupisces. Nõ homo dixit, deus dixit, creator dixit, iudex dixit, nõ quicũq; dixit. Fac ergo quod dixit. Non facis, obserua iudicantem qui dixit. Sed quid faciã ò homo? Ideo nõ uicisti, quia de te præsumpsisti. Attende ergo nunc superiora, quæ uidebantur obscura. Cũ enim essemus in carne. Verba quæ superiora diximus, unde cœpit lectio quæ obscura uidebatur: attendite, Cum ergo essemus in carne, passiones peccatorũ quę per legẽ sunt. Vnde per legẽ sunt? Quia eramus in carne: quid est, quia eramus in carne presumebamus de carne. Num enim qui loquebatur Apostolus, iã exierat de ista carne? Non utiq;, sed secundũ huius uitæ modum, & qui loquebatur, & quibus loquebatur in carne erant. Quid ergo est, Cum essemus in carne, nisi cum de carne præsumeremus, hoc est, de nobis confideremus? Homini enim dictũ est, & de hominibus dictũ est, Videbit omnis caro salutare dei. Quid est uidebit omnis caro, nisi
C uidebit omnis homo? Et quid est, Verbũ caro factũ est, nisi uerbum homo factus est? Nõ enim uerbum & caro erat & anima ibi non erat, sed carnis nomine homo significatus est, in eo quod legitur, Verbũ caro factũ est. Ergo cũ essemus in carne, id est, in cõcupiscentijs carnis uersaremur, ibiq; totã spem nostram tanquã in nobis poneremus, passiones peccatorũ quæ per legẽ sunt, auctę sunt per legẽ: prohibẽdo enim fecerũt præuaricatorẽ legis, quia ille qui præuaricator est factus, deum non habuit adiutorẽ. Operabantur ergo in membris nostris, ut fructũ ferrent. Cui nisi morti? Si dãnandus erat peccator, quã spem habet prẹuaricator? Ergo ò homo uicit te cõcupiscẽtia tua, uicit, quia in malo loco te inuenit. Inuenit te in carne, ideo te uicit.
D Migra inde, quid expauescis? Nõ tibi dixi ut moriaris, imò audeo dicere, dixi ut moriaris. Si mortui estis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. In carne uiuens, noli esse in carne, Omnis caro fœnum, uerbum autẽ domini manet in æternũ. Dominus fiat refugium tuum. Instat concupiscẽtia, urget te, magnas uires accepit aduersum te, prohibitione legis grandior facta est, maiorem hostem pateris, sit dominus refugium tuum, turris fortitudinis à facie inimici. Noli ergo esse in carne, in spiritu esto. Quid est, in spiritu esto? In deo spem pone. Nam si posueris spem in ipso spiritu, quo homo es, iterum spiritus tuus in carnem uelabitur, quia non dedisti eum illi à quo suspendatur. Non se cõtinet. Si nõ cõtinet, noli remanere in te, transcende te, in illo te pone qui fecit te. Nam si spem in te

te habueris, accepta legẽ præuaricator eris. Inuenit te hostis nudum refugio, inuadit te. Ne forte rapiat uelut leo, & non sit qui eruat, attẽde uerba apostoli legem laudãtis, se accusantis, reum se sub lege facientis, & personam forte tuã in se transfi-
Rom.7 gurantis & dicentis tibi, Peccatum non cognoui, nisi per legem, Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum est. Quid est mortuũ est? Latet, non apparet omnino, tanquã sepultũ ignoratur. Adueniente aũt mãdato, peccatum reuixit. Quid est, reuixit? Apparere cœpit, sentiri cœpit, rebellare aduersum me cœpit. Ego autẽ mortuus sum. Quid est, mortuus sum? Præuaricator factus B
sum, & inuentum est mihi mandatum quod erat in uitam. Videte quia lex laudatur, mãdatũ quod erat in uitam. Qualis enim uita est non cõcupiscere? O uita dulcis. Dulcis est quasi uoluptas concupiscentiæ. Verum est, nec eã homines sequerent nisi dulcis esset. Theatrum, spectaculum, meretrix lasciua, turpissima cantilena, dulcia sunt ista concupiscẽtiæ? Dulcia planè, suauia, delectabilia: sed
Psal.118 narrauerunt mihi iniusti delectationes suas, sed non sicut lex tua domine. Suauia sunt, dulcia sunt, delectabilia sunt, sed audi meliora. Narrauerunt mihi iniusti delectationes suas, sed non sicut lex tua domine. Felix anima quæ huiusmodi delectationibus delectatur, ubi turpitudine nulla inquinatur, & ueritatis serenitate purgatur. Quẽ enim C
delectat lex dei, & sic delectat, ut omnes delectationes lasciuiæ uincat, non sibi arroget istam delectationem, dominus dabit suauitatem. Quid dicam? Domine das mihi illam suauitatem uel illã? Suauis es domine, & in tua suauitate doce me iustitias tuas. In tua suauitate doce me, & doces me. Tunc disco ut faciã, si in tua suauitate doceas me. Cæterum quamdiu blanditur iniquitas, & dulcis est iniquitas, amara est ueritas, in tua suauitate doce me, ut suauis sit ueritas, dulcedine tua contẽnatur iniquitas. Multo melior est & suauior ueritas, sed sanis suauis est panis. Quid melius & præclarius pane cœlesti? Sed si non obstupefacit dentes
Prou.10 iniquitas. Scriptura enim dicit, Sicut uua acerba D
dentibus noxia est & fumus oculis, sic iniquitas utentibus ea. Quid prodest quia panem laudatis, si male uiuatis? Quod laudatis non manducatis. Cum ergo audis uerbum, cum audis uerbum iustitiæ & ueritatis & laudas, multo laudabilius est si facias. Fac ergo quod laudas. An dicturus es: uolo & non ualeo? Quare non uales? Quia sanitas non est. Vnde sanitatem perdidisti, nisi quia peccando creatorem offendisti? Ergo ut eius panem quem laudas cum suauitate, id est, cum sanitate manduces, dic illi, Ego dixi domine miserere mei,
Psal.40 sana animam meam quia peccaui tibi. Ergo, inquit, inuentum est mihi mandatum quod erat in uitam, hoc esse in mortem. Erat enim sibi antea ignotus peccator, factus est manifestus præuaricator. Ecce inuentum est illi in mortem, quod erat in uitam. Occasione autem, inquit, accepta, pecca
A tum per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Sic factum est primo in paradiso. Fefellit, inquit, me, occasione accepta per mandatum. Vide serpentem mulieri illi susurrantem. Quæsiuit ab ea, quid dixerit deus. Respondit illa, Dixit nobis deus, Ex omni ligno quod est in paradiso edetis, de ligno autem scientiæ boni & mali non edetis. Ex eo si ederitis, morte moriemini. Hoc est dei mandatum. Contra serpens, Non, inquit, morte moriemini. Sciebat enim deus, quia qua die ederitis, aperientur oculi uestri, & eritis tanquam dij. Occasione ergo accepta peccatum per mãdatum fefellit me, & per illud occidit. Gladio quem portabas te inimicus occidit, armis tuis te uicit, armis
B tuis te interemit. Recipe mandatum, scito esse arma, non quibus occidat te, sed quibus à te occidatur inimicus, Sed noli præsumere de uiribus tuis. Vide paruum Dauid contra Goliam, uide paruum cõtra ingentem, sed in nomine domini præsumentem. Tu uenis ad me, inquit, cum clypeo & 1 Reg.17
lancea, ego in nomine domini omnipotentis. Sic sic, aliter non, omnino aliter non prosternitur inimicus. Qui præsumit de uiribus suis, antequam pugnet ipse prosternitur. Videte tamen charissimi, uidete etiam atq; etiam, Paulum apostolũ contra furorem Manichæorum esse legis diuinæ apertissimum laudatorem, uidete quid adiungat. Itaq; lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Nũquid uberius laudari potest? C
Paulo ante uerbo illo quod dixit, Absit, defenderat crimen, non laudauerat. Aliud est crimine obiecto defendere, aliud debito præconio prædicare. Crimen obiectum fuit, Quid ergo dicimus? Lex peccatum est? Defensio, Absit. Vno uerbo Rom.7
defenditur ueritas, quia magna est Apostoli defendentis autoritas. Quid diu defendat? Sufficit, Absit. An uultis, inquit, experimentum accipere 2 Cor.13
eius qui in me loquitur Christus? Modo autem, Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit, quia bonum non est mors, sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem. Mors non est lex, sed peccatum est mors. Iamdudum autem dixerat, Sine lege peccatum mortuum est, Vbi uos admonueram, quia mortuum est, dixit, absconditum latet, non apparet, modo uidete quàm uere ita dictum sit, Peccatum, inquit, ut appareat peccatum. Non dixit ut sit, quia erat & quando non apparebat. Peccatum ut appareat peccatum, quia concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Non ait, concupiscentiam non habebam, sed concupiscentiam nesciebam. Sic etiam hic non ait, Vt sit peccatum, sed ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Quam mortem? Vt fiat supra modum Rom.5
peccator, aut peccatum per mãdatum. Supra modum peccator. Quare supra modũ? Quia iam & præuaricatio. Videte ergo fratres, uidete genus humanum à prima illius primi hominis morte de-

fluxisse. Etenim peccatũ à primo homine intrauit in hunc mundũ, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransijt. Pertransijt, uerbũ attendite, quod audistis cõsiderate, uidete quid est pertransijt. Pertrãsijt, inde est & paruulus reus, peccatum nondũ fecit, sed traxit. Etenim illud peccatũ non in fonte mãsit, sed pertransijt, non in illũ aut illum, sed in omnes homines pertrãsijt. Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, primus præuaricator, Venit ad sanãdos de Virgine saluator, qui ad te nõ quà uenisti, uenit. Nõ enim ille de cõcupiscentia maris & fœminæ, nõ de illo uinculo cõcupiscentiæ. Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te. Dictũ est hoc Virgini, dictũ est fidei ferUenti, non cõcupiscentiæ carnis æstuanti, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Quæ tale obumbraculũ haberet, quando ardore libidinis æstuaret? Quia ergo non quà uenisti ad te uenit, liberat te. Vbi te inuenit? Venundatũ sub peccato, iacentem in morte primi hominis, trahentem peccatũ primi hominis, habentem reatũ antequã habere possis arbitrium. Ecce ubi te inuenit, quando paruulum inuenit. Sed paruuli ætatẽ excessisti, Ecce creuisti, primo peccato multa addidisti, legem accepisti, præuaricator extitisti. Sed noli esse solicitus, Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Conuersi &c.

Rom.7 De uerbis Apostoli, Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem.

Sermo V

A ESTERNAM lectionem de sancti apo-
H stoli Pauli epistola qui sermoni affuistis, audistis, illa lectio sequit quæ hodie recitata est. Adhuc uersatur ille difficilis & periculosus locus, quem uobis in adiutorio domini nostri, quantũ me religioso apud eum adiuuatis affectu, pro uiribus quas dare dignatur exponere & enodare suscepimus. Patientiam mihi præbeat charitas uestra, ut si habeo propter obscuritatem rerum difficilem disputationem, saltem habeam facilem uocem. Si enim utrunq; sit difficile, multum laboratur, & utinam non sine causa laboraretur. Vt autem prosit labor noster, sit patiens auditus uester. Quia legẽ nõ culpat Apostolus, hesterna die audientibus quantũ existimo satisfecimus. Ibi quippe ait, Quid ergo dicimus, Lex peccatũ est? Absit. Sed peccatũ non cognoui nisi per legem. Nam
D concupiscentiã nesciebã, nisi lex diceret, Nõ concupisces. Occasione aũt accepta, peccatũ per mandatum operatũ est in me omnem concupiscentiã, Sine lege enim peccatũ mortuum est, id est, latet non apparet. Ego aũt uiuebam aliquando sine lege, Adueniente aũt mandato peccatum reuixit. Ego aũt mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum quod erat in uitã, (quid enim tam pertinẽs ad uitam, q̃, Non concupisces?) hoc esse in mortem. Peccatũ enim occasione accepta per mandatum fefellit me & per illud occidit: cõcupiscentiã namq; terruit, non extinxit, terruit, nõ oppressit, fecit timorem pœnæ, non amorẽ iustitiæ. Itaq; inquit, lex quidem sancta, & mandatũ sanctũ & iustum, & bonũ. Quod ergo bonũ est, mihi factũ est
A mors? Absit. Non emẽ lex mors, sed peccatũ mors. Quid ergo ex occasione mandati? Sed peccatũ ut appareat peccatũ, Latebat enim quãdo mortuum dicebatur: per bonũ mihi operatum est mortẽ, ut addita præuaricatione fiat supra modũ peccator, augens peccatũ per mandatũ, quia præuaricatio peccato non adderetur, si nõ esset mandatũ. Alio enim loco dicit aperte idẽ Apostolus, Vbi enim Rom.4
lex nõ est, nec præuaricatio. Quid ergo? Quid dubitamus ad hoc legem esse datam ut inueniret se homo? Quando enim deus non prohibebat à malo, latebat se homo, uires suas languidas non inuenit, nisi quando legem prohibitionis accepit. Inuenit ergo se, in malis inuenit se. Quò fugit se? Quocunq; enim fugerit se, sequitur se. Et quid ei ꝓdest
B de se inuento scientia, quã sauciat conscientia? Loquitur ergo & in ista lectione quæ hodie recitata est ille qui inuenit se. Scimus, inquit, quia lex spiri Rom.7
talis est, ego aũt carnalis sum, uenundatus sub peccato. Quod enim operor ignoro. Non enim quod uolo hoc ago, sed quod odi illud facio. Quæritur hoc loco magna diligentia quis intelligatur, utrũ ipse Apostolus qui loquebat̃, an alium aliquem in se transfigurauit quẽ tãgeret in se, sicut dixit quodam loco, Hæc aũt omnia transfigurauí in me & 1 Cor.4
Apollo propter uos, ut à nobis discatis. Si ergo Apostolus loquit̃, quod nemo dubitat, & cum dicit, Non quod uolo ago: sed quod odi illud facio, non de altero, sed de seipso dicit, quid sumus intellecturi fratres mei? Itáne apostolus Paulus nolebat, uerbi gratia, facere adulterium, & faciebat adC
lterium? Nolebat esse auarus, & erat auarus? Quis autem nostrum audeat se includere tali blasphemia, ut de Apostolo hoc sentiat? Forte ergo alius est aliquis, forte tu es, aut tu es, aut ille est, aut ego sum. Si ergo aliquis nostrum est, ipsum quasi de ipso audiamus, & non irati nos corrigamus. Si autem ipse est, forte enim & ipse est, non sic intelligamus quod dixit, Nõ quod uolo ago, sed quod odi illud facio, tanquam uelit esse castus & esset adulter, aut uelit esse misericors, & esset crudelis, aut uelit esse pius, & esset impius. Non ad hoc accipimus, Non enim quod uolo ago, sed quod odi illud facio. Sed ad quid? Volo non concupiscere, & concupisco. Lex quid dicit? Non concupisces.
D Homo legem audiuit, uitiũ agnouit, bellum indixit, captiuitatem inuenit. Sed forte aliquis homo, non Apostolus. Quid ergo dicimus fratres mei? Non habet ullam concupiscentiam Apostolus in carne sua quã habere nollet, cui tamen existẽti, titillanti, suggerenti, solicitanti, æstuanti, tentãti nõ consentiret? Dico charitati uestræ, Si credideri mus Apostolum nullam prorsus habuisse infirmitatem concupiscentię cui reluctaretur, multũ credimus de illo, atq; utinam ita sit. Non enim inuidere nos oportet Apostolis, sed Apostolos imitari. Veruntamen charissimi audio ipsum Apostolum confitentẽ, nondum eum ad tantã perfectionem iustitiæ peruenisse, quantã in angelis esse credimus, quorum angelorũ æqualitatem speramus,

si ad hoc quod uolumus peruenìamus. Quid emẽ aliud nobis promittit in resurrectione ubi ait, In A
resurrectione mortuorum neq; nubẽt, neq; uxores ducent, nõ enim incipiẽt mori, sed erũt æquales angelis dei? Dicit ergo aliquis, Et tu unde scis quia Paulus apostolus angeli iustitiã & perfectionem nondũ habebat? Nõ facio iniuriam Apostolo, nõ credo nisi Apostolo, alium testẽ nõ quæro, suspicãtem nõ audio, nimiũ laudantem non curo. Dic mihi sancte Apostole de teipso, ubi nemo du
Rom.7 bitat, quia de teipso loqueris. Nam ubi dixisti, Nõ quod uolo ago, sed quod odi illud facio, existunt qui dicãt, quod aliũ in te nescio quẽ transfiguraueris laborantẽ, deficiẽtem, uictũ, captiuũ. Tu mihi dic de te, ubi nemo dubitat quia loqueris de te.
Philip.3 Fratres, ait Apostolus, ego meipsum nõ arbitror apprehẽdisse. Et quid facis? Vnum aũt, quæ retro B
oblitus in ea quæ ante sunt extentus, secundũ intentionem ait, non secundũ perfectionem, secundum intentionẽ sequor ad palmã supernæ uocationis dei in Christo Iesu. Supra iam dixerat, Non qa iam acceperim, aut iam perfectus sim, Adhuc contradicit̃ & dicit̃. Dicebat ista Apostolus, quia nondũ peruenerat ad immortalitatẽ, non quia nõ peruenerat ad iustitiæ perfectionẽ. Iam ergo tã iustus erat q̃ sunt angeli, sed nondum immortalis sicut angeli sunt. Ergo perfectionẽ iustitiæ iam tenebat, sed sequendo palmã supernã, immortalitatem quærebat. Dic nobis sancte Apostole alium aliquẽ manifestiorẽ locum, nõ ubi quæris immortalitatem, sed ubi confiteris infirmitatẽ. Et hic iam susurrat̃, iam cõtradicit̃. Videor mihi audire quorundã cogitationes, & hic dicit̃ mihi, Verũ est, no C
ui quid dicturus es, Confitet̃ infirmitatem, sed carnis, non mentis: confitet̃ infirmitatẽ, sed corporis, non animi. In animo aũt est perfecta iustitia, nõ in corpore: Nã quis ignorat utiq; Apostolũ corpore
2 Cor.4 fuisse fragilẽ, corpore fuisse mortalẽ, sicut dicit, Habemus thesaurũ istum in uasibus fictilibus? Quid tibi ergo cũ uase fictili? De thesauro aliquid loquere, Si aliquid minus habuit, si erat quod ei ad aurũ iustitiæ possit addi inueniamus, ipsum audiamus, ne iniurioſi existimemur. Et ne magnitudine reue
2.Cor.12 lationum mearũ. Apostolus dicit, In magnitudine reuelationũ mearũ ne extollar. Nempe hic agnoscitis Apostolum habentem magnitudinẽ reuela
D tionum, & timentem elationis præcipitiũ. Vt ergo noueris, quia & ipse Apostolus qui uolebat alios saluos facere adhuc curabat̃, ut noueris quia & ipse adhuc curabat̃, si magnipendis ipsius honorem, audi quid medicus ei apposuerit ad tumorem: audi nõ me, ipsum audi, audi confitentem ut sentias docentẽ, audi, Et ne magnitudine reuelationum mearũ extollar. Ecce iam possum dicere apostolo Paulo, Ne extollaris sancte Apostole, tu ne extollaris, adhuc cauendũ est tu ne extollaris? Adhuc timendũ est, tu ne extollaris? Adhuc huic infirmitati medicina quærẽda est? Quid mihi, inquit, dicis tu? Et tu audi quid sim, et noli altũ sapere, sed time, Audi quõ breuis agnus ingrediat̃, ubi aries sic periclitat̃. Ne magnitudine, inquit, reuelationũ mearũ extollar, datus est mihi stimulus car A
nis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet. Qualem tumorem timuit, qui mordacissimũ epithema accepit? Iam ergo modo dic, quia tanta in illo erat iustitia, quãta est in angelis sanctis, an forte & angelus sanctus in cœlo ne extollat̃, accepit stimulũ angelũ satanæ à quo colaphizetur? Absit hoc de sanctis angelis suspicari. Homines sumus, apostolos sanctos homines agnoscamus, uasa electa, sed adhuc fragilia, adhuc in hac carne peregrinantes, nondum in cœlesti patria triũphantes. Ergo quoniam dñm ter rogauit ut ab illo ille stimulus auferretur, nec auditus est ad uoluntatẽ, quia exauditus est ad sanitatẽ, forte non indecenter ipse loquitur ubi dicit: Scimus aũt quia lex spiritalis est: ego aũt Rom.7
carnalis sum. Ergo carnalis apostolus qui alijs di-
B cebat, Vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi Gal.6
in spiritu lenitatis: alios tanq; spiritales alloquitur, & ipse carnalis est? Sed quid dixit & ipsis spiritalibus, quia nondum erant securi, nondum erant in perfectione cœlesti & angelica, nondum erant in illius patriæ securitate, sed in huius peregrinationis solicitudine uersabantur? Quid eis dixit? Certe spiritales eos uocauit. Vos, inquit, qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum, ne & tu tenteris. Ecce quam spiritalem iam appellauit ætatem, timuit illi tentationis fragilitatẽ. Vnde possit tentari spiritalis? Et si non ex mẽte, utiq; ex carne. Spiritalis enim quia secundum spiritum uiuit, adhuc aũt ex parte mortali carnalis, idem spiritalis, idemq; carnalis. Ecce spiritalis, Mente seruio legi dei: ecce carnalis: Carne aũt legi peccati. Idem ergo ipse & spiritalis & carnalis? Idem planè quamdiu hic uiuit, ita est. Noli mirari quisquis es, quicunq; carnalibus concupiscen C
tijs cedis atq; consentis, qui eas uel bonas putas ad explendam libidinis saturitatem, uel certe sic iam uides malas, ut eis tamen cedendo consentias & quò ducunt sequaris, & ea quæ male suggerũt perpetres, totus carnalis es tu, tu quisquis talis es, totus carnalis es. Si aũt concupiscis quidem, quod lex uetat cum dicit, Non concupisces, seruas tamen aliud quod item lex iubet, Post concupiscen Eccl.18
tias tuas non eas, mente spiritalis es, carne carnalis. Aliud est enim nõ concupiscere, aliud post con
D cupiscentias suas non ire. Non concupiscere omnino perfecti est, post concupiscentias suas nõ ire Rom.7
pugnantis est, luctantis est, laborantis est. Vbi fer Eccl.18
uet pugna, quare desperatur uictoria? Quãdo erit uictoria? Quando absorbetur mors in uictoria, tunc enim uox erit triumphantis, non sudor pugnantis. Quando futura est uox illa triumphantis? Cum corruptibile hoc induerit incorruptio- 1 Cor.15
nem, & mortale hoc induerit immortalitatẽ. Vides uictorem, audi exultantem, expecta triũphantem. Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in uictoria. Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Vbi est? Ecce erat, & non est. Vbi est mors contentio tua? Ecce mortis contentio, Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum. Si ergo Apostolus de seipso di-

cit, si dico non cõfirmo, si Apostolus dicit, Scimus
quia lex spiritalis est, ego autẽ carnalis sum, men-
te enim spiritalis, corpore carnalis, quando totus
1 Cor.15 spiritalis? Cum seminatur corpus animale, resur-
get corpus spiritale. Modo ergo quando feruet
mortis cõtentio, non quod uolo ago, ex parte spi-
ritalis, ex parte carnalis. Ex parte meliori spirita-
lis, ex parte inferiori carnalis. Adhuc confligo,
nondum uici, magnum mihi est non uinci. Non
quod uolo ago, sed quod odi illud facio. Quid fa-
cis? Concupisco. Etsi concupiscentiæ non consen
tio, etsi post concupiscentias meas non eo, tamen
adhuc concupisco, & utiq; etiam in ipsa parte ego
sum. Non enim ego in mente, & alius in carne.
Sed quid igitur ipse ego. Quia ego in mente, ego
in carne. Non enim duæ naturæ contrariæ, sed ex
B utroq; unus homo, quia unus deus à quo factus
est homo. Igitur ipse ego, ego ipse in mente seruio
legi dei, carne autem legi peccati: mente non con-
sentio legi peccati, sed tamẽ nollem esset in mem-
bris meis lex ulla peccati. Quia ergo nollem, &
tamen est, non quod uolo ago, quia concupisco
& nolo, non quod uolo ago, sed quod odi illud fa
cio. Quid odi? Concupiscere. Odi concupiscere,
& tamen ago illud carne non mente. Quod odi il
lud facio. Si aũt quod nolo illud facio, consentio
legi quoniã bona est. Cõsentires legi, si quod uel-
les faceres: facis quod lex odit, quomodo consen-
tis legi? Prorsus si quod nolo hoc facio, consentio
legi quoniã bona est. Quomodo? Quia iubet lex
Non concupisces. Quid uolo ego? Non cõcupi-
C scere. Volendo quod uult lex, cõsentio legi quo-
niam bona est. Si diceret lex, non concupisces, &
ego uellem concupiscere, non cõsentirem legi, &
omnino ab illa uolũtatis peruersitate diuersus exi
sterem. Dicente enim lege, non concupisces, &
ego uellem cõcupiscere, nõ consentirem legi dei.
Quid modo? Quid dicis ò lex? Non concupisces.
Et ego nolo concupiscere, & ego nolo, quod non
uis, nolo: ideo consentio, quia quod non uis nolo.
Non implet legem infirmitas mea, sed legem lau-
dat uoluntas mea. Ergo si quod nolo hoc ago, &
ideo consentio legi, quia nolo quod non uult, nõ
quia ago quod nolo, Ipsum enim agere concupi-
scere est, nõ concupiscentiæ consentire: ne aliquis
iam in Apostolo peccãdi sibi quærat exemplum,
D & det malum exemplũ, nõ quod uolo ago. Quid
enim lex dicit? Nõ concupisces. Et ego nolo con-
cupiscere, & tamen concupisco, quamuis concu-
piscentiæ meę assensum nõ præbeam, quãuis post
eam non eam: resisto enim, auerto mentem, nego
arma, teneo membra, & tamen fit in me quod no-
lo. Quod non uult & lex, nolo cum lege, quod nõ
uult nolo, ergo consentio legi. Sed quia ego sum
in carne, ego sum in mente, sed magis ego sum in
mente q̃ in carne. Quia enim ego sum in mente,
ego sum in regente. Mens enim regit, caro regi-
tur, & magis sum ego in eo quod rego, q̃ in eo in
quo regor. Quia ergo magis ego in mente, nunc
autem iam non ego operor illud. Nunc autẽ quid
est? Nunc autem iam redemptus, qui fui antea sub
peccato uenundatus, iam accepta gratia saluato-
A ris, ut mente condelecter legi dei, non ego ope-
ror illud, sed quod habitat in me peccatum, Scio
enim quia non habitat in me. Iterum ergo in me,
audi quod sequitur, hoc est in carne mea bonum.
Velle eũ mihi adiacet, Scio. Quid scis? Quia non
habitat in me, hoc est, in carne mea bonũ. Iamdu-
dũ dixeras, quod operor ignoro. Si ignoras, quo-
modo scis? Modo dicis ignoro, modo dicis scio,
ego quomodo intelligã nescio. An hoc est quod
intelligo? Vbi enim ait, quod operor ignoro, di-
xit ignoro, non approbo, non accepto, non mihi
placet, non cõsentio, non laudo. Nõ enim & Chri
stus eos ignorabit quibus dicturus est, Non noui Mat.7
uos. Prorsus etiam hoc intelligo, Quod enim ope
B ror ignoro, quia nõ quod facio ignoro. Non enim
ego operor illud, sed id quod in me habitat pecca
tum, ideo ignoro, quia non ego facio, sicut dictũ
est de domino, Eum qui non nouerat peccatum. 2 Cor.5
Quid est qui non nouerat? Ergo non nouerat q̃d
arguebat? Non nouerat quod puniebat? Si ergo
non nouerat quod puniebat, iniuste puniebat.
Quia uero iuste puniebat, nouerat quod punie-
bat, & tamen peccatũ non nouerat, quia peccatũ
non fecerat. Quod enim operor ignoro, nõ enim
quod uolo ago, sed quod odi illud facio. Si aũt q̃d
nolo hoc facio, consentio legi, quoniam bona est.
Nunc autem accepta iam gratia, non ego operor
illud, libera est mẽs, caro captiua. Nõ ego operor
illud, sed id quod in me habitat peccatũ. Scio eũ
C quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bo-
num. Velle enim adiacet mihi, perficere autẽ bo-
num non. Non adiacet perficere. Adiacet uelle,
perficere non adiacet. Non dixit facere, sed perfi-
cere. Num enim nihil facis? Rebellat cõcupiscen-
tia, & non consentis, delectat uxor aliena, & non
annuis, mentem auertis, in secretarium mentis in-
tras. Vides foris strepẽtem cõcupiscentiam, pro-
fer aduersus eam sententiam, mundans conscien-
tiam. Nolo, inquis, non facio. Puta quia delectat,
non facio, habeo cui condelecter. Condelector e-
nim legi dei secundum interiorem hominẽ. Quid
tu de carne tua tumultuaris? Quid delectationes
stultas, temporales, fluxas, uanas, noxias, tumul-
tuose suggeris, & eas quasi garrula mihi narras?
D Narrauerunt mihi iniuste delectationes, unde est
& ista concupiscentia, Narrat mihi delectationes, Psal.118
sed non sicut lex tua domine. Condelector enim
legi dei, non de me, sed de gratia dei. Tu concu-
piscentia in carne tumultuaris, mentem tibi non
subdis. In deo sperabo, non timebo quid faciat mi
hi caro: hoc est, mente non consentiente tumul-
tuatur caro. In deo, inquit, sperabo, non timebo
quid faciat mihi caro. Sicut nec aliena, ita nec mea.
Qui ergo in se hæc agit, nihil facit? Multum facit,
magnum est quod facit, sed tamen non perficit.
Quid est enim perficere? Vbi est mors contenti
o tua? Ergo uelle adiacet mihi, perficere autem
bonum non. Non enim quod uolo facio bonum,
sed quod nolo malum hoc ago. Et repetit, Si au-
tem quod nolo ego hoc facio, id est, concupisco,
iam

iam non ego operor illud, sed id quod in me habi-
tat peccatum. Inuenio ergo legem mihi uolenti fa
A cere bonum. Bonam inuenio legem, bonum est
lex, bonũ aliquid est lex. Vnde probo? Quia im-
plere uolo. Inuenio ergo legem mihi uolenti face-
re bonum, quoniam mihi malum adiacet. Mihi,
& hoc mihi. Num enim caro non mea, aut de alia
substantia caro, aut de alio principio caro, aut ani-
ma ex deo, & caro de gente tenebrarũ? Absit. Lan
guor repugnat sanitati. Semiuiuus iacebat in uia,
curatur adhuc, sanent omnes lãguores eius, Non
quod uolo ago, sed quod odi illud facio. Si autem
quod nolo ego illud facio, inuenio ergo legẽ uo-
lenti mihi facere bonum, quoniam mihi malũ ad-
iacet. Quod malum? Condelector enim legi dei
secundum interiorem hominem. Video aliam le-
gem in membris meis repugnantem legi mentis
B meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati
quæ est in membris meis. Captiuum, sed ex carne.
Captiuum, sed ex parte. Nam mens repugnat &
condelectatur legi dei. Sic enim intelligere debe-
mus, sic de seipso Apostolus loquitur. Iam ergo si
mens non consentit peccato titillanti, suggerenti,
blandienti, si mens non consentit quoniam habet
alias interius delectationes suas, delectationibus
carnis nulla ex parte conferendas: si ergo non cõ-
sentit, & est in me quiddam mortuum, & quiddã
uiuum, mors adhuc contendit, sed mens uiua non
consentit. Numquid ipsa mors non est in te? Nun-
quid illud quod mortuum est, non pertinet ad te?
Adhuc tibi est contentio. Quid etiam inde speran
C dum est? Miser ego homo, etsi non in mente, ta-
Ephes.5 men in carne miser homo. Non enim in mente ho
mo, & in carne non homo. Quis enim unquã car-
nem suam odio habuit? Miser ego homo quis me
liberabit de corpore mortis huius? Quid est hoc
fratres? Quasi carere uult corpore? Quid festinas,
si tantum ibi est intentio tua ut corpore careas?
Mors quandoq; uentura est, & te ab isto corpore
mortis dies adueniens ultimus proculdubio libe-
rabit. Quid est quod pro magno gemis? Quid est
quod dicis, Quis me liberabit? Mortalis loqueris,
moriturus loqueris, separatio mẽtis à carne quan-
doque uentura est, propter breuitatem uitæ nun-
quam longe est, propter quotidianos casus quan-
do sit nescit. Ergo siue festines, siue tardes, omnis
uita humana breuis est. Quid pro magno gemis
& dicis, Quis me liberabit de corpore mortis hu-
ius? Et adiungit, Gratia dei per Iesum Christum
dominum nostrum. Pagani enim qui non habent
gratiam dei per Iesum Christum dominum no-
strum, non morientur, non die ultimo à carne sol-
uentur? non illo die à corpore mortis huius libe-
rabuntur? Tu quidem quid pro magno gratiæ dei
per Iesum Christum dominum nostrum, uis tri-
buere, quia de corpore mortis huius liberaberis,
Respondit tibi Apostolus, si sensum eis cepimus
imò quia domino adiuuante sine dubio cepi-
mus, respondet tibi Apostolus & dicit, Scio quid
loquar, Paganos dicis liberari à corpore mor-
tis huius, Veniet dies ultimus uitæ huius, & sol-
uendus ad tempus à corpore mortis huius, Ve-
A niet & dies quando omnes qui sunt in monu- Ioan.5
mentis audient uocem eius, & procedent qui be-
ne fecerunt in resurrectionem uitæ, Ecce liberati
à corpore mortis huius. Qui male fecerunt, in re-
surrectionem iudicij, Ecce redierunt ad corpora
mortis huius. Corpus mortis huius redit ad im-
pium, nec inde aliquando soluetur. Tunc non erit
uita æterna, sed mors æterna, quia pœna æterna.
Tu autem ò Christiane roga quantum potes, cla-
ma & dic, Miser ego homo, quis me liberabit de Rom.7
corpore mortis huius? Respondetur tibi, Securus
efficeris nõ de te, sed de domino tuo, Securus essi
ceris de pignore tuo. Spera cum Christo regnum
Christi, iam pignus tenes sanguinem Christi. Dic
dic, quis me liberabit de corpore mortis huius?
B Vt respõdeatur tibi, Gratia dei per Iesum Christũ
dominum nostrum. Non enim sic liberaberis de
corpore mortis huius, ut hoc corpus non habeas,
habebis, sed nõ mortis huius. Ipsum erit, sed nõ ip-
sum erit. Ipsum erit, quia ipsa caro erit. Non ipsum
erit, quia mortale non erit. Sic sic liberaberis à cor
pore mortis huius, ut mortale hoc induat immor-
talitatem, & corruptibile hoc induat incorruptio-
nem. A quo? Per quẽ? Gratia dei, per Iesum Chri-
stum dominum nostrum, quia per unum homi-
nem mors, & per unũ hominem resurrectio mor-
tuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur, inde 1 Cor.15
est quod gemis, inde est quod cum morte confli-
gis, inde est corpus mortis huius, Sed sicut in Adã
omnes moriuntur, sic & in Christo omnes uiuifi-
C cabuntur. Viuificatus accepto corpore immor-
tali, ubi dicas, Vbi est mors contentio tua? liberatus
eris à corpore mortis huius, non tamen uirtu-
te tua, sed gratia dei per Iesum Christũ dominum
nostrum. Conuersi &c.

De uerbis Apostoli, Igitur ipse ego mente ser-
uio legi dei, carne autem legi peccati. Sermo VI

A
H ESTERNA lectio sancti Apostoli eo-
usq; terminata est, ubi dictum est, Igitur Rom.7
ipse ego mente seruio legi dei, carne au-
tem legi peccati. In qua conclusione demonstra-
uit Apostolus ad hoc se dixisse quæ supra dixerat,
Iam non ego operor illud, sed id quod in me habi
tat peccatum, quia non mente operabatur cõsen-
tiendo, sed carne concupiscendo. Hoc enim pec-
D cati nomine appellat, unde oriuntur cuncta pec-
cata, id est, ex carnali concupiscentia. Quicquid
enim est peccatorum in dictis, in factis, in cogita-
tionibus, non exoriuntur nisi ex mala cupiditate,
non exoriuntur nisi ex illicita delectatione. Huic
ergo illicitæ delectationi si resistamus, si non con-
sentiamus, si mẽbra uelut arma non ministremus,
non regnat peccatum in nostro mortali corpore.
Peccatum enim ante regnũ perdidit, & sic perijt.
In hac ergo uita, quantum ad sanctos attinet re-
gnum perdit, in alia perit. Hic enim regnum per-
dit, quando post cõcupiscentias nostras nõ imus,
ibi autem perit quando dicetur, Vbi est mors con
tentio tua? Ergo cum dixisset Apostolus, Men-
te seruio legi dei, carne autem legi peccati, non

dando membra committendis iniquitatibus, sed
tantum concupiscendo, nec tamen illicitæ concu
piscentiæ manus dando. Ergo cum dixisset, Men-
te seruio legi dei, carne autem legi peccati, subie-
Rom.8 cit & ait, Nulla ergo cōdemnatio est nunc his qui
sunt in Christo Iesu. His qui sunt in carne condem
natio est, his qui sunt in Christo Iesu nulla cōdem-
natio est. Ne putares hoc postea futurū, ideo addi
dit, Nunc. Postea illud expecta, ut nec concupi-
scentia sit in te contra quam contendas, cum qua
confligas, cui non consentias, quam frenes & do-
mes, post expecta quia nec ipsa erit. Si enim quod
nobiscū contendit ex mortali corpore etiā postea
erit, ubi est mors contentio tua, falsum erit. Quid
ergo postea futurum sit sciamus, Tūc enim fiet ser
1 Cor.15 mo qui scriptus est, Absorpta est mors in uictoria.
Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors acule-
us tuus? Aculeus enim mortis est peccatū, uirtus
autem peccati lex, quia ex prohibitione auctum
est desiderium, non extinctum. Lex peccato de-
dit uirtutem tantummodo per literam iubendo,
non per spiritum subueniendo. Ergo tunc nō erit
hoc, sed quid nunc? Quid sit nunc quæris, quod
& paulo ante dixit. Nunc autem iam non ego o-
peror illud, & ibi nunc, quid est? non ego operor
illud, Non consentio, non annuo, non decerno,
semper mihi displicet: membra mea teneo. Et ma-
gnum est hoc. Cum sit ex carne concupiscentia,
& ad carnem pertineant corporis membra, quan-
do non regnat peccatum, id est, carnis concupi-
scentia, plus habet iuris mens ad tenenda mem-
bra carnis ne dentur in arma iniquitatis, quàm ip-
sa cōcupiscentia carnis ad mouenda membra car-
nis. Itaq; concupiscentia est carnis, & membra car
nis: mens tamen quia dominatum habet, si tamen
desuper adiuuetur, ne cum ei multum contra dei
gratiam damus, non regem, sed ut tyrannum fa-
ciamus. Tātum ergo ualet mens, sic regit cum re-
gitur, ut de membris ipsius carnis contra concu-
piscentias carnis ipsius possit agere, quod ait A-
Rom.6 postolus, Non ergo regnet peccatum in uestro
mortali corpore ad obediendum desiderijs eius,
nec exhibeatis membra uestra arma iniquitatis
peccato. Nulla ergo condemnatio est nunc his
qui sunt in Christo Iesu, Non sint soliciti, si concu-
piscentijs illicitis titillantur, non sint soliciti, quod
uidetur adhuc esse lex in membris repugnans le-
gi mentis. Nulla enim condemnatio est. Sed qui-
bus etiam nunc? Quibus? Qui sunt in Christo Ie-
su. Et ubi est illa sententia, de qua dicebat paulo an
Rom.7 te, Video aliam legem in mēbris meis repugnan-
tem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege
peccati quæ est in membris meis? Sed me dicebat
ex carne, non ex mente. Vbi ergo illa lex, si nulla
condemnatio est his qui sunt in Christo Iesu? Lex
enim spiritus uitæ in Christo Iesu, Lex enim non
illa in monte Sina per literam, Lex enim non illa
in uetustate literæ, sed spiritus uitæ in Christo Ie-
su, liberauit te à lege peccati & mortis. Vt enim
condelecteris legi dei secundum interiorem ho-
minem, unde haberes, nisi lex spiritus uitæ in Chri
sto Iesu liberaret te à lege peccati & mortis? Ideo
A mens humana ne tibi tribuas, ne multum super-
bias, imo ne omnino superbias ô mens humana,
quod non consentis desiderijs carnis, quod lex
peccati non te de arce deponit: lex spiritus uitæ
in Christo Iesu liberabit te à lege peccati & mor-
tis: non te illa lex liberabit, de qua supra dictum
est, Vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in
uetustate literæ. Quare illa non liberabit? Nónne
& ipsa digito Dei scripta est? Nónne digitus
Dei spiritus sanctus intelligitur? Lege Euange-
lium & uide, quia ubi dicit unus Euangelista, do-
mino dicente, Si ego in spiritu Dei eijcio dæmo- Matt.12
nia, alius dicit, Si ego in digito Dei eijcio dæmo- Luc.11
nia. Si ergo & lex illa digito Dei scripta est, hoc
est, in spiritu Dei, quo spiritu uicti magi Pharao-
nis dixerunt, Digitus Dei est hic: Si ergo & ipsa,
B imò cum & ipsa spiritu Dei, hoc est, digito Dei
conscripta sit, quare non de illa dicitur, Lex enim
spiritus uitæ in Christo Iesu? Lex enim mortis
non ipsa dicitur, lex peccati & mortis, non illa lex
dicitur quæ data est in monte Sina. Lex peccati
& mortis illa dicitur, de qua gemens ait, Video
aliam legem in membris meis repugnantem le-
gi mentis meæ. Sed illa lex ipsa est quæ dicta est,
Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, Rom.7
& iustum, & bonum, Et subiecit, Quod ergo bo-
num est, mihi factum est mors? Absit. Sed pecca-
tum ut appareat peccatum, per bonum mihi ope-
ratum est mortem, ut fiat supra modum peccator
aut peccatum per mandatum. Quid est supra mo-
C dum? Vt addatur præuaricatio. Data est ergo
lex illa, ut inueniretur infirmitas. Parum est hoc,
non solum inueniretur, sed etiam ut augeretur,
& uel sic medicus quæreretur. Si enim leuis mor-
bus esset, contemneretur: si morbus contemne-
retur, medicus non quæreretur: si medicus non
quæreretur, morbus non finiretur. Ideo ubi abun-
dauit peccatum, superabundauit gratia quæ de-
leuit cuncta peccata quæ inuenit, & non ad pec-
candum uoluntati nostræ conanti adiutorium
subministrauit, ut ipsa uoluntas nostra non in se-
ipsa, sed in domino laudaretur. In domino enim
laudabimur tota die, Et in domino laudabitur
anima mea, audiant mites, & lætentur. Audiant
mites, nam superbi & litigiosi non audiunt. Er-
D go quare non ipsa est lex digito Dei scripta, quæ
dat adiutorium hoc gratiæ de qua loquimur?
Quare? Quia in tabulis lapideis scripta est, non 2.Cor.3
in tabulis cordis carnalibus. Denique fratres mei
in magno mysterio uidete concordiam, uidete
distantiam. Concordiam legis, distantiam ple-
bis. Celebrabatur Pascha in ueteri populo, sicut
nostis occisione agni cum azymis: ubi occisio
ouis Christum significat, azyma autem nouam
uitam, hoc est, sine uetustate fermenti. Vnde no-
bis Apostolus dicit, Expurgate uetus fermen- 1 Cor.5
tum: ut sitis noua conspersio, sicut estis azymi,
Pascha enim nostrum immolatus est Christus.
Celebratum est ergo Pascha in illo ueteri popu-
lo, nondum in luce fulgente, sed in umbra signi-
ficante

ficante celebratum est, & post quinquaginta di-
es à celebratione Paschæ, sicut computans inue-
niet qui uoluerit, datur lex in monte Sina, scri-
pta digito dei. Venit enim uerum Pascha, immo-
latur Christus, transitum facit à morte ad uitam,
Transitus enim interpretatur Hæbraicè Pascha.
Ioan.13 Quod expressit Euangelista dicens, Cum autem
ueniret hora, ut transiret Iesus de hoc mundo ad
patrem. Celebrauit ergo Pascha, resurgit domi-
nus, facit transitum à morte ad uitam, quod est Pa
scha, Et numerantur quinquaginta dies, & uenit
spiritus sanctus digitus dei. Sed uidete ibi quomo
do, & hic quomodo. Ibi plebs longe stabat, timor
erat, amor non erat: nam usqueadeo timuerunt,
Exodi 20. ut dicerent ad Moysen. Loquere tu ad nos, & nō
ad nos loquatur Dominus, ne moriamur. Descen
dit ergo, sicut scriptum est, Deus in Sina in igne,
sed plebem longe stantem territans, & digito suo
scribens in lapide, non in corde. Hic autem quan
Act.2 do uenit spiritus sanctus, congregati erant fide-
les in unum, nec in monte terruit, sed intrauit in
domum. De cœlo quidem factus est subito sonus,
quasi ferretur flatus uehemens. Sonuit, sed nullus
expauit. Audistis sonum, uidete & ignem, quia
in monte utrunque erat & ignis & sonitus, sed il-
lic etiam fumus, hic & ignis serenus. Visæ sunt e-
nim illis, inquit scriptura, linguę diuisę uelut ignis.
Nunquid de longinquo territans? Absit. Nam
insedit super unumquemq; eorum, & cœperunt
linguis loqui sicut spiritus dabat eis pronunciare.
Audi linguam loquentem, & intellige spiritum
non in lapide sed in corde scribentem. Lex ergo
spiritus uitæ scripta in corde, non in lapide, in
Christo Iesu, in quo celebratum est uerissimum
Pascha, liberabit te à lege peccati & mortis. Nam
ut noueris ipsam esse distantiam euidentissimam
ueteris & noui Testamenti, Vnde & dicit Aposto
lus. Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis
carnalibus: dominus apud Prophetam dicit, Ec-
Hier.31 ce dies uenient, dicit dominus, & consummabo
super domum Iacob testamentum nouum, non se
cundum testamentum quod cōstitui patribus eo-
rum, in die qua apprehendi manum eorum, & e-
duxi eos de terra Ægypti. Deinde ipsam differen
tiam euidenter ostendit, Dans, inquit, leges me-
as in cordibus eorum, in cordibus, inquit, eorum
superscribam eas. Si ergo scribatur lex dei in cor-
de tuo, nō foris terreat, sed intus mulceat, tunc lex
spiritus uitæ in Christo Iesu liberabit te à lege pec
cati & mortis. Quod enim impossibile erat legi.
Et, ne ipsa culparetur, quid subiunxit? In quo infir
mabatur per carnem. Lex enim iubebat, & nō im
plebat, quia caro ubi non erat gratia, inuictissime
resistebat: & lex infirmabatur per carnē, quia lex
spiritalis est, ego aūt carnalis sum. Quō ergo lex
mihi opitularetur iubens per literam, & non dans
gratiam? Infirmabatur per carnem. Quid fecit
deus cum hoc impossibile esset legi, & infirmare-
tur per carnem? Deus filium suum misit. Per
quid infirmabatur lex, & propter quid erat hoc
impossibile legi? Infimabatur per carnem. Quid
ergo deus? Contra carnem misit carnem, imò etiā
A pro carne misit carnem. Peccatum enim carnis oc
cidit, carnis substantiā liberauit. Misit deus filiū su
um in similitudinē carnis peccati, In carne quidē
uera, sed non in carne peccati. Quid autem in simi
litudine carnis peccati? Id est, ut esset caro, uera ca
ro. Et unde similitudo carnis peccati? Quia de pec
cato mors. Mors est utiq; in omī carne peccati, de
qua dicit Apostolus, Vt euacuaretur corpus Rom.6
peccati. Quia ergo est in omni carne peccati, sed
utrunq; ibi est, & mors & peccatū in carne: cæterū
in carne peccati & mors est, & peccatum est: in si-
militudinem carnis peccati mors erat, & peccatū
non erat. Si enim caro peccati esset, & merito pec
cati pœnā mortis lueret, non diceret ipse dn̄s, Ec- Ioan.4
ce uenit princeps mundi, & in me nihil inueniet.
B Quare ergo me occidit? Quia quę non rapui tunc
exoluebā. Prorsus quod fecit de tributo, hoc fecit
de morte. Exigebatur tributū, didrachma. Quare,
inquit, tu & discipuli tui nō redditis tributū? Vo-
cauit ad se Petrum, & ait ei, Reges mūdi à quibus
exigūt tributum, à filijs suis an ab alienis? Respon
sum est, Ab alienis. Ergo, inquit, liberi sunt filij. Ta
men ne scandalizemus eos, uade ad mare, & mit-
tę hamum, & qui primus surrexerit, id est primo-
genitus à mortuis: aperi, inquit, os eius, & inueni
es ibi staterē, id est duas didrachmas, quatuor dra-
chmas: q̄a didrachma, id est, duæ drachmæ in ca-
pite exigebatur. Inuenies ibi staterem, hoc est,
quatuor drachmas, da eis pro me & te. Quid est
pro me & te? Ipse Christus, Petrus, ecclesia Chri-
C sti, ecclesiæ quatuor euangelia. Mysteriū latebat,
Christus tamen tributum non debitum persolue-
bat. Sic persoluit & mortem, non debebat & per-
soluebat. Ille nisi indebitū solueret, nunquam nos
à debito liberaret. Quod ergo impossibile erat le-
gi quæ faciebat præuaricationem, quia nondum
mens conuicta quæsierat saluatorem, in quo infir
mabatur per carnem, misit deus filium suum in si-
militudine carnis peccati, & de peccato damna-
uit peccatum in carne. Quomodo ergo non habe
bat peccatum, si de peccato damnauit peccatum?
Iam aliquando exposuimus uobis hoc, sed qui me
minerunt recognoscant, qui non audierunt audi-
ant, qui obliti sunt recolant. Peccatum uocabatur
in lege sacrificium pro peccato, Assidue lex hoc
D commemorat. Non semel non iterum, sed sæpissi-
me peccata dicebantur sacrificia pro peccatis. Tale
peccatum erat Christus. Quid enim dicamus? Pec
catū habebat? Absit. Peccatū nō habebat, & pec-
catum erat. Peccatū erat, dixi secūdū illā intelligen
tiam, quia sacrificium pro peccato. Audi quia hoc
modo peccatum erat, ipsum Apostolum audi, de
illo loquens ait, Eum qui non nouerat peccatum.
Ipsam sententiam uobis exponebā, quando ista di 2 Cor.5
cebam, Eum, inquit, q̄ nō nouerat peccatū, id est,
dn̄m nostrum Iesum Christū, Deus pater eum qui
nō nouerat peccatū, pro nobis peccatū fecit, cum
ipsum Christū qui nō nouerat peccatū, deus pater
pro nobis peccatum fecit, ut nos simus iustitia dei
in ipso. Videte duo, Iustitia dei, non nostra, in

ipso nõ in nobis. Inde illi magni sancti, de quibus
Psal.35 dicit psalmus, Iustitia tua sicut montes dei. Et quasi diceretur in ipso psalmo, ubi dictum est, Iustitia tua, non enim iustitia eorum sed iustitia tua, uelut montes dei. Leuaui enim oculos meos in montes,
Psal.120 unde ueniret auxilium mihi, sed non à montibus. Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum et terram, Ergo cũ dixisset, Iustitia tua sicut montes dei, quasi quæreretur, ut quid ergo aliqui nascũtur qui non pertinẽt ad iustitiam dei: subiecit, Iudicia tua sicut abyssus multa. Quid est sicut multa abyssus? Altum est, impenetrabile est, inaccessum est humanæ intentioni. Diuitiæ enim dei inscrutabiles, Inscrutabilia iudicia eius, inuestigabiles uiæ eius. Ergo & huc misit deus filium suum propter præscitos & prædestinatos, uocandos, iustificandos, glorificandos, ut montes dei dicãt, Si deus pro nobis, quis contra nos? Misit deus filium suum in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustitia legis impleretur in nobis. Nõ implebatur per se, impleta est per Christũ. Non enim uenit legem soluere, sed implere. Sed quõ iustitia legis impleretur, in nobis, uel quomodo impleretur nobis, uel quibus nobis? Vis audire in quibus nobis? Qui non secundum carnẽ ambulamus, sed secũdum spiritũ. Quid est secundum carnem ambulare? Carnalibus cõcupiscentijs cõsentire. Quid est secundum spiritum ambulare? Adiuuari spiritu in mẽte, & concupiscentijs carnis non obedire. Sic ergo impletur in nobis lex, impletur in nobis iustitia dei, modo interim impletur,
Eccl.18 Post concupiscentias tuas non eas. Post concupiscentias tuas cum audis, illicitas accipe. Post concupiscentias tuas non eas, debet impleri ex uoluntate nostra. Adiuta gratia dei debet impleri, post concupiscentias tuas non eas. Quicquid enim illa concupiscentia carnis egit in nobis præteritorum peccatorum, siue in factis siue in dictis, siue in cogitationibus, totũ deletũ est sacro baptismate, omnia debita deleuit una indulgẽtia, Restat ergo cũ carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas, inest, titillat delectatio illicitæ cõcupiscentiæ: pugna, resiste, noli cõsentire, & implebit hic, Post concupiscentias tuas non eas: quia & si quãdo surrepunt, & usurpant sibi oculum, aurem, linguam, uolaticam cogitationem, nec sic desperemus de salute nostra. Ideo quotidie dicimus.
Matt.6 Dimitte nobis debita nostra. Iustitia, inquit, legis implebitur in nobis. Sed in quibus nobis? Qui non secundum carnem ambulamns, sed secundum spiritum. Qui enim carnis sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui autem secundum spiritum, quæ sunt spiritus. Prudentia enim carnis mors est, prudentia autem spiritus uita & pax. Prudentia enim carnis inimica in deum, Legi enim dei non est subiecta, neq; enim potest. Quid est neque potest? Non homo non potest, non anima non potest, non deniq; ipsa caro, quia dei creatura, non potest: sed prudentia carnis non potest, uitium non potest, non natura: quomodo si diceres, claudicatio rectæ ambulationi non est subiecta, neque enim potest. Pes potest, sed claudicatio
A non potest. Tolle claudicationẽ, & uidebis rectã ambulationem. Sed quãdiu claudicatio est nõ potest: sic quãdiu prudentia carnis est, nõ potest. Nõ sit prudentia carnis, et homo potest. Prudentia spiritus uita & pax. Quod ergo ait, Prudentia carnis inimica in deũ, noli sic accipere quasi inimica ista possit lædere deum. Resistendo inimica est, nõ occidendo. Illi aũt nocet, in quo est prudentia carnis, quia uititiũ naturæ nocet in qua natura inest. Medicina aũt ideo inuẽta est, ut pellat uitiũ, et sanetur natura. Venit ergo Saluator ad genus humanum, nullum sanũ inuenit, ideo magnus medicus uenit. Hoc propterea dixi, quia Manichęi uolẽtes aliam contra deũ inducere naturã mali, quasi de hoc Apostoli testimonio errorẽ suũ existimãt adiuuari,
B & putãt quasi naturaliter dictũ, quia dictũ est, non potest, inimica est in deũ. Legi em̃ dei nõ est subiecta, neq; enim potest: & non attenderũt nõ de carne dictũ esse, non potest, nõ de homine dictũ esse, non potest, non de anima dictum esse, nõ potest, sed de prudentia carnis. Prudentia ista uitium est. Vis nosse quid est? Sapere secundum carnẽ mors est. Sed ille ipse unus homo, eademq; natura à domino deo uero & bono condita, heri sapiebat secundum carnem, hodie sapit secũdũ spiritũ, expulsum est uitiũ, sanata est natura. Nam quandiu esset prudentia illa carnis, omnino legi dei subiecta esse non posset. Quãdiu enim inest per uitiũ claudicatio, nullo modo potest esse recta ambulatio. Sanato autẽ uitio, reparata est natura. Fuistis aliquã-
Ephes.4
C do tenebræ, nunc autẽ lux in domino. Videte ergo quid sequitur. Qui aũt in carne sunt, id est, qui in carne confidunt, qui cõcupiscẽtias suas sequuntur, qui in his habitãt, qui earũ uoluptatibus oblectant, qui in earũ delectationibus beatã felicẽq; uitam constituunt, ipsi enim sunt in carne, deo placere non possunt, Nõ enim sic dictũ est, Qui autẽ in carne sunt, deo placere non possunt, quasi dictum esset, in hac uita cũ sint homines, deo placere non possunt. Ergo non placuerunt sancti patriarchæ? Ergo non placuerunt sancti prophetæ? Ergo non placuerunt sancti apostoli? Non placuerũt sancti martyres, qui antequã corpus patiẽdo deponerẽt Christũ confitẽdo, nõ solũ uoluptatẽ contẽnebãt,
D sed dolores quoq; patiẽtissime pferebãt? Placuerunt, sed in carne non fuerũt. Portabãt carnẽ, non portabant à carne. Iam em̃ paralytico dictum erat,
Iom.5 Tolle grabbatum tuum. Qui ergo in carne sunt, quẽadmodum dixi, quemadmodũ iam exposui, non in seculo uiuendo, sed carnis concupiscentijs consentiendo, Deo placere non possunt. Deniq; audite ipsum, quæstionem sine ulla dubitatione soluentẽ. Viuẽs utiq; in hoc corpore loquebatur, & tamen adiũxit. Vos autẽ non estis in carne, Putas est hic aliquis in uobis cui dictum est? Ecce populo dei dixit, ecclesiæ dixit, Romanis quidem scribebat, sed uniuersæ Christi ecclesiæ dixit, sed tritico dixit nõ paleæ, massę dixit latẽti, non stipulæ apparenti. Vnusquisq; in corde suo cognoscat, Nos aurib. loqmur, cõsciẽtias nõ uidemus, tamen

secundum

secundum ea quæ superius locuti sumus, existimo in nomine Christi esse in plebe Christi quib. dictũ
Rom.9 est. Vos aũt nõ estis in carne, sed in spiritu, si tamẽ spiritus dei habitat in uobis. Nõ estis in carne, qa non facitis opera carnis cõsentiendo cõcupiscentijs carnis, sed estis in spiritu, qui secundũ interiorem hominẽ cõdelectamini legi dei, et hoc est si tamen spũs dei habitat in uobis. Nã si de spiritu uestro præsumitis, adhuc in carne estis. Si ergo non estis in carne, ut in spiritu dei sitis, tunc enim in carne nõ estis. Nã si recedat spũs dei, pondere suo spi
Lucæ 11 ritus hominis reuoluit in carnẽ, redit ad facta carnalia, redit ad cõcupiscentias seculares, Et erunt illius hominis peiora nouissima q̃ erant prima. Sic enim habete liberũ arbitriũ, ut imploretis auxiliũ. Nõ estis in carne, & hoc ex uiribus uestris? Absit. Vnde ergo? Si tñ spiritus dei habitat in uobis. Si qs aũt spiritũ Christi nõ habet, hic nõ est eius. Nõ ergo se extendat, nõ se iactet, nõ sibi arroget uirtutem propriam, egena & uitiata natura, ô humana natura, ô Adam quando sanus eras nõ stetisti, & tuis uiribus surrexisti? Si quis spiritũ Christi nõ habet (Ipse enim spũs dei, qui spũs Christi, & patris est em̃ & filij) Si quis spiritũ dei non habet, non se fallat, hic non est eius. Ecce adiuuante ipsius misericordia spiritũ Christi habemus, ex ipsa dilectione iustitiæ, integra fide, catholica fide spiritũ dei nobis inesse cognoscimus. Sed quid de carne illa mortali? Quid de lege in membris nostris repugnante legi mentis? Quid de illo gemitu? Miser ego homo. Audi. Si autem Christus in uobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus aũt uita est propter iustitiã. Ergo de corpore mortuo, propter peccatũ iam desperãdũ est? Nulla spes est? Sic dormit, ut nõ adijciat ut surgat? Absit. Corpus quidem mortuum est propter peccatũ, spiritus aũt uita est propter iusticiã. Remansit
Eph.5 tristitia de nostro corpore. Nemo aũt carnem suã odio habuit. Videmus quàm solicite curetur sepultura mortuorum. Corpus quidem mortuũ est propter peccatum, spiritus autem uita est propter iustitiam. Iam dicebas ad consolationem, Vellem quidem & corpus meum esse in hac uita, sed quia non potest, sit uel spiritus meus, sit uel anima mea. Expecta, noli esse solicitus. Si enim spiritus eius qui suscitauit Iesũ à mortuis, habitat in uobis, qui suscitauit Christum Iesum à mortuis, uiuificabit &
D mortalia corpora uestra. Quid timetis? Quid etiam pro ipsa carne soliciti estis? Capillus capitis uestri non peribit. Adam peccando damnauit in mortem corpora uestra, sed Iesus si est spiritus eius in uobis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, quia suum sanguinem dedit pro salute uestra. Promissum reddi dubitas, qui tale pignus tenes? Luc.12
Rom.7 Sic ergo homo non erit mortis illa contentio, sic implebitur quod dictum est, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quia Christus Iesus si spiritus eius in uobis est, uiuificabit & mortalia corpora uestra: sic liberaberis de corpore mortis huius, non corpus non habendo, uel alterum habendo, sed non ulterius moriendo.

Si enim non adderet, Mortis huius, & diceret,
A Quis me liberabit de corpore, forte suggereretur error cogitationi humanæ, & diceretur, Vides qa non uult deus nos esse cum corpore? De corpore, inquit, mortis huius. Mortem tolle, & bonum est corpus. Detrahat mors nouissima inimica, & erit mihi in ęternum caro mea amica. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit. Et si spiritus concupiscit contra carnem, & caro cõcupiscit ad uersus spiritum, etsi modo rixa est in ista domo, maritus litigans non perniciem, sed concordiam quęrit uxoris. Absit fratres mei, absit, ut spiritus cõcupiscendo contra carnem oderit carnẽ, Vitia carnis odit, prudentiã carnis odit, cõtentionem mortis odit. Corruptibile hoc induat incorruptionẽ,
B & mortale hoc induatur immortalitate, seminetur corpus animale, resurgat corpus spiritale, & uide plenam perfectamq; cõcordiam, uidebis crea- Rom.8
turam, lauda creatorẽ, Si ergo spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in uobis, qui suscitauit Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra propter inhabitantem spiritum in uobis, non propter merita uestra, sed propter munera sua. Conuersi ad dominum.

De uerbis Apostoli, Peto non infirmari in tribulationibus meis pro uobis, quæ est gloria uestra, Et de libero arbitrio.

Sermo VII

A POSTOLVM audiuimus, psalmũ au- A
diuimus, euangelium audiuimus, consonant omẽs diuinę lectiones, ut spem
C non in nobis, sed in dño collocemus. Peto, inquit Apostolus, uos nõ infirmari in tribulationib. meis
Ephe.3 pro uobis, quæ est gloria uestra. Peto, inqt, uos nõ infirmari, id est, ut non infirmemini, quando audistis me pati pro uobis tribulationes, quia hæc est gloria uestra. Petit ergo eos ut nõ infirmentur, quod non faceret, nisi eorum uellet excitare uoluntatẽ. Si enim respoderent, Quid nos petis quod in potestate non habemus? nunquid non uiderent sibi iustum reddidisse responsum? Et tamen Apostolus nisi sciret esse in eis uoluntatis propriæ cõsensionẽ, ubi & ipsi aliquid agerent, nõ diceret, peto. Et si diceret, iubeo, nisi eos nosset adhibere posse iussioni suæ uolũtatem, sine causa hoc uerbum de eius ore procederet. Sed rursus sciens sine dei adiutorio infirmam esse hominis uoluntatem, non
D solum ne dicerent, uoluntatis arbitrium non habemus, dixit peto, uerumetiam ne dicerent, uoluntatis arbitrium sufficit nobis, uidete quid addidit, Huius rei gratia, Cuius rei gratia, nisi quia supra dixerat, Peto nõ infirmari in tribulationibus meis pro uobis, quæ est gloria uestra? Quia ergo uolũtatis habetis arbitriũ, peto. Quia uero uobis uoluntatis nõ sufficit arbitriũ ad implendũ quod peto, Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Vt det uobis. Quid det uobis? Quod peto à uobis, rogo det uobis. Peto enim à uobis propter arbitriũ uolũtatis, rogo det uobis propter auxilium maiestatis. Sed

Apostoli

Apostoli uerba præuenimus. Adhuc fortasse expectatis audire, qui textũ eiusdẽ lectionis memoria non tenetis, utrũ reuera ideo Apost. pro ipsis ad patrem genua flectat, ut det illis quod dixerat eis, peto. Mementote ergo quid petierit ab eis. Peto uos non infirmari in tribulationibus meis pro uobis. Hoc ab eis petit. Modo uidete quid illis petit. Flecto genua mea ad patrem dñi mei Iesu Christi, ut det uobis secundum diuitias glorię suę uirtute corroborari. Quid est aliud, nisi non infirmari? Virtute corroborari, inquit, per spiritum eius. Iste spiritus gratiæ uidete quid petit. Hoc à deo petit, quod ab hominibus exigit, quia ut deus uelit dare debes & tu ad accipiendum accõmodare uoluntatem. Quõ uis accipere gratiam diuinæ bonitatis, qui sinum non aperis uoluntatis? Det, inquit, uobis. Non enim habetis, nisi det uobis. Det uobis uirtute corroborari per spiritũ eius. Si enim dederit uobis uirtute corroborari, ibi dabit uobis non infirmari, in interiore homine habitare Christum per fidẽ in cordibus uestris. Totum hoc det uobis. In charitate radicati & fundati, ut præualeatis cõprehendere cũ omnibus sanctis. Quid cõprehendere? Det uobis per spiritũ suum uirtute corroborari, & habitare in interiore homine uestro Christum per fidẽ, atq; ita in charitate radicati & fundati possitis cõprehendere. Quid? Quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, & profundum. Altitudo quidem in latina lingua utrũq; significat, & quod sursum uersum est altitudinis nomẽ habet, et quod in profundũ altum est, altitudinis nomẽ habet. Ideo bene respõdet interpres ad id quod sursum est altum, altitudinẽ dicere, ad illud quod deorsum altum est, profundum dicere. Quid est ergo fratres mei? Exponam hoc uobis, quod facilius forte sit cuiquã q̃ sibi sit quis? Quid ergo? Quia latitudinem, longitudinẽ, altitudinẽ, & profundum, quatuor ista quæ dicit Apostolus, minus idoneus sum uel comprehendere uel proferre, transibo ab hoc, an forte pulsabo, & ut uobis salubre aliquid proferam, uestris orationibus adiuuabor. Quid corde pergis homo Christiane per latitudinẽ terræ, longitudinẽ temporũ, altitudinẽ cœli, profunditatem abyssi? Quando ista comprehendis uel mente uel corpore, hoc est, siue cogitando sine carnis oculis intuendo? Quando ista comprehendis? Ipsum audi (Gal.6) Apostolum dicentẽ sibi, Mihi aũt absit gloriari, nisi in cruce dñi nostri Iesu Christi. Et nos in illa gloriemur, uel quia per illam incumbimus? In illa gloriemur om̃es ô boni fratres, in illa gloriemur: Ibi forte inuenimus & latitudinẽ, & longitudinẽ, & altitudinẽ, & profundũ. His eñ Apostoli uerbis, crux quodãmodo nobis ante oculos constituta est. Habet eñ latitudinem in qua manus figantur, habet longitudinem quod inde usq; ad terram dicitur lignum, habet & altitudinẽ quod ab ipso transuerso in quo figuntur manus excedit aliquãtum ubi caput crucifixi ponitur, habet & profundum, hoc est quod in terra figitur & non uidetur. Videte magnum sacramentum. Ab illo profundo quod non uides, surgit totum quod uides. Vbi

ergo est latitudo? Confer te ad uitam morésque A sanctorum, qui dicunt, Absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Inuenimus in moribus eorum latitudinem charitatis: Vnde illos admonuit (2 Cor.6) ipse Apostolus, dicens, Dilatamini, ne sitis iugum ducentes cum infidelibus. Et quia ipse latus erat qui eos ad latitudinem exhortabatur, audi (Ibidem.) quid dicat, Os nostrum patet ad uos ô Corinthij, Cor nostrum dilatatũ est, Latitudo ergo charitas est, quæ sola bene operatur: Latitudo facit ut hilarem datorem diligat deus. Si enim angustiam passus fuerit, tristis dabit, si tristis dabit, perit quod dabit. Opus est enim latitudine charitatis, ne pereat quicquid boni facitis. Sed quoniam ait dominus, (Matt.24) Vbi adundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum: Da mihi & longitudinem. B Quæ est longitudo? (Matt.10) Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Hæc est lõgitudo crucis, ubi totum corpus porrigitur, ubi quodammodo statur, quo stando perseueratur. Si ergo quæris qui in cruce gloriaris habere crucis latitudinẽ, habeto bene operandi uirtutem. Si uis habere crucis longitudinem, habeto perseuerandi longanimitatem. Si autem uis habere crucis altitudinem, nosti quid audias & ubi audias: Sursum cor. Quid est, sursum cor? Ibi spera, ibi ama: Inde pete uirtutem, ibi expecta mercedem. Nam si bene operaris & hilariter tribuis, uideris habere latitudinem. Si in ijsdem bonis operibus usque in finem perseuerauerís, uideris habere longitudinem. Sed C si omnia hæc non propter supernam mercedem facis, altitudinem non habebis, & illa iam nec latitudo erit, nec longitudo. Quid est enim habere altitudinem, nisi cogitare deum, amare deum, et gratis amare ipsum deum adiutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum præmij largitorem, postremo ipsum præmium deputare, non aliud ab ipso quàm expectare? Si amas, gratis ama: si uere amas, ipse sit merces quem amas. An uero tibi chara sunt omnia, & uilis est qui condidit omnia? Hæc ut possimus flexit genua sua pro nobis Apostolus, utiq; ideo ut det nobis. Terret enim (Matth.13) & euãgelium, Vobis datum est scire mysterium regni, illis aũt non est datum. Qui enim habet, dabitur ei. Quis autẽ habet cui dabitur, nisi cui datum est? Qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Quis autem non habet, nisi D cui non est datum? Quare ergo illi datum est, & illi non est datum? Non me piget dicere, hoc est profundum crucis. De profundo nescio quo iudiciorum dei quæ perscrutari contẽplariq; non possumus, procedit omne quod possumus: de profunditate, inquam, nescio qua iudiciorum dei, quę inscrutabilia contemplari non possumus, perscrutari non ualemus, procedit om̃e quod possumus. Quod possum uideo, unde possim non uideo, nisi quia & hoc hactenus uideo quod noui esse à deo. Quare autẽ illum & non illum? Multum est à me: Abyssus est, profundum crucis est, admiratiõe exclamare possum, disputatione demõstrare nõ possum. Quid posũ exclamare de ista profunditate?

Quàm

(Psal.91) Quàm magnificata sunt opera tua domine? Gentes illuminantur, Iudæi excęcantur. Quidam paruuli sacramento baptismatis abluuntur, quidam uero paruuli in morte primi hominis relinquuntur. Quàm magnificata sunt opera tua domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ: & sequitur. Vir imprudens non cognoscit, & stultus non intelliget hæc. Quid non intelligit stultus & imprudens? Quia uel profundum est. Nam si stultus non intelligit, & sapiens intelligit, non est nimis profundum. Sed si sapiens intelligit quia profundum est, stultus non intelligit quia uel profundum est. Ideo multi de isto profundo quærentes reddere rationem, in fabulas uanitatis abierũt. Aliqui dixerunt, quòd animæ sursum in cœlo peccant, & secundum sua peccata ad corpora pro meritis diriguntur, & dignis sibi quasi carceribus includuntur. Ierunt post cogitationes suas, loqui uolentes de dei profundo, mersi sunt in profundum. Occurrit enim eis Apostolus, uolens gratiã commendare, & elegit illos geminos in utero Rebec(Rom.9)cę, & dicit, Nondũ enim nati, nec quia aliquid egerint boni aut mali. Vide quẽadmodum tulit uanis hominibus phantasias conuersationis animarum ante corpus in cœlo. Si eñ ibi iam cõuersatæ sunt, iam aliquid boni egerunt uel mali, & pro meritis suis ad corpora terrena directæ sunt. Si placet cõtradicamus Apostolo, qui dixit, Nondum nati, nec quia aliquid egerint boni aut mali. Hoc autẽ quia propter Apostoli euidentem sententiam respuit catholica fides, quod animæ in cœlis prius uiuant & conuersentur, & illic recipiendorũ corporum merita assumant, modo isti nouelli non audẽt dicere. Sed quid dicũt aliqui sicut audiuimus ipsorum? Ista disputant. Prorsus, inquiunt, pro meritis suis omnes homines moriuntur quia peccauerunt, non eñ esset mors nisi ueniens de peccato. Optime quidem & uere dictum est: nõ esset mors nisi ueniẽs de peccato. Sed ego cũ hæc audio ideo laudo, quia illã primã mortẽ intueor, & illius pri(1Cor.15)mi hominis peccatũ: audio eñ Apostolum, Sicut in Adam oẽs moriuntur, sic & in Christo omnes (Rom.5) uiuificabuntur. Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Om̃es eñ unus fuerunt. Sic te audio dicentem mortem hominis de peccato esse. Nõ, inquit. Et quid dicis? Omnem hominem deus immortalem creat modo. Mirabilis nouitas, Quid dicis? Prorsus, inquit, hominem deum immortalem creat. Quare ergo moriuntur paruuli infantes? Nam si dicam, Quare moriuntur grandes homines, dicturus es mihi, peccauerunt. Ergo de maiorum ætate non disputabo, paruulorum infantiam contra te testem citabo. Non loquuntur & conuincunt, tacent & quod dico probant. Ecce infantes in suis utique operibus innocentes sunt, nihil secum nisi quod de primo homine traxerunt habentes, quibus propterea est Christi gratia necessaria, ut in Christo uiuificentur, qui in Adam mortui sunt, ut quia inquinati sunt generatione, pur-

gẽtur regeneratione: Ipsos ergo testes citabo. Re A sponde mihi, quare moriuntur si omnes homines immortales nascunt̃, & quoniã peccant, ideo moriuntur? Quid putatis dici potuisse? Quæ aures ferant? Peccauerũt & ipsi. Vbi peccauerunt rogo, quãdo peccauerunt, quõ peccauerũt? Bonum & malum quid sit nesciunt. Peccatum accipiunt, qui præceptũ nõ capiunt? Proba mihi peccatores infantes. Quid dixisti? Vere quia oblitus es, q̃d fuisti, proba mihi peccata infantum. An quia plorant peccãt, quia moribus quasi mutorũ animaliũ, molestias repellunt, uoluptates accipiũt, ideo peccãt? Si motus isti peccata sunt, ampliores peccatores in baptismo fiunt, quia cum baptizant̃ uehementissime reluctantur. Quare illis in tanta reluctatione non imputatur peccatũ, nisi quia nullum est ad B huc uoluntatis arbitriũ. Sed aliud dico. Isti quia nati sunt, ut arbitraris, peccarunt: Nã si nõ peccarẽt, inquis, non morerentur: Quid de illis dicis qui in utero moriuntur? O angustia. Et ipsi, inquit, peccarunt, ideo moriuntur. Mẽtiris, an falleris? Cõtra dicit Apostolus, Nondũ natis, nec aliquid agẽtib. boni aut mali. Magis Apostolum audio q̃ te, magis Apostolo credo q̃ tibi, nõdũ natis nec aliquid agentibus boni aut mali. Si autẽ hoc testimonium refellis, uade potius ad illas uagatiões et dic, Quia in cœlo peccarunt, & inde in corpora præcipitantur. Nõ dico, inquis. Quare non dicis? Quia dicit Apostolus, Nondum natis nec aliquid agentibus boni aut mali. Si ergo nõ eos accusas in cœlo, quare accusas in utero? Ad utrunq; respõdet Aposto- C lus, & eis respõdet qui dicũt in cœlo, & qui dicũt in utero peccauerũt, quia ad utrũq; ualẽt illa uerba quę dicunt, antẽq; nascerent̃ nihil egisse uel boni uel mali. Quare ergo moriunt̃? Et hic te auditurus sum, & non potius magistrũ gentiũ? Dic mihi Paule apostole, quare moriũtur? Per unum homi(Rom.5)nem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Ecce primus homo totam massam damnabilem facit. Veniat, ueniat, dominus noster secundus homo: Veniat, ueniat ex alio tramite ueniat, per uirginem ueniat, uiuus ueniat, mortuos inueniat, moriatur ut morienti subueniat, mortuos ad uitam transferat, mortuos redimat morte, seruet uitã in mortẽ, occidat mortẽ de D morte. Sola est ista gratia paruulorũ, sola maiorũ, sola liberat pusillos cũ magnis. Quare illũ & quare illum, quare non illũ atq; illum? Nolo à me quæras. Homo sum, profundum crucis aduerto non penetro, expauesco nõ scrutor: Inscrutabilia sunt iudicia eius, inuestigabiles sunt uiæ eius. Homo sum, homo es, homo erat qui dicebat, O homo tu quis es qui respõdeas deo? Homo dicebat, homini dicebat. Audiat homo, ne p̃eat homo propter quẽ deus factus est homo. In hac ergo crucis profunditate, in hac rerũ tanta obscuritate teneamus q̃d cãtauimus, nõ de nostra uirtute præsumamus, nõ ingenioli nostri uirib. in hac quęstiõe aliq̃d arrogemus, psalmũ dicamus, cum psalmo dicamus, Miserere mei deus, miserere mei. Quare? Quia

uirtu-

uirtutem habeo qua te promerear? Non. Quare? Quia uolũtatis arbitriũ gero, unde gratiam tuam meritum meum præcedat? Non. Sed quare? Quoniam in te cõfidit anima mea. Magna scientia ista continentia. Conuersi ad dominum.

De uerbis Apostoli, Humanus sermo & omni acceptiõe dignus, quia Christus Iesus uenit in hũc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sermo VIII

A 1.Tim.1 VDIVIMVS beatum apostolum Paulum dicentem, Humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Humanus ergo sermo & omni acceptione dignus. Quare humanus & nõ diuinus? Proculdubio nisi iste humanus sermo etiam diuinus esset, dignus omni acceptione non esset, Sed sic est sermo iste humanus & diuinus, quomodo est ipse Christus, & homo & deus. Si ergo recte intelligimus sermonem istum, non solum humanum esse uerumetiam diuinum: quare Apostolus humanum maluit dicere quàm diuinum? Proculdubio enim qui non mentiretur si diceret diuinum, non sine causa maluit dicere humanum. Hoc ergo elegit, per quod Christus in mundum uenit. Venit enim per quod homo erat, nam per quod deus erat semper hic erat. Vbi Hier.23 enim non est deus, qui dixit, Cœlum & terram ego compleo? Christus est certe uirtus & sapien- Sap.8 tia dei, de qua dicitur, Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Ergo in hoc mundo erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognouit. Et hic erat & uenit. Hic erat per diuinam maiestatem, uenit per humanam infirmitatem. Quia ergo uenit per infirmitatem humanam, ideo prædicans aduentum eius, dixit, Humanus sermo est. Non liberaretur humanum genus, nisi sermo dei dignaretur esse humanus. Nam & homo ille dicitur humanus, qui se exhibet hominem, & maxime qui hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur qui in domo sua suscipit hominem, quàm humanus est qui in seipso suscipit hominem? Ergo humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in mundum peccatores sal- Lucæ 19. uos facere: attende Euangelium, Venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat. Si D homo non perisset, filius hominis non uenisset. Ergo perierat homo, uenit deus homo, & inuentus est homo. Perierat homo per liberam uoluntatem, uenit deus homo per gratiam liberatricem. Quæris quid ualeat ad malum liberum arbitrium, recole hominem peccatorem. Quæris quid ualeat ad auxilium deus & homo, attende in eo gratiã liberantem. Nusquam potuit sic ostendi, quantum ualeat uoluntas hominis usurpata per superbiam, ad utendum sine adiutorio dei malum, non potuit plus & manifestius exprimi, quàm in homine primo. Ecce perit primus homo, & ubi esset nisi uenisset secundus homo? Quia & ille homo & iste homo, & ideo iste humanus sermo,

Prorsus nunquam sic apparet benignitas gratiæ & liberalitas omnipotentiæ dei, quàm in homine mediatore dei & hominum, homine Christo Iesu. Quid enim dicimus fratres mei? In fide catholica nutritis loquor, uel in pacem catholicam lucratis. Nouimus & tenemus, mediatorem dei & hominum, hominem Christum Iesum, inquantum homo erat, eius esse naturæ cuius nos sumus. Non enim alterius naturæ caro nostra & caro illius, nec alterius naturæ anima nostra & anima illius. Hanc suscepit naturam quam saluandam esse iudicauit. Nihil minus habebat in natura, sed nihil habebat in culpa. Natura pura, sed non sola humana. Ibi erat deus, ibi erat uerbum dei. Et sicut tu unus homo anima es & ca- B ro, sic & ille unus Christus deus & homo. Audebit ergo aliquis dicere, quia natura nostra in illo mediatore primum per liberum arbitrium promeruit deum, & sic suscipi meruit ut esset homo & deus unus Christus Iesus? Ecce nos possumus dicere uirtutibus nostris, moribus nostris, conuersatione uitæ nostræ meruisse ut efficiamur filij dei: possumus dicere, accepimus præceptum, si seruauerimus & bene uixerimus, recipiemur in numero filiorum dei. Nunquid & ille prius uixit filius hominis, & bene uiuendo factus est filius dei? Inde cœpit & inde incepit, & susceptione factus est. Verbum enim caro factum est, ut habitaret in nobis: uerbum dei unicus dei filius assumpsit animam & carnem hominis, non antea se promerentis, nec ad illam percipiendam sublimi C tatem uirtute propria laborantis, sed omnino gratis. Nihil enim præcessit illam susceptionem. Susceptus est dei filius, susceptione factus est. Virgo concepit, ante conceptum uirginis homo mediator, non utiq; prius iustus fuit. Quomodo enim iustus fuit, qui nec fuit? Virgo cõcepit, & susceptio hominis inde cœpit. Merito dictum est, Vidimus Ioan.1 gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à patre, plenum gratia & ueritate. Amas liberam uoluntatem tuam, dicturus es patri tuo, Da mihi sub- Luc.15 stãtiam meam quæ me cõtingit. Quid te tibi committis? Melius te potest seruare, qui te potuit anteq; esses creare. Agnosce ergo Christũ, gratia plenus est. Hoc tibi uult fundere quo plenus est, hoc tibi dicit, Quere dona mea, obliuiscere merita tua quia si ego quærerem merita tua, non uenires ad dona mea. Noli te extollere, pusillus esto, Zachæ us esto, Sed dicturus es, Si Zacheus fuero, præ tur Luc.19 ba nõ potero uidere Iesum. Noli esse tristis, ascende lignum ubi pro te pependit Iesus, & uidebis Iesum. Et quale genus ligni ascendit Zachæus? Sycomorum. In regionibus nostris aut omnino nusquam aut raro forte alicubi nascit, in illis aũt partibus multum est huius generis ligni. Et poma Sycomora dicunt, pomo quidẽ similia, sed tamen distant aliquid, quod possunt nosse qui uiderunt uel gustauerũt. Quantũ tamẽ indicãt interpretatione nominis, sycomora fici fatuæ latine interpretãtur. Iam uide Zachæum meũ, uide illum obsecro te uolentẽ in turba uidere Iesum & nõ ualentem.

Humilis

Humilis enim erat, turba superba erat, & ipsa turba ad uidendum bene dominũ, sicut solet turba se ipsam impediebat, ascendit à turba, & uidit Iesum non impediente turba. Turba enim dicit humilibus, humilitatis uiam gradientibus, iniurias suas deo dimittentibus, uindictam de inimicis non requirentibus, turba insultat & dicit, Indefense, qui te non potes uindicare. Turba impedit ne uideat Iesus, turba glorians & exultans, quando se potuerit uindicare, impedit ne uideatur ille qui pendẽs Luc.23 ait, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Hunc ergo uolens uidere Zachæus, in quo figurabatur persona humilium, non attendit turbam impedientem, sed attendit sycomorum quasi fatui pomi lignum. Nos enim, inquit Apostolus, prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, attende sycomorum, gentibus autem stultitiam. Deniq; de cruce Christi nobis insultant sapientes huius mundi, & dicũt. Quale cor habetis, qui Christũ colitis crucifixũ? Quale cor habemus? Non utiq; uestrum. Sapientia huius mundi, stultitia est apud deum. Non enim uestrum cor habemus. Sed dicitis cor nostrum stultum, dicite quod uultis, nos ascendamus sycomorum & uideamus Iesum: Ideo enim uos Iesum uidere non potestis, quia sycomorum ascendere erubescitis. Apprehẽdat Zachæus sycomorum, ascendat humilis crucem: Parum est ascendat, ne de cruce Christi erubescat, in fronte illam figat ubi sedes pudoris est: ibi omnino, ibi in quo membro erubescitur, ibi figatur unde non erubescitur. Puta quia tu irrides sycomorum, & ipsa me fecit uidere Iesum. Sed tu irrides sycomorum qui homo es, stultum autẽ dei sapientius est quàm hominum. Et uidit dominus ipsum Zachæum. Visus est & uidit, sed nisi uisus esset non uideret. Quos enim prædestinauit, illos & uocauit. Ipse est qui Nathanaeli dixit, iam quasi testimonio suo adiuuanti euangelium & dicenti, A Nazareth potest aliquid boni esse? Dominus ad illum, Priusquam te Philippus uocaret cum esses sub arbore fici uidi te. Nostis unde sibi succinctoria fecerunt primi peccatores Adam & Eua? Quãdo peccauerunt de folijs fici succinctoria sibi fecerunt & pudenda texerũt, quia quod eos puderet peccando fecerunt. Ergo si succinctoria sibi primi peccatores, unde originem ducimus, in quibus perieramus, ut ueniret ille quærere & saluare quod perierat, de folijs fici pudenda tegendo fecerunt, quid aliud dictum est, Cum esses sub arbore fici uidi te, nisi non uenires ad purgatorem peccati, nisi prior te uidisset in umbra peccati? Vt uideremus, uisi sumus, ut diligeremus dilecti sumus. Deus meus misericordia eius præueniet me. Iam ergo dominus qui Zachæum in corde susceperat, in domum eius dignatus est suscipi, & dixit, Zachęe descende, quia in domo tua oportet me manere. Magnum beneficium ille arbitrabatur Christum uidere: quia magnum & ineffabile beneficium putabat transeuntem uidere, subito meruit in domo habere. Infunditur gratia, operatur fides per dilectionem, suscipitur Christus in domũ qui iã habitabat

A in corde. Dicit Christo Zachæus, Domine dimidium rerum mearum do pauperibus, & si quid alicui quem fraudaui, quadruplum reddo: quasi diceret, Ideo mihi dimidium teneo, nõ quod habeam, sed unde reddã. Vere ecce quod est suscipere Iesum, in cor suscipere: Ibi enim erat Christus, in Zachæo erat, & de illo sibi dicebat quod ex ore eius audiebat. Sic enim Apostolus dicit, Habitare Christum Ephes.3 per fidem in cordibus nostris. Iam ergo quod Zacheus erat, quia princeps publicanorum erat, quia ualde peccator erat, quasi sana illa turba quæ impediebat uidere Iesum admirata est, & reprehendit quòd in domum peccatoris intrasset Iesus. Hoc erat reprehẽdere quòd in domum ægroti intrauit medicus? Quia ergo uelut peccator Zachæus irri- B sus est, irrisus est autẽ ab insanis sanatus, dominus respondit irridentibus, Hodie salus huic domui fa- Lucæ 19 cta est. Ecce quare intraui, salus hodie facta est. Vtique si saluator non intrasset, salus in illa domo facta non esset. Quid ergo miraris ægrote? Voca & tu Iesum, noli tibi sanus uideri. Cum spe ægrotat qui medicum suscipit, desperate ægrotat qui per insaniam medicum cædit. Qualis ergo eius insania qui medicum occidit? Quanta uero bonitas & potentia medici, qui de sanguine suo, insano interfectori suo medicamentum fecit? Neque enim ille qui uenerat quærere & saluare quod perierat, pẽdens sine causa dicebat. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Insani sunt, medicus sum, sæuiant, patienter fero, cum occiderint tunc sana- C bo. Simus ergo inter illos quos sanat humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in mundum peccatores saluos facere, magnos, pusillos peccatores saluos facere: Venit filius hominis quærere & saluare quod perierat. Qui dicit infantilem ætatem non habere quod saluet Iesus, omnibus fidelibus infantibus Christum negat esse Iesum: Qui dicit, inquam, infantilem ætatem non habere quod saluet Iesus in ea, nihil aliud dicit quàm Christum dominum fidelibus infantibus, id est, in Christo baptizatis infantibus non esse Iesum, Iesus enim quid est? Interpretatur Iesus, saluator. Saluator est Iesus. Quos non saluat non habendo quod in eis saluet, non est illis Iesus. Iam si corda uestra tolerant, aliquibus baptizatis D Christum non esse Iesum, nescio utrum fides uestra in regula sana possit agnosci. Infantes sunt, sed membra eius fiunt. Infantes sunt, sed sacramenta eius accipiunt. Infantes sunt, sed mensæ eius participes fiunt, ut habeant in se uitam. Quid mihi dicis? Sanus est, non habet uitium. Quare cum illo curris ad medicum, si non habet uitium? Non times ne dicat tibi, aufer hinc eum quem putas sanum? Filius hominis non uenit nisi quærere & saluare quod perierat. Quare illum ad me affers si non perierat? Humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in mundum. Quare uenit in mundum? Peccatores saluos facere. Alia causa non fuit quare ueniret in mundum: Non eum de cœlo ad terrã merita nostra bona sed peccata duxerunt. Hæc est causa cur ueniret, pec-

Luc.1 catores ſaluos facere. Et uocabis, inquit, nomen eius Ieſum. Quare uocabis nomẽ eius Ieſum? Ipſe enim ſaluum faciet populũ ſuum à peccatis eorũ. Vocabis nomen eius Ieſum. Quare Ieſum? Quæ ratio eſt huius nominis? Audi quare. Ipſe enim ſaluum faciet populũ ſuũ. Vnde? A peccatis eorum. Populum ſuum à peccatis eorũ. Nunquid ad iſtũ populum non pertinent paruuli, quẽ ſaluũ faciet Ieſus à peccatis eorum? Pertinẽt planè, pertinent fratres mei: Sic habete in corde, ſic credite, cũ iſta fide paruulos ad gratiam Chriſti portate, ne ſi hãc fidem in corde non habueritis, pro quibus reſpondetis, lingua ueſtra occidatis. Prorſus fratres q cũ iſta fide cum paruulo non cucurrerit, fingit, ſanus eſt, nihil mali habet, nihil uitij habet, ſed tollam illum ad medicum. Quare? Quia ſic ſolet fieri. Non
Matt.9 times ne tibi dicat medicus, Tolle hinc tecum ipſum, non eſt opus ſanis medicus, ſed male habẽtibus? Commẽdauerim charitati ueſtrę cauſam eorum, qui pro ſe loqui non poſſunt. Omnes paruuli tanquam pupilli conſiderentur, etiam qui nõdum parentes proprios extulerunt. Omnis prædeſtinatorum numerus paruulorũ, populus dei quærit tutorem, qui expectat dominum ſaluatorẽ. Vniuerſam maſſam generis humani in homine primo uenenator ille percuſſit, nemo ad ſecundum tranſit à primo, niſi per baptiſmatis ſacramẽtum. In paruulis natis & nondum baptizatis agnoſcitur Adam, in paruulis baptizatis & ob hoc renatis agnoſcitur Chriſtus. Qui Adam non agnoſcit in paruulis natis, nec Chriſtũ agnoſcere potuit in renatis. Sed quare, inquiunt, iam baptizatus homo fidelis, iam dimiſſo peccato, generat eũ qui eſt cum primi hominis peccato? Quia carne illum generat non ſpiritu. Quod natum eſt de carne, caro eſt. Et ſi exte-
1 Cor.4 rior homo noſter, ait Apoſtolus, corrumpitur, ſed interior renouatur de die in diem. Ex eo quod in te renouatur, nõ generas paruulum: ex eo quod in te corrũpitur generas paruulũ. Tu ut nõ in æternũ moriaris, natus es & renatus es, ille adhuc natus renatus non eſt. Si tu renaſcẽdo uiuis, ſine ut & ille renaſcat & uiuat, ſine, inquã, renaſcatur, ſine renaſcat. Quare contradicis, quare nouis diſputationibus antiquę fidei regulam frangere conaris? Quid eſt enim quod dicis, Paruuli non habent omnino uel originale peccatũ? Quid eſt enim quod dicis, niſi ut nõ accedãt ad Ieſum? Sed tibi clamat Ieſus. Sine pueros uenire ad me. Cõuerſi ad dominum.

De eiſdem uerbis Apoſtoli, Fidelis ſermo & omni acceptione dignus. Sermo IX

A QVOD lectum eſt modo de ſancto Euangelio, hoc & Paulus apoſtolus dicit, Cuius uerba iſta ſunt, Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus uenit in mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Nulla cauſa fuit ueniendi Chriſto domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle uulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ. Si uenit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus: Ipſe ægrotus genus humanum eſt. Sed non omnium eſt fides.

A Nouit dominus qui ſunt eius. Superbiebãt Iudęi, extollebant ſe, alte ſapiebant, iuſtos ſe putabant, & dominum colligẽtem peccatores inſuper recuſabant. Qui ergo ſuperbiebant, & alta ſapiebant, relicti ſunt in montibus, ad nonagintanouem pertinent. Quid eſt relicti ſunt in montibus? Relicti ſunt in tumore terreno. Quid eſt, ad nonagintanouem pertinent? In ſiniſtra ſunt, nõ in dextera. Nonaginta enim & nouem in ſiniſtra numerantur, unum adde, ad dexteram trãſitur. Venit ergo, ut ipſe alio loco dicit, Venit filius hominis quærere & Luca 19
ſaluare quod perierat. Totũ enim perierat, ex quo peccauit unus. Vbi erat totum, perierat totum, ſed uenit unus ſine peccato, qui ſaluos faceret à peccato. Iſti autem ſuperbiendo, quod eſt peius, & ęgrotabant & ſanos ſe eſſe credebant. B Periculoſius ægrotant, qui mentem febribus perdiderunt. Illi rident, & ſani plorant. Ridet enim phreneticus, ſed non eſt ſanus. Porrò autem qui mẽtis eſt ſanę, plorat phreneticum ridẽtem. Primum, ſi duo iſta proponas, quid eſt melius, ridere an plorare? quis nõ ſibi eligat ridere? Deniq; propter dolorẽ ſalubrẽ pœnitẽtiæ, in fletu dominus poſuit officium, in riſu beneficium. Quomodo? Quando ait in euãgelio, Beati qui plorant, quia ridebunt. Ergo in ploratu officium eſt, in riſu eſt præmium ſapientię. Riſum enim pro gaudio poſuit, nõ cachinnationem, ſed exultationẽ. Ergo ſi duo iſta proponas, & quęras quid horũ ſit melius, ridere an plorare, omnis homo plorare non uult, & ridere uult. Porrò ſi addas perſonas ad iſtos affectus, & ita proponas cũ
C perſonis, quid eſt melius, ridere phreneticum, an plorare ſanum? eligit ſibi homo fletum cum ſanitate, quàm riſum cum amentia. Tantum ualet mentis ſanitas, ut etiam cum plãctu eligatur. Iſti enim qui ſanos ſe putabãt, multo periculoſius & deſperatius ægrotabant, & ipſa ęgritudine qua mentes perdiderant etiam medicum cædebant. Parum eſt cædebant, dicam totum, non ſolum cædebant, ſed etiam occidebant. Ille autem etiam cum occideretur medicus erat, uapulabat & curabat: patiebatur phreneticum, nec deſerebat ægrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, harũdine plagas accipiebat, irridebatur, inſultabatur ei, poſtremo audiebatur, damnabatur, ligno ſuſpendebatur
D undiq; circumfremebatur, & medicus erat. Agnoſcis phreneticos, agnoſce & medicum. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Illi perdita mẽte ſæuiebant, & medici ſanguinem ſæuiendo fundebant, ille autẽ etiam de ipſo ſanguine ſuo ęgrotis medicamenta faciebat. Non enim uero fruſtra dixit, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Orat Chriſtianus, & exauditur, orat Chriſtus & non exauditur? Nam qui exaudit cũ patre quia deus eſt, quomodo nõ exauditur homo quod pro nobis factus eſt? Prorſus exauditus eſt. Ibi erant, ibi ſæuiebant, de his erant qui reprehendebant eum, & dicebant, Ecce cum publicanis & pecca- Luc.5
toribus conueſcitur. Erãt in ipſo populo à quo ipſe medicus occidebatur, & in eius ſanguine etiam ipſis antidotum parabatur. Cum enim dominus non

non ſolum ſanguinem funderet, uerumetiam ipſam ſuam mortem ad medicamenti cõfectionem A impẽderet, reſurrexit ad demonſtrandum reſurrectionis exemplum. Patientia ſua paſſus eſt, ut doceret patientiam noſtram, & in reſurrectione ſua præmium patientiæ demonſtrauit. Item, ut noſtis, & omnes confitemur, aſcendit in cœlum, deinde ab eo ſpirituſſanctus eſt miſſus, ante promiſſus. Dixerat enim diſcipulis ſuis, Sedete in ciuitate donec induamini uirtute ex alto. Venit ergo & promiſſio ipſius, uenit ſpirituſſanctus, impleuit diſcipulos, cœperunt loqui linguis omniũ gentium, ſignum in illis procedebat unitatis. Loquebatur enim tunc unus homo omnibus linguis, quia locutura erat unitas eccleſiæ in omnibus linguis. Expauerunt qui audiebant. Nouerant enim homines B idiotas fuiſſe, unius tantum linguæ: & mirabãtur ac ſtupebant, quod unius linguæ homines, uel ut multum duarum, linguis omnium gentium loquerentur: ſuſpenſi ſunt ſtupore, perdiderunt elationem, de monte facti ſunt ualles. Iã ſi humiles ſunt, ualles ſunt, quod infuderis capiunt, non dimittũt. Si uenerit aqua ſuper altitudinem, decurrit & defluit: ſi uenerit ad concauum & humilem locum, & capitur & ſtat. Tales iam illi erant, ſtupebant, mirabantur, perdiderunt ſæuitiam. Deniq; loquente ſibi Petro, compuncti ſunt, & factum eſt in illis
Pſal.31 quod pſalmus prædixerat, Conuerſus ſum in ęrũna, cum configeretur ſpina. Quid eſt ſpina? Compunctio pœnitentiæ. Sic habes & uerba ipſa ſcri-
Act.2 pturæ in actibus apoſtolorum, Compuncti ſunt C corde, & dixerunt ad apoſtolos, Quid faciemus? Quare dixerunt, quid faciemus? Nouimus quid fecimus. Quid faciemus? Quantum ad noſtrum factum pertinet, deſperatio eſt ſalutis: ſit ergo in ueſtro conſilio, ſi fieri poteſt, ſpes aliqua ſanitatis. Nouimus quid fecerimus, dicite quid faciamus. Quid eſt quod fecimus? Nõ enim quemcunq; hominem occidimus, & multum mali feciſſemus ſi quemcunq; hominem innocentem occidiſſemus. Latronem elegimus, innocẽtem occidimus, mortuum elegimus, medicum occidimus, dicite quid faciemus? Et Petrus, Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine patris & filij & ſpirituſſancti: ut tranſeatis de nonagintanouem ad centum: quia cum nonaginta & nouem eſſetis, D pœnitẽtiam uobis neceſſariam non putabatis, & domino colligente peccatores, & uolẽte eos facere pœnitẽtes, inſuper inſultabatis. Modo ergo cõpuncti, quia cognouiſtis peccatum ueſtrum, agite pœnitẽtiam, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti: baptizetur in eius nomine quem occidiſtis ſine crimine, & remittũtur uobis peccata ueſtra. Reducti ſunt in ſpe, doluerunt, gemuerũt, cõuerſi ſunt, ſanati ſunt,
Luca 23 Ipſi erant illi, Pater ignoſce illis, quia neſciũt quid faciunt. Vnuſquiſq; ergo fratres chariſſimi, quando audit dominum Ieſum Chriſtum non ueniſſe propter iuſtos ſed ꝓpter peccatores, nõ amet eſſe peccator: Ne forte dicat in corde ſuo, Si iuſtus fuero non me amat Chriſtus, ſi peccator fuero amat

me, quia propter peccatores deſcẽdit, nõ propter iuſtos. Reſpondit enim tibi, Si medicũ agnouiſti, febrem quare nõ timuiſti? Vtiq; medicus ad ægrotum uenit, cõſtat, ſed ideo uenit medicus ad ęgrotũ, ne ille ſit ſemper ægrotus. Quid ergo dicimus? Quid pronunciamus? Quid definimus? Aegrotũ amat medicus, an ſanum? Quod uult facere amat, non quod inuenit. Ad ægrotum quidem uenit, ad ſanum non uenit. Noli attendere quia ad illum uenit, ad illum nõ uenit, Plus enim amat ſanũ quàm ægrotum. Nam, ut nouęritis, quia plus amat ſanũ quam ęgrotum, nunquid faceret quod odiſſet? Ergo Paulũ apoſtolũ attende, Fidelis ſermo & omni 1.Tim.1
acceptione dignus, qa Chriſtus Ieſus uenit in mũdum peccatores ſaluos facere, quorũ primus ego ſum, Dixit, quorũ primus ego ſum, quomodo erat primus? Ante illum non fuerũt peccatores, tot Iudæi? Ante illum non fuerunt peccatores in genere humano? Ante illũ in omnibus hominibus non peccato tenebatur Adam? Non ante illum fuit qui primus peccauit, & nos omnes in mortem præcipitauit? Quid eſt, quorum primus ego ſum? Ad quos uenit, primus ego ſum. Sed nec hoc uerũ eſt. Primus electus eſt Petrus, primus Andreas, primi alij apoſtoli, tu apoſtolus es nouiſſimus, quomodo dicis, quorũ primus ego ſum? Ergo apoſtolus nouiſſimus, primus peccator. Et hoc quomodo primus peccator? Ante te peccauit Petrus, quãdo ipſum dominũ ter negauit. Nolo dicere, qa & ipſe niſi peccator inuẽtus eſſet, de ſiniſtra ad dexte-
ram non tranſiſſet. Quid eſt ergo, quorum primus C ego ſum? Quia omnibus peior ſum. Ergo peiorẽ uoluit intelligi primum. Quomodo in artificibus, quicũq; uult ædificare quid dicit? Quis eſt hic primus ſtructor? Quis eſt primus faber? Aut ſi curari uult, quis eſt hic primus medicus? Non utiq; interrogat quis prior ſit ætate, aut quis prior ſit profeſſione, ſe quis prior ſit arte. Quomodo illi in arte primi, ſic iſte in iniquitate primus. Quare Paulus in iniquitate primus? Recolite Saulũ, & inuenietis: Attẽditis Paulũ, & obliti eſtis Saulum: Attenditis ad paſtorem, obliti eſtis lupũ. Nónne ille eſt cui ad lapidandum Stephanum manus una nõ ſufficiebat, & aliorũ ueſtimẽta ſeruabat? Nónne ipſe eſt qui eccleſiã ubiq; perſequebatur? Nónne ipſe
D eſt qui literas acceperat à principibus ſacerdotũ, quia parum illi erat per ſequi Chriſtianos qui erãt in Hieruſalem, ſed uolebat ad alia loca uenire ubi eos inueniret, & ligaret & puniendos adduceret? Nónne cum iter agens ſpirat & anhelat ad cædes, de cœlo percuſſus eſt, & uocem domini audiuit ad ſalutem fulminatus? Dum ambulat proſternitur, ut uideat excæcatur. Ipſe eſt ergo qui primus erat perſecutor, illo peior non fuit. Audite unde Act.9
plus intelligatis. Ananiæ loquebat ipſe dominus Chriſtus, iam illo proſtrato, iam erecto, & dicebat ei, Vade ad uicum illum, ibi inuenies Saulũ à Tarſo Ciliciæ, loquere ei. Quoniam uidet uirum Ananiam intrantem ad ſe, & baptizantem ſe. Ille audiuit nomen Sauli, & inter manus ipſius medici tremuit. Quid eſt autem dulcius? Saulus unde uoca-

retur, credo quia recolitis, & propter eos qui non recolunt, commemorem: Saul erat ille persecutor Dauid. In Dauid Christus erat, in Dauid Christus præfigurabatur, in Saule Saulus præfigurabatur, tanquàm à Dauid Sauli dictum est de cœlo, Saule
Act.9 Saule, quid me persequeris? Ananias ouis interpretatur. Loquebatur oui pastor, & timebat ouis lupum. Tanta huius lupi fama præcesserat, ut non se putaret tutam ouis, nec inter manus pastoris. Et dominus ad illum, quasi ad ouem trementem. Ille enim cum audisset hoc, dixit. Domine audiui de isto homine quanta mala fecit sanctis tuis in Hierusalem, et modo dicitur epistolas accepisse à principibus sacerdotum, ut quoscunq; tenuerit, alligatos ducat: Quò me mittis? Ouem ad lupum? Sed ille non audiuit hanc excusationem. Iam enim di-
Matt.10 xerat paucis ouiculis suis, Ecce mitto uos sicut oues in medio luporum. Si missæ sunt oues in medio luporum, quare trepidas ire Anania ad eum qui iam non est lupus? Lupũ timebas, sed respondet tibi dominus deus tuus, De lupo ouem feci, facio de oue pastorem. Quomodo ergo ipse Saulus postea Paulus gratulatur se ad dei peruenisse misericordiam, quia primus, hoc est excellens in peccatis inuentus est? Et tamen misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Iesus omnem lõganimitatẽ, propter eos qui crediturí sunt illi in uitam æternam: ut dicant sibi omnes, Si Paulus sanatus est, ego quare despero? Si à tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego cum uulneribus meis illas manus non optabo, ad illas manus non festinabo? Vt hoc diceret̃ homines, ideo Saulus factus est ex persecutore Apostolus: quia quò uenit medicus, quærit aliquẽ ibi desperatum, & ipsum sanat, & si pauperrimũ inueniat, tamen desperatum inueniat, non ibi quęrit mercedẽ, sed commendat artem. Dicam ergo quod cœperam. Quomodo ergo Saulus tũ gratulabatur se à Christo, quia peccator erat, assumptũ atq; sanatũ, nec dixit, Maneam in peccato, quia propter me uenit Christus non propter iustum: ita & tu qui audieras, quia Christus propter peccatores uenit, noli tibi dormire in dulci stratu, sed audi ipsum Paulũ
Ephes.5 dicentem, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Noli amare stratũ peccati, totum stratũ eius uertisti in infirmitate eius, dictum est antea. Surge, sanus esto, sanitatẽ ama, & noli rursus per superbiam de dextera ire ad sinistram, de ualle ad montem, de humilitate ad tumorem. Cum factus fueris sanus, id est, cum iuste cœperis uiuere, deo tribue, non tibi. Non enim laudando te saluus factus es, sed cõtra te pronuncian do. Nam si te laudaueris per superbiam, grauius ægrotabis. Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

De eisdem uerbis Apostoli, quibus in sermone præcedenti. Sermo X

A D E diuinis lectionibus quod dominus admonere dignatur, intenti audite fratres, illo dante, me ministrante. Primã lectionem audiuimus Apostoli, Fidelis sermo & omni acceptione dignus, qa Christus Iesus uenit in mũdum peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum. Sed ideo misericordiam cõsecutus sum, ut in me ostenderet Christus Iesus omnẽ longanimitatem suam ad informationem eorum qui crediturí sunt illi in uitam æternã. Hoc de apostolica lectione percepimus. Deinde cantauimus psalmũ exhortantes nos inuicem una uoce, uno corde dicẽtes, Venite adoremus & prosternamur ei, & flea Psal.94
mus coram domino qui fecit nos, & ibi præueniamus faciẽ eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Post hæc euangelica lectio, decẽ leprosos mundatos nobis ostendit, & unũ ex eis alienige- Lucæ 17
nam gratias agentẽ mũdatori suo. Has tres lectiones quantũ pro tẽpore possumus pertractemus, B dicẽtes pauca de singulis, & quantũ conari possumus, adiuuante domino, non in aliqua earũ sic immorantes ut alijs duab. impedimentũ afferamus. Proponit nobis apostolus, scientiam & gratiarum actiones. Mementote quid ultima euãgelica lectio resonet, q̃modo Iesus dominus laudat gratias agentem, ingratos improbat mundatos in cute, leprosos in corde. Quid ergo Apostolus? Fidelis, inquit, sermo, & omni acceptiõe dignus. Quis est iste sermo? Quia Christus Iesus uenit in mundum? Vt quid? Peccatores saluos facere. Quid tu? Quorum primus ego sum. Qui dicit, uel nõ sum peccator, uel nõ fui, ingratus est saluatori. Nullus hominũ in ista quæ ex Adam defluit massa mortalium, nullus omnino hominum non ægrotus, nul C lus sine gratia Christi sanatus. Quid de paruulis pueris, si ex Adam ægroti? Nam & ipsi portantur ad ecclesiã, & si pedibus illuc currere nõ possunt, alienis pedibus currunt ut sanentur: accõmodat illis mater ecclesia aliorum pedes ut ueniant, aliorum cor ut credant, aliorũ linguam ut fateantur, ut quoniã quòd ægri sunt alio peccante prægrauantur, sic cum hi sani sunt alio pro eis confitente saluentur. Nemo ergo uobis susurret doctrinas alienas. Hoc ecclesia semper habuit, semp tenuit, hoc à maiorum fide percepit, hoc usq; in finem perseueranter custodit, Quoniã non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus. Quid necessarium ergo habuit infans Christũ si non ægrotat? Si sanus est, quare per eos qui eum diligunt medicum quęrit? D Si quando portantur infantes dicuntur omnino nullum propaginis habere peccatum, & ueniunt ad Christũ, cur non eis dicitur in Ecclesia qui eos apportant, auferte hinc innocentes istos: Non est opus sanis medicus, sed male habentibus: Non uenit Christus uocare iustos, sed peccatores? Nunquam dictũ est, sed nec aliquando dicetur. Quisq; ergo quod potest fratres loquatur pro eo qui loqui pro se non potest. Pro magno commẽdantur episcopis patrimonia pupillorum, quanto magis gratia paruulorum? Pupillum tuetur episcopus, ne mortuis parẽtibus ab extraneis opprimat: Clamet plus pro paruulo, cui timet ne à parẽtibus occidatur, clamet cũ Apostolo, Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in mundum, nullam aliam ob causam, nisi peccatores

tores saluos facere. Qui uenit ad Christum, habet quod in eo sanetur, qui non habet, non est causa A quare medico offeratur. Eligant parentes unum de duobus, aut consiteantur in paruulis suis sanari peccatum, aut eos medico offerre desinãt. Hoc nihil est aliud quàm uelle medico sanum offerre. Quid offers baptizandum? Quem? Infantẽ. Cui offers? Christo. Ei certe qui uenit in mundũ. Ita, inquit. Quare uenit in mundum? Peccatores saluos facere. Ergo quem offers, habet quod in illo saluũ fiat? Si dixeris, habet, confitendo deles: si dixeris, non habet, negando tenes. Peccatores, inquit, saluos facere, quorum primus ego sum. Ante Paulum non erant peccatores? Certe uel ipse Adam ante omnes, & plena peccatoribus terra deleta diluuio, & deinceps quãmulti. Vnde uerũ est, ego primus sum? Primum se dixit, non peccatorũ ordine, sed peccati magnitudine. Magnitudine peccati sui, unde se primũ dixit peccatorũ: quomodo dicuntur inter aduocatos, uerbi gratia, primi: primus est iste non quia plures annos habet ex quo causas agit, sed quia ex quo cœpit cæteros superauit. Dicat ergo Apostolus alio loco,
1.Cor.15 unde primus sit peccatorũ, Ego, inquit, sum nouissimus apostolorũ, qui non sum dignus uocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiã dei. Nemo acrior inter persecutores, ergo nemo peior inter peccatores. Sed misericordiã, inquit, consecutus sum. Et quare sit misericordiã consecutus, exponit causam, Vt in me, inquit, ostẽderet Christus Iesus omnẽ longanimitatem, ad informatio- C nem eorũ qui crediturí sunt illi in uitã æternam. Christus, inquit, daturus ueniam conuersis ad se peccatoribus usq; ad inimicos suos, me primo elegit acriorẽ inimicũ, quem cum sanaret, nemo in cæteris desperaret. Faciũt hoc medici quando ad ea loca ueniunt ubi ignoti sunt, quos curẽt primitus eligunt desperatos, ut in eis & beneuolentiam exerceant, & commendent doctrinam, ut unusquisque in illo loco dicat proximo suo, Vade ad illum medicũ, securus esto, sanat te. Et ille, Me sanat? Non uides quid patiar? Ego noui quid simile, Tu quod pateris, & ego quidẽ passus sum. Sic dicit Paulus unicuique ægroto, & de se uolenti desperare, Qui curauit me misit me ad te, & dixit mihi, Illi desperãti uade & dic quid habuisti, quid in D te sanaui, quàm cito sanaui. De cœlo uocaui, una uoce percussi & deieci, alia erexi et elegi, tertia impleui & misi, quarta liberaui & coronaui. Vade dic ægrotis, clama desperatis. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in mundũ peccatores saluos facere. Quid timetis? Quid trepidatis? Quorũ primus ego sum. Ego, inquit, uobis loquor, sanus ægrotantibus, stans iacentibus, securus desperatis. Ideo enim misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatẽ. Morbum meum diu pertulit & sic abstulit, tanquã bonus medicus phreneticũ patienter tolerauit, sustinuit me ferientem se, donauit mihi feriri pro se. Omnem inquit, longanimitatem ostendit in me, ad informationem eorum qui crediturí sunt illi in uitam

A eternam. Nolite ergo desperare. Aegroti estis, accedite ad eum & sanamini: Cæci estis, accedite ad eum & illuminamini: & qui sani estis ei gratias agite, & qui ægrotatis, ad eum sanandi currite, di- Psal.94
cite omnes, Venite adoremus, & prosternamur ei, & ploremus corã domino qui fecit nos & homines & saluos. Nam si ille nos fecit homines, nos autem ipsi nos fecimus saluos, aliquid illo melius fecimus. Melior est enim saluus homo quàm quilibet homo. Si ergo te deus fecit hominem, & tu te fecisti bonum hominem, quod tu fecisti melius est. Noli te extollere super deũ, subde te, deum adora, prosternere, confitere illi qui fecit te, quia nemo recreat, nisi qui creat, nemo reficit, nisi qui Psal.99
B fecit: hoc & in alio psalmo, Ipse fecit nos & non ipsi nos. Sane quando te fecit, quod tu faceres non habebas. Quãdo aũt iam es, habes & tu ipse quid facias, ad medicum curras, medicũ implores, qui ubique est, Et ut implorares excitauit cor tuũ, & posse implorare donauit tibi. Deus est enim, in- Philip.2
quit, qui operatur in uobis, & uelle & operari pro bona uoluntate, quia ut haberes bonam uoluntatem, illius uocatio præcessit. Clama, Deus meus, misericordia eius præueniet me. Vt esses, ut sentires, ut audires, ut consentires, præueniet te misericordia eius. Præueniet te in omnibus, præueni & tu in aliquo irã eius. In quo, inquis, in quo? Confitere ista omnia à deo te habere quicquid boni habes, à te quicquid mali. Ne in bonis tuis illum con C temnas, te laudes, ne in malis tuis illum accuses, te excuses, ipsa est uera confessio. Ille qui in tantis bonis præuenit te, uenturus est ad te, & inspecturus dona sua & mala tua, quomodo bono eius usus fueris inspicit te. Ergo quia in omnibus istis donis præuenit te, uide in quo tu præuenias faciẽ uenturi, audi Psalmum, Præueniamus faciem eius in confessione. Præueniamus faciem eius. Antequã ueniat propitietur, antequàm assit placetur, Habes enim sacerdotem per quem possis placare deum tuum, & ipse cum patre deus est ad te, qui homo est propter te. Ita iubilabis in psalmis, præueniens faciem eius in confessione. Iubila in psalmo, præueniens faciem eius in confessione: Accusa te, iubilans in psalmo. Lauda illum accusando te, & laudãdo eũ qui fecit te. Veniet qui mortuus est pro te, & uiuificabit te. Hęc tenete, in hoc D persistite. Nemo uariet, nemo leprosus sit. Doctrina inconstans, non habens unum colorem, mentis lepram significat, & istam Christus mundat. Forte in aliquo uariasti & inspexisti, & in melius sententiam commutasti, & quod uarium erat unius coloris effectũ est. Noli tibi tribuere, ne sis inter nouẽ qui gratias non egerunt. Vnus egit gratias: cæteri Iudæi erant. Ille alienigena erat gentes alienigenas significabat, numerus ille Christo decimas dedit. Illi ergo debemus q̃ sumus, qd̃ uiuimus, qd̃ intelligimus, qd̃ homines sumus, quod bene uiximus, q̃ recte intelligimus, illi debemus, Nostrũ nihil nisi peccatũ qd̃ habemus. Quid eẽ habes quod nõ accepisti? Vos ergo, maxime qui

ſcitis quid audiatis, curãdũ ab ægritudine, mũdatũ à uarietate ſurſum cor ponite, & deo gratias agite.

De pſalmo nonageſimoquarto. Cũ confutatione Pelagianorum. Et de libero arbitrio & gratia, & de uerbis Apoſtoli ad Gal. 3. Si enim eſſet lex data quæ, &c. Sermo XI

A PSALMVS quem cantauimus dño, & nos inuicẽ exhortati ſumus ut adoremus eũ, & proſternamur illi, & fleamus ante dominum qui fecit nos, admonet quærere, aliquãto diligentius, quid ſibi uelit, quod ait, Qui nos fecit. Quod em̃ homo à deo creatus eſt, nullus dubitat homo, niſi qui ingratus eſt. Nouimus enim, quia ita legimus, & ita credimus, quòd fecit deus hominem, inter multa quæ fecit, ad imaginẽ ſuã. Hæc hominis eſt prima cõditio, hæc eſt humana prima creatura. Non tamẽ arbitror hoc nos pro magno uoluiſſe cõmonere ſpiritũſanctũ in hoc pſalmo, quod ait, Fleamus ante dominũ qui fecit nos: alio
Pſal.94 enim loco dicit, Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Vn
Pſal.99 de quidẽ, ut dixi, Chriſtianus dubitat nemo, quia nõ ſolũ deus creauit primũ hominẽ ex quo omẽs homines, ſed deus hodie procreat ſingulos homines, ille qui ait cuidã ſancto ſuo, Priuſq̃ te formarem in utero noui te. Prius ergo creauit hominẽ ſine homine, modo hominẽ ex homine, tamẽ ſiue hominẽ ſine homine, ſiue hominem ex homine, Ipſe fecit nos & non ipſi nos. Ad iſtũ itaq̃ primum uerborũ iſtorũ & facilẽ ſenſum, ſed tamen uerum, adoremus eũ fratres, & proſternamur ei, & ploremus ante dominũ qui fecit nos, Nõ em̃ fecit & de
C ſerit, non em̃ curauit facere, & non curat cuſtodire. Ploremus ante dominũ qui nos fecit, quia non plorauimus quando nos fecit, & tamen fecit. Qui ergo fecit anteq̃ rogaretur, deſerit cum rogatur? Tanq̃ ergo dubitaret homo utrũ exaudiret orãs, admonuit eũ ſcriptura cũ dicit, Ploremus ante dominũ qui fecit nos. Vtiq̃ exaudit quos fecit, utiq̃ non poteſt non curare quos fecit. Veruntamen iuxta altiorem intellectũ & quantũ exiſtimo utilior, uidit quoſdã ſpirituſſanctus dicẽtes uel dictu ros, quòd deus eos fecerit homines, iuſtos aũt ipſi ſe faciunt: prẽuidit eos, admonuit eos, et ab hac ex
Pſal.99 tollentia reuocauit eos, dicens, Ipſe fecit nos et nõ ipſi nos. Quare enim addidit, & non ipſi nos, cum ſufficeret dicere, ipſe fecit nos, niſi quia illã factu-
D ram uoluit admonere, ubi dicunt homines, Ipſi fecimus nos, id eſt, ut iuſti eſſemus, iuſtos nos libera uoluntate fecimus, quando conditi ſumus, liberũ arbitrium accepimus? Vt ergo iuſti ſimus, libero id arbitrio agimus. Quid adhuc deũ inuocamus, ut iuſtos nos faciat, quod habemus in poteſtate, ut noſipſi iuſtos faciamus? Audite audite, & iuſtos & iniuſtos, ipſe fecit nos & non ipſi nos. Creatus eſt primus homo in natura ſine uitio, creatus eſt rectus, non ſe fecit rectũ: Quid ſe aũt ipſe fecerit notũ eſt, cadẽs à manu figuli fractus eſt. Regebat em̃ eum ipſe qui fecerat, uoluit deſerere à quo factus erat, permiſit deus, tanq̃ dicens, Deſerat me & inueniat ſe, & miſeria ſua probet quia nihil poteſt ſine me. Hoc modo ergo oſtẽdere uoluit deus homini quid ualeat liberũ arbitriũ ſine deo. O ma
A lum liberũ arbitriũ ſine deo. Experti ſumus quid ualeat ſine deo. Ideo miſeri facti ſumus, quia ſine deo quid ualeat experti ſumus. Experti ergo tandem aliquãdo nouerimus, & uenite adoremus eũ, & proſternamur ei. Venite adoremus & proſternamur illi, & fleamus corã dño q̃ fecit nos, ut perditos nos per nos, reficiat nos qui fecit nos. Ecce bonus factus eſt homo, per liberũ arbitriũ factus eſt homo malus. Quando facturus eſt bonũ hominem malus homo per liberũ arbitriũ deſerens deum? Seruare ſe nõ potuit bonus bonũ, & facturus eſt ſe malus bonũ? Cũ eſſet bonus non ſe ſeruauit bonũ, & cũ ſit malus dicit, Facio me bonũ? Quid facis malus, qui periſti bonus, niſi reficiat te q̃ per-
B manet bonus? Ipſe ergo fecit nos & non ipſi nos. Nos autẽ populus eius, & oues paſcuæ eius. Ecce fecit nos homines populũ ſuũ, qui nos fecit. Non em̃ creati homines iã populus eius eramus. Videte fratres mei, & de ipſis pſalmi uerbis attẽdite, unde dixerit, Ipſe fecit nos & nõ ipſi nos. Hinc dixit, Fecit nos & nõ ipſi nos, ut ſimus populus eius & oues paſcuæ eius. Ipſe fecit nos. Nã & pagani naſcuntur, & omnes impij, omẽs aduerſarij eccleſiæ eius, ut naſcerentur ipſe fecit eos: Non enim alius deus creauit eos. Qui de paganis naſcũtur, ab ipſo facti ſunt, ab ipſo creati ſunt, & non ſunt populus eius, nec oues paſcuæ eius. Cõmunis eſt omnibus natura, non gratia. Natura non putet̃ gratia, ſed et ſi putetur gratia, ideo putet gratia, quia & ipſa gra
C tis conceſſa eſt. Non em̃ homo qui non erat, pmeruit ut eſſet, ſi promeruit, iam erat, ſed nondũ erat. Ergo qui promereretur non erat, & tamen factus eſt, nec ut pecora factus eſt, nec ut arbor factus eſt, nec ut ſaxũ factus eſt, ſed factus eſt ad imaginẽ creatoris. Hoc beneficiũ quis dedit? Deus qui erat, & ex æterno erat. Cui dedit? Homini qui nõdũ erat. Dedit qui erat, accepit qui non erat. Quis autem hoc facere potuit, niſi qui uocat ea quæ non ſunt tanquã ea quę ſunt? De quo dicit Apoſtolus, Qui Epheſ.1
nos elegit ante mundi conſtitutionem. In mundo iſto facti ſumus, nec mundus erat quando electi ſumus. Ineffabilia mirabilia fratres mei. Quis hoc explicare ſuffecerit? Quis ſaltẽ quod explicet cogitare? Eligũtur qui non ſunt, nec errat qui eligit,
D nec uane eligit. eligit tamẽ & habet electos quos creaturus eſt eligendos, habet aũt apud ſeipſum, non in natura ſua, ſed in præſciẽtia ſua. Ergo nolite extolli: Homines ſumus, ipſe nos fecit, & fideles ſumus, ſi tamẽ ſumus, quãdo iſta contra gratiã diſputamus. Sed ecce fideles ſumus, & iã fideles, & iam iuſti: Quia iuſtus ex fide uiuit: Ipſe fecit nos & nõ ipſi nos. Quæro quid nos fecerit? Dicturus es, Homines. Non inde pſalmus loquebatur, illud ſcimus, illud notum eſt, illud patet, nec magna, ut hoc nouerimus, doctrina indigemus, quia homines ipſe nos fecit. Sed unde loquebatur, uide, Ipſe fecit nos & non ipſi nos. Quid nos fecit, niſi quod ſumus? Quid autem ſumus? Nos autem ecce quid ſumus? Quid? Populus eius & oues paſcuæ eius. Ipſe nos fecit populum ſuum, ipſe nos fecit oues

paſcuæ

paſcuæ ſuæ. qui miſit iugulandã ouẽ innoxiã, fecit oues de lupis. Hæc eſt gratia. Excepta illa cõmuni
A gratia naturæ, qua homines facti ſumus, nec digni fuimus, qui nõ fuimus: Excepta illa gratia, hæc eſt maior gratia qua facti ſumus populus eius & oues paſcuæ eius, p̃ Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum. Sed dicit aliquis, per Ieſum Chriſtum facti ſumus, ut etiã homines eſſemus. Ita uero p̃ Ieſum Chriſtũ facti ſunt & pagani, nõ ut eſſent pagani, ſed ut eſſent homines, p̃ Ieſum Chriſtũ facti ſunt. Quis eſt em̃ Ieſus Chriſtus, niſi in principio erat uerbum & uerbũ erat apud deũ & deus erat uerbũ? Hoc erat in principio apud deũ. Omnia per ipſum facta ſũt Illi ergo debent & pagani q̃d homines creati ſunt, & tãto magis puniẽdi quia dimiſerunt eum à quo
B facti ſunt, & coluerunt quod ipſi fecerunt. Excepta ergo illa gratia qua condita eſt humana natura, hæc enim Chriſtianis paganiſq̃ cõmunis eſt, hæc eſt maior gratia, non quod per uerbum homines creati ſumus, ſed quod per uerbum carnem factum fideles facti ſumus. Vnus em̃ deus, & unus mediator dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, in principio erat uerbum. Nondum erat homo Chriſtus Ieſus, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Ipſe mundus non erat, quando deus erat uerbũ. Omnia per ipſum facta ſunt, & mũdus per ipſum factus eſt. Ergo tunc quando nos fecit ut homines eſſemus, nondum erat homo. Magnã
1.Tim.2 iſtam gratiam commẽdat Apoſtolus Chriſtianis, ubi dicit, Vnus enim deus, & unus mediator dei
C & hominum. Non ait, Chriſtus Ieſus, ne tu putares ſecundum uerbum dictum, ſed addidit, homo mediator dei & hominũ, homo Chriſtus Ieſus. Quid eſt mediator? Per quem coniungeremur, per quẽ recõciliaremur, quia peccatis proprijs ſeparati iacebamus, in morte eramus, prorſus perieramus. Nõ erat Chriſtus homo quãdo creatus eſt homo, ſed poſtea factus eſt homo, ne periret homo ille q̃ factus eſt homo. Hęc uobis cõtra nouellã hęreſim quæ tẽtat aſſurgere, ut ſæpe diſputare cogimur, q̃a uos firmos uolumus eſſe in bono, integros autẽ à malo. Hæc em̃ eſt diſputatio eorum quãdo primo exoriri cœperũt, & contra gratiã diſputare, multũ tribuentes nõ libertati hominis ſed infirmitati, &
D iacentem miſerũ hominem ideo extollẽtes, ne manu ſibi deſuper porrecta ualeat ſurgere. Diſputantes ergo cõtra gratiam pro libero arbitrio, fecerũt auribus pijs & catholicis offenſionem, cœperunt horreri, cœperũt ut certa pernicies deuitari, cœpit de illis dici, quòd contra gratiam diſputarẽt, & inuenerunt ad releuandam iſtam inuidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam dei diſputo. Vnde probas? Eo ipſo, inquit, non contra gratiam dei diſputo, quòd liberum arbitrium defendo. Videte acumen, ſed uitreum. Quaſi lucet uanitate, ſed frangitur ueritate. Attendite quàm ſit quaſi acute excogitatum quod dicere uoluerũt. Hoc ipſo, inquit, quia liberum arbitrium hominis defendo, & dico quia libero arbitrio ſufficiens eſt ut iuſtus ſit, non ſine gratia dei dico. Erectæ ſunt aures piorum, iam qui iſta audit, incipit gratulari. Deo gratias. Non ſine dei gratia defendit liberum arbi-
A trium. Eſt enim liberum arbitrium, ſed nihil ualet ſine dei gratia. Si ergo liberum arbitrium non ſine dei gratia defendunt, quid mali dicunt? Expone ergo nobis ó doctor quam dicas gratiam. Cum dico, inquit, liberum hominis arbitriũ, uide quia hominis dico. Quid deinde? Homo eſt, quis creauit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem deus creauit, & homini deus liberum donauit arbitriũ, quicquid poteſt homo de libero arbitrio, cuius gratiæ debetur niſi eius qui eum condidit cum libero arbitrio? Et hoc quaſi acute ab ipſis dictum. Videte tamen fratres mei quomodo illam generalem gratiam prædicent qua creatus eſt homo, qua homines ſumus,
B & utique & cum impijs homines ſumus, ſed non cum impijs Chriſtiani ſumus. Hanc ergo gratiam qua Chriſtiani ſumus, ipſam uolumus prædicent, ipſam uolumus agnoſcant, ipſam uolumus, Gal.2
de qua dicit Apoſtolus, Non irritam facio gratiam dei. Nam ſi per legem iuſticia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Videte unde dixit Apoſtolus. De lege dixit, Si per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Quia ergo ex lege non erat iuſtitia, ideo mortuus eſt Chriſtus, ut per fidem iuſtificentur qui ex lege non iuſtificabantur. Si em̃, inquit, data eſſet lex quæ poſſit iuſtificare, omnino do ex lege eſſet iuſtitia. Quod etiam heſterno die commemorauimus: ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio, non prædictio. Qui
C promiſit ipſe facit. Vt promiſſio, inquit, ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Ecce quales nos inuenit gratia ſaluatoris, quos nec lex ſanos facere potuit. Quare lex data, ſi ſufficiebat natura? Et tamẽ nec lex ſufficere potuit, ita infirma erat ipſa natura: data eſt lex, ſed nõ q̃ę poſſit uiuificare. Quare ergo data eſt lex? Lex, inquit, Apoſtolus, prẽuaricationis gratia data eſt, præuaricatiõis gratia poſita eſt, ut te faceret præuaricatorem. Quare, ut me faceret prẽuaricatorem? Quia nouerat deus ſuperbiã tuã, nouerat quia dicebas, O ſi ſit qui doceat, ó ſi ſit quæ mihi oſtendat. Ecce lex dicit tibi, Non Rom.7
concupiſces. Cognouiſti legem dicentẽ, Non cõcupiſces, Surrexit concupiſcentia quam non noueras: inerat enim, ſed neſciebatur, cœpiſti conari uincere quod inerat, & apparuit quod latebat. Superbe per legem factus es præuaricator: agnoſce gratiam & eſto laudator. Sed legem, inquis, quis dedit? Quia ſunt homines uani, & peius impij, qui dicunt legẽ ab alio datam, gratiam uero per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: quaſi legẽ malam, quaſi legem peruerſam, gratiã uero rectam: & uolunt ita diſcernere duo teſtamenta, ut uetus teſtamentum dicant eſſe, neſcio à quo principe tenebrarum: nouum autem teſtamentum à domino deo patre domini noſtri Ieſu Chriſti. Ipſum Paulum audi. Si propterea putas legem datam ab alio non à deo, quia per illam factus eſt præuaricator, audi Apoſtolum legis laudatorem. Itaque, inquit, lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, adde & Rom.7
iuſtum, adhuc adde & bonum. Quod ergo bonũ

est, inquit, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum. Erat enim peccatũ sed latebat peccatum. Quãdo latebat peccatum? Quando te aduersarium nondum patiebatur. Cœpisti conari, & apparuit qui tenebat. Quando sequebaris, catenas non sentiebas, quæsisti refugium & apparuit uinculum, uoluisti fugere & cœpisti trahi. Quia ergo cœpisti trahi, subueniat tibi qui non est ligatus. Quis nõ est ligatus, nisi qui
Ioan.8 dixit, Si inuenistis in me peccatum, dicite? Quis
Ioan.14 non est ligatus, nisi qui dixit, Ecce uenit princeps mundi, & in me nihil inueniet? Quare nihil inueniet? Quia mors peccato iusta debetur. Quare ergo moreris? Vt sciant, inquit, omnes, quia uoluntatẽ patris mei facio. Ipse soluit qui ligatus non est, ipse à mortuis liberat, qui est in mortuis liber. Sed ipse misit & legẽ & gratiam. Per seruũ suum legẽ, p seipsum gratiam. Attẽde Heliseũ in magno altoq; mysterio, tanquam prophetam, agendo prænuntiantẽ, non solum loquendo. Mortuus erat filius
4.Reg.4 hospitæ ipsius. Quid significabat mortuus puer ni si Adam? Nuntiatum est sancto prophetę, gerenti in prophetia typum domini nostri Iesu Christi, misit per seruum baculum suum, & ait illi, Vade, uade, pone super puerum mortuũ. Perrexit ille tanquam seruus obediens, Sciebat propheta quid fecerat. Posuit baculum supra mortuum, non surrexit. Si enim data esset lex quæ possit uiuificare, omnino ex lege esset iustitia. Non ergo potuit lex uiuificare. Venit ipse grãdis ad paruulũ, saluator ad saluandum, uiuus ad mortuũ uenit ipse. Et quid fe
C cit? Iuuenilia membra cõtraxit tanquam seipsum exinaniens, ut formam serui susciperet. Iuuenilia ergo membra contraxit, paruum se paruo coaptauit, ut efficeret corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Itaq; in isto typo Christo prophetice expresso suscitatus est mortuus, tãquam iustificatus est impius. Ista gratia prædicetur, ista est gratia Christianorum per hominẽ mediatorem, per passum & resuscitatum, qui ascendit in cœlum, & captiuauit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Ista, inquam, gratia prędicetur, contra istam gratiam ab ingratis non disputetur. Baculus propheticus mortuo non suffecit, ipsa mortua natura sufficeret? Et istam qua conditi sumus, quanq; hoc nomine appellatam minime legerimus, tamen quia gratis data est, gratiam fateamur. Sed ostendamus uobis maiorẽ esse istam qua Christiani sumus: attendite. Anteq; conditi essemus nihil boni merebamur, & ideo gratia qua cõditi sumus accepimus cũ boni nihil mereremur. Si ergo magna est gratia quando nihil boni merebamur, quanta gratia est quando tantum mali merebamur? Qui nondum erat, bene non merebatur, peccator etiam male merebatur. Nõdum erat qui factus est, nondum erat, sed nec offenderat. Nondum erat, & factus est, offendit & saluus est. Qui nondum erat, nihil sperabat, factus lapsus est, lapsus autem damnationem expectabat, & liberatus est. Hæc est gratia per Iesum Christum dominum nostrum. Ipse fecit nos, & antequam essemus omnino ipse fecit nos, & factos & lapsos ipse & iustos
A fecit nos, & non ipsi nos. Si qua igitur in Christo noua creatura, lapsus est uetus, facta est noua. Vna erat massa perditionis ex Adam, cui nõ nisi supplicium debebatur, facta sunt uasa inde in honorem ex eadem massa. Habet enim potestatem figulus luti, ex eadem massa. Qua massa? Certe iam perierat, certe iam illi massæ iusta damnatio debebatur. Gratulare, quia euasisti, mortem quippe debitam euasisti, & uitam non debitam reperisti. Ha
Rom.9 bet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud uas in honorem, aliud in contumeliam. Sed dicis, Me quare fecit in honorem, & alium in contumeliam? Quid responsurus sum? Auditurus es Augustinum qui non audisti Apostolum dicen-
B tem, O homo tu quis es qui respondeas|deo? Duo
Rom.9 paruuli nati sunt, si debitum quæras, ambo tenent massam perditionis. Sed cur mater alium portat ad gratiam, alium mater dormiẽs suffocat? Dicturus es mihi, Quid ille meruit qui portabat ad gratiam? Quid ille meruit quem mater dormiendo suffocat? Ambo nihil boni meruerunt. Sed habet figulus luti potestatem ex eadem massa facere aliud uas in honorem, aliud in contumeliam. Disputare uis mecum? Imo mirare mecum & exclama mecum, O altitudo diuitiarum. Ambo in pa-
Rom.11 uore concordemus, ne in errore pereamus. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Scrutare inscrutabilia, fac impossi-
C bilia, corrumpe incorruptibilia, uide inuisibilia. In scrutabilia sunt iudicia eius, audisti, sufficiat tibi, & inuestigabiles uiæ eius. Quis em̃ cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Si dominus retribuere uellet, nihil nisi pœnam debitam retribuisset. Nihil dederunt ut eis retribueretur, pro nihilo saluos faciet illos. Quis prior dedit illi, quasi suorum gratia meritorũ, quis prior dedit illi, quis præuenit gratiam quæ gratis datur? Si aliquid meritorum anteuenit gratiam, iam non gratis datur, sed ex debito redditur: si autẽ gratis non datur, gratia quare uocatur? Quis ergo prior dedit illi & retribuetur ei? Quoniã ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Quæ utiq; nisi omnia bona quæ ab
D illo accepimus, & accepimus ut boni simus? Om-
Iac.1 ne enim datum optimum, & omne datum perfectum, desursum est descendẽs à patre luminum, apud quem nõ est immutatio. Nam tu in peius mutatus es. Apud quẽ non est immutatio. Ipse subuenit apud quẽ nõ est immutatio, nec momenti obumbratio, nã tu in tenebris noctis tuæ iaces. Ab illo ergo omnia. Nemo illi prior aliq̃d dedit, nemo exigat debitũ, Gratia salui facti estis p fidẽ, & hoc non ex uobis, sed dei donũ est. Sed mouet me, inquis, q̃ ille perit, ille baptizatur, mouet me, mouet tanquam hominem. Si uerum uis audire, & me mouet quia homo sum. Sed si & tu homo & ego homo, ambo audiamus dicẽtem, O homo, utique si ideo mouemur quia homines sumus, ipsam naturam humanam infirmam ac debilem Apostolus alloquitur

alloquitur dicens, O homo tu qui es qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, cur me sic fecisti? Si posset loqui pecus & dicere deo, quare istum hominem fecisti, & me pecudem, non iuste succenseres & diceres, O pecus tu quis es qui respondeas deo? Et tu homo es, sed ad deum pecus es, & utinã sis pecus eius, & ouis pa-
Ioan.x scuæ eius. Agnosce beneficia pastoris, & non sequeris lupum erroris. Lupi eramus. Fuimus & nos natura filij iræ sicut & cæteri, sed mortua est ouis, & fecit nos oues. Ecce agnus dei, ecce q̃ tollit pec catum, non huius aut illius, sed mundi. Nihil ergo fratres mei ex eo quod aliquid sumus, si tamen in eius fide aliquid sumus quantumcunque, nihil nobis arrogemus, ne & quod accepimus perdamus, sed in eo quod accepimus, illi gloriam demus, ipsum honoremus, semina sua ipse compluat. Quid haberet terra nostra, nisi ipse seminasset? Sed dat & pluuiam, nõ deserit quod seminauit. Dominus dabit sanitatem, & terra nostra dabit fructus suos. Conuersi ad dominum.

De uerbis psalmi centesimi decimioctaui, Gressus meos dirige secũdum uerbum tuum. Et quod lex spiritalis & nõ carnalis sit. De pugna quoq; inter carnem & spiritum. Sermo XII

A INE dubio fratres grauem quandam far
Psal.118 S. cinam, & grande iugum iniquitatis uitare cupiebat, qui deo dicebat, Gressus meos dirige secundum uerbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. Videamus ergo quan
C do homini dominetur iniquitas, ut intelligamus quid orantẽ audierimus, & quid respondẽdo etiã ipsi nos orauerimus. Omnes enim ad sanctũ psalmum, quantũ arbitror, deuoto & ueraci corde respõdimus, orantes & dicentes domino deo nostro Gressus meos dirige secundum uerbũ tuũ, & non dominet̃ mihi omnis iniquitas. Ab huius pessimę dominæ dominatu, precioso sanguine redẽpti sumus. Et quid proderat legem accepisse iubentem ac minantem & non adiuuantem, ut sub illa essemus rei ante gratiam dei? Frustra lex minatur, quã do iniquitas dominatur. Lex enim nõ est corporalis, non est carnalis. Sed quoniam deus spiritus est qui legem dedit, proculdubio lex spiritalis est.
D Sed quid ait Apostolus? Scimus enim quia lex spi
Rom.7 ritalis est, ego autem carnalis sum uenundatus sub peccato, Noli ergo mirari ó uenũdate sub peccato, si tibi dominatur cui es uenundatus. Audi A-
1.Ioan.3 postolũ Ioãnẽ, Peccatũ iniquitas est. Cõtra talem ergo dominum inuocamus dominũ cui dicimus, Gressus meos dirige secundum uerbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. Venundatus clamat, redemptor exaudiat. Ipse homo se uendidit per liberum arbitrium, sed dominante iniquitate, & accepit precium exiguum, de arbore uetita uoluptatẽ. Ipse ergo clamat, Itinera mea dirige quę ego distorsi, Gressus meos dirige q̃s ipse meo arbitrio deprauaui. Dirige secundũ uerbũ tuum. Quid est dirige secundum uerbum tuum? Vt recti sint gressus mei, quia rectum est uerbum tuum. Ego, inquit, distortus sum sub põdere iniquitatis,
A sed uerbum tuum est regula ueritatis. Me ergo distortum à me, corrige tanquam ad regulam, hoc est, ad uerbum tuum. Ergo gressus meos dirige secundum uerbũ tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. Vendidi me, redime me. Vendidi me arbitrio meo, redime me sanguine tuo. In uenditore erubescat superbia, in redemptore glorietur gratia. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Lex enim spiritalis est, ego autẽ carnalis sum uenundatus sub peccato. Quod em̃ operor ignoro, nõ enim quod uolo ago. Non q̃d uolo ago, cum carnalis dicit, non legem sed se accusat, nã lex spiritalis non habet culpam. Carnalis uenũdatus incurrit in culpam, nõ agit quod uult,
B cum uult non potest, quia quando poterat noluit. Per malum uelle, perdidit bonum posse; & captiuus iam loquitur, & dicit captiuus, Non quod uolo ago, non enim quod uolo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago, non quod uolo. O homo, uis prorsus. Non quod uolo ago. Omnino quod uis agis. Nõ quod uolo ago. Crede mihi frater, non quod uolo ago. O si uelles ageres, quia non uis non agis bonum. Non q̃d uolo ago. Crede mihi, noui quid in me agatur, non quod uolo ago. Contradictor gratiæ, non es arbiter conscię̃tiæ. Ego me noui non quod uolo agere, & tu dicis quod uis agis? Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Et tu homo es, si non uis credere mihi, intende tibi. Itáne tu ita ui uis in hoc corruptibili corpore quod aggrauat a-
Gal.5 nimã, ut caro nõ concupiscat aduersus spũm tuũ, & spiritus aduersus carnem tuam? Ista rixa non est in te? Nulla est concupiscentia carnis, quæ resistat legi mentis? Si nihil in te alteri resistit, uide totum ubi sit. Si spiritus tuus à carne contra concupiscente non dissentit, uide ne forte carni mens tua tota consentiat, uide ne forte ideo non sit bellum, quia pax peruersa est. Forte in totum carni consentis, & nulla rixa est. Quã spem habes quod possis aliquando uincere, qui nõdum cœpisti pugnare? Si autem condelectaris legi dei secundum interiorem hominem, uides autem aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, si hac condelectaris, hac ligaris, liber es in mẽte, seruus in carne: si iam ita est, compatere potius homini dicenti, Non quod uolo ago. Tu enim non uis ut concupiscentia illa quę resistit menti tuæ, omnino nõ sit in te? Mali uoti homo es, si tali aduersario non uis carere. Ego fateor tibi, quicquid in me rebellat aduersus mentẽ meam, & litigat mecũ delectatiõe contraria, quicquid tale in me est omnino interficere uolo. Et si forte adiuuante dño, non consentio, nolo habere cum quo litigem. Multo est mihi optabilius inimicum non habere q̃ uincere. Neq; enim illud ipsum quod caro concupiscit aduersus spiritum, non est mecum: aut uero ex contraria natura cõpactus sum? Et illud meum est, & quòd ei non consentio, meum est. Pars aliquantũ libera resistit reliquijs seruitutis, totum sanũ sit uolo, quia totus sum. Ergo nolo ut à me caro mea tanquam extranea

extranea in æternum separetur, sed ut mecum tota sanetur. Si hoc totum non uis, nescio quid de carne sentias, arbitror te putare quod nescio unde sit, quasi de gente contraria. Falsum est, hereticũ est, blasphemum est, mentis & carnis unus est artifex, ipse quando hominem creauit utcunq; fecit, utrunque coniunxit, carnem animæ subdidit, animam sibi. Si semper illa staret sub domino suo, semper & ista obediret dominæ suæ. Noli ergo mirari, si ea quæ deseruit superiorem, pœnas patitur
Gal.5 per inferiorem. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi, inquit, inuicem aduersantur, ut non ea quæ uultis faciatis. Inde & iste, Non q̃d uolo ago. Concupiscit enim caro aduersus spiritum, & nolo concupiscat, pro magno habeo si non consentiam, opto tamen ut caream. Ergo non quod uolo ago. Volo enim ut non concupiscat caro aduersus spiritum, & non possum, hoc est quod dixi, Nõ quod uolo ago. Quid mihi calumniaris hic? Ingrate medico, quid calumniaris infirmo? Sine me ut medicum rogem, Redime me à calumnijs hominum, & custodiam legem tuam. Custodiam per redemptionem tuam, non per potestatem meam. Ideo mihi sanitatẽ quam nondum habeo non arrogo, quia medicum rogo. Tu autem naturæ defensor, quod utinã esses, non quasi sanæ defensionem falsam adhiberes, sed pro nondum sana medicum rogares. Nunc uero tu naturæ defensor, uel potius oppugnator, dũ quasi de natura sana laudas creatorem, excludis à languida saluatorem. Qui creauit sanat, ruentem per seipsam, leuat per seipsum. Ipsa fides est, ipsa ueritas, hoc est Christianæ fidei fundamẽtum, unus & unus. Vnus homo per quẽ ruina, alius homo per quem structura. Per illum ruina, per hunc structura. Cecidit qui non mansit, erigit qui non cecidit. Ruit ille quia dimisit manentem, manens ille descendit ad iacentem. Si ergo concupiscit caro aduersus spiritum, ut in hoc ipso non quod uis agas, quia uis ut non concupiscat, & non potes, tene saltem in gratia domini uoluntatem, & in eius adiutorio perseuera: dic ei q̃d cantasti, Gressus meos dirige secundum uerbum tuũ, & non dominet mihi omnis iniquitas. Quid est, ne dominetur mihi omnis iniquitas? Audi A-
Rom.6 postolum, Non regnet peccatũ in uestro mortali corpore. Quid est nõ regnet? Obediẽdo desiderijs eius. Non dixit, noli habere desideria mala. Quomodo enim in hac carne mortali, ubi caro cõcupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem, non habeo desideria mala? Illud ergo fac, Non regnet peccatum in uestro mortali corpore ad obediẽdum desiderijs eius. Et si sunt desideria, nõ eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Nec exhibeatis membra uestra, arma iniquitatis peccato. Non fiant membra tua arma iniquitatis, & nõ dominatur tibi omnis iniquitas. Sed etiã hoc ut non fiant mẽbra tua arma iniquitatis, nunq̃d tu tibi uiribus tuis prestas? Hoc ipsum, inquam, hoc ipsum q̃ nõ sint membra tua arma iniquitatis. Est quidẽ iniquitas in membris tuis in desiderijs illicitis, sed nõ regnat. Quomodo regnet, qui arma nõ habet? A Pars tua, caro tua, concupiscentia carnis tuæ languore rebellat aduersus te, lãguor iste tyrãnus est. Si uis te tyrãni esse uictorem, Christum inuoca imperatorem. Nam scio quid mihi eras dicturus, uel quid apud teipsum modo dicas. Quisquis talis hic es & audis me, scio quid tibi intus loquaẽ iniquitas. Adhuc enim sub iugo es iniquitatis, quando nõ agnoscis precium redemptoris. Scio quid tibi dicas, Ecce concupiscit caro mea aduersus spiritũ meum, concupiscit adulterium, sed nõ consentio, non annuo, non decerno, non solum non ago, sed nec agere consentio. Non solum foris per carnem nõ perpetro, sed nec ipsa mẽte sequor rebellantẽ. Consentio repugnanti, cedo luctanti? Non facio. Ecce non dominaẽ mihi omnis iniquitas. Ita est, B uerum est, Gratias age si ita est ei qui tibi donauit ut ita sit. Noli tibi hoc arrogare, ne perdas quod accepisti, & incipias frustra rogare. Nõ times, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam? Ergo tu tibi præstas, ut non dominetur tibi omnis iniquitas? Si uera est ista tua præsumptio, uana est nostra oratio, ubi dicimus deo, Non dominetur mihi omnis iniquitas. Cantasti uerba ista hodie, an non? Hic eras quãdo omnes dicebamus: Gres- Psal.ut
sus meos dirige secundum uerbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas? Hic eras, cantasti uerba ista, puto te non negaturum. Ergo cantasti in populo dei, & rogasti deum dicens: Gressus meos dirige secundum uerbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. Si tibi hoc præ- C stabas, quare mecum rogabas? Teneo precãtem, conuinco laborãtem: simul ergo audiamus dicentem, Venite ad me omnes qui laboratis. Audiamus & ueniamus. Quid est ueniamus? Credendo proficiamus, gratias agendo accipiamus, perseuerando perueniamus, ueniamus ad eum qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis. Et tu laboras, Matth.11
& ego laboro, illum audiamus, ad illum ueniamus, inter nos quare litigamus? Ambo audiamus, qui ambo laboramus: quare inter nos litigamus? an ut medicum uocantem non audiamus? O infelix infirmitas, ad se uocat medicus, & litibus occupatur ægrotus. Vide quid dicat uocando, Venite ad me omes q̃ laboratis. Vbi laboratis nisi sub sar- D cinis peccatorũ, nisi sub iugo malę dominę iniqtatis? Venite ergo ad me omes qui laboratis, & onerati estis, & ego uos reficiã. Ego qui feci reficiam, ego, inquit, uos reficiam, quia sine me nihil potestis facere. Quomodo uos reficiam? Tollite iu- Ibidem
gum meum super uos, & discite à me. Quid discimus à te? Nouimus te domine in principio uerbũ, uerbum deum, uerbum apud deum, omnia per te facta nouimus quæ uidimus & quæ non uidimus. Quid discimus à te? Non enim alium mũdum discipuli tui tanquam discipuli artificis & fabricatoris condituri sumus: unum mundum condidisti, cœlum & terram fecisti, utrunq; suis creaturis ornamentisq; illustrasti. Quid à te discimus? Discitis à me, inquit, cũ essem in principio apud deum creaui uos? Hoc nolo discatis à me, sed factus sum quod

quod feci, ne perirent quæ feci. Vnde sum factus
Phil.2 quod feci? Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: in similitudinem hominum factus & habitu inuẽtus ut homo, humiliauit semetipsum. Hoc discite à me. Humiliauit enim semetipsum inquit. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Non enim, inquit, hoc uos doceo, quasi in forma dei aliquando fuissetis, non rapinam arbitrantes, esse uos æquales deo. Illi proprium erat, illi rapina non erat cui natura inerat. In patris æqualitate, natus est de patre. Quid tamẽ fecit propter te? Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinẽ hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Ecce propter te deus factus est homo, & non te uis agnoscere, cum sis homo. Ecce ppter te deus factus est homo sine peccato, & nõ B uis te agnoscere cum peccato, ut uenias ad illum qui ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego uos reficiam. Tollite iugum meum super uos. Tulisti hoc iugum? Tulisti? Sentis te habere sessorem? Tulisti hoc iugum? Dicis, tuli. Sentis te habere sessorem? Sentis te habere rectorem? Sentio, inquis. Illi ergo dic, Gressus meos dirige secundum uerbum tuum. Regit te sub iugo suo, & sub sarcina sua. Vt em̃ sarcina eius sit tibi leuis, & iugum eius suaue, ille tibi amorem inspirauit. Amanti suaue est, non amanti durum est. Amãti suaue est, dominus dedit suauitatẽ. An forte quia uenisti, audiens, uenite ad me: hoc ipsum tibi arrogare intendis, quia uenisti? Ecce, inquis, ueni ad illum arbitrio meo, uolũtate mea. Quia ueni, reficit C me: quia ueni, iugũ suum imponit mihi suaue, quia dat amorem: sarcinã suã leuẽ imponit mihi amanti & diligenti. Hæc omia fecit in me, sed quia ueni ad eũ. Ergo hoc sapis quia uenisti, tu tibi hoc præstitisti? Quid enim habes q̃d non accepisti? Quomodo uenisti? Credẽdo uenisti, sed nõdum perue
Psal.2 nisti. Adhuc in uia sumus, uenimus, sed nondũ peruenimus. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore, ne quando irascatur dñs, & pereatis de uia iusta. Time, ne cum tibi arrogas quia inuenta est à te uia iusta, ipsa arrogantia pereas de uia iusta. Ego, inquis, ueni, arbitrio meo ueni, uoluntate mea ueni. Quid turgescis? quid tumescis? Vis nosse quia & hoc præstitum est tibi? Ipsum audi uocã-
Ioan.6 tem. Nemo uenit ad me, nisi pater qui me misit traxerit eum. Conuersi ad dominum.

De uerbis Apostoli, Si em̃ data esset lex quæ
Gal.3 possit uiuificare, omnino ex lege esset iustitia.

Sermo XIII

A VERBI dei altitudo exercet studium, non denegat intellectum. Si omnia clausa essent, nihil esset unde reuelarẽtur obscura. Rursus si omnia tecta essent, non esset unde alimentum anima perciperet, & haberet uires quibus possit ad clausa pulsare. In lectionibus Apostolicis superioribus quas charitati uestræ quantũ dominus adiuuare dignatus est exposuimus, multum laborem & solicitudinem passi sumus. Compatiebamur uobis, & soliciti eramus, & pro nobis & pro uobis. Quantum autem existimo, adiuuit & nos & uos dominus, & ea quæ prorsus difficillima uidebãtur, sic per nos enodare dignatus est, ut A nulla quæstio remaneret quæ conturbet mentem piam. Impia enim mens odit etiam ipsum intellectum, & homo aliquando nimium mente peruersa timet intelligere, ne cogatur quod intellexerit facere. De talibus ait Psalmista, Noluerũt intelli- Psal.35
gere ut bene agerent. Vos autem charissimi, quia bonum est bene sentire de uobis, exigitis intellectum, exiget deus fructum. Intellectus enim, sicut Psal.110
scriptum est, bonus omnibus facientibus eum.

Hoc tamẽ quod restat & hodie recitatum est, quã uis non habeat tantam difficultatem quantam habuerunt superiora, quæ iam, ut potuimus, adiuuante domino, transuecti sumus, desiderat tamen B intentionem uestram: uelut enim cõclusio fit, propter illa quæ dicta sunt. In superioribus lectionib. laboraẽ, ne forte reus cõstitueretur Apostolus o- Rom.7
mnium quodammodo peccatorum dicendo, Nõ enim quod uolo ago. Deinde ne lex uideretur aut sufficere posse homini habenti liberum arbitriũ, etiam si nullum ultra auxilium diuinum porrigeretur, aut certe frustra data fuisse crederetur, dicta est & causa quare sit lex data, quia & ipsa in adiutorium data est, sed non sicut gratia. Data est enim, sicut iam exposuimus, & tenere debetis, & uobis uehementius & diligentius nos commendare debemus, Data est ut inueniret se homo, ut non morbus sanaretur, sed ut preuaricatiõe morbo crescente medicus quæreretur. Et quis est iste C medicus, nisi qui dixit, Non est opus sanis medi- Matt.9
cus, sed male habentibus? Qui ergo non confitetur creatorem, negat superbus authorem. Qui autem negat ægritudinem suam, superfluum iudicat saluatorem. Ergo & in natura nostra creatorem laudemus, & propter uitium quod nobis infliximus, saluatorem quæramus. Et quomodo quærimus saluatorem? Vt det legem? Parum est. Si e- Gal.3
nim data esset lex quę possit uiuificare, omnino esset ex lege iustitia. Si ergo non est data lex quę possit uiuificare, quare data est? Sequitur & ostendit quare sit data, quia etiã sic in adiutorium data est, ne te sanũ putares. Si ergo data esset lex quæ posset uiuificare, omino ex lege esset iustitia. Et quasi quæreremus, quare ergo data est? sed cõclusit, in- D
qt, scriptura omia sub peccato, ut pmissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quando audis promissorem, expecta factorem. Idonea fuit humana natura per liberum arbitrium uulnerare se, sed iam uulnerata & saucia nõ est ideo idonea per liberum arbitrium sanare se. Si enim uolueris intemperanter uiuere ut ægrotes, ad hoc medicum non requiris, ad labem sufficis tibi. Cum autẽ intemperanter agens cœperis esse ægrotus, non sic potes ab ægritudine liberare te, q̃modo potuisti p intemperantiã te in ęgritudinẽ prępcipitare: & tamẽ medicus etiã sano prępcipit temperantiam. Bonus medicus hoc facit, nõ uult esse necessarius ægrotanti. Sic etiam dñs deus creato homini sine uitio tẽperantiã prępcipere dignatus est, quã si ille seruasset, medicũ postea morbo suo nõ desideraret: sed

ſed quia non ſeruauit, languidus factus eſt, cecidit
infirmus, creauit infirmos, id eſt, infirmos genuit A
infirmus: & tamen in omnibus qui naſcuntur infir
mis deus quod bonum eſt operatur, formãdo cor
pus, uiuificando corpus, alimenta prębendo, plu
uiam ſuam & ſolem ſuũ ſuper bonos & malos dan
do, nõ eſt unde accuſent boni nec mali: etiam inſu
per genus humanum iuſto ſuo iudicio condemna
tum noluit in interitum ſempiternum relinquere,
ſed miſit & medicum, miſit ſaluatorem, miſit eum
qui gratis ſanaret. Parum eſt qui gratis ſanaret, qui
ſanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad iſtam
beneuolentiam poteſt. Quis eſt qui dicat, ſanem
te & do tibi mercedem? Optime fecit. Sciebat e-
nim ſe diuitem ueniſſe ad pauperem, & ſanat ęgro
tos, & ſanatis donat, & non aliud quàm ſeipſum
donat. Saluator eſt adiutorium languidi, ipſe ſal- B
Rom.8 uator eſt præmiũ ſanati. Ergo fratres quod hodie
admoniti eſtis, debitores ſumus non carni, ut ſe-
cundum carnem uiuamus: ad hoc enim adiuti ſu-
mus, ad hoc ſpiritum dei accepimus, ad hoc etiam
in laboribus noſtris quotidianum adiutorium po
ſtulamus. Lex cui minatur nõ implendo quod iu-
bet, eum facit eſſe ſub ſe: hi ſunt ſub lege, non ſub
gratia. Bona eſt lex, ſi quis ea legitime utat. Quid
eſt ergo legitime uti lege? Per legem agnoſcere
morbum ſuum, & quęrere ad ſanitatẽ diuinũ adiu
Gal.3 torium: quia, ſicut dixi, & ſæpe dicendũ eſt, Si lex
poſſit uiuificare, omnino ex lege eſſet iuſtitia, nec
quæreretur ſaluator, nec ueniret Chriſtus, nec ſan
guine ſuo ouem perditam quęreret. Sic enim di-
Gal.2 cit alio loco idem Apoſtolus, Nam ſi per legem iu C
ſticia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Quæ igi-
tur utilitas legis, & quod adiutorium? Quia con-
cluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio
Gal.3 ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Itaq; lex
inquit, pædagogus noſter erat in Chriſto Ieſu. Ex
iſta ſimilitudine rem de qua loquor attendite. Pę-
dagogus puerum nõ ducit ad ſeipſum, ſed ad ma
giſtrum: ſed cum puer bene inſtitutus iam creue-
rit, ſub pædagogo non erit. Tractat de his Apo-
ſtolus etiam alio loco, ualde enim aſſidue hoc cõ-
mendat, ſed utinam non ſurdis. Commendat au-
tem hoc aſſidue, cõmendãs fidem gentibus, quia
fide impetrant adiutorium ut impleãt legem, non
per legem, ſed uires implendi impetrantes per fi- D
dem: ad hoc aſſidue ducit & commẽdat iſta Apo-
ſtolus, propter Iudæos, qui de lege gloriabantur,
& libero ſuo arbitrio legem ſufficere arbitraban-
tur: ac per hoc quia libero ſuo arbitrio legem ſuffi
cere arbitrabantur, ignorãtes dei iuſtitiam, id eſt,
ex fide iuſtitiam datam à domino, & ſuam uolen-
tes ſtatuere, quaſi ſuis uiribus impletam, non dan-
te fide impetratam, iuſtitiæ dei, ſicut dicit, nõ ſunt
ſubiecti. Finis em̃ legis Chriſtus, ait, ad iuſticiam
omni credẽti. Ergo cũ de his tractat, oppoſuit ſibi:
Quid ergo lex? Quaſi quæ utilitas legis? Reſpon-
dit, Pręuaricatiõis gratia poſita eſt. Hoc eſt quod
Rom.5 dicit alibi, Lex ſubintrauit, ut abũdaret delictum.
Et ibi quid addidit? Vbi autem abundauit deli-
ctum, ſuperabundauit gratia, quia leniore ægritu

dine cõtemnebatur adiutorium medicinę, creuit
morbus, & quæſitus eſt medicus. Quid ergo lex?
Præuaricationis gratia poſita eſt, unde humiliare-
tur ceruix ſuperborum multum ſibi tribuentium,
& uoluntati ſuæ tantum arrogantium, ut ſibi libe-
rum arbitrium poſſe putarent ad iuſticiam ſuffice
re: quæ tunc quando erat integra libertate, id eſt,
in paradiſo oſtendit uires ſuas, oſtendit quantum
poſſint, ſed ad ruendum non ad ſurgendum. Lex
ergo prętuaricationis gratia poſita eſt, donec ueni
ret ſemen cui promiſſum eſt, diſpoſitum per ange
los in manu mediatoris. Mediator aũt unius non Gal.3
eſt, deus autem unus eſt. Quid eſt, mediator uni-
us non eſt? Quia inter duos utique mediator eſt.
Si unus eſt deus, & mediator non eſt unius, inter
quid & quid deum quærimus mediatorem, quia
mediator unius non eſt, deus autem unus eſt? In- B
ter quid & quid ſit mediator, inuenimus ipſo A-
poſtolo dicente, Vnus enim deus, & unus media- 1.Tim.2
tor dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Si nõ
iaceres, mediatorem neceſſariũ non haberes: quia
uero iaces, & ſurgere non potes, mediatorem quo
dammodo deus tibi porrexit brachium ſuum. Et Eſa.53
brachium domini cui reuelatum eſt? Nemo ergo
dicat, quoniam nõ ſumus ſub lege, ſed ſub gratia:
ergo peccemus, ergo quod uolumus faciamus.
Qui hoc dicit, ægritudinẽ amat, non ſanitatẽ. Gra
tia medicina eſt. Qui uult ſemp ęgrotare, ingratus
eſt medicinæ. Ergo fratres accepto adiutorio, por
recto nobis deſuper diuino auxilio brachio dñi, et
ipſo brachio dñi porrecto nobis auxilio ſpũ ſan-
cto, debitores ſumus non carni, ut ſecũdum carnẽ C
ambulemus, qa fides bene operãti non poteſt niſi
p dilectionẽ. Ipſa eſt em̃ fidelium fides, ne ſit dæmo-
nũ fides, qa & dæmones credunt & contremiſcũt.
Illa eſt ergo laudabilis fides, ipſa eſt uera gratiæ fi-
des, quę per dilectionem operat. Vt autem habea
mus dilectionẽ, & ex ea poſſimus habere bonam
operationem, nunquid eam nobis dare nos poſſu
mus, cũ ſcriptum ſit, Charitas dei diffuſa eſt in cor- Rom.5
dibus noſtris per ſpiritũ ſanctum qui datus eſt no-
bis? Charitas uſqueadeo eſt donũ dei ut deus uo-
cetur, apoſtolo Ioanne dicente, Deus charitas eſt, 1.Ioan.4
& qui manet in charitate in deo manet & deus in
eo manet. Ergo fratres debitores ſumus nõ carni,
ut ſecundum carnem uiuamus. Si enim ſecundum Rom.8
D carnem uixeritis, moriemini, nõ quia caro malum
eſt, nam & ipſa dei creatura eſt, & ab eo condita à
quo & anima, nec illa, nec illa pars dei, ſed & illa
& illa creatura dei. Ergo caro non eſt malum, ſed
ſecundum carnem uiuere malum eſt. Deus ſum-
me bonus eſt, quia ſumme eſt qui ait, Ego ſum qui
ſum. Deus ergo ſumme bonus eſt, anima magnũ
bonũ, ſed non ſummum bonũ. Cum aũt audis, De
us ſumme bonus eſt, noli putare de deo tãtum pa-
tre dictũ, ſed de patre & filio & ſpiritu ſancto. Hęc
enim trinitas unũ ſunt, & unus eſt deus & ſumme
bonus eſt. Ita planè unus eſt deus, ut quãdo de i-
pſa trinitate interrogaris, hoc reſpondeas, ne for-
te cum audieris, Vnus eſt deus: putes ipſum eſſe
patrem, ipſum eſſe filium, ipſum eſſe ſpiritum ſan-
ctum

ctum. Non ita eſt, ſed qui pater eſt in illa trinita-
te non eſt filius, qui filius eſt in illa trinitate non A
eſt pater, qui ſpiritus ſanctus eſt in illa trinitate,
nec filius eſt nec pater, ſed ſpiritus patris, idém-
que ſpiritus filij: ipſe eſt enim unus ſpiritus ſan-
ctus & patris & filij coæternus, patri & filio con-
ſubſtantialis & æqualis. Hæc tota trinitas, unus
deus ſumme bonus. Anima uero, ut dixi, creata
à ſummo bono, non tamen ſummum bonum, ſed
magnum bonum. Item caro nec ſummum bo-
num, nec magnum bonum, ſed paruum tamen
bonum. Anima ergo magnum bonum ſi non
ſummum bonum, uiuens inter ſummum bonum
& paruum bonum, id eſt, inter deum & carnem,
inferior deo, carne ſuperior. Quare non uiuit ſe-
cundum ſummum bonum, ſed uiuit ſecundum
paruum bonum? Hoc planius dicitur, quare non B
uiuit ſecundum deum, ſed uiuit ſecundum car-
nem? Debitrix enim eſt non carni, ut ſecundum
carnem uiuat. Caro debet ſecundum ipſam ui-
uere, non ipſa ſecundum carnem. Ipſa uiuat ſe-
cundum ipſam quæ uiuit de ipſa. Certe unaquæ-
que ſecundum hoc uiuat, unde uiuit. Vnde uiuit
caro tua? De anima tua. Vnde uiuit anima tua?
De deo tuo. Vnaquæque harum ſecundum ui-
tam ſuam uiuit. Caro enim non eſt uita, ſed ani-
ma carnis eſt uita. Anima ſibi non eſt uita, ſed de-
us eſt animæ uita. Anima ergo quæ debet ſecun-
dum deum uiuere, non enim debitrix eſt carni, ut
ſecundũ carnem uiuat: Ergo quæ ſecundũ deum
debet uiuere, ſi ſecundũ ſeipſam uiuat, deficit, ſe- C
cundum carnem uiuit & proficit? Tunc autem re
cte uiuit caro ſecundũ animã, ſi anima uiuat ſecun
dum deum. Nam ſi anima, nõ dico ſecundum car-
nem, ſed ſecundũ ſeipſam, ut dixi, uoluerit uiuere,
dicturus uobis ſum quid ſit ſecundũ ſeipſam uiue-
re: bonũ eſt em̃ ut hoc noueritis & ualde ſalubre.
Fuerunt philoſophi ſeculi huius, alij putauerũt nõ
eſſe beatitudinẽ niſi ſecundum carnem uiuere, &
bonum hominis in uoluptate corporis poſuerũt.
Iſti philoſophi Epicurei dicti ſũt, ab Epicuro quo-
dam authore magiſtro ſuo, & alij ſimiles eorũ. Ex
titerunt autẽ alij ſuperbi quaſi à carne ſe remouen
tes, & totam ſpem beatitudinis ſuæ in anima ſua
cõſtituentes, poſuerunt ſummum bonũ in uirtu-
te ſua. Vocẽ pſalmi in uobis affectus pietatis agno
uit: ſcitis, noſtis, agnouiſtis quomodo irriſi ſunt in
Pſal.48 ſancto pſalmo. Qui confidunt in uirtute ſua. Ta- D
les fuerunt philoſophi qui Stoici nuncupati ſunt.
Illi ſecundũ carnẽ uiuentes, iſti ſecundum animã
uiuentes, nec illi nec iſti ſecundum deum uiuen-
tes. Ideo cum ad urbem Athenienſium, ubi iſtæ
philoſophorũ diſciplinæ ſtudio & cõtentione fer
uebant, ueniſſet Apoſtolus Paulus, ſicut in Acti-
bus Apoſtolorum legitur, ubi uos gaudeo noſtrũ
agnoſcendo & recolendo præuenire ſermonem:
Act.17 ſicut ibi ſcriptum eſt, Contulerunt cum illo qui-
dam philoſophorũ Epicureorũ ſecundum carnẽ
uiuentes, & Stoicorũ quidã contulerunt cum illo
ſecundum animam uiuentes, contulit cum illis
ſecundum deum uiuens. dicebat Epicureus, Mi-

hi frui carne bonũ eſt. Dicebat Stoicus, mihi frui
mea mente bonum eſt. Dicebat Apoſtolus. Mihi
autẽ adhærere deo bonũ eſt. Dicebat Epicureus,
Beatus cuius eſt in fructu uoluptas carnis eius. Di
cebat Stoicus, Immo beatus cuius eſt in fructu uir
tus animi eius. Dicebat Apoſtolus, Beatus cuius
eſt nomen domini ſpes eius. Errat Epicureus, fal- Pſal.39
ſum eſt enim eſſe hominem beatum cuius eſt in
fructu uoluptas carnis eius. Fallitur & Stoicus,
falſum eſt enim & omnino mendoſiſſimum, bea-
tum eſſe hominem cuius eſt in fructu uirtus animi
eius. Beatus ergo cuius eſt nomen domini ſpes e-
ius. Et quia illi uani ſunt & mentiuntur, Et non re
ſpexit, inquit, in uanitates & inſanias mẽdaces: er-
go fratres debitores ſumus nõ carni, ut ſecundum
carnem uiuamus, ſicut Epicurei: ſed etiam ſi ſecun
dum ſeipſam ſibi uoluerit uiuere anima, carnalis
erit, carnem ſapit, de carne nõ ſurgit: non eſt enim
quemadmodũ inde ſurgat, qui brachiũ porrectũ
iacenti non tenet. Si enim ſecundũ carnem uixeri
tis, moriemini, Vbi em̃ dictũ eſt, Quid faciat mihi
homo, ibi dictũ eſt, Quid faciat mihi caro. Si ſecũ
dũ carnẽ uixeritis, moriemini: nõ iſta morte cũ de
corpore exit: iſta em̃ moriemini & ſi ſecũdũ ſpiri
tũ uixeritis: ſed illa morte de qua dñs in euãgelio
terribiliter dicit, Eũ timete qui habet poteſtatẽ & Matt.10
animã & corpus perdere in gehẽnã ignis. Si ergo
ſecundũ carnem uixeritis, moriemini: ſi aũt ſpiritu
actiões carnis mortificaueritis, uiuetis. Hoc eſt o-
pus ueſtrũ in hac uita, actiones carnis ſpiritu mor-
C tificare, quotidie affligere, minuere, frenare, interi
mere. Quàm multos em̃ proficiẽtes non iam dele-
ctant quæ antea delectabãt. Quãdo ergo delecta
bat & non ei cõſentiebat, mortificabat: quia iam
non delectat, mortificatũ eſt. Calca mortuũ, tranſi
ad uiuum. Calca iacentẽ, conflige cum reſiſtente.
Mortua eſt enim una delectatio, ſed uiuit altera:
& illam dum non conſentis mortificas, cũ cœpe-
ris omino nõ delectare, mortificaſti. Hæc eſt actio
noſtra, hæc eſt militia noſtra. In hoc agone cũ con
fligimus, deum habemus ſpectatorẽ: in hoc ago-
ne cum laboramus, dum poſcimus adiutorem. Si
enim nos ipſe nõ adiuuat, nõ dico uincere, ſed nec
pugnare poterimus. Cũ ergo diximſſet Apoſtolus,
Si autem ſpiritu actiones carnis mortificaueritis
uiuetis, id eſt, illas concupiſcentias carnis, quibus
non cõſentire magna laus eſt, quas nõ habere per
fectio eſt: hic iam metuendum eſt, ne quiſquã rur-
ſus ad mortificãdas actiones carnis de ſpiritu ſuo
audeat præſumere. Non ſolum enim deus ſpiritus
eſt, ſed & anima tua ſpiritus eſt, & mens tua ſpiri-
tus eſt. Et cũ dicis, Mente ſeruio legi dei, carne aũt
legi peccati, quia ſpiritus cõcupiſcit aduerſus car-
nem, & caro aduerſus ſpiritum, Ergo ne ad carnis
actiones mortificãdas de ſpiritu tuo pręſumas, &
ſuperbia pereas, & tibi ſuperbo reſiſtat, non humi
li gratia concedat, Deus em̃ ſuperbis reſiſtit, hu-
milibus aũt dat gratiam, Ne forte ergo ſubori reẽ
tibi iſta ſuperbia, uide quid ſequatur. Cum enim
diximſſet, Si ſpiritu actiões carnis mortificaueritis,
uiuetis: ne hic ſe extolleret hũanus ſpiritus, & ad

hoc opus se idoneũ firmumq; iactaret, subiecit & ait: Quotquot enim spiritu dei agũtur, hi filij sunt dei. Quid te ergo iam uolebas extollere, ubi audisti, Si spiritu actiones carnis mortificaueritis uiuetis? Dicturus enim eras, hoc potest uoluntas mea, hoc potest liberũ arbitrium meum. Quæ uolũtas? Quod liberum arbitriũ? Nisi ille regat cadis, nisi ille regat iaces. Quõ ergo spiritu tuo, cum audias Apostolũ dicentem, Quotquot enim spiritu dei agũtur, hi filij sunt dei? Tu te uis agere, à teipso uis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodest quia non eris Epicureus & eris Stoicus? Siue Epicureus eris, siue Stoicus eris, inter filios dei non eris. Quotquot enim spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei, non qui secundum carnem uiuunt suam, non qui secundum spiritum suum uiuunt, non qui carnis uoluptate ducuntur, non qui spiritu suo aguntur, sed quotquot spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei. Dicit mihi aliquis, Ergo agimur, non agimus. Respondeo. Imo & agis & ageris. Et tunc bene agis, si à bono agaris. Spiritus enim dei qui te agit, agentibus adiutor est, ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis, Agnosce quid poscas, agnosce
Psal.26 quid confitearis, quando dicis, Adiutor meus esto ne derelinquas me. Adiutorem utiq; inuocas deum. Nemo adiuuat, si ab illo nihil agatur. Quotquot enim, inquit, spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei, non litera sed spiritu, nõ lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, illumi-
Rom.8 nante, adiuuãte. Scimus, inquit idem Apostolus, quia diligentibus deum omnia cooperãtur in bonum. Si non esses operator, ille non esset cooperator. Sed hic fortiter uigilate, ne forte dicat spiritus uester, si subtraxerit se cooperatio dei, & adiutorium dei, spiritus meus facit hoc, & si cum labore, & si cũ aliqua difficultate, potest tamen implere. Nõ potest. Quomodo aliquis dicet, Remis quidẽ peruenimus, sed cum aliquo labore: ó si uentũ habeamus facilius peruenimus. Nõ sic est adiutoriũ dei, non sic est adiutoriũ Christi, nõ sic est adiutorium spiritus sancti. Prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris, agis quidẽ illo non adiuuante libera uoluntate, sed male. Ad hoc idonea est uoluntas tua quę uocatur libera, et male agendo fit damnabilis ancilla. Cũ dico tibi, sine adiutorio dei nihil agas nihil boni dico. Nam ad male agendũ habes sine adiutorio dei liberam uolũtatem, quanquam non est illa libera. A quo em̃ quis deuictus est, huic & seruus addictus est: & omnis qui facit peccatũ seruus est peccati, & si uos filius liberauerit, tunc uere liberi eritis. Prorsus hoc credite, sic uos agere bona uoluntate, quia uiuitis utiq; agitis: nõ enim adiutor est ille si nihil agatis, non enim cooperator est ille si nihil operamini. Sic uos tamen scitote agere bona, ut sit rector spiritus & adiutor: qui si uero defuerit, nihil boni omnino agere ualetis: non sicut quidam dicere cœperunt, qui coartati sunt aliquando gratiã cõfiteri, & benedicimus deum, quia uel hoc aliquando dixerũt. Accedendo em̃ proficere potuerunt, & ad id quod uere rectũ

A est peruenire. Iam uero dicunt adiutricẽ esse gratiam dei, ad facilius facienda. Ista sunt uerba eorũ. Ad hoc dedit, inquiunt, deus gratiã suam hominibus, ut quod facere iubentur per liberũ arbitrium, facilius possint implere per gratiã. Velo facilius, remo difficilius, tamẽ & remo itur, lumento facilius, pedibus difficilius, sed tamẽ & pedibus peruenitur. Nõ est sic. Magister enim uerus qui neminẽ palpat, neminem fallit, uerax doctor idemq; Saluator, ad quẽ nos duxit molestissimus pædagogus, cum de bonis operib. id est, de sarmentorũ & palmitum fructibus loquereẽ: non ait, sine me facere quidẽ potestis aliquid, sed facilius per me: non ait, fructum uestrũ sine me potestis quidẽ facere, sed uberiorẽ per me: nõ hoc dixit, legite quid dixerit, euangeliũ sanctum est, omnium superba colla sub
B duntur. Non hæc dicit Augustinus, hęc dicit dñs. Quid dicit dominus? Sine me nihil potestis facere. Iam nũc cũ auditis, Quotquot spiritu dei agun- Ioan.15
tur, hi filij sunt dei, nolite uos demittere. Neq; em̃ templum suum sic de uobis ædificat deus quasi de lapidibus, qui non habent motum suum, leuantur, ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides uiui, & uos tanquam lapides uiui coædificamini in templum dei. Ducimini, sed currite, & uos ducimini, sed sequimini, quia & cum secuti fueritis, uerum erit illud, quia sine illo nihil facere potestis. Non enim uolentis neq; currentis, sed miserentis est dei. Forte dicturi eratis, Et lex sufficit nobis. Lex timorem dedit: & uidete quid hinc subiunxit Apostolus cũ diceret, Quotquot enim spiritu dei
C agũtur, hi filij sunt dei, quia qui cum spiritu dei aguntur, charitate aguntur, Charitas enim dei diffusa est in cordibus nostris per spiritũ sanctũ qui datus est uobis: secutus subiunxit, Nõ em̃ accepistis spiritũ seruitutis iterum in timore. Quid est iterũ? Quomodo terrẽte molestissimo pędagogo. Quid est iterum? Sicut in monte Sina accepistis spiritũ seruitutis. Dicit aliquis, Alius est spũs seruitutis, alius spũs libertatis. Si alius esset, nõ diceret Apostolus: Iterum. Idem ergo spiritus, sed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectiõe. Iam Supra colu. 277 A.B
nudiustertius qui affuistis audistis, quomodo longè positam plebem, uoces, ignis, fumus in monte terrebat: quõ autem ueniens spiritus sanctus, id
D est ipse digitus dei, quinquagesimo die post umbram Paschæ quomodo uenerit, & igneis linguis super unumquenq; eorum insederit. Iam ergo nõ in timore, sed in dilectione, ut non serui sed filij simus. Qui enim adhuc ideo bene agit, quia & pœnam timet, deum non amat, nondũ est inter filios, utinam tamen uel pœnã timeat. Timor seruus est, charitas libera est: & ut sic dicamus, timor est seruus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuũ, præcedat seruus in corde tuo, & seruet dñæ uẽturę locũ, Fac fac, uel timore pœnę, si nondũ potes amore iustitię. Veniet domina, & seruus abscedit, quia cõsummata charitas foras mittit timorẽ. Non em̃ accepistis spiritũ seruitutis iterum in timore. Nouum testamentum est nõ uetus. Vetera transierũt, & ecce noua facta sunt omnia, omnia autẽ ex deo.

Denicq;

Denicq; quid sequitur? Quid ergo accepimus, si di
A ceres? Sed accepistis spiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus, abba pater. Dominus timetur, pater amatur. Accepistis spiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus abba pater. Clamor iste cordis est non faucium, non labiorum, intus sonat, auribus dei sonat. Clauso ore, labijsq; immotis, Susanna ista uoce clamabat. Sed accepisti spiritũ adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Cor clamet, Pater noster q̃ es in cœlis. Ergo quare nõ tantum pater? Quid sibi uult abba pater? Si enim quæris quid sit abba, respondetur tibi, pater. Abba enim Hebraice, pater dicitur. Quare uoluit utrunque Apostolus ponere? Quia uidebat lapidem angularem quem reprobauerunt ædificãtes, & factus est in caput anguli: non sine causa angularem dictum, nisi quia in osculum recipit utrunq; B parietem de diuerso uenientem. Hinc circuncisio, inde præputium, tantum à se & inter se longe, quãtum ab angulo longe: quantum autem ad angulum prope, & inter se utique prope, & in angulo
Eph.2 autem inter se iuncti. Ipse enim pax nostra qui fecit utraque unum. Ergo inde circuncisio, inde præputium, parietum concordia, anguli gloria. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Qualis res est, si pignus tale est? Non pignus, sed arra dicenda est. Pignus enim quãdo ponitur, cum fuerit res ipsa reddita pignus aufertur. Arra autem de ipsa re datur, quæ dando promittitur, ut res quãdo redditur, impleat̃ quod datum est, non mutetur. Vnusquisque ergo atten-
C dat cor suum, utrum ex intimis cordis medullis & syncera charitate dicat, Pater. Non modo quæritur quanta sit ipsa charitas, utrum magna an parua, an mediocris, utrum uel sit, quæro. Si nata est, latendo crescit, crescẽdo perficietur, perfecta permanebit. Non enim perfecta uergit in senium, & à senectute ueniet ad mortem: ad hoc perficietur ut æterna permaneat. Vide enim quid sequitur, Clamamus abba pater, Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filij dei. Non spiritus noster reddit testimoniũ spiritui nostro quia sumus filij dei, sed spiritus dei arra reddit testimonium pro ea re quæ nobis promissa est. Ipse spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quia sumus filij dei. Si autem filij, & hæredes. Non enim inani
D ter filij, hęc est merces, & hæreditas. Hoc est quod paulo ante dicebam, quia medicus noster & sanitatem nobis donat, & mercedem insuper largiri dignatur. Quæ est illa merces? Hæreditas, sed nõ quomodo est hominis patris hęreditas, Relinquit enim filijs suis, non possidet cum filijs suis, & tamen magnum se facit, & gratias sibi agi desiderat, quia uoluit dare quod non possit auferre. Moriens enim tolleret secum: puto quia si posset, nihil hic filijs suis dimisisset. Hæredes dei sic sunt, ut ipse deus sit hæreditas nostra. Cui dicit psalmus, Do
Psal.15 minus pars hæreditatis meæ. Hæredes quidẽ dei: si parum uobis est audite, quod amplius gaudeatis: Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Conuersi ad dominum.

Aug.to.10

De baptismo paruulorum contra Pelagianos. Sermo XIIII

A ATALE sancti Ioannis inter cætera A
N quæ dicenda uidebantur ad baptismum paruulorum noster sermo deductus est, & quia iam prolixius erat, & de illo terminando cogitabatur, non tanta dicta sunt de tanta quæstione, quanta in periculo tanto à solicitis dici debuerunt. Solicitos autem nos facit, non ipsa sententia iam olim in ecclesia catholica summa authoritate fundata, sed disputationes quorundã quæ modo crescere & multorum animos euertere moliuntur. Hodie ergo adiuuante domino, placuit nobis hinc loqui. Diem quidem solẽnem martyris celebramus, sed maior causa est omnium fidelium quàm tantũmodo martyrum. Non enim om
B nes fideles etiam martyres, sed ideo illi martyres, quia fideles. Videamus ergo quid ab eis proponatur, quid eos mouet, quoniam & de ipsis non tam refellendis quàm sanãdis cogitare debemus. Concedunt paruulos baptizari oportere. Non ergo quæstio est inter nos & ipsos, utrum paruuli baptizandi sint, sed de causa quæritur quare baptizãdi sint. Hoc ergo quod cõceditur, sine ulla cũ illis dubitatione teneamus. Baptizandos esse paruulos nemo dubitet, quando nec illi hinc dubitant, qui ex parte aliqua cõtradicunt. Sed nos dicimus eos aliter salutem & uitam æternam non habituros, nisi baptizentur in Christo, illi autem dicunt non propter salutem, nõ propter uitam ęternam,
C sed propter regnum cœlorum. Quid sit hoc dum exponimus ut possumus, parum per attẽdite. Paruulus, inquiunt, & si non baptizaretur, merito innocẽtiæ, eo quod nullum habeat omnino nec proprium nec originale peccatum, nec ex se, nec de Adam tractum, necesse est, aiunt, ut habeat salutem, & uitam æternam, etiam si non baptizetur: sed propterea baptizandus est, ut intret etiam in regnum dei, hoc est, in regnum cœlorum. Si discutiendum est hoc, discutiendum est propter illos, nos propter nos, Fratres enim nostri sunt, permoti sunt profunditate quæstionis, sed regi debuerũt gubernaculo authoritatis. Cũ enim dicunt nõ esse baptizandos, salutis & uitæ æternæ percipiendæ causa, sed tantummodo regni cœlorum, & regni dei: baptizandos quidem fatentur, sed non pro-
D pter uitam æternam, sed propter regnum cœlorum. Quid de uita æterna? Habebunt, inquiunt. Quare habebunt? Quia nullum peccatũ habent, & ad damnationẽ pertinere non possunt. Ergo est æterna uita extra regnũ cœlorũ? Primus hic error auersandns ab auribus, extirpandus à mentibus. Hoc nouũ in ecclesia prius inauditũ est, esse uitam æternã præter regnũ cœlorũ, esse salutẽ æternam præter regnum dei. Prius uide frater, ne forte hinc cõsentire nobis debeas, quisquis ad regnũ dei nõ pertinet, eũ ad damnationẽ sine dubio pertinere. Venturus est dñs, & iudicaturus de uiuis & mortuis, sicut euangeliũ loquitur, duas partes facturus est, dexterã, & sinistrã. Sinistris dicturus, Ite in ig- Matt.25
nẽ æternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Dextris dicturus, Venite benedicti patris mei, p-
cipite regnũ q̃d uobis paratũ est ab origine mũdi. A
Hanc regnũ nominat, hanc cum diabolo damna-
tionẽ, Nullus relictus est medius locus, ubi pone-
re queas infantes. De uiuis & mortuis iudicabit̃,
alij erunt ad dextrã, alij ad sinistrã, non noui aliud,
Qui inducis medium, recede de medio, nõ te offẽ
dat qui dexterã quærit, & teipsum admonet, rece-
de de medio, sed noli in sinistrã. Si ergo dextera e-
rit, & sinistra, & nullum mediũ locum in euãgelio
nouimus, ecce in dextera regnũ cœlorũ est, Perci
pite, inquit, regnũ. Qui ibi non est, in sinistra est.
Quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum. In de-
xtera ad regnum utique æternum, in sinistra in ig-
nem æternum. Qui non in dextra, proculdubio in
sinistra. Ergo qui non in regno, proculdubio in
ignem æternum. Certe habere non potest uitam B
æternã qui non baptizatur, non erit in dextra, id
est, in regno non erit. Vitam æternam computas
ignem sempiternũ? Et de ipsa uita ęterna audi ex-
pressius, quia nihil aliud est regnũ quàm uita æter
na. Prius regnum nominauit, sed in dextris, ignem
æternum in sinistris. Extrema autem sententia ut
doceret quid sit regnum & quid sit ignis æternus,
Tunc, inquit, abibunt isti in cõbustionẽ æternam,
iusti autem in uitam æternam. Ecce exposuit tibi
quid sit regnum, & quid sit ignis æternus, ut quã-
do confiteris paruulum non futurum in regno, fa-
tearis futurum in ignem æternum. Regnum enim
cœlorum est uita æterna. Nec aliud etiam Paulus
Apostolus, cum terreret homines, non paruulos C
non baptizatos, sed scelestos, facinorosos, cõtami
natos, perditos: nõ eos terruit quod erunt in igne
sempiterno, quò sine dubio ibũt si nõ corrigunt̃:
sed tantum terruit, quia in regno nõ erunt: ut cum
uiderint se perdere spem regni, non uiderent esse
1 Cor. 5 consequens, nisi pœnam ignis æterni. Nolite, in-
quit, errare, neq; fornicatores, neq; idolis seruien-
tes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorũ con
cubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq;
maledici, neq; rapaces regnũ dei possidebũt. Nõ
dixit, illi & illi, tales & tales igni æterno torquebũ
tur, sed regnũ dei nõ possidebũt. Subtracta dexte
ra, nõ remanebit nisi sinistra. Vnde aũt euadũt ab
igne sempiterno, nõ ob aliud nisi quia erunt in re-
gno. Sequitur, Et hæc quidem fuistis, Et unde iam
non sunt? Sed abluti estis, sed sanctificati estis in
nomine domini nostri Iesu Christi, et in spiritu dei D
nostri. In nomine domini nostri Iesu Christi. Non
enim est aliud nomen sub cœlo, in quo oportet sal
uos fieri omnes, pusillos cum magnis. Si autem sal
uos fieri oportet nos in hoc nomine, sine hoc no-
mine proculdubio nec salus erit quę sine Christo
promittitur paruulis. Pace eorum dicam, qui cui-
quam salutem promittit sine Christo, nescio utrũ
ipse salutem habere possit in Christo. Deinde quę
rimus ab eis. Quod si aliquis dicat, paruulos me-
rito innocentiæ suæ, sicut dicitis, atque immunita
tis ab omni delicto, non solum habituros salutem
& uitam æternam, sed & regnum dei: unde apud
uos definitũ certumq; est, sine baptismo regnum
dei non habituros paruulos: ut diuideretis eis pro
arbitrio uestro nõ adiutores paruulorum, sed op-
pressores miserorũ, ut diuideretis eis ꝓ arbitrio ue
stro, & daretis eis salutẽ & uitã ęternam præter re
gnũ cœlorũ? Alius beneuolẽtior uobis & miseri-
cordior, & ut putatis iustior, totũ eis dabit, & uitã
æternã, & regnũ cœlorũ. Istum quõ superabitis?
quoniam uos aliquãdo contra euidentissimã au-
thoritatem ratio humana delectat, proferte ipsam
regulam rationis uestræ, & asserite quantis uirib.
ualueritis, unde deuincat̃ iste, qui paruulis ꝓpter
merita innocentiæ, propter nullã sicut dicitis cul-
pam, hoc est, originale peccatũ, dare uoluerit etiã
non baptizatis, nõ solum uitã ęternam, uerũetiam
regnum cœlorũ. Istum uincite. Ego sine præiudi-
cio partes huius parũper suscipio, & dicam quod
ipse non sentio, sed admoneo uos, ut acriorem ad
uersarium uideatis. Ecce existit nescio quis & di-
cit. Paruulus non habens ullũ omnino peccatum,
nec quod sua uita cõtraxit, nec quod de uita primi
parentis traxit, habebit & regnũ cœlorũ, & uitam
æternã. Respondete, uincite homin ẽ resistentem
uobis, qui aliter diuiditis. Vos enim dicitis, Vitã
quidem habebit iste non baptizatus æternam, sed
non habebit regnum cœlorum. Ille contra. Immo
& uitam & regnum cœlorum. Quare enim patri-
monium regni cœlorum abripis innocẽti? A quo
regnum cœlorum non acquiritur, profecto ma-
gno bono fraudat̃. Quæ est ista iustitia? Dic qua-
re. Quid offendit paruulus non baptizatus, nul-
lam habens culpam, nec suam, nec de parente tra
ctam? Quid offendit, dic mihi, ut non intret in re-
gnum cœlorum, ut separaretur à sorte sanctorum,
ut sit exul à societate angelorum? Videris enim ti
bi misericors, quia nõ aufers ei uitã, damnas tamẽ
quem separas à regno cœlorum. Damnas, nõ eum
percutis, sed in exilium mittis. Nam & qui exulan
tur, uiuunt, si sani sunt, in doloribus corporis non
sunt, nec torquentur, non carceris tenebris affli-
guntur, hæc illis sola pœna est non esse in patria.
Si amatur patria magna pœna, si autem non ama-
tur patria, peior est cordis pœna. Paruum malum
est in hominis corde, qui societatem non quærit
sanctorum, qui non desiderat regnum cœlorum?
Si non desiderat, pœna est de peruersitate: si au-
tem desiderat, pœna est defraudata charitate. Sed
si, quod uis, parua sit pœna, & ipsa parua magna
est, si nulla culpa est. Hic defende iustitiam dei.
Quare uel parua pœna infligitur innocẽti, in quo
nullum inuenitur omnino peccatum? Dic contra
istum aduersarium, qui in paruulis nõ baptizatis,
misericordia & iustitia maiore q̃ tu, dare uult non
solum uitam æternam, uerumetiam regnum cœlo
rum. Responde si potes, sed rationem affer, hac e-
nim te gloriari delectat. Ego istam quęstionẽ pro
fundã sentio, & ad eius fundum rimandũ uires me
as idoneas non agnosco. Libet me & hic exclama Rom. 5
re quod Paulus, O altitudo diuitiarum. Paruulus
non baptizatus pergit in damnationem. Apostolo
enim uerba sunt, Ex uno in cõdemnationẽ. Nõ
satis inuenio dignã causam, quia nõ inuenio, non
quia

quia nõ est. Vbi ergo nõ inuenio in profundo pro
fundũ, attendere debeo humanã infirmitatẽ, non A
damnare diuinã authoritatẽ. Ego prorsus excla-
mo nec me pudet, O altitudo diuitiarũ sapientiæ
& scientiæ dei, q̃ inscrutabilia sunt iudicia eius, &
inuestigabiles uiæ eius, Quis enim cognouit sen-
sum dñi, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis pri
or dedit illi, & retribuetur ei? Quoniã ex ipso, &
per ipsum, & in ipso sunt omnia, Ipsi gloria in secu
la seculorũ, Amen. Ego infirmitatẽ meam his uer-
bis munio, & in hac cautela circũseptus, aduersus
sagittas ratiocinationũ tuarũ muratus assisto. Sed
tu bellator, hoc est fortis ratiocinator, huic respon
de qui tibi dicit, Prorsus innocens paruulus, & im
munis ab omni peccato, & proprio & originali,
non solam uitam æternam habebit, sed etiam re-
gnum cœlorũ. Hoc est iustũ. Qui nihil mali habet B
quare aliquid boni nõ habet? Sed scio inquis. Vn
de scis? Quia dñs dixit. Tandem uenisti. Non er-
go quia tu ratiocinaris, sed quia dñs dixit. Laudo
hoc planè, quia sanum est: sicut homo non inueni
sti rationem, fugis ad authoritatẽ, Approbo, pror
sus approbo. Bene facis, non inuenis quid respon
deas, ad authoritatẽ fuge, nõ ibi te persequor, non
inde expello, imò fugientẽ recipio & amplector.
Profer ergo authoritatẽ, stemus in ea simul cõtra
cõmunẽ inimicũ. Quia em̃ paruulus non baptiza
tur, nõ intrat in regnũ cœlorum, & tu dicis & ego.
Illi igitur cõmuni aduersario qui dicit non bapti-
zatum paruulum intraturũ in regnum cœlorum,
resistamus ambo, & aduersus eius insidiosissima
iacula scutum fidei proferamus. Cedant paulisper C
coniecturæ rationis humanæ, assumantur arma di
Ephes. 6 uina. Assumite, inquit Apostolus, armaturam dei.
Ecce simul dicamus huic homini. Christianus es?
Christianus, inquit. Audi euangelium qui uis non
baptizatos paruulos mittere in regnum cœlorũ,
Ioan. 3 audi euangelium, Nisi quis renatus fuerit ex aqua
& spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorũ.
Domini sentẽtia est, huic non resistit nisi nõ Chri-
stianus. Repulsus est ille, remanet mihi tecũ cer-
tamen, & forte unde uicisti bono illius, inde bono
uinceris tuo. Nam quẽ uicisti, si durus non est do-
cuisti. Noli ergo esse durus & tu, simul timeamus
interim sententiam istam, Nisi quis renatus fuerit
ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum
cœlorũ. Ideo, inquis, paruulo non baptizato polli
ceri regnũ dei non possum, contra dñi sententiam
apertã. Ecce quare dico, regnũ dei nõ habebunt,
Ecce quare dico, ideo baptizãdi sunt ut habeant
regnũ dei. Ideo dicis? Ideo inquit. Vide tamẽ pro-
pter illa quæ supra diximus, ne forte non inuenias
uitã æternã præter regnũ dei. Multum em̃ aperta
sunt dicta de duab. illis partibus, dextra & sinistra.
ubi nullũ in medio dedit locum uitæ sine regno.
Parũ te hoc corrigit, parũ admonet, ipsam mecum
lectionẽ unde hanc sententiã protulisti paululum
aduerte. Dixisti em̃ te ideo regnũ cœlorum non
baptizatis pueris nolle promittere, quia sententia
dñi aperta est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua &
spiritu, non intrabit in regnũ cœlorũ. Non ibi ad-
uertisti cum quæreret Nicodemus quõ ista fierẽt,
id est quõ renascerẽt̃ homo, quomodo denuo na-
sceretur, quoniã non potest utiq; iterum introire
in uterum matris, & denuo nasci, quid audierit à
dño, quid audierit à magistro bono, quid audierit
error à ueritate? Inter cætera em̃ ostẽdens quẽad-
modum fiat, etiã similitudinẽ posuit, sed prius ait,
Nemo ascẽdit in cœlũ, nisi qui descendit filius ho
minis qui est in cœlo. In terra erat, & in cœlo se es-
se dicebat, & quod est maius in cœlo filiũ homi-
nis: ut unam demonstraret in utraq; natura perso-
nam: & in eo quod dei filius erat ęqualis patri, uer
bũ dei in principio deus apud deũ: & in eo q̃d fili-
us hominis erat, assumẽs animã humanã & carnẽ
humanã, & indutus hominẽ exiens ad homines:
quia in hoc utroq; non duo Christi sunt, nec duo fi
lij dei, sed una persona, unus Christus dei filius,
idemq; unus Christus, nõ alius filius hominis, sed
dei filius secundũ diuinitatẽ, hominis filius secun-
dum carnẽ. Quis aũt nostrum qui parum aduerti-
mus, aut parum sapimus, non potius ita uellet di-
stinguere, filius dei in cœlo, et filius hominis in ter
ra? Sed ne sic diuideremus, & ita diuidendo duas
personas induceremus, Nõ ascẽdit in cœlũ, inq̃t,
nisi qui de cœlo descendit, filius hominis. Filius er
go hominis descẽdit de cœlo? Nõne filius homi-
nis in terra factus est? Nõne filius hominis ꝓ Mari
am factus est? Sed ô homo, noli, inq̃t, separare, quẽ
uolo copulare. Parũ est quia filius hominis descẽ-
dit, Christus em̃ descẽdit, idẽq; filius hominis qui
filius est dei, sedet in cœlo, qui ambulat in terra. In
cœlo erat, quia ubique Christus, idemq; Christus
& filius dei, & filius hominis. Propter unitatẽ per
sonæ in terra filius dei, propter eandem unitatem
personę esse probauimus in cœlo filium hominis,
ex his uerbis domini, Filius hominis, inq̃t, qui est
in cœlis. Propter unitatem personæ, nónne in ter-
ra constituto atque conspicuo Petrus dicit, Tu es Matt. 16
Christus filius dei uiui? Ergo discat Nicodemus
quomodo fiat illud quod ei minus intelligenti,
incredibile, & quasi impossibile uidebatur, Ne-
mo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descen-
dit. Omnes autem qui renascuntur, utique ascen
dunt in cœlum, cæterorum nemo prorsus. Et o-
mnes qui renascuntur per gratiam dei ascendunt
in cœlum, & nemo ascendit in cœlum, nisi qui de
D cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo.
Vnde hoc? Quia omnes qui renascuntur, mem-
bra ipsius fiunt, & solus Christus de Maria natus
unus est Christus, & cum corpore suo caput unus
est Christus. Hoc ergo dicere uoluit, Nemo ascen
dit nisi qui descendit, Non ergo ascendit nisi Chri
stus. Si uis ascẽdere, esto in corpore Christi. Si uis
ascendere, esto membrum Christi. Sicut enim in
uno corpore multa membra habemus, omnia au
tem membra corporis cum sint multa, unum est
corpus: sic & Christus, qui caput & corpus Chri
stus. Et quomodo fit hoc, adhuc quæramus, La-
tet quæstio, exaltatur illa profunditas. Christus
peccatum non habet nec originale traxit, nec su-
um addidit, extra uoluptatẽ carnalis libidinis ue-
nit, non

nit,nõ ibi fuit cõplexus maritalis, de uirginis corpore nõ assumpsit uulnus, sed medicamentũ, non assumpsit q̃d sanaret,sed unde sanaret. Quantum ad peccatũ pertinet dico. Solus ergo ille sine peccato,quõ erunt membra eius,quorum nullus est sine peccato? Quomodo? Audi similitudinẽ quæ sequitur. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto,ita oportet exaltari filiũ hominis, ut qui credit in eum,non pereat,sed habeat uitam æternam. Vnde tibi nõ uidebatur peccatores homines posse fieri membra Christi,id est, illius, qui nullũ omnino haberet peccatũ? Serpentis morsu mouebaris:ideo crucifigit Christus, ideo fundit sanguinẽ Christus in remissionem peccatorum, quia propter peccatũ,id est, serpentis uenenum, Sicut exaltauit Moyses serpentem in eremo unde sanaretur qui in illo deserto à serpentibus mordebantur, & illum exaltatum attendere iubebantur, & quisquis attenderet sanabatur: sic oportet exaltari filium hominis,ut omnis qui credit in eum,id est,qui attendit exaltatum,qui non erubescit crucifixum, qui in cruce Christi gloriatur, non pereat, sed habeat uitam æternã.Non pereat. Vnde? Credendo in eum. Vnde non pereat? Attẽdendo exaltatum, alioquin perisset,Hoc est, Omnis em̃ qui credit in eum,nõ pereat, sed habeat uitam æternã. Profers paruulũ mihi,& iubes ut attendat exaltatũ, quem negas habere serpentis uenenum. Imo si faues ei, si mouet te innocentia in uita propria, noli negare tractũ aliquẽ reatũ de uita prima, non sua sed parentis sui primi.Noli negare, confitere uenenum, ut poscas medicamentũ,aliter non sanatur. Aut ut quid ei dicis ut credat? Hoc enim respondetur à portante paruulum. Ad uerba aliena sanatur,quia ad factum alienum uulneraẽ. Credit in Iesum Christum,fit interrogatio,respondit,credit. Pro non loquente,pro silente, flente, & flendo quodãmodo ut subueniatur orante,respondetur & ualet. An etiam hoc serpens ille persuadere conatur, quia nõ ualet? Absit à corporibus qualium cumq̃ Christianorum. Ergo respodetur & ualet, Conspiratione quadã cõmunicat spiritus, credit in altero, quia peccauit in altero. An uero inuenit uitã præsentis seculi, quẽ parturiuit infirmitas, & non inuenit uitam futuri seculi, quem parturiuit charitas? Ergo Moyses exaltauit serpentem in eremo, ut omnis à serpente percussus intueretur exaltatum, & sanaretur. Adam primus accepit morsum serpentis cũ ueneno, Ergo natus est in carne peccati, fit saluus in Christo, per similitudinem carnis peccati. Misit enim deus filium suum, non in carne peccati, sed sicut sequitur qui scribit, In similitudine carnis peccati, quia non de complexu maritali, sed de utero uirginali. Misit in similitudinẽ carnis peccati. Vt quid hoc? Vt de peccato damnaret peccatũ in carne, de peccato peccatũ, de serpente serpentẽ. Sed de similitudine, qua in Christo nullum peccatum, sed sola similitudo carnis peccati. Ideo exaltatus est serpens, sed æreus. Exaltata est similitudo carnis peccati, ut sanareẽ origo peccati, quia misit deus filiũ suum in similitudinem carnis peccati, non

Ioan.3

in similitudinẽ carnis. Nã uera caro est, sed in similitudinẽ carnis peccati, q̃a mortalis caro sine ullo omino peccato, ut de peccato ꝓpter similitudinẽ dãnaret peccatũ in carne, propter uerã iniquitatẽ. Vera iniquitas in Christo non fuit, sed mortalitas in illo fuit. Peccatũ nõ suscepit, sed pœnam peccati suscepit, Suscipiendo sine culpa pœnã, & pœnã sanauit & culpã. Ecce quõ fiunt ista. Quod admiratus Nicodemus dixerat. Quõ possunt ista fieri? Sic em̃ sanamur, non quia meremur. Ecce quõ fiunt ista. Modo ubi mihi paruulos ponis. Iam dicis nullo ueneno sauciati sunt, Aufer eos à cõspectu exaltati serpentis. Si aũt nõ aufers, sanandos dicis, uenenatos confiteris. Deinde ipse dñs in eodẽ sermone ad Nicodemum non audistis quid dixerit, cum eadem lectio hodie legeretur? Qui credit in eum non iudicatur, qui aũt non crediderit, iam iudicatus est. Et hic queris medium homo de medio & disputas, & attẽderis, nec attẽdis, qui credit in eum non iudicatur, qui aũt non crediderit, iam iudicatus est. Quid est aũt, iam iudicatus est? Damnatus est. Nam iudicium pro damnatione plerũq̃ poni nostis, scripturæ testes sunt, maxime illo nouo testimonio apertissimo, cui nemo est qui contradicat. De resurrectione cum ageret dominus, Qui bene fecerunt, inquit, in resurrectionem uitę, qui male egerunt, in resurrectionem iudicij: utiq̃ iudicium pro damnatiõe posuit, & tu aliter audes disserere aut credere? Qui non credit, iam iudicatus est. Alio loco, Qui credit in filium, habet uitã æternam, quam tu paruulis promittebas non baptizatis. Qui credit in filium, habet uitam æternã, Sed habet, inquit, & qui non credit paruulus, quã uis non habeat regnũ dei. Sed uide quod sequitur. Qui aũt incredulus est filio, non habet uitam, sed ira dei manet super eum. Vbi ponis paruulos baptizatos? Profecto in numero credentium. Nam ideo & consuetudine ecclesiæ antiqua canonica fundatissima, paruuli baptizati fideles uocantur, Et sic de his quęrimus, Iste infans Christianus est? Respondeẽ, Christianus. Catechumenus, an fidelis? Fidelis utiq̃ à fide, fides à credẽdo. Inter credẽtes igitur baptizatos paruulos numerabis, nec iudicare ullo modo aliter audebis, si nõ uis esse apertus hæreticus. Ergo ideo habent uitam æternam, quia qui credit in filiũ, habet uitã æternã. Noli eis sine ista fide, & sine isto sacramẽto huius fidei promittere uitam æternam. Qui aũt incredulus est filio, & qui non credit in filiũ, nõ habet uitã, sed ira dei manet super eum. Nõ dixit, ueniet super eum, sed manet super eum. Respexit originem cum ait, Ira dei manet super eum. Quam respiciẽs & Apostolus dixit: Fuimus & nos aliquando natura filij irę. Nõ accusamus naturã, Naturę author deus est. A deo bona est instituta natura, sed per malam uoluntatẽ à serpẽte uitiata est, ideo q̃d fuit in Adã culpæ nõ naturæ, nobis propagatis factũ est iam naturæ. Ab hoc uitio naturæ cum quo nascatur homo, non liberat nisi qui natus est sine uitio. Ab hac carne peccati nõ liberat, nisi ille qui natus est sine peccato per similitudinem carnis peccati. Ab hoc

Ioan.5

Eph.2

ueneno

ueneno serpentis, non liberat nisi exaltatio serpẽtis. Quid ad hæc dicis? Satis ne hoc est? Est unum aliquid acutissimũ, quod ab eis profertur. Paululũ attendite. Cum cœperint urgeri uerbis Apostoli dicentis, Per unũ hominẽ peccatũ intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerũt: quæ uerba nescio quis non intelligat, in quibus uerbis nescio utrum quisquã expositorem requirat: conantur respondere & dicere, ideo dictũ hoc ab Apostolo, quia primus peccauit Adam, & qui postea peccauerũt, illũ imitando peccauerunt. Hoc quid est aliud, quàm conari tenebras aperto lumini offundere? Peccatum per unum hominem intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Propter imitationem dicis, quia primus peccauit Adam. Respondeo prorsus, non primus peccauit Adam. Si primum peccatorem requiris, diabolum uide. Sed humani generis massam uolens ostẽdere Apostolus de origine uenenatam, ideo eum posuit unde nati sumus, nõ eum quem imitati sumus. Dicitur quidem & pater tuus, quem fueris imitatus. Filij mei quos iterum parturio. Qui itidem dicit, Imitatores mei estote. Et propter istam imitationem dicitur impijs, Vos à patre diabolo estis. Nã constat hic in catholica fide, quod diabolus nec generauit nostram naturam nec condidit, sola in illa seductio est præcedentis, imitatio consequentis. Deniq̃ quomodo dictum est de Adam, in quo omnes peccauerunt, legatur mihi alicubi, omnes in diabolo peccauerunt. Aliud est illo præcedente & seducẽte peccare, aliud in illo peccare, Quia secundum propaginem carnis in illo eramus omnes antequàm nati essemus tanquàm in parente, tanquàm in radice ibi eramus, sic uenenata est ista arbor, ibi eramus. Nam quia ad diabolum, hoc est, principem peccati, & uere primũ peccatorem nõ pertinet origo, sed imitatio, cum de illo scriptura loqueretur, Inuidia, inquit, diaboli, mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius. Imitando eum fiũt ex parte ipsius. Nunquid dictum est, in illo peccauerũt? Cum uero de Adam diceretur, propter originem, propter posteritatem, propter propaginem uiscerum, In quo omnes, inquit, peccauerũt. Nam si propterea primus constitutus est Adam, quia primus peccauit, tanquam in exemplo sit, nõ in origine, ut quidtam in longinquo, post tam prolixa tempora contra Adam quæritur Christus? Si omnes peccatores ad Adam propterea pertinẽt, quia primus peccator, omnes iusti debuerunt ad Abel pertinere, quia primus iustus. Quare Christus quæriẽ? Quia in Adam damnata est generatio, in Christo quæriẽ regeneratio. Proinde nemo nos fallat. Scriptura euidens est, autoritas fundatissima est, fides catholicissima est. Omnis generatus damnatus, nemo liberatus, nisi regeneratus, Vnde & alteri uersutiæ illorum iam uos instructi, respondete charissimi. Quando dicunt & paruulos turbãt, si de peccatore peccatores nati sunt, quare non de baptizato iam fideli, cui remissa sunt omnia peccata iusti nascunẽ? Cito respondete, Ideo de baptizato non iustus nascitur, quia non eum generat unde regeneratus est, sed unde generatus est. De Christo dictum est, Mortificatus carne, uiuificatus spiritu: sic de homine dici potest, Tabefactus carne, iustificatus spiritu. Quod nascitur de carne, caro est. Quæris ut de iusto iustus nascatur, cũ uideas, iustũ esse nisi regeneratũ omnino non posse, Nec attendis dñi sentẽtiã, quã tu ipse in ore habes, Si quis nõ renatus fuerit ex aqua et spiritu. Puto quia nõ hoc factũ est in cõcubitu. Miraris quare peccator nascaẽ de semine iusti, non te delectat mirari quare oleaster nascaẽ de semine oliuæ? Accipe aliã similitudinem. Iustũ baptizatũ, pone granũ purgatũ. Non attendis, quia de grano purgato frumentũ cũ palea nascitur, sine qua seminaẽ? Deinde cum sit in propagine natorũ generatio carnalis, in ꝓpagine renatorũ spiritalis generatio, uis ut de baptizato baptizatus nascaẽ, cum uideas de circumciso non nasci circũcisum? Carnalis est certe ista generatio, & carnalis est circũcisio, & tamen de circũciso nõ nascitur circũcisus: sic ergo de baptizato non potest nasci baptizatus, quia nemo renatus, antequã natus. Aliud eorũ quasi acutissimũ. Sed quid acutum non obtundit scuto ueritatis? Aliud dicũt, uidete quale. Si Adam, inquiunt, nocet his qui non peccauerunt, ergo et Christus prodesse debet etiã his qui nõ crediderunt. Videtis certe q̃ hoc acutũ sit contra ueritatem, audite quantũ adiuuet ueritatem. Qui enim hoc dicit, nihil aliud dicit, nisi Christum nihil prodesse non credentibus. Hoc est uerum. Quis non accipiat? Quis non cõsentiat, quia Christus non credentibus nõ prodest, credẽtibus prodest? Sed dic mihi obsecro te. Paruulis baptizatis Christus aliquid prodest, an nihil ꝓdest? Necesse est ut dicat prodesse. Premit mole matris ecclesiæ, forte quidẽ uellent hoc dicere. Nam ratiocinationes eorum ad hoc uidentur cõpellere, sed autoritate reprimũtur ecclesiæ, ne non dicam sputis hominum obruantur, sed ipsorum infantiũ lachrymis tanquam fluuio pertrahãtur. Si enim dixerint nihil prodesse Christum baptizatis infantibus, nihil aliud dicunt q̃ superfluo baptizanẽ infantes. Vt aũt non superfluo baptizenẽ, quia hoc dicere non audẽt, prodesse Christũ baptizatis infantibus confitenẽ. Si ꝓdest baptizatis, quæro quibus prosit, credentibus an nõ credentibus? Eligant quod uolunt. Si dixerint non credentibus, ubi est ergo q̃d calũniabaris, quia Christus nõ credentib. prodesse nõ potest? Ecce tu cõfiteris prodesse infantibus, non tamen credẽtibus. Ad quod libet prodest? Non putas ad uitã ęternam? Non putas ad salutem æternã? Ad ipsum regnũ cœlorũ percipiendum? Vtiq̃ prodest Christus paruulis baptizatis. Prodest ergo nõ credentibus? Sed absit, ut ego dicã nõ credẽtes infantes. Iã superius disputaui, credit in altero, qui peccauit in altero, diciẽ credit & ualet, & inter fideles baptizatos cõputaẽ. Hoc habet autoritas matris ecclesię, hoc fundat? ueritatis obtinet canõ, cõtra hoc robur, cõtra hũc inexpugnabilem

1 Pet.3

2.sent.dist. 30.ca.hoc autem

Sap.2

gnabilem murũ quiſquis arietat, ipſe cõfringitur. Ergo prodeſt Chriſtus aliquid infantibus baptizatis, & ſicut ego doceo, & ſicut mecum tota eccleſia dicit credentibus prodeſt, fidelibus prodeſt, tu quod uis elige. Volo quidẽ ut quod uerius eſt, eligas, ut nobiſcum dicas quia credentibus prodeſt. Sed ſi dixeris, non credentibus prodeſt, contra te dixiſti. Si dixeris, credentibus prodeſt, mecum dixiſti. Elige utrũ contra te dicas, quod falſum eſt, an mecum dicas quod uerũ eſt. Tu enim paulo ante dicebas, Chriſtũ non credentibus nihil prodeſſe, uolens efficere quia ſic & Adam nõ peccantibus nihil nocuit, quomodo Chriſtus non credentibus nihil prodeſt. Ecce iam fateris infantibus non credentibus baptizatis aliquid prodeſſe Chriſtum. Sed ſi credentibus dicis, bene dicis, mecum dicis, credũt & infantes. Vnde credunt? Quomodo credunt? Fide parentũ, Si fide parentum purgantur, peccato parentum polluti ſunt. Corpus mortis in primis parentibus generauit eos peccatores, ſpiritus uitæ in poſterioribus parentibus regenerauit eos fideles. Tu das fidem non reſpondenti, & ego peccatũ nihil agẽti. Sancti, inquit, de ſanctis naſci
1 Cor. 7 debuerũt, quia ſicut dicit Apoſtolus, Alioqui filij
A ueſtri immundi eſſent, nũc aũt ſancti ſunt. Et quomodo hoc accipis? Quomodo intelligis de fidelibus natum ita ſanctum, ut baptizari non debeat? Quomodo libet accipias iſtam ſanctitatem. Multi enim modi ſunt ſanctitatis, & multi modi ſunt ſanctificationis. Non enim omne quod ſanctificatur, ad regnũ cœlorum mittitur. De eſca noſtra di
1. Tim. 4 xit Apoſtolus, Sanctificatur per uerbũ dei & oratio-
C nẽ. Nunquid quia eſca noſtra ſanctificatur, nõ ſcimus quò mittat? Diſce ergo eſſe aliquem modum, & quaſi umbraculũ quoddã ſanctificationis quod non ſufficiat ad perceptionẽ ſalutis. Diſtat, & quid diſtet deo notũ eſt. Tamen cum filio fidelium curratur ad baptiſmũ, non ſic errent parentes, ut putent eum iam fidelem natũ. Natum enim poſſint dicere, non renatũ. Nam ut noueris quomodo intelligas ſanctificatos filios fideliũ, ut modo non quærã, quia longum eſt, modũ ſanctificationis huius, ibi & maritũ habes infidelem, ibi habes & uxorẽ fidelẽ. Sanctificatur, inquit, uir fidelis in uxore, ſanctificatur mulier infidelis in fratre. Nunquid quia eſt ibi forte modus aliquis ſanctificationis, ut uir infidelis ſanctificet in uxore fideli,
D ideo iam ſecuritatem debet accipere, quòd in regnum cœlorũ intraturus eſt, & non baptizandus, non regenerãdus, non Chriſti ſanguine redimendus? Quomodo ergo ſanctificatur uir infidelis in uxore, & tamen perit, niſi baptizetur, ſic filij fidelium, & ſi ad quendã modum ſanctificati, pereunt tamen ſi non fuerint baptizati. Rogo uos ut paululum acquieſcatis. Lego tantum. Sanctus Cypria nus eſt, quem in manus ſumpſi, antiquus epiſcopus ſedis huius, quid ſenſerit de baptiſmo paruulorum, imo quid ſemper Eccleſiam ſenſiſſe monſtrauerit, paululum accipite, Parum eſt enim quia iſti diſſerunt & diſputant neſcio quas impias noui tates, & nos conantur arguere, quod aliquid nouum dicamus. Ad hoc ego lego ſanctum Cypria-
A num, ut uideatis quomodo ſit intellectus canonicus, & catholicus ſenſus in his uerbis, quæ paulo ante tractaui. Interrogatus eſt, utrum infans baptizari debeat ante octauum diem, quia in ueteri lege non licebat circumcidi infantem, niſi octauo die. Quæſtio inde erat nata de die baptizãdi, nam de origine peccati nulla erat quæſtio, & ideo ex ea re, unde nulla erat quæſtio, ſoluta eſt exorta queſtio. Sanctus Cypianus dixit inter cętera quę ſuperius dixit. Propter quod neminem putamus ad gratiam conſequendam impediendum eſſe à lege quæ iam ſtatuta eſt, nec ſpiritalem circumciſionem impediri carnali circũciſione debere, ſed omnem omnino admittendum eſſe ad gratiam
B Chriſti, quando & Petrus in actibus Apoſtolorum loquatur & dicat, Deus mihi dixit neminem hominem communem dicendum & immũdum. Cæterum ſi homines impedire aliquid ad conſecutionem gratiæ poſſit, magis adultos & prouectos, & maiores natu poſſint impedire grauiora peccata. Porro autem etiam grauiſſimis delictoribus & in dominum multum ante peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſio peccatorum datur, & à baptiſmo atq; gratia nemo prohibetur: quanto magis non debet prohiberi infans, qui recens natus nihil peccauit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit: qui ad remiſſam peccatorum accipiendã, hoc ipſo facilius accedit, quod
C illi dimittuntur non propria, ſed aliena peccata. Videte quemadmodum de hac re nihil dubitans, ſoluit illam unde dubitabat. Hoc de fundamento Eccleſiæ ſumpſit, ad confirmandum lapidem nutantem. Impetremus ergo, ſi poſſumus, à fratribus noſtris, ne nos inſuper appellent hæreticos, quòd eos talia diſputantes nos, appellare poſſimus forſitan ſi uellemus, nec tamẽ appellamus. Suſtineat eos mater piis uiſceribus ſanandos, portet docendos, ne plangat mortuos. Nimium eſt quò progrediuntur, multum eſt, uix ferendum eſt, magnæ patientiæ adhuc ferri. Non abutantur hac patientia eccleſiæ, corrigantur bonum eſt, ut amici exhortamur, non ut inimici litigamus. Detrahũt nobis, ferimus, canoni detrahunt, ueritati non detrahãt,
D Eccleſiæ ſanctæ pro remiſſione peccati originalis paruulorum quotidie laboranti non contradicãt. Fundata iſta res eſt, ferendus eſt diſputator errans in aliis queſtionibus non diligenter digeſtis, nondum plena eccleſiæ autoritate firmatis: ibi ferendus eſt error, non tãtum progredi debet, ut etiam fundamentum ipſum Eccleſiæ quatere moliatur. Non expedit, adhuc forte noſtra nõ eſt reprehendenda patientia, ſed debemus timere ne culpetur etiam negligentia. Sufficiat charitati ueſtræ, habete illos qui noſtis illos, habete cum illis amice, fraterne, placide, amanter, dolenter, quicquid poteſt faciat pietas, quia poſtea diligenda nõ erit impietas. Conuerſi ad dominum.

De

Phil. 2 De uerbis Apoſtoli, Nos enim ſumus circumci
ſio, qui ſpiritui dei ſeruimus. Sermo XV

A D apoſtolicã lectionẽ aure & animo in-
A tendat ſanctitas ueſtra, adiuuãte nos af-
fectu noſtro apud dñm deũ noſtrũ, ut ea quæ illic nobis reuelare digneť, ad uos apte atq; ſalubriter proferre poſſimus. Ergo cũ legeretur, audiſtis dicentem apoſtolum Paulum, Non enim ſumus circũciſio, qui ſpiritui dei ſeruimus. Scio pleroſq; codices habere, q ſpiritu deo ſeruimus. Quãtum autem inſpicere potuimus, plures Græci hoc habent, qui ſpiritui dei ſeruimus. Sed non ibi queſtio eſt. Manifeſtum eſt enim utrunq;, & congruũ regulæ ueritatis, quia & ſpiritui dei ſeruimus, & non carne, ſed ſpiritu deo ſeruimus. Carne enim ſeruit deo, qui de rebus carnalibus ſperat ſe placere deo. Cum uero & ipſa caro ad bona opera ſpiri
B tui ſubditur, ſpiritu ſeruimus deo, quia carnẽ domamus, ut ſpiritus obtemperet deo. Spiritus enim regit, caro regitur, nec ſpiritus bene regit, ſi non regatur. Cum ergo ait, Nos ſumus circumciſio, uidere quid uoluerit intelligi in illa circumciſione, quæ in umbra data eſt ſignificante, quę remota eſt luce ueniente. Cur autem non dixerit, Nos habemus circumciſionem, ſed nos ſumus circumciſio? Sic accipite hoc uoluiſſe Apoſtolum dicere, Nos ſumus iuſtitia. Circumciſio enim iuſtitia eſt. Magis enim commendat, cum dicit dicendo nos eſſe iuſtitiam, quàm dicendo nos eſſe iuſtos, ita tamen ut cum iuſtitiã dicit, eſſe iuſtos intelligamus. Non ſumus illa incommutabilis iuſtitia, cuius participes facti ſumus, ſed quemadmodum dicitur, magna ibi iuuentus eſt, pro multis iuuenibus, ſic dicitur iuſtitia, ut intelligantur iuſti. Audite hoc ip-
2 Cor. 5 ſum euidentius, eodẽ dicente Apoſtolo, Vt nos, inquit, ſimus iuſtitia dei in ipſo. Nos ſimus iuſtitia non noſtra, ſed dei, ab illo accepta, non à nobis aſſumpta, impartita non uſurpata, donata non rapta. Cuidam enim rapina erat eſſe æqualis Dei, & quoniam quæſiuit rapinam, inuenit ruinam. Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. Cui enim æqualitas Dei natura erat, rapina non erat, ſed tamen ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, ut nos eſſemus iuſtitia Dei in ipſo. Si enim ille paupertatem uitaret, nos paupertate non careremus. Pauper enim ille factus eſt, cum diues eſſet, ut illius paupertate, ſicut ſcriptum eſt, nos ditaremur. Diuitiæ illius quid nobis facturæ ſunt, cuius paupertas nos diuites fecit? Apoſtolus ergo non tibi negauit circumciſionem, ſed expoſuit, lucem prætendit, umbram remouit. Nos ſumus, inquit, circumciſio, qui ſpiritu deo ſeruimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne fidentes. Reſpexit quoſdam in carne fidentes, ipſi erant qui de carnis circumciſione gloriabãtur. De
Philip. 3 quibus alio loco dicit, Quorum deus uenter eſt, & gloria in pudendis eorum. Intellige tu circũciſionem, & eſto circumciſio, intellige & eſto. Intellectus enim bonus, ſed omnibus qui faciunt eum. Non utiq; fruſtra octauo die iuſſus eſt infans circumcidi, niſi quia petra qua circumcidimur Chri-
A ſtus erat. Cultellis enim petrinis circũciſus eſt po-
pulus. Petra autẽ erat Chriſtus. Quare ergo octa- 1. Cor. 10
uo die? Quia in hebdomadis idem primus qui & octauus. Cõpletis enim ſeptem diebus reditur ad primum: finitus ſeptimus, dominus ſepultus, reditur ad primum, dominus reſuſcitatus. Domini enim reſuſcitatio promiſit nobis æternum diem, & conſecrauit nobis dominicum diem. Qui uocatur dominicus, ipſe uidetur propriè ad dominũ pertinere, quia eo die dominus reſurrexit. Reddita eſt petra, circũcidantur qui uolunt dicere, Nos enim
ſumus circumciſio. Traditus eſt enim propter pec Rom. 4
cata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtram. Iuſtificatio tua, circumciſio tua, non eſt à te
Gratia ſalui facti eſtis per fidem & hoc non ex uo
B bis, ſed dei donum eſt, Non ex operibus, ne forte dicas, Promerui, & ideo accepi. Nõ putes te promerendo accepiſſe, qui non promereres niſi accepiſſes. Gratia præceſſit meritum tuum, non gratia ex merito, ſed meritum ex gratia. Nam ſi gratia ex merito, emiſti, non gratis accepiſti. Pro nihilo, inquit, ſaluos facies illos. Quid eſt, pro nihilo ſaluos facies? Nihil in eis inuenis unde ſalues, & tamen ſaluas. Gratis das, gratis ſaluas. Omnia merita præcedis, ut dona tua conſequantur merita tua. Proꝛſus gratis das, gratis ſaluas, qui nihil inuenis unde ſalues, & multum inuenis unde damnes. Nos ergo, inquit, ſumus circumciſio qui ſpiritui dei ſeruimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu. Qui gloriať, in domino glorietur. Et non in carne fidentes. Et
C quid eſt fidere in carne? Audite inquit. Quanquã ego, inquit, habeam fiduciam & in carne. Si quis alius in carne putat ſe habere fiduciã, magis ego. Ne arbitremini, inquit, me hoc contemnere quod non habeo. Quid magnum eſt, ſi homo abiectus, plebeius, ignobilis, contemnat nobilitatẽ, & tunc exhibeat ueram humilitatem? Quãquam ego, inquit, habeam fiduciã & in carne, Ideo uos, inquit, doceo contemnere, quoniam uidetis me habere quod contemnam. Si quis alius in carne putat ſe habere fiduciam, magis ego. Et audi in carne fiduciam: circumciſione octaui diei, id eſt, non proſelytus, non aduena ad populũ dei, non maior circumciſus, ſed à parentibus natus Iudæus. Habeo
D circũciſionem octaui diei ex genere Iſrael, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundũ legem Phariſæus. Primarij quidem erãt, & quaſi ad nobilitatem Iudaicã ſegregati, non contemptibili plebi cõmixti, qui dicebantur phariſęi. Nam dicit hoc uerbũ, quaſi ſegregationẽ interpretari, quomodo in latina dicitur egregius, quaſi à grege ſeparatus. Fuerunt autem Iſraelitæ, id eſt ex genere Iſrael, etiam illi qui ſeparati fuerunt à templo. Remanſit aũt ad templũ tribus Iuda, & tribus Beniamin. Tribus Leui in ſacerdotibus, tribus Iuda regia, & tribus Beniamin: hoc ſolũ remanſit in Hieruſalem, & ad templũ dei, quando facta eſt ſeparatio illa in ſeruo Salomonis. Non ergo leuiter accipiatis quod ait, Tribus Beniamin inhærens Iudæ, non recedens à templo, Hebræus ex Hebræis, ſecundum

is, secundum legem pharisæus, secundum æmulationem persequens ecclesiam dei. Inter merita sua commemorat quod fuerit persecutor: secundum æmulationem, inquit. Qua æmulatione? Non eram, inquit, piger Iudæus, quicquid erat quod legi meæ aduersarium uidebatur, impatienter ferebam, acriter insequebar. Hæc apud Iudæos nobilitas, sed apud Christum quæritur humilitas. Ideo ibi iste Saulus, hic Paulus. Saulus à Saule nomen
1 Reg. 9 deriuatur. Qui fuerit Saul nostis, ipsius electa est statura procera. Sic eum describit scriptura, quod supereminens esset de omnibus, quando electus est ut ungeretur in regem. Non fuit sic Paulus, sed factus Paulus. Paulus enim paruus, ideo Paulus modicus. Ergo secundum æmulationem, inquit, persequens Ecclesiam. Hinc intelligant homines qualis apud Iudæos fuerim, qui Christi Ecclesiam persequebar æmulatione traditionum paternarũ. Addit, Secundum iustitiã quæ est in lege, qua fuerim sine querela. Nouit charitas uestra dictos esse sine querela, ambulasse in omnibus iustificationi-
Luca 1 bus domini, Zachariã & Helizabet. In omnibus, inquit scriptura, iustificationibus domini ambulasse sine querela. Ecce hoc erat & Paulus noster. Quando Saulus erat, in lege sine querela ambulabat. Et quod in eo fuit sine querela, hoc de illo faciebat magnam querelã. Quid ergo putamus fratres esse sine querela? Secundum iustitiam quæ in lege est esse malum est? Si malum est secundũ iustitiã quæ in lege est esse sine querela, ergo aliquid mali est lex? Sed habemus eundem Apostolũ di-
C centem, Itaq; lex quidem sancta, & mandatũ san-
Rom. 7 ctum, & iustũ, & bonum. Si lex sancta, & mandatum sanctum, & iustũ & bonũ, secundum iustitiã quæ est ex lege sancta conuersatis sine querela, quomodo potest nõ esse bonum? Quomodo potest non esse sanctum? An forte sanctum est? Au-
Phil. 3 diamus ipsum Apostolũ quid dicat, Quæ mihi lucra fuerunt, hæc propter Christum damna esse duxi. Damna sua dicit, & inter damna sua computat quod in iustitia quæ est in lege fuerit sine querela. Veruntamen, inquit, & arbitror omnia dãna esse propter eminentẽ scientiã Christi Iesu domini nostri. Attendo, inquit, laudes meas, cõparo eminentiæ domini nostri Iesu Christi. Illud sitio, hoc contemno. Parũ est hoc. Propter quẽ arbitror, inquit, omnia non solũ detrimẽta esse, uerum & stercora existimaui esse, ut Christũ lucrifacerem. Quæstio maior exorta est. Si secundum iustitiã quæ in lege est uersabaris sine querela, & hoc in detrimentis tuis, in damnis, in stercoribus cõputas, ut Christũ lucrifacias, ergo iustitia illa à Christo prohibebat? Obsecro te, expone hoc paululũ. Deo potius dicamus, ut illuminet & nos, à quo ipse illuminatus est qui epistolã istam scripsit nobis, non atramento, sed spiritu dei uiui. Videtis charissimi q̃ sit arduum, quàm difficile intelligere hoc, cum constet legem sanctam esse, & mandatũ sanctum, & iustũ, & bonum, constetq̃ omnino inter fideles catholicos, ita ut nemo dissentiat nisi qui non uult esse catholicus, hãc legẽ nõ datam nisi à domino deo nostro: secundũ istam iustitiã, quæ in lege est cõuersari sine querela, impedimẽtũ fuisse Apostoli, ne ueniret ad Christũ: nec eum uenisse ad Christũ, nisi hoc quod fuit secundũ iustitiã, quæ in lege est sine querela inter dãna & detrimẽta, & stercora computasset. Sequamur ergo, & accedamus aliquãtulum, ne forte in ipsis uerbis Apostoli elucescat nobis aliquid, unde ista remoueatur & soluat obscuritas. Detrimẽta, inquit, credidi hæc omnia, & stercora existimaui, ut Christũ lucrifacerẽ. Intendite obsecro. Dãna, detrimenta, stercora ista existimaui, in quibus etiã illud cõmemoro quod fuerim sine querela secundũ iustitiã quæ in lege est. Existimaui ergo hæc omnia detrimenta & stercora, ut Christũ lucrifaciã, & inueniar in illo, non habens
B meã iustitiã quæ ex lege est. Qui præuenistis intellectu expositionẽ, arbitramini uos tanq̃ ueloces in uia cũ tardiorib. ambulare. Celeritas aliquantũ reprimat, ne comes tardior deserat. Vt Christũ, inquit, lucrifaciã, & inueniar in illo, nõ habẽs meã iustitiã, quæ ex lege est. Si meã dixerat, quare addidit ex lege? Si enim ex lege esset, quomodo tua est? Nunquid tu tibi imposuisti legem? Deus legẽ dedit, deus legẽ imposuit, deus legi suæ te obtemperare præcepit. Lex si non te doceret, quẽadmodum uiuere deberes, quomõ posses habere iustitiam sine querela secundũ legẽ? Si secundũ legem habes, quomodo dicis, non habens meam iustitiã quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi quæ est à deo? Iam ergo dicam ut potero, reuelet
C melius qui uos possidet, donet & intellectũ & effectũ. Donabit em effectũ, si donabit affectũ: hoc est em quod uolo dicere. Lege dei proposita, ipsa enim dixit, Non cõcupisces: Lege ergo dei ꝓposita, exceptis illis carnalibus sacramentis quæ fuerunt umbrę futurorũ, Lege dei proposita quisquis tumuerit, & suis uiribus eam implere se posse putauerit, & fecerit quod lex iubet, nõ amãdo iustitiã, sed timẽdo pœnam, fuit quidem secũdum iustitiã quæ ex lege est homo sine querela, nõ furatur, nõ adulterat, nõ dicit falsum testimoniũ, nõ facit homicidium, nõ concupiscit rem proximi sui. Potest hoc, potest fortassis, Vnde? Timore pœnæ, quanquam quia timore pœnę nõ cõcupiscit, puto quia
D concupiscit. Terrore ingẽti armorum atq̃ telorũ, & circumdantis forsitan multitudinis uel obuiam euntis, etiam leo reuocatur à præda: & tamen leo uenit, leo redit, prædam non rapuit, nõ maliciam posuit. Si talis es, adhuc iustitia tua est, qua iustitia tibi consulis ne torquearis. Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremq̃ latronis, quòd latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum: tu autem leges eius times, eius pœnam times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo & cõcupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit. Ad ouile uenit lupus, latratu canum, & clamore pastorũ ab ouili reuersus est lupus. Ipse tamen lupus in ouem uertatur.

Facit

Facit enim & hoc dominus, sed ipsa est iustitia eius, non tua. Nam quamdiu habes tuam, potes ti-
A mere pœnam, non amare iustitiam. Ergo fratres mei, habet delicias suas iniquitas, & iustitia nõ ha-
Psal. 84 bet? Delectat malum, & nõ delectat bonum? Delectat omnino, sed dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Ille nisi prior det suauitatem, terra nostra nõ dabit nisi sterilitatem. Hanc ergo iustitiam concupiuit Apostolus, delectatus est, memor fuit dei, & delectatus est: concupiuit anima eius & æstuauit in atria domini, & uiluerũt omnia quæ pro magno habebat, facta sunt damna, detrimenta, stercora. Hinc enim erat & illud quod Ecclesiam persequebatur, secundum æmulationem paternarũ traditionũ. Inde erat quia suam iustitiam constituebat, non iustitiam Dei
B quærebat. Videte enim quia inde persequebatur Ecclesiam, Quid ergo dicimus? Ait alio loco ipse
Rom. 9 Apostolus, Quia gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. Sed quam? Iustitiam autem quæ ex fide est. Gentes autem quæ non sectabantur iustitiã quę ex lege est, quasi propriam suam quæ fit de timore pœnæ, non de amore iustitiæ, quia non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est. Israel autem, inquit, persequens legem iustitię, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide. Quid est quia non ex fide? Non sperauit in Deum, non illam petiuit à Deo, non credidit in eum qui iustificat impium, Non fuit similis publicano oculos in terram deiciẽti, pectus suum per-
C cutienti & dicenti, Domine propitius esto mihi peccatori. Ergo persequens legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia nõ ex fide, sed quasi ex operibus offenderunt in lapidem offensionis. Ecce unde Saulus persequebatur Ecclesiam. Quando enim persequebatur Ecclesiam in lapidem offensionis offendebat. Christus humilis in terra iacebat, in cœlis quidem & ipse erat, leuato illo & carne sua à mortuis resuscitata: sed nisi & in terra Christus iaceret, non ipsi Saulo clamaret, quid me persequeris: ergo ille iacebat, quia humilitatem piam perferebat, ille offendebat, quia non uidebat. Et totum hoc non uidere, unde erat? De tumore superbiæ. Quid est de tumore superbię? Quasi de iustitia sua. Ex lege quidem, sed sua. Quid est ex lege? Quia in mãdatis legis. Quid est de sua? Tanquam de uiribus suis. Amor deerat, amor iustitiæ, amor charitatis Christi. Et unde illi amor? Solus possidebat timor, charitati uenturæ locum in corde seruabat. Cum sæuiret erectus, iactabundus, glorians apud ipsos Iudæos, quòd secundum æmulationem paternarum traditionum persequebatur ecclesiã, cum sibi uideretur excelsus, audiuit desuper uocẽ domini nostri Iesu Chri-
Act. 9 sti iam in cœlo sedẽtis, & adhuc humilitatem cõmendantis, Saule inquit Saule, quid me persequeris? Durum est tibi aduersus stimulum calces mittere. Possem te dimittere, tu enim uexareris punctionibus meis, non ego frangerer calcibus tuis, sed nõ te dimitto. Sęuis & misereor. Quid me persequeris? Nõ enim timeo te, ne iterum crucifigas
A me, sed uolo agnoscas me, ne occidas, non me, sed te. Horruit ergo Apostolus, percussus, & prostratus, erectus & instructus. Factum est enim in illo, Ego percutiam, & ego sanabo. Non enim ait, Sa-
Deut. 32 nabo & percutiam, sed percutiam & sanabo. Percutiam te, & dabo tibi me, Sic prostratus horruit iustitiam suã, in qua erat certe sine querela, laudabilis, magnus, quasi gloriosus apud Iudæos. Detrimẽta existimauit, damna credidit, stercora deputauit, ut inueniretur in illo non habens suã iustitiam quæ ex lege est, sed eam quæ per fidem est Christi, quæ est, inquit, ex deo. Illi autem qui offenderunt in lapidem offensionis, quid de illis dicit ipse Apostolus? Qui non, inquit, ex fide, sed tanquam ex o-
Rom. 9 peribus, quia ipsi quasi sua iustitia, offenderunt in
B lapidem offensionis, sicut scriptum est. Ecce pono
Esa. 28 in Sion lapidem offensionis, & petram scãdali, & qui crediderit in eum non cõfundetur. Qui enim crediderit in eum, nõ habebit suam iustitiam, quæ ex lege est, quamuis sit bona lex, sed implebit ipsam legẽ, non sua iustitia, sed data ex deo. Ita enim non confundetur, Charitas enim plenitudo est legis. Et unde ista charitas diffusa est in cordibus nostris? Non utiq̃ à nobis, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. Offenderũt ergo illi in lapidẽ offensionis, & petram scandali, Et ait de illis, Fra-
Rom. 1 tres, bona uoluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad dominum pro illis in salutẽ. Deprecatur Apostolus pro non credentibus ut credant, pro
C auersis ut cõuertantur. Videtis quia nec ipsa conuersio sine dei adiutorio. Deprecatio, inquit, ad deum pro illis ad salutem. Testimoniũ enim perhibeo, quia zelũ dei habent. Sic habebat & ipse, zelum dei habebat. Sed quomodo? Quomodo habebat? Sed non secundum scientiã. Quid est hoc, non secundum scientiam? Ignorantes enim dei iustitiam, & suã uolentes cõstituere. Vnde iste correctus, inquit, non habens meam iustitiam. Illi uolunt suã constituere, adhuc eos delectat in stercore iacere. Ego non habeo meam iustitiam, sed eam quæ est per fidem Christi, iustitiam ex deo, iustitiã inquã ex deo, qui iustificat impium. Tolle te, tolle inquã te à te, impedis te, si tu te ædificas, ruinã ędificas. Nisi dominus ædificauerit domũ, in uanum
Psal. 126 laborauerunt qui ædificant eam. Noli ergo uelle
D habere iustitiam tuã. Certe ex lege est, nempe ex lege est. Certe deus dedit legẽ, & quia iustitia, ex lege est, nõ sit tua. Apostolus Paulus loquitur, minantes iustitiam suam non calumniẽtur. Ecce ubi illum habes, Aperi, lege, audi, uide, tuam iustitiam noli habere, stercora illam deputat Apostolus, quamuis sit ex lege, tamen quia suam. Ignorantes enim dei iustitiam, & suam uolentes constituere, iustitię dei nõ sunt subiecti. Noli putare quia Christianus uocaris, ideo te non posse offendere in lapidẽ offensionis. Cuius gratiæ derogas, in ipsum offendis. Minus est offendere Christum in crucẽ pendentẽ, q̃ in cœlo sedentẽ. Iustitia sit, sed ex gratia sit, à deo tibi sit, nõ tua sit. Sacerdotes tui inquit, induantur iustitia. Vestis accipitur, nõ cũ capillis
Psal. 13 nascitur

nascitur, pecora de suo uestiuntur. Hanc prædicat
Apostolus Paulus, à Deo tibi sit, Geme ut impe-
A tres, plora ut impetres, crede ut impetres. Qui in-
uocauerit nomẽ domini saluus erit. An putatis sic
dictũ esse, Qui inuocauerit nomen domini saluus
erit, quasi à febre, aut à peste, aut à podagra, aut ali-
quo dolore corporis? Nõ sic, sed saluus erit, iustus
erit. Quia non est opus sanis medicus, sed male ha
bentibus, Exposuit cum dicit, Nõ ueni uocare iu-
stos, sed peccatores. Videte ergo quid sequitur. Et
Philip.3 inueniar, inquit, in illo, non habens meam iustitiã
quæ ex lege est: quamuis ex lege, tamẽ meam: sed
eam quæ est per fidem Christi, quæ impetratur à
deo, quæ est ex deo, iustitiã in fide ad cognoscen-
dum eum, & uirtutẽ resurrectionis eius. Aliquid
magnum est, agnoscere uirtutem resurrectionis
Christi. Hoc putatis esse magnum, quia carnem
B suam resuscitauit? Ipsam dixit uirtutẽ resurrectio-
nis eius? Nónne erit etiam nostra in fine seculi re-
surrectio? Nónne & nostrum corruptibile hoc in-
duet incorruptionem, & mortale hoc induet im-
mortalitatem? Nónne quomodo ipse resurrexit à
mortuis, & iam non moritur, & mors ei ultra non
dominabitur, sic & nos mirabilius, ut ita dicam?
Nam illius caro nõ uidit corruptionem, nostra de
cinere reparatur. Magnum est quidem quia præ-
cessit in exẽplo, & dedit nobis quid speraremus,
sed non hoc est solum. Ille qui de iustitia loquebat
non sua, sed illa quæ ex deo est, & ibi nomina-
uit uirtutem resurrectionis Christi: Agnosce ibi
iustificationem tuam. Ex illis enim resurrectione
iustificamur, tanq; à petra circũcidamur, propter-
ea inde cœpit, Nos sumus circũcisio. Vnde circũ-
C cisio? A petra. Qua petra? Christo. Quomõ? Octa
uo die. Quomodo resurrexit dominus? Domini-
co die. Hanc ergo fratres mei iustificationẽ, & ha-
beamus inquantũ habemus, & augeamus inquan
tum minores sumus, & perficiamus cum illuc ue-
nerimus, ubi dicetur, Vbi est mors uictoria tua?
1 Cor.15 Vbi est mors aculeus tuus? Sed totum ex deo, nõ
tamen quasi dormientes, non quasi ut non cone-
mur, non quasi ut non uelimus. Sine uolũtate tua,
non erit in te iustitia dei. Voluntas quidem nõ est
nisi tua, iustitia non est nisi dei. Esse potest iustitia
dei sine uoluntate tua, sed in te esse non potest nisi
per uoluntatem tuam. Demonstratum est quid a-
gere debeas. Iussit lex, nõ facias illud, nõ illud, fac
hoc atq; illud. Demonstratum est tibi, iussum est ti
bi, apertum est tibi cor, intellexisti quid facias, ro-
go ut facias, si cognoscis uirtutem resurrectionis
Rom.4 Christi. Traditus est enim propter delicta nostra,
& resurrexit propter iustificationem nostrã, ut iu
stificet nos, & iustos faciat nos. Eris opus dei, non
solum quia homo es, sed etiam quia iustus es, Me-
lius est enim iustum esse, quàm te hominẽ esse. Si
hominem te fecit deus, & iustũ tu te facis, melius
aliquid facis quàm fecit deus, sed sine te fecit te
deus. Non enim adhibuisti aliquem cõsensum ut
te faceret deus. Quomodo consentiebas qui non
eras? Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine
te. Ergo fecit nescientem, iustificat uolentem. Ta-
men ipse iustificat ne sit iustitia tua, ne redeas ad
A damna, ad detrimenta & stercora, inuenire in illo
non habens iustitiã tuam quæ ex lege est, sed iusti
tiam per fidem Christi quæ est ex deo: iustitiam ex
fide ad cognoscendũ eum & uirtutẽ resurrectio-
nis eius, & cõmunicationem passionũ eius: & ip-
sa uirtus tua erit, cõmunicatio passionum Christi
uirtus tua erit. Quid aũt erit in cõmunicationib.
passionũ Christi, si charitas nõ erit? Nónne inue-
niuntur torti latrones in tanta fortitudine corpo-
rum, ut quidã eorũ nõ solũ cõscios prodere nolue
rint, sed nec omnia sua cõfiteri dignati sunt? Inter
cruciatus, inter tormẽta effossis lateribus, & pene
perditis membris, mãserit animus in obstinatione
nequissima. Vide ergo quid amabãt. Facere tamẽ
ista sine magno amore nõ poterãt. Sed nõ sic ama
B tor dei. Deus non amatur nisi de deo. Amauit ille
nescio quid aliud de carne, sicut homo qui quodli
bet amauit, socios suos amauerit, cõscientiã scele-
rũ amauerit, gloriã in facinorib. amauerit, quodli-
bet amauerit. Multũ amauit, qui torqueri potuit,
deficere nõ potuit. Si ergo ille nõ potuit tãta per-
ferre sine amore, nec tu poteris cõmunicare Chri-
sti passionib. sine amore. Sed quæro quo amore.
Nõ sit cupiditas, sed sit charitas. Si emẽ, inquit, tra- 1.Cor.13
didero corpus meũ ut ardeã, & charitatẽ non ha-
beã, nihil mihi prodest. Vt prosit tibi cõmunica-
tio passionũ Christi, charitas assit. Vnde tibi chari
tas? O mendicissima infirmitas, unde tibi charitas
dei? Vis ostẽdo tibi unde sit tibi? Ipsum interroga
horreariũ dominicũ. Si emẽ in te fuerit charitas dei,
C cõmunicabis Christi passionib. & uerus eris mar-
tyr in quo charitas coronatur. Ipse erit uerus mar-
tyr. Vnde ergo tibi? Habemus thesaurũ istũ in ua
sis fictilibus, ait ipse Apostolus, ut eminẽtia uirtu- 2 Cor.4
tis dei sit, & nõ ex nobis. Ergo unde tibi charitas,
nisi quia diffusa est in cordibus nostris per spiritũ- Rom.5
sanctum qui datus est nobis? Ecce ad quod geme,
Cõtemne spiritum tuum, accipe spiritũ dei. Nõ te
timeat spiritus tuus, ne cum cœperit in te habitare
spiritus dei, angustias patiatur in corpore tuo. Cũ
habitare in corpore tuo cœperit spiritus dei, non
inde excludet spiritũ tuum. Noli timere. Si diuitẽ
aliquem hospitio suscipias, pateris angustias, ubi
maneas tu, non inuenis ubi illi lectus paretur, ubi
D coniunx, ubi filij, ubi familia. Quid ago, inquis?
Quò eo? Quò migrabo? Suscipe diuitem spiritũ
dei, dilataberis, non angustiaberis. Dilatasti gres- Psal.17
sus tuos subtus me: dic. Dicis hospiti tuo, Dilatasti
gressus meos subter me. Quando nõ hic eras, an-
gustias patiebar, implesti cellam meam, & nõ me
exclusisti, sed angustiã meã dilatasti. Cũ emẽ dicit,
Charitas dei diffusa est, ipsa diffusio latitudinẽ sig-
nificat. Non ergo timeas angustias, recipe hospitẽ
istũ, & nõ sit hospes quasi de trãseuntibus. Nõ emẽ
habet dare discedẽdo, ueniẽs habitet in te, & de-
bet. Ipsius esto, nõ te deserat, non inde migret, te-
ne illum omnino, & dic illi, Domine deus noster
posside nos. Ergo ad hoc, inquit, habeamus iusti-
tiã quę ex deo est ad cognoscendũ eũ, & uirtutem
resurrectionis eius, & cõmunionis passionũ eius,
confor-

conformati morti ipsius. Consepulti enim, inquit,
sumus cũ Christo per baptismũ in morte, ut quem
Rom.6 admodum Christus surrexit à mortuis, sic & nos
in nouitate uitæ ambulemus. Morere ut uiuas, se-
pelire ut resurgas. Cum enim sepultus fueris & re-
surrexeris, tunc uerum erit, sursum cor. Sapuit q̃d
dixi. Nũquid iste sermo saperet, nisi esset in uobis
interna dulcedo? Conformatus, inquit, morti ipsi
us si quomodo occurram in resurrectione mor-
tuorum. De iustitia loquebatur, iustitia quæ est ex
fide Christi, iustitia quæ à deo est, & sic cuncta ex-
Philip.3 ecutus est. Et cum iustitiam quæreret, dicens, Vt
inueniar in illo non habens meam iusticiam quæ
ex lege est, sed iusticiã quæ est ex fide Christi, quæ
est ex deo: dicit modo, Si quomodo occurram in
resurrectione mortuorum. Quare dixisti, si quo-
B modo occurrã? Non quia iam acceperim aut per-
fectus sim, sequor autem si apprehendã, in quo &
apprehensus sum à Christo Iesu. Præuenit me iusti
cia ipsius, sequatur illum mea. Tunc aũt sequatur
mea, si non sit mea. Sed quomodo occurrã, nisi qa
iam acceperim aut iam perfectus sim. Cœperunt
mirari qui hoc audiebant dicentem Apostolum,
non quia iam acceperim aut perfectus sim. Quid
est quod nondum acceperat? Fidem habebat,
spem habebat, charitate flagrabat, uirtutes ope-
rabatur, inuictissime prædicabat, omnes persecu-
tiones tolerabat, in omnibus patiens, amans eccle
siam, solicitudinem omnium ecclesiarum corde
gestans. Quid nondum acceperat? Non quia iam
acceperim, aut iam perfectus sim. Quid est quod
dicis? Dicis & miramur, dicis & stupemus. Noui-
mus enim quid audiamus. Quid dicis? Fratres ait,
Quid est quod dicis? Quid dicis? Ego me non ar-
bitror apprehendisse. Nolite, inquit, in me falli,
plus meipse noui q̃ uos. Si nescio quid mihi de-
sit: nescio, quid assit. Ego meipsum non arbitror
apprehẽdisse. Vnum autem, hoc non me arbitror
apprehendisse. Multa habeo, & unum nondum
Psal.26 apprehendi. Vnam petij à domino, hanc requirã.
Quid petisti, aut quid requiris? Vt inhabitẽ in do-
mo domini per omnes dies uitę meę. Vt quid? Vt
contempler delectationem domini. Ipsum est u-
num quod dicebat nondum apprehendisse apo-
stolus, & quantum illi deerat, intantũ nondum per
fectus erat. Meministis fratres mei euangelicæ il-
lius lectionis, ubi duæ sorores dominum suscepe-
Luca 16 perunt, Martha & Maria. Certe recolitis, Martha
in multo ministerio cõuersabatur, & occupata e-
rat circa curam domini, quippe dñm hospitio rece
perat & discipulos eius. Satagebat omni cura reli-
giosissima, ne sancti apud eam ullam paterentur
iniuriam. Cum ergo esset occupata circa multum
ministerium, Maria soror eius sedebat ad pedes
domini, & uerbum eius audiebat. Illa in labore sto
machabunda, quòd illam uideret sedentem & de
suis laboribus nihil curantẽ, interpellauit dominũ.
Placet, inquit, tibi domine q̃ soror deseruit me, &
ecce tantũ in ministerio laboro? Et dominus, Mar
tha Martha circa multum es occupata. Porrò unũ
est necessarium. Maria meliorẽ partem elegit, quæ
nõ auferetur ab ea. Tu bonam, sed ista meliorem.
A Tu bonam (bonum est enim conuersari in obse-
quio sanctorum) sed ista meliorem. Deniq; quod
elegisti transit. Ministras esurientibus, ministras
sitientibus, ministras lectulos dormituris, præbes
domum habitare uolentibus, omnia ista transeũt.
Erit tẽpus ubi nemo esuriat, neq; sitiat, nemo dor-
miat. Ergo cura tua auferetur à te. Maria meliorẽ
elegit partem, quæ non auferetur ab ea. Non aufe
retur: Contemplari elegit, uerbo uiuere elegit.
Qualis erit uita de uerbo sine uerbo? Modo ista
uiuebat de uerbo, sed sonante uerbo. Erit uita de
uerbo, nullo sonante uerbo. Ipsum uerbum uita
est. Similes ei erimus, quoniam uidebimus eum si-
cuti est. Ipsa erit una, ut contempletur delectatio-
nem domini. Hoc in seculi huius nocte non possu
B mus. Mane astabo tibi & contemplabor. Ergo e-
go, inquit, me non arbitror apprehendisse. Vnum
autem, Quid ergo facio? Quæ retro oblitus in ea
quæ ante sum extẽtus, secundum intentionem se-
quor. Adhuc sequor ad palmam supernæ uocatio
nis dei in Christo Iesu, adhuc sequor, adhuc profi-
cio, adhuc ambulo, adhuc in uia sum, adhuc me ex
tendo, nondum perueni. Ergo si & tu ambulas,
si te extẽdis, si ea quæ uẽtura sunt cogitas, obliuis-
cere præterita, noli in ea respicere, ne ibi remane-
as ubi respexeris. Memẽto uxoris Loth, Quot-
quot ergo perfecti, hoc sapiamus, Dixerat, nõ sum
pfectus, & dicit, Quot pfecti hoc sapiamus. Ergo
me nõ arbitror apprehẽdisse, nõ qa iã acceperim,
aut iam perfectus sim, & dicit, quotquot perfecti
C hoc sapiamus. Perfecti, & nõ perfecti. Perfecti uia
tores, nõ dũ pfecti possessores. Et noueritis, q̃ per-
fectos uiatores dicat, q̃ iam in uia ambulant pfecti
uiatores sunt: Vt scias uiatores eum dixisse nõ ha-
bitatores, nõ possessores: audi q̃d sequit, Quotq̃t
ergo perfecti hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis,
ne forte surrepat uobis quia uos aliquid estis: Qui
aũt seipsum putat esse aliquid cũ nihil sit, seipsum
seducit: Et qui se putat aliquid scire, nõ dũ scit quẽ- Gal.6
admodũ oporteat scire: ergo & si quid aliter sapi- 1 Cor.8
tis, quasi paruulis id quoq; uobis deus reuelabit.
Veruntamen in quo peruenimus in eo ambule-
mus, ut reuelet nobis deus, & quod aliter sapimus,
in quo peruenimus nõ in eo remaneamus, sed in
D eo ambulemus. Videtis quia uiatores sumus. Dici
tis. Quid est ambulare? Breuiter dico, pficere, ne
forte non intelligatis & pigrius ambuletis. Profi-
cite fratres mei, discurite uos semper sine dolo, si-
ne adulatione, sine palpatione. Non enim aliquis
est intus tecum, cui erubescas, & iactes te. Est ibi,
sed cui placet humilitas, ipse te probet. Proba & te
ipsum tuipse. Sẽper tibi displiceas q̃d es, si uis pe-
uenire ad id quod nondũ es. Nam ubi tibi placui-
sti, ibi remãsisti. Si aũt dixeris, sufficit, & peristi: sem
per adde, semper ambula, semper profice, noli in
uia remanere, noli retro redire, noli deuiare. Re-
manet qui non proficit, retro redit qui ad ea reuol
uitur, unde iam abscesserat, deuiat qui apostatat. Melius it claudus in uia, quàm cursor præ-
ter uiam.

Rom.8 De uerbis Apoſtoli, Si deus ꝑ nobis quis cõtra
nos, & de iuſtificatione Sermo XVI

A POSTOLVM beatũ audiuimus exhor
tantem & cõfirmantẽ nos, cum diceret
nobis, Si deus eſt pro nobis, quis contra
nos? Pro quibus autem ſit deus, ſuperius oſtendit,
ubi ait, Quos autẽ prædeſtinauit, illos & uocauit,
quos autem uocauit, illos & iuſtificauit, quos autẽ
iuſtificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dici-
mus ad hæc? Si deus pro nobis, quis contra nos?
Deus pro nobis ut prędeſtinaret nos, deus pro no
bis ut uocaret nos, deus pro nobis ut iuſtificaret
nos, deus pro nobis ut glorificaret nos. Si deus
pro nobis, quis contra nos? Prædeſtinauit ante-
quam eſſemus, uocauit cum auerſi eſſemus, iuſti-
ficauit cum peccatores eſſemus, glorificauit cum
mortales eſſemus. Si deus pro nobis, quis contra
nos? Prædeſtinatis à deo, uocatis, iuſtificatis, glori
ficatis, qui uult aduerſari, paret ſe ſi poteſt bellare
aduerſus deum. Vbi enim audiuimus, Si deus pro
nobis, quis contra nos, ibi audiuimus, niſi qui deũ
uincit, non lædit nos. Et quis eſt qui uincit omni-
potẽtem? Quicunq; reluctari uoluerit ſibi nocet.
Hoc eſt quando & Paulo adhuc Saulo de cœlo
Chriſtus clamauit, non tibi expedit contra ſtimu-
Act.9 lũ calcitrare. Sæuiat ſæuiat quantũ poteſt, qui cal-
ces aduerſus ſtimulum mittit, nõne in ſeipſum ſæ-
uit? In his autem quatuor rebus quas commenda-
uit Apoſtolus inſignes, quæ pertineant ad deum
pro quibus eſt deus, id eſt, prædeſtinatione, uoca-
tione, iuſtificatione, glorificatiõe: In his ergo qua-
tuor rebus conſiderare debemus quid iam habea-
mus, & quid iam expectemus. In his enim quæ
iam habemus, laudemus deum largitorem, in his
quæ nondum habemus, tenemus debitorem. De-
bitor enim factus eſt, non aliquid à nobis accipi-
endo, ſed quod ei placuit promittendo. Aliter e-
nim dicimus homini, debes mihi quæ dedi tibi:
& aliter dicimus, debes mihi quia promiſiſti mihi.
Quando dicis, debes mihi, quia dedi tibi, à te pro-
ceſſit beneficium, ſed mutuatum non donatum:
Quando autem dicis, debes mihi quia promiſiſti
mihi, tu nihil dediſti & tamẽ exigis. Bonitas em̃ e-
ius qui promiſit dabit, ne in maliciam fides con-
uertatur. Qui autem fallit, malus eſt. Deo igitur
quid dicimus? Redde mihi, quia dedi tibi? Quid
dedimus deo, quãdo totum quod ſumus, & quod
habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei de-
dimus, non eſt quemadmodum iſta uoce exiga-
mus debitorem deum, maxime dicente nobis A-
Rom.11 poſtolo, Quis enim cognouit ſenſum domini, aut
quis conſiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi
& retribuet̃ ei? Illo ergo modo poſſumus exigere
dominum noſtrum, ut dicamus, redde quod pro-
miſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti, & hoc tu feciſti
qui laborantes iuuiſti. Nemo ergo dicat, ideo me
uocauit deus quia colui deum. Q̃uo coluiſſes ſi uo
catus non fuiſſes? Si propterea te uocauit quia co
luiſti deum, ergo prior dediſti, & retribuetur tibi.
Nonne iſtam tibi uocẽ Apoſtolus tollit, cum di-
cit, Aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Sed
ecce quando uocatus es uel iam eras, quando præ
A deſtinareris non eras, quid deo dediſti quando
qui aliquid dares non eras? Quid ergo fecit deus?
quando prædeſtinauit qui non erãt? Quod ait A-
poſtolus, Qui uocat ea quæ non ſunt tanquam ea Rom.4
quę ſunt. Si iam eſſes non prædeſtinareris, niſi a-
uerſus eſſes, non uocareris, niſi impius eſſes, non
iuſtificareris, niſi terrenus & abiectus eſſes, nõ glo
rificareris. Quis ergo prior dedit illi & retribue-
tur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo
ſunt omnia. Quid ergo reddimus? Ipſi gloria quia
nõ eramus quando ſumus prædeſtinati, quia auer
ſi eramus quando ſumus uocati, quia peccatores
eramus quãdo ſumus iuſtificati. Agamus deo gra
tias, ne remaneamus ingrati. Propoſueramus aũt
B conſiderare de his quatuor rebus quid iam conſe-
cuti fuerimus, quid adhuc adipiſcendum expecte
mus. Prædeſtinati enim iam ſumus & antequam
eſſemus, uocati ſumus quando Chriſtiani facti ſu-
mus. Iam ergo & hoc habemus. Iuſtificati? Quid
eſt iuſtificati? Audemus dicere, iam hoc tertium
habere nos? Et erit quiſq; noſtrum qui audeat di-
cere, iuſtus ſum? Puto enim hoc eſſe iuſtus ſum,
quod eſt peccator non ſum. Si audes hoc dicere,
occurrit tibi Ioãnes, Si dixerimus quia peccatum 1.Ioan.4
non habemus, noſipſos decipimus, & ueritas in
nobis non eſt. Quid ergo? Nihil habemus de iuſti
tia, an habemus? Sed non totũ habemus. Hoc er-
go quæramus, Si em̃ aliquid habemus & aliquid
non habemus, creſcat quod habemus, & implebit̃
C quod nõ habemus. Ecce enim baptizati ſunt ho-
mines, omnia illis peccata dimiſſa ſunt, iuſtificati
ſunt à peccatis, negare nõ poſſumus, reſtat tamen
lucta cum carne, reſtat lucta cũ mũdo, reſtat lucta
cum diabolo. Qui luctat̃ aliquando ferit, aliquan-
do percutitur, aliquando uincit, aliquando peri-
mitur, quomodo de ſtadio exeat attendatur. Nam
ſi dixerimus, quia peccatũ non habemus, noſmet-
ipſos decipimus, & ueritas in nobis non eſt. Item
ſi dixerimus quia iuſtitiæ nihil habemus, aduer-
ſum dei dona mentimur. Si enim iuſtitiæ nihil ha-
bemus, nec fidẽ habemus. Si fidem non habemus,
Chriſtiani non ſumus. Si autem fidem habemus,
iam aliquid habemus iuſtitiæ. Ipſum aliquid, uis
noſſe quantum ſit? Iuſtus ex fide uiuit, iuſtus, in- Rom.1
D quam, ex fide uiuit, quia credit quod non uidet. Pa
tres arietes ſancti duces Apoſtoli, quãdo annun-
ciauerunt non ſolum uiderunt oculis, ſed etiam
manibus tractauerunt, & tamen dominus ſeruans
nobis donum fidei, cuidam diſcipulorum ſuorum
tractanti, palpanti, ueritatem digitis inquirenti &
inuenienti exclamanti, Dominus meus & deus Ioan.20
meus: ait ipſe dominus & deus, Quia uidiſti cre-
didiſti: & nos futuros intuens, Beati, inquit, qui
non uiderunt & crediderunt. Non uidimus, au-
diuimus & credidimus. Beati prædicti ſumus, &
de iuſtitia nihil habemus? Venit Dominus carna-
liter ad Iudæos, & occiſus eſt, non uenit ad nos, &
acceptus eſt. Populus quem non cognoui ſeruiuit
mihi, in obauditu auris obauduit mihi. Nos ſu-
mus, & de iuſtitia nihil habemus? Omnino ha-

bemus. Grati ſimus ex eo quod habemus, ut non
perdamus quod habemus. Ergo & hoc tertiũ iam
agit̃ in nobis. Iuſtificati ſumus, ſed ipſa iuſticia cũ
proficimus creſcit. Et q̃uo creſcit dicam, & uobiſ-
cum quodãmodo conferã, ut unuſquiſq; ueſtrum
iam in ipſa iuſtificatione cõſtitutus, accepta ſcili-
cet remiſſione peccatorum per lauacrũ regenera-
tionis, accepto ſpiritu ſancto, proficiens de die in
diem, uideat ubi ſit, accedat, proficiat & creſcat do
nec conſumetur, nõ ut finiatur, ſed ut perficiat̃. In
cipit homo à fide. Quid pertinet ad fidem? Crede
re. Sed adhuc iſta fides diſcernat̃ ab immundis ſpi
ritibus. Ad fidem quid pertinet? Credere. Sed ait
Iacob.2 Apoſt. Iacobus, Et dæmones credunt, & contre-
miſcunt. Si tantũ credis & ſine ſpe uiuis, uel dile-
ctionẽ non habes, & dęmones credũt & cõtremi-
Matt.16 ſcũt. Quid magnum eſt? Dicis Chriſtũ filium dei,
hoc dixit Petrus, & audiuit, Beatus es Simon Ba-
riona: hoc dixerunt & dæmones, audierunt, ob-
muteſcite. Ille beatus, dicitur ei, Quia nõ reuelauit
tibi caro & ſanguis, ſed pater meus q̃ in cœlis eſt:
Illi aũt audiunt, obmuteſcite, & hoc ipſum dicunt
& repellunt̃. Vna uox eſt, ſed dñs radicẽ interro-
Heb.12 gat nõ florẽ. Vnde dicitur ad Hebræos, Ne qua ra
dix amaritudinis ſurſum germinans moleſtet, &
per illam contaminent̃ multi. Prius ergo diſcerne
fidem tuã à fide dæmonis. Vnde eã diſcernis? Dę-
mones hoc dixerunt timẽdo, Petrus amando. Ad
de ergo fidei ſpẽ. Et quæ ſpes eſt niſi de aliqua con
ſcientiæ bonitate? Speiq; ipſi adde charitatẽ. De
1Cor.13 ſuper eminentẽ uiam habemus, dicẽte Apoſtolo,
Supereminentem uiam uobis demonſtro, Si lin-
guis hominũ loquar & angelorũ, charitatem aũt
non habeam, factus ſum uelut æramentum ſonãs,
aut cymbalum tinniens: & cætera narrat bona, &
ſine charitate nihil prodeſſe confirmat. Maneant
ergo hæc, fides, ſpes, charitas. Maior autem horũ
eſt charitas. Sectamini charitatem. Diſcernite er-
go fidẽ ueſtram, Iam eſtis de prędeſtinatis, uoca-
tis, iuſtificatis: Paulus Apoſt. dicit, Neq; circunci-
Gal.5 ſio aliquid ualet, neque præputium, ſed fides, Dic
adhuc Apoſtole, adde, diſcerne, quia & dæmones
credunt & contremiſcunt: ergo adde, Dæmones
enim credũt & contremiſcunt quod oderunt. Di-
ſtingue Apoſtole & circumcide filiam meam, &
Psal.42 diſcerne cauſam meã de gente non ſancta. Planè
diſtinguit, diſcernit, circumcidit. Et fides, inquit,
quæ per dilectionem operat̃. Vnuſquiſq; ergo fra
tres mei inſpiciat ſe intus, appendat ſe, probet ſe in
omnibus factis ſuis, bonis operibus ſuis, quæ faci-
at cum charitate, nõ expectans retributionẽ tem-
poralem, ſed promiſſum dei, faciem dei. Nõ enim
quicquid deus tibi promittit ualet aliquid præter
ipſum deum. Omnino me non ſatiaret deus, niſi
ꝑmitteret mihi ſeipſum deũ. Quid eſt tota terra?
Quid eſt totum mare? Quid eſt totũ cœlũ? Quid
ſunt omnia ſydera? Quid ſol, quid luna, quid exer
citus angelorũ? Omnium iſtorum creatorẽ ſcio, ip
Psal.35 ſum ſitio, ipſum eſurio, ipſi dico, Quoniam apud
Ioan.6 te eſt fons uitæ. Quid mihi dicit? Ego ſum panis
uitæ qui de cœlo deſcendi. Eſuriat & ſitiat pere-
grinatio mea ut ſatietur præſentia mea. Arridet
A mũdus multis rebus pulchris, fortibus, uarijs, pul-
chrior eſt ille qui fecit, fortior & clarior ille qui fe-
cit, ſuauior ille eſt qui fecit. Satiabor cum manife- Psal.16
ſtabitur gloria tua. Fides ergo quæ per dilectionẽ
operatur ſi eſt in uobis, iam pertinetis ad præde-
ſtinatos, uocatos, iuſtificatos, ergo creſcat in uo-
bis. Fides enim quæ per dilectionem operatur, ſi-
ne ſpe eſſe nõ poteſt. Cum autem uenerimus, iam
erit ibi fides? Dicetur nobis, crede? Non utiq;. Vi-
debimus enim, cõtemplabimur eũ. Dilectiſſimi
filij dei ſumus, & nondum apparuit quod erimus.
Quia nondũ apparuit, ideo fides. Filij dei ſumus
prædeſtinati, uocati, iuſtificati: Filij dei ſumus, &
nõdum apparuit quod erimus. Modo ergo fides,
antequam appareat quod erimus, Scimus ꝙ cum
B apparuerit ſimiles ei erimus. Nũquid quia credidi
mus? Non. Quare ergo? Quoniam uidebimus eũ
ſicuti eſt. Quid ſpes erit ibi? Spes iam non erit, quã
do erit res. Etenim ipſa ſpes peregrinationi neceſ-
ſaria eſt, ipſa eſt quæ cõſolatur in uia. Viator enim
quando laborat ambulando, ideo laborem tole-
rat, quia peruenire ſperat. Tolle illi ſpem perueni-
endi, continuo franguntur uires ambulandi. Ergo
& ſpes quæ hinc eſt, ad iuſtitiam pertinet peregri-
nationi noſtræ. Ipſum Apoſtolum audi, Adoptio Rom.8
nem, inquit, expectantes, in nobiſmetipſis inge-
miſcimus adhuc. Vbi eſt gemitus, iam non poteſt
dici illa felicitas, de qua ſcriptura dicit, Tranſibit la
bor & gemitus. Ergo adhuc, inquit, in nobiſmet-
ipſis ingemiſcimus, adoptionem expectantes re-
C demptionem corporis noſtri. Adhuc ingemiſci-
mus. Quare? Spe enim ſalui facti ſumus. Spes aũt
quæ uidetur non eſt ſpes. Si enim uidet quis quid
ſperat? Si autem quod nõ uidemus ſperamus, per
patientiã expectamus. In hac ergo patientia mar-
tyres coronabantur, deſiderabant quæ non uide-
bant, contemnebant quæ ferebant. In hac ſpe dice
bant, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tri-
bulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nu
ditas, an gladius? Quia propter te. Et ubi eſt pro-
pter quem? Quia propter te, inquit, mortificamur Psal.43
tota die. Propter te. Et ubi eſt? Beati qui non uide-
runt & crediderunt. Ecce ubi eſt, In te eſt, quia & Ioan.20
fides ipſa in teipſo eſt. An fallit nos Apoſtolus,
D qui dicit habitare Chriſtum per fidem in cordibus
noſtris? Modo per fidem, tunc per ſpeciem, modo
per fidem quamdiu in uia, quamdiu in peregrina-
tione. Quamdiu enim ſumus in corpore, peregri- 2.Cor.4
namur à domino. Per fidem enim ambulamus, nõ
per ſpeciem. Si hoc eſt fides, quid erit ſpecies? Au-
di quid erit, Vt ſit deus omnia in omnibus. Quid
eſt omnia? Quicquid hic quærebas, quicquid hic
pro magno habebas, ipſe tibi erit: Amabas man-
ducare & bibere, ipſe tibi erit cibus, ipſe erit tibi
potus: quicquid hic uolebas, ſanitatem corporis
fragilem, tranſeuntem, ipſe tibi immortalitas erit.
Quid hic quærebas, Diuitias amabas? Auare.
Quid enim tibi ſufficit, ſi deus ipſe non ſufficit?
Sed quid amabas? Gloriam? honores? Deus tibi
erit gloria: cui & modo dicitur, Gloria mea & exal

tans caput meum. Iam eẽ exaltauit caput meum. Caput nostrũ Christus est. Sed quid miraris? Quo caput & cætera membra exaltabuntur, tunc erit deus omnia in omnibus: hoc modo credimus, hoc modo speramus, cum uenerimus, tenebimus, & iã uisio erit, nõ fides: cum uenerimus tenebimus, & iam res erit, non spes. Charitas quid? Nunquid & ipsa modo est, & tunc non erit? Si amamus credẽdo & non uidendo, quomodo amabimus uidẽdo & tenendo? Ergo charitas erit, sed perfecta erit: sicut Apostolus ait, Fides, spes, charitas, tria hęc, maior aũt horum charitas. Hanc habentes & in nobis nutrientes, securi illo adiuuante perseuerantes in eo dicamus, Quis nos separabit à charitate Christi, donec ipse misereat? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus ut oues occisionis. Et quis supportat? Quis omnia tolerat? Sed in his omnibus superamus. Vnde? Per eum qui dilexit nos. Ergo si deus pro nobis, quis contra nos?

1. Cor. 13 — Rom. 8 — Psal. 43

De iustificatione & de uerbis Apostoli, Humanum dico propter infirmitatem carnis uestræ. Rom. 6

Sermo XVII

A HESTERNO die de iustificatione nostra, quæ nobis est à domino deo nostro, sermo productus est, ministrantibus nobis donante illo, audientibus uobis. Et cum simus in hac uita onerati sarcina corruptibilis carnis, non utiq; sine peccato: quia si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est: iustificatos tamen nos esse secundum modum peregrinationis nostræ, uiuentes ex fide quousque fruamur specie, claruit quantum arbitror charitati uestræ. Incipitur ergo à fide, ut perueniatur ad speciem, uia curritur, patria quæritur: In peregrinatione dicit anima nostra, Quoniam ante te est omne desiderium meum & gemitus meus à te non est absconditus: In patria uero nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi locus nullus erit? Quia nihil deest. Quod hic creditur, ibi uidetur, quod hic speratur, ibi tenebitur, quod hic petitur, ibi accipitur. Perfectio tamẽ in hac uita nonnulla est, ad quam sancti martyres peruenerunt. Ideoq; habet ecclesiastica disciplina quod fideles nouerũt, cum martyres eo loco recitantur ad altare dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem comemoratis defunctis oretur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commẽdari: Certauit enim contra peccatum usque ad sanguinem. Quibusdam uero adhuc imperfectis & tamen ex parte iustificatis, ad Hebræos dicit Apostolus, Nondum eẽ usq; ad sanguinem pugnastis, aduersus peccatum pugnantes. Si ergo illi nõdum usq; ad sanguinem, proculdubio aliqui usq; ad sanguinem. Qui usque ad sanguinem? Vtiq; sancti martyres, de quib. lectio sancti apostoli Iacobi modo audita est, Omne gaudium existimate fratres mei cum in tentationes uarias incideritis. Perfectis iam dicitur qui etiam possunt dicere, Proba me domine & tenta me. Scientes, inquit, quia tribulatio patientiam operatur, patiẽtia autẽ opus perfectum habet. Amanda est enim iustitia, & in hac iustitia amanda gradus sunt proficientium. Prius est ut amori iustitiæ non præponãtur omnia quæ delectant, ipse est primus gradus. Quid est quod dixi? Vt inter omnia quæ delectant, plus te delectet ipsa iustitia, non ut alia non delectent, sed prius ipsa delectet. Delectant enim quędam naturaliter infirmitatem nostram, ut cibus, ut potus, delectant esurientes atque sitientes: ut nos delectat hæc lux quę de cœlo funditur sole exorto, uel quę syderibus & luna fulget, uel quæ in terra accenditur luminibus consolantibus tenebras oculorum: delectat canora uox & suauissima cantilena, delectat odor bonus: delectant etiam tactum nostrum quæcunque pertinent ad carnis aliquam uoluptatem: & hæc omnia quæ nos delectant in sensibus corporis, aliqua licita sunt. Delectant enim, ut dixi, oculos & spectacula ista magna naturæ, sed delectant oculos etiam spectacula theatrorum: Hæc licita, illa illicita. Psalmus sacer suauiter cantatus delectat auditum, sed delectant auditum etiam cãtica histrionum: Hoc licite, illud illicite, Delectant olfactum flores & aromata, & hæc dei creatura, delectant olfactum etiam thura in aris dæmoniorum: Hoc licite, illud illicite. Delectat gustatum cibus non prohibitus, delectant gustatum etiam epulæ sacrilegorum sacrificiorum: Hoc licite, illud illicite. Delectant coniugales amplexus, delectant etiam meretricũ: Hoc licite, illud illicite. Videtis ergo charissimi etiã in istis corporis sensibus licitas esse & illicitas delectationes. Iustitia sic delectet, ut uincat etiam licitas delectationes, & ei delectationi qua licite delectaris præpone iustitiam. Constituamus ante oculos, propter hoc quod dixi, exemplum certaminis. Interrogo utrum ames iustitiam, respondebis, amo. Quod non responderes ueraciter, nisi te aliquatenus delectaret. Non enim amatur nisi quod delectat. Delectare in domino: scriptura dicit, Dominus autem iustitia est. Nõ enim tibi fingere debes deum quasi idolum. Inuisibilibus similis est deus, & ea in nobis sunt meliora quæ sunt inuisibilia. Melior est fides quàm caro, melior est fides, quàm aurum, & melior est fides quàm argentum, quàm pecunia, quàm prædia, quàm familia, quàm diuitiæ, & ista omnia uidentur, fides non uidetur. Cui ergo similiorem putauimus deum, uisibilibus, an inuisibilibus, preciosis an uilibus? De uilioribus loquar. Habes duos seruos, unum deformem corpore, alium pulcherrimum, sed illum deformẽ fidelem, alterum infidelem. Dic mihi quem plus diligas, & uideo te amare inuisibilia. Quid ergo? Quando plus amas seruum fidelem, licet corpore deformem, quàm pulchrum infidelem, errasti, & fœda pulchris præposuisti? Vtique non, sed pulchriora fœdis præposuisti. Contempsisti enim oculos carnis, & erexisti oculos cordis. Interrogasti oculos carnis, & quid tibi renunciauerunt? Ille pulcher est, ille fœdus. Repulisti eos, eorum testimonium

1. Ioan. 1 — 4. sen. di. 45. Est quidem — Heb. 12

nium reprobasti, erexisti oculos cordis in seruum fidelem, & non in seruum pulchrum. Illum inueni A sti fœdum carne, illum pulchrum, sed pronunciasti & dixisti, Quid fide pulchrius? Quid infidelitate deformius? Ergo prę omnibus uoluptatibus, hoc est delectationibus etiam licitis, amanda est iustitia. Si enim habes sensus interiores, omnes illi interiores sensus delectantur delectatione iustitiæ. Si habes oculos interiores uides iustitiæ lumẽ, Quoniam apud te est fons uitæ, in lumine tuo uidebimus lumen: de illo lumine dicit psalmus, Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte. Item si habes aures interiores audis iustitiã: Tales aures quærebat, qui dicebat, Qui habet aures audiendi audiat. Si habes olfactum interius, audis Apostolum, Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Si habes gustum interius audis, Gustate & uidete quoniam suauis est dominus. Si habes tactum interius, audi quid sponsa cantet de sponso, Sinistra eius sub capite meo, & dextera eius amplexetur me. Exemplum ergo, ut dicere cœperã, huius certaminis proponamus. Videamus fratres mei, quis nam sit, interrogetur & respõdeat, quod dicturus sum, utrum sic delectetur iustitia ut eam cæteris ad hos sensus corporis pertinentibus delectationibus anteponat. Ecce delectat te aurum tuum, oculos tuos delectat, metallum est pulchrũ, fulgentissimum, delectat, pulchrum est non nego, nam si pulchrum negauero, creatori iniuriam facio. Venit ergo tentator, & dicit tibi, Tollo tibi aurum nisi dixeris pro me falsum testimonium, si autem dixeris, addo tibi. Delectantur in te duæ delectationes. Modo interrogo te quid præponas, quid te plus delectet, aurum an ueritas, aurum an uerum testimonium, an hoc lucet & illud non lucet? Fides quæritur in uero testimonio. Aurum lucet, fides non lucet? Erubesce, habeto oculos, quod amabas in seruo tuo, redde domino tuo. Iam dudum enim cum interrogarem de duobus seruis tuis, uno deformi fideli, alio pulchro infideli, quem magis diligeres, respondebas mihi iuste, & præponebas quod præponendum fuit. Redi in te, quia modo agitur de teipso. Certe amasti seruum fidelem. Dominus tuus indignus est si te habeat seruum fidelem, & tu seruo tuo fideli pro magno quid promittebas, ut multum diligeres, summum præmium libertatis. Quid magnum promittebas fideli seruo tuo? Libertatem temporalem. Nonne uidemus multos seruientes non egentes, & liberos mẽdicantes? En exigebas ab eo fidem cui promittebas libertatem, nec ei seruas fidem qui tibi promittit æternitatem? Longum est per singulos corporis sensus excurrere, sed quod de oculis dixi, hoc de cæteris intelligite, & præponite delectationi carnis delectationem mentis. Carnem quippe uestram delectant illicitæ uoluptates, mentem uestram delectet inuisibilis, pulchra, casta, sancta, canora, dulcis iustitia, ut non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimini, nondum delectat. Peccare non debes, timore pœnæ, sed amore iustitiæ, Hinc Apostolus dicit, Humanum dico propter infirmitatem carnis uestræ. Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire iniustitiæ & iniquitati, sic nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificatione. Quid dixi? Humanum dico, quod potestis portare dico. Quando exhibuistis membra uestra iniquitati ad flagitia perpetranda, timore adducti estis, an delectatione inuitati? Quid dicitis? Respõdete nobis, quia & qui bene uiuitis, male aliquando fortasse uixistis. Quando peccabatis, delectabamini in peccatis uestris, timor uos adducebat ad peccandum, an suauitas peccati? Respondebitis, suauitas. Ad peccatum suauitas adducit, & ad iustitiam timor impingit? Probate uos, inspicite uos, tollat aurum qui minatur, suauior est iustitia, B lucidior est iustitia. Non det aurum qui promittit, præponenda auro iustitia, delectando præponenda est, fulgentior est, lucidior est, suauior est, dulcior est. Iam ergo si quis se probat & in hoc certamine superauit, audiuit Apostolum dicentẽ, Humanum dico propter infirmitatem carnis uestræ. Sine dubio pepercit infirmitati, & nescio quid gratius minus idoneis dicere tentauit. Ecce, inquit, hoc dico quod capere potestis, Exhibuistis membra uestra delicijs illicitis, peccatorum suauitate ducti estis ut illa faceretis: ducat uos ad recta facta suauitas & dulcedo iustitiæ, amate iustitiam quomodo amastis iniquitatem. Digna est à uobis iustitia quæ impetret ut exhibeatis illi quod exhibuistis iniquitati: hoc est, humanum dico; hoc est, C q̃d infirmitas uestra tolerare adhuc potest. Quid ergo suspendit Apostolus? Quid distulit dicere? Quid distulit? Dicam si potero, Appende iustitiam & iniquitatem. Tantumne digna est iustitia, quantum digna fuit iniquitas? Sic amanda est ista iustitia, quomodo amata est illa? Absit ut sic, sed et utinam uel sic. Ergo plus? Plus omnino. In iniquitate secutus es uoluptatem, pro iustitia tolera dolorem. In iniustitia, inquam, sectatus es delectationem, p̃ iustitia tolera dolorem, hoc est plus. Ecce nescio quis ætatis lubricæ impudicus adolescens, suauitate illiciente iniecit oculos in coniugem alienam, amauit, cupit peruenire, quærit tamen latere. Sic enim amat uoluptatem, ut plus timeat dolorẽ. Quare quærit latere? Timet apprehendi, ligari, adduci, includi, produci, torqueri, occidi. Hæc D eẽ omnia timendo, illa appetitione suauitatis suæ latebras quærit, aucupatur absentiã mariti, ipsum adiutorem flagitij sui timet inuenire, quia conscio se formidat implicare: Et uidemus eum suauitate duci, sed suauitas illa non est tanta ut uincat etiam timorem & dolorẽ timoremq; pœnarum. Da mihi pulchram iustitiam, da mihi fidei pulchritudinem. Procedat in mediũ, ostẽdat se oculis cordis, inspiret feruorẽ amatorib. suis. Iam tibi dicit, Frui me uis, contemne quicquid te aliud delectat, contemne pro me. Ecce contempsisti, parum est illi: Humanum est hoc propter infirmitatẽ carnis uestræ. Parum est ut contemnas quicquid te delectabat, contemne quicquid te terrebat, cõtemne carceres, contemne uincula, contemne eculeum, contemne

Rom. 6 — Psal. 35 — Psal. 12 — Luc. 8 — 2. Cor. 2 — Can. 2 — Psal. 36

tormenta, contemne mortem, Hæc uicisti, me inuenisti. In utroq; gradu amatores iustitiæ uos probate. Inuenimus forsitan aliquos qui proponãt iustitiæ delectationem, uoluptatibus & delectationi corporis sui: Qui aũt pro illa pœnas, dolores mortemq; contemnat, putas est aliquis in uobis? Saltẽ cogitemus quod profiteri nõ audemus. Quid cogitamus? Vbi cogitamus? Milia martyrum adiacent oculis nostris, ipsi ueri amatores perfectiq; iu
Iaco.1 stitiæ: de illis dictũ est, Omne gaudium existimate fratres mei cũ in tentationes uarias incideritis, scientes q; probatio fidei uestræ patientiam operat, patientia autem opus perfectũ habet. Quid addi potest ut opus perfectum habeat, amat, ardet, feruet, calcat omnia quæ delectant, & trãsit, uenit ad aspera, horrenda, truculenta, minãtia, calcat, frangit & trãsit. O amare, ó ire, ó sibi perire, ó ad deum
Matt.10 peruenire. Qui animam suam amat perdet illã, & qui perdiderit animam suam propter me, in uitam æternam inueniet illam. Sic armandus est amator iustitiæ, sic armãdus est amator inuisibilis pulchritudinis. Quæ dico uobis in tenebris, dicite in lumi
Ibidem ne? Quæ dico & auditis mente, dicite præsumentes. Et quod in aure auditis, super tecta prædicate. Quid est, in aure auditis? In secreto auditis, qa profiteri & confiteri adhuc timetis, Quid est ergo super tecta prædicate? Domus uestra corpora uestra, domus uestræ carnes uestræ. Ascẽde in tectũ, calca carnem & prædica uerbũ. Sed prius fratres C mei plangite quod eratis, ut quod nondum estis, esse possitis, hoc est quod loquor. Magnum est. Et unde nobis magnum? Summum est, perfectũ est,
Iaco.1 optimũ est. Vnde nobis? Audite unde nobis, Omne datum optimũ, & omne donum perfectũ desursum est, descendens à patre luminũ, apud quẽ non est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. Inde est quod nondum habemus bonum, inde est quod nõdum habemus. Non habetis, petite & accipietis. Si uos, ait saluator, si uos cũ sitis mali nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis pater uester cœlestis dabit bona petentibus se. Examinet se ergo omnis homo, & quicquid in se boni inuenerit, quod pertineat ad iustificationem nostram, agat gratias illi qui dedit, & agendo gratias D illi qui dedit, ab illo petat & quod nondum dedit. Non em̃ tu in accipiendo proficis, & ille in dando defecit. Quantumlibet capaces fauces, capacẽ uẽtrem afferas, fons uincit sitientem.

1.Cor.6 De uerbis Apostoli, Nescitis quia corpora uestra membra Christi sunt.

Sermo XVIII.

A A POSTOLVM audiuimus cum legeretur, corripientem & coercentem humanas libidines, & dicentem, Nescitis quia corpora uestra membra Christi sunt? Tollẽs ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Corpora ergo nostra membra Christi esse dixit, quoniam Christus caput nostrum est, eo q; homo factus est propter nos. Caput de quo dictum est ipse saluator corporis nostri, corpus autẽ A eius ecclesia est. Si ergo dominus noster Iesus Christus tantummodo animam humanam susciperet, membra eius non essent nisi animæ nostræ: quia uero & corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis qui ex anima & corpore constamus, profecto illius membra sunt & corpora nostra. Sic ergo unusquisq; cupiens fornicari uilescat sibi, & in seipso contemnat seipsum, ut non in se contemnat Christum, non dicat, Faciam, nihil sum: Omnis caro fœnum: sed corpus tuum membrum est Christi. Quò ibas? Redi. Quo te præcipitare cupiebas? Parce in te Christo, agnosce in te Christum, Tollens ergo membra Christi, faciam mem- B bra meretricis? Meretrix est enim quæ tibi adulterium consentit, & cum forte ipsa Christiana tollit membra Christi, & facit membra adulteri, inuicem in uobis contemnitis Christum nec agnoscitis dominum nostrum, nec cogitatis precium uestrum. Qualis autem ille dominus, qui seruos suos fecit fratres suos? Sed parum erat fratres suos, nisi faceret membra sua. Itáne tanta dignitas uiluit? Quia tanta benigne præstita est, non honor ei retribuitur? Si non præstaretur, desideraretur, quia præstita est, contemnitur. Hæc autem corpora nostra, quę dicit Apostolus membra esse Christi, propter corpus Christi quod ex genere corporis nostri suscepit, hæc ergo corpora nostra idem Apostolus templum esse in nobis spiritussancti, quem C habemus à deo. Propter corpus Christi corpora nostra membra sunt Christi, propter inhabitãtem spiritum Christi corpora nostra sunt templum spiritussancti. Quid horum in te contemnis? Christũ cuius membrum es, an spiritum sanctum cuius tẽplum es? Ipsam meretricem quæ tibi consentit ad malum, non audes fortasse introducere in cubiculum tuum, ubi habes lectum tuũ coniugalem, sed quæris aliquem abiectũ in domo tua & turpem locum in quo turpiter uoluteris. Defers ergo honorem cubiculo uxoris tuæ, & nõ defers templo dei tui? Non introducis impudicam ubi dormis cum coniuge tua, & tuipse is ad impudicam cũ sis templum dei? Puto quia melius est templũ dei, quàm cubiculum uxoris tuæ. Quocunq; enim ieris, le- D sus uidet te qui fecit te, & perditum redemit te, & pro mortuo mortuus est pro te, Tu te non cognoscis, sed ille à te oculos non auertit, non ad adiuuãdum sed ad puniendum. Oculi enim domini su- Psal.33
per iustos, & aures eius ad preces eorum. Cõtinuo subiecit, & terruit eos qui sibi malã securitatẽ dabant, qui sibi dicebant, Faciã, Non enim deus metam turpia facientem dignat attẽdere. Audi quid sequitur, cuius sis attende, quoniã quocunq; ieris
Psal.33 Iesus uidet. Vultus autem domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Sed de qua terra? Vbi dicitur, Spes mea es tu, portio mea in terra uiuentium. Forte enim malus, iniquus, adulter, impudicus, fornicarius gaudet quia facit, & senescit in quo libido non senescit, dicit apud se, Certe uerum est, Vultus autem domini super facientes

facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Ecce ego iam senui, qui ab ineunte ætate usque ad hodiernum diem tanta commisi, multos castos ante me sepeliui, multorum castorum funera iuuenum ad sepulchrum ipse deduxi, & pudicis impudicus superuixi. Quid est quod dicitur, uultus domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum? Est alia terra ubi non est impudicus, est alia terra in regno dei. Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque mascu lorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici regnum dei possidebunt, hoc est, perdit de terra memoriam eorum. Multi enim talia cõmittentes, spem sibi ponunt: propter eos qui perdite uiuentes spem sibi B ponunt in regno dei, quò non accessuri sunt, dictum est, Perdit de terra memoriam eorum. Erit enim cœlum nouum, & terra noua quam iusti inhabitabunt: Ibi impij, ibi mali, ibi nequissimi habitare non sinuntur. Eligat modo qui talis est ubi desideret habitare, cum tempus est ut possit mutari. Duæ quippe habitationes sunt, una in igne æterno, alia in regno æterno. Puta quia in igne æterno aliter ille, aliter ille torquebuntur, ibi erunt, tamen ibi omnes cruciabuntur, minus ille, plus ille, Quia tolerabilius erit Sodomæ in die iudicij quàm alteri ciuitati: & quidam circumeunt mare & terram facere unum proselytũ, quem cum fecerint, faciunt eum filium gehennę duplo quàm sint ipsi. Puta qa alij duplo, alij simplo, puta quia C alij plus, alij minus. Nõ est regio ubi tibi eligas locum. Quæcunq; ibi mitiora tormenta sunt, peiora sunt quã quæ formidas in isto seculo. Cogita quomodo tremebas si tibi aliquis calumnietur, ne mittaris in carcerem: & tuipse contra te male uiuis ut mittaris in ignem. Ccontremiscis, conturbaris, pallescis, ad ecclesiam curris, episcopum uidere desideras, ad pedes eius uolutaris. Quærit, quare? Libera me. Quid agitur? Ecce ille mihi calumniatur. Et quid tibi facturus est? Domine concutior, domine in carcerem mittor, miserere mei, libera me. Ecce quomodo timetur carcer, quomodo timetur conclusio, & non timetur gehennæ exustio. Postremo quando augetur calamitas, & pressura sæuit atrocior, & usque ad D mortem sæuit, quando bonum uidetur homini ne moriatur, ne occidatur, debere succurri, omnes clamant, adiutoria cuncta implorantur, subueni te, currite propter animam. Tota exaggeratio calamitatis est, quia dicitur, propter animã. Succurrendum est quidem, nec huic tumori adiutorium denegandum, faciendum quod fieri potest à quo potest. Veruntamen ego interrogare uolo periclitantem, & isto nomine mea uiscera cõmouentem, quoniam dicit, currite propter animam. Facile huic ego respondeo, Ego quidem curro propter carnem tuam, utinam tu curreres propter animam tuam. Et tu noueris, quia propter corpus tuum curro, non propter animam tuam melius audio Christum uera dicẽtem quàm te timore falso murmurantem. Ipse enim dominus dicit, Nolite Matth.10.
A timere eos qui corpus occidũt, animã autem non possunt occidere, Certe propter animã tuam meuis currere: Ecce quem times & sub cuius comminationibus expallescis, non potest occidere animam tuam, usq; ad corpus sæuit, tu noli sæuire in animã tuam. Ab illo occidi non potest, à te potest, non lancea, sed lingua. Inimicus qui te percutit finit hanc uitam: Os autem quod mentitur, occidit animam. Ex his ergo quæ in hoc tempore homines timent, conijciant quę timere debeant. Timet enim carcerem, & non timet gehennã, timet quęstionarios tortores, & non timet infernales angelos, timet cruciatum temporalem, & non timet pœnas ignis æterni, postremo timet ad modi- B cum uri, & non timet in æternum mori. Ille qui te occisurus est quem times, quẽ exhorrescis, quẽ fugis, à cuius timore non sineris dormire, et ipsum in somnis si uides cum dormieris, expauescis, quid est facturus tibi? Exclusurus est de carne tua animam tuã. Anima tua exclusa quò uadit? Nec em̃ potest ille aliter carnem tuam occidere, nisi inde excludat animam tuam, per quam uiuit caro tua. Præsentia quippe animæ tuæ caro uiuit, & quandiu in carne tua præsens est anima tua, necesse est ut uiuat caro tua. Ille autẽ qui tuam mortem quærit, eijcere uult de carne tua uitam tuam qua uiuit caro tua. Putas, non est aliqua uita qua uiuit ipsa anima tua? Est enim anima uita quædam, qua uiuit caro tua. Putas nulla alia uita est, qua uiuit C ipsa anima tua? Aut quomodo habet caro tua uitam, animam qua uiuit caro tua? Fit & ipsa anima tua ut habeat aliquam uitam suam: & quomodo caro cum moritur expirat animam uitam suam, sic & anima quando moritur expirat aliquam uitam suam. Si inuenerimus quæ sit hæc uita, non corporis tui quod est anima tua, sed uita uitæ corporis tui, hoc est uita animæ tuæ, Si inuenerimus eam ex hac morte qua times ne de carne eijciatur anima tua, puto quia debes timere illam mortem, ne uita animæ tuæ profijciatur de anima tua. Breuiter ergo dicam. Et quid multis teneor? Vita corporis anima est, uita animæ deus est. Spiritus dei habitat in anima, & per animam in corpore, ut & corpora nostra templum sint spiritussancti quem habemus à deo. Venit enim spiritus ad animam nostram, quia charitas dei diffusa est Rom.5
in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis, & totum possidet qui principalem tenet. In te quippe illud principatur quod melius est. Tenens deus quod melius est, id est, cor tuum, mentem tuam, animam tuã, profecto per meliorẽ possidet & inferiorẽ quod est corpus tuum. Sęuiat igitur inimicus, minetur mortem, faciat si permittitur, excludat de carne animam tuam, anima tua non excludat à se uitam suam. Si recte plangis, & putas te miserabiliter dicere inimico tuo, Noli ferire, parce sanguini meo, non tibi dicit deus, Miserere animæ tuæ placens deo? Anima tua forte dicit, Roga illum ne feriat, nam dimitto te. Si enim percusserit, manere tecum non possum

ſum: Roga ne feriat, ſi uis ut non te dimittã. Quæ tibi dicit, ſi uis ut non te dimittam? Tu ipſe. Tu enim qui loqueris, anima es. Si enim percuſſerit carnem, tu fugis, tu exis, tu migras, iacet terra in terra. Vbi erit quod animauit terram, quod flatu dei tibi datum eſt, ubi erit? Si non efflauit uitam ſuam, id eſt, deum ſuum, in illo erit quem non perdidit, in illo erit quem non à ſe excluſit. Si autem obtemperas infirmitati animæ tuæ, dicenti tibi, Ferit & dimitto te, non times deum dicentem tibi. Peccas, et dimitto te. De timore uano timorem utilem capiamus, Timor uanus eſt omnium hominum timentium amittere temporalia, quandoq; migraturorum & migrare trepidantium, uolentium ſemper differre quod non poſſunt auferre. Vanus eſt iſte timor hominum, & tamẽ eſt, & uehemens eſt, & reſiſti ei non poteſt. Hinc increpandi, hinc obiurgandi, hinc plangendi, hinc lugendi homines timentes mori, & nihil aliud agentes, niſi ſerius mori. Quare non agunt non mori? Quoniam qui id agunt, non efficiunt ut non moriantur. Poſſunt autem aliquid agere, quò efficiant ut nunquam moriantur? Nullo modo. Prorſus quicquid egeris, quantumcunque inuigilaueris, quocunque fugeris, quælibet munimẽta quæſieris, quibuslibet diuitijs te redemeris, quibuslibet calliditatibus hoſtem fefelleris, non fallis febrem. Nihil enim aliud agis ut non cito ab hoſte moriaris, niſi ut ſerius aliquando à febre moriaris. Habes quod agas ut nunquam moriaris. Si times mortem, ama uitã. Vita tua deus eſt, uita tua Chriſtus eſt, uita tua ſpiritusſanctus eſt. Non illi places male agendo, templum ruinoſum non inhabitat, templum ſordidum non ingreditur, ſed geme ad illum ut mundet ſibi locum, geme ad illum ut ædificet templum ſibi, quod tu deſtruxiſti ipſe cõſtruat, quod tu exterminaſti ipſe reformet, quod tu deieciſti ipſe erigat. Clama ad deum, clama interius, clama ubi audit, quia & ibi uidet, clama ubi audit: & cum timorem correxeris, & uirili ter timere cœperis, nõ temporales cruciatus, ſed æterni ignis ſupplicia, & ideo adulter non fueris: Hinc enim loquebamur propter Apoſtolum, qui
1. Cor. 6 dixit: Corpora ueſtra membra Chriſti ſunt: Cum ergo ideo adulter eſſe non cœperis, quia times ardere in igne ſempiterno, nondum laudandus es, non quidem ita dolendus ut ante, ſed tamen nondum laudandus. Quid enim magnum eſt timere pœnam? Magnum eſt, ſed amare iuſtitiam. Interrogo te, & inuenio te. Tu inſpice interrogationẽ meam ſonãtem, & fac de teipſo interrogationem ſilentem. Dico ergo tibi, Libidine uictus habes conſentientem, quare non committis adulteriũ? Et reſpondebis, quia timeo gehennam, timeo ſupplicium ignis æterni, timeo iudicium Chriſti, timeo ſocietatem diaboli, ne puniar ab illo, cum illo ardeam. Quid dicturus ſum? Male times? Quomodo tibi dicebam de aduerſario, quia quærebat corpus tuum occidere? Ibi enim recte dicebam, male times, ſecurum te fecit dominus tuus,
Matth. 10 dicens: Nolite timere eos qui corpus occidunt.

Modo cum dicis mihi gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, Quid dicturus ſum? Male times? uane times? Non audeo, quandoquidem ipſe dominus ablato timore ſubiecit timorem: & ait, ubi dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, & poſtea non habent quid faciant: ſed eum timete, qui habet poteſtatẽ & corpus & animam mittere in gehennam ignis: ita dico uobis hunc timete. Cum ergo dominus timorem incuſſerit, & uehementer incuſſerit, & repetendo uerbum, comminationem ingeminauerit, dicturus ego ſum, male times iſta? Non dicam. Planè time, nihil melius times, nihil eſt quod magis timere debeas. Sed interrogo te, Si non te uideret deus, quando facis, nec quiſquam te cõuinceret in iudicio illius, faceres? Tu te uide. Non enim potes ad uerba omnia mea reſpondere, inſpice teipſum. Faceres? Si faceres, ergo pœnam times, charitatem nondum habes, ſeruiliter times, formido eſt mali, nondum delectatio boni: ſed time etiam ut iſta formido cuſtodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iſte quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & ſi uolentem peccare animo interiore non ſinit: eſt quidam cuſtos timor, quaſi pædagogus legis, litera eſt minans, nondum gratia iuuans. Cuſtodiat tamen timor iſte dum non facis timendo, & uenient charitas: intrat in cor tuum, & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat ne faceres, charitas hoc agit ut nolis facere etiam ſi impune poſſis admittere. Dixi quid timeatis; dixi quid appetatis. Sectamini charitatem, intret charitas, admittite illam, timendo peccare admittite amorem nõ peccãtem, admittite amorem bene uiuentem. Illa ut dicere cœperam intrante, incipit timor exire. Quanto plus illa intrauerit, tanto timor minor erit. Cũ illa tota intrauerit, nullus timor erit, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Intrat ergo charitas, pellit timorem, non autem intrat & ipſa incomitata. Habet ſecũ ſuum timorem quem introducit ipſa, ſed illum caſtum permanentem in ſeculum ſeculi. Seruilis timor eſt quo times cum diabolo ardere, timor caſtus eſt quo times deo diſplicere. Conſiderate chariſſimi, & ipſos humanos interrogate affectus. Timet ſeruus offendere dominum ſuum, ne iubeat eum uerberari, iubeat in compedes mitti, iubeat carcere includi, iubeat eum piſtrino conteri. Hæc timens ſeruus non peccat, ſed quando ſentierit abſentes oculos domini ſui, nec habuerit teſtem à quo poſſit conuinci, facit. Quare facit? Quia pœnam timebat, non iuſticiam diligebat. Vir autem bonus, uir iuſtus, homo liber (nam ſolus iuſtus liber, Omnis eẽ qui facit peccatum, ſeruus peccati eſt) delectatur ipſa iuſtitia, & ſi poſſit ſine teſte peccare, & teſtem reformidat & deum: & ſi poſſit audire deum dicentem ſibi, uideo te cum peccas, non te damnabo, ſed diſplices mihi, ille nolens diſplicere oculis patris, non formidoloſi iudicis, timet non ne damnetur, non ne puniat, non ne crucietur: ſed ne offendat

dat gaudium paternum, ne diſpliceat oculis amantis. Si enim amat ipſe, & amantem ſui dominum ſentit, non facit quod diſplicet amanti ſe. Lubricos & inhoneſtos amores attendite. Si quis amore fœminę laſciuus & nequã ueſtit ſe aliter quàm illi placet, ueſtit ſe aliter quàm amatæ ſuæ placet, aut ornat ſe aliter quàm illi placet, & illi dixerit, nolo te habere tale byrrhũ, non habet: ſi per hyemem illi dicat, in lacerna te amo, eligit tremere quàm diſplicere. Nũquid illa cui diſplicet damnatura eſt? Nunquid in carcerem miſſura? Nunquid tortores adhibitura? Hoc ſolum ibi timetur, non te uidebo, hoc ſolũ ibi contremiſcitur, faciem meam non uidebis. Si hoc impudica dicit & terret, deus dicit & non terret? Sanè plurimum, ſed & ſi amamus. Si autẽ non amamus, nõ inde terremur, ſed terremur ut ſerui de igne, de gehenna, de atrociſſimis tartareis minis, de exaggeratiſſimis diaboli angelis, eiusq; ſupplicijs, uel inde terreamur. Si illud minus amamus, uel illa timeamus, non ergo fiant fornicationes. Templum dei eſtis, & ſpiritus dei habitat in uobis. Si quis templũ dei corruperit, corrumpet illum deus. Licita ſunt matrimonia, nihil amplius requiratis. Non enim grande onus impoſitũ eſt uirginibus, maior amor impoſuit maius onus. Virgines quod licebat noluerunt, ut plus placerent ei cui ſe deuouerunt. Ambierunt illam maiorem pulchritudinẽ cordis ſui. Quid iubes? Tanquam dicerent. Quid iubes? Ne adulteræ ſimus hoc præcipis? Amando te, plus fa
1 Cor. 7 cimus, quàm iubes. De uirginibus, ait Apoſtolus, præceptum domini non habeo. Ergo quare hoc faciunt? Conſilium autem do. Illæ autem amantes, quibus terrenæ nuptiæ uiluerunt, quę terrenos amplexus non deſiderauerunt, uſqueadeo acceptauerunt præceptum, ut non recuſarẽt conſilium, ut plus facerent, plus ſe ornauerunt. Corporis enim huius, id eſt, exterioris hominis ornamenta, quanto magis appetuntur, tanto ſunt interioris maiora detrimenta. Quanto autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis moribus pulchris homo interior ador-
1. Pet. 3 natur. Vnde dicit & Petrus, Ornantes ſe non in tortis crinibus. Cum enim diximſſet, Ornantes ſe, quid aliud à carnalibus quàm uiſibilia iſta ornamenta putarentur? Continuo tulit cogitationi quod cupiditas inquirebat. Non, inquit, in tortis crinibus, neq; auro, uel margaritis, uel ueſte preciosa, ſed ille abſconditus cordis homo, qui eſt ante deũ diues. Neque enim deus diuitias daret exteriori homini, & inopẽ relinqueret interiorem: dedit inuiſibili diuitias inuiſibiles, & inuiſibilem ornauit inuiſibiliter. His ornamentis ſtudentes dei puellæ, ſanctæ uirgines, nec quod licebat appetierunt, nec quod cogebantur conſenſerunt. Multæ etiam parentum ſuorum contrarios conatus, igne ſuperni amoris ſuperauerunt. Iratus eſt pater, plorauit mater, non curauit illa, cui ante oculos uerſabatur ſpecioſus forma præ filijs hominũ. Et quippe ſe ornari deſiderauit, ut totam eius curam gereret. Et quia quæ nupta eſt cogitat quæ ſunt mũdi, quomodo uiro placeat, quæ autẽ innupta eſt, cogitat quę ſunt dei, quomodo placeat deo. Vide te quid ſit amare. Non dixit, cogitat ne damnetur à deo. Adhuc enim iſte timor ille ſeruilis eſt, cuſtos quidem malorum ut abſtineant à malis, & abſtinendo digni ſint ad ſe admittere charitatẽ. Sed illæ non cogitant quemadmodum non puniãtur à deo, ſed quomodo placeant deo pulchritudine interiore, decore occulti hominis, decore cordis, ubi illius oculis nudæ ſunt, nudæ intus non foris, integræ & intus & foris. Vel uirgines doceant cõiugatos & coniugatas, non ire in adulterium. Illæ faciunt plus quàm licet, illæ non faciant quod non licet.

De uerbis Apoſtoli, Non ſic pugno quaſi aerem cædens. Et de conſtituendis epiſcopis.

Sermo XIX

A *Titulus qui huic ſermoni præponitur non tractatur in progreſſu ſermonis.*

EATI Apoſtoli epiſtola cum legeretur de conſtituendis epiſcopis, commemorauit nos ſine dubio reſpicere in nos & uos, commemorauit iudicare nos, maxime quia omnes audiuimus capitula euangelicæ recẽtis lectionis nouiſſima ſententia, Nolite iudicare perſonaliter, ſed iuſtum iudiciũ iudicate. Perſonã itaque iudicando nemo accipit alienã, ſi non accipit ſuam. Beatus Apoſtolus ait quodam loco. Nõ ſic Ioan. 7
pugno quaſi aerẽ cædens, ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte alijs prædicans ipſe reprobus inueniar. Suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, ubi aries tremit? Inter multa ergo quibus ſcripſit Apoſtolus, qualis eſſe epiſcopus debeat, etiã illud audiuimus, unde modo forſitan loqui & diſputare non ſufficiat. Si enim ſingula diſcutere, & de ſingulis, ut dignum eſt, diſputare conemur, nec noſtrę uires ſufficiunt ad loquendum, nec ueſtræ ad audiendum. Quid ergo eſt quod uolo dicere, ſi adiuuet me quod terruit me? Inter cętera ait epiſcopum potentem eſſe Tit. 1
debere in doctrina ſana, ut contradicentes redarguere poſſit. Magnum opus eſt, grauis ſarcina, procliuum arduum. Sed ſperabo, inquit, in deum, Pſal. 90
quoniam ipſe liberabit me de laqueo uenantium & à uerbo aſpero. Nulla enim cauſa eſt quę magis facit hominem diſpenſatorem dei pigriorem ad redarguendos contradicentes, quàm timor uerbi aſperi. Prius ergo quid ſit contradicentes redarguere, ut dominus donauerit, exponã uobis. Contradicentes non uno modo intelligẽdi ſunt. Pauciſſimi enim uobis contradicunt loquendo, ſed multi male uiuendo. Quando mihi audet dicere Chriſtianus, bonum eſſe rapere res alienas, quandoquidem non audet dicere bonum eſſe tenaciter ſeruare res ſuas? Nunquid enim diues ille cui Luc. 12
ſucceſſerat regio, & non inueniebat ubi poneret fructus ſuos, & ſe conſilium inueniſſe, gaudebat deſtruendi ueteres apothecas, & conſtruendi nouas ampliores, ut impleret eas, & diceret animæ ſuæ, Anima habes multa bona in multũ tempus, lætare, iocũdare, ſatiare, Nunquid ergo iſte diues aliena quærebat? Fructus ſuos colligere diſponebat, ubi poneret conſulebat, non de cuiuſq; uicini

agris

agris, non limite perturbato, non expoliato pauperе, non circumuento simplice, tantūmodo de suis colligendis cogitabat. Audite quid audierit qui tenaciter seruabat sua, & hinc intelligite quid expectent qui rapiunt aliena. Cū ergo se prudentissimum consilium inuenisse arbitraretur, de apothecis ueteribus angustis deijciendis, & amplioribus nouis ædificandis, & omnibus suis fructibus colligendis & recondendis, non alienis concupiscendis atq; rapiendis: ait illi deus, Stulte, ubi tibi sapiens uideris ibi stulte. Stulte, inquit, hac nocte repetunt à te animā tuam, hæc quæ præparasti cuius erunt? Si seruaueris tua non erunt, si erogaueris tua erunt. Quid, inquit, reponis, qui relicturus es? Ecce increpatus est stultus male recondens. Si stultus est qui recondit sua, uos inuenite nomen eius qui tollit aliena. Si sordidus est recōditor suorum, ulcerosus est raptor alienorū. Sed non qualis ille ulcerosus qui iacebat ante ianuā diuitis, & cuius canes lingebant ulcera. Ille enim ulcerosus erat in corpore, non raptor in corde. Fortassis aliquis respondeat & dicat, Non ualde magna pœna erat illi homini, cui dixit deus, Stulte. Non sic dicit deus, stulte, quomodo homo dicit. Tale in quenquā dei uerbum iudiciū est. Nunquid enim deus stultis daturus est regnū cœlorū? Quibus autem non est daturus regnū cœlorum, quid eis restat, nisi pœna gehēnarū? Cōijcere hoc uidemur, aperte hoc manifesteq; uideamus. Nam & ille diues ante cuius ianuam iacebat pauperrimus ulce-
Luca 16 rosus, non est dictus raptor rerum alienarum. Erat quidam diues, inquit, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie splēdide. Diues, inquit, erat: non dixit, calumniator: non dixit, pauperum oppressor: non dixit, rerum alienarū raptor, aut delator, aut receptor: non dixit, pupillorum spoliator: non dixit, uiduarum persecutor. Nihil horum, sed erat quidam diues. Quid magnū est? Diues erat, de suo diues erat. Cui aliquid tulerat? an forte illi auferret, & dominus de illo reticeret, & personam eius acciperet, si crimina eius abscon-
Ioan. 7 deret, qui nobis dicit: Nolite personaliter iudicare? Si uis ergo audire crimen diuitis illius, noli amplius quærere quàm audis à ueritate. Diues erat induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie splendide. Quod ergo eius crimen? Iacens ante ianuam ulcerosus & non adiutus. Hoc enim aperte de illo dictum est, quòd immisericors erat. Nunquid enim charissimi, si pauper ille ante ianuam iacens sufficientem panem à diuite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis? Propter hanc solam inhumanitatem qua contemnebat pauperem ante ianuam suam iacentem, nec congrue dignecq; pascebat, mortuus est & sepultus est. Et cū apud inferos in tormentis esset, leuauit oculos suos, & uidit pauperem in sinu Abrahæ. Et quid multis immorer? Desiderauit guttam, qui non dedit micam. Nonne accepit iustam sententiam, qui non dedit crudeli auaricia? Si hæc ergo pœna est auarorum, quæ pœna raptorum? Sed ait mihi raptor rerum alienarum. Ego similis illius diuitis non sum, Agapes facio, uinctis in carcere uictum mitto, nudos uestio, peregrinos suscipio. Dare te putas, tollere noli, & dedisti. Cui dederis gaudet, cui abstuleris plorat: quem duorum istorū ex auditurus est dominus? Dicis ei cui dederis, Gratias age quia accepisti. Sed alter tibi ex alia parte dicit, Ego gemo cui abstulisti: & penè totū tenuisti, & exiguum illi dedisti. Si ergo quod alteri abstulisses egentibus dedisses, nec talia opera diligit deus. Dicit tibi deus, stulte, iussi ut dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo: si non habes quod des de tuo, melius nulli dabis, quàm alteros spoliabis. Dicturus est dominus Christus cum in iudicio suo sederit, & alios ad dexteram, & ad si-
B nistram alios separauerit, bene operantibus, Ve- Matt. 25
nite benedicti patris mei percipite regnum. Sterilibus autem qui nihil boni in pauperes operati sunt, Ite in ignem æternum. Et quid dicturus est bonis? Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, & cætera. Et respondebunt illi, Domine quando te uidimus esurientem? Et ille ad eos, Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Intellige ergo stulte, qui uis eleemosynas facere de rapinis, quoniam si quando pascis Christianum, pascis Christum: quando spolias Christianum, spolias Christum. Attendite quid sinistris dicturus est, Ite in ignem æternum. Quare? Esuriui, & non dedistis mihi manducare: nudus fui, & non uestistis me. Ite. Quò? In ignem æternum. Prorsus ite,
C Quare? Nudus fui, & non uestistis me. Si ergo in ignem æternum ibit cui dicturus est Christus, Nudus fui, & non uestistis me: quem locum in igne æterno habebit, cui dicturus erit, Vestitus fui, & spoliasti me? Hic fortasse ut euadas hanc uocem, ne dicat tibi Christus, uestitus fui, & spoliasti me, mutata consuetudine, cogitas spoliare Paganum, & uestire Christianum. Et hic respondebit tibi Christus, imo respondet tibi nunc per seruum qualemcunque ministrum suum, respondebit tibi Christus & dicet, Etiam hic parce damnis meis. Cum enim tu qui Christianus es spolias Paganum, impedis fieri Christianum. Eia & hic fortasse respondebis, Adhuc ergo non odio pœnam ingero, sed dilectiōe potius disciplinæ, Ideo
D spolio paganum, ut per hanc asperam et salubrem disciplinam faciam Christianū. Audirem & crederem, si quod abstulisti pagano, redderes Christiano. Diximus contra unum uitiū rapinarum, quo res humanæ usquequaq; uastātur, diximus, & nemo nobis contradicit. Quis enim audit apertissimæ loquendo contradicere ueritati? Non ergo fa- Tit. 1
cimus quod Apostolus monuit, non cōtradicentes redarguimus, obedientes alloquimur, laudantes instruimus, non contradicentes redarguimus. Ita uero non contradicunt lingua, sed uita. Moneo, rapit: doceo, rapit: præcipio, rapit: arguo, rapit. Quomodo non contradicit? Dicam ergo quod de hac re sufficere existimo. Abstinete uos fratres, abstinete uos filij, abstinete uos à consuetudine rapiendi, & uos qui sub manibus raptorum

rum gemitis, abstinete uos à cupiditate rapiendi. A Alius potens est & rapit, tu in manu raptoris gemis, quia rapere non potes, ideo non facis. Habeto facultatem, & ibi laudabo domitam cupidi-
Eccl. 3 tatem. Beatum sancta scriptura dicit, qui post aurum non abijt, qui potuit transgredi, & non est transgressus, qui facere mala potuit & non fecit. Tu autē dicis, Nunquā negaui rem alienā. Quia forte nemo tibi commendauit, aut forte cōmendauit, sed sub testibus commendauit. Dic mihi reddidisti quando à solo solus accepisti, ubi deus inter uos fuerat? Si tunc reddidisti, si mortuo qui cōmendauit, nescienti filio reddidisti, tunc te laudabo, quia post aurum non isti, quia potuisti transgredi & non es transgressus, quia potuisti mala fa-
B cere & non fecisti. Si forte alienum sacculum solidorum, ubi nemo te uidit in uia inuenisti, & sine ulla mora cuius fuerat reddidisti. Eia fratres, redite ad uos, inspicite uos, interrogate uos, uera respondete uobis, & iudicate uos non secundum personam, sed iustū iudiciū iudicate. Ecce Christianus es, ecclesiam frequentas, uerbū dei audis, de lectione uerbi dei lætissime commoueris, Tu laudas tractātem, ego quæro facientē: tu inquam laudas dicētem, ego quero faciētem. Christianus es, frequentas ecclesiam, amas uerbum dei, libenter audis, Ecce hoc quod propono in eo te examina, in eo te appende, in eo ascende mentis tuæ tribunal, & constitue te ante te, iudica te, & si prauum inueneris, corrige te. Propono ergo. Deus
C dicit in lege sua, inuentionem esse reddēdam: deus in lege sua dicit, quam primo populo dedit, pro quibus Christus nondum erat mortuus, inuentionem tanquam alienum esse reddendam. Si quisquam, uerbi gratia, in uia inueniat alienum sacculum solidorū, deberet reddere, sed nescit cui. Non se excusat ignorantia, si non dominetur auaricia. Dicam uestrę charitati, quoniam dona dei sunt, et sunt in populo dei qui non frustra audiunt uerbū dei. Dicam quod fecerat pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis, tam pauper ut proscholos esset grammatici, sed plane Christianus, quamuis ille esset paganus grammaticus, melior ad uelum quàm in cathedra. Inuenit sacculū, nisi forte me numerus fallit, cum solidis fermè ducentis, memor legis proposuit pitacium publice.
D Reddendum enim sciebat, sed cui redderet ignorabat, proposuit pitacium publice, Qui solidos perdidit, ueniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circūquaque uagabatur, inuento & lecto pitacio, uenit ad hominem: & ne forte quæreret alienum, quæsiuit signa, interrogauit sacculi qualitatem, sigillum solidorum etiam & numerū. Et cum omnia illi fideliter respōdisset, reddidit quod inuenerat. Ille autem repletus gaudio & quærens uicem rependere, tanquam decimas obtulit solidos uiginti, qui noluit accipere. Obtulit uel decem, noluit accipere. Saltem rogauit uel quinq; accipere, noluit ille. Stomachabundus homo proiecit sacculū, Nihil perdidi ait. Si non uis aliquid à me accipere, nec ego A aliquid perdidi. Quale certamen fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus: theatrum mundus, spectator deus. Victus tandem ille quod offerebatur accepit, & continuo totum pauperibus erogauit, unum solidum in domum suam non dimisit. Quid est? Si aliquid egi in cordibus uestris, si uerbum dei insedit in uobis, si requiem inuenit apud uos, facite hoc fratres mei, nolite putare damnum uos pati si feceritis, magnū lucrum est si feceritis quod dico. Perdidi uiginti solidos, perdidi ducentos, quingentos. Quid perdidisti? De domo tua perierant, alter perdiderat, non tu. Terra cōmunis est, in una domo estis, in hoc mundo ambo uiatores, huius uitæ unum stabulum intrastis. Posuit ille, oblitus est ille: cecidit ab illo, tu inuenisti. Quis inuenisti? Christianus. Quis inuenisti? Qui legem audisti, Christianus qui legē audisti. Quis inuenisti? Qui cum audires multa laudasti, tu inuenisti. Si ergo ueraciter laudasti, redde quod inuenisti. Si ergo non reddidisti quod inuenisti, quando laudasti, testimonium contra te dixisti. Estote fideles inuentores, & tunc iniquos uituperate raptores. Nam quod inuenisti & non reddidisti, rapuisti. Quantum potuisti fecisti, quia plus non potuisti, ideo plus non fecisti. Qui alie- 14. q. 5. si
num negat, si posset & tolleret. Quod non tollis, quid.
timor prohibet, non bonum facis, sed malum metuis. Quid est magnum timere malum? Magnum est non facere malum, magnū est amare bonum. Nam & latro timet malum, & ubi non potest non
C facit, & tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus uenit ad ouile ouium, quærit inuadere, quærit iugulare, quærit deuorare. Vigilant pastores, latrant canes, nihil poterit, non aufert, non occidit, sed tamen lupus uenit, lupus redit. Nunquid quia ouem non tulit, ideo lupus uenit, & ouis redit? Lupus uenit fremens, lupus redit tremens, lupus est tamen & fremens & tremens. Interroga ergo te quisquis uis iudicare, & uide si tunc non facis male quando potes facere, & ab homine non puniris: tunc time deum, nemo est ibi nisi tu & ille cui facis malū, & deus qui ambos uidet. Vide ibi time. Parum est quod dico, uide, ibi time malum, ibi ama bonum. Nam etiam si timore gehennæ non facis malum, non-
D dum es perfectus: audeo dicere, si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum dei esse iudicium, gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo maliciæ tuæ. Quid est quod dixi? Quia si timore gehennæ non facis malum, non amore iusticiæ facis bonum. Aliud est timere pœnam, aliud est amare iustitiam, Amor castus in te esse debet, quo amore desideres uidere, non cœlum & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores nitoresq; gemmarum: sed desidera uidere deum tu-
um, amare deum tuum, quia dictum est, Dilectis- 1. Ioan. 3
simi filij dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. Scimus autem, quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Ecce propter quam uisionem fac bonum, ecce propter

propter quam noli facere malum. Si enim amas uidere deum tuũ, si in hac peregrinatione illo amore suspiras, ecce probat te dominus deus tuus, quasi dicat tibi, Ecce fac quæ uis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriã, quicquid libuerit licitũ puta, non te hinc punio, nõ te in gehennas mitto, faciẽ meam tantum tibi negabo. Si expauisti, amasti, si hoc quod dictũ est, faciẽ suam tibi negabit deus tuus, contremuit cor tuũ in non uidendo deum tuum, magnam pœnã putasti, gratis amasti. Si ergo sermo meus inuenit in cordibus uestris aliquam scintillam gratuiti amoris dei, ipsam nutrite. Ad hanc augendã uos aduocate prece, humilitate, dolore pœnitentiæ, dilectione iustitiæ, operibus bonis, gemitibus synceris, conuersatione laudabili, amicitia fideli, Hãc scintiliã boni amoris flate in uobis, nutrite in uobis, ipsa cum creuerit & flammã dignissimã & amplissimã fecerit, omnium cupiditatum carnalium fœna consumit.

A De psalmo nonagesimoquinto: & qua ratione dictũ sit, Miserebor cui misertus fuero &c. Quodque ratio illius nõ sit scrutãda. Sermo XX

Q VOMODO ianua introducit in domum, sic titulus psalmi introducit in intellectum. Prænotatur enim sic. Quando domus ædificabatur post captiuitatẽ. Quæris quæ
Psal.96 domus, indicat tibi iam psalmns. Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Ecce quæ domus. Quando omnis terra cantat canticum nouũ domus dei est. Cantando ædificatur, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. Modo ergo ẹdificat, sed in fine seculi decidatur. Concurrant ergo lapides uiui ad canticum nouũ, concurrant & coaptentur in structuram templi dei, agnoscant saluatorem, recipiant habitatorẽ. Dictũ est quæ domus, dicendum est post quam captiuitatẽ, Et hoc tibi indicat psalmus. Sequere paululum, Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Cantate domino, benedicite nomini eius, bene nuntiate de die in diem salutare eius. Annuntiate inter gentes mirabilia eius, in omnibus populis gloriam eius, Quoniam omnes dij gentiũ dæmonia. Ecce sub quorum captiuitate latebat domus. Ex prima enim transgressione primi hominis, uniuersum genus humanũ natum cum obligatione peccati uictor diabolus possidebat, Si enim sub captiuitate non teneremur, redemptore non indigeremus. Venit ad captiuos non captus, uenit ad captiuos redimendos nihil in se captiuitatis habens, sed carne mortali preciũ nostrum portans. Si enim carnem mortalem non haberet, unde in uerbo sanguis quẽ pro captiuis funderet? Ille autem qui ad captiuitatẽ nostrã uenit cum similitudine carnis peccati, non cum carne peccati: similitudo enim erat illa carnis peccati: uera caro, sed similis carni peccati: uera caro, sed non peccati caro. Ille ergo qui ita uenit, quis erat? Bene nuntiate de die in diem. Ecce quis erat? De die in diẽ erat. Deus de deo erat, lumen de lumine erat, sed uerbum caro factum est, ut habitaret in nobis, latens
A maiestas, apparens infirmitas, ut moriatur infirmitas, & teneatur maiestas. Si ergo uniuersus mundus sub captiuitate tenebatur, bene dictũ est: Mi- Exod.
serebor cui misertus fuero, & misericordiam præstabo cui misertus fuero. Si enim totus mundus sub captiuitate, totus mũdus in peccato, totus mũdus iustissime supplicio destinatus, sed ex parte per misericordiã liberatus. Quis dicat deo, quare damnas mundum? Quomodo accusatur iudex deus, quando damnatur mundus reus? Reus es, Si quid debeas consideres, pœna uocatur, nec cũ à te debitum exigitur, exactor iuste reprehenditur. Reprehenditur exactor si indebitum exigit: cum uero debitum exigit, quis reprehendat exactorem, quamuis expectat donatorem? Cui uult Rom.
B miseretur, & quem uult obdurat, Dicis itaque mihi, Quid adhuc conqueritur? Nã uoluntati eius quis resistit? O homo tu quis es qui respondeas deo? Quis sit ille attende, quis sis tu attende. Ille deus est, tu homo. Sed iustitiam tibi loqui uideris tu, & fons ille iustitiæ siccatus est? Si iustũ loqueris, unde tibi? Aut si iniustũ loqueris debes tacere, Aut si iustũ loqueris, & non habes nisi de fonte iustitiæ. Fons autẽ iustitiæ quis est nisi deus? Primũ ergo fundamentum fidei pone, Nunquid iniquitas apud deũ? Latere te æquitas potest, esse ibi iniquitas nõ potest. Expectas à me fortasse ut dicã tibi, quare cui uult misereẽ, & quẽ uult obdurat. Expectas à me homo. Si & tu homo & ego homo, ambo audiuimus, O homo tu quis es q respõ
C deas deo? Melior est ergo fidelis ignorantia, q̃ temeraria scientia. Deus mihi dicit, per Apostolum Christus loquit̃, O homo tu qs es qui respõdeas deo? Et ego indignor, quia nõ noui iustitiã dei, Si homo sum, non indigner, excedã hominẽ si possum, & forte attingã. Sed & si attigero, homini nõ dicam, excedat & ipse & attingat mecũ. Et quis est, inquis, qui homo hominẽ excedat? Ergo non quibusdam exprobrat Apostolus & dicit, Cum enim dicitis, Ego Pauli, ego Apollo, nónne ho- 1.Cor.3
mines estis? Quid eos facere uolebat, quibus exprobrabat quod homines erant? Homo es, ad Adam pertines. Pertine ad filiũ hominis, & forte dicit tibi, Iam non dico uos seruos, sed amicos, quo- Ioan.15
D niam quę audiui à patre meo, nota feci uobis. Sed discipulis hoc dixit, apostolis illis hoc dixit: non debemus contristari quia nondum tales sumus. Et tamen etiam ipsis quomodo hoc dixit, Omnia quę audiui à patre meo nota feci uobis? Puto quia in spe dixit hoc, nondum in re: puto quod facturus erat, non quod iam fecerat. Et unde probatur cum ille dicat, nota uobis feci, non dicat, nota uobis faciã? Quia dicuntur quædam in scripturis de præterito, quæ intelligantur de futuro. Quomodo dicuntur de præterito, cum intelligantur de futuro? Foderunt, inqt, manus meas & pedes meos. Psal.21
dinumerauerunt omnia ossa mea. Nondũ factum erat & tanquam factum annuntiabatur quod futurum erat. Saluos nos fecit per lauacrum rege- Ad Tit.3
nerationis. Alio autem loco ipse dicit, Spe salui facti

facti sumus. Spes autem quæ uidetur nõ est spes.
Ro.8 Spe salui facti sumus, non nisi de præterito dici-
A mus: & quoniam spe salui sumus nondũ re, adhuc futurum est quod speramus. Nam iam uidemus & tenemus, sed nondum res, sed spes. Quod enim uidet quis, inquit, quid sperat? Si autem quod nõ uidemus speramus, per patientiam expectamus. Et tamen salui facti sumus, & tamen adhuc salutẽ speramus, & expectamus, nondũ tenemus. Sic & do-
Ioan.15 minus discipulis ait, Omnia quæ audiui à patre meo, nota uobis feci. Si hoc iam factum erat, qua-
Ioan.16 re alio loco dicit illis, Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo? Certe omnia quæ audiui à patre meo nota feci uobis. Sed cũ dicit, Non potestis illa portare modo, & dicit, habeo uobis dicere, differt non aufert. Propter certã
B ergo spem, qua sine dubio sciebat id fuisse futurũ, apud illum tanquam factum cõputabatur, & ideo dicebat, Nota uobis feci. Quamdiu ergo sumus in
2 Cor.5 corpore peregrinamur à domino. Per fidem enim ambulamus non per speciem. Quantum nobis datur & fidem teneamus, & de iustitia dei non dubitemus: iniquitatem apud illum esse omnino non credamus, ne in magnam uoraginem impietatis ueniamus: & cum perfecta fide tenuerimus, nullam apud eum esse iniquitatem, & si illam modo non uidemus, id est, æquitatem quæ est apud ipsum, finiatur uia & ueniemus ad patriam. Non potest uideri tempore fidei, uidebitur tempore speciei. Nunc enim per fidem ambulamus, tunc per
C speciem. Quid est per speciem? Speciosus forma præ filijs hominum, quia in principio erat uerbũ, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum.
Ioan.13 Qui diligit me, inquit, mandata mea custodit, & & qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum. Et quid illi dabis? Et ostendam meipsum illi. Hæc erit species quando faciet quod dixit, & ostendam meipsum illi. Ibi æquitatem Dei uidebis, ibi sine codice in uerbo leges. Ergo cum uiderimus eum sicuti est, iam transiet peregrinatio nostra, postea uero gaudebimus gaudio angelorum. Hæc enim in uia. Quid est uia? Fides est. Propter fidem tuam factus est deformis Christus, manet autem speciosus Christus, Speciosus forma præ filijs hominũ uidebitur post peregrinationẽ.
Esa.53 Modo autẽ fide qualis uidetur? Et uidimus eum
D & non habebat speciem neq; decorem, sed uultus eius abiectus, et deformis positio eius, hoc est, uirtus eius. Despectus & deformis positio eius, homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitates. Deformitas Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam quam perdidisti non recepisses. Pendebat ergo in cruce deformis, sed deformitas illius pulchritudo nostra erat. In hac ergo uita deformem Christum teneamus. Quid
Gal.6 est deformem Christum? Absit mihi gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Hæc est deformitas Christi. Nunquid dixi me aliquid scire in uobis nisi uiam? Hæc est uia, credere in crucifixum: huius deformitatis signum in fronte portamus: de ista deformitate Christi non erubescamus. Hanc uiam teneamus, & ad speciem perueniamus. Cum peruenerimus ad speciem, æquitatem Dei uidebimus: & iam non erit tibi dicere, quare huic subuenit, & huic non: quare iste adductus est à gubernatione Dei ut baptizaretur: ille autem cum bene catechumenus uixerit, subito ruina mortuus est, & ad baptismum non peruenit: ille autem cum scelerate uixerit, cum luxuriosus, cum mœchus, cum scenicus, cum uenator, ægrotauit, baptizatus est, discessit, peccatum in eo conuictum est, peccatum in eo deletum est. Quære merita, non inuenies nisi pœnam, quære gratiam, O altitudo diuitiarum. Petrus negat, latro credit, O altitudo diuitiarum. Hos nos putas
B perscrutari posse, quod Apostolus beatus expauit? Et cum tantam profunditatem & altitudinem inspiciens contremisceret, exclamauit, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Quid enim dixerat ante, ut ad hanc exclamationem ueniret? Rem dixerat, ubi si non credatur Deo, quia non est iniquitas apud Deum, iniquitas iudicabitur. Gentibus dicebat, fidelibus dicebat de Iudæis, Sicut uos, inquit, non credidistis Deo, nunc aut Rom.11
tem misericordiam consecuti estis illorum incredulitate, sic & hi non crediderunt in uestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim omnes Deus in incredulitate, ut omnium misereatur. Hinc postea Paulus dixit, Et quæ ista ratio est æquitatis & iustitiæ Dei, con-
C cludere omnes in incredulitate ut omnium misereatur? Queris tu rationem, ego expauescam altitudinem. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Tu ratiocinare, ego mirer: tu disputa, ego credam: altitudinem uideo, ad profundum non peruenio. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius, forte expositurus es? Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum. Requieuit, quia inuenit admirationem, nemo quærat à me occultorum rationem. Ille dicit. Inscrutabilia sunt iudicia eius, & tu scrutari ue-
D nisti? Ille dicit, Inuestigabiles sunt uiæ eius, & tu inuestigare uenisti? Si inscrutabilia scrutari uenisti, & inuestigabilia inuestigare uenisti, crede, iam peristi. Tale est uelle scrutari inscrutabilia & inuestigabilia inuestigare, quale est uelle inuisibilia uidere, & ineffabilia fari. Ergo ædificetur domus, cum peruenerit ad dedicationem, tunc fortasse inueniet istorum occultorum apertissimam rationem.

De uerbis Apostoli, Inuicem onera uestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Gal.6

Sermo XXI

Q VIA lex ueteris testamenti custodiæ A timorem habebat, non potuit apertius significari noui testamenti donum esse charitatem, quàm hoc loco ubi Apostolus

lus ait, Inuicem onera uestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Hanc enim legem Christus dicere intelligitur, qua ipse dominus præcepit ut nos inuicem diligamus, tantum in ea sententia præcepti pondus constituens ut diceret, In hoc cognoscẽt quoniam discipuli mei estis, si uos inuicem diligatis. Huius autem dilectionis officium est, Inuicẽ onera uestra portate, sed hoc officium non est sempiternum. Perducet sanè ad beatitudinem sempiternam, in qua nulla erunt onera nostra quæ inuicem portare iubeamur: nũc uero cum in hac uita, id est, cum in hac uia sumus, onera nostra inuicem portemus, ut ad eam uitam quæ caret omni onere peruenire possimus. Sicut enim de ceruis nonnulli talium cognitionum studiosi scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pascuarum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum quæ gestant in cornibus super inuicem portent, ita ut posterior super anteriorem ceruice proiecta caput collocet. Et quia necesse est unum esse qui cæteros præcedẽs non ante se habeat cui caput inclinet, uicibus dicuntur id agere, ut lassatus sui capitis onere, ille qui præcedit post omnes redeat, & ei succedat cuius ferebat caput cum ipse præiret: ita inuicem onera sua portantes fretum transeunt, donec ueniant ad terræ stabilitatem. Istam ceruorum naturam fortasse intenderit Salomon cum ait, Ceruus amicitiæ & pulus gratiarum colloquatur tecum. Nihil enim sic probat amicum, quemadmodũ oneris amici portatio. Nec tamen inuicem portaremus onera nostra, si unum tempus esset infirmitatis amborum qui onera sua sustinent, aut unum infirmitatis genus: sed diuersa tempora, aut eadem tẽpora & diuersa genera infirmitatis faciunt ut onera nostra inuicem portare ualeamus. Verbi gratia. Iram fratris tunc portabis cum tu aduersus eum non irasceris, ut rursum tempore quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate & tranquillitate supportet. Hoc exemplum ad id pertinet cũ diuersa sunt tẽpora portantiũ onera sua, quamuis ipsa diuersa non sit infirmitas, in ambobus enim ab inuicem ira portatur. Ad diuersum autem infirmitatis genus aliud exemplum uidendum est, ueluti, Si quis in se loquacitatem uicerit, & pertinaciam nondum uicerit: alius uero sit adhuc loquax, sed etiã pertinax non sit: debet ille huius loquacitatem, & iste illius pertinaciam, donec illud in illo, & istud in isto sanetur, charitate portare. Par quippe infirmitas in duobus si uno accedat tempore, tolerare se inuicẽ non ualent, cum aduersus se intenditur. Nam aduersus aliquem tertium & duo irati sibi conueniunt & se tolerant: quanquam nec tolerare se inuicem dicendi sunt, sed potius se inuicem consolari: sicut & tristes de una re magis se portãt, & quasi incumbunt sibi, quàm si unus tristis esset, & alius gauderet: si autem aduersus se tristes sint, prorsus se tolerare non possunt. Et ideo in huiuscemodi affectionibus suscipienda est aliquantulum ipsa ægritudo de qua uis per te alium liberari, & sic suscipienda, ut ad auxilium, non ad æqualitatem miseriæ ualeat: quemadmodum se inclinat qui manum iacenti porrigit. Non enim se proijcit ut ambo iaceant, sed incuruat tantum ut iacentem erigat. Neque ulla res officiosum istum laborem, ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit dominus. Hinc enim admonens ait Apostolus, Hoc sentite in uobis, quod & in Christo Iesu, Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Superius enim dixerat, Non quæ sua sunt unusquisq; intendens, sed ea quæ aliorum. Huic sententiæ contexuit quod dictum est. Nam ita sequitur. Hoc sentite in uobis quod & in Christo Iesu: ad hoc duntaxat, ut quemadmodum ille in eo quòd uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, & sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit, non attendit sua, sed nostra: ita & nos libenter ad eius imitationem inuicem onera nostra portemus. Huic cogitationi accedit etiam illa cogitatio, qua ille suscepit hominem, nos autem homines sumus, & considerare debemus quòd ægritudinem siue animæ siue corporis, quam in homine alio uidemus, etiam nos habere potuimus aut possumus. Hoc ergo exhibeamus ei cuius infirmitatem portare uolumus, quod ab illo nobis uelimus exhiberi: si forte nos in ea essemus, & ipse non esset. Ad hoc pertinet quod ipse Apostolus ait, Omnia hominibus factus sum, ut omnes lucrifacerem: cogitando scilicet in eo uitio etiam se esse potuisse unde cupiebat alium liberare: compatiendo enim potius id agebat, non mentiendo sicut quidam suspicantur, & hi maxime qui mendacijs suis defendendis quæ negare non possunt, alicuius magni exempli patrocinium requirunt. Deinde etiam illud cogitãdum, nullum esse hominem qui non possit habere aliquid boni quod tu nondum habes, etiam si lateat, in quo sine dubio possit te esse superior, quæ cogitatio ad contundendam & edomandam superbiam ualet. Ne arbitreris, quoniam tua quædam bona eminent & apparent, ideo alterum nulla habere quæ lateant, & fortasse maioris ponderis bona quibus te superat nesciens. Non enim falli nos, aut adulatione potius uti Apostolus iubet cum dicit, Nihil per contentionem neq; per inanem gloriam, sed in humilitate mentis alter alterum existimantes superiorem sibi. Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus, sed nos existimare fingamus: sed uere existimemus, posse esse aliquid occultum in alio quo nobis superior sit, etiam si bonum nostrum quo illo uidemur superiores esse, nõ sit occultum. Istæ cogitationes deprimentes superbiam, & acuentes charitatem, faciunt onera fraterna inuicẽ, non solum æquo animo sed etiam libentissime sustineri. Nullo modo aũt de quoquam homine incognito ferẽda sentẽtia est, & nemo nisi per amicitiam

Ioan.13 Philip.2 Prouer.5 1.Cor.9 Philip.2

cognoscitur: & ideo amicorum mala firmius sustinemus, quia bona eorum nos delectant & tenent. Nullius itaque repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam, non ut statim recipiatur, sed ut recipiendus optetur, atq; ita tractetur ut recipi possit. Illum enim receptum in amicitiã possumus dicere, cui omnia cõsilia nostra refundere audeamus. Et si sit quisquam, qui se non audet ingerere ad amicitiam faciendam, cum aliquo nostro temporali honore aut dignitate reuocatur, descendendum est ad eum, & offerẽdum illi quadam comitate & submissione animę, quod petere per semetipsum non audet. Sanè, quamuis raro, tamen aliquotiens accidit, ut eius quem uolumus in amicitiam recipere, prius nobis innotescant mala quàm bona, quibus offensi & quodãmodo repercussi relinquimus eum, & ad bonorum eius quæ forte occultiora sunt indagationem non peruenimus. Admonet itaque dominus noster Iesus Christus, qui nos uult effici imitatores suos, ut eius infirma toleremus, ut ad quædam sana, in quorũ delectatione acquiescamus, per charitatis tolerantiam perducamur. Ait enim, Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus. Ideoq; si propter Christi charitatẽ etiam eum qui ex omni parte fortassis ægrotat, repellere ab animo non debemus, quoniam sanari potest per uerbum dei: quanto minus eum qui propter nos uideri potest totus ægrotus, quia quædam eius saucia in primo ingressu amicitiæ nõ potuimus sustinere, & quod est grauius cum offensione animi de toto homine ausi sumus temerariam præiudicij ferre sententiam, non timentes quod dictum est, Nolite iudicare ne iudicemini, & in qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur uobis. Sæpe autem illa quæ bona sunt prius apparent, in quibus etiam temerarium beneuolentiæ iudicium cauendum est: ne cum totum bonum putaueris, ea quæ postea mala apparuerint, securum & imparatum te inueniant, & grauius offendant, & eum quem temere dilexeras, acerbius oderis: quod nefas est, quia etiam si nulla eius bona præcederent, & hæc quæ postea apparuerunt mala prius eminerent, toleranda tamen erant, donec omnia cum illo ageres quibus talia sanari solent: quanto magis cum ea bona præcesserunt, quæ tãquam pignora nos debent ad posteriora toleranda constringere. Ipsa est ergo lex Christi, ut inuicem onera nostra portemus, Christum autem diligendo facile sustineamus infirmitatem alterius, etiam quem nondum ꝓpter sua bona diligimus. Cogitamus enim quia ille quem diligimus dominus propter eum mortuus est. Ipsius enim domini charitatẽ nobis Apostolus ingessit, cum diceret, Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quẽ Christus mortuus est: ut si illum infirmũ propter uitiũ quo infirmus est minus diligimus, illum in eo cõsideremus qui mortuus est propter ipsum. Christum autem non diligere, non infirmitas sed mors est. Quapropter ingenti cura & implorata dei misericordia cogitandum est, ne Christum negligamus propter infirmum, cum infirmum debeamus diligere propter Christum.

Matt.9 Matt.7 1.Cor.8

De eisdem uerbis Apostoli, quibus in sermone præcedenti, Et de eo quod sequitur, unusquisque onus suum portabit. Gal.6

Sermo XXII

OMNES nos per Apostolũ admonuit ueritas, ut inuicẽ onera nostra portemus, & in eo ipso quo nos admonet ut inuicẽ onera nostra portemus, quo fructu id faciamus ostendit, adiungens dicit, Et sic adimplebitis legem Christi. Quæ non implebitur, nisi inuicẽ onera nostra portemus. Quæ sint onera ista, & quemadmodum portãda sint, quoniã quidem omnes pro nostris uiribus conari debemus implere legem Christi, adiuuãte domino conabor ostendere. Quiddã me demõstraturũ esse proposui, memẽtote ut exigatis, ut cũ reddidero non petatis. Hoc me demõstraturum esse proposui, adiuuante domino intentionem meã, & pro me oratione uestra, quæ sint onera quæ inuicẽ nos iubet ut portemus Apostolus, & quemadmodũ portanda sint. Hoc si fecerimus, illud ubi fructum posuit sua sponte cõsequiẽ, ut impleamus legem Christi. Dicit aliquis, Obscure enim Apostolus locutus est, ut tu coneris exponere, quæ sint ista onera, uel quemadmodũ inuicem sustinenda. Est illic quæstio quæ nos cogit onera distinguere, & in ipso quippe capitulo lectionis habetis ibi positum, Vnusquisq; aũt proprium onus portabit. Iam ergo occurrit sensibus uestris, Si unusquisq; propriũ onus portabit, quomodo dicit, inuicẽ onera uestra portate, nisi quia onera distinguenda sunt, ne sibi contraria loqui putetur Apostolus. Non enim longe, non enim in alia epistola, non enim in hac ipsa longe superius aut inferius, sed in eo ipso loco, ita ut sibi sint eadẽ uerba contigua, utrunq; posuit, & quia unusquisq; propriũ onus portabit, & quod admonuit & hortatus est, ut inuicẽ onera nostra portemus. Alia ergo sunt onera in quibus unusquisq; proprium portat, nec portat cum alio alter, nec proijcit in alterum: & alia sunt onera in quibus recte dicis fratri, porto tecum, aut porto pro te. Si ergo distinctione opus est, non est facilis intellectus. Cõtra eos ergo qui putabant posse hominem contaminari peccatis alienis, respõdit Apostolus, Vnusquisq; onus proprium portabit. Item contra eos quibus per hoc possit negligentia subintrare, ut quasi securi facti quod non contaminarentur peccatis alienis, neminem curarent corrigere, inuicem onera nostra portare breuiter dictũ, breuiterq; distinctũ est, & quãtum existimo manifestationẽ ueritatis nõ impediũt. Nam & breuiter audistis, & cito intellexistis. Corda uestra non uidi, sed testes cordis uoces audiui. Iam ergo tanquam de intellectis securi, aliquanto latius disseramus, non ut intelligendũ insinueẽ, sed ut quod intellectum est cõmendetur. Onera quæ unusquisq; sua portat, peccata sunt. Has detestabilium onerũ sarcinas portantibus hominibus, & sub eis frustra sudantibus, dominus dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Matt.11

Quomodo reficit peccatis oneratos, nisi indulgẽtia peccatorum? Concionator mundi, de quadam A
specula excelsæ autoritatis exclamat, Audi genus humanum, audite filij Adam, audi genus laboriosum & infructuosum: uideo laborem uestrum, uidete donum meum: scio laboratis & onerati estis, & quod est miserius perniciosas sarcinas uestris humeris allígatis, adhuc quod peius est onera addi uobis petitis, non deponi. Quis nostrum breui tempore potest multiplicitatem & uarietatem harum disserere sarcinarũ? Tamen inde pauca cõmemoremus, & de his cætera coniectemus. Videte hominem oneratum sarcina auaritiæ, uidete illum sub hac sarcina sudantem, anhelantem, sitiẽtem, & laborando sarcinã addentẽ. Quid expectas ò auare, amplectens onus tuum, & catenis cupiditatis, B
alligans malã sarcinã sub humeros tuos? Quid expectas? Quid laboras? Quid inhias? Quid concupiscis? Nempe satiare auaritiam. O uota inania & facta nequissima. Expectas ergo satiare auaritiã. Illa te potest premere, tu illam non potes satiare. An forte non est grauis? Vsqꝫadeo sub hac sarcina sensum etiam perdidisti? Non est grauis auaritia? Quare ergo te de somnio excitat, quæ te aliquando etiam dormire nõ sinit? Et fortasse habes cum illa alterum onus pigritiæ, & ista duo nequissima onera secumq́ꝫ pugnantia premunt te, & dilaniant te. Non enim paria imperant, non enim similia iubent, Pigritia dicit, dormi: auaritia dicit, surge: pigritia dicit, noli pati frigidos dies: auaritia dicit, tolera in mari etiam tempestates. Illa dicit, C
quiesce: illa non sinit quiescere, iubet non solum procede, sed & nauiga trans mare, quære terras quas ignoras, merces in Indiam deportandæ sunt, non nosti linguam Indorum, sed intelligibilis uidetur sermo auariciæ. Venies ignotus ad ignotũ, das, accipis, emis, portas, periclitatus uenisti, cum periculo redis, exclamas in mari exagitatus tempestate, Deus libera me. Non audis respondentem, Quare? Misi te? Auaritia tibi iussit ut acquireres quod non habebas, ego tibi iussi ut sine labore ante ostium tuum pauperi dares quod habebas. Illa te ad Indos misit ad reportandum aurum, ego tibi ante ostium Christum posui, à quo emeres regnum cœlorum. Laboras in iussione auariciæ, in iussione mea non laboras. Ambo iussimus, D
non audisti me, cui obaudisti liberet te. Quàm multi has sarcinas portãt, quanti mihi modo contra ipsas sarcinas loquenti sub ipsis positi exclamant. Cum sarcinis intrarunt, cum sarcinis exeunt, auari ingressi sunt, auari discedunt. Ego loquendo contra istas sarcinas laboraui, Si clamatis, ponite quod portatis. Postremo me nolite audire, imperatorem uestrum audite clamantem, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Non enim uenitis, nisi laborare desinatis. Vultis ad me currere, sed cum grauibus sarcinis non
Matt.11 potestis. Venite, inquit, ad me qui laboratis & onerati estis, & ego uos reficiam. Do ueniam præteritorum peccatorum, tollam quod premebat oculos uestros, sanabo quod nocuit humeris uestris. Tollam quidem sarcinas, sed inanes à sarcinis non dimittam. Tollam sarcinas malas, & imponam bonas. Cum enim dixisset, Et ego uos reficiam, adiunxit, Tollite iugum meum super uos. Male te subiugauerat cupiditas, salubriter te subiuget charitas. Tollite iugum meum super uos, & discite à me. Si uobis uiluit humanum qualecunq́ꝫ magisterium, discite à me. Christus clamat magister, unicus filius Dei, solus uerax, uerus, ueritas clamat, discite à me, Quid? Quia in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbũ, & omnia per ipsum facta sunt? Nunquid hoc ab eo discere poterimus, mundum fabricare, cœlum luminib. implere, diei noctisq́ꝫ uicissitudines ordinare, tempora & secula iubere percurrere, seminibus uim tribuere, animalibus terram implere? Nihil horum nos iubet discere magister cœlestis, illa facit ut Deus. Sed quia iste Deus & homo esse dignatus est, in eo quòd Deus est audi ut recreeris, in eo quòd homo est audi ut imiteris. Discite, inquit, à me, non mundum fabricare & creare naturas, nec illa quidem alia quæ hic latens Deus, homo manifestus effecit: nec ipsa dicit, discite à me febres ab ægrotantibus pellere, fugare dæmonia, mortuos suscitare, uentis & fluctib. imperare, super aquas ambulare, nec hoc dicit, discite à me, Hoc enim dedit quibusdam discipulis suis, quibusdam non dedit. Hoc autem discite à me, omnibus dicit, ab hoc præcepto nemo se excuset, discite à me quia mitis sum & humilis C
corde. Quare dubitas hanc sarcinam ferre? Hæc sarcina grauis est, humilitas & pietas? Hæc sarcina grauis est, fides, spes, charitas? Ista enim humilem, ista mitem reddunt, Et uide quia oneratus non eris, si ipsum audieris. Iugum enim meum lene est, & sarcina mea leuis est. Quid est, leuis est? Quid si habet pondus, sed minus? Plus habet auaricia, minus iustícia. Nolo sic intelligas. Hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ uolaturi. Habent enim & aues pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, & portantur. Portant illas in terra, portantur ab illis in cœlo. Tu si misericordiam uelis præbere aui, præsertim æstate, & dicas, miseram istam auiculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subuenire uoluisti. Porta ergo pennas pacis, alas accipe charitatis. Hæc est sarcina, sic implebitur lex Christi. Distincta sunt onera. Videte nũc nescio quis auarus intrat, nosti illum auarum, stat tecum, & tu non es auarus, sed etiam misericordas pauperi quod habes, non inhias in ea quæ nõ habes, audis dicentem Apostolum, Præcipe diuitibus huius mundi, non superbe sapere, neq́ꝫ sperare in incerto diuitiarũ, sed in deo uiuo qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: diuites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant ueram uitam. Audisti, agnouisti, didicisti, tenuisti, fecisti. Fac quod facis, noli pigrescere, noli cessare, Qui perseuerauerit usque in finem hic saluus erit. Bene fecisti homini

1.Tim.6

mini, ingratus est homo, non te pœniteat bene fe- A
cisse, ne fundas pœnitẽdo, quod implesti miseran do: dic in corde tuo, Non uidet iste in quem feci, uidet ille propter quem feci, quia iste si uideret, si ingratus non esset, sibi potius quàm mihi prodesset. Ad deum me teneam, quem nõ latet quod facio, non solum quod facio, sed etiam quo corde facio: illum sperem retributorem, qui facti mei non quæret testem. Talis es, & forte in populo dei stat iuxta te auarus raptor inhians rebus alienis. Quẽ nosti talem, & fidelis est, uel potius fidelis uocatur, non eum potes de ecclesia pellere, non habes aliquem aditum castigando & corripiendo corrigere, accessurus est tecum ad altare, noli timere, unusquisq́ꝫ proprium onus portabit, memẽto Apostoli ut securus accedas, Vnusquisq́ꝫ proprium onus portabit: tantummodo tibi non dicat, porta B
mecum. Nam si cum illo communicare uolueris auariciam, onus non minuitur, sed duo grauabuntur. Portet sarcinam suam, & tu tuam, quoniam quãdo ex humeris dominus tuus talem sarcinam excussit, alteram imposuit. Excussit cupiditatis, imposuit charitatis. Ergo secundum cupiditates malas unusquisq́ꝫ sarcinam suam portat, malus malam, bonus bonam. Conuerte te iam & ad illud præceptum, Inuicem onera uestra portate. Habes enim sarcinam Christi, unde portes cum altero onus proprium. Pauper est, diues es, onus illius paupertas est, tu tale onus nõ habes. Vide ne forte cũ te interpellauit paupertas, dicas, Vnusquisq́ꝫ onus proprium portabit. Hic alterum præceptum audi, Inuicem onera uestra portate. Paupertas non est onus meum, sed est onus fratris mei. Vide ne diuitiæ sint maius onus tuum. Nam non habes onus paupertatem, sed habes onus diuitias: si bene intendas, onus est, ille alterum onus habet, tu alterum. Porta cum illo, & portat tecum, ut inuicem onera uestra portetis. Quid est onus paupertatis? Non habere. Quid est diuitiarum onus? Plus quàm opus est habere. Et ille oneratus est, & tu oneratus es. Porta cum illo non habere, portet tecum plus habere, ut fiant æquales sarcinæ uestræ. Si enim dederis indigenti, minuis illi nõ habenti onus ipsius quod erat non habere: si ei dederis, incipit habere: minutum est illi onus quod uocatur non habere, minuit & ipse onus tuum D
quod uocatur plus habere. Duo ambulatis uiam Dei in peregrinatione huius seculi, tu portabas sumptus magnos superfluos, ille autem sumptus non habebat, adhæsit tibi comes tuus esse desiderans, noli negligere, noli spernere, noli relinquere. Non uides quantum portes? Nihil portanti & non habenti da aliquid, & comitem adiuuabis, & te releuabis. Apostolica sententia satis, quantum opinor, exposita est. Non uobis fumos uendant qui dicunt, Sancti sumus, non portamus sarcinas uestras, ideo uobis non communicamus. Maiores isti portãt sarcinas diuisionis, maiores isti portant sarcinas præcisionis, sarcinas schismatis, sarcinas hæresis, sarcinas dissensionis, sarcinas animositatis, sarcinas falsorum testimoniorum, sarcinas calumniosarum criminationum. Has sarcinas conati sumus, & conamur deponere de humeris fratrum nostrorum. Illi amant tenentes illas ad se, minores esse nolunt, quia ipsis sarcinis tumuerunt. Nam & qui ponit sarcinam quam gestabat collo quasi minor fit, sed pondus posuit, nõ staturam. Sed ego, inquit, non communico peccatis alienis, quasi hoc dicam, ueni communica peccatis alienis. Non hoc dico, noui quid dicat Apostolus, sed illud dico propter peccata aliena. Si uera essent, & nõ tua magis essent, gregem dei mixtum ouibus & hœdis nõ desereres, aream dominicam quãdiu palea trituratur non relinqueres, retia dominica quamdiu bonos & malos pisces ad litus trahit non dirumperes. Et quomodo, inquit, ferrem quem noui malum? Nonne melius ipsum ferres, quàm te foras efferres? Ecce quomodo ferres si attenderes Apostolum dicentem, Vnusquisq́ꝫ proprium onus portabit. Liberet te ista sententia. Non enim cum illo communicares auariciam, sed communicares cum illo Christi mensam. Et quid tibi obesset, si cum illo cõmunicares Christi mensam? Apostolus dicit, Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Sibi non tibi. Sane si iudex es, si iudicandi potestatem accepisti, ecclesiastica regula si apud te accusatur, si innumeris documentis testibusq́ꝫ conuincitur, coerce, corripe, excõmunica, degrada. Sic uigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. Sed damnatus est, inquiunt, Cæcilianus. Damnatus. C
A quibus? Primo absens, deinde à traditorib. innocens. Allegata sunt ista, gestis inserta, probata sunt. Eneruare quidem uires ueritatis conati sunt, & inanium nebulis persecutionum eius serenitatem nebulare quantum potuerũt enisi sunt, affuit dominus, uicit serenitas eius nebulas eorum. Et uidete quomodo nescientes absoluerunt Ecclesiam orbis terrarũ, cuius cõmunione gaudemus, qualescunq́ꝫ in ea simus, non ipsos nos, sed ipsam tuemur, defendimus, obtinemus aream dominicã defendendo, Pro area dominica clamo, tu quis in ea sim nolo cures. Ventilabrum expecto, nolo, inquam, ut cures, aut si curare uis, noli cum lite curare, ut possis fratrem sanare. Cura paleam, si potes, sed triticum noli relinquere, si paleam curare non potes. Excutiuntur aliquando de area dominica & paleæ, interdum & grana, sed non longe. Sunt autẽ operarij boni, circumeunt aream, & ea quæ foris excussa sunt quibusdam mundatorijs, trahunt & reuocant in aream, & si trahendo, & si cogendo. Mundatoria instrumenta sunt leges istæ mundanæ. Reuoca, etiã cum terra trahe triticum, ne propter terrã pereat triticum. Damnatus est, inquiunt, Cæcilianus, damnatus semel absens, ter absolutus est præsens. Respondimus eis, & homines indocibiles, quãtum potuimus breuiter de suis factis admonuimus & diximus, Quid recitatis cõtra Cæcilianum concilium septuaginta episcoporum sententias in absentẽ proferentiũ? Plures prolatæ sunt à Maximinianistarũ cõcilio contra absentem Primianũ. Diximus, absens ab illis

1.Cor.11

damnatus est Cæcilianus, absens ab istis damnatus est Primianus. Quomodo isti nõ præiudicant A
absenti Primiano, sic & illi præiudicare nõ potuerunt absenti Cæciliano. Quid eos putatis in hac angustia respondisse? Quid enim dicerent? Quà euaderent inclusi retibus ueritatis? Vt hæc retia uiolenter rumperẽt, quid dixerunt breuiter & absolute pro nobis? Equidem multa, & penè omnia pro nobis, sicut gesta indicabant, quæ iam uestra charitas proponenda lectura est. Sed hoc loco rogo uos, obsecro per Christum, ut teneatis, dicatis, in ore semper habeatis. Non potuit enim pro nobis breuior, & certior, & liquidior ferri sententia. Quid ergo dixit, cum hoc obijceremus, sic non præiudicant isti Cæciliano, quomodo nec illi Primiano. Et ille defensor illorum, nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ. O responsum
B breue, liquidum, uerum. Non enim sciuit quid dixit, sed Caiphæ similis cum esset pontifex prophetauit, Nec causa causæ preiudicat, nec persona personę. Si nec causa causę, nec persona personę preiudicat, ergo unusquisque sarcinam suam portat. Eat nunc & obijciat tibi Cæcilianum, nõ tibi cuicunq; homini, sed ipsi orbi terrarum obijciat Cæcilianum. Quod cum facit, innocẽtem obijcit innocentibus. Prorsus gesta indicabunt. Liquidissime purgatus est Cæcilianus. Sed fac eum non purgatum, fac criminosum inuentum. Audi uocem tuam ab orbe terrarum. Nec causa causæ, nec persona personæ præiudicat. Anima hæretica, insanabilis, animosa, cum in te sententiam dicas, iudicem quid accusas? Si illum ego corrupi, ut iudica-
C ret pro me, te quis corrupit ut damnares te? Vtinam hæc aliquando cogitent, uel sero cogitẽt, uel detumescente animositate cogitent, ad se redeãt, se interrogent, se discutiant, sibi respondeant pro ueritate, non timeant eos, quibus falsitatem diutissime uendiderunt. Ipsos enim timent offendere, erubescunt humanæ infirmitati, & non erubescunt inuictissimæ ueritati, Vtiq; hoc timent ne dicatur eis, Quare ergo nos decepistis? quare nos seduxistis? quare tanta mala & falsa dixistis? Respõdere deberent, si Deum timerent, Humanum fuit errare, diabolicum est per animositatem in errore manere. Melius quidem erat, si nunquam erraremus, sed uel quod secundum est faciamus, ut errorem aliquando emẽdemus. Decepimus, quia
D decepti eramus, falsa præiudicauimus, qui præiudicantibus falsa credidimus, Dicant suis, simul erraui mus, simul ab errore recedamus. Duces uobis fuimus ad foueam, & secuti estis cum duceremus ad foueam, & non sequimini cum ducibus ad ecclesiam? Possent ista dicere, indignantibus dicerent, iratis dicerent, aliquando & illi ponerent indignationem, amarent uel sero unitatem. Nos tamen fratres patientes circa illos simus. In feruore sunt & tumore oculi quos curamus, nõ dico ut curare cessemus, sed ut non insultationibus ad maiores amaritudines prouocemus, rationem leniter reddamus, nõ de uictoria superbe exultemus. Seruum enim domini litigare non oportet, Apostolus dicit, sed mitem esse ad omnes, docibilem, 2 Tim.2
patientem, in modestia corripientem diuersa sentientes, ne forte det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur secundum ipsius uoluntatem. Patienter ergo ferte, si sani estis, patienter ferte, inquãtum sani estis. Nam quis perfecte sanus cum rex iustus sederit in throno? Quis gloriabitur mũdum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Ergo quandiu tales sumus, hoc nobis debemus, ut inuicem onera nostra portemus. Conuersi ad dominum.

De uerbis Apostoli, Spe salui facti sumus. Spes autem quæ uidetur non est spes. Rom.8 Sermo XXIII

S ICVT Apostolum dixisse meminit sanctitas uestra fratres charissimi, Spe salui A
facti sumus. Spes autem, inquit, quæ uidet,
B non est spes. Quod enim uidet quis, quid sperat? Si autem quod nõ uidemus speramus, per patientiam expectamus. Hinc uobis exhortatorium & consolatorium præbere sermonẽ admonet nos ipse dominus deus noster cui dicitur in Psalmo, Spes mea es tu, portio mea in terra uiuentiũ: ipse, Psal.141
inquam, qui spes nostra est in terra uiuentiũ, iubet ut uos alloquamur in hac terra morientiũ, ut non respiciatis quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Quæ enim uidentur temporalia sunt, quæ autem non uidentur, æterna. Quia ergo quod non uidemus speramus, & per patiẽtiam expectamus, merito nobis in Psalmis dicitur, Sustine dominum, ui Psal.26
riliter age, & coufortetur cor tuum, & sustine dominum. Mundi enim promissa semper fallunt, dei autem promissa nunquam fallunt. Sed quia mundus quod pollicetur, hic uidetur daturus, id est, in hac terra morientium, in qua nunc sumus: Deus autem quod pollicetur, in terra uiuentium nobis daturus est: multi fatigantur expectare ueracem, & non erubescunt amare fallacem. De talibus dicit scriptura: Væ his qui perdiderunt sustinen- Eccl.2
tiam, & diuerterunt in uias prauas: cum etiam uiriliter agentibus, & corde confortato Deum sustinentibus, filij sempiternæ mortis insultare non cessant, iactantes suas delicias temporales, quæ ad tempus obdulcant fauces eorum, postea uero amariores felle inueniunt eas. Dicunt enim nobis, Vbi est quod uobis promittitur post hanc uitam? Quis huc inde reuersus est, & indicauit uera esse quæ creditis? Ecce nos in nostrarum uoluptatum satietate lætamur, quia quod uidemus speramus, uos autem in laboribus cõtinentiæ cruciamini, credẽdo quod non uidetis. Deinde subiũgunt quod cõmemorauit Apostolus, Manducemus & 1 Cor.15
bibamus, cras enim moriemur. Sed uidete quid ipse cauendum monuerit, Corrumpunt, inquit, mores bonos colloquia mala. Sobrij estote, iusti, & nolite peccare. Cauete ergo fratres, ne talibus colloquijs mores uestri corrumpantur, euertatur spes, eneruetur patientia, & diuertatis in uias prauas. Imo uero mites atq; mansueti tenete uias rectas, quas uos docet dominus, de quibus Psalmus dicit, Diriget mites in iudicio, docebit man- Psal.24
suetos

suetos uias suas. Patientiam quippe in laboribus huius uitæ, sine qua non potest custodiri spes futu A
ræ uitæ, nemo potest perpetuo retinere, nisi mitis atque mansuetus: qui non resistit uoluntati dei, cuius iugum lene est, & sarcina leuis, sed credentibus deo, & sperantibus in eũ, et diligentibus eum. Ita quippe mites atque mansueti non solum consolationes eius amabitis, sed etiam flagella eius tanquam boni filij tolerabitis, ut quoniam quod non uidetis speratis, per patientiam expectetis. Sic agite, sic ambulate. In Christo enim ambulatis, qui dixit, Ego sum uia. Quomodo in illo am- Ioan.14
bulandum sit discite, non solum eius uerbo, sed etiam eius exẽplo. Huic enim proprio filio suo nõ pepercit pater, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non utiq; nolentem, neq; recusantem, sed pa- B
riter uolentem: quia una est uoluntas patris & filij secundum æqualitatem formæ dei, in qua cum esset non rapinam arbitratus est esse æqualis deo: & singulariter obedientẽ, secundum quod semetipsum euacuauit formam serui accipiens. Nam ipse Ephes.4
dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ, & hostiam deo in odorem suauitatis. Sic ergo pater proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibis tradidit eum, ut & ipse filius traderet semetipsum pro nobis. Traditus est ergo excelsus, per quem facta sunt omnia, Traditus propter for- Psal.12
mam serui in opprobrium hominum, & abiectionem plebis, in contumeliam, in flagella, in mortẽ crucis. Docuit ergo nos exemplo passionis, cum quãta patiẽtia in illo ambulemus: & firmauit nos exemplo suæ resurrectionis, quid ab illo patiẽter C
sperare debeamus. Si enim quod nõ uidemus speramus, per patientiam expectamus, Quod non uidemus quidem, speramus, sed corpus sumus illius capitis, in quo iam perfectum est quod speramus. De illo enim scriptum est, quod ipse est caput cor- Colos.1
poris ecclesiæ, primogenitus, ipse primatum tenens. Et de nobis scriptum est, Vos autẽ estis cor- 1 Cor.12
pus Christi & membra. Si autem quod non uidemus speramus, per patiẽtiam expectamus securi, quoniam qui resurrexit caput nostrum est, seruat spem nostram. Et quia priusquã resurgeret, flagellatum est caput nostrum, firmauit patientiam nostram. Scriptũ est enim, Quem em̃ diligit dñs cor- Heb.12
ripit, flagellat aũt omnem filium quem recipit. Nõ itaq; in flagello deficiamus, ut in resurrectiõe gau- D
deamus. Ita enim uerum est, quod flagellat omnẽ filium quem recipit, ut nec unico suo pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit eum. Intuens ergo eum, qui sine peccati merito flagellatus est, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, non timeamus ne abijciamur flagellati, sed potius confidamus quia recipiemur iustificati. Quamuis enim nondum uenerit nostri gaudij plenitudo, nec modo tamen sine gaudio relicti sumus, quia spe salui facti Rom.8
sumus, Ideo & ipse Apostolus qui ait, Si quod nõ uidemus speramus, per patientiã expectamus: dicit alio loco, Spe gaudentes, in tribulatione pati- Rom.12
entes. Habentes ergo talem spem, multa fiducia utamur: & sermo noster in gratia conditus sit sa- A
le, ut sciamus quemadmodum oporteat unicuiq; respondere. Dicendum est enim eis, qui cum perdidissent, uel nunquam suscepissent sustinentiam, nobis sustinentibus dominum, quia quod non uidemus sperãtes, per patientiã expectemus, etiam iusultare audent, cũ imitari deberent, Vbi sunt delitiæ uestræ, propter quas ambulatis per uias prauas? Nõ dicimus ubi erunt, cũ hæc uita transierit, sed modo ubi sunt? Cum hesternum diem hodiernus abstulerit, & hodiernum crastinus ablaturus sit, quid eorum quę diligitis, nõ transcurrit & trãsuolat? Quid non fugit penè antequã capitur, cum ex ipso hodierno die nulla possit uel hora retineri? Ita enim secunda excluditur à tertia, sicut prima exclusa est à secunda: ipsius horæ unius quæ præ- B
sens uidetur, nihil est præsens, omnes enim partes eius, & omnia momenta fugitiua sunt. Propter quid peccat homo, si non cæcatur? Cum peccat, uel cum peccaret attendat, poterat uidere quia uoluptas transitura sine prudentia desideratur, uel cum transierit, cum pœnitentia cogitatur. Nos irridetis quia speramus æterna, quæ non uidemus, cum uos eis quæ uidentur temporalibus subditi, nesciatis qualis uobis dies crastina illucescat. Quẽ sæpe bonum sperantes malum inuenitis, nec si bonus fuerit, eum ne fugiat tenere poteritis. Nos irridetis quia speramus æterna, quæ cum uenerint non transibunt, quia nec ipsa ueniunt, sed semper manent: nos autem ad illa ueniemus, cũ per uiam dominicam ista quæ transeunt transierimus. A uobis uero temporalia nec sperari aliquãdo desinuntur, & tamen crebro sperata nos fallunt: nec cessant uos inflammare uentura, corrumpere uenientia, torquere transeuntia. Nõne ipsa sunt quæ concupita inardescunt, adepta uilescunt, amissa uanescunt? Vtimur eis & nos secundum peregrinationis nostræ necessitatem, sed non in eis gaudia nostra figimus, ne illis labentibus subruamur. Vtimur enim hoc mundo tanquam nõ utentes, ut ue- 1 Cor.7
niamus ad eum qui fecit hunc mundum, & in eo maneamus, eius æternitate perfruentes. Quid est autem quod dicitis, quis huc inde uenit, & quid apud inferos geraẽ qs hominib. indicauit? Et hinc uobis os clausit, qui mortuũ quarto die resuscitauit, & ultra non moriturus, die tertio resurrexit, & D
antequã moreretur, qualis uita morientes excipiat, tanquam ille quem nihil lateret, & in paupere quiescente, & in diuite ardẽte narrauit. Sed illi ista non credunt, qui dicunt, Quis huc inde reuersus est? Credituros se uolũt uideri, si quis parentũ suorum reuiuiscceret. Sed maledictus omnis qui spem Hier.17
suã ponit in homine. Ideo ergo deus homo factus, mori & resurgere uoluit, ut & quod futurum esset homini in hominis carne ostenderetur, & deo tamen, non homini crederetur. Et certe ecclesia fidelium toto orbe diffusa, iam ante oculos eorum est. Legant eã ante tot secula uni homini promissam qui contra spẽ in spẽ credidit, ut fieret pater multarũ gentiũ. Quod ergo uni Abrahę credẽti promissum est, iam uidemus impletum, & quod uniuer-

so orbi promittit credeti, desperamus esse uenturum? Eant nunc & dicant, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Illi se adhuc cras dicunt morituros, ueritas aut illos iam cum ista dicunt inuenit mortuos. Vos aut fratres, filij resurrectionis, ciues sanctorũ angelorum, dei hæredes, & Christi cohæredes, cauete imitari eos, qui cras sperando moriuntur, & hodie bibendo sepeliũtur, sed sicut
1 Cor.15 dicit idem Apostolus, Ne corrumpãt uestros mores bonos colloquia mala, Sobrij estote iusti, & nolite peccare, ambulantes angustam, sed certam uiam dicetẽ ad altitudinẽ Hierusalẽ cœlestis, quæ mater nostra æterna est, firmissime sperate quod non uidetis, patienter expectate quod nondum habetis, quia ueracem promissorem Christum fidelissime retinetis.

Eph.5 De uerbis Apostoli, Videte quomodo caute ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes. Sermo XXIIII

Habetur inter Homilias 50. homil.10. Hic detrũcata sunt plurima

A POSTOLVM cum legeretur audistis, imò omnes audiuimus dicentem nobis, Videte quõ caute ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapietes, redimentes tempus, quoniã dies mali sunt. Dies malos fratres duæ res faciunt, malicia & miseria. Per maliciã hominum & miseriam ducuntur dies mali. Cæterũ dies isti, quantum pertinet ad spacia horarũ ordinati sunt. Ducunt uices, agunt tempora, oritur sol, occidit sol, transeunt tempora. Cui molesta sunt tempora, si homines sibi non sint molesti? Ergo dies malos, sicut dixi, duæ res faciunt, miseria hominũ, & malitia hominum: Sed miseria hominũ cõmunis est, non debet malitia esse cõmunis. Ex quo enim la-
Gen.3 psus est Adam, & de paradiso expulsus, nunquam fuerũt dies nisi mali. Istos pueros qui nascunt, interrogemus, quare à ploratu incipiunt, qui & ridere possunt. Nascitur, & statim plorat, post nescio quot dies, ridet. Quando plorabat nascens, propheta suæ calamitatis erat, lachrymæ enim testes sunt miseriæ. Nondum loquitur, & iam prophetat. Quid prophetat? In labore se uenturum, uel timore, & si bene uixerit, & iustus fuerit, certe in medijs positus tentationibus semper timebit. Quid
2 Tim.3 ait Apostolus? Omnes qui uolunt in Christo pie uiuere, persecutionem patiuntur. Ecce quia dies mali sunt, sine persecutione uiuere hic iusti non possunt. Qui inter malos uiuunt, persecutionem patiuntur. Omnes mali persequũtur bonos, si nõ ferro & lapidibus, sed uita & moribus. Nunquid aliquis sanctũ Loth persequebatur in Sodomis? Nemo illi molestus erat, & tamen inter impios uiuebat, & inter immundos, superbos, blasphemos persecutionem patiebatur, non uapulando, sed malos uidendo. Quisquis me audis, sed nondum uiuis in Christo pie, incipe in Christo pie uiuere,
1 Cor.11 & probas quod dico. Denique Apostolus cum cõmemoraret pericula sua, Periculis, inquit, in mari, periculis in fluminibus, periculis in deserto, periculis in latronibus, periculis in falsis fratribus. Cætera pericula quiescere possũt, pericula à falsis fratribus usque in finem seculi non norunt. Redimamus tempus, quoniã dies mali sunt. Expectatis à me forte scire, quid est tẽpus redimere. Dicturus sum quod pauci audiũt, pauci ferunt, pauci aggrediuntur, pauci agunt: tamen dicã, quoniã ipsi pauci qui me audituri sunt inter malos uiuũt. Redime tempus, hoc est, quando aliquis tibi infert litem, perde aliqd, ut deo uaces, nõ litibus, perde. Ergo ex eo quod perdes, preciũ est tẽporis. Certe quando pro tuis necessitatibus procedis ad publicum, das nũmos, & emis tibi panem, aut uinum, aut oleum, aut lignũ, aut aliquã suppellectilem, das & accipis, aliquid amittis, aliquid acquiris, hoc est emere. Nam si nihil amittas, & habeas quod non habebas, aut inuenisti, aut donatum accepisti, aut
B hereditate acquisisti. Quando aut aliquid amittis, ut aliquid habeas, tunc emis: quod habes emptum est, quod amittis preciũ est. Quõ ergo perdis numos, ut emas tibi aliqd, sic perde nũmos, ut emas tibi quietem. Ecce hoc est tẽpus redimere. Prouerbium notum est Punicũ, quod quidem latine uobis dicam, quia punice non oẽs nostis. Punicũ em prouerbium est antiquum: Nummũ quærit pestilentia, duos illi da, ut ducat se. Nunquid non hoc prouerbiũ de euangelio uidetur natũ? Nam quid aliud dixit deus, cũ redimentes tempus, quãdo ait,
Mat.5 Si quis uult in iudicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium? In iudicio uult tecum contendere, & tunicam tuam tollere, auocare te habet litibus à deo tuo, non habebis
C quietum cor, non habebis tranquillum animum, euerteris cogitationib. tuis, irritaris aduersus eum aduersarium tuum, Ecce tempus perdidisti. Quãto ergo melius est, ut nummũ amittas, & tempus redimas? Fratres mei in causis & negocijs uestris, quando ad nos iudicanda ueniunt, si homini Christiano dico, ut pro tempore redimendo perdat aliquid suum, quanto maiore cura & fiducia debeo dicere ut reddat alienum? Ambos enim Christianos audio. Iam ille calumniosus qui uult alteri facere causam, & tollere ab illo uel pro compositione, gaudet ad ista uerba, Apostolus dixit, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Facio ergo calumniam Christiano illi, uelit nolit, dat mihi
D aliquid ut tempus redimat, quia Apostolum audiuit. Dic mihi, Si illi dicturus sum, perde aliquid, ut sis ociosus: tibi non dicturus calumniose, perdite, fili diaboli, quare res alienas, auferre moliris? Causam non habes & calumnia plenus es. Si ergo illi dixero, illi da aliquid, ut recedat à calũnia, tu ubi eris qui habebas de calumnia pecuniam? Ille qui propter uitandam calumniam tempus à te redimit, hic tolerat dies malos: tu autem qui de calumnijs pasceris, hic habebis dies malos, & post istos habiturus es in die iudicij peiores. Sed hoc forte rides, quia pecuniam rapis. Ride ride, & contẽne, ego erogem, ueniet qui exigat.

De uerbis sancti Lucæ in actibus Apostolorũ, Nemo quicquam ex eo quod possidebat, suũ proprium esse dicebat. Sermo XXV

Sermo Maximi episcopi

Eras. Hic sermo bis habetur inter Ambrosianos numero 9. 79

EGIMVS in libro, qui Apostolorũ actibus ascribitur, tantã sub memoratis uiris
L deuotionẽ plebis fuisse, ita populi Christiani floruisse primitias, ut post acceptam fidem nemo domum propriam sibi defẽderet, & nemo suum aliquid uendicaret, sed iure fraternitatis essent illis cuncta communia: scilicet ut qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & uitæ: hoc est, ut quibus erat una fides, esset una substantia, quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus. Nefas em putabant religiosi uiri eum sibi participem nõ ascire in substantia, qui particeps erat in gratia, atque
B ideo charitate fraternitatis omnibus communiter utebantur, nisi quod maior est fraternitas Christi quàm sanguinis. Sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animæq; demonstrat, sicut scriptum est, Erat autem credentium cor atque anima una. Vere ergo frater ille est, qui tam corpore quàm unanimitate germanus est: uerus inquam, frater est, cuius idem spiritus & uoluntas in fratre est. Melior ergo est sicut dixi, fraternitate sãguinis, Christi fraternitas, quoniam interdum illa sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se omnia cum æmulatione diuidit, hæc etiam cum gratulatione communicat. Illa in consortio
C ter se omnia cum æmulatione diuidit, hæc etiam cum gratulatione communicat. Illa in consortio sæpe despicit germanos, hæc assumit frequenter alienum. Tanta ergo, sicut dixi, illo in tempore Christianæ plebis deuotio fuit, ut nemo domum suam diceret, nemo proprium aliquid uendicaret, sicut ait sanctus Lucas, dicens, Nemo quicquam ex eo quod possidebat, suum proprium esse dicebat. Non enim, inquam, erat quisquam egens inter ipsos. Beata igitur plebs, quæ dum plures in Christo habet diuites, nullum in seculo habet indigentem, & quæ dum æternas cogitat diuitias, à fratribus temporalem repulit paupertatem. Vendebant enim, sicut ait scriptura, prædia, & domos suas, & precia uenditorum ante pedes Apostolorum ponebant, ut erogetur pro ut cuiq; opus erat. Videte sanctorum uirorum fidem, quẽadmodum propter Christum toto se expoliabant patrimonio, & nihil sibi reliqui faciebant: non enim uerebantur ne esurirent ipsi, dum timebant ne alius esuriret. Hæc igitur sub Apostolis fuit plebis deuotio. Modo quid simile reperimus? Et certe Christus in nobis, idem quidem Christus in nobis, sed non idem animus in nobis. Eadem plebis fides, sed nõ in plebe est ipsa largitio. Ita aliter de alterius inopia non cogitat, ut illud sit quod di
1 Cor.11 cit Apostolus. Alius quidem esurit, alius ebrius est: sed etiam diripiunt aliena: nõ solum, inquam, colligentes pecunias suas ad pedes Apostolorũ non deferunt, sed etiam confugientes fratres suos pertrahunt à pedibus sacerdotum. Nunc est illud tempus, quod describit beatus Apostolus dicens, In nouissimis diebus abundabit iniquitas 1 Tim.3
A multorum, & refrigescet charitas. Modo abundat auaritia & iniquitas, quæ ante largitatis bonitate cessabant: & refrigescit charitas fraternitatis, quæ prius Christi amore feruebat. Tãta enim sub Apostolis fraternitatis dilectio fuit, ut tunc in conuentu suo non inueniretur indigentia, Tanta autem modo Christianitatis dissimulatio est, ut in cœtu nostro uix inuenias locupletem: locupletem autem non tam facultatibus dico uix inueni- 1 Tim.6
ri, sed operibus. Ait enim Apostolus, Diuites sint in bonis operibus. Locupletem enim in ecclesia intelligi uoluit, qui diues in Christo est. Nam & ibi quod ait, sub Apostolis neminem indigentem fuisse, ostendit utique tota eos gratia fuisse fidei præditos, ut omnes cœlestium diuitiarum a-
B bundauerint largitate. Raro igitur hoc tempore inuenimus in Christiano populo locupletem, & si plerique in domibus auro sint diuites, tamen in ecclesia sunt mendici. Dum enim circa pauperes non pro eo quod præualent operantur, nec hoc est gratum quod offerunt, nec illud est satiabile quod reseruant. Dicit dominus ad Cain cum offerret munera, Si autem recte offeras, recte autem Gen.
non diuidas, peccasti. Sic & tu Christiane non recte diuidis, qui de tanto auro tuo maiorẽ partem mammonę seruas quàm deo largiris. Sic namque Ananias in Actibus Apostolorum dum putat se recte offerre, & non recte diuidit, pecuniã quam obtulit perdidit, & quam domi seruauit amisit: pe-
C cuniam, inquam pariter perdidit & salutem. Dum enim ex eo quod promiserat partem subtraxit, sacrilegij simul condemnatur & fraudis. Sacrilegij, quod deum in pollicitatione fefellerit. Fraudis, quod integris muneribus portionẽ quandam putauerit subtrahendã. Ait enim Apostolus Petrus, Non es mentitus hominibus, sed deo. Si ergo fratres Ananias condemnatur, q̃ non totum dederit quod de suo ipse promiserat, quid cẽsemus de eo qui nõ uult reddere quod alius repromisit? Videte ergo & uos fratres quid promiseritis deo, cum primũ fidei gratiam percepistis. Ecce abundant in ciuitate nostra hospites, facite quod polliciti estis, ne dicatur & uobis quod Ananiæ dictũ est, Non mentiti estis hominibus, sed deo.

De uerbis sancti Lucæ in actibus Apostolo-
D rum, Petrus & Ioannes ascendebant in templum. Act.3

Sermo XXVI

POST resurrectionem Christi, quorum
P operũ patrocinio prædicatio Apostolorum muniatur, lectio quam audistis exposuit. Ascendentes, inquit, Petrus & Ioannes in templum. Materiam sermoni, id est, prædicationi ingressum, per signa præpararunt. Præcedere quippe stupor debuit, ut mirandæ rei expositio sequeretur. Fulgor ergo signorum, populorũ corda percussit. Nam erat quidã à natiuitate sua claudus, qui portabatur manibus, Et mendicabat, inquit, ad speciosam portam templi. Qui cum ingrediẽtes uidisset Apostolos, eleemosynam ex more poscebat. Sed cum in eum cõuertissent intuitum,

nihil

nihil ille claudus ultra notum ſolamen operiens, credidit affuturam uilem de apoſtolorum manibus largitatem. Sed Petrus Apoſtolus ait ad eum, Intende in nos. Quos cum reſpexiſſet, Argẽtum, inquit, & aurum nõ eſt mihi, quod aũt habeo hoc tibi do, In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Verborũ ipſorum ordinem debemus diligẽter exponere. Neq; eẽ pertinebat ad rem, cum uirtutum diuitiæ ſequerentur, ut cenſus pauperies narraretur, niſi ipſam uirtutẽ uoluiſſet Apoſtolus cum ſui atteſtatiõe proferre. Ne enim mireris poſſeſſorem uirtutum, antea profeſſus eſt abrenuncíatorem diuitiarum. Iuſte namq; ſequebatur ut largireturſigna, qui opes contempſerat. Quid hac paupertate ditius? Quid hac uirtute pauperius? Teſtimonium ergo uirtutis conſequuta eſt profeſſio
1 Cor. 6 paupertatis. Vnde Apoſtolus loquebatur: Tanq; nihil habentes, & omnia poſſidentes. Quid igitur hac paupertate ditius, argentum & aurum non habeo? Sed quid habet qui argentum non habet? Eloquium uehemens, eloquiũ igne purgatũ. Qui aurũ non habet, fidem habet. Videamus quid amplius coruſcet, uirtus an aurum quod ita eſt in abſcondito, ut illud uideatur prouidens hominibus natura damnaſſe, nec expoſuiſſe in rem ſucceſſuram oculis cupidorũ: atq; ut adiuuaretur paupertas difficultate parandarum diuitiarum, cum labore fecit quæri, quod noluerat inueniri. Ergo uideamus qui aurum non habet, quid habet. Fidem habet, uirtutem habet. Expendamus quod diximus, quid amplius coruſcet. Aurum quod ærumna perquirit, quod auaritia cupit, quod ſolicitudo cuſtodit, aurum materia laborum, periculoſa res poſſidentium, aurum eneruatio uirtutum, aurum malus dominus, proditor ſeruus. Ergo qui aurum non habet, quid habet? Fidem habet. Videamus, ut diximus, quid amplius coruſcet. Aurum quod nemo tutum habet, niſi qui ſemper abſcondit? Aurum quod in pernicie domini fulget? Aurũ quod per tenebras quæritur, per tenebras cuſtodit? Aurum cuius inquiſitio damnatos habet, cuius amor Iudam facit, & ne alicui ſit nomen ignotũ, de Apoſtolo proditore, aurum quod apud auarum animũ præfertur Chriſto? In cuius appetitu congrua ma
Col. 3 giſter gentium authoritate detonuit, dicens, Auaritia quæ eſt idolorum ſeruitus. Quid ergo amplius refulget, aurũ quod ſordidus dominus habet, aurum quod amplius cruciat, apud quem largius fuerit, aurum quod amãti ſe nihil de ſua poſſeſſione permittit, refundens ei reatum ſuum, cui uſum ſuũ negat, grauis acquiſitio, ærumnoſa poſſeſſio? Nec tamen cum hæc dicimus, dei creatura damnatur: ſed quoniã obcæcata prudentia hominum id in magnum precium receptum eſt, iam in infamiam rei redundat, quicquid de mala cupiditate ſuſcipitur. Ideo ergo res illa uituperatur, ut auaritia condemnetur. Cęterũ dominus ait per prophe
Aggæi 2 tam, Aurum & argentũ meum eſt. At ſi per ſe mala res eſſet, dei eſſe non poſſet. Verum præbet materiam miſericordiæ apud bonos animos, & nouo genere, tũc magis prodeſt quando contemnit, ut ipſa ſua conditione teſtetur, quia mala eſt rei huius poſſeſſio, cuius abdicatio fructuoſa eſt. Prębet ergo materiam ſubueniendi. Diſperſit, dedit
Pſalm. pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum. Vis ergo noſſe quoniam iuſti iudicis res ſint aurum & argentum? Auarus inde torquetur, inde miſericors adiuuatur. Exerceatur ergo rei contemptus, per contemptum utilis. Ad poſſeſſionem eius nõ omnes idonei, ad contemptum eius omnes idonei. Nemo ergo non poteſt inter eos reputari qui diſperſerunt tribuerunt q; pauperibus, iuſtitia eorum manet in æternum, Nemo non inter eos reputari poteſt, qui bene uoluerit per fugacium rerum deſpectum placere deo. Magnę felicitatis eſt conditio Chriſtianorum, quibus claritudo regni in paupertate poſita eſt. Poſſidere quod cũ labore requiritur paucorum eſt, contemnere quod cum fructu contemnas omnium eſt. Felicitas ergo magna Chriſtianorum, quibus datum eſt, ut paupertate faciant precium regni cœlorum. Non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil ea poteſt ditius inueniri. Vis noſſe quàm locuples ſit? Cœlum emit. Quibus theſauris conferri poſſit, quod uidemus paupertati indultum? Vt ad regnum cœlorum ueniret diues, poſſeſſione ſua obtinere poſſit? nunc obtinet, ut contemptu perueniat. Multo ergo plus fulget fides quàm aurum: aurum latebris tenebreſcit animum, fides ingenito ſplendore conſpicuat. Aurum tuto prodi non prodeſt, fides bono publico ſemper fulget, dignitatem fidei fiducia ipſa teſtatur. Aurum nec inter conuenientes tutum eſt, fides etiam inter pugnantes ſecura eſt. Quid ergo donauit Apoſtolus pauper cẽſu, diues fide, lectionis ordo proloquitur. Aurum & argentum nõ eſt mihi. Sed pro his quid habet? Quod habeo, hoc tibo do. In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula. De effectibus, precia rerum æſtimentur. Qui aurum donabant, implebant pauperis uentrem, maius onus pedibus debilibus futurum, ſolabantur infirmitatem, ſanitatem reddere non ualebant. Ille autem qui aurum non poſſidet, ſanitatem dedit. Deo diues eſt, inops auri. Aurum & argentum non habeo. Ideo igitur tantas uirtutum opes prætulit. Quod habeo, hoc tibi do, In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula. Hoc planè non in marſupio, ſed in animo tenebatur. Quid ei dedit? In nomine Ieſu Chriſti ſurge &
D ambula. Pauperem hominem expauit infirmitas, æqua lege, & ęqua potentia reges captiuoſq; conſtringens. Non potuit ſuſtinere iuſſionem pauperis regibus dominans. Parum eſt quod infirmitatem nominamus, Pauperis imperium, etiam natura non pertulit. Ille enim claudus erat, ex utero matris ſuæ. Debilitas ita q; quã ei inuexerat natiuitas, ui pauperis iubẽtis excluſa eſt. Quod profecto nõ fieret, niſi pauper Apoſtolus plenus eſſet illo deo qui eſt author naturæ. Nihil ergo hac ditius paupertate. Quid donat qui æs nõ habet? Virtutẽ largitur, & gratis confert. Quid eẽ poteſt? In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula. Obedientiæ ſubditur, quod ex neceſſitate ueniebat. Dicit homini:

Surge

Surge, quod ſemper optabat, ſed quoniam naturalibus uinculis impeditus erat, non poterat quod uolebat. Nunc autem tanta facilitate inſenſibilia ſeruiunt, ut ad nutum iubentis illa pedum infirmitas auolaret. Surge & ambula. Et ſurrexit, inquit, continuo & ſtetit. Animo imperatur, & pedes ſer
Malach. 4 uiunt. Exilient, inquit, Propheta, tanquam uituli de uinculis laxati. Et conſolidatæ ſunt baſes pedum eius. Quanta uelocitate res agitur attendite. Vix aures debilis ſermo intrauerat iubentis, & continuo uis ſanitatis irrupit, & excluſa infirmitate uſui membra redduntur. Teſtimonium uelocis reſurrectionis eſt, uelocitas ex debilitate ſur-
1 Cor. 15 gentis. In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgẽt, & nos immutabimur. Futura metire de factis. In quanto momento mortui excitentur, debilibus à natura B crede ueſtigijs. Surrexit. Conſolidatæ ſunt, inquit, baſes pedum eius. Parum erat quod dicebatur in uſum claudus rediſſe, uirtus ei cum ſanitate reſtituitur. Non enim dixit, Reſtitutæ ſunt, ſed cõſolidatæ ſunt baſes. Tam abundantem recipiunt ſanitatem, ut ferant laborem. Exiliens, inquit, ambulabat. Saltus frequenter etiam ſanis grauis eſt. Non ſenſerunt illi pedes pigra remedia, nec uelut unguenti modo lita ueſtigia reuocantur, ad momentum uis medicinæ irrumpentis oſtenditur, ſignatur q; fuga infirmitatis excluſæ. Sic exilit qui ſanatur à paupere. Sanatur ergo ab Apoſtolis caro, hoc ipſo indicans, quid à deo ſuo conditore mereatur. Conuincantur itaque ſignis omnibus Manichæi, cuncta ſalutis genera quæ carni defe-C runtur, teſtimonium bonæ naturæ ſunt. Digna enim diuino opere comprobantur, quæ non creduntur indigna beneficijs. Nomen autoris ſui mẽbra cognoſcunt, cum eis dicitur, In nomine Ieſu ſurge & ambula. Si eſſet caro à diabolo, nomen Chriſti formidare potuiſſet. Obſequium ſanatorum, teſtimonium conditoris eſt. In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula. Intulerat natura debilitatem, ad ipſam quodammodo inuocati nominis autoritas deſtinatur. Cognoſcit qui iuſſerit, obſequitur q; ſuo domino, refugatur contrario. Si caro à diabolo eſt, expugnanda eſt à Chriſti diſcipulis, non curanda. Si rationes interroges, obligandum eſt quicquid inimicum eſt, Nolo hoc ſolum cogitationi credas, diuina ad hunc ſenſum ſuccurrat
Matt. 12 autoritas. Dominus ait in Euangelio, Nemo ingreditur in domum fortis, ut uaſa eius diripiat, niſi prius alligauerit fortem. In ſuis ergo erat operibus diabolus alligandus, nunc autem non colligatur diabolus, ſed honoratur, ſi res eius per ſigna curatur. Magni beneficij debitor Chriſtus carni eſt, ſi quod poſſit in eius ſalute monſtrauit. Non eſſet materia loquẽdi, niſi teſtimoniũ miſericordiæ caro curata feciſſet. Suffragatur prædicationi Chriſti caro, in ipſa eſt adminiſtratio ſignorum. Claudus ſurgit, ut Apoſtoli loquantur. Diximus quoniam ſi huius dei opus caro non eſſet, ille claudus non erat in pedibus ſanandus, ſed in brachijs colligandus. Nunc autem ſurgit claudus, ut Apoſtoli loquantur, præitor q; fit prædicationis. Vt Chriſti
A Euangelium ſonet, claudus exilit. Impudenter Apoſtoli fecerunt, ſi dei eorum opus caro non eſſet: nunc autẽ quoniam id dicere ſacrilegium eſt, non faciunt Apoſtoli impudenter. Caro igitur opus dei eſt. Cum formatur, opus dei eſt: cum conditur, opus dei eſt: cum producitur, dei opus eſt: cum regeneratur, opus dei eſt: cum ſignatur, opus dei eſt: cum curatur, opus dei eſt. Quid debet diabolo, totiẽs opus dei? Irrideantur ergo Manichęi, & propter honorem dei, carnis natura laudetur, atq; omne uitiũ in uoluntate ponatur. Spes emendationis hominibus ſuggeratur, ut ſe intelligant non carnis neceſſitate, ſed tantum uoluntatis prauitate delinquere. Nos autem carnẽ diuino aſſcribimus operi, quam uidemus in Chriſti reſurrectione diuini conſortij gloriam cõſecutam, quam à Chriſto conditore ſuo ſuſcepit, qui uiuit & regnat in ſecula ſeculorum.

De uerbis beati Petri, Audiuimus uocem 2 Pet. 1
delatam de cœlo, hic eſt filius meus dilectus, Et habemus certiorem propheticum ſermonem.

Sermo XXVII

I NITIVM bonæ uitæ, cui uita etiam æterna debetur, recta fides eſt. Eſt autem fides credere quod A
nõdum uides, cuius fidei merces eſt uidere quod credis. Tempore igitur fidei tanquam tempore ſementis, non deficiamus, & uſque in finem non deficiamus, ſed perſeueremus donec quod ſeminauimus metamus. Cum enim auerſum eſſet genus
C hnmanũ à deo, & iaceret in delicijs ſuis, ſicut creatore opus habebamus ut eſſemus, ſic ſaluatore ut reuiuiſceremus. Iuſtus deus damnauit hominem, miſericors deus liberat hominem. Deus Iſrael ipſe Pſal. 67
dabit uirtutem & fortitudinem plebi ſuæ benedictus deus. Sed accipiunt credentes, non accipiunt cõtemnentes. Nec de ipſa fide tamẽ ita gloriandũ eſt, quaſi aliquid nos poſſimus. Non enim fides nihil eſt, ſed magnũ aliquid, quam ſi habes profecto accepiſti. Quid eẽ habes quod nõ accepiſti? Videte chariſſimi, unde domino deo gratias agatis, ne in aliquo dono eius ingrati maneatis, et propter hoc quod ingrati eſtis, quod accepiſtis perdatis. Laus fidei explicari à me nullatenus poteſt, ſed à fidelibus cogitari poteſt. Porrò ſi ex aliqua par-
D te, ut dignus eſt cogitetur, quis digne cogitet, q; multis donis dei ipſius præferat? Et ſi minora dei dona in nobis debemus agnoſcere, quanto magis illud q̃d ea ſuperat debemus agnoſcere? A deo debemus eſſe quod ſumus. Quia non nihil ſumus, à quo niſi à deo habemus? Sed ſunt et ligna, ſunt & lapides, à quo niſi à deo? Nos ergo quid plus? Nõ uiuunt ligna & lapides, nos autem uiuimus. Sed adhuc nobis idipſum uiuere, cum arboribus frutectiſq; commune eſt, Dicuntur enim & uites uiuere. Nam ſi non uiuerent, non ſcriptũ eſſet, Occidit in grandine uineas eorũ. Viuit cum uiret, areſcit cũ moriẽ. Sed uita iſta nõ habet ſenſum. Quid nos amplius? ſentimus. Quinq; pertitus corporis notus eſt ſenſus, Videmus, audimus, olfacimus,

guſtamus

gustamus, tactu etiam per totum corpus nostrum mollia dijudicamus & dura, aspera & lenia, calida & frigida. Est enim in nobis sensus quinquepertitus, sed hunc habent & bestiæ. Habemus ergo aliquid amplius nos. Et ista tamen quæ enumerauimus fratres mei, si consideremus in nobis, quantam de his gratiarum actionem, quantam creatori laudem debemus? Sed tamen amplius quid habemus? Mentem, rationem, consilium, quod non habent bestiæ, non habent uolucres, non habent pisces, in eo facti sumus ad imaginem dei. Denique ubi scriptura narrat, quod facti sumus, ibi subiungit, ut nos pecoribus non solum anteponat, sed & præponat, id est, ut ea nobis subiecta sint, Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris, & uolatilium cœli, & omnium pecorum, & serpentium quæ repunt super terram. Vnde habeat potestatem? Propter imaginem dei. Vnde quibusdam dicitur increpando, Psal.31 Nolite esse sicut equus & mulus, in quibus nõ est intellectus. Sed aliud est intellectus, aliud ratio. Nam rationem habemus, & antequam intelligamus, sed intelligere non ualemus, nisi rationem habeamus. Est ergo animal rationis capax. Verũ melius & citius dicam animal rationale, cui natura inest rationalis, & antecẽ intelligat iam rationẽ habet. Nam ideo uult intelligere, quia rationem præcedit. Hoc ergo unde bestias antecedimus, maxime in nobis excolere debemus & resculpere quodammodo & reformare. Sed quis poterit, nisi sit artifex qui formauit? Imaginem in nobis dei deformare potuimus, reformare non possumus. Habemus ergo, ut cuncta breuiter retexamus, ipsum esse cum lignis & lapidibus, uiuere cũ arboribus, sentire cum bestijs, intelligere cum angelis. Diiudicamus ergo oculis colores, auribus sones, naribus odores, gustu sapores, tactu calores, intellectu mores. Intellige. Omnis homo uult intelligere, nemo est qui nolit. Credere non omnes uolunt. Dicit mihi homo, Intelligam ut credam, Respondeo, crede ut intelligas. Cum ergo nata inter nos sit controuersia talis quodammodo, ut ille mihi dicat, intelligam & credam, Ego ei respondeam, immo crede ut intelligas: cum hac controuersia ueniamus ad iudicem, neuter nostrum præsumat pro sua parte sententiam. D Quem iudicem inuenturi sumus? Discussis omnibus hominibus, nescio utrum meliorem iudicem inuenire possimus, quàm hominẽ per quem loquitur deus. Nõ eamus ergo in hac re, & in hac controuersia ad literas seculares, non inter nos iudicet poeta, sed Propheta. Beatus Apostolus Petrus cum duobus alijs Christi domini discipulis Iacobo & Ioanne in monte cum ipso domino constitutus, Mat.17 audiuit uocem delatam de cœlo, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Quod cõmendãs memoratus Apostolus 2 Pet.1 in epistola sua dixit, Hanc uocẽ audiuimus de cœlo delatam, cum essemus cum illo in monte sancto. Et cum dixisset, Hanc uocem nos audiuimus de cœlo delatam, subiunxit atq; ait, Et habemus certiorem propheticũ sermonem. A Sonuit illa uox de cœlo, certior est propheticus sermo. Attẽdite charissimi, adiuuet dominus & uoluntatem meam & expectationem uestram, ut dicam quod uolo, quomodo uolo. Quis enim nostrũ non miretur delata uoce de cœlo certiorem propheticũ sermonem ab Apostolo dictum esse? Certiorem sanè dixit: certiorem, non meliorem, non ueriorẽ. Tam enim uerus ille sermo de cœlo, quàm sermo propheticus, tã bonus, tam utilis. Quid est ergo, Certiorem, nisi in quo magis confirmet auditor? Quare hoc? Quoniam sunt homines infideles, qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse quæ fecit. Possent ergo infideles etiã istam B uocem delatam de cœlo, per coniecturas humanas & illicitas curiositates ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico ante istam uocem, sed ante Christi carnem, Nondum erat homo Christus, Quando misit Prophetas. Quisquis eum dicit magum fuisse, si ergo magicis artibus fecit ut coleretur & mortuus, nunquid magus erat antequam natus? Ecce quare ait apostolus Petrus, Habemus certiorem propheticum sermonem. Vox de cœlo, qua fideles admoneantur, propheticus sermo, quo infideles conuincantur. Intelleximus quãtum mihi uidetur charissimi, quare dixerit Apostolus Petrus, Habemus certiorem propheticum sermonem, post uocem de cœlo delatam. Et ipsa Christi quãta dignatio. Petrus iste, qui sic loquitur, piscator fuit, & modo C magnam laudem habet orator, si potuerit ab illo intelligi piscator. Propterea primis Christianis loquens Apostolus Paulus ait, Videte uocationem uestram fratres, quia non multi sapientes se cundũ 1 Cor.1 carnem, non multi potentes, nõ multi nobiles, sed infirma mundi elegit deus, ut confundat fortia, & stulta mundi elegit deus, ut confundat sapientes, & ignobilia mundi, & cõtemptibilia elegit deus, & ea quæ non sunt, tanquam sint, ut ea quæ sunt euacuarent. Si enim eligeret Christus primitus oratorem, diceret orator, Eloquentiæ meæ merito electus sum. Si eligeret senatorẽ: diceret senator, Dignitatis meæ merito electus sum, Postremo, si prius eligeret imperatorẽ, diceret imperator, Potestatis meæ merito electus sum. Quiescant & differantur isti, paululum quiescant, non omittantur, non contemnantur, sed aliquantulum differantur, ne possint gloriari de semetipsis in semetipsis. Da mihi, inquit, illum piscatorem, da mihi idiotam, da mihi imperitum, da mihi eum, cum quo non dignatur loqui senator, nec quando emit piscem: ipsum, inquit, da. Huic si impleuero, manifestum erit quod ego facio, quanquam & senatorem, & oratorẽ, & imperatorẽ, ego sum facturus, quandocũq; facturus ego & senatorẽ, sed certius ego piscatorẽ. Potest senator gloriari de semetipso, potest orator, potest imperator, nõ potest nisi de Christo piscator. Veniat ꝓpter docendã humilitatem salubrem, prius ueniat piscator, per ipsum melius adducitur imperator. Mementote ergo piscato-

piscatorem sanctum, iustum, bonum, Christo plenum, ad cuius missa per mundum retia capiendus A cum cæteris etiã populis iste pertinuit, Ergo mementote eum dixisse, Habemus certiorẽ propheticum sermonem. Da mihi ergo ad illam controuersiam iudicem prophetam. Quid inter nos agebatur? Tu dicebas, intelligam ut credam, ego dicebam, ut intelligas crede. Nata est controuersia, ueniamus ad iudicem, uideli eet prophetam, imo uero deus iudicet per prophetam. Ambo taceamus. Quid ambo dixerimus auditum est. Intelligam, inquis, ut credam: crede, inquã, ut intelligas. Respõ Isa.7 deat propheta, Nisi crediderit is, non intelligetis. Putatis aũt charissimi nihil dicere etiã illum qui dicit, Intelligã ut credam? Quid enim nunc agimus, nisi ut credant, non qui non credũt, sed qui adhuc B parum credunt? Nam si nullo modo credidissent, hic non essent. Fides eos adduxit ut audiant, fides eos fecit præsentes uerbo dei, sed ipsa fides quæ germinauit irrigãda est, nutriẽda est, roborãda est. 1.Cor.3 Hoc est quod agimus. Ego, inquit, plãtaui, Apollo rigauit, sed deus incrementum dedit. Itaq; necq; qui plãtat est aliquid, necq; qui rigat, sed qui incrementum dat deus. Loquendo, hortando, docendo, suadendo plantare possumus & rigare, non autem incrementum dare. Nouerat autem ille cum quo loquebatur, qui fidei suæ germinanti & adhuc infirmæ, & ex magna parte titubanti, non tamen nullæ fidei, sed alicui fidei adiutorem orabat, Marci 9 cui dicebat, Credo domine. Modo cum Euangeliũ legeret audistis. Si potes credere, ait dominus Iesus patri pueri, si potes credere, omnia possibilia credenti. Et ille intuẽs semetipsum, et positus ante semetipsum, non habens temerariã confidẽtiam, sed prius discutiens conscientiã, uidit in se esse aliquam fidem, uidit & titubationẽ, utrũq; uidit. Vnum habere se confessus est, & alteri adiutoriũ postulauit. Credo, inquit, domine. Quid sequebatur, nisi adiuua fidem meã? Non hoc dixit, Credo domine, uideo hic aliquid unde non mẽtior, Credo, uerũ dico, sed uideo hic etiã, nescio quid, quod mihi displiceat. Stare uolo, sed adhuc nuto. Stans loquor, non cecidi, quia credo, sed tamen adhuc nuto, adiuua incredulitatem meã. Ergo charissimi & ille quem contra me cõstitui, & propter cuius controuersiã inter nos natam prophetã iudicẽ postulaui, non nihil dicit, etiam ipse cum dicit, intelligã & credã. Nã utiq; modo q̃ loquor, ad hoc loquor, ut credant q̃ nondũ credunt, & tamẽ nisi quod loquor intelligant, credere non possunt. Ergo ex aliqua parte uerũ est q̃d ille dicit, intelligã ut credã: & ego q̃ dico, sicut dicit propheta, imo crede ut intelligas: uerũ dicimus, cõcordemus, Ergo intellige ut credas, crede ut intelligas. Breuiter dico quõ utrunq; sine controuersia accipiamus. Intellige ut credas uerbũ meũ, crede ut intelligas uerbum dei.

Iacobi 5 De uerbis beati Iacobi, Ante omnia nolite iurare. Sermo XXVIII

A RIMA lectio quæ nobis hodie recitata est, P apostoli Iacobi oblata nobis est ad differendum, & quodammodo indicta. Intentos enim uos fecit, admonẽs ante omnia ne iuretis. Difficilis quæstio est. Hoc peccatum quem nõ reum A teneat, si iurare peccatum est? Nam periuriũ peccatũ esse, & grande peccatũ, nemo dubitat: sed nõ ait Apostolus, de cuius lectione tractamus, Ante omnia fratres mei nolite periurare, sed nolite iurare. Præcessit etiam ipsius domini Iesu Christi in euangelio similis admonitio. Audistis, inquit, qa Matt.5 dictum est antiquis, Nõ periurabis, ego aũt dico uobis, Nolite iurare, necq; per cœlũ, quia sedes dei est: necq; per terrã, quia scabellum est pedũ eius: necq; per caput tuum iurabis, quia nõ tibi est potestas facere unũ capillũ album aut nigrum. Sit autẽ sermo uester, est est, non nõ: si quid amplius, à malo est. Huic dominicæ admonitiõi memorata apostoli lectio omnino sic cõgruit, ut nihil aliud deus B iussisse uideatur: qa nullus alius hoc dixit, quàm ille qui per apostolum dixit, Ante omnia, inquit, fratres mei, nolite iurare, necq; per cœlũ, necq; per terram, necq; aliud quodcunq; iuramentũ, Sit autẽ sermo uester, est est, nõ nõ: nisi quòd iste addidit, Ante omnia, ex quo multũ fecit intẽtos, auxitq; difficultatẽ quæstiõi. Inuenimus enim iurasse sanctos, iurasse primitus ipsum dominũ, in quo non est omnino peccatum. Iurauit dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternũ, secundum ordinem Melchisedech. A eternitatem sacerdotij filio cum iuratione promisit. Habes etiam, Per me- Ge.22 metipsum iuro, dicit dominus. Et illud iuratio est, Viuo ego, dicit dominus. Quomodo homo per deum, sic deus per seipsum. Non est ergo peccatũ C iurare, sed durum est hoc dicere. Et quoniam dixi mus deum iurasse, quàm blasphemum est hoc dicere? Iurat deus qui peccatũ non habet. Non ergo est peccatum iurare, sed magis peccatum est peierare. Fortasse quis dicat non esse proponendũ de domino deo iurationis exemplũ. Deus enim est, & forte illi soli competit iurare, qui nõ potest peierare. Homines em̃ falsum iurãt, uel cum fallunt, 22.q.2.homines 3.sen.dis. uel cũ fallunt̃. Aut em̃ putat homo uerum esse qd̃ 39.cap.2 falsum est, & temere iurat: aut scit uel putat falsum esse, & tamẽ ꝓ uero iurat, & nihilominus cũ scelere iurat. Distãt aũt ista periuria quę duo cõmemorauí. Fac illum iurare qui uerũ putat esse, pro quo iurat, uerũ putat esse, & tamen falsum est. Non ex D animo iste periurat, fallitur, hoc pro uero habet, quod falsum est, non pro re falsa sciẽs iurationem interponit. Da alium, qui scit falsum esse, & dicit uerum esse, & iurat tanquã uerum sit, quod scit falsum esse, Videtis quã ista detestãda sit belua, & de rebus humanis exterminanda? Quis enim hoc fieri uelit? Omnes homines talia detestantur. Fac alium, putat falsum esse, & iurat tanquam uerum sit, & forte uerũ est, Verbi gratia ut intelligatis, Pluit in illo loco, interrogas hominẽ, & putat non pluisse, & ad negociũ ipsius competit, ut dicat pluit, sed putat non pluisse, dicit̃ ei, Vere pluit? Vere & iurat, & tamen pluit ibi sed ille nescit, & putat non pluisse, periurus est. Interest, quemadmodum uerbum procedat ex animo. Ream linguã non facit, nisi mens rea. Quis est autem qui non fallitur, & si

noluit fallere? Quis homo cui non surrepat fallacia. Et tamē iuratio ab ore nō discedit, frequentat̃, plura sunt plerunq; iuramēta quàm uerba. Si discutiat homo quoties iuret per totū diē, quoties se uulneret, quoties gladio linguę se feriat & transfigat, qs in illo locus inuenit̃ sanus? Quia ergo graue peccatū est peierare, cōpēdiū tibi dedit scriptura, Noli iurare. Quid tibi dicturus sum homo, uerum iura? Ecce uerum iura, non peccas, si uerū iuras nō peccas. Sed homo inter tētationes positus, carne inuolutus, calcans terrā sub terra, dum corpus quod corrumpitur aggrauat animā, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantē, inter ista multa tua cogitata incerta, uolatica, cōiecturas humanas, fallacias humanas, quādo nō subrepit tibi quod falsum est, posito in regione falsitatis? Vis ergo lōge esse à periurio? Iurare noli. Qui enim iurat, aliquando uerū iurare potest, qui autē non iurat, mendaciū iurare nunquam potest. Iuret ergo deus qui iurat securus, quē nihil fallit, quem nihil latet, qui omnino fallere ignorat, quia nec falli potest. Cum em̃ iurat, se adhibet testem. Quō tu cū iuras, deū adhibes testē, sic ipse cum iurat, se testem adhibet. Tu quando illū adhibes testem, forte supra mendaciū tuum, accipis in uanum nomē domini dei tui. Ne mendaciū iures, ergo noli iurare. Ipsa est angustia. Periuriū præcipitium est. Qui iurat iuxta est, q̄ non iurat longe est. Peccat & grauiter, qui falsum iurat: non peccat qui uerū iurat, sed nec ille peccat qui omnino nō iurat. Sed q̄ nō iurat, & nō peccat, longe est à peccato: qui aūt uerū iurat, nō peccat, sed ꝓpe est ad peccatū. Fac te ambulare in aliquo loco, ubi à parte dextera spaciosa sit terra, nec usquā angustias patiaris: à sinistra præceps locus est, ubi eligas ambulare? Super finem terræ in labio pręcipitij, an inde longe? Puto quia inde longe. Sic q̄ & iurat, in fine ambulat, & ambulat pedib. infirmis q̄a humanis. Si offenderis, deorsum is, si lapsus fueris, deorsum is. Et q̄d te excipit? Periurij pœna. Ergo uolebas uerū iurare, audi consilium dei, Noli iurare. Si peccatū esset iuratio, nec in uetere lege diceretur, Non periurabis, reddes autem domino iusiurandum tuum. Non enim peccatum præciperetur nobis. Sed ait tibi deus tuus, Si iuraueris nō damnabo, si uerum

22.q.1 si peccatum.

iuraueris non damnabo, Sed nunquid si non iuraueris damnabo? Duo sunt, inquit, quæ non damnabo unquam, ueram iurationem, & nullam iurationem, damno autem falsam iurationem. Falsa iuratio exitiosa est, uera iuratio periculosa est, nulla iuratio secura est. Scio esse difficilem quęstionem, & charitati uestræ fateor, semper illam uitaui, Nūc autem cum die dominico debito reddendi sermonis recitaretur eadem lectio, diuinitus mihi inspiratum esse credidi, ut inde tractarem. Hinc me dicere deus uoluit, hinc uos audire. Obsecro ne contemnatis, obsecro ut cor stabilitatis, linguæ mobilitates mutetis. Non frustra est omnino, non uacat q̄ cū eam, ut dixi, quęstionem semper deuitare uoluerim,

22.q.1.ut noue.

imposita est necessitati meę, ut imponatur charitati uestræ. Vt noueritis uerū iurare non esse peccatum inuenimus et apostolū Paulum iurasse,

A

Quotidie morior, per uestrā gloriā fratres, quam habeo in Christo Iesu domino nostro.

1.Cor.15

Per uestrā gloriam iuratio est: nō enim sic ait, Per uestrā gloriā morior, quasi uestra gloria me fecit mori, quomodo si diceret, per uenenū mortuus est, per gladium mortuus est, per bestiā mortuus est, per inimicū mortuus est, id faciente inimico, faciēte gladio, faciente ueneno & similia, nō sic dixit, per uestram gloriā.

De iureiu. & si Christus.

Ambiguitatē græcus sermo dissoluit. Inspicitur in epistola græca, & inuenitur ibi iuratio quæ non est ambigua, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν. Νὴ τὸν θεόν, ubi dixerit græcus iurat. Quotidie auditis Græcos & qui grecos non nostis, νὴ τὸν θεόν. Quando dixit, νὴ τὸν θεόν, iuratio est per deum νὴ τὸν θεόν.

B

Ergo nemo dubitet iurasse apostolum Paulum, cum dixit, Per uestram gloriam fratres. Et ne putemus eum per humanā gloriam iurasse, quam habeo in Christo Iesu domino nostro. Et alio loco iuratio prorsus certa & expressa, Testem deum inuoco super animam meam, quia parcens uobis nondū ueni Corinthū.

2.Cor.1

Et alio loco ad Galatas,

Gal.1

Quæ aūt scribo uobis, ecce coram deo quia non mētior. Intendite quæso & auertite, & si non tam plausibilis sermo uobis sit propter angustias quæstionis, utilis tamen est si ad uiscera uestra perueniat. Ecce iurauit Apostolus. Non uos fallant qui nescio quomodo uolentes ipsas iurationes discernere uel potius non intelligere, dicūt non esse iurationem, quando dicit homo, scit deus, testis

C

est deus, inuoco deū super animam meam uerum me dicere. Inuocauit, inquit, deum, testem fecit deum. Nunquid iurauit? Qui hæc dicunt, nihil aliud uolunt, nisi inuocato deo teste mentiri. Itáne uero quisquis es praui cordis, & peruersi cordis, si dicas, per deū, iuras, si dicas, testis est deus, non iuras? Quid est em̃, per deū, nisi testis est deus? Aut quid est, testis est deus, nisi per deum? Quid est autem iurare, nisi ius reddere deo quando per deum

3.sen.dis.39 ca.hic quæritur

iuras, ius saluti tuæ reddere quando per salutē tuā iuras, ius filijs tnis reddere quando per filios tuos iuras? Q̄d aūt ius debemus saluti nostrę, filijs nostris, deo nostro, nisi charitatis, ueritatis, & nō falsitatis? Maxime aūt per deū cū fit, ipsa est uera iuratio, quia & cū dicit quisq;, per meā salutem, salutē

D

suā deo obligat: quando dicit, per filios meos, oppignorat deo filios suos, ut hoc ueniat in caput eorum quod exit de ore ipsius, si uerum uerum, si falsum falsum. Cum ergo filios suos, uel caput suum, uel salutem suam quisque in iuratione nominans, quicquid nominat obligat deo, quāto magis quādo peierat per ipsum deū? Timet enim falsum iurare per filium suū, & non timet falsum iurare per deum suū: Fortassis hoc dicens in animo suo, Timeo per filium meum falsum iurare ne moriatur, deo autē qui non moritur, & si falsum per eum iuretur quid mali cōtingit? Bene quidē dicis, nihil mali contingit deo quando falsum iuras per deū: sed contingit mali multū tibi, q̄ fallis proximū, cui testem adhibes deū. Si aliquid teste filio tuo faceres, & amico uel proximo tuo uel cuilibet homini dice-

diceres, nō feci, & tangeres filio tuo caput, quo teste fecisti, & diceres, per huius salutem, quia nō fe-

A

ci: exclamaret forte filius tuus sub paterna manu tremens, nec tamen paternā manum, sed diuinam tremens: noli pater, non tibi uilis sit salus mea, deum super me inuocasti, ego te uidi, fecisti, noli peierare, te quidē habeo genitorē, sed plus & tuū & meum timeo creatorē: Sed quia deus quando per eum iuras, non tibi dicit, Ego te uidi noli iurare, fecisti, sed times ne te iste occidat, tu te ante occidis. Quia ergo non dicit, ego te uidi, putas quia nō uidit? Et ubi est quod dicit: Tacui tacui, nūquid semper tacebo? Et tamē plerūq; dicit: Ego te uidi, sed aliter quādo uindicat in periurū: sed non in omes uindicat, ideo homines educantur ad exemplum.

B

Ego scio, ille mihi falsum iurauit & uiuit, ille tibi falsum iurauit & uiuit: falsum iurauit & uiuit, ille falsum iurauit, tu falleris. Si & tu oculos haberes unde mortem huius uideres, si & tu in eo quod est mori & non mori nō fallereris, uideres huius mortem. Et modo intende scripturam, & ibi inuenies iacentem quem putas uiuētem. Quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis uidet, & audit auribus, officijs cæteris membrorum satis utitur, uiuentē putas: Viuit sed corpus eius, mortua est autem anima eius, mortuū est quod melius est. Viuit habitaculū, mortuus est habitator. Quomodo, inquies, cum uiuat corpus mortua est anima, cum corpus non uiueret nisi uiuificatum ab anima? Quomodo ergo mortua est anima de qua uiuit corpus? Audi ergo & disce, Corpus hominis

C

creatura dei est, & anima hominis creatura dei est. De anima deus uiuificat carnem, ipsam item animā uiuificat de seipso non de seipsa. Vita ergo corporis anima est, uita animæ deus est. Moritur corpus cum recedit anima, morit̃ ergo anima si recedit deus. Recedit anima cū corpus percutitur gladio, & putas quia non recedit deus cū ipsa anima ferit̃ periurio? Vis uidere q̄a mortuus est de quo

Sap.1

loqueris? Lego scripturā, Os quod mentitur occidit animā. Sed tu præsentē deū ultorē putas, si ille qui te iuratione falsa deceperit cōtinuo expiret. Si expiret ante oculos tuos, expirauit caro ipsius. Quid est, expirauit caro ipsius? Spiritum quo uiuificabatur eiecit. Hoc est expirauit excluso spiritu quo uiuebat caro. Peierauit, exclusit spiritum quo

D

uiuebat anima. Expirauit, sed nescis, expirauit sed non uides. Carnē enim iacētem sine anima uides, animam miseram sine deo uidere non potes. Crede ergo, adhibe oculos fidei. Nemo periurus impunitus, prorsus nemo, cū illo est pœna sua. Si haberet in cubiculo suo tortorē carnis punitus esset, habet in secreto cordis sui tortorē conscientię suę & impunitus uocatur? Et tamē quid dicis? Viuit, gaudet, luxuriat̃ qui mihi mentiēdo iurauit. Quid est quòd me mittis ad inuisibilia? Quia & ipse deus per quē iurauit inuisibilis est. Iurauit per inuisibilem, feritur pœna inuisibili. Sed uiuit, inquit, & quodāmodo scatet & bullit luxurijs. Si hoc ita est q̄ scatet luxurijs, quòd bullit luxurijs, uermes sunt animæ mortuæ. Deniq; omnis homo prudēs qui tales luxuriantes periuros attendit, sano cordis ol-

A

factu auertit se, non uult intueri, non uult uidere, nō uult audire. Vnde se ista sanitas auertit, nisi q̄a putet anima mortua? Breuiter ergo audite fratres mei, concludam sermonem, figens in cordibus uestris curam salubrem, Ante omnia nolite iurare.

Iacobi.5

Quare ante omnia? Si magnum est facinus peierare, nulla autem culpa est uerum iurare, quare ante omnia nolite iurare? Debuit em̃ dicere, ante omnia nolite peierare. Ante omnia, inquit, nolite iurare. Iurare em̃ peius est quàm furari? Iurare peius est quàm adulterare? Non dico falsum iurare, iurare dico, iurare peius est quàm hominem occidere? Absit. Hominem occidere, adulterari, furari, peccatum est. Iurare non est peccatum, sed falsum iura-

B

re peccatum est. Quare ergo ante omnia? Isto uerbo quod ait: Ante omnia, cautos nos fecit aduersus linguam nostram. Ante omnia ait, ut attendatis præ cæteris, ut uigiletis ne surrepat uobis consuetudo iurandi. Tanquam in specula ita te posuit contra te, ante omnia leuauit te super cętera unde te attendas. Considera enim te iurare per deū, per Christum occido illum, & hæc quotiēs per diem, quotiens per horam? Non aperis os, nisi à tali iuratiōe. Nolles ut diceret tibi ante omnia, ut te aduersus consuetudinē intentissimū redderet, ut omnia tua inspiceres, omnes motus linguę tuæ diligētissime custodires, esses custos malæ consuetudinis tuæ? Ad eam constringendam, audi ante omnia. Dormiebas pugno, ante omnia spinas admoueo.

C

Quid est ante omnia? Ante omnia uigila, intētus esto. Iurauimus & nos, passim habuimus istam teterrimam consuetudinem & mortiferā. Dico charitati uestræ, ex quo deo seruire cœpimus, & quantum malum sit in periurio uidimus, timuimus uehementer, & ueternosissimā cōsuetudinem timore frenauimus, Frenata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & malæ consuetudini bona succedit. Deniq; nō uobis dicimus, nos non iurare. Si enim hoc dicimus mentimur. Quantum ad me pertinet iuro, sed quantum mihi uidetur magna necessitate compulsus. Cum uidero non mihi credi nisi faciam, & ei qui mihi non credit non expedire quod non credit, hac perpēsa ratione & cōsideratione librata cum magno timore dico, Corā deo, aut testis est deus, aut scit Chri-

D

stus sic esse in animo meo: & uideo quia plus est, id est, quia amplius est quàm est est, non non, sed quod amplius est, à malo est, & si nō à malo iurantis, à malo est non credentis. Deniq; non ait, si amplius facit malus est:

Matt.5

& sit in ore uestro, est est, non nō, si quis amplius facit malus est: sed sit in ore uestro, est est, non nō, quod autem amplius est, à malo est, sed quere cuius. Sed tamē aliud habet humana pessima cōsuetudo.

De ele. signifi casti.

Et cū tibi creditur iuras, & cū nemo exigit iuras, & horrentib. hominibus iuras, non taces iurādo, uix es sanus, non periurādo.

De iureiu. & si Christus.

Nisi forte putatis fratres, q̄a si sciret apostolus Paulus credere sibi Galatas, adderet iurationē & diceret,

Gal.1

Quæ aūt scribo uobis ecce corā deo quia non mentior. Videbat ibi eos qui credebāt, uidebat & alios

alios qui non credebant, Ergo noli dicere, non iuro, si forte exigit. A malo est enim quod facis, sed illius qui exigit. Nam tu quomodo te purges non habes, quomodo satisfacias negocio qd instat nõ inuenis. Sed aliud est cũ exigitur iuratio, aliud cũ offertur: & hoc ipsum quod offertur, aliud cum offertur non credenti, aliud cum uentilatur & credenti. Tene ergo linguã & consuetudinem quantum potes, non quomodo quidam quando illis dicitur, uerum dicis, nõ credo, nõ fecisti, non credo, deus iudicet, iura mihi. Et ipse qui exigit iurationem multũ interest si nescit illũ falsum iuraturũ, an scit. Si enim nescit, & ideo dicit, iura mihi ut fides ei fiat, non audeo dicere nõ esse peccatum, tamen humana tentatio est. Si aũt scit eum fecisse, & nouit fecisse, uidit fecisse, & cogit iurare, homicida est. Ille enim suo periurio se perimit, sed iste manũ interficientis & expressit & pressit. Cũ uero aliqs sceleratus fur audit, iura si non tulisti, iura si nõ fecisti, ab eo qui nescit an fecit: ille tunc, Christiano non licet iurare: quando ab illo exigitur iusiurandũ, nõ licet iurare, Christianus sum, nõ mihi licet. Capta talem, auerte te ab illo, dissimula à negocio de quo loquebaris, misce alias fabulas & inuenies eum millies iurantẽ, qui semel iurare noluit. Istam ergo consuetudinẽ quotidianam crebrã, sine causa, nullo extorquẽte, nullo de tuis uerbis dubitante iurandi, auertite à uobis, amputate à linguis uestris, circũcidite ab ore uestro. Sed cõsuetudo est, solet dici. Solet dici quãdo non dico? Hoc est ante omnia. Quid est ante omnia? Præ cæteris cautus esto, plus ad hoc intẽtus esto quàm ad alia. Maior consuetudo maiorẽ intẽtionem flagitat, nõ rei leuis cõsuetudo. Si de manu aliquid faceres, facilius manui tuę imperares ne faceret: si pedibus aliquò eundum esset, pigritia retardante excitares te ut surgeres & ires: lingua facilitatem habet motus, in udo posita est, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius & facilius mouet, tãto tu aduersus illã fixus esto. Domabis si uigilabis, uigilabis si timebis, timebis si Christianũ te esse cogitaueris. Nam tãtũ mali habet iuratio, ut qui lapides colũt timeant falsum iurare per lapides: tu non times deum præsentem, deum uiuentem, deum scientẽ, deum manentem, deum in contemptorẽ uindicantem? Claudit ille templũ super lapidem, & it ad domũ suam, ipse super deum suum clausit, & tamẽ quando illi dicit, iura per Iouẽ, præsentis oculos timet. Et ecce dico charitati uestræ, & qui per lapidem falsum iurat, periurus est. Vnde hoc dico? Quia multi & in hoc falluntur, & putant quia nihil est per qd iurant, non se crimine teneri periurij. Prorsus periurus es, quia per id quod sanctũ putas, falsum iuras. Sed ego illum sanctum non puto. Sanctum puto cui iuras. Non enim quando iuras tibi iuras, aut lapidi iuras, sed ꝓximo iuras. Homini iuras, aut lapidi iuras, sed nunquid non ante deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit te deus fallentem. Ante omnia ergo fratres mei obsecro uos, ne sine causa me deus hæc loqui compulerit. Dico enim ante ipsum quod dixi, sæpe me istam

22.q.5. qui exigit
3.sen.dist. 39.ca.ult.

22.q.5. ecce dico.
3.sen.dis.39. ca. hic quæritur.

quæstionem deuitasse: timui ne monendo & præcipiendo plus reos facerem non audituros, hodie autem plus timui ne loqui recusarẽ quod loqui iuberer. Quasi uero paruus sit fructus sudoris huius mei, si omnes qui me acclamauerunt, clamẽt & cõtra se, ne falsum iurent aduersum se: si tot homines qui me attẽtissime audierunt, attenti sint aduersus consuetudinem suam, & admoneãt se hodie cum ad domos suas uenerint, cum consuetudinem suam, id est, lapsum linguæ repetiuerint, admoneat ꝓximus proximũ. Hoc est qd hodie audiuimus, hoc est quod obstricti sumus. Non fiat hodie, certe cũ recens sermo est, expertus loquor, nõ fiat hodie, pigrius fit cras. Si & cras factũ non fuerit, minus laboraturus est q custodit, adiuuat enim consuetudine superioris diei: triduo moritur pestis de qua laboramus, & gaudebimus de fructu uestro, quia magno bono abundabitis, si tam magno malo carebitis. Conuersi ad dominum.

De uerbis beati Ioãnis, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Sermo XXIX. *1.Ioa.1*

EATISSIMVS Ioannes Apostolus salubriter & ueraciter scribẽs inter cætera ait, Si dixerimus quia peccatũ non habemus nosipsos seducimus & ueritas in nobis non est: Si aũt confessi simus peccata nostra, fidelis est & iustus qui dimittit nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. His uerbis docuit beatus Ioãnes, imò ipse dominus Iesus non se tacens per Ioannẽ, neminem ista carne, in isto corruptibili corpore, in ista terra, in isto maligno seculo, in ista uita tentationibus plena, neminem hic uiuere sine peccato. Absoluta sententia est, nec expositore indiget: Si dixerimus quia peccatum non habemus. Quis est enim quia nõ habet peccatũ? Scut scriptura dicit, Nec infans cuius est uita diei unius super terram. *Iob 15* Talis paruulus peccatum non fecit, sed de parentibus traxit. Ergo nullo modo quisquam potest dicere non se habuisse peccatum. Sed accessit per fidem ad lauacrum regenerationis homo fidelis, & omnia dimissa sunt ei. Iam sub gratia uiuit, in fide uiuit, membrum Christi factus est, templum dei factus est: & tamẽ sic quomodo membrũ Christi & templum dei factus est, si dixerit se non habere peccatum seipsum seducit, & ueritas in eo non est: prorsus mentitur si dicat, iustus sum. Sunt autẽ quidam inflati utres, spiritu elationis pleni, nõ magnitudine ingentes, sed superbiæ morbo tumentes, ut dicere audeant inueniri homines absq; peccato, Dicunt ergo iustos prorsus in hac uita nullũ habere peccatum. Hæretici autem sunt Pelagiani, idemq; Cœlestiani, qui hoc dicunt. Et cum respondsum illis fuerit, quid est quod dicitis. Ergo uiuit homo sine peccato, & non habet omnino ullum peccatum nec facto nec uerbo nec cogitatione? Respondent de illo superbiæ uento quo pleni sunt, quem uentum utinam finirent, reflarentur & tacerent, id est, humiles fierent non elati: Respondent inquam, prorsus isti homines sancti fideles dei, nec facto, nec uerbo, nec cogitatione possunt ullũ habere

habere peccatũ. Et cum eis dicitur: Qui sunt isti iusti qui sine peccato sunt, respõdentes dicunt, Tota ecclesia. Mirari potuissem, si inuenirẽ unũ, duos, tres, decẽ, quot quęrebat Abrahã. Abraham emẽ à quinquaginta usq; ad decẽ descendit: tu hæretice respondes, & dicis mihi totam ecclesiã. Vnde hoc probas? Probo, inquis. Proba rogo te. Magnũ emẽ mihi gaudium affers, si docere potueris, totã prorsus ecclesiã in singulis quibusq; fidelibus suis nullum habere peccatũ. Probo, inquis. Dic unde? Apostolus loquitur. Quid loquit? Apostolus? Christus, inquit, dilexit ecclesiam. Audio, & Apostoli uerba esse cognosco, Mũdans eam lauacro aquæ in uerbo, ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiã non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Audiuimus de nube magna tonitrua. Nubes enim dei Apostolus. Verba ista sonuerunt, & tremere nos fecerunt. Sed dicite nobis antequam quæramus quomodo ista uerba Apostolus dixerit, dicite, inquã, nobis, utrũ uos iusti estis an non? Respondent, Iusti sumus. Ergo nõ habetis peccatum? Per omnes dies, per omnes noctes nihil mali facitis, nihil mali dicitis, nihil mali cogitatis? Nõ audẽt dicere, nihil. Sed qd respõdent? Nos quidẽ peccatores sumus, sed de sanctis loquimur nõ de nobis. Hoc uos interrogo, Christiani estis? Nõ dico, iusti estis? Christiani estis? Non audẽt negare. Christiani, inquit, sumus. Fideles ergo estis? Baptizati estis? Baptizati, inquit, sumus. Dimissa uobis cuncta peccata? Dimissa, inquit. Quomodo ergo estis peccatores? Sufficit mihi unde uos repellã. Vos Christiani estis, baptizati estis, fideles estis, mẽbra ecclesię estis, & habetis maculas & rugas. Quomodo ergo est ecclesia isto tempore sine macula & ruga, cũ uos sitis ruga eius & macula? Aut si nõ uultis esse ecclesiã nisi eã quæ sine macula & ruga est, cũ rugis uestris & maculis præcidite uos à membris eius, præcidite uos à corpore eius. Sed quid adhuc dicam ut se ab ecclesia segregẽt, cum hoc iã fecerint? Hæretici enim sunt, iã foris sunt, cum tota mundicia sua foris remanserunt. Redite & audite, audite & credite. Forte dicturi estis in corde uestro tumido & inflato, Nunquid potuimus dicere, iusti sumus? Necesse utiq; erat propter humilitatem ut diceremus nos peccatores esse. Propter humilitatem ergo mẽtiris? Iustus es, sine peccato es, sed propter humilitatẽ dicis te peccatorem. Quomodo te accipiam tanquam Christianum in alterum testem, quem contra teipsum testem falsum teneo? Iustus es, sine peccato es, & dicis te habere peccatũ. Testis ergo falsus es contra te. Non accipiet deus mendacem humilitatem tuam. Inspice uitam tuam, uide conscientiam tuam. Ergo iustus es, sed non potes nisi dicere te peccatorem. Audi Ioãnem, ipse tibi repetit quod etiam superius ueraciter dixit: Si dixerimus, inquit, quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Tu uon habes peccatum, & dicis te habere peccatũ, ueritas in te nõ est. Quia non dixit Ioannes, Si dixerimus quia peccatum non habemus, humilitas in nobis non est: sed dixit, nosipsos seducimus, et ueritas in nobis nõ est. Ergo mentimur si dixerimus nos non habere peccatum. Si mendaciũ timuit Ioannes, tu mẽdacium non times, ut cũ es iustus, dicas te esse peccatorẽ? Quomodo ergo te accipiam ad alienã causam testem, qui in causa tua mentiris? Sanctos reos constituis, dum contra te falsum testimonium dicis, Quid facturus es alteri q te infamas? Quomodo alter tuam calumniã deuitabit quando te tuæ linguæ mendacio reum facis? Item te interrogo alio modo, Iustus es aut peccator? Respondes, Peccator. Mentiris, quia nõ qd te esse corde credis, hoc ore dicis. Ergo & si non eris peccator, esse incipis dum mentiris. Dicis enim, Humilitatis causa nos dicimus peccatores esse, nam deus uidet quia iusti sumus. Cum ergo humilitatis causã mentiris, si nõ eras peccator antequã mentireris, mentiendo efficeris quod euitaueras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorẽ ut etiã esse cognoscas: ueritas aũt ipsa est, ut quod es dicas. Nã quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas? Postremo omittamus Ioãnis uerba. Ecce in corpore ecclesię quam dicis non habere maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi & esse sine peccato, ecce uenit hora orationis, oratura est tota ecclesia, & tu quidem foris es, ueni ad orationẽ dominicam, ueni ad trutinã, ueni dic, Pater noster q es in cœlis. Sequere, Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra: Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie. Sequere & dic, Dimitte nobis debita nostra. Responde hæretice, quę sunt debita tua. An forte pecuniam mutuam à deo accepisti? Nõ, inquit. Nõ te ergo amplius interrogabo de hoc. Ipse enim dominus expositurus est, quæ sunt debita quæ nobis petimus relaxari. Dicamus ergo sequentia, Sicut & nos dimittimus debitorib. nostris. Exponat hoc dominus. Si enim dimiseritis hominibus peccata: Ergo debita uestra peccata sunt, Dimittet uobis et pater uester peccata uestra. Redi ergo hæretice ad orationẽ, si obsurduisti contra uerã fidei rationẽ, Dimitte nobis debita nostra dicis, an nõ dicis? Si nõ dicis, & si prẽsens fueris corpore, foris tamẽ es ab ecclesia, Ecclesię enim oratio est, uox est de magisterio domini ueniens, Ipse dixit, sic orate, discipulis dixit, apostolus dixit, & nobis qualescunq; agniculi sumus dixit, arietibus gregis dixit, sic orate. Videte qs dixerit, & quib. dixerit, Veritas discipulis, pastor pastorũ arietibus, sic orate, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris. Rex militibus, dominus seruis, Christus apostolis: ueritas hominibus loquebatur, sublimitas humilib. loquebat. Scio quid in uobis agat. Ego uos appẽdo, ego de trutina me renũcio, prorsus dico quid in uobis agat. Hoc enim ego plus quàm uos scio, dicite: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris. Interrogo te homo iuste, sancte, homo sine macula & ruga, interrogo te, inquã, Oratio ista ex deo est, fideliũ est, an catechumenorũ? Certe utiq; regeneratorũ est, id est, baptizatorũ: Postremo quod totũ superat, filiorum

Ephes.5

22.q.2. cum humil.
4.sen. dist.21 ca. sicut autem

Matth. 6

filiorũ est. Nã si nõ est filiorũ, qua frõte dicit, Pater noster qui es in cœlis? Vbi ergo estis ò iusti & sanCti? In mẽbris ecclesiæ huius estis, an non estis? Ibi eratis, sed iam nõ estis ibi. Et utinã iam præcisi accepta ratione audiant & credãt. Ergo si tota ecclesia dicit, dimitte nobis debita nostra, reprobus est qui hoc non dicit. Et nos quidem cum dicimus, debita nostra, quousq; id qd petimus accipiamus reprobi sumus quia peccatores sumus. Sed quod uos non facitis, nos faciẽdo, id est peccata nostra cõfitẽdo mũdamur, si tamẽ faciamus qd dicimus, Sicut & nos dimittimus debitorib. nostris. Vbi es ergo hæretice Pelagiane, uel Cœlestiane? Ecce tota ecclesia dicit, Dimitte nobis debita nostra. Habet ergo maculas & rugas, sed cõfessione ruga extendit, cõfessiõe macula abluitur. Stat ecclesia in oratione ut mundet confessione: & quãdiu hic uiuitur sic stat, & cũ de corpore exierit unusquisq; dimittit ei quæ talia habebat ut dimitterent debita, qa & quotidianis precib, dimittunt: & tũc exit mũdatus, & thesaurizat ecclesia in thesauros domini
Ephes.5 aurũ purũ, ac per hoc in thesauros domini ecclesia est sine macula & ruga. Et si sibi sine macula & ruga est, hic qd orãdũ est? Vt uenia percipiat. Quid agit uenia? Maculã extergit. Quid ignoscit, rugã extẽdit, Et ubi extẽdit ruga nostra tanq; in tẽdicula magni fullonis? In cruce Christi. In ipsa em cruce, id est, in ipsa tẽdicula pro nobis sanguinẽ fudit, & nostis fideles quale testimoniũ perhibeatis sanguini quẽ accepistis. Certe em dicitis, Amen. Nostis quid sit sanguis qui pro multis effusus est in re
C missionẽ peccatorũ. Ecce quõ fit ecclesia sine macula & ruga, tanq; bene mundata in tendicula crucis extẽdit, sed hic omnino potest id agi. Exhibet sibi ecclesiã gloriosam dns, nõ habẽtem maculam aut rugam. Agit hoc & hic, exhibet ibi. Hoc enim ait, ut nõ habeamus maculã aut rugã. Magnus est q hoc agit, bene curat, doctissimus artifex est. Extendit in ligno & facit nos sine ruga, qs abluendo fecerat sine macula. Ipse q uenit sine macula & sine ruga extensus est in tendicula, sed propter nos, nõ ppter se, ut nos faceret sine macula et ruga. Rogemus ergo eum ut faciat, & postq; fecerit ad horrea nos ducat, ibiq; nos reponat ubi pressoriũ non erit. Tu ergo q loquebaris sine macula & ruga es? Quid hic facis in ecclesia, quę dicit: Dimitte nobis
D debita nostra? Debita se habere cõfitẽt quæ relaxent. Qui non confitent non ideo non habẽt, sed ideo eis non relaxabunt. Cõfessio nos sanat & uita cauta, uita humilis, oratio cum fide, cõtritio cor dis, lachrymę nõ fictę de uena cordis profluentes, ut dimittãt nobis peccata sine qbus esse nõ possumus: Confessio, inq;, nos sanat, dicẽte apostolo Io
1.Ioan.1 anne, Si cõfiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus ut dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Nõ aũt quia dicõ q nõ possumus hic esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria, uel cætera mortifera peccata quæ uno ictu perimunt. Talia nõ facit bonę fidei & bonæ spei Christianus, sed illa sola quæ quotidiano orationis periculo tergant. Humiles & deuoti, dicamus quotidie, Dimitte nobis debita nostra: sed
A si faciamus qd sequit, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Spõsio hęc cũ deo, uera sponsio & fixa cõditio est. Tu homo es, & habes debitorẽ, & debitor etiã tu es. Accedis ad deũ qui habet debitores, & debitor nõ est, ut postules tibi debita re laxari. Sed hoc tibi dicit, Ego debita nõ habeo, tu habes debita, debes em mihi, sed etiam frater tuus debet tibi. Debitor meus es, habes & tu debitorẽ. Debitor meus es, qa peccasti in me, habes debitorem fratrẽ quia peccauit in te. Quod feceris cum debitore tuo, facio & ego cum eo, id est, si dimittis dimitto, si tenes teneo. Tu cõtra te tenes, qui alteri non dimittis. Nemo ergo dicat se esse sine peccato, sed nõ tamẽ ideo debemus amare peccatũ. O-
B derimus ea fratres & si nõ simus sine peccatis, oderimus tamẽ ea, & maximè à criminibus nos abstineamus, abstineamus quantũ possumus à leuibus peccatis. Ego, ait nescio quis, nõ habeo peccata, se ipsum decipit, & ueritas in eo non est. Prorsus oremus ut deus dimittat, sed faciamus qd dicitur, Dimittamus et nos debitorib. nostris: cũ dimittimus, & dimittet nobis. Quotidie dicimus hoc, & quotidie facimus, & quotidie fit in nobis. Non hic sumus sine peccato, sed exibimus hinc sine peccato.

De uerbis beati Ioãnis, Charissimi, nolite omni 1.Ioan.4
spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sunt, Et cõfutatione Manichæorũ. Sermo XXX

A QVANDO Ioannes apostolus legebatur, audiuimus loquẽtẽ per eum spiritũ sanctum, & dicentẽ, Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed pbate spiritus si ex deo sunt. Repeto, qa necessariũ est ut repetã, & hoc mentib. uestris, quantũ dns adiuuat, uehemẽter inculcẽ. Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed pbate spiritus si ex deo sunt. Quoniã multi pseudoprophetę prodierũt in hũc mũdũ, pręcipit spiritussanctus ne omni spiritui credamus, & causam cur hoc pręceperit, dixit. Quæ illa causa est? Quoniã multi, inquit, pseudoprophetę pdierũt in hunc mundũ. Quisq; ergo ista pręcepta contẽpserit, et omni spiritui credẽdũ putauerit, necesse est incurrat in pseudoprophetas, & qd peius est, blasphemet ueros prophetas. Hic iã ex isto præcepto homo cautus effectus dicturus est mihi, Audiui, teneo, obtẽperare desidero, & ego in pseudoprophetas nolo incurrere.
D Quis em hoc uelit, à mẽdacib. decipi? Siqdẽ pseudopropheta, est mẽdax ppheta. Da mihi hominẽ religiosum, nõ uult fallere: da mihi hominẽ impiũ, sacrilegũ, fallere uult, falli nõ uult. Cũ ergo nolint fallere boni, falli aũt nec boni uelint nec mali, quis est q in pseudo pphetã uelit incurrere? Verba dico cõsulẽtis me, sed utiq; in pseudoprophetã nemo nisi inuitus incurrit. Audiui pręceptũ Ioannis, imò domini p Ioannẽ. Nolite omni spiritui crede 1.Ioan.4
re. Ecce accipio, ita uolo. Addit & dicit, Sed probate spiritus si ex deo sunt. Vnde probo? Probare uellẽ, si errare non possim. Certe nisi pbauero spiritus qui ex deo sunt, incurrã necesse est in spiritus qui ex deo nõ sunt, & ex hoc seducar à pseudoprophetis. Quid agam? Quõ obseruem? O si sanctus

Ioan-

Ioannes quomodo nobis dixit, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sunt, dice
A re dignaretur, quomodo probẽtur spiritus qui ex deo sunt. Noli esse solicitus, & hoc audi. Hinc cognoscitur spiritus dei: Hoc certe expectabas audire, ut probares spiritus qui ex deo sunt. Hinc cognoscitur spiritus dei, Ioannes dixit, nõ ego. Hoc sequit in lectione quã tracto. Cum enim nos propterea faceret solicitos & cautos, ne omni spiritui credamus sed probemus spiritus qui ex deo sunt, quia multi pseudoprophetæ prodierũt in hũc mũdum: continuo uidit quid desideraremus, occurrit expectationi, iniecit oculũ tacitę cogitationi. Gratias deo, quia & hoc per illum loqui dignatus est. Hinc cognoscitur spiritus dei, Eia audite, audite, intelligite, discernite, inhærete ueritati, resistite fal
B sitati. Hinc cognoscit spiritus dei. Vnde rogo te? Hoc est quod audire cupiebã. Omnis spiritus qui cõfitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo est: Et omnis qui non cõfitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo nõ est. Interim ergo charissimi repellite ab auribus uestris omnem disputatorem, prædicatorẽ, scriptorem, susurratorẽ, qui negat Iesum Christum in carne uenisse. Ergo repellite Manichæos à domibus, ab auribus, à cordibus uestris. Manichæi enim Christum in carne uenisse apertissime negãt. Spiritus ergo illorũ nõ est ex deo. Hic uideo unde uelit lupus obrepere agno, & quantũ ualeo deuitandũ esse demonstro. Hinc in eo qd dixi, uel potius ab Apostolo dictum com
C memoraui, quia omnis spiritus qui negat Iesum Christum in carne uenisse ex deo non est, insidiatur Manichæus in hoc uerbo, & dicit mihi, Ecce spiritus qui negat Iesum Christũ in carne uenisse, ex deo non est. Vnde est ergo? Si ex deo nõ est, inquit, unde est? Nunquid enim potest esse nisi aliunde? Si ergo, inquit, ex deo non est, & aliunde est, uides esse duas naturas. Inuenimus lupum, retia salubria tendamus, uenemur, capiamus, captum trucidemus: Trucidemus planè: Moriatur error, uiuat homo. Ecce in eo qd dixi capiamus, trucidemus, moriat error, uiuat homo, ibi soluitur quęstio. Sed recolite quod proposui, ne obliti quęstionẽ, nõ intelligatis solutionẽ. Omnis spiritus qui nõ confitetur Iesum in carne uenisse ex deo non est. Et Mani
D chæus continuo, Et unde est? Si ex deo non est, aliunde est. Si aliunde est, docui esse duas naturas. Hanc quęstionẽ tenete, & mentes ad illa mea uerba reuocate ubi dixi, capiamus, trucidemus, moriatur error, uiuat homo. Error non est ex deo, homo ex deo est. Redite ad quæstionẽ. Omnis spiritus qui nõ cõfitetur Iesum in carne uenisse ex deo nõ est. Dico & ego, Omnia per ipsum facta sunt.
Psal.150 Omis spiritus laudet dnm. Sed si non omnis spiritus ex deo est, quomodo spiritus qui ex deo nõ est laudat dnm? Prorsus omnis spiritus laudet dominum. Vtrunq; uideo, languidũ intelligo, uitium sanetur, natura liberetur. Vitiũ natura nõ est, sed naturæ inimicũ est. Sana unde lãgues, remanet unde
1.Ioan.4 laudes. Medicina uitia persequit nõ naturã. Omnis qui nõ cõfitetur Iesum Christũ in carne uenisse, ex deo nõ est. Inquantũ non confitet Christum
A in carne uenisse, intantum ex deo non est, quia iste error qui nõ confitetur Christũ in carne uenisse ex deo nõ est. Fratres qd est qd renascimur? Si bene nati sumus, qd est quod renascimur? Natura q̃ corrupta fuerat reparat, natura q̃ lapsa fuerat erigitur, natura quæ deformis iacebat gratia reformat. Solus enim creator, solus creator pater, filius, spiritus sanctus, sed trina unitas, una trinitas, sola illa natura immutabilis, incõtaminabilis, nec defectui, nec profectui obnoxia, nec cadit ut minus sit, nec transcẽdit ut plus sit, perfecta, sempiterna, omnimodo immutabilis, sola illa natura. Creatura uero bona, sed creatori impar ualde. Vis adhęrere diabolo desertori, si æquare cõtendis condita creatori. Agno
B scat anima conditionẽ suã, nõ est deus. Cum se anima putat deũ, offendit deũ, non inuenit saluatorem, inuenit dãnatorem: qm deus quãdo animas malas damnat, nõ se dãnat, si autem anima hoc est quod deus, se damnat. Demus honorẽ deo nostro fratres, cui clamamus, Libera nos à malo: & suc- Matt.6
curret tibi hodiè ut in oratione inuenias tentationẽ, & dicat tibi, Quid est qd clamasti, libera nos à malo? Certe nõ est malũ. Respõde illi, Ego sũ malus, Et si liberauerit me à malo, ero de malo bonus, liberet me à me, ne incurram in te. Hoc dic Manichæo, Si deus liberauerit me à me, nõ incurrã in te, qa si deus liberauerit me à me malo, ero bonus. Si bonus ero, sapiẽs ero. Si sapiẽs ero non errabo. Si nõ errabo, à te decipi nõ potero. Liberet ergo de-
C us me à me, & nõ incurrã in te. Meũ est em uitiũ ut errẽ & credam tibi, qm anima mea impleta est illusionibus. Non sum mihi ipse lumen, nam si essem, nunq; errassem. Ideo pars dei nõ sum, quia substãtia dei, natura dei errare non potest. Ego autem erro, nam & tuipse confiteris. Sapientem te dicis, ab errore me liberare conaris. Vnde ergo erro, si natura dei sum? Erubesce, da honorem deo. Ego dico quia multum adhuc erras, sed sicut tuipse confiteris erraueras. Errauerat ergo natura dei? Ierat in immundiciam natura dei? Adulteria committebat natura dei? Stupra illicita faciebat natura dei? Cæca nesciebat quà iret natura dei? Facinoribus & flagitijs obruebat natura dei? Erubesce, da honorem deo, lumen tibi esse non potes. Erat lumen
D uerum. In comparatione Ioannis dictum est, Erat Ioan.1
lumen uerum. Nunquid non & Ioannes lucerna? Ille erat lucerna ardens & lucens, dominus di- Ioan.5
xit. Nunquid lucerna lumen non est? Sed erat lumen uerum. Lucerna & accendi potest, & extingui potest: lumen uerum accendere potest, extingui non potest. Erat ergo lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mũdum. Illuminandi sumus, non lumẽ sumus. Expergiscere, clama mecũ, Dominus illuminatio mea. Psal.26
Quid est quod dicis? Ergo nõ sunt mala? Sunt mala, sed mutant, & ipsa erũt bona, quia ipsa mala, uitio sunt mala, nõ natura? Quid est, libera nos à malo? Nonne possemus & possumus hæc uerba dicere, libera nos à tenebris? A quibus tenebris? A nobis ipsis, si quæ in nobis sunt reliquiæ tenebrarum,

donec in totum lux efficiamur, nihil habentes in
nobis quod resistat charitati, quod repugnet ueri-
A tati, quod subiaceat infirmitati, quod conditione
mortalitatis deficiat. Tunc totum uidete quid e-
1 Cor.15 rit, quando corruptibile hoc induetur incorrup-
tione, & mortale hoc indueť immortalitate. Tunc
fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in ui
ctoria. Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors
aculeus tuus? Aculeus autem mortis est pecca-
tum. Vbi malum modo? Mala hominum quæ? Er
ror & infirmitas. Aut nescis quid agas, & errando
laberis: aut scis quid agi debeat & infirmitate su-
peraris. Ergo omne malum hominis error & in-
firmitas. Contra errorem clama. Dominus illu-
minatio mea: Contra infirmitatem adde, Et salus
mea. Crede, bonus esto: tu es malus, tu eris bonus.
Noli diuidere. Natura in te sananda est, non sepa-
randa. Vis nolle quid es? Tenebræ. Quare tene-
bræ? Homo qui dicis, corrumpitur deus, aliquid
his tenebris potest esse profundius? Crede, agno-
sce Christum in carne uenisse, accepisse quod non
erat, non amisisse quod erat, hominem in se mu-
tasse, non in hominem fuisse mutatum. Agnosce,
& tu ipse ex malo eris bonus, ex tenebris eris lux.
An mentior, & non est unde conuincam? Apo-
stolum accipis, si te non fingis accipere Apostolum, legis & deciperis, & decipis. Vnde decipe-
ris? Errando malo tuo teipso. Si autem credide-
ris, errorem q̃ discusseris, audies ab Apostolo, Fui
Epb.5 stis enim aliquando tenebræ, nũc autem lux. Sed
addit lux. Sed ubi? In domino. Ergo tenebræ in
te, lux in domino: quia non tibi potes lucere, acce
dendo illuminaris, recedendo tenebraris: quia nõ
tibi lumen tuipse es, aliunde illuminaris, Accedite
Psal.33 ad eum & illuminamini. Scio charissimi de ista le-
ctione sancti Ioannis in re una multum me fuisse
immoratum, nec uos esse fatigandos ultra uideo,
uel ultra capacitatem replendos, & nostra infirmi
tas cogitanda est. Nam hæc uerba sancti Ioannis
habent adhuc magnas latebras suas. Interim eos
qui negant Christum in carne uenisse, repellite.
Constat enim eos non esse ex deo inquantum er-
rant, inquantum peccant, inquantum blasphemãt
non sunt ex deo, sanentur & ex deo erunt, quia &
natura ex deo erant. Hinc quantumcunq; disputa
ui, attendite scripturas. Nolite credere eis qui ne-
gãt Christum in carne uenisse. Sed certe dicturus
es mihi, Ergo q̃ dicit Christum in carne uenisse, ex
deo est. Audiamus Donatistas q̃ confitenť Chri-
stum in carne uenisse: Audiamus Arianos qui cõfi
tenť Christũ in carne uenisse, Audiamus Eunomi
anos qui confitenť Christum in carne uenisse: Au
diamus Photinianos qui confitenť Christũ in car-
ne uenisse. Si enim omnes spiritus qui confitentur
Christum in carne uenisse ex deo sunt, q̃ multæ
sunt hæreses mẽdaces, deceptrices, insanæ, confi-
tentur tamen Christum in carne uenisse. Quid er-
go dicturi sumus? Quomodo istam quæstionem
soluturi? Quomodocunq; soluẽda sit, hodie solui
non potest. Tenete me debitorẽ, sed deum pro me
& pro uobis orate adiutorem.

De uerbis beati Ioannis, Omnis spiritus qui 1 Ioan.4
C cõfitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo
est. Sermo XXXI

ESTRAE charitatis expectatio, mei de
V biti exactio est. Non dubito meminisse 1.Thi
uos, quid in adiutorio dñi de sancti Ioan- A
nis lectiõe promiserim. Cũ ergo audistis lectorẽ,
credo uos cogitasse me debere esse debiti reddito
rem. Magnam quippe quæstionem sermone in lõ
gum procedente distulimus, quomodo recte pos-
sit intelligi quod ait in epistola sua beatus Ioãnes,
non Baptista sed euangelista, Omnis spiritus qui
confiteť Iesum Christum in carne uenisse ex deo
est. Videmus enim multas hæreses confiteri Chri-
stum in carne uenisse, & tamen non eas possumus
B dicere ex deo esse. Negat Christum in carne ue- 1.Ioa.4
nisse Manichæus. Non est laborãdum neq; uobis
diutius suadendum, quòd iste error nõ sit ex deo.
Sed Arianus cõfitetur Christum in carne uenisse,
Eunomianus, Sabellianus, Photinianus, Quid
istis conuincendis quærimus testes? Quis tot nu-
merat pestes? Sed interim quę sunt notiora tracte
mus. Multis quippe hæreses illæ quas nominaui
ignotæ sunt, & est ista ignorantia tutior. Certe q̃d
nouimus, Donatista cõfitetur Christũ in carne ue
nisse, tamen absit ut sit hic error ex deo. Vt de recẽ
tioribus hæreticis loquar, Pelagianista confitetur
Christũ in carne uenisse, tamẽ omnino non est hic
error ex deo. Proinde charissimi diligẽter cõside-
remus, quoniam nõ dubitamus ueram esse senten
C tiam, Omnis spiritus qui confitetur Christum in
carne uenisse, ex deo est: cõuincẽdi sunt isti quod
non confiteantur Christum in carne uenisse. Nam
si eis istam concesserimus confessionem, ex deo il
los esse fatebimur. Quomodo uos ab eorum erro-
ribus uel prohibemus, uel deterremus, uel aduer-
sus eos scuto ueritatis defendimus? Adiuuet nos
dominus, quia & uestra expectatio pro nobis ora
tio est, ut cõuincantur isti qui nõ cõfitentur Chri-
stũ in carne uenisse. Arianus audit, & prędicat par
tum uirginis Mariæ. Confitetur ergo Christum in
carne uenisse? Non. Quomodo probamus? Si ad-
iuuet dñs intelligẽtias uestras, facillime. Quid est
quod exigimus? Vtrum cõfiteatur Iesum Christũ
in carne uenisse. Qũo confiteri potest in carne ue-
D nisse Iesum Christũ, q̃ negat ipsum Christũ? Quis
em̃ Christus? Beatũ Petrũ interrogemus. Modo
cũ euangeliũ legereť audistis, cũ quęsisset dñs ipse
Iesus Christus quẽ illum dicerẽt homines filiũ ho-
minis, Respõderũt discipuli opiniones alienas, &
dixerũt, Alij Ioannẽ Baptistam, alij Heliã, alij Hie Matth.
remiam, aut unũ ex prophetis. Qui hæc cõfitebã-
tur uel cõfitentur, Iesum Christũ plus q̃ hominẽ
non nouerunt. Si autẽ Iesum Christum plus q̃ ho
minem nõ nouerunt, Iesum Christum utiq; nõ no
runt. Si enim tantũmodo homo est, nihil amplius,
nõ est ipse Iesus Christus. Vos ergo, inquit, quem
me esse dicitis? Respondit Petrus unus pro om-
nibus, quia unitas in omnibus, Tu es Christus fi-
lius dei uiui. Ecce habes confessionem ueram, cõ-
fessionẽ plenã. Iungere enim debes utrũq;, quod
de se

de se Christus, & quod de Christo Petrus. Quid
de se Christus? Quem me dicunt homines esse fi-
liũ hominis? Quid de Christo Petrus? Tu es Chri-
stus filius dei uiui. Vtrunq; coniũge, & uenit Chri
stus in carne. Hoc de se Christus quod minus est,
hoc de Christo Petrus quod maius est. Respondit
de ueritate humilitas, & de humilitate ueritas: hoc
est de ueritate dei humilitas, & de humilitate ho-
minis ueritas. Quẽ me dicũt homines esse, inquit,
filiũ hominis? Dico ego q̃ factus sum propter uos,
dic tu Petre quis est qui fecit uos. Qui ergo confi-
tetur Iesum Christũ in carne uenisse, profecto con
fitetur filium dei in carne uenisse. Dicat nũc Aria-
nus, utrum confiteatur Christũ in carne uenisse. Si
filium dei confitetur in carne uenisse, Christũ con
fitetur in carne uenisse. Si filiũ dei negat Christum,
nescit Christũ, aliũ pro alio dicit, non ipsum dicit.
Quid est em̃ filius dei? Quomodo quærebamus,
quid est Christus, & audiebamus q̃ sit filius dei,
Ioan.1 quæramus q̃d est filius dei? Ecce filius dei, In prin
cipio erat uerbũ, & uerbum erat apud deũ, & deus
erat uerbũ, hoc erat in principio apud deũ. In prin
cipio erat uerbum. Quid dicis Arianę? In princi-
pio, sicut dicit Genesis, fecit deus cœlũ & terram:
tu autẽ dicis, In principio fecit deus uerbum. Fa-
ctum enim dicis uerbum, creaturam dicis uerbũ.
Tu ergo dicis, In principio fecit deus uerbum, sed
euangelista dicit, In principio erat uerbũ: Et ideo
in principio fecit deus cœlum & terram, quia erat
uerbum. Omnia per ipsum facta sunt, factum di-
cis. Si factum dicis, filium negas. Filium em̃ quæ-
rimus natura non gratia, filium unicum unigeni-
tum, non adoptatum. Talem filiũ quærimus, tam
uerum filium quærimus, qui cum in forma dei es-
set, Apostoli uerba sunt, propter rudes cõmemo-
ro, ne mea uerba putentur: Illum filium quęrimus,
Philip.2 qui cũ in forma dei esset, sicut dicit Apostolus, nõ
rapinam arbitratus est esse æqualis deo. Non rapi
na, quia natura: Natura erat, rapina non erat. Non
rapinam arbitratus est esse æqualis deo. Non erat
ei rapina, natura erat: sic erat ex æternitate, sic erat
coæternus gignenti, sic erat æqualis patri, sic erat,
semetipsum exinaniuit, ut cõfiteamur Iesum Chri-
stũ in carne uenisse. Semetipsum exinaniuit. Quo
modo? Amittendo quod erat, an assumẽdo quod
nõ erat? Sequatur Apostolus, Audiamus, Semet-
ipsum exinaniuit, formã serui accipiens. Sic se exi-
naniuit, formã serui accipiens, nõ formã dei amit-
tens. Forma serui accessit, non forma dei discessit.
Hoc est confiteri Christum in carne uenisse. Aria
nus autẽ qui nõ confitetur æqualem, non confite-
tur filium. Si non confitetur filium, nõ confitetur
Christum. Qui nõ confiteť Christũ filiũ, quomo-
do cõfitetur Christum in carne uenisse? Sic & Eu-
nomius par ei, socius eius, non multũ diuersus. Ete
nim dicuntur Ariani confessi fuisse, quia uel simi-
lis est patri filius, & si nõ æqualis dixerũt, sed simi-
lis. Ille nec similis. Et iste ergo negat Christũ. Si e-
nim Christus uerus patri æqualis est & similis, pro
fecto qui negat ęqualẽ negat Christũ, qui negat si
milem negat Christum. Qui ergo negat ęqualẽ &
similẽ, negat in carne uenisse Christũ. Quæro em̃,
A Venit in carne Christus? Respondet, Venit. Et pu
tamus quia confitetur. Interrogo, Quis Christus
uenit in carne, ęqualis patri an inæqualis? Respõ-
det, Inæqualis. Inæqualem ergo patri dicis uenisse
in carne, negas Christũ in carne uenisse, qa Chri-
stus æqualis est patri. Sabellianum audi. Ipse est fi-
lius qui est & pater. Hoc dicit, hinc pũgit, hinc ue
nena diffundit. Ipse est, inquit. Pater quãdo uult fi-
lius est, quãdo uult pater est. Nõ est ipse Christus.
Et tu erras si hũc Christum dicis in carne uenisse,
quia iste Christus nõ est, negas Christum in carne
uenisse. Quid dicis Photine? Ait Photinus, Chri-
stus solus homo est, deus non est. Formã serui con
fiteris, formam dei negas. Et Christus in forma dei
B æqualis est patri, in forma serui consors est nobis.
Et tu negas Christum in carne uenisse. Donatista
quid? Donatistæ plurimi hoc confitentur de filio
quod nos, q̃ æqualis sit patri filius, eiusdẽq; substã
tiæ: alij uero eorũ, eiusdem quidẽ substantiæ confi
tentur, sed æqualem negant. Quid opus est disputa
re de his qui negãt æqualẽ? Si enim negãt ęqua-
lem, negãt filium. Si negãt filiũ, negant Christum.
Si negant Christũ, quomodo cõfitentur in carne
uenisse Christum? De illis subtilior disputatio est,
qui hoc confitenť quod nos, unigenitũ filiũ æqua
lem patri, eiusdem substantiæ, æterno coęternũ, &
tamen Donatistæ sunt. Dicamus eis, Verbis confi
temini, factis negatis, Aliquis em̃ negat factis. Nõ
omnis qui negat, uerbo negat. Plane sunt homines
C qui factis negant. Interrogemus Apostolũ, Omnia, Tit. 1
inquit, munda mundis, immundis aũt & infideli-
bus nihil est mundum, sed pollutæ sunt eorum &
mens & conscientia. Confitentur em̃ deũ se nosse,
factis autem negãt. Quid est negare factis? Super-
bire & schismata facere, non in deo sed in homine
gloriari. Ita factis negatur Christus, unitatẽ quip-
pe amat Christus. Postremo ecce quomodo & ipsi
Christum negãt, ut apertius loquamur. Nos eum
dicimus Christum, de quo ait Ioannes Baptista,
Qui habet sponsam sponsus est. Bonum coniu- Ioan.3
gium, sanctæ nuptiæ. Sponsus Christus, sponsa ec
clesia. Ab sponso cognoscimus spõsam. Dicat no
bis ipse sponsus, quam habet spõsam, dicat ne for-
tassis erremus, & inuitati ad nuptias sancta uota
turbemus: dicat, ostendat seipsum sponsum. Post
D resurrectionem ait discipulis suis, Non sciebatis Luce 24
quia oportet impleri omnia quæ scripta sunt in le-
ge Moysi & prophetis & psalmis de me? Tũc eu-
angelista sequitur & dicit, Tunc aperuit illis sen-
sum ut intelligerẽt scripturas, & dixit eis, Quia sic
oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis
tertia die. Ecce sponsus quem cõfessus est Petrus,
hoc est filium dei uiui, oportebat ut pateretur, &
tertia die resurgeret, & factum erat. Impletum ui-
debãt, caput tenebãt, corpus quęrebant. Quod est
caput? Ipse Christus passus est, tertia die resurre-
xit, caput est ecclesiæ. Corpus q̃d est? Ipsa ecclesia.
Videbãt ergo discipuli caput, corpus nõ uidebãt.
Ergo eos corpus non uidentes, doceat caput. Dic
dñe Iesu, dic sancte sponse, instrue nos de corpore
tuo

tuo, de ſponſa tua, de dilecta tua, de columba tua,
quam doraſti ſanguine tuo, dic, Oportebat Chri- A
ſtũ pati, & reſurgere à mortuis tertia die. Ecce ſpõ
ſus. Dic de ſponſa, imple tabulas matrimoniales.
Audite ſponſum, Et prædicari, inquit. Hoc enim
ſequitur, Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à
mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœ
nitẽtiam & remiſſionem peccatorũ per omnes gẽ
tes. Vbi te abſcondis? Per omnes gentes, incipien
tibus ab Hieruſalẽ. Sic eſt factum. Legimus pro
miſſum, uidemus impletum. Ecce lux mea, ubi eſt
obſcuritas tua? Ergo Chriſtus ſponſus eſt huius
eccleſiæ quæ prædicatur in omnes gentes, & pul
lulat & creſcit uſq; ad fines terræ, incipientibus ab
Hieruſalem: Huius ſponſus Chriſtus. Tu quid di
cis, cuius ſpõſus eſt Chriſtus? Partis Donati? Non
eſt ipſe, non eſt ipſe. Homo bone non eſt ipſe, imò B
homo male non eſt ipſe. Ad nuptias ueniamus, &
tabulas legamus, & non litigemus. Ergo ſi tu di
cis, Chriſtus eſt ſponſus partis Donati, ego tabu
las lego & inuenio eſſe Chriſtum ſponſum eccle
ſiæ diffuſæ toto orbe terrarum. Si dicis ipſe eſt, &
non eſt ipſe, negas Chriſtum in carne ueniſſe. Pe
lagianiſta reſtat, non ex hæreſibus omnibus, ſed
eis quas pro paruo tempore commemorauí. Iam
enim dixi, quis numerat tot peſtes? Quid dicis Pe
lagianiſta? Audite quid dicit, Videtur confiteri
Chriſtum in carne ueniſſe, ſed diſcuſſus inuenitur
negare. Chriſtus enim in carne uenit, quæ ſimilitu
do eſſet carnis peccati, non eſſet caro peccati. A-
Rom.8 poſtoli uerba ſunt, Miſit deus filium ſuum in ſimi
litudine carnis peccati: non in ſimilitudine carnis,
C quaſi caro non eſſet caro: ſed in ſimilitudine car
nis peccati, qa caro erat, ſed peccati caro non erat.
Iſte aũt Pelagius carnẽ omis infantis carni Chriſti
conatur æquare. Non eſt chariſſimi. Non pro ma
gno commendaretur in Chriſto ſimilitudo carnis
peccati, niſi omnis cætera caro eſſet caro peccati.
Quid ergo prodeſt, quia dicis Chriſtum in carne
ueniſſe, & omnium infantium carni eum conaris
æquare? Et tibi hoc dico quod Donatiſtæ, nõ eſt
ipſe. Ecce uideo eccleſiam matrem teſtimoniũ red
dentem ipſis uberibus ſuis, Accurrunt matres cũ
paruulis filijs, ingerunt ſaluatori ſaluandos, non
Pelagio damnandos. Mater quælibet mulier pie
tate currens cum paruulo ſuo, dicit, Baptizetur ut
D ſaluetur. Pelagius contra, Quid ſaluatur? Non eſt
quod in eo ſaluetur, nihil habet uitij, nihil ex tra
duce damnationis traxit. Si ęqualis Chriſto, quare
quærit Chriſtum? Ecce dico tibi, Sponſus filius
dei qui uiuit in carne ſaluator eſt & maiorũ & mi
norum, ſaluator eſt & grandium & infantium, &
ipſe eſt Chriſtus: tu autem dicis ſaluatorem Chri
ſtum maiorum non minorum. Non eſt ipſe. Si nõ
eſt ipſe, negas & tu Chriſtum in carne ueniſſe. Et
ſi diſcutiamus omnes hæreſes, inuenimus eas ne
gare Chriſtum in carne ueniſſe. Omnes hęretici
negãt Chriſtum in carne ueniſſe. Quid miramini
ſi Pagani negãt Chriſtum in carne ueniſſe? Quid
miramini ſi Iudæi negant Chriſtum in carne ue-
niſſe? Quid miramini ſi Manichæi apertiſſime ne
gant Chriſtum in carne ueniſſe? Sed dico charita
ti ueſtræ, etiã omnes mali catholici uerbis cõfiten
tur Chriſtum in carne ueniſſe, factis autem negãt.
Nolite ergo eſſe tanquã de fide ſecuri, adiũgite fi
dei rectæ uitam rectam, ut Chriſtum cõfiteamini
in carne ueniſſe, & uerbis uera dicẽdo, & factis be
ne uiuendo. Nam ſi confiteamini uerbis, & factis
negatis, fides talium malorũ prope eſt fides dæmo
niorum. Audite me chariſſimi, audite me, ne ſit uo
bis teſtis ſudor hic meus, audite me: Iacobus apo
ſtolus cũ de fide & operib. loquereẽ aduerſus eos
qui ſibi putabãt fidem ſufficere & opera bona ha- Iacobi 2
bere nolebãt, ait, Tu credis quia unus eſt deus, be
ne facis, & dæmones credunt & contremiſcunt.
Nunqd ideo dæmones ab æterno igne liberabun
tur, quia credunt & contremiſcunt? Ecce modo
quod audiſtis in euãgelio, quod ait Petrus: Tu es Matt.16
Chriſtus filius dei uiui: legite & inuenietis diximſſe
dæmones, Scimus qui ſis filius dei. Petrus tamen Marc.1
laudatur, dæmon compeſcit. Vna uox, facta diuer
ſa. Vnde ſeparantur iſtæ duæ cõfeſſiones? Lauda-
tur amor, damnatur timor. Non enim amore dice
bant hoc dæmones, Tu es filius dei, timore hoc di
cebant non amore. Deniq; illi in confeſſione dixe
rũt, Quid nobis & tibi? Petrus autẽ, tecũ ſum uſq;
ad mortẽ. Sed & ipſe Petrus unde fratres mei, un-
de illi diceret ex amore, Tu es Chriſtus filius dei
uiui? Vnde illi? Iráne de ſuo? Abſit. Bene, quod
ipſum euangelij capitulum utrunque demõſtrat,
quid Petrus de dei, quid de ſuo: utrũq; ibi habes.
lege, non eſt quod à me expectes audire. Comme
C moro euangeliũ, Tu es Chriſtus filius dei uiui. Et Matt.16
dominus ad eũ, Beatus es Simõ Bariona. Quare?
De tuo beatus? Nõ. Quia caro & ſanguis nõ reue
lauit tibi: hoc em es tu: nõ tibi reuelauit caro & ſan
guis, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Et ſequitur, &
dicit cætera quæ cõmemorare lõgum eſt. Paulo-
poſt dominus ibi, poſt hæc uerba ſua quibus ap-
probauit fidem Petri, eãq; eſſe petrã mõſtrauit, cœ
pit oſtendere diſcipulis ſuis, quia oportebat eũ ue
nire Hieroſolymã & multa pati, & exprobrari à ſe
nioribus & ſcribis & ſacerdotibus & occidi, & ter
tia die reſurgere. Ibi Petrus de ſuo expauit, & hor-
ruit mortẽ Chriſti, expauit æger medicinã ſuã. Ab
ſit à te dñe, inquit, propitius tibi eſto, nõ fiat hoc.
D Et ubi eſt, Poteſtatẽ habeo ponẽdi animã meã, & Ioan.10
poteſtatẽ habeo iterum ſumẽdi eã? Oblitus es Pe-
tre? Oblitus es, Maiorẽ charitatẽ nemo habet q̃ Ioan.15
ut animã ſuã ponat quis, p amicis ſuis? Oblitus es?
Obliuio illa de ipſius, trepidatio, horror & timor
mortis, totũ de Petri, imò de Simonis nõ de Petri.
Et dominus, Vade retro ſatanas. Beatus es Simõ
Bariona, ſed de dei, Vade retro ſatanas. Vnde? Re
colite unde beatus. Iam dixi, qa non tibi reuelauit
caro & ſanguis, ſed pater meus q̃ in cœlis eſt. Vn-
de ſatanas dicat dominus, Neq; em ſapis quæ dei
ſunt, ſed quæ ſunt hominum. Sperate in domino,
& ueræ fidei bona facta coniungite. Confitemini
Chriſtũ in carne ueniſſe, & credẽdo & bene uiuẽ-
do, & utrũq; ab illo acceptũ tenete, ab illo augẽdũ
& perficiẽdũ ſperate. Maledictus em omis homo Hier.17
qui

qui ſpem ſuam ponit in homine. Et bonum eſt ho
mini, ut qui gloriatur in domino glorietur. A
De uerbis Apoſtoli, Vt de dormientib. nõ
1.Theſ.4 contriſtemur ſicut & cæteri &c. Et de operib. miſe
ricordiæ quibus mortui adiuuantur.

Sermo XXXII

DMONET nos beatus Apoſtolus ut de
A dormientibus, hoc eſt, mortuis chariſſi-
mis noſtris non contriſtemur, ſicut & cæ
teri qui ſpem non habẽt, ſpem ſcilicet reſurrectio
nis & incorruptionis æternæ. Nam ideo & dormi
ẽtes eos appellat ſcripturę ueraciſſima cõſuetu
do, ut cum dormientes audimus, euigilaturos mi-
nime deſperemus. Vnde etiam cãtatur in pſalmo,
Pſal.40 Nunqd qui dormit nõ adijciet ut reſurgat? Eſt er-
go de mortuis eis qui diliguntur, quædam triſtitia
quodammodo naturalis. Mortem quippe horret,
non opinio ſed natura. Nec mors homini accede-
ret, niſi ex pœna quã præceſſerat culpa. Qua pro-
pter ſi animalia quæ ita creata ſunt ut ſuo quoque
tempore moriantur mortem fugiunt, diligunt ui-
tam, quanto magis homo qui ſic fuerat creatus, ut
ſi uiuere ſine peccato uoluiſſet, ſine termino uiue-
ret? Hinc itaq; neceſſe eſt ut triſtes ſimus, quando
nos moriẽdo deſerũt quos amamus, qa & ſi nouí-
mus eos nõ in æternũ relinq̃re nos manſuros, ſed
aliquantum præcedere ſecuturos: tamẽ mors ipſa
quam natura refugit cum occupat dilectum, con-
triſtat in nobis ipſius dilectiõis affectum. Ideo ad
monuit Apoſtolus non ut non contriſtemur, ſed
non ſicut cæteri qui ſpem non habent. Contriſta-
C mur ergo nos in noſtrorum mortibus neceſſitate
amittẽdi, ſed cũ ſpe recipiẽdi. Inde angimur, hinc
conſolamur. Inde infirmitas afficit, hinc fides refi-
cit. Inde dolet humana conditio, hinc ſanat diuina
promiſſio. Proinde pompa funeris, agmina exe-
quiarum, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monu-
mentorum opulenta conſtructio, uiuorũ ſunt qua
liacunq; ſolatia, non adiutoria mortuorũ. Ora-
tionibus uero ſanctæ eccleſię & ſacrificio ſalutari,
& eleemoſynis quæ pro eorum ſpiritibus erogan-
tur, non eſt dubitãdum mortuos adiuuari, ut cum
eis miſericordius agatur à domino, quàm eorum
peccata meruerũt. Hoc enim à patribus traditum
uniuerſa obſeruat eccleſia, ut pro eis qui in corpo-
ris & ſanguinis Chriſti cõmunione defuncti ſunt,
cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemoran
tur oretur, ac pro illis quoq; id offerri commemo-
retur. Cum uero eorum commendandorum cau-
ſa opera miſericordiæ celebrãtur, quis eis dubitet
ſuffragari, pro quibus orationes deo non inaniter
allegantur? Non omnino ambigẽdum eſt iſta pro
deſſe defunctis, ſed talibus qui ita uixerint ante
mortem, ut poſſint eis hæc utilia eſſe poſt mortẽ.
Nã qui ſine fide quæ per dilectionẽ operat̃, eiuſq;
ſacramentis de corporibus exierunt, fruſtra illis à
ſuis huiuſmodi pietatis impendũtur officia, cuius
dum hic eſſent pignore caruerunt, uel non ſuſci-
pientes uel in uacuum ſuſcipientes dei gratiam, &
ſibi nõ miſericordiã theſaurizantes, ſed iram. Non
ergo mortuis noua merita comparantur, cum pro
eis boni aliquid operantur ſui, ſed eorũ præceden
A tibus conſequentia iſta redduntur. Non enim di-
ctum eſt niſi cũ hic uiuerent, ut eos hæc aliquid ad
iuuarẽt, cum hic uiuere deſtitiſſent. Et ideo iſtam
finiens quiſq; uitam, niſi quod meruit in ipſa non
poterit habere poſt ipſam. Permittantur itaq; pia
corda charorũ de ſuorum morte cõtriſtari dolore
ſanabili, & conſolabiles lachrymas fundãt condi-
tione mortali, quas cito reprimat fidei gaudiũ, qua
credũt fideles quãdo moriunt̃ paululũ à nobis ab-
ire & ad meliora tranſire. Conſolentur eos etiam
fraterna obſequia, ſiue quę funerib. exhibent̃, ſiue
quæ dolentib. adhibẽt, ne ſit iuſta querela dicenti-
um. Suſtinui qui ſimul contriſtaret̃ & non fuit, &
conſolantes, & non inueni. Sit pro uiribus cura ſe-
B peliendi & ſepulchra conſtruendi, quia & hæc in
ſcripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt.
Nec ſolum in corporibus patriarcharũ aliorumq;
ſanctorum, & humanis cadaueribus quorumq; ia
centium, uerũetiam in ipſius dñi corpore prædica
ti atq; collaudati ſunt q̃ iſta fecerunt. Impleant hęc
homines erga ſuos officia poſtremi muneris, & ſui
humani lenimẽta mœroris. Verũ illa quæ adiuuãt
ſpiritus defunctorũ, oblatiões, oratiões, erogatio-
nes, multo pro eis obſeruãtius, inſtantius, abũdan
tius impendãt, qui ſuos carne nõ ſpũ mortuos, nõ
ſolum carnaliter, ſed etiam ſpiritaliter amant.

De celebratione dierũ fratrum defunctorũ, & reſurrectione mortuorum.

Sermo XXXIII

C VANDO celebramus dies fratrũ defun-
Q ctorum, in mẽte habere debemus, & quid
ſperandum, & quid timẽdum ſit. Secun-
dum hoc enim ſperandum eſt, quia precioſa in cõ
ſpectu domini mors ſanctorum eius: ſecundum
hoc autem timendum eſt, quia mors peccatorum
peſſima. Ideoq; propter ſpem in memoria æterna
erit iuſtus, propter timorem ab auditu malo non ti
mebit. Erit em auditus quo nullus ſit peior, quan-
do dicitur ſiniſtris, Ite in ignẽ æternũ. Ab hoc au-
ditu malo iuſtus nõ timebit. Erit em ad dexteram
inter illos quibus dicitur, Venite benedicti patris Matt.25
mei percipite regnum. In hac autem uita quę me-
dia ante ſumma bona & ante ſumma mala duci-
tur, in medio bonorum malorumq; mediorum, id
D eſt, in neutra parte ſummorum: quia & bona quę-
cunq; hic fuerint homini, in comparatione bono-
rum æternorum nulla ſunt, & mala quęcunque in
hac uita experitur homo in comparatione ignis
æterni nec comparanda ſunt. In hac ergo medie-
tate uitæ illud quod audiuimus nunc ex euange-
lio tenere debemus, Qui credit, inquit, in me, li- Ioan.11
cet moriatur, uiuit: & uitam pronunciat, & mor-
tem non negat. Qui credit in me, licet moriatur, ui
uit. Quid eſt moriatur, uiuit? Licet moriat̃ corpo-
re, uiuit ſpiritu. Deinde adiũgit, Et qui uiuit & cre
dit in me, nõ morietur in ęternum. Certe licet mo-
riatur, quomodo ſi non morietur? Sed licet moria
tur ad tempus, non morieẽ in ęternũ. Sic iſta ſoluí-
tur queſtio, ut nõ ſint inter ſe cõtraria uerba uerita
tis, & poſſint inſtruere affectũ pietatis. Ergo licet
corpore

corpore morituri ſimus, uiuimus ſi credimus. Eſt autem fides noſtra maxime diſcreta ab omni fide gentilium in reſurrectione mortuorum. Hanc eẽ illi omnino non recipiunt, quia ubi recipiant non habent. A domino enim preparatur uoluntas hominis, ut ſit fidei receptaculum. Dicit Iudeis dominus. Sermo meus non capit in uobis. Ergo in his capit in quibus inuenit quod capiat. In his eẽ inuenit quod capiat ſermo qui capit, quos deus pollicendo non decepit: ille enim qui quærit ouẽ perditam, & quã quærit nouit, & ubi quærat, & quomodo eius membra diſperſa colligat, & in unam ſalutem reducat, & ita conſtituat ut eã ulterius nõ perdat. Conſolemur ergo nos inuicẽ, & in his ſermonibus noſtris. Poteſt nõ dolere cor humanum defuncto chariſſimo, melius tamen dolet & ſanatur cor humanum, quàm nõ dolendo ſit inhumanum. Maria domino cohærebat, & mortuum fratrem dolebat. Sed quid miraris quia Maria dolebat, tũc cum ipſe dominus flebat? Mouere autem quemuis poteſt, quomodo flebat mortuum, ſi cõtinuo iubet uiuturum? Nõ mortuum flebat quem ipſe ſuſcitauit, ſed mortem quam ſibi homo peccando comparauit. Si enim peccatum non præceſſiſſet, ſine dubio mors ſecuta nõ fuiſſet. Secuta eſt ergo mors etiam corporis, quam præceſſit mors animæ. Mors animæ præceſſit deſerente deo, & mors corporis ſecuta eſt deſerẽte anima. Deſeruit uolens, & coacta eſt deſerere nolens. Tanquam illi diceretur, Receſſiſti ab eo quem diligere debuiſti, recede ab eo quẽ dilexiſti. Quis enim uult mori? Prorſus nemo, & ita nemo, ut beato Petro diceretur, Alter te cinget & ducet quò non uis. Si ergo nulla eſſet mortis amaritudo, non eſſet magna martyrum fortitudo. Ideo & Apoſtolus de dormiẽtibus inquit, Nolo uos ignorare fratres, ut nõ contriſtemini ſicut & gentes quæ ſpẽ non habẽt. Non tantum ait, Vt non contriſtemini, ſed ut non ſic contriſtemini quẽadmodum gentes quæ ſpem non habent. Neceſſe eſt enim ut cõtriſtemini. Sed ubi cõtriſtari? Vbi corpus quod uiuit ex anima fit exanime. Diſcedente anima qui ambulabat iacet, loquebatur tacet, oculi lucem non capiunt, aures nulla uoce pateſcunt, omnia membrorum officia conquieuerunt, non eſt qui moueat greſſus ad ambulandum, manus ad operandum, ſenſus ad percipiẽdum. Nonne iſta eſt domus, quam neſcio quis inuiſibilis habitator ornabat? Diſceſſit qui non uidetur, remanſit quod cum dolore uideatur. Iſta eſt cauſa triſtitiæ. Si hæc eſt cauſa triſtitiẽ, quæ conſolatio? Quia ipſe dominus in iuſſu & in uoce archãgeli in nouiſſima tuba deſcendet de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgent primi, deinde nos uiuentes, qui reliqui ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ita ſemper cũ domino erimus. Pereat contriſtatio, ubi tanta eſt conſolatio, detergatur luctus ex animo, fides expellat dolorem. In tanta ſpe non debet eſſe triſte templum dei. Ibi habitat bonus conſolator, ibi qui non fallit promiſſor. Scio ut mortuum diu plangamus, quoniam mors amara eſt, per illam tranſiuit & dominus. Sufficiant hæc pauca charitati ueſtræ, conſoletur abundantius qui non migrat de corde ueſtro, ſed ita dignetur habitare, ut nos digneẽ etiam in fine mutare.

Ioan.14

De uerbis Apoſtoli, Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſq; prout geſſit ſiue bona ſiue mala. 2.Cor.5

Sermo XXXIIII

OMNIVM Chriſtianorum ſpes fratres chariſſimi in futurum tempus extenditur, ut quod hic ſeruimus deo, alibi nos ſeruiſſe lætemur. Hic eẽ nobis poſita ſunt certamina, ſed in futuro ſeculo certaminum præmia reſeruata. Iuſte ſiquidem & prouide diuina ſapientia ſeparauit tempus laboris & præmij. Hic ergo laboramus, hic ſeruimus deo & mandata eius ſeruamus, ut in futuro ſeculo, id eſt, in cœlorum regno æterna premia capiamus. Scire eẽ debemus fratres dilectiſſimi quid nobis ſcriptura diuina commendat, id eſt, futurum eſſe iudicium dei, quod poſt reſurrectionem complebitur mortuorum. Hoc eſt quod precipue Chriſtianos à gentili errore ſecernit, quia illi hanc tantummodo uitam eſſe credunt, & ideo ſine deo eſſe & diuerſis peccatis atq; criminibus nõ metuunt inquinari. Nos uero ita in hac uita conuerſemur, ut nos ad aliam præparemus, in qua & bonis bona, & malis mala retribuentur, ſicut dixit Apoſtolus, Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſq; prout geſſit, ſiue bona ſiue mala. Sicut hic modo aſtamus in eccleſia & nos inuicem præſentes aſpicimus, ita etiam poſt reſurrectionem mortuorum aſtituri ſumus ante tribunal Chriſti. Hãc enim etiam ipſam animam tunc habebimus quam modo habemus, & in hoc ipſo quo nunc induimur ſumus corpore reſuſcitandi. Nõ enim ſicut muta animalia facti ſumus, non ſicut equi & boues ut æterna morte pereamus, quia poſtquam hic uixerimus alibi iũdicabimur, ut aut pro peccatis pœnas, aut pro bonis operibus præmia conſequamur æterna. Nemo ergo fratres mei chariſſimi de reſurrectiõe deſperet, in qua Chriſtianorum ſpes tota conſiſtit. Credite fratres Apoſtolo prędicãti, & nihil de reſurrectione dubitãtes, ad diẽ iudicij uos præparate. An forte ſicut impij & increduli non putatis fieri poſſe ut à mortuis reſurgamus? Planè dicat hoc qui omnipotentem non credit eſſe deum, qui hoc promittit futurum: nos autem qui ſcimus dei omnipotentis eſſe uirtutẽ, quia promiſiſſe deum legimus quòd reſurrectionem mortuorum faciat, non poſſumus de reſurrectione mortuorum dubitare, quum ſe facturũ eſſe promittit, qui & omnipotẽs eſt & mentiri neſcit. Sed te appello qui infideli animo de reſurrectione dubitas, & putas nõ poſſe mortuos reſuſcitari. Quid eſt amplius, ex nihilo facere homines qui uiuant, an eos qui facti ſunt atq; uixerunt reparare poſt mortem? Vtiq; plus eſt facere quod nunquam fuit, quàm reparare quod fuerit. Quomodo ergo impoſſibile eſſe dicis, ut deus qui hominem formauit ex nihilo reformet? Quomodo nos ſuſcitare nõ poteſt cõuerſos in puluerem, q; ſi etiam

etiam in nihilum rediremus, facere poterat ut eſſemus, ſicut & fecit nos eſſe, cum antea nunquã fuiſſemus? Ita enim beatus Apoſtolus Paulus dixit. Sed dicunt aliqui, Quõ reſurgunt mortui? Quali autem corpore ueniunt? Inſipiens tu quod ſeminas non uiuificatur niſi prius moriatur, & quod ſeminas non corpus quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, utpote tritici aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus ſicut uoluit, & unicuique ſeminum proprium corpus. Noli ergo incredule homo de reſurrectione dubitare. Qui grana ſeminum mortua & putrefacta uiuificat, per quæ in hoc ſeculo uiuas, multo magis teipſum reſuſcitabit ut uiuas in æternum. Qui illa reparat quæ tibi ſunt neceſſaria: quomodo teipſum non reparat, propter quem & alia reparare dignatus eſt? Itaque ſi uelimus conſiderare quæ in iſto ſeculo uidemus, diuinæ adminiſtrationis opera ſigna ſunt futurorum. Tota ergo huius mundi adminiſtratio teſtimonium eſt reſurrectionis futuræ. Videmus certe hyemis tempore uel aduentu, arbores ſpoliari pomis, nudari foliis: ſed eas etiam uerno tẽpore ſpeciem reſurrectionis exprimere: quæ primo quidẽ incipiũt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus, ueſtiri & foliis, & poſtmodum pomis grauari. Interrogo te infidelis homo qui de reſurrectione dubitas, ubi ſunt iſta quæ tẽpore quo deus diſpoſuit producuntur? Dic mihi ubi latitãt antequam producantur, quę nuſquam quidem uidentur, ſed tamen deus qui omnipotens eſt & ea ex nihilo condidit, ſecreta ſua uirtute producit? Hinc iam ad campos & prata reſpicite, quæ æſtate tranſacta herbis ſuis ſpoliantur ac floribus, & nuda remanent ipſa ſpacia terrarum, ſed iterũ uerno tempore reueſtiuntur, & nouo ubiq; germine incipiente lætatur agricola. Certe herba quæ ante uixit & moritur, rurſus reuiuiſcit ex ſemine: ſic etiam & noſtrũ corpus reuiuiſcit ex puluere. Sed dicis ò homo incredule, Ideo credimus futurũ ut arbores & herbę et omnia reuiuiſcant, quia illa iam facta cognoſcimus. Vnde autem cognoſcere poſſumus quia mortui reſurgunt, cum adhuc à mortuis nemo ſurrexerit? Quiſquis hoc dicis uel cogitas, audi patienter, & intellige ſapiẽter. Ideo enim dominus noſter Ieſus Chriſtus mori uoluit & reſurgere, ne tu de reſurrectione dubitares. Tamẽ quomodo potes dubitare quia non ſumus reſurrecturi à mortuis, cum hoc promittat deus qui neſcit aliquando mentiri, qui poteſt facere quicquid uult, quia omnipotens eſt, & implet omnia quæ promittit, quia uerax eſt, & mendacium in eo nõ eſt? & dedit nobis pius & miſericors dominus uirtutis ſuæ pignus, & grãdi teſtimonio nobis ſpem reſurrectionis oſtendit, quia unigenitum filium ſuũ pro nobis hominem factum & mortuum à mortuis ſuſcitauit. Ideo eẽ dominus noſter Ieſus Chriſtus naſci ex homine, id eſt, ex Maria uirgine eſt dignatus, & à Iudæis crucifigi, & die tertia reſurgere, ut nos tali exemplo animati, reſurrectionem ex mortuis certiſſime crederemus: quam qui non credit futuram, nec hoc quidem credit quòd Chriſtus reſurrexit à mortuis. Qui aũt dñm Ieſum reſurrexiſſe à mortuis confiteẽ, nec de ſua poterit dubitare. Abſtinete ergo uos ab omni ope malo, ab inimicitijs, ab ebrietate, à fornicatiõe, à furto, à periurio, à falſo teſtimonio, detractione, quia hæc omnia odit deus, & eos qui iſta faciunt puniet in futuro. Eſtote autẽ benigni, miſericordes, inuicẽ honorẽ habentes, & ea ſemper operantes, quæ in ſanctis ſuis diligit deus, ut poſſitis cũ ſanctis eius ad æternam & immortalem gloriam peruenire, & uiuere in ſecula ſeculorum, Amen.

1Cor.15

Aug.to.10

De eiuſdem uerbis Apoſtoli, quibus in ſermone præcedenti. Sermo XXXV

FRATRES chariſſimi, dũ diuina lectio legeretur, audiuimus beatũ Apoſtolũ terribiliter nos & ſalubriter admonentẽ. Sic enim ait, Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; propria corporis ſui prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Quã rem etiã dñs in euãgelio denuntiat dicẽs, Filius hominis uẽturus eſt in gloria ſua cũ angelis ſuis, & tũc reddet unicuiq; ſecundũ opa ſua. Diligẽter quæſo attendite fratres, & mecũ pariter paueſcite, quia nõ dixit q̃d reddat unicuiq; ſecundũ miſericordiã ſuã, ſed ſecundũ opera ſua. Hic enim eſt miſericors, ibi iuſtus. Nã quod nõ ſtatim in peccatores uindicat, patiẽtia eſt nõ negligẽtia. Nõ ille patientia perdidit, ſed nos ad pœnitentiã reſeruauit. Vnde ualde timẽdũ eſt, ne quãto diutius expectat ut corrigamur, tãto grauius uindicet ſi emẽdari noluerimus. Scire & intelligere debemus fratres chariſſimi nihil nobis eſſe ſalubrius, q̃ ut dãnatis omniũ præſentiũ rerũ uoluptatibus, id potius cogitemus qñ erimus de hoc ſeculo tranſituri, uel qñ tabernaculũ corporis ultimo die ſuperueniente depoſituri, & iterũ illud reſurrectionis tẽpore recepturi, ut cũ eodẽ recipiamus, put geſſimus, ſiue bonũ ſiue malũ. Et ideo rogo fratres, ut quotidie cogitemus quales erimus in die iudicij, puriſſimis angelorũ cõſpectib. offerendi, & æterno iudici rationẽ de libris conſcientiæ reddituri, remotis omnib. probationibus. Certũ eſt in die illa ipſum ante ſe hominẽ cõſtituendũ, & ipſam ſui uitam in cordibus ſpeculo demonſtrandã, & teſtes contra eam nõ deforis aliquãdo, ſed intus de ipſa anima proferendos. Adijcienda erunt non aliqua peregrina, ſed nimiũ nota teſtimonia, id eſt, opera ſua. Ordinabuntur ante infelicẽ animã peccata uel crimina ſua, ut eam & cõuincat probatio & confundat agnitio, ſecũdũ illud quod ſcriptũ eſt, Arguã te & cõſtituã te ante faciẽ tuã. Quicunq; ſe modo dũ licet emendare neglexerit, ante illũ cœleſtẽ populum primũ excepturus erit de cõfuſione ſuppliciũ: & anima quæ modo per pœnitentiã compendioſam tranſactas peccatorũ ſuorum putredines curare diſſimulat, ante illud tribunal metuendum ſine ullo remedio, in perpetuo tartaro manebit. Quæ cũ ita ſint, bene nobiſcũ ageretur, ſi iam nũc ſic pœniteremus ſuper malis noſtris, quomodo tunc ſine ullo remedio pœnitebimus: ſi fœditates & confuſiones noſtras quẽadmodum tunc uiſuri ſumus

2Cor.5

Pſal.49

ſumus, ſic iam eas nunc uidere & horrere poſſemus. O ſi iã nũc faciẽ peccatricis animæ liceret oculis corporis intueri, & conſcientiæ noſtræ uultum in oculorũ preſentiã permitteremur adducere. Quod ſi liceret, nec dici poteſt, quanto ſtudio quãtoq; metu urgeremur fœdata cõponere, macu lata tergere, uulnerata curare. Ideoq; qã nõ poſſumus oculis corporis, inſpiciamus nos inquãtũ poſſumus oculis cordis: & unuſquiſq; conſcientiã ſuã ante conſpectũ interioris hominis cõſtituat. Ipſi noſmetipſos caſtigemus, ipſi nobiſcũ rationem de quotidiana conuerſatione faciamus, ipſi nos accuſemus quotidie iudici noſtro, & dũ in hac carne ſumus contra ipſam carnẽ auxiliante domino quotidie dimicemus, uincamus uoluptates & delectationes noſtras: ut nobis tẽpus illud ſpectatiſſimũ ac beatiſſimũ æternæ uitæ pro felici mactatione ſuccedat, quando implebiẽ illud quod dñs dixit,
Mat.22 Et erunt ſimiles angelis. Et iterũ,
Mat.13 Tunc iſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Putas qualis tunc erit ſplendor animarũ, quando ſolis claritatẽ habebit lux corporum? Tunc enim cum ad iſtam beatitudinẽ uenerimus, nulla erit triſtitia, nullus timor, nulla infirmitas, nulla mors. Habebimus plenam beatitudinem fratres inter illa immenſa beneficia domini noſtri, ut nunquam ceſſemus referendo ei gratiarumactionẽ de beatitudine qua ſumus fruituri, cohæredes effecti eius qui dixit, Venite benedicti, percipite regnum quod uobis paratũ eſt ab origine mundi, donante ipſo cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Sermonum de uerbis Apoſtoli finis.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, LIBER Quinquaginta Homiliarum.

Pſal.33 De eo quod propheta dicit in pſalmo, Quis eſt homo qui uult uitã, & diligit uidere dies bonos.

Homilia I

A OCANS genus humanũ ſpiritus dei, iubẽdo quid facere et pmittendo quid ſperare debeamus, prius
V mentem noſtrã inflãmat ad præmiũ, ut quod præcipitur magis bonũ amando, q̃ malum timendo faciamus. Quis eſt homo, inquit, qui uult uitã, & diligit uidere dies bonos? Sic interrogans quis iſte ſit, quaſi poſſit inueniri qui non ſit. Quis enim nõ uult uitã? Quis non diligit uidere dies bonos? Audi ergo quod ſequitur, quicũq; hoc uis & diligis homo, audi quod ſequitur, Omnis homo, cohibe, inquit, linguam tuam à malo, & labia tua ne loquanẽ dolũ. Declina à malo & fac bonũ, quære pacẽ & ſequere eã. Horum omniũ cætera ſuperiora ſunt in præcepto, ultimũ
A in præmio. Nam ut cohibeamus linguã noſtram à malo, & labia noſtra ne loquanẽ dolũ, declinemus à malo & faciamus bonũ, ut quæramus pacẽ præcipitur nobis: ut aũt ſequamur eam promittitur nobis. Quæ iſta pax eſt, niſi quã non habet mundus? quæ iſta pax eſt, niſi quã nõ habet iſta uita, quæ in huius uitę cõparatiõe nec uita eſt? Neq; enim de hac uita diceret, Quis eſt homo qui uult uitam, & ad iſtam uel retinendã uel producendã præceptis conſequẽtibus hortareẽ, quanq; & iſtam quis nõ uelit? Nam & hæc ſaltem optaẽ prolixa, quia non poteſt eſſe ſẽpiterna, & per hãc poteſt homo peruenire ad illam, ſi quemadmodũ uult eam lõgam, ſic uelit & bonã. Quantum eſt aũt in hac uita longũ, quod erit aliquãdo finitũ? Et quod erat longũ
B erit nullũ, quia & quando erat non ſtabat, & quando producebatur nõ augebatur, nec addendo creſcebat, quia ueniendo recedebat. Quiſquis igitur es amator lõgæ uitæ, eſto potius bonæ uitę. Nam ſi male uiuere uolueris, longa uita non erit uerum bonũ, ſed erit lõgũ malũ. Vide aũt q̃ ſis abſurdus atq; peruerſus, cum te uillam fateris plus amare q̃ uitã. Villam uis potius bonã habere q̃ uitam? Nã ut inhiando & male cõcupiſcendo adipiſcaris uillam bonam, fraudando efficis uitã malam. Tamen ſi tibi diceretur, ſi à te quærereẽ, utrum malles uilla bona carere perdendo, an uita mala moriendo, reſponderes, te ſi utrunq; retinere non poſſes, paratiorem eſſe ut uilla tibi auferretur. Cur igitur non ſic amaẽ uita ut ſit etiã bona, quæ abs te omnibus
C tuis bonis præfertur etiã mala? Cupis certe ut longa ſit, licet mala ſit: imò fac ut bona ſit, & noli timere ne breuis ſit. Nam ſi te ſolicito bene agitur, te ſecuro cito finietur. Succedet ei namq; uita æterna, ſine metu beata, ſine fine longa. De illa quippe uita interrogat qui dicit, Quis eſt homo qui uult uitam, & diligit uidere dies bonos? In hac aũt uita iubet nos Apoſtolus redimere tẽpus, qm̃ dies mali ſunt. Et quid eſt redimere tẽpus, niſi cũ opus eſt etiã detrimẽto tẽporaliũ cõmodorũ ad æterna quę renda & capeſſenda ſpacia tẽporis cõparare? Vn Mat.5
de & dñs præcepit dicens, Si quis uoluerit tecum iudicio cõtendere & tunicam tuam tollere, dimit te illi & palliũ, ut ſcilicet amiſſa re temporali, impendas ad quietem, q̃d eras impenſurus ad litem.
D Quod itaq; non de uita & diebus huius tẽporis loquatur ſpiritus dei dicens, Quis eſt homo qui uult uitam, & cupit uidere dies bonos, ſequẽtia docẽt. Talia em̃ præcepta ſubiungit quibus obaudiẽdo uitam & dies bonos habere poſſimus, ut hæc uita quã nunc agimus, & hi dies, pro eiſdem præceptis implendis plerunq; amittẽdi ſint. Proinde ſi hanc uitã, in qua nũc ſumus, intellexerimus in eo quod dictũ eſt, Quis eſt homo qui uult uitã, & propter hanc habendã quę connectuntur præcepta faciamus, quid acturi ſumus cũ aliquis in malicia potẽs mortẽ nobis fuerit cõminatus, niſi falſum teſtimoniũ dixerimus? Profecto em̃ ſi fecerimus quod hic iubetur, Cohibe linguã tuã à malo, ut propter hoc præceptum teſtimonij fallaciam recuſemus, quaſi decepti

decepti uidebimur, quia propter habendę uitę cupiditatem pręceptũ ſeruare ſuſcepimus, & eã magis pręceptũ ſeruando perdidimus. Porrò ſi uitam
A intellexerimus in ęternũ beatã, quã poſt iſtã deus dabit obedientibus ſibi: de qua dñs dixit ad quendam, Si uis uenire ad uitã, ſerua mandata, Tunc uero interrogati, Quis eſt homo qui uult uitam, et reſpõdemus nos uelle uitã, & iam ſub ipſo percuſſoris ictu ueritatẽ ſeruabimus in teſtimonio, mortẽ contemnimus in mundo, uitã conſequimur in cœlo, Hæc de diebus bonis intelligamus, nam ſi propter dies pręſentis ſeculi, q̃ boni dicũtur, & nõ ſunt, in ſepultura cordis per epularum aggeres, in luxu ac uinolentiæ gurgitibus, in turpiſſimis ingluuiũ uoluptatibus, Si ergo propter iſtos dies quaſi propter dies bonos ſuſceperimus præceptũ ut labia
B noſtra non loquanẽ dolum, plerunq; tales dies cogunt amatores ſuos loqui dolũ, & tales dies negãtur eis qui non loquunẽ dolum. Quid eſt enim aliud loqui dolum, niſi aliud labijs promere cum aliud claudatur in pectore? Ad hoc maxime adulatorum exarſit negociũ, qui penè ſemper ne prohibeantur ab opimis mẽſis apparatiſq; cõuiuijs, blandiendo non tacent falſum, ne ab his prohibeanẽ ſi amando deũ dixerint uerũ. Ergo propter iſtos dies quos putant bonos, ut eis exhibeanẽ, loquunẽ dolum, & eis negantur ſi non loquunẽ dolum. Alij ſunt igitur dies boni de quibus admonemur, ut ſi eos uidere diligimus cohibeamus à malo linguã nec dolum loquamur. Nõ ſunt de iſto ſeculo dies illi, non eos habet cœlum quod tranſiet, ſed quod
C permanebit. Non eos nouit terra morientiũ, ſed terra uiuentium. Hos quiſq; intellexerit & dilexerit, linguã cohibet à malo. Et ſi iam terror mortis cogat ad malum, labia eius nõ loquunẽ dolum: & ſi diebus fallaciter bonis inuiteẽ ad dolũ, declinat à malo, etiã inter bona facit bonũ, etiam inter mala quærit pacem quę nõ eſt ſuper terrã, & ſequitur eam in illo qui fecit cœlum & terram. Proinde fratres cõcupiſcite uitam, & diligite uidere dies bonos, ubi nulla nox erit, uitam in qua dies malus nõ timeatur, dies bonos in quibus nunquã uita finiatur. Sed ſi hanc mercedẽ diligitis, cauete ne opus cuius ea merces eſt, recuſetis. Illam enim pacẽ quę rendo ſequimini, quæretis aũt manibus ueſtris nocte coram deo, & non decipiemini. Quid eſt autẽ manibus ueſtris, niſi operibus ueſtris nocte, niſi e-
D tiam in tribulatione? Quid eſt coram deo, niſi conſcientiæ puritate? Sic uiuendo & hoc amando habebitis deum in contemplatione, & in illo uitam ſine defectione, dies bonos ſine cõtenebratione, pacem ſine diſſenſione.

Pſal.49 De eo quod propheta dicit in pſalmo, Sedens aduerſus fratrẽ tuũ detrahebas, uſq; ad hoc, Cõſtituam te ante faciẽ tuam.

Homilia II

F REQVENTER fratres chariſſimi cum pſalmiſta cantamus uerſiculum illum, per quem detractores ſpiritali gladio feriunẽ. Sic enim ait, Sedẽs aduerſus fratrem tuũ detrahebas, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Quod autem dixit, Sedens, oſtendere uoluit quòd non tranſitorie detraxerit, nec ei ſurreptum
A ſit ut male de proximo loqueretur. Sedens, id eſt, ex ocio, quaſi ad hoc uacans, ut derogaret proximo ſuo. Hæc feciſti & tacui &c. Nemo, fratres chariſſimi falſa ſecuritate ſe decipiat, & putet ſe ante tribunal Chriſti non eſſe uenturum, nec redditurũ de factis proprijs rationẽ. Veniet enim dominus deus noſter & non ſilebit. Modo enim ſilere dicitur, quia adhuc uindictam ſuſpẽdere uidetur. Hęc feciſti & tacui. Quid eſt tacui, niſi non uindicaui? Seueritatem meam diſtuli, patientiam tibi prolongaui, pœnitentiam tuam diu expectaui. Hæc feciſti & tacui. Ego autem cum adhuc expectarem ut te pœniteret, tu aũt & me contẽpſiſti, et Apoſtolũ audire noluiſti. Et ſecundum duriciam cordis tui, Rom.2
& cor impœnitens, theſaurizaſti tibi irã in die iræ
B & reuelationis iuſti iudicij dei. Suſpicatus es inique quòd ero tibi ſimilis. Parum eſt quia mala facta tua placẽt tibi, placere putas et mihi. Deũ quia non ſtatim pateris ultorem, uis tenere principem, & tanquam corruptum iudicem prædæ ſociũ uis habere. De multis quæ rapuiſti paruas eleemoſynas faciens, & adhuc peccata non deſerens, quaſi corruptum iudicem putas te poſſe redimere: cum ſi etiam totum dares & peccata ipſa nõ deſereres, teipſum deciperes pecuniam perdendo & peccata non redimẽdo. Suſpicatus es inique quòd ero tibi ſimilis. Arguam te, Quando? Veniet enim dominus deus noſter & nõ ſilebit. Arguã te. Et quid faciam arguendo te? Quid tibi faciã? Modo te nõ
C uides, facio ut uideas te, quia ſi uideres te & diſpliceres tibi, placeres mihi. Quia uero te non uidens placuiſti tibi, diſplicebis & mihi & tibi. Mihi cum iudicaberis, tibi cũ ardebis. Quid enim tibi faciã inquit? Cõſtituam te ante faciem tuam. Quod em̃ uis latere teipſum, in dorſo tuo tibi eſt. Non te uides, facio ut uideas te. Quod tu poſt dorſum tuum poſuiſti, ego ante faciem tuam ponã. Videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, ſed ut erubeſcas. Modo enim fratres chariſſimi, omẽs amatores luxurię, & qui cum delectatione faciunt iniquitatẽ, peccata ſua poſt dorſum proijciũt. Si uero aliquid boni caſu aliquo uel per quãlibet occaſionẽ fecerint, ante ſe ponunt, & inde aſſidue gloriantur & dicunt, Ego illum liberaui, ego illi benefeci, ego illi tantum dedi. Et dum bona quæ per illos deus fecit, ſibi aſſignãt: per uanitatem perdunt quod per
D eleemoſynam acquirere uidentur. Ac ſi ante tribunal Chriſti perditis bonis quæ ante ſe habebãt, peccata quæ poſt dorſum proiecerãt ante faciem eorum reuocãtur: & ſine ullo termino ſuſtinebũt ſupplicium, qui ſibi dum uiuerent noluerunt prouidere remedium. Et hæc quidem faciunt illi qui plus diligunt præſentia quàm futura. Qui uero de animæ ſuæ ſalute attentius cogitant, econtrario faciunt. Bona quæcunq; fecerint poſt dorſum proijciunt, mala autem quęcũq; ſurrepſerint ante oculos ponunt: & dũ de ipſis in præſenti ſeculo erubeſcunt, & uulnerata curare, & mortua reſuſcitare, & ſordida abluere tota fidei deuotione cõtendũt: cum in die iudicij ante tribunal Chriſti uenerint,

mala quæ ante faciē suā posuerant & bonis operibus redēpta sunt, auferent̄: bona quæ propter uanitatē post dorsum proiecerant, ante oculos collo *Matt.25* cabuntur, & merebunt̄ audire, Venite benedicti patris mei percipite regnū. Et licet hæc ita sint, nō tamen de illis desperandū est qui adhuc mala sua non solū corrigere nolunt, sed etiā defensare non erubescunt: sicut nec illa ciuitas desperata fuit, de *Ionæ 3* qua dictū est, Adhuc triduo, & Niniue subuertet̄. In ipso tamē triduo idonea fuit cōuerti, orare, plangere, & de pœna imminēti misericordiā promereri. Audiant ergo qui tales sunt dum licet audire tacentem, id est, in præsenti non uindicantē. Veniet enim dn̄s deus noster & non silebit. Et tunc arguet, quādo correctionis locus nullus erit. Statuam te, inquit, ante faciē tuā. Modo ergo, sicut iam supradictū est, quisquis talis es, fac quod tibi minat̄ B dn̄s facere: tolle te de dorso tuo ubi te uidere non uis dissimulans à factis tuis, & constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi iudex: torqueat te timor, erumpat confessio, dic deo tuo, *Psal.50* Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum ante me est semper. Quod erat post te, fiat ante te. Et cum factum fuerit ante te, puniatur à te, ne tuipse postea à deo iudice fias ante te, & non sit quò fugias à te. Intelligite aūt hæc qui obliuiscimini deū. Nō cogitabas de uita tua mala: intellige qui oblitus es dn̄m, Ne quando rapiat sicut leo, & non sit qui eruat. Quid est sicut leo? Sicut potens, sicut fortis, sicut ille cui resistere nemo C potest. Illi enim quos supradiximus, id est, amatores mundi, in ore suo deum laudare uidentur, sed longe aliud operibus exercere probantur. Secun *Esa.29* dū illud quod ait propheta, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sed clamat illis spiritus sanctus, Peccatori aūt dixit dn̄s, Vt quid tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tanq̄ si diceret ei, nihil tibi prodest quòd laudas deum. Illis em̄ qui bene uiuunt prodest quòd laudant, tu autē si laudas & peccata non deseris, nihil tibi prodest. Vt *Eccle.15* quid me laudas? Audi scripturā dicentē, Non est speciosa laus in ore peccatoris. Si em̄ male uiuis & bona dicis, nondum laudas. Sed rursus si cū cœperis bene uiuere, meritis tuis tribuis, nōdū laudas. Nolo te esse latronē insultantē cruci domini, sed nec te illum uolo esse in templo iactantem merita D sua, & occultantē uulnera sua. Si fueris iniquus & perseuerans in illa iniquitate, nō dico tibi, nō proderit laus, sed non me laudas, istam laudē non deputo. Rursus si fueris quasi iustus, id est humilis & pius, & de iustitia inflatus incesseris, & alios in tua comparatione contempseris, aut superextuleris te, tanquam glorians de meritis tuis, non me laudas. Nec ille me laudat qui male uiuit: nec ille me laudat qui quasi de suo, bene uiuit. Sed nūquid ille pharisæus quasi de suo talis erat cum diceret, Gratias tibi ago quia non sum sicut cæteri homines? Gratias deo agebat ex eo quod bonum in se habebat. Quāuis ergo boni aliq̄d in te sit, nō ex te esse quod bonum est, sed à deo te accepisse profitere.

Tamen in eo ipso si te extuleris supra aliū nō habē A tē, elatus tenebris, nondū laudator meus eris. Primū ergo corrige te à uia pessima, incipe bene uiuere, intellige quia non corrigeris nisi dono dei. A dño enim gressus hominis dirigent̄. Hoc cum intellexeris, faue & alijs ut sint quod tu es, quia hoc eras & tu quod & illi sunt. Faue quantū potes, & noli desperare. Non em̄ usq; ad te diues est deus. Quod em̄ tibi dedit, crede ꝙ etiam & alijs & uelit & possit dare. Nō ergo laudat, qui cum iam cœperit bene uiuere, de suo putat esse ꝙ bene uiuit, nō acceptū à deo. Nec ille laudat, qui cum sciat se q̄d bene uiuit accepisse à deo, tātū usq; ad se uult esse diuitē deum, & non uult ut alijs sit misericors deus. Ille itaq; qui dicebat, Gratias tibi deus quia nō sum sicut cæteri homines iniusti, raptores, adulteri, sicut & publicanus iste: nōne & ibi potuerat dicere, Dñe dona & publicano huic quod mihi donasti, supple & mihi quę nondū dedisti? Sed etiam quasi saturatus eructabat. Pauper uero ille, id est publicanus, quid dicebat? Domine propitius esto mihi peccatori. Ideo descendit iustificatus publicanus magis q̄ ille pharisæus. Ergo audite qui bene uiuitis, audite qui male uiuitis. Sacrificiū laudis glorificabit me. Nemo mihi offert hoc sacrificium & malus est. Non dico, nō mihi hoc offert malus, sed nemo mihi hoc offert malus. Qui enim laudat bonus est, quia si laudat etiā bene uiuit. Qui si laudat, non solum lingua laudat, sed & uita cum lingua cōsentit. Et ideo rogo uos fratres charissimi, quantū possumus cū dei adiutorio studeamus, ut quō deum laudamus uocibus, sic etiā bonis moribus collaudemus. Melius est em̄ tacere & benefacere, q̄ deum laudare & peccata cōmittere. Qui enim laudat deum uita simul & lingua, uocibus pariter & bonis operibus, dupliciter in se prouocat gratiā dei. Si uero non præualet deum laudare uocibus, laudet bonis operibus, assiduis orationibus, cogitationibus sanctis. Si enim hæc diligenter attendimus, & in hoc seculo, cū secura cōscientia laudare deum possumus, & in futuro ad ęternū gaudium feliciter ueniemus.

De eo quod Apostolus dicit, Vt possitis comprehēdere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, & profundum. *Ephes.3*

Homilia III

Decisum est hoc fragm. ex Aug. ep. ad Paulinam De uidēdo deo cap.4 uide 2. col. 539

QVI enim cognouit, inquit, latitudinē & longitudinem, altitudinem & profundū, & supereminentē scientiæ charitatē Christi, uidit & Christum, uidit & patrē. Ego hæc uerba apostoli Pauli sic intelligere soleo. In latitudine bona opera charitatis. In longitudine perseuerantiam A usq; in finem. In altitudine spem cœlestium præmiorū. In profundo inscrutabilia iudicia dei, unde ista gratia in homines uenit. Et hunc intellectum possumus coaptare etiam sacramēto crucis, ut in latitudine intelligatur trāsuersum lignū quo extenduntur manus propter operum significationem. In longitudine ab ipso usq; in terram, ubi totum corpus crucifixum stare uidetur, quod significat persistere, hoc est, longanimiter permanere. In altitudine ab ipso transuerso ligno sursum uersus, quo caput eminet, propter expectationē supernorū, ne illa opera bona atq; in eis perseuerantia propter beneficia dei terrena ac tēporalia faciēda credātur: sed potius propter illud quod desuper sempiternum sperat fides quæ per dilectionem operatur. In profundo autem pars illa ligni quæ in terræ abdito defixa latet, sed inde consurgit illud omne quod eminet, sicut ex occulto dei uoluntate uocatur homo ad participationē tantę gratiæ, alius sic, alius autem sic. Supereminentē uero scientiæ charitatem Christi, eam profecto ubi pax illa est quæ præcellit omnem intellectum.

De eo quod propheta dicit in Psalmo, Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. *Psal.118*

Homilia IIII

INTER cætera quibus beatus Dauid infirmitatibus nostrarū medetur animarū, sub quadā trinitatis regula orandi nos formam tenere tāquam peritissimus magister erudit dicens, Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. Solicitius itaq; fratres intendite quas sibi potissimū uirtutes tribui rex propheticus deprecatur, Bonitatem & disciplinam, inquit, & scientiā me doce domine. Vere nouit recte uiuere, qui rectè nouit orare. Nō enim petit mundanarū diuitiarū thesauros, nō regna finitima, nō tēpora prolixiora uiuendi, sed bonitatē se doceri simul & disciplinam poscit. Bonitas enim facit amabilē disciplinā, & disciplina efficit inculpabilē bonitatem. Nec quenquā latere puto, quia bonitas sine disciplina delictorum mater est, & disciplina sine bonitate tristis quædam amaritudo uiuendi. Sciētiam præstari sibi pariter implorat, ut nouerit sciēter sapienterq; distinguere qui sint termini bonitatis, & quam debeat habere disciplina mensuram: ne forte aut nimiæ remissionis uitio bonitas inconsulta fœdetur, aut disciplina durior ipsa sui austeritate crudelescat. Vis frater bonus esse peccanti? Benigne quidem fac, & ut uere sis bonus, uigorē ei adhibe disciplinæ, ut tua illi bonitas proficiat in salutem. Quem utiq; si nulla coercentis censuræ increpatiōe terrueris, perniciosa erit ei hæc bonitas tua qua permittis perire peccantē, quem poteras saluare correctū. Rursum si nimio disciplinæ rigore nullā scientia bonitatis prætenderis medicinā, dum rigorē tuū refugit peccans, peccati ægritudinē non curabis. Et quæ tandem uiuendi ratio erit quæ'ue iustitia erit, ut solutior lenitas cohibentiā præbeat peccatori, aut immoderata seueritas à lapsu nō reuocet delinquentē? Vt autē bonitatis huius disciplinæq; magisteriū in nostris fuisse maioribus plenius perfectiusq; discamus, pauca de pluribus uenerabiliū patrū recenseamus exēpla. Impleuit sine dubio bonitatis ac disciplinæ istius formā beatus Petrus, cū sicut uere bonus oblatos sibi dicitur curasse infirmos, & ut disciplinæ cœlestis amator, iusta ultione punisse mēdaces perhibetur. Nimirū bonitatis eius gratiā testat̄ Æneas ille debilis, qui claudus ab infantia sedens in porta tēpli domini atq; mēdicās, in nomine Christi Iesu Apostoli curātis imperio antiquā accepit sanitatē. Pro A bauerunt & disciplinæ eius seueritatē Ananias & Saphira, qui distrahentes agrū quē uendere nemo cogebat, dū de precij quātitate mentiunt̄ Apostolo, mortē sibi falsitate mercati sunt. Quo facto edocuit gloriosissimus Petrus inesse sibi bonitatē ac disciplinā, dū remediū pręstat infirmo, & cōpetentem sumit de mēdacibus ultionē, ꝙ eum recte sancteq; fecisse cœlestis iudicij cōsensus ostendit. De perfectione uero sciētię eius quis ambigat, q Christū dn̄m uiui dei filiū esse de cœlo sibi patre reuelāte cognouit? Et q̄a bonitas ac disciplina scientiaq; nō deerat, pascendas illi dn̄s suas cōmendauit ouiculas. Tenuit bonitatē ac disciplinā etiā gloriosissimus Paulus, qui ut eius scriptura testant̄, discipulis suis & uirgā correctionis & spiritū mansuetudi B nis prætēdebat, ꝓpter q̄d faciebat eū oīibus amabilē bonitas, & disciplina terribilē. Nam etiā inter ipsa mūdi primordia ut bonitatē ac disciplinā Christi doceret ecclesias, & remoueri iussit peccantē à cōmunione sanctorū, & eūdē recipi correctū. De scientia aūt eius quid nos dicemus, cū oēs eū nouerint in cœlestib. didicisse quæ doceret in terris? Ibi talia se memorauit edoctū, qualia loqui mortalibus nō liceret. Habuit nihilominus bonitatē & disciplinā testis dominicus & baptista Ioānes, qui resipiscētes à peccatis suis propheticæ pietatis affatu pœnitentiæ baptismo diluebat, atq; ut uere legaliū præceptorū custos immobilis & Herodē regē de illicita accusabat uxore, et cūctis ad se cōcurrētibus purgatioris uitę præcepta mādabat. Scien C tiæ aūt illius plenitudinē quis potest agnoscere, q q̄d pro salute mūdi uenit è cœlo, primus omnibus reuelauit. Videtis itaq; fratres quo orādi cōpēdio & qua paucitate uerborū perfectionē uiuendi uenerabilis propheta quærebat. Breuissimo nāq; sermone cōclusit, quotquot spiritaliū habet multitudo uirtutū. Si ergo ille prophetarū præcipuus doceri se à deo sanctiores uias tātopere precabat̄, q̄d facere nos oportet qui & tardi sensus infirmitate torpemus, & noxia remissioris uitæ cōsuetudine deprauamur? Nos, inq̄, magis orare debemus dicentes, Bonitatē & disciplinā & scientiā doce nos dñe, quatenus in nobis bonitas maliciā uincat, uitia ac uoluptates disciplina castiget, & ignorantię cæcitatē scientia ueritatis illuminet. Si em̄ scieris D omnipotentē deū filiūq; eius unigenitū unius esse substātię, spiritū quoq; sanctū pari credideris æternitate regnantē, nulla unq̄ te uel Paganorū uana persuasio, uel Arianorū ꝑfida turbabit impietas. Si futuri iudicij scientia cor tuū mentēq; repleuerit, habebis in tuis moribus disciplinā. Rursus si disciplinæ ipsius mensuram regulasq; seruaueris, congruam tenebis in omnibus bonitatem, quia bonitas est temperamentum disciplinæ, & disciplina condimentum est bonitatis. Caue ergo frater ne ita uelis bonus uideri, ut abijcias disciplinā, aut ita arduam secteris disciplinam, ut remoueas bonitatem. Quibus beatus Dauid idcirco scientiam precatur adiungi, ut directo mentis nostræ iudicio scire possimus, qualiter in nobis esse possit & distri-

& districtior bonitas, & blandior disciplina.

1.Tim.4 De eo quod Apostolus dicit, Prędica uerbum, insta opportune importune, argue, increpa, obsecra cũ omi patiẽtia & doctrina. Homilia V

REQVENTER in scripturis sanctis audiuit charitas uestra fratres charissimi, in quo sint sacerdotes periculo constituti, si noluerint implere illud quod contestatur Apostolus, Prędica uerbum, insta opportune importune, argue, increpa, obsecra cum omni patientia & doctrina. Et quia tam graue pondus imminet ceruicibus nostris, quibus dicitur, Si non annuntiaueris iniquo iniquitatẽ suã, sanguinẽ eius de manu tua requirã, necesse nobis est quoscunq; negligentes aut secrete aut publice castigare. Sed quando corripimus, ille quem corripimus si malus est, attẽdit à quo corripiatur, & facilius in correptore suo, q̃ in se libenter agnoscit quod corrigat. Et si uera inuenerit quæ & ipse dicat in eũ à quo corripit, gaudet: quanto melius gauderet de sua sanitate correctus, quàm de alieno lãguore correptus? Ecce putas uerum esse quod dicis. Inuenisti aliquid in homine à quo reprehensus es, tamẽ per illum tibi ueritas loquebatur, per malum, per iniquum ueritas tibi loquebatur. Quæris, quid reprehendas in homine, inueni potius quid reprehendas in ueritate. Velis, nolis est aduersaria tua, in qua non inuenis quod accuses. Illam fac amicã si potes. Aduersarius tuus sermo dei est. Proferat eũ peccator, proferat eũ iustus, sermo dei est, inculpabilis est. Ipse est aduersarius tuus, cõcorda cum eo cum es in uia cũ illo. Via uita ista est. Aduersarius omniũ iniquorum sermo dei est. Parum tibi est q̃ cũ esset manẽs in sua beatissima & sacratissima sede uenit ad te, ut esset tecũ in uia, & tecũ uoluit comitari, ut cum ambulas & in potestate habes, componas causam tuam & dicas, Quando finiturus sum uiam? Et cũ finieris uiam, nõ erit cũ quo causam tuã cõponere possis, & aduersarius tradet te iudici, iudex aũt ministro, minister aũt in carcerẽ. Non exibis inde donec reddideris nouissimũ quadrantem. Est enim uerbũ dei, quasi aduersarius in uia, habes in potestate, cõpone. Quid à te quærit aduersarius iste ut concordes cum illo? Quid? Nisi salutẽ tuam. Ambulat cum aduersarijs suis & dicit eis ut cõcordẽt cũ illo. Fiat. Nondũ finita est uia. Quod heri non est factum fiat hodie, nondũ finita est uia. Quid expectatis quousq; finiat? Cum finita fuerit, nõ erit alia ubi cum aduersarro cõcordetis. Iudex restat, minister & carcer. Multis hæc uia cum sibi plures promitterẽt in ea annos, subito finita est. Sed ecce fac quia longa erit uia tua, ut semper tecum aduersarius tuus ambulet. Non erubescis tanto tempore cum tali aduersario habere discordiam? Sermo dei, quantum est in ipso, amicus tuus est, aduersarium tu tibi eum facis. Ipse enim tibi bene uult, tu tibi econtrario male. Ille iubet, Non fureris, tu furaris, ille iubet non adulteres, tu adulteras, ille iubet fraudem non facias, tu facis: uetat te iurare, tu falsum iuras, facis omnia contra quæ dicit. Tu tibi sermonem dei facis inimicum, Nec mirũ quando tu tibijpse inimicus es. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Si enim diligendo iniquitatem odisti animam tuam, quid miraris quia odisti sermonẽ dei qui uult bene animę tuæ? Ergo tacebimus & neminẽ omino corripiemus? Corripiamus planè, sed prius nos. Proximum uis corripere, nihil est tibi teipso propinquius. Quid is longe? Te habes ante te. Quid enim per scripturam? Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Mat.22 Si ergo teipsum non diligis, proximum quomodo diligis? Regulam dilectionis in proximum ex te accepisti. Diligo eum, inquies. Ideo dico, prius te dilige, & dic tibi. Si autem uere ex dilectione dicis, manifestum est quod intus egit aliquid, uerbum quod procedit. Ted timendum est ne te non diligas, & uelis alium corripere & facias hoc cum odio. Si autẽ odisti fratrem, leuiora obijcis quàm facis. Qui odit fratrem suum homicida est. Audistis, hodie lecta est epistola Ioannis. Ait scriptura. Ne contemnerent homines quæ intus habent in corde, & illa accusarent quæ fierent per corpus, iam qui odit fratrem suum dixit, homicida est. Nõdum manus armata est, nondum faucem obsedit, nondum insidias pręparauit, nondũ uenena quęsiuit, & reus in oculis dei concepto odio iam tenetur. Adhuc uiuit quẽ quærit occidere, & occidisse iam iudicatur. Si ergo cum odio corripis, audes aliquem homicidam corripere? An quia non te tenent homines & ducunt te ad iudicẽ, ideo in oculis summi dei & iudicis non agnoscis crimen tuũ? Si non uis agnoscere crimen tuum, agnoscis pœnã tuã. Non enim ille parcit homicidis. Sed corrigo me, inqs, cũ sum in uia. Corrige ergo te, & tũc poteris fratrem corripere. Leuiora obijcis, grauiora committis. Festucã uides in oculo fratris tui, trabem autẽ in oculo tuo non uides. Hoc enim dixit dominus propter homines qui cũ odio corripiũt. Irascentẽ corripis, & tu odio contabescis? Appende in statera considerationis iram & odium. Quid est ira? Feruor quidã animi. Ad præsens displicet tibi, Iam in te ira ista inueterata est, ideo fecit odiũ. Ira festuca est, trabes futura crescendo. Sicut enim festuca crescit in trabem, sic ira inueterata fit odiũ. Iam tu odisti & corripis irascentẽ, iam in illo festuca displicet, in te adhuc placet trabes. Vultis uidere quantum interfit? Sæpe inuenimus irasci patrẽ filio, patrẽ odisse filiũ difficile inuenies. Filio quẽ diligit irasci potest pater, irascitur & amat potest dici, odit & amat nõ potest dici. Hæc dixi propter homines qui minora in alijs puniunt, in se maiora non puniunt. Hæc ergo fratres charissimi salubriter cogitantes, faciamus amicitias cum aduersario nostro dum sumus in uia cum illo: hoc est, consentiamus uerbo dei dum adhuc sumus in hac uita, quia postea cum de hoc seculo transierimus, nulla compunctio uel aliqua satisfactio remanebit. Iudex restat, minister & carcer. Vt ergo hæc omnia, domino auxiliante, possimus implere, diligamus toto corde non solũ amicos, sed etiam inimicos, ut in nobis impleatur illud quod scriptum est, Omnis lex in uno sermõe impleatur in uobis, Diliges Gal.5 proximum

1 Pet.4 pximũ tuũ tãq̃ teipsum. Et illud, Charitas operit multitudinẽ peccatorũ. Quã rẽ ipse q̃ est uera charitas nobis prestare dignet, q̃ cũ patre et spiritusancto uiuit & regnat deus in secula seculorũ, Amẽ.

De eo q̃d dñs dicit in euãgelio, Diligite inimicos uestros, bñfacite his qui uos oderũt. Homi. VI

REQVENTER in Euãgelio, fratres charissimi, audiuimus dñm dicẽtẽ: Diligite inimicos uestros, bñfacite his qui uos oderũt. Quare aũt dñs dixit, diligite inimicos uestros, nisi q̃a passuri eramus inimicos? Sed dicit aliq̃s, Quis põt diligere inimicos? Prius te dilexit impiũ deus tuus qui nũq̃ fuit impius. Tu aũt etiã si iã nõ es impius, fuisti tñ aliquãdo, quia nemo fit iustus nisi ex Psal.31 peccatore. Sicut frequẽter cãtauimus, Beati quorũ remissæ sunt iniquitates: nõ dixit, Beati qui nõ fecerũt peccata, sed beati quorũ remissæ sunt iniquitates. Si em quæris qui nõ fecerit, nõ inuenies. Vnde ergo quisq̃ erit beatus, nisi remittat q̃d fecit, nisi tegat q̃d cõmisit? Si ergo iã tibi peccatũ dimissum est, ille te insequit qui nondũ est iustus. Et tu antẽq̃ iustificareris alios psequebaris, perieras & inuẽtus es. Et ille qui tibi aduersat inueniet & nõ persequet. Noli cogitare q̃ tuis meritis talis factus sis, quia gratia dei te talẽ fecit. Et bene cõsiderãs uidebis potentẽ esse deũ qui talẽ faciat eũ, quẽ iuste uideris odisse. Dicis em tu tibi quasi iustus, Magna est patientia dei quæ illũ talẽ uiuere sinit. Atq̃ utinã hoc solũ dicas, sed timeo q̃ insuper reprehẽdas dicens, Quid placuit deo talib. parcere? Quare tãta mala faciũt homines & uiuũt? Sic dicat alius, O deus, quare uiuit iste qui tanta dicit, & tuã iusticiã reprehẽdit? Nõ em attẽdit quid ipse dicat, sed attendit quid alius faciat. Qui tibi displicet fortassis nõ reprehẽdit, nec effundit istas cõtumelias in deũ, quõ tu facis. Ecce putas quia deus quõ tu uis, nulli malo uelit parcere, quid de te facturus est qui sine peccato esse nõ potes? Nõ attẽdis ubi te inueniat. Rogo ergo ut nõ solũ alijs, sed etiã & tibi parcat. Hoc itaq̃ fratres habent quasi propriũ omes iniqui, nolũt ut parcat deus iniquis, & nõ uidẽt quid ipsi sint, etiã ex hoc ipso q̃ ita uolũt. Sed ego iustus sum, inquis. Si tibi nõ parceret deus cũ esses iniquus, quõ ad iusticiã peruenisses? An forte uolebas ut deus usq̃ ad te patiens esset, quousq̃ tu peruenires ad iusticiã? Quia deus extẽdit põtẽ misericordiæ suæ ut tu trãsire posses, hoc uis ut iã subducat ne alius trãseat. Diligamus ergo inimicos nostros fratres charissimi, Forte q̃ hodie est amicus tuus, talia peccata facturus est, ut in uita æterna tecũ esse nõ possit. Nõ em scis q̃d pariat crastinus dies. Et ecõtra qui inimicus erat, forte sic ad pœnitẽtiã cõuertet, ut in illa cœlesti Hierusalẽ cõciuis tuus esse mereat, & forte etiã maior efficiat. Nõ uobis hoc difficile uideat. Interrogemus scripturas, & in ipsis hoc euidẽtius agnoscere poterimus. Paulus apost. prius sceleratus erat inimicus Christianorum, rapiebat, uastabat, sæuiebat. Vbi? Quando lapidatus est martyr Stephanus, parũ illi erãt manus suæ, manib. omniũ lapidabat: quia ut illi nõ impedirent uestimẽtis suis, sed liberis manibus saxa pijcerẽt omniũ uestimẽta seruauit, ac sic in omniũ manib. illud sceleus operabat. Videte istũ uirũ una uoce dñi ex persecutore factũ prædicatorẽ. Præcessit eos quos oderat. Illi em omes Christiani quos insequebat tales nõ erãt, qualis ipse factus est. Nõ em omes illi apostoli erant, q̃d ipse factus est. Videtis fieri posse, ut inimicus qui erat hodie, sit nõ solũ amicus & frater in gratia, sed etiam præcedat, & melior fiat. Ergo fratres mei, Christiani illi omes q̃s persequebatur Saulus, putatis quia nõ rogabãt? Vtiq̃ si nouerãt Christũ, si Christiani erãt, si nouerãt ipsum dñm Iesum pro impijs mortuũ. Non em mortuus est pro fidelib. sed mortuus est ut faceret fideles. Rogo uos fratres diligenter attẽdite, dñs & saluator noster, qui mortẽ suã præstitit infidelib. quale sit illud q̃d seruat fidelibus? Et hoc cõsiderate, quia quos persequebatur Paulus apostolus, bene nouerant misericordiam dñi, & sciebant q̃ Saulus ille persecutor poterat fieri prædicator, & ideo orauerũt pro illo, & exauditi sunt. Ille persequebat, sed illi uicerunt. Illi eũ magis occiderũt & interfecerũt rogãdo p eo. Quõ? Ecce una uoce prostratus est persecutor. Resurrexit em iam nõ persecutor, sed prædicator. Qui em persequebat mortuus est. Quære persecutorẽ, & nõ inuenies iam, quia surrexit. Ergo illi potius occiderunt eũ orando, q̃ ille persequendo. Et uos ergo fratres sic orate pro inimicis uestris, ut occidat eos deus, id est, ut eorũ maliciã quæ uobis inimicatur occidat. Sic em non occidit q̃d creauit, sed q̃d ipsi sibi fecerũt. Homo em & peccator duo nomina sunt. In ipsis duobus nominib. quere quid fecit deus, quære quid suaserit diabolus. Homo à deo factus est, peccatũ suadente diabolo ab homine factũ est. Quis horũ duorũ te persequit? Si enim tu bene uiuis, nõ te persequit, nisi qui malus est. Non ergo homo, sed peccator te insequit. Roga p homine, ut extinguat deus peccatorẽ. Cũ em mortuus fuerit peccator, nihil tibi aduersabit imo cõsolabit uiuẽs, qui te in peccatis mortuus persequebat. Nõ uobis ergo graue sit, per ipsius dñi nostri misericordiã uos obtestor, quia spes nobis alia nõ est, nisi dimiserimus quicquid nos læserint homines. Nemo uos fallat. Aliud maius sacrificiũ nõ est q̃d debeamus deo, nisi quicquid boni est, etiã malis hominib. si tñ hominibus, fecerimus. Dicit tibi deus, Ego nõ ex te cresco, sed tu ex me. Sacrificiũ uolo q̃d prosit homini, sic ad me peruenit q̃d tibi psit. Potes mihi dicere, nõ habeo q̃d tribuã indigẽti, nõ possum ieiunare frequẽter, et à uino & carnib. abstinere nõ possum. Nũquid potes mihi dicere, charitatem te habere nõ posse? Ipsa est cuius possessio tãto plus auget, quãto amplius erogat. Dimitte ergo quod tenebas, ne aduersus te ille teneat aliquid, cui nõ habes quod dimittas. Dimittite, & dimittet uobis: date, & dabitur uobis. Scitote fratres charissimi, quia duæ sunt eleemosynę. Vna cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est, dimittere ei à quo læsus es. Nã dare aliquid indigẽti, aliquando quæris & nõ habes. Indulge peccanti, quantũ uolueris, redũdabit tibi. Aurũ & argentum, Luc.6 45.dist.duæ

tum, uestẽ, frumentũ, uinũ & oleũ potest fieri ut aliquoties nõ habeas unde pauperib. tribuas: ut aũt omnes homines diligas, & hoc alijs, quod tibij pse uelis, et inimicis tuis indulgeas, nunquã te poteris excusare, Quia si in cellario uel in horreo non habes q̃d dare possis, de thesauro cordis tui potes pferre q̃d tribuas. Et q̃d omnib. hominibus, etiã si sola sit bona uolũtas sufficiat, & eleemosyna cordis multo maior sit, q̃ eleemosyna corporis, quis est qui uel umbrã excusatiõis possit prętẽdere? Et illud attẽdite fratres, quia charitatis eleemosyna si ne terrena substãtia sufficit sibi. Illa uero quæ corporaliter dat, si nõ benigno corde tribuit, omnino nõ sufficit. Et quia sicut ipsi uidetis fratres charissimi, ad remissionem omniũ peccatorũ, si substantia terræ non fuerit, charitas & dilectio inimicorum satis abundeq̃ sufficiunt: nulla nobis excusatio de hac re in die iudicij remanebit. Nec dicere aliquis poterit, nõ se habuisse unde sua peccata redimeret. Ideo omnes homines studeamus toto corde diligere, orantes ut qui boni sunt meliores fiãt, & in opere bono permaneãt, qui mali sunt cito se corrigãt, timẽtes illud q̃d dñs cõminatus est
Matt. 6 dicẽs, Si nõ dimiseritis hominib. peccata eorũ, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Sed magis cũ ipsius adiutorio laboremus, ut illud in nobis possit impleri, Date, & dabit uobis: dimittite, & dimittet uobis. Cũ ergo secũdũ prefatã domini sententiã, qua dixit, Si dimiseritis hominib. peccata eorũ, dimittet uobis pater uester cœlestis peccata uestra: in potestate nostra positũ sit, qualiter in die iudicij iudicemur: dimittamus omnib. inimicis nostris, ut libera cõsciẽtia possimus in oratio-
Lucæ 6 ne dominica dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris. Quod ipse præstare dignetur, qui cũ patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Esa. 58 De eo quod Esaias dicit, Clama, ne cesses: quasi tuba exalta uocem tuã, & annuncia populo meo peccata eorum. Homilia VII.

S I diligẽter attenditis fratres charissimi, omẽs sacerdotes dñi, nõ solũ episcopos, sed etiã presbyteros & ministros ecclesiarũ, in grãdi periculo esse cognoscitis. Ipsis enim cõtestat spiritus sanctus, dicens, Clama ne cesses, quasi tuba exalta uocẽ tuam, & annuncia populo meo scelera eorũ, & domui Iacob peccata eorum.
Ezech. 3 Et iterũ, Si nõ annũciaueris iniquo iniquitatẽ suã, sanguinẽ eius de manu tuo requirã. De ipsis etiã
Heb. 13 Apost. dicit, Obedite præpositis uestris, & subiacete eis, Ipsi em̃ peruigilãt tanq̃ rationẽ reddituri pro animab. uestris. Si p se fratres charissimi unusquisq̃ uix poterit in die iudicij rationem reddere, quid de sacerdotib. futurũ est, à quib. sunt omniũ animæ requirẽdæ? Et ideo cõsiderantes periculũ
Ex Aug. sermone 19 de uerbis Apostoli, Inter cætera ait episcopum potentem. nostrũ, orate p nobis, ut cõmissis nobis gregib. ita spiritalia pascua studeamus iugiter puidere, ut p eis rationẽ bonã reddere mereamur. Considerate ergo fratres charissimi, quid sit q̃d uolo uestræ dilectioni suggerere, si tamẽ orantib. uobis merear, ut adiuuet me qui terret me. Inter cætera pręcepta sua beatus apost. hoc etiã ait, Episcopũ potẽtẽ esse debere in doctrina sana, cõtradicẽtes redarguere. magnũ opus, sed grauis sarcina, Sperabo tñ in deũ qm̃ adiuuãtib. uobis in oratiõe p nobis, liberabit nos de laqueo uenãtium & à uerbo aspero. Nulla em̃ causa est, quæ magis faciat dispẽsatorẽ dei pigriorẽ ad arguẽdos cõtradicentes, q̃ timor uerbi asperi. Dũ em̃ timemus detractiões, irrisiões et opprobria hominũ superborũ, dũq̃ ab eis in terrena substãtia metuimus prægrauari, timẽtes pdere tẽporalia, minus q̃ oportet prædicamus æterna. Et ideo dũ p illorũ nequitiã aliquid mũdanũ perdere formidamus, peccatorũ illorũ uulnera medicamẽtis spiritalib. curare negligimus. Vnde timẽdũ est, ne & p nobis & p illis, quib. p amore terrenarũ re
B rũ nõ loquimur dura, rationẽ in die iudicij reddere cõpellamur. Videamus ergo q̃d sit cõtradicẽtes redarguere. Cõtradicẽtes nõ uno mõ intelligẽdi sunt, Paucissimi em̃ nobis cõtradicũt lingua, plurimi male uiuẽdo. Quis mõ mihi audet dicere Christianus, bonũ esse rapere res alienas, quãdoquidẽ nõ audet dicere, bonũ esse tenaciter seruare res suas? Nunquid em̃ diues ille cui successerat regio, & Luc. 12
non inueniebat quo reponeret fructus suos, & se cõsiliũ inuenisse gaudebat, destruẽdi ueteres apothecas, & cõstruẽdi nouas ampliores ut impleret eas, & diceret animæ suæ, Habes multa bona in multũ tẽpus, iocũdare, lętare, satiare. Nunq̃d ergo iste diues aliena quærebat? Fructus suos colligere dispõebat, ubi poneret cogitabat, Nulli uiolẽtiã facere, nõ cuiusq̃ uicini agris, nõ limite perturbato,
C nõ spoliato paupere, nõ circũuẽto simplici, sed tãtũmõ ubi p prios fructus recõderet cogitabat. Audite quid audierit, q̃ tenaciter seruabat sua, & hinc intelligite quid expectẽt qui rapiũt aliena. Cũ ergo prudẽtissimũ se cõsiliũ inuenisse arbitraret de apothecis ueterib. angustiorib. deijciendis, & ampliorib. nouis ędificãdis, & omnib. suis fructib. colligẽdis & recõdẽdis, nõ alienis cõcupiscẽdis atq̃ rapiẽdis, ait illi deus, Stulte, ubi tibi sapiẽs uideris, ibi stultus es. Stulte, inquit, hac nocte repetit à te anima tua, hæc quæ parasti cuius erũt? Si seruaueris tua nõ erũt, si erogaueris, tua erũt. Quid, inq̃t, reponis quod relicturus es? Præcedãt ergo magis quò sequuturus es. Ecce increpatus est stultus ma
D le recõdẽs. Si stultus est q̃ recõdit sua uos inuenite ei nomẽ qui rapit aliena. Si sordidus est recõditor suarũ, ulcerosus est raptor alienarũ, Sed nõ quasi il
Luc. 16 le ulcerosus q̃ iacebat ante ianuã diuitis, & canes lingebãt eius uulnera. Ille em̃ ulcerosus erat in corpore, raptor in corde. Fortassis aliquis respondeat et dicat, nõ ualde magna pœna erat illi homini cui dixit deus, Stulte. Non sic dicit deus stulte quõ dicit hõ. Tale in quenq̃ dei uerbũ, iudiciũ est. Nunquid em̃ stultis deus daturus est regnũ cœlorum?
Mat. 25 Probãt hoc illæ quinq̃ uirgines stultæ, quæ extra ianuã legunt exclusæ. Quib. aũt nõ est daturus regnũ cœlorũ, quid eis restat nisi pœna gehennarũ? Cõsiderare aũt attẽtius debemus, ut hoc apertius uidere possimus. Nã & ille diues, ante cuius ianuã iacebat pauper ille ulcerosus, nõ est dictus raptor rerum

rerum alienarum. Erat quidã diues, inquit, qui in-
A duebatur purpura & bysso. Diues, inquit, erat: nõ dixit calumniator: nõ dixit pauperum oppressor, non dixit, rerum alienarum aut delator aut receptor: non dixit, pupillorum expoliator: non dixit, uiduarum persequutor. Nihil horum, sed erat quidam diues. Quid magnũ est, Diues erat, sed de suo diues erat. Cui aliquid tulerat? An forte ille auferret, & deus de illo reticeret, & personã eius accipe ret, si crimina eius abscõderet, qui nobis dicit: Nolite personaliter iudicare? Si uis ergo audire consilium diuitis illius, noli amplius quærere quàm audis à ueritate. Diues erat, induebatur purpura &c. Quod ergo eius crimẽ, nisi iacens ante ianuã ulcerosus & nõ adiutus? Hoc enim aperte de illo dictũ est, quod immisericors erat, nõ quia aliena rapuit, sed quia de proprijs erogare noluit. Nũquid enim
B charissimi, si pauper ille ante ianuã iacens sufficientem panem à diuite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mẽsa diuitis? Propter solam inhumanitatem, quia contemnebat pauperem ante ianuam suam iacentem, nec cõgrue digneq̃ pascebat, mortuus est & sepultus. Et cum esset apud inferos in tormentis, leuauit oculos suos, uidit pauperẽ in sinu Abrahę. Quid pluribus immorer? Desiderauit guttam qui non dedit micã. Accepit iustam sententiã, qui nõ dedit crudeli auaricia. Si hæc est pœna auarorum, quæ pœna est raptorũ? Sed ait mihi raptor rerum alienarũ, Ego similis illius diuitis non sum, Agapẽ facio, inclusis in carcere uictũ mitto, nudos uestio peregrinos suscipio. Dare te putas, tollere noli, &
C dedisti. Cui dederis gaudet, cui abstuleris plorat, Quem duorũ istorum exauditurus est deus? Dicis ei cui dederis, gratias age quia accepisti: sed alius tibi ex alia parte dicit, ego gemo cui abstulisti, Et penè totũ tulisti, & exiguum illi dedisti. Si totum quod alteri abstulisses, egẽtibus dedisses, nec talia opera diligit deus. Dicit tibi deus, Stulte, iussi ut dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo. Si nõ habes quod des de tuo, melius nulli dabis, q̃ alterum expoliabis. Dicturus est dominus Iesus, cũ in iudicio suo sederit, & alios ad dexterã, alios ad sinistram separauerit: bene opantibus: Venite benedicti patris mei percipite regnũ. Sterilibus aũt qui nihil boni in pauperes operati sunt, Ite in ignẽ æ-
D ternum. Et quæ dicturus est bonis? Esuriui & dedistis mihi mãducare. Et respõdebunt illi, Domine quando te uidimus esurientẽ? Et ille ait ad eos, Cũ uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Intelige ergo stulte, qui uis de rapinis eleemosynã facere, quia si quãdo pascis Christianũ, pascis Christum. Attẽde quid sinistris dicturus est, Ite in ignẽ æternum. Quare? Esuriui enim, & nõ dedistis mihi manducare, nudus fui, & non uestistis me. Ite, Quò? In ignem æternũ. Prorsus ite, Quare? Quia nudus fui & non uestistis me. Si ergo in ignẽ æternũ ibit cui dicturus est Christus, Nudus fui, & non uestisti me, quem locum habebit in igne æterno, cui dicturus est, Vestitus fui, & spoliasti me? Hic fortasse ut euadas hãc uocẽ, ne tibi dicat Christus, Vestitus fui, & spoliasti me, mutata cõsuetudine,
A cogitas spoliare hæreticum uel Iudęum, & nõ uestitum Christianum. Et hic respondebit tibi Christus, imo nunc respondet tibi per seruum suũ qualemcunq̃ ministrum suum, respondet tibi etiam hic, Parce damnis meis. Cum enim tu qui Christianus es spolias Iudæum, impedis fieri Christianum. Et tamen hic adhuc forte respondebis, Ego nõ ex aliquo odio pœnam ingero, sed de dilectione potius disciplinam, Ideo spolio Iudæũ, ut per asperã ac salubrem disciplinã faciam Christianum. Audirem & credere, si quod abstulisti Iudæo, redderes Christiano. Forte & hoc secum cogitat aliquis, & 14. q. 4. forte.
dicit, Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi, nõ habeo peccatũ si illis abstulero, & pauperibus dedero. Vnde enim illi nihil boni faciũt, mercedẽ habere potero, si ego eleemosynas dedero. Etiam in hac re parcat unusquisq̃ animæ suę, quia huiusmodi cogitatio ex diaboli calliditate suggeritur. Nam etiã si totũ tribuat quod abstulerit, addit potius peccata, q̃ minuat. Diximus contra unũ uitiũ rapinarũ, per quod res humanæ usq̃quaq̃ uastantur. Diximus, & nemo nobis contradicit. Quis enim audet cõtradicere ueritati? Nõ ergo facimus q̃d Apostolus admonuit, nõ cõtradicentes arguimus, obediẽtes alloquimur, laudãtes instruimus, nõ cõtradicentes redarguimus? Ita uero nõ contradicunt lingua, sed uita. Moneo rapit, doceo rapit, præcipio rapit, arguo rapit. Quõ nõ contradicit? Dicã ergo q̃d de hac re sufficere existimo. Et ideo abstinete uos fratres, abstinete uos filij, abstinete à cõsuetudine rapiẽdi, & uos qui sub manu ra
C ptorũ gemitis, abstinete uos à cupiditate rapiẽdi. Alius potẽs est & rapit, tu in manu raptorum gemis, quia rapere nõ potes, ideo nõ facis. Habete facultatẽ, & ibi laudabo domitã cupiditatẽ. Hęc ergo fratres si secundũ uestrã consuetudinẽ fideliter Hæc adiecta sunt
& diligẽter attẽditis, & impietatẽ auariciæ uel cupiditatis poteritis euadere, & pro operibus miseri cordię ad ęterna pręmia feliciter peruenire, Amẽ.

De eo q̃d Apost. dicit, Radix omniũ malorũ est 1 Tim. 6
cupiditas, quã quidã appetẽtes naufragauerũt à fide, & inseruerũt se dolorib. multis. Homilia VIII

B EATVS Apostolus Paulus fratres charissimi, ut nobis ueræ ac perfectæ charitatis dulcedinẽ cõmendaret, amaritudi-
D nem cupiditatis nobis exposuit, & uelut peritissimus ac spiritalis medicus quid fugere, & quid expetere debeamus ostẽdit. Et quia radix omniũ malorũ est cupiditas, & radix omniũ bonorũ est charitas, & simul ambæ esse nõ possunt: nisi una radicitus euulsa fuerit, alia plãtari nõ poterit: sine causa aliquis conat ramos incidere, si radicẽ nõ cõtẽdit euellere. Sic em̃ idẽ ait Apostolus, Radix omniũ malorũ est cupiditas, quã quidã appetẽtes naufragauerũt à fide, & inseruerũt se dolorib. multis. Tu aũt homo dei hæc fuge. Audiamus ergo cõsilium illius, in quo Christus dñs loquebat, & quantũ possumus, studeamus amaritudinẽ auariciæ fugere, si uolumus ad charitatis dulcedinẽ peruenire. Sed quãdo de contẽptu diuitiarũ loquimur, respon-

ſpondet mihi aliquis diues, Didici non ſperare in
incerto diuitiarum, nolo diues eſſe, ne incidam in A
tentationem, Sed quia iam ſum, quid facturus ſum
de his quæ mihi iam contigit habere? Et ſequitur
Apoſtolus, Facile tribuant & cõmunicent. Quid
eſt communicare, niſi communem rem tuam face
re cum illo qui non habet? Si ergo communicare
cœperis, non eris ille prædo & ille raptor, qui ne-
ceſſariis pauperum tãquam rebus alienis incubat.
Etenim communem feciſti rem tuam cum his qui
non habent & amplius præſtas, qui etiam præro-
gator pauperum factus es, Tu aliquantam curam
geris, ut ad ſecurum pauperem uictus peruenìat,
& in hoc miſericordiam prærogas, & propterea
defert tibi deus honorem, & quaſi tibi dicit, Prior
de communi tolle quod ſufficit neceſſitatibus do
B mus tuæ, quod reliquum eſt da Chriſto. Para te au
dire, Venite benedicti patris mei, percipite regnũ
quod uobis paratum eſt ab initio mundi. Eſuriui
enim, & dediſtis mihi manducare. Forte contem-
nebas neſcio quem pauperem aut egenum, noli
contemnere Chriſtum in cœlo ſedentem, in terra
egentem, ueniet cum retributione, & uita æterna,
& ignis ęternus. Hoc ergo cogitans potes cum a-
liqua ſpe etiam diues eſſe. Si autem adhuc uis fieri
diues, & non ſolum ea quæ ſuperflua tibi iacent
non uis erogare indigẽtibus, ſed etiam augere uis
patrimonium tuum, Vnde uis augere? Emendo.
Innocẽs tibi uideris, quia emendo uis augere. For
te & de rapinis aliquã ſpem habes? Niſi forte hoc
dicas, Scit deus quia non de rapinis uolo augere
C patrimonium meum? Et de rapina non es malus,
ſed uoto malus es. Si quis tibi dicat, Vende res tu-
as, exhorreſcis, expaueſcis, maledictum putas.
Cũ ergo emere cupis, nónne hoc optas ut res ſua-
as alij uendant? Nam quomodo poteris emere, ſi
alius non compulſus fuerit uenundare? Et hoc ui-
dete fratres quantũ laboret qui expoliare uult ue-
ſtitum, Et quomodo ſine labore ſit ille qui ueſtire
uult nudum. Si enim habet, profert & dat: ſi nõ ha
bet, ſufficit ei coram deo uoluntas bona. Ecce nõ
laborat ſi habet: ſi uero non habet, quia quod ual-
de neceſſarium eſt habet, pauper eſt in arca, ſed di
ues eſt in conſcientia, Pauper eſt in domo, ſed di-
ues eſt in animo. An forte nihil habes, quia bonã
D uoluntatem habes? Audi nato domino clamãtes
angelos, Gloria in excelſis deo, & in terra pax ho-
minibus bonæ uoluntatis. Quàm paruo conſtat
regnum cœlorum, quàm uili precio tanta poſſeſ-
ſio proponiẽ. Proponitur enim in terra, quod poſ-
ſideas in cœlo: proponitur in tempore, quod poſ-
ſideas in æternum. Non potes dicere, Non habeo
unde emere poſſim, quia tanta eſt illa poſſeſſio q̃
ad precium cõgruum inuenire non poſſim. Nón-
ne tantum ualet quãtum habere potueris? Et hoc
ſuperfluum. Quantũ ualuit Zachæo? Dimidium
Lucæ 19 patrimonium, Erat enim diues. Dimidium rerum
mearũ dixit do pauperibus. Sed quia prior emit,
forte tu nõ inuenis quod emas? Emit enim regnũ
cœlorum. Et ille emit, & tibi integrum ſeruatur
quod emas. Noli timere ne anguſtet te compoſ-

ſeſſor, omnibus latum eſt quod charitas poſſidet.
Duobus enim minutis emit quædã uidua regnũ
cœlorũ, quæ miſit in gazophylacium duos num-
mos. Amen amen dico uobis, nullus amplius mi-
ſit in domũ dei quàm iſta uidua. Illi enim de abun-
dantia ſua miſerunt, hæc autem totum quod ha-
buit miſit: Quia enim præbebat ei dominus uictũ,
iam ei duo nummi ſuperflui reſtiterant ad uictum
eius diei, ideo miſit illos in domum dei, & emit ſi-
bi regnum cœlorum. Ecce quod timebas ne cha-
rum eſſet, & non eſſes idoneus, En duobus num-
mis ualet. Si terrebat te precium quod dedit Za-
chæus, conſoletur te hoc precium quod dedit hęc
uidua. Plus addo chariſſimi, ualet & uilius. Vilior
eſt calix aquæ frigidæ, uilior eſt ſola bona uolun-
B tas. Audi clamantes angelos, In terra pax homini-
bus bonæ uoluntatis. An forte non bene diximus
uiliorem bonam uoluntatem? Imo ipſa eſt omni-
bus charior, & totum habet qui bonã uoluntatem
habet: quia in dimidio rerũ ſuarũ Zachæus ſi bo-
nam uoluntatem nõ haberet, nihil dediſſet. Bona
enim uolũtas, ipſa dicit̃ charitas, Et quid ait Apo-
ſtolus? Si diſtribuero omnia mea pauperibus, cha
ritatem aũt non habeam, nihil mihi prodeſt. Totũ 1 Cor. 13
ergo habet qui bonam uoluntatem habet. Ipſa eſt
quæ poteſt ſufficere, ſi cætera nõ ſint. Si autem ſo-
la deſit, nihil prodeſt quicquid habitum fuerit. So
la ſufficit ſi aſſit. Cętera omnia nihil proſunt, ſi ſo-
la charitas deſit. Si haberes in domo tua theſauros
unde ſecurus eſſes, gauderes & exultares: in cor-
C de tuo habes bonã uolũtatem, & triſtis es? In arca
poſſes timere furem, in corde tuo quem times? Te
noli pati hoſtem in corde tuo, bonam uolũtatem
habens nihil times. Forte aliquis cogitat & dicit,
Si res meas pauperibus dare cœpero, & de aduer-
ſarijs meis pro dei amore me uindicare noluero,
& humilis ac mãſuetus eſſe cõtendero, ſtatim mi-
hi neceſſe erit perſecutiones hominũ malorum ſu
ſtinere. Qui hæc times non legiſti, Quia per mul- Act. 14
tas tribulationes oportet nos introire in regnum
dei? Non audiſti ſcripturam dicentem, Fili acce- Eccl. 2
dens ad ſeruitutem dei ſta in iuſtitia & timore, &
præpara animam tuam ad tentationẽ? Verum eſt,
quia ubi deum in ueritate cœperis quęrere neceſ-
ſe tibi erit ſuperborum uel malorum hominũ ne-
D quitias ſuſtinere, quia non ſic ab illis colitur Chri
ſtus, quomodo eis quotidie prædicat̃. Quoniã &
quicquid uolũt, quicquid petũt à deo, in luxurijs
ſuis & cõuiuijs uolũt conſumere, in ſpectaculis, in
nugis, in fornicationibus, in ebrietatib. In his uo-
lũt cõſumere, quo deſiderãt abundare, & tunc pu
tant quod bonus ſit deus, quando illis præſtat un-
de corrumpantur. Sed dicit aliquis, Ecce tempora
aſpera ſunt, & aſperiora erunt. Per iſta aſperiora
,pficit magis eccleſia, proficiũt illi qui ſurſum cor
habent: & illi qui ſurſum cor non habent, tumul-
tuatur eis cor in terra, & diſcunt cordi ſuo locum
mutare, ut etiã ipſi ſurſum cor habeant, cantantes
nobiſcum, Ad te domine leuaui animã meam. Ta Pſal. 24
le eſt dicere, Sęuiora ſunt tempora, quale ſi quis di
cat, ſæuiora eſſe tẽpora oliuæ cũ fructus inde col-
ligitur

ligitur, quàm cum in torcular mittitur. Quando
enim pendebat in arbore, læta tempora uidebantur,
A & non attendunt quia amurca plena erat. Ve-
nit enim quaſi aſperius tempus, uenit tempus tor-
cularis, ueniunt maiores preſſuræ. Per peccata e-
nim & crimina ſuperborum, per auariciam, luxu-
riamq̃ malorum maiores preſſurę fiunt generi hu
mano. Omnes enim mali & amatores mũdi quaſi
torcularia ſunt. Sic enim in torcularib. & uua pre-
mitur & oliua, ut uinum & oleum reponatur in ca
naua: ita per nequitiam malorum hominum, qui
boni & iuſti ſunt, multis tribulationibus corpora-
liter fatigantur, ut animæ eorum tanquam oleum
ac uinũ recondi in æterna tabernacula mereantur.
Noli ergo de dei miſericordia uel iuſtitia deſpera-
re, quoties te uideris ab iniquis hominibus fatiga-
ri: ſed conſidera q̃ illi qui te perſequuntur, apud
B deum uelut molæ ac torcularia deputãtur. Tu ue-
ro quaſi oliua, & quaſi uua legitima, paruo tẽpore
preſſuram malorum hominum ſuſtinere cogeris.
Sed poſtea illis ſine fine remanebit opprobrium,
tu felici cõmutatione tranſibis ad regnum. Et tũc
liberatus ab omnibus malis cum propheta pote-
Pſal. 65 ris dicere, Trãſiuimus per ignem & aquam, & in-
duxiſti nos in refrigerium, Sed ut ad iſtam merea-
ris beatitudinẽ peruenire, ora pro illis qui te perſe
quuntur, quia potens eſt deus ut illos conuertat
ad bonum. Et qui nunc paleæ eſſe uidentur, de zi-
zanijs in triticum, de amurca in oleum tranſeant.
Et qui modo alios per nequitiam perſequuntur,
ipſi poſtea perſecutionem propter iuſticiam pati-
C antur. Et qui nunc res alienas crudeliter uolunt ra
pere, res ſuas incipiant pauperibus miſericorditer
erogare. Quam rem, ſi orantibus uobis ſecundum
ſuam conſuetudinem pietas diuina præſtiterit, nõ
ſolum de ueſtra, ſed & de aliorum ſalute duplicẽ
mercedem in æterna beatitudine remunerãte deo
capietis. Quod ipſe preſtare dignetur, qui cum pa
tre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat deus per om-
nia ſecula ſeculorum, Amen.

Eccl. 13 De eo quod ſcriptum eſt, Beatus uir qui poſt
aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſau-
ris. Et ut quicunq̃ aliquid inuenerit, ei qui perdi-
dit ſine ulla dilatione reſtituat: & de illo qui ducẽ-
tos ſolidos inuenit.

Apparet non eſſe ab Aug. dictatum, ſed ab Eradio forſan, ex ſer. 19. de uerbis Apoſtoli conflatum

Homilia IX

N ſcripturis diuinis legimus chariſſimi, q̃
I beatus ſit qui poſt aurũ nõ abijt nec ſpera
uit in pecuniæ theſauris. Qui potuit trãſ-
gredi, & nõ eſt tranſgreſſus, facere malum & non
fecit. Fratres interrogemus cõſcientias noſtras, &
uideamus ſi ita cupiditatẽ contemnimus, ut iſtius
beatitudinis participes eſſe poſſimus. Forte aliqs
intra ſe cogitat & dicit, Nec furtũ, nec uiolentiã fa
cio, nec rapinas exerceo, nec res alienas aliquãdo
negaui. Forte ideo nõ negaſti, quia tibi nemo cõ-
mendare uoluit, aut ſi commendauit, ſub teſtibus
cõmendauit. Dic mihi reddidiſti, quãdo à ſolo ſo-
lus, ubi deus inter uos fuerat accepiſti? Si tũc red-
didiſti, ſi mortuo eo qui cõmendauit, neſciẽti filio
reddidiſti, tunc te laudabo, quia poſt aurum non

iuiſti, quia potuiſti tranſgredi, & non es tranſgreſ-
A ſus: quia potuiſti facere malũ, nõ feciſti. Aut ſi for-
te ſacculũ alienum ſolidorũ, ubi te nemo uidit in
uia inueniſti, & ſine ulla mora cuius fuerat redde-
diſti. Ita fratres redite ad uos, interrogate uos, re-
ſpicite uos, uera reſpondete uobis, & iudicate uos
non ſecundũ perſonam, ſed iuſtum iudicium iudi-
cate. Ecce Chriſtianus es, frequentas eccleſiã, uer
bum dei libenter audis, de lectione uerbi lætiſſi-
me cõmoneris. Tu laudas tractantem, ego quæro
facientem: Chriſtianus es, frequentas eccleſiã, uer
bum dei amas, & libenter audis, Ecce hoc quod
propono, in eo te examina, in eo te appende, in eo
aſcende ad mentis tuæ tribunal, & cõſtitue te an-
te te, & iudica te. Et ſi te prauũ inueneris, corrige
te. Cõſidera quod propono. Deus dicit in lege ſua
B inuentionem eſſe reddendã. Deus in lege ſua di-
cit, quã priori populo dedit, pro quibus Chriſtus
nondum erat mortuus, ut quicunq̃ rem cuiuſcũq̃
inuenerit, tanquã alienam cito reſtituat: quia ſine
dubio & ſi ipſe perdidiſſet: hoc ſibi ab alio fieri uo
luiſſet: ſecundũ illud quod ſcriptũ eſt, Omnia que Matt. 7
uultis ut faciãt uobis homines, & uos faciatis illis
ſimiliter. Si quiſquam, uerbi gratia, inueniat in uia
alienum ſacculum ſolidorum, debet reddere. Sed
neſcit cui. Se excuſat ignorantia, ſi nõ dominetur
auaricia. Dicam ueſtrę charitati, quomodo dei do
na ſunt, & ſunt in populo dei, quia non fruſtra au-
diunt uerbũ dei. Dicam quid fecerit homo quidã
pauperrimus, eo tẽpore quo ſanctus Ambroſius Hic dicit: Vbi
Mediolani erat epiſcopus, ubi tunc præſens erat præſens tunc
C etiam Auguſtinus nondum epiſcopus. Tam pau- erat Auguſt.
per erat ille de quo loquimur, ut proſcholaſticus ſerm. autem
eſſet grãmatici, ſed plane uerus & perfectus Chri- 10. Nobis a-
ſtianus. Sed melior fuit ille qui ad uelum ſtabat, q̃ pud Mediolanum conſti-
ille qui in cathedra ſedebat. Pauper ergo iſte inue tutis. confer:
nit ſacculũ ducentorum ſolidorum, memor tamẽ
diuinæ legis, propoſuit petaciũ publice, Qui ſoli-
dos perdidit ueniat ad illum locũ ut quærat illum
hominem. Ille qui plangens circũquaq̃ uagabat̃,
inuẽto & lecto petacio uenit ad hominẽ. Et ne for
te alienũ quæreret, ſed ſuum, quæſiuit ſigna, inter-
rogauit ſacculi qualitatẽ, ſolidorum etiã numerũ.
Cum omnia fideliter etiã ille reſpõdiſſet, reddidit
uicem rependere, tanquam decimas obtulit illi
D ſolidos uiginti. Noluit accipere. Obtulit decem,
Noluit accipere. Saltem rogauit ut uel quinq̃ ac-
ciperet. Noluit. Ille ſtomachans proiecit ſaccu-
lum, Nihil perdidi ait. Si non uis à me aliquid ac-
cipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen
fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis
conflictus? Theatrum mũdus, ſpectator deus. Vi-
ctus ille, quod offerebatur accepit, & continuo to
tum pauperibus erogauit. Vnum ſolidum in do-
mum ſuam non miſit. Conſiderate fratres tam glo
rioſum exemplum, & tam admirabile factum. E-
git aliquid in cordibus ueſtris, ſi uerbum dei re-
quieuit in animis ueſtris. Facite hoc fratres mei.
Nolite putare uos damnũ pati, ſi quod à uobis in-
uentum fuerit reddideritis. Credite quia magnum

lucrum

lucrum eſt, ſi feceritis quod ſuggero. Forte aliquis
ueniens in domo tua perdidit ſolidos. Terra com
munis eſt, in una domo eſtis in hoc mundo, ambo
uiatores eſtis huius uitæ. Vnum ſtabulũ intraſtis.
Poſuit ille, oblitus eſt, uel cecidit ab illo. Inueniſti
qui in lege audiſti, inuentionẽ eſſe reddendã. Qui
inueniſti, qui cum audires uerbum dei laudaſti, tu
inueniſti, ſi ergo ueraciter laudaſti, redde quod in-
ueniſti. Si autem nõ reddas quod inueniſti, quãdo
laudaſti, teſtimonium cõtra te dixiſti. Eſtote fide-
les inuẽtores, & tũc iniquos uituperate raptores.
Nam ſi quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti,
Quantum potuiſti feciſti, quia plus nõ inueniſti,
ideo plus nõ rapuiſti. Qui alienum negat, ſi poſſet
& tolleret quod non tollis, timor te cohibet. Non
bonum facis, ſed malum metuis. Et latro timet ma
lum, & ubi non poteſt non facit, & tamẽ latro eſt.
Deus enim cor interrogat, nõ manum. Lupus ue-
nit ad ouile ouium, quærit inuadere, quærit lace-
rare, quærit deuorare. Vigilãt paſtores, latrant ca-
nes, nihil poteſt, nihil aufert, non occidit, ſed tamẽ
lupus uenit, & lupus redit. Nunquid quia ouem
non tulit, ideo lupus non uenit, & ouis redit? Lu-
pus uenit fremens & timens. Interroga ergo quiſ-
quis uis de altero iudicare, ſi tunc non facis male,
quãdo potes facere, & ab homine nõ puniris, tũc
times deũ. Nemo eſt ibi niſi tu & ille cui facis ma-
lum, & deus qui ambos uidet, hoc time. Parum eſt
quod dico, Ibi time malũ, ibi ama bonum. Nam e-
tiamſi timore gehennæ non facis malũ, nondum
perfectus es. Audeo dicere, ſi timore gehennæ nõ
facis malũ, eſt quidem in te fides quia credis futu-
rum dei eſſe iudicium, gaudeo fidei tuæ, ſed adhuc
timeo malicię tuę. Quid eſt q̃d dixi? Quia ſi timo-
re gehennæ nõ facis malum, non amore iuſtitiæ fa
cis bonũ. Aliud eſt timere pœnam, aliud eſtama-
re iuſticiã. Amor caſtus in te eſſe debet, quo amo-
re deſideres uidere non cœlum & terrã, non cam-
pos liquidos maris, non ſpectacula nugatoria, nõ
fulgores nitoresq̃ gemmarũ, ſed deſideres uidere
1 Ioan.3 deũ tuum, amare deum tuũ. Quia dictum eſt, Dile
ctiſſimi, filij dei ſumus, & nondum apparuit quid
erimus. Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei eri
mus, quoniã uidebimus eũ ſicuti eſt. Ecce propter
quam uiſionem fac bonũ, ecce propter quã uiſio-
nem noli facere malũ. Si enim amas uidere deum
tuum in hac peregrinatione, ad illũ toto amore ſu
ſpira, illum deſidera. Ecce fac quo te probare uult
deus tuus, ut appareat pro quib. rebus diligas de-
um, utrum pro ſeipſo, an pro rebus terrenis quas ti
bi præſtitit, & dicat tibi, Fac quod uis, imple cupi-
ditates tuas, extende nequiciam, dilata luxuriam,
quicquid libuerit licitum puta, Non te hic punio,
non te in gehennã mitto, faciem meã tamen nun-
quam uidebis. Si ad iſtã ſententiã expauiſti, ama-
ſti. Si ad hoc quod dictũ eſt, Faciem ſuam tibi ne-
gabit deus tuus, contremuit cor tuum, & in nõ ui-
dendo deum tuum magnam pœnam putaſti, gra-
tis amaſti. Hoc ideo diximus fratres, quia ſunt ho-
mines ita negligentes & tepidi, & quod peius eſt,
etiam infideles qui dicunt: Vtinam hic mihi deus
in hoc ſeculo omnia bona tribuat, non ad me per-
A tinet quid in futuro ſeculo de me fieri uelit. O infe
lix anima, etiam ſi te deus nõ mittat in pœnam, &
tantũmodo faciem ſuam te uidere non permittat,
nunquid non melius fuerat te non fuiſſe natũ? Cũ
uero fieri non poſſit, ut qui faciẽ eius nõ meruit ui
dere ignem æternũ euadere poſſit, quare ſic amas
præſentis ſeculi uoluntatẽ, ut nõ expaueſcas ęter-
ni ignis ardorẽ? Si ergo meus ſermo inuenit in cor
dibus ueſtris aliquam ſcintillã gratuiti amoris dei,
ipſam nutrite. Ad hãc augẽdã uos aduocate prece
humilitatis, dolore pœnitentiæ, delectatione iuſti
ciæ, operibus bonis, gemitibus ſynceris, conuerſa
tione laudabili, amicitia fideli. Hanc ſcintillam bo
ni amoris, de qua dominus dicit, Ignẽ ueni mitte- Luc.12
re in terrã, & quid uolo niſi ut ardeat? flate in uo-
B bis, nutrite in uobis. Ipſa cum creuerit, & flãmam
digniſſimam fecerit, omnium cupiditatum carna-
lium ligna conſumet. Quod ipſe præſtare digne-
tur, qui uiuit & regnat deus, &c.

De eo quod Apoſtolus ait, Videte quomodo Ephes.5
caute ambuletis, non ut inſipientes, ſed ut ſapien-
tes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.

Homilia X

A POSTOLVM cum legeretur, audiſtis A
A imò omnes audiuimus dicẽtẽ nobis, Vi
dete quomõ caute ambuletis, nõ ut inſi
pientes, ſed ut ſapientes, redimentes tẽpus, quo-
niam dies mali ſunt. Dies malos fratres duæ res fa-
ciunt, malicia & miſeria. Per maliciã hominũ du-
cuntur dies mali. Cæterũ dies iſti quantũ pertinẽt
C ad ſpacia horarũ, ordinati ſunt, Ducũt uices ſuas,
agunt tẽpora. Oritur ſol & occidit, Sol iterũ oritur
& occidit, Veniunt tẽpora, tranſeunt tẽpora. Cui
moleſta ſunt tẽpora, ſi homines ſibi moleſti non
ſunt? Ergo dies malos, ſicut dixi, duæ res faciũt, mi
ſeria hominũ & malicia. Sed miſeria hominũ com
munis eſt, nõ debet malicia eſſe cõmunis. Ex quo
enim de peccato Adam omnes miſeri nati ſumus,
cõmunis eſt miſeria. Sed contra generationẽ quæ
nos miſeros fecit, prouidit deus regenerationem,
unde nos à miſeria liberaret. Generatio mittit in
miſeriã, regeneratio reſignat ad beatitudinẽ. Nõ
enim quia dixi, regeneratio liberat à miſeria, iam
nos cõtinuo ut regenerati ſumus, beati ſumus. Si
D mox regenerati, iam beati eſſemus, & dies bonos
ageremus, non nobis Apoſtolus diceret, qui iam
regeneratis, & fidelibus loquitur, Redimẽtes tem-
pus, quia dies mali ſunt. Et regenerati dies malos
ducimus, quouſq̃ finiatur pœna mortalitatis, & ſuc
cedat gratia ſummæ felicitatis. Si nihil nobis ad fu
turum ſeculũ prodeſt, quod colimus deũ, ut quid
colimus eum? Vt hic habeamus felicitatẽ. Quan-
ti illam habent qui non colunt deum? Vt hic ſene
ſcamus, & decrepiti efficiamur? Quanti ſeneſcũt
blaſphematores dei? Ideo colẽdus eſt deus, ut cul-
tores illius habeant filios, & nõ ſint ſteriles? Filios
deus & leonibus, & onagris, & ſerpentibus dat.
Non ergo pro magno & uero bono petẽdum eſt,
quod & Iudæis, & paganis, & hæreticis etiam &
ipſis beſtijs datur. Aurũ enim & argentũ, honores,
filios

filios & patrimonia multa habent etiam & mali.
Qui enim uere Chriſtianus eſt, nõ iſta omnia tran A
ſitoria debet petere, ſed totum pondus intẽtionis
uel orationis ſuæ ad expetendam æternam beati-
tudinẽ debet impendere. Iſta enim temporalia bo
na, & quando dat deus, gratię agantur, & quando
tollit, ſimiliter gratiæ agantur. Iſta quando uolue-
rit tribuat, quando uoluerit tollat, tantum eſt, ut ſe
ipſum nobis non auferat. Nemo ergo dicat in cor
de ſuo fratres, quãdo auditis lectionem iſtam bea-
ti Apoſtoli, Redimentes tempus, quoniã dies ma
li ſunt: nemo dicat in corde ſuo, parentes noſtri di-
es bonos habuerunt, nos malos dies habemus.
Quare? parentes noſtri, nũquid nõ Chriſtiani fu-
erunt? Iſta lectio non eſt recitata ab ipſis tempori-
bus Apoſtolorum, ante tot annos quãdo recitaba
tur non ad eam gemebatur, & quod dicebat non
agnoſcebatur: ex eo quod lapſus eſt Adam & de
paradiſo proiectus eſt, nunquam fuerunt dies niſi
mali. Iſtos pueros qui naſcũtur interrogemus, qua
re à ploratu incipiant qui & ridere poſſunt. Naſci-
tur, & ſtatim plorat, poſt neſcio quot dies ridet.
Quando plorabat naſcens, propheta ſuæ calami-
tatis erat, Lachrymæ enim teſtes ſunt miſeriæ. Nõ
dum loquitur, & iam prophetat in labore ſe futu-
rum in timore: & ſi bene uixerit, & iuſtus fuerit,
certe in medijs tentationibus poſitus ſemper time
bit. Quid eũ quia iuſtus eſt? Ecce iuſtus eſt. Quid
2.Tim.3 ait apoſtolus? Omnes enim qui uolunt pie uiuere
in Chriſto, perſecutionem patientur. Ecce quia di
es mali ſunt, ſine perſecutione hic uiuere iuſti non
poſſunt. Sed dicitis mihi. Quid? Quando pax eſt,
quando prouinciarum iudices honorant eccleſiã,
quando inimicos reges eccleſia non patitur, quan
do omnes leges pro ipſa ſunt, quomodo qui pie
uiuunt perſecutionẽ patiuntur? Qui inter malos
uiuunt perſecutionem patiũtur. Quare? Quia om
nes mali perſequuntur bonos, non ferro & lapidi
bus, ſed uita & moribus. Nũquid aliquis ſanctum
Loth perſequebatur in Sodomis? Nemo illi mo-
leſtus erat, & tamẽ inter impios uiuebat, inter im-
puros, immundos, ſuperbos, blaſphemos perſecu
tionem patiebatur, non uapulando, ſed inter ma-
los uiuẽdo, Omnis eũ qui iuſtus & pius eſt, quan
do uidet aliquos male uiuere, luxuriæ ſeruire, iuſti
tiam non tenere, ſuperbiam ſectari, charitatẽ con-
temnere, quãdo iſtos tales uident illi qui boni ſunt
dolẽt, affligũtur & contriſtantur. Lugent eũ cum
apoſtolo eos qui peccauerunt, & nõ egerũt pœni
tentiã. Quiſquis me audis, & nondũ uiuis in Chri-
ſto pie, incipe in Chriſto pie uiuere. Et pro quo di
co. Nunquid apoſtolus Paulus qui eo tẽpore fuit,
quãdo adhuc in mũdo fides noua ſeminabatur, &
neceſſe erat ut multos aduerſarios pateretur, quia
Luc.2 hoc dictũ eſt de Chriſto, In ſignũ cui cõtradicetur:
Nunquid eas tantum perſecutiones cõmemorat,
quas patiebatur uel à Iudæis uel à gentibus? Non
2.Cor.11 ipſas tantum, nam illas ſic commemorat, A Iu-
dæis quinquies quadragenas una minus accepi,
Lapidatus ſum, & cætera quæ nouimus quãdo le-
gimus. Sed illæ erant etiã perſecutiones, ſine qui-
bus in hoc ſeculo nullus iuſtus uiuere poteſt. Fo-
ris pugnę, intus timores. Deniq̃ cum cõmemora-
ret pericula ſua, Periculis, inquit, in mari, periculis
in fluminibus, periculis in deſerto, periculis in la-
tronibus, periculis in falſis fratribus. Cætera peri-
cula poſſunt geſcere, pericula à falſis fratribus qui
eſcere uſq̃ ad finem ſeculi non nouerunt. Redima
mus ergo tempus, quoniã dies mali ſunt, Expecta
tis à me forte ſcire, quid eſt tẽpus redimere. Quo-
modo habemus redimere tempus, dicturus ſum,
quod pauci audiunt, pauci ferunt, pauci aggredi-
untur, pauci agunt, tamẽ dicam quoniã ipſi pauci
qui me audituri ſunt, inter malos uiuũt, quoniam
dies mali ſunt. Redimere tẽpus hoc eſt, quãdo ali-
quis tibi ingerit litem, perde aliquid, ut deo uaces,
non litibus perde. Ex eo quod perdis, preciũ eſt tẽ
B poris. Certe quando pro tuis neceſſitatibus proce
dis ad publicũ, das nummos, & emis tibi panẽ, aut
uinũ, aut oleũ, aut lignũ, aut ueſtem, aut aliquam
ſupellectilẽ, aut quodcũq̃ tibi opus eſt, das & ac-
cipis, aliquid admittis, aliqd accipis, hoc eſt eme-
re. Nã ſi nihil amittas, & habeas quod non habe-
bas, aut inueniſti, aut donatum accepiſti, aut hære
ditate acquiſiſti. Quando autem aliquid amittis,
ut aliquid habeas, tunc emis. Quod habes em-
ptum eſt, quod amittis precium eſt. Quomodo
ergo perdis nummos ut emas tibi panes, ſic perde
nummos ut emas tibi quietẽ. Et hoc eſt tempus re
dimere. Prouerbiũ notum eſt Punicum, quod qui
dem latine uobis dicã, quia punice non omnes no
ſtis. Punicum eſt prouerbiũ antiquũ. Vt enim ha-
C beas tempus quietũ, perde aliquid. Audi prouerbi
um antiquum, utile & neceſſarium. Peſtilẽtia ante
oſtium uenit & nummũ quærit, Duos illi da, & du
cat ſe. Peſtilẽtia eſt homo malus, qui te uult per ca
lumniam expoliare, Peſtilẽtia eſt homo malus, ca
lumniator, proditor. Iſte talis ſic eſt, quomodo pu
ſtula mala in corpore. Sicut enim quãdo puſtulam
incurrit homo, deſiderat ut cito ſpõdylum faciat,
& optat ut ſine aliqua mora ipſa mala puſtula ali-
quam particulam tollat de corpore, & cum ipſa di
ſcedat, ne uenenum ipſius totum corpus occupet
& animam petat, Ita etiam quando iniquus & ma
lus homo qui non uult niſi litibus uacare, aliquam
tibi calumniam facit, puta illum eſſe puſtulã malã,
D & acquieſce ut qualemcunq̃ particulã de ſubſtan
tia tua perdas, ne dum te nimiũ litigãdo occupas,
quietũ cor habere, & deo uacare non poſſis. Nun
quid non ſupra dictũ prouerbiũ de euãgelio uide-
tur natũ? Nũquid aliud dixit dominus, q̃ redime
tempus, quando ait, Si quis uult iudicio tecũ con- Matt.5
tendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi &
pallium? Auocare te habet litibus à deo tuo, non
habebis quietum cor, non habebis tranquillum
animum. Euerteris cogitationibus tuis, irritaris
aduerſus ipſum aduerſarium tuum, Ecce tempus
perdidiſti. Quanto melius nummum amitteres,
& tempus redimeres. Certe omnib. placuit quod
dictũ eſt, Veniẽ ad negocia ueſtra, & ibi uos inue
nio, Et tamen fratres mei in cauſis ueſtris, in nego
cijs ueſtris, quãdo ad nos dijudicãda ueniũt, ſi ho-

mini Christiano dico ut pro tēpore redimēdo per
dat aliquid suū, quanto maiore cura & fiducia de-
beo illi dicere ut reddat alienū. Ambos enim Chri
stianos audio. Ille calūniosus qui uult facere alteri
causam, & tollere ab illo uelut pro compositione,
Ephes.5 gaudet ad ista uerba. Apostolus dixit, Redimētes
tempus, quoniam dies mali sunt, Facio calumniā
Christiano, ille uelit nolit dat mihi aliquid ut tem
pus redimat, quia apostolū audiuit. Vide ne forte
cum te putas astutū, inuenias litigiosum, & malit
erogare ut uincat te, q̄ perdere, ut careat te. Tamē
si illi dicturus sum, perde aliquid ociosus, redime
tempus, apostolum audis qm̄ dies mali sunt: si illi
qui bonus & iustus est dico, perde aliquid ut sis ti
bi quietus, non sum calumnioso dicturus, perdite
fili diaboli, nullam causam habes, & res alienas au
ferre moliris. Causam non habes, & calumnia ple-
nus es, Christianus es tu, nunquid uolo illū acqui-
rere, & te perdere? Si illi dixero, da illi aliquid ut
recedat à calumnia, tu ubi eris, qui habebis pecu-
niam de calumnia? Ille qui propter uitandam calū
niam tempus à te redemit, hic tolerat dies malos:
tu qui calumnijs pasceris, & hic habes dies malos,
& post dies ipsos habiturus es in die iudicij peio-
res. Sed hoc forte rides, quia nummū attendis, Ri-
de, ride, & contemne, ego erogem, ueniet qui exi-
Hæc addita gat. Sed credimus de dei misericordia, quòd sic o-
sunt ab alio mnibus nō solum sanctis & deum timentib. Chri
stianis, sed etiā illis qui multis litibus & se & alios
inquietāt, ipse pius dominus inspirare dignabitur,
ut omni cōtentione uel æmulatione semota, ita pa
ci & charitati studeant, ut non propter discordiam
dei iracundiam incurrere, sed magis propter dile-
ctionē & pacē ad æterna mereantur pręmia perue
nire, Præstāte domino nostro Iesu Christo, cui est
honor & imperium cum patre & spiritusancto in
secula seculorum, Amen.

Psal.26 De eo quod propheta dicit in Psalmo, Sustine
dn̄m, uiriliter age, & cōfortetē cor tuū. Hom. XI

FREQVENTER fratres cū psalmista cāta
A uimus, Sustine dominum uiriliter age, &
confortetur cor tuū, & sustine dominū.
Quid est, Sustine dominum? Vt tūc accipias quā-
do dabit, non tunc exigas quando uis. Tēpus dan
di nondum est, Sustinuit te, sustine illum. Quid est
quod dixi, sustinuit te, sustine illum? Si iam iuste ui
uis, si iam ad illum conuersus es, si tibi displicēt fa-
cta tua præterita, si iam placuit tibi eligere uitā bo
nam nouam, noli festinare exigere. Sustinuit te ut
mutares uitam tuam malam, sustine illum ut coro-
net uitam tuam bonā. Nam & si ille nō sustineret,
non esset cui daret. Sustine ergo quia sustentatus
es. Tu uero qui non uis corrigi, O quisquis hic es
qui adhuc non uis corrigi: quasi unus sit, magis di
cere debui quicūq; hic estis. Tu tamen qui hic es,
q̄ nō statuisti corrigi: sic loquar quasi ad unū, Quis
quis non uis corrigi quid tibi promittis? Desperā
do peris, an sperando? Quisquis desperādo peris,
hoc dicis in anima tua, Iniquitas mea super me est,
in peccatis meis contabesco, Quæ mihi spes est ui
Ezech.33 uendi? Audi prophetam dicētem, Nolo mortem
impij, tantum reuertatur impius à uia sua pessima,
A & uiuat. Sperando peris. Quid est sperādo peris?
Hoc dicis in animo tuo, Bonus est deus, miseri-
cors est deus, ignoscit omnia, nō reddet mala pro
malis. Audi apostolum dicentem, Ignoras qm̄ pa- Rom.2
tientia dei ad pœnitentiam te adducit. Quid ergo
restat? Quia si obtinuimus apud te aliquid, si intra
uit in cor quod dixi, Video quid mihi respōdeas.
Verum est, nec despero ut desperādo peream, nec
spero male ut sperando peream. Non mihi illud di
co, Iniquitas mea super me est, iam nullā spem ha-
beo. Nec mihi illud dico, Bonus est deus, nemini
reddet mala. Nec illud dico, nec hoc dico, premit
me propheta, premit me apostolus. Et quid dicis?
adhuc modicum tempus uiuam, quomodo uolo.
B Isti sunt qui nos fatigāt, plurimi sunt, molesti sunt.
Adhuc modicum tempus uiuam quomodo uolo,
postea me correxero. Vtiq; uerū est quod prophe
ta dixit, Nolo mortem impij, tātum reuertatur im
pius à uia sua pessima & uiuat. Quando cōuersus
fuero, delebit omnia mala mea, Quare non addo
aliquid uoluptatibus meis, & uiuo quātum uolo,
quomodo uolo, postea me cōuersurus ad deum?
Quare hoc dicis frater? Quare? Quia promisit de-
us indulgentiam si me mutauero. Video, scio, pro
misit deus indulgētiam, per sanctum prophetam
hāc ꝓmittit, & ꝑ me minimū seruum suū promit-
tit, uerū est q̄d promittit, hanc promisit per unicū
filium suum. Sed quid uis addere dies malos die-
bus malis? Sufficiat diei malicia sua. Malus dies he Matt.6
C sternus, malus & hodiernus, malus & crastinus. 1.Retract.
An putas esse bonos dies, quando satisfacis uolu-
ptatibus tuis, quādo in luxurijs enutris cor tuum,
quando insidiaris alienæ pudicitiæ, quando frau-
de contristas proximū tuum, quando cōmendata
negas, quando falsum pro nummo iuras, quando
exhibes tibi bonū prandiū, ideo putas, quia bonū
diē ducis? Vnde fieri potest, ut dies bonus sit cum
malus sit homo? Malos dies uis addere malis die-
bus? rogo. Aliquantū, inq̄t, dimittetē mihi. Quare?
Quia ꝓmisit mihi deus indulgentiā. Sed crastino
die te uicturū nemo tibi ꝓmisit. Aut lege mihi quo
modo legis prophetam, euangeliū, apostolū: quia
cū te conuerteris, deus delet omnes iniquitates tu
as: lege mihi, ubi tibi promissus est crastinus dies,
D & uiue crastino die male. Quanq; frater meus nō
tibi hoc debui dicere, Longa erit forte uita tua. Si
longa erit, bona sit. Quare uis habere longā uitam
& malam? Aut longa non erit, & illa longa debet
te delectare, quę non habet finem. Aut longa erit,
& quid mali erit, q̄a diu bene uixisti? Tu male uis
diu uiuere, bene non uiuis, & tamē crastinū diem
nemo tibi promisit. Corrige te, audi scripturā, Ne Eccl.5
tardes conuerti ad deum. Verba ista mea nō sunt,
sed & mea sunt. Si amo, mea sunt: amate, & uestra
sunt. Sermo iste quem modo dico, sanctæ scriptu-
ræ est. Si contēnis illum, aduersarius tuus est. Sed Matt.5
audi dominū dicētem, Concorda cum aduersario
tuo cito. Audiant omnes, uerba recito scripturę di
uinę. O male dilator, ò crastini male appetitor, au-
di dominum dicentem, audi scripturam sanctam
prædicentem

prædicentem. De isto loco speculator sum, Ne tar
des cōuerti ad deum, neq; differas de die in diem.
Vide si non uidit illos, uide si nō inspexit illos qui
dicunt, Crastino bene uiuo, hodie male uiuam: &
cum cras uenerit, hoc dicturus es: ne tardes con-
uerti ad deum, neq; differas de die in diem. Subito
enim ueniet ira eius, & in tēpore uindictæ disper-
det te. Nunquid ego scripsi hoc? Nunquid ego de
lere illud possum? Si deleuero, timeo deleri. Illud
possum, tacere. Timeo tacere. Prędicare cogor, ter
ritus terreo. Timete mecum, ut gaudeatis mecum.
Ne tardes conuerti ad deum, Domine uide quę di
co, Domine scis, quia terruisti me, cum tuus pro-
pheta legeretur, Domine nosti in illa cathedra ti-
morem meum, cum tuus propheta legeretur. Ec-
ce dico, Ne tardes conuerti ad deum, neq; differas
de die in diē. Subito enim ueniet ira eius, & in tem
pore uindictæ disperdet te. Sed nolo perdat te. No
lo mihi dicas, perire uolo, quia ego nolo. Melius
est ergo, nolo meum quàm uolo tuum. Si lethar-
gicus pater tuus ægrotaret inter manus tuas, & tu
adesses iuuenis ęgrotanti seni, & diceret medicus,
periclitatur pater tuus, Somnus iste grauedo est
quędam letalis, obserua eum, noli eum permittere
dormire, si uideris eum dormire excita eum, si pa-
rum est excitare, uellica: si & hoc parum, stimula
eum ne moriatur pater tuus, adesses iuuenis seni
onerosus. Ille in dulcē morbum resolutus iret, ocu
los grauedine illa premente clauderet, tu cōtra cla
mares patri, noli dormire. At ille, dimitte me, dor-
mire uolo. Et tu, sed medicus dixit, si uoluerit dor-
mire, non dormiat. At ille, Rogo dimitte me, mori
uolo. Sed ego nolo, dicit filius patri, qui utiq; optat
se mori, Et tamen uis differre mortem patris tui, &
aliquanto diutius uiuere cum morituro sene patre
tuo. Dominus tibi clamat, Noli dormire, ne in æ-
ternum dormias. Euigila, ut mecum uiuas, & pa-
trē habeas quē nunquā efferes, audis & surdus es?
Quid ergo feci speculator? Liber sum, nō uos gra-
uo. Scio dicturos esse quosdā, Quid nobis uoluit
dicere? Terruit grauiter nos, reos nos fecit. Imo
à reatu uolui liberare. Fœdum est, turpe est. Nolo
dicere malū, nolo dicere periculosum, nolo dicere
exitiosum. Turpe est ut uos fallam, si deus me non
fallit. Dominus mortem minatur impijs, nequissi-
mis, fraudatoribus, sceleratis, adulteris, uoluptatū
inquisitoribus, suis contēptoribus, detractoribus,
murmurantibus, & mores suos non mutantibus.
Dominus illis mortem minatur, gehennas mina-
tur, interitum sempiternum minatur. Quid uolūt?
Vt ego promittam quod ille non promittit? Ecce
dat tibi securitatem procurator. Quid tibi prodest
si paterfamilias non acceptet? Procurator sum, ser
uus sum, uis dicam tibi, uiue quomodo uis, domi-
nus te non perdet? Securitatem tibi procurator de
dit, Nihil ualet securitas procuratoris. Vtinam do-
minus tibi securitatem daret, & ego te solicitum
facerem. Domini enim securitas ualet etiam si no-
lim. Mea uero nihil ualet, si ille noluerit. Quæ est
autē securitas fratres uel mea uel uestra, nisi ut do-
mini iussa intēte diligēterq; audiamus, & promissa
fideliter expectemus? In his quibus fatigamur, q̄a
A homines sumus, ipsius adiutorium imploremus.
Ad illum ingemiscamus, preces nostræ non sint
pro rebus secularibus prętereuntibus, transitorijs,
& uice uaporis euanescentibus, Sed sint preces
nostræ pro ipsa implenda iustitia, & sanctificatio-
ne pro nomine dei. Non pro uincendo uicino, sed
pro uincenda libidine, non pro sananda carne, sed
pro damnāda auaricia. Hinc sint preces nostrę, in-
tus nos adiuuent luctantes, ut coronēt uincentes.

De eo quod beatus Iacobus dicit, Confitemini Iacobi 5
alterutrum peccata uestra, & orate pro inuicem,
ut saluemini. Homilia XII

IN omnibus scripturis diuinis fratres di-
lectissimi, utiliter ac salubriter admone-
mur, ut peccata nostra debeamus iugiter
B & humiliter non solum deo, sed etiam sanctis, &
deum timentibus confiteri. Sic enim per Iacobum
apostolum nos admonet spiritus sanctus, dicens,
Confitemini alterutrum peccata uestra, & orate
pro inuicem ut saluemini. Et psalmista, Confitemi Psal.131
ni domino quoniam bonus. Et iterum, Dixi, pro- Psal.31
nunciabo aduersum me iniustitias meas domino,
& tu remisisti impietatem cordis mei. Quomodo
enim nobis peccatorum uulnera nunquam deesse
possunt, sic confessionis medicamenta deesse non
debent. Non enim ideo uult deus ut confiteamur
peccata nostra, quòd ea ipse scire non possit: sed
quia diabolus hoc desiderat, ut inueniat quod no-
bis ante tribunal iudicis æterni obijciat, ideo uult
ut magis defendere quàm accusare peccata nostra
C uelimus. Econtrario autem deus noster, quia pius
est & misericors, uult ea ut confiteamur in hoc se-
culo, ne pro illis confundamur postmodum in fu-
turo. Si enim nos confitemur, ille parcit. Si nos a-
gnoscimus, ille agnoscit. Primo homini non dictū
est, Confitere peccatum, quia non fecerat quod fa
teretur, sed dictum est ei ut non peccaret. Non ob- Gen.3
temperauit, peccauit. Nati sumus mortales ex uin-
culo peccati, propagata est miseria nostra per suc-
cessionem fragilitatis humanę, & dicitur nobis, Fa
temini peccata uestra. Serpens autem ille quomo- Gen.2
do tunc institit, ut non seruaret homo quod illi di-
ctum est, ne peccaret, sic non instat ut non seruet
homo quod ei dictum est, Cōfitere peccatū. Quo-
D modo enim tunc fecit ut caderet qui stabat, sic nūc
agit ne surgat qui cecidit. Itaq; aduersus incanta-
tiones eius & insidias, quibus nunc impedire uult
reditum nostrum, suscipiamus præcepta saluber-
rima aduersus eum qui nunc impedire uult nobis
confessionem peccati. Quia scit non nos posse re-
dire nisi per humilitatem, qui per superbiam lapsi
sumus. Dux nobis ipse fuit ad superbiam, modo
ad humilitatem ducem Christum sequamur. Dicit
homini serpens ille per Mathematicos & Mani-
chæos, ne confiteatur homo peccatum. Per Ma-
thematicos sic loquitur, Nunquid homo peccat?
Stellę sic positę sūt, necesse est ut faciat homo pec-
catum. Dicit ergo per Mathematicos, quia stella
facit ut homo peccet, Nam ipse non peccat. Sic
blasphemias conuertit in deum. Creator enim

ſtellarum deus eſt, & dum non uult homo ſe accu-
ſare in eo quod fecit, deum accuſat à quo factus eſt
A homo. Item per quoſdam Manichæos ita ſuggeſ-
rit. Non tu peccas, gens tenebrarum peccat, tu nõ
habes peccatum. Dicit hæc animæ, & erigit eam
in ſuperbiam, ut putet quia non peccat. Non eſt
hoc tollere ſed geminare peccatum. Item multi ſic
confeſſionem peccati fugiunt, ut ipſum ſatanam
accuſent, ſe autem nihil mali feciſſe dicant. Et cum
caſtigantur aliqui & dicitur eis, quare hoc feciſtis?
Reſpondent, Quia diabolus hoc fecit. Non eſt em
unde plus gaudeat diabolus, niſi quãdo homo di-
cit quòd ipſe faceret ut peccaret. Quando enim di
cit, diabolus hoc fecit, non ſe accuſat: & dum pec-
cata ſua diſſimulat confiteri, indulgẽtiam non me
retur accipere. Reſpondet ergo & dicit, Diabolus
B hoc fecit, quaſi reuera traxerit eum diabolus, aut
uiolentiam fecerit. Suadere enim & ſolicitare po-
teſt, cogere omnino non poteſt. Et ideo cum per
dei adiutorium in poteſtate tua ſit utrum conſen-
tias diabolo, quare non magis deo quàm ipſi ob-
temperare deliberas? Si enim ſolus diabolus daret
conſilium & deus taceret, haberes quo excuſari
poſſes. Cum uero Chriſtus tibi & conſcientia tua
contradicat, & per ſcripturas diuinas audias in ec-
cleſia quòd nõ debeas facere malum, quare eligis
mortem & deſeris uitam, & magis uis ſequi diabo
lum ad luxuriam, q̃ obtẽperare Chriſto qui te in-
uitat ad uitam æternã? Rogo ergo uos fratres cha
riſſimi quare ſatanas ſeducit ad peccandum, cum
C deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire
ſatanæ? Eſt enim à dextris quodammodo præcipi-
ens deus, à ſiniſtris ſeducens ſatanas, homo in me-
dio conſtitutus. Cor quod inclinatur ad diabolũ,
quare non potius erigitur ad deũ? Non enim dia-
bolus cogendo ſed ſuadẽdo nocet, nec extorquet
à nobis conſenſum, ſed petit: Nos diabolum nõ ad
iuuemus, & uincimus. Dat quidem ille conſilium,
ſed deo auxiliãte noſtrum eſt uel eligere uel repu-
diare quod ſuggerit. Attendite & aliud, quando
dicit homo quòd ſeductus eſt à ſatana, quando di-
cit ſe ſeductum, confitetur ex parte, ſed tamen ne-
gat ſe feciſſe, & dicit, Ego nihil feci, diabolus fecit.
Conatus eſt dicere illud Adam: Ipſe ſe enim excu-
ſare uoluit de muliere, mulier excuſare ſe uoluit de
ſerpente. Dominus autem deus qui liberum arbi-
D trium dedit homini, & eum præcepto ſuo aduerſus
ſerpentis uenena firmauerat, nõ audiuit iſtas excu
ſationes. Quia mulier propterea data erat ut do-
ceretur à uiro, non ut doceret uirum. Et ſic erat cõ
ſtituta uoluntas amborũ, ſic erat fabricatum libe-
rum arbitrium, ut ſi nollet conſentire ſerpenti, diſ-
cederet ſerpens in ſua falſitate confuſus, & rema-
neret homo in domino creatore firmatus. Iſta ſunt
mala uerba quæ diximus, quia modo ſerpens uult
ſuadere excuſationes peccatorum. Tunc fecit q̃d
non accuſes, modo autem uult facere quod excu-
ſes. Deus confitenti tanquam in apertum ſinum
indulgentiam paratus erat dare, excuſas, claudis
ſinum, includis peccatum, excludis indulgentiam
peccati. Ecce quid feciſti? Non ut tolleretur pecca

Sequentia uidentur eſſe Auguſtini

tum, ut dixi iamdudum, ſed intercluderetur medi-
A cina peccati. Sanare te habebat deus per indulgẽ-
tiam ſi fatereris, quæris per quem excuſes, ſed non
quærit ille quem pro te puniat. Dic ergo deuo-
to corde quod dixi paulo ante, Ego dixi, domine
miſerere mei. Quare addidit, Ego dixi? Propter Pſal.40
Manichæos qui dicunt, non tu peccas, Clama,
Ego dixi domine miſerere mei, ſana animam meã
quoniam peccaui tibi. Sanat te deus, confitere tan
tum uulnus tuum. Iaces ſub manibus medici, pati-
enter implora auxilium Fouet, urit, ſecat, æqua-
niميter tolera, tantum noli attendere niſi ut ſane-
ris. Sanaberis autẽ ſi oſtendas te medico: non quia
ille non uidet ſi tu te abſcondas, ſed ipſa confeſſio
initium ſanitatis eſt. Emendabit me iuſtus in miſe
B ricordia, & arguet me, oleum autem peccatoris nõ
impinguet caput meum. Quid hoc eſt? Melius eſt
mihi ut quando uidet iuſtus peccatum meũ emen
det me, non mihi parcat, dicat quia peccaui, ſæui-
at in peccatum meum, ut me liberet à peccato, Vi
detur acerbe clamare, ſed intus lenis eſt in miſeri- Pſal.40
cordia. Ideo dixit, Emendabit me iuſtus in miſeri-
cordia & arguet me. Quando ergo arguit, & quã-
do clamat, & quando iuſtus ſæuit, miſeretur: & to-
tum illud de miſericordia paterna eſt, non de ſæui-
cia inimici. Magis autem quando non uult te tene
ri ſub peccato, magis amat, quia ſecat. Non uult e-
nim putredine peccati cętera membra tua conta-
beſcere, ferrum profert, ſed noli timere, noli paue-
ſcere, medicum eſt ferrum. Non contra te ferrum
C fertur, ſed contra uulnus tuum. Ergo ſic ait, Emen
dabit me iuſtus in miſericordia & arguet me, ole-
um autem peccatoris non impinget caput me-
um. Quid eſt autem oleum peccatoris, niſi blandi
mentum adulatoris? Si quis aliquem uehementer
obiurget, uidetur ſæuire in peccatum ira eius: & li
bere ei dicas mala quæ commiſit, & ille imitabitur
fortaſſe obiurgatorem ſuum, ſimul cum illo iraſci
tur peccato ſuo. Quare dictum eſt, Iraſcimini & Pſal.4
nolite peccare, quæ dicitis in cordibus ueſtris, &
in cubilibus ueſtris compungimini. Ergo dicat il-
le uera, forte corrigit: alius uero ueniat ad eum, &
aſſentetur & dicat, imò laudabiliter feciſti, Quo-
niam laudatur peccator in deſiderijs animę ſuę, &
qui iniqua gerit benedicitur. Diffluit, lætus uoca-
D tur. Auarus eſt & dicitur de eo, quia ſeruat rem ſu-
am. Vindicat ſe de inimico, cum dictum ſit, Di- Luca 6
mitte ut dimittatur tibi, comis uocatur. Sic conſi-
dera cætera, quemadmodum aſſentatores, id eſt,
adulatores habeant uerba fallacia, habeãt nomina
laudis, ipſa eſt unctio peccatoris. Nos autem au-
diamus prophetam dicentem, Populus meus qui Eſai.3
uos felices dicunt, in errorem uos mittunt, & con-
turbant ſemitas pedum ueſtrorum. Ergo ſi dicatur
ab aliquo libere peccatum alicuius, & ab alio pal-
petur, ſi uideat aliquis tertius & interrogetur quid
ſit factum, nonne ita ſolet reſpondere, Ille dixit ei
uera & non eſt blanditus. Quid ille alter? Quid fe
cit? Vnxit ei caput & abſceſſit. Nos uero fratres ſi
uere ſpiritales medici ſumus, & de animarum ue-
ſtrarum remedio attentius cogitamus, non debe-
mus

mus palpare quenq̃, nec uos nec nos. Cõfiteamur
peccata noſtra, nõ excuſemus, tu feciſti, tu reus es, A
tu peccata tua confitere, tibi ignoſcitur. Si aũt di-
cis, Nõ ego feci: Vbicunq; uerba excuſare uolue-
ris: peccatum tuum manet in te. Peccati reus es, &
non illius peccati tantũmodo quod feciſti, ſed hu-
ius etiã ſuperbiæ q̃ confiteri noluiſti. De quo pec-
cato nos dominus liberare dignetur: Qui cum pa-
tre & ſpirituſancto uiuit & regnat in ſecula ſeculo
rum, Amen.

De eo quod ſcriptum eſt, Ne tardes cõuerti
ad deum, neque differas de die in diem.

Homilia XIII

VDIVIMVS fratres chariſſimi per pro-
Eccl.5 A A phetam dicentem deum, Ne tardes con-
uerti ad deum, neq; differas de die in diẽ.
Subito enim uenit ira eius, & in tempore uindictę
diſperdet te. Promiſit enim tibi, quoniam quo die
conuerſus fueris, obliuiſcitur mala tua præterita,
ſed nunquam uitam craſtini diei promiſit tibi. An
forte non tibi illam promiſit deus, & promiſit illã
tibi Mathematicus ut damnet te & illum? Deus di
em mortis incertum ſalubriter conſtituit: Diem ul
timũ ſuum quiſq; ſalubriter cogitet. Miſericordia
dei eſt, quia neſcit homo quando moriatur: Latet
ultimus dies, ut obſeruẽtur omnes dies. Sed tenet
te mundus, illecebrę circumquaq; blandiuntur, de
lectat te pecunię magnitudo, delectat honoris ful
1.Tim.6 gor, delectat potentię terror. Delectãt iſta, ſed au-
diatur Apoſtolus, Nihil intulimus in hunc mun-
dũ, ſed nec auferre quid poſſumus. Honor te quæ-
Luca 14 rere debet, non ipſum tu. Debes enim in loco hu-
miliori diſcumbere, ut qui te inuitauit faciat te ad
honoratiorẽ locum aſcendere. Si autem noluerit,
ubi recumbis manduca: Quia nihil huc intuliſti in
hunc mundum. Parum eſt tibi, quia de alieno mã-
ducas? Diſcumbe ubicũq; & manduca. Dicturus
1.Tim.6 es, de meo. Audi Apoſtolum, Nihil intulimus in
hunc mundum. Ad mundum ueniſti, plenã men-
ſam inueniſti: Sed domini eſt terra & plenitudo e-
ius, Nam qui uolunt, inquit, diuites fieri: Non di-
xit, qui diuites ſunt, ſed qui uolunt diuites fieri: Cu
piditates accuſauit, non facultates, Qui uolunt di-
uites fieri, incidunt in tẽtationem & deſideria mul
ta & noxia, quę mergunt homines in interitum &
perditionem. Pecunia delectat, iſta nõ times? Bo- D
na res eſt pecunia, bona res eſt magna pecunia. In-
cidunt homines in tentationes, non times? In deſi
deria multa incidunt ſtulta & noxia, nõ times? De
ſideria quò ducũt time. Quid eſt, quò ducũt? Quæ
mergunt, inquit, homines in interitũ & perditio-
nem. Et adhuc ſurdus es? Interitũ & perditionem
non times? Sic deus tonat, & ſtertis. Cæterum his
qui iam diuites ſunt adhuc cõſilium dedit Apoſto
lus, Præcipe, inquit, diuitibus huius mundi non ſu
perbe ſapere. Vermis diuitiarũ ſuperbia eſt. Diffi-
cile eſt ut non ſit ſuperbus qui diues eſt. Tolle ſu-
perbiam, diuitię non nocebũt. Sed attẽde quid in-
de facere debeas, ne uacet apud te quod largitus
eſt deus: Non ſuperbe ſapere. Iſta uitia tolle, neq;
ſpera in incerto diuitiarum. Tolle & hoc uitiũ. Cũ

abſtuleris iſta, exerce opera bona. Qui diuites ſũt,
inquit, in operibus bonis, nõ ſperent in incerto di- A
uitiarum. Sed ubi ſperent? In deũ uiuũ qui præſtat
nobis omnia abundanter ad fruendũ. Mundũ præ
ſtat deus pauperi, præſtat & diuiti, Nunquid quia
diues eſt, duos uentres impleturus eſt? Attendite
& uidete qm̃ de datis dei pauperes ſaturati dormi-
unt. Qui paſcit uos, paſcit illos per uos. Ergo nõ a-
metur pecunia, ſed ſi iam habet, hoc inde fiat. Di-
uites qui illã habetis eſtote. Sed ubi diuites? In ope
ribus bonis. Facile, inquit, tribuant, cõmunicent.
Hic iam auaritia contrahit ſe quando audit, Facile
tribuant, cõmunicent, ueluti aqua frigida perfun-
ditur, rigeſcit, ſtringit ſinum & dicit, Non perdo la
bores meos. Infelix perdere uis labores tuos? Ecce
B morieris, & qui nihil huc attuliſti, nihil hinc potes
auferre. Cũ nihil abſtuleris, nonne pdidiſti oẽs la-
bores tuos? Audi ergo conſilium dei. Nolo terrea
ris, quia dixit, Facile tribuant, cõmunicent. Audi
& quod ſequit, expecta, noli contra me claudere
oſtiũ, nec aditum cordis tui: Expecta. Vis noſſe: Fa
cile tribuant, cõmunicent: quia nõ perdes, & hoc
ſolũ non perdes, Theſaurizent, inquit, ſibi funda-
mentũ bonũ in futuro, ut apprehẽdant uerã uitã.
Iſta ergo quæ te delectat falſa uita eſt, quaſi in ſom
nis hic uiuis. Si quaſi in ſomnis hic uiuis, euigilatu
rus es quando morieris, & nihil habes in manibus
tuis inuenire. Qũo ſi mẽdicus dormiat & in ſom-
nis illi ueniat hęreditas, nihil illo felicius anteq̃ ſur
C gat. Videt ſe in ſomnis tractare manib. ueſtes egre
gias, precioſa uaſa aurea & argentea, intrare in a-
mœniſſima & ampliſſima prædia, obſequi ſibi ma
gnas familias. Euigilat & plorat. Et quomodo ui-
gilans accuſat hominẽ qui illũ expoliauit, ſic illum
accuſat qui illũ excitauit. Apertiſſime hinc locu-
tus eſt pſalmus, Dormierũt, inquit, ſomnũ ſuum & Pſal.75
nihil inuenerunt oẽs uiri diuitiarũ in manib. ſuis,
poſtea q̃ finierunt ſomnum ſuũ. Quia ergo nihil
attuliſti, nihil hinc ablaturus es: Mitte ſurſum q̃d
inueniſti, & non perditurus es. Da Chriſto, Chri-
ſtus enim hic uoluit accipere. Da Chriſto & per-
dis? Non perdis. Si commẽdas ſeruo tuo quod ac-
quiſiſti & nõ perdis, cõmẽdas domino tuo & per-
dis? Si cõmendas ſeruo tuo quod acquiſiſti & nõ
perdis, perdes ſi cõmendes dño tuo quod accepi-
D ſti ab ipſo dño tuo? Egere hic uoluit Chriſtus, ſed
propter nos. Omnes pauperes quos uidetis, po-
tuit illos Chriſtus paſcere quomodo per coruum
Heliã pauit, tamẽ & ipſi Heliæ ſubtraxit coruũ: ut
à uidua paſceretur, non Heliæ præſtitit ſed uiduæ.
Quando ergo deus pauperes facit, quia ipſe non
uult ut ipſi habeãt, quando facit pauperes probat
diuites. Sic em̃ ſcriptũ eſt, Pauper & diues occurre Prou.22
rũt ſibi. Vbi ſibi occurrerũt? In hac uita. Natus eſt
ille, natus eſt & ille. Inuenerũt ſe, occurrerunt ſibi.
Et quid? fecit aũt ambos dñs. Diuitẽ unde paupe-
rem adiuuaret, pauperẽ unde diuitẽ probaret. Pro
uirib. ſuis unuſquiſq; faciat. Non ſic faciat, ut ipſe
patiat anguſtias. Non hoc dicimus, Superflua tua
neceſſaria ſunt alijs. Audiſtis modo cum Euange-
lium legeretur, Quicunq; dederit calicem aquę fri

gidæ uni ex minimis meis propter me,non perdet
mercedem suam. Regnum cœlorum uenale pro-
posuit, & precium eius calicem aquæ frigidæ esse
uoluit.Sed quando est pauper qui facit eleemosy-
nas,tunc debẽt elemosynæ eius esse calix aquæ fri
Mar.12 gidę.Qui plus habet,plus faciat. Vidua illa de duo
Luc.19 bus minutis fecit:Zachæus dimidiũ rerũ suarũ de-
dit,&ad reddendas fraudes suas,aliud dimidiũ re-
seruauit.Eleemosynæ illis prosunt, qui uitam mu-
tauerũt.Das eñ Christo egenti, ut peccata tua re-
dimas præterita. Nam si ideo illi das ut liceat tibi
semper impune peccare,nõ Christũ pascis, sed iu-
dicem corrũpere conaris.Ergo ad hoc facite elee-
mosynas,ut uestræ oratiões exaudiant̃,& adiuuet
uos deus ad uitã in melius cõmutandam.Et q com
mutatis eandem uitam in melius cõmutate, ut per
eleemosynas & oratiões deleãtur mala uestra præ
terita,& futura bona ueniãt sempiterna.

Antiqui cod. de martyribus & gratia dei.

De eo quod dñs ait in euangelio, Capillus de capite uestro non peribit. Homilia XIIII

A DOMINVS noster Iesus Christus,testibus,
id est,martyribus suis ꝓ humana fragilita-
te solicitis, ne forte eum cõfitẽdo atq; mo
riendo perirent,magnã securitatem dedit,dicens,
Luc.12 Capillus de capite uestro non peribit.Times ergo
ne pereas,cuius capillus non peribit? Si sic custo-
diuntur superflua tua, in quanta securitate est ani-
ma tua? Non perit capillus qui cũ non tondet̃ nõ
sentis,& perit anima per quam sentis? Sanè multa
dura eos passuros esse prædixit,ut prædicẽdo face
Psal.56 ret paratiores, dicerentq; illi, Paratum cor meum.
Quid est paratũ cor meũ,nisi parata uolũtas mea?
Paratam ergo habent martyres uoluntatẽ in mar-
tyrio,sed præparat̃ uoluntas à dño.Illis aũt in ma-
lis duris atq; asperis futuris cõmemorans adiecit,
In uestra patientia possidebitis animas uestras. In
uestra patientia,inquit. Non enim esset patientia
tua, si nõ ibi esset & uolũtas tua.In uestra patiẽtia,
sed unde uestra? Nostrũ est q̃d à nobis habet̃,no-
strum est & q̃d nobis donat̃. Qũo eñ aliquid do-
nas,nisi ut eius sit cui donas? Aperta est eñ illa cõ
Psal.61 fessio:Nõne deo subijciet̃ anima mea, ab ipso eñ
est patientia mea? Dicit nobis ipse, in uestra pati-
entia: Dicamus illi & nos, Patientia mea ab ipso
est.Tuum fecit donãdo, noli ingratus esse tibi assi
gnando.Nónne in oratione dominica dicimus &
nostrum est q̃d à deo est? Quotidie dicimus,Panẽ
nostrum quotidianũ.Iam dixisti,nostrum,&dicis,
da nobis.Ecce nostrũ,ecce da nobis. Illo dante fit
nostrum,si illo dante fit nostrum,nobis superbien
tibus fit alienum. Dicis nostrũ,& dicis,da nobis.
Quid ergo tibi assignas, quod non tibi ipse dedi-
sti? Quid eñ habes quod nõ accepisti? Dicis no-
strum,& da nobis.Agnosce largitorẽ,confitere te
accipere,ut libenter ille dignet̃ dare. Quid si non
egeres qui mendicas & superbus es? An nõ men-
dicas qui panem petis? Panis noster æternus Chri
stus in patris ęqualitate.Panis noster quotidianus,
Christus in carne,æternus sine tempore,quotidia
nus in tempore.Tamen ipse est panis qui de cœlo
descendit.Fortes sunt martyres, firmi sunt marty-
res, sed panis confirmat cor hominis. Nunc ergo
A audiamus Paulum Apostolũ dicentẽ,cũ passioni
appropinquaret, de corona sibi parata præsumen
tem.Bonũ,inquit,certamẽ certaui, cursum cõsum 2.Tim.4
maui,fidem seruaui.De cætero superest mihi coro
na iustitiæ,quã reddet mihi dñs in illa die iustus iu
dex.Non solũ aũt mihi sed & omnib. qui diligunt
manifestationẽ eius. Reddet,inquit,mihi dñs co-
ronã iustus iudex,Debet ergo,Quid reddet? Red
det ergo iustus iudex. Nõ eñ opere inspecto põt
negare mercedẽ q opus inspicit. Bonum certamẽ
certaui,opus est.Cursum cõsummaui,opus est.Fi-
dẽ seruaui,opus est.Superest mihi corona iustitię,
merces est, sed in mercede tu nihil agis, in opere
nõ solus agis.Corona tibi est ab ipso,opus aũt abs
B te,sed nõ nisi ipso adiuuãte. Cũ aũt Paulus aposto
lus,prius Saulus, crudelissimus esset & immanissi
mus persecutor,nihil omnino boni merebat̃,imò
merebatur plurimũ malum.Merebatur enim dam
nari,non eligi.Et ecce subito cum mala faceret,&
mala mereretur,una cœlesti uoce prosternit̃. Per-
secutor deijcitur,pędicator erigitur.Audi eũ hoc
ipsum confitentem, Qui prius fui blasphemus & 1.Tim.1
persecutor & iniuriosus,sed misericordiã consecu
tus sum.Nunquid ibi dixit, Reddet mihi iustus iu
dex? Misericordiã,inquit,cõsecutus sum,mala me
rebar,bona accepi.Non secũdũ peccata nostra fe-
cit nobis.Misericordiã cõsecutus sum.Debita mi-
hi non sunt reddita.Si eñ debita redderentur,sup
plicium redderetur. Non,inquit, accepi quod de-
C bebatur:Misericordiam consecutus sum. Non se-
cundum peccata nostra fecit nobis.Quantum di-
stat oriens ab occasu,longe fecit à nobis iniquita-
tes nostras.Quãtum distat oriens ab occidente,a-
uertere ab occidente,cõuertere ad orientem, Oc-
cidunt ibi peccata, oritur inde iustitia. In occidẽte
uetus,in oriẽte nouus.In occidẽte Saulus,in orien
te Paulus.Vnde hoc Saulo,unde hoc crudeli, un-
de hoc persecutori,unde hoc non pastori? Ipse eñ
est lupus rapax, de tribu Beniamin.Ipse dicit. Di- Ge.49
ctum aũt erat in prophetia. Bẽiamin lupus rapax,
mane rapit pędã & ad uesperã diuidit escas.Prius
cõsumpsit,posterius pascit. Rapiebat prorsus,ra-
piebat.Legite q rapiebat,legite librum actuũ apo
stolorũ.Literas à põtificib.accipiebat,ut quoscũq;
D inueniret sectantes uiã Christi, uinctos adduceret
puniẽdos.Ibat,sęuiebat,cędes & sanguinẽ anhela
bat.Ecce rapit,sed adhuc mane est: Vanitas sub so
le est.Fit ei uespera quãdo cæcitate percutitur. Ec
ce unus homo Saulus & Paulus, persecutor in oc-
cidente, pędicator in oriẽte. Oculi eius ad huius
mũdi uanitatẽ claudũtur,alij interiores illuminãt̃.
Vas paulo ante perditiõis,diuisiões escarum eius
quotidie recitãt̃.Vide queãdmodũ diuidat escas.
Nouit quid cui cõgruat.Diuidit,nõ passim,nõ cõ
fuse erogat.Diuidit, hoc est distribuit, distinguit,
nõ passim cõfuseq; dispẽsat,loquit̃ sapientiã inter
perfectos.Quibusdã uero nõ ualẽtib. capere soli-
dum cibũ,diuidẽs dicit,Lac uobis potũ dedi.Ecce
hoc facit q paulo ante faciebat:Quid? Nolo recor
dari: Imo recorder hominis nequitiã, ut approbẽ
dei

dei misericordiã.A quo patiebat̃ Christus,patit̃ ꝓ
Christo,fit uero Paulus ex Saulo. Qui spargebat
colligit,q oppugnabat defendit. Vnde hoc Sau-
lo? Quid dicamus? Ipsum audiamus.Quæritis,in-
quit,unde hoc mihi? Misericordiã cõsecutus sum.
Non est,inqt, mihi hoc à me,misericordiã cõsecu
tus sum.Quid retribuam domino pro omnib. quę
retribuit mihi? Retribuit enim,sed non mala pro
malis.Retribuit planè,sed nõ mala pro malis.Re-
tribuit bona pro malis,Quid ergo retribuam? Ca
licem salutaris accipiam. Certe retribuebas? Ad-
huc accipis, Sed modo planè propinquante pas-
sione,retribuam bona pro bonis,non bona ꝓ ma
lis. Prius ergo dominus debebat mala pro malis,
noluit autẽ retribuere mala pro malis,& retribuit
bona pro malis. Retribuendo bona pro malis,in-
uenit quomodo retribueret bona pro bonis.Ecce
enim in Paulo prius Saulo nihil boni inuenit. Cũ
in illo nihil boni inuenisset,mala dimisit, bona re-
tribuit.Cũ ergo,inquis,bona retribuit,pręuenit se
dando bona quibus retribueret bona. Ecce retri-
buet mercedem his bonis,operibus bonis. Bonũ
certamen certanti,cursum consummanti,fidẽ ser-
uanti,retribuit bona.Sed quibus bonis? Quæ ipse
dedit.An non ipse dedit,ut bonum certamen cer-
tares? Si non ipse dedit, quid est quod alio loco di
1.Cor.15 cis, Plus illis omnibus laboraui? Non autem ego,
sed gratia dei mecum. Ecce iterum dicis,Cursum
consummaui.Non & ipse dedit,ut cursum cõsum
mares? Si non ipse dedit ut cursum consumma-
res: quid est quod alio loco dicis: Non uolentis
neq; currẽtis, sed miserẽtis est dei? Fidem seruaui.
Seruasti? Agnosco & probo.Fateor seruasti. Sed
nisi dominus custodierit ciuitatem,inuanum uigi
lat qui custodit eã. Illo ergo ipso adiuuante,ipsoq;
donante,& bonum agonẽ certasti,& cursum con
summasti,& fidem seruasti. Da ueniã Apostole,
propria tua non noui nisi mala. Da ueniam Apo-
stole,dicimus quia tu docuisti.Audio confitẽtem
non inuenio ingratũ. Prorsus tua à te tibi parata
nõ nouimus nisi mala.Cũ ergo deus coronat meri
ta tua,nihil coronat nisi dona sua. Hanc fidẽ & ue
ram pietatem, ne quis extollat̃ de libero arbitrio
in bonis operibus,quisquis sic accipiat ut nouerit
dantẽ,aut quisquis datori nõ sit ingratus, medico
non superbiat,uel insanus adhuc uel nõ à se sanus.
Hanc,inquã,fidem suam atq; pietatem nullæ argu
mentationes euellant de cordibus uestris. Serua-
te quod accepistis. Quid enim habetis quod non
accepistis? Hoc est deo confiteri, dicere quod ait
Apostolus,Nos aũt non spiritũ huius mundi acce
pimus.Spiritus huius mundi facit superbos,spiri-
tus huius mundi facit inflatos,spiritus huius mun-
di facit ut putet se quisq; aliquid esse,cum nihil sit.
Sed quid ait Apostolus contra spiritũ huius mũdi
inflatum,superbũ, tumidũ, elatum, non solidum?
1.Cor.2 Quid ait? Nos non spiritum huius mundi accepi-
mus,sed spiritum qui ex deo est. Vnde probas? ut
sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Audiamus
Ioan.15 ergo dominum dicentem, Sine me nihil potestis
Ioan.19 facere.Et illud, Nemo habet quicq; nisi ei datum
fuerit desuper.Et nemo uenit ad me,nisi pater qui Ioan.5
A misit me traxerit eum. Et illud,Ego sum uitis,uos 1 Ioan.15
palmites.Sicut palmes non potest facere fructum
à semetipso,nisi mãserit in uite,sic et uos nisi in me
manseritis.Et illud quod Iacobus apostolus pro-
testatur,dicens:Omne datum bonũ, & omne do- Iacobi 1
num perfectum desursum est, descendens à patre
luminum.Et quod apostolus Paulus ad reprimen
dam præsumptionẽ illorũ q de libero arbitrio glo
riant̃,clamat & dicit.Quid habes quod non acce
pisti? Si aũt accepisti,quid gloriaris quasi non ac-
ceperis? Et illud,Gratia salui facti sumus per fidẽ,
& hoc nõ ex uobis. Dei enim donũ est,ut ne quis
extollat̃. Et illud,Vobis donatũ est pro Christo,
nõ solũ ut in eũ credatis,sed etiã ut pro ipso patia-
B mini. Et illud,Deus qui cœpit in uobis opus bo-
num perficiet.Hæc ergo & his similia diligẽter ac
fideliter cogitãtes,non acquiescamus eis q liberũ
arbitriũ in superbiã extollẽtes, præcipitare magis
q; eleuare conant̃.Sed humiliter cõsideremus il-
lud quod Apostolus dicit, Deus est qui operat̃ in Philip.2
in uobis & uelle & perficere. † Gratias agimus *Ab alio adiecta uidentur.*
domino ac saluatori nostro, qui nos nullis præce-
dentibus meritis uulneratos curauit, & inimicos
reconciliauit, & de captiuitate redemit,de tene-
bris ad lucem reduxit, de morte ad uitam reuoca-
uit: & humiliter confitentes fragilitatem nostram
illius misericordiã deprecemur,ut quia nos secun
dum psalmistam,misericordia sua pręuenit,digne
tur in nobis non solum custodire,sed etiam auge-
C re munera uel beneficia sua quæ ipse dignatus est
dare,Qui cũ patre & spiritu sancto uiuit & regnat
deus in secula seculorum, Amen.

† De modo quo nos inuicem diligere debeamus. Homilia XV

Veteres libri, Excerpta è libris Aug. Qualiter uera & perfecta dilectio seruanda sit &c.

QVALITER nos inuicem diligere debea-
mus fratres charissimi mei, etiam de sani-
tate uel infirmitate membrorum corpora
liũ possumus euidenter agnoscere.Si enim sic nos
amare uoluerimus, quomodo se inuicem amant
membra corporis nostri,pfecta in nobis charitas
poterit custodiri. Considerate & uidete q̃d fiat in
nobis carnaliter,quãdo sanũ est caput, quomodo
congaudent omnia membra,& placent sibi de sin
gulis cætera membra.Econtrario aũt quando ali-
D quid mali patitur unũ membrum, compatiuntur
omnia membra.Ecce spinã calcat pes: Quid tam
longe ab oculis quàm pes? Longe est loco,proxi
mus charitatis affectu. Modicum pungit spina,
& perparuum locum tenet in pede,uide quomo-
do illuc conuertuntur omnia membra.Primo ipsa
spina dorsi incuruat se,& deponũt se omnia mem
bra.Nunquid oculi cessant quærere? Nunquid au
res cessant audire? Forte alij qui uident ubi sit, di-
cunt,ecce ibi est,statim hoc audiũt aures,& sequũ
tur cõsiliũ:ibi & oculi quęrũt, & manus operãtur,
&,ut dixi,totum corpus illuc incuruatur, & nihil
uacat in homine ad subueniendũ.Et solum in pe-
de factum est uulnus,& totum quod est in homi-
ne operatur.Nunquid omnia puncta sunt? Atten
dite. Nũquid omnia dolent? Sana est manus,sani
sunt

ſunt oculi, ſanum eſt caput,ſana alia membra,ipſe
pes ſanus eſt, ibi tantũ dolet ubi punctus eſt. Non
eſt ergo cõmunis calamitas omnibus,ſed per com
paſſionem charitatis omnia ueniũt ad ſubuenien-
dum,& omnia uolũt ſuccurrere: ut impleat̃ quod
ait Apoſtolus,Si patit̃ unum membrũ compatiun
tur omnia membra,& ſi glorificat̃ unum membrũ
cõgaudẽt omnia membra. Quid ergo? Neſcio q̃s
habet donũ dei in uirtutibus,nõ habes tu,noli inui
dere ne præcidaris de corpore. Videte fratres,qui
inuidet,ſic eſt quomodo tabes,quomodo uulnus,
quomodo apoſtema. Nõ uis cõgaudere glorifica
to: Videt in te inuidiæ morbum cœleſtis ille medi
cus,& precidet te de corpore.Noli ergo inuidere.
Sed quid facis,gaude.Noli dicere in animo tuo, E
go ſi Chriſtianus eſſem, utiq; & ad deum pertine-
rem,poſſem facere quod alius facit. Tale eſt enim
ac ſi diceret auris, Ego ſi ad corpus pertinerẽ,poſ-
ſem uidere lunã & ſolem, & nõ illud habet tamen
nec auris nec manus, ſed faciũt ſingula quod poſ-
ſunt,& cum concordia ſeruiunt ſibi inuicẽ omnia
membra. Sic ergo & tu congaude illi cui deus ali-
quam gratiã dedit, & potes in illo quod in te non
potes.Ille habet forte uirginitatẽ,ama illum & tua
eſt,Iterum tu habes maiorẽ patientiam, diligat te
& ſua eſt.Ille poteſt ſatis uigilare,ſi non inuides tu
um eſt ſtudium eius. Tu forte potes amplius ieiu-
nare ſi amat te,ſuum eſt ieiunium tuum.Hoc ideo
quia in illo tu es. Per proprietatem enim nõ es tu,
per charitatem tu es.Conſiderate fratres & uidete
exemplũ domini noſtri qui nos peregrinos fecit,
& iuſſit ut per charitatis uiã currẽdo ueniamus ad
cœleſtem ciuitatem. Nunquid aliquis poteſt dice
re,quia ægrotauit hic dominus? Quid eſt ergo qđ
Matt.25 ait,Infirmus fui & nõ uiſitaſtis me? Quid niſi quod
ipſi confitentur, quando te uidimus eſurientẽ, aut
ſitientem,aut nudum, aut infirmum, aut in carce-
re,& nõ miniſtrauimus tibi? Et ille q̃uis ſedeat in
cœlo,tamen cõpatiens membris laborantibus,q̃a
caput eſt membrorũ & uniuerſi corporis, Quãdo
uni,inq̃t,ex minimis meis nõ feciſtis,nec mihi feci
ſtis. Iã certe erat in cœlo quãdo Paulũ ex pſecuto-
re fecit prædicatorẽ.Nã miſertus eius,& incorpo-
rans eum uniuerſo corpori ſuo dixit de cœlo,Sau-
le Saule quid me perſequeris? Nunquid ergo ip-
ſum perſequebatur in cœlo? Quid eſt ergo, quid
me perſequeris? Perſequebatur Saulus Chriſtia-
nos, nunquid Chriſtum qui ſedebat in cœlo? Sed
quia ipſe erat in Chriſtianis: cõpatiẽs membris o-
I.Cor.12 mnibus,ut uerum eſſet in ipſo, quod ait, Si patitur
unum membrum compatiuntur omnia membra:
quid ait? Saule Saule, quid me perſequeris? Certe
iam in cœlo ſum, tamẽ quãdo minimos meos per
ſequeris,me pſequeris:In ipſis mẽbris meis adhuc
ego perſecutionẽ patior.Et illud attendite fratres,
quod etiã nos aliquotiẽs facimus. Attendite in po
pulo quando ſtatur, & eſt aliqua coartatio,ſi alter
alterũ calcet,lingua dicit,calcas me.Num ipſa cal-
cata eſt? Quid eſt ergo quod ſonat, calcas me? Si
& ille reſpõdeat,libera es ô lingua,in ore tuo uocẽ
habes: Ego ſi calcaui,pedẽ calcaui. Sed calcas me

A charitas dicit,calcas me cõpaſſio unitatis & uincu
lum ſocietatis dicit. Sicut ergo dicere cœperã,co-
gnoſcãt omnes inuidi qui de aliorum etiã ſi inimi-
ci eorum ſint tribulationibus gaudent,quia mem-
bra ſunt putrefacta abſciſa & mortua, & ideo non
habent ſenſum,& cũ diſcedunt ab alijs mẽbris nõ
ſentient, quia ſine ſenſu erãt. Senſus noſter fratres
una fides eſt, una charitas, una ſanitas eſt. Tenea-
mus fidem tanq̃ ſenſum,teneamus charitatẽ tanq̃
ſanitatem.Et q̃uis diuerſa membra diuerſa mune-
ra habeant,tamẽ charitatis unitate tenent̃,& om-
nia merent̃ ire poſt caput.Caput enim in cœlo eſt,
nos hic laboremus,& inuicem onera noſtra porte
mus. Quo ẽm iuit caput,cætera mẽbra itura ſunt.
B Certe audiſtis quod paulo ante dictum eſt, domi-
num clamaſſe de cœlo, Saule Saule, quid me per-
ſequeris? Rogo uos fratres,ſi dominus & ſaluator
noſter qui nullũ peccatũ habuit,tanto affectu nos
peccatores amare dignat̃,ut qđ nos patimur ſe pa
ti teſtet̃,quare nos q̃ ſine peccato nõ ſumus,& qui
peccata noſtra per charitatẽ redimere poſſumus,
non tam perfecto amore diligimus,ut ſi quid mali
alius pertulerit charitatis affectu cõpatiamur, &
ſi quid boni alius acceperit, quaſi noſipſi accipia-
mus ita gaudeamus,et pro illo qui accepit deo gra
tias referamus? Ecce iam ut dictũ eſt, patit̃ aliquis
aut tribulationẽ aut damnum: Si doles pro illo, in
corpore eccleſiæ conſtitutus es,ſi non doles preci
ſus es.Charitas enim quæ colligit & uiuificat om-
nia eccleſiæ membra, ſi te uiderit de alterius ruina
C gaudere,ſtatim te precidet à corpore. Et forte iam
ideo non doles,q̃a preciſus es. Si ẽm ibi eſſes, ſine
dubio doleres.Conſiderate fratres & diligenter at
tendite,quia tamdiu dolet membrum quamdiu in
corpore continetur. Si autem abſciſum fuerit, nec
dolere poterit nec ſentire. Cum enim manus aut
aliud membrum fuerit abſciſum à corpore, ſi totũ
corpus poſtea multis partibus diuidatur,manus il
la non ſentit,quia iam à reliquorum membrorũ ſo
cietate diuiſa eſt atq; diſiuncta. Talis eſt Chriſtia-
nus qui de alterius aut dãnis aut afflictionibus aut
etiã morte, non ſolum non dolet, ſed quod peius
eſt forte etiam gaudet. Et quia iã eſt alienus à cor-
pore,ideo affectũ charitatis nõ tenet in corde.Nos
uero, ſi uerã & perfectã charitatẽ uolumus cuſto-
D dire,omnes ſicut noſmetipſos ſtudeamus diligere,
ut quia caput noſtrũ Chriſtus eſt,& membra illius
nos eſſe meruimus, cũ Chriſtus apparuerit gloria
noſtra, etiã & nos per concordiã charitatis quaſi
uera & perfecta membra illius abſq; ullo dolo ma
liciæ uel inuidiæ omnes homines ſicut noſmetip-
ſos amantes,cũ ipſo apparere mereamur in gloria.

De reſurrectione domini,& cãtatione Alleluia.
Homilia XVI

R ESVRRECTIO & glorificatio domi-
ni noſtri Ieſu Chriſti fratres chariſſimi o
ſtendit nobis uitam quam accepturi ſu-
mus cũ uenerit retribuere digna dignis, mala ma-
lis, bona bonis. Et modo quidem mali homines
cantare nobiſcum poſſunt alleluia. Si aũt in mali-
cia ſua perſeuerauerint, canticũ uitæ noſtræ future
labijs

labijs dicere poſſunt, ipſam uero uitam quæ tunc
erit in ea ueritate quæ nunc ſignificatur obtinere
non poſſunt, quia noluerunt meditari antequã ue
niret,& tenere quod futurum erat.Nunc ergo fra-
tres chariſſimi exhortamur uos ut laudetis deum,
& hoc eſt quod nos omnes dicimus,quando dici-
mus alleluia, laudate deum. Dicis tu alteri, dicit
ipſe tibi. Cum ſe omnes exhortantur, omnes faci-
unt quod hortantur. Sed laudate de totis uotis,id
eſt,ut non ſola lingua ueſtra & uox laudet deum,
ſed & conſcientia ueſtra, uita ueſtra, facta ueſtra.
Etenim laudamus modo in eccleſia,quando con-
gregamur. Cum quiſq; diſcedit ad propria, quaſi
ceſſat laudare deum: Non ceſſet bene uiuere, &
ſemper laudat deum. Tunc deſinis laudare deum,
quãdo à iuſtitia & ab eo quod illi placet declinas.
Nam ſi à uita bona nunquam declines, lingua tua
tacet,uita tua clamat,& aures dei ad cor tuũ. Quo
modo enim aures noſtræ ad uoces noſtras, ſic au-
res dei ad cogitationes noſtras. Nõ poteſt autem
fieri ut habeat mala facta,qui habet cogitatiões bo
nas.Facta ẽm de cogitatione procedunt.Nec quiſ
quam poteſt aliquid facere, aut ad aliquid facien-
dum mẽbra mouere, niſi primo proceſſerit iuſſio
cogitationis. Quomodo de interiori palatio quic
quid iuſſerit imperator,per imperium Romanum
emanat,quicquid uidetis agi per prouincias, quã-
tus motus fit ad unã iuſſionem imperatoris intus
ſedentis: mouet ille ſolum labia cum loquitur, &
mouetur omnis prouincia cum fit quod loquitur:
Sic & in unoquoq; noſtrũ intus eſt imperator, in
corde ſedet: ſi bonus, bona iubet,& bona fiunt:ſi
malus,mala iubet,& mala fiunt. Cũ ibi ſedet Chri-
ſtus, quid poteſt iubere niſi bona? Cum poſſidet
diabolus,q̃d poteſt iubere niſi mala? In tuo aũt ar-
bitrio deus poſuit, cui pares locũ,deo an diabolo.
Cum paraueris, qui poſſidebit ipſe imperabit.Er-
go fratres non tantum ad ſonum attẽdite cum lau
datis deũ,toti laudate.Cantet uox, cantet uita,can
tẽt facta.Et ſi eſt adhuc gemitus, tentatio, tribula-
tio,ſpera tranſitoria omnia, & illum uenturum di-
em in quo ſine defectu laudabimus. Interim do-
nec ueniat ille dies, in quo cõiuncti angelis deum
ſine ulla fatigatione & ſine ullo fine laudare mere
amur,ut ad illud ineffabile gaudium uenire poſſi-
mus, quantum poſſumus bonis operibus ſtudea-
mus inſiſtere: & quotidie conſcientias noſtras in-
tus aſpicientes, ſi aliquid in ſtola animæ noſtræ
aut per negligẽtiam diſſutum,aut per luxuriã ſor-
didatum,aut per iracundiam cõbuſtum, aut per in
uidiam conciſum, aut per auariciam tenebroſum
eſſe cognoſcimus, dum adhuc in poteſtate noſtra
eſt, cũ dei adiutorio feſtinemus uulnerata curare,
reparare perdita,& ad cãdorem iuſtitiæ ea quę ob
ſcurata fuerant reuocare. Ne forte ſi bonis operi-
bus nudi, & uitiorum pannis ſordẽtibus inuoluti,
ante tribunal æterni iudicis uenerimus,illa ad nos
terribilis ſentẽtia dirigatur: diſcedite à me maledi
cti in ignem æternũ,qui paratus eſt diabolo & an-
gelis eius. Et ideo quantum poſſumus fructus iu-
ſtitiæ ſtudeamus afferre, timẽtes illud quod domi

nus dixit. Omnis arbor quæ non facit fructum bo Matt.3
A num excidet̃ & in ignem mittetur. Hæc ſententia
euidenter oſtendit,quia non ſolum malum feciſſe,
ſed etiam bonũ non egiſſe damnabile erit.Et ideo
iſta quæ diximus attentis cordibus iugiter cogite
mus,ne nos tarde pœniteat ſub cõſpectu ignis æ-
terni,qui interrogabit medullas,oſſa & cogitatio-
nes noſtras. Quoniã tunc unuſquiſq; puniẽdus o-
ptabit ne unquam mulierem alienam cõcupiſſet,
ne unquam corporis ſui ueſtem, ne unq̃ baptiſmi
holoſericam maculaſſet,ne unquã præteriſſet con
ſilia & monita ſacerdotum. Nam ſi ſacerdotibus
grãde periculum eſt aliena peccata non arguere,
quanto periculoſius erit propria noluiſſe corrige
re: Atq; ea non ſolum non emẽdaſſe, uerumetiam
B defendiſſe,& defendẽdo cumulaſſe.Et ideo expi-
atura erit illic inextinguibilis concrematio, quic-
quid hic medicabilis ſatisfactio, quicquid hic ſalu
tifera diſſimulauerat ſanare conuerſio.Ardens ẽm
inferni puteus aperietur,deſcẽſus erit,reditus non
erit. Illic fidei ueſte nudati, & capitaliter mortui,
in perpetuũ demergentur,eijciẽdi in tenebras ex-
teriores ubi non uiſitabit æternus: In tenebras ex
tenebris infeliciter excluſi, infelicius includendi.
De hoc puteo prophet? orat atq; cõmemorat.Ne Pſal.68
que abſorbeat me profundum, neq; urgeat ſuper
me puteus os ſuum.Ideo autem dixit, Neq; urgeat
ſuper me puteus os ſuum,quia cum ſine pœniten-
tiæ remedio infelices peccatores exceperit, clau-
detur ſurſum,aperietur deorſum, ac dilatabitur in
C profundum, Nullũ ſpiramen, nullus liber anheli-
tus,clauſtris deſuper angentibus relinquetur.De-
trudẽtur illuc ualedicentes rerum naturę, ultra ne
ſcientur à deo qui deum ſcire noluerunt, morituri
uitæ,& morti ſine fine uicturi.Felices qui nunc be
ne uiuẽtes, facultatibus & corpori ſuo neceſſarijs
cõtenti & de ſuo largi,in ſe caſti, in alios nõ cruen
ti, ab huius putei profundi flammea nocte ſe redi-
munt.Hæc pœna illos manebit qui amiſſo & non
reparato per pœnitentiam baptiſmo, in æternum
peribunt. Ad quos dicitur, Paleas autem combu-
ret igni inextinguibili. Hi uero qui temporalibus
pœnis digna geſſerũt, de quibus Apoſtolus dicit,
Si cuius opus arſerit detrimentũ patietur, ipſe aũt I.Cor.3
ſaluus erit, ſic tamẽ quaſi per ignẽ:per fluuiũ igne
D um,de quo propheticus ſermo cõmemorat, Et flu
uius igneus currebat ante eum:per fluuiũ igneum
& uada feruentibus globis horrenda tranſibunt.
Quanta fuerit peccati materia,tanta & pertranſe-
undi mora. Quãtũ exegerit culpa, tantũ ſibi ex ho
mine uendicabit quędã flãmę rationabilis diſcipli
na.Et quantũ ſtulta iniquitas ſuggeſſerit,tantũ ſa-
piens pœna deſæuiet. Et quia ſermo diuinus quo-
dam loco æneę ollæ animã peccatricem cõparat, Ezech.24
dicens,Pone illã ſuper prunas uacuã,donec cõca-
leſcat æs eius & omne ſtagnum eius defluat: illic
ſermones ocioſi & cogitationes iniquæ uel ſordi-
dæ,uel multitudo leuium peccatorum,que purita
tem nobilis naturæ infecerant exundabunt: illic
ſtagnum uel plumbum diuerſorum ſubrepẽtium
delictorum,quæ diuinã imaginem obſcurauerant
conſumentur:

consumẽtur: quæ omnia hic ab anima separari per eleemosynas & lachrymas cõpendiosa transactione potuissent. Ecce si exigere habet ab homine rationem, qui seipsum pro homine dedit, & cõfixus clauis, legis morti se iunxit. Quæ cum ita sint dilectissimi, intelligamus quia effugere intolerãda supplicia, & incendia æterna non poterunt, nisi qui prius in se ignẽ carnalis concupiscentiæ, ac multimodæ cupiditatis extinxerint. Et ideo fratres charissimi cõuertamus nos ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia. Curramus dum lucem habemus, ne prætereuntia salutis tempora negligamus. Hic extinguamus mortem moriendo peccatis, hic uitam uitæ meritis comparemus.

Ephes. 6 De eo quod Apostolus dicit, Pax fratribus & charitas cum fide magna. Homilia XVII.

A SECVNDVM uasis electionis confessionem atq; doctrinam, quoniã fides misericordiæ dei donum est, lectionibus, cãticis, sermonibus diuinis, & quod est præcipuum gratia sua ædificet dominus cor uestrum, ut quod uerũ auditis nõ audiatis ad iudiciũ sed ad premiũ. Facier hoc, quoniã qui pmisit potẽs est & facere.

Rom. 4 Ita credidit Abraham dans gloriam deo: unde & plenissime credens, quoniam quæ promisit potẽs est & facere, magnum nostrũ gaudium nobis promisit. Abrahæ nos promissionis filij sumus. Quando enim dictũ est Abrahæ, In semine tuo benedicentur omnes gentes, nos promissi sumus. Ergo ipse nos fecit fidei filios Abrahæ, qui potens est facere quod promisit. Nemo dicat, Ego feci. Non enim promisit deus, & facis tu. Potest autem recte dici, quia quæ promittis tu, facit deus. Tu enim infirmus es, tu omnipotens non es. Quando enim promittis nisi faciat deus, inanis est promissio tua. Dei autem promissio non pẽdet ex te sed ex illo. Sed ego, inquis, credidi. Concedo. Verum dicis. Tu credidisti, sed non tibi tu fidẽ dedisti. Vnde autem credidisti, nisi ex fide? Fides in te donum dei est. Audi Apostolum ipsum fidei disputatorẽ, & gratiæ magnum defensorem: audi eum dicentem,

Ephes. 6 Pax fratribus & charitas cum fide magna. Tria dixit, Pax, charitas, fides. A fine cœpit, ad initium terminauit. Initium est enim in fide, finis in pace, quia enim credimus ipsa est fides: Sed fides debet esse

Iacobi 2 Christianorum, non dæmoniorum. Nam sicut dicit Iacobus apostolus, Et dæmones credũt & contremiscunt. Et dæmones dixerunt Christo, Tu es filius dei. Confitebanẽ dæmones, quod non credebant homines. Illi tremuerũt, illi occiderũt. Quid

Mar. 3 enim? Quia dixerũt dæmones. Tu es filius dei, scimus qui sis, ideo regnaturi sunt cum filio dei? Absit. Discernenda est ergo fides dæmonũ à fide sanctorum. Planè discernenda uigilanter & diligenter. Nã & Petrus hoc dixit, domino dicenti, Quẽ

Matt. 16 me esse dicitis? Tu es Christus filius dei uiui. Et dominus, Beatus es Simon Bariona. O domine hoc tibi dixerunt & dæmones: Quare ipsi nõ sunt beati? Quare? Quia dæmones hoc dixerũt timore, Petrus amore, ideo initium est à fide. Sed quali fide?

Galat. 5 Quam definiuit Apostolus, Neq; circũcisio aliq̃d ualet, neq; præputiũ, sed fides. Dic quę fides? Quę

A per dilectionem operatur. Hanc dęmones nõ habent fidem quę per dilectionem operatur, sed soli serui dei, soli sancti dei, soli fide filij Abrahæ, soli filij dilectionis, filij pmissionis: Ideo est & charitas dicta. Tria illa dicta sunt ab Apostolo, Pax fratrib. & charitas cum fide. Vnde pax & charitas? Vnde charitas cum fide? Si em̃ non credas, nõ amas. Dixit ergo Apostolus, sic incipiens à fine, & ueniens ad initium: Pax, charitas, cum fide. Nos dicamus, Fides, charitas, pax. Crede, ama, regna. Si enim credis & non amas adhuc nõ discreuisti fidem tuam ab eis qui tremebant & dicebant, Scimus qui sis filius dei uiui. Ergo tu ama, quia charitas cum fide ipsa te perducit ad pacem. Quam pacem? Veram

B pacem, plenam pacem, solidam pacem, securã pacem. Vbi nulla pestis, nullus hostis. Ipsa pax est finis omnium desideriorũ bonorum. Charitas cum fide, & si sic dicas, bene dicis, fides cum charitate. Magna ergo bona cõmemorauit Apostolus, Pax Ephes. 6 fratribus & charitas cum fide. Magna bona. Sed dicat, unde bona ista, unde sunt, à nobis an à deo? Si dicis à nobis, in te gloriaris non in deo. Si aũt dicisti, q̃ ait & ipse Apostolus, ut qui gloriatur, in 1. Cor. 1 domino glorietur, cõfitere pacem, charitatẽ cum fide, nõ tibi esse nisi à deo. Sed respondes mihi, Tu hoc dicis, proba quod dicis. Probo, ipsum Apostolum testẽ uocabo. Ecce habetis. Apostolus dixit, Pax fratribus & charitas cũ fide. Ipse dixit. Quid ipse dixit? Vnde? Sequitur, Pax fratribus & chari-

C tas cũ fide, à deo patre nostro & domino Iesu Christo. Quid ergo habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Nã si gloriatus est Abraham, ex fide gloriatus est. Quæ est fides plena & perfecta? Quæ credit ex deo esse omnia bona nostra, & ipsam fidẽ. Iterum 1. Tim. 1 dicit Apostolus, Misericordiam consecutus sum. O confessio. Non ait, misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram, sed ut fidelis essem misericordiam consecutus sum. Veniamus ad eius primordia, uideamus Saulum sæuientem, spectemus furentem, spectemus odia anhelantem, sanguinemq̃ sitiẽtem, Spectemus fratres eum, magnum spectaculum. Ecce post Stephani necem, post effusum testis dei lapidibus sanguinẽ, ubi uestimenta seruabat lapidantium ut in eorum etiam manibus lapidaret, tunc dispersi sunt fratres qui erant

D Hierosolymis congregati, & ille sæuiens cui paruum erat uidisse & fudisse sanguinem Stephani, accepit literas à principibus sacerdotũ ut iret Damascum, & quoscunque ibi inueniret Christianos uinctos adduceret. Et ibat. Hæc Pauli uia erat, cuius uia nondum erat Christus, adhuc Sauli, nondum Pauli. Ibat. Quid habebat in corde? Quid nisi malum? Date mihi merita eius. Si merita quæris, damnationis sunt non liberationis. Ibat ergo sæuire in membra Christi, ibat sanguinem fundere, ibat lupus pastor futurus. Sic ibat: Non enim poterat aliter ire ad illa propter quæ ibat. Et cum sic ambulabat, cogitabat, anhelabat cædes, conducit pedes eius ira, mouet membra odium, dum pergit

pergit et ambulat, obtẽperat mancipiũ crudelitati: & ecce uox de cœlo, Saule, Saule, q̃d me perse-

Act. 9 A queris? Ecce quare dixit, Misericordiã cõsecutus sum, ut fidelis essem. Erat infidelis, parũ est, erat in ipsa infidelitate crudelis, sed misericordiã cõsecutus est ut fidelis esset. Quis dicturus est deo dicẽti hoc uolo: Ergo domine ille qui tanta fecit, tanta mala in sanctos tuos facere cupiebat, tali eum misericordia dignum existmas? Hoc uolo. An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum? Habete fidem, sed ut habeatis fidem, orate fide. Sed orare fide nõ potestis, nisi fidem habeatis. Non enim orat nisi fides. Quomodo enim inuocabũt in quẽ non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo aũt audient sine prædicante? Aut quomodo prædicabunt si non mittan-

B tur? Ideo loquimur, quia missi sumus. Audite nos, audite illum per nos. Ergo ait aliquis, Inuocamus deũ, ut det nobis perseuerare in his bonis quę habemus, & addere bona quæ non habemus. Præcessit ergo fides quæ rogat. Certe totũ dat deus. Vt em̃ daret mihi rogaui, ut rogarẽ prius credidi. Ergo mihi dedi q̃d credidi, & deus dedit quod credens oraui. Soluatur quęstio. Nõ enim parua est. Hoc te uideo loqui, quia tu prior dedisti aliquid deo, ut cętera daret tibi. Dedisti quippe illi fidẽ tuam & orationẽ tuam, & ubi est quod ait Apostolus: Quis em̃ cognouit sensum dñi, aut quis cõsilia-

Rom. 11 rius eius fuit? Aut quis prior dedit ei, & retribuet illi? Ecce qualis uis esse? Ergo prior dedisti deo, & hoc dedisti quod tibi nõ dedit deus? Inuenisti unde dares? Homo mẽdice unde habuisti? Ergo un-

C de dares aliq̃d habuisti? Quid em̃ habes quod nõ accepisti? Ergo de dei das deo? Ex eo quod tibi dedit, à te accepit? Nam mendicitas tua, nisi prior dedisset, inanissima remaneret. Audite unde hoc euidentius probetis. Ecce uos qui credidistis & accepistis: Quid dicimus de his qui nondum crediderunt, quales erant? Saulus qui nondũ crediderat aut accepit ut crederet, postea quàm credidit Christo, tunc cœpit inuocare Christum. Ab illo accepit ut crederet, & credendo inuocaret, inuocãdo cętera acciperet. Quid putamus fratres? Saulus antequam crederet, orabant pro illo qui crediderãt an non orabant? Dicatur mihi, si non pro illo orabant, quare dixit Stephanus, Domine ne statuas

D D illis hoc delictum? Orabatur & pro illo, & pro alijs infidelibus ut crederent. Ecce nondum habebant fidem, & orationibus fideliũ accipiebant fidem. Nondum habebãt quod deo offerrent, quia nondum erant misericordiam consecuti ut fideles essent. Deniq; postea quàm Saulus iste conuersus est, una uoce elisus & leuatus est. Elisus psecutor, leuatus prædicator: Postea quàm cœpit euangelizare fidem quam aliquãdo uastabat, quid de se di-

Gal. 1 xit? Eram autẽ ignotus facie ecclesijs Iudęæ quæ sunt in Christo, tantum autem audiebant quia is qui aliquando nos persequebatur, nunc euangelizat fidem quam aliquando uastabat, & in me magnificabant deum. Nũquid dixit, Et in me magnificabant me? & in me qui euagelizabam fidem quam aliquando uastabam, non me magnificaue-

A runt sed deum. Ergo ipse fecit ut Saulus deposita tunica ueteris peccati pãnosa, cędibus sanguinea, ut deposita ista tunica, acciperet tunicã humilitatis, & fieret de Saulo Paulus. Quid est Paulus? Minimus. Ego enim sum minimus apostolorum. Ec- 1. Cor. 15 ce quid est Paulus. Paulũ enim Latine modicum est. Sic loquimur, quando dicimus, Post paulũ uideo te: Paulo post facio illud. Quid est paulo post? Modico post. Post paulum, post modicum. Quid est Paulus? Quia modicus, modicus, quia nouissimus. Ego enim sum, inquit, nouissimus apostolorum, qui non sum dignus uocari Apostolus, quia persecutus sum ecclesiam dei. Bene dicis, unde debuisti damnari, ab eo accepisti unde debeas coronari. A quo accepit, uultis audire? Nolite me, ipsum audite, Non sum, inquit, dignus uocari Apostolus, quia persecutus sum ecclesiam dei: Sed gratia dei sum id quod sum. Ergo quod eras, iniquitate tua eras: quod es, gratia dei es. Et gratia eius, inquit, in me uacua non fuit. Ecce euãgelizat fidem quam aliquando uastabat, nec gratia ipsa uacat in illo qui ait, In me uacua nõ fuit, sed plus omnibus illis laboraui. Obserua, erigere te cœpisti. Vbi es Paule? Certe modicus eras. Plus omnibus illis la- 1. Cor. 4 boraui. Dic unde? Quid enim habes quod non accepisti? Statim respexit. Et cum dixisset, Plus omnibus illis laboraui, quasi expauit ad uerba sua, & mox subiecit se humilem Paulum. Non autem ego sed gratia dei mecum. Ergo fratres mei, ut noueritis, etiam fidẽ à domino deo esse nobis, orate

C pro illis qui nondũ crediderunt. Si quis habet forte amicum infidelem, moneo illum ut oret pro illo. Vere opus est ut ego illum moneam. Maritus Christianus est, uxor infidelis est, non orat pro uxore sua ut credat? Vxor est Christiana, maritus infidelis est, nõ orat mulier religiosa pro marito suo ut credat? Quando hoc orat qui orat, quid orat: nisi ut deus det illi fidem? Ergo donum dei est fides. Nemo se extollat, nemo sibi arroget, quasi sibi aliquid dederit, Qui gloriatur in domino glorietur.

De eo quod in Esaia scriptum est, Frange esuri- Esa. 58 enti panem tuum, & egenos uagosq̃ induc in domum tuam. Homilia XVIII

OMINVS deus noster nolens nostrum D D aliquem perire, excolens ecclesiam suam uelut agrum suum, quærens fructum A de arboribus suis antequam tempus securis adueniat, cum necesse erit infructuosas arbores amputare, non cessat admonere nos, ut cum tempus nobis est, cum dei adiutorio in nostra potestate consistit, bona opera faciamus. Cum em̃ trãsierit tempus bene operandi, nõ restat nisi recipiendi. Nemo tibi dicturus est post resurrectionem mortuorum in regno dei, Frange esuriẽti panem tuum, & egenos uagosq̃ induc in domum tuam, quia non inuenies esurientem nec egentem: Nemo dicturus est, Vesti nudum ubi omnium tunica immortalitas erit: Nemo dicturus est, Suscipe peregrinum, ubi omnes in patria sua uiuent: Nam modo sumus inde peregrini. Nemo dicet, Visita ægrũ, ubi

ubi est sanitas sempiterna. Nemo dicet, Sepeli
mortuũ, ubi mors morietur. Ista omnia pietatis offi-
A cia in uita æterna necessaria non erunt, ubi sola
pax erit, & lætitia sempiterna. In isto autem tem-
pore, ut nouerimus, quantum nobis commendat
deus opera misericordiæ, etiam ipsos suos sanctos
egere fecit: ut cum fiunt hic amici de mammona
iniquitatis, recipiant & ipsi amicos suos in æterna
tabernacula: id est, ut cum serui dei pij, dum iugi-
ter deo uacant, aliquotiens indigent, illi qui habẽt
mundi diuitias, eleemosynas largiantur. Quomo-
do eos participes faciunt in terrena substantia, sic
cum illis partem habere merebuntur in uita æter-
3. Reg. 17 na. Hoc dixit propter lectionem Regnorum quã
primo audiuimus, Nunquid deus defecerat pasce
re seruum suum Heliam? Nónne illi quia deerant
B homines, alites ministrabant? Nónne illi panem
offerebat coruus mane, & ad uesperã carnes? O-
stendit ergo deus, quia unde uoluerit, quomodo
uoluerit pascere suos seruos potest: Et tamen ut
posset eum religiosa uidua pascere, fecit eum ege-
re. Egestas animæ sanctæ in abundãtiam uersa est
animę religiosæ. Non poterat Helias de misericor
dia dei dare sibi, quod lagunculæ dedit? Videtis
nempe & manifestũ est, quod aliquando serui dei
ideo non habent, ut probentur qui habent. Et ta-
men illa uidua nihil habebat, quod illi reliquũ erat
finito, fuerat & cum suis filijs moritura. Processit
ergo ut faceret sibi panem: Collegerat duo ligna,
& tunc eam uidit Helias. Tunc eam homo dei ui-
debat, quãdo illa duo ligna quærebat. Mulier illa
C typum gerebat ecclesię, & quia duo ligna crucem
faciunt, quærebat moritura, unde semper esset ui-
ctura. Adũbrato ergo mysterio, Helias loquitur
ad eam quod audiuit, narrat illa dispositionẽ suã,
morituram se dicit cum consummauerit quod re-
mansit. Ibi est ergo quod dominus dixerat Helię,
Vade in Sarepta Sidoniæ, ibi enim mãdaui uiduę
ut pascat te. Videtis quemadmodum mãdet deus
non in aure, sed in corde. Nunquid legimus quia
missus est aliquis propheta ad illam mulierem, &
dictum est ei, Hæc dicit dominus, uenturus est ad
te esuriens seruus meus, ex eo qd habes ministra
illi, inopiam noli metuere, ego supplebo quod de
deris? Hoc ei dictum non legimus. Nec hoc legi-
mus quòd in somnis ad eam missus fuerit ange-
D lus, & prænunciauerit Heliam esurientem, aut de
illo pascẽdo aliquis mulierem illam admonuerit.
Sed mandat deus miris modis, qui in cogitationi-
bus loquitur. Dicimus mandasse deum loquendo
in corde, suggerendo quod opus erat, persuaden-
do quod utile erat rationali animæ uiduæ mulie-
ris. Sic etiã in prophetis legimus quòd dominus
mandauerit uermi ut roderet radicem cucurbitæ.
Quid est mandauit, nisi cor præparauit? Inspira-
tione itaq; domini, uidua illa mulier cor præpara-
tum habebat ad obediendum. Talis uenerat, talis
cum Helia loquebatur. Qui erat in Helia ut præci
peret, ipse erat in uidua ut obediret. Vade, inquit,
mihi prius fac de egestate tua, non deficient diui-
tiæ tuæ. Patrimonium enim uiduæ, modicum erat
farinæ, & modicum olei. Hoc modicum non dese
A cit. Quis habet talem uiduam? Libenter uidua ser
uum dei audientem pascebat, quia patrimoniũ e-
ius in conclaui pendebat. Quid felicius hac pau-
pertate? Si hic talia recipit, qualia in fine sperabit?
Ideo hoc dixi ut seminationis nostræ mercedem,
non isto tempore quo seminamus speremus. Hic
enim bonorum operum messem cum labore seri-
mus, sed in futuro fructus illius cum gaudio colli-
gemus, secundũ illud quod scriptum est, Euntes Psal. 125
ibant & flebant, mittẽtes semina sua. Veniẽtes au
tem uenient cũ exultatione, portantes manipulos
suos. Illud enim pro signo factum est, non pro do-
no. Nam si uidua illa quòd pauit hominẽ dei hic
recepit, non est magnũ quod seminauit, quia non
B magnam segetẽ messuit. Temporale est em quod
accepit, non deficiẽtem farinam, nec diminutum
oleum, quousq; deus daret pluuiã super terram,
ac si tunc magis cœpit egere, quãdo dignatus est
deus pluere. Tunc enim laboratura erat, expecta-
tura agri fructus & collectura. Quãdo autem non
pluebat, uictus eius facile ueniebat. Signum hoc
ipsum quod deus illi ad paucos dies prestiterat, si-
gnum erat futuræ uitæ, ubi merces nostra defice
re nesciet, ubi farina nostra deus erit. Quomodo il
la per illos non deficit dies, sic ille dies nõ deficiet
in æternum. Talem mercedem speremus quando
bona facimus, ne forte aliquis uestrum tenteturta
li cogitatione ut dicat, Pascam aliquem seruorum
dei esurientem, ut lagena mea nõ deficiat, & in cu
C pa mea semper uinum inueniã. Noli hoc hic quæ
rere, Semina securus, messis tua serius ueniet, tar-
dius ueniet, sed cum uenerit finem non habebit.

De exhortatione ad eleemosynas faciendas.

Homilia XIX

LECTIO ista fratres quam modo audiui-
L mus de sancto euãgelio, ad eleemosynas A
faciendas nos hortatur, & sic hortatur, ut
in iudicio suo dominus has solas factas imputet
dextris, has solas non factas imputet sinistris: non
quo cætera facta hominũ uel bona uel mala non
ueniant in iudicium, scriptum est enim omnia uen
tura ad iudicium: & tamẽ non elegit dominus no-
ster Iesus Christus pronuncians nobis iudicium
suum futurum, non elegit unde nos admoneret
D nisi solas eleemosynas. Nunquid dextris non erit
dicendum, quia caste uixistis, quia res alienas non
rapuistis, quia fidem meam usque ad sanguinem
cõfessi estis? Omnia enim facta ista bona necesse
est honorari in iudicio Iesu Christi. Rursus puta-
tis non esse dicendum sinistris, quia fuistis impu-
dici, quia fornicati estis, quia res alienas rapuistis,
quia superbia uestra & malis moribus nomen me
um blasphemari fecistis, & cætera quæq; enume-
rat: tacet tamẽ dominus noster, prænuntiãs nobis
iudicium suũ, omnia cætera recta facta iustorum,
& solas eleemosynas cõmemorare dignatus est.
Tacuit omnia mala facta iniquorum, & solam ste
rilitatem eleemosynæ increpãdam esse iudicauit,
non nisi ad nos commonẽdos. Quare hoc? Quia
omnia crimina eleemosynis redimuntur. Ideo illã
laudauit

laudauit fœcunditatem, istam culpauit & damna-
uit aridítatem. Sed audistis, omnia malefacta elee- A
mosynis redimi, nolite sic intelligere, ut intelligũt
quidam peruerse. Eleemosynæ enim possunt tibi
prodesse ad delẽda peccata præterita, si mores mu
taueris. Si autem in eisdem malis perseueraueris,
eleemosynis tuis non corrumpes iudicium dei. E-
go dico propter illa scelera & crimina quę omnes
modo uitare debent qui accipiunt corpus Christi
& sanguinem. Cæterum non me latet uitam istam
mortalem & in carne corruptibili constitutam si-
ne peccatis esse non posse: sed illa quotidiana & le
uia habent etiam sua lauacra quotidiana, hoc est,
quòd pectus tũdimus & dicimus in oratione do-
mino deo nostro, Dimitte nobis debita nostra, si-
cut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non e-
nim sine causa dicimus hoc. Haud uero ipse cœle- B
stis magister doceret istã orationem nisi nos pec-
catores esse præuideret. Vidit em quæ cauere de-
bemus, & uidit quę cauere difficile sit. Omnia aũt
cauere impossibile iudicauit esse, qui istã oratio-
nem quotidianam non quoslibet Christianos, sed
ipsos arietes Apostolos docuit. Vbi aũt Apostoli
pectus tundunt & dicũt, Dimitte nobis debita no
stra, hoc est, peccata nostra, audet aliqua ouicula
superbire de iustitia? Videte qualis fuerit Ioannes
Apostolus, supra pectus domini discumbebat, de
alto illo fonte sapientię secreta bibebat. Inde enim
bibit quod in Euangelio eructauit, In principio e-
rat uerbum, & uerbum erat apud deũ, & deus erat
uerbum. Et assidue testatur Euangeliũ, quod do-
minus præcipue ipsum diligebat. Et tamen ait, Si
1 Ioan. 1 dixerimus quia peccatum nõ habemus, nosipsos
decipimus, & ueritas in nobis non est. Nec tamen
quia ista dicũtur, debet quisquam securus esse ho-
micida, si propter quotidianas fornicationes & la
trocinia sua uenerit dicere, Dimitte nobis debita
nostra. Quod enim deus statuit quotidie dici pro-
pter leuia peccata, ille putat ad illa grauia sibi pos-
se opitulari à quibus non uult discedere, sed in his
cupit perpetuo permanere. Tundat & de his pe-
ctus, faciat & pro his eleemosynas, sed uita muta-
ta, & inde recedat & huc accedat. Si autem dixerit
in animo suo, si quotidiana faciam latrocinia, & si
quotidianis corruptionibus adulterinis me conta
minem, & si sortilegos quæram, idolis sacrificem,
mathematicos consulam, & à tali uita omnino nõ
recedam, faciens tamẽ quotidianas eleemosynas
extinguo omnia peccata: tamen extinguis, sed cũ
his extingueris. Sic enim tibi erit ista commutatio
tua mala, ut non desit qui de te dicat, Et adhuc pu-
sillum & non erit peccator, & quæres locum eius
& non inuenies. Vidi impium sicut cedros Liba-
ni exaltari, transiui, & ecce non erat, quæsiui eum,
& non est inuentus locus eius. Pereunt ergo pec-
cata tua, sed tecum. Non enim in gehenna pecca-
re permitteris, aut cum te cœperit torquere ignis
ęternus, de satiandis libidinibus cogitabis. Pereũt
ergo peccata, sed tecum. Si aũt uitam mutaueris, il
Luce 15 la pereũt, tu inuenieris, & dicetur de te, Mortuus
erat & reuixit, perierat & inuentus est.

De eo quod beatus Petrus dicit, Deposita er-
go omni malicia & omni dolo & adulatiõe & in-
uidia & detractione, tanquam modo nati infantes
rationabile & innocens lac concupiscite, &c.

Homilia XX

OMNIVM quidem aures & mẽtes quos
O cura nostra complectitur, soliciti pasto
ris sermo cõpellat. Veruntamen ad uos
proprie nunc dirigitur, quorum recens infantia
spiritalis generationis sacramentorum cunabulis
insignitur. Vobis enim maxime per apostolũ Pe-
trum sic diuinum blanditur eloquiũ. Deposita er-
go, inquit, omni malicia & omni dolo & adulatio
ne & inuidia & detractione, tanquam modo nati
infantes rationabile & innocens lac cõcupiscite,
ut in illo crescatis in salutẽ, si gustatis quia dulcis
B est dominus. Proinde quia gustatis, nos testes su-
mus. Nos uobis hanc suauitatem nutricis officio
ministramus. Agite itaq; ad sanctæ instar admoni-
ti infantię, deponite maliciam, dolum, adulationẽ
& inuidiam & detractionem, hanc innocentiã sic
tenere debetis, ut eã crescendo nõ amittatis. Quid
est malicia, nisi nocendi amor? Quid est dolus, nisi
aliud agere & aliud simulare? Quid est adulatio,
nisi fallaci laude seductio? Quid est inuidia, nisi o-
diũ felicitatis alienę? Quid est detractio, nisi mor-
dacior quàm ueracior reprehensio? Malicia malo
delectatur alieno. Inuidentia bono cruciatur alie-
no. Dolus duplicat cor. Adulatio duplicat linguã.
Detractio uulnerat famã. Huius autem uestræ in-
C nocentia sanctitatis, quoniam filia est charitatis,
non gaudet super iniquitate, cõgaudet autem bo-
nitati. Simplex ut columba, & sic astuta ut serpẽs,
non studio nocendi, sed nocentem cauendi. Ad
hanc uos exhortor. Talium est enim regnum cœ-
lorum, humilium scilicet, hoc est spiritaliter par-
uulorum. Non contemnatis, non abhorreatis. Ma
gnorum est enim ista pusillitas, superbia uero fal-
lax infirmorum est magnitudo, quæ ubi mentem
possederit, erigendo deijcit, inflando euacuat, di-
stendendo dissipat. Humilis esse non potest no-
cens, superbus esse non potest innocens. Humili-
tatem illam loquor, quæ non uult perituris rebus
excellere, sed æternum aliquid ueraciter cogitat,
quo non suis uiribus, sed alienis ad uitam perue-
niat. Hæc malum cuiusquã uelle non potest, quo
D nequaquam bonũ eius augetur. Porrò autem su-
perbia continuo parit inuidiam. Quis uero sit in-
uidus, qui nõ ei malum uelit, cuius bono cruciat?
Ergo et inuidia parit cõsequenter maliciam, unde
procedit & dolus & adulatio & detractio, & omne
opus malũ quod pati nolis ab alio. Pia itaq; humi-
litate seruata, quæ in scripturis sanctis, sancta pro-
batur infantia, securi eritis de immortalitate bea-
torum. Talium est enim regnum cœlorum. Porrò
qui superbus in homines non est, multo maximè
aduersus deum contumax esse non debet: quoniã
si non est alicui faciendum quod quisq; ab alio pa
ti non uult, & nullus hominum uult inobediẽtem
pati eum qui suo iuri subditus fuerit: quanto ma-
gis cauendũ est ne in deum quisquã talis existat,
qualem

qualem in ſe exiſtere hominem non uult. Fallunt proinde animas ſuas qui ſufficere exiſtimant ſi q̃d A ſibi fieri nolunt, nulli hominum faciant, ſeſeq́ uita luxurioſa ita corrumpunt, ut deo facere conentur quod fieri ab homine nolunt. Neq; enim uolunt à quoquam peruerti domum ſuam, qui in ſeipſis domum dei miſerabili cæcitate peruertunt, ſurdi aduerſus Apoſtolum clamantem, Neſcitis quia templum dei eſtis, & ſpiritus dei habitat in uobis? Si quis autem templum dei corrumpit, corrumpet illum deus. Templũ enim dei ſanctũ eſt, quod eſtis uos. Nemo ſe fallat. Quid ergo ſe putãt ſeruare circa alios homines innocentiam ſuam, cum ſibi ita noceant ut deo careant habitatore & puniãtur ultore? Hinc etiam fit ut per noxias uoluptates lapſi & effuſi, non ſolum templa dei eſſe deſinant, uerumetiam ruinæ fiant, in quibus habitãt mala dæmonia, B quibus ſupplicare & quę colere incipiant, Fiantq́ illis, ut dictũ eſt, poſteriora deteriora prioribus. Vnde uos ſemine immortali regeneratos, ſicut ſuperius propter malicioſas nocendi cupiditates, quibus fit hominibus quod oderũt: ita poſtea propter turpes & illicitas carnis delectationes & nefaria ſacrilegia quibus homines nocere hominibus non uidentur, non eis faciendo quod nolunt, ſed deo non obediendo cui cuncta ſunt ſubdita, ipſi dominorum domino faciunt, quod ſibi à ſeruulis ſuis fieri nolunt: idem ipſe Apoſtolus Petrus loquitur dicens, Chriſto ergo paſſo per carnem & uos eadẽ cogitatione armamini. Qui iam mortuus eſt carne, deſinat peccare, ut iam non hominum deſiderijs, ſed uoluntate dei reliquum in C carne uiuat. Sufficit enim præteritum tempus uoluntates gentium conſummaſſe in libidinibus & uoluptatib. & comeſſationibus, potatione & nefandis idolorũ ſeruitutibus. Sufficit enim præteritum tempus luteis operibus peccatorũ, tanquam Ægyptiorũ dominationi ſeruiuiſſe. Iam mare rubrum baptiſma ſcilicet Chriſti ſanguine cõſecratum uos traiecit, Ægyptios interemit, nihil de peccatis præteritis tãquam de inſequentibus à tergo hoſtibus formidetis. De cætero cogitate uitæ huius eremũ permeare, & ad terram promiſſionis ſupernam Hieruſalem, terram uiuentiũ peruenire: ne uerbi dei contemptu tanquam mãnæ faſtidio, corda ueſtra uelut ora interiora deſipiãt, ne cibos cõcupiſcentes Ægyptios de alimentis cœleſtibus D murmuretis: ne fornicemini ſicut quidam illorum fornicati ſunt: & ne tentetis Chriſtum ſicut quidã illorum tentauerunt. Si uobis fidem gentilium ſitientibus amaritudo aliqua reſiſtentium uelut aquarum illarum quas Iſrael non potuit bibere occurrerit, imitata domini patiẽtia uelut iniecto crucis ligno dulceſcant. Si tentatio ſerpẽtina momorderit, conſpecta illius exaltatione ſerpentis, tanq; mortis in carne domini uictę atq; triumphatæ eodem crucis medicamento ſanetur. Si aduerſarius Amalechita iter includere atq; impedire conabitur, pro reuerendiſſima extenſione brachiorũ eiuſdem crucis indicio ſuperetur. Veri & germani eſtote Chriſtiani: nolite imitari nomine Chriſtianos, opere uanos. Iterũ dico & ſępe dictũ eſt: Sufficit pręteritum tempus uoluptates gentiũ conſummaſſe. Deteſtamini, auerſamini canes cõuerſos ad uomitum ſuũ, deteſtamini & auerſamini mundatam & uacantẽ domum, quo nequiores alij ſeptẽ ſpiritus adduntur, ut ſint nouiſſima hominis peiora q̃ erant prima: uos ueſtrum mundatorem tenete habitatorem. Præcipientes enim rogamus, ne in uacuum gratiã dei recipiatis. Sufficit enim pręteritum tempus uoluntates gẽtium cõſummaſſe. Audite & apoſtolũ Paulum, Humanũ dico propter infirmitatem carnis ueſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra ueſtra deſeruire immũdiciæ & iniquitati ad iniuſtitiam, ſic nunc exhibete membra deſeruire iuſticiæ in ſanctificationem.

1.Cor.3 · 1.Petri 4 · Rom.6

De caſtigatione filiorũ quos cognoſcimus ire in uanitatẽ & inſanias mẽdaces. Homilia XXI

Ex Aug. tu ratione in pſal mo 50

QVOTIESCVNQVE fratres chariſſimi aliquos ex filijs ueſtris ad ſpectacula uel furioſa uel cruenta uel turpia, quaſi ad aliquod bonum opus currere uana perſuaſione & peſtifero amore cognoſcitis, uos qui iam deo propitio iſta non ſolũ luxurioſa, ſed etiã crudelia oblectamẽta deſpicitis, caſtigare eos & abũdantius ꝓ eis domino ſupplicare debetis, quia illos agnoſcitis ire in uanitatem & inſanias mendaces, & negligere quo uocati ſunt. Qui ſi forte in ipſo circo aliqua ex cauſa expaueſcant continuo ſe ſignant, & ſtant illic portantes in fronte, unde abſcederent ſi hoc in corde portarent. Omnis eñ qui ad aliquod malum opus currit, ſi forte pedem impegerit, ſignat os ſuum, & neſcit quod includit potius dæmonem quàm excludit. Tũc enim bene ſe ſignaret & diabolum de corde ſuo repelleret, ſi ſe ab illo opere nefario reuocaret. Vnde iterum atq; iterum rogo uos fratres chariſſimi, ut pro eis totis uiribus ſupplicetis, quatenus ad iſta damnãda intellectum accipere mereãtur, & affectum ad fugienda & miſericordiam ad agnoſcendum. Opportunum erit propter aſſiduam cõpunctionem pœnitentiæ, Pſalmũ quinquageſimum nobis omni die cantare. Loquamur tamen & ad illos quos frequẽter ab eccleſiæ cõuentu ſpectacula uoluptuoſa ſubducunt. Rogo uos tamen fratres chariſſimi, ut quotieſcunq; eos tale aliquid facere uideritis, ad uicem noſtrã ſeueriſſime caſtigetis. Sit ad eos uox noſtra, memoria ueſtra: corrigite arguendo, conſolamini alloquendo, exemplum præbete uiuendo. Aderit eis qui affuit uobis. Non enim uobis iſta pericula prætergreſſis fons miſericordiæ dei præciſus eſt. Quà ueniſtis, uenient: quà tranſiſtis, tranſibunt. Moleſtum eſt quidem & nimium periculoſum, & pro certo exitiabile, quod à nobis frequenter admoniti, non ignorãtes, ſed ſcientes peccãt. Aliter enim ille ad has uanitates currit qui uoces Chriſti contemnit, aliter ille qui non nouit quod fugiat. Sed nec de talibus deſperari debere, euidẽter oſtẽdit diuinæ miſericordię magnitudo, quæ nõ uult mortẽ moriẽtis, ſed ut conuertatur & uiuat. Deniq; etiã in beato Dauid hoc manifeſtiſſime impletũ eſſe cognoſcimus: cuius peccatum

cum dolore quidẽ dicimus & tremore, ſed tamen deus noluit taceri quod uoluit ſcribi. Dicam ergo A non quod uolo, ſed quod cogor. Dicam non exhortans ad imitationem, ſed inſtruẽs ad timorem. Beatus enim Dauid uxoris alienæ pulchritudine captus, rex & ꝓpheta Dauid, ex cuius ſemine ſecũdum carnem dominus uenturus erat, adulterauit eam, cuius etiã maritum in bello occidendum mandauit. Homicidium auxit adulterio, & poſt factum hoc miſſus eſt ad eũ Nathan propheta à domino qui eum argueret de tãto cõmiſſo. Quid caueant homines diximus: quod uero ſi lapſi fuerint imitentur audiamus. Multi enim cadere uolũt cũ Dauid, & nolunt ſurgere cum Dauid. Non ergo cadẽdi exemplum propoſitum eſt, ſed ſi cecideris reſurgendi. Attende ne cadas. Non ſit delectatio minorum, lapſus maiorum: ſed ſit caſus maiorum, B tremor minorum. Ad hoc propoſitum eſt, ad hoc ſcriptum eſt, ad hoc in eccleſia ſæpe cantatum. Audiant qui non ceciderunt ne cadant: audiant qui ceciderunt ut ſurgant. Tanti uiri peccatum nõ tacetur, prædicatur in eccleſia. Audiunt me male audientes, & quęrũt ſibi patrocinia peccandi. Attendunt unde defendant quod cõmittere parauerũt, non unde caueant quod non cõmiſerunt, & dicũt ſibi, Si autem Dauid adulterium cõmiſit, cur non & ego? Inde anima iniquior, quæ cum propterea fecerit quia Dauid fecit, ideo peius quàm Dauid fecit. Dicam hoc ipſum planius ſi potero, Dauid nullum ſibi ita ad exemplum propoſuerat ut tu, ceciderat lapſu cupiditatis, non patrocinio ſanctitatis. Tu tibi tanquam ſanctum proponis ut pecces, C non imitaris eius ſanctitatem, ſed ruinam. Hoc amas in Dauid, quod in ſe odit Dauid. Præparas te ad peccandum, diſponis peccare. Librum dei ut pecces inſpicis: ſcripturas dei ad hoc audis ut facias quod diſplicet deo. Hoc nõ fecit Dauid, correptus eſt per prophetam, nõ lapſus eſt in propheta. Sed boni uiri eccleſiæ filij, & in Chriſti amore perfecti audientes tam ſancti uiri ruinam metuũt infirmitatem ſuam: & quæ condemnat deus deuitare cupientes, abſtinent oculos, non eos defigũt in pulchritudine carnis alienæ, nec ſeipſos faciunt de peruerſa ſimplicitate ſecuros. Non dicunt bono animo attẽdi, benigne attẽdi, de charitate diu aſpexi. Proponunt enim ſibi caſum Dauid, & ad D hoc illum magnum uident cecidiſſe ut parui non cadant, imo timeant uidere unde poſſint cadere. Reprimunt ergo oculos à petulantia, non ſe facile adiungunt, non ſe miſcent mulieribus alienis, nõ leuant oculos facile ad aliena domicilia, ad aliena ſolaria. De lõge enim uidit Dauid illam in qua captus eſt. Mulier longe, libido prope. Attendenda eſt ergo hæc infirmitas carnis, recordãda ſunt uerba Apoſtoli, Non, inquit, regnet peccatum in ueſtro mortali corpore. Non dixit non ſit, ſed nõ regnet. Ineſt peccatum cum delectaris, regnat ſi cõſenſeris. Carnalis delectatio præſertim uſq; ad illicita & aliena progrediens, frenanda eſt non relaxanda, imperio domanda, non in imperio collocanda. Attẽdis ſecurus, ſi nõ habes unde mouearis. Sed tu reſpõdes, fortiter teneo. Nũquid tu fortior Dauid? Dixi enim ꝙ nec Dauid fortior, nec Salomone potes eſſe ſapiẽtior. Si enim illos tã ſanctos uiros incauta familiaritas mulierũ, & pernicioſa blandimenta uicerunt, quid de ſe cogitãt illi qui cũ extraneis mulieribus non ſolũ conuerſari, ſed etiam in una domo manere, & cõuiuio earum aut frequenter aut ſemper intereſſe nec metuunt, nec erubeſcũt? De talibus & poteſt & debet dici illud q̃d de uidua delicioſa dixit Apoſtolus, Quia uiuens mortua eſt. Admonet etiã tale exemplum, nõ ſe quenquam debere extollere in proſperis rebus. Multi enim res aduerſas timẽt, res proſperas non timent. Periculoſior eſt res proſpera animo, quàm aduerſa corpori. Prius corrumpunt proſpera, ut inueniãt quod frangãt aduerſa. Fratres mei aduerſus felicitates acrius uigilandum. Propterea uidete quẽadmodum eloquium dei in noſtra felicitate tollat nobis ſecuritatẽ. Seruite, inquit, domino in timore, & exultate ei cum tremore. Exultatio ut gratias agamus, tremor ne cadamus. Adulterium enim ſimul & homicidiũ non fecit Dauid cũ perſecutorem Saulem pateretur. Quando Dauid ſanctus Saulem inimicũ patiebatur, quando illius perſecutionibus agitabatur, quando per diuerſa fugiebat ne in manus eius incideret, non cupiuit alienam, non adulterata uxore occidit uirum: erat in infirmitate tribulationis ſuæ tãto in domini miſericordia intẽtior, quanto miſerior uidebatur. At ubi factus eſt ſecurus, deuictis hoſtibus, preſſuris caruit, tumor excreuit. Valeat ergo hoc exemplũ ad id, ut timeamus felicitatem, Tribulationem, inquit, & dolorem inueni, & nomẽ domini inuocaui. Audiant hæc qui hoc malum non cõmiſerunt, ut uigilent cuſtodire integritatem ſuam. Et cum attẽdunt magnum cecidiſſe, parui timeant. Si uero aliquis iam lapſus hæc audit, & nimio ſceleris põdere preſſus deſperare iam cœpit, attẽdat quidem uulneris magnitudinẽ, ſed non deſperet medici poteſtatem. Peccatum cum deſperatione certa mors. Nemo ergo dicat, Ego ſi iam aliquid mali feci, iam damnandus ſum, deus malis talibus nõ ignoſcit, cur nõ addo peccata peccatis? Fruar ſeculo in uoluptate laſciua, in cupiditate nefaria: iã perdita ſpe reparationis, uel hoc habeam quod uideo, ſi non poſſum habere quod credo. Deus enim noſter ſicut cautos fecit qui non ceciderunt, ſic deſperatos eſſe non uult qui ceciderunt. Quiſquis peccaſti, & dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo deſperando ſalutem tuam, audi Dauid agentem. Ad te Nathan propheta nõ eſt miſſus, ipſe Dauid ad te miſſus eſt. Audi eum clamantem, & ſimul clama. Audi gementem & congemiſce. Audi flentem, & collachrymare. Audi correctum, & collætare. Si tibi nõ potuit intercludi peccatum, ſpes ueniæ non intercludatur. Miſſus eſt enim ad Dauid regem Nathan propheta. Ille autẽ nõ cõſiderauit regni ſui ſublimitatem, ſed humilis & mitis non reſpuit uerba præcipientis. Non dixit ad prophetam, Tu cum ſis pauper & humilis, quomodo auſus es mihi loqui regi? Rex ſublimis prophetam

Rom.6 · 1.Tim.6 · Pſal.2 · Pſal.114

propheta audiuit,plebeius humilis Christum au-
diat.Audi ergo hæc quicunq; aliquod crimen ca-
Psal.50 pitale fecisti,& dic cum illo,Miserere mei deus se-
cundum magnam misericordiam tuam. Qui ma-
gnam misericordiam deprecatur, magnã miseriã
confitetur.Quærant paruam misericordiam tuã,
qui nesciendo peccauerunt.Miserere, inquit, mei
deus secũdũ magnam misericordiam tuam. Sub-
ueni graui uulneri secundum magnam miseri cor-
diam tuã.Graue est quod habeo, sed ad omnipo-
tentem cõfugio.De meo tam letali uulnere despe
rarem,nisi tantum medicum reperirem. Miserere
mei deus secundum magnam misericordiã tuam.
Et secundum multitudinem miserationum tuarũ,
dele iniquitatem meam. Quòd ait, dele iniquita-
tem meam,hoc est, Miserere mei.Et quod ait, Se-
cundum multitudinem miserationum tuarũ, hoc
est,secũdum magnam misericordiam tuam. Et de
magna misericordia tua,multæ sunt miserationes
tuæ.Attendis contemptores ut corrigas, attendis
nescientes ut doceas,attendis cõfitentes ut igno-
scas.Fecit quidam hoc nesciens.Et quid ait? Fece
1.Tim.1 rat aliqua, & multa mala fecerat. Misericordiam,
inquit,consecutus sum, quia ignorans feci in in-
credulitate. Hoc Dauid non posset dicere, Igno-
rans feci. Non enim ignorabat quantum mali es-
set cõtrectatio coniugis alienæ,aut quantum ma-
li esset interfectio mariti nescientis, & nec saltem
irascentis.Consequentur ergo dei misericordiam
qui ignorantes fecerunt,& qui scientes cõsequun
tur non quamlibet misericordiam, sed magnam
misericordiam.Dic ergo,Miserere mei deus secũ-
dum magnam misericordiam tuã. Sed uide quem
inuoces:iustum inuocas,odit peccata. Si iustus est
uindicat in peccata.Non poteris auferre à domi-
no deo iustitiam eius.Implora misericordiam, sed
attẽde iustitiam.Misericordia est,ut ignoscat pec-
canti:iustitia est, ut puniat peccatum.Quid ergo?
Quæris misericordiam,Peccatum impunitum re-
manebit? Respondeat Dauid, respondeant lapsi.
Respondeant cum Dauid, & misericordiam me-
reantur sicut Dauid & dicant, Non domine, non
erit impunitum peccatum meum.Noui iustitiam,
cuius quæro misericordiam. Non impunitum e-
rit,sed ideo nolo ut tu me punias, quia ego pecca-
tum punio.Ideo peto ut tu ignoscas, quia ego ag-
nosco, & delictum meum coram me est semper.
Non posui post dorsum quod feci, non intueor a-
lios oblitus mei, non affecto stipulam eijcere de
oculo fratris mei,cũ sit trabes in oculo meo.Pecca
tum meũ ante me est,non post me. Fuit enim post
me quando ad me missus est propheta qui de oue
pauperis similitudinem proposuit. Ait enim Na-
than propheta ad Dauid, Erat quidam diues ha-
bens plurimas oues, pauper autem uicinus eius
habebat unam ouiculam, quã in sinu de cibo suo
nutriebat. Venit hospes diuiti, nihil de suo grege
abstulit,ouiculam uicini pauperis concupiuit, ip-
sam suo hospiti occidit.Quo dignus est? Profert il
le iratus sententiam plane. Tunc rex nesciens ubi
captus, morte dignum diuitem dixit, & ouẽ red-
dendam in quadruplũ.Seuerissime atq; iustissime
A iudicauit,sed peccatũ eius nõdũ erat corã eo:post
dorsum erat quod fecerat, suã iniquitatẽ nondum
agnoscebat,& ideo alienæ nõ ignoscebat.Sed ꝓ-
pheta ad hoc missus abstulit à dorso peccatum, &
ante oculos posuit, ut uideret illã sententiam tam
seuerã in se esse prolatã. Ad secandum & sanandũ Hucusq; ex enarratione in psal.50
uulnus cordis eius, ferramẽtũ facit deus de lingua
eius.Et nos ergo fratres charissimi agnoscẽtes ini
quitates nostras, quantum possumus cõtra malas
cõcupiscẽtias repugnemus in ieiunijs, in uigilijs,
in orationibus,& languoribus,eleemosynis mala
quæ fecimus redimamus, & cum dei adiutorio ita
bonis operibus studeamus insistere, ut nos ad pec
cata pristina nõ possint concupiscentiæ nostræ re-
trahere,sed perseuerantes in omni opere bono,cũ
B propheta dño gratias referentes dicamus, Diru- Psal.115
pisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

De eo quod dominus ait in Euãgelio, Sicut pa- Ioan.5 ter suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Homilia XXII

AVDISTIS fratres charissimi in lectione
A euangelica dominum dicentẽ, Sicut e-
nim pater suscitat mortuos & uiuificat,
sic & filius quos uult uiuificat. Neq; enim pater iu
dicat quẽquam, sed iudicium omne dedit filio.Et
maiora his demõstrabit ei opera,id est, non solum
infirmos curare,sed & mortuos resuscitare.Quòd
dicit,Neq; pater iudicat quenquam, uel secũdum
diuinitatem,quia nemo potest eum intueri nec au
dire,ut illud,Deum nemo uidit unquam.Sed iudi
C cium omne dedit filio,id est,ut ille qui fuit iudica-
tus secundum carnem, ab illo omnes iudicentur.
Amen amen dico uobis, quia qui uerbum meum
audit & credit ei qui misit me, habet uitam æter-
nam,& in iudicium non uenit, sed transit à morte
in uitam. Quod dicit, In iudicium non uenit qui
uerbum meum audit & credit ei qui misit me, dis-
cretionem factam esse inter iustos & peccatores à
domino cernitur: ac si dicat, In numero peccato-
rum qui ista fecerit non ueniet,sed transit de mor-
te ad uitã:hoc est, de superbia ad humilitatem, de
odio ad charitatẽ, de temporalibus ad æterna mi-
grabit.Amen amen dico uobis,quia uenit hora et
nunc est,quãdo mortui audient uocem filij dei, &
D qui audierint uiuẽt.Mortui, id est, peccatores in-
telliguntur, qui audierunt Christum & non credi
derunt.Et quod subdit: Viuent qui audient, ideo
recapitulatur, eo quod paulo superius de resurre-
ctione peccatorũ dixerat,hic aũt de resurrectione
mortuorũ loquitur.Sicut enim pater habet uitam
in semetipso,sic dedit et filio uitã habere in semet-
ipso,& potestatẽ dedit ei iudicium facere, quia fi-
lius hominis est. Sic dedit ergo pater filio uitã gi-
gnendo sicut ipse habet.Quod dicit, Dedit ei iu-
diciũ facere, pro parte carnis quam assumpsit de-
disse patrẽ filio iudiciũ dici cognoscimus.Et futu-
rum iudicium hic significat. In quo iudicio astabit
dominus Iesus Christus,& reddet unicuiq; secun-
dum opera eius,quia iudiciũ hoc loco,damnatio-
nem & pœnam peccatorũ intelligimus. Nam ubi
dicit

dicit psalmista,Iudica me deus & discerne causam
meam,iudicium discretionis cognoscimus. Noli-
A te mirari hoc, quia ueniet hora in qua omnes qui
in monumentis sunt audiẽt uocem eius:& proce-
dent qui bona egerũt in resurrectionem uitæ:qui
uero mala egerũt,in resurrectionem iudicij. Non
possum ergo ego à memetipso facere quicquã, si-
cut audio iudico, & iudiciũ meum iustũ est, quia
non quæro gloriã meam,sed uoluntatem eius qui
misit me.Hoc loco apertissime resurrectionem fu
turã pronuntiat.Et quod dixit, Non possum ego
à memetipso facere quicquam,ac si diceret, ideo à
meipso quicq; facere nõ possum,quia à memetip-
so non ueni,sed à patre.Quod dicit,Sicut audio iu
dico &c.auditio ista in æternitate facta esse signifi
catur.Omne quod dat mihi pater ad me ueniet,&
B eum qui uenit ad me non eijciam foras. Magnum
penetrale & dulce secretum,sine tædio, sine ama-
ritudine malarũ cogitationum,sine interpellatio-
ne tẽtationum & dolorum.Nónne illud secretum
est quò intrabit ille cui dicturus est dominus,Ser-
ue bone, merito intra in gaudiũ domini tui? Ego
& eum qui uenit ad me,inquit, non eijciam foras.
Et qui ad me uenit humilis fit, qui mihi adhæret
humilis erit:quia non faciet uoluntatem suam,sed
dei,& ideo non eijcietur foras.Hæc est autem uo-
luntas eius qui misit me patris, ut omne quod de-
dit mihi pater non perdam ex eo, sed resuscitem il
lud in nouissimo die. Ipse illi datus est qui seruat
humilitatem,& hoc accipit:qui non seruat humi-
C litatem,longe est à magistro humilitatis. Vt omne
quod dedit mihi non perdam ex eo. Hæc non est
uoluntas in conspectu patris mei, ut pereat unus
de pusillis istis. De timentibus possunt perire, de
pusillis nihil periet,q̃a nisi fueritis de pusillis istis,
non intrabitis in regnum cœlorum. Omne quod
dat mihi pater non perdã ex eo, sed resuscitabo il-
lud in nouissimo die. Videte quemadmodũ & hic
geminam illam resurrectionem definiat. Qui ue-
nit ad me, modo resurget humilis factus in mem-
bris meis,sed resuscitabo eum in nouissimo die,id
est,secundum carnem.Hæc est enim uoluntas pa
tris mei qui misit me, ut omnis qui uidet filium &
credit in eum,habeat uitam æternã, & ego resusci
tabo eum in nouissimo die.Superius dixit,Qui au
D dit uerbum meum & credit ei qui misit me:modo
aũt, qui uidet filium & credit in patrem. Hoc est
enim credere in filium quod & in patrem:quia si-
cut pater habet uitam in semetipso, sic dedit & fi-
lio habere uitam in semetipso: ut omnis qui uidet
& credit in ipsum habeat uitam æternam:creden-
do & transeundo in uitam tanquam prima illa re-
surrectione.Et quia non est sola, & resuscitabo eũ
in nouissimo die.

De remissione peccatorum. Homilia XXIII

A QVOD admonemur domini eloquijs de
diuinis lectionibus, hinc credentes deũ
uelle nos loqui, proferimus charitati ue
stræ,illo adiuuante, sermonẽ de remissione pecca
torum.Euãgelium enim cum legeretur attentissi-
me audistis,& res gesta narrata atq; uersata est an-
te oculos cordis uestri. Vidistis enim non carne,
A sed mente dominum Iesum Christũ in domo pha- Lucæ 7
risæi recũbentem,& ab illo inuitatum non fastidi-
entem. Vidistis etiam in ciuitate mulierem famo-
sam,malæ utiq; famæ,quæ erat peccatrix,nõ inui-
tatam irruisse conuiuio, ubi suus medicus recum-
bebat,& quæsisse pia impudentia sanitatẽ.Irruens
quasi importuna cõuiuio, opportuna beneficio.
Nouerat enim quãto morbo laboraret, & illũ ad
sanandũ esse idoneum ad quem uenerat, sciebat.
Accessit ergo non ad caput domini,sed ad pedes.
Et quæ diu male ambulauerat,uestigia recta quæ-
rebat.Prius fudit lachrymas sanguinẽ cordis, & la
uit domini pedes obsequio confessionis. Capillis
suis tersit,osculabatur,unxit,tacita loquebatur,non
B sermonem promebat, sed deuotionem ostende-
bat.Quia ergo tetigit dominũ rigando, osculan-
do,tergendo,ungendo pedes eius: pharisæus qui
inuitauerat dominũ Iesum Christum, quia ex illo
genere erat hominum superborum,de quibus E- Esa.52
saias propheta dicit,Qui dicũt recede longe à me,
noli me tangere, quoniam mundus sum: putauit
dominũ nescisse mulierem.Hoc apud se cogitans,
dicebat in corde suo, Hic si esset propheta, sciret
quæ mulier illi accessit ad pedes,Ideo nescire cre-
didit,quia ille non repulit, quia accedentem non
prohibuit, quia tangi se à peccatrice permisit.Nã
illum nescisse unde sciebat? Quid enim sciebas ò
pharisæe inuitator & irrisor domini, dominũ pa-
scis, & à quo pascendus sis non intelligis? Vnde
C scis dominum nescisse quæ fuerit illa mulier, nisi
quia permissa est accedere, nisi quia illo patiente
osculata est pedes eius,nisi quia tersit, nisi quia un
xit? Hęc enim non debuit permitti facere in pedi-
bus mundis,mulier immunda? Ad illius ergo pha
risæi pedes si talis mulier accessisset, dicturus erat
quod Esaias de talibus dicit:Recede à me,noli me Esa.52
tangere, quoniã mundus sum. Accessit autem ad
dominũ immunda, ut rediret munda. Accessit æ-
gra,ut rediret sana.Accessit confessa, ut rediret ꝓ-
fessa.Audiuit enim dominus pharisæum cogitan-
tem.Iam hinc intelligat pharisæus, si non poterat
uidere peccantem,qui potuit audire cogitantem.
Proposuit ergo homini similitudinẽ de duobus,
D qui debebant uni fœneratori.Etiã ipsum enim sa-
nare cupiebat, ne gratis apud eum panem come-
deret:ipsum pascentẽ esuriebat,ipsum emendare,
ipsum mactare,ipsum manducare, ipsum in suum
corpus traijcere uolebat:sicut & illi mulieri Sama
ritanæ dixit,Sitio.Quid est sitio? Desidero fidem
tuam.Dicũtur ergo uerba domini in hac similitu-
dine,& agitur utrunq;, ut & inuitator ille sanetur
cum suis cõdiscumbentibus dominum nostrũ Ie-
sum Christum pariter uidentibus,pariter ignoran
tibus:& ut illa mulier habeat fiduciã confessionis
suæ,nec pungatur ulterius aculeis cõscientiæ suæ.
Debebat unus,inquit,quinquaginta denarios, a-
lius quingentos.Donauit ambobus.Quis eũ plus
dilexit? Respondit cui similitudo proposita erat,
quod respõdere utiq; ratio cõpellebat.Credo do-
mine cui plus donauit.Et attendens mulierẽ dixit

ad Simonem: Vides hanc mulierẽ? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc lachrymis suis lauit mihi pedes, & capillis suis tersit. Osculũ mihi nõ dedisti, illa ex quo ingressa est nõ cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meũ non unxisti, illa pedes meos unxit unguẽto. Ideo dico, dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui aũt modicum dimittit̃, modicum diligit. Oritur quæstio profecto soluenda, quæ attentionem uestrę charitatis desiderat, ne forte sufficere non possimus uerbis ad totam eius obscuritatem remouendam, & dilucidandam pro angustia temporis, maxime cum caro ista ęstibus fatigata iam recreari desideret, & debitum suũ poscens, & animę auiditatem impediẽs, ostendat quod dictum est, Spiritus promptus est, caro autem infirma. Metuẽdum est & ualde metuendũ, ne his uerbis domini non bene intelligentibus his qui cõcupiscentias suas carnales faciunt, & ab eis in libertatem educi pigrescunt, subrepat illa sententia, quæ prædicantibus etiam Apostolis nata est in linguis maledicorum: unde dicit Apostolus, & sicut quidam dicunt nos dicere, Faciamus mala ut ueniant bona. Dicit enim aliquis, Si cui modicum dimittitur, modicũ diligit: cui autem plus dimittitur, plus diligit: expedit plus diligere quàm minus diligere, oportet ut multũ peccemus, & multum debeamus quod nobis dimitti cupiamus, ut dimissorem magnorum debitorum amplius diligamus. Peccatrix enim illa mulier, quanto plus debebat, tanto dimissorem debitorum suorum amplius diligebat domino ipso dicente: Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Quare autem dilexit multum, nisi quia debebat multa? Deniq; addidit & adiunxit, Cui autem modicum dimittitur, modicum diligit, Nónne expedit, inquit, ut multũ mihi dimittatur quàm minus: unde amplius diligam dominum meum? Videtis certe profunditatem quæstionis: scio. Videtis angustias tẽporis, & hoc uidetis & sentitis. Accipite ergo pauca. Si magnitudini quæstionis non satisfecero, interim præsentem recõdite sermonem, in futuro tenete debitorem. Da nunc duos homines, ut sub exemplis euidentioribus quod proposui cogitetis. Vnus eorũ plenus est peccatis, diu pessime uixit: alter autem eorum peccauit pauca. Accedunt ergo ambo ad gratiam, baptizãtur ambo: intrant debitores, exeunt liberi: plus donatum est uni, minus alteri. Interrogo quantum quisq; diligat. Si inuenero plus diligere eum cui peccata plura dimissa sunt, ut illius qui multa peccauit, utilior erat multa iniquitas, ne esset tepida charitas. Interrogo alium quantum diligat, inuenio minus: nam si inuenio tantũ & illũ & illum diligere quantum & ille diligit cui multa sunt dimissa, quomodo respondebo uerbis domini, quomodo non uerum erit quod ueritas dixit, Cui modicum dimittitur, modicum diligit? Sed ecce ait aliquis mihi: Modicum dimissum est, non multa peccaui, & tantum diligo quãtum iste cui multa dimissa sunt. Tu uerum dicis an Christus? Ad hoc tibi dimissum est mendacium tuum, ut mendacij dimissori crimen imponas? Si modicum tibi dimissum est, modicũ diligis. Si enim modicum est tibi dimissum & plurimũ diligis, contradicis ei qui dixit, Cui modicum dimittitur, modicum diligit. Illi uero plus credo, qui te plus nouit. Parum tibi dimissum putas, prorsus parum diligis. Quid ergo, inquit, facere debui? Multa mala cõmittere, & multa esse quæ posset ille mihi dimittere, ut amplius possem diligere? Angustat nos: sed quia hæc uera dominus proposuit, ab angustijs liberet me. Dictũ est hoc propter pharisæũ illũ, qui uel nulla uel pauca se putabat habere peccata. Non enim dominũ inuitaret nisi aliquantulum diligeret. Sed q̃ parum erat? Non osculum dedit, non saltem aquã ad pedes, & si non lachrymas: nõ illo obsequio prosecutus est, quo illa mulier quæ nouerat quod sanaretur, & à quo sanaretur. O pharisæe ideo parum diligis, quia parũ tibi dimitti suspicaris. Non quia parum dimittitur, sed quia parum putas esse quod dimittitur. Quid ergo inquit ille? Ego quia homicidiũ non feci, homicida deputandus sum? Qui adulteriũ non admisi, pro adulterio puniendus sum? Aut ista mihi dimittenda sunt quæ non cõmisi? Ecce iterũ constitue duos, & loquamur ad eos. Venit unus supplex peccator, coopertus spinis tanq; hericius, & nimis timidus tãquam lepus. Sed petra est refugium hericijs & leporibus. Venit ergo ad petrã, inuenit refugiũ, accepit auxilium. Alius non multa cõmisit, quid eis faciemus ut multũ diligat? Quid persuadebimus? Contra uerba domini ueniemus, Cui modicũ dimittitur, modicum diligit? Ita planè cui modicum dimittitur. Sed ó tu qui dicis non multa te cõmisisse. Quare? Quo regẽte? Deo gratias, quod motu & uoce uestra intellexisse uos significastis. Iã ut uideo soluta est quęstio. Hic multa cõmisit, & multorum debitor factus est. Ille gubernante deo pauca cõmisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic & iste deputat quod non cõmisit. Adulter non fuisti in illa tua uita præterita plena ignorantia, nõdum illuminatus, nondũ bonum malumq; discernens, nõdum credens in illum qui te nescientẽ regebat. Hoc tibi dicit deus tuus: Regebã te mihi, seruabã te mihi, ut adulterium non cõmitteres: suasor defuit, & ut suasor deesset ego feci, Locus & tempus defuit, & ut hæc deessent ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tẽpus, ut non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiã eius, cui debes, & quod nõ admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum uidisti, mihi debes & tu q̃d nõ admisisti. Nullũ est em̃ peccatũ quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo. Iam nũc quantũ potuimus quæstionẽ profundã in tantilla tẽporis breuitate soluimus: aut si non soluimus, debitores ut dixi, tenemur. Illud potius breuiter uideamus de remissione peccatorũ. Homo putabatur Christus & ab illo qui inuitauit, & ab eis qui pariter discũbebãt. Nescio quid illa peccatrix plus in dño uiderat. Nã quare fecit illa omia, nisi ut sibi dimitterent̃ peccata? nouerat ergo illũ posse dimittere peccata

Matt.26

Rom.3

Psal.103

Isa.52

Psal.25

illi aũt nouerãt hominẽ nõ posse peccata dimittere. Et credendũ est q̃ omnes, id est, & illi discũbentes, & illa mulier accedens ad pedes domini, omnes hi nouerant hominẽ non posse peccata dimittere. Cũ ergo omnes hoc nossent, illa quę credidit eum posse peccata dimittere, plus q̃ hominẽ esse intellexit. Deniq; cum dixisset mulieri. Dimittuntur tibi peccata tua, cõtinuo ille, Quis est iste qui peccata dimittit? Quis est iste quẽ iam mulier peccatrix cognouit? Tu recũbens quasi sanus, medicum ignoras, quia maiori forsitan febre mentẽ etiam perdidisti. Nam & phreneticus ridens ploraẽ à sanis. Tamen illud bene nostis, bene tenetis. Tenete, quia homo nõ potest peccata dimittere. Illa quæ sibi à Christo peccata dimitti credidit, Christum non hominẽ tantũ, sed & deũ credidit. Quis est iste, inquiunt, qui etiã peccata dimittit? Et dñs, quis est iste dicentibus, non dixit, filius dei, uerbũ dei: nõ hoc dixit, sed in eo quod putabant aliquãtum eos manere permittens, soluit quæstionẽ, & motus illorum. Qui enim uidebat discumbentes, audiebat cogitantes: conuersus ad mulierem, Fides tua, inquit, te saluam fecit. Isti qui dicunt, Quis est iste qui etiã peccata dimittit, qui me putãt hominem, hominẽ putent. Fides tua te saluam fecit. Medicus bonus ægros nõ solum præsentes sanabat, sed & futuros etiã præuidebat. Futuri erãt homines qui dicerent, Ego peccata dimitto, ego iustifico, ego sanctifico, ego sano quemcunq; baptizo. Ex ipso & isti numero sunt qui dicũt, Noli me tangere. Vsqueadeo ex ipso numero sunt, ut nuper in collatione nostra, quod etiã in gestis ipsis loqui poterimus, cũ eis à cognitore esset cõsessus oblatus ut sederent nobiscũ, respondendũ putarent: scriptũ est nobis, cum talibus nõ sedere, scilicet ne per contactum subsellioru ad eos uelut nostra cõtagio peruenirẽt. Vide si nõ est, Noli me tangere, quia mũdus sum. Alio autem die ubi opportunius erat, commemorauimus eos huius miserrimæ uanitatis, cum ageretur de ecclesia, quia mali in ea non contaminant bonos: respondimus eis, quia ideo sedere nobiscum noluerunt, & dixerũt, se scriptura dei fuisse cõmonitos, quia uidelicet scriptũ est, Non sedi in cõcilio uanitatis. Diximus si ideo nobiscum sedere noluistis, quia scripum est, Non sedi in concilio uanitatis: quare nobiscum ingressi estis, cum cõsequenter scriptũ sit, Et cum iniqua gerentibus non introibo. Ergo in hoc quòd dicunt, Noli me tangere, quia mundus sum, similes sunt illi pharisæo qui dominũ inuitauerat, & propterea eum putabat nescisse mulierem, quia non eam prohibuerat à contactu pedum suorum. Sed in eo pharisæus melior, quia cum putaret hominem Christum, non credebat ab homine posse dimitti peccata. Melior ergo Iudæis quàm hereticis apparuit intellectus. Iudæi dixerunt, Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Audet sibi homo hoc usurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico. Respondeat illi, nõ ego, sed Christus. O homo, quando ego à Iudæis putatus sum homo, dimissionem peccatorum fidei dedi. Non ego sed respondet tibi Christus, O hæretice, tu cum sis homo, dicis ueni mulier, ego te saluam facio. Ego cum putarer homo dixi, Vade mulier, fides tua saluam te fecit. Respondẽt nescientes, sicut ait Apostolus, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmãt, Respondent & dicunt, Si non dimittunt homines peccata, falsum est quod ait Christus, Quæ solueritis in terra, soluta erũt & in cœlo. Nescis quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit. Daturus erat dominus hominibus spiritum sanctũ, & ab ipso spiritusancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum uolebat intelligi dimitti peccata. Nam quid es homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse medicus, mecum quere medicum. Nam ut hoc euidenter ostẽderet dominus, à spiritusancto quẽ donauit fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens à mortuis, Accipite spiritum sanctũ, & continuo subiecit, Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, hoc est, spiritus dimittit, non uos. Spiritus autem deus est. Deus ergo dimittit non uos, Sed audi spiritum. Quid estis uos? Nescitis, quia tẽplum dei estis, & spiritus dei habitat in uobis? Et iterum, Nescitis, quia corpora uestra tẽplum est spiritussancti, quem habetis à deo? Deus ergo habitat in templo suo, hoc est in sanctis suis fidelibus, in Ecclesia sua per eos dimittit peccata, quia uiua templa sunt. Sed qui dimittit per hominem potest dimittere & pręter hominem. Neq; enim minus est idoneus per se dare, qui potest per alium dare. Per Ioannem quibusdam dedit, ipsi Ioanni per quem dedit? Merito uolens Deus hoc ostendere, & huic ueritati attestari, cum quidam in Samaria Euangelizati essent, & baptizati essent, & baptizati à Philippo euãgelista uno de septem diaconis primitus electis, non acceperunt spiritum sanctum, & baptizati erant. Nuntiatum est discipulis qui erant Hierosolymis, & uenerunt ad Samariam, ut illi qui baptizati erant, per impositionem manus eorum acciperent spiritum sanctum. Et ita factum est. Venerunt & imposuerunt eis manus, acceperunt spiritum sanctum. Quia tunc sic dabatur spiritus sanctus, ut etiam appareret datus. Qui enim eum accipiebant, linguis omnium gentium loquebantur, ut significarẽt ecclesiam in gentibus linguis omnium locuturam. Acceperunt ergo spiritum sanctũ, & in eis euidenter apparuit. Quod cũ uidisset Simon, putãs hoc esse hominum, uoluit esse & suum. Quod hominum putauit, ab hominibus emere uoluit. Quantam, inquit, à me uultis pecuniam sumere, ut per impositionem manuũ mearum detur spiritussanctus? Tunc eum detestatus Petrus ait, Non est tibi pars neq; sors in hac fide. Donum dei putas pecunia comparandum? Pecunia tua tecum sit in perditionem, & cætera quæ ibi congruenter locutus est, Quare autẽ hoc ego cõmemorare uolui, intendat charitas uestra. Oportebat ut deus prius ostenderet se per homines operari: sed deinde ne putarent homines, quod putauit Simon, hominis illud esse nõ dei, quanquã & ipsi discipuli hoc nouerãt.

Matt.18

Ioan.20

1 Cor.3

Act.8

Nam centum uiginti homines collecti erant, quãdo in eos per nullius manus impositionem uenit spiritus sanctus. Quis enim tunc eis manus imposuerat? Et tamen uenit & prius impleuit: post illud scãdalum Simonis, quid egit deus? Videte doctorem, non sermonibus sed rebus. Idem ipse Philippus qui baptizauerat homines, & nõ in eos uenerat spiritus sanctus nisi cum uenissent Apostoli, & eis manus imposuissent, baptizauit eunuchum, id est, spadonem quendam Candacis reginæ qui adorauerat in Hierusalẽ, & rediens inde legebat in curru suo Esaiam prophetam, & non intelligebat. Admonitus Philippus accessit ad currum, ex posuit lectionem, instruxit fidem, euangelizauit Christum. Credidit eunuchus in Christũ, & ait cũ uenissent ad quãdam aquam, Ecce aqua, quis me prohibet baptizari? Ait illi Philippus, Si credis in Iesum Christũ? Respondit ille, Credo filium dei esse Iesum. Continuo descẽdit cum illo in aquam. Impleto baptismatis mysterio eo sacramẽto ne hominum putaretur donum spiritus sancti, non expectatum est sicut tunc ut uenirent apostoli, sed cõtinuo uenit spiritus sanctus. Soluta est Simonis cogitatio, ne in tali cogitatiõe haberet imitatores. Deinde aliud mirabilius ex emplum. Petrus uenit ad centurionem Cornelium, ad hominẽ incircumcisum gentilem, cœpit ei prædicare Christũ Iesum, & illi & eis qui cum illo erant. Adhuc loquẽte Petro, non dico, nondum imponente manũ, sed nondum etiam baptizante, cum dubitarent qui erant cum Petro, utrũ incircũcisi baptizãdi essent, (Natum quippe erat inter eos qui crediderant, & eos qui fideles ex gẽtibus facti erant, scandalũ) Iudæi Christiani, id est, ex Iudæis Christiani, quia baptizabantur incircumcisi: ut hanc deus tolleret quæstionem, cum loquiẽ Petrus, uenit spiritus sanctus impleuit Cornelium, impleuit eos qui cũ illo erãt. Et ipsa attestatione rei magnæ, quasi acclamatum est ad Petrum, Quid de aqua dubitas? Iam ego hic sum. Secura ergo quælibet anima à multa nequitia per domini gratiam se liberandam, tanquã immunda prostitutione mundanda in ecclesiam credat, accedat ad pedes domini, quærat uestigia domini, confiteatur lachrymas fundens, tergat capillis suis. Pedes domini, prædicatores euangelij. Capilli mulieris, superfluæ possessiones. Tergat capillis, tergat prorsus, operetur misericordiam, & cum terserit osculetur, accipiat pacem ut habeat charitatem. Accessit ad talem, baptizata est à tali qualis erat Apostolus Paulus, audiat ab illo, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Baptizata est aũt ab aliquo sua quærente, non quæ Iesu Christi, audiat à dño, quæ dicunt facite, quæ aũt faciũt, facere nolite. Secura sit & in illo, siue in bonum euangelistam incurrat, siue in eum qui quod dicit nõ facit. A domino enim secura audiet, Vade mulier, fides tua te saluam fecit.

Act.8
Act.10
1 Cor.4
Mat.23
Luc.7

De anniuersario episcopalis ordinationis, quid in eo attendendum ac recolendum sit.

Homilia XXIIII

IE quidem omni & omni hora & cura omnino continua dilectissimi cogitare debet episcopus quantæ dispensationis sarcinam gerat, qualem de illa rationem domino reddat suo. Veruntamen cum dies anniuersarius nostræ ordinationis exoritur, tunc maxime honor huius officij tanquam primo imponatur, attenditur. Interest autem quòd eo die quo id prius suscepimus, tantum quemadmodum gerendũ esset cogitauimus: at uero consequentibus diebus, præcipueq; illo, quo eius solennitas agitur, non solum futura eius, quemadmodum deinceps geri debeant, cauta præuisione cõsulimus, uerum etiam præterita quemadmodum gesta sint solicita recordatione recolimus: ut nosmetipsos in benefactis imitemur, & si qua culpanda transierunt, ne repetantur curemus, ut ignoscanẽ oremus: & accusationem diaboli ubi possimus recte agendi sedulitate fugiamus: ubi aũt nõ possumus, eõfitendi pietate uincamus. Sicut emẽ futura peccata negligendo iustitiã cõmittuntur, ita præteritã iniustitiã defendendo firmantur. Sicut ergo ne fiant prospicit charitas, ita facta delet humilitas, ut quę iam non possunt recte agendo non admitti, possint saltem non superbiendo dimitti. Didicimus quippe dicere patri nostro qui est in cœlis, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quod ut uera citer dicere possimus, etiam inimicos nostros oportet ut diligamus, quos tamen habere nisi cogente iustitia nõ debemus, Nãsi homines nobis pro nostris malis meritis inimici sunt, non curandum est ut eis debita dimittamus, sed timendum potius ne reddamus. Quoniam si nos merito nostræ iniquitatis oderunt, nos eorum non ipsi nostri sunt debitores. Die ergo isto solenni episcopatus mei prius paucis alloquar debitores meos, qui mihi nescientes apud deum suffragantur dum faciunt debita quæ dimittã, ut & mea mihi debita dimitti promerear. Vobis itaq; dico siue præsentibus siue absentibus, quibus inimicus efficior uerum prædicans, quibus consulendo uideor onerosus, quorũ requirens utilitatem cogor offendere uoluntatem. Nolite fieri sicut equus & mulus, non habentes intellectum. Nam & hęc iumenta eos calce morsuq; appetũt à quibus curantur, ut curentur eorum uulnera contrectãtur. Nõ parcis, non parco: aduersaris, aduersor: resistis, resisto. Lucta nos cõparat, sed causa separat. Tu inimicus es medico, ego morbo. Tu diligentiæ meæ, ego pestilẽtiæ tuæ. Retribuebãt, inquit, mihi mala pro bonis, ego aũt orabam. Quid orabat, nisi, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Cum uobis, inquit, detraxerint, & dixerint omne malũ aduersum uos propter iustitiam, gaudete & exultate, quia merces uestra multa est in cœlis. Vos tamen corrigite peruersitatẽ uestrã, agnoscite charitatẽ nostrã, reddite dilectionẽ dilectiõi, nolumus maiorẽ cum uestra perditione mercedẽ. Hęc debitoribus meis quibus dimitto ut dimittatur mihi, nunc pauca sufficerẽt. Deinde alloquẽdi sunt paululum etiam illi quibus debitor sum, non sicut ait Apostolus

Mat.5

Apostolus, Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Nam talis debitor etiam ego pro mearũ uiriũ exiguitate, dispensationisq; portiuncula, nõ quibusdam sed omnibus sum. Verum nunc de his debitis loquor, quę mihi dimitti, non à me exigi cupio. Neq; enim sic tumore uanæ mentis extollor, ut audeam dicere ex quo huius muneris sarcinas porto, nullum à me hominẽ perperam læsum: hoc cuilibet homini tam multis & molestis actibus occupato atq; distento, ne dicam impossibile, certe difficile est: quanto magis mihi qui noui infirmitatem meam, quam cum meis & pro me uestris orationibus diebus ac noctibus offero sanãdam dño deo meo. Diuersarum ergo curarum estibus ac difficultatibus cõturbatus, si quẽ forte nõ ut poscebat audiui, si quem tristius quàm opus orat aspexi, si in quem uerbum durius quàm oportebat emisi, si quem corde contribulatum & opis indigum responsione incongrua cõturbaui, si quem pauperem mihi in aliud intento importunius insistentem uel prætermisi uel distuli uel etiã nutu aspero contristaui, si cui de me falsi aliquid tanquam homini de homine suspicanti, iusto acerbius indignatus sum, si quis in sua conscientia nõ agnouit quod de illo humanitus suspicatus sum, uos quibus pro his atque huiusmodi offensis esse me fateor debitorem, simul me uestrum credite debitorem. Nam pullos quos fouet sępe in angustijs, sed nõ toto pedis põdere calcat et mater, nec ideo desinit esse mater. Dimittite, ut dimittatur uobis. Dimittite amanti uos debita difficultatis, qui nec cõtra inimicos debita crudelitatis tenere debetis. Ad summam omnes obsecro, commendate domino curam pro uobis meam. Hanc enim iuste expeto pro me uestram, ut quicquid mearum est in preterito offensionum propitius ignoscat, non seuerus agnoscat. Quod mihi deinceps temporis sub hac sarcina erit, iter agentem regat, & suis oculis placentem uobisq; utilem faciat, ut nõ horrorem ac pœnam meam, sed gaudium & coronam meã, uos eius conspectus inueniat.

De eadem re, qua statim supra. Hom. XXV

ODIERNVS dies iste fratres charissimi, admonet me attẽtius cogitare sarcinã meam. De cuius pondere etiam si mihi die noctuq; cogitandum sit, nescio quo tamen modo anniuersarius iste dies impingat eã sensibus meis, ut ab ea cogitãda omnino dissimulare nõ possim. Et quãto anni accedũt, imò decedũt, nosq; appinq; ores faciũt diei ultimo, utiq; quãdoq; sine dubitatione uẽturo, tãto mihi est acrior cogitatio, & stimulus plenior, qualẽ dño deo nostro rationẽ possim reddere pro uobis. Hoc emẽ interest inter unũquẽq; uestrũ, & nos, q; uos penè de uobis solis reddituri estis rationẽ, nos aũt & de nobis & de omnibus uobis, ideo maior est sarcina, sed bene portata maiorẽ gloriam cõparat, Infideliter autẽ gesta ad immanissimam pręcipitat pœnã. Quid ergo mihi hodie maxime faciendũ, nisi ut cõmendem uobis periculũ meũ, ut sitis gaudiũ meum? Periculũ aũt meũ est, si attendam quõ laudatis, & dissimulem quomodo uiuatis. Ille emẽ nouit sub cuius oculis loquor, imò sub cuius oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, q; stimulari & angi quõ uiuãt qui me laudãt. Laudari aũt à male uiuentibus nolo, abhorreo, detestor, dolori mihi est, nõ uoluptati. Laudari aũt à bene uiuẽtibus si dicã nolo, mẽtior. Si dicam uolo, timeo ne sim inanitatis appetentior q; soliditatis. Ergo quid dicam? Nec plene uolo, nec plene nolo. Non plene uolo, ne in laude humana pericliter. Nõ plene nolo, ne ingrati sint quibus prædico. Sarcina aũt mea quã modo audistis, cũ Ezechiel propheta legereẽ, Parum est enim quia dies ipse admonet nos eandem sarcinã cogitare, Iusup etiã talis lectio recitaẽ, quæ nobis incutiat magnũ timorẽ, ut quid portemus cogitemus, quia nisi nobiscũ qui imposuit portet, deficimus. Ecce audistis. Terra, inquit, super quã induxero gladiũ, & posuerit sibi exploratorẽ, qui uideat gladiũ superuenientẽ, & dicat & denũciet: ueniente aũt gladio taceat ille explorator, & supeueniens gladius super peccatorẽ occidat: peccator quidem pro sua iniqtate morieẽ, sanguinẽ aũt eius de manu exploratoris inquirã. Si aũt uiderit gladium superuenientẽ, & tuba eccinerit & nũciaueris, & ille cui annũciat nõ obseruauerit, ille quidẽ in sua iniquitate morieẽ, explorator aũt animam suam liberauit. Et tui filij hominis exploratorem posui te filijs Israel. Exposuit quid dixerit gladiũ. Exposuit quid dixerit exploratorẽ. Exposuit quam dixerit mortẽ. Non nos permisit in obscuritate lectionis excusare negligentiã nostrã. Posui te ergo, inquit, exploratorẽ. Si dixero peccatori, morte morieris, & tu tacueris, & ille in peccato suo mortuus fuerit, ille quidẽ in peccato suo morietur digne & iuste, sanguinẽ aũt eius de manu tua requirã. Si autẽ tu dixeris peccatori, morte morieris, & ille se non obseruauerit, ille in iniquitate sua morieẽ, tu uero animã tuã liberasti. Releuate ergo fratres, reuelate sarcinam meã, & portate mecũ. Bene uiuite, Natalis domini imminet, pascendos cõpauperes nostros habemus, & cum eis cõmunicanda est humanitas. Vobis autem fercula mea uerba ista sunt, pascere omnes pane tractabili & uisibili non sufficio. Inde pasco, unde pascor. Minister sum, paterfamiliâs non sum. Inde uobis appono, unde & ego uiuo. De thesauro dominico, de epulis illius patrisfamiliâs, qui propter nos pauper factus est, cum diues esset, ut eius paupertate nos ditaremur. Si panem uobis ponerem fracto pane, singula frusta ablaturi essetis, etsi ego multum ponerem, perparum ad singulos peruenirẽt. Modo autẽ quod dico, & omnes totum habent, & singuli quiq; totum habent. Nunquid emẽ uerbi mei inter uos syllabas diuisistis? Nũquid ipsius producti sermonis singula uerba abstulistis? Vnusquisq; uestrũ totũ audiuit, sed uideat quomodo audiuit, quia erogator sum non exactor. Si non erogem, & pecuniam seruem, terret me euãgeliũ. Possim enim dicere, Quid mihi est tędio esse, hominibus dicere iniqs, inique agere nolite, sic agite, sic agere desistite? quid mihi est oneri esse hominibus? Accepi quõ uiuam

Ezech.33

uiuam, quõ iussus sum quomodo præceptus sum. Assignem quõ accepi, de alijs me reddere rationẽ quò mihi? Euãgeliũ me terret. Nã ad istã securitatẽ ociosissimã nemo me uinceret. Nihil est melius, nihil dulcius, q̃ diuinũ scrutari nullo strepẽte thesaurũ. Dulce est, bonũ est, Prædicare, arguere, corripere, ædificare, pro unoquoq; satagere magnũ onus, magnũ põdus, magnus labor. Quis nõ refugiat istũ laborẽ? Sed terret euãgeliũ. Processit qui
Mat.25 dam seruus, & ait dño suo, Sciebã te hominẽ molestum, metere ubi nõ seminasti, seruaui pecuniã tuam, nolui eã erogare, tolle quod tuũ est, Si aliquid minus est indica: si integrũ est, noli mihi molestus esse. Ait autẽ ille, Serue nequã, ex ore tuo te condemnabo. Quare hoc? Quia auarũ dixisti me, lucra mea quare neglexisti? Sed timui dare ne perde B rem, hoc dicis. Plerunq; em̃ dicitur, quid corripis? Perit ad illũ quod dicis, nõ te audit. Et ego, inquit ille, nolui dare, ne perderẽ pecuniã tuã. Ego ueniens cum usuris exigerẽ, Erogatorem, inquit, posueram te, nõ exactorẽ. Tu exerceres erogationem, mihi relinqueres exactionem. Hoc timens ergo unusquisq; præuideat quõ accipiat. Si ergo ego erogans timeo, qui accepit securus esse debet? Qui malus fuit heri, bonus sit hodie. Hæc est ergo erogatio mea. Qui malus fuit heri, bonus sit hodie. Malus fuit heri, & non est mortuus. Si mortuus esset & malus esset, inde nõ redisset. Malus fuit heri, uiuit hodie, prosit illi quod uiuit, non male uiuat. Quare ergo diei hesterno hodiernum uult addere malũ? Lõgam uitã uis habere, bonã non uis. C Quis longũ ferat malũ uel prãdiũ? Vsqueadeo cæcitas mentis occuluit, usqueadeo surdus est homo interior, ut omnia bona uelit habere præter seipsum? Vis habere uillam? Nego te habere uelle malam uillam. Vxorem uis habere? Non uis nisi bonam, domũ non nisi bonã. Quid curram per singula? Caligã non uis habere malã, & uis habere uitã malam. Quid si plus tibi noceat mala caliga, quàm uita mala? Cum tibi caliga mala & constricta nocuerit, sedens discalcias te, abijcis, aut corrigis, aut mutas, ne digitũ lædas: & calcias te mala uita, qua animam perdas? Sed planè hoc uideo unde fallaris. Caliga nocẽs dolorẽ facit, uita nocẽs uoluptatem, illud nocet, illud libet. Sed q̃d ad tẽpus libet, postea peius dolet. Quod aũt ad tẽpus salubriter dolet, postea infinita uoluptate, & abundanti gau D
Psal.125 dio lætificat. Secundũ illud quod scriptũ est, Qui seminãt in lachrymis, in gaudio metent. Et illud, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabunt̃. Hęc ergo diligentius attendentes, cogitemus illud q̃d
Prou.5 de luxuria ac uoluptate scriptum est, Ad tempus, inquit, indulcat fauces, postea felle amarior inuenit̃. Et quia uita nostra in hoc seculo quasi uia esse cognoscitur, oportet nos de labore ad requiẽ peruenire, quàm de requie ad laborem. Et melius nobis est in uia breui tempore laborare, ut postea in patria possimus ad æternũ gaudium feliciter peruenire. Præstante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

De permissione ac prohibitione sedendi in ecclesia, quando uel lectiones leguntur, uel uerbum dei prædicatur. A Homilia XXVI

NTE aliquot dies propter eos qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inęqualitate laborant, paterna pietate solicitus A consilium dedi, & quodammodo supplicaui, ut quando aut passiones prolixæ, aut certe aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt humiliter, & cum silentio sedentes, attentis auribus audiãt quæ legunt̃. Nunc uero aliquæ de filiabus nostris putant, quod hoc aut omnes, aut certe plures quæ sanæ sunt corpore, frequẽter debeant facere. Nam ubi uerbũ dei cœperit recitari, quasi in lectulis suis ita iacere uolunt, atq; utinam uel iacerent tantũmodo, et tacentes uerbum dei sitienti B corde susciperent, non etiã se ita ociosis fabulis occuparent, ut quod prædicatur nec ipsę audiãt, nec alios audire permittant. Vnde rogo uos uenerabiles filiæ & solicitudine paterna cõmoneo, ut quando aut lectiones legũtur, aut uerbum dei prędicatur, nulla se in terram proijciat, nisi forte quam nimium grauis infirmitas cogit, Sic tamen non iacat, sed magis sedeat, & attentis auribus quæ prædicãtur auido corde suscipiat. Interrogo uos fratres uel sorores, dicite mihi, Quid uobis plus esse uidetur, uerbum dei, an corpus Christi? Si uerum uultis respõdere, hoc utiq; dicere debetis, quod non sit minus uerbum dei quàm corpus Christi. Et ideo quanta solicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de C nostris manibus in terram cadat: tanta solicitudine obseruemus, ne uerbum dei quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus aut loquimur de corde nostro pereat. Quia nõ minus reus erit, qui uerbũ dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi in terrã cadere negligẽtia sua permiserit. Vellẽ tamen scire si ab illa hora qua uerbũ dei prædicari cœperit semp̃ preciosissimas gẽmas & inaures, uel anulos aureos erogare uellemus, utrũ stare aut accipere uellẽt filiæ nostræ. Sine ulla dubitatione, cum grandi ambitione quę illis offerun tur acciperent. Nos uero quia ornamẽta corporalia offerre nec possumus nec debemus, ideo non libenter audimur. Sed nõ est iustũ ut spiritalia ministrantes, superflui iudicemur. Qui enim uerbũ dei D libenter audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse nõ dubitet. Qui admonetur ut pauperi tribuat aliquid, dum manus ad eleemosynas expandit, dextralia à Christo trãsmissa percipiet. Quomodo em̃ terrenis ornamẽtis caro luxuriosa paruo tẽpore ornatur, ut carnalib. oculis aut ad suam aut aliorũ male concupiscentiũ ruinam placere possit: sic anima sancta diuinis sermonibus tanquam spiritalibus & æternis bonorum operum margaritis componitur, ut ad illius cœlestis sponsi consortium, & nuptiale conuiuiũ feliciter ornata perueniat, ut nõ ei dicatur illud quod
Matt.22 scriptũ est in euãgelio, Amice quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem? Ne bonorũ ornamentis expoliatus, ac nudus audire mereatur.

Ligate

Ligate illi manus & pedes, & proijcite in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium. A Sed magis pro ornamẽtis bonorũ operũ, illa uox
Matt.15 ad eum desiderabilis dirigatur, Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui. Rogo uos filiæ, diligenter ea quæ à nobis dicũtur, audite. Si aliqua mater proprijs manibus ornare uelit filiam suam, & illa despiciens ornamẽta quæ accipit, frequentius se inclinet ad terram, & huc atq; illuc ita per inquietudinem moueatur, ut illam mater sua secundum suam uoluntatẽ ornare nõ possit, nunquid non iuste aut obiurgatur aut cæditur? Me ergo putate matrem uestrarũ animarum esse, & ita uos uelle componere, ut in uobis nec macula, nec ruga possit ante tribunal æterni iudicis apparere. Animabus enim uestris non solum ornamẽta, sed etiam medicamẽta desiderans prouidere, studeo B dissuta consuere, cõscissa sarcire, uulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, & ea quæ sũt integra, spiritalibus margaritis ornare. Si me non piget, quare aliquis fastidiose uelit accipere? Cum enim terrena & temporalia ornamẽta corporis, si non inuenitur qui donare uelit, carissimo precio comparantur: quanto magis æterna animarum ornamenta, quæ absq; ullo precio à nobis non cum paruo labore quæsita, uestris spiritalibus offeruntur, iustum est ut à uobis cum perfecta charitate suscipiãtur. Nos enim margaritas uobis de paradisi patria prouidentes, nullã aliam in hoc seculo mercedem optamus accipere, nisi ut uos patienter & libenter quæ uobis insinuantur uideamus audire, & cum dei adiutorio secundum uires uestras operibus adimplere. Fratres charissimi, & uenerabiles filiæ, nõ ideo dicimus quod uos agnouerimus C uerbum dei non libenter accipere. Propitio enim deo plus quàm cogitari uel dici potest, de uestra obedientia gaudet & exultat anima nostra. Sed dum uos uolumus ad meliora semper ascendere, etiã ea quæ uos perfecte cognoscimus agere, paterna solicitudine præsumimus admonere. Et q̃a non toti uiri uel mulieres uoluerunt hodie ad uigilias conuenire, rogo uos filij & filiæ, ut ea quæ uobis dicta sunt, illis qui absentes fuerunt fidelissime referatis, ut non solum de uestra, sed & de aliorum correctione mercedem habere possitis.

De eo quod propheta dicit in psalmo, Auerte
Psal.50 faciem tuam à peccatis meis, et facinora mea dele, D Ac de utilitate pœnitentiæ. Homilia XXVII

Habetur rursum tom.9 col.1018

OX igitur in his uerbis pœnitẽtis agnoscitur, Auerte faciem tuã, à peccatis meis, & facinora mea dele. Proinde aliquid de pœnitẽtia dicere diuinitus iubemur. Dicamus aliquid de utilitate pœnitentiæ, præsertim, quia & dies ieiuniorũ iam imminet, quo propinquãte humiliari animas, & domari corpora studiosius decet. Tirplex autem cõsideratio agendæ pœnitentiæ in sancta scriptura inuenitur. Nam neq; ad baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur quisquam bene accedit, nisi agendo pœnitẽtiam de uita pristina. Nemo enim eligit uitam nouam, nisi quem ueteris pœnitet. Hoc autem etiam auto ritate diuinorũ librorũ probare debemus, utrũ baptizandi egerint pœnitentiã. Quando spiritus sanctus missus est, ante promissus, & impleuit dominus fidẽ pollicitationis suæ, accepto discipuli spiritu sancto, ut nostis, cœperunt loqui omnibus linguis, ut in illis qui aderãt linguã suã quisq; cognosceret. Hoc aũt miraculo territi, consilium uitæ ab apostolis quęsierũt. Tunc Petrus annunciauit eis, eum colendũ quem crucifixerunt, ut eius sanguinem biberent credẽtes, quẽ effuderant sæuientes. Ait illis Petrus, Pœnitentiam agite, & baptizetur Act.2 unusquisq; uestrũ in nomine domini Iesu Christi, & remittentur uobis peccata uestra. Quicquid de uita præterita remordebat, quicquid angebat conscientiã, quicquid omnino uel magnũ uel paruũ, uel dicẽdũ uel nõ dicẽdũ, nõ dubitẽt posse dimitti, ne forte quod uult dei miseratio dimittere, contra se teneat humana tentatio. Ait apostolus, Omnia hæc figuræ nostræ fuerunt, cum de rebus talibus loqueretur dicens, Nolo enim ignorare fra- 1 Cor.10 tres uos, quoniã patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omẽs in Moyse baptizati sunt. Et item, Petra aũt erat Christus. Has figuras nostras fuisse ille dixit, cui nemo fidelis unquã contradixit. Et cum multa enumeraret, unam solã soluit dicens, Petra autem erat Christus. Quid sibi uelit mare, nubes, manna, hoc nõ exposuit, sed petra quid esset ostẽdit. Per mare transitus, est baptismus. Sed quia baptismus, id est, salutis aqua, non est salutis, nisi in Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signetur. Hoc ut significaret ille baptismus, mare rubrũ fuit. Manna de C cœlo aperte de ipso domino exponitur, Patres ue Ioan.6 stri mãducauerũt manna in eremo & mortui sunt, id est, manna quod manducauerunt, non potuit eos à morte liberare. Nõ quia ipsum manna mors eis fuit, sed quia à morte eos non liberauit. De cœlo ueniebat manna, significãs eum qui dixit, Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi. Patres uestri, dicit dominus, manducauerunt manna in eremo, & mortui sũt. Quid est, patres uestri, nisi quos infidelitate imitamini, quorum uias nõ credendo, & deo resistendo sectamini? Et secundum hoc dicitur, Vos ex patre diabolo estis. Neq; em̃ diabolus aliquẽ hominem, aut potẽtia creauit, uel generando procreauit, & tamẽ dicitur pater impiorũ, D non propter generationẽ, sed propter imitationẽ. De bonis quoq; dicitur, Ergo Abrahæ semẽ estis. Patres nostri, inquit, eundem cibum spiritalẽ manducauerunt, & eundẽ potũ spiritalẽ biberunt. Erant em̃ ibi qui quod manducabant intelligebant, Erant ibi quibus plus Christus in corde, q̃ manna Heb.3 sapiebat in ore. Quid de alijs loquamur? Inde erat primitus Moyses famulus dñi fidelis in tota domo eius. De dubitatione Moysi famuli dei uolo dicere, Figura em̃ erat ueterũ etiã ista sanctorũ. Dubitat ad aquã Moyses, quãdo petrã uirga pcussit, ut aqua flueret dubitauit. Dubitationẽ aũt eius legẽs quisq; nec intelligẽs, forte nec intelligeret, q̃a nec quęrere auderet. Dño deo displicuit illa dubitatio & eã notauit, nõ solũ arguẽdo, sed etiã uindicãdo.

Nam

Nam propter hanc dubitationem dicitur Moysi,
Non introduces tu populum in terram promissi-
A onis. Ascende in montem & morere. Deus hic
utique apparet iratus. Quid ergo de Moyse fra-
tres charissimi? Omnis labor eius, omnis pro po-
pulo æstus eius, & illa charitas dicens, Si dimittis
illis peccatum istud, dimitte, sin autem, dele me
de libro tuo: hæc dubitata, & repentina dubita-
tione damnata est, quoniam dicitur, dictum est
Moysi. Hoc enim placuit deo certę dispensatio-
nis mysterij gratia, quòd ipse in terram promissio-
nis non introduceret populum. Eligitur alius Ie-
sus Naue, Et iste homo non hoc nomine uocaba-
tur. Vocabatur Auses, & cum ei introducendum
populum Moyses commendaret uocauit eum, &
mutauit ei nomen Iesum, ut non per Moysen, sed
per Iesum: id est non per legem, sed per gratiã po-
B pulus dei in terram promissionis intraret. Sicut au
tem Iesus ille non uerus sed figuratus, ita etiam ter
ra promissionis illa non uera, sed figurata. Illa em̃
populo primo temporalis fuit, nobis quæ promis
sa est æterna erit, sed figuris temporalibus promit
tebant̃ æterna. Sicut ergo ille non uerus Iesus, nec
illa terra promissionis uera, sed figurata, ita man-
na non cibus uere cœlestis, sed figuratus. Post il-
lam dubitationem, & post iram dei, & post minas
mortis, & post alia multa dixisse deũ ad Moysen
quasi ad amicum, cũ quo & antea loquebatur usq;
adeo, ut & ipsi Iesu Naue obedientiæ exemplum
de Moyse proponatur, & hoc moneat eum deus,
ut sic ei seruiat, quomodo seruiuit Moyses, & sic
se pollicetur esse futurũ cum eo, quomodo fuit cũ
Moyse. Dubitauit Moyses quando lignum acces-
sit ad petram: dubitauerunt discipuli quando uide
runt dominũ crucifixũ. Horum figuram gerebat
Moyses. Ecce quia lignum accessit ad petram, fa-
cta est dubitatio, & impleta est dubitatio Moysi.
Deut.32 Et dominus ad eum, Aicẽde in montẽ, & morere.
Per corporalẽ mortem Moysi figurata est mors ip
sius dubitationis. Sed in monte. O mira mysteria.
Ad petram nata est dubitatio, & in mõte mortua
est. Quãdiu humilis fuit Christus in passiõe, quasi
petra iacebat ante oculos, merito in illo dubitaba
tur. Mare rubrum baptismus est, populus transi-
ens baptizabatur. Transitus iste baptismus erat,
sed in nube adhuc nubilabatur quod prænuncia-
D batur. Iam modo præcessit nubes, manifestæ ue-
ritatis serenitas facta est, quia præcessit & uelum
per quod loquebatur Moyses. Hoc uelum in tem
plo pendebat, ne templi secreta panderentur. Sed
in cruce domini uelum cõscissum est, ut paterent.
Veni ergo ad baptismum, ingredere intrepidus ui
am per mare rubrum. Noli esse de peccato præte-
rito tanq̃ de Ægypto solicitus. Premebant te pec
cata tua duro onere seruitutis, sed hoc in Ægypto,
scilicet in amore huius seculi, in peregrinatione lõ
ginqua. Cogebãt se sectari opera terrena, tãquam
lateres facere, Opera lutea operabaris. Premũt te
peccata, ueni securus ad baptismũ, usq; ad aquam
hostis sequi poterit, ibiq; morietur. Time aliquid de
uita præterita, crede aliquid remansurũ tuorũ pec
catorum, si aliquis remansit Ægyptiorum. Audio
A uocem pigrorũ. Ego, inquit, de preteritis peccatis
nõ timeo, omnia mihi in aqua sancta per ecclesiæ
etiam charitatẽ dimitti nõ dubito, Sed timeo futu
ra peccata. Placet ergo remanere in Ægypto. In-
terim hostem præsentẽ euade, qui iam te premit,
& iam subiugauit. De futuris quid tibi hostes me-
ditaris? Quod iam fecisti etiã si nolueris erit. Idem
facturum te putas, si uolueris nõ erit. Sed periculo
sa uita est. Neq; enim cum mare rubrum transiero,
iam ero in terra promissionis. Ductus est ille po-
pulus per desertum, per longa deserta. Interim ab
Ægypto liberare. Quid ergo putas tibi futurũ au-
xiliatorem in uia, eum qui te eruit de uetusta capti
uitate? Nouos tuos inimicos? Nõ quiescit qui te à
uetustis hostib. liberauit. Transi tantũ intrepidus,
B intrepidus ambula, obediens esto. Noli amaricare
Moysi illi, cuius typum ille portabat in hac obedi
entia. Fateor nõ desunt hostes. Sicut enim nõ de-
erant qui sequerent̃ fugientes, ita non deerant qui
impedierent ambulantes, prorsus charissimi figu-
ræ nostræ fuerunt. Interim in te non sit quod con-
tristet Moysen. Noli esse aqua amara, quã post ma
re rubrum nõ potuit ille populus bibere. Erat em̃
& ibi tentatio. Et tamẽ quando ista euenirũt, quan
do amaricat populus, ostẽdimus eis Christũ, quæ
pro illis pertulerit, quando pro eis sanguinẽ fude-
rit, & mitescunt, tanq̃ nobis lignum in aquam mit
tentibus. Planè hostem itineri tuo habebis Ama-
lech. Populus ille habuit hostẽ Amalech. Tũc ora
bat Moyses, tunc extendebat manus, & deficie-
C bat Amalech. Et tuæ manus extensæ sint ut defici
at Amalech tentator, & huius itineris impeditor.
Esto uigil, & sobrius in orationibus, in operibus
bonis, non tamen præter Christum, quia extensio
illa manuũ Christi crux fuit. In illa extẽditur Apo
stolus cum dicit, Mihi mundus crucifixus est, &
ego mundo, Ergo deficiat Amalech, uincatur, nõ
impediat transeuntem populum dei. Sed si dimit-
tit manus à bono opere, à cruce Christi, præuale-
bit Amalech. Tum noli omnimodo aut continuo
te fortem futurum putare, aut penitus desperando
deficere. Alternatio enim illa defectus est fortitu
dinis. In manus Moysi serui dei forte alternatio
tua fuit. Aliquando enim in tẽtationibus deficis,
sed non succumbis, Deponebat ille paululum ma
nus, non omnino ruebat, sed dicebat, Motus est
pes meus, ecce misericordia tua domine adiuua-
bat me. Noli ergo timere, adest in itinere auxilia-
tor, qui in Ægypto fuit liberator. Noli timere, ag-
gredere uiã, pręsume securus. Aliqñ ille ponebat
manus, aliqñ erigebat, tamẽ uictus est Amalech.
Debellare potuit, supare nõ potuit. Itaq; admone-
mur iã de altera loq; pœnitẽtia. Triplicẽ qppe eius
cõsideratione in sancta scriptura esse pposui. Illa
prima cõpetẽtiũ est & ad baptismũ uenire sitiẽtiũ,
hãc de scripturis sãctis ostẽdi: et alia ppè quotidia
na. Et ubi illã ostẽdimus pœnitẽtiã quotidianam?
Nõ habeo ubi melius ostẽdã, q̃ in oratione dñica
ubi orare nos docuit, & q̃d ad patrẽ dicamus ostẽ
dit, & in his uerbis posuit, Dimitte nobis debita Matt.6
nostra

nostra, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris.
Quæ debita fratres? Quandoquidẽ debita hic in-
A telligi non possunt nisi peccata, quę debita dimi-
sit in baptismo, iterum ut dimittat oramus? Certe
mortuus est omnis Aegyptius qui sequebat̃. Si ni
hil de sequentibus hostibus residuũ factũ est, quid
oramus ut dimittatur, nisi propter manus deficiẽ-
tes contra Amelech? Dimitte nobis, sicut & nos
dimittimus. Constituit medicinam, firmauit pa-
ctum. Hic preces constituit, ibi precanti respõdit.
Nouit quo iure res agatur in cœlo, quomodo im-
petrari possint desiderata. Dimitti uis, dimitte ait.
Quid enim habes quod deo pręstes, à quo tibi uis
cuncta præstari? Nunquid iam Christus ipse sal-
uator in terra ambulat? Nũquid suscipit illum mo
do in domum Zachæus gaudens? Nunquid ei ho
B spitium & epulas præparat Maria? Nihil horum
Matth.25 indiget, ad patris sedet dexteram. Sed quando
uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Hęc est ex
tensio manuum sub qua defecit Amalech. Et ero-
gas quidem pauperi, Quando aliquid das paupe-
ri esurienti: forte id quod dederis minus habebis,
sed in domo, non in cœlo. Sed hic quoque in ter
ra, quod iubente præstitisti, ipse supplet quod de
disti. De hac re cum loqueretur apostolus ait: Qui
2. Cor.9 ministrat semen seminanti, & panem in escam sub
ministrabit. Operarius enim dei es, quando das e-
genti, seminas hyeme quod metas æstate. Quid er
go metuis infidelis, ne in hac magna domo tantus
paterfamilias non pascat operarium suum? Erit &
ibi quod sufficiat tibi. Dabit deus totum necessi-
C tati, non cupiditati. Operare ergo intrepidus, ex-
tende manus ut deficiat Amelech. Dic mihi cum
ignoscis ei qui peccat in te, quid minus habebis
in corde tuo, unde dominũ dimittis, sed nihil amit
tis. Imò uero unda charitatis ibat in corde tuo,
inde tanquam uena interiore manabat. Tenes
odium contra fratrem, obturasti fontem. Non
solum ergo nihil perdis, cum ignoscis, sed abun-
dantius irrigaberis. Charitas non angustatur.
Sed ecce quid acturus es? Oraturus es? Quid di-
cam? Quando oraturus es? Hodie. An non es ora
turus ira & odio plenus? Vindictam ministrans,
non dimittis ex corde. Ecce oras, uenit hora o-
randi, incipis uerba illa uel audire uel dicere, di-
ctis & auditis superioribus uenturus es ad hunc
D uersum, at si non uenturus, quò iturus? Ne igno-
scas inimico, deuiabis à Christo. Plane si in ora-
tione deuiabis ut nolis dicere, Dimitte nobis de-
bita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus
nostris. Ne tibi cito respondeatur. Sic dimitto,
quomodo & tu dimittis. Ergo quia hoc non po-
tes dicere, & nõ uis dimittere, deuiabis ab hoc uer
su, & prætermittes & dices quod sequitur, ne nos
patiaris induci in tentationem. Ibi te capiet crea
tor tuus, cuius faciem quasi deuiabis. Quomodo
quisq; in uico cum occurrit ei cui aliquid debet, si
ad manum est diuerticulum, dimitte quò ibat, &
ijt per aliã partem, ne faciẽ uideat creditoris. Hoc
tu in isto uersu te fecisse arbitratus es, deuitasti di-
cere, Dimitte sicut ego dimisi, ne sic dimitteret, q̃a
non dimittis, & noluisti dicere, deuitans faciẽ cre
A ditoris. Quem deuitas? Quis deuitas? Quò ibis?
Vbi tu esse possis, & ille non esse? Dicturus es,
Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?
Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in Psal.138
infernum, ades. Quantum potest à Christo debi-
tor fugere, quàm ut eat in infernum? Adest iste
creditor. Et quid ibi facturus es, nisi quod sequi
tur? Si sumpsero pennas meas in directum, & uo-
lauero in extremis maris, id est, spe mea finem se-
culi meditabor, in præceptis tuis uiuam, duabus
alis charitatis attollar. Imple ergo duas alas chari-
tatis, Diligas proximum sicut teipsum, & non te- Matth.22
neas odium unde fugias creditorem. Restat ergo
pœnitentiæ tertium genus, unde aliquid breuiter
B dicam, ut adiuuante domino, proposita & permis
sa persoluam. Est pœnitentia grauior atq; luctuo-
sior, in qua proprie uocantur in ecclesia pœniten-
tes remoti etiam à sacramentis altaris participan-
di, ne accipiendo indigne, iudicium sibi mandu-
cent & bibant. Illa uero pœnitentia luctuosa est.
Graue uulnus adulterium forte cõmissum est, for
te homicidium, forte aliquid sacrilegum. Grauis
res graue uulnus, lætale, mortiferum, Sed omnipo
tens medicus. Iam post suggestionem facti & de-
lectationem, & consensionẽ, & perpetrationem,
quasi quatriduanus mortuus putet. Sed nec ip-
sum dominus deseruit, sed clamauit, Lazare ueni Ioan.11
foras, Cessit uoci misericordiæ, moles sepulturæ,
Cessit mors uitæ, cessit infernus superno. Eleua-
tus est Lazarus, processit tumulo, & ligatus erat,
C sicut sunt homines in confessione peccati agẽtes
pœnitentiam. Iam processerunt à morte, Nam nõ
confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri,
ab occulto & tenebroso procedere est. Sed quid
dominus ecclesiæ suæ inquit? Quæ soluerit is in Matt.18
terra, soluta erunt in cœlo. Proinde Lazare pro-
cedente, quia impleuit dominus misericordiæ
suæ bonum, perducere ad confessionem mortuo-
rum latentem, putentem, iam cætera implet ec-
clesiæ mysteria. Soluite illum & sinite abire. Sed
charissimi hoc genus pœnitentiæ nemo sibi pro-
ponat, ad hoc genus pœnitentiæ nemo se præpa-
ret. Tamen si forte contigerit, nemo desperet. Iu-
dam traditorem, non tam scelus quod commisit,
D quàm indulgentiæ desperatio fecit penitus interi
re. Non erat dignus misericordia, ideo non ful-
sit ei lumen in corde, ut ad eius indulgentiam con
curreret quem tradiderat, sicut illi qui eum cruci-
fixerunt, sed desperando occidit, & laqueo se su-
spendit. Quod fecit in corpore suo, hoc factũ est
in anima eius. Ipsius enim spiritus dicitur, etiam
iste uentus aeris huius. Quomodo ergo qui sibi
collum ligant, inde se occidunt, quia non ad eos
intrat spiritus aeris huius: sic illi qui desperant de
indulgẽtia dei, ipsa desperatione intus se suffocãt,
ut eos spiritus sanctus uisitare non possit. Solebãt
inde Christianis insultare pagani, de pœnitentia
quæ instituta est in ecclesia. Et contra nonnul-
las hæreses tenuit ecclesia catholica istam ueritatem, de pœnitentia agenda. Fuerunt qui dice-

rent quibusdam peccatis non esse dandam pœnitentiam, & exclusi sunt de ecclesia, & hæretici sunt facti. In quibuscunq; peccatis non perdit uiscera pia mater ecclesia. Ergo solent inde pagani insultare nobis nescientes quid loquantur, quia ad uerbum dei quod linguas infantium facit disertas, nondum peruenerunt. Vos inquiunt, facitis ut peccẽt homines, cum illis promittitis ueniam, si egerint pœnitentiam. Desolatio est hoc, non admonitio. In hanc sententiam exaggerant uerba. Quanta quisq; potest lingua uel sonãti uel titubanti, non tacent. Non tamen quando eis loquimur & si uincantur, non consentiunt. Tamen quomodo uincantur, breuiter accipiat charitas uestra, quia totũ domini misericordia optime constituit in ecclesia sua. Dicunt, nos dare peccatis licentiam, quia portum pœnitentiæ pollicemur. Si clauderetur aditus pœnitentiæ, nónne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi, Ecce peccaui, ecce scelus admisi, iam mihi ueniæ nullus est locus, pœnitentia infructuosa est, damnatus sum, quare iam non uiuo ut uolo? Quia ibi non inuenio charitatem, hic saltem pascam cupiditatem meam. Quare enim abstineam? Ibi enim mihi locus clausus est, hic quod non fecero perdo: quia quæ post hanc futura est uita mihi non dabitur, quare ergo non seruio libidinibus meis, ut eas impleam & saturem, & faciam quicquid nõ licet sed libet? Diceretur ei fortassis, Sed miser capieris, accusaberis, torqueberis, punieris. Sciunt ista homines mali ab hominibus dici, & inter homines seruari: attendunt multos male & scelerate uiuentes impunita peccata habere quæ occultare possunt, quæ occultare non possunt redimere. Vsq; in senectutem uitę, lasciuias, blasphemias, sacrilegia perdita enumerant sibi, cur ille qui tanta fecit senex mortuus est? Nunquid attendis ideo sceleratum & peccatorẽ senem mortuũ, ut ostenderet in illo patientiam deus, expectans
Rom.2 pœnitẽtiã. Vnde Apostolus, Ignoras quia patientia dei ad pœnitentiã te adducit? Ille ergo secundum duriciam cordis sui, & cor impœnitens, thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuiq; secundũ opus suum. Opus est ergo, ut hic timor mentis obsideat, opus est ut ille qui peccare non uult, præsentem sibi cogitet, non in publico solum, sed etiã in domo, non in domo solum, sed & in cubiculo, in nocte, in lectulo, in corde suo. Ergo si tuleris portum pœnitentiæ, augebuntur peccata. Ecce nihil dicunt illi qui putant augeri peccata, quia portus pœnitentiæ in Christiana proponitur fide. Quid ergo? Deus ne per illam spem indulgẽtię augerent peccata, rursus nõ debuit prodire? Qũo enim prodeunt, ne desperando augeantur. Qũo enim reuera auget peccata, qui ueniã sperauerit, ut dicat sibi: faciam, deus bonus est, quando me conuertero, ignoscet mihi. Ita plane dicis, sed crastina dies incerta est tibi. Nonne ad hoc te admonet scri-
Eccl. 5 ptura, dicẽs, Ne tardes cõuerti ad dominum, neq; differas, de die in diem? Subito enim ueniet ira eius, & in tẽpore uindictæ disperdet te. Ecce ad utrũq; uigilauit pro nobis prouidentia dei, ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus. Rursus, Ne desperando augeamus, datus est dies mortis incertus.

De eo quod propheta dicit in psalmo, Deus manifestus ueniet, deus noster, & non silebit. Homilia XXVIII

Psal. 49

ANTAVIMVS, Deus manifestus ueniet, deus noster, & non silebit. Dominũ Christum scriptura prædixit uenturum ad iudicium uiuorum & mortuorum. Quando enim prius uenit iudicari, occultus fuit, quando ueniet iudicare manifestus erit. Quàm fuerit tunc occultus hinc intelligite quod ait Apostolus. Si enim 1.Cor.2
cognouissent, nũquam dominũ gloriæ crucifixissent. Tunc autem siluit interrogatus, sicut euangelium loquitur, & impletur in eo Esaiæ prophetia dicentis, Sicut ouis ad immolandum ductus est, et Esa.53
sicut agnus corã tondente se fuit sine uoce, sic non aperuit os suum, Veniet ergo manifestus, & non silebit. Ad hoc dictum est: Nõ silebit iudicaturus, quia siluit iudicatus. Nam quantum attinet ad uoces ipsius nobis necessarias, quãdo siluit? Non siluit per patriarchas, non siluit per os carnis suæ. Et modo si sileret, scriptura non loqueret, Lector ascendit, sed ipse nõ silet. Tractator loquit, si uera loquitur, Christus loquitur. Si sileret Christus, ego uobis ista non dicerem. Nec per os uestrũ siluit. Nam quando cantabatis, ipse loquebat. Non silet, opus est ut audiamus, sed aure cordis. Nam responderi facile est aure carnis, Illis auribus audire debemus, quas quærebat magister ipse cum diceret: Qui habet aures audiendi, audiat. Quis Matt.13
enim ante illum quando ista dicebat, sine auribus carnis stabat? Omnes aures habebant, & pauci habebant, non omnes habebãt aures audiendi, hoc est, obediendi. Quàm terribiliter locutus est per prophetam Ezechielẽ, credo adhibuistis aurem, credo audistis quemadmodum dixerit: Ad do- Ezech.3
mum Israel mittam te, nõ ad populum altioris linguæ te mittam. Populus autem ille non uult audire te, quia non uult audire me. Quid ostendit nisi quia ipse deus per prophetam loquebatur? Quia uero in ipsis uerbis propheticis nos maxime territi sumus, id est, præpositi quos posuit loqui ad populum suum, prius in illis uerbis uideamus faciem nostram. Demonstratum est enim nobis, sonante lectore, quasi speculum ubi nos inspiceremus, & inspeximus nos, inspicite uos. Ecce ego facio quod ibi audiui. Si non discreueris, inquit, iustum, si non dixeris peccatori, morte morieris, & ostenderis illi, ut recedat ab iniquitatibus suis, ipse quidem in peccatis suis morietur, sanguinem autem eius de manu tua exquiram. Si autem dixeris, & ille contempserit, & non obedierit, ille in sceleribus suis morietur, tu autem animã tuam liberabis. Dico uobis, libero animam meam. In magno enim sum, non periculo, sed exitio constitutus, si tacuero. Sed cum ego dixero, & impleuero

officium meũ, uos iam attẽdite periculũ uestrum. Quid aũt uolo, quid desidero, qd cupio, quare loquor, quare hic sedeo, quare uiuo, nisi hac intẽtione, ut cum Christo simul uiuamus? Cupiditas mea ista est, honor meus iste est, gloria mea ista est, gaudium meum, hoc est, possessio mea ista est. Sed si me non audieritis, & tamen ego non tacuero, animam meam liberabo, Sed nolo esse saluus sine uobis. Nolite ergo contemnere fratres mei peccata, in quibus forte consuetudinẽ iam fecistis. Omne enim peccatũ consuetudine uilescit, & fit homini quasi nullum sit: obduruit iam, dolorem perdidit, quod ualde putre est, nec dolet. Quod non dolet, non pro sano habendum, sed pro mortuo computandum est. Attendite quæ dicat scriptura, & ibi uidete quemadmodum uiuere debeatis. Quis nõ contemnat ebriositatis peccatũ? Abũdat tale peccatũ & contemnitur. Iam cor ebriosum perdidit sensum, non habet dolorẽ, quia nec salutẽ. Quando aliquid pungitur & dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis, Quando autem tangitur, pungitur, uellicatur, nec dolet, pro mortuo habendum est, aut de corpore præcidendũ. Sed aliquando nos parcimus, & non nouimus nisi loqui. Excommunicare, de ecclesia proijcere pigri sumus, Aliquando enim timemus, ne ipso flagello peior fiat qui cæditur. Quamuis qui tales sunt iam in anima mortui sunt, tamen quia medicus noster omnipotens est, non est desperandum de his, sed totis uiribus supplicandum, ut aures cordis quas clausas habere probantur, dominus aperire digne
C tur. Sed nunquid ille parcet, nũquid silebit quem timere debemus? Audistis in psalmo ipso fratres mei, cũ enumeraret peccata peccatoris, ait, Hæc
Psal. 49 fecisti & tacui. Contra hoc dictum est, Venite & non silebit. Præsentia sua non silebit. Excepto enim quod Christus significat, quia siluit in iudicio, ut impleretur in illo etiam ea prophetia quam paulo ante commemoraui, Hoc excepto, modo deus ipse per seipsum dominus Christus tacet. Ascendit enim in cœlum, & sedet ad dexteram patris, inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Quandiu ibi est donec ueniat tacet. Voces eius in libris audiuimus, de ore ipsius non audiuimus. Audistis uocem ipsius de sanctis scripturis isto loco. Audistis cum uosipsi commemoratis, & forte
D de his rebus inter uos sermocinamini. Qui uult audire à deo fratres charissimi, prius audiat deum. Nunquid audis illum quando facis adulterium, et latere te putas, quia homo te non uidet? Ille te uidet, sed tacet. Quando furtum facis, captas oculos eius cui furaris, & si eum latet facis: si propterea non facis, quia times ne uidearis, intus fecisti, in corde fecisti, fur teneris, & nihil tulisti, sed & tu si oportunitas detur ad implendum malum factum tuum, furaris & lætaris quia tacet. Audi ergo psalmum, te admonuit, te quicunque es, qui forte hic hodie stas, & nocte aliquid fecisti, te admonuit, tibi dixit, Hæc fecisti & tacui. Suspicatus es inique quod ero tibi similis. O homines qui hæc uerba quæ dicturus sum nec habetis in ore, nec in corde, felices estis. Nõne quotidie homines mala
A facientes, aut quos bene fecisse pœnitet, & pœnitentiam fecisse, peruerse fundunt quod mulserũt? Nõne quotidie dicũt, & ista murmura in se rodũt, Vere si deo displicerent ista, non permitteret illa fieri, ut illi qui ea faciunt felices essent in terra? Videmus raptores, uidemus infirmorum oppressores, uidemus uicinorum expulsores, uidemus uiolentos limitũ inuasores, uidemus calumniatores, & tamen potẽtes, diuites, felices in hac uita, Si uere deus ista uideret, si ista curaret, parceret eis? Addunt & hoc, quod peius est, non placent nisi mala; Contingat autem ut faciat bene aliquis, & sequatur forte aliqua tentatio, continuo ad malum habet, non expedit facere bene. Parum est quod ma
B le uis facere, & benefacientibus maledicis? Hęc fecisti, inquit, & tacui, suspicatus es inique, qd ero tibi similis. Quid est q̃ ero tibi similis? Quia si mihi placet malũ, qũo tibi. Hoc es suspicatus, hoc dixisti in eorde tuo. Quod peius est, in hęc uerba prorumpunt, ut nec audiri timeant. Ergo suspicatus es inique, q̃ ero tibi similis. Arguam te quomodo non putas, & quando non putas arguam te. Sileo cum facis, sed non sileo cũ iudico. Arguã te. Quid tibi faciam quando arguam te? Statuam te ante faciem tuam. Modo enim quando male facis putas quia bonus es, quia non uis te uidere. Alios reprehendis, te non respicis: alios accusas, de te non cogitas: alios ponis ante oculos tuos, te ponis post dorsum tuum. Ego quando te arguam, contrà fa-
C cio. Tolle te à dorso tuo, & pono te ante oculos tuos. Videbis te, & planges te, & nõ erit iam tunc quomodo corrigas. Contemnis ergo tempus misericordiæ, ueniet tempus iudicij, quia tu in ecclesia mihi cantasti, Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Ex ore nostro exiet, ubiq; ecclesiæ concrepant Christo, Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Tempus est misericordiæ, ut corrigamur, nondum uenit tempus iudicij. Locus est, spacium est. Peccauimus, corrigamur. Nondum finita est uia, nondum clausus est dies, nondum expiratum est, nõ desperetur, quod peius est, quoniam propter ipsa peccata humana & tolerabilia, & tanto crebriora, quanto minora, constituit deus in ecclesia tempore misericordiæ
D prærogandæ quotidianam medicinã ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimitti- Matt.6
mus debitoribus nostris, ut his uerbis lota facie ad altare accedamus, & his uerbis lota facie corpore Christi & sanguine cõmunicemus. Sed qd est grauius, ipsam medicinã sic homines contemnunt, ut non solum non dent ueniam quando in illos peccatur, sed nec uelint petere quando ipsi peccant. Intrauit tentatio, subrepsit ira, tantum dominata est iracundia quantum potuit, ut non solum tumultuaretur cor, sed & conuicia & crimina uomeret lingua. Non uides quò te impulit? Non uides quò te præcipitauit? Tandem corrige, dic, male feci, peccaui. Non enim morieris si dixeris, Crede non mihi, sed deo. Quid sum ego? Homo sum, par uestrum sum, carnem porto infirmus

firmus. Omnes credamus deo. Attendite uobis.
Matt.18 Si peccauerit frater tuus corripe eum inter te & ipsum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe tecum duos aut tres. In ore duorum aut trium testium stabit omne uerbum. Si nec ipsos audierit, refer ad ecclesiam. Si nec ipsam audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Ethnicus gentilis est. Gentilis ille est, qui in Christo non credit, Si nec ecclesiam audierit, mortuũ puta. Sed ecce uiuit, ecce intrat, ecce signat, ecce genu figit, ecce orat, ecce ad altare accedit. Sit tibi tanquam ethnicus & publicanus, Noli in illo attendere falsa signa. Viuens mortuus est. Vnde uiuit? Quomodo uiuit? Si dicam alicui in conspectu uestro, tu hoc fecisti, respõdebit postea, Quantum errat. Intus me moneret, intus mihi diceret, quia male feci, intus uideret peccatum meum. Quare in populo arguit? Quid si feci, & non correxisti? Quid si feci, & adhuc perseueras? Quid si feci, & adhuc tibi bene fecisse uideris in corde tuo? Quia tacet ille, iustus es? Quia modo ille nõ
Psal.84 uindicat, nihil male fecisti? Nõ times, Arguam te, non times, Constituam te ante faciem tuam, non times. Sed longe est, inquis, iudicium. Primo quis tibi dixit, quia longe est dies iudicij? Nunquid si longe est dies iudicij, longe est dies tuus? Vnde scis quando est? Nonne multi sani dormierunt & obduruerunt? Nonne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? Nonne fragiliores sumus, quàm si uitrei essemus? Vitrum enim & si fragile est, tamen seruatum diu durat, & inuenis calices ab auis & proauis, in quibus bibũt nepotes & pronepotes. Tanta fragilitas custodita est per annos. Nos autem homines & sub tantis casibus quotidianis fragiles ambulamus, & si casus ipsi repentini non accederent, diu tamen uiuere non ualeremus. Vita humana tota breuis est, ab infantia usque ad decrepitam senectutem tota breuis est. Adam si adhuc uiueret, & hodie moreretur, quid illi uitæ lõgitudo profuisset? Huc accedit, quia ipse dies qui quasi naturaliter seruit morbo illecto incertus est. Quotidie moriuntur homines, & qui uiuunt deducunt illos, exequias celebrant, & uitam sibi promittunt. Nemo dicit, corrigam me, ne cras hoc sim quod iste quem deduxi, Placẽt uobis uerba, ego quæro facta. Nolite me contristare prauis moribus uestris, quia delectatio mea nõ est in hac uita, nisi uestra bona uita.

De eo quod ait dominus in euangelio, Remittite, & remittetur uobis, date & dabitur uobis. Homilia XXIX

A EGO fratres uires paruas habeo, sed uerbum dei magnas habet ualere in cordib. uestris. Ergo & quod lente dicimus, ualde auditis si obedieritis. Tanquam per nubem suam, per Esaiam prophetam dominus tonuit, si sensum habetis, expauistis. Manifeste enim dixit, nec expositorem habent ista necessarium, sed factorem.
Esa.1 Quo mihi, inquit, multitudinem sacrificiorum uestrorum? Quis enim exquisiuit ista de manibus uestris? Deus nos quærit, non nostra. Sed sacrificium Christiani est eleemosyna in pauperem. Hinc enim fit deus peccatis propitius. Nisi autem peccatis propitius fiat deus, quis remanebit nisi reus? Ab eis peccatis & delictis, sine quibus uita ista non ducitur, mũdantur homines per eleemosynas, Quæ sunt duorum generum, erogando & remittendo. Erogando quod habes bonum, remittendo quod pateris malum. Hæc duo genera eleemosynarum dominus magister bonus, qui uerbum breuiauit super terram, ut esset fructuosum, & non onerosum, quàm breuiter fuerit cõplexus audite, Remittite inquit, & remitte- Lucæ.
tur uobis, pertinet ad ignoscendum. Date, & dabitur uobis, pertinet ad erogandum. Ex illa eleemosyna, qua ignoscis homini, nihil perdis. Ecce statim ueniam petit, ignouisti, nihil amisisti, Charitate amplior domum redisti. Illud aliud genus eleemosynarum, ubi iubemur erogare indigentibus, graue uidetur: quia quod quisq; dederit, hoc ipsum quod dabit non habebit. Equidem & hinc securos nos facit Apostolus qui dixit, Prout quis- 2. Cor.
que habet, nõ ut alijs sit refectio, uobis angustia. Metiatur ergo unusquisq; uires suas, non thesaurizare attendat in terra, det, non perit quod dat. Non dico, hoc non perit, sed dico hoc solum non perit. Alia ueto quæ non dederis, & abundant tibi, aut cum uiuis amittis, aut cum morieris dimittis. Deinde fratres mei tanta promissio quem non hortatur? Dimittite, inquit, & dimittet uobis: date, & dabitur uobis. Quando dicit, date & dabitur
C uobis, attendite cui dicat. Homini dicit deus, mortali dicit immortalis, mendico dicit tantus paterfamilias. Neq; enim hoc reuocaturus est quod dedimus, inuenimus quem ueneremur. Demus in usuram, sed deo, non homini. Ei damus qui abundat, ei damus qui dedit quod demus, & pro modicis rebus profert nobis, pro mortalibus, pro putribilibus, pro terrenis quæ æterna sunt & incorruptibilia, & sine fine manẽtia. Quid multa dicturus sum? Se promittit, qui promittit. Si amas illum, eme illum ab illo. Et ut nouerís te ipsi dare, Matth.25
audi illum dicentem, Esuriui, & dedistis mihi manducare, Sitiui, & dedistis mihi potum. Hospes fui, & suscepistis me. Nudus fui, & uestistis me. Aeger, uisitastis me. Inclusus, uenistis ad me. Et di-
D cent illi: Quãdo te uidimus in his necessitatibus constitutum, & ministrauimus tibi? Et ille, Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Dat de cœlo, accipit in terra. Ipse dat, ipse accipit, quasi fœnus traiectitiũ facis. Hic das, ibi recipis. Hic das res perituras, ibi recipis res sine fine mansuras. Et quandocũq; dicis deo, Libera me domine ab homine malo, hoc enim modo cantauimus. Scio enim quo gemitu dicas, Libera me domine Psal.39
ab homine malo. Quis enim in isto seculo non patitur aliquẽ hominem malũ? Quando ergo dicis deo hoc, Libera me domine ab homine malo, sicut totis precordijs dicis, sic intẽtis oculis te prius attende. Libera me domine ab homine malo. Fac tibi respõdisse deum. A quo? Dicturus es à Gaio, à Lucio, à nescio quo quem pateris. Et respondet tibi

tibi, De te mihi nihil dicis. Si ab homine malo libero te, prius es liberandus à teipso. Pateris malum, A
noli teipsum pati malum. Videamus si inuenit te, quid tibi faciat alter malus. Tu noli esse malus. Non tibi dominetur auaricia, non te calcet concupiscentia tua, non te trituret ira tua. Isti hostes interiores tui qui sunt. Tu ipse nõ tibi aliquid facias. Videamus quid tibi faciat uicinus malus, patronus malus, potens malus, uideamus quid tibi faciat? Iustũ te inueniat, fidelem te inueniat, Christianum te inueniat. Quid tibi facturus est? Quod Stephano Iudęi fecerunt, Faciendo malum, miserunt ad bonũ. Ergo quando oras ut liberet te deus ab homine malo, attende te, noli tibi parcere à te, te liberat. Qũo te à te liberat? Dimittẽdo peccata, donando merita, dando tibi uires pugnandi aduer- B
sus concupiscentias tuas, inspirãdo uirtutem, dando menti tuæ cœlestem delectationẽ, qua omnis terrena delectatio superetur. Hæc cum tibi præstat deus, liberat te à te, & securus expectas in huius seculi malis transitorijs cum eis bonis uenturũ dominum, quæ transire non possunt. Satis sit uobis. Videtis certe, quia nescio quomodo ego inualidus accedo, & loquendo fortis fio, Tantus est animus mihi, tanta intentio in profectu uestro. Operarius enim in agro fructum sperans, minus sentit laborem. Scitis fructus mei qui sint, & uobiscũ sim, & omnes simus fructus dei.

Aggeæ 2 De eo quod in Aggęo scriptum est, Meum est aurum, & meum est argentum.

Homilia XXX

A IN SCRIPTVRIS diuinis fratres
I Charissimi legimus deum dicentem, Meum est aurum, & meum est argentum. Hoc ideo dictum est, ut ille qui non uult cum indigentibus communicare quod habet, cum audit præcepta faciendæ misericordiæ, intelligat de um non de re illius cui iubet, sed de re sua iubere donare: & ille qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur de suo facere: ne forte non tam confirmetur misericordiæ nomine quàm infletur superbiæ uanitate. Meum est, inquit, aurum, & meum est argentum, non est uestrum ò diuites terræ. Quid ergo dubitatis pauperi dare de meo? Aut quid extollimini cum datis de meo? Et uis uidere quàm iusti iudicis res est aurum & argentum, auarus unde torquetur, inde misericors adiuuatur: rem suam diuina distribuente iusticia, & recte facta inde manifestantur, & peccata inde puniũtur. Nunquid non aurum & argentum, atque omnis terrena possessio, & exercitatio humanitatis est, & supplicium cupiditatis? Cum talia deus nobis hominibus tribuit, ostendit in eis quanta contemnat animus, cuius diuitiæ sunt ipse deus qui tribuit. Non enim potest quisq; apparere contemptor, nisi eius rei, cuius possessor effectus est. Nam & qui non habent possunt ista contemnere, sed utrum fingant an uere contemnant, deus uidet, qui cordis inspector est. Ab hominibus autem ut imitari possint cogitationem contemnentis, non nisi in manibus erogantis inspicitur. Cum autem malis hominibus deus ista concedit, ostendit in eis quomodo & in ipsis bonis quæ deus largitur crucietur animus cui uoluit qui tanta largitur, Bonis autem subministrat occasiones beneficiorum, malos autem torquet timore damnorum. Et ideo si amittant utrique aurum & argentum, isti cœlestes diuitias læto corde retinebunt: illis autem & bonis temporalibus inanis domus, & bonis æternis inanior conscientia remanebit. Illius est ergo aurum & argentum, qui nouit uti auro & argento. Nam etiam inter ipsos homines tunc quisq; habere aliquid dicendus est, quando bene utitur. Nam quod iuste non tractat, iure non tenet. Si suum esse dixerit, non erit uox iusti possessoris, sed impudentis incubatoris improbi
B tas. Quapropter si homo non importune dicit aliquid suum, non quod iniqua & stulta cupiditate occupauerit, sed quod prudẽtissima potestate, & iustissima moderatione tractauerit: quanto magis deus uere ac proprie suum esse dicit aurum & argentum, quod & largissima bonitate condidit, & iustissimo administrat imperio: ut sine ipsius nutu atque dominatu nec mali nisi ad auaritiæ supplicium, nec boni, nisi ad usum misericordiæ possint habere aurum & argentum? Quod tamen & instituere ut sit, & ut alteri adsit, alteri desit, distribuere atque ordinare non possunt. Si autem solis bonis in potestate daretur aurum & argentum, recte putaretur magnum aliquid bonum. Rursus si solis malis deesset, uideretur ma-
C gna pœna paupertas. Si autem solis bonis deesset, uideretur summa beatitudo paupertas. Nũc uero si scire uis aurum posse bene haberi, habent & boni: non eos per aurum bonos esse, habent & mali. Item si scire uis quàm non sit miseria paupertas, sunt quidam pauperes beati: sunt quidam pauperes miseri, si scire uis quàm non sit beatitudo paupertas. Ita ergo aurum & argentum distribuit hominibus conditor rerum & administrator deus, ut ipsum per se natura & genere suo bonum sit, quamuis non summum & magnum bonum, & pro gradu sui ordinis laudabilem conditorem uniuersitatis ostendat: copia uero eius non extollat bonos, nec lædat inopia: malos autem & cum offertur excæcet, & cum auferetur excruciet. Res ergo condita & ad conditoris
D laudem, & bonorum probationem, malorumq; supplicium, recte uituperari nullo modo potest: & eam uerissime deus dicit suam, quam non solum cõdit affluentissima bonitate, sed etiam prouidentissima moderatione dispensat. Cum autem hoc genus rerum dominus in Euangelio mammonam iniquitatis appellat, significat esse alterum mammonam, id est, alias diuitias, quas nisi iusti & boni possidere non possunt, ut ideo mammona iniquitatis uocetur, quia iniquitas eas uorat diuitias. In iustitia uero nouit esse alias diuitias quibus homo adornatur interior, sicut beatus Petrus dicit, Qui est ante deum diues. Illæ iustæ dicuntur diuitiæ, quia bonis meritis iustisq; tribuuntur. Illæ uero dicuntur diuitiæ, quia quisquis

quiſquis eas habuerit non egebit. Iſtę uero iniuſtę
diuitiæ, non quia iniuſtum eſt aurũ & argentum,
ſed quia iniuſtum eſt eas putare diuitias, quæ non
auferant egeſtatem. Tanto enim magis ardebit
quiſq; egeſtate auaritiæ, quanto magis eas diligẽs
maiores habuerit. Quomodo ergo ſunt diuitiæ
quibus creſcentibus creſcit inopia? Quæ amatori
bus ſuis, quanto fuerint ampliores, non afferunt
ſatietatem, ſed inflãmant cupiditatẽ. Diuitem tu
putas qui minus egeret, ſi minus haberet. Nam ui-
demus quoſdam cum haberent pecuniam par-
uam, paruis lucris fuiſſe lætatos: ſed poſtea cum
cœperint abundare ueris quidem copijs auri et ar
genti, ſed tamẽ falſis diuitijs, cum parua obtuleris
iam recuſant, credas eos iam eſſe ſatiatos, ſed fal-
ſum eſt. Nam maior pecunia fauces auaritiæ non
claudit ſed extendit, non irrigat ſed accendit. Po-
culum reſpuunt, quia fluuium ſitiunt, utrum ergo
ditior, aut egentior dicendus eſt, qui cum ideo
uoluit habere aliquid ne indigeret, ideo plus ha-
bet ne minus indigeat? Sed non eſt hæc auri cul-
pa & argenti. Fac enim miſericordem aliquem
inueniſſe theſaurum, nonne operante miſericor-
dia præbetur hoſpitalitas peregrinis, aluntur fa-
melici, nudi ueſtiuntur, inopes adiuuantur, capti
ui redimuntur, conſtruuntur eccleſiæ, reficiuntur
laſſi, pacantur litigioſi, reparãtur naufragi, curan-
tur ægroti, corporales opes diſpertiuntur in terra,
ſpiritales recondũtur in cœlo? Quis hęc facit? Mi
ſericors & bonus. Vnde facit? De auro & argen-
Aggei 2 to. Cui ſeruiens hæc facit? Ei qui dixit, Meum eſt
aurum, & meum eſt argentum. Videtis iam, ut ar-
bitror, fratres, quàm magno errore, magnaq; de-
mentia in res ipſas quibus male homines utuntur,
crimen male utentium transferatur. Nam ſi pro-
pterea uituperatur aurum & argentum, quia ho-
mines auaritia deprauati, neglectis præceptis o-
Rom. 1 mnipotentiſſimi creatoris in ea quæ condidit de-
teſtabili cupiditate rapiuntur, uituperetur etiam
omnis dei creatura. Quia ſicut Apoſtolus dixit,
Peruerſi quidam homines coluerunt & ſeruierũt
creaturę potius quàm creatori, qui eſt benedictus
in ſecula. Vituperetur etiã iſte ſol, quẽ certe ijdem
Manichæi qui non intelligunt eſſe creaturam, tan
quam ipſum creatorem, uel tanquam eis aliquam
partem colere atq; adorare non deſinunt. Cur er-
go ipſum non uituperant, cum plerunq; homines
de uſu ſolis & luminis in ædificijs ſuis lites iniu-
ſtiſſimas concitant, & ut feneſtris ſuis radij libe-
riores aliquanto largius infundantur, domos alie
nas deijcere ſæpe moliuntur, & eos qui cõtradixe
rint, etiam ſi iure certiſſimo contradicant, inimici
tijs acerbiſſimis inſectantur? Si quẽ igitur infimo-
rum potentior aliquis iniuſte ac nefarie propter
uſum ſolis oppreſſerit, diripuerit, in exilium etiam
mortemúe compulerit, ſolis eſt crimen quo ille a-
bundantius uti deſiderat, an potius male utentis
iniquitas? qui dum cupit corporeis oculis tempo
rale lumen largius acquirere, cubiculum cordis
luci non aperit æquitatis. Ex quo iſti ſi poſſunt in-
telligant, aut aurum & argentum ſe accuſare non

debere quãuis de auro & argẽto ſępe homines cu
A pidiſſimi dimicent: aut accuſationes ſuas de terra
in cœlũ, & de metallis fulgentib. in ſydera, atq; ip-
ſum ſolẽ ſe debere trãsferre, quãdo iniq homines
inexpiabili ſæpe diſcordia de poſſidẽda ſolis luce
configũt. Similiter etiã diſcant, quid interſit inter
hãc lucẽ uiſibilẽ, lucẽq; iuſtitię. Siquidem fieri põt
ut quanto maiore auiditate frui quiſq; hac luce uo
luerit, tãto maiori cæcitate à iuſtitiæ luce deficiat.

De Monomachia Goliæ & Dauid. 1. Reg. 17

Homilia XXXI

OLIAS unus fuit ex Allophylis, id eſt, ex A
G alienigenis, qui bellum gerebant illo tem
pore aduerſus filios Iſrael. Eo tẽpore Da-
uid ſanctus, cuius eſt hoc pſalterium, imò per quẽ
B miniſtrauit hoc pſalterium ſpirituſſanctus, puer
erat paſcens oues patris ſui tenera ætate, uix dum
adoleſcẽtulus: fratres eius iam iuuenes militabãt,
& in exercitu regis erant, attulit eis miſſus à paren
tibus aliquid de domo uſibus ipſorũ. Itaq; illo tem
pore quo pugnabatur in exercitu, inuentus eſt nõ
dum miles, ſed militũ miniſter & frater. Extitit tũc
Golias iſte de quo mentio facta eſt, ingens ſtatu-
ra corporis, armis inſtructus, uiribus etiam exerci
tatus, elatus iactantia, qui ſuperbe prouocaret ad
monomachiam populum aduerſarium, hoc eſt, ut
unus inde electus ab ipſis ꝓcederet aduerſus eũ,
ut duobus pugnantibus examen totius belli in
medio uerſaretur, pacto & placito addicto, ut ſi
quis illorum duorum uiciſſet, uniuerſæ parti un-
C de iſte ſteterat retribueretur uictoria. Rex ergo
ille populi Iudæorũ filiorum Iſrael, Saul erat. An-
gebatur, æſtuabat, quærebat in uniuerſo exercitu
parem illi uiro, non inueniebat, nec forma corpo-
ris, nec audacia prouocationis. Cũ æſtuaret, auſus
eſt puer iſte Dauid, non præſumens de uiribus ſu-
is, ſed in nomine dei ſui, procedere aduerſus eum.
Nuntiatũ eſt regi, non audacia puericiæ, ſed fidu-
cia deitatis, Nec rex abnuit, non recuſauit. Intelle-
xit cũ uideret audentem puerũ, aliquid in eo diui-
nitatis eſſe, nec illum tenera ætate ſine diuino in-
ſtinctu talia poſſe præſumere. Libenter accepit,
proceſſit aduerſus Goliam. In omnibus ergo qui
erant in ea parte, unde procedebat Dauid, nõ erat
præſumptio niſi de deo: in illis autem tota ſpes in
D unius hominis uiribus. Sed qd eſt homo, niſi qd'
in iſto pſalmo cecinit, Homo uanitati aſſimula- Pſal. 143
tus eſt, dies eius uelut umbra prætereunt? Ergo
ſpes illorum inanis, quę collocata eſt in umbra trã
ſeunte. Armatus eſt autem Dauid, ut quoniam
ætate & uiribus impar erat, quaſi armis par eſſet:
ſed arma uetera non adiuuabant potius, quàm o-
nerabant nouam ętatem. Et ad hoc pertinet quod
etiam apoſtolica lectio ante pſalmi canticum præ Col. 3
ſignauit dicens: Exuite uos ueterem hominem,
& induite nouum. Noluit Dauid uetuſtatem ar-
morum, abiecit, onera dixit eſſe, quia implicabãt
eum, expeditiſſimus ille ad prælĩũ procedere cu-
piebat, fortis non in ſe ſed in domino, armatus nõ
tam ferro, q̃ fide. Tamen abiectis armis, elegit ali-
quid unde pugnaret, & hoc non ſine ſacramento,
Nam

Nam uidetis quaſi duas quaſdam uitas: unã in a-
lienigenis ueterem, aliam in Iſraelitis nouam, ad-
uerſus inuicem dimicare. In illa parte corpus dia-
boli, in iſta præfiguratio domini noſtri Ieſu Chri-
ſti. Tulit quinq; lapides de torrẽte de fluuio, & po
ſuit in uaſe paſtoris quo lac mulgeri ſolet. Ita pro-
ceſſit armatus. Quinq; lapides lex erat. Contine-
tur ẽm lex quinq; libris Moyſi, & in ipſa lege de-
cem præcepta ſunt ſalutaria, quibus decem præ-
ceptis cætera ſeruiant. Præfiguratur ergo lex &
Pſal. 32 quinario & denario numero. Et ideo Dauid pu-
gnauit quinario, qui ait, In pſalterio decem chor-
darum pſallam tibi. Neque omnes quinq; lapides,
ſed unum tulit. Namq; in numero lapidũ, nume-
rum librorum oſtendit, in uno lapide unitatẽ im-
plentium legem. Vnitas enim implet legẽ, id eſt,
charitas. Ideo ſublati ſunt illi lapides quinque de
fluuio. Fluuius quid ſignificat? Illo tempore ſem-
per in ſcripturis eadem ſignificantur rebus certis.
Quinario numero propter quinq; libros Moyſi.
Quid ſignificant q de fluuio ſunt ablati & poſiti
in uaſe paſtoricio? Iam diximus, aduentu domini
noſtri IeſuChriſti ut uere uinceretur diabolus, lex
tranſiuit ad gratiam. Quid tam ſignificat gratiam
q̃ lactis copia? Sublati ſunt illi lapides de fluuio.
Fluuius ſignificat populum fluxum, deditum tem
poralibus rebus, amantem tranſeuntia, & cupidi-
tatis impetu in mare huius ſeculi decurrentẽ, qua-
lis erat populus Iudęorum. Vetus acceperat legẽ,
ſed calcabat legem, & tranſibat ſuper legem, & fe
rebatur in mare, quomodo fluuius ſuper illos lapi
des. Nõ enim lapides illi limitem fecerant fluuio,
ut ſtatuerent fluuium. Quòd ſi ita eſſent, ſignifica
rent coertionem legis, & eos qui confluere cœpe
runt uoluptatibus & cupiditatibus ſuis, uenientes
ad præcepta legis conſiſterent, & refrenarent im-
petus libidinũ ſuarũ. Non autem ita erant illi lapi-
des, ſed in fluuio ſuper quos tranſiebat aqua, ſicut
ſupra legem trãſgreſſor populus tranſiebat. Inde
ergo dñs tulit legem ad gratiã, id eſt, de fluuio tu-
lit & in uaſe paſtoris poſuit. Qui uult ergo imple-
re legẽ, gratiã cogitet: hoc eſt, homo totum q in-
noteſcit ei deus, q dat illi gratiam ſuã, unde pręſu-
mebat Dauid. Golias aũt de ſe, de uiribus ſuis ſu-
perbus, elatus, inflatus, primo totã uictoriam uni-
uerſæ partis ſuæ in ſe uno conſtituit. Et quia om̃is
ſuperbia habet impudentiã frontis, in ipſa fronte
lapide ueniẽte deiectus eſt. Euacuata eſt frõs quæ
habebat humilitatem crucis Chriſti. Propterea &
nos ſignũ ipſum crucis in frõte portamus, quia il-
lud intelligimus. Hoc dixi, fratres mei, quia multi
hoc faciũt, & intelligere nolũt. Factorem quærit
deus ſignorum ſuorum, non pictorem.

Ioan. 5 De eo quod ait dominus in euangelio, Nõ
poteſt filius à ſe facere quicquam niſi quod uide-
rit patrem facientem.

Homilia XXXII

RCANAm ſecreta regni dei prius quæ
A runt credentes, quo faciant intelligen-
tes. Fides enim gradus eſt intelligendi:

intellectus autem meritum fidei. Aperte hoc pro-
A pheta dicit omnibus præpropere & præpoſtere
intelligentiam requirentibus & fidem negligen-
tibus. Ait enim, Niſi credideritis non intellige- Eſa. 7
tis. Habet ergo & fides ipſa quoddam lumen ſu-
um in ſcripturis, in prophetia, in euãgelio, in apo-
ſtolicis lectionibus. Omnia enim iſta quæ nobis
ad tempus recitantur, lucernæ ſunt in obſcuro lo-
co ut nutriamur ad diem. Dicit apoſtolus Petrus,
Habemus certiorem propheticum ſermonem, 2. Pet. 1
cui benefacitis intendentes tanquam lucernæ in
obſcuro loco, donec dies luceſcat, & lucifer oria-
tur in cordibus ueſtris. Videtis ergo fratres, quan-
diu ſint peruerſi & properando uitioſi qui tanq̃
immaturi conceptus ante ortum quærunt abor-
B tum: qui nobis dicũt, quid me iubes credere quod
non uideo, uideam aliquid ut credam. Iubes cre- Eſa. 7
dere dum non uideã: ego uidere uolo & uidendo
credere, non audiẽdo. Dicat propheta, Niſi credi-
deritis nõ intelligetis. Aſcẽdere uis & gradus ob-
liuiſceris. Vtiq; peruerſe homo ſi iam tibi poſſem
oſtendere quod uideres, nõ hortarer ut crederes. Heb. 11
Ergo fides eſt, ſicut alibi diffinitum eſt, ſperãtium
ſubſtantia, conuictio rerum quæ non uidentur. Si
non uidentur, quomodo conuincunt quia ſunt?
Vnde enim ſunt iſta quæ uides, niſi ex illo quod
non uides? Vtiq; uides aliquid, ut credas aliquid,
& ex eo quod uides, credas quod non uides. Ne
ſis ingratus ei qui te fecit uidere, unde poſſis cre-
dere quod nondum potes uidere. Dedit tibi deus
C oculos in corpore, rationẽ in corde, excita ratio-
nem cordis, erige interiorem habitatorem interi-
orum oculorum tuorum, aſſumat feneſtras ſuas,
inſpiciat creaturam dei. Eſt enim aliquis intus qui
per oculos uideat. Nam quando aliquando in me
cogitas auerſo interius habitatore, quæ ſunt ante
oculos tuos non uides. Feneſtræ enim fruſtra pa-
tent, quando qui per eas attendit abſens eſt. Non
ergo oculi uident, ſed quidam per oculos uidet,
erige illum, excita illum. Non enim denegatum
eſt tibi, rationale animal te deus fecit, præpoſuit
te pecoribus, ad imaginem ſuam te formauit. Sic-
cine uti illis debes ut pecus tãtum, ut uideas quid
addas uentri, non menti? Erige ergo rationalem
aſpectum, utere oculis ut homo, intende cœlum
D & terram, ornamenta cœli, fœcunditatem terræ,
uolatus auium, natatus piſcium, uim ſeminum, or
dinem temporum. Intende facta & quære facto-
rem: aſpice quæ uides, & quære quem non uides.
Crede in eum quem non uides propter iſta quæ
uides. Et ne ſermone meo te exhortatum putes,
Apoſtolum audi dicentem, Inuiſibilia enim dei à
creatura mundi per ea quæ facta ſunt, conſpiciun
tur. Poſtponebas iſta nec attendebas ut homo, ſed
ut animal irrationale. Clamauit ad te propheta,
& fruſtra clamauit, Nolite eſſe ſicut equus & mu- Pſal. 31
lus quibus non eſt intellectus: uidebas ergo iſta
& poſtponebas, Quotidiana miracula dei non fa-
cilitate ſed aſſiduitate uiluerant. Quid enim diffi-
cilius cognitione q̃ ut naſcat̃ homo moriẽdo, di-
ſcedat in ſecreta qui erat, naſcẽdo procedat in pu-

blica qui non erat? Quid tam mirabile, quid tam difficile cognitu? Deo autem facile factu. Mirare ista, expergiscere, insolita nosti mirari, maiora sunt quàm quæ uidere consueuisti. Mirati sunt homines dominum deum nostrum Iesum Christum de quinq; panibus saginasse tot milia, & non mirantur per pauca grana impleri segetibus terras. Quę aqua erat uinum factum, uiderunt homines & obstupuerũt, quid aliud fit de pluuia per radicem uitis? Ipse illa fecit, ipse ista. Illa ut pascaris, ista ut mireris. Sed utraq; miranda sunt, quia opera dei sunt. Videt homo insolita & miratur: unde est ipse homo qui miratur ubi erat, unde processit, unde forma corporis, unde membrorum distinctio, unde habitus iste speciosus, de quibus primordijs, de quàm contemptibilibus, & miratur alia cũ sit ipse mirator, magnum miraculum. Vnde ergo ista quæ uides nisi ex illo quem non uides? Sed ut dicere cœperam, quia tibi ista uiluerant, uenit ipse ad facienda insolita, ut & in ipsis solitis agnoscere artificem tuum. Venit ille cui dictum est, Innoua signa. Cui dictum est, Mirifica misericordias tuas. Largiebatur enim eas, largiebatur & nemo mirabatur. Venit ergo paruus ad paruos, uenit medicus ad ægrotos, qui poterat uenire cum uellet, redire cum uellet, facere quicquid uellet, iudicare ut uellet. Et hoc quod uellet ipsa iustitia est, & quod ille uult, inquam, ipsa iustitia est. Non enim iniquum est quod ille uult, aut æquum potest esse quod non uult. Venit suscitare mortuum mirantibus, reddere luci hominem qui erat in luce, qui quotidie qui non erant, producit ad lucem. Fecit ista & contemptus est à multis, plus attendentibus nõ quàm magna faceret, sed quàm paruus, tanquam dicentibus apud se: ista diuina sunt, sed iste homo est. Duo ergo uides, diuina & hominem. Si diuina non possunt fieri nisi à deo, uide ne in homine lateat deus. Attende, inquam, quæ uides, crede quæ non uides. Non te deseruit qui uocauit ut credas, quamuis iuberet te illud credere quod non potes uidere, non tamen te dimisit nihil uidentem unde possis credere quod non uides. Paruane signa, paruane indicia sunt creatoris ipsa creatura? Venit etiam, fecit miracula, non poteras uidere deum, poteras hominem, deus factus est homo ut in uno tibi esset & quod uideres & quod crederes. In principio erat uerbum & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Audis & nondum uides. Ecce uenit, ecce nascitur, ecce de fœmina procedit qui fecit masculum, & fœminam. Qui fecit masculum & fœminam, non est factus per masculum & fœminam. Contempturus enim eras forte qui nasceretur, non contemnis quomodo nasceret, quia semper erat antequã nasceretur, Ecce, inquam, assumpsit corpus, indutus est carne, processit ex utero. Iam ne uides, iam inq;, uides carnem, interrogo, sed carnem ostẽdo, uides aliquid, & non uides aliquid. Ecce in ipso partu, ecce etiã duo sunt, & quod uideas & quod non uideas, sed ut per ipsum quod uides credas quod non uides. Cõtemnere cœperas, quia uides

Eccli. 36

Ioan. 1

qui natus est: crede quod non uides, quia de uirgine natus. Quantulus est, inquit, qui natus est, sed quãtus est qui de uirgine natus est? Et ille qui de uirgine natus est miraculum temporale tibi attulit: non est natus de patre, scilicet de patre homine, & natus est de carne. Sed non tibi uideatur impossibile, quia natus est per solam matrem, qui fecit hominem ante patrem & matrem. Attulit ergo tibi temporale miraculum, ut tu eum quæras & mireris æternum. Etenim ipse qui tanquam sponsus processit de thalamo suo, de utero scilicet uirginali, ubi sanctæ nuptiæ factę sunt uerbũ & caro, attulit inq; miraculum temporale: sed ipse est ęternus, ipse est patri coęternus, ipse est qui in principio erat uerbum, & uerbũ erat apud deũ, & deus erat uerbum. Fecit tibi unde sanareris, ut uidere posses quod non uidebas. Quod contemnis in Christo, nondum est contemplatio sanati, sed medicamentum ęgroti. Noli festinare ad uisionem sanorum. Angeli uident, angeli gaudent, angeli pascuntur & uiuunt, nec deficit unde pascuntur, nec minuitur esca ipsorum. In sublimibus thronis, in partibus cœlorum, in his quæ supra cœlos sunt, uidetur uerbum ab angelis & gaudet, & manducatur & permanet. Sed ut panem angelorũ mãducaret homo, dominus angelorum factus est homo. Hæc est salus nostra, medicina infirmorum, cibus sanorum. Et loquebat hominibus, & dicebat q̃d audistis, Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod uiderit patrem faciẽtem. Iam ne putamus, est aliquis qui intelligat? Iam ne putamus, est aliquis in quo proficit collyrium carnis ad intuendũ utcunq; splendorem diuinitatis? Locutus est, loquamur & nos, ille quia uerbum, nos quia de uerbo. Quare autem nos utcunq; de uerbo? Quia ad similitudinem uerbi per uerbum. Quantum ergo capimus, quantum illius ineffabilitatis participes esse possumus, loquamur & nos, nec contradicat nobis. Præcessit em̃ fides nostra ut dicamus, Credidi propter quod locutus sum. Loquor ergo q̃d credo, utrum etiam utcunque uideo ille magis uidet, hoc uidere uos non potestis. Sed cum dixero, qui uidet quod dico, siue credat & me uidere quod dixi, siue non credat, quid ad me illud? synceriter uideat, & de me quod uult credat. Non potest filius à se facere quicquã nisi quod uiderit patrem facientem. Hic Arianorum error exurgit, sed exurgit ut cadat, quia non humiliatur ut surgat. Quid est quod te mouit? Filium minorem uis dicere. Audisti enim, Non potest filius à se facere quicquam nisi quod uiderit patrem facientem. Minorem uis ex hoc filium dici, Noui hoc, noui hoc te mouit, crede minorem non esse, uidere nondum potes, crede, hoc est quod paulo ante dicebam. Sed quomodo, inquies, contra uerba ipsius crediturus sum? Ipse dicit, Non potest filius à se facere quicquam nisi quod uiderit patrem facientem. Attende & quod sequitur, Quæcunq; enim facit pater eadẽ & filius facit, non dixit talia. Paululũ attẽdat charitas uestra ne uobismetipsis strepitũ faciatis. Trãquillo corde opus est, pia & deuota

Ioan. 5

Psal. 115

deuota fide, intentione religiosa: nõ in me uasculum, sed in illum attendite qui panem ponit in uasculo. Attẽdite ergo paululũ. In his enim quæ supra diximus hortantes ad fidem, ut animus indutus fide sit intellectu capax, ea quæ dicta sunt, festiua, læta, facilia, sonuerunt, exhilarauerunt mentes uestras, secuti estis, intellexistis quæ dixi. Quæ uero dicturus sum spero aliquos intellecturos, uereor tamẽ non omnes intellecturos. Et quia deus nobis proposuit per lectionem euangelij unde dicamus, nec uitare possumus quod proposuit magister, forte uereor ne qui non intellexerint, qui fortassis plures erunt ut putent me frustra sibi locutum, sed tamẽ propter eos qui intellexerint nõ frustra loquor. Lætetur qui intelligit, patiẽter ferat qui non intelligit, quod non intelligit ferat, & ut intelligat differat. Non ergo ait, Quæcunq; pater facit talia filius facit, tanquam alia faciat pater, & alia faciat filius. Videbatur em̃ tanquã hoc dixisse cũ superius diceret. Non facit à se filius quicquam nisi quod uiderit patrem facientem. Intẽde: neq; ibi ait, nisi quod audierit patrem iubentem, sed uiderit, inquit, patrem facientẽ. Si ergo carnalem intellectũ, uel potius sensum interrogemus, quasi duos sibi proposuit artifices, patrem & filium, patrem facientem nullo uiso, filium faciẽtem à patre uiso: carnalis adhuc aspectus est, ueruntamen ut ea quę superiora sunt intelligamus, ista humiliora & abiecta non declinemus. Primo sic nobis ante oculos constituamus aliquid, putemus esse duos fabros, patrẽ & filium. Fecit pater arcam quam filius facere non poterat nisi patrem uideret facientem: attendit arcam quã fecit pater, & fecit arcam aliam talem, non eandem. Differo paululum uerba quæ sequuntur, & iam interrogo Arianum. Siccine intelligis quomodo proposuit? Fecit pater aliquid quod cum uideret filius patrem facientem, fecit & ipse tale aliquid? Hoc enim uidentur sonare uerba quibus permotus es. Neque enim ait, Non potest à se facere filius quicquam nisi quod audierit patrem iubentem. Sed ait, Non potest à se facere filius quicquam nisi quod uiderit patrem facientem. Ecce si sic intelligis, fecit pater & attendit filius ut uideret & ipse quod faceret. Faceret autem aliud aliquod tale quale fecerat pater. Hoc quod fecit pater per quem fecit? Si non per filium, si non per uerbũ, incurristi in blasphemiam euangelij. Omnia enim per ipsum facta sunt. Ergo iam quod fecerat pater per uerbũ fecerat, si per uerbum fecerat, per filium fecerat. Quis est alius qui attẽdit ut faciat aliud aliquid quod uiderit patrem facientẽ? Non soletis dicere duos filios habere patrem: unus est unicus de illo genitus. Per misericordiam uero suam, solus ad diuinitatem, & non solus ad hæreditatem. Cohæredes unico suo fecit pater: non quos de sua substantia sicut ipsum genuit, sed quos de familia sua per ipsum adoptauit. In adoptionem quippe filiorum uocati sumus, sicut sancta scriptura testatur. Quid ergo dicis? Ipse unicus loquitur: ipse filius unigenitus in euangelio loquitur: ipsum uerbum nobis uerba fecit, ipsum audiuimus dicentem, Non potest filius à se facere quicquam nisi quod uiderit patrem faciẽtem. Iam fecit pater ut uideat quod faciat filius, & tamen nihil facit pater nisi per filium. Certe turbaris hæretice, certe turbaris, sed tanquã helleboro accepto turbaris ut sanerís. Iam te non inuenis, sententiam tuam, & carnalẽ intuitũ tuum, quantum arbitror etiam ipse cõdemnas. Repone oculos carnis post te, erige si aliquid habes in corde, diuina intuere. Audis quidem humana uerba per hominem, per euangelistam, per euangelium audis humana uerba sicut homo. Sed de uerbo dei audis, ut humana audias, diuina cognoscas. Exagitauit magister ut erudiret, seminauit quæstionem ut moueret intẽtionem, Nõ potest filius à se facere quicquam nisi quod uiderit patrẽ faciẽtem. Consequẽs erat quod diceret, Quæcunq; em̃ pater facit, talia facit filius, Nõ hoc ait, Sed quæcunq; pater facit, hæc eadẽ & filius facit. Non alia pater facit, alia filius facit, quia omnia quæ pater facit per filium facit. Suscitauit Lazarũ filius, nunquid pater eum non suscitauit? Illuminauit filius cæcum, nunquid pater non illuminauit? Illuminauit pater per filium in spiritu sancto. Trinitas est, sed una operatio, una maiestas, una ęternitas, una coæternitas, & opera eadem trinitatis. Non alios homines creat pater, alios filius, alios spiritus sanctus. Vnum eundemq; hominem & pater & filius & spiritus sanctus creat, & pater & filius & spiritus sanctus unus deus creat. Attendis pluralitatem personarum, sed unitatẽ diuinitatis agnosce. Propter pluralitatem enim personarũ dictũ est, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non ait, faciam hominem, & attende cum facio ut possis & tu alterũ facere. Faciamus, inquit, pluralitatem audio, ad imaginem nostram item pluralitatem audio. Vbi ergo singularitas diuinitatis, lege sequentia. Et fecit deus hominem. Dicitur, Faciamus hominem, & non dicitur fecerũt dij hominem. Intelligitur unitas in eo quod dictum, est, Fecit deus hominem. Vbi est ergo intentio illa carnalis? Confundatur, abscondatur, perimatur: loquatur nobis uerbum dei. Iam pij, iam credentes, iam imbuti fide & comparato aliquo merito intelligentię, conuertamus nos ad ipsum uerbum, ad fontem luminis & dicamus simul, Domine eadem fecit pater quæ tu, quia quicquid facit pater per te facit, Te uerbum audiuimus in principio, non uidimus sed credimus. Ibi consequenter audiuimus, quia omnia per te facta sunt. Omnia ergo quæ facit pater per te facit. Eadem ergo facis quæ pater. Quid est quare dicere uoluisti, nõ potest filius à se facere quicquã? Video enim æqualitatem quandam tibi cum patre, in eo quod audio: Quæcunq; pater facit, hæc eadem filius facit: agnosco æqualitatem, hic intelligo, hic capio ut possum: ego & pater unum sumus: quid est quòd non potes facere quicquam, nisi quod uideris patrem faciẽtem? Quid est hoc? Forte dicat mihi, imò dicat nobis omnibus. Hoc enim quod dixi, Non potest filius facere quicquam

Ioan. 5

quam nisi quod uiderit patrem facientem, uidere meũ quomodo intelligis, uidere meum quid est? Sequestra paululum formam serui quam propter te suscepit. Etem̃ in illa forma serui dominus noster oculos & aures habebat in carne, & in illa forma humana qualem & nos portamus eadem figura corporis erat, eadem lineamenta membrorum. Caro illa uenerat ex Adam, sed non erat ille Adam. Ergo dominus ambulans siue in terra siue in mari, sicut ei placuit sicut uoluit, quia quicquid uoluit potuit, inspexit quod uoluit, iecit oculos, uidit, auertit oculos & non uidit, à tergo erat qui sequebatur, ante erat qui uideretur: oculis corporis quod ante erat uidebat. Diuinitatem uero nihil latebat: sepone sepone, inquã paululum formam serui, formam dei uide in qua erat antequam mundus fieret, in qua erat æqualis patri, per eum hoc accipe & intellige quid tibi ait, Qui cum in forma dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo. Ibi eum uide si potes, ut possis uidere quid sit uidere ipsius. In principio erat uerbum. Quomodo uidet uerbum? Habet ne oculos uerbum, an in illo se inueniunt oculi nostri, & oculi nõ carnales, sed oculi piorum cordium? Beati em̃ mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Aspicis Christum hominem & deum, ostendit tibi hominem, seruat tibi deũ. Et uide quia deum tibi seruat qui se tibi hominem ostendit. Qui diligit me, inquit, mandata mea custodit: qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum: & tanquam diceretur, quid ei dabis quem diligis? Et ostendam, inquit, meipsum illi. Quid est hoc fratres? Quem iam uidebant, ipse se illis demonstraturum promittebat. Quibus? A quibus uidebat: an à quibus & non uidebatur? Sic loquens Apostolo cuidam ait, quærenti uidere patrem, ut sufficeret ei, & dicenti: Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Et ille stans ante oculos serui, in forma serui, seruans oculi deificati formã dei, ait illi, Tanto tempore uobiscũ sum & non cognouistis me? Qui me uidet uidet & patrẽ, patrem quæris uidere, me uide, uides me & nõ uides me. Vides quod pro te assumpsi, nõ uides quod pro te seruaui. Audi mandata, purga oculos, quia qui diligit me, mãdata mea custodit, & ego diligam eum. Tanq̃ custodienti mandata mea & tanquã sanato per mandata mea, ostendam meipsum illi. Si ergo fratres uidere non possumus quid sit uidere uerbi, quò imus, quã uisionem forte præpropere exigimus, quid nobis ostendi uolumus quod uidere possumus? Ideo ista dicta sunt quæ desideramus uidere, nõ quod iam possimus capere. Videre em̃ uerbi: si uideas forte in eo quod uides uidere uerbi, ipsum uerbum uidebis, & nõ aliud sit uerbũ, aliud uidere uerbi, ne ibi sit aliquid coaugmentatum & copulatum & duplex & cõpaginatum. Simplex enim aliquid est ineffabili simplicitate. Non quẽadmodum homo aliud est homo, aliud uidere hominis. Nam aliquando extinguitur quod est uidere hominis & manet homo: hoc est quod dicebã dicturum me aliquid quod nõ possent omnes intelligere, etiam dominus faciat ut aliqui intellexerint. Fratres mei ad hoc exhortatur ut uideamus, uidere uerbi ultra uires nostras esse, quia paruæ sunt, nutriantur, perficiantur. Vnde? Mandatis. Quibus mandatis? Qui diligit me mandata mea custodit. Quæ mandata? Iam enim crescere uolumus, iam roborari, iam perfici, ut uideamus uidere uerbi. Dic iam, domine quæ mandata? Mandatum nouum do uobis, ut uos inuicem diligatis. Hanc ergo fratres charitatem de ubertate fontis hauriamus, ista capiamus, in ea nutriamur. Cape per quod sis capax. Charitas te gignat, charitas nutriat, charitas perficiat, charitas roboret: ut uideas uidere uerbi non aliud esse uerbũ & aliud uidere ipsius, sed ipsum quod est, uidere uerbi, hoc esse uerbum, & cito forte intelliges, quia illud quod dictum est, Non potest filius à se facere quicquã nisi quod uiderit patrem facientem, tale est ac si diceret, non esset filius nisi de patre nasceretur. Sufficiat fratres, noui id me dixisse, quod cogitatũ forte, aperiatur multis, sæpe uerbis dictum forte obscuretur.

Philip.2 — Ioan.14 — Ioan.5

De eo quod propheta dicit in psalmo, Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum. Homilia XXXIII

Psal.83

ECVNDVM Apostolum fratres charissimi, qui satis diligit seculum non habet plenum diuini amoris affectũ. Sic enim audistis legi, Qui diligit seculum nõ est perfecta charitas dei in illo. Ac per hoc tunc perfecte incipit Christianus futuram & æternam uitam diligere, cum uitam præsentem cœperit nõ amare. Et ideo statim sequitur in psalmo, Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum. Confirmat quod supra dixerat deum se amare non seculum, Exultauit sed in deum uiuum, hoc est, non exultauit in hoc mundo, nec exultauit in aliqua oblectamenta quæ mũdi sunt, id est, nõ in diuitijs, non in honore, non in luxuria, non in ebrietate, non in uanitatibus mortuis & cito cum omni suo amore morituris, sed in deũ uiuum. Quare non dixit, In deũ tantum, sed addidit in deum uiuum? Vt ostenderet scilicet quia totum q̃d non pertineret ad dei cultum deberemus habere quasi mortuum. Simulq̃ considerate huius dicti subtilitatem sermonis sacri: cor meum, inquit, & caro mea exultauerunt in deum uiuũ. Nunquid non suffecerat dicere, Cor meum exultauit in deum uiuũ, nisi addidisset, & caro mea? Videamus ergo quomodo in deum & cor simul & caro hominis exultat. Quomodo, nisi ut homo & carne & corde deo seruiat. Cor enim exultat in deum quãdo honesta & sancta cogitat, quando religiosa opera & deo placita concupiscit. Caro aũt exultat quando pudica est, quãdo sobria, quãdo nulla impuritate polluitur, quando nullis immundis actibus sordidatur. Videte enim è diuerso & agnoscite, quàm uera sint quæ dico: si uiderit aliquis uestrum hominem iusta dicentẽ, nunquid dicere potest, quòd cor illius exultet in deum uiuũ? Aut si quis aliũ uiderit ebrio-

ebriosum, impudicum, fornicatorem, nunquid dicere potest quòd caro eius exultet in deum uiuũ? Nulla enim caro exultat in deum, quæ uiuit in uitio. Ideo ergo propheta dicebat, Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum. Quia & cor de retinebat plenam religionis fidem, & carne seruabat deuotam corporis sanctitatẽ. Nec sine causa in consequentibus statim psalmista subdidit dicens, Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum ubi reponat pullos suos. In turture & passere, saluator noster significat, fratres charissimi. passer enim, ut scitis, perparua auis est. Turtur autẽ ut legimus pudicissima. Et ideo saluator noster passer dicitur, quia docuit primus humilitatẽ. Turtur dictus est, quia primus docuit castitatem. Vnde etiam in Canticis canticorum propheta dicit, Vox turturis audita est in terra nostra. Vox turturis doctrina intelligitur saluatoris. Audire cœpit, puritatem castitatis adamauit. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidũ sibi ut reponat pullos suos. Quæ est em̃ domus Christi, nisi Ecclesia dei? Quæ est domus Christi, nisi conuentus populi Christiani? Hanc ergo domum saluator cum ingenti pietate quæsiuit & inuenit. Hanc peculiariter diligit. Merito peculiariter diligit, quam peculiariter suo sanguine comparauit. In hac ergo domo saluator congregat pullos suos. Quos ergo credimus Christi pullos? Quos nisi populos Christianos? Denique qui sint domini nostri pulli, ipse hodie cõuentus uester ostendit. Dum enim aspicio uestram cõgregationem, cõgregasse in ecclesia pullos uideo saluatorem. Quamuis legimus in alijs libris scriptum, ut supra dixi, Et turtur nidum sibi ubi reponat pullos suos, sed utrunq̃ in persona ecclesiæ bene cõuenit, id est, quod nos saluator & congreget & reponat. Cõgregat em̃ nos ut doctrinam illius audiamus, & reponit, ut ab insidijs diaboli tuti esse possimus. Quod ut faciat & ut quotidie faciat, precemur deum saluatorem nostrum, cui est cũ patre & spiritu sancto honor & gloria in secula seculorum. Amen.

De eo quod dominus ait in euãgelio, Ego sum uia, ueritas & uita. Homilia XXXIIII

Ioan.14

RIGVNT nos diuinæ lectiones ne desperatione frangamur, & rursus terrent ne superbia uentilemur. Tenere aũt uiã mediam, ueram, rectam, tanq̃ inter sinistrã desperationis & dexteram præsumptiõis difficillimum esset nobis nisi Christus diceret, Ego sum uia, ego sum, inquit, uia ueritas & uita. Tanq̃ diceret, Quaris ire? Ego sum uia. Quo uis ire? Ego sum ueritas. Vbi uis p̃manere? Ego sum uita. Secure ergo ambulemus in uia, sed insidias timeamus iuxta uiam. Inimicus insidiari non audet in uia, quia Christus est uia. Sed iuxta uiam planè non desineret. Vnde & in psalmo dicitur, Iuxta semitas scãdala posuerunt mihi. Dicit & alia scriptura. Memento quia in medio laqueorũ ingrederis. Isti laquei inter quos ingredimur non sunt in uia, sed tamen sunt iuxta uiam. Quid formidas, quid metuis, si in uia ambulas? Tunc time si deseras uiam. Nam ideo etiã permittitur ponere iuxta uiam laqueos, ne securitate exultationis uia deseratur, & in insidias incidatur. Via Christus humilis, Christus ueritas & uita, Christus excelsus & deus. Si ambules in humili, peruenies ad excelsum. Si infirmus humilem non asperneris, in excelso fortissimus pmanebis. Quæ enim causa humilitatis Christi, nisi infirmitas tua? Veniret ad te tantus medicus, si uel sic ægrotares ut tu possis uenire ad medicum? Venit docens humilitatem qua redeamus, quia superbia nos redire non sinebat. Quia & superbia fecerat recedere ex altatum humanum cor aduersus deum, & negligens in ipsa sanitate præcepta salutaria, decidit anima in infirmitatem, discat audire infirma quem cõtempsit fortis. Audiat ut surgat, quem spreuit ut caderet. Audiat tandem experimento edocta, quod præcepto noluit obtinere. Docuit enim eã miseria sua quid mali sit à domino fornicari. Recedere enim ab illo simplici & singulari bono, in istas multitudinum uoluptates, in amorem seculi corruptionemq̃ terrenam, fornicari est à deo. Et quodammodo fornicantem allocutus est ut rediret, sæpissime per prophetas increpat tanquam fornicariam, non tamen desperatam, quia in manu habet etiam mundationem fornicariæ, qui increpat fornicariam. Non enim sic increpat ut insultet, sed ad cõfusionem uult perducere ut sanet. Exclamauit scriptura uehementer nec palpauit adulando, quos uoluit reparare sanando. Adulteri, nescitis, quia amicus huius mundi inimicus dei constituetur? Amor mundi adulterat animam, amor fabricationis mundi castificat animam: sed nisi de corruptione erubuerit, ad amplexus illos castos redire non concupiscit. Confundatur ut redeat, quæ se iactabat ne rediret. Superbia ergo impediebat animæ reditum. Qui autem increpat, nõ facit peccatum, sed ostẽdit peccatum. Quod nolebat anima uidere, ponet̃ ei ante oculos: quod post dorsum habere cupiebat, ad faciem illi admouet̃. Vide te in te. Quid uides stipulam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non uides? Reuocatur ad se, quæ ibat à se. Sicut à se ierat, sic à domino suo ibat. Se enim respexerat, sibiq̃ placuerat, suæq̃ potestatis amatrix facta fuerat: recessit ab illo & non remansit in se: & à se repellitur, & à se excluditur, in exteriora prolabitur. Amat mũdum, amat temporalia, amat terrena, quæ si seipsam amaret, neglecto à quo facta est iam minus esset, iam deficeret amando quod minus est. Minus est enim ipsa quàm deus, & longe minus, tantoq̃ minus, quantum minus est res facta quàm factor. Ergo amandus erat deus, & amandus est deus, ita ut si fieri potest nosipsos obliuiscamur. Quis ergo est iste transitus: oblita est anima seipsam, sed amãdo mundum oblita est se: sed non amando artificem mundi, pulsa est & à se. Pulsa ergo & à se quodammodo perdidit se, nec facta sua nouit uidere, iustificat iniquitates suas & fertur & superbit in petulantia, in luxuria, in honoribus, in potestatibus, in diuitijs, in potentia uanitatis: arguitur, corripitur, ostenditur sibi, displicet sibi, confi-

Psal.139 — Eccli.9 — Iaco.4

confitetur fœditatem, desiderat pulchritudinem, & quæ ibat effusa, redit confusa. Contra illam uidetur orare, an pro illa qui dicit, Imple facies eorum ignominia. Aduersarius apparet, inimicus apparet. Audi quod sequitur, & uide utrum orare possit amicus. Imple, inquit, facies eorum ignominia & quærent nomen tuum domine. Oderat eos quorum facies ignominia implere cupiebat. Vide quemadmodum amat eos quos uult quærere nomen domini. Amat tantum, an odit tantũ? An & odit & amat? Imò & odit & amat. Odit tua, amat te. Quid est, odit tua amat te? Odit quod fecisti, amat quod fecit deus. Quæ sunt enim tua nisi peccata? Et quid es tu nisi quod fecit deus hominem ad imaginem & similitudinem suam? Negligis quod factus es, & diligis quod fecisti. Amas extra te opera tua, negligis in te opus dei. Merito is, merito laberis, merito & à teipso pergis, merito audis: spiritus ambulans & non reuertens. Audi potius uocantem & dicentem, Conuertimini ad me, & conuertar ad uos. Non enim deus auertitur & conuertitur, manens corripit, incommutabilis corripit. Auersus est, quia tu te auertisti. Tu ab illo fecisti casum, non ipse à te fecit occasum. Ergo audi dicentem tibi, Conuertimini ad me & cõuertar ad uos: hoc est enim, conuertar ad uos, quia conuertimini ad me. Fugientis dorsa persequitur, faciem redeũtis illuminat, Quò enim fugies à deo fugiens? Quò fugies fugiens ab illo qui nullo loco continetur & nusquam absens est? Qui conuersum liberat, punit auersum. Habes iudicem fugiens, patrem habeto rediens. Tumuerat autem superbia, & ipso tumore per angustiam redire non poterat. Clamat ille qui factus est uia: intrate per angustam portam. Conatur ingredi, impedit tumor, & tanto magis perniciose conatur, quãto magis impedit tumor. Tumidum autem uexat angustia, uexatus autem amplius tumebit. Amplius tumens quando intrabit? Ergo detumescat. Vnde detumescat? Accipiat humilitas medicamentum, bibat contra tumorem poculum amarum sed salubre, bibat poculum humilitatis. Quid se artat? Nõ sinet moles, non magna, sed tumida. Magnitudo enim soliditatem habet, tumor inflationem. Non sibi magnus tumidus uideatur, detumescat ut magnus sit, ut certus sit, ut solidus. Non ista desideret, non de ista pompa rerum labentium corruptibiliumq; glorietur, audiat eum ipsum qui dixit, Intrate per angustam portam, dicentem, Ego sum uia. Quasi enim quæreret tumidus quà intrabo? Ego sum uia, inquit, per me intra, non nisi per me ambulas ut intres per ianuam. Nam sicut dixit, Ego sum uia, ita etiam, Ego sum ianua. Quid quæris quà redeas, quò redeas, quà intres? Ne alicubi erres, ipse tibi omnia factus est. Breuiter ergo dicit, Humilis esto, mitis esto. Audiamus hoc apertissime dicentem, ut uideas quà sit uia, quæ sit uia, quò sit uia, quò uis uenire. Certe forte auaritia omnia uis possidere. Omnia mihi, inquit, tradita sunt à patre meo. Fortasse dicturus es. Christo sunt tradita, non mihi. Audi Apostolum dicentem, Audi ut dixi iamdudum, ne desperatione frangaris. Audi quomodo amatus es, turpis, fœdus, antequam esset in te quod amari dignum esset. Amatus es prius ut dignus fieres qui amareris. Etenim Christus, sicut ait Apostolus, pro impijs mortuus est. An forte impius amari merebatur? Quare? Quid merebatur impius? Damnari, respondes. Christus tamen pro impijs mortuus est. Ecce quid tibi præstitum est impio, iam pio quid seruat? Quid præstitum est impio? Christus pro impijs mortuus est. Desiderabas autem omnia possidere, noli per auariciam, per pietatem hoc quære, per humilitatem hoc quære. Si enim ita quęsieris, possidebis. Tenebis enim eum per quem facta sunt omnia, & cum ipso omnia possidebis. Non hæc quasi ratiocinando dicimus. Audi Apostolum ipsum dicentem, Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Auare, ecce habes omnia. Omnia quæ amas ut non impediaris à Christo contemne, & ipsum tene in quo possis omnia possidere. Ipse ergo medicus nihil tali indigens medicamento, tamen ut exhortaretur ægrotum bibit, quod opus non erat: tanquam recusantem alloquens, & trepidum erigens bibit prior. Calicem, inquit, quem ego bibiturus sum, qui in me non habeo quod ab alio calice sanetur: bibiturus sum tamen ne tu dedigneris bibere cui opus est ut bibas. Iam uidete fratres, si amplius ægrotare debet genus humanum accepta tãta medicina? Iam humilis deus, & adhuc superbus homo. Audiat, discat. Omnia mihi, inquit, tradita sunt à patre meo. Si desideras omnia, mecum habebis, si desideras patrem, per me habebis & in me habebis. Nemo cognoscit patrem nisi filius, Noli desperare. Veni ad filium. Audi quod sequitur, Et cui uoluerit filius reuelare. Dicebas non possum. Per angustam me uocas. Non possum intrare per angustam. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Sarcina uobis tumor uester est. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me. Clamat magister angelorum, clamat uerbum dei, quo rationales omnes mentes sine defectu pascuntur. Cibus reficiens & integer permanens clamat & dicit, Discite à me. Exaudias populus dicentem, Discite à me. Respondeat, quid discimus à te? A magno enim artifice nescio quid audituri sumus, cum dicit, Discite à me. Quis est qui dicit, discite à me? Qui formauit terram, qui diuisit mare & aridam, qui creauit uolatilia, qui creauit animalia terrena, qui creauit omnia natantia, qui posuit in cœlo sydera, qui distinxit diem & noctem, qui firmauit ipsum firmamentum, qui lucem à tenebris separauit, ipse dicit, Discite à me. Nunquid forte hoc nobis dicturus est ut ista cum illo faciamus? Qui hoc potest, solus deus facit. Noli, inqt, timere, non te onero. Hoc à me disce quod propter te factus sum. Discite à me, inquit, non formare creaturam quæ per me facta est, nec illa quidem

Zach.1 Matt.7 Ioan.14 Ioan.10 Matt.11 Rom.8 Rom.8 Matth.11

dem dico discatis, quæ quibusdam donaui quibus uolui non omnibus. Suscitare mortuos, illuminare cæcos, aperire aures surdorum, nec ista pro magno uelitis discere à me. Gauisi discipuli & exultantes redierunt dicentes, Ecce in nomine tuo & dæmonia nobis subiecta sunt. Ait illis Iesus, Noli te in hoc gaudere, quia dæmonia uobis subiecta sunt, gaudete potius, quia nomina uestra scripta sunt in cœlo. Quibus uoluit donauit expellere dæmonia, donauit quibus uoluit mortuos suscitare. Facta sunt & hæc miracula ante incarnationem domini. Suscitati sunt mortui, mundati sunt leprosi. Legimus hæc, Et quis fecit tũc nisi ille qui postea homo Christus post Dauid, sed deus Christus ante Abraham, ipse donauit hæc omnia, ipse per homines fecit, nec tamen omnibus hæc dedit? Nunquid quibus hæc non dedit desperare debẽt, & dicere se non peruenire ad eum, quia hæc dona accipere non meruerunt? In corpore membra sunt, aliud potest illud membrum, aliud illud. Compegit corpus deus, non tribuit auri ut uideat, nec oculo ut audiat, nec fronti ut olfaciat, nec manui ut gustet: non dedit hæc, sed omnibus membris sanitatem dedit, compagem dedit, unitatem dedit, spiritu omnia pariter uiuificauit & uniuit. Sic ergo dedit cuidam mortuos suscitare, alij dedit disputare: omnibus tamen quid dedit? Discite à me qa mitis sum & humilis corde. Quoniam audiuimus dicentem, Mitis sum & humilis corde, Fratres mei, tota medicina nostra ista est, Discite à me qa mitis sum & humilis corde. Quid prodest si miracula facit & sit superbus, non sit mitis & non humilis corde? Nónne in illo numero deputabitur eorum qui uenturi sunt in finem & dicturi, Nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Sed quid audient, non noui uos. Recedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Quid ergo prodest ut discamus, quoniam mitis sum & humilis corde? Charitatem inserit & germanissimam charitatem, sine confusione, sine inflatione, sine elatione, sine fallacia: hoc inserit qui dicit, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Quando potest synceríssimam habere charitatem superbus & inflatus? Necesse est ut inuideat. An forte qui inuidet amat, & nos erramus? Absit ut quisque sic erret ut inuidum dicat habere charitatem. Ergo quid dicit Apostolus, Charitas non æmulatur. Quare non æmulatur? Non inflatur: causam statim subiecit, unde abstulerit æmulationem charitati. Qua non inflatur, non æmulatur. Primo quidem illud dixit, Charitas non æmulatur, sed tu quasi quæreres, quare non æmulatur, addidit, non inflatur. Si ergo ideo æmulatur, quia inflatur: si non inflatur non æmulatur. Si charitas non inflatur & ideo non æmulatur, charitatem inserit qui ait, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Iam quilibet habeat quod uult, iactet se unde uult. Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum ut æramentum sonans aut cymbalum tinniens. Quid sublimius munere linguarum diuersarum? Æramentum est cymbalum tinniens, si auferas charitatem. Audi alia munera. Si sciam omnia sacramenta, quid excellentius? quid magnificentius? Audi adhuc aliud, Si habeam omnem prophetiam & omnem fidem, ita ut montes transferã: charitatem autem non habeam, nihil sum. Accessit ad ampliora fratres, Quid aliud dixit, Si distribuam omnia mea pauperibus: quid potest fieri perfectius? Quandoquidem diuiti propter perfectionem hoc dominus imperauit dicens, Si uis perfectus esse, uade uende omnia quæ habes, & da pauperibus. Iam ergo perfectus est, quia uendidit omnia sua & dedit pauperibus. Nam ideo addidit, Et ueni sequere me. Vende omnia, inquit, da pauperibus, & ueni sequere me. Quare te sequor? Iam uenditis omnibus distributis pauperibus, nõne perfectus sum? quid opus est ut te sequar? Sequere me ut discas, quoniam mitis sum & humilis corde. Potest enim quisque uendere omnia sua & dare pauperibus nondum mitis, non humilis corde? Certe potest. Si enim omnia mea distribuero pauperibus. Et adhuc audi. Nam quidam relictis omnibus quæ habuerunt, iam secuti sunt dominum, sed nondum ad perfectum secuti. Ad perfectum enim sequi, est imitari. Non potuerunt ferre tentationem passionis. Iam Petrus, fratres, erat ex his qui dimiserant omnia, & secuti erant dominum. Nam diuite illo cum tristitia recedente, ubi conturbati discipuli interrogauerunt, quòd quis tandem posset esse perfectus, & eos consolatus est dominus, dixerant domino, Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo nobis erit? Et dixit dominus, quid eis hic daret, quid in futurũ reseruaret: tamen iste iam ex eorum numero qui hæc fecerant. At ubi uentum est ad articulum passionis, ad uocem unius ancillæ ter negauit eum, cum quo se moriturum esse promiserat. Intendat ergo charitas uestra, Vade, inquit, omnia tua uende, et da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ueni sequere me. Perfectus est Petrus iam domino in cœlo sedente ad dexteram patris, tunc perfectus est & maturus factus. Ad passionem ergo cum sequeretur dominum non perfectus erat. At ubi nõ esse cœpit in terra quem sequeretur, tunc perfectus est, imò uero semper ante te, habes quem sequaris, dominus exemplũ in terram posuit, cum Euangelium ibi reliquit, in Euangelio tecum est. Non enim mentitus est dicens, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Ergo sequere dominum. Quid est sequere dominum? Imitare dominum. Quid est imitare dominum? Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Quia si distribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ut ardeam: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, Exhortor ergo charitatem uestrã, ad ipsam charitatem, non autem exhortarer ad charitatẽ, nisi aliqua charitate. Quod ergo inchoatũ est exhortor ut impleatur, & quod cœptum est rogo ut perficiatur. Et pro me à uobis

Luc.10 4 Reg.2 4.&5 Matt.19 1 Cor.13 Mat.11 Mat.28

bis rogari quęso, ut & in me perficiat q̃d uos moneo. Omnes enim imperfecti sumus, & ibi perfici mur ubi perfecta sunt omnia. Paulus apostolus di
Phil.3 cit, Fratres, ego me non arbitror apprehendisse. Ipse dicit, Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim. Et quis hominum se audet de perfectione iactare? Imò confiteamur imperfectionem, ut mereamur perfectionem.

De prædictione temporum Christianorum in diuinis scripturis. Homilia. XXXV

IN omnibus scripturis diuinis, fratres charissimi, Christianorũ tempora prædicta sunt. Hoc ideo, quia futurum erat ut reges terræ, qui propter idola persequebantur Christianos, propter Christum idola delerent, & subiugaretur omnis potestas iugo Christi, ut
Psal.117 impleretur quod dictum est, Vltus sum eas. Quid est enim, ultus sum eas? Vindicaui me de ipsis. Corpus Christi loquitur, uindicaui me de inimicis meis. Quomodo me uindicaui? Occidendo in eis errorem, suscitando fidem. Quicquid enim erat quod in omnibus malis et peruersis persequebatur Christianos, deletũ est. Homo enim quãdo te persequitur, noli attẽdere illam figurã quam fecit deus, ut animã illam quam spirauit deus: non te persequitur quod fecit deus, sed mala quę fecit homo. Omnia quæ fecit deus laudant deum. Audistis in benedictionibus, & auditis in omni solennitate quando leguntur, quomodo omnia laudant deum, cœlestia & terrestria, angeli, homines, luminaria cœli, arbores terrę, flumina, maria, quicquid deus creauit, siue in cœlo, siue in terra, siue in mari, laudant deum, Nunquid aliquando ibi audistis, quia laudat deum auaricia? Nunquid aliquando ibi audistis, quia laudat deum ebriositas? Nunquid audistis ibi, quia laudat deum luxuria? Nunquid aliquando audistis, quia laudat deum hæresis? Omnia ista quare nõ lãdant deum? Quia nõ sũt creata à deo. Et arbor seruauit quod creata est, homo deleuit quod erectus est, Si em̃ seruaret in se bonũ quod in illo creauit deus, id est, imaginẽ suam, semper laudaret deum, nõ solum lingua, sed & uita. Ergo prędicta sunt tempora nostra. Sed in temporibus nostris prædicta sunt futura schismata. Quomodo ergo pugnauit illa ecclesia contra diabolum, sic & ista pugnat. Nunquid cessatur pugnare aduersus diabolũ? Sed dictũ est de diabolo, quia leo & draco est. Leo propter impetum, draco propter insidias: leo aperte irascitur, draco occulte insidiat. Pugnauit ecclesia prioribus tẽporibus aduersus leonem, pugnat modo aduersus draconem. Sed quomodo uictus est leo, uincitur & draco. Quæ fortitudo leonis cõtra illum leonẽ de
Apoc.5 quo scriptum est, Vicit leo de tribu Iuda? Et quæ fortitudo draconis cõtra mortem domini qui serpentem suspendit in ligno? Triumphauit enim de morte, quam diabolus propinauerat per astutias suas homini. Et cum exaltaret Moyses serpentem in eremo in ligno, populus qui mordebatur à serpente, attendebat serpentem & sanabatur: sic & modo quẽcunq; momoderit astutia satanæ, intueatur Christum in ligno pendentem. Ibi enim mors occisa est, dominus semper uiuit. Sed ut occideret mortem, uestitus est morte. Non potuit mors mori nisi in uita. Non moritur amaritudo nisi in dulcedine, non moritur frigus nisi in calore, non est mortua mors nisi in uita. Quid est uita? Christus noster. Sed uita induta erat mortem. Crucifixus est, occisus est, mortuus est, & resurrexit tota uita. Interfecta morte & deglutita morte, iam uita surrexit, ut diceret de illo Apostolus, Sci Rom.6
mus quia Christus non moritur, & mors ei ultra non dominabitur. Quia autem dominata est primo homini mors, uolenti dominata est, inflauit
Ioan.10 se aduersus eum satelles leonis. Tunc iudex à quo iudicabatur erexit ceruicem & ait, Non mihi respondes? Rugitus sæuit leonis, tumẽt colla serpentis, sedantur ad responsionem agni, qui nouit occidere leonem. Audi quia uolenti dominata est mors. Cum enim hæc ab illo audiuit, respondit, Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset de cœlo. Quis dedit hanc desuper potestatem? Deus. Quis est deus? Pater & filius & spiritussanctus. Vt ergo esset homini potestas in deũ, ab ipso deo accepit potestatem homo ut iudicaret deum, deum occultum, hominem manifestum. Vt ergo leonem & draconem, de quo supra dictum est, possimus cum dei adiutorio uincere, cum grandi timore ac tremore ante oculos habeamus illud
quod ait apostolus Petrus, Aduersarius uester dia 1 Pet.5
bolus tanquam leo rugiens aliquid deuorare quærens circuit. Et illud quod de dracone Apostolus nos admonet, ut eum omni solicitudine caueamus. Aptaui uos, inquit, uni uiro uirginem castam 2 Cor.11
exhibere Christo: sed timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita & sensus uestri corrumpantur à simplicitate quæ est in Christo Iesu. Quando ergo tibi aliqua publica tribulatio nata fuerit, rabiẽ ac sæuitiã leonis intellige. Quando te malæ concupiscentiæ ad auariciã uel luxuriã calli da seductione solicitant, draconis blandimenta cognosce. Si ergo fidem rectam cupis fideliter custodire, in aduersis fortis esto contra leonis sæuitiam. Si uero uirginitatem animæ integram seruare desideras, quantum potes obserua blandimẽta draconis: Ne forte si incautus fueris, quinque sensus qui in te sunt quasi quinq; uirgines permittas à serpente corrumpi. Quicquid enim pulchrescit uisu, quicquid dulcescit gustu, quicquid blanditur auditu, quicquid lenocinatur odoratu, quicquid mollescit attactu, in his omnibus si incauti fuerimus, surrepentibus concupiscentijs malis, animę uirginitatem corrumpi permittimus, & impletur in nobis illud quod per propheram dictum
est, Intrauit mors per fenestras uestras. Per hos e- Hier.9
nim quinq; sensus quasi per quasdam ianuas aut mors aut uita ad animam nostrã ingrediẽt. Simus ergo auxiliante domino de illis quinq; uirginibus sapientibus, quę sicut in euangelio legimus, portauerunt oleum in lampadibus suis: Et quantũ possumus obseruemus ne inter illas stultas inueniamur, quæ sibi de sola corporis integritate plaudentes

dentes, uirginitatẽ animę per corruptionem quinque sensuum perdiderunt, quæ non portauerunt oleum secum. Quibus dictum est, Ite emite uobis à uendentibus oleum. Oleum enim hoc loco adulatio est & laus humana. Vendunt oleum omnes adulatores. Ergo stultæ illæ dictæ sunt, quæ forinsecus quærebant laudem, non intus in conscientia habebant, ideo non portabant oleum secum: id est, qui laudem in aliena lingua, nõ in conscientia sua uolebant habere. Tamen quid responderũt illis stultis: Ne forte non sufficiat nobis & uobis:
1.Cor.4 quomodo Apostolus dixit, Sed neq; ego meipsum dijudico. Si ergo conscientia nostra sub examine iudicij dei trepidat, & quamuis sibi recta putet, tamen timet ne exeat iustitiæ regula de thesauro illius, & inueniatur tortum quod uidebatur rectum: quanto minus curare debemus aliena iudicia de nobis charissimi, siue mala siue bona, nec ualde gaudere debemus quando laudamur, nec cõtristari quando uituperamur: nec coronare nos potest laus falsa, nec damnare uituperatio falsa. Quamdiu autem uiuimus hic, de nobisipsis nos ipsi iudicare non possumus, non dico quod cras erimus, sed quid hodie simus: quanto minus debemus moueri iudicijs alienis, quàm de conscientia nostra quæ nobis perhibet testimonium? Nam gloria nostra debet esse conscientia nostra. Itaque fratres paululum aduertat charitas uestra ut dicã quod uolo, & si non sicut uolo, sicut dominus dederit & uoluerit. Quod maxime necessarium est quotidianis tentationibus & Ecclesiæ catholicæ, quia inter tentationes uiuit, & inter tentationes crescit, & inter tentationes perdurat, & inter tentationes peruenit. Sed cum peruenerit succedet quies labori, recedit tentatio, manet benedictio. Sed rogo uos fratres ne sine causa audiatis, ista tenete, ruminate, pascimini inde, nõ recedat de ore uestro quod modo memoriæ commendatur. Memoria hominis sic est, quomodo uenter pecoris: Nostis quia in lege immũda dicta sunt animalia quæ non ruminant, quæ autem ruminant munda sunt, & quæcunque habent ungulam fissam, pertinent ad discernendum uerum & falsum. Fissa ungula pertinet ad discernendum quid dextrũ quid sinistrum. Ruminatio enim pertinet ad eos qui cogitant postea quod audierint & tenuerint. Nam modo manducamus, & in memoriam tanquam in uentrem mittitur. Sed quid facit pecus quando ruminat? Illud quod in præsepe iactatum fuerat & in uentre repositũ, reuocat ad os, & in ipsa dulcedine conquiescit, Hoc dixi ut commendarem uobis ne sitis immundi tanquam pecora. Accepit illud in uentre, postea non ruminat, & transit tota dulcedo: Et nihil uobis prodest quod recõditum est, quia non redit ad os dulcedo. Audite illud expresse, & aperte dictum alia sentẽtia, quod obscure & mystice de ruminãtibus animalibus dictum, alio loco aperte expositũ est, ut intelligamus quid sit, Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, stultus autẽ glutit illud.

Aug.to.10

De eo quod in Esaia scriptum est, Ascendet sicut uirgultum, & sicut radix de terra sitienti.

Homilia XXXVI

E DOMINO & Saluatore nostro fratres dilectissimi ante multa tempora prophetatum est, Ascendet sicut uirgultum & sicut radix de terra sitienti. Quare ut radix? Esa.53
Ideo quia non est illi species neq; honor. Passus est, humiliatus est, consputus est, non habebat speciem, homo apparebat cum deus esset. Sed quomodo radix non est pulchra, sed intus habet uim pulchritudinis suæ. Attendite fratres mei, uidete misericordiam dei. Attendis arborem pulchram, amœnam, folijs uirentem, fructib. opulentam, laudas. Delectat aliquid de fructu carpere, sub umbra eius sedere & requiescere ab ęstu: Laudas totam illam pulchritudinem. Si radix ostendatur tibi, nulla pulchritudo in ea est. Noli cõtemnere quod abiectũ est, inde processit quod miraris, ut radix sit in terra sitienti. Attendite modo charitatẽ arboris, creuit ecclesia, crediderũt gẽtes, uicti sunt terræ principes sub nomine Christi, ut essent uictores in orbe terrarum. Positum est collum eorum sub iugo Christi. Persequebantur ante Christianos pro idolis, persequuntur idola propter Christum. Omnes confugiunt ad auxilium Ecclesiæ, in omni pressura, in omni tribulatione sua. Creuit illud granum sinapis, factum est maius super omnia olera. Veniunt uolatilia cœli, superbi seculi, & requiescunt sub ramis eius. Vnde hæc tanta pulchritudo? Nescio de qua radice surrexit, & ista pulchritudo in magna gloria est. Quę ramus radicem. Consputus est, humiliatus est, flagellatus est, crucifixus est, uulneratus est, contemptus est. Ecce hic species non est, sed in ecclesia gloria radicis pollet. Ergo ipsum describit sponsum, illum contemptum, inhonoratum, abiectũ. Sed modo uidere habetis arborem quæ surrexit de ista radice, & impleuit orbem terrarum. Radix de terra sitienti, non est species illi neque honor: Et uidimus illum & non habuit speciem neq; decorem. Nonne hic est fabri filius qui non habuit Ioan.8
decorẽ, ut diceretur, Nõne uerũ dicimus quia dæmonium habes? In nomine aũt ipsius dæmonia fugiebant, & illi obijciẽt, quia dæmoniũ habes. Sed quare hoc? Vidimus eum, & nõ habebat speciem neq; decorẽ. Quæ species illius intus erat ubi non uidebat? In principio erat uerbũ, & uerbum erat apud deũ, & deus erat uerbũ, Quę est species illius? Qui cũ in forma dei esset, nõ rapinã arbitratus Philip.2
est esse se æqualem deo. Et ubi uisus est nõ habere speciẽ neq; decorẽ? Et non habuit speciẽ, sed uultus eius abiectus, & deformis positio eius ab omnibus hominibus, homo in plaga, in plaga homo, ante plagam deus, post plagã deus homo, homo in plaga & qui sciat ferre infirmitates. Infirmitates quorum? Ipsorum à quibus patiebatur. Medicus ferebat infirmitates phreneticorũ, & cũ ipse crucifigeretur, orabat & dicebat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Attendite quomodo amemus, sponsus quantomagis deformis nobis

commendatur, tanto charior, tanto dulcior factus
ſponſæ propter quod & auertit ſe. Auertit ſe ne
illum intelligerent illi qui eum crucifigebant. Fa-
cies eius iniuriata' eſt, nec magni æſtimata eſt.
Hic infirmitates noſtras portat, & pro nobis in
doloribus eſt, & nos exiſtimauimus illum in do-
loribus eſſe & in plaga, & in pœna, ipſe autem uul
neratus eſt propter peccata noſtra, & infirmatus
eſt propter iniquitates noſtras. Eruditio pacis no-
ſtræ in eum, liuore eius ſanati ſumus. Omnes ut
oues errauimus, & dominus tradidit illum pro
peccatis noſtris. Euangelium eſt an Prophetia?
Quid dicunt contra iſta ludæi? Nonne mirum eſt
audire eos iſta, habere illos iſta, legere illos iſta?
Nõ inuenire de quo dici potuerunt, niſi de illo u-
no qui in Euangelio prædicatur per orbem terra-
rum, & adhuc non eſſe Chriſtianos, ſed ſic eſſe il-
los cæcos aduerſus euidentiſſima eloquia prophe
tarum. Noli mirari cæcitatem Iudæorum de Chri-
ſto. Ecce tranſit quod dicitur de ſponſo, incipit di-
ci & de ſponſa. Et quomodo in ſponſo mirabaris
cæcitatem Iudæorum, ſic in ſponſa miraberis cæci
tatem hæreticorum. Iam modo miremur cæcita-
tem Iudæorum. Dominus tradidit illum pro pec-
catis noſtris, & ipſe quoniam traditus eſt nõ ape-
ruit os. Vt ouis ad immolandum ductus eſt, ut a-
gnus ante eum qui ſe tonderet fuit ſine uoce, ſic
non aperuit os ſuum. In humilitate iudicium eius
ſublatum eſt: & ne contemnas, Generationem
Pſal.109 eius qui enarrabit? Quam generationem? Ante
luciferum genui te. Ecce una generatio, Ante lu-
ciferum, ante omnia quæ facta ſunt, ante omnes
angelos, ante omnem creaturam. Quare? Quia
omnia per ipſum facta ſunt. Sed forte ſecunda ei-
us generatio narratur. Quis illam narrat? Fide
concipitur, maſculus non accedit, uterus uirginis
tumet, procedit tãquam ſponſus de thalamo ſuo,
mirabilis iſta generatio, mirabilis eſt humana quia
ſine patre, mirabilis illa quia ſine matre. Vt ouis
ad immolandum ductus eſt, & ut agnus ante eum
qui ſe tonderet, ſic non aperuit os ſuum. In humi-
litate iudicium eius ſublatum eſt, Generationem
eius quis enarrabit? Quoniam tolletur de terra uita
eius. Reſurrectionem eius prædicat. Videtis
Lucæ 24 quia uere dominus hæc poſſit? Quis niſi uera ue-
ritas hæc dicebat, Quæ ſcripta ſunt in lege & Pro-
phetis & Pſalmis de me? quia oportebat Chriſtũ
pati & reſurgere. Audiſtis & reſurgere. Modo
audiſtis, quoniam tolletur de terra uita eius: &
prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſ-
ſionem peccatorum per omnes gentes, incipi-
ens ab Hieruſalem. Audietis & illud ab iſto Pro-
pheta, non quia debemus Prophetam præponere
deo, præco præceſſit, iudex ſecutus eſt. Non ſua
ſed iudicis uerba præco dicebat, & iudex conſe-
quens uerba ſua in præcone firmauit, Quoniam
tolletur de terra uita eius. Ab iniquitatibus po-
puli mei ductus eſt ad mortem. Audiebatis mo
Eſa.53 do dicentem illis, Quid uobis feci? Si inueniſtis
in me peccatum, arguite me, Et illi, Crucifige cru
cifige, ut putabant hominem, tamen innocẽtem.

Ergo ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad
A mortem. Dabo ergo malos pro ſepultura eius.
Quid eſt hoc, Dabo malos pro ſepultura eius, &
diuites pro morte eius? Malos propter ſepultu-
ram eius: & diuites propter mortem eius. Diues
ille ab Arimathia Ioſeph, cum dominus penderet
in cruce intrauit ad Pilatum & petijt corpus eius,
obſecutus eſt ut ſepeliret, dati ſunt diuites p mor-
te eius. Sepeliuit pauperem in quo diuitias requi-
rebat. Ergo diuites propter mortem eius. Quod
poſtea dixit primo factum eſt, quod primo dixit
poſtea factum eſt, malos pro ſepultura eius. Vbi
oſtendimus? Intrauerunt Iudæi ad Pilatum & di-
xerunt ei, Domine audiuimus quia ille planus, id
eſt ille impoſtor, dixit diſcipulis ſuis, quia reſurre-
cturus erit occiſus: iube cuſtodiatur ſepulchrum,
B ne forte ueniant diſcipuli eius nocte & auferant
eum, & fiat error maior priore. Ait illis Pilatus,
Habetis milites, ite cuſtodite ſicut uultis. Accepe
runt milites, poſuerunt ibi. Mali ſunt iſti, ipſi ſunt
dati propter ſepulturam eius ad cuſtodiendum.
Sed unde probamus, quia mali ſunt? Milites
innocentes erant miſsi, iudex eis præcepit, uene-
runt ad ſepulchrum, cuſtodierunt. Audi quia ma-
li ſunt. Lege Euangelium, Poſtea quàm reſurrexit
dominus & uiderunt angelum, conterriti & con-
ſternati ſunt. Quando dictum eſt alijs, Nolite ti-
mere uos, iſti timore percuſſi, quia fide ſubleuati
non ſunt: Et tamen cum iſta ſcirent, uenerunt ad
Iudæos, dixerunt illis iſta omnia. Dixerunt iu-
dæi, Damus uobis pecuniam. Ergo mali erant,
C ueritatem abſconderunt, mẽdacium uendiderũt,
Et quomodo mendacium uendiderunt? Non mi-
rum, mendacium uendiderunt, mendacium cæ-
ci cæcis. Dicite, dictum eſt illis, quia dormienti-
bus nobis uenerunt diſcipuli eius & ſubtraxerunt
illũ: o uanitas uendens uanitatem, uanitatem au-
dituris uanis et creditures. Hodiéque hoc eſt apud
Iudæos, ſic habet ipſa fama quàm uana, quàm fal-
ſa, quàm inanis. Teſtimonium martyrum nolunt
audire ut uiuant, & teſtimonium dormientium au
diunt ut pereant. Si dormiebant cuſtodes, unde
ſcire potuerunt, quis illum tulerit de ſepulchro?
Aut quid uigilabas male? O male de quo non ſi-
ne cauſa dixit Propheta, Dabo malos pro ſepul-
tura eius. O mali, ò peſsimi, aut uigilabatis & cuſto
D dire debuiſtis: aut dormiebatis, & quid ſit factum
neſcitis. Impletum eſt enim quod ſpiritus ſan-
ctus per Pſalmiſtam multum ante prædixerat, Co Pſal.10
gitauerunt conſilium quod non potuerunt ſtabi-
lire. Nos ergo fratres chariſſimi pro quorum ſalu
te iſta omnia & prædicta ſunt & impleta, gratias
agamus diuinæ miſericordiæ, & quantum poſ-
ſumus totis uirib. laboremus, ut beneficia dei nõ
nobis iudicium pariant ſed profectum, ut cum tre
mendus iudicij dies & tempus reddendæ ratio-
nis aduenerit, quicquid nobis dominus & Salua-
tor noſter contulit iudicatus, integrum inueniat
iudicaturus. Equidem ille cum uenerit redditurus
eſt quod promiſit, ſed requiſiturus eſt quod rede-
mit, & quod in primo aduentu contulit exactu-
rus

rus eſt in ſecũdo. Quãuis multũ præſumere debea
mus de miſericordia dei, nõ tamen negligẽter de-
A bemus timere iuſtitiam eius. Cum iuſtitia enim te
iudicabit, qui cum miſericordia te redemit. Nam
quòd tam longo tẽpore peccamus & parcit, non
eſt negligentia ſed patientia. Non ille potentiam
perdidit, ſed nos ad pœnitentiã reſeruauit. Tenea-
mus ergo iuſtitiam cuius miſericordiam deſidera-
mus. Parcit enim modo ſed non tacet, ſed ſi ta-
cet non ſemper tacebit. Audiamus ergo eum dum
non tacet in præcepto, ſi uolumus ut nobis par-
cat cum non tacuerit in iudicio. Modo enim præ-
rogatur nobis miſericordia, tũc à nobis exigetur
iuſtitia, & reddet unicuiq; ſecundum opera ſua, ac
Iacobi 2 fiet illud quod Apoſtolus dixit, Iudicium ſine mi-
ſericordia illi qui non fecit miſericordiam.
B De eo quod dñs dicit in euãgelio, Qui amat ani
mam ſuã perdet illã. Homilia XXXVII

M ODO fratres chariſsimi cum diuina
lectio legeretur, audiuimus domi-
num dicentem, Qui amat animam
Ioan.12 ſuam perdet illam. Huic ſententiæ quaſi contrari-
Epheſ.5 um uidetur eſſe quod ait Apoſtolus, Nemo un-
quam carnem ſuam odio habuit. Si ergo nemo eſt
qui carnem ſuam oderit, quanto magis nemo eſt
qui oderit animam ſuam? Multum quippe anima
carni preponitur, quia ipſa eſt habitatrix, caro ha-
bitaculum. Et anima dominatur, caro autẽ ſeruit.
Anima ſuperior eſt, caro ſubiecta eſt. Si ergo ne-
mo unquam carnẽ ſuam odio habuit, quis eſt qui
animam ſuam oderit? Propter hoc non paruam
C quæſtionem nobis intulit præſens euangelica le-
ctio, ubi audiuimus, Qui amat animã ſuam perdet
illam. Periculoſum eſt homini animam amare ne
perdat. Sed ſi propterea periculum eſt ut ames ani
mam tuam ne pereat anima tua, ideo non debes
illam amare, quia nõ uis illam perire. Si autem nõ
uis illam perire, amas illam. Quid eſt hoc, ſi amo
perdo? Ergo non amem ne perdã. Sed quia timeo
perdere ideo non amo, utiq; eo quod timeo. Dicit
Matth.16 & alibi dominus, Quid prodeſt homini, ſi totum
mundum lucretur, animæ uero ſuæ detrimentũ pa
tiatur? Ecce quia ſic eſt amanda anima, ut lucro to
tius mundi præferatur, & tamen obſeruet qui ani-
mam amat, quia ſi amat, perdet illam. Non uis per
dere eam, noli illam amare. Sed ſi non uis eam per
dere, non potes eam nõ amare. Sunt ergo qui per-
D uerſe animam ſuam amant, & hoc uult dei ſermo
corrigere, non ut oderint animam ſuam, ſed ut re
cte diligant. Male enim diligendo perdunt eam,
& fit quiddam magnum quaſi præpoſterum & cõ
trarium. Sed ita tamen fit, ut ſi diligas eam peruer-
ſe, perdas illam: ſi oderis illã recte, cõſerues illam.
Eſt ergo quidam peruerſus amor eius, & quod-
dam rectum odium eius. Sed amor peruerſus ab
odio, odium rectum ab amore eſt. Quis eſt peruer
ſus animæ amor? Quando diligis animã tuam in
iniquitatibus, audi quia ab odio uenit amor iſte
Pſal.10 peruerſus. Qui aũt diligit iniquitatẽ, odit animam
ſuã. Odiũ aũt rectũ uide, quia ab amore uenit. Ibi
dem dominus ſecutus ait, Qui aũt odit animam ſu

am in hoc ſeculo, in uitam æternam inueniet eam.
A Vtiq; q̃d uis inuenire in uitã æternã, multũ amas.
Quod amas ad tẽpus quid proderit? Aut ſubduceris illi, aut ſubducit tibi. Cũ fueris tu ſubtractus,
perit ipſe amor: cũ fuerit illud ſubtractũ, perit q̃d
amaſti. Vbi ergo aut amor perit, aut quod amatur,
non eſt amandũ. Sed quid eſt amandũ? Quod no-
biſcum poteſt eſſe in æternũ. Sed ſi uis animã tuam
in æternũ habere ſaluam, oderis eam ad tẽpus. Er-
go odium rectũ ab amore uenit, peruerſus amor
ab odio uenit. Quis igit modus diligẽdi animam?
Putatis martyres non amare animas ſuas? Videtis
certe modo ſi cuius uita præſẽtis ſeculi pericliteẽ,
quomodo amici eius currũt pro ea, quomodo cur
ritur ad eccleſiam, rogatur epiſcopus ut intermit-
tat ſi quas habet actiones, currat, feſtinet. Quare?
B Pro anima. Et omnes contremiſcunt, omnibus cę
teris rebus intermiſſis feſtinandum eſſe decernũt.
Omnis feſtinatio laudatur, omnis tardatio accuſa
tur. Quare? Pro anima. Quid eſt pro anima? Ne
moriatur homo. Non nouerant martyres amare
animas ſuas, & tamẽ hoc eſt pro anima, ne moriat
homo. Mors hominis iniquitas eſt. Si curris pro
hac uita centũ milia, quot milia debes currere pro
uita æterna? Si feſtinas lucrari dies paucos & ip-
ſos incertos: hodie enim homo à morte liberatus,
neſcit utrum cras moriatur: tamen ſi ſic currit ur
propter lucrum paucorum dierum, quia & uſq; in
ſenectam pauci dies ſunt, quomodo currendum
eſt pro uita æterna. Et tamẽ propter hãc pigri ſunt
C homines. Difficile inuenis qui uel paſſus lentos
moueat pro uita æterna? Amor ergo peruerſus a-
nimæ abũdat, amor aũt rectus ualde paucorũ eſt.
Nam ſicut nemo eſt qui nõ diligat animã ſuam, ſic
nemo eſt qui non amet carnẽ ſuam. Vnde fieri po
teſt ut & uerum ſit quod ait Apoſtolus, Nemo un Epheſ.5
quam carnem ſuam odio habuit, & anima nõ ame
tur. Diſcamus ergo fratres amare animas noſtras.
Omnis uoluptas ſeculi trãſitoria eſt. Eſt amor uti-
lis, eſt amor noxius, amor amore impediẽ, amor
noxius recedat, & amor utilis ſuccedat. Sed quia
homines nolũt illinc recedere ideo in illos nõ po-
teſt aliud introire: ut nõ capiãt, pleni ſunt, fundant
& capiunt. Pleni enim ſunt amore uoluptatũ car-
naliũ, pleni ſunt amore uitæ præſentis, pleni ſunt
amore auri & argẽti, poſſeſſionũ ſeculi huius. Qui
D ergo pleni ſunt, ſic ſunt quomodo uaſa. Vis ut in-
tret mel unde acetum nondum fudiſti? Funde q̃d
habes, ut capias quod non habes. Ideo prima re-
nunciatio eſt huic ſeculo, & deinde conuerſio ad
deum. Qui renunciat fundit, qui conuertitur im-
pletur, ſed ſi non fiat corpore ſolo, ſed & corde.
Quæritur autẽ fratres quomodo creſcat iſte amor.
Habet enim initia ſua, habet augmenta ſua, ha-
bet perfectionem ſuam. Et debemus noſſe quis
cœperit, ut eum augmento cohortemur: quis nec
cœperit ut eum quo incipiat moneamus: quis &
cœperit & creuerit, ut eum ad perfectionem inci-
temus. Primo illud attẽdat charitas ueſtra, amores
omnes & dilectiones prius ſunt in hominibus de
ſe, & ſic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum,

prius te diligis & sic aurum: quia si tu mortuus fueris, nullus erit qui aurum possideat. Ergo dilectio unicuique à se incipit, & non potest nisi à se incipere, & nemo monetur ut se diligat. Hoc enim non solum inest hominibus, sed & pecoribus. Videtis enim fratres, quemadmodum non tantum ingentes bestiæ & magna animalia, ut sunt boues aut cameli uel elephanti, sed & muscę, sed & uermiculi minimi quomodo nolunt mori & diligant se. Omnia animalia mortem fugiunt. Ergo diligunt se, custodire se uolunt, alia uelocitate, alia latebris, alia resistendo & repugnando. Omnia tamen animalia pro uita sua pugnant, mori nolunt, custodire se uolunt. Amant ergo se, incipit & aliud amari. Sed quid est ipsum aliud? Quicquid amaueris, aut hoc est quod tu, aut inferius te est, aut superius te est. Si inferius te est quod amas, ad cõsolandum ama, ad tractandum ama, ad utendum ama, non ad illigandum. Verbi gratia, aurum amas, noli te illigare auro, quanto melior es quàm aurum. Aurum enim terra est fulgens, tu autem ut illuminareris à domino, ad imaginem dei factus es. Cum sit aurum creatura dei, non tamen fecit deus aurum ad imaginem suam sed te. Ergo posuit sub te aurum. Amor ergo iste contemnendus est. Ad usum assumenda sunt ista, non eis uinculo amoris quasi glutino hærendum est. Non facias tibi membra, quæ cum cœperint pręcidi, dolebis atq; cruciaberis. Quid ergo? Assurge ab isto amore quo amas inferiora quàm tu es, incipe amare paria, id est, quod tu es. Sed quid multis opus est? Si uolueris breuiter poteris. Quo ordine autem uerum amorem & ueram charitatem habere possumus, ipse dominus dixit nobis in Euangelio euidenter ostendens, sic enim ait, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum. Primum ergo dilige deum, deinde teipsum, post hæc dilige proximum tuum sicut teipsum. Prius tamen disce amare teipsum, sic dilige proximum tuum sicut teipsum. Nam si teipsum non nosti amare quomodo proximum poteris in ueritate diligere? Putant enim nonnulli homines legitimo ordine se amare, quando res alienas rapiunt, quando se inebriant, quando libidini seruiunt, quando per diuersas calumnias iniusta lucra conquirunt. Isti tales audiant scripturam dicentem, Qui dilígit iniquitatem odit animam suam. Si ergo amando iniquitatem, teipsum non solum non diligis, sed etiam odio habes, quomodo aut deum aut proximum diligere poteris? Si ergo uis ueræ charitatis ordinem custodire, fac iustitiam, dilige misericordiam, fuge luxuriam, incipe secundum præceptum domini, nõ solum amicos, sed etiam inimicos diligere. Et hæc cum fideliter custodire toto corde contenderis, istis uirtutibus quasi quibusdam gradibus poteris ascendere, ut merearis deum toto animo & tota uirtute diligere. Et cum ad istam felicem perfectionem ueneris, omnes concupiscentias istius mundi tanquam stercora computabis. Et cum Propheta poteris dicere, Mihi autem adhærere deo bonum est.

Mat.22

Psal.10

De eo quod dominus dicit in euangelio, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Homilia XXXVIII

ON solum in nouo sed etiam in ueteri Testamento admonemur fratres charissimi, qualiter perfectam charitatem tenere debeamus. Sic enim ipse dominus in Euangelio dixit, Diliges proximum tanquam teipsum. Tractemus ergo aliquantum de amore hominis in hominem, quia sunt amores hominum peruersi. Ipse peruerse amat alterum, qui & se peruerse amat: Qui autem recte se amat, & alterum recte amat. Verbi gratia, Sunt amores flagitiosi detestabiles: Amores adulterorum, amores corruptorum, immundi amores. Malos amores detestantur omnes leges humanæ, & leges diuinæ. Remoue ergo istos illicitos, quæramus licitos. Incipit amor licitus à cõiugio, sed adhuc carnalis est. Videtis quia communis est cum pecoribus, & passeres illi qui personant habẽt coniugia, & nidos faciunt, simul oua cõfouent, simul pullos nutriunt. Licitus quidem amor iste in hominibus, sed uidetis quia carnalis est. Secundus amor filiorum est, sed adhuc ipse carnalis est. Non enim est laudandus qui amat filios, sed detestandus qui nõ amat. Pro magno enim laudaturus sum in homine quod uideo in tigride? Serpentes amant filios suos, leones & lupi amant filos suos. Noli ergo magnũ putare quòd amas filios tuos. Adhuc in amore hoc serpentibus compararis. Si non amaueris, à serpentibus uinceris. Honestos amores iam dico. Illos enim flagitiosos exclusi. Alius amor qui est propinquorum, iam iste uidetur proprius hominum, si non sit cõsuetudinis. Nam maior est amor qui extenditur ultra propinquos, q̃ qui tenet inter propinquos. Qui amat ꝓpinquos suos, adhuc sanguinẽ suũ amat, Amet alios qui nõ sunt propinqui, suscipiat peregrinum, iam multum dilatatus est amor iste. Tantum autem crescit, ut à coniuge ad filios, à filijs ad propinquos, à propinquis ad extraneos, ab extraneis ad inimicos pueniat. Sed ut peruenìat illuc, multos habet gradus. De amicitia ergo uidete quid dicam. Sunt amici excepta amicitia, quæ nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia. Sunt enim homines qui pariter mala committunt, & ideo uidentur sibi cõiuncti, quia cõscientia mala ligati sunt. Excepta illa nefaria amicitia, est quædã amicitia adhuc carnalis per consuetudinem cohabitandi, colloquendi, simul conuersandi, ut contristetur homo quando deseritur ab amico cũ quo solet colloqui & habere coniunctiones. Cõueniũt duo homines, ambulant secum triduo, & iam nolũt à se recedere. Et ista quędam amicitiæ dulcedo est. Honesta quidẽ, sed adhuc discutiamus illam, quia gradus amoris huius quærimus, & uideamus quoadusq; peruenerimus usq; ad amicitiã talem qualem dixi. Est ergo ista amicitia cõsuetudinis, non rationis. Habent illam

Mat.22

& pecora. Duo equi mãducant simul, desiderant se ad aliã diem, præcedit unus, festinat alter, deside rans quasi amicũ suum, uix regitur à sessore, & tãdiu se impetu suo prouocat quousq; peruenìat. Cumq; peruenerit ad eum qui præcessit, sedatur pondus illud, ferebatur pondere, amore urgebatur, uenit tanq; ad locum suũ & conquieuit. Adhuc & ista amicitia consuetudinis est in pecoribus. Surgamus adhuc & ab ista. Est & alia superior amicitia, non consuetudinis sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem & mutuam benuolẽtiam in ista uita mortali. At superius quicquid iam inuenerimus diuinũ est: Incipiat homo amare deum, & non amabit in homine nisi deum. Videat enim charitas uestra, primũ amicitię amor qualiter debeat esse gratuitus. Nõ enim propterea debes habere amicum uel amare ut aliquid tibi prę stet. Si propterea illum amas ut præstet tibi uel pecuniam uel aliquod cõmodum temporale, non illũ amas sed illud quod præstat. Amicus gratis amandus est, propter sese non propter aliud. Si hominem te hortatur amicitiæ regula ut gratis diligas, q̃ gratis amandus est deus qui iubet ut hominem diligas? Nihil delectabilius deo. Nam in homine sunt quę offendant, per amicitiam tamen cogis te ut etiam illa quæ offendunt in homine toleres propter amicitiam. Si ergo non debes propter quædam toleranda dissoluere hominis amicitiã, dei amicitia quibus rebus debet cogi ut dissoluatur à te? Nihil inuenis delectabilius deo. Deus nõ est qui te offendat, si tu eum non offendas, nihil illo pulchrius, nihil illo dulcius. Sed dicturus es mihi, Non illũ uideo, quomodo sum amaturus quem non uideo? Et quomodo dicis amare quem non uides? Modo ostendo unde coneris uidere, quod istis oculis non potes uidere. Ecce amas amicum, quid in illo amas? Gratis eum amas. Sed forte amicus iste tuus, ut alia omittam, senex homo est. Fieri enim potest ut habeas amicum senem. Quid amas in sene? Incuruum corpus, album caput, rugas in fronte, contractã maxillam. Si corpus quod uides, nihil deformius præ senectute: & tamen aliquid amas, & corpus quod uides nõ amas, quia deforme est: unde uides quod amas? Si enim quęram à te quare amas, responsurus es mihi, homo est fidelis. Ergo fidem amas. Si fidem amas, quibus oculis uidetur fides, ipsis oculis uidetur deus. Incipe ergo deum amare, & amabis hominẽ propter deum. Audite magnum testimonium, diabolus certe accusator sanctorum est. Et quia non apud talem iudicem cogit quem fallat, non potest in nos crimina falsa dicere. Nouit apud quem dicat. Quia ergo falsa contra nos non potest dicere, quærit uera quæ dicat. Ideo tentat ut habeat quod dicat. Hic ergo aduersarius noster qui nobis inuidet regnum cœlorum, qui non uult ut ibi simus, unde ipse deiectus est: Nunquid, inquit, Iob gratis colit deum? Adhuc ad hoc prouocamur ab aduersario, ut gratis deum colamus, quãdo ille quærens quod obijciat, pro magno se putauit inuenisse quia dixit, Nunquid gratis Iob colit deum? Non quia uiderat cor ipsius, sed quia uidebat diuitias eius. Cauere debemus, ne ad præmium diligamus deum. Quid enim? Propter præmium dilecturus es deum? Quale præmium est quod tibi daturus est deus? Quicquid tibi aliud dederit, minus est quàm ipse. Colis non gratis, ut aliquid ab ipso accipias. Gratis cole, & ipsum accipies. Si enim seruat tibi deus quo fruaris, & si amas quæ fecit, qualis est ille qui fecit? Si pulcher est mundus, qualis artifex mundi? Euelle ergo cor tuum ab amore creaturæ, ut inhæreas creatori, & dicas q̃d in psalmo scriptum est: Mihi aũt adhærere deo bonum est. Si autem deseris eum qui te fecit, & amas illa quę fecit, deserto illo qui te fecit adulter es. Sic clamat epistola Iacobi, adulteros appellãs, Adulteri. Et unde adulteri? Quæris unde? Nescitis, inquit, quia amicitia huius mundi inimica est Deo? Quicunq; ergo uoluerit amicus esse seculi huius, inimicus dei constituitur. Expresserat quid dixerat adulter. Anima deserto creatore amans creaturam adultera est. Illius enim amore nihil castius, nihil delectabilius, Illo deserto hoc amplectẽdo, efficeris immunda, O anima ut illius amplexibus digna sis, dimitte ista, & illi inhære gratis. Nam inde dixit psalmus: Mihi aũt adhærere deo bonum est. Versum priorem sic dixit: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Et quasi ostenderet quę sit fornicatio, subiecit, Mihi aũt adhærere deo bonũ est: nihil aliud uolo sed ipsum. Adhærere illi, hoc est bonum meum, hoc est gratuitum bonum meum. Ideo & gratia dicitur, quia gratis constat. Cum ergo cœperis amare gratis, securitas est, quia amicũ gratis amas, & ad hoc eum amas ut tecum amet deum. Attendite enim ipsam amicitiam, uulgari modo cœpimus per quam gradus fecimus. Attendite illam, Amat maritus uxorem, & uxor maritum. Sine dubio & ille illam, & illa illum saluum uult. Vult illum habere incolumen, uult illum habere felicem. Ad hoc amat quia ipsa uult, quod sibi uult, & illi hoc uult. Amat filios, quis non uult habere nisi filios suos? Amat amicum, quis nõ nisi incolumẽ habere uult, adeo ut si forte contingat illi aliquid, contremiscit, contristatur, conturbatur, currit, accedit, cum accesserit plangit? Quid ergo uult? saluum habere. Si ergo omnis qui amat saluum uult habere quod amat, si intelligat quæ sit uera salus incipit illam amare in se, & ipsam cogitur ueram amare & in amico. Si oculis carneis quæris deum, uide tres pueros de igne liberatos. Si fide quæris deum, uide Machabæos in igne coronatos. Salus ergo illa amanda, ista utenda. Hæc enim ad usum necessaria est, nam transitura est. Non enim uera salus est fratres, quomodo dicunt medici, ægrotamus quodãmodo. Nam ægritudo perpetua est, in ista fragilitate carnis. Putatis enim tunc hominem ęgrotare quando febricitat, & sanum esse quando esurit? Sanus est dicitur. Vis uidere quantum malum est esurire? Dimitte illum sine medicamento septem diebus, occiditur. Sed quia ponis quotidie medicamentum, uiuit. Medicamentum autem famis cibus est;

Psal.72

Iac.4

1 retr.ca.18

medica-

medicamentũ sitis potus est, medicamentum lassitudinis somnus est, medicamentũ sessionis deambulatio est, medicamentum deambulationis sessio est, medicamentũ fatigationis dormitio est, medicamentum dormitionis uigilatio est. Et uide q̃ imbecille sit corpus humanum: Hoc ipsum adiutorium quod dixi qui assumit, si in eo perseuerauerit deficit. Esuriendo cibi quærebas adiutorium. Ecce adest adiutorium cibi: Manducas, reficeris, Si plus feceris plus deficies. Adiutoriũ sitis quęrebas potum. Multum bibendo offocaris, qui sitiendo urgebaris. Lassasti ambulando, sedere uis, Sede perpetuo, uide si non lassabis. Quicquid ergo assumpserit ut aliud pellat, in eoipso si perseuerauerit deficit. Qualis est ergo ista salus fratres, transitura, fragilis, peritura, uana, uere quomodo dictum est: Quæ enim est uita uestra? Vapor est ad modicum parens. Qui ergo in uita ista amat animam suam, perdet eam. Qui autem in hoc seculo odio habuerit animam suam, in uitam æternam custodit eam. Quæ est uita æterna? Vera salus. Et si amicum tuum uideris quem amabas in hoc seculo ut saluus esset, quia tu talem salutem desideras quæ æterna est, ad ipsam salutem diligis amicum tuum & totum est quicquid uis amico tuo præstare, ut illam tecum teneat salutem. Amas enim iustitiam, uis illum esse iustum. Amas sub Deo esse, uis & illum esse sub Deo. Amas uitam æternam, illic eum uis tecum regnare in æternum. Inimicum tuum uides persequi te, iniquitas est quæ te persequitur. In illo irasci debes misericordia, febrit in anima. Quomodo ergo amicus huius seculi secundum seculum amans animam suam, febrem uult pellere de amico suo, quem similiter amat ut se, propter præsentem salutem: sic tu quemcunq; diligis propter uitam æternam dilige. Cum inueneris iram, indignationem, odium, iniquitatem, sic coneris expellere morbum animi, quomodo amicus seculi morbum corporis. Ad hoc enim ama ut facias quod & tu es, & erit in te perfecta charitas. Hoc si inueneris, ad hoc ama cõiugem, ad hoc ama filium, ad hoc ama propinquum, uicinũ, ignotum, inimicum, & erit in te perfecta charitas. Quæ si fuerit uincis mundum, & pellitur foras princeps *Ioan. 12* mundi. Audistis enim quod ait dominus, Princeps huius mundi missus est foras. Quia ipse passurus erat, & per passionem suam facturus in hominibus dilectionem. Maiorem hãc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vt ergo amaretur prior amauit, ut in nomine eius nemo mori timeret, prior pro omnibus mortuus est. Ad hoc ergo ut ædificaret in cordibus hominum charitatem, misit diabolum foras. Quò foras? De cordibus hominum. Cupiditas intromittit illum, charitas eum foras mittit.

† Nos uero fratres supra scriptos charitatis gradus cum grandi diligentia cogitantes, non reddamus domino pro bonis mala. Et quia ille ueniens alligauit fortem, id est, diabolum, & nos omnes qui uasa eius fuimus de potestate illius abstulit, per gratiã ipsius euacuati omnibus malis, studeamus repleri abundantibus bonis, timentes illud quod ipse dominus dixit, Cum immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, quærens requiem & non inueniet. Post hæc reuersus inueniens domum, unde exiuit, uacuam, adduxit secum septem spiritus nequiores se, et facta sunt hominis illius posteriora peiora prioribus. Ne ergo & nos tale aliquid patiamur, quantum possumus elaboremus, in locis uitiorum uirtutes inducere, ut possimus ad dei misericordiam peruenire.

De eo quod propheta dicit in psalmo, Beatus qui intelligit super egenum & pauperẽ, in die mala liberabit eum dominus. Homilia XXXIX

Non uidetur Augu.

FELIX operarius cultor eleemosynarũ eo quod ære suo comparauerit cœlum, & dans panem esuriẽtibus, delictorum suorũ pressit incendiũ. Cui propheta tale exhibet testimoniũ, & patronum habet spiritum sanctum. In tali causa operarius felix uiuit, & securus iã moritur, cum quo ambulat patrimonium immortale horreum, in quo debitorẽ fecit dominũ, dũ pascit alterũ dando. Si accepit in se modicũ panis in pera, cõparauit in se uitam cœlestem, se faciens hæredem in die iudicij. Nullam poterit incurrere perniciem, qui cõparauerit eleemosynis pietatem. Cui propheta tale exhibet testimonium: Salua eum & uiuifica eum domine. O duplex prophetę beneficium. Saluat pariter & cõmendat pariter ut saluetur, quia & ipse saluauit ut uiuificaretur, & ipse uitam poscenti donauit in terra. Beatus est iste dum usq; sic currit in cœlum. Sed ne aliquando uacet in ullo uitæ beneficiũ, festinet ad præmium, magnũ dimittat in seculo testimoniũ. Qua de re dicit, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in *Psal. 40* die mala liberabit eum dominus. Et iterum Esaias *Esa. 58* dicit & sic testatur: Solue, inquit, omnem nodum iniustitiæ. Solue suffocationes impotentium commerciorum, dimitte quassatos in requiem, & omnem consummationem iniustã dissipa. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domũ tuã. Si uideris nudum uesti, & domesticos seminis tui ne despicias. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & præibit ante te iustitia, & claritas dei circumdabit te. Tũc exclamabis & dominus exaudiet te, dum adhuc loqueris, dicit, Ecce assum. Perfecta est ergo misericordia fratres charissimi, ut ante occurrat esurienti cibus, q̃ roget mendicus. Non enim est perfecta misericordia quæ precibus extorquetur. Sed si tacet mendicus, loquitur pallor in facie, pene lassus, fessus est cœlisq; suspectus. Festina pietas succurrere ne audias rogantẽ, ne quod debetur domino uẽdices tibi. Imitare deum tuũ, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Et ecce ueniet tibi pluuia antequam roges, descendet ubertas nocte dum stertis, dum adhuc in lecto es ex præcepto uigilat dies, excubant elementa, fructus te nesciente effunduntur. Iactat cœlum & parturit terra, tot cellaria messium dum nescimus sic accipimus, & tãtas opes comedimus antequam rogemus. Et tu homo

homo, modicus est ipse panis, & precibus uẽdis? Non rogauerunt quatuor milia Iesum in deserto septem panes & paucos pisces ut infinita agmina pranderent, quo prãdio uicisset saltẽ usura mensuram. Qui cũ erogasset, Colligite, inquit, fragmenta ne quid depereat, quia sanctũ fuerat totũ quod ipse confecerat. Redigantur septem sportæ buccellarum, saturata sunt tanta milia, & nihil minoratum est. Et creuit eis cibus dum impenditur uictus, sic & eleemosyna si indigentibus erogetur. Magnum opus est eleemosyna fratres charissimi, ut faciat homo quod fecit deus, quia hos paucos esurientes in terra dimisit, qui uno uasculo orbem cœli pascit, per quem & nobis liceat erogare. Sed si ubiq; fuisset abundãs, perierat misericordia, dedit nobis deus secundũ baptismum. Quis enim si- *Eccl. 3* ne peccato? Nam sicut aqua extinguit ignem, sic & eleemosyna extinguit peccatum. In horreis nostris habeamus abundantiam, quæ flãmas nostras oblatione unius panis extinguat, & ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti. Et quicunq; misertus fuerit, miserebitur ei, & si quis non fuerit misertus, non miserebitur ei. Da panem cum potes, quia nemo esuriet in inferno, nec habebis post mortem frumentum, nec inuenies illic aliquando mẽdicum, quia non erit tempus miserendi. Bonorũ enim malorumq; discretio & in suis actibus permanebit, ipso Christo domino nostro rege ac iudice secernente agnos ab hœdis, dexterã ac sinistrã sequestrãs, qui esurisse & sitisse se dicit, & cætera in suis ministris perpessum fuisse se asserit. Date ergo omnibus dilectissimi fratres, date præcipue ad domesticos fidei, date omnib. ne cui non dederitis ipse sit Christus, cuiúe dederitis ipse est Christus.

De fraterna concordia & offensionis relaxatione. Homilia XL

DIES isti sancti quos agimus in obseruatione quadragesimæ, cõmonẽt nos de fraterna concordia loqui uobis, ut quicunq; habet aduersus alium querelam, finiat ne finiatur. Nolite ista cõtemnere fratres mei. Cum enim uita ista mortalis & fragilis, quæ inter tot terrenas tentationes periclitatur, & orat ne submergatur, non potest esse in quouis iusto sine qualibuscunq; peccatis: unum est remedium per quod uiuere possumus, quia docuit nos magister deus dicere in oratione, Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Pactum & placitum cum deo fecimus, & conditionem soluẽdi debiti in cautione subscripsimus: Dimitte nobis plena fiducia petimus, si & nos dimittimus. Si aũt non dimittimus, dimitti nobis peccata non putemus, ne nosipsos fallamus. Homo se non fallat, deus non fallit. Humanum est irasci, & utinã ne hoc possemus. Humanũ est irasci, sed non debet iracundia nostra natos surculos diuersis suspicionibus irrigare, & ad trabem odij peruenire. Aliud est enim ira, aliud odium. Sæpe etiam pater irascitur filio, sed non odit filium, irascitur ut corrigat. Si propterea irascitur ut corrigat, amando irascit: propterea dictum est: Festucã in oculis fra- *Matt. 7* tris tui uides: trabem aũt in oculo tuo non uides: Culpas in alio irã, & tenes odiũ in teipso. In cõparatione odij, ira festuca est. Sed festucã si nutrias, trabes erit. Si euellas & ꝓijcias, nihil erit. Si aduertistis, beati Ioãnis epistola cũ legeretur, debuit nos terrere sentẽtia. Ait enim, Tenebræ transierũt, lux uero iam lucet. Deinde secutus adiunxit, Qui dicit se in lumine esse & fratrem suũ odit, in tenebris *1 Ioan. 2* est usq; adhuc. Sed forte tales tenebras putet esse homo, quales patiunẽ in carceribus inclusi. Vtinã tales essent, tamen in talibus nemo uult esse. In his aũt carcerũ tenebris possunt includi & innocentes. In talibus enim tenebris, inclusi sunt martyres. Tenebrę circũquaq; fundebantur, & lux fulgebat in cordibus eorũ. In illis tenebris oculis non uidebant, sed amore fraternitatis, deum uidebant. Vultis scire quales sunt istæ tenebræ, de quibus dictũ est, Qui odit fratrem suum in tenebris est, & alio loco dicit. Qui odit fratrem suũ homicida est. Qui *1 Ioan. 3* odit fratrem, ambulat, exit, intrat, procedit, nullis catenis oneratus, nullo carcere inclusus, reatu tamen ligatus est. Noli illũ putare sine carcere esse. Carcer eius cor eius est. Cum audis, Qui odit fratrem suum in tenebris est usq; adhuc, ne forte contemnas tales tenebras, adiũgit dicẽs, Qui odit fratrem suum homicida est. Odis fratrem & securus ambulas, & concordare non uis, nõ agnoscis quare spaciũ tibi dederit deus. Ecce iam homicida es, & adhuc uiuis. Si dominũ iratum haberes, cum odio fratris subito rapereris. Parcit tibi deus, parce tu tibi, cõcorda cum fratre tuo, aut forte tu uis & ille non uult. Sufficiat tibi. Habes unde illũ doleas: tu soluisti. Dic, si uis cõcordare, & ille nõ uult: Dic secus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris. Forte peccasti in illũ, uis cum illo cõcordare, uis ei dicere, Frater ignosce mihi quod peccaui in te, ille non uult ignoscere, non uult dimittere debitũ. Quod ei debes non uult tibi dimittere, ipse obseruet quando habet orare, quando uenturus est qui tibi noluit dimittere quod in eũ forte peccasti, quãdo uenturus est ad orationẽ quid facturus est? Dicit, Pater noster qui *Matth. 6* es in cœlis. Dicat, accedat, Sanctificetur nomen tuum. Adhuc dic, Adueniat regnum tuum. Sequere, Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra. Adhuc ambula, Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie. Dixisti, quod sequitur uide: ne forte uelis iam transcendere & aliud dare. Non est quo transire posis, ibi teneberis. Dic ergo & uerũ dic: aut si nullum peccatũ habes unde dicas, Dimitte nobis debita nostra, noli dicere. Et ubi est illud quod Apost. dixit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & ueritas in nobis non est? Si autem mordet conscientia fragilitatis, & in hoc seculo ubiq; abundant iniquitates: dic ergo, Dimitte nobis debita nostra. Sed quod sequitur uide, Noluisti enim dimittere peccatum fratri tuo, & dicturus es, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. An non es dicturus? Si non es dicturus, nihil es accepturus, si falsum es dicturus

dicturus. Ergo dic & uerum dic. Quomodo dictu
rus es uerum, quia fratri tuo noluisti laxare pecca- A
tum? Illum admonui, modo consulo. O quisquis
es, si tamen es, qui dixisti fratri tuo, Dimitte mihi
quod in te peccaui: si dixisti ex toto corde tuo, si
uera humilitate non ficta charitate, quomodo de-
us uidet in corde, unde dixisti, sed ille noluit tibi di
mittere, noli esse solicitus: Serui estis ambo, habe
tis dominum, conseruo tuo debes. Noluit tibi di-
mittere, interpella dominum amborum. Quod ti-
bi dimiserit dominus, si potest exigat seruus. Dico
aliud, Admonui ergo eum qui noluit dimittere
fratri suo, cum petat ille dimitti, ut sibi faciat quod
nolebat, ne quando orat non accipiat quod desi-
derat. Admonui & illum qui petiuit ueniam pec-
cati sui à fratre suo & non accepit, ut in eo quod
non impetrauit à fratre suo, securus sit de domino
B
suo. Est & illud quod moneam, Peccauit in te fra-
ter tuus, & noluit tibi dicere, Dimitte mihi quod
peccaui in te. Si abundant uerba ista, utinam deus
eradicet, illa de agro suo, hoc est de cordibus ue-
stris. Quàm multi enim qui sciũt se peccasse in fra-
tribus suis, & nolunt dicere, Dimitte mihi. Non e-
rubuerunt peccare, & erubescunt rogare. Non e-
rubuerunt de iniquitate, & erubescunt de humili-
tate. Ipsos ergo in primis admoneo quicunq; ha-
betis discordiam cum fratribus uestris, & reuo-
catis ad uos & consideratis uos, & iustum iudi-
cium fertis in uobis, intus, in cordibus uestris, &
inuenietis uos non debuisse facere quod fecistis,
non debuistis dicere quod dixistis. Petite ueniam
fratres à fratribus uestris, facite fratribus quod ait
Eph. 4 Apostolus, Donantes uobisipsis sicut & deus in
Christo donauit uobis: facite, nolite erubescere
ueniam petere. Proinde omnibus dico uiris & fœ
minis, minoribus & maioribus, laicis & clericis:
Dico & mihi ipsi, Omnes audiamus, omnes ti-
meamus, si peccauimus in fratres nostros. Si ad-
huc inducias uiuendi accepimus, non ideo mori-
mur. Adhuc enim uiuimus, nondum damnati su-
mus. Dum uiuimus faciamus quod iubet pater
qui erit deus iudex omnium: ut petamus ueniam
à fratribus quos forte peccando in eos aliquid of-
fendimus, aliquid læsimus. Sunt personæ humi-
les per ordinem seculi huius, à quibus si petamus
ueniam, extollũtur in superbiam: hoc est quod di-
co, aliquando dominus peccat in seruum suum,
quia si ille dominus est, ille seruus, ambo tamen
alieni serui sunt, quia ambo Christi sanguine re-
dempti sunt. Tamen durum uidetur ut etiam iu-
beam, hoc præcipiam, ut si forte dominus homo
peccat in seruum suum iniuste litigando, iniuste
cædendo, dicat ille, Ignosce mihi, da mihi ueniam.
Non quia non debet facere, sed ne ille incipiat su-
perbire, si pœniteat eum. Quid ergo? Ante ocu-
los Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat
cor suũ: & si non potest dicere seruo suo, quia non
oportet, da mihi ueniam, blande illum alloqua-
tur. Blanda enim appellatio, ueniæ est postulatio.
Restat ut eos alloquar in quos alij peccauerunt,
& illi qui in eos peccauerunt, ueniam petere no-
luerunt. Illos enim iam sum allocutus, qui petẽti-
bus ueniam fratribus dare noluerunt. Nunc ergo
alloquor uos omnes, ne discordiæ uestræ rema-
neant, quoniam dies sancti sunt. Credo quia cogi-
tastis aliquid in cordibus uestris, qui scitis uos cũ
fratribus uestris aliquas habere discordias, & inue
nistis quòd nõ ipsi uos in eos peccaueritis, sed ipsi
in uos. Et si nõ modo mihi loquimini, quia meum
est loqui in hoc loco, uestrum autem tacere & au-
dire, tamen forte cogitando loquimini, & dicitis
uobis, Volo concordare: Sed ille me læsit, ille in
me peccauit, & non uult ueniam postulare. Quid
ergo dicturus sum? Vade ad illum & tu pete ue-
niam. Absit. Nolo mentiaris. Nolo dicas, Da mihi
ueniam, qui te nosti nõ peccasse in fratrem tuum.
B
Quid enim prodest tibi cum tu fueris tuus accu-
sator? Quid expetis tibi ignosci, ab eo quem non
læsisti, aut in quo non peccasti? Nihil tibi prodest,
nolo facias, nosti bene, discussisti, scisti, quia in te
peccauit, non tu in illum. Scito, inquam, in tua sci-
entia, scit tua scientia, noli uenire ad fratrem tuum
qui in te peccauit, & ultro ab illo petere ueniam.
Debent inter uos esse alij pacifici qui illum obiur-
gent, ut à te prius ueniam petat, tu tantum paratus
esto ignoscere, prior paratus esto ex toto corde di
mittere. Si paratus es dimittere, iam dimisisti, ha-
bes adhuc quod ores. Ora pro illo ut petat à te ue-
niam, quia scis ei nocere si non petat. Ora pro illo
ut petat, dic domino in oratione tua, Domine scis
C
me non peccasse in illum fratrem meum, sed illum
potius peccasse in me, & obesse illi quod peccauit
in me, si ueniam non petat à me: Ego bono animo
peto ut ignoscas ei. Ecce dixi uobis, quòd maxi-
me per istos dies ieiuniorum uestrorum, obserua-
tionum quoq; uestrarum continentiæ uestræ me-
cum agere debeatis, ut cum fratribus uestris con-
cordetis. Gaudeam & ego de pace uestra qui con
tristor litibus uestris, ut omnes donantes uobis-
metipsis, si quis habet aduersus aliquem querelã,
securi agamus pascha, securi celebremus eius pas-
sionem qui nihil cuiquã debebat, & preciũ quod
pro debentibus soluit dominus Iesus Christus, di-
co qui in neminem peccauit, & propè in illũ om-
nis mũdus peccauit, nec exigit supplicia, sed pro-
D
misit præmia. Habetis ipsum testem in cordibus
uestris, quia si in aliquem peccauimus, uero cor-
de ueniam postulemus, si aliquis in nos peccauit,
ueniam dare parati simus, & pro inimicis nostris
oremus, non expectemus uindicari fratres. Quid
est uindicari, nisi malo alieno pasci? Scito quo-
tidie uenire hominem, genua figere, fronte ter-
ram concutere, aliquando uultum suum lachry-
mis rigare, & in ista tanta humilitate ac pertur-
batione dicit, Domine uindica me, occide inimi-
cum meum. Planè ora ut occidat inimicum tuum,
& saluet fratrem tuum. Occidat inimicitias, saluet
naturam. Sic ora ut uindicet te deus, pereat
qui te persequebatur, sed maneat
qui tibi reddatur.

De

De uere pœnitentibus. Homilia XLI

OENITENTES, pœnitentes, pœniten A
P tes, si tamen estis pœnitentes, & nõ estis
irridẽtes, mutate uitã, recõciliamini deo
& uos cũ catena pascetis. Qua, inqs, catena? Quæ
ligaueris in terra, erunt ligata in cœlo. Audis liga-
turam, & deo putas facere impostura? Pœnitentiã
agis, genua figis & rides & subsannas patientiam
dei. Si pœnitens es pœnitet te, si non pœnitet, pœ
nitens non es. Si ergo pœnitet, cur facis quod ma-
le fecisti? Si fecisse pœnitet, noli facere. Si adhuc fa
cis, certe nõ es pœnitens. Equidẽ charissimi egro-
tant homines, mittunt ad ecclesiã, uel portãtur ad
ecclesiam & baptizantur & renouantur, & felices
hinc erunt. Sed non ipsa est causa pœnitẽtiæ. Qui
nondũ accepit baptismum, nondũ uiolauit sacra-
B
mentum: Qui aũt uiolauit sacramentum male &
perdite uiuendo, & ideo remotus est ab altari, ne
iudicium sibi manducet & bibat, mutet uitã, corri
gat se & reconcilieẽ. Cum uiuit, dum sanus est, ex-
pectet etiã tunc reconciliari quando incipit mori:
Experti sumus multos expirasse, expectantes re-
conciliari. Deinde etiam dico in conspectu dei ti-
mori uestro, timorem meũ. Qui aũt non timet, ti-
mentem ne contemnat, sed malo suo. Audi ergo,
Certus sum quia homo baptizatus si uitam nõ au-
deo dicere sine peccato, quis enim sine peccato,
sed uitam sine crimine duxerit, & alia peccata ha-
buerit quæ quotidie dimittũtur in oratione dicen
Matt. 6 ti, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimit-
C
timus debitorib. nostris: quando diem finierit, ui-
tam non finit, sed transit de uita in uitam, de labo-
riosa ad quietã, de misera ad beatã: siue ista uolun-
tate sua currat ad baptismũ, siue in periculo consti
tutus baptizetur & exeat de hac uita, ad deum ua-
dit, ad requiem uadit. Baptizatus aũt desertor &
uiolator tanti mysterij, si agat pœnitentiam ex to-
to corde, si agat pœnitentiã ubi deus uidet qui ui-
dit cor Dauid, quando increpatus est à ꝓpheta, &
grauiter increpatus post cõminationes dei terribi
les exclamauit, dicens, Peccaui: & mox audiuit,
2. Reg. 12 Dominus abstulit peccatum tuũ. Tantum ualent
tres syllabæ. Tres syllabæ sunt, peccaui, sed in his
tribus syllabis, flãma sacrificij corã domino asce-
ndit in cœlũ. Ergo qui egerit ueraciter pœnitentiã
D
& solutus fuerit à ligamento quo erat obstrictus,
& à Christi corpore separatus, & bene post pœni-
tentiã uixerit, sicut ante pœnitẽtiã uiuere debuit,
post reconciliationẽ quandocunq; defunctus fue
rit, ad deum uadit, ad requiem uadit, regno dei nõ
priuabitur, à populo diaboli separabitur. Si quis
aũt positus in ultima necessitate ægritudinis suæ,
uoluerit accipere pœnitentiam & accipit, & mox
reconciliabitur, & hinc uadit, fateor uobis non il-
li negamus quod petit, sed non præsumimus quia
bene hinc exit. Non præsumo, non uos fallo, non
præsumo: Fidelis bene uiuens, securus hinc exit.
Baptizatus ad horã, securus hinc exit. Agens pœ-
nitentiam & recõciliatus cum sanus est, & postea
bene uiuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiã
ad ultimum & reconciliatus si securus hinc exit,
ego non sum securus. Vnde securus sum dico, &
do securitatem: unde non sum securus, pœniten-
tiam dare possum, securitatem dare non possum.
Sed dicat aliquis, bone sacerdos, tu nescire & nul-
lam securitatem nobis dare posse dicis, si ille sal-
uatur & Christum adire meretur cui morienti pœ
nitẽtia datur, qui dum uixit, dum sanus fuit, impœ
nitens fuit: Instrue ergo nos rogo quomodo bene
uiuere post pœnitentiam debeamus. Dico abstí-
nete uos ab ebrietate, à concupiscentia, à furto, &
mali loquio ab immoderato risu, à uerbo ocioso
unde reddituri sunt homines rationem in die iu-
dicij, Ecce quàm leuia dixi. Omnia tamen grauia
& pestifera. Et aliud dico, Non solum post pœni-
tentiam ab istis uitijs se homo seruare debet, sed
B
& ante pœnitentiam dum sanus est: quia si ad ul-
timum uitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam
accipere ac deo & sacerdoti peccata sua confite-
ri poterit. Ecce quare dixi quia & ante pœniten-
tiam bene uiuendum est, & post pœnitentiam me
lius. Quod dico attendite, Debeo illud planius
exponere, ne me aliquis male intellexisse intelli-
gat. Nunquid dico damnabitur? Non dico. Sed
dico etiam liberabitur? Non. Et quid dicis mihi?
Nescio: Non præsumo, non promitto, nescio. Vis
te de dubio liberare, uis quod incertum est euade-
re? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis
ueram pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te
nouissimus dies: curre ut reconcilieris, si sic agis
securus es. Quare securus es? Quia egisti pœni-
C
tentiam eo tempore quo & peccare potuisti. Si
autem uis agere pœnitentiam ipsam tunc quan-
do peccare non potes, peccata te dimiserunt, non
tu illa. Sed unde scis, inquis, ne forte deus dimit-
tat mihi? Verum dicis. Vnde? Nescio. Illud scio,
hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia
nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non ti-
bi darem. Item si scirem, tibi prodesse, non te ad-
monerem, non te terrerem. Duæ res sunt, aut
ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum
tibi futurum sit nescio. Ergo tene certum, dimit-
te incertum.

De commendatione orationis dominicæ &
eius expositione. Homilia XLII

YMBOLVM reddidistis, quo breuiter A
S cõprehensa continetur fides. Iam ut an-
tea dixi uobis q̃d ait apostolus Paulus,
Quomodo inuocabunt, in quẽ non crediderunt? Rom. 10
Quia ergo quomodo credatur in deum & accepi
stis & tenuistis & credidistis, accipite hodie quo-
modo inuocatur deus. Ipse filius sicut audistis, cũ
Euangeliũ legeretur, docuit discipulos suos & fi-
deles hanc orationem. Spem habemus obtinẽdæ
causæ nostræ, quando talis iurisperitus nobis pre-
ces dictauit, sicut cõfessi estis, qui sedet ad dexte-
ram patris, ipse est aduocatus noster qui uenturus
est iudex noster. Inde enim uenturus est iudicare
uiuos & mortuos. Tenete ergo & hãc orationem
quã reddituri estis ad octo dies. Quicunq; autem
uestrum non bene symbolum reddiderũt, habent
spacium, teneant, quia die sabbati audientibus
omnibus

omnib.qui aderunt reddituri estis die sabbati nouissimo,quo die baptizãdi estis. Ad octo aũt dies A
ab hodierno die reddituri estis hanc orationẽ quã hodie accepistis.Cuius caput est, Pater noster qui es in cœlis.Inuenimus patrẽ in cœlis, attendamus quemadmodũ uiuamus in terris. Sic enim debet uiuere qui inuenit talem patrẽ, ut dignus sit uenire ad eius hæreditatẽ.Dicimus aũt cõmuniter:Pater noster.Quanta dignatio, hoc dicit imperator, hoc dicit mendicus:hoc dicit seruus,hoc dicit dominus eius.Simul dicũt,Pater noster qui es in cœlis.Intelligunt ergo se esse fratres,quãdo unum habent patrẽ.Sed non dedignetur fratrẽ habere seruum suum dñs eius, quẽ fratrẽ uoluit habere dñs Christus.Sanctificetur nomen tuũ,dicimus, Adueniat regnũ tuũ. Sanctificatio nominis dei est, qua efficimur nos sancti.Nam nomen eius semper est sanctũ.Optamus etiam uenire regnũ eius, ueniet, & si nolumus.Sed optare & orare ut ueniat regnũ eius,nihil est aliud quam optare ab illo, ut dignos nos faciat regno suo : ne forte, quod absit, ueniat, & non nobis ueniat.Multis enim nõ est uenturũ, quod tamen uenturũ est. Eis enim uenturum est, quibus dicit, Venite benedicti patris mei,percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi. Illis non ueniet quibus dicitur, Discedite à me maledicti in ignem ęternum.Cum uero dicimus,Adueniat regnũ tuum, oramus ut nobis ueniat.Quid est ut nobis ueniat? Vt bonos nos inueniat.Hoc ergo oramus ut bonos nos faciat. Tunc enim nobis ueniet regnũ eius.Addimus, Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Seruiunt tibi C
angeli in cœlo,nos seruiamus tibi in terra. Non te offendunt angeli in cœlo, non te offendamus in terra.Quomodo illi faciunt uoluntatem tuam, sic faciamus & nos, Et hic quid oremus, nisi ut boni simus? Quando enim facimus uoluntatem dei,nã ipse sine dubio facit suam, tunc eius uolũtas est in nobis.Et aliter bene intelligimus,Fiat uolũtas tua sicut in cœlo, ita & in terra. Accipimus præceptũ dei,& placeat nobis, placeat menti nostræ. Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem:tunc fit uoluntas eius in cœlo.Cœlo enim comparatur spiritus noster, terræ autem caro nostra.Quid est ergo, Fiat uoluntas tua sicut in cœlo ita & in terra? Vt quomodo menti nostræ placet tua iussio,sic ei consentiat caro nostra, & tolla D
tur rixa illa de medio quæ describitur ab Apostolo:Caro enim concupiscit aduersus spiritum,spiritus aũt aduersus carnem. Quando contra carnem concupiscit spiritus,iam facta est uoluntas eius in cœlo. Quando contra spiritum non concupiscit caro,iam facta est uoluntas eius in terra. Erit hæc plena concordia quando ipse uoluerit, sit modo pugna ut possit esse victoria. Etiam sic bene intelligi potest,Fiat uoluntas tua sicut in cœlo ita & in terra,ut cœlum ponamus Ecclesiam, quia portat deum,terram aũt infideles,quibus dictũ est, Terra es,& in terram ibis.Quando ergo oramus pro inimicis nostris, inimicis ecclesiæ, inimicis nomini Christiano,hoc oramus ut fiat uoluntas eius sicut in cœlo,ita & in terra,id est, sicut in tuis fidelibus, sic & in tuis blasphematoribus, ut omnes cœlum fiant.Sequitur, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Potest simpliciter accipi orationem istam fundere nos pro uictu quotidiano ut abundet nobis,& si nõ abundet nobis,non desit nobis. Quotidianum autem dixit,quãdiu hodie uocatur quotidie uiuimus,quotidie surgimus, quotidie saturamur,quotidie esurimus. Det nobis quotidianum panem:quare non dixit & tegumentum? Victus enim noster in cibo est & in potu, tegumentũ in uestitu & tectu. Nihil homo plus desideret. Quandoquidẽ dicit Apostolus, Nihil intulimus 1 Tim.6
in hunc mundum,sed nec auferre quid possumus. Victum & tegumentum habentes, his cõtentisimus.Pereat auaricia,& diues est natura.Ergo si ad B
quotidianum uictum pertinet, quia & hoc bene intelligitur,quod dicimus:Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, non miremur si nominato pane cætera necessaria intelligantur. Quomodo? Quando Ioseph inuitauit fratres suos, Homines,inquit,illi hodie mecum manducabunt panẽ. Quare panem solum manducaturi erant? Sed à solo pane intellecta sunt cætera. Sic quando rogamus panem quotidianum, quicquid nobis propter carnem nostram in terris necessarium est postulamus.Sed quid ait dominus Iesus? Quęrite primum regnum dei & iustitiam eius, & hæc omnia apponẽtur uobis:intelligitur hoc etiam ualde bene, Panem nostrũ quotidianum da nobis hodie, eucharistiam tuam,quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis acci C
pere panem quotidianum huic tempori necessarium.Pro se rogant ut bona faciant, ut in bonitate & fide & bona uita perseuerent.Hoc optant, hoc orant: quia qui non perseuerant in bona uita, separabuntur ab illo pane. Ergo panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quid est? Sic uiuamus ut ab altari tuo non separemur: & uerbum dei quod quotidie nobis aperitur, & quodammodo frangitur, panis quotidianus est. Et quomodo illum panem uentres, sic istum esuriunt mentes.Et hunc ergo petimus simpliciter,& quicquid animæ nostræ & carni nostræ in hac uita necessarium est, quotidiano pane concluditur. Dimitte nobis,dicimus,debita nostra,& dicamus quia uerum dicimus.Quis enim hic uiuit in carne,& non habet debita? Quis est homo sic uiuens, ut ei non sit ista oratio necessaria? Inflare se potest, iustificare non potest. Bonum est illi ut imitetur publicanum,nec tumescat sicut pharisæus,qui ascendit in templum & iactauit merita sua, texit uulnera sua. Ille autẽ sciuit quare ascenderit,qui dicebat,Deus propitius esto mihi peccatori.Considerate fratres mei, hoc dominus Iesus Christus orare docuit discipulos suos, illos magnos primos Apostolos suos, arietes nostros.Si ergo pro peccatis suis dimittendis arietes orant, agni quid debent facere de quibus dictum est, Afferte domino filios arietum? Hoc ergo scitis uos in symbolo reddidisse,quia inter cætera nomina audistis remissionem Psal.28
peccato-

peccatorum. Remissio peccatorum una est quæ semel daẽ in sancto baptismate,alia quę quamdiu A
uiuimus hic datur in dominica oratione. Propter quod dicimus, Dimitte nobis debita nostra. Et induxit nobiscum deus pactũ & placitum, firmũq; chirographũ ut dicamus,Sicut & nos dimittimus debitorib. nostris.Qui uult dicere efficaciter,Dimitte nobis debita nostra, oportet q; dicat uera citer, Sicut & nos dimittimus debitorib. nostris, Si hoc quod est posterius,aut non dicit,aut fallaciter dicit:illud quod prius est,inaniter dixit.Maximè uobis dicimus, Dimittite omia de cordib. uestris,qui ad sanctum baptismum accessistis.Et uos fideles qui per hanc occasionem auditis hanc orationem &nostram expositionem,dimittite totum quicquid aduersus aliquem habetis in cordib.uestris,ibi dimittite ubi deus uidet. Aliquãdo em̃ ho B
mo dimittit ore, & tenet in corde:dimittit ore,pter homines,&tenet in corde.Non times oculos dei? Prorsus dimittite, q; usque ad istos dies tenuistis,saltem his diebus dimittite.Non debuit occidere sol super iracundiam uestram, & multi soles occiderunt: transeat aliquando iracundia uestra, dies magni solis celebramus, Illius solis de quo di Mala.4
cit scriptura, Orietur uobis sol iustitiæ,& sanitas in pennis eius.Quid est in pẽnis eis? In protectio- Psal.16
ne eius.Vnde in psalmo dicitur,Sub umbra alarũ tuarũ protege me.Aliud autem,quia in die iudicij futuri sunt sero pœnitentes,& infructuose dolentes,prædicti à sapientia. Quid tũc dicturi sunt pœnitentiã agentes,& præ angustia spiritus gemen- Sap.5
tes? Quid nobis profuit superbia,& diuitiarum iactantia quid intulit nobis? Transierunt illa omnia tanq; umbra,& inter cętera,Ergo errauimus à uia ueritatis,& iustitiæ lumen non illuxit nobis,& ille sol nõ est ortus nobis. Ille sol iustis oritur,istum autem solem uisibilem facit deus quotidie oriri super bonos & malos.Ad illum autem solem uidendum iusti pertinent,modo in cordibus nostris habitat iste sol per fidem.Si ergo irascẽris ne occidat sol iste in corde tuo super iracundiam tuam,ne forte irascaris &occidat tibi sol iustitię,& in tenebris remaneas.Ne putetis autem quia nihil sit iracun- Psal.6
dia,Turbatus est præ ira oculus meus. Vtique cui turbatur oculus solem uidere nõ potest,& si conatus fuerit uidere,pœna illi est non uoluptas.Quid D
est ira? Libido uindictę. Et libet hominẽ uindicari? Et nondum est Christus uindicatus, nondum sunt sancti martyres uindicati,adhuc expectãt patientiam dei ut conuertantur inimici Christi,conuertantur martyrum inimici.Nos q; sumus ut uindictam quæramus? Si quæreret illam deus de nobis,ubi remaneremus? Ille qui nihil nos læsit,non uult se uindicare de nobis: & nos quęrimus uindicari qui penè quotidie deũ offendimus? Ergo dimittite.Dimittite ex corde.Iratus es,noli peccare. Irascimini &nolite peccare.Irascimini quasi homines si uincimini,&nolite peccare ut iram in corde teneatis,ne in illud lumẽ intretis. Ergo dimittite. Quid est ira? Libido uindictę.Quid odium? Ira inueterata.Ira inueterata si facta est, iam odium dici tur. Quid uidetur cõfiteri ille qui cũ dixisset, Turbatus est præ ira oculus meus,addidit, inueteraui in omnib.inimicis meis? Quod erat ira cũ esset noua,odiũ factũ est,quia in uetustatẽ cõuersum. Ira festuca est,odium trabes est.Aliquando reprehendimus irascentem,& odium tenemus in corde, & dicit nobis Christus,Festucam in oculo fratris tui Matt.7
uides,& trabẽ in oculo tuo non uides. Vnde creuit festuca ut trabem faceret? Quia nõ statim euulsa est,Quia passus es exire & intrare solem totiens super iracũdiam tuam fecisti illam uetere m,attraxisti malas suspiciones & ligasti festucam, rigãdo nutristi,nutriendo trabem fecisti. Expauesce uel 1 Ioan.3
quando dicitur,Qui odit fratrem suum homicida est.Gladium non eduxisti, non uulnus in carne fecisti,non corpus plaga aliqua trucidasti,cogitatio B
sola odij in corde tuo est,& teneris homicida. Reus es ante oculos dei,ille uiuit & tu occidisti.Quãtum ad te pertinet occidisti quem odisti.Emenda te, corrige te.Si in domibus uestris scorpiones essent aut aspides, quantum laboraretis, ut domus uestras purgaretis & securi habitare possetis? Irascimini,inueterantur iræ in cordibus uestris,fiunt tot odia,tot trabes,aut scorpij,tot serpentes,& domum dei, id est cor uestrum, purgare non uultis. Ergo facite quod dictum est,Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & securi dicite, Dimitte nobis debita nostra, quia sine debitis in hac terra uiuere non potestis.Sed alia sunt illa magna crimina,quæ uobis bonum est in baptismo dimitti,& à quibus semper esse alieni debetis: alia quotidiana C
peccata, sine quibus hic homo uiuere non potest, propter quę necessaria est quotidiana oratio,cum suo pacto dimittit ac placito, ut quomodo hilariter dicitur, Dimitte nobis debita nostra, sic uera- citer,Sicut &nos dimittimus debitoribus nostris. Deinde ista diximus de peccatis præteritis, quid de cætero? Ne nos inferas in tentationem:dimitte quæ fecimus,& alia non committamus. Quicunque enim tentatione uincitur,peccatum ipse com mittit. Etenim,inquit Apostolus Iacobus, Nemo Iacobi 1
cum tentatur dicat quòd à domino tentatur. Deus enim intentator malorum est. Ipse enim neminem tentat. Vnusquisq; autem tentatur à cõcupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde generat mortem. Vel mortem time,si peccatum nõ times. Noli consentire concupiscentiæ tuæ. Non est unde concipiat nisi de te. Consensisti, quasi concubuisti in corde tuo.Surrexit concupiscentia.Concupiscentia cum conceperit parit peccatum.Peccatum uero cum consummatũ fuerit,generat mortem. Ergo ne abstraharis à cõcupiscẽtia tua,negate illi, noli eam sequi, illicita est, lasciua est, turpis est,alienat te à deo.Noli dare cõsensiones amplexuum,ne plangas partũ,quia si consenseris, id est, si amplexatus fueris,concipis.Cum concupiscentia conceperit,parit peccatũ. Nondum times peccatum? Time quò perducit peccatum. Dulce est peccatũ,sed amara est mors. Ipsa est infelicitas hominum: propter quod peccant,morientes hic dimittunt,&ipsa peccata secum portãt. Peccas pro-

pter pecuniam, hic dimittēda est. Peccas propter uillam, hic dimittenda est. Peccas propter mulierem, hic dimittēda est, Et quicquid est propter qd peccas, quando oculos in morte clauseris, hic dimittis, & ipsum peccatum quod committis tecū portas. Dimittantur peccata, dimittantur præterita, cessent futura. Sed nō potest hic uiuere sine ipsis, uel minuta sint, uel leuia. Sed ipsa leuia uel minuta non contemnantur. De minutis guttis flumina implentur. Non cōtemnantur uel minora. Per angustas rimulas insudat aqua, nauis impletur sentina, & si contemnatur sentina, mergit nauis. Sed non cessatur à nautis, ambulant manus, sic & tuæ manus ambulent ut quotidie deficiant sentinæ. Quid est ambulēt manus? Da, dent, fac bona opera, ambulent manus tuæ, Frange esurienti panem tuum, & egenū sine tecto induc in domum tuam. Si uideris nudum, uesti. Fac quantū potes, fac unde potes, fac hilariter, & securus mitte orationem. Habebit alas duas, geminas eleemosynas. Quid est geminas eleemosynas? Dimittite & dimittetur uobis, date & dabitur uobis. Vna est eleemosyna quæ fit de corde, quando fratri tuo dimittis peccatum. Altera eleemosyna quæ fit de substantia, quādo panem pauperi porrigis. Ambas fac, ne sine una ala remaneat oratio tua. Ergo cum dixerimus, Ne nos inferas in tentationem, sequitur, Sed libera nos à malo. Qui uult liberari à malo, testat quia
Ephes. 5 in malo est. Ideo dicit Apostolus, Redimentes tēpus quoniam dies mali sunt. Sed qs est qui uult uitam, & diligit uidere dies bonos, quādo omnis homo in hac carne non habet nisi dies malos? Quis non uult? Fac quod sequitur, Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquātur dolum. Declina à malo & fac bonum, inquire pacem & sequere eam, & caruisti diebus malis, & implet quod orasti, Libera nos à malo. Tres ergo petitiōes superiores, Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnū tuum, Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra, æterna sunt. Quatuor autem sequētes ad istam uitam pertinent, Panem nostrum quotidianū da nobis hodie. Nunquid quotidie perituri sumus panē quotidianum, quando ad illam satietatem uenerimus? Dimitte nobis debita nostra, nunquid dicemus in illo regno, quando debita nō habebimus? Ne nos inferas in tentationem: nunquid tunc dicere poterimus, quādo nulla erit tentatio? Libera nos à malo: nunquid dicemus, quādo nullum erit unde liberemur? Quatuor ergo ista propter uitā nostrā quotidianā nobis necessaria sunt, tria uero illa propter æternā. Sed omnia petamus ut ad illa perueniamus: & hic regamur, ne ab illa separemur. Oratio uobis quotidie dicēda est, cū baptizati fueritis. In ecclesia enim ad altare dei quotidie dicitur ista oratio dominica, & audiūt istam fideles. Nō ergo timemus ne minus illam teneatis diligēter, quia & si quis uestrum non poterit tenere perfecte, audiendo quotidie tenebit. Ideo die sabbati quando uigilaturi sumus in dei misericordia, reddituri estis, non orationem sed symbolum. Modo enim nisi teneatis symbolū in ecclesia, in populo symbolum quotidie non auditis. Cum autē tenueritis ut non obliuiscamini, quotidie dicite quando surgitis, quando uos collocatis ad somnū. Reddite symbolum uestrum, reddite domino, cōmemorate uosipsos, nō pigeat repetere. Bona est repetitio, ne subrepat obliuio. Ne dicatis, dixi heri, dixi hodie, quotidie dico, teneo illud bene. Cōmemora fidem tuam, inspice te, sit tāquam speculum tibi symbolum tuum. Ibi te uide, si credis omnia quæ te credere cōfiteris, & gaude quotidie in fide tua. Sint diuitiæ tuæ, sint quotidiana ista quodammodo indumenta mentis tuæ. Nunquid non quando surgis te uestis? Sic & commemorādo symbolum tuum uesti animam tuam, ne forte eam nudet obliuio, & remaneas nudus, & fiat quod ait Apostolus, quod absit à te: si tamen uestiti non nudi inueniamur. Vestiti enim erimus fide nostra, & ipsa fides & tunica est & lorica: tunica contra confusionem, lorica contra aduersitatem. Cum autem uenerimus ad illum locum ubi regnabimus, non opus est ut dicamus symbolum, deum uidemus, ipse deus nobis uisio erit, uisio fidei huius merces erit, Amen.

2. Cor. 5

De illuminatione cæci nati, ac totius mundi cæcitate. Homilia XLIII

DOMINVS Iesus, sicut audiuimus cū Euangeliū legeret, aperuit oculos homini qui cęcus erat natus. Fratres si attendamus hereditariā pœnam nostrā, totus mūdus cęcus est. Ideo uenit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator. Omnes cæcos nasci fecit, qui primum hominem decepit. Currant ad illuminatorem, currant, credant, accipiant lutum de saliua factum. Saliua quasi uerbum est, terra caro est. Lauent faciem in piscina Syloa. Pertinuit autem ad euangelistā exponere nobis quid significet Syloa, & ait, quod interpretatur missus. Quis est ipse missus, nisi qui dixit in ipsa lectione? Ego, inquit, ueni ut faciam opera eius qui me misit. Ecce Syloa, lauate faciem, baptizamini, ut & illuminemini & uideatis quod ante non uidebatis. Ecce primum ad hoc quod dictū est, oculos aperite. Ego, inquit, ueni ut faciam opera eius qui me misit. Iam hic existit Arianus & dicit, Ecce uidetis, qa Christus non fecit opera sua, sed patris qui eum misit. Nunquid hoc diceret si uideret, hoc est, si in ipso qui missus est, tanquam in Syloa faciem lauaret? Quid ergo dicis? Ecce ipse, inquit, quid dixit? Veni ut faciam opera eius qui me misit. Nō ergo sua? Non. Et quid est quod ait? Ipse Syloa, ipse missus, ipse filius, ipse unicus quē tu quereris esse degenerem. Quid est quod ait, Omnia quæ habet pater, mea sunt. Tu dicis quia opera aliena faciebat, quia dixit, Faciam opera eius qui me misit. Ego dico, quia pater res alienas habet, secundum cor tuum loquor, Vnde mihi uis prescribere quia dixit Christus, ueni ut faciam opera eius, quasi non mea, sed eius qui misit me? Interrogo te domine Christe, solue quæstionem sine contentione. Omnia, inquit, quæ habet pater, mea sunt. Ergo patris non sunt si tua sunt: non enim ait, Omnia quæ habet pater

Ioan. 9

Ioan. 10

pater dedit mihi: quamuis si & hæc dixisset, ęqualitatem ostendisset. Sed molestum est quod dixit, Omnia quę habet pater mea sunt. Si intelligis, omnia quæ habet patet filij sunt, omnia quæ habet filius patris sunt. Audi illum alio loco, Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. Finita est quæstio, de his quæ habet pater & filius. Concordiam habent, tu litigare noli, opera patris quę dicit opera sua: quia & tua mea sunt, quia illius patris dicit opera cui dixit, Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. Ergo opera mea tua sunt, & opera tua mea sunt. Quęcūq; enim pater facit, ipse dixit dominus, dixit unigenitus, dixit filius, dixit ueritas. Dixit. Quid dixit?
Ioan. 17 Quæcūq; pater facit, & hæc & filius facit similiter. Magna expressio, magna ueritas, magna æqualitas. Omnia quę pater facit, hęc facit & filius. Sufficeret omnia quæ pater facit, hæc facit & filius? Non sufficit, addo similiter. Quare addo similiter? Quia solent dicere nō intelligētes, & nondū aperis oculis ambulantes, solent dicere, Pater fecit iubendo, filius obsequendo, ergo dissimiliter. Si autem similiter, quomodo ille sic, ille sic? Quæ ille, hæc & iste. Sed iubet pater, inquit, ut faciat filius. Carnaliter quidem sapis, sed sine præiudicio ueritatis. Cedo tibi, Ecce pater iubet, filius obsequit. Nunquid ideo non est eius naturæ filius, quia ille iubet, ille obsequitur? Da mihi duos homines, patrem & filium, homines sunt duo, qui iubet homo est, qui obsequitur homo est. Qui iubet & qui obsequitur unam habent eandemq; naturam. Nunquid ille qui iubet nō de natura sua genuit filium? Nunquid ille qui obsequitur, obsequendo naturam perdidit? Accipe ergo interim quomodo accipis duos homines, patrē iubentem, filium obsequentem, tamen deum & deum: sed simul isti duo sunt homines, simul ille unus deus, hoc est diuinum miraculum. Interim si uis ut tecum agnoscā obsequium, prius mecum nosce naturam. Hoc genuit pater quod ipse est, Sed si aliud genuit pater quàm quod ipse est, non uerum genuit filium. Pa-
Psal. 109 ter dicit ad filiū, Ex utero ante luciferum genui te. Quid est ante luciferum? Per luciferum significātur tempora. Ergo ante tēpora, ante omne quod ante dicitur: ante omne quod non est, uel ante omne quod est. Non enim ait euangelium, In principio fecit deus uerbum: quomodo dixit, In principio fecit deus cœlum & terram, aut in principio natū est uerbum, aut in principio deus genuit uerbum, Sed quid ait? Erat erat uerbū, audis erat, crede. In principio erat uerbū, & uerbum erat apud deū, & deus erat uerbum. Totiens audis, erat, noli quærere tempus quia semper erat. Ille ergo q sem per erat, & cum filio semper erat, quia potens est deus sine tempore generare. Ille dixit ad filiū, Ex utero ante luciferum genui te. Quid est ex utero? Deus habuit uterum? Putabimus deum per membra corporalia esse dispositum? Absit. Et quare dixit, ex utero, nisi ut intelligeretur de sua substātia genuisse. Ergo ex utero hoc processit, quod erat ipse qui genuit. Nam si aliud erat qui genuit, aliud autem ex utero processit, monstrum est nō filius. Ergo faciat filius opera eius qui misit eum, & pater opera filij. Certe uoluit pater, efficit filius. Ecce ostendo, quia uult filius & facit pater. Vbi ostē dis, inquis? Modo ostendo. Pater uolo. Iam ego si calumniari uellem, ecce filius iubet & pater facit. Quid uis? Vt ubi ego sum & illi sint mecum. Euasimus, illic erimus ubi est. Quis dedit, Omnipotens uolo. Audis uoluntatem potestatis, potestatem uoluntatis. Sicut pater inquit, suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Ne dicas illos uiuificat filius quos iubet pater ut uiuificet, quos uult uiuificat. Ergo quos uult pater, & quos uult ipse, quia ubi est una potestas, una uoluntas est, Habeamus ergo in corde non cęco, patris & filij unam eādemq; naturam, quia uerus est pater, uerus est filius. Quod est hoc genuit, quia genitus non degenerauit. Nescio qd potest mouere in uerbis illius qui cęcus erat, & forte multos nō bene intelligētes facit desperare. Ait ēm inter cætera sua uerba, idē cui oculi aperti sunt, Scimus quia peccatores deus non audit. Audemus rogare deū, si peccatores nō exaudit? Date mihi qui roget, ecce est qui exaudiat. Date qui roget, discutite genus humanū ab imperfectis ad perfectos. Ascende à uerno ad æstatem, hoc enim cātauimus, Aestatem & uernū tu fecisti. Iam spiritales & ad- Psal. 73
huc carnales tu fecisti, quia & ipse filius dicit, Im- Psal. 138
perfectum meum uiderunt oculi tui. Imperfectū quod est in corpore meo uiderūt oculi tui. Et quid deinde? Habent spem qui imperfecti sunt? Habēt planè. Audi quod sequitur, Et in libro tuo omnes scribentur. Sed forte fratres spiritales rogāt & exaudiunt quia peccatores nō sunt. Quid faciūt carnales, quid faciunt? Peribunt? Deum non rogabunt? Absit. Da mihi illum publicanum. Veni publicane, sta in medio, ostende tuam spem, ne infirmi perdant spem. Ecce enim ascendit publicanus cum pharisæo orare, & deiecta facie in terra dicebat, longe stans, tundens pectus, Domine propitius esto mihi peccatori. Verum dixit, & descendit iustificatus magis quàm ille pharisęus, quia dixit, propitius esto mihi peccatori. Verum dixit an falsum? Si uerū dixit, peccator erat, & exauditus est, & iustificatus est. Quid est ergo quod dixisti tu, cui dominus oculos aperuit, scimus quia peccatores deus non exaudit? Ecce peccatores deus exaudit. Sed laua interiorem faciem tuam, fiat in corde qd factum est in facie tua & uidebis, quia peccatores deus exaudit. Fefellit te imaginatio cordis tui. Adhuc est quod tibi faciat. Certe proiectus est iste de synagoga, adijt ad eū, & dixit ei, Tu credis in filium dei? Et ille, Quis est domine ut credam in eum? Videbat & non uidebat. Videbat oculis, sed adhuc corde non uidebat. Ait illi dominus, Et uides eum, hoc est, oculis: & qui loquitur tecū, ipse est. Tūc prostratus adorauit eum. Tunc lauit faciem cordis. Incumbite ergo orationibus peccatores, cōfitemini peccata uestra, orate ut depellantur, orate ut minuantur, orate ut uobis proficientibus ipsa deficiant. Tamē nolite desperare, & peccatores orate. Quis enim non peccauit? à sacerdoti-

Ioan. 17

Ioan. 5

cerdotibus incipe. Sacerdotib. dixit, Prius offerte sacrificia pro peccatis uestris, & sic pro populo. Sacrificia cõuincebant sacerdotes, ut si quis se iustum & sine peccato diceret, respõderetur ei, Non attendo quod loqueris, sed quid offeras. Victima tua conuincit te. Quare offers pro peccatis tuis, si nulla habes peccata? En offers sacrificium, an in sacrificio mentiris deo? Sed forte sacerdotes ueteris populi peccatores erant, noui populi nõ sunt peccatores. Certe fratres quia deus uoluit, sacerdos ipsius sum, peccator sum, uobiscum pectus tũdo, uobiscum ueniam rogo, uobiscum deum propitium spero. Sed forte Apostoli sancti, primi, summi arietes, gregis pastores, membra pastoris, forte ipsi non habebant peccatũ? Vere & ipsi habebant, non irascuntur, quia confitentur. Ego non auderem, ipsum primum dominum audi dicẽtem Apostolis: sic orate. Quomodo illi sacerdotes sacrificijs cõuincebant, sic isti oratione. Sic orate. Et inter cætera quæ iussit orari, & hoc proposuit, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quid dicũt Apostoli? Quotidie sibi debita petunt dimitti? Debitores intrant, absoluti exeunt, & ad orationem debitores redeunt. Ista uita nõ est sine peccato, ut quotiens oratur, totiens peccata dimittantur. Sed quid dicam? Illi forte quando didicerũt orationem, adhuc infirmi erant. Forte dicet hoc aliquis, quando illos docuit dominus Iesus orationem adhuc paruuli erant, infirmi erant, carnales, nondum erant spiritales qui non habent peccatum? Quid ergo fratres? Facti spiritales orare cessauerũt? Debuit ergo Christus dicere, Modo talia orate, & daret spiritalibus alteram orationem: una est, ipsa est, ipse est q dedit ipsam. Ergo orate pro ecclesia. Sed tollamus cõtrouersiam, quando dicis spiritales esse sanctos apostolos, quousq pateretur dominus carnales erant, hoc es dicturus. Denicq quod uerum est, illo pendente trepidauerunt, & tũc desperauerũt apostoli quando credidit latro. Petrus ausus est sequi quando dominus ad passionem ductus est: ausus est sequi, quia domũ peruenit & in atrio fatigatus est, ad ignem stabat & friguit. Ad ignem stetit, timore frigido congelauit. Interrogatus ab ancilla negauit Christum semel: interrogatus iterum, negauit: interrogatus tertio, negauit: deo gratias, quia cessauit interrogatio, si non cessaret interrogatio, diu repeteretur negatio. Ergo posteaquam surrexit, tunc eos confirmauit, tunc facti sunt spiritales. Iam ergo non habebant peccatum. Spiritales apostoli scribebant spiritales epistolas, ecclesijs mittebãt. Non habebant peccatum, hoc dicis, Non tibi credo, ipsos interrogo. Dicite sancti apostoli, posteaquam surrexit dominus & confirmauit uos spiritusancto misso de cœlo, cessastis habere peccata? Dicite nobis obsecro. Audiamus ne desperent peccatores, ne desinant rogare deum, quia nõ sunt sine peccato. Dicite nobis. Ait unus ipsorum. Et quis? Quem dominus amplius diligebat, & qui supra pectus domini discumbebat, & regni cœlorum quod ructuaret secretũ bibebat. Ipse eum interrogo: Habebatis peccatum an nõ? Respondet & dicit, Si dixerimus quia peccatum nõ habemus, nosipsos decipimus & ueritas in nobis non est. Ioannes autem ille est qui dixit, In principio erat uerbũ, & uerbum erat apud deũ, & deus erat uerbum. Videte quanta transcenderat ut peruenire ad uerbũ. Talis ac tantus qui uolauit sicut aquila super nubes, qui mẽtis serenitate cernebat, In principio erat uerbum, ipse dixit, Si dixerimus, quia peccatũ nõ habemus, nosipsos decipimus, & ueritas in nobis non est. Si aũt confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est ut dimittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate. Ergo orate, Amen.

De testimonio Christi, de Ioanne baptista dicentis, In natis mulierum non surrexit maior Ioanne baptista: Testimonio quoq Ioannis de Christo dicẽtis, Qui uenit post me maior me est, cuius nõ sum dignus corrigiam calciamenti soluere. Mat.11

Homilia XLIIII

SANCTVS Ioannes, non euangelista, sed baptista, missus est ante faciẽ Christi preparare uias eius. Testimonium Christi de Ioanne est, In natis mulierum non surrexit maior Ioanne baptista. Testimonium Ioãnis de Christo est, Qui uenit post me maior me est, cuius nõ sum dignus corrigiam calciamenti soluere. Vtrũq testimonium consideremus, quod perhibuit dominus seruo, & quod perhibuit seruus dño, Quod est testimonium domini de seruo? In natis mulierum non surrexit maior Ioanne baptista. Quod est testimonium serui de domino? Qui uenit post me, maior me est. Si ergo in natis mulierum non surrexit maior Ioanne baptista, qui maior est illo? Quid est Ioannes? Magnus homo. Ambo mirabiliter nati, præco & iudex, lucerna & dies, uox & uerbum, seruus & dominus. De sterili seruus, de uirgine dominus. Ipse dominus fecit sibi seruum in utero sterili, de sene patre, & de anicula matre. Et idem ipse dominus fecit sibi carnem, in utero uirginis, sine homine patre, qui primum fecit hominem sine patre & matre. Quo nemo surrexit in natis mulierum maior. Tam magnus uisus est Ioannes, ut à nonnullis etiam Christus putaretur: nec in superbia alienum secutus est errorem, nec ausus est dicere, sum quod putatis: sed, quod bonũ erat ei, se agnouit, ut ad pedes domini, & ad corrigiam calciamenti seruus humiliaretur, ne uẽto superbiæ elatus lucerna extingueretur. Denicq quia in magno sacramento natus est Ioannes, ipsius solius iuste ecclesia natalem diem celebrat, & natalis domini celebratur, sed tanquam domini. Date mihi alium seruum præter Ioannẽ inter patriarchas, sic inter prophetas, inter apostolos, cuius natalem diem celebret ecclesia Christi? Passionum dies seruis plurimis celebramus, natiuitatis diem nemini nisi Ioanni. Audistis enim quando euangelium legebatur, qui ordo fuerit amborum nascentium, præcursoris & dominatoris, & quod paulo ante dixi, præconis & iudicis, uocis & uerbi. Angelus Gabriel nuntiat Ioannem, idem ipse angelus Gabriel

briel nuntiat dñm Iesum Christum. Præcedit ille, præcedit obsequẽdo, sequit ille regẽdo. Sequit enim nascendo, antecedit regendo, quia & ipsum Ioannem creauit, Christus & creator & creatus. Creator ante matrẽ, creator matris, creatus in matre. Et quid dicã creator ante matrem? Ante Abraham ego sum, ipse dixit, euangeliũ loquitur, audite uel legite. Sed parũ est ante Abraham creator. ante Adam creator, ante cœlum & terram creator, ante omnes angelos, uniuersamq creaturam spiritalem, thronos, dominationes, principatus & potestates, ante omnia creator: quia in principio non est factũ uerbũ, sed erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud deũ. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Si omnia uisibilia & inuisibilia cœlum & terra, & uirgo Maria, quia & uirgo Maria de terra, & Christus factor terræ, factus in terra, quia ueritas de terra orta est. Breuiter ego commendo charitati uestræ magnum sacramentum: quoniam multi futuri erant qui putarent Christum non esse nisi hominem, nihil esse amplius quàm hominẽ: ideo magnus homo quo maior in hominibus non fuit, perhibuit ei testimonium Ioannes, subditus, inclinatus, humiliatus. Inquantum se humilem reddidisset, si soluere corrigiam calciamenti eius, dignum se esse dixisset? Attendite in magno Christo, corrigiã calciamenti. Quantum humilis extitisset, si se Ioannes dixisset dignum, quod dicendo fecit se indignum? Propterea notatus est dies natiuitatis eius, & celebrationi ecclesiæ commendatus. Verum interest plurimum in matribus, quòd illa uirgo, illa mulier fuerit sterilis: illa de spiritu sancto pariens filium dei dominum nostrum, illa de uiro suo sene pariens præcursorem domini, miraculo & humili. Et attẽdite. Non credidit Zacharias. Quomodo non credidit? Quæsiuit ab angelo per quid cognosceret quod promittebat, quoniam ipse erat senex, & uxor eius processerat in diebus suis. Et dixit ei angelus, Ecce eris tacens, & nõ poteris loqui usq in diem quo hæc fiant, propter quod non credidisti uerbis meis, quæ implebũtur in tẽpore suo. Idem ipse angelus uenit ad Mariam, nuntiat Christum uenturum de Maria uirgine in carne, & Maria tale aliquid dicit. Ille enim dixit, Per quid cognoscam hoc? Ego enim sum senex, & uxor mea progressior in diebus suis. Et dixit ei, Ecce eris tacens & non poteris loqui usq in diem quo hęc impleantur, propter quod nõ credidisti uerbis meis. Et accepit supplicium taciturnitatis, merito infidelitatis. Quid dixerat propheta de Ioanne? Vox clamantis in eremo. Tacet Zacharias generaturus uocem. Quia non credidit tacuit, merito obmutuit quousq uox nasceretur. Si enim recte dictum est, qa ualde recte dictũ est in psalmo sancto, Credidi propter quod locutus sum, quia non credebat, merito non loquebatur. Sed rogo domine cũ audiẽtibus me pariter pulso, aperi nobis, expone nobis quid sibi uelit hæc quęstio. Causas quærit Zacharias ab angelo, per quid cognosceret quod nuntiatum est, quod senex erat, & uxor eius progressa in diebus suis, dicitur, Et quoniam non credidisti, eris tacens. Nũtiatur Christus uirgini Mariæ, & ipsa causas quærit, & dicit angelo, Qũo fiet istud, quoniã uirũ non cognosco? Et ille, Per quid cognoscã hoc? Ego enim sum senex, & uxor mea progressior in diebus suis. Illi dicitur, tacebis, quia nõ credis, illi aũt causa exponit, silentiũ nõ imponitur. Quomodo fiet istud, dum uirũ non cognoscam? Et angelus professus est uirgini, Ecce quomodo fiet quod quæris, Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Non timeas æstum libidinis, sub tãto umbraculo sanitatis. Quare hoc? Si uerba attendamus haud ambo crediderunt, Zacharias & Maria. Sed nos uerba audimus, deus potest & corda interrogare. Intelligimus charissimi, quoniam Zacharias quando ait, Per quid cognoscam hoc, ego em sum senex, & uxor mea progressior in diebus suis, desperando dixit nõ inquirendo: Maria uero quãdo econtra ait, Quomodo fiet istud, quia uirũ non cognosco, inquirendo dixit non desperãdo. Dum interrogauit, nõ de promissione dubitauit. O uere gratia plena, sic est enim ab angelo salutata, Aue gratia plena. O uere gratia plena, quis hanc gratiã explicet? Quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat? Fit homo, & per liberum arbitriũ perit homo, & inuenitur homo factus qui fecit, ut nõ periret quẽ fecit. In principio uerbũ deus erat apud deum, per quod omnia facta sunt, fit caro, Verbũ caro factũ est & habitauit in nobis. Caro fit uerbum, sed caro accedit ad uerbum, non perit in carne uerbum. O gratia, ut hoc haberemus, quid digni eramus? Sed uidete quid dicat sancta Maria, plena fide, plena gratia, mater futura, uirgo permãsura. Quid dicit inter cætera? De quibus singulis loqui, ualde multum est. Quid ait? Esuriẽtes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Qui sunt esurientes? Humiles, indigentes. Qui sunt diuites? Superbi & inflati. Non uos longe mitto, ostendo uobis in uno tẽplo diuites de his qui dimittuntur inanes, & pauperes de illis qui implentur bonis. Ascenderunt duo in templum ut orarent, unus pharisæus, & alter publicanus. Pharisæus dicebat, Attende diuitẽ indigesta ructuantem, crapula exultantem, sed superbiæ non iusticiẽ, Deus, inquit, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, sicut publicanus iste. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Rogare ueneras, ante laudare? Totum te habere dixisti, nihil tanquam egenus petisti. Quomodo ergo orare uenisti? Gratias tibi ago domine. Nõ dicit, Domine da mihi gratiam. Quia nõ sum sicut cęteri homines, raptores, iniusti, adulteri. Ergo tu iustus. Quia non sum sicut publicanus iste. Insultas, non exultas. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. O diuitem exinaniendum, Veni, ueni pauper, esuriens publicane, imò ibi sta ubi stas. Publicanus enim de lõginquo stabat, sed dñs humili appropinquabat. Nec oculos ad cœlum audebat leuare. Quò oculos non leuabat, Luc.1 Isa.40 Psal.115

cor ibi habebat: sed percutiebat pectus suũ dicẽs, Domine propitius esto mihi peccatori. O esurientem, bonis implendum. Audisti domine cõtrouersiam, prome sententiam. Audite sententiam inter partes prolatam. Non appellat uictus, quia nõ est ad quem. Non eñ appellat à filio ad patrem. Deus enim pater non iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit filio. Dicat ergo sententiã inter partes ueritas, Amen, inquit, dico uobis, quia descendit hic iustificatus de templo, magis q̃ ille pharisæus. Quare hoc? Rogo te qui iusticiã uis audire, Quoniã omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. A quo iste exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur? Quia esurientẽ imple uit bonis, & diuites dimisit inanes. Vade nunc & uẽtila diuitias tuas, iacta te & dic, diues sũ. Quàm diues? si uolo iustus sum, si uolo iustus nõ sum. In potestate habeo iustum esse, & iustũ non esse. Nõ
Psal.48 audis in psalmo, Qui confidunt in uirtute sua. Ergo deus tibi carnem, deus tibi sensum, deus tibi animam, deus tibi mentem, deus tibi intelligẽtiam dedit, tu das tibi ipsi iustitiã? Quid est caro, q̃d sũt sensus, quid est anima, q̃d est mẽs, quid est intelligẽtia sine iustitia? Nonne omnia ista si iusticia careãt, ad pœnã ualebũt? Ergo tã diues es, ut cum deus tibi dederit inferiora, des tibi potiora? Male diues, exinaniende diues, si tamen habes q̃d te dixisti habere. Quid habes q̃d nõ accepisti? Nec saltẽ à superbo & diuite illo phariseo, de his quæ te habere dixisti, gratias domino agere didicisti, Amẽ.

Acto.10 De eo q̃d scriptum est in actib. Apostolorum, Quod Petrus circa horam sextã ascẽderat in cœnaculum, & cum esuriret uoluit gustare. Parantibus autem discipulis, ille factus est in excessu mentis, & uidit uas grãde uelut linteum magnum &c.

Homilia XLV

A MODO cũ lectio actuum Apostolorũ legeretur, audiuimus q̃ beatus Petrus circa horam sextam ascẽderat in cœnaculũ, & cũ esuriret uoluit gustare. Parãtibus aũt discipulis, ille factus est in excessu mẽtis, & uidit uas grande uelut linteũ magnum quatuor lineis appensum de cœlo submitti, ubi erãt omnia quadrupedia & serpentia terrę. Et uox de cœlo sonuit, Petre macta & manduca. At ille dixit, Domine tu scis q̃a cõmune & immũdum nunq̃ mãducaui. Et uox iterum: quod deus mundauit, tu ne cõmune dixeris. Hoc factũ est per ter, & receptũ est uas in cœlo. Quid ergo significẽt ista, breuiter si iubetis, charitatis uestrę auribus cupimus intimare. Omnia animalia quę prohibita sunt ludæis manducare, signa sunt rerũ, & sicut dictum est, umbræ futurorum: ueluti quod scriptum est eis, ut quæ sunt ruminantia & fissa ungula, ipsa manducent. Quorum aũt unum uel utrũq̃ defuerit nõ manducent. In his enim animalibus homines quidã significantur nõ pertinentes ad societatẽ sanctorũ. Fissa ungula ad mores, ruminatio ad sapiẽtiã ptinet. Quare ad mores fissa ungula? Quia difficile labit. Lapsus eñ peccati signũ est. Ruminatio aũt ad sapi-
Prouerb.21 entiã q̃o pertinet? Quia dicit scriptura, Thesaurus desiderabilis q̃escit in ore sapientis, uir aũt stultus deglutit illũ. Qui aũt audit & negligẽtia fit obliuiosus, quasi deglutit quod audiuit, ut iam in ore nõ sapiat, auditionẽ ipsam sepeliẽs obliuiõe. Qui aũt in lege dei meditatur die ac nocte, tanq̃ ruminat, & in quodã quasi palato cordis uerbi sapore delectatur. Hoc ergo quod pręceptũ est Iudęis, significat quod ad ecclesiã, id est, ad corpus Christi, ad gratiã societatẽq̃ sanctorũ non pertineant illi, q̃ aut negligẽtes auditores sunt, aut mores malos habent, aut in utroq̃ uitio reprehendũtur. Sic cætera quæ in hũc modũ pręcepta data sunt Iudæis, umbraticę sunt significationes futurorũ. Posteaq̃ uenit lux mundi, dñs noster Iesus Christus, tantũ modo ut intelligantur, non etiã ut obseruentur le
B guntur. Data est ergo licentia Christianis, ut non secũdum uanam hãc cõsuetudinẽ faciant, sed mãducent quod uelint cum moderatione, cũ benedictione, cũ gratiarum actione. Fortassis ergo & Petro ita dictum est, Occide & mãduca, ut iam nõ teneret obseruationem Iudęorũ: non tamẽ ei quasi gurges uentris & fœda uoracitas imperata est: sed tamẽ ut intelligatis hoc in figura esse mõstratum, erant in illo uase serpentia. Nunquid poterat manducare serpẽtes? Quid ergo sibi uult ista significatio? Vas illud ecclesiam significat. Quatuor lineæ quibus dependebat, quatuor partes orbis terrarũ, per quas extenditur ecclesia catholica, quæ ubiq̃ diffusa est. Quicũq̃ ergo uoluerit in partem ire, & per aliquam hæresim ab uniuerso conscindi, non pertinet ad quatuor linearum sacramentum. Si autem ad uisionem Petri non pertinet, nec ad claues
C quæ sibi datæ sunt pertinebit. Ideo uero quatuor lineis submissum est uas illud, quia à quatuor uentis dicit deus congregandos sanctos suos in finẽ: q̃a nunc super omnes istos quatuor cardines fides euangelica dilatat. Animalia ergo illa gẽtes sunt. Omnes ergo gẽtes quæ immũdæ erant erroribus & superstitionibus & concupiscentijs suis anteq̃ ueniret Christus: illo aduenięte, donatis sibi peccatis, mundæ factæ sunt. Vnde iam post remissionẽ peccatorũ quare non recipiant in corpus Christi, quod est ecclesia dei, cuius personã Petrus gestabat? Petrus in multis locis apparet quod personã gestet ecclesiæ. Si Petrus figurã gestabat ecclesię, & ecclesia corpus Christi est, recipiat in se quasi in
D escã suam iam mũdatas gentes, quibus peccata dimissa sunt. Vnde misit ad illum Cornelius gentilis homo, & qui cum illo gẽtiles erant, cuius eleemosynæ acceptę mundauerunt eum ad quendã modum: restabat ut tanq̃ cibus mũdus incorporaret ecclesiæ, hoc est, corpori domini. Petrus aũt trepidabat tradere gentibus euangeliũ, quia illi qui crediderant ex circuncisione, prohibebãt Apostolos tradere incircuncisis Christianã fidem: & dicebãt nõ eos debere ad participationẽ euãgelij accedere nisi accepissent circũcisionẽ, quę tradita erat patribus eorum. Vas ergo illud dubitationẽ sustulit Petro, & ideo post illam uisionẽ admonitus à spiritusancto ut descenderet & iret cum eis qui à Cornelio erãt, & perrexit. Cornelius ergo & qui cum illo

illo erant, tanquam ex illis animalibus habebantur quæ in uase erant demõstrata, quos tamẽ iam A mundauerat deus, quia eleemosynam eorũ acceptauerat. Occidendi ergo erant & manducandi: id est, ut interficeret in eis uitam præteritam, qua non nouerant Christum, & transirent in corpus eius, tanquam in nouam uitam societatis ecclesiæ. Nam & Petrus ipse cum ad eos uenisset, commemorauit breuiter quid sibi in illa uisione monstratum sit. Ait enim: Et uos scitis quàm illicitum sit uiro Iudæo coniungi & accedere ad alienigenas. Sed mihi ostendit deus, neminẽ communem aut immundũ hominem dicere. Quod utiq̃ tũc ostendit deus, cum uox illa sonuit, Quæ deus mundauit, tu ne immunda dixeris, Fortasse quærat etiã illud, quare linteum erat in quo erant illa anima-
B lia. Non utiq̃ sine causa. Nouimus enim quod linteum tinea non cõsumit, quæ uestes alias corrumpit. Et ideo quæ uult ad mysterium ecclesiæ catholicæ pertinere, excludat de corde suo corruptionẽ malarum concupiscentiarũ, & ita incorruptibiliter firmetur in fide, ut prauis cogitationibus tanquam tineis non penetretur, si uult ad sacramentũ illius lintei pertinere, quo significatur uel figuratur ecclesia. Quare autem ter de cœlo submissum est, nisi quia omnes gentes in nomine trinitatis baptizantur, quæ pertinent ad quatuor partes orbis terræ qua disseminatur ecclesia: quã significabant quatuor lineæ, quibus uas illud connectebatur: et in nomine patris et filij & spiritussancti, credentes innouantur, ut pertineant ad societatem commu-
C nionemq̃ sanctorum? Quatuor ergo lineæ quib. uas illud connectebatur, quatuor partes orbis, & trina submissio mysterium trinitatis ostẽdit. Quæ res etiam duodenarium numerum apostolorum ostendit, tanquam ternis per quatuor deputatis. Quater enim tria, duodecim fiũt. Et quia per quatuor partes orbis terræ mysterium trinitatis prædicaturi erãt duodecim apostoli, ideo quatuor lineę tertia uice de cœlo dimissæ sunt. Sicut ergo supra dictum est, Beatus Petrus typum ecclesiæ habuit catholicæ. Quod autem ascendit in solarium, hoc significat quod ecclesia cupiditatibus seculi abiectis, spiritaliter ascensura erat in altum, & cor sursum habitura, secundum illud quod scriptum est,
Philip.3 Nostra autem conuersatio in cœlis est. Quod au-
D tem hic Petrus esurire dicitur, hoc significat quòd ecclesia salutem gentium esuriret. Linteum illud quod de cœlo submissum est, ecclesiam significat. Animalia quæ in linteo erant, omnium gentium præferebant imaginẽ. Quatuor lineæ quibus uas illud dependebat, quatuor partes mundi, in quib. Christi euangelium prędicatur, significasse uidentur. Quod tertia uice submissum est uas illud, significat mysterium trinitatis & sacramentum baptismatis. Quod autem dictum est Petro, Macta & manduca, hoc significatũ est quòd ecclesia catholica omnes qui in Christum credunt prius occisura, & postmodum manducatura, hoc est, occisura esset infidelitatem, ut insereret fidem. Nemo enim potest in Christũ credere, nisi prius moriat quod fuit secundum illud quod Apostolus ait: Mortui
A enim estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Quomodo eñ qui ab hęreticis circumueniuntur uiui deuorantur à mortuis: sic illi q̃ ad Christum ueniunt moriuntur præteritis ut uiuant futuris, pereunt diabolo, ut Christo acquirantur, moriuntur morti, & fęliciter uitæ inseruntur. Quã rem ut etiam in nobis pietas diuina implere & cõfirmare dignet, assiduis orationib. supplicemus, pręstãte domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritusancto uiuit & regnat deus in secula seculorum Amen.

De eo quod propheta dicit in psalmo, Confi- Psal.117
temini domino quoniam bonus, quoniam in secu lum misericordia eius. Homilia XLVI.

CONFITEMINI domino fratres charissi-
C mi, quoniã bonus est, quoniã in seculũ misericordia eius. Remedia purgandi facinoris spiritusancto instruente addiscimus, non aliter ueniam posse mereri, nisi nostra facinora fuerimus deo iubente confessi. Quid enim celat peccator quod deo teste commisit? Quid erubescit fateri, quoniam peccatis non erubuit coinquinari? Diluat ergo confitendo quod peccando infecerat, satisfactione abluat, quod delictorũ maculis sordidauerat. Sit cautior post delictũ, qui ante delictũ fuerat segnior: sequatur bonis actibus Christum, qui in malis diabolum sequebatur. Confitemini, inquit, domino quoniam bonus est. Non uult ulcisci maliciam, qui confiteri peccata persuadet. Optat soluere confitentes, ne contumaces punire cogatur. Quare admonitio dei faciat solicitũ, ne seueritas faciat punitum. Peccatorum enim nos meritis flagellari frequenter nemo prudens qui abnuat, nemo stultus qui non intelligat. Vult enim deus admoneri frequenter quos putat esse correctos: uult tentationum seueritate corrigere, quos sua patientia uiderit esse deprauatos: uult inquam hactenus reformare peccatores, & ad spẽ recuperandæ salutis ipsos iam mortuos suscitare. Gaudet enim deus si correctos uiderit quos emendat: lætatur cũ iustos mutatos inspexerit quos flagellat. Exultat ergo affectu, & terrorem & minas & uerbera in peccatores missa proficere ad prauos corrigendos, q̃ ad reos puniendos exoptat. Vult
D enim deus misereri cunctorũ, uult ignoscere magis, uult se exhibere propitiũ, si quẽ mutatis actibus uiderit esse correctũ. Si dereliquerint, inq̃t, filij tui legem meam, & in præceptis meis non ambulauerint, si iustificatiões meas prophanauerint, uisitabo in uirga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Hæc sunt remedia quibus cõsulit deus, hæc est medicina qua hominũ curantur uulnera, his emendãtur utilitatibus, uitia corrigunt, hominũ malicia refrenatur. Beneficia hęc sunt diuina non uerbera, nec ut noceãt diuinitus irrogantur, quæ ad hoc ueniũt ut hominibus paterna clementia cõsulant. Ego, inquit, quos amo, arguo & castigo. Et iterum, Fili ne neglexeris disciplinam Prouer.3
dei, nec defeceris cũ ab eo correptus fueris. Quẽ Apoc.3

enim diligit deus, corripit, flagellat autē omnem filium quē recipit. Igitur si omnem ad hoc flagellat ut corrigat, ad hoc autem corrigit ut patri, id est, deo dignū exhibeat, timeat qui nō flagellatur, ne filius esse nō possit. Timeat quem corrigere deus non uult in seculo, quia eum supplicio destinauit post seculum, Timeat qui adhuc in seculo gaudet & lætatur, nec in æternum contristetur & ploret. Timeat qui cum iustis in secula non dolet, ne cum peccatoribus in supplicio perēni iaceat. Sed si peccatores, inquit, delictorum suorū uerbera in seculo patiuntur: cur nonnunquā & sancti uiri pariter & æque cū peccatoribus afflictantur, nisi quia ad emēdationem peccatoribus, iustis ad probationē iustitiæ proficiunt? Vt enim peccatores his remedijs corriguntur à malis, ita iusti hactenus augentur in bonis. Illos enim emendat deus ut corrigat, hos uero probat ut augeat. Illos ergo à culpa reuocat, hos sanctiores sibi reseruat. Illic peccata corriguntur, hic merita uirtutis augentur. Illic ergo recordatio pœnitens, hic puræ mentis lætitia. Gaudens ille indulgentiā diuinā exoptat, hic præmia promissa iam cogitat. Ille piū iudicem ueniam postulat, hic iustū remuneratorem expectat. Ille solicitus ut possit impetrare quod postulat, hic securus, quia potest quod meretur accipere. Nam peccatores saltē emendatione deus conterat, ne inueniat malicia crescēte qd uindicet. Odit em̄ supplicū, qui ante præstitit ne condēnet. Gaudeat Christianus in aduersis, quia aut pbat̄ si iustus est, aut si peccator est emendatur. Cōtristetur sane quem flagella corrigere diuina nō possūt, timeat futurū supplicū, qui præsens iudicis contēpsit remediū. Gaudeat peccator si cū iusto in seculo contristet̄, ut post seculū cum eodē remunerēt̄. Vos, inquit dominus, plorabitis & plangetis, seculum autem gaudebit. Vos tristes eritis, sed tristitia uestra in lætitiā ueniet. Quis nō breui tēpore contristari exoptet, ut in æternum lætitia sempiterna cum Christo triumphet? Quis non breui tēpore contristari, & præsentis temporis fletus pensare gaudio futuro desideret? Exiguum siquidem, momentaneū & breue est, quicquid boni maliūe in seculo est. Tentatio quidē uos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem deus, qui non patitur uos ferre plus q̄ p̄ potestis, sed faciet cū tentatiōe exitū ut possitis tolerare. Sed tamen tribuit deus securitatem ad tempus, fragilitati nostræ indulgens. Sit miles Christi armatus, sit solicitus, sit cautus, sit de deo solo securus. Vigilet in pace cautior, q̄ in bello uigilare cōsueuit. Non sit securitate dimissus, ne aliqua ex parte surrepat inimicus. Sobrij em̄, inquit, estote & uigilate, quia aduersarius uester diabolus tanq̄ leo rugiēs, aliquē deuorare quærēs circuit. Quanto hostis uigilat ut noceat, tanto Christianus uigilet ut uincat. Nunquid uigilantibus obrepit inimicus? Nunquid solicitos circumuenit hostis? Neq̄ enim tunc tantū cauendus est, quando bellum dei seruis indicit, in pace magis uigilandum est nobis & exercendus est animus, exercenda uirtus, mentis intētio timore firmanda. Facit enim hostis securos, quos cupit esse captiuos. Facit inquam, securos, ut incautos, sopitos & inermes opprimat, uul neret eos q̄s uigilare minime perspexerit. Si quis miles sub imperatoris conspectu certamen cū hoste inierit, quāta instantia, quantaq̄ uirtute pugnabit, ut placere illi cui militat possit? Nec stipendiū promotionemúe poterit despicere, si superans hostem fortiter uicerit. Erubescit siquidē despici, nisi superet hostum forti victoria. Vigila Christiane sub oculis dei, ut perfecta victoria coroneris. Pugna ergo cū diabolo, qui armatus es Christo, q̄ te te desiderat munerare. Contēne præsentia, ut percipias futura. Tēporalia ergo sperne, ut ęterna possis accipere. Possidebis cœlū, quod diabolus possidere non potuit. Habebis enim paradisum, unde inimicus exclusus est. Accipies æternitatē, quam præuaricator hostis amisit. Illū ergo ad terram perfidia deiecit, te in cœlum fides imposuit. Ille cōtēnendo cœlesti uirtute priuatus est, tu seruiēdo angelica maiestate suffultus eris. Illi æterna sunt supplicia destinata, tibi diuina sunt præmia præparata. Ille perfidus cum perfidis interibit, tu sanctificatus cū sanctis regnabis, Et qui fueras tēporalis & mendicus, sis æterna gloria decoratus, nec quicq̄ in seculo formidabis, quia autorē formidinis diabolum cum seculo respuisti, Amen.

De remedijs peccatorum.

Homilia XLVII

EMEDIA peccatorum fratres, medicina eleemosyna. Eleemosyna em̄ à morte liberat, & non patitur hominē ire in tenebras. Patrocinatur in die iudicij homini, ut flammas æternas non timeat. Sicut Iacobus in epistola sua dicit: Superexaltat misericordia iudiciū. Et iudiciū sine misericordia illi qui nō fecit misericordiā. Sed talis debet esse ipsa misericordia fratres, quæ susci piatur, nō quæ repellat̄. Quæ peccata purget, non quæ animam grauet. De bono, de iusto labore, de propria facultate, non de pauperum egestate. Fratres, non uult deus hominem à misericordia cessare, nec libenter aspicit deus quenq̄ de fraudibus dantē, sicut Salomon propheta dicit, Honora dominum deum tuū de tota substantia, ac de iustis laboribus tuis. De iustis laboribus iussit dari, de iniustis uero rapinis prohibuit dari. Sed cum iudicare cœperit deus dicturi sunt hi qui de fraudibus uiuūt, & de spolijs miserorū eleemosynā faciūt, Domine præcepta tua seruauimus, & in nomine tuo misericordias fecimus, pauperes pauimus, nudos operuimus & peregrinos hospitio recepimus. Quib. dicturus est deus, Quod dedistis dicitis, q̄d rapuistis nō dicitis. Quos pauistis memoramini, quare non recordamini quos necastis? Quos operuistis gaudent, quos expoliastis plangunt. Quos hospitio recepistis retinetis, & obliti estis quātos de suis habitaculis expulistis. Ego misericordiam fieri iussi, fraudes & rapinas exerceri nō mandaui. Vnus repleť panibus, quē de rapinis satiasti, & benedicet dominus nō te, sed eū quē necasti. Ille miser necatus ingemuit, & exaudiuit gemitū eius q̄ uidit q̄ feceris ei. De malo acqris & gaudes, rapis & læta

& lætaris, pauper rogat & cōtristaris: prandiū paras, & tales ad tuū prandiū uocas, qui tibi uicē rependāt. Ornas cōuiuiū ne quid desit, & cū amicis tuis epularis, & ante ianuā tuā rogantē pauperem non audis. Tu diuersis bonis repleris, & egēti nō misereris. Multis epulis distentus, & multo uino madidus, pauperē rogantē contemnis. Oblitus es dictū prophetæ dicētis, Qui, inquit, auerterit aurē suā ab egeno, & ipse inuocabit dominū, & nō exaudiet eū. Inclina aurē tuā, audi egētis uocem & fame pereūtis, ut & tuā uocē deus exaudiat tribulantis. Da, de quo dederit tibi deus. Ipse te diuitem fecit, ideo redde illi q̄ suū est. Ipse se dicit accipere quod pauperib. datur, sibi collatū conclamat, q̄ in corde pauperis fuerit seminatū. Sicut in euāgelio dicit, Facite uobis amicos de māmona iniquitatis, qui recipiant uos in ęterna tabernacula. Ecce habes Christiane æternū tabernaculū, si dederis pauperib. uictū. Si quid das, illuc trāsmittis, tibi in futuro repones, non unde carnaliter satureris, sed unde spiritualiter glorieris, nō unde uentrē repleas, sed unde flāmas extinguas, quia scriptum est, Eleemosyna à morte liberat, & nō patit̄ hominē ire in tenebras. Misericordia est fratres, quæ iram dei auertit, et peccata dimittit, ignes futuros extinguit. Sicut Salomō dicit, Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna resistit peccatis. Da ergo egēti, cōfer non habenti, succurre fame pereunti. Crudele est ut de quo habes, nō des ei quē scis nō habere. Graue est ut de tua abūdantia non sustentes egentis inopiā. Vnde semper flagellamur in frugibus, quia bene egentib. nō facimus. Reuera si cōsideres homo unde dāna, unde pericula, unde calumnię, nisi de sterilitate nostra. Tu nō das indigēti q̄ potes, quod te nō grauat, uenit una calūnia, & perdes quod nō habes. Ventre pleno ambulas, & uacuū pauperis uentrē non consideras. Bene est tibi de bonis dei, nihil indiges, honestis uestibus uteris, & nudū et trementē frigore non uestis. Si tibi dicat deus, Teipsum ego feci, quod uiuis meū est, quod habes ego dedi, & ingratus es, aufero quæ dedi, nego quod donaui, dimitto te quē feci, & sine me uiue si potes? Plus tibi dedi, ut haberes unde pauperi dares. Pauperi non dedi ob hoc, ut te probarē, nō quia ambobus non habui unde darē, sed per pauperē uolui te pbare. Ego sum q̄ diuitē & pauperē feci, prerogatorem te cōstitui in bonis meis. Fac misericordiā, qa nihil perdes, & me, qui tibi dedi, nō offendes. Da, q̄d dubitas? Quia si dederis ego plura dabo. Quid tibi soli uēdicas, quod ambobus dedi? Quare tu solus comedis, q̄ ambobus creaui? Quasi tuo labori hoc assignas, aut tuū esse putas? Aufero auxiliū meū, habeo laborē tuum: aufero misericordiā meā, & tūc apparebit miseria tua. Ad hæc q̄d dicturus es miser? Miser es, q̄ miseros nō uides, & eris solus. Bestijs, & pecorib. animalibus, auibus, serpentibus, communis est cibus, et tu homini negas uictum? Sed credo uideo nō das, ne dādo finias, ne prerogādo deficias. Qui hæc cōsideras, finē uitæ tuę nō cōsideras? Et si pecunia nō finitur, uita tamen finitur, & quādo non speras ad te uenit̄. Sic non cōsiderauit ille diues, qui abūdātia torquebat̄, & quasi inopia querebatur. Quid faciā, inquit, quia nō habeo ubi fructus meos congregē? Et audiuit uocē domini dicētis, Stulte, anima tua auferet̄ à te hac nocte, quæ præparasti cuius erunt? O uanitas huius diuitis, nescit si uiuat, & de fructib. cogitat, nocte moriturus fabricare disponit. Ecce audisti & tu Christiane q̄d timeas. Fac misericordiā, Quid dubitas? Nō te deserit, qui te prærogatorē constituit. Ipsius est enim uox in euangelio arguentis incredulos & dicētis, Cōsiderate uolatilia cœli, qm̄ nō seminātneq̄ metunt, quib. non sunt cellaria, & pater uester cœlestis pascit illa. Si quæcunq̄ habes, tua esse dicis, si potes cōstitue propter fures in domo tua uigiles, fode foueas, abscōde diuitias, fac tibi loculos & arcas ubi reponas, cōtra dei uoluntatē tene, habe, uiue, si potes. Ergo fratres, faciamus misericordiam, pascamus esuriētes, nudos operiamus, peregrinos hospitio recipiamus. Bene ergo facientes non deficiamus, ut tempore suo metamus uitā æternam in secula seculorum, Amen.

Prouerb. 21 — Luc. 16 — Eccle. 3 — Matth. 6

De eo quod dominus ait in euangelio, Hominis cuiusdam diuitis uberes attulit possessio fructus, & cogitat apud se, dicens, Quid faciam, quoniam non habeo quo colligam fructus meos, &c.

Homilia XLVIII

OMINIS cuiusdam diuitis uberes attulit possessio fructus, & cogitauit apud se, dicens: Quid faciā, quoniā nō habeo quo colligam fructus meos? Et dixit: Hæc faciā, Destruā apothecas meas & horrea, & maiora ædificabo. Illuc cōgregabo fructus meos, & dicā animæ meæ, Habes multa bona reposita, gaude & iocundare. Dixit autē illi deus, Stulte, hac nocte exposcitur à te anima tua, ea quę cōgregasti cuius erunt? O cæcitas auari, fratres dilectissimi, una nox ei superabat, & de multorū annorū uita satagebat, Gaudebat quia multum sibi nascendum uidebat, & non sciebat, quia nihil secū tollebat, sed hic omia dimittebat. Nox ei uitam fugabat, & de crastino cogitabat, quod in alijs spectabat, in se nō sperabat: utiq̄ uiderat & ille morientes, uiderat possidētes, uiderat neminē secum tollere terrā. Quanti sunt & modo qui dicūt, tantū habeo, tantū facio, tātū ualeo. Quibus respondendū est, Stulte, hac nocte anima tua auferet̄ à te, quę cōgregasti cuius erūt? Lætat̄ diues stultus, nocte moriturus. Quantūcunq̄ cupiditas radices suas ubiq̄ distentet, quantūcunq̄ rapiat, necesse est in una hora totū dimittat. Sed dicturus es, habeo filios quibus laborē, habeo q̄bus ꝓspiciam, habeo q̄bus curā maximā gerā. Quam curā geris filiorū, ut eos obruas lachrymis miserorū? Nō est hoc filios amare, sed potius necare. Ne scis qa arbor in fruge dinoscit? Nescis quia q̄d in radice celat̄, in ramis declarat̄, et q̄d latet in folijs, enitescit in pomo? Nolo te talē patrem sentiāt filij tui, nolo sic prouideas, ut magis inuideas. O quāti pauperes nascuntur, & postmodū diuites efficiuntur, quanti quibus magna hęreditas dimittitur, & postmodū ad penuriam redigūtur, Si ergo dei est pauperem

Luc. 12

pauperē facere, dei est & ditare. Cur prouidus filiorum existis? Cur rapis, qui post te ne forte ma- A
neāt nescis, & tibi perpetuam pœnā nutris, et filijs
tuis dolorē dimittis? Dicit ēm sapiētissimus Solo
mon, Qui cōgregat aliena, relinqt filijs dolorē. Et
Psal.38 rursum dicitur in psalmis. Veruntamē in imagine
pertransit homo, uane cōturbatur, & nescit cui cō
gregat ea. Quid thesaurizas auare, quod nescis?
Quid auri argētiq; pondere delectaris, & condis?
Quid imaginem regis sculptā seruas in solidis, &
imaginē dei in hominib. detestaris? Redde, dictū
16.q.7. maio- est, cęsari quę sunt cæsaris, et deo quę sunt dei. Ma
res. iores nostri ideo copijs omnib. abundabant, quia
deo decimas dabant, & cæsari censum reddebant.
Modo autē quia discessit deuotio dei, accessit in-
dictio fisci. Noluimus partiri cū deo decimas, mo- B
do aūt totū tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non ac
cipit Christus. Hoc magis datur quod pauperibus
non erogatur. Noli, inquit Salomon, parcere the-
Tob.4 sauris tuis. Tribuēdæ sunt eleemosynæ pro modo
& quantitate, sicut scriptū est, prout habueris fili,
fac eleemosynam. Si exiguū habueris, ex ipso exi-
guo cōmunica esurienti. Abscōde eleemosynam
in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ad domi-
nū. Sed dixisti, habeo quibus dimittā. Pone quia
habebunt filij quibus dimittis, Tu nihil habebis,
quia nihil ante te misisti. De filijs curā gessisti, tibi
aūt non profuisti. Ecce post te transierunt & isti fi-
1 Tim.6 lij, sine causa cucurristi, cum Apostolus dicat, Ni-
hil intulimus in hūc mūdū, uerū nec auferre quid
possumus, quia dñi est terra & plenitudo eius. Au
dis, Sursum corda, & curas dicere, Habemus ad
dominū. Si aliquid illuc misisti, habes qd ibi quę-
ras. Si nihil misisti sursum, nō habes quod ibi quę-
ras. In terra ubi posuisti, ibi quære. Quia scriptum
Matt. 6 est. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Et
deus tibi audi quid dicat. Quid? Vis fœnerari, uis
minus dare, & plus accipere, Ecce mihi da, dicit
dominus, Ego accipio minus, & dabo plus. Quē
quæris unde crescat pecunia? Hominē quęris, qui
quādo accipit gaudet, quādo reddit plāgit, Vt ac-
cipiat precat, ne reddat calumniat. Da quidē ho-
mini, & noli auertere faciē tuam ab eo qui mutuo
petit, sed accipe quantū dedisti, nam & beneficiū
perdidisti. Et si hoc ipsum quod daturus es exiga-
tur, forte ad manū non habet unde reddere possit,
pertulisti petentē, expecta nō habētē. Noli clama
re & dicere, Nunquid fœnus quæro? Tantum pe-
to quantū dedi, hoc recipiā. Non es mētitus, uerū
dicis, nō es fœnerator, & uis cui dedisti quærat fœ
neratorē, ut tibi reddat. Sed si propterea fœnus nō
exigis, ne te fœneratorē iudicet deus, premis, suf-
focas, exigis, si tātū exigis quātū dedisti, suffocādo
tamē & in angustijs retinēdo, beneficiū nō præsti
tisti, sed maiores angustias intulisti. Sed forte di
cis, Habet unde reddere possit. Habet possessio-
nē, uēdat. Habet domū, uēdat. Habet familiā, uen-
dat. Frater tuus quādo à te petijt, ideo petijt ne uē
deret, propterea non faciat, quia subuenisti ne fie-
ret. Hoc uult deus, hoc iubet deus. Sed si auarus
es, modo audi quid ipse dominus in euangelio di-
cat, Stulte, hac nocte exposcitur anima tua à te, ea
quæ præparasti cuius erunt? Sic est omnis qui sibi A
thesaurizat, & non est in deum diues, Amen.

De eo quod Apostolus dicit, Legatione fungimur pro Christo. Homilia XLIX 2. Cor.5

POSTOLVM audiuimus nobis dicentē, A
A Legatione fungimur pro Christo, exhor-
tans reconciliare deo. Non exhortaret ut
reconciliaremur, nisi inimici fuissemus. Ergo erat
totus mūdus inimicus saluatori, amicus captiuato
ri. Hoc est, inimicus deo, amicus diabolo. Et totū
genus humanum tanq; illa mulier, curuatum erat
ad terram, Iam intelligēs quidā inimicos istos, cla
mat aduersus eos, & dicit deo, Curuauerūt animā Psal.56
meam. Diabolus & angeli eius animas hominum
B curuauerūt ad terras, id est, ut pronæ in ea quæ tē-
poralia sunt & terrena, superna nō quærerent. Nā
utiq; hoc dicit dñs de muliere ista, qa alligauit eā
satanas ecce decē & octo annis, etiā oportebat eā
solui à uinculo in die sabbati. Calumniabantur au
tem erigenti, qui nisi curui? Quandoquidē & ipsa
quæ deus præceperat non intelligentes, terreno
corde intuebantur. Sacramentum enim baptismi
carnaliter celebrabant, spiritaliter non uidebant.
Audite charissimi mēbra Christi, & matris catho- dis.34.ante
licæ filij: quod dico competentibus & fidelib. au-
diant pœnitentes, quod dico fidelibus, dico et cō
petentib. & pœnitentibus, audiant catechumeni,
audiant omnes, omnes timeant, nemo cōtemnat,
Sit mihi in cōsolationem uester auditus, ne sit uo-
bis in testimonium dolor meus. Competentibus
C dico, Fornicari uobis non licebit. Sufficiant uo
bis uxores, aut nec uxores, Concubinas uobis ha
bere non licet. Audiat deus, si uos surdi estis, au-
diant angeli eius si uos contemnitis, Concubinas
uobis habere non licet. Si audiant competentes
quòd dico fidelibus, non habetis uxores, nō licet
uobis habere cōcubinas, quas postea ducatis uxo
res, quāto magis dānatio uobis erit, si habere uo-
lueritis & cōcubinas & uxores dimittatis. Nō uo
bis licet habere uxores, quarum priores mariti ui-
uunt, Nec uobis fœminæ habere uiros licet, quo-
rū priores uxores uiuūt. Adulterina sunt ista con-
iugia, non iure fori, sed iure cœli. Nec eā fœminā
quæ per repudiū discessit à marito, licet uobis du-
D cere uiuo marito. Solius fornicationis causa licet
uxorē adulteram dimittere, sed illa uiuente non li
cet alterā ducere. Et uobis fœminę nec illos uiros,
à quibus per repudiū discesserūt uxores eorū, ma-
ritos habere concedit. Non licet, adulteria sunt,
non cōiugia. Contemnit Augustinus, timeat uel
Christus. Nolite imitari turbā malorū infideliū fi-
lij mei, nolite sequi uias latas, quarū finis ad interi
tū ducit. Qui baptizatus fuerit, aut cōtinentiā deo
uoueat, aut pmaneat cū uxore sua, aut si nō habet,
ducat uxorē. Audite me fideles, id est, baptizati.
Quare moriemini iā renati? Quādo baptizati pui
as tortuosas et lubricas et immūdas itis, nescitis qa
peritis? Filij mei et fratres charissimi credite, Non
ergo uultis credere? Quid uobis facio q fideles e-
stis, & audistis me? Si forte talia cōmisistis, nolite
addere

addere, et ut uobis deus ignoscat, orate. Si non po
tuistis habere, uel noluistis pudicitiam cōiugalem A
seu continentiam, & deuiastis à proposito uel uin
culo coniugali, uel deuotione continentiæ, sit in
uobis dolor & humilitas pœnitentiæ. Apertius di
co, nemo dicat non intellexi. Qui post uxores ue-
stras uos illicito concubitu maculastis, si præter
uxores uestras cū aliqua concubuistis, agite pœni
tētiam, qualis agitur in ecclesia, ut oret pro uobis
ecclesia. Nemo sibi dicat, occulte ago, apud deum
ago, nouit deus qui mihi ignoscit, quia in corde
ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in
terra, soluta erūt in cœlo? Ergo sine causa sunt cla
ues datæ ecclesiæ dei? Frustramus euāgelium dei,
frustramus uerba Christi? Promittimus uobis qd
Iob.31 ille negat? Nónne uos decipimus? Iob dicit, Si e- B
rubui in conspectu populi confiteri peccata mea.
Talis iustus thesauri diuini obrizi, tali camino pro
batus ista dicit, Et resistit mihi filius pestilentiæ, &
erubescit genu figere sub benedictione dei: q nō
erubuit imperator, erubescit nec senator, sed tan-
tum curialis? Superba ceruix, mēs tortuosa, fortas
sis imò qd non dubitat, propterea deus uoluit ut
Theodosius imperator ageret pœnitentiā publi-
cam in cōspectu populi, maxime qa peccatū eius
celari nō potuit, & erubescit senator, qd non eru-
buit imperator? Erubescit nec senator sed tātū cu
rialis, q nō erubuit imperator. Erubescit plebeius
siue negociator, q nō erubuit imperator. Quę ista
superba est? Nónne sufficeret gehēnę, etiā si adul
terīū nullū esset? Postremo fratres mei audiūt me
uiri, audiūt me fœminæ, quid ad me irascimini mi- C
Psal.4 hi? utinā faciatis quod scriptū est, Irascimini & no
lite peccare. Timere debeo ne contingat mihi qd
contigit apostolo Paulo? Quod modo cum lege-
Gal.4 rēt si intēti fuistis lectioni audistis, Ergo inimicus
factus sum uobis uerū prædicās. Et si ita est, Fiat.
Si necesse est ut inimicus sim uobis: melius q iusti
tiæ. Commendo uos custodiendos etiā uxoribus
uestris, Filiæ meæ sunt, sicut & uos filij mei estis.
Audiāt me, Zelentur uiros suos, non sibi seruent
uanam gloriā, quia solent à maritis impudicis ma
tronæ laudari, quia impudicitiam uirorū suorum
æquo animo ferunt. Non talem patientiā habeāt
Christianæ mulieres, prorsus zelentur uiros suos,
non propter carnem suam, sed propter animas il-
D lorum. Omnino ego moneo, ego præcipio, ego iu
beo, episcopus iubet, Christus in me iubet. Nouit
ille in cuius conspectu ardet cor meū. Ego iubeo,
nolite uiros uestros permittere fornicari. Interpel
late cōtra illos ecclesiā. Nō dico iudices publicos,
non proconsulem, non uicariū, non comitē, non
imperatorē, sed deum patrē, & Christū & spiritū
sanctū. In cæteris omnib. ancillæ estote uirorū ue
strorū, subditę ad obsequiū. Nulla sit in uobis pro
teruitas, nulla superbia, non contumeliosa ceruix,
nō aliqua inobedientia, prorsus tanq; ancillę serui
te. Sed ubi uentū fuerit ad illud negotiū, ubi uos
apostolus æquauit dicēs, Vxori uir debitū reddat,
1. Cor.7 similiter & uxor uiro. Vxor nō habet potestatem
corporis sui, sed uir. Quid te extollis? Audi quod
sequitur, Similiter & uir nō habet corporis sui po
testatem, sed mulier. Vbi ad hoc uētum fuerit, cla-
mate pro re uestra. Aurū tuū uēdit maritus pro ne
cessitate sua, Ferto fœmina, ferto ancilla, noli liti-
gare, noli cōtradicere. Contēptus auri tui, dilectio
est uiri tui. Si uillā tuā pro necessitate sua uendat
quæ est & tua, non ēm potest esse eius quę non sit
tua, si est charitas in te, quæ debet esse in uxorē, fer
to patienter: & si dubitat, tu offer, contemne omia
propter amorē uiri tui. Sed castum opta, pro castī-
tate litiga. Patienter pereat uilla tua, non anima ip
sius te patiēte pereat. Non dico uiris, ut in hac cau
sa zelēt uxores suas. Scio, quia faciūt. Noui. Quis
ferat uxorē adulterā, & imperatur fœminæ ut fe-
rat adulterū uirū? O iustitia. Quare rogo te? Qua-
re? Quia ego sum uir. Vir es, in fortitudine tua p-
B bemus, quia uir es. Vir es, uince libidinē. Quomo
do uir, quo uxor est fortior? Tu es caput mulieris
uir, uerū est. Si caput est ducat, uxor sequatur. Sed
ubi recta est domus, caput mulieris uir. Si caput es
duc, sequat illa caput suū. Sed uide quò eas. Noli
ire quò nō uis ut sequat, noli ire quò times pedis-
sequa ne in foueā sequat adulterij, simulq; ruatis,
ne cū tu facis, doceas qd facis. Dolet tibi anima, si
in foueā adulterij simul ruatis. Dolet tibi si tu so-
lus ruas. Zelas, nō uis ut ruat illa, time tu, noli rue
re. Nolite aūt pudicissimę fœminę imitari impudi
cos uiros uestros. Absit à uobis, Aut uobiscum ui
uāt, aut soli pereāt. Impudico marito nō debet mu
lier pudicitiā, sed deo illam debet, Christo illā de-
C bet. Non propter illum faciat qui nō merctur, sed
propter Christū faciat. Parcū suum attendat, tabu
las suas legat. Postremo quod libet sentiat, qui for
te indignatur, quia talia disputo, scio nanq; qui sa-
piunt, amant inde me, quia non sine causa scriptū
est, Corripe sapientē & amabit, corripe insipien- Prouer.9
tē, & adijciet odisse te. Non dixit, incipiet, sed adij
ciet, quia iam oderat. Ego scio quia sapiētes amāt
me, in hoc à communione se cohibent qui sciunt
quia noui peccata ipsorū, ne de cācellis proijcian
tur. Quorum autem nescio, hos coram deo conue
nio, Agant etiam ipsi pœnitentiam suam, & deinc-
ceps ab immundicia abstineant fornicationū sua-
rum. Pœnitētibus dico, Quid est quod agitis? Sci-
tote nihil agitis. Quid prodest quia humiliamini,
D si nō mutamini? Catechumenis dico, Exardescite
uoluntate ad percipiendam gratiam. Sed elīgite
uobis in ecclesia dei quos imitemini. Quid est qd
dico, si nō inueneritis? Ergo in populo dei nō est
quem inueniatis? Per tot annos, tot homines sine
causa baptizauimus, si non ibi sunt qui seruent
quod acceperunt, qui custodiāt quod audierunt.
Absit hoc à me ut credam. Melius esset non uobis
essem episcopus, si hoc ita est. Sed spero esse, cre-
do esse. Inde est autem misera conditio mea, quia
plerunq; cogor adulteros nosse, castos nosse non
possum. In occulto est unde gaudeam, in publico
est unde torquear. Ergo desiderate gratiam dei, &
elīgite quos imitemini, cum quibus uiuatis, cum
quib. colloquia dulcia charitatis habeatis. Nolite
admittere susurrationes malas. Corrumpunt mo- 1. Cor.15
res bonos

res bonos colloquia mala. Viuite ſicut ſpicæ inter zizania, Ferte tribulationes huius ſeculi, ſicut grana in area. Veniet uentilator, nemo ſit paſſim in hoc ſeculo ſeparator, Amen.

Hic liber recenſetur in Indiculo Poſſidonij.

De utilitate ac neceſſitate pœnitentiæ.

Homilia L

A QVAM ſit utilis & neceſſaria pœnitentiæ medicina, facillime homines intelligunt, qui ſe homines eſſe meminerunt. *Iacobi 4* Scriptũ eſt enim, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Luc.18* Et dominus in Euangelio dicit. Quoniam qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur, Magiſq; iuſtificatus deſcendit de templo publicanus ille peccatorum cõfeſſione ſolicitus, quàm phariſæus meritorum enumeratione ſecurus, quamuis & ipſe gratias egit deo dicẽs, B Gratias tibi ago deus, quia non ſum ſicut cæteri homines, iniuſti, adulteri, raptores, quomodo & publicanus iſte. Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Et tamen ille ei prælatus eſt, qui de longinquo ſtabat, neq; oculos audebat ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Non enim ille phariſæus tam ſua ſanitate quàm morborum alienorum comparatione gaudebat. Vtilius autem illi erat, quoniam ad mediũ uenerat, ut de quibus ægrotabat confitendo monſtraret, quàm diſſimularet de uulneribus ſuis, & de cicatricibus alienis auderet gloriari. Non ergo mirum ſi publicanus magis curatus abſceſſit, quem non puduit oſtendere ꝙ dolebat. C In rebus quippe uiſibilibus, ut excelſa quiſq; contingat, in excelſum erigitur. Deus autem cum ſit omniũ excellentiſſimus, non elatione, ſed humilitate cõtingitur. Vnde per prophetam dicitur, *Pſal.33* Prope eſt dominus his qui attriuerint cor. *Pſal.37* Et iterum, Excelſus eſt dominus, & humilia reſpicit, & excelſa à longe cognoſcit. Excelſa ipſa poſuit pro ſuperbis. Illa ergo reſpicit ut attollat, iſta cognoſcit ut deprimat & deijciat. Cum enim ait, quod à lõge excelſa cognoſcit, ſatis eum oſtendit humilia de proximo attendere, ipſum tamen deũ excelſum eſſe prædixit. Solus enim deus arrogãs non eſt, quantacunq; ſe prædicatione laudauerit. Non ergo ſe arbitretur ab oculis dei abſcondi quantacunq; ſuperbia. Deus enim excelſa cognoſcit. D Nec ſe rurſus deo coniunctam putet, excelſa enim à lõge cognoſcit. Quiſquis itaq; pœnitentiæ recuſat humilitatẽ, deo propinquare nõ cogitat. Aliud eſt enim leuare ſe ad deũ, aliud eſt ſe leuare contra deum. Qui ante illum ſe proijcit, ab illo erigitur. Qui aduerſus illum ſe erigit, ab illo proijcitur. Alia eſt ſoliditas magnitudinis, alia eſt inanitas inflationis, qui foris tumeſcit, intus tabeſcit. Qui eligit abijci in domo domini magis ꝗ habitare in tabernaculis peccatorum, eligit illum deus inhabitare, ut inhabitet in atrijs eius, & nihil ſibi aſſumentẽ, ille in ſedem beatitudinis aſſumit. Vnde in pſalmis ſuauiſſime & ueriſſime canitur, Beatus uir, cuius eſt ſuſceptio abs te domine. Ne putes eum qui ſe humiliat ſemper iacere, cũ dictũ ſit, exaltabitur, Et ne opineris eius exaltationem in oculis hominum per ſublimitates fieri corporales, A Cum enim dixiſſet: Beatus uir, cuius eſt ſuſceptio abs te domine, conſequenter connexuit & oſtendit eiuſdẽ ſuſceptionis celſitudinem ſpiritalem. Aſcẽſus, inquit, in corde eius diſpoſuit in conualle plorationis in locum quem diſpoſuit. Vbi ergo diſpoſuit aſcenſus? In corde, in cõualle ſcilicet plorationis: hoc eſt, qui ſe humiliat exaltabitur. Sicut em̃ aſcenſus exaltationem indicat, ita uallis humilitatẽ, & conualles plorationes. Sicut enim comes pœnitentię dolor eſt, ita lachrymæ teſtes doloris. Optime autem ſequitur & dicit: Etenim benedictionẽ dabit qui legem dedit. Ad hoc enim lex data eſt, ut ſuperbo infirmitatem ſuã notã faceret, infirmo pœnitentiam ſuaderet. Ad hoc etiã lex data eſt, ut uulnera oſtenderet peccatorum, quę gratię B benedictione ſanaret. Ad hoc enim lex data eſt, ut diceremus in cõualle plorationis, Video aliam legem in mẽbris meis repugnãtem legi mẽtis meæ, *Rom.7* & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in mẽbris meis. Et cum ipſo ploratu clamaremus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et ſuccurreret nobis exaudiẽte illo qui erigit eliſos, ſoluit cõpeditos, illuminat cęcos, gratia dei per Ieſum Chriſtum dominũ noſtrũ. Tres ſunt autem actiones pœnitentiæ, quas mecum ueſtra eruditio recognoſcit. Sunt em̃ uſitatę in eccleſia, & diligenter attendẽtibus notæ. *4.ſen.diſt. 16.præſ.* Vna eſt quę nouum hominem parturit, donec per baptiſmum ſalutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorũ, C ut tanquã puero nato dolores tranſeant, quibus uiſcera urgebantur ad partum, & triſtitiam lætitia cõſequatur. Omnis enim, qui iam arbiter uoluntatis ſuæ cõſtitutus eſt, cũ accedit ad ſacramenta fidelium, niſi eum pœniteat uitæ ueteris, nouã non poteſt inchoare. Ab hac pœnitentia cum baptizantur ſoli paruuli ſunt immunes. Nondum enim uti poſſunt libero arbitrio, quibus tamen ad conſecrationem remiſſionemq; originalis peccati prodeſt eorũ fides, à quibus offeruntur, ut quaſcunq; maculas delictorum per alios, ex quibus nati ſunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione ac reſpõſione purgentur. Veriſſime quippe in pſalmis plangitur, *Pſal.50* Ecce enim in iniquitatibus cõceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea. D Item ſcriptum eſt, *Iob 15* Non eſſe mundum in conſpectu dei, nec infantem, cuius eſt uita diei unius ſuper terram. Exceptis ergo talibus, de quorum ordine ac merito in futura illa quæ promittitur ſorte ſanctorum, uelle amplius quærere, hominũ modum excedit: pie tamẽ creditur eis prodeſſe ad ſpiritalẽ ſalutẽ, quod eccleſiaſticę autoritatis per totum orbem terrarũ tam firmo robore cuſtoditur: cæterorum hominum nullus tranſit ad Chriſtum, ut incipiat eſſe quod non erat, niſi eum pœniteat fuiſſe quod erat. Hæc prima pœnitentia præcipitur Iudæis, dicente apoſtolo Petro, *Act.2* Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Talis ab ipſo domino imperabatur cum diceret, *Matt.4* Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. De hac

etiam Ioãnes baptiſta, plenus ſpiritu ſancto, præcurſor & præparator uiæ domini ita dicit, *Matt.3* A Generatio uiperarum quis oſtendit uobis fugere à uentura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Altera uero pœnitentia eſt, cuius actio per totam iſtam uitam, qua in carne mortali degimus, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeũda eſt. Primo, quia uitam æternam, incorruptibilem, immortalemq; nullus deſiderat, niſi eum uitæ huius temporalis, corruptibilis, mortaliſq; pœniteat. Non em̃ ſic quiſq; in uitam nouam per ſanctificationem baptiſmi naſcitur, ut quemadmodũ deponit ibi omnia peccata præterita, ita etiam ſtatim mortalitatẽ ipſam carnis corruptionemq; deponat. Quod ſi ita eſt, reſtat ut illud quod ſcriptum eſt, quod etiam quiſq; in ſe ſentit, adhuc dum in hac uita eſt: B Corpus quod corrũpitur aggrauat animã, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem: quod tunc in illa beatitudine quia non erit, cũ abſorbebitur mors in uictoria: quis dubitet in quacunq; temporali felicitate uerſemur, pœnitere tamen nos debere huius uitæ, ut ad illã incorruptionem tota auiditate curramus? Inde eſt enim quod etiã Apoſtolus ait, Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à domino. Per fidẽ enim ambulamus, non per ſpeciem. Quis ergo feſtinat atq; optat ad patriam remeare, & illam per ſpeciẽ quæ eſt facie ad faciem contemplari, niſi quem peregrinationis ſuæ pœnituerit? Ex quo dolore pœnitentis etiam uox illa miſerabilis erũpit & ſonat, *Pſal.119* Heu me, quia peregrinatio mea longinqua facta eſt. C Et ne putes nõdum fidelem iſta loqui, uide quod ſequitur, Inhabitaui in tabernaculis Cedar. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquerer eis impugnabant me ualde. Non ſolum hominis fidelis, ſed etiã Euangeliſtæ firmiſſimi, & martyris fortiſſimi hæc uerba ſunt. Nam inde eſt etiã illud eiuſdem apoſtoli, Scimus enim quia & ſi terrena noſtra domus huius habitationis diſſoluatur, ędificationem habemus ex deo domum non manufactam æternam in cœlis. Etenim in hoc ingemiſcimus, habitaculũ noſtrũ, quod de cœlo eſt ſuperindui cupientes, ſi tamen induti non nudi inueniamur. Etenim qui ſumus in hac habitatione, ingemiſcimus grauati, in quo nolumus ſpoliari, ſed ſuperueſtiri, ut abſorbeatur mortale à uita. D Quid ergo cupimus, niſi ita non eſſe ut nunc ſumus? Et quid ingemiſcimus, niſi pœnitẽdo, quia ita ſumus? Sed deo non ita erimus, niſi terrena domo reſoluta, cœleſtem habitationem & in animo & corpore totius hominis immutatione ſortiamur. Quapropter & ſanctus Iob nõ ait eſſe tentationem in hac uita, ſed hanc ipſam uitam tentationem dixit eſſe, *Iob 7* ita loquens, Nunquid non tentatio eſt uita humana ſuper terram? Quo in loco etiam myſterium lapſi hominis mirabiliter tetigit dicens, Tanquã ſeruus fugiens dominum ſuum & conſecutus eſt umbram. Non enim hæc uita dicenda eſt potius, ꝗ umbra uitæ. Nec immerito fugitiuus Adam poſt offenſionem peccati abſcondit ſe à facie domini, tectus folijs arborum, quibus opacantur umbracula, tanquam fugiens dominum ſuum, ſicut A dictum eſt, Et conſecutus umbrã. Quæ uniuerſa ad hęc dicta ſunt, ne quis per baptiſmum quamuis iuſtificatus ſit à prioribus peccatis, tamen ſuperbire audeat, ſi nihil cõmittat, unde ab altaris communione ſeparetur, quaſi iam de plena ſecuritate ſe iactans, ſed potius ſeruet humilitatem, quæ penè una diſciplina Chriſtiana eſt: Nec ſuperbiat terra & cinis, donec iſta nos tota tranſeat, in qua pertranſeunt omnes beſtiæ ſyluæ, catuli leonum rugientes ut quærãt à deo eſcam ſibi. In hac eſca Iob ipſe petitus eſt qui dixit, Tentatio eſt uita humana ſuper terrã. Etiam dominus, in hac nocte, inquit, poſtulauit ſatanas uexare uos ſicut triticum, Quis itaq; ſanæ mentis non ingemiſcat, cui non pœni- B tentiam ſic eſſe diſpliceat? Quis non tota humilitate ſupplicãs diuino adiutorio ſe exaudibilẽ prębeat: donec trãſeat omnis iſta tentationum materies atq; umbra terrena, & ille qui nunquam deficit, iam nobis illuceſcat ſempiternus dies, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitatiões cordis, & tũc laus erit unicuiq; à deo? Deinde quãuis ſe quiſq; glorietur ſic habere corpus edomitum, ut mundo crucifixus ab omni opere malo, in ſeruitutem redacta membra caſtiget, ne iam regnet peccatum in eius mortali corpore, ad obediendum deſiderijs eius: ſolum unum uerum deum colat, nulli ſimulacrorum ritui deditus, nullis ſacris dæmoniorum irretitus, non accipiens in uanum nomen dei ſui, quietem ſempiternam cer- C tus expectans, debitum honorem parentibus reddens, nec cruẽtus homicidio, nec fornicatione turpatus, nec furto fraudulentus, nec mendacio duplicatus, nec rei uel uxoris alienæ concupiſcentia ſordidus: non in ſuis etiam rebus aut luxuria diffluat, aut areſcat auaricia, non ſit contentioſus, nõ maledicus, uẽdat poſtremo omnia ſua & det pauperibus, & ſequatur Chriſtum, atq; theſauro cœleſti radicem cordis infigat: quid uidetur addi poſſe ad tam plenã iuſtitiam? tamen nolo glorietur. Intelligat hæc omnia præſtita ſibi eſſe, non à ſe exiſtere. Quid enim habet quod non accepit? Quod ſi acceperit, quid gloriatur quaſi non acceperit? *Matt.25* Eroget ſanè pecuniã dominicam, conſulat proximo, ſicut ſibi ſentit eſſe conſultum uel conſulen- D dum, nec putet ſatis eſſe ſeruare integrũ quod accepit, ne dicatur ei, Serue nequam & piger, dares pecuniam meam, & ego ueniens cum uſuris exigerem: ne auferatur ab eo quod accepit, ne proijciatur in tenebras exteriores. Quam uehemẽtiſſimam pœnam ſi timere debent illi, qui ſeruare integrum poſſunt quod acceperunt, quæ ſpes illorum eſt, qui hoc impie ſceleratèq; diſperdũt? Verſabitur ergo iſte in rebus humanis nõ carnalis, ſed ſpiritalis acquiſitionis deuinctus officio: nõ quidem negocijs ſecularibus obligatus, ſed tamẽ quia militat deo, non otio deſidiæ torpidus & abiectus. Det ergo, ſi poteſt, ſuas eleemoſynas omnes cum hilaritate, ſiue cũ carnalibus neceſſitatibus pauperum erogat aliquid, ſiue cũ panis cœleſtis diſpẽſatione inuicta aduerſus diabolũ caſtra in credentiũ

cordibus construit. Hilarem enim datorem diligit deus. Nō utiq; tædio frangat in difficultatibus rerū, quæ necesse est existant, ut ostendatur homini q̃ homo est. Nō ira surrepat in eum, qui aut odiose irruit, aut importune inopia coactus petit, aut negotio suo cum tu maiore occupatus sis, indifferenter flagitat subueniri, aut in uerbo manifeste iustitiæ resiliit cæca cupiditate, aut miserabili tarditate non dat quicquā amplius uel minus q̃ oportet. Non loquatur amplius q̃ opus est, aut cū etiā nō opus est. Speciosi enim pedes euangelizantiū pacem, euangelizantiū bona. Sed tamen de terra sicca puluerē cōtrahunt, qui sanè in iudicium eorum excutiūt, qui sibi hāc exhibitionē peruersa uoluntate contēnunt. Non solū ergo propter ipsam uitæ huius mutabilitatē & ignorantiā, & propter diei maliciā, quæ utinā sufficeret, sicut de illa dictū
Matt.6 est: Sufficit diei malicia sua, quam iubemus ferre atq; portare, donec trāseat, & sustinere deū uiriliter agēdo, ut fructū afferamus cū tolerātia: sed etiā propter ipsum puluerē mūdi huius, qui per itinera cōsulendi consulentiū pedibus adhærescit, & dāna quæ in ipsa negotiosissima dispēsationis actione cōtingunt, quæ dns prestet, ut cū lucris maioribus cōpensent: quotidianā debemus habere pœnitentiā. Sed si hoc dispēsatores uerbi dei & ministri sacramentorū eius milites Christi, quāto magis cætera stipēdiaria multitudo, & quędā prouincia magni regis? Quā ne forte mala suspicione auaritiæ miles ille fidelissimus atq; fortissimus apostolus Paulus offenderet, suis stipendijs militauit: & ubi forte defuit sumptus necessarius, alias, inquit, ecclesias expoliaui, accipiēs ab eis stipēdiū ad uestram ministrationē: quāto magis ecclesię prouinciales secularib. negocijs obligati, quotidianā debent agere pœnitentiā? Qui quāuis à furtis, à rapinis, à fraudibus, ab adulterijs & fornicationibus, omniq; luxuria, à crudelitate odiorū & inimicitiarum pertinacia, ab omni deniq; idololatriæ fœditate, spectaculorū nugacitate, hæresum atq; schismatū impia uanitate, atq; ab omnib. huiuscemodi flagicijs & facinoribus immunes, puri atq; integri esse debeāt, tamē ꝓpter administrationē rerū familiariū, et coniugiorū arctissima uincula tam multa peccāt, ut non tā de istius mūdi puluere aspergi, q̃ luto oblini uideant. Hoc est q̃d Apostolus eis di-
1 Cor.6 cit: Iam quidē omnino delictū est, quia iudicia habetis inter uos. Quare non magis iniquitatē patimini? Quare nō magis fraudamini? Nā illud execrabile est, quod propter quosdam addit & dicit: Sed uos iniquitatē facitis & fraudatis, & hoc fratribus. Exceptis tamen iniquitatib. & fraudibus, hoc ipsum habere inter se iudicia & lites de secularibus rebus, delictū esse dicit: quod tamē ferendum esse admonet, si uel ecclesiastico iudicio lites
1. Cor.7 huiusmodi finiant. Hinc est ēm etiā illud: Qui sine uxore est, cogitat ea quæ sunt dei, quomō placeat deo: Qui aūt matrimonio coniunctus est, cogitat ea quæ sunt mundi, quomō placeat uxori. Quod etiā de fœmina similiter notat. Vt illud cum ait: Et itē in idipsum estote, ne uos tentet satanas, ꝓpter intemperantiā uestrā. Quod ut peccatū demōstraret esse, sed infirmitati concessum, subiecit statim: Hæc aūt dico secundū ueniā, non secundum imperiū. Sola ēm generādi causa est inculpabilis sexus utriusq; cōmixtio. Quā multa sunt alia peccata, siue in loquendo de rebus & negocijs alienis, quæ nō ad te pertinēt, siue in uanis cachinnationibus,
Eccl.3 cū scriptū sit: Stultus in risu exaltat uocem suā, sapiens aūt uix tacite ridebit: Siue in ipsis escis quæ ad necessitatē sustentandæ huius uitæ præparantur, auidior atq; immoderatior appetitus, sępe excessum modū postriduana cruditate cōtestans. Siue in uendendis & emendis rebus caritatis & utilitatis nota peruersa. Piget cuncta colligere, quæ quisq; in seipso certus cōprehendit, atq; reprehendit, si diuinarū scripturarū speculū nō negligenter attēdat. Quæ quāuis singula nō letali uulnere feriré sentiant, sicuti homicidiū & adulteriū, uel cætera huiusmodi, tamen omnia simul congregata uelut scabies quo plura sunt necant, & nostrū decus ita extermināt, ut ab illius spōsi speciosi forma prę filijs hominū castissimis amplexibus separēt, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ dissecent. Quod si falsum est, unde quotidie tūdimus pectora? Quod nos quoq; antistites ad altare assistentes cū omnibus facimus. Vnde etiā orantes dicimus, quod in tota ista uita oportet ut dicamus, Dimitte Matt.6
nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non ēm ea dimitti precamur, quæ iam in baptismo dimissa sunt, & nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: sed utiq; de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiā sacrificia eleemosynarū, ieiuniorū, & ipsarū orationū ac supplicationū quisq; pro suis uiribus offerre non cessat. Quisquis itaq; se diligēter attēdens, nulla se ipsum adulatione seducit, satis intelligit cū quāto periculo mortis æternæ, & cū quāta penuria perfectæ iustitiæ peregrinetur à domino, quāuis iam in Christo, hoc est, in uia constitutus redire conetur: Nā si nō habemus peccata, & tundētes pectora dicimus: Dimitte nobis debita nostra, ex hoc ipso certe & grauiter nullo dubitante peccamus; cū inter ipsa sacramēta mentimur. Quāobrem, inquantū deo nostro fide & spe & charitate connectimur, & eū, inquantū possumus, imitamur, non peccamus, sed filij dei sumus. Inquantū aūt ex occasione carnalis infirmitatis, quia nōdū morte resoluta, nondū resurrectione mutata est, motus reprehēsibiles, improbiq; surrepūt, peccamus. Qd utiq; fateri nos cōuenit, ne dura ceruice, non languoris nostri sanitatem, sed dānationem superbię mereamur: Vnde utrunq; uerissime scriptū est: Et 1 Ioan.1
qui natus est ex deo, nō peccat: & quod in eadem Ioānis epistola legimus: Si dixerimus, quia pecca 1 Ioan.1
tū non habemus, nosmetipsos seducimus, & ueritas in nobis nō est. Illud ergo ex primitijs noui hominis, hoc ex reliquijs ueteris dictum est, utrunq; enim agimus in hac uita. Paulatim autem nouitas accedit, & paulatim uetustate cedēte succedit. Cū uero utrunq; agitur, in stadio sumus, nec solū percutimus aduersariū bonis operibus, sed etiā peccata

cata incautius euitādo percutimur. Neq; nūc quis nostrum uicerit, sed quis crebrius feriat, quis fortius confligat attenditur, donec alios secū in sempiternam mortem pertrahat, qui homini stanti lapsus inuidet, & ab alijs triūphantibus in fine dica-
1 Cor.15 tur: Vbi est mors cōtentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Sed neq; tā facile ab inimico deijcimur, q̃ cum eum superbiendo imitamur: nec uehementius eum prosternimus, q̃ cum humilitate deū sequimur: nec acriores ei dolores infligimus, q̃ cum plagas peccatorū nostrorū cōfitendo & pœnitendo sanamus. Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeūda est, quæ legis decalogus cōtinet. Et de quibus Apostolus ait: Quoniā qui talia agunt, regnū dei nō possidebūt. In hac ergo pœnitentia, maiorē quisq; in se seueritatē debet exercere, ut à seipso iudicatus, non iudicetur à deo. Si-
1. Cor.11 cut idē Apostolus ait: Si enim nos iudicaremus, à dño non iudicaremur. Ascēdat itaq; homo aduersum se tribunal mētis suæ, si timet illud q̃ oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illud recipiat unusquisq; quod per corpus gessit, siue bonū, siue malū: constituat se ante faciē suā, ne hoc ei postea fiat: Nam minatur hoc deus peccatori, dicēs:
Psal.49 Arguā te, & statuā te ante faciem tuā. Atq; ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidē sanguis animæ cōfitentis per lachrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatiōe corporis & sanguinis domini. Vt qui separari à regno cœlorū timet per uitiuā sententiā summi iudicis, per ecclesiasticā disciplinā à sacramēto cœlestis panis interim separet. Versetur ante oculos imago futuri iudicij, ut cū alij accedunt ad altare dei, quò ipse non accedit, cogitet q̃ sit contremiscenda illa pœna, qua percipiētibus alijs uitā æternā, alij in mortem præcipitentur æternam. Ad hoc enim altare, quod nunc in ecclesia est in terra positū, terrenis oculis expositū, ad mysteriorū diuinorū signacula celebrāda: multi etiam scelerati possunt accedere: quoniā deus cōmendat in hoc tempore patientiā suā. Accedūt ēm ignorātes, quoniā patiētia dei ad pœnitentiā eos adducit. Illi aūt secundū duriciam cordis sui, & cor impœnitens thesaurizant sibi irā in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuiq; secundum opera sua. Ad illud aūt altare, quò pręcursor ꝓ nobis introiuit Iesus, quò caput ecclesię pręcessit, mēbris cęteris secuturis, nul-
Gal.5 lus eorū accedere poterit, de quibus, ut iam cōmoraui, dixit Apostolus: Quoniā qui talia agunt regnū dei non possidebunt. Solus enim sacerdos, sed planè ibi totus assistit, adiūcto scilicet corpore cui caput est, q̃ iam ascēdit in cœlū. Ipse est cui
1 Pet.2 dixit apostolus Petrus, Plebs sancta, regale sacerdotiū. Quomō ergo in interiora ueli, & in illa inuisibilia sancta sanctorum introire audebit aut poterit, qui medicinā disciplinę cōtemnēs, noluit paulisper à uisibilibus separari? Qui ēm noluit humiliari, ut exaltaret, cū exaltari uoluerit deijcietur, et in æternū seiungetur ab æternis sanctis. Quisquis hoc tempore per merita obedientiæ, & per satisfactionē pœnitētiæ, non sibi prouidit locū in corpore sacerdotis, qua fronte impudētiæ tunc uoleta uerti faciē dei à peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit: Quoniā facinus meum ego agnosco, & peccatū meū ante me est semper? Quo pacto quęso deus dignetur ignoscere, q̃ in se ipse homo dedignatus est agnoscere? Aut illud quale est in quo sibi blandiunt, qui sua se uanitate seducunt, perseuerātes in malicia atq; luxurijs suis, cū audiant Apostolum dicentē: Quoniā qui talia agunt regnū dei nō possidebunt? Audent sibi præter regnum dei salutem quā desiderant polliceri, atq; ita inter se loquuntur, dum recusant agere pœnitentiā pro peccatis suis, & perditos mores aliquando in melius cōmutare, Regnare nolo, sufficit mihi saluum esse. In quo primū eos fallit, quia eorū nec salus ulla est, quorū iniquitas perseuerat. Quod enim ait
dominus: Quoniam abundauit iniquitas, refri- Matt.24
gescit charitas multorū, qui autem perseuerauerit usq; in finem hic saluus erit: salutem utiq; promisit perseuerantibus in charitate nō in iniquitate. Vbi aūt charitas est, opera illa mala à regno dei separantia esse nō possunt. Omnis enim lex ex uno sermone cōpleta est in eo quod scriptum est: Diliges proximum tāquam teipsum. Deinde si est aliqua differentia inter regnantes & non regnātes, oportet tamen ut in uno regno sint omnes, ne in hostiū aut alienorū numero deputent. Omnes enim Romani Romanum regnum possident, quāuis in eo nō omnes regnent, sed cæteris regnātibus pareāt. Non aūt ait Apostolus, qui talia agunt non regnabunt cum eo, sed regnū dei nō possidebūt. Quod
etiā de carne & sanguine dictum est: Caro & san- 1.Cor.15
guis regnū dei nō possidebunt, quia corruptibile hoc induet incorruptionē, & mortale hoc induet immortalitatē, ut iam non caro & sanguis, sed ex animali corpore spiritalis corporis habitum, naturamq; mereatur. Vel illa eos terreat ultima sententia iudicis nostri, quā propterea nūc aperiri uoluit ut ab eius fidelibus præcaueatur, dans metuentibus se significationē, ut fugiant à facie arcus. Exceptis enim eis qui cum illo etiam iudicabūt, quibus & promisit dicens: Sedebitis super duodecim thronos, iudicātes duodecim tribus Israel, In quo numero iudicantiū omnes intelliguntur, qui propter euangelium omnia sua dimiserunt, & secuti sunt dominū. Duodenarius quippe numerus, ad quandam uniuersitatem refertur. Non enim Paulus apostolus ibi nō erit, qui inter illos duodecim non fuit. Exceptis ergo illis quos etiam nomine angelorum significauit, quando ait: Cum uenerit filius hominis iudicare cum angelis suis, Angeli enim utiq; nuncij sunt. Nuncij autem rectissime accipiūtur omnes qui salutem cœlestem hominibus nunciauerunt. Vnde etiam euangelistæ boni nuncij possunt interpretari: & de Ioanne baptista
dictū est: Ecce mitto angelum meum ante faciem Malach.3
tuam. His ergo ut dicere cœperam exceptis, cætera omniū hominum multitudo, sicut in ipsius uerbis domini manifestū est, in duas partes diuidet.

Positurus est enim oues ad dexteram, hœdos au-
tem ad sinistram, & dicetur ouibus, id est, iustis: A
Venite benedicti patris mei, percipite regnum q̃d
uobis paratum est à constitutione mundi. De hoc
utiq; regno dixit Apostolus, cũ enumeraret ope-
ra mala: Quoniam qui talia agunt, regnum dei nõ
possidebunt. Audi quid audiant qui à sinistris e-
runt. Ite, inquit, in ignem æternũ, qui præparatus
est diabolo & angelis eius. Quapropter presume-
re quis audeat de nomine Christiano, & non cum
omni obedientia & timore audiat Apostolum di-
centem, Hoc enim scitote, cognoscentes quòd o-
mnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod
est idolorum seruitus, non habet hæreditatẽ in re-
Eph.5 gno Christi & dei. Nemo uos seducat in omnibus
inanibus uerbis, propter hoc enim uenit ira dei in B
filios diffidẽtiæ. Nolite itaq; fieri participes eorũ.
1.Cor.6 Latius autem ad Corinthios hæc dicit, Nolite er-
rare, neq; fornicatores, neq; idolis seruientes, neq;
adulteri, neq; molles, neq; masculorum cõcubito-
res, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledi
ci, neq; rapaces, regnum dei possidebũt. Sed uide-
te quemadmodũ timorem & desperationẽ abstu-
lerit eis, qui hæc in uita ueteri cõmiserunt. Et hæc
quidẽ, inquit, fuistis, sed abluti estis, sed sanctifica-
ti estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & spi
ritu dei nostri. Quisquis ergo post baptismum ali-
quorũ pristinorũ malorũ opere obligatus tenet̃,
usqueadeo sibi inimicus est, ut adhuc dubitet uitã
mutare, dũ tempus est, cũ ita peccat & uiuit. Nam
utiq; quod ita perseuerãs peccat, thesaurizat sibi C
irã in die iræ, & reuelatiõis iusti iudicij dei. Quod
aũt adhuc uiuit, patientia dei ad pœnitẽtiam eum
adducit. Implicatus ergo tam mortiferis uinculis
peccatorum detractat aut differt, aut dubitat cõfu
gere ad ipsas claues ecclesiæ, quibus soluat̃ in ter-
ra, ut sit solutus in cœlo, & audet sibi post hanc ui-
tam, quia tãtum Christianus dicitur, salutẽ aliquã
polliceri: Nec ueridicum illud dominicæ uocis to
Matt.7 nitruũ contremiscit, Nõ omnis qui dicit mihi do-
mine domine, intrabit in regnũ cœlorũ &c. Quid
ad Galatas idem Apostolus, nónne talia enume-
Gal.5 rans eodem fine cõcludit? Manifesta sunt, inquit,
opera carnis, quæ sunt fornicationes, immũdiciæ,
cõtentiones, æmulationes, animositates, dissensio
nes, hereses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & D
his similia, quę predico uobis, sicut prædixi, Quo-
niã qui talia agunt, regnũ dei non possidebunt. Iu
dicet ergo seipsum homo in istis uoluntate dũ po-
test, & mores conuertat in melius, ne cũ iam non
poterit, etiã præter uoluntatẽ à domino iudicetur.
Et cũ in se protulerit seuerissime medicinæ senten
tiã, ueniat ad antistites, per quos illi in ecclesia cla-
ues ministrantur, & tanq; bonus incipiẽs iã esse fi-
lius maternorũ mẽbrorũ ordine custodito à præ-
positis sacrorũ accipiat satisfactionis suę modum,
ut in offerendo sacrificio cordis cõtribulati deuo-
tus & supplex, id tamẽ agat quod nõ solũ illi pro-
sit ad recipiendã salutẽ, sed etiã cæteris ad exem-
plũ. Vt si peccatũ eius nõ solũ in graui eius malo,
sed etiã in scãdalo est aliorũ, atq; hoc expedire uti-
litati ecclesiæ uidetur antistiti, in noticia multorũ,
uel etiam totius plebis agere pœnitentiam nõ re-
cuset, non resistat, non lætali & mortiferæ plagæ
per pudorẽ addat tumorẽ. Meminerit tamen sem-
per quod superbis deus resistit, humilibus aũt dat
gratiam. Quid enim infelicius, quid peruersius, q̃
de ipso uulnere quod latere non potest nõ erube-
scere, & de ligatura illius erubescere? Nemo arbi-
tretur fratres propterea se cõsilium salutiferæ hu-
ius debere pœnitẽtiæ contẽnere, quia multos for-
te aduertit & nouit ad sacra altaris accedere, quo-
rũ talia crimina non ignorat. Multi em̃ corrigunt̃ 2.q.1.multi
ut Petrus, multi tolerãtur ut Iudas, multi nesciun-
tur, donec ueniat dominus qui illuminabit abscõ-
dita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium.
Nam pleriq; propterea nolũt alios accusare, dum
se per illos cupiũt excusare. Pleriq; aũt boni Chri-
stiani propterea tacent, & sufferũt aliorũ peccata
quæ nouerũt, quia documentis sæpe deserũtur, &
ea quæ ipsi sciunt, iudicibus ecclesiasticis probare
non possunt. Quãuis enim uera sint quædã, nõ ta-
men iudici facile credenda sunt, nisi certis indicijs
demonstrentur. Nos uero à cõmunione prohibe-
re quenq; non possumus, quãuis hæc prohibitio
nondũ sit mortalis sed medicinalis, nisi aut sponte
cõfessum, aut in aliquo siue seculari, siue ecclesia-
stico iudicio nominatũ atq; conuictũ. Quis em̃ si-
bi utrunq; audeat assumere, ut cuiq; ipse sit & ac-
cusator & iudex? Cuiusmodi regulam etiã Paulus
apostolus in eadẽ ad Corinthios epistola breuiter
insinuasse intelligitur, cũ quibusdã cõmemoratis
criminibus, ecclesiastici iudicij formã ad omnia si-
milia ex quibusdam daret. Ait enim, Scripsi uobis 1.Cor.5
in epistola nõ cõmisceri fornicarijs. Non utiq; for
nicarijs huius mũdi, aut auaris, aut raptoribus, aut
idolis seruiẽtib. alioquin debueratis de hoc mũdo
exisse. Non enim possunt homines in hoc mundo
uiuẽtes, nisi cũ talibus uiuere, nec eos possunt lu-
crifacere Christo, si eorum colloquiũ cõuictumq;
uitauerint: Vnde & dominus cũ publicanis & pec
catoribus comedẽs, Nõ est opus, inquit, sanis me-
dicus, sed male habentibus. Non em̃ ueni uocare
iustos, sed peccatores. Et ideo sequit̃ Apostolus
& adiũgit: Nũc scripsi uobis nõ cõmisceri. Si quis
frater nominat̃ in uobis, aut fornicaior, aut idolis
seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus,
aut rapax, cũ huiusmodi nec quidem cibũ simul su
mere. Quid enim mihi de his qui foris sunt iudica-
re? Nónne de his qui intus sunt uos iudicatis? De
his aũt qui foris sunt deus iudicabit. Auferte malũ
à uobisipsis. Quibus uerbis satis ostendit nõ teme
re aut quomodolibet, sed per iudicium auferẽdos
esse malos ab ecclesię cõmunione: ut si per iudiciũ
auferri non possunt, tolerẽtur potius, ne peruerse
malos quisq; euitãdo, ab ecclesia ipse discedẽs, eos
quos fugere uidetur uinciat ad gehennã. Quia &
ad hoc nobis sunt in scripturis sanctis exẽpla pro-
posita, uelut in messe ut palea sufferat̃ usq; ad ulti-
mũ uẽtilabrũ, uel intra illa retia ubi pisces boni cũ
malis usq; ad segregationẽ quæ futura est in lito-
re, id est, in fine seculi, æquo animo tolerent̃. Non
enim

enim contrariũ est huic loco id quod alio loco di-
Rom.14 cit Apostolus: Tu quis es qui iudicas alienum ser- A
uum? Suo domino stat aut cadit. Noluit em̃ homi
nem ab homine iudicari ex arbitrio suspiciõis, uel
etiam extraordinario usurpato iudicio, sed potius
ex lege dei secundũ ordinẽ ecclesię, siue ultro con
fessum, siue accusatũ atq; conuictum. Alioquin il-
lud cur dixit, Si quis frater nominatur aut fornica
tor, aut idolis seruiẽs, & cætera, nisi quia eã nomi-
nationẽ intelligi uoluit quæ fit in quenquã, cũ sen
tẽtia ordine iudiciario atq; integritate profertur?
Nam si nominatio sola sufficit, multi dãnandi sunt
innocẽtes, quia sępe falso in quoq; crimina nomi-
nantur. Non ergo illi quos monemus agere pœni
tẽtiam, quærãt sibi comites ad suppliciũ, nec gau-
deãt quia plures inuenerint. Nõ enim ꝓpterea mi
nus ardebunt, quia cum multis ardebunt. Non est B
enim hoc sanitatis certũ consiliũ, sed maleuolẽtiæ
malum solatiũ. An forte attendunt multos etiã in
ipsis honoribus ecclesiasticis præpositorũ & mini
strorũ nõ cõgruenter uiuere sermonibus & sacra-
mentis, quæ per eos populis ministrantur? O mi-
seros homines qui hos intuendo Christum obliui
scuntur, qui tanto ante prædixit ut legi dei potius
obtẽperaretur, q̃ imitãdi uideantur illi, qui ea quę
dicunt nõ faciũt: & traditorẽ suũ tolerans usq; in fi
nem, etiã ad euangelizandũ cũ cæteris misit. Tam
sunt autem isti absurdi & præposteri & miseri, qui
præpositorũ suorũ malos mores imitari eligũt, q̃
per eos prædicta dñi præcepta seruare, q̃ si quisq;
uiator remeandũ sibi esse existimet in itinere cum C
uiderit miliaria lapidea literis plena, uiã docere &
nõ ambulare. Cur enim nõ potius si peruenire de-
siderat tales comites intueatur & consequat̃ qui
& uiã bene demõstrant, & in ea perseuerant atq;
alacriter ambulant? Quòd si isti desint, uel potius
minus appareant, nã deesse nõ possunt. Non enim
sic quærũt homines charitate studiosa quod præ-
dicent ad imitationẽ, quomodo quærunt iniqui-
tate suspiciosa quod murmurẽt ad deceptionem,
partim non inueniendo bonos dum ipsi mali sint,
partim timendo inuenire dũ mali esse semper uo-
lunt. Sed tantũ concedamus non apparere nũc ho
mines dignos imitatione. Quisquis hoc putas, de-
um mente intuere, qui homo factus est ut te homi
nẽ uiuere doceret. Si habitet Christus in interiore D
homine per fidem in corde tuo, recordarisq; illud
1Ioan.2 quod Ioannes ait, Qui dicit se in Christo manere,
debet quemadmodũ ille ambulauit & ipse ambu-
lare, & ita nõ tibi deerit quẽ sequaris, & cum te a-
lius uiderit, de bonorũ inopia cõqueri desinet. Si
enim nõ nosti quid sit recte uiuere, diuina præce-
pta cognosce. Fortassis enim multi recte uiuũt sed
ꝓpterea tibi nullus uidetur, quoniã quid sit recte
uiuere ignoras: si aũt nosti, age quod nosti, ut et tu
quod quæris habeas, & alijs quod imitent̃ osten-
das. Christum animo attende, attende Apostolos,
1Cor.4 quorũ nouissimus est ille qui dicit, Imitatores mei
estote sicut & ego Christi: attende animo tot mar
tyrũ milia. Cur em̃ te natalicia eorũ conuiuijs tur-
pibus celebrare delectat, & eorũ uitã sequi hone-
stis moribus nõ delectat? Ibi uidebis nõ solũ uiros
sed etiã fœminas, postremo pueros & puellas, nec A
impudẽtia decipi, nec iniquitate peruerti, nec peri
culi timore frangi, nec seculi amore corrũpi. Ita te
non inuenientẽ quid excuses, non solũ præcepto-
rũ ineuitabilis rectitudo, sed etiã exemplorũ innu
merabilis multitudo circũdabit. Sed de utilitate
ac salubritate pœnitẽtiæ, ut quod instituimus, ali-
quando peragamus: Si iam de sanitate desperans
addis peccata peccatis, sicut scriptũ est: Peccator Prouer.18
cũ uenerit in profundũ malorum contemnet, noli
contẽnere, noli desperare, clama etiã de profundo
ad dominũ, & dic ei: De profundis clamaui ad te Psal.129
dñe, domine exaudi uocẽ meam. Fiant aures tuæ
intendentes in uocẽ obsecrationis meæ. Si iniqui
tates obseruaueris domine, domine quis sustine-
B bit? Quoniã apud te ꝓpitiatio est. De tali profun-
do Niniuitæ clamauerunt, & hanc propitiationẽ
inuenerũt. Faciliusq; est euacuata cõminatio pro-
phetæ, q̃ humiliatio pœnitẽtię. Hic fortasse dicis,
sed ego iam baptizatus sum in Christo, à quo om-
nia mihi peccata prẽterita dimissa sunt, uilis factus
sum nimis iterãs uias meas, & canis horribilis ocu
lis dei, conuersus ad uomitũ suũ, Quò abibo à spi-
ritu eius, & à facie eius quò fugiã? Quò frater, nisi
ad eius misericordiã pœnitendo, cuius potestatẽ
peccãdo cõtempseras? Nemo enim recte fugit ab
illo nisi ad illũ, ab eius seueritate ad eius bonitatẽ.
Quis enim locus te excipiet fugientem, ubi eius
præsentia te non inueniat? Si ascẽderis in cœlum
C ibi est, si descenderis ad infernum adest. Recipe er
go pennas tuas in directũ & habita in spe in extre
mo huius seculi, etenim illuc manus sua deducet
te, & perducet te dextera sua. Quicquid em̃ fece-
ris, quæcũq; peccaueris, adhuc in hac uita es, unde
te deus si sanare nollet auferret. Cur ergo ignoras,
quia patientia dei ad pœnitentiã te adducit? Qui
enim clamãdo tibi persuasit ut nõ recederes, par-
cẽdo clamat ut redeas. Intuere Dauid regem, iam
utiq; & ipse illius temporis sacramẽta perceperat.
Iam circumcisus erat utiq;, quod patres nostri pro
baptismo habebant. Nã ad hoc dicit Apostolus,
sanctũ Abrahã signaculum iustitię fidei recepisse. Rom.4
Iam etiã unctus erat unctione uenerabili, qua re-
gale sacerdotiũ pręfigurabatur ecclesiæ. Repente
D aũt factus est & adulterij & homicidij reus. Non
frustra tamẽ de tam immani & abrupto profundo
sceleris clamauit ad dominũ dicẽs, Auerte faciem
tuã à peccatis meis, & om̃es iniquitates meas de-
le. Quo tandẽ merito, nisi quia itẽ dicit, Iniquitatẽ
meã ego cognosco, & peccatũ meum ante me est
semper? Quid autẽ obtulit domino unde illũ pro-
pitiaret sibi? Quoniam si uoluisses sacrificium de-
disses, utiq; holocaustis non delectaberis. Sacrifi
cium deo spiritus cõtribulatus, cor contritũ & hu
miliatũ deus nõ spernit. Nõ solũ ergo deuote ob-
tulit, sed etiã ista dicẽdo quid offerri oporteret o-
stendit. Non enim sufficit mores in melius cõmu-
tare, & à factis malis recedere, nisi etiã de his quæ
facta sunt, satisfiat deo per pœnitentię dolorẽ, per
humilitatis gemitum, per cõtriti cordis sacrificiũ

cooperãtibus eleemosynis. Beati enim misericordes, quoniã ipsorũ miserebit̃ deus. Non em̃ dictũ [A] est ut tantũ abstineatis à peccatis, sed & de præteritis, inquit, deprecare dominũ ut tibi dimittãtur. Et Petrus iam erat fidelis, iam in Christo & alios baptizauerat. Intuere ergo Petrũ præsumentẽ accusatũ, timentẽ uulneratũ, flentẽ sanatũ. Iam etiam post aduentũ de cœlo spiritussancti, quidã Simon uoluit eundẽ spiritũsanctũ emere, sceleratissimũ & impiũ mercimoniũ cogitans, iam baptizatus in Christo, & tamen pœnitẽtiæ consiliũ ab ipso Petro correptus accepit. Dicit etiam apostolus Paulus, qui utiq; fidelibus mittebat epistolas: [1 Cor.12] Ne iterũ cũ uenero ad uos humiliet me deus, ut lugeã multos ex his qui ante peccauerũt, & non egerũt pœnitentiam super immũdicia & luxuria, & fornicatione quã gesserunt. Circũstant ergo nos & pręcepta recte faciendi, & exempla non tantũ recte facientiũ, sed etiã ad recipiendam salutem pœnitentium quæ fuerat amissa peccãdo. [B] Sed fac incertum esse utrũ ignoscat deus. Quid perdit cũ supplicat deo, qui salutem perdere nõ dubitauerit cũ offenderet deum? Quis enim certus est quòd etiã imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarũ incerta subeuntur, & pene ut mors uitetur mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini, sine dubitatione fiunt ista, cũ sit dubiũ quo fine proueniãt, & tamẽ certiores sunt claues ecclesiæ ꝙ corda regia. Quibus clauibus quodcunq; in terra soluitur, etiam in cœlo solutum esse promittitur. Et multo est honestior humilitas qua se quisq; humiliat ecclesiæ dei, [C] & labor minor imponitur, & nullo tẽporalis mortis periculo mors æterna uitatur.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, OPVS SERMONUM de tempore secundum dominicos aliosq; dies quibus apte conueniunt, ordinate distinctorum.

Huic operi admixtæ sunt complures homiliæ, quæ in alijs uoluminibus alios autores præ se ferunt, quod ferè solet fieri in hoc genere scripti.

Dominica prima aduentus domini saluatoris. Sermo unicus.

[Sermo I] A PPROPINQVANTE iam sacratissima solẽnitate qua saluator noster inter homines nasci misericorditer uoluit, fratres charissimi attentius considerate, qualiter oporteat nos in aduẽtu tãtæ potentiæ præparari, ut regem et dñm nostrum læti atq; gaudẽtes cũ gloria & laudibus mereamur suscipere, & in conspectu eius inter cœtus felices sanctorum gratulando exultare, magis ꝙ ab eo propter fœditatẽ nostrã repulsi inter peccatores ęternam confusionẽ mereri. Et ideo rogo & moneo, ut quantũ possumus cum dei adiutorio laboremus, ut in illo die cũ syncera & pura cõscientia & mundo corde & casto corpore ad altare domini possimus accedere, & corpus & sanguinem eius non ad iudicium sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore uita nostra cõsistit, sicut ipse dixit: [Ioan.6] Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis uitã in uobis. Mutet ergo uitã, qui uult accipere uitã. Nam si nõ mutet uitã, ad iudiciũ accipiet uitã, & magis ex ipsa corrũpitur ꝙ sanetur, magis occiditur ꝙ uiuificetur. Sic enim dixit Apostolus, [1.Cor.11] Qui mãducat corpus domini & bibit sanguinẽ eius indigne, iudiciũ sibi mãducat & bibit. [B] Et licet nos omni tẽpore bonis operibus ornatos ac splẽdidos esse cõueniat, præcipue tamen in die natalis domini, sicut in euangelio ipse dixit, [Matt.5] lucere debent hominib. opera uestra. Considerate quæso fratres, quãdo aliquis homo potẽs aut nobilis natalẽ aut suũ aut filij sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quicquid in domo sua sordiũ inuenerit ordinat emundari, quicquid ineptũ & incongruũ proijci, quicquid utile & necessariũ præcipit exhiberi. Domus etiã si obscura fuerit dealbat̃, pauimẽta scopis mundantur, & diuersis respersa florib. adornant̃. Quicquid etiã ad lætitiæ animæ & corporis delicias pertinet, omni solicitudine prouidet̃. Vt quid ista fratres charissimi, nisi ut dies natalitius cũ gaudio celebret̃ hominis morituri? [C] Si ergo tãta præparas in natalitio tuo aut filij tui, quanta & qualia præparare debes suscepturus natalem domini tui? Si talia præparas morituro, qualia præparare debes æterno? Quicquid ergo nõ uis inueniri in domo tua, quantũ potes labora ut nõ inueniat deus in anima tua. Certe si te rex terrenus aut quicũq; paterfamiliâs ad suũ natalitiũ inuitaret, qualib. uestimentis studeres ornatus incedere, ꝙ nouis uel nitidis, ꝙ splendidis, quorũ nec uetustas nec uilitas, nec aliqua fœditas oculos inuitãtis offenderet: tali ergo studio inquãtũ præuales Christo auxiliãte cõtende, ut diuersis uirtutũ ornamẽtis anima tua cõposita, simplicitatis gẽmis & sobrietatis floribus adornata, ad solẽnitatẽ regis æterni, id est, ad natalẽ domini saluatoris [D] cũ secura cõscientia procedat, castitate nitida, charitate splendida, eleemosynis cãdida. Christus enim dñs si te ita cõpositum natalitiũ suũ celebrare cognouerit, ipse per se uenire & animã tuã non solũ uisitare, sed etiã requiescere, & in perpetuũ in illa dignabit̃ habitare, sicut scriptũ est: [2.Cor.6] Et inhabitabo in illis, & inambulabo. Et iterũ, [Apoc.3] Ecce sto ad ostiũ & pulso, si quis surrexerit & aperuerit mihi, intrabo ad illũ & cœnabo cum illo, & ille mecum. Quàm felix est illa anima quæ uitã suã ita deo auxiliante studuerit gubernare, ut Christũ hospitem & habitatorẽ mereat̃ excipere: sicut econtrario ꝙ infelix est illa conscientia, toto lachrymarũ fonte lugẽda, quę se ita malis operib. cruentauit, ut in ea nõ Christus requiescere, sed diabolus incipiat do-

minari

minari. Talis em̃ anima si medicamẽtũ pœnitẽtiæ [A] nõ cito subuenerit, à luce relinquit̃, à tenebris occupatur, uacuatur dulcedine, impletur amaritudine, à morte inuaditur, à uita repudiatur. Nõ tamẽ de dñi pietate diffidat qui talis est, nec mortifera desperatiõe frangat̃, sed magis ad pœnitentiã cito fugiat, & dum adhuc noua sunt & calent peccatorũ suorũ uulnera sic sibi adhibeat medicamẽta salubria, quia medicus noster omnipotẽs est, & sic cõsueuit plagas nostras curare, ut nec cicatricum uestigiũ post ipsius medicamina remaneat. Ideo etiã ab omni inquinamẽto ante eius natalẽ multis diebus abstinere debetis. Quotiẽscũq; aut natalẽ dñi, aut reliquas solẽnitates celebrare disponitis, ebrietatẽ ante om̃ia fugite, iracundiæ quasi bestiæ crudelissimæ repugnate, odiũ uelut uenenũ mortiferũ [B] de corde uestro repellite, & tanta sit in uobis charitas, quæ nõ solũ usq; ad amicos, sed etiã usq; ad ipsos perueniat inimicos ut secure possitis dicere in oratione dominica, [Matt.6] Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nam qui se scit uel unũ hominũ odio habere, nescio si ad altare dñi securus possit accedere, cũ præcipue beatus Ioãnes euãgelista terribiliter clamet & dicat, [1Ioan.3] Qui fratrẽ suum odit, homicida est. Nam uestrũ est iudicare, utrum homicida anteꝙ pœnitentiã agat, præsumere debet eucharistiam accipere. Addit etiã adhuc sanctus Ioãnes & clamat dicens, Qui fratrẽ suum odit, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò uadat, qm̃ tenebræ obcæcauerũt oculos eius. [1Ioan.4] Et iterũ, Omnis, inquit, [C] qui fratrẽ suũ non diligit, manet in morte. Et iterũ, Si quis dixerit quia diligo deũ, & fratrẽ suũ odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrẽ suum quẽ uidet, deum quem non uidet quõ potest diligere? Quicunq; ergo odium uel iracundiã seruat in corde, & sub tali tonitruo nec terretur, nec expergiscitur, non dormiẽs sed mortuus esse credendus est. Hæc ergo fratres charissimi quotidie cogitantes, qui boni sunt cum dei gratia contendant perseuerare in operibus bonis, quia non qui cœperit, sed qui perseuerauerit usq; in finẽ, hic saluus erit. Qui uero se ad eleemosynam tardos, & ad iracundiam promptos, & ad exercendam luxuriam pręcipites esse cognoscunt, auxiliante dño festinent se à malis eruere, ut quæ bona sunt mereantur implere, ut [D] cum dies iudicij uenerit, non cum impijs, sed cum iustis & misericordibus peruenire ad æterna præmia mereant̃, præstante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Dominica secunda aduentus domini, Sermo unicus.

[Ser.II] S ANCTAM & desiderabilem, gloriosam ad singularem solennitatẽ, hoc est natiuitatem domini saluatoris, fratres dilectissimi, deuotiõe fidelissima suscepturi, totis uiribus nos debemus cũ ipsius adiutorio præparare & omnes latebras animæ nostrę diligenter aspicere, ne forte sit in nobis aliquod peccatũ absconditum, quod & conscientiam nostram confundat ac mordeat, & oculos diuinæ maiestatis offendat. [A] Nam licet Christus dominus noster post passionẽ resurrexerit, & in cœlum ascenderit, considerat tamen ut credimus & diligenter attendit, qualiter se unusquisq; seruorum eius sine auaricia, sine ira, sine superbia atq; luxuria ad celebrandam eius natiuitatem studeat præparare atq; componere, & secundum quod unumquemq; ornatum bonis moribus uiderit, ita illi gratiã suæ misericordię dispensabit. Si enim uiderit charitatis luce uestitũ, iustitię uel misericordiæ margaritis ornatum, castum, humilem, misericordem, benignum & sobrium, si talem agnouerit, corpus & sanguinem suum ei non ad iudicium, sed ad remedium per sacerdotũ suorum ministerium dispensabit. Si uero aliquem uiderit adulterum, ebriosum, cupidum & superbũ, [B] timeo ne hoc illi dicatur, quod in euangelio dñs ipse dixit, [Mat.26] Amice, quõ huc intrasti non habens uestem nuptialem? Et quod dñs auertat, fiat illud quod sequitur, Ligate illi manus & pedes, & proijcite in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium. Ecce qualem sententiã in die iudicij excipiat, qui sine remedio pœnitentiæ ad festiuitatẽ domini uitiorum sordibus inquinatus accesserit. In natali enim domini fratres dilectissimi, quasi in nuptijs spiritalibus sponsæ suæ ecclesiæ, Christus adiunctus est. [Psal.84] Tunc ueritas de terra orta est, tunc iustitia de cœlo prospexit, tunc processit sponsus de thalamo suo, hoc est, uerbum dei de utero uirginali. Processit enim cum sponsa sua ecclesia, id est, humanam carnem suscepit. [C] Ad istas ergo tam sanctas nuptias inuitati & ad conuiuium patris & filij & spiritussancti intraturi, uidete qualibus indumẽtis debeamus ornari. Et ideo mundemus quantũ possumus cum dei adiutorio corda simul & corpora nostra, ut cœlestis ille inuitator nihil in nobis sordidum, nihil fœdum, nihil obscurum, nihil oculis suis deprehendat indignum. Hæc ergo fratres dilectissimi, nõ transitorie sed cum ingenti tremore debemus attendere. Inuitati enim sumus ad nuptias, ubi nos ipsi si bene agimus, sponsæ erimus. Cogitemus ad quales nuptias, consideremus ad qualem sponsum, uel ad quale conuiuium inuitati sumus. Inuitati enim sumus ad mensam, ubi non inuenitur cibus hominum, sed panis ponitur angelorum. Et ideo uideamus ne forte intus in anima, [D] ubi deberemus bonorum operum margaritis ornari, ibi appareamus uitiorum pannis ueteribus inuoluti: et quando eos qui boni sunt in oculis dei castitas reddet candidos, tũc eos qui mali sunt reddat luxuria sordidatos. Et ideo quotienscunq; aut dies natalis domini, aut reliquę festiuitates adueniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies nõ solum ab infelici concubinarum consortio, sed etiam à proprijs uxoribus abstinete, ab omni iracundia uos alienos efficite, peccata pręterita per eleemosynam & pœnitentiam redimãtur, contra nullum hominem odium in corde teneatur: quod solebat uanitas per gulam perdere, incipiat iustitia per misericordiam pauperibus erogare, quod luxuria uel gula dissipauit in mundo, pietas reponat

in cœlo. Et licet hoc expediat semper eleemosynas facere debeamus, præcipue tñ in sanctis solen A
nitatib. secundũ uires nostras abũdantius erogemus, pauperes ante omia frequẽtius ad conuiuiũ
reuocemus. Non enim est iustũ ut in sancta solennitate in populo Christiano ad unũ dñm pertinen
te, alij inebrientur, alij famis periculo crucientur. Et nos & omnis populus unius em̃ serui sumus, u-
no precio redempti sumus, pari conditione in hũc mundum intrauimus, simili etiam exitu migraturi sumus. Et si bene agimus, ad unam beatitudinẽ
pariter ueniemus. Et quare pauper tecũ non capiat cibum, qui tecũ accepturus est regnum? Quare
pauper non accipiat uel ueterẽ tunicã, qui tecum recepturus est immortalitatis stolã? Quare paup
nõ mereat panẽ tuũ, qui tecũ meruit accipere ba-
ptismi sacramentũ? Cur indignus est accipere reli B
quias ciborũ tuorũ, qui tecum ad conuiuiũ inuita
tus est angelorũ? Audite fratres, audite nõ meum
sed domini cõmune præceptũ. Sic enim ait in euã
Luca 14 gelio, Cum facis prandium aut cœnam, noli inui-
tare diuites qui te iterum inuitent, & fiat tibi retri-
butio, sed uoca paupes & claudos, et beatus eris,
quia non habent unde retribuant tibi, retribuetur
aũt tibi in retributione iustorum. Sed dicit aliquis,
Ergo amicos aut parentes non debeo ad conuiui
um reuocare? Rogandi sunt & parentes & uicini,
sed rarius rogandi sunt. Et non nimis sumptuosa
& deliciosa, sed tam parca & sobria uel honesta il-
lis debent conuiuia præparari, ut remaneat unde
possint pauperes refici, unde possit aliquid indigẽ
tibus erogari: ut cum dies iudicij uenerit non cum
impijs qui nunc pauperes despiciunt, audiamus,
Mat. 25 Discedite à me maledicti in ignem æternũ: sed cũ
iustis & misericordibus audire mereamur, Venite
benedicti patris mei percipite regnum, quia esuri
ui & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mi
hi bibere: simul etiam nobis illa uox desiderabilis
dirigat, Euge serue bone & fidelis, quia supra pau
ca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in
gaudium domini tui, Sed ut hęc quæ suggessimus
sensibus uestræ charitatis tenacius inhæreant, bre
uiter quæ dicta sunt iteramus. Hoc enim admonu
imus fratres, ut quia natalis domini imminet, tan-
quam nuptiale & cœleste conuiuium ab omni lu
xuria alieni, & bonis operibus adornati nos per
Christi adiutoriũ præparemus, eleemosynas pau-
peribus erogemus, iracundiã uel odium uelut ue-
nenum de cordibus nostris respuamus. Castitatẽ
fideliter conseruate, ad conuiuia uestra frequenti-
us pauperes reuocate, ad uigilias maturius surgi-
te, in ecclesia stãtes aut orate aut psallite, uerba o-
ciosa aut secularia nec ipsi proferte, & eos qui pro
ferre uoluerint castigate. Pacẽ cum omibus custo
dite, & quos discordes agnoscitis, ad concordiam
reuocate. Hęc si fideliter Christo adiuuante uolue
ritis implere, & in hoc seculo ad altare dominicũ
secura conscientia poteritis accedere, & in futuro
ad æternam beatitudinem feliciter peruenire, præ
stante domino nostro Iesu Christo, qui uiuit & re-
gnat in secula seculorum, Amen.

Dominica proxima ante festum natiuitatis do-
A mini saluatoris de unitate trinitatis & incarnatio-
ne uerbi, Sermo I

A EGIMVS sanctum Moysen populo dei Ser. III
L præcepta dantẽ, ubi dixit, Audi Israel dñs Deut. 6
deus tuus, deus unus est. Non potest esse
maior, nõ potest esse minor, & nõ potest numera-
ri, dicẽte Dauid propheta, Magnus dñs noster, & Psal. 144
magna uirtus eius, & sapientię eius non est nume-
rus. Optime nostis ista fratres charissimi, qui cor-
de fortiter tenetis catholicã ueritatẽ, audite tñ bre
uiter q̃d adiuuãte dño proposui explanandũ. De-
us unus est pater, deus unus est filius, deus unus est
spiritussanctus: nõ tres dij, sed unus est deus: trinus
in uocabulis, unus in deitate substantiæ. Sed dicit
mihi hæreticus, Ergo si unũ sunt, oẽs sunt incarna-
B ti, non ad solũ Christũ pertinet caro. Nẽpe est ali-
ud anima, aliud ratio, & tñ in anima est ratio, & u-
na est anima. Sed aliud anima agit, aliud ratio: ani-
ma uiuit, ratio sapit. Et ad animã pertinet uita, ad
rationẽ pertinet sapientia. Et cũ unum sint, anima
sola suscipit uitã, ratio sola suscipit sapientiã, & ta-
men nec anima sine ratione, nec ratio sine anima.
Sic & pater & filius licet unũ sint, & unus deus sit,
ad Christũ solũ pertinet caro, sicut ad solã rationẽ
pertinet sapientia, licet nõ recedat ab anima. Ecce
aliud, In sole, calor & splendor in uno radio sunt,
sed calor exiccat, splẽdor illuminat: aliud suscepit
calor, aliud splẽdor. Et licet calor & splẽdor ab in-
uicem nõ queant separari, suscipit splẽdor illumi-
C nationẽ nõ feruorẽ, suscipit calor feruorẽ nõ illu-
minationẽ: aliud simul, aliud singulares agũt, & tñ
ad inuicẽ non separant. Sic & filius suscepit carnẽ
& nõ deseruit patrem, nec se diuisit à patre. Suse-
pit, inquam, filius carnem in proprietate, sed tñ &
pater & spiritussanctus non defuit maiestate. In di
uinitate æqualitas, in carne sola filij proprietas: nõ
aũt ab eo patris aut spiritussancti recessit aliquan-
do diuinitas. Cum ergo una sit deitas, una sit diui-
nitas, impleuit quidẽ carnẽ Christi & pater & spi-
ritussanctus, sed maiestate nõ susceptione. Vis sci-
re quia cũ eo fuit & pater? Non sum, inquit dñs Ie Ioan. 16
sus Christus, solus, sed pater mecũ est. Audi & de
spiritusancto, quia cum eo erat, euangelista refert,
Quia Iesus plenus spiritusancto regressus est ab Luc. 4
Iordane. Ecce sic solus Iesus Christus suscepit car-
nem, & tamen & pater & spiritussanctus nõ defu-
D it maiestate. Sicut cœlũ & terrã implet pater, im-
plet & spiritussanctus. Carnẽ Christi desererenon
potuerunt, quando in diuinitatis unitate manse-
rũt. Adhuc citharã respice, ut musicũ melos sonis
dulcibus reddat, tria pariter adesse uident, ars, ma
nus & chorda, & tñ unus sonus audit: ars dictat,
manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operan
tur, sed sola chorda personat q̃ audiat: nec ars nec
manus sonum reddunt, sed ea cũ chorda pariter
operant: sic nec pater nec spiritussanctus susce-
runt carnẽ, & tñ cũ filio pariter operant. Sonũ sola
chorda excutit, carnẽ solus Christus accepit: ope-
ratio in tribus constat. Sed quõ ad solam pertinet
chordam soni redditio, sic pertinet ad Christum
solum

solum carnis humanæ susceptio. Econtra Iudæus
contra naturã, inquit, parere uirgo non potuit: & A
detestandus Manicheus: si caro erat, uirgo esse nõ
potuit: si uirgo peperit, phantasma fuit. Vtrisq; re-
spõdendum est. Proferam de historia ueteris testa
menti necessariũ exemplũ contra Iudæum, quod
sonuit in auribus nostris manifestissimã ueritatẽ.
Nume. 27 Dominus Moysi sancto præcipit, de singulis tri-
bubus uirgas afferri. Allatæ sunt duodecim uirgę,
inter quas etiam una erat quæ Aaron fuerat sacer-
dotis: positæ sunt à sancto Moyse in tabernaculo
testimonij. Virga autem Aaron post alterum di-
em inuenitur subito produxisse flores & frondes,
& peperisse nuces. Delectat hoc mysteriũ cũ cha-
ritate uestra cõtra perfidiã Iudaicã cõmiscere, ubi
maximè figura interuenit sacramenti. Virga ecce
B protulit quod ante non habuit, non radicata plan
tatione, non defossa sarculo, non animata succo,
non fœcundata seminario: & tamen cum illic de-
essent uniuersa iura naturæ, protulit uirga q̃d nec
semine suggeri potuit nec radice. Virga ergo po-
tuit contra naturã nuces educere, uirgo nõ potuit
contra naturæ iura dei filiũ generare? Dicat igitur
mihi Iudæus incredulus, quemadmodũ arida uir-
ga floruit & fronduit & nuces protulit, & dicam il
li quẽadmodũ uirgo conceperit & pepererit. Sed
profecto Iudæus nec conceptum poterit uirgæ ex
plicare nec uirginis partum: ueniat ad ecclesiam,
exponatur illi ut agnoscat uerũ ordinẽ officij natu
ralis. Virgo peregit tẽpora pariendi: uirga autem
non habuit tempora germinandi. Virgo habuit
C tempora pariendi, uirga autem alio die quod natu
ra non habuit protulit. Illa enim decursis nouem
mensibus peperit, uirga alia die quod natura non
habuit germinauit. Virginem, dicit Iudæus, pare-
Nume. 22 re natura non patitur. Deus enim qui in Numeris
mirabile signũ ostendit contra naturã ut asina lo-
queretur, ipse mirabilius facere uoluit ut Christus
de uirgine nasceret. Audiat & uersutus ille Mani-
chæus aliud sacramentũ. Solis radius specular pe-
netrat, & soliditatẽ eius insensibili subtilitate per-
transit, & talis uidetur intrinsecus, qualis extra &
extrinsecus. Itaq; fratres, nec cũ ingreditur uiolat,
nec cũ egreditur dissipat, quia ad ingressum & re-
gressum eius specular integrũ perseuerat. Specu-
lar ergo nõ rumpit radius solis, integritatẽ uirgi-
nis ingressus aut egressus nunquid uitiare potuit
D deitatis? Sed quid ulterius immoror? Audiat Chri
stianus quod non uult audire Iudæus aut Mani-
chæus, ut hic proficiat in fide redemptus, & ille de
ficiat induratus. Virga illa unde agebamus Aarõ,
uirgo Maria fuit, quæ nobis Christũ uerum sacer-
dotem concepit & peperit, de quo Dauid cecinit,
Psal. 109 Tu es sacerdos in æternũ, secundũ ordinẽ Melchi
sedech. Superiori nanq; uersu iam dixerat, Virgã
Esa. 11 uirtutis tuæ emittet dominus ex Sion. Et Esaias
propheta apertius Mariam sanctam designat di-
cens, Exiet uirga de radice Iesse, & flos de radice
eius ascendet, & requiescet super eum spiritus do-
mini, spiritus sapientiæ & intellectus. Quòd ergo
hæc uirga nuces produxit, imago dominici cor-
poris fuit. Nux em̃ trinã habet in suo corpore sub-
A stantiæ unionem, corium, testam & nucleũ. In co-
rio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima cõ-
paratur. In corio nucis, carnem significat saluato-
ris, quę habuit in se asperitatem uel amaritudinem
passionis. In nucleo interiorem declarat dulcedi-
nem deitatis, quæ tribuit pastũ, luminis submini-
strat officium. In testa lignũ interserens crucis, q̃d
non discreuit id quod foris & intus fuit, sed quę ter
rena & cœlestia fuerunt mediatoris ligni interpo-
sitione sociauit, dicẽte beato Apostolo, Quia ipse Col. 1
per sanguinem crucis suæ pacificauit omnia quæ
in cœlis sunt & quæ in terris, cui est gloria in secu-
la seculorum, Amen.

Hic sequebatur sermo intitulatus, In uigilia na- Ser. IIII
tiuitatis domini saluatoris de fide Christi cõtra Pa
B ganos & Iudæos, eum reperies tomo 6. fol. 53. intitulatum, Concio ad catechumenos: & alius, In uigilia natiuitatis domini saluatoris de fide Christi contra Paganos & Iudæos, sermo secũdus, factus ad fratres in eremo, qui inter sermones ad eosdem habetur decimusnonus.

In festo natiuitatis saluatoris nostri Iesu Christi: Sermo I

ALVATOR noster natus de patre si- Ser. V
9 ne die, per quem factus est omis dies,
uoluit in terra habere natalem hunc di
em quem hodie celebramus. Quisquis in die mira
ris, æternũ mirare potius ante omnẽ diem perma-
nentẽ, omnem diem creantẽ, in die nascentẽ, à ma
licia diei liberantẽ. Adhuc mirare. Quę peperit &
C mater & uirgo est. Quẽ peperit, & infãs & uerbũ
est. Merito cœli locuti sunt, angeli gratulati, pasto
res lętati, magi imitati, reges turbati, paruuli coro
nati. Lacta mater cibũ nostrũ, lacta panẽ de cœlo
uenientẽ, & in præsepe positũ uelut piorũ cibaria
iumẽtorũ. Illic em̃ cognouit bos possessorẽ suũ, & Esa. 1
asinus præsepe dñi sui. Circũcisio scilicet & præpu
tiũ coherendo lapidi angulari, quorũ primitiæ fue
runt pastores & magi. Lacta eum qui talẽ fecit te,
ut ipse fieret in te, qui tibi & munus fœcunditatis
attulit conceptus, & decus uirginitatis nõ abstulit
natus, qui sibi priusq̃ nasceretur, & uterũ de quo
nasceretur, & diem quo nasceret elegit. Et ipse cõ
didit quod elegit, ut ille hinc procederet de thala-
mo suo, quo mortalibus oculis posset uideri, & au
D gmento lucis annuę se lucẽ mentiũ uenisse testari.
Prophetæ cecinerũt conditorẽ cœli & terrę in ter
ra cũ hominibus futurũ, angelus annunciauit crea
torẽ carnis & spiritus in carne uẽturũ. Salutauit Io
annes ex utero in utero saluatorem: Simeon senex
deum agnouit infantem: Anna uidua uirginẽ ma-
trem. Hæc sunt testimonia natiuitatis tuę domine
Iesu, anteq̃ tibi fluctus substernerẽtur calcanti, ce
derẽt imperãti, anteq̃ uentus te iubente siluisset,
mortuo te uocãte uixisset, sol te moriẽte palluisset,
terra te resurgẽte tremuisset, cœlũ te ascendẽte pa
tuisset, anteq̃ ista & alia mirabilia iã iuuenilis tui
corporis ætate fecisses. Adhuc in manibus matris
portabaris, & iã dñs orbis agnoscebaris. Ipse puer
paruulus ex semine Israel, et ipse nobiscũ de Ema
nuel

nuel. Quæ est illa nostra generatio saluatoris qua
gignenti patri coæternus est, qñ hanc generatio-
A nẽ ex uirgine mũdus expauit, quã pia fides agno-
uit & tenuit, infidelitas aũt irrisit, superbia timuit
superata? Quænam est illa generatio, quia in prin
cipio erat uerbũ, & uerbũ erat apud deum, & deus
erat uerbum? Vel quod est hoc uerbũ, quod dictu
rus antea non silebat, quo dicto nõ siluit qui dice-
bat, quod est uerbum sine tẽpore, per quod facta
sunt tempora? Verbum quod labia nullius aperu
it cœptum, clausitue finitum. Verbum quod initi-
um non habet ex ore loquentium, & aperuit ora
mutorum. Verbũ quod linguis gentium disertis
non fit, & linguas infantium disertas facit. Quæ
nam est illa generatio, cui pater moriendo non ce
dit, quia non eum uiuendo præcedit? Segregata
B ab omnibus locorum temporumq; interuallis, ab
omni distentione spatiorum quam uel in diebus,
uel in corporibus sentire consueuimus. Leuemus
ad eum quantum ipso adiuante animam nostram
possumus, si quomodo capere ualeamus & na-
tum non præuenientem qui gignit, & gignentem
non subsequentem qui gignitur, & patrem & fili-
um: nec pariter patres, nec pariter filios, & pari-
ter æternos. Non utrunq; generantem, nec utrũq;
nascentem, sed alterum sine altero non uiuentem:
& patrem sempiternum genuisse, & filium sempi
ternum natum esse, cogitemus si ualemus, si non
ualemus credamus. Non est quod hic dicere uo-
lumus, sed tamen non longe positum est ab uno
quoq; nostrum. In illo enim uiuimus, mouemur &
sumus. Transcendamus carnẽ nostram in qua pa-
rentes ante filios uiuunt, quia ut filios possent ge-
nerare creuerunt, & filijs crescentibus iam sene-
scunt. Nondum natis filijs parentes uixerunt, quia
& parentibus mortuis filij uicturi sunt. Transcen-
damus & animas nostras, pariũt & ipsę aliquid co
gitando quod secum habent sciendo, sed possunt
amittere obliuiscendo, quia & non habebant an-
tea nascẽdo. Cuncta corporalia & tẽporalia & mu
tabilia transcendamus, ut uideamus super omnia,
per quem facta sunt omnia. Ascẽsus noster in cor-
de est, quia & illud quo ascẽdimus prope est, Lon
ge autem ab illo sumus, in quantum dissimiles su-
mus. Ascendit ergo ad eum sua similitudo quam
in nobis fecit & refecit, quam nondũ perfecte pal
pitat infirmus aspectus, & ineffabilem candorem
D lucis æternæ non potest intueri. Cuius ergo fulgo
rem mentis acies nondum capit, generationem e-
ius quis enarrabit? Sed uerbum caro factum est, &
habitauit in nobis. Hanc ergo generationem cu-
ius hodiernum celebramus diem, hanc in qua di-
gnatus est uenire per Israel, & fieri Emanuel no-
biscũ deus in carnis infirmitate, non nobiscum in
cordis iniquitate, accedens ad nos per id quod as-
sumpsit ex nostro, & liberãs nos per id quod man
sit in suo (uisitauit quippe dominus seruos suos
per mortalem infirmitatem: ut eos liberos faceret
per incõmutabilem ueritatem) hanc ergo genera
tionem cuius utcũq; capax est humana fragilitas,
non illam quæ sine tempore manet, sine matre su-

per omnia, sed istã quæ in tẽpore facta est sine pa-
A tre inter omnia: Hunc uirginis filiũ & uirginũ spon
sum, de incorrupta matre nascentẽ & incorrupti-
bili ueritate fœtantem, laudemus, amemus, adore
mus, ut in eius misericordia de astutia diaboli fisi
triũphemus. Diabolus ad nos decipiendos corru-
pta fœmina mente subrepsit: Christus ad nos libe-
randos incorrupta fœmina etiã carne processit, q
est benedictus in secula seculorum: Amen.

In eodem festo: Sermo II

I N principio erat uerbum, & uerbũ Ser.VI
erat apud deũ, & deus erat uerbum.
Qui in principio erat, intra se conclu
dit omne principium. Ex matre uero initium sum
psit, sicut legimus per Esaiam, Ecce uirgo in utero Esa.7
B accipiet & pariet filium, & uocabitur nomen eius
Emanuel, quod est interpretatũ nobiscum deus,
id est, latens in humana fragilitate maiestas: sicut
in Ioanne Euangelista legimus: Et uerbum caro
factum est, & habitauit in nobis, id est, in fragili-
tate corporis nostri. Item de Mariæ uirginis ge-
neratione: & porta erat clausa, & non est aperta. Ezech.44
Tanquam si interrogaretur cur aperta non esset,
adiecit: Quia dominus transiuit per eam. Porta
clausa, id est, signaculum pudoris immaculatæ car
nis integritas. Non em̃ est uiolata partu, quæ ma-
gis est sanctificata conceptu. Item de Christi gemi
na dei hominisq; substantia: Et erunt, inquit, duo Gen.2 Ephes.5
in carne una, id est, deus & homo unus Christus.
Quod Apost. de Christo & ecclesia, id est, Christi
C corpore præcepit intelligi, sicut ait, Et erunt duo
in carne una. Ego autem dico in Christo & in Ec-
clesia. Quod aperte exposuit ad Romanos, Pa- Rom.9
tres nostri ex quibus Christus secundum carnem.
Asseruit hominis, consequenter asserit proprieta
tem dei dicens, Qui est super omnia deus benedi-
ctus in secula. Tam perfecta filij eminentia decla-
ratur, ut dici de patre maiora non possint. Nam si
initium haberet non esset super omnia, sed inter o-
mnia, quæ pro cõditione facturæ intra initium cõ
tinentur. Sed Christus qui æqualis est patri, nulla
tẽporis, nulla ætatis lege cõcluditur. Euidenter &
ad Philippenses Apostolus duas Christi natiuita-
tes & duas substantias prædicat dicens, Qui cum Philip.2
in forma dei esset, formã serui accepit. Quibus re-
gulis plena sunt uolumina Noui & ueteris testa-
D menti. Similiter & Iob prædicat eximius prophe- Iob 19
tarũ, Et in carne mea uidebo deũ. Quod de illo tẽ-
pore prophetauit, qñ Christi deitas habitu nostræ
carnis induta est. Quia ergo ut præfati sumus, uer
bum caro factũ est, & duos esse constat hominẽ &
deum in carne una, modo homo loquit patri, mo-
do deus, modo uisibilis ex matre, modo inuisibilis
ex patre. Da uerba hominis. Ipse in euãgelio dicit,
Filius hominis nõ habet ubi caput suum reclinet. Luc.9
Ostẽdat hic pauper filius hominis diuitias suas in
gloria diuinitatis. Omnia, inquit, quę pater habet,
mea sunt. Dũ dicit, omnia, nihil hic relict q̃d minus Ioan.16
haberet à patre. Omnia, id est, unius deitatis potẽti-
am, substantiã, maiestatẽ. Quis eum minorẽ dicere
nõ tremiscat, qui se patri generaliter & per omnia
ueridicus

ueridicus testis exæquat, sicut de eo Euangelista
Ioan.5 pronunciat, Ideo uolebant eum Iudæi interfice-
A re, quia patrem suum dicebat deum, æqualem se
faciens deo. Et ad Philippenses, Non rapinam ar-
bitratus est esse æqualem deo: id est, æqualem di-
uinitatis quam rebellis angelus assumere uoluit
per rapinam, Christus possedit per naturam. Er-
go credas ei, cum se in hominibus substantia pro-
fitetur æqualem. Loquatur filius hominis, Pater,
inquit, maior me est. Loquatur filius dei: Ego &
pater unum sumus. Quasi homo esurit, quasi deus
quinque milia esurientium quinq; panibus obse-
quio creaturæ suæ exatiat. Quasi homo in cruce
pendet, quasi deus in paradisum de cruce latronẽ
gestis per omnem mundum loquentibus introdu
Luce 23 cit dicens, Amen dico tibi, hodie mecum eris in
paradiso. Quo tempore corpus domini in tumu-
B lo fuit, anima in inferno, diuinitas in paradiso, in
cœlo & ubique, intra se omnia supereminenti suæ
maiestatis immensitate complectens. Secundum
hominem minor dicitur, quando comprehendi-
tur, flagellatur, crucifigitur, moritur, sepelitur: Se
cundum deum per uirtutem resurrectionis in cœ
lestia sublimat̃. Quasi homo suscepta morte, quasi
deus super mortem. Secundum hanc regulam
modo pauper est, modo diues, modo minor, mo
do æqualis, modo dominus, modo seruus. Tunc
ergo minor credatur patre, quando angelorum
conditor paulominus ab angelis minoratur, sicut
Psal.8 in octauo Psalmo legimus, Minorasti eum paulo-
Philip.2 minus ab angelis. Tunc ergo patre minor dicatur,
quando serui formam suscepisse perscribitur, quã-
C do etiam matre iunior inuenitur, quando ipse de
se in uicesimoprimo Psalmo dicit, Foderunt ma-
nus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia
ossa mea. Quòd autem minor patre secundum car
nem & secundum hominẽ nuncupetur, innume-
ris scripturarũ testimonijs declaratur. De eius diui
Tit.2 nitate ita ad Titum Apostolus dicit, Apparuit gra
tia dei saluatoris nostri. Et iterũ: Expectantes bea-
tam spem, & aduentum glorię magni dei & Salua
toris nostri Iesu Christi. Immane piaculũ est ut per
infidelis hominis blasphemias minor esse dicatur,
quem magnũ deum ipsa ueritas profitetur. Nam
& Thomas Apostolus in euangelio Ioannis, ubi
post resurrectionem corpus hominis crucifixi per
clauorũ signa cognouit, deum qui intra hominem
D latebat apostolica & euãgelica autoritate cõfessus
Ioan.20 est, ita dicens, Dominus meus & deus meus. Si fi-
des assit, aperta est ratio qua Christus nũc minor,
nunc æqualis patri sacris uoluminibus asseratur,
sicut ipse de se dicit, Ego, primus & nouissimus.
Indubitanter agnosce q̃ priorẽ non potest habere
qui primus est. Item, Ego sum alpha & o. Et sicut
alpha literam nulla præcedit, ita & filium dei nulli
secundum constat esse, quia deus est. Quid respon
debimus eis qui spiritum sanctum aut minorem
dicunt, aut (quod sceleratius est) ministerialẽ ma-
gis q̃ deũ abrupta impietate pronunciant? Quo-
Luc.1 modo creatura dicitur, qui domini creator ex Ma
ria comprobatur, sicut legimus: Conceptus de spi

ritu sancto, natus ex Maria uirgine? Christus em̃
A non de substantia spiritus sancti, sed de potentia,
nec generatione, sed iussione & benedictione cõ
ceptus est. Et sicut à patre ita etiã à spiritu sancto
ad redeptionẽ nostræ malicię destinatus est, ipso
de se per Esaiam loquente, Misit me pater & spiri- Esa.48
tus eius. Si spiritus sanctus minor credit̃, quomo-
do se filius sicut à patre, ita etiam à spiritu sancto
missum esse testatur? Spiritus sanctus ipse locutus
est in Apostolis, ipse efferbuit in Prophetis, dicen
te beato Apostolo Petro in epistola sua, Non, in- 2 Pet.1
quit, ex hominibus allata est prophetia, sed spiritu
sancto inspirati locuti sunt sancti dei homines. Et
saluator in Matthæo ita ait ad discipulos suos, Nõ Matt.10
uos estis qui loquimini sed spiritus sanctus. Simili-
ter & Dauid plenus spiritu sãcto, quis per eum lo-
B queretur, manifesta uoce denunciat dicens, Audi Psal.84
am quid loquat̃ in me dominus deus. Hæc est, in-
quam, uia lucis, cuius confessione aperitur ostium
salutis. Itaque qui in hanc professionem ingredi-
untur, beatitudinem eius adipiscunt̃. Beatitudo ei
qui confitetur deum patrem & filium & spiritum
sanctum. Beatitudo ei qui confitetur solum deum
patrem & filium & spiritum sanctum. Beatitudo
ei qui confitetur unum omnipotentem deum pa-
trem & filium & sanctum spiritum. Beatitudo ei
qui confitetur unum summum deum patrem & fi-
lium & sanctum spiritum. Beatitudo ei qui confi-
tetur unum deum patrem & filium & sanctum spi
ritum sempiternum esse. Beatitudo ei qui confite-
tur indiuisam substantiam esse patris & filij & san-
C cti spiritus. Beatitudo ei qui nihil addiderit uel mi
nuerit in unitate naturæ patris & filij & sancti spi-
ritus. Beatitudo ei qui cõfitetur omnia bona facta
fuisse à patre & filio & sancto spiritu. Beatitudo
ei qui cõfitetur unam æqualitatem in sempiterna
plenitudine deitatis esse patris & filij & sancti spi-
ritus. Beatitudo ei qui secundum singula nomina
trinitatis, id est, patris & filij & sancti spiritus pro-
prias tantum personas distinctas esse confiteṁ. Vn
de oportuit nos ostendere eis, quos edent uiæ suæ
fructus & maledictiones omnium male credenti- Deut.27
um, sicut scriptum est, Maledictus omnis qui non
obaudierit uerba libri huius, ut faciat ea in corde
suo. Maledictus qui patris & filij & sancti spiritus
unam sempiternam substantiam esse non confite-
D tur. Maledictus qui secundum tres personas tres
diuisas substantias esse confitetur. Maledictus qui
tria principia eorum esse confitetur. Maledictus
qui uerum deum patrem, & unicum uerum deum
filium, & unicum uerum deum sanctum spiritum
non confitetur. Maledictus qui unicum nomẽ in
deitate trinitatis esse nõ confiteṁ. Maledictus qui
indiuisam deitatem patris & filij & sancti spiritus
non confitetur. Maledictus qui propria nomina
personarũ tres deos aut tres dominos aut tres spi-
ritus confitetur. Maledictus qui secundum singu-
las personas trina nomina tantum distincta patris
& filij & sancti spiritus non confitetur. Maledi-
ctus qui unam personam eorum esse confitetur.
Maledictus qui quem patrẽ dicit, hunc eundẽ &
filium

filium esse designat. Maledictus qui patrẽ natum, aut incarnatum, aut passum esse confitetur. Maledictus qui inenarrabiliter filium & uere natum de substantia patris esse non confitetur. Maledictus qui hanc natiuitatem factam uel creatam uel conditam esse confitetur. Maledictus qui uerũ filium dei ex uoluntate tantum dicit esse, & nõ potius de natiuitate. Maledictus qui dicit, erat tẽpus quando non erat filius. Maledictus qui hanc natiuitatem ex nullis extantibus non cõfitetur, quod Græci ἐξ οὐκ ὄντων appellant. Maledictus qui diuinitatem filij dei dicit initium habere de tempore, ortũ ex nihilo, nomen quasi adoptionis ex altero. Maledictus qui unum de uno, filium de patre genera tum non cõfitetur. Maledictus qui impassibiliter filium natũ de patre non confitetur. Maledictus qui dicit, fuit aliquãdo pater sine filio. Maledictus qui non confitetur ante omne principiũ uel initium semper fuisse filium cũ patre. Maledictus qui immortalem deitatem filij dei non confitetur. Maledictus qui de sempiterno filio dicit, nõ erat ante quam de Maria nasceretur. Maledictus qui unitã deitatem patris & filij & sancti spiritus, ex charitate concordiẹ tantum esse profitetur, & non magis per hãc ipsam unitam diuinitatẽ. Maledictus qui unitam deitatẽ in tres has personas esse non confitetur. Maledictus qui aduersus uigorem censuræ diuinæ scripturæ, hunc deum uerũ spiritum paracletum, aut filium patris uel certe facturã usurpat debere cõfiteri. Maledictus qui filium dei uerum & hominem uerum de Maria uirgine nuper natum pro nostra salute non confitetur. Maledictus qui filium dei hominem tantum pro nostra salute confitetur. Maledictus qui deum dei filium sempiternum de assumptione hominis per hoc principium habere assignat. Maledictus qui deitatem eius passam esse confitetur. Maledictus qui incomparabilem deitatẽ trinitatis proprie ad hominis liniamenta esse cõfitetur, dum scriptũ inueniamus: Quia non sit illi similis quisquam deus in cœlo sursum & in terra deorsum.

Ser. VII

In eodem festo. Sermo III

R OGO uos fratres charissimi, ut libenti animo sermones quos dominus dabit suscipiatis in hac dulcissima die, in qua cõpunctio etiã infidelibus uenit, in qua misericordia tangitur impius, ueniam sperat compũctus, reditum nõ desperat captiuus, remediũ desiderat uulneratus, in qua nascitur agnus, qui tollit peccata mundi. In cuius natiuitate qui conscientiam puram habet, dulcius gaudet: qui miseram, attentius timet. Qui bonus est affectuose orat, qui peccator deuotissime supplicat. Dulcis dies, uere dulcis, & cunctis pœnitentibus ueniam portans. Promitto uobis filioli & certus sum, quia in hac die si quis ex corde pœnituerit, & ad uomitũ peccati reuersus non fuerit, quodcunq; petierit dabitur ei, tantum in fide non dubitet, delectationẽ non repetat. Hodie totius mundi peccatũ tollitur, & peccator desperat? Sed uidete qualis debet esse pœnitẽtia, qà multi assidue se dicunt esse peccatores, & tamẽ ad huc illos delectat peccare. Professio est, nõ emendatio. Accusatur anima, non sanatur. Pronunciatur offensa, nõ tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor dei. Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in uita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, iam tunc bene ingemiscis ad deum & dicis, Tibi soli peccaui, & malum corã te feci. Bene tibi soli peccaui, quia nullus hominum sine peccato, & ideo tibi soli peccaui, quia nullus est sine peccato. Da domine misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Inclinet ad remedium humilitas pœnitẽtis, quem permouere nõ potuit diuturnitas peccatoris. Dic illi in fletu cordis, aspice ad infelicẽ pietas immensa, respice crudelem misericordia publica. Desperatus ad omnipotentẽ uenio, uulneratus ad medicum curro, serua pietatẽ mansuetudinis, qui tamdiu suspendisti gladium ultionis, dele numerositatem criminũ multitudine misericordiarum. Ista est filioli uera pœnitentia, quando sic cõuertitur quis ut non reuertatur, quãdo sic pœnitet ut non repetat. Sane uidemus aliquos uestrũ formas & uirtutem animorum exercentes, qui in ista die uerba mea pro sua salute sic audiant, ut uiriliter mollia uitia abijciant, tanq; qui pugnat. Reuera fortius pugnat, qui cõtra se pugnat. Aperiant aures suas ad præcepta Christi, quæ fortasse patuerunt hucusq; ad audiẽda ludibria. Aperiãt oculos suos ad nitorem, qui hucusq; ad ignominiã patuerunt. Compungat pœnitentia criminum, quos hucusq; transpunxit delectatio uoluptatũ. Erigat adiuncta uirtus, quem uitia prostrauerunt. Aperiant medicamẽto nares suas, quib. illis fœteat cõsuetudo peccati, aperiat ille oculos cordis uobis, q̃ hodie propter nos dignatus est nasci, ut uideatis illud quod putaẗ dulce modo satis esse in breuitate tẽporũ, q̃ amarũ erit in ignem æternũ, q̃ graui & perpetua pœna puniẽda erit breuitas delectatiõis. Delectatio occidit & præterijt, uulnerauit & transiuit, miserum fecit & abijt, infelicem reddidit & reliquit. Quàm speciosus est animæ nitor, quàm felix conscientia bonis operibus plena. Si beatum se credit qui hoc possidet quod dimissurus est post mortẽ, quàm securus est qui illud præmium sperat quod nunquam amissurus est per æternitatẽ? Si potens est qui mundo imperat, q̃ beatus est qui deũ in cõscientia portat, Et ideo dulcissimi filij concupiscite mundiciã cordis, habete dilectionẽ dei & proximi. Peccatores dimittite & dimittetur uobis. Iusti non peccetis, ut permaneat Christus in uobis. Quæ cũ ita sint, uidetur mihi charissimi, ut nascento domino & redẽptori nostro uota promittamus hodie & reddamus, sicut scriptũ est, Vouete et reddite dño deo uestro. Nos dulciter & cõfidẽter uoueamus, ille dabit possibilitatẽ ut reddere possimus: Nos tñ quicq̃d illi promittimus, de illo speremus. Et fortasse interrogatis me quid debeatis hodie uouere & reddere. Sunt em̃ multi qui uouent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius ut uinum non bibat per aliquot annos

annos, alius ut ieiunia certo tempore faciat, alius ut carnes non comedat. Non est istud uotum optimum nec perfectum: Adhuc melius uolo. Non eligit deus nec speciem tuam, nec oleum tuum, nec ieiunium tuum, sed hoc quod te hodie redemit, ipsum offer, hoc est animã tuã. Et si interroges me, quomodo animam meam quã ipse habet in potestate offeram? Et ego respondebo tibi, quomodo. Moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis. Auertendo à malo, & conuertendo ad bonũ. Damnando uitium, amãdo deum, diligẽdo proximum, impẽdẽdo misericordiã miseris, quia & nosipsi miseri fuimus anteq̃ redimeremur. Dimittendo illis qui in nobis peccant, quia et nos omnes sub peccato fuimus. Superbiã calcãdo quia per superbiam primus homo deiectus est. Abijciendo inuidiam, quia per inuidiã decepit diabolus genus humanũ. Quæ cum ita sint, erigite animos uestros, et nullus sit siue liber siue seruus, siue ingenuus, qui non hodie deo uotũ offerat simul & reddat: quia nimis miserũ est ut deo aliquid non offeramus de nostro, qui animam suam pro nobis posuit, & propter nos cum esset æternus carnẽ suscepit. Nunc itaq; quicunq; irã contra alterum tenet, tantum propter amorẽ dei dimittat, & obtulit uotum. Si quis consueuit iã longa diuturnitate in luxuria uolutari, resipiscat aliquãdo, & excutiat sordes suas per compũctionẽ, & clamet in corde suo in oratiõe secretius ad dominũ: Pijssime domine, misericordissime deus, sufficiat mihi q̃ hucusque peccaui, quòd contempsi, quòd fœtoribus carnis meæ satisfeci, iam nunc te inspirante uoueo me à nequitia mea conuersurum. Cum hæc fecerit, & iste obtulit uotum. Si iterum inuidia tenetur fratris, & felicitate illius aut actione prospera non delectatur, quod est peccatum usq; ad mortem, promittat & ipse in corde suo, meditaturum se potius actus bonos, q̃ liuorem eum habiturũ: Et cum fecerit, & ipse obtulit uotũ. Si quis uero sibi cõscius est de homicidio, indicat sibijpse in corde suo pœnitentiã, & uindicet in se ipsam malam cõscientiã, & statuat sibi ante deũ cruciatũ pœnitentię & spacium: & plenũ animũ ueneno quem antẽ cõfusio sanguinis proximi saucíauit, cruciat per abstinentiam & humilitatẽ: & cõmunicare nullatenus prę sumat, ut nõ dupliciter se infelix dãnet, dũ in corde criminũ horroribus pleno sacratissimũ corpus domini periculose præsumit accipere. Quòd si qs se talẽ agnoscit, & hæc fecerit, & ipse offert uotũ. Si quis forte ut assolet detrahere semper cõsueuit, & aliorũ actiones obloqui nec suas respicere, uoueat hodie deo in corde suo & dicat: Hucusq; de alijs dixi, me nõ inspexi, ego erã miserior, & alios miseros existimabã, & ideo nunc sufficit qd̃ peccauit lingua mea, amodo emendare delibero: Ecce qui hæc facit, offert uotum. Si quis crudelem se sentit, misericordiam animi uoueat deo. Si quis superbum, uoueat humilitatẽ. Si quis uino nimiũ est deditus, sobrietatẽ uoueat. Si quis seniori suo peccauit, ueniã petat, & si ille non sapuerit petere, ille tamẽ dimittat. Et cũ hęc omnia feceritis charissimi offertis deo uotum placitũ, & quasi remuneratis Christum. Et post hęc ueniet uobis benedictio, & uota uestra offerunt̃ ante tribunal Christi: Et sicut dixit Salomon, monumentum uestrum non accipiet obliuionẽ: & dicetur de uobis: Ecce populus meus quem acquisiui sanguine meo saturauit me uotis, impleuit odoramentis: Ego ero eis quasi dominus, & ipsi erũt mihi in populum, & non erit ultra eis captiuitas aut desolatio. Putamus q̃ dulce est quãdo uota nostra talia qualia dixi, angeli qui custodes uitæ nostræ sunt, ante conspectũ diuinæ maiestatis obtulerunt? Si aliquid offerimus homini terreno & morituro, & tamen speramus ab illo multum recepturos & adiuuandos: si deo autẽ aliquid de nostris moribus offeramus, quantũ recipiemus? Nũc itaq; exultemur in domino, gaudeamus cum fletu, memores simus dignatiõis diuinæ & captiuitatis nostræ. Quẽcunq; potentia eleuat, ueniat illi in mentẽ humilitas Christi, ut non dirigatur ad illum sententia ista: Quid superbis terra & cinis? Quando uidemus quenq; miserum, aut egenum, ueniat in mẽtẽ misericordia dei. Quãdo captiuum, ueniat nobis in mentẽ redemptio domini nostri. Quando peccatũ quodcunq; delectat aut subrepit, sit nobis in memoria quod iam deleta sunt peccata nostra. Non perdamus præmium sanguinis Christi, nec maculemus stolã animę per iniquitatem, aut rapinam, aut concupiscẽtiam. Iacuimus, iam erecti sumus: uulnerati fueramus, iã sanati sumus. Non erit excusatio. Qualescunq; potest diabolus ad malum inuitare: non potest trahere: delectationem infert non potestatem, consiliũ ingerit non cõflictum. Nunc ergo propter partũ beatæ Mariæ sit mihi sermo ad uirgines, siue uiros, siue uiduas, siue fœminas, siue pœnitẽtes, siue pauperes, siue seruos, nõ est apud deum nisi meritorum discretio. Audite me itaq; quicunq; dono Christi in corpore uirgines estis. Generaliter loquor ad omnes: Audite me. Quicunq; agnoscit se esse qd̃ dico, studeat ut & corde sit uirgo. Sic gaudeat de lucro corporis, ut non habeat damnum animæ, gaudeat tũc de tam precioso dono Christi, gaudeat cum humilitate, fleat cũ pietate. Gratias agat quia tãtam felicitatem in integritate portat: lætetur quia secuturus est agnum quocunq; ierit: si tamen in ore eius, sicut legimus in Apocalypsi, mendacium non inueniatur. Oret perseuerãtiam, ut non illi qualiscũq; delectatio seculi aut inuidia diaboli tantum donum tollat, tantam claritatẽ in nubilet, tantum nitorem infuscet, Teneat fortiter, ne perdat rem irreparabilem. Non uno momẽto delectationis amittat gratiam corporis, non contrahat turpitudinem animę per pulchritudinẽ formæ corruptæ, non illum cõcupiscentia uincat. Si me audierit, permanet: quòd si nõ audierit, amissurus est qd̃ nunq; est reparaturus. Iterũ ad uos mihi sermo est qui coniuges habetis, moneo ut caste habeatis. Nã & Helisabet quę longæuis temporibus caste cũ marito uixerat, & ambo fideles ante dominũ fuerunt, meruit iã de mortuo semine filiũ qui & sanctitate parẽtes ornaret, & prædicatione

multos infideles cõuerteret. Iterum uobis loquor quæ estis uiduæ, custodite uiduitatem: non estote uerbosæ, sed cum silentio expectate dominũ, qui
1 Tim. 5 pupillum & uiduam suscipit: Sed bonã uiduam, & illã quæ in oratione est, in humilitate, in eleemosynis prõpta: si certe unde faciet non habet, uoluntatem bonam & cogitationem synceram habeat. Mulieres, non maledicite, non iurate, non estote promptæ ad loquendum. Forte dicis importunũ esse quod dico. Non mihi tacere licet, plus timeo illum qui iubet quàm qui detrahit. Ego dico, qui agnoscit emẽdet, qui in se non recognoscit, audiat & teneat ut alijs pro salute dicere possit. Nunc iam ad uos loquor pœnitentes, qui pœnitentiã in ecclesia accepistis & agitis. Perseuerate in fletu, in cõpunctione docte plangite. Quid est, docte plãgite? Non querite in oratione tẽporales res, sed ẹternã beatitudinẽ, remissionemq; peccatorũ. Qui sic orat, docte plangit. Non cadũt ad terrã lachrymæ uestrę, quia uerax ille qui per prophetã dixit,
Psal. 55 Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo. Vos modo satis debetis amare deũ, & à timore iam ad dilectionẽ trãsire, quia sic legimus in Euãgelio de peccatrice illa, Cui multũ dimittitur, multum diligit. Et ideo multũ debetis diligere deũ, qui uos expectando & nõ puniẽdo ad pœnitentiã perducere dignatus est. Nũc iterum ad uos mihi sermo est pauperes. Vobis dico pauperes q̃ mendicatis, qui de eleemosyna Christianorũ uiuitis: Consolamini, tribulatio uestra conuertetur in gaudiũ, & dolor uester in lætitiam. Non uobis sit ingratũ quod mendicatis, nec ideo in corde uestro aliquid cõtra deũ dicatis, quia ille iustus & pius est in omnibus suis. Et te ideo fecit pauperem, ut sufferendo breuem inopiam, æternam uitam acquireres. Et diuitem ideo fecit, ut dum tibi superflua daret, remedium peccatis suis acquireret. Et ideo patiẽtes estote, & expectate dominum. Etiã sermo mihi est ad uos quicunq; dominos carnales habetis, cuicunq; seruitij cõditionem debetis. Obedite dominis uestris, diligite ex corde, non ad oculum seruientes, sed ministerium ex amore facientes, quia & illos deus constituit ut uobis dominentur, & uos ut seruiatis. Bene seruite ꝓpter deũ, quia de bono seruitio mercedem habebitis. Si boni fueritis, meliores eritis dominis malis, quia apud deum anima uniuscuiusq; nõ est discernenda nobilitate sed opere, nec genere sed actione. Ideo nunc ad omnes mihi sermo fuit, qa Christus pro omnibus mortuus est. Et ideo seruate quę dixi, ut de uobis fructũ habeã, & uos omnes in cœlestibus horreis ubi frumenta cõgregãda sunt misericors dominus intromittat, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

In Eodem festo. Sermo IIII

SERMO VIII H ODIE fratres dilectissimi celebramus dominicæ natiuitatis diem, id est, domini nostri Iesu Christi, quia cum æqualẽ trinitatem cum patre possideat, qui cum cœlum, terram ac maria & omnia quæ in eis sunt pari cum patre uirtute firmauerit, in nouissimis tẽporibus homo nasci ex homine dignatus est, sic nostram suscipiẽdo naturam ut non permutaret suam. Permanente enim integro diuinitatis statu, assumpsit hominem dei filius, nec amisit quod erat, sed sociauit sibi quod in ipso ante non fuerat. Inuisibilis ergo secundum diuinitatem dei filius uisibilem suscepit hominem, immortalis mortalẽ, impassibilis passibilem, & ut totum breuiter cõprehẽdam, deus hominem. Quicquid ergo infirmitatis legimus in Christo, id est, quòd esuriuit, quòd doluit, quòd etiam mortẽ pro peccatis nostris sustinuit, suscepto hoc ꝓ salute nostra homini deputemus, salua illius quod suscepit, id est, uerbi dei reuerentia: qui ita humanitatem diuinitati suæ iunxit, ut eam post passionem impassibilem faciat, non autem ut fieret, quod cogitari scelus est, diuinitas ipsa passibilis. Nã etsi in dei filio ex diuinitate & humanitate una persona est, cum tamẽ audis natum ex homine dei filium, noli communem hunc ibi credere natiuitatis exortum, ex opere coniugali, quod quidem à deo est constitutum ut humanitas propagetur: Aliter, inquam, ibi fuit humanitatis exortus, longe à nostra diuinitate diuersus. Nam etsi in eadem qua nos naturaliter sumus, ueritate carnis natus est Christus: nõ tamẽ eo quo nos more conceptus & natus est de coniugio, id est, unde cæteri exorti sumus, licet omnes procreentur homines. Nam & mirabiliter procreatus est. Legitima illa commixtio hominis homini quidem, licet iuxta diuinam autoritatem culpa non uacet, non tamẽ etiam gloriosa est: In Christi uero natiuitate sine cõmixtione propagatio omni prorsus gloria & honore cumulatur. Dominus itaque noster Iesus Christus, ordine natiuitatis excepto, homo uerus procreatus ex uirgine est, eodẽq; omnipotentiæ signo conceptus & natus, uirginẽ habuit matrem cum portaretur in utero uirginis, & cum ex utero funderetur: Nec tamen ista natiuitas coniugia damnauit, sed potentiam diuinitatis honorauit. Olim huius nouæ fœcunditatis signum Esaias propheta prædixerat, Ideo, inquit, dabit dominus ipse uobis signum: Ecce uirgo in utero concipiet Esa. 7
& pariet filium, & uocabit nomen eius Emanuel. Quòd signatissime de Christo domino nostro est prophetatum. Emanuel enim interpretatur, nobiscum deus: Ergo saluator noster ab effectu rerum etiam hoc nomẽ accepit, ut uocaretur nobiscum deus. Et ipse tunc deus cum omnibus nobis esse dignatus est, quando suscepit hanc carnem, ut per hominem qui uisibilis erat conuersari uideretur in terris. Sic enim Hieremias propheta promiserat, dicens, Hic est deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnẽ uiam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris uisus est, & cũ hominibus cõuersatus est. Vnde & ipse dominus ad discipulos suos, in Euangelio dicit, Tanto tempore uobiscum sum & non cognouistis me. Qui uidet me, uidet & patrem meum, & reliqua quæ sequuntur. Talia enim dei filius per assumptum hominem opera faciebat, ut ex ipsa operum claritate & patris simul & filij diuinitas nosceretur. Quod si

Baruch. 3

Ioan. 14

si diligẽter respiciamus ad causam, propter quam dominus totum hoc sacramentum suscepti hominis implere dignatus est, tunc uere obtinebimus nobis illud impletum esse propheticum. Duplex enim principaliter causa est, ob quam dei filius factus est filius hominis. Vna est ut secũdum hominem omnia patiẽdo pro nobis, à peccatorum nos uinculis liberaret. Sic enim Esaias propheta præ-
Esa. 53 dixerat, Hic peccata nostra portauit, & pro nobis dolet. Et rursus. Ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Eruditio pacis nostræ in eo: Liuore enim eius nos sanati sumus. Altera uero causa est dominicæ passionis, ut nos quos sanguine suo redemit à uitijs atq; criminibus, non solum doctrinæ auxilio & gratiæ, sed etiam exemplo suo ad studium sanctitatis accenderet, ut nos nõ modo præcipientem dominũ, sed etiam exemplo suo ad uirtutis fastigia prouocantem, maiore alacritate sequeremur, & iustissimum dominum ac pium patrem, secundum sententiam beati Petri, filij imita-
1 Pet. 2 tione coleremus. Sic enim beatus Petrus ait, Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum ut sequamini uestigia eius, qui peccatũ non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius: Qui cum maledíceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iustitię uiuamus. Præstet autem dominus noster Iesus Christus ut gratia eius adiuti, ad uestigia eius sequenda properetis, & peccatis omnibus ac uitijs mortificati, ad sola uiuatis opera iustitiæ exercenda, gratias agentes patri deo cui est gloria & imperium, & domino nostro Iesu Christo & spirituisancto in secula seculorum, Amen.

In eodem festo, Sermo V

SER. IX L EGIMVS & fideliter retinemus quòd sub ipso principio nascentis mundi in primo homine fecerit nos deus ad imaginẽ & similitudinem suam. Ecce in hac die mutata uice factus est deus ad imaginem & similitudinem nostram. In primis de suis meliora contulit: In secundis de nostris inferiora suscepit, Per interdictę arboris gustum primi hominis incauta fragilitas
Gen. 3 tentauit appetere ambitione dãnabili domini sui diuinitatem, persuadente diabolo & dicẽte, Si de ligno hoc gustaueritis, aperientur oculi uestri, & eritis sicut dij. Ideoq; agnoscamus pij patris admirabilem bonitatem. Homo solicitãte inimico, deus esse uoluit per superbiam, & deus homo factus est per misericordiam. Innouatur in nobis quodã modo per Christi diuinitatẽ species illius antiqui & incipientis seculi, quando primus Adam de limi materia figuratur. Ecce etiam nunc secundus Adã quasi de intacta ac rudi terra uirginis de carne formatur. Ecce, inquam, iterum cessantibus naturæ legibus, nouus homo in nouam uitam solo deo operãte perficitur. Promittitur ergo filius uirgini per uisitationem spiritussancti. Qui non mirum si sine corruptione nascitur, qui de sanctifica-

tione suscipitur. Non enim decebat, ut qui nobis afferebat salutem, soli matri præriperet dignitatẽ. Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te. Dignũ planè erat, ut regali onustanda partu, prius cœlestis regis sanctificaretur ingressu. Vnde dominũ & saluatorem nostrum non ideo simplicẽ hominem credamus, q̃a ex homine nasci uidemus. Fas non est ut non deus credatur, cui descẽsuro ad terras à deo habitaculum pręparatur. Diuina itaq; operante potentia credentis uiscera fœcundantur, & in ligno mortali uitę arbor inseritur, & portans in se omnia uirtus ab infirmitate portatur, & qui terra mari cœloq; non capitur, intra unius corpusculi membra suscipitur. De creatura sua creator omniũ procreatur, & de riuulo suo fons magnus exoritur. Radix omniũ de uirgulto suo nascitur, & uitis uera palmitis sui fructus efficitur. Adest ecce exoptatissimus dies, gratia geminata resplendens, candore quidẽ consueti luminis illustratus, sed pręcipue radiantis ueri fulgore coruscus. O dies dierum omniũ nouitas, lucrum lucis & dispendium cæcitatis, in quo æternus sol de summa altitudine claritatis paternę descendens, uuluæ uirginalis aditum reserauit, & totius mundi caliginem fulgida coruscatiõe repressit. Ducite fideles Christi festiuissima gaudia, res nobis hodie ꝓfecta est noua quæ olim fuerat repromissa, ut sine uirginis detrimento pudoris, filium lactarent ubera genitricis. Hęc illa est nouitas Hieremiæ prophetæ uaticino nunciata, Faciet, inquit, dominus nouũ super terram. Et quasi quidam lucernam huius obscuritatis accẽdens, cõtinuo subiecit, Fœmina circundabit uirum, Hoc est, inquit, nouum quod super terram dico dominum esse facturum, quia fœmina circumdabit uirum. Aduertite fratres, & me potius uestro intellectu præcedite, Fœmina, inquit, circumdabit uirum. O fœmina super fœminas benedicta, quæ & uirum non cognouit, & uirum in utero circumdedit: quæ concubitu carnali non tangitur, & tamen carnea prole de spiritali semine gratulatur. Circundat Maria uirum angelo fidem dando, quia Eua perdidit uirum serpenti consentiendo. Facite, inquit, dominus nouum super terram. Vt igitur exhibendæ huius nouitatis tempus aduenit, cœlestis ad uirginem præmittit nuncius. Salutat angelus puellam uiri salutationis ignaram, terretur uirgo nouitate uerborum. Ad quam angelus, Ne timeas, inquit, Maria, inuenisti enim gratiam apud dominum. Ne, inquit, ad conspectum meũ mater domini mei terrearis, ego cõceptionis tuæ minister adueni, ipse me misit ad te qui est nasciturus ex te. Ipse tibi per me annunciat gaudiũ, cui placuit in utero tuo cum humana natura mysticum sociare coniugium. Inuenisti gratiam apud dominũ: Ecce concipies & paries filiũ, non cuiuslibet meriti hominem, sed totius mundi saluatorem. Ne, inquit, timeas. Abijce ab te omnem metum seculi, quæ conceptura es gaudium mundi. Reuolue Maria propheticam lectionem. Necq; enim te scientia diuinorum potest pręterire librorum, quæ ipsam plenitudinẽ paritura es pro-

phetarum. Recole in libro Esaiæ prophetæ uirginem quã legisti, & gaude quia tu esse meruisti. Tu ibi præsignata es uirgo, tu ecce concipies in utero nõ de uiro sed de spiritusancto, & grauida eris, & incorrupta manebis. Paries filium, & uirginitatis nõ patieris detrimẽtũ. At illa, Ecce, inquit, ancilla dñi, fiat mihi secundũ uerbum tuũ. Mox igitur angelus uirginis accepto cõsensu, cœlestis regionis accolas repetiuit: Et ecce subito secretum uirginis ineffabilis potentia penetrauit. Intrat artifex mundi angustias uentris humani, efficitur grauida mater intacta, & ecce tanquam sponsus de thalamo, Mariæ Christus procedit ex utero. Occultatur in membris infantis potentia maiestatis, deus pẽdet ad ubera genetricis. Pannorũ uilium squalore cõtegitur, durissimi suffert præsepis angustias, & totum misericors humiliter patitur, dũmodo mũdus qui perierat liberaretur. O beata infantia, per quã nostri generis uita est reparata. O gratissimi delectabilesq; uagitus, per quos stridores dentiũ æternosq; ploratus euasimus. O felices panni quibus peccatorum sordes extersimus. O præsepe splendidum, in quo non solum iacuit fœnum animaliũ, sed cibus inuentus est angelorũ. Lacta Maria creatorem tuum, lacta panem cœli, preciũ mundi. Postremo tu illi ut mater temporalẽ ministra substantiam, ut ipse nobis & tibi una cum patre & spiritu sancto uitã tribuat sempiternã. Quod ipse prestare dignetur, qui cũ patre & spiritusancto uiuit & gloriatur deus, Per omnia secula seculorũ, Amen.

In eodem festo, Sermo VI

SERMO X

Q VIS tanta rerũ uerborumq; copia instructus existat, qui huius dei gratiam dignis possit laudibus prædicare? Vnde si huiusmodi nullus est, non erubescimus etiã si nobis nitidior dicendi facundia desit, uel mediocri tamẽ sermone partum sacræ uirginis, & ortũ dominici corporis disserẽtes conabimur explicare. Natalis est ergo hodie saluatoris charissimi, in quo lumen additum mundo est, & immortalitas quæ per peccatum perierat mortalibus reddita est. Natalis est hodie saluatoris, de quo angelus pastoribus dicit,
Luce 2. Natus est hodie saluator: de quo & ꝓpheta dicit:
Esaiæ 9 Filius datus est nobis, puer natus est nobis, Nascitur ergo quẽ regem gentium alius propheta testatur, & nascitur ex uirgine, sicut scriptum est, Ecce
Esa. 7 uirgo concipiet & pariet filium, & uocabis nomẽ eius Emanuel, quod interpretatũ est ex Hebraica lingua in latinum translata, nobiscum deus. Prædicamus hodie natum de uirgine saluatorem, & infantem in præsepio positum cum uigilantibus pastoribus moniti ab angelis adoramus. Exhibeamus fidem uirtutibus, reuerentiam sanctis testibus prębeamus, & Simeoni cognoscenti, & Annæ dominum confitenti, & Ioanni baptizanti, & Iordanis purgationi, & sancto spiritui descendenti, & cœlis apertis, & patri testimonium perhibenti, & uirgini permanenti, & stellæ fulgenti, & columbę descendenti, & ipsi domino omnem tentationẽ diaboli superanti. Hodie ergo peperit uirgo, qui deo filios faceret, qui sententiam præuaricationis excluderet, pœnam mortis eriperet, & uitam perpetuam credentibus condonaret. Portauit in utero filium mater, omnibus quæ sunt ante nutrimenta maiorem, & hũc fudit forma serui in terris, quem habent angeli imperatorem in cœlis. Peperit filium mater, à quo ipsa nutriretur potius quàm nutriret. Mortali aluo immortalem suscepit hospitẽ, & in terrestri hospitio cœlestem uirgo imperatorem suscepit. Beata uirginitas desinit esse iam mortis ancilla, quia illum intra se gestat in mente, quẽ Maria portauit in uentre. Nulli uirginitas seruituti succumbit, quia illum diligit, qui humano generi attulit libertatem. Cœlestis propago germinabat in utero, & in eximio partu uirginea uiscera coruscabant. Humanis gressibus portabatur pictura deifica, & in angusto pudoris cubiculo eum quem cœli non capiunt, sancta uirgo portabat inclusum, & peperit eum, non qui nascendo polluret parientem, sed qui à pollutione seculum delauaret. Sancta credidit, sancta cõcepit, sanctior efficitur post partum. Extitit autem ipsi uirgini ipse filius qui erat sponsus. Ipse genitus, qui erat genitor. Illic fuit paranympha credulitas, paranymphus archangelus. Mater sponsa, & ipse quẽ peperit Christus spõsus, quẽ sanctus spiritus copulauit: Gabriel angelus nunciauit, angelorum exercitus decantauit, & stella fulgida demonstrauit. Fecit grauidam uirginem ipse qui erat nasciturus ex uirgine. Expauit in partu suo mater, deus per angelum loquebatur, & uirgo auribus imprægnabat. Audiat omnis ætas quod nunquam audiuit. Virgo partu suo nupsit, uirginitatem dum pareret duplicauit, filium quem genuit adorauit. Cesset omnis solicitudo, Christus nobis uera securitas aduenit. Cesset omnis infirmitas, hodie saluator apparuit. Cessent bella, desinant lites, hodie pax uera de cœlo descendit. Cesset omnis amaritudo, hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli. Fugiat mors, quia uita nobis hodie de cœlo est data. Hodie super terram canunt angeli, lætantur archangeli, gloriantur prophetæ, inuitantur sancti, turbantur mali, gratulantur boni, uisum cæci recipiunt, auditum surdi, claudi gressum, leprosi mundantur, tristes lætificantur, infirmi sanãtur, & mortui resuscitãtur: Solus diabolus & omnia cum eo dæmonia contremiscunt, quia restauratur genus humanum per interitum diaboli. Christus uobis hodie redemptor apparuit. Probat ergo uirtutem domini, ordo nascẽdi, concepit uirgo, uirilis ignara consortij. Impletur uterus, nullo humano pollutus amplexu. Vide miraculũ matris dominici corporis, uirgo cõcipit, uirgo grauida, uirgo cum parturit, uirgo post partum. Pręclara ergo illa uirginitas, & gloriosa fœcunditas. Virtus mundi nascit, & nullus pariendi est gemitus. Vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen uirginitas uiolatur. Fas enim erat, ut domino ex uirgine secundũ carnem nascẽte meritum crescere castitatis, nec per eius adũtum uiolaretur integritas, qui ueniebat sanare corrupta. Nascitur ergo puer, ponit in præsepio. Hęc sunt enim domini prima cunabula, nec regnator

regnator cœli has dedignat angustias. Stat Maria & matrẽ se læta miratur, & de spiritusancto ꝓtulisse se gaudet: nec quia peperit innupta terret, sed quia genuerit cũ exultatiõe mirat. Nam cum seculo debitus saluatoris properaret aduentus, ad Mariam uirginẽ uenit spiritussanctus, ut fuerat ab
Luca 1 angelo ante prædictũ, dicente: Spiritussanctus ueniet super te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctũ, uocabitur filius dei. Recte ergo in eius aduẽtu cœlestia ueneramur, quẽ de cœlo uenisse manifeste cognoscimus, quẽ natũ ꝓ nostra salute dei patris & spiritus sancti uirtute cõperimus. Multis enim ante nũtiabatur indicijs, noua cœlo uentura progenies. Vides ergo charissime saluatoris ortum dei esse uirtutem, cũ de eo prophetæ non taceãt, & spiritussanctus fateatur. Quid pręclarius stellæ nũcio? Quid magorũ manifesta confessio? Quid prophetarum tam similis et tam cõtinuata sentẽtia? Vbiq; notus est dominus, ubiq; natus ex uirgine nunciatur. Et quoniã eum secundũ carnem natum ex uirgine diximus, nunc ea quæ spritaliter sentire possumus disseramus. Videamus ergo quę est illa uirgo tam sancta, ad quã spiritussanctus uenire dignatus est, quæ tã speciosa quã dominus elegit spõsam, quæ tam copiosa, cuius generationẽ cunctus orbis excipiat, quę tã casta ut possit uirgo esse post partũ. Nonne in figura Mariæ typum uidemus esse sanctæ ecclesiæ? Ad hanc utiq; sanctus descendit spiritus, huic uirtus obumbrauit altissimi, hinc potẽs uirtute Christus egreditur. Hæc est immaculata cõcubitu, fœcũda partu, uirgo & casta perpetuo. Hæc concipit non uiro sed spiritu, hæc parit non dolore sed gaudio, hæc nutrit non ubere corporis sed lacte doctoris, Hęc est igitur sponsa Christi & gentium magistra, quæ se plenam miratur & fœtam lætatur. In hac ergo die qua saluator nascitur, splendor lucis augetur, tenebrarũ caligo minuit. In hac die lux cœlestis credentibus redditur, & in ęterna nocte diabolica figmẽta dãnantur. In hac die lux crescit ex lumine, uirtutũ uirtus attollitur. Gloria æternitatis erigitur, reparationẽ suam domino secundum carnem nascente mũdus amplectitur. Plena sit ergo diei huius festiuitas, in qua deus nostri memor terrena uisitare dignatus est, & amissam mortalibus lucem aduentus sui claritate restituit, quia ipse est splẽdor & gloria æterna, dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

S. Maximi episcopi, SERMO XI

In eodem festo Sermo VII

I N aduentu dominico fratres charissimi solutus est omnis paternæ præuaricationis metus, quem diaboli dudum fraudib. incurrit circumuenta mortalitas. Adest em̃ nobis hodie cœli terręq; iudex, qui rescisso chirographo delictorum, reatũ nostrum miseratus absoluit. Ad est ille dominus, qui iugum captiuitatis antiquę à nostris ceruicib. soluẽs, mœrorẽ mundi æterna libertate lætificet. Adest rex ille mansuetus, qui per spacia totius orbis cœlestis iustitiæ gressibus incedens, superbientem furentis inimici conterat tyrannidem. Hodie nanq; parturiente Maria natus est nobis dei filius, ut germanę carnis nostræ conceptione productus, creato à se homini et pietatẽ paternam & fraternum largiretur affectum. Et natus sanè ab intacta est fœmina, ut eum pariter & hominem testaretur partus humanus, & deũ probaret æterna uirginitas. Nam sicut non poterat nisi caro de carne nasci, ita non poterat dei caro de fœmineo utero, nisi sine generãte ꝓdire. Propter quod ait angelus beatissimæ Mariæ, Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi, & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei. Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te. Idcirco tibi frater uirtutem sancti spiritus angelicus sermo prætexit, ne cõiecturis carnalis disputationis hebetatus, cœleste tibi ipse mysteriũ terrena argumentatione confundas. Aut non putas eum nouum puerum in aluo uirginis potuisse formare, qui cum primũ conderet hominem, nec semen patris, nec uiscera materna quæsuit? Dic itaq; quicunq; es supernæ dispẽsationis arbiter & discussor, quæ tibi uidetur uirtus eminentior, partum dedisse uirgini, aut perfectum hominem creasse de terra? Primus em̃ homo, ut ait Apostolus, 1. Cor. 15
de terra terrenus, secũdus homo de cœlo cœlestis. Si contra naturam esse contendis quod in mysterio redemptionis nostræ sine uiro puella asseritur concepisse, cuius quæso naturę est quod in parẽte generis nostri caro sine carne formata est. Quę est ista ratio, imò q̃ cæca contentio, ut non credatur deus facere hominem posse de fœmina, quẽ creditur de puluere fecisse? Si omnipotentis ò homo tali in negocio esse perspicis uolũtatẽ, de opere cur retractas? Omnia enim, sicut legit, dominus quæ Psal. 135
uoluit fecit in cœlo & in terra. Et si solicitus perscruteris, præter hunc legitimum humanę conceptionis usum, tres ualde mirabiles nascẽdi species operatam reperies trinitatem: & prima est quidem quòd Adam figuratus ex limo est, secunda quòd mulier formata de masculo, tertia quę et cœlestis est, q̃ Christus ꝓcessit ex uirgine. Quid horum non nouum, quid horum non mirabile, quid horum si non fidẽ sequamur, inquisitio poterit humana complecti? Quòd autem mystico hoc cõceptu uisitare mũdum suũ dei dignatus est filius, nostrę hoc salutis necessitas flagitabat, nimirũ ut cœlestis tandem generatio repararet, quod natiuitas terrena perdiderat. Sed fortassis hunc q̃ natus prędicatur ex fœmina, dum uilib. obuoluitur pãnis, dum iacere contentus est in pręsepi, dum lachrymosis uagitibus cõcrepat, dum maternis lactatur uberibus, deum esse diffidis. Imò per ista frater aduerte eum, & ut hominẽ infirma pro infirmis pertulisse, & ut deum potentiã exercuisse cœlestem. Hic nanq; qui sordentibus circundatur pãnis, regijs per Chaldæos muneribus honorat. Hic qui in pręsepi humilis iacet, lumine noui sideris coruscat in cœlo. Hic qui uagitus reddit infantię, angelici exercitus uocibus collaudatur. Hic qui fœmineo lacte nutritur, multa hominum milia paruissimo pane satiauit, Quid illud adijciam, quod deũ illum

illum & uerum dei esse filium resurgens à mortuis Lazarus probat, recepto lumine cæcus annunciat, uenerandis eius calcata uestigijs maris unda testatur, & quod præcellit hæc omnia, resultans è cœlo uox paterna confirmat. Propter quod dilectissimi tam magnum hoc natiuitatis dominicę sacramentum dignis uocibus honoremus. Diligamus præ omnibus castitatem, quia ut placere hãc sibi Christus ostenderet, pudicitiam uteri uirginalis elegit. Sectamur misericordiam, quia pietatis est quod saluamur. Iustitiam solicite teneamus, quia ad hoc unigenitus dei effici dignatus est homo, ut ueritatem prædicans, uniuersam mundi faciem damnata iniquitate purgaret.

In eodem festo, Sermo VIII

SER. XII F ILIVS dei idẽq; filius hominis dominus B noster Iesus Christus, sine matre de patre natus, creauit omnem diem, sine patre de matre natus consecrauit hunc diem, diuina natiuitate inuisibilis, humana uisibilis, utraque mirabilis. Proinde quod de illo Propheta prædixit, Generationem eius quis enarrabit? de qua potius dictum sit iudicare difficile est: utrum de illa ubi nunquam natus coæternum habet patrem, an de ista ubi aliquando natus in qua ut fieret iam fecerat matrem, utrum de illa ubi semper natus est, qui semper erat? Quis enim enarrabit quomodo natum sit lumen de lumine, & unum lumen utrunq; sit: quomodo natus sit deus de deo, nec deorũ numerus creuerit: quomodo uelut de re transacta dicatur quod natus est, cum tempus in illa natiuitate C nec transierit quo præterita esset, nec præcesserit quo futura esset, nec pręsens fuerit quasi adhuc fieret & perfecta non esset? Hanc ergo generationem quis enarrabit, cum id quod enarrandum est supra tempora maneat, sermo autem enarrantis in tempora transeat? Istam quoque ex uirgine generationẽ quis enarrabit, cuius conceptus in carne non carnaliter factus, cuius ortus ex carne ubertatem nutrienti attulit, integritatem parienti non abstulit? Quamlibet itaq; earum, siue utranque generationem eius quis enarrabit? Hic est dominus deus noster, hic est mediator dei & hominum, homo saluator noster, qui natus de patre creauit & matrem, creatus de matre glorificauit et patrem. Sine fœmineo partu unicus patri, sine uirili D complexu unicus matri. Hic est speciosus forma præ filijs hominum, sanctæ filius Mariæ, sanctæ sponsus ecclesiæ, quam suæ genitrici similem reddidit, Nam & nobis eam matrẽ fecit, & uirginem sibi custodiuit. Ad hanc quippe dicit Apostolus, Aptaui uos uni uiro, uirginẽ castã exhibere Christo: 2.Cor.11 De qua rursus dicit, Matrem nostrã non ancillam sed liberã, cuius multi filij desertę magis quã eius quæ habet uirũ. Est ergo & ecclesię sicut Marię perpetua integritas, & incorrupta fœcunditas. Quod eẽ illa meruit in carne, hęc seruauit in mẽte: nisi quòd illa peperit unũ, hęc parit multos congregandos in unũ per unũ. Hic est ergo dies quo uenit in mundũ per quẽ factus est mundus, quo carne factus est pręsens, uirtute nunquam absens, quia in hoc mundo erat & in sua uenit. In mundo A erat sed mundum latebat, quia lux lucebat in tenebris, & eam tenebrę non comprehendebant. Venit ergo in carne, carnis uitia mundaturus. Venit medicina in terram, unde curaret interiores oculos nostros, quos exterior nostra excęcauerat terra: ut eis sanatis qui fuimus antea tenebræ, lux efficiamur in domino, & non iam lux in tenebris luceat præsens absentibus, sed appareat certa cernentibus. Ad hoc sponsus processit de thalamo suo, exultauit ut gigas, amabilis & terribilis, seuerus & serenus, pulcher bonis, asper malis. Manẽs in sinu patris, impleuit uterum matris. In quo thalamo, id est, uirginis utero, natura diuina sibi copulauit humanam: Vbi uerbum caro factum pro B nobis à matre procedens, ubi habitemus præparat nobis. Hunc ergo diem læti solenniter celebremus, & ęternum diem per eum qui nobis æternus in tempore natus est fideliter exoptemus, Iesum Christum dominum nostrum, qui uiuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

In eodem festo: Sermo IX

OMINVS noster Iesus Christus fratres SERMO
D charissimi, qui in ęternum est cunctorum XIII
creator, hodie de matre nascendo factus est nobis saluator. Natus est nobis hodie in tempore per uoluntatem, ut nos perducat ad patris æternitatem, Factus est deus homo, ut homo fieret deus. Vt panem angelorum manducaret homo, dominus angelorum hodie factus est homo. Hodie C impleta est prophetia illa, quæ dicit, Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet saluatorem. Psal.45 Factus est igitur qui fecerat, ut inuenireẽ qui perierat. Sic enim in psalmis homo confitetur, Priusquam humiliarer, ego peccaui. Psal.118 Et iterum, Erraui sicut ouis quæ perijt. Peccauit homo & factus est reus, natus est homo deus ut liberaretur reus. Homo igitur cecidit, sed deus descendit. Cecidit homo miserabiliter, descendit deus misericorditer. Cecidit homo per superbiam, descẽdit deus cum gratia. Sic nanq; mater domini ab angelo audiuit, Aue gratia plena, dominus tecũ. Qui natus est primo sine matre in cœlis, hodie natus est sine patre in terris. O miracula. D ò prodigia fratres charissimi, naturæ iura mutantur in homine. Deus nascitur, uirgo sine uiro grauidatur, uiri nesciam sermo dei maritat. Simul facta est mater & uirgo, mater facta, sed incorrupta, uirgo habens filium nesciens uirum. Semper clausa, sed non infœcunda. Solus enim sine peccato est natus, quem sine uirili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis. Virgo concepit, sola uulneri nostro medicinam parere potuit, quæ non ex peccati uulnere germen piæ prolis emisit. O mira & inexquisita compago, ò noua & inaudita cõmixtio. Deus qui est & q̃ erat, fit creator creatura. Qui immẽsus est capitur, diuites constituens pauper efficitur, incorporeus carne uestitur, sermo crassescit, uidetur inuisibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incompre-

incomprehensibilis, immortalis occiditur. Quem cœlum & terra benedicit, in pręsepio angusto col A locatur. Numeratur in seculo, qui est ante secula. Christus Iesus heri & hodie, idem ipse & in secula. Heri dixit propter mortalitatem, hodie propter æternitatem. Merito hodie locuti sunt cœli, gratulati sunt angeli, pastores iocundati, Magi inuitati, reges turbati, martyres coronati, dæmones effugati. Igitur cum gaudio dicamus sanctæ uirgini Mariæ matri domini nostri Iesu Christi, dicamus & non confundamur: Lacta mater Christum, & dominum nostrum & cibum, Lacta panem de cœlo uenientem, & in præsepi positum uelut piorum cibaria iumentorum. Illic enim cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Circũcisio scilicet & præputium cohærendo lapidi an- B gulari, quorum primitiæ fuerunt pastores & Magi. Lacta eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te, qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus: & donũ uirginitatis nõ abstulit natus: qui sibi antequã nasceretur & uterum de quo nasceretur, & ciuitatem in qua nasceretur, & diem in quo nasceretur elegit, qui & ipse cõdidit q̃ elegit. Sic nãq; olim prædictum est, Mater Siõ dicit homo, & Psal.86 homo factus est in ea, & ipse fũdauit eam altissimus. O omnipotentia nascentis, ò magnificẽtia de cœlo ad terram ascendentis. Adhuc in utero portabatur, & ex utero matris à Ioãne baptista salutabat. Tũc ille Simeon senex famosus, annosus, ꝓbatus, coronatus, tunc cognouit, tunc adorauit, tunc di- Luc.2 xit, Nũc domine dimittis seruũ tuum in pace: quia uiderũt oculi mei salutare tuum. Differebatur exire de seculo, ut uideret natum per quem cõditum C est seculum. Agnouit infantem senex, factus est in puero puer. Innouatus in ætate, q̃ plenus erat pietate. Simeon senex ferebat Christũ infantem, Christus regebat Simeonis senectutẽ. Dictum ei fuerat à dño, quod non gustaret mortem nisi uideret Christũ deum natũ. Natus est Christus, & impletum est desideriũ senis, in mundi ipsius senectute. Ipse ad senẽ hominem uenit, qui mundũ inuetera tum inuenit. In isto quidẽ seculo diu esse nolebat, & Christum in hoc seculo uidere cupiebat, cantãs Psal.84 cum Propheta, & dicens, Ostende nobis domine misericordiã tuam, & salutare tuũ da nobis. Denique, ut noueritis ita esse istius lætitiam, conclusit dicens, Nunc dimittis seruũ tuum in pace, quia ui- D derũt oculi mei salutare tuũ. Prophetę cecinerũt conditorẽ cœli & terræ in terra cũ hominib. futurũ: Angelus nunciauit creatorẽ carnis & spiritus in carne uenturũ: Salutauit Ioãnes ex utero in utero saluatorẽ, Simeon senex deũ agnouit infantem, Anna uidua uirginem matrẽ. Hæc sunt testimonia natiuitatis tuę domine Iesu, anteq̃ tibi sternerentur fluctus maris, campi cederẽt imperanti, anteq̃ uentus te iubẽte siluisset, mortuus te uocãte resurrexisset, sol te moriẽte palluisset, terra te resurgẽte tremuisset, cœlũ te ascẽdẽte patuisset. Ad huc in manib. matris portabaris, & iam dominus orbis agnoscebaris. Vbiq; eẽ Christus dominus ei pulcher occurrebat. Pulcher in cœlis, pulcher in terris, pulcher in patre uerbum, pulcher in ma- A tre caro & uerbum. Pulcher in utero uirginis, ubi non amisit diuinitatem cũ suscepit humanitatem: Quia cũ hic esset, cum manibus portaretur, locuti sunt cœli, gauisi sunt angeli, magos stella duxit, adoratus est in præsepio. Pulcher ergo Christus in miraculis, in flagellis, in sermonibus, in uerberib. pulcher, nõ curans mortem, & mortuos suscitans. Pulcher in ligno, pulcher in cœlo, pulcher & in sepulchro. Quis igitur fratres charissimi nõ admiretur, non adoret primũ & nouissimum, initiũ & finem, α & ω? Quis, inquã, non adoret per quem aspirauit dies, effugatæ sunt umbrę? Natus est impe- 1 Cor.1 rator ut ablueretur peccator. Sic enim scriptum est, Infirma mundi elegit deus, ut confundat for- B tia. Dominus enim Iesus Christus, per carnem quam suscepit, tribuit nobis magnam spem, magnam consolationẽ, magnam gratiã. Natus est q̃d nõ noueramus, lactatus est à matre, suxit quod noueramus: Mercatus est à nobis quod hic abundat, nasci & mori. Resurgere & in æternum uiuere nõ hic erat. Inuenit hic uiles merces terrenas, & terrestribus attulit peregrinas & cœlestes. Si expauescis ò quisquis es auditor mortem Christi, ama resurrectionem Christi. Multi quidem contempserunt humilem Christum, & non peruenerunt usque ad altitudinem Christi. Qui autem adorauerunt humilem, inuenerunt excelsum. Audiunt Iudæi & dicunt, Noster est Christus. O Iudæi cæci, si uestrum agnouistis, quare occidistis? Dominus quidẽ suscepit circumcisionem, ablaturus ipsam circumcisionem. Suscepit umbram, daturus lucem. Suscepit figuram, impleturus ueritatem. Ipse quidem uobis legem dedit, sed in qua fuit Helisæus quando resuscitauit mortuum filium cuiusdam religiosæ, in ea figura data est lex. Hoc factũ est. Nunciatus est Helisæo mortuus infans, dedit seruo suo baculum, & ait illi, Vade, inquit, & po- 4.Reg.4 ne baculum super puerum & reuiuiscet. Accepit seruus baculum, posuit super puerum & non resurrexit. Propterea Iudæi legem accipere potuerunt, bibere illam non potuerunt. O tu Iudæe, audi legem mutatam si uis mutari: Si nõ uis mutari, in uetustate habes damnari. Noli amare ueterem tunicam, pater tuus crucifixit Christum, tu odisti, ille manu, tu corde, ambo facinus implestis. Dis- C pliceat tibi quod fecit pater tuus: audi quid dicit dominus tuus, Pater, inquit, in me manens, ipse mihi mãdatum dedit quid dicam & quid loquar, & scio quia mandatum eius uita æterna est. Si mãdatum patris uita æterna est, si uerbum patris est uita æterna, qui loquebatur erat uita æterna. Non ergo fecit aliquid à se, quia non est à se. Sed à quo est? A patre. Pater enim deus sed non de deo, filius autem deus sed de deo. Ideo filius, quia de deo genitus est, & semper filius sine initio genitus & tamen genitus. Et quomodo hoc intelligatur audite, Expectatis à me, audite Prophetam per me, Generationem eius quis enarrabit? Multa di- Esa.53 ximus de eius generatiõe, sed ea quę de matre est. Cæterum quomodo natus est de patre in cœlo,

quis poteſt explicare? quis poteſt enarrare uel inueſtigare? Teneamus nos ad iſtam humanã natiuitatem, per quã nobis deus donauit gratiam. Gratia, inquam, donata, non merces eſt reddita. Qui creauit ſanat, per ipſam leuat ruentem, per ipſam curat ægrotantem, per ipſam coronat uincentem. Ipſa eſt fides, ipſa eſt ueritas: Hoc eſt Chriſtianę fidei fundamentum, quia unus homo per quem ruina, alius homo Chriſtus per quem ſtructura. Cecidit qui non manſit, erigit qui non cecidit. Ruit ille qui dimiſit manentem, manens Chriſtus in patre deſcendit ad iacentem. Ipſe puer paruulus ex ſemine Iſrael, & ipſe nobiſcum deus Emmanuel. Quæ eſt illa noſtri generatio Saluatoris, quia gignenti patri coęternus eſt, quãdo hanc generationem ex uirgine mundus expauit, quam pia fides agnouit & tenuit, infidelitas autẽ irriſit, ſuperbia timuit ſuperatar? Quęnam eſt illa generatio, qua in principio erat uerbũ, & uerbũ erat apud deũ, & deus erat uerbũ? Vel quod eſt hoc uerbũ quod dictu rus antea nõ ſilebat, quo dicto non ſiluit qui dicebat? Quod eſt uerbũ ſine tempore, per quod facta ſunt tẽpora, uerbũ quod labia nullius aperuit cœptum, uel clauſit finitum, uerbũ quod initium non habet ex ore loquẽtium, & aperuit ora mutorum, uerbum quod linguis gentium diſertis non fit, & linguas infantium diſertas facit? Quænam eſt illa generatio cui pater moriendo non cedit, quia nõ eum uiuendo præcedit, aliena ab omnibus locorum temporumq; interuallis, ab omni diſtentione ſpatiorum, quam uel in diebus uel in corporibus ſentire conſueuimus? Leuemus ad eum quantum ipſo adiuuante poſſumus animam noſtram, ſi quo modo capere ualeamus & natum non preuenientem qui gignit, & gignendo non ſubſequentem qui gignitur, patrem & filium: nec pariter patres, nec pariter filios, & pariter ęternos: nõ utrunque generantẽ, nec utrunq; naſcentẽ, ſed alterum ſine altero non uiuentem, & patrem ſempiternum genuiſſe, & filium ſempiternum natum eſſe. Cogitemus ſi ualemus, ſi non ualemus, credamus. Non eſt hic quod dicere uolumus, ſed tamen non lõge poſitum eſt ab unoquoq; noſtrum. In illo enim uiuimus, mouemur & ſumus. Tranſcendamus carnem noſtram in qua parentes ante filios uiuunt, quia ut filios poſſent generare creuerunt, & filijs creſcentibus iam ſeneſcunt. Nondum natis filijs parentes uixerunt, quia & parentibus mortuis filij uiturri ſunt. Tranſcẽdamus & animas noſtras, pariunt & ipſę aliquid cogitando quod ſecum habẽt ſciendo, ſed poſſunt amittere obliuiſcẽdo, quia & non habebãt antea naſcendo. Cuncta corporalia & tẽporalia & mutabilia tranſcendamus, ut uideamus ſuper omnia, per quẽ facta ſunt omnia. Aſcenſus noſter in corde eſt, quia & illud quò aſcẽdimus prope eſt. Longe aũt ab illo ſumus, inquantũ diſſimiles ſumus. Aſcẽdit ergo ad eum ſua ſimilitudo, quam in nobis fecit & refecit: quia nõdũ perfecte palpitat infirmus aſpectus, & ineffabilẽ cãdorem lucis æternę non poteſt intueri. Cuius ergo fulgorem mentis acies nondũ capit, generationem eius quis enarrabit? Sed uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Hanc ergo generationẽ cuius hodiernum celebramus diem, hanc in qua dignatus eſt uenire per Iſrael, & fieri Emmanuel nobiſcum deus in carnis infirmitate, non nobiſcum in cordis iniquitate, accedens ad nos per id quod aſſumpſit ex noſtro, & liberãs nos per id quod manſit in ſuo. Viſitauit quippe dominus ſeruos ſuos per mortalem infirmitatem. Hanc ergo generationem cuius utcunq; capax eſt humana fragilitas, nõ illam quę ſine tempore manet, ſine matre ſuper omnia, ſed iſtam quæ in tempore facta eſt ſine patre inter omnia. Hunc uirginis filium & uirginũ ſponſum, de incorrupta matre naſcentem, & incorruptibili uerítate fœtantem laudemus, amemus, adoremus, ut in eius miſericordia de aſtutia diaboli fiſi triũphemus. Veniamus ad eum credẽdo, proficiamus gratias agẽdo, agnoſcamus perſeuerãdo. Veniamus ad illum, & inter nos concordemus. Quare de eius natiuitate litigamus? An ut medico uocante non audiamus? O infelix infirmitas, uenit ad ægrotum medicus, & litibus uacat ægrotus. Celebremus ergo natalem non humanæ deuotionis, ſed diuinæ dignationis, non infirmitatis, ſed æternitatis, non formationis, ſed reformationis domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In eodem feſto: Sermo X

Ser. XIIII

FRATRES dilectiſſimi, hodie dies illuxit in quo Chriſtus ex uirgine carnem ſuſcepit. Humilitatis induere uoluit formam, ut à peccatis liberaret animas noſtras. Tranſgreſſio illius primi hominis totum deceperat mũdum, ut nullum eſſet ſalutis remedium, niſi Chriſtus adueniret è cœlo. Gaudebat teterrimus draco, quia uenenum prępararauerat homini nouo. Sed ad hoc deſcẽdit Chriſtus in uterum uirginis, ut exinde humana ſuſciperet mẽbra quę traderet cruci, & mortem induceret antiquo draconi. Vſus enim fuerat diabolus conſilio malo, ut per ſerpentẽ mulierilo queretur, & diabolus non agnoſceret. Sed hic qui de cœlo deſcendit ad nihilũ redegit illum, ut deus dei filius humanũ ſuſciperet corpus, tendens ei laqueũ mortis, ut per uiſionẽ uidelicet carnis quaſi ad hominẽ ſolum tentator accederet, & deũ penitus ignoraret. Videbat carnẽ, ſed ignorabat domini maieſtatem, cernebat infirmitatem, & non uidebat deitatem. Remanſit cõfuſus diabolus, dum in homine apparuit dñs. Sic à deo patre deus deſcendit, unde nunquã diſceſſit. In cæteris erat & cœlos nõ deſerebat, ſicut ipſe dominus ait, Nemo aſcendit in cœlũ, niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo. In terris ut homo loquebat hominibus, & in cœlo eſſe fatebat ut deus. Et deitas nõ minorat cum infirmitas aſſumit, & illud quod nõ erat accepit, & deus manſit quod ab initio fuit. Quod em homo fuit nobis, pfuit, ſibi nihil minuit. Exinaniuit plenitudinem deitatis, formã ſuſcepit humilitatis, & patri manens ęqualis. Talis eligitur uirgo de toto ſcilicet mũdo, quæ tantum haberet

meritum ut dei filium in ſemetipſam ſuſciperet, & poſt partum omnimodo uirgo permaneret. Aue, inquit, Maria gratia plena, dominus tecum, benedicta tu inter mulieres: Quia ecce concipies & paries filium, & uocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorũ. Virginitatis iura ſeruabis, filium habebis, & nomen uirginis non amittes. Tanta eſt enim diuina illa potentia, ut & matrem reddat fœcundam, & uirginitatem ſeruet illæſam. Ideo benedicta inter mulieres, quia ex ſpiritu ſancto concipies, ubi nõ eſt carnalis maritus, ſed diuina dinoſcitur uirtus. Lactabis infantem propriũ, creatori ſuccum porrigis lactis, & cibis cœleſtibus ſatiaris. Pannis inuoluis puerum, qui tibi immortale condonauit indumentum. In præſepio ponis infantilia membra, qui cœleſtem tibi pręparauit mẽſam. Omnia quæ nutriciæ cauſa debent circa puerũ celebremus, ut quod ipſe promiſit ſanctis ſuis, & tu ipſa libentius conſequaris. Quid multa? Exulta uirgo de tanto promiſſo, nuncius diſceſſit angelicus, & uẽtris hoſpitium ingreditur deus, qui uiuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

In eodem feſto, Sermo XI

Ser. XV

NATIVITAS domini noſtri Ieſu Chriſti, totũ mũdum noua aduentus ſui hodie luce perfudit. Hodie de cœlo deus deſcendit ad hominem, ut in cœlis homini prępararet aſcẽſum. Hodie accepimus natũ dei uirginis filium, omnium credentium ſaluatorem. Deus de patre, homo de matre, deus occultus, homo manifeſtus. Et quoniam diabolus per ſerpentẽ Euæ locutus, per Euæ aures mũdo intulit mortem, deus per angelum ad Mariam protulit uerbum, & cunctis ſeculis uitam effudit. Angelus ſermonem eiecit, & Chriſtum uirgo concepit. O coniunctio ſine ſordibus facta, ubi maritus ſermo eſt, & uxor auricula. Hoc ſplendore concipitur dei filius, hac munditia generat. Nulla fieri potuit grauedo cõcipienti, nulla triſtitia parturienti. Qui enim uenerat triſte lætificare ſeculum, uentris non contriſtauit hoſpitiũ. De cœlis medicus tranſiens per uirginem, poſt trãſitum ſuum illęſam fecit uirginẽ permanere. Qui enim d'rupta corporũ membra in aliis poterat integrare tangẽdo, quãto magis in ſua matre quod inuenit integrum non potuit uiolare naſcendo? Creuit enim eius partu integritas corporis potius q̃ decreuit, & uirginitas ampliata eſt potius quàm fugata. In anguſti corporis membro ſuſtinuit, quicquid ſuſtinẽt cœli. Plena ſunt uiſcera, & nullũ nouit uirginis conſcientia. Cũ eſſet grauida, ſalubri leuitate plaudebat. Lumen enim quod intra ſe habebat, põdus habere nõ poterat. Facta eſt Maria feneſtra cœli, quia per ipſam deus uerum fudit ſeculis lumen. Facta eſt Maria ſcala cœleſtis, quia per ipſam deus deſcẽdit ad terras, ut per ipſam homines aſcendere mereant ad cœlos. Ipſis enim licebit aſcendere illuc, qui deum crediderint ad terras per uirginem Mariam deſcẽdiſſe. Facta eſt Maria reſtauratio fœminarum, quia per ipſam à ruina primę maledictionis probantur eſſe ſubtractæ. Tria denicq; mala Euę, à trib. bonis Mariæ probant excluſa. Nam Euę dictũ eſt, In dolori bus & in triſtitia paries, & ad uirum cõuerſio tua, & ipſe dominabitur tibi. Tribus ergo his malis ſe ſubiugant fœminę quæ Mariã non ſequunt, dolori, triſtitiæ, ſeruituti. Maria aũt econtrario q̃ præclariſſimis tribus bonis ſublimetur auſculta, ſalutationis angelicæ, benedictiõis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic em eam legit ſalutaſſe, Aue Maria gratia plena, benedicta tu inter mulieres. Cum dixiſſet, Aue, ſalutationem illi cœleſtem exhibuit. Cum dixit, Gratia plena, oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenã benedictionis gratiã reſtitutã. Cum dixit, Benedicta tu inter mulieres, uirginitatis eius benedictũ fructũ expreſſit, ut ex eo benedicta dicat inter mulieres, quæcunq; perſeuerauerit uirgo, maledicta enim Eua fuerat, quã nunc credimus p Mariam ad benedictionẽ gloriæ remeaſſe. Venite uirgines ad uirginem & lætamini. Ponite maledictionẽ pręuaricationis, & benedictionẽ reſtaurationis aſſumite. Proijcite dolores quos Eua per ſerpentẽ accepit, & quos per angelum Maria ſuſcepit honores aſſumite. Pellite triſtitiam cõcipientis, gemitus parturiẽtis abijcite, ut ſolus uobis iſte uirginis filius dominetur. Venite uirgines ad uirginẽ, uenite cõcipientes ad concipientem, uenite parientes ad parientem, uenite matres ad matrem, uenite lactantes ad lactantem, uenite iuuenculæ ad iuuenculã. Ideo oẽs iſtos curſus naturæ uirgo Maria in dño noſtro Ieſu Chriſto ſuſcepit, ut omnib. ad ſe cõfugientibus fœminis ſubueniret: Et ſic reſtauraret omne genus fœminarum ad ſe uenientium noua Eua ſeruando uirginitatem, ſicut omne genus uirorum Adã nouus recuperat dominus Ieſus Chriſtus, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Gen. 3

Lucæ 1

In eodem feſto, Sermo XII

Ser. XVI

ODIE ueritas de terra orta eſt, Chriſtus de carne natus eſt. Gaudete ſolẽniter, & ſempiternũ diẽ hodierno quoq; admoniti cogitate, ęterna dona ſpe firmiſſima cõcupiſcite, filij dei eſſe accepta poteſtate præſumite. Propter nos tẽporalis effectus eſt temporũ effector, propter nos in carne apparuit mũdi conditor, propter nos creatus eſt creator, Quid adhuc mortales mortalibus rebus oblectamini, & fugitiuam uitã, ſi fieri poſſet, tenere conamini? Spes lõge clarior effulſit in terris, ut terrenis uita promitteretur in cœlis. Hoc ut crederet, res incredibilior prerogata eſt. Deos facturus qui homines erãt, homo factus eſt qui deus erat, nec amittens quod erat, fieri uoluit ipſe q̃d fecerat. Ipſe fecit q̃d eſſet, quia hominẽ deo addidit, non deũ in homine perdidit. Miramur uirginis partum, & nouum ipſum naſcẽdi modum incredulis perſuadere conamur, quòd in utero nõ ſeminato germen prolis exortũ eſt: & à complexu carnis uiſcera immunia filiũ hominis protulerunt, cuius patrem hominem nõ tulerunt: quòd uirginitatis integritas & in cõceptu clauſa, & in partu incorrupta permanſit. Sed plus

est mirãda misericordia, quòd ille qui sic nasci potuit, nasci uoluit. Erit enim iam unicus patri, qui unice natus est matri: & ipse factus est in matre, q̃ sibi fecerat matrem, sempiternus cum patre, hodiernus ex matre. Post matrem de matre factus est, ante omnia de patre non factus est, sine quo pater nunquam fuit, sine quo mater nunq̃ fuisset. Exultate uirgines Christi, cõsors uestra est mater Christi. Christũ parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis. Qui non ex uobis natus est, uobis natus est. Verũtamen si uerbi eius meminerítis, sicut meminisse debetis, estis etiam matres eius, quia uoluntatẽ facitis patris eius. Ipse enim di
Matth.12 xit, Quicunq̃ facit uoluntatem patris mei, ipse mihi frater & soror & mater est. Exultate uiduę Christi, qui fœcundam fecit uirginitatem, illi uouistis continentiæ castitatem. Exulta etiam castitas nuptialis, omnes fideliter uiuentes cum coniugibus uestris, quod amisistis in corpore, in corde seruate. Vbi iam non potest esse à concubitu caro integra, sit in fide uirgo conscientia, secundum quam uirgo est omnis ecclesia. In Maria Christum pia uirginitas peperit, In Anna Christum uiduitas parauum grandæua cognouit, in Elizabeth Christo coniugalis castitas, & anilis fœcunditas militauit. Omnes gradus fidelium mẽbrorum capiti cõtulerunt, quod ipsius gratię cõferre potuerũt. Proinde quia ueritas & pax & iustitia Christus est, hunc fide cõcipite, operib. edite, ut quod egit uterus Marię in carne Christi, agat cor uestrũ in lege Christi. Quomodo aũt nõ ad partum uirginis pertinetis, quãdo Christi mẽbra estis? Caput uestrũ peperit Maria, uos ecclesia. Nã ipsa quoq̃ & mater & uirgo est, mater uisceribus charitatis, uirgo integritate fidei. Pietatis populos parit, sed eius mẽbra sũt cuius ipsa est corpus & coniunx, etiã in hoc similitudinem gerẽs illius uirginis, quia & in multis mater est unitatis. Omẽs itaq̃ unanimes, castis mentibus & affectibus sanctis, diẽ natalis dñi celebremus, quo die sicut istum sermonẽ orsi sumus, Veritas de terra orta est. Iam em̃ & quod in eodẽ psalmo sequitur factũ est, Nam cum ille de terra ortus est, hoc est de carne natus est, qui de cœlo uenit & super omnes est, proculdubio cum ascendit ad patrem, etiam iustitia de cœlo prospexit. Hãc em̃ iustitiã uerbis suis ipse cõmendat, in promittẽdo spi
D ritum sanctum, Ipse, inquit, arguet mundũ de pec
Ioan.16 cato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato q̃dẽ quia non crediderũt in me. De iustitia uero, quia ad patrẽ uado, & iam nõ uidebitis me. Hęc est iustitia quæ de cœlo prospexit. A summo enim cœlo egresso eius, & occursus eius usq̃ ad summum eius. Ne quisq̃ cõtemneret ueritatem, quia de terra orta est, cum sicut sponsus processit de thalamo suo, id est, de utero uirginali, ubi uerbum dei creaturæ humanę quodam ineffabili cõiugio copulatum est: Ne hoc ergo quisq̃ cõtemneret & quanuis mirabiliter natũ, & dictis factisq̃ mirabilẽ, tamen propter similitudinẽ carnis peccati nihil amplius Christum quàm hominem crederet, cum dictum esset, Tanquam spõsus procedens de thalamo suo, exultauit ut gigas ad currendã uiam: continuo subiunctum est, A summo cœlo egressio eius. Quod ergo audis, Veritas de terra orta est, dignatio est, non cõditio, misericordia est, non miseria. Veritas ut de terra oriretur de cœlo descendit, sponsus ut de thalamo procederet, à summo cœlo egressio eius. Inde est q̃ hodie natus est, quo die minor dies nullus in terris, à quo tamen incrementa dies sumunt. Qui ergo inclinatus est & nos erexit, minimum elegit diẽ, sed unde lux crescit: ipso suo tali aduentu, nos etiã tacitus tanq̃ sonitu magni clamoris exhortãs, ut qui pauper propter nos factus est, in illo diuites esse discamus, Qui propter nos formã serui accepit, in illo libertatẽ accipiamus, Qui propter nos de terra ortus est, in illo cœlum possideamus: Per dñm nostrũ Iesum Christum qui uiuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

In eodem festo: Sermo XIII

Ser. XVII

NATIVITATEM domini nostri Iesu Christi secundum carnem, ita Euangelista apertissime demõstrans ait, ut ostẽderet eum ex spiritu sancto & Maria uirgine natũ, propter hęreticorum astutiam, qui negant deum hominem suscepisse. Sed ideo dominus noster uirgineum sibi requisiuit hospitium habitandi, ut nobis ostenderet in casto corpore deũ portari debere. Ad hoc enim deus hominem suscepit in se, ut & nos deũ suscipiamus in nobis, sicut ip- Ioan.15
se dicit, Manete in me, & ego in uobis. O sacrum & cœleste mysterium in natiuitate domini. Cõcepit uirgo anteq̃ sponsum haberet, parit antequã nubat, & quod ad laudem pertinet nominis domini, & mater & uirgo cœpit esse post partum. Virgo enim cõcepit, uirgo peperit, uirgo post partũ illibata permansit. Quem cum portaret timuit, cũ pareret adorauit, quem cũ peperisset, minor erat mater q̃ filius. Grande nobis mysterium, diuina maiestas in Adæ figura præmisit. Sicut enim deus noster cum primum Adam facere uellet, non ex coniunctione uiri aut mulieris hominem ut esset effecit, sed accipiens terram, inde hominem diuina quadã arte formauit: ita sine uiri coniunctione deum in uirginali aluo incorporari dispẽsauit. Ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci,
D cur non licuit hominem sine homine per Mariam uirginem procreari? Quoniam sicut Adam ex terra uirgine figuratus est, ita & Christus ex uirgine natus agnoscitur. Ibi tunc flatus dei de terra uiuum hominẽ surgere fecit ad uitã: hic mundum spiritus sanctus de Maria uirgine Christũ hominẽ figurauit, in quo deus ad reparationẽ hominis habitaret. Adam enim ibi tunc nascit, hic renouatur & resuscitatur in Christo. Fuit similis reparatio, quomodo fuit & hominis creatio. Denique sicut tunc in aluo terræ saluator Adæ membra composuit, sic etiam nunc in uirginis aluo Christus sua membra cõposuit. O grandis patientia saluatoris, expectat nasci sua mẽbra q̃ fecit. Sed ideo ille uoluit nasci, ut nos iterum uiueremus. Deus latebat in homine, humiliata est uirtus ut pietas augeret, &

& quod ad laudem nominis eius pertinet, uisa est potestas minus uelle q̃ possit. Humiliauit se ut homo, nec horruit deus hominem induere, quem ad suam patrisq̃ imaginem figurauit, unde libẽs dei filius uoluit hoc esse quod fecit. Nam ideo deus noster filium suum misit ad hominem liberandũ, ut cui dixerat, Faciamus hominem, ipse etiam liberator esset qui fuerat & creator. Sed quare deus noster nascendo per uirginem, nos sic uoluit reformare ad uitam? Vt quia per mulierem in hunc mundum mors intrauit, salus per uirginem redderetur. Denicq̃ & quando Christus tertia die ab inferis resurrexit, primum mulieres per angelum adorantes occurrunt, quibus ideo iubetur resurrectionem apostolis nunciare, ut homini ostendere
B tur. Ecce per quam cecidistis in mortem, per ipsam uobis resurrectio mortuorum nunciatur. Mulier enim quia prior gustauerat, prior etiã resurrectionem uidisse monstratur, ut ne perpetui reatus apud uiros opprobriũ sustineret, quia quæ culpã nobis transfuderat, transfudit ei gratiã. Denicq̃ dominus noster ideo per casta uirginis mẽbra uenit ad terras, ut ostenderet deum castitatis esse autorem. Ergo sicuti deus noster nos suscepit in se, ita & deũ nos suscipiamus in nobis. Portemus ergo & nos deum in casto corpore, quẽ uirginis casta membra portauerunt. Christus enim magister est castitatis, & ideo qui castitatem non habet, portare Christum nõ potest. Sed & nos fratres charissimi qui deo credimus, ut semper Christum in cor-
C de nostro portare possimus, castos ac puros nos exhibeamus ab omni peccato, ut Christus habitare possit in nobis. Qui em̃ Christum non habet in se, Christianus non potest dici. Nec enim ita se extollere debet unusquisq̃, ut Christianum se nomine dicat tantum, & factis inimicum ostẽdat. Quõ est Christianus, qui cõtra Christi præcepta uenire cõtẽdit? Sed uos qui deo seruitis & eius pręcepta custoditis, potẽs est uobis concedere uitã æternã qui cũ patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

In eodem festo. Sermo XIIII

Ser. XVIII Nec hominis gauis nec erubiti. Gal. 6

ASTISSIMVM Marię uirginis uterũ, sponsi uirginis clausum uentris cubiculum, filij uirginis signaculũ, merito pleniss
C ime collaudarem, si messem meterem quã nõ seminarem. Denicq̃ sic Apostolus dicit, Quęcunque seminauerit homo, hæc & metet. Verum est, omnino uerum est, hæc omnem hominem metere quæ seminauit, sicut ipse filius uirginis, in quadam lectione Euangelij ait, Meto, inquit, ubi nõ seminaui, & colligo ubi nõ sparsi. Dicat solus hodie natus ex uirgine filius Mariæ, Meto ubi nõ seminaui, & colligo ubi non sparsi. Dicat & Maria, Et ego te filium generaui, & uirginitatẽ meam nõ uiolaui. Regnum teneo uirginitatis, & regem genui castitatis. Ingredientem & egrediẽtem habui in palatio uentris filium imperatoris, & de manibus meis non amisi clauem regni pudoris. Porta facta sum cœli, ianua facta sum filio dei. Illa porta facta clausa, quam in uisione diuina Ezechiel uidit propheta, de qua in me dicit prophetizãs, Vi-
A di portam in domo domini clausam, & dixit ad Ezech. 44
me angelus, Porta hæc quam uides non aperitur, & homo non transit per eam, & clausa erit in ęternum. Sed mirabilior prophetię adimpletio. Quid est porta in domo domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est homo non transit per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam? Et quid est quod dominus solus intrat & ingreditur per eam, nisi quia spiritus sanctus impręgnauit eam? Et quid est clausa erit in æternum, nisi quia Maria uirgo ante partũ, uirgo in partu, uirgo post partum? Dicat ergo Maria, Porta facta sum cœli, ianua facta sum filio dei. Illi facta sum ianua clausa, qui post suam resurrectionem ingressus est per
B ostia clausa: qui ingressus est paruus ad suos crucifixores, ad discipulos autem suos clauso cœnaculo ostij ingressus est claustra. Qui natus de uentre meo, me matrem dimisit intactam: adimpleuit uẽtrem meum diuinitate, & uterum meum non euacuauit castitate. Exiuit de uentre meo giganteo cursu magnificus, & uenter meus non est pudore uacuatus, nec in cõceptione inuenta sum sine pudore, nec in parturitione inuenta sum cum dolore. O mira & laudabilis inter fœminas, in qua ab angelo salutatur uirginitas, sola impręgnata nec uitiata: exonerata, nec uacuata, quia sic est ab angelo salutata, Aue Maria gratia plena dominus te cum. Felix umbilicus castitatis, quem amplexus non tetigit maritalis. Considero cõceptum tuum
C beata uirgo, & expauesco. Intueor partum, & contremisco: adoro filium tuum, & reuiuisco. Enarra obsecro mihi, quomodo meruisti dici mater domini, & sponsa filio dei? Quod rogo indica mihi, sed tamen colloquenti tecum ignosce mihi. Ignosce, inquã, mihi quod audeam seruus, utinam uel bonus, & non etiam inutilis & malus seruus, & ideo malus seruus, quia non tecũ cum tremore loquor ut seruus: ignosce ergo mihi quod audeam cum sponsa domini mei fabulari, & tamen indica mihi quomodo poterit dei filius per te generari. Audite fratres, audite Mariam nobiscum loquentem, carne absentem, spiritu præsentem, uerecundia uirginitatis uultum auertentem à collocutore, & indicantem quomodo impręgnata sit à creatore.
D Eram, inquit Maria, in domo mea, puella Iudæa, ex semine Dauid regis generata: adulta facta sum, & desponsata sum coniugi, & placui alteri, non interueniente adulterio, sed intercedente spiritu sancto. Desponsata sum homini Iudęo, & placui homini deo. Desponsauit me uir Iudæus, & amauit me Christus deus. Ignorauit quidem sponsus meus Ioseph quod me amasset deus meus, putauit quod adulterio impręgnatus esset uenter meus. Nam ignaro Ioseph sponso meo, uenit ad me quidam magnus Christi paranymphus, nõ patriarcha primus, aut propheta egregius, sed Gabriel ille archangelus, facie rutilans, ueste coruscãs, ingressu mirabili, aspectu terribili, uisitauit & perturbauit me, salutauit & grauidauit, dixitq̃ mihi: Aue gratia plena, dominus tecũ. Dominus, inquit,

tecum

tecum, ſed pluſquã mecum. In me autem licet ſit dominus, me metipſum creauit dñs, per te autem genitus eſt dominus. Ita eſt dominus tecum, ut ſit in corde tuo, ſit in utero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam, procedat formoſus de utero tuo, tãquam ſponſus de thalamo ſuo: egrediat rex de cubiculo ſuo, procedat princeps ex aula regali, ita ut uirginitatem tuam non faciat uiolari. Dixitq; ei, Quomodo fiet iſtud, ut ego graueſcam pudico & immuniſſimo marito, quoniam uirũ penitus nõ cognoſco? Deſponſata ſum homini iuſto, ſi cum illo non conuenero, unde erit quod generabo? Sed ſi poteſt fieri ut concipiam intacta & generem clauſa, indica modum, & paratum inuenies cor meum. Omnib. enim modis exopto me ego deo meo ut habeam prolẽ, & non perdã pudorem. Refert angelus Gabriel modum conceptionis, quod in uerbo fieret ſaluatoris, & ita ait ad eam, O inquit Maria uirgo dei, ſponſa dei, dilecta dei, famula dei, mater dei, ſi hũc à me modum requiris, quomodo uirgo cõcipias, uirgo parias, & poſt partum uirgo permaneas, uel quomodo fiat in te qui fecit te, audi me, & ne perturberis, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ita enim te uirtus altiſſimi obumbrabit, ut nec æſtũ patiaris libidinis, & mater ſis creatoris. Neſcit interea Ioſeph Mariæ ſponſus, quid cum Maria ageret angelus, ſubitoq; Ioſeph intuitu familiari & licentia maritali, aſpicit Mariam coniugem ſuam, uidit eam greſſibus grauari, intellexit Mariæ uterum grauidari. Turbatur Ioſeph homo iuſtus, quod Mariam nunquam de templo domini acceperat, & nõdum cognouerat, & grauidam ſentiebat, & quam non meruerat in coniugij honorem, iam haberet in confuſionẽ, ſecumq; diu æſtuans deputat dicẽs, Vnde hoc cõtigit quod euenit? Non cognoui, non noui, non tetigi, non uiolaui, non grauidaui, heu heu quid cõtigit, quid putas euenit, per quem Maria ſic cecidit, quem ſibi pluſquam me adulãtem inuenit? Ego enim cum licentiam haberem maritalem, ante thorum nuptiarum puellarem non uexaui pudorem. Timui, multumq; pertimui, quod in illo Moyſitico libro legis ſententiale uerbum perſcriptum cum legeretur, audiui. Quòd quæcunque uirgo paternam domum fœdauit adulterio, morienda lapidibus ſubiacebit. Similiter & uir qui pudoris ueſtimentum patri nõ detulerit, coramq; teſtibus replicauerit, pudorisq; ſignaculum non demonſtrauerit, moriendus & ipſe cum uirgine erit. Vtroſq; ergo libidinarios hac Moyſes ſentẽtia ferire uoluit, ſimulq; adulteros perire mandauit, Sic nanq; ait, Auferte opprobrium de domo Iſrael, & omnis qui audierit timebit, & nõ aget impie. Hãc Moyſi ſentẽtiam præcauebam, ipſamq; luxuriam in meo corpore refrenabã, maximeq; quia Dauid filium me eſſe ſciebam, & regali me functũ ſacerdotio prenoſcebam. Sed quoniã nihil mirum eſt, nihil nouum, nihil occultum, nihil abſconſum q̃d non reuelabitur, & occultum quod non in publico ueniat, in Dauid regis filia, recolo hiſtoriam.

A Dauid rex Vriæ Cethei mulierem audacia extulit regali, nec eum timor terruit parentalis. Quid ergo faciam? quid agam? Anxior, gemo, doleo, curro, conſilium quæro, nec penitus inuenio. Prodo adulterium, aut taceo propter opprobriũ? Si prodidero, adulterium quidem non conſentio, ſed neuum crudelitatis incurro, quia ſecundũ libri Moyſi ſententiam, lapidandam eſſe cognoſco. Si tacuero malum conſentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum eſt, adulterium prodere peius eſt, ne per me fiat homicidiũ, dimittam eam coniugio. Cogitauit, inquit, ſicut Euãgelium dicit, occulte dimittere Mariam coniugem ſuam. Cogitauit quod eſſet rea de adulterio, cum iam eſſet deterior in mente huius ſuſpicionis mala cõceptio. Sed non timeat Maria Dauid illius magni regis filia, quoniam ſicut in Dauid ueniam cõtulit ſermo propheticus, ſic Mariã liberat angelus ſaluatoris. Veniat mater domini caſta, in qua non fuit uirilis appetitio, ſed ſpiritus ſanctus: quam nõ uiolauit Ioſeph uir Iudæus, ſed ſolus impregnauit omnipotens deus: quę non cõmixta eſt, nec Ioſeph ſponſo, nec cognita alicui uiro, ſed ſoli omnipotenti deo. Inuoca uirgo ſancta deum tuum, Dauid patrem tuum, non illum Dauid adulterio fuſcatũ, & Vriæ Cethei homicidio diuulgatum: ſed illum dico Dauid forti manu pręliatum, diu cum diabolo altercatum. Mittat de cœlo angelum ſuum, & uiſitet in ſomnis ſpõſum ſuum. Suſpendat iudicium Moyſes ſuum, ne Ioſeph uindicet adulterium tuum. Parat itaq; Ioſeph animum in tempore, quo Mariã poſſit occulte dimittere. Ecce iterum uirginis ille paranymphus, non homo ſed Gabriel angelus ille conſpicuus, cœli curſor æquiſſimus, medio noctis libramine, dicit ad Ioſeph in uiſiõe, Ioſeph fili Dauid, cur tantũ tribularis, quid multum cõtriſtaris, cur in ſomno cogitando deſudas, quare uigilando triſtis ambulas, cur de Maria malam tibi ingeris ſuſpicionem, cũ ipſa tibi generatura ſit ſaluatorem? Aufer zelotypiæ animum ex ea, Ipſe enim eſt dominus qui impregnauit eã. Ideo triſtis eſt anima tua, quia quæcunq; legiſti in prophetia, nõ intellexiſti in Maria. Hinc eſt omnis triſtitia tua, quoniã ſpõſam tuam nondum cognoueris & grauidam ſenſeris, nec aliud in ea niſi adulterium ſuſpicaris. Ioſeph fili Dauid, natus nõ ſolum ex genere ſacerdotali, uerum etiam ex regali, filius prophetarum, ſocius ſcribarum. Ille deus qui ſcripſit mirabilia in lege ſua, ipſe fecit mirabilia in coniuge tua. Quid autẽ ſunt mirabilia, niſi quæ hominibus ſunt impoſſibilia? Mirabilia ergo dei in lege nõ legiſti, quod ſi etiam legiſti, quare non intellexiſti? Ipſa lex quam quotidie legis ſine graphio ſcripta eſt in tabulis lapideis. Lege & intellige q̃d panẽ in eremo terra produxerit, cuius ſemen in terra arator nullus induxit. Virga etiam Aarõ, annis ſiccata plurimis ſine aqua reuixit, in tẽplo floruit, nuces pduxit, quas clauſa ſub recto produxit. Ergo qui ſcripſit lapideas tabulas ſine ſtylo ferreo, ipſe grauidauit Mariã ſpiritu ſancto: & qui produxit panes in eremo

ſine ratione, ipſe impregnauit uirginem ſine corruptione: & qui fecit uirgã ſine humore folia germinare, ipſe fecit filiam Dauid ſine ſemine generare. Proſtremo filij Dauid Ioſeph, fili prophetarum, legiſti Eſaiam eximiũ prophetarum quid dixerit, quemadmodum ſcripſerit, Ecce uirgo in utero accipiet & pariet filium, & uocabunt nomen eius Emanuel. Quod ergo legiſti in libris tuis, aſpice in Maria oculis tuis, ut digne dicas canticũ Dauid patris tui, Sicut audiuimus, ita & uidimus in ciuitate domini uirtutum, in ciuitate dei noſtri. Aſpice ergo Mariam coniugem tuam, ſemper de ea ſecurus & in nullo ſis ſolicitus: quia quod natum eſt in eius utero, non uocabitur filius Iudæi, ſed uocabitur filius dei. Habe ergo Ioſeph cũ Maria coniuge tua cõmunem uirginitatẽ membrorũ, quia de uirgineis membris uirtus naſcitur angelorum. Sit Maria ſpõſa Chriſti in carne ſua uirginitate ſeruata, ſis autem & tu pater Chriſti cura caſtitatis & honorificentia uirginitatis, ut de uirgineis membris genitricis, ſeculis Chriſtianis nulla ſit zelotypia. Magnum meritũ uirginitatis fratres. Virginitas Mariæ angeli ſalutatione eſt impregnata, & prægnans Mariæ uirginitas de utero in utero eſt ſalutata, & generans uirginitas Mariæ ab angelis eſt hodie collaudata, & lactans uirginitas Mariæ per ſtellam de cœlo eſt indicata, & magorum muneribus eſt honorata. Gaude itaq; Ioſeph nimium q̃ cõgaude uirginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti uirginalem affectum poſſidere coniugij, quia per meritum uirginitatis ita ſeparatus es à concubitu uxoris, ut pater dicaris ſaluatoris, qui uiuit & regnat in ſecula ſeculorũ, Amen.

In eodem feſto, Sermo XV

Ser. XIX G AVDEAMVS fratres, lætentur & exultent gentes. Iſtum diem nobis nõ ſol iſte uiſibilis, ſed creator ipſius inuiſibilis conſecrauit, quando eum pro nobis uiſibilem factum, à quo inuiſibili & ipſa creata eſt uiſcerib. fœcundis & genitalibus integris uirgo mater effudit. Cõcipiens uirgo, pariẽs uirgo, uirgo grauida, uirgo fœta, uirgo perpetua. Quid miraris hæc homo? Deum ſic naſci oportuit, quando eſſe dignatus eſt homo. Talẽ fecit illam qui eſt factus ex illa. Antequã fieret enim erat, & quia omnipotens erat, fieri potuit manens quod erat. Fecit ſibi matrẽ cum eſſet apud patrem, & cũ fieret ex matre manſit in patre. Quomodo deus eſſe deſiſteret cũ homo eſſe cœpit, qui genitrici ſuæ præſtitit ne deſiſteret uirgo eſſe cum peperit? Proinde cum uerbũ caro factum eſt, nõ uerbum in carnem pereundo ceſſit, ſed caro uerbo ne ipſa periret acceſſit, ut quemadmodum homo eſt anima & caro, ſic eſſet Chriſtus deus & homo, idẽ deus qui homo, & qui deus idem homo, nõ cõfuſione naturæ, ſed unitate perſonæ. Deniq; filius dei generanti coæternus ſemper ex patre, idem filius hominis eſſe cœpit ex uirgine: ac ſic & filij diuinitati eſt addita humanitas, & tamen non eſt perſonarũ facta quaternitas, ſed permanet trinitas. Non ergo nobis ſubrepat quorundam ſententia minus attentorũ in regulã

fidei, & in ſcripturarum oracula diuinarum. Dicũt A eẽ, Qui filius eſt hominis, factus eſt filius dei: qui uero filius eſt dei, non eſt factus hominis. Hoc ut dicerent quod uerum eſt attenderunt, ſed uerum eloqui non ualuerunt. Quid eẽ attenderunt, niſi quia humana natura potuit in melius cõmutari, in deterius autem diuina nõ potuit? Hoc uerum eſt, ſed etiã ſic, id eſt, nequaquã in deterius diuinitate mutata, uerbum tamẽ caro factum eſt. Neq; enim ait Euangeliſta, caro uerbum facta eſt: ſed ait, uerbum caro factum eſt. Verbum autẽ deus, quia deus erat uerbum. Et quid caro niſi homo? Non eẽ ſine anima in Chriſto hominis caro. Vnde ait, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Si ergo uerbum deus, & homo caro, quid eſt aliud uerbũ factum eſt caro: niſi, qui deus erat, factus eſt homo? B Ac per hoc qui erat dei filius, factus eſt hominis filius aſſumptione inferioris, nõ uerſione potioris: accipiendo ipſe quod non erat, non amittendo quod erat. Nam quomodo in regula fidei confiteremur, credere nos in filiũ dei qui natus eſt ex uirgine Maria, ſi non filius dei, ſed filius hominis natus eſt ex uirgine Maria? Quis enim Chriſtianus neget ex illa fœmina filium hominis natum, ſed tamen deum hominem factum, & ita hominem deum factum? Deus enim erat uerbum, & uerbum caro factum eſt. Confitendum eſt igitur, eum qui filius dei erat, ut de uirgine Maria naſceretur aſſumpta forma ſerui filium hominis factum, quod erat manentem, quod non erat aſſumentem. Eſſe incipientem quo minor eſt patre, & ſemper manentem in eo quod unum ſunt ipſe & pater. Nam ſi ille qui ſemper eſt dei filius, nõ eſt ipſe factus hominis filius, quomodo de illo dicit Apoſtolus, Qui Philip. 2
cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſeipſum exinaniuit formam ſerui accipiẽs, in ſimilitudinẽ hominũ factus & habitu inuentus ut homo? Neq; enim alius, ſed ipſe in forma dei æqualis patri, qui eſt utiq; unigenitus dei filius, ſemetipſum exinaniuit, in ſimilitudinem hominum factus. Neq; alius, ſed idem ipſe in forma dei æqualis patri, humiliauit non alium, ſed ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Quod totum non fecit dei filius, niſi in ea forma quæ eſt hominis. Item ſi ille qui ſemper eſt dei filius, non eſt ipſe factus homi- D nis filius, quomodo dicit Apoſt. ad Romanos, Se- Rom. 1
gregatus in Euangelium dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem? Ecce filius dei quod utique ſemper erat, factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnẽ quod non erat. Item ſi ille qui eſt dei filius, non eſt ipſe factus filius hominis, quomodo miſit deus filium ſuum factum ex muliere? Quo nomine ſecundũ Hebræam linguam non uirgineũ decus negatur, ſed fœminens ſexus oſtenditur. Quis enim à patre eſt miſſus, niſi unigenitus dei filius? Quomodo ergo ex muliere factus, niſi quia idẽ ipſe qui erat apud patrem dei filius, miſſus, factus eſt hominis filius? De patre natus ſine temporis die, de matre natus

hodie. Ita enim diem quem creauit in quo crearetur elegit, sicut factus est de matre quam fecit. Nam & ipse dies à quo deinceps incrementum lucis accipit dies, opus Christi significat, in quo interior homo noster renouatur de die in diem. Æterno quippe creatori in tempore creato ille dies debuit esse natalis, cui creatura congrueret temporalis, cui honor & imperium per infinita secula seculorum, Amen.

In eodem festo, Sermo XVI

A Ser. XX

HODIERNVS dies ad habēdam spem uitæ æternæ, magnum contulit gaudium generi humano. Primus enim homo quo cadēte omnes cecidimus, cuius ruina est mortalitas nostra, non est natus sed factus, patre nullo, nulla matre, sed deo operante. Hæc est hominis prima conditio, Adam de terra. Secunda cōditio est hominis, quia creauit fœminam de latere uiri. Tertia conditio est hominis, qua natus est homo ex uiro & fœmina. Quarta conditio est dei & hominis, qua natus est Christus sine uiro de fœmina. In istis quatuor conditionibus una sola nobis usitata est, cæteræ tres non sunt in oculis carneis, sed in fide cordis. De terra factum hominem sine patre & matre nouimus, nunquam uidimus, lecta & audita credimus. Tertia illa usitata est nobis ipsa quotidiana. De complexu maris & fœminæ quotidie nascuntur homines. Iam ergo erat una sine uiro & fœmina, iam erat tertia de uiro & fœmina, quarta restabat sine uiro de fœmina: sed ista quarta liberauit tres. Prima & secūda ruerunt, tertiam de ruina generauerunt, in quarta salutem inuenerunt. Exultent uirgines, uirgo peperit Christum. Nihil in ea quod uouerunt putēt exterminatum, mansit uirgo post partū. Exultēt uiduæ, infantem Christum uidua Anna cognouit: exultent cōiugatę, nasciturum dominum Iesum Christum Elizabet maritata prophetauit. Nullus gradus pręter missus est, de quo non haberet testimonium salus omnium. Nunquid enim solæ uirgines ad regnū cœlorum peruenient? Peruenient & uiduæ. Magni meriti fuit illa uidua sancta Anna quæ à uirginitate sua septem annis uixerat cum uiro suo: quo defuncto usque ad senilem ætatem peruenerat, & senectute sancta expectabat infantiam saluatoris, ut paruum uideret annosa, paruū agnosceret anicula, intrantem in mundum saluatorem uideret iitura. Et in masculino sexu tria ipsa genera commendata sunt, ipse Christus puer natus est, exultēt pueri, cōtinentiam uouentes puero. Ipse uero integritatē pueritiæ consecrauit, qui suæ matri fœcunditatē attulit, uirginitatē non abstulit. Simeon ille senex diu uixerat, cuius ætas comparatur Annæ, & audierat responsum quòd nō esset uisurus mortem, nisi prius uideret Christum domini. Intelligite fratres, quantū desiderīū habebant antiqui sancti uidendi Christum. Sciebant illum esse uenturum, & omnes qui piè uiuebant dicebant, O si hic me inueniat illa natiuitas, ò si quod credo in scripturis, uideam oculis meis. Et uos noueritis quantum desiderīū habebāt sancti qui nouerāt per scri-

D

pturas uirginē pariturā, sicut audistis cum Esaias legeretur. Ecce uirgo accipiet in utero, & pariet filium, & uocabis nomen eius Emanuel. Emanuel quid sit Euangeliū nobis aperuit dicēs, quod interpretatur nobiscū deus. Non tibi ergo uile sit quæcunque infidelis anima, non tibi uideatur impossibile ut uirgo pareret, uirgo pariēs permaneret. Intellige natum deum & non miraris uirginis partū. Vt ergo noueritis antiquos sanctos & iustos optasse uidere quod cōcessum est huic seni Simeoni: dominus noster ipse Iesus Christus ad discipulos loquens ait, Multi iusti & prophetæ uoluerunt uidere quę uos uidetis & non uiderūt, & audire quę auditis & non audierunt. Multū senex iste fuit ad audiendum serus, sed ad uidendum maturus. Non expectauit ut Christum audiret loquentem, quoniam agnouit infantem. Et hoc illi concessum erat iam decrepito, quasi desideranti & suspiranti & dicenti quotidie in orationibus suis, Quando ueniet? Quando nascitur? Quando uidebo? Putas durabo? Putas hc me inueniet? Putas isti oculi uidebunt per quem cordis oculi reuelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, & pro desiderio suo accepit responsum, ꝙ non gustaret mortē nisi prius uideret Christū domini. Gestabat eum Maria mater eius infantem, uidit ille & agnouit. Vbi nouerat quod agnouit? An intus est reuelatus, qui foris est natus? Vidit, & agnouit. Agnouit Simeon infantem tacentem, & occiderūt Iudæi iuuenē mirabilia facientē. Cum ergo cognouisset, accepit in ulnas suas, hoc est in brachia sua, amplexatus est eum. Portabat à quo portabat̄. Ipse enim est Christus sapientia dei, attingēs à fine usq; ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. Quantus ibi erat & quàm magnus, ꝙ paruus factus erat. Paruus factus, paruos quærebat. Quid est paruos quærebat? Non superbos sed humiles colligebat. In præsepi dignatus est poni, ut esset piorū cibaria iumētorum. Accepit eum Simeon in brachia sua & dixit, Nunc dimittis domine seruum tuū in pace. Dimittis in pace, quia uideo pacē. Quare ergo dimittis in pace? quia uiderunt oculi mei salutare tuum. Salutare dei, dominus Iesus Christus. Annūciate diem ex die salutare eius. Habetis ergo pueri puerum Iesum, sancti senes senē Simeonē. Si aūt quæritis ut & coniugatus aliquis uir testimoniū domino perhibeat, Zachariam cōsiderate. Nemo ergo quærat aliud fratres mei charissimi, fideles, aut uirgo, aut uidua, aut cōiugata, aut puer, aut cōtinens, aut uxoratus, quidquid plus esse quis uoluerit, nō inuenit quēadmodum ad Christū pertineat. Non inuenimus testimoniū perhibuisse Christo adulteros, fornicatores, immundos. Et ut à talibus ei testimonium perhiberetur, ipse pręstitit, ipse donauit. Non enim quisq; sanctus uiribus suis. Exultemus ergo charissimi, ab hodierno die crescūt dies. Crede in Christum & crescat in te deus. Credidisti, inchoatus est deus. Credidisti, natus est Christus in corde tuo. Sed nūquid Christus natus sic remāsit? Creuit, ad iuuētutē puenit, sed in senectutē nō declinauit. Crescat ergo & fides tua, robur inueniat, uetusta-

Esa. 7

Matth. 13

uetustatem nesciat. Sic pertinebis ad Christum filium dei, in principio uerbum apud deum, uerbū deum: sed uerbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Maiestas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat. In manus suas Simeon infirmitatē accepit, sed maiestatē intus agnouit. Nemo cōtemnat natum, si uult esse renatus. Ad illum ptinuit propter nos nasci, ad nos pertinet in illo renasci, qui uenit in hunc mundū peccatores saluos facere, Iesus Christus dominus noster, cui est honor & imperium in secula seculorum, Amen.

In eodem festo, Sermo XVII

Ser. XXI

ODIE puer natus est nobis, hodie filius datus est nobis, Puer, inquam, licet tenerītudine mēbrorum inualidus, sed inculpabili generatione præclarus. Hodierna em̄ natiuitas genitricem innocentiæ, puritas declarat authorem: hodie filius datus est nobis. Nunc nobis est datus, qui est ante secula natus. Datus in partu uirginis, filius de substantia genitoris. Cum igitur seruilem casam per ostium fidei speratus quondam dominator intraret, rubuit inuiolata uirginitas. Nec pessulum pudoris infregit, & in sacris uisceribus radius æternæ claritatis effulsit. Lætetur ergo omne mundi huius exilium, exultet seculum paulo ante captiuum. Misit deus filium suum qui naturam terreat, moriatur & uincat. Terruit nanque Herodem natus, uicit diabolum innocēs crucifixus. Cela domine sub pelle carnis animum uirtutis, habitū maiestatis paulisper occulta. Dege in utero uirginis, egredere & congredere ex tētorio sacræ uirginis. Apta pro me mulcipulā, ubi totam liberas creaturā. Sed tanti huius conceptus ac partus & causam & miraculum pertractemus. Vt igitur uitiorum sordibus obsoletus horribiliter squalesceret mundus, ab origine iam in paradiso captiuus, fœmina causa fuit. Sic etenim scriptum est. A muliere initiū factū est peccati, et per illam omnes morimur. Et Apostolus Paulus, Vir, inquit, seductus non est, mulier aūt seducta in præuaricatione facta est. Per hanc ergo mundus ęrumnabili seruitute depressus, sub iugo diaboli anxia colla submiserat. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Soluta igit̄ elementorū fœderata cōpage, diluuium hominem deleuit, crimen delere non potuit. Isaac sterilis non uirginis filius, crucis meruit signa portare. Apprehendi meruit, uinciri meruit, nō tamen aliquid mundo contulisset si potuisset occidi. Moyses aquis purificandum agmen solummodo eripit Iudaicum, non totum liberat mundum, exterminat Ægyptum non peccatum. Regem Pharaonem freto hiante subduxit, nō diabolum cum suis legionibus pernecauit. Dauid in iniquitatibus se fatur esse cōceptum, nec ipse ergo mundi potuit auferre peccatum. Cum per pleraq; igitur temporum gyrantium rotas mūdiale curriculum uolueretur, neq; quispiam mederetur, & in grauescentibus culpis ruinæ præcipitis ictu & fremitu totius orbis mēbra pluuescerent & nemo succurreret, ad fœminā causa reuertitur, & origo per originem detruncatur. Origo peccati, per genitricem Christi. Prosapies impietatis, per psapiē pietatis. Stirps mortis, per stirp̄ē uitę percutit̄. Hacte nus causam, nunc aptos obtutus miraculis reuelemus. Christū uirgo peperit, mutatur natura, deletur & culpa. Pręcisum est illud Euę infelicitatis elogium, In tristitia paries filios, quia ista in læticia dñm parturiuit. Illa em̄ luxit, ista reluxit. Illa lachrymas, ista gaudiū in uentre portauit, quia illa peccatorem, ista edidit innocentē. Christus seminauit non luxus, deus fuit non maritus. Virgo genuit, quia uirgo concepit. Inuiolata peperit, quia in cōceptu libido non fuit. Vtrobiq; miraculum, et sine corruptione grauida, & in partu uirgo puerpera. Matrimoniū in fide, partus in uirgine. Grabriel ille horū sponsaliū internuncius fuit. Quid dixerit, quid audierit referat, Aue, inquit, gratia plena, dominus tecum. A salutatione incipit qui salutem in lingua portauit. Sileat nūc à fœminis, sileat tortuosi serpentis male suadibilis sibilus, ad matrē dñi nostri angelus est locutus, Aue, inquit, gratia plena dñs tecū. Gratia referē pro culpa, plena dicitur nō uacua. Impleta est ergo gratia, & euacuata est culpa. Hoc modo & ipsa uenerabilis uirgo nostra in suo cantico plausit: Esuriētes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Aue, inquit, gratia plena, dñs tecum. Tecum in corde, tecū in uentre, tecū in auxilio. Gratulare uirgo, Christus rex è cœlo suo, uenit in utero tuo. Ex sinu patris in uterū dignat̄ descendere matris, sed nec regionē suam maiestas infinita deseruit, nec eum uirginalis aula dum accepit inclusit. Fides à terra in cœlū erecta est. Huic Christus insedit, & per ipsam in templū pudoris intrauit. Benedicta tu in mulieribus, quæ uitam uiris & mulieribus peperisti. Æde inculpabilis fœmina inuiolabilē uirum, ac sic & fœminā saluabis & uirum. Eua mater generis nostri pœnā intulit mūdo, genitrix dñi nostri salutē & fœminæ gessit & uiro. Auctrix peccati maledicta, auctrix meriti benedicta. Ita enim ad eam cœlestis nuncius infit, Benedicta tu in mulieribus. Genere sexuali omēs appellantur equidē cōmuniter mulieres, sed sunt etiam incorrupta uirginitate pudoris proprietate distantes. Illa occidendo obfuit, ista uiuificando profuit. Percussit illa, at ista sanauit. Pro inobediēntia enim obediētia cōmutatur, & fides pro perfidia recompensatur. Plaudat iterum organis Maria, & inter ueloces articulos tympana concrepēt. Excludat cantus digitis, pariat Christum ludentibus psalmis. Cōcinant lætantes chori, & alternantibus modis dulcisona carmina misceant̄. Musicū Maria inter iuuenculas melos exerceat, quia dulce uerbum plectris sancti spiritus modulantibus parturiuit, in terra Iudæa, quæ ipsa tympanum crudelitatis aptabat, & Christum in ligno tendebat. Postq; enim sceleris errabunda manus incompositis numeris discrepauit, cōfestim barbarus ille fragor truculenti stridoris infremuit, Crucifige crucifige. Reciprocato igit̄ die quo criminosa Ægyptus feriretur, tympanū Mariæ nostræ pulsatū uerbum edidit, & suæ linguæ pulsabulo puerpera nostra lætos sui oris cantus effudit. Audiamus igitur quem-

Eccl. 25

1 Tim. 2

Aug. to. 10

quemadmodũ tympanistria nostra cãtauerit, Magnificat anima mea dominũ, & exultauit spiritus meus in deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est. Causa igitur inualescentis errati miraculum noui partus efficit, & Euæ planctum Mariæ cantus exclusit. Denique post illius benedicibilis salutationis & præsagium & triumphum, tacita secum uirgo mentis alercatione cõfligit, qualis esset ista salutatio. Nuncius interim cœlestis exequitur, Ne timeas Maria, inuenisti gratiam ante deũ, Ecce concipies filium, & uocabis nomen eius Iesum. At illa dum scisscitatur modum, audit authorem sobolis deũ. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam uirũ non cognosco? Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideo quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei. Expandat nunc fides splẽdentis uteri pulchra tẽtoria, obumbret uirtus, spiritus sibilet naturali calore depulso, tenuis uirginẽ aura refoueat, & fluente refrigerio spiramentis cœlestibus uentiletur, aluus uirginalis sertis uerecũdiæ coronetur. Flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis uiola rutilet, purpurei spargantur flores, & uario nitore depictus Christi thalamus exornetur. Respõde iam uirgo sacra, Vitam quid tricas mundo? Assensum tuum angelus præstolatur, inde est quod nuncius iste moratur. Iam audisti, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi, ut prolem gignas, & uirginitatem non perdas. Ianua cœli quõdam per Adam clausa iam sonuit, per ipsam nuncius iste processit. Deus in porta est, angelum quem moraris expectat. O beata Maria seculum oẽe captiuum tuum deprecatur assensum, te deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur. Ipse prior qui offensus est misit, claustrũ quod iniquitas nostra cœlo infixerat reserauit. Est nobis aditus, si assensus tuus fuerit commodatus. Et nobis succurris & tibi, quia nobis pœna succussit, & tibi nuptias filio suo in tuo thalamo pater pręparabit. Deus in ipsis sponsalibus gaudijs relaxat quicquid eum offenderat mundus. O & tu angele tanti regis nuncie, & secreti diuini legate, qui ex palatio imperatoriæ maiestatis indulgentiã reddis criminosis, uitam mortuis, & pacẽ sacram attulisti captiuis, urge uirginẽ non de dei munere dissidentẽ, sed de muneris magnitudine cogitantem. Faue partibus seculi, conscius secretorum cœli: lætabuntur socij tui, si negocium iuueris mundi. Nos à uestro consortio impietatis mucro diuisit, per uos de reditu nostro tractatur. Inspice squalentem nostri carceris miseriã, & loquere festinus ad Mariam. Vsquequo moraris ò uirgo nuncium festinãtem? Intuere deum in cœli me uestibulo sustinentem, responde uerbum, & suscipe filium. Da fidem, & senti uirtutem. Pande sinus roseos uirgo ꝑpetua, fides tua modo aut aperit cœlũ aut claudit. Ecce, inquit, ancilla domini. Introeat rex in cubiculũ suum, Fiat mihi secundum uerbum tuũ. Nec mora reuertit nuncius, & nuptialem thronũ ingredit Christus. Accepit stolam carnis in thalamo uirginis, intra thesaurũ maiestatis sacculum carnis cessit. Diuinitati sponsat homo, præmium accipit caro. Procedit Christus quasi spõsus de thalamo suo, cũ præsagio nuptiarum exijt ad campũ seculi, cucurrit sicut gigas exultãdo per uiã: peruenit usq; ad crucis trophęũ, & ibi firmauit ascendendo coniugiũ, ubi cõsentiret alienantẽ in supplicijs creaturam, cõmercio pietatis se pro cõiuge dedit ad pœnam. Tradidit quoq; carbunculatã sui sanguinis gemmã, et copulauit sibi ꝑpetuo iure matronã. Aptaui uos, inquit Apostolus, uni uiro uirginẽ castam exhibere. Ecce nũc quæ fuerat fœta facta est ancilla, quia uidit uitam suam in ligno pendentẽ, & non credidit liberantem. Gaudeamus ergo fratres in cõmercio dei, & hominis, sponsi & spõsæ, Christi & ecclesiæ, saluatoris & uirginis, quę dum despõsaretur fabro, cœli nupsit architecto, Veneremur Christũ in præsepi, qui quadrifarium mundum repleuit in fide. Adoremus pãnos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ. Honorate pastores, qui primi mysterium ab angelis didicerunt. Plaudamus cuncti cum cœlestibus angelis officijsq; diuinis, & cœli & terræ pacem bonæ uoluntatis hominibus nunciemus. Date gloriam in excelsis deo, redempti credite datã pacem esse captiuis. Estote homines bonę uoluntatis, ut mereamini præmium libertatis, ipso donante qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

2. Cor. 11

In eodem festo, Sermo XVIII

Ser. XXII

V ENERANDA natiuitas Saluatoris, qui natus in carne est, humilitatis est instrumentũ, pietatis mysterium, & æternæ spei remediũ manifestum. Hac die est natus ex uirgine matre, qui ante secula æternus est genitus ex deo patre. In illa natiuitate ex impassibili nascitur genitore, ex ista incorrupta natus ex uirgine. Illam solus pater sciuit ipse qui genuit, hanc in se sola uirgo & mater intemerata cognouit, quæ uirum in concipiendo non pertulit. In patre impassibilitas, in matre incorruptibilitas. In patre perpetua diuinitas, in matre æterna uirginitas. Sic enim ad eam dominus loquitur per prophetam, Et despõsabo te mihi in æternum. Semper ergo uirgo est quæ semper sponsa est, & quæ uocabulo sponsæ non caruit, in ęternũ uirgo permãsit. Et despõsabo te, inquit, mihi in æternum: quia quæ sponsa æterna dicitur, æterna uirgo probatur. Ex patre inuisibiliter, ex matre uisibiliter. Et incomparabiliter ex patre, atq; incõparabiliter ex matre, quia incorruptibiliter in illa natiuitate patrẽ deum habet sine homine matre: in ista matrẽ habet uirginem, sed hominem nõ habet patrem. In illa coæternus & patris & coæternus authoris, in ista filius est uirginis & author est matris. Ipse eẽ formauit uterũ qui descendit in uterum, exiuit de utero & nõ corrupit uterum, ut qui deum patrem habet in cœlis, uirginem matrem haberet in terris. In illo sine tempore genitus, in ista in fine tẽporum natus. In illo nascitur

Osee 2

nascitur sine fine, in ista concipitur sine semine. In illo sine initio generationis, in ista sub conditione legis & carnis. In illo inuisibilis deus, in ista uisibilis homo per corpus, quia uerbum caro factũ est & habitauit in nobis. In illo impassibilis, in ista mortalis. In illo excelsissimus, in ista subiectus. Subiectus siquidem iniurijs passionis & mortis, mortis aũt crucis. Sed per hæc oẽia est gloriosus in cœlis, qui uictor in omnibus inuenitur in terris. Elegit sibi in qua nasceretur diem, qui fecit omnẽ diem, & non sine gratia prælationis cæteris est diebus habendus hic dies, in quo deus in hominẽ docetur fuisse promotus. Denique ex hodierno dies accepit incrementum, & augmenta sumit cursus sui, qui electus ad gloriã dei noscitur. Conceptus est eẽ æquinoctio uerno, & natus est solstitio hyberno. Et qua die est conceptus in utero uirginis, in ipsa resurrexit ab inferis cũ gloria passionis. Et in conceptu tamen & in natiuitate eius dies accepit incrementũ, & nascente uera luce, lucis & diei augmentatur officium. Aduertite interea fratres, aduertite dominicum sacramentum. In natiuitate eius dies proficit, in passiõe deficit, quia à sexta hora tenebræ factæ sunt per totam terram usq; ad horam nonam. Et quod imminutum est in passione, ampliatum est in resurrectione. Ecce est illud, Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam. Dies natiuitatis diei passionis, & dies passionis diei resurrectiõis. Nox natiuitatis nocti passionis, & nox passionis nocti resurrectionis annunciat uerbum. Illic natum, hic passum. In illa angelorum gaudium, in ista totius mundi luctum, sed tamen omnium in resurrectiõe triumphum: quia in uesperum abundabit fletus, & ad matutinum lætitia. Vesperum passionis, quando sequebatur eum multitudo populi, & mulieres lamẽtabant & plãgebãt, Matutinũ resurrectiõis, quo mulieres cum gaudio à monumento currebant, & discipuli cum gaudio ad monumentum festinabant. Elegit ergo hunc diẽ sibi ad natiuitatẽ, nobis ad felicitatẽ. Sibi ad obsequium, nobis ad gaudium. Sic enim pastoribus angelus prædicauit, Ecce, inq̃t, annũcio uobis gaudiũ, quod erit uniuersę terrę. Quare? Quia natus est uobis hodie saluator qui est Christus dominus, ut merito à nobis hodie cantandũ sit, Hic est dies quem fecit dominus, gaudeamus & lætemur in eo. Crescit ecce dies cum ortu nascentis, & lucratiuo prouentu uel successibus momẽtorum: noctisq; imminuto curriculo defectionẽ sentiunt opera tenebrarum. Die enim æterno nascente, augmentum debuit dies temporalis accipere. Nõ ut dies aliquid nascenti conferret, sed ut ex nascente dies prærogatiuã incrementi uel felicitatis acquireret, & fieret toti mũdo festiuus, in quo uerus deus homo natus est in carne perfectus. Oẽis ergo huius natiuitatis schola, humilitatis est officina, patientiæ massa, uirtutis agonia. Primum quia uoluit immensus & omnipotẽs dei filius, cuius incapabilis potentia & incomprehensibilis magnitudo cœlum simul ac mundũ cõtinet, ambit, amplectitur, excedit, tanta se angustia et subtilitate cõtrahere, ut intra uterũ uirginis clausus, & quod habebat in maiestate cõprimeret, et quod erat in uirtute celaret: tantaq; se humilitate deponeret, ut filius hominis esse uellet, qui dei filius nũquã esse cessaret. Sed hoc nõ nisi deus posset. Intra magnitudinem enim suã se occultasse cum potens sit, non humanæ infirmitatis, sed diuinæ uirtutis est. Nemo eẽ hominum se potest abscõdere aut celare quod nascitur, quia quanq; sit in omnibus natura mortalis, non potest tamen quisquã sibi derogare quod natus est. Deus aũt noster in eo potẽtiã maiestatis aperuit, cum se intra terminos humanę infirmitatis abscõdit: ut omnipotentẽ se in hoc maxime sacramento mõstraret, quo potestati suæ subijceret id quod per potestatẽ naturæ cœlestis oẽi subiectione liberũ permaneret. Natus enim deus ex deo patre homo esse uoluit: sed id quod deus antè natus est non amisit. Ita enim esse homo uoluit, & ideo quod hominis fuit non in ea qua natus est conditione permansit, Suscepit enim ex Maria uirgine hominem uerum, quẽ per resurrectionis gloriam leuauit in cœlum. Humilitas ergo Christi sublimitas est corporis nostri, quia cum humiliat dñs, exaltatus est homo, & ita exaltatus est seruus ut in dño simul fieret ipse quod dominus. Hoc beatissimus Paulus probat dicens, Qui transfigurauit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ, secundũ operationem, ut posset subijcere sibi omnia. Et iterum, Qui cum in forma dei constitutus esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ deo, sed semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens, in similitudine hominis constitutus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit se usq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & deus illum exaltauit, & donauit ei nomen quod est super omne nomen.

Psal. 18

Philip. 3

Philip. 2

Psal. 117

In eodem festo, Sermo XIX

Ser. XXIII

A VDITE filij lucis adoptati in regno dei fratres charissimi, audite & exultate iusti in dño, ut uos rectos possit decere laudatio. Audite q̃d iam nostis, recolite quod audistis, amate quod creditis, prędicate quod amatis: sicut anniuersarium celebratis hunc diem, sic huic diei debitum expectate sermonem. Natus est Christus, deus de patre, homo de matre. De patris immortalitate, de matris uirginitate. De patre sine matre, de matre sine patre. De patre sine tempore, de matre sine semine. De patre principium uitæ, de matre finis mortis. De patre ordinans omnem diem, de matre cõsecrans istum diem. Præmisit enim hominem Ioannẽ, qui tunc nasceret cum dies inciperet minui, & natus est ipse cum dies incepit crescere: ut eo hoc præfiguraretur quod ait idem Ioannes, Illum oportet crescere, me autem minui. Debet enim uita humana in se deficere, in Christo reficere, ut qui uiuit, iam non sibi uiuat, sed ei qui pro omnibus mortuus est & resurrexit: & dicat unusquisq; nostrum quod dicit Apostolus, Viuo aũt iam non ego, uiuit uero in me Christus. Illum oportet crescere, me autem minui. Laudant eum cõdigne oẽes angeli eius, quorũ cibus

Gal. 2

æternus eſt, incorruptibili eos ſagina uiuiſicans,
quia uerbũ dei eſt, cuius uita uiuũt, cuius æternita- A
te ſemper uiuũt, cuius bonitate ſemper beate ui-
uunt. Illi eñ cõdigne laudãt deũ apud deũ, & dãt
gloriã in excelſis deo. Nos aũt plebs eius & oues
manuum eius, pro modulo infirmitatis noſtræ pa
cem per bonam uoluntatem reconciliati merea-
mur. Ipſorum enim angelorum uera & hodierna
uox eſt, quam nato nobis Saluatore exultando fu
derunt, Gloria in excelſis deo, & in terra pax ho-
minibus bonæ uoluntatis. Laudant ergo illi com-
petenter, laudemus & nos obedienter. Sunt illi
nuncij eius, ſumus & nos pecora eius. Impleuit in
cœlo menſam ipſorum, impleuit in terra præſepe
noſtrum. Plenitudo menſæ ipſorũ eſt, quia in prin
cipio erat uerbũ, & uerbũ erat apud deum, & de-
us erat uerbũ. Plenitudo præſepis noſtri eſt, quia B
uerbũ caro factũ eſt, & habitauit in nobis. Vt eñ
panem angelorum manducaret homo, creator an
gelorum factus eſt homo. Illi fruendo, nos peten-
do. Illi capiendo, nos quærendo. Illi intrando, nos
pulſando. Quis enim hominum omnes theſauros
ſapientiæ & ſcientiæ nouerit in Chriſto occultos,
atq; in paupertate carnis eius abſconditos? Quia
propter nos pauper factus eſt cum diues eſſet, ut
illius paupertate ditaremur. Cum enim mortalita
tem aſſumeret, mortẽq; cõſumeret, in paupertate
ſe oſtendit, ſed diuitias dilatas promiſit, non abla-
tas amiſit. Quàm multa multitudo dulcedinis eius
quam abſcondit timentibus ſe, perficit aũt ſperan
tibus in ſe? Ex parte eñ ſcimus, donec ueniat q̃d
perfectum eſt. Cui capiendo ut idonei præſtare- C
mur, ille æqualis patri in forma dei, in forma ſerui
factus ſimilis nobis, reformat nos ad ſimilitudinẽ
dei: & factus filius hominis unicus filius dei, mul-
tos filios hominum facit filios dei: & nutritos ſer-
uos per uiſibilem formam ſerui, perficit liberos ad
uidendam formã dei. Filij enim dei ſumus, et non-
dum apparuit quod erimus. Et ſcimus quoniã cũ
apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus
eum ſicuti eſt. Nã qui ſunt illi ſapientiæ ſcientiæq;
theſauri, quæ illæ diuitiæ diuinæ, niſi quæ ſuffici-
unt nobis? Et quæ illa multitudo dulcedinis, niſi
quæ ſatiat nos? Oſtendet ergo nobis patrẽ, & ſuffi
ciet nobis. Et in quodam pſalmo quidã ex nobis,
Pſal.16 uel in nobis, uel pro nobis ait illi, Satiabor dũ ma-
nifeſtabitur gloria tua. Ipſe autem & pater unum D
ſunt, & qui ipſum uidet, uidet & patrẽ. Ergo dñs
uirtutum, ipſe eſt rex gloriæ. Conuertens nos,
oſtendet faciem ſuã: & ſalui erimus, & ſatiabimur,
& ſufficiet nobis. Dicat itaq; illi cor noſtrũ, Quæ-
ſiui uultum tuum, uultum tuũ domine requiram,
ne auertas uultũ tuũ à me. Et reſpondeat ipſe cor-
di noſtro, Qui diligit me, mandata mea cuſtodit.
Et qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego di-
ligam eum, & oſtendam meipſum illi. Videbant
eum oculis utiq; illi quibus hoc dicebat, et ſonum
uocis eius auribus audiebant, & humano corde
hominem cogitabant: ſed quod oculus non uidit,
nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit,
eũdem ipſum ſe promittebat oſtẽdere diligentib.

ſe. Qđ donec fiat, donec oſtẽdat nobis q̃d ſuffici
at nobis, donec eũ fontẽ uitę potemus & ſatiemur
interim dum ambulãtes per fidem peregrinamur
ab eo, dum eſurimus & ſitimus iuſtitiã, formæ dei
pulchritudinẽ ineffabili ardore deſideremus, for-
mę ſerui natalẽ deuoto obſequio celebremus. Nõ
dum cõtemplari poſſumus q̃d genitus eſt ante lu-
ciferũ à patre, frequentemus q̃d nocturnis horis
eſt natus ex uirgine. Nondũ capimus quod ante
ſolem pmanet nomẽ eius, agnoſcamus in ſole po-
ſitũ tabernaculũ eius. Nõdũ cõtuemur unicũ per-
manentẽ in patre ſuo, recordemur ſpõſum proce-
dẽtẽ de thalamo ſuo. Nõ dũ idonei ſumus cõuiuio
patris noſtri, agnoſcamus præſepe domini noſtri.

In eodem feſto: Sermo XX

VT hodie à me poſſit fratres chariſſimi Ser.XXIIII
maieſtas natiuitatis dominicę prædica
ri, per uos mihi à dño facultas eſt impe
tranda, quatenus ipſe uerbũ in ore ſuo conſtituat
ſacerdoti, nec noſtri oris dedigneť officiũ, qui no-
ſtræ carnis hodie dignatus eſt inire commercium.
Non enim fratres ineffabile diuinæ generationis
contendimus aperire myſterium, ſed noſtræ ſalu-
tis magnũ & mirabile geſtimus gaudiũ nunciare,
ſicut dixit angelus, Ecce annuncio uobis gaudiũ Luc.2
magnum quod erit omni populo. Nullum hodie
fratres conceptus, nullum terreat partus. Vbi eñ
uirginitas concepit, integritas parit, dei eſt uirtus
conſcientia nõ uoluptas. Audi angelum dicentẽ,
Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſſi-
mi obumbrabit tibi. Hodie fratres non inchoatur
deitas, ſed humanitas inchoatur: hodie natus eſt
non ſibi Chriſtus, ſed mihi. Accedite ergo ad eum
& illuminamini, & uultus ueſter non erubeſcet:
quia hodie in ſole poſuit, ſicut dixit Propheta, ta-
bernaculũ ſuũ. Diuinũ eſt fratres chariſſimi quod
geritur non humanum. Nunquam eſt nuda uirgi-
nitas, quę ęterno pudoris ſui honore decorať. Ad
domicilium caſtitatis angelus mediator aduenit,
ut regi aulam, deo templum, & cœleſti ſponſo tha
lamum procuraret. Naſcẽti enim dño nõ eſt abla-
ta ſed conſecrata uirginitas, quæ ipſa ſponſum ge
nuit ſui pudoris, ipſa cuſtodi prębet fidele ſeruitiũ.
Fœta ſed uirgo, uirgo ſed mater: ſterilitate eñ ca-
ruit, nõ pudore. Aſtat ſanctitas, ſynceritas, pudici
tia, caſtitas, integritas, fides, & omnes ſimul affue-
re uirtutes, ut intrepida famula ſuo utero portaret
authorem, & cœleſti paritura uirtute, ſexus ſui ui-
ctrix dolorẽ gemitumq; neſciret. Beata fœcundi-
tas, quę & honorem acquiſiuit maternum, & caſti
tatis pręmiũ non amiſit. Non ergo dedignatur in-
habitare quod eſt figurare dignatus: nec indignať
in ſe carnem cõtingere, quã cœleſti manu ante cõ
trectauit in puluere. Venit ad faciem tuã ò homo,
quia tu ad eius faciẽ peruenire non poteras. Et qui
erat inuiſibilis, factus pro tua redemptione uiſibi-
lis, uenit à tuis patribus poſtulatus. Audi uocẽ cla
mantis, Oſtende faciẽ tuã & ſalui erimus. Aſtat te Pſal.79
ſtis innocẽtię, aſſertor pudoris, nec amiſiſſe ſe ſpõ
ſam, ſed gloriať agnouiſſe deum. Sequitur non ut
maritus, ſed ut famulus, & obſequium ſe ei gaudet
impendere

impendere, cui conſpicit omnes angelos deſerui-
re. Naſcens ergo Chriſtus nõ inuenit locum in di- A
uerſorio, per quem omnis creatus eſt locus. Et ue-
lut peregrinus naſcitur, qui totius orbis eſt domi-
nus, ut nos cœleſtis patriæ faceret eſſe municipes.
Pannis obuoluitur, ut ſciſſam humani generis uni
tatem ſuo redintegraret in corpore, totumq; im-
mortalitatis ueſtimentum, purpureo ſanguinis co
lore fulgens, in cœleſtia regna deferret. Naſcitur
fratres, ut ipſam quam prius homo uitiauerat, me-
lioraret naturam. Iacet in pannis, ſed regnat in cœ
lis, humiliatur in cunabulis, ſed in nubibus tonat.
In præſepe ponitur, quia omnis caro fœnũ, Eſaia
dicẽte, monſtratur, Nos fœnũ fratres, eiusq; flos,
cœleſtem emundamur in panem, quo ueſcendo
peruenimus ad uitam æternam.

In eodem feſto: Sermo XXI B

SERMO XXV FILIVM Dei ſicuti eſt apud patrem æ-
qualis illi & coæternus, in quo condi-
ta ſunt omnia in cœlo & in terra, uiſi-
bilia & inuiſibilia, uerbum dei & deum, uitam &
lucem hominum, ſi laudare moliamur, nõ mirum
eſt nos non inuenire quibus uerbis explicemus,
quod nulla humana cogitatio, nullus ſermo ſuffi-
ciat. Quomodo ergo laudare digne ualeat lingua
noſtra, quem cor noſtrum adhuc uidere nõ ualet?
oculum condidit quo poſſit uideri? Si fugetur ini
quitas, ſi ſanetur infirmitas, & fiant beati mundo
corde, quoniam ipſi deum uidebunt. Non mirum
eſt, inquã, nos non inuenire, quibus uerbis unum
uerbum dicamus, in quo dictum eſt, ut eſſemus
qui de illo aliquid diceremus. Hæc enim uerba co C
gitata atq; prolata mens noſtra format, illo autem
uerbo ipſa formať. Nec eo modo facit homo uer-
ba, quomodo eſt factus ipſe per uerbum: quia nec
eo modo genuit pater unicum uerbum, quo fecit
cuncta per uerbum. Deũ quippe genuit deus, ſed
ſimul gignens & genitus unus eſt deus. Mundum
autem fecit deus, ſed mũdus tranſit, permanet de-
us. Et ſicut ea quæ facta ſunt, ſeipſa utiq; non fece-
runt: ſic à nullo factus eſt per quem omnia fieri po
tuerunt. Non igitur mirum, ſi homo factus inter
omnia, uerbis non explicat uerbum per quod fa-
cta ſunt omnia. Huc itaque paululum aures & ani
mos aduertamus, ſi forte ualeamus aliquid con-
gruum condignumq; dicere, non ex eo quod in D
principio erat uerbũ, & uerbum erat apud deũ, &
deus erat uerbũ, ſed ex eo quod uerbum caro fa-
ctum eſt: ſi forte dicať à nobis per quod habitauit
in nobis, ſi forte ibi poſſit eſſe dicibilis, ubi uoluit
eſſe uiſibilis. Propter hoc enim & iſtũ celebramus
diem, quo naſci eſt dignatus ex Virgine, quã ge-
nerationem ſuam fecit ab hominibus utcunq; nar
rari. In illa uero æternitate in qua deus de deo na-
tus eſt, generationem eius quis enarrabit? Ibi talis
non eſt qui ſolẽniter celebretur. Neq; enim tranſit
anniuerſario uolumine rediturus, ſed manet ſine
occaſu, quia non cœpit ex ortu. Eſt ergo illud uni-
cum dei uerbum, illa uita, illa lux hominum, æter-
nus quidem dies: iſte autem quo humanę carni co
pulatus tanq; ſponſus proceſſit de thalamo ſuo,

nũc hodiernus cras fit heſternus. Verũtamen ho-
diernus natũ ex Virgine cõmendat æternũ, quia
æternus natus ex Virgine conſecrauit hodiernũ.
Quas itaq; laudes charitati dei dicamus, quas gra-
tias agamus, qui nos ita dilexit, ut propter nos fie-
ret in tempore, per quẽ facta ſunt tempora: & mul
tis ſeruis ſuis in mũdo minor eſſet ętate, ipſo mun-
do antiquior ſine uetuſtate: homo fieret qui homi
nem fecit, crearet ex matre quam creauit, portare-
tur manib. quas formauit, ſugeret ubera quæ im-
pleuit, in præſepi muta uagiret infantia, uerbũ ſine
quo muta eſt humana eloquẽtia? Vide homo q̃d
pro te factus eſt deus, doctrinam tandem humili-
tatis agnoſce, etiam nondum loquente doctore.
Tu quondam in paradiſo tam facundus fuiſti, ut
omni animæ uiuæ nomina imponeres, propter te
aũt creator tuus infans iacebat, & nomine ſuo nec B
matrem uocabat. Tu in latiſſimo fructuoſorũ ne-
morum prædio te perdidiſti obedientiam negli-
gendo, ille obediens in anguſtiſſimũ diuerſorium
mortalis uenit, ut mortuum quæreret moriendo.
Tu cum eſſes homo, deus eſſe uoluiſti ut perires:
ille cũ eſſet deus, homo eſſe uoluit, ut quod perie-
rat inueniret. Tãtum te preſſit humana ſuperbia,
ut te non poſſet ſubleuare niſi diuina gratia. Cele-
bremus ergo cum gaudio diem quo peperit Ma-
ria Chriſtum, & coniugata coniugij creatorem, &
Virgo uirginum principem, & data marito, & ma
ter non de marito, ſed caſtior q̃ ſi de marito. Vir-
go ante coniugium, uirgo in coniugio, uirgo prę-
gnans, uirgo lactans: ſanctæ quippe matri omni-
potẽs filius nullo modo uirginitatem natus abſtu C
lit, quam naſciturus elegit. Bona eſt enim fœcun-
ditas in coniugio, ſed melior integritas in ſancti-
monio. Homo igitur Chriſtus qui utrunq; præſta-
re poſſet ut deus, nũquam ſic daret matri bonum
quod coniuges diligunt, ut auferret melius ,ppter
quod uirgines matres eſſe contẽnunt. Virgo itaq;
ſancta eccleſia celebrat hodie Virginis partũ, cui
dicit Apoſtolus: Aptaui uos uni uiro uirginem ca 1 Cor.10
ſtam exhibere Chriſto. Vide caſtam uirginem in
tot populis utriuſq; ſexus, in tot non ſolum pueris
& uirginibus, uerũetiam coniugatis patribus, ma
tribusq;. Deniq; quam uirginem caſtam, niſi in fi-
dei, ſpei, charitatis integritate & uirginitate? Pro-
inde Chriſtus eccleſiam facturus in corde, prius D
Mariã ſeruauit in corpore. Humano quippe con-
iugio ſponſo fœmina traditur, ut uirgo iam nõ ſit:
Eccleſia uero uirgo non eſſe poſſet, niſi ſponſum
cui traderetur filium uirginis inueniſſet.

In eodem feſto, Sermo XXII

ANNIVERSARIA dñi incarnatio, & ue SERMO
A ſtræ fraternitatis tam frequẽs cõgrega- XXVI
tio, exigit à nobis debitũ ſermonis offi-
cium: Itaq; fratres affectu pio, corde deuoto ianuã
domini pulſemus, ut & nobis tribuat fiduciã uti-
lia dicendi, & ueſtram charitatem fructu audiẽdi
adiuuet. Itaq; nos humiliemus, quia ſaluator & ma
giſter humilitatis dominus noſter Ieſus Chriſtus,
uirginis filius, uirginũ ſpõſus, uirginali utero cor-
poraliter eſt natus, uirginali connubio ſpiritaliter

cõiugatus. Hodie itaq; nasci dignatus est, per quẽ facta sunt omnia, manens quod est, exhibens tibi quod es. Manens apud patrem in diuinitate, suscepit nostrã infirmitatẽ in humanitate. Duas nanq; natiuitates domini accipimus, unam diuinam, alteram humanam, tamen utramq; mirabilem: illam sine matre, istam sine patre: illam æternam, ut crearet temporales, hanc temporalem, ut præstaret æternam. Ille enim de quo dicit Ioannes Euangelista, *Ioan.1* quod in principio erat uerbum, & uerbũ erat apud deum, & deus erat uerbum, & quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est: ille tãtus, ille in forma dei æqualis patri, ille sine tempore fabricator temporum, ille ex nullo seculo, ante omnia secula, iudex seculi factus est tam paruus, ut de fœmina nasceret̃, sed mãsit tam magnus, ut à patre non separaret̃. Præbentes ei obsequium & testimonium tanquam lucernæ uenturo diei omnes Prophetę prænunciantes, & ante ipsum nascendo uenerũt, pòst credendo adhæserunt. Oportebat enim, ut prænunciaretur uenturus, facturus miracula, quibus miraculis bene intelligẽtib. appareret homo paruus ad paruos, sed humilis ad superbos. Paruitatem suã docens hominem, ut se agnosceret & paruum, ne nõ grandescendo se crederet magnum. Est enim superbia non magnitudo, sed tumor. Quod autẽ tumet uidetur magnum, sed nõ est sanum. Vt autem generis humani istum tumorem sanaret, ipse medicus, ipse medicina, non solũ medicamentũ adhibens apparuit inter homines homo, offerens hominem uidẽtibus, deũ seruans credentibus. Aspectus enim humilitatis eius, sanauit infirmos. Contemplatio diuinitatis eius, quærit infirmos. Et dũ erant homines, qui deum uiderent in homine, nec tamen spem suam ponerent in homine, qui sequi non debet: deus sequẽdus erat, qui uideri non poterat. Vt ergo exhiberetur in homine, & qui ab homine uideretur, & quem homo sequeretur, deus factus est homo, aliquid te magnũ credere debes. Sed quia uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, eadem sapientia quæ de deo genita est, dignata est etiam inter homines creari, quo pertinet *Eccl.24* illud: Dominus creauit me in principio uiarũ suarum. Est enim eius principium caput ecclesiæ q̄d est Christus. Hominem per quem uiuendi exemplum nobis daretur, hoc est, uia certa qua perueniremus ad deum. Non enim redire potuimus, nisi humilitate qui superbia lapsi sumus, sicut dictum *Gen.3* est primæ nostræ creaturæ: Gustate, & eritis sicut dij. Huius igitur humilitatis exemplum, id est, uiæ quærẽdum fuit, Ipse reparator noster in seipso demonstrare dignatus est, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, ut crearetur homo in principio uiarum eius uerbum per quod creata sunt omnia. Quapropter unigenitus & primogenitus dominus noster, diuinarum scripturarũ authoritate prædicatur, unigenitus de patre, primogenitus à mortuis. Quapropter secũdum id quod unigenitus est, fratres non habet. Fratres tamẽ uocare dignatus est omnes, qui post eius, & per eius primatum in gratia nascimur per adoptionem filiorum, sicut apostolica disciplina cõmendat. Naturalis ergo filius secundum id quod primogenitus est frater, de ipsa patris substantia unicus natus est, id existens quod pater est, deus de deo, lumen de lumine. Nos autem non lumen naturaliter sumus, sed ab illo lumine illuminamur, ut sapientia lucere possimus in secula seculorum, Amen.

In eodem festo, Sermo XXIII *SERMO XXVII*

LAVDEM dñi loquetur os meũ. Eius domini per quem facta sunt omnia, & qui factus est inter omnia. Qui est patris reuelator, matris creator. Filius dei de patre sine matre, filius hominis de matre sine patre. Magnus dies angelorũ, paruus in die hominũ. Verbũ dei ante omnia tẽpora, uerbum caro opportuno tempore. Conditor solis, conditus sub sole. Cuncta secula ordinans de sinu patris, hodiernum diẽ consecrans de utero matris. Ibi manẽs, hinc procedẽs. Effector cœli & terrę, sub cœlo exortus in terra. Ineffabiliter sapiens, sapienter infans. Mundum implẽs, in præsepio iacens. Sydera regẽs, ubera lambens. Ita magnus in forma dei, breuis in forma serui, ut nec ista breuitate magnitudo illa minueret̃, nec illa magnitudine ista breuitas premeret̃. Neq; enim quando membra humana suscepit, opera diuina deseruit, nec attingere à fine usq; ad finẽ fortiter & disponere omnia suauiter destitit. Quando infirmitate carnis indutus, uirginali utero receptus est non inclusus, ut nec angelis subtraheretur sapientiæ cibus, & nos gustaremus quàm suauis est dominus. Quid hoc miramur de uerbo dei, cum sermo iste quem promimus ita liber sensibus influat, ut eum & recipiat, & nõ includat auditor? Nam nisi reciperet̃, neminẽ instrueret: si includeretur, ad alios non ueniret. Et utiq; sermo iste uerbis syllabisq; diuiditur, nec tamẽ ex eo tanquã ex cibo uẽtris singulas particulas tollitis, sed omnes totũ auditis, totum singuli capitis. Nec timemus dum loquimur, ne totum audiẽdo unus absumat, ne alter possit habere quod sumat: sed ita uos attentos esse uolumus, nullius aurẽ mentemq; fraudantes, ut & totũ singuli audiatis, & totum ad audiẽdum cæteris relinquatis. Neq; hoc fit alternis tẽporibus, ut cũ sermo qui dicitur ad te primo intrauerit, exeat à te, ut ad alium possit intrare: sed simul ad omes uenit, & totus ad singulos peruenit, Et si totus in memoria teneri ualuisset, sicut ad totum audiẽdũ omnes uenistis, ita cum toto singuli rediretis: quãto magis uerbum dei, per quod facta sunt omnia, & quod in se manens innouat omnia: quod nec locis concludit̃, nec tẽporibus tẽditur, nec moris breuibus lõgisq; uariatur, nec uocibus texitur, nec silentio terminatur, quãto magis hoc tantum & tale uerbum potuit matris uterũ assumpto corpore fœcundare, & de sinu patris non emigrare. Hinc ad oculos humanos exire, inde mentes angelicas illustrare: hinc ad terras procedere, inde cœlos extẽdere: hinc homo fieri, inde homines facere. Nemo ergo credat dei filiũ coęternum

& coæqua-

& coæqualem conuersum & cõmutatum esse in hominis filium, sed potius credamus, & non consumpta diuina & perfecte assumpta humana substantia manentem dei filium, factum hominis filium. Neq; enim quia dictũ est, Deus erat uerbũ, & uerbum caro factum est: sic uerbum caro factũ est, ut esse desineret deus, quando in ipsa carne q̊d uerbum caro factũ est, Emmanuel natum est, nobiscum deus. Sicut uerbum quod corde gestamus fit uox cum id ore proferimus: nec tamen illud in hanc cõmutatur, sed illo integro ista in qua procedat assumitur, ut & intus maneat quod intelligat̃, & foris sonet quod audiatur, hoc idem tamẽ profertur in sono quod ante sonuerat in silentio: atq; ita uerbum cum sit uox non mutatur in uoce, sed manens in mẽtis luce, & assumpta carnis uoce ꝓcedit ad audientem, & non deserit cogitantẽ. Nõ cum ipsa uox in silentio cogitatur, quæ uel Gręcę est, uel Latinæ, uel linguæ alterius cuiuslibet: sed cum ante omnem linguarum diuersitatem res ipsa quæ dicenda est adhuc in cubili cordis, quodãmodo nuda est intelligenti, quæ ut inde procedat loquentis uoce uestitur. Verũtamen utrunq; hoc, & quod cogitatur intelligendo, & quod sonat audiendo, mutabile atq; dissimile est. Neq; illud manebit cum oblitus fueris, neq; hoc cũ silueris. Verbum autem domini, manet in æternum, & incommutabiliter manet. Et cum carnem assumpsit ex tempore, ut ad temporalem uitam nostram procederet, non in carne amisit æternitatem, sed etiam carni præstitit immortalitatem: ita ipse tanq; sponsus procedens de thalamo suo, exultauit ut gigas *Philip.2* ad currendam uiam. Qui cũ in forma dei esset, nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed ut propter nos fieret quod nõ erat, semetipsum exinaniuit, nõ formã dei perdens, sed formã serui accipiens, & per hanc in similitudinem hominum factus, nec propria substantia, sed habitu inuẽtus ut homo. Hoc enim totũ quod sumus uel in anima, uel in corpore, nostra natura est, illius habitus, nos nisi hoc essemus, non essemus. Ille si hoc nõ esset, esset utiq; deus. Et cum hoc esset, cepit quod non erat, homo factus, permanens deus, ut non unum horum, sed utrũq; uerissime diceretur. Et propter *Ioan.14* quod homo factus est: Quoniam pater maior me *Ioan.10* est: & propter quod permansit deus: Ego & pater unum sumus. Nam nisi uerbum in carnẽ, hoc est deus in hominem mutatus cõuerteretur, nõ esset uerum, Pater maior me est: quia homine maior est deus: illud autem falsum esset, Ego & pater unum sumus: sed, unum fuimus: quia nõ sunt unum deus & homo. Sed forsitan posset dicere: Ego & pater unũ fuimus. Quod enim erat & esse destitit, nõ est utiq;, sed fuit. Nunc aũt & propter ueram formam serui quam acceperat, uerũ dixit, Pater maior me est: & propter ueram formam dei in qua permanebit, uerum dixit: Ego & pater unum sumus. Exinaniuit ergo se apud homines, non ita factus q̄d non erat ut non esset quod erat, sed occultans q̄d erat, & demõstrans quod factus erat. Proinde quia uirgo concepit, & peperit filium propter manifestam serui formam puer natus est nobis. Quia uero dei uerbum quod manet in æternũ, caro factum est, ut habitaret in nobis, propter dei formã latentẽ, sed manentem, sicut nunciauit Gabriel, uocamus nomen eius Emmanuel. Factus est eñ homo, permanẽs deus, ut & filius hominis recte uocet̃, nobiscũ deus. Nõ alter deus, nõ alter homo. Exultet in credentibus mũdus, quibus saluãdis uenit per quem factus est mundus. Conditor Mariæ, natus ex Maria, Filius Dauid, dominus Dauid. Semẽ Abrahæ, qui est ante Abrahã. Factor terræ, factus in terra. Creator cœli, creatus sub cœlo: Ipse est dies quẽ fecit dominus, & dies cordis nostri, ipse est dñi. Ambulemus in lumine eius, exultemus & iucũdemur in eo, qui uiuit & regnat in secula seculorũ, Amen.

In eodem festo de eo quod scriptum est in Euãgelio secundum Ioannem: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: &c. Sermo XXIIII *SERMO XXVIII*

ET Christus fratres in mũdo erat, & mundus per ipsum factus est, & mũdus eum non cognouit. Qui mũdus per eũ factus est? qui mũdus eum nõ cognouit? Nõ eñ mũdus qui per eum factus est, ipse eũ non cognouit. Quis est mundus, qui per eum factus est? Cœlũ & terra. Quomodo eum non cognouit mũdus, quãdo in eius passione sol obscuratus est? Quomõ eum terra non cognouit, quãdo pẽdente illo in cruce cõtremuit? Sed mũdus eũ non cognouit, cuius princeps est ille de quo dictũ est, Ecce uenit princeps *Ioan.14* mundi huius, & in me nihil inuenit. Homines mali mundus uocantur. Inde acceperunt nomẽ ex eo quod amant. Amando deum efficiuntur dij, ergo amando mundum mundus dicuntur. Sed deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Mũdus ergo eum non cognouit. Nunquid omnes? In sua propria uenit, & sui eum non receperunt. In sua? Omnia ipsius, sed propria ipsius dicunt̃, unde mater eius erat, unde carnem cõceperat, ad quos aduẽtus sui præcones antè pręmiserat, quib. legẽ dederat, quos de Ægypti seruitute liberauerat, quorum patrẽ carnalem elegit Abrahã, quia uerũ di- *Ioan.8* xit, Ante Abraham ego sum. Nec sic dixit, Antequam Abraham fieret, ego sum. In principio erat uerbum, nõ factum erat. Ergo in propria uenit, & sui eum non receperunt. Quot autem receperunt eum? Vtiq; ibi Apostoli, qui eum receperunt: ibi illi, qui ante iumẽtum ramos ferebant: & præcedebant & sequebant̃, & uestimẽta sua sternebant, & magna uoce dicebãt, Osanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini. Tũc Pharisęi di- *Ioan.1* xerunt illi, Compesce pueros, ne tibi ista clament. Et ille, Si isti tacebunt, lapides clamabunt. Qui lapides, nisi qui colũt lapides? Si paruuli pueri tacebunt, maiores & minores gẽtes clamabũt. Qui lapides, nisi lapides de quibus dicit ipse Ioãnes, qui uenit ut testimoniũ perhiberet de lumine? Cum enim uideret ipsos Iudæos superbire de genere Abrahæ, ait illis: Generatio uiperarum: illi se dicebãt filios Abrahæ. Potẽs est enim deus de lapidib. istis suscitare filios Abrahæ. Quos præuidebat in spiritu, de illis dicebat. Nos siquidem præuidebat.

Potens

Potens est enim deus de lapidibus istis suscitare fi
lios Abrahæ. De quibus lapidibus inquit: Si isti ta A
cebunt, lapides clamabunt. Modo audistis & cla-
mastis: Impletum est, lapides clamabunt, de genti
bus enim uenimus in parentibus nostris, lapides
adorauimus, ideo canes dicti sumus. Recordami-
ni quid audierit mulier illa, quæ clamabat post do
minum, quia erat Chananæa, idolorũ cultrix, an-
cilla dęmoniorũ, quid dixit Iesus? Non est bonum
Matt.15 tollere panem filiorum, & mittere canibus. Nun-
quid aduertistis quemadmodũ canes lapides un-
ctos lingũt, sic sunt omnes simulachrorum culto-
Ioan.1 res? Sed uenit nobis gratia. Quotquot autem re-
ceperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri.
Ecce habetis modo natos, dedit eis potestatem fi-
lios dei fieri. Quibus dedit? His qui credunt in no
mine eius. Et quomodo filij dei fiunt? Qui non ex
sanguinibus, neq; ex uolũtate uiri, nec ex uolũta- B
te carnis, sed ex deo nati sunt. Intendite ergo, isti
ex deo nati sunt, accepta potestate ut filij dei fie-
rent. Ex deo nati sunt, non ex sanguinibus, qualis
est prima natiuitas, qualis est natiuitas misera ue-
niens ex miserijs. Sed qui ex deo nati sunt quid e-
rant? Vnde primũ nati erant, ex sanguinib. mixti
sanguinibus & masculi & fœminæ, cõmixtione
carnis masculi & fœminæ, inde nati erant. Modo
unde? Ex deo nati sunt. Prima natiuitas ex masculo
& fœmina: secunda natiuitas ex deo & ecclesia.
Ecce ex deo nati sunt. Vnde factum est, ut habita-
ret in nobis. Magna mutatio, ille factus caro, iste
spiritus. Quid est hoc? Qualis dignatio fratres
mei? Erigite animum ad speranda & capienda po C
tiora, nolite adijcere cupiditatib. secularibus. Pre-
cio empti estis, propter uos uerbum caro factum
est, propter uos qui erat filius dei, factus est filius
hominis, ut qui eratis filij hominũ, efficeremini fi-
lij dei. Quid erat ille, qui factus est? Quid eratis
uos? Quid facti estis? Erat ille filius dei, qui factus
est filius hominis: eratis uos filij hominũ, qui estis
filij dei facti. Cõmunicauit nobiscum mala, & da-
turus est nobis bona. Sed ille ipse qui factus est fi-
lius hominis, distat à nobis. Nos filij hominũ per
concupiscentiam carnis, ille filius hominis per fi-
dem Virginis. Mater cuiuslibet hominis concu-
buit & concepit: unusquisq; autem natus de homi
ne patre suo, & de homine matre sua, Christus au-
tem natus de spiritusancto & Maria uirgine. Ad
nos accessit, sed à se non multum recessit, imo à se
quòd deus est nunquam recessit, sed addidit quod
erat naturæ nostræ. Accessit enim quod non erat,
nõ amisit quod erat. Factus est filius hominis, sed
nõ cessauit esse filius dei, per hoc mediator in me-
dio. Quid est in medio? Nec sursum, nec deorsum.
Quomõ nec sursum, nec deorsum? Nec sursum,
quia caro est: nec deorsum, quia non peccator: sed
tamen inquãtum deus, semper sursum. Non enim
sic uenit ad nos ut dimitteret patrem, cum quo uiuit
& regnat deus.

Item in eodẽ festo alius sermo de eodem qui ha
bet inter sermones de uerbis domini, XXXIX

Item in eodem festo Homilia, de eo quod scri-
ptum est in Euangelio secundũ Ioannem, In prin-
cipio erat uerbum, &c. quæ habetur in expositio-
ne doctoris, ibidem.

Item in eodẽ festo, de eodem habetur sermo in-
ter Sermones de uerbis domini, XXXVIII

Item in eodem festo alius sermo factus ad fra-
tres in eremo, qui habetur inter sermones ad eos-
dem. XX

In festo Epiphanię domini, & per octauas eius:

Sermo I

SERMO XXIX

ROXIME fratres charissimi eiusmodi
P redemptionis nostræ celebrauimus sa-
cramentum, quo deus hominẽ cum in-
firmitatibus induit: hodie uero illud colimus, quo
se in hominem deus uirtutibus declarauit, pro eo
quod in hac die, siue q; in cœlo stella ortus sui nũ-
cium præbuit, siue quod in Chana Galileæ in con
uiuio nuptiali aquam in uinum conuertit, siue q;
in Iordanis undis aquas ad reparationem humani
generis sub baptismo cõsecrauit, siue q; de quinq;
panibus quinq; millia hominum satiauit, in quo-
libet horum salutis nostra mysteria cõtinentur &
gaudia. Nobis em̃ ex Virgine natus est, quod stel-
la monstrauit. Nobis ex baptismo lauacrum con-
cessum est, quod in Iordanis alueo cõsecrauit. Nos
quoq; in melius esse mutandos operis miraculo
præmonstrauit, quando aquas in uina conuertit.
Et ideo fratres charissimi in omni actu nostro stel
lã fidei præparemus, & in custodia puritatis Chri-
sti baptismum celebremus, quia hæc Christi rege
neratio, nostræ fidei confirmatio est. Insinuauit e-
nim nobis muneris sui beneficium per secũdę na-
tiuitatis exemplũ, & quod facere uoluit, prior ipse
fecit. Legimus Iudæos diuersa sub lege habuisse
baptismata, sed nullum ex his contra præuarica-
tionis malum generalem potuit conferre medici-
nam. Et ideo pro absolutione totius mũdi indige-
bant regenerationis aqua cœlitus sanctificari. Et
quia per uniuersum mundũ sacramentum baptis-
mi humano generi opus erat, omnibus aquis be-
nedictionem dedit, quãdo in Iordanis alueũ uni-
ca ac singulari pietate descendit. Tunc enim Chri
stum dominum nõ tam lauit unda quàm lota est.
Tibi ergo nascendo Christus aduenit, tibi uiuen-
do militauit, tibi moriendo cõflixit. Quem uides
D pro te mortuum, pro te intellige baptizatum. Ta-
lis omnino etiã ante baptismum fuit, & ideo præ-
cursor eius atq; Baptista ita eum cum ad se bapti-
zandus ueniret alloquit: Domine, ego à te debeo Matt.3
baptizari, & tu uenis ad me? Quid euidentius de
Christi nondum baptizati puritate, quid fortius,
Ego à te debeo baptizari: id est, qui fons es innocẽtię, & plenitudo iustitiæ, qui nullo indigẽs dare
scis, nescis accipere? Ego, inquit, à te debeo bapti-
zari, quia tecũ exhibes, & in te possides puritatis
munera & baptismatis sacramẽta: & quod ego da
bo te largiente per gratiam, tu obtines per naturã.
Attactu membra tingunt̃, & fluenta ditantur. Vi-
talem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen
mutuatur ex corpore. Descẽdere in se fontẽ suum
fœlix unda miratur, sub uno momento remedia
æterna

æterna concipiens, & noua deum regenerationis
fœcunditate parturiens, quod acceperat hoc red- A
dens, & quod non habebat, accipiẽs. Inter hæc mi
rum esset, quòd se dominus serui subdidit benedi-
ctioni, nisi & cruci se subdidisset & morti. Et ille
quidẽ preciosum sibi esse hominem precij ipsius
dignitate perdocuit, ut hinc quoq; intelligamus q̃
grandes apud se ęstimet deus noster humanorum
criminum causas, propter quas non angelum, nõ
archangelum, sed deũ misit ad terras. Quàm gra-
uis sit peccati & quàm dura cõditio, prodit reme-
dij magnitudo. Quanta malorũ discussio erit qua
damnabuntur, solicitudo indicat qua redimunt̃.
Omni ergo diligentia atq; uigilantia caueamus,
ne uulneret diabolus quod sanauit deus: ne per
consensum cordis, per flagitium corporis seruitu- B
tem quã debemus domino, magis exhibere pro-
bemur inimico. Equidem si quis uiolẽtus ac præ-
potens aliquid de facultate nostra ac proprietate
rapuisset, nonne dignũ summo odio duceremus?
nonne merito tanquã hostem detestaremur? Cur
peccando diabolo consentiemus, qui nobis non
substãtiam uult auferre, sed uitam: non terrã frau-
dare, sed cœlum: non fines angustæ possessionis,
sed infinita spatia æternitatis? Inter hæc, ó homo,
si dignitatem facturæ tuæ, si pietatem circa te do-
mini tui uolueris æstimare de precio, non poteris
dubitare de regno. Ipsi enim magi, qui ad illa cœle
stis pueri ueneranda cunabula stellæ indicio per-
uenerunt, quid aliud expresserunt in illis muneri-
bus, nisi fidem nostram? In eo enim q; tria offerun C
tur, trinitas intelligitur. In eo uero quòd tres sunt,
& singuli singula offerũt, in trinitate unitas decla-
ratur: per aurum rex ostenditur, deus in thure di-
noscitur: per myrrhã, quæ condiendis est apta cor
poribus, sepultura crucifigendi hominis prędicatur.
Secundum hæc charissimi, nos quoq; personã
magorum spiritalibus imitemur obsequijs. In pri-
mis tam diu quæramus Christum, donec illum in-
uenire mereamur. Ducatum nobis præbeat uelut
stella cœli, lux fidei. Hæc nobis illũ ostendat, non
iam in præsepi uagientem, sed in summa cœli arce
dominãtem. Nec in matris gremio, sed in solio pa-
tris adorandum. Nec ulterius in humanitate iudi-
candum, sed ad iudiciũ cum maiestate uenturum.
Sic quasi trium munerum trinitatis perfecta con-
fessio, credatur à nobis una diuinitas sine confu-
sionis separatione distincta, pater & filius & spiri-
tussanctus unus deus: credantur tres personæ, sed
non tres substantiæ. Quantum autem ad cœlestis
naturæ ordinem pertinet, in patre & filio & spiri-
tusancto ita cõfitenda est una diuinitas, ut nec sin
gularis putetur in trinitate persona, nec triplex in
unitate substãtia, sed ita assignetur pluralitas uni-
tati, ne trinitati subtrahatur æqualitas. Et licet in-
tromittatur in una diuinitate numerositas, non sit
tamen recipienda diuersitas. Ita ergo fidelium cor
dibus disponendus est dei cultus, ut non admittat̃
uel in unitate separatio, uel in trinitate permixtio.
Proxima enim ab hac die fratres charissimi, sacri
natalis die natus est dñs, nũc baptizatus. Tũc nos
genuit ad uitã, nunc regenerauit ad salutem: tunc
Adam suscepit perditum, nunc abluit peccatorẽ. A
Venit ergo ad baptismum, sicut scriptum est. Sed
quid abluit, qui mũdus erat? Vtiq; ut mũdus ablue
ret immundos. Illum ergo currentes aquæ tũc in-
fundebant, sed peccata nostra secum portabãt. De
illo guttæ baptismatis fluebant, sed nostra in gut-
tis crimina influebant. O misericordia simul & po
tentia dei, necdum eramus in mũdo, & iam ablue
bamur in baptismo. Mundati in illo sumus ante-
quam nati. Nam ipsi fuit baptismatis ratio, ut aquę
quæ purgaturæ nos erant, ab illo antè purgarẽtur.
Et cum ascendisset, inquit scriptura, de aqua, uidit Matt.3
apertos cœlos. Nunquid tunc ei cœlum apertum
fuerat, cuius oculi cœlorum interiora cernebant?
Sed ideo cœlum aperitur, ut mysteriũ baptismatis B
in hoc declaretur: quia quãdo homo de baptismo
egreditur, tunc ei ianua regni cœlestis aperitur. Il-
lud uero quale est quod magi ueniunt ad deum na
tum, imo ducuntur, positum in præsepio uident,
nec apud sensus eorum humilitas natiuitatis reue
rentiam diuinitatis imminuit: adorãt corporibus,
honorant muneribus, uenerantur officijs: oculis
hominem uident, & deum obsequijs confitẽtur.
Videbant enim in eo qui natus fuerat plus esse
quod animæ hominũ, quàm quod oculi præuide-
rint. Dominus qui tunc corporaliter natus fuerat,
per ipsum omnia nata erãt. Videbatur quidem in
præsepio, sed dominabat̃ in cœlo. Intra corpuscu-
lum erat, sed intra se omnia cõtinebat. Natus qui-
dem ex matre fuerat, sed matrẽ suam ipse creaue-
rat. Et ideo se magi humiliabãt, quia famulari astra
cernebant. Deum enim esse cognouerant, cui cœ
lestia seruiebant. Et idcirco etiã ipsa eorum mune
ra diuino mysterio plena erant. Aurum namq;, ut
audistis, & thus, & myrrham obtulerũt: Tripliciũ
ergo munerum numero triplex significatio conti
netur. In thure obtulerũt dei honorem, in auro re-
giam dignitatem, in myrrha corporis sepulturam.
Offeramus ergo & nos dilectissimi fratres syncera
& sancta munera deo nostro, castitatem, fidem,
patientiam, charitatem, mentes humiles, probos
mores, animas deo inhabitare cõdignas. Hęc sunt
enim placita deo dona, hæc grata munera, quæ il-
li quidem offeruntur, sed offerentibus prosunt.
D Nullo enim ille munere eget, hoc illi munus opti
mum est, ut causas habeat munerandi. Nihil à no-
bis exigit, nihil amplius petit nisi salutem nostrã.
Omnia enim sibi præstari à nobis putat, si ita nos
egerimus, ut nobis ab illo cuncta præstentur, auxi
liante ipso domino nostro Iesu Christo, qui uiuit
& regnat in secula seculorum, Amen.

In eodem festo, Sermo II

SERMO XXX

D partum Virginis adorandum magi
A ab Oriente uenerunt. Hunc diem ho-
die celebramus, huic debitam solen-
nitatem, sermonemq; persoluimus. Illis dies iste
primus illuxit, anniuersaria nobis festiuitate redi-
jt. Illi erant primitiæ gentium, nos populi gen-
tium. Nobis hoc lingua nunciauit Apostolorum,
stella illis tãquam lingua cœlorum, & nobis idem
Apostoli

Apostoli tanquã alij cœli enarrauerũt gloriã dei.
Cur eũ non agnoscamus eos cœlos, qui facti sunt
sedes dei, sicut scriptum est: Anima iusti, sedes sa-
pientię? Per hos enim cœlos ille cœlorum fabrica
tor & habitator intonuit, quo tonitruo mũdus tre
muit, & ecce iam credit. Magnum sacramentum.
In præsepi tunc iacebat, & magos ab oriente duce
bat: abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in
cœlo, ut agnitus in cœlo manifestaretur in stabu-
lo, & appellaretur Epiphania dies iste, quod Lati
ne manifestatio dici potest: simul eius celsitudinẽ
humilitatemq; cõmendãs, ut qui in aperto cœlo,
signis sidereis mõstrabatur, in angusto diuersorio
quæsitus inueniretur inualidus infantilibus mem
bris, inuolutus infantilibus pannis, adoraret à ma
gis, timeretur à malis. Timuit enim eum rex Hero
des eisdem sibi magis nunciantibus, cum adhuc
quærerent paruulũ, quem cognouerãt cœlo teste
iam natum. Quid erit tribunal iudicantis, quando
superbos reges cunabula terrebãt infantis? Quã-
to consultius reges non sicut Herodes interficere
quęrant, sed sicut magi potius adorare delectent,
iam præsertim eum qui & ipsam mortem quã cu-
piebat inimicus inferre, etiã pro ipsis inimicis ab
inimicis sustinuit, eã in suo corpore occisus occi-
dit. Pie timeant reges ad patris dexterã iam seden-
tem, quẽ rex impie timuit adhuc matris ubera lam
Psal.2 bentem, audiant quod scriptum est: Et nunc reges
intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite
domino in timore, & exultate ei cum tremore. Ille
enim rex ultor impiorum regũ, & rector piorum,
non ita natus est ut reges nascũtur in seculo, quia
& ille natus est cuius regnum non est de hoc secu-
lo. Nobilitas fuit nascentis in uirginitate pariẽtis,
& nobilitas pariẽtis in diuinitate nascẽtis. Denicq;
cum tam multi iam nati atq; defuncti essent reges
Iudæorum, nũquid quenquam eorum adorandũ
magi quęsierunt? Quia nec quẽquam eorum cœ-
lo loquente didicerũt. Verũtamen quod præter-
eundum non est, hæc magorum illuminatio ma-
gnum testimonium cæcitatis extitit Iudęorum. In
terra eorum isti requirebant, quod illi in sua non
agnoscebant. Apud eos isti infantem inuenerunt,
quẽ illi apud se negauerunt. In his terris de lõgin-
quo isti peregrini puerum Christũ nondũ uerba
promentẽ adorauerunt, ubi ciues illi iuuenem mi
racula facientem crucifixerunt. Isti in mẽbris par-
uis deũ adorauerunt, illi in magnis factis nec tan-
quam homini pepercerũt, quali plus fuerit uidere
nouam stellam in eius natiuitate fulgẽtem, quàm
solem eius in morte lugentem. Iam uero quod ea-
dem stella quæ magos perduxit ad locum ubi erat
cum matre uirgine deus infans, quæ utiq; poterat
eos & ad ipsam perducere ciuitatẽ, sed tamen sub-
traxit, nec eis prorsus apparuit, donec de ciuitate
in qua Christus nasceretur idem ipsi interrogent
Iudæi, & ipsi eam secundũ diuinæ scripturæ testi-
Mich.5 monium nominarent, ipsi dicerent: Bethleem nõ
es minima in principibus Iuda, ex te eũ exiet dux
qui regat populũ meũ Israel. Quid aliud hic signi-
ficauit diuina prouidentia, nisi apud Iudæos solas
diuinas literas remãsuras, quib. gentes instruerẽ
A tur, illi excæcarent, quas portarent non ad adiuto
rium salutis suæ, sed ad testimoniũ salutis nostræ?
Nam hodie cum premissas prophetias de Christo
proferimus, iam rerum cõpletarum luce declara-
tas, si forte Pagani quos lucrari uolumus dixerint
non eas tanto antè prædictas, sed post rerũ euen-
tum, ut hæc quæ facta sunt prophetata putarent, à
nobis esse confictas, Iudæorũ codices recitamus,
ut tollatur dubitatio Paganorũ: qui iam in magis
illis figurabant, quos Iudæi de ciuitate in qua na-
tus est Christus diuinis eloquijs instruebant, & eũ
ipsi nec requirebant, nec agnoscebant. Nũc ergo
charissimi, gratiæ filij & hæredes, uidete uocatio-
nem uestrã, & manifestato Iudæis & gentib. Chri-
sto tanquã angulari lapidi perseuerantissima dile
B ctione cohærete. Manifestatus enim est in ipsis cu
nabulis infantiæ suæ his qui prope & his qui lõge
erãt, Iudæis in pastorũ propinquitate, gentibus in
magorũ longinquitate. Illi ipso die quo natus est,
isti ad eũ hodie aduenisse credunt. Manifestatus
ergo est, nec illis doctis, nec istis iustis. Præualet
namq; imperitia in rusticitate pastorũ, & impietas
in sacrilegijs magorũ. Vtroq; sibi lapis ille angu-
laris applicuit, quippe qui uenit stulta mũdi elige-
re, ut cõfunderet sapiẽtes, & nõ uocare iustos, sed Matt.9
peccatores, ut nullus magnus superbiret, nullus
infirmus desperaret. Vnde scribę & pharisæi dum
nimis docti & nimis iusti sibi uident, cuius nascẽ-
tis ciuitatẽ ostenderũt prophetica eloquia recitan
tes, hunc reprobauerũt ædificãtes. Sed quia factus
C est in caput anguli, & quod natus ostendit, passus
impleuit, huic nos inhæreamus cũ alio pariete ha-
bẽte reliquias Israel, quæ per electionẽ gratiæ salu
uæ factæ sunt. Eos enim pastores illi præfigurabãt
de proximo cõiungendo, ut & nos, quorũ ex lon-
ginquo uocationẽ magorũ significabat aduẽtus,
iam nõ peregrini & inquilini, sed ciues sanctorũ,
& domestici dei maneamus, coædificati super fun
damentum Apostolorũ & Prophetarũ, ipso sum-
mo angulari lapide existente Christo Iesu: qui fe-
cit utraq; unũ, ut in uno amemus unitatem, & ad
colligẽdos ramos, qui etiã de oleastro inserti, per
superbiã fracti hæretici facti sunt: quoniam potẽs Rom.11
est deus iterũ inserere illos: habeamus & infatiga-
D bilem charitatem, ipso adiuuante qui uiuit & re-
gnat per omnia secula seculorum, Amen.

In eodem festo: Sermo III

SERMO XXXI

A NTE paucissimos dies natalem domi-
ni celebrauimus: hodierno autem die
manifestationem qua manifestari gen-
tibus cœpit, solẽnitate non minus debita celebra-
mus. Illo die natum pastorem Iudæi uiderunt, ho-
die magi ab Oriente ueniẽtes adorauerũt. Natus
quippe fuerat lapis ille angularis, pax duorũ parie
tum, ex circũcisione & præputio, nõ ex parua di-
uersitate ueniẽtium, ut in illis specularetur, qui fa-
ctus est pax nostra, & fecit utraq; unũ. Hoc in pa-
storibus Iudæorum, & magis gẽtium præsignatũ
est. Inde cœpit, quod in uniuerso mũdo fructifica-
ret & crescere. Nos itaq; duos dies, natiuitatis &
manife-

manifestationis domini nostri spiritali lętitia gra-
tissimos habeamus. Iudæi pastores ad eum ange-
A lo nunciante, gentiles magi stella demonstrante
perducti sunt. Hæc stella uanas computationes
astrologorum & diuinationes confudit, cum stel-
larum adoratoribus creatorẽ cœli & terrę adorã-
dum potius demõstrauit. Nam ipse nouam stellã
declarauit natus, qui antiquum solem obscurauit
occisus. Illa luce inchoata est fides gentium, illis
tenebris accusata est perfidia Iudæorum. Quid e-
rat illa stella, quæ nec unquam antea inter sydera
apparuit, nec postea demonstranda permansit?
Psal.18 Quid erat nisi magnifica lingua cœli, quæ narra-
ret gloriam dei, quæ inusitatum uirginis partum
inusitato fulgore clamaret, cui non postea apparẽ
Matt.2 ti Euãgelium toto orbe succederet? Quid denicq;
magi uenientes dixerunt: Vbi est qui natus est rex
B Iudæorum? Quid est hoc? Nonne tum multi an-
tea reges erant Iudæorum? Quid tantopere alie-
nę gentis regem nosse & adorare cupierunt? Vi-
dimus eũ, inquiunt, stellam eius in Oriẽte, & ue-
nimus adorare eum. Nunquã hoc tanta deuotiõe
requirerent, tanto pictatis affectu desiderarent,
nisi eum agnoscerent regem Iudæorum, qui rex
est etiã seculorum. Hinc & Pilatus nonnulla utiq;
aura ueritatis afflatus est, quando in eius passione
Ioan.19 titulum scripsit, Rex Iudæorum: quem Iudæi co-
nati sunt mendosi emendare, Quibus ille respon-
dit: Quod scripsi, scripsi. Quia prædictum erat in
Psalmo: Tituli inscriptionem ne corrumpas. Ad-
uertamus itaq; magnum hoc & mirabile sacramẽ-
tum, Magi ex gentibus erant, ipse etiam Pilatus C
ex gentibus: illi stellam uiderunt in cœlo, ille titu-
lum fixit ligno, utriq; tamen non regem gentium,
sed Iudæorum, uel quærebant, uel agnoscebant.
Iudæi uero ipsi nec stellam secuti sunt, nec titulo
cõsenserunt. Iam igitur præsignabat, quod postea
Matt.8 ipse dominus dixit, Multi ab Oriente & Occiden
te uenient, & recumbent cum Abraham & Isaac
& Iacob in regno cœlorum, filij autem regni ibũt
in tenebras exteriores. Nam Magi ab Oriente, Pi
latus ab Occidente uenerat. Vnde illi orienti, hoc
est nascenti, ille autem occidenti, hoc est, morien-
ti attestabantur regi Iudæorum, ut cum Abraham
& Isaac & Iacob, ex quibus Iudæi ducebant origi-
nem, recumberent in regno cœlorum, non ex eis
D propagati per carnem, sed eis inserti per fidem, ut
Rom.8 ille de quo Apostolus loquitur, oliuæ inserendus
iam præmonstraretur oleaster. Propterea quippe
non rex gentium, sed Iudæorum ab eisdem genti-
bus, uel quærebatur, uel agnoscebatur: quia olea-
ster ad oliuam, non ad oleastrum oliua ueniebat.
Rami tamen frangendi, hoc est, infideles Iudæi, &
Magis inquirentibus ubi Christus nasceretur, in
Bethleem Iudæ respondebant: & Pilato expro-
brante q; regem suum crucifigi uellent, pertina-
cissime sæuiebant. Itaq; Magi adorauerunt, Iudęis
ostendentibus locum Christi nascentis, quia in
scriptura quam Iudęi acceperunt, Christũ cogno-
scimus. Pilatus manus lauit Iudæis exigẽtib. mor-
tem Christi patientis, quia per sanguinem quem
Iudæi fuderunt peccata diluimus. Sed de testimo-
A nio Pilati per titulum in quo scripsit, regẽ Iudæo-
rum esse Christum, alius est differendi locus, quo
passionis est tempus. Nũc quod attinet ad mani-
festationem Christi nati, de cuius manifestationis
die, quæ Græco uocabulo Epiphania nominat,
qua manifestari cœpit gẽtibus, cum eum Magi a-
dorauerunt, quæ restant pauca dicamus. Nam e-
tiam atq; etiam cõsiderare delectat, quẽadmodũ
Magis quærentibus ubi Christus nasceret, Iudæi
responderunt, In Bethleem Iudæ. Nec tamen ad Matt.2
eum ipsi uenerunt, sed eis abscedentibus, magos
ad eum locum in quo infans erat eadem stella per
duxit, ut ostenderetur quod & ciuitatem poterat
demonstrare, sed ad hoc se aliquantulum subtra-
xerat, ut Iudæi possent interrogari. Ad hoc sunt
B autem interrogati Iudæi, ut demonstraretur, eos
non ad suã, sed ad gẽtium salutem & agnitionem
testimonia diuina portare. Propter hoc enim illa
gens regno suo pulsa est & dispersa per terras, ut
eius fidei cuius inimici sunt ubiq; testes fieri cogę-
rentur. Perdito quippe templo, sacrificio, sacerdo
tio, ipsoq; regno, in paucis ueteribus sacramentis
nomen genusq; custodiunt, ne permixti gentibus
sine discretione dispereant, & testimonium uerita
tis amittant: uelut Cain accipiente signum ut eum
nullus occidat, qui fratrem iustum inuidus & su-
perbus occidit. Hoc nimirum etiam in quinquã-
gesimooctauo Psalmo non incongruenter intelli-
gi potest, ubi Christus ex persona sui corporis lo
quitur & dicit, Deus meus demonstrauit mihi de Psal.58
inimicis meis, ne occideris eos, ne quando obliui-
scantur legis tuæ. In eis quippe inimicis fidei Chri
stianæ demonstratur gentibus quomodo prophe
tatus est Christus, ne forte cum uidissent tanta ma
nifestatione impleri prophetias, putarent easdem
scripturas à Christianis esse confictas, ut de Chri-
sto prædicta putarentur, quæ completa cernun-
tur. Proferunt ergo codices à Iudęis, atq; ita deus
demonstrat nobis inimicis nostris, quos ideo non
occidit, hoc est, de terris non penitus perdidit, ne
obliuiscerentur legem ipsius, quam propterea le-
gendo & quædã eius quamuis carnaliter obseruã
do meminerint, ut sibi sumant iudiciũ, nobis præ-
beant testimonium, ipso domino nostro adiuuan-
te, qui uiuit & regnat deus per omnia secula secu-
lorum, Amen.

In eodem festo. Sermo IIII

Ser.XXXII

H ODIERNI diei per uniuersum mun-
dum noua solennitas quid nobis affe-
rat festiuitatis, quidũe anniuersaria re-
petitione commemoret, anniuersario quoq; ser-
mone tempus admonet ut loquamur. Epiphania
quippe, Latine manifestatio dici potest. Hac e-
nim die Magi dominum nostrum adorasse per-
hibentur, stella scilicet apparente commoniti, &
præcedente perducti. Eo quippe die quo natus
est, illi stellam in Oriente uiderunt, & quem na-
tum indicauerit agnouerunt. Ex illo igitur die ad
hunc diem occurrerunt, Herodem regem nun-
cio terruerunt, Iudæis ex prophetia scriptura re-
D sponden-

ſpondentibus, Bethleem ciuitatem, ubi dñs natus fuerat, inuenerunt. Ad ipſum dominum ſtella ea dem ducente uenerunt, demoostratũ adorauerũt, aurũ, thus, & myrrham obtulerunt, alio itinere redierunt. Manifeſtatus eſt quidem & die ipſo natiuitatis ſuæ dominus paſtoribus ab angelo admonitis, quo etiã die per ſtellam illis eſt longe in Oriente nũciatus, ſed in iſto die ab eis eſt adoratus. Suſcipite ergo deuotiſſime iſtum diem celebrandum uniuerſa eccleſia gentium, quia & illi Magi quid iam fuerunt niſi primitiæ gentium. Iſraelitæ paſtores, Magi gentiles. Illi prope, iſti lõge, utrique tamen ad angularem lapidem cucurrerunt. Veni
Ephes.2 ens quippe, ſicut Apoſtolus dicit, euangelizauit pacem nobis, qui eramus longe, & pacem his qui prope. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum, & duos cõdidit in ſe, in unum nouum hominem faciens pacem, & commutauit utroſque in uno corpore deo, interficiens inimicitias in ſemet ipſo. Merito iſtum diem nunque nobiſcum hęretici Donatiſtæ celebrare uoluerunt, quia nec unitatẽ amant, nec Orientali eccleſiæ, ubi apparuit illa ſtella, communicãt, nos aũt manifeſtationẽ domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quia primitias gentium delibauit, in unitate gentiũ celebramus.
Eſa.8 Tunc em puer prius quàm ſciret uocare patrem aut matrem, ſicut de illo erat prophetatum, accepit uirtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ: id eſt, anteque per humanam carnem humana uerba proferret, accepit uirtutem Damaſci, illius ſcilicet unde Damaſcus preſumebat. In diuitijs quippe ciuitas illa ſecundũ ſeculũ florẽs aliquãdo preſumpſerat. In diuitijs aũt principatus auro defertur, q̃d Chriſto Magi ſuppliciter obtulerũt. Spolia uero Samariæ idem ipſi erant, qui eam incolebant. Samaria nanque pro idololatria poſita eſt. Illic em populus Iſrael auerſus à domino, ad idola colenda conuerſus eſt. Debellaturus ſcilicet Chriſtus gladio ſpiritali per uniuerſum orbem regnum diaboli, hæc prima puer ſpolia idololatrię dominationi detraxit, ut ad ſe adorandum Magos conuerſos à peſte illius ſuperſtitionis auerteret, & in hac terra nondum loquens per linguam, loquereẽ de cœlo per ſtellam, ut & quis eſſet, & quò propter quos uenireſet, non uoce carnis, ſed uirtute uerbi, quod caro factum eſt demõſtraret. Hoc enim uerbum, quod in principio erat deus apud deum, iam etiam caro factum, ut habitaret in nobis, & ad nos uenerat, & apud patrem manebat, ſurſum angelos non deſerens, & deorſum ad ſe homines per angelos colligens, & cœleſtibus habitatoribus ſecũdum uerbum incommutabili ueritate fulgebat, & propter anguſtum diuerſorium in præſepe iacebat. Ab ipſo in cœlo demonſtrabatur ſtella, & ipſum adorãdum demonſtrabat in terra. Et tamen infans tam potens, tam magnus, paruulus propter inimicitias Herodis in Aegyptum portantibus parentib. fugit: ita nondum ſermone, ſed factis iam ſuis mẽ
Matth.10 bris loquens, & tacitus dicens, Si uos perſecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam. Mortalem quippe carnem in qua nos præfiguraret gerebat, in qua erat etiam pro nobis opportuno tempore
A moriturus. Vnde à Magis illis non ſolũ aurum honorandus, & thus adorandus, uerumetiã myrrhã ſepeliendus acceperat. Quales etiã fuiſſent pro eius nomine morituri, q̃ innocẽtes, q̃ humiles, oſtẽdit in paruulis quos Herodes occidit. Nam exquibus lex tota pẽdet & Prophetæ, etiã illum numerum præceptorũ ſignificauit bimatus illorum. Iam uero quẽ nõ fecit intentum, quid ſibi uelit q̃d Magorum inquiſitioni ubi Chriſtus naſceretur, Iudæi de ſcriptura reſponderunt, & ipſi cum eis non adorauerunt? Nonne hoc uidemus etiã nũc, quando ex ipſis ſacramentis quibus eorum duritia ſubditur, nihil aliud quàm Chriſtus in quem nolunt credere oſtenditur? Nonne & quando oc
B cidunt ouem in Paſcha & manducant, gentibus Chriſtum demonſtrant, quem cum eis ipſi non adorãt? Nam illud quale eſt, quod ſepe de teſtimonijs propheticis, quibus Chriſtus prenũciatus eſt, quibuſque hominib. dubitantibus, ne forte à Chriſtianis illa conſcripta ſint, non adhuc futura, ſed facta, ad Iudæorum codices prouocamus, ut animos dubitantium cõfirmemus? Nonne enim tũc Chriſtum Iudæi oſtendunt gentibus, quem nolũt adorare cũ gentibus? Nos ergo chariſſimi, quorũ erant illi magi primitiæ, nos hæreditas Chriſti uſque ad terminos terræ, propter quos cæcitas ex parte in Iſrael facta eſt, ut plenitudo gentium intraret, cognito domino & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, qui propter nos conſolandos tunc iacuit
C in anguſto diuerſorio, nunc propter ſublimãdos ſedet in cœlo, ſic eum annunciemus in hac terra, in hac regione carnis noſtræ, ut nõ quà uenimus redeamus, nec prioris noſtræ conuerſationis ueſtigia repetamus. Hoc eſt enim quod & illi Magi non quà uenerunt redierunt. Via mutata eſt, & nobis cœli enarrauerunt gloriam dei, & nos ad Chriſtum adorandum fulgens ex Euangelio ueritas tanquam de cœlo ſtella perduxit, & nos prophetiam in gente Iudaica celebratam, tanque indicium Iudæorum nõ nobiſcum pergentiũ fideli aure percepimus, & nos & regem, & ſacerdotem, & pro nobis mortuũ Chriſtum agnoſcẽtes atque laudantes, iam in auro & thure & myrrha honorauimus: ſupereſt ut eum euangelizãtes nouam uiam
D carpamus, non quà uenimus redeamus, adiuuãte domino noſtro Ieſu Chriſto, qui uiuit & regnat in ecu la ſeculorum, Amen.

In eodem feſto, Sermo V

Ser.XXXIII

C AVSAM dilectiſſimi & rationem ſolennitatis hodiernæ, ſepe uobis & euãgelica narratio, & obſeruantiæ conſuetudo patefecit: nec neceſſe eſt ita nunc quæ inter ſaluatoris noſtri humana primordia ſunt geſta replicari, ut de ſplẽdore noui ſyderis, de Magis magorũque muneribus, de ſęuitia Herodis, & de interfectiõe infantium diſſeramus, cum ſicut noſtis & in ſtellæ fulgore dei gratia, & in tribus uiris uocatio gẽtium, & in rege impio crudelitas paganorũ, & in occiſione infantium, cunctorum martyrum forma

forma pręceſſerit. Sed quia in ſacratiſſimo die reddendum expectationi ueſtræ eſt ſacerdotalis ſer-
A monis officium, nitamur ut poſſumus adiuuante ſpiritu dei, eò per intelligentiæ ſemitas peruenire, ut cognoſcamus ſacramentum præſentis feſti ad omnium fidelium tempora pertinere, nec ullo modo habeat inſolitum, quod in diſpenſationum ordine adoratur antiquum. Quamuis ergo omnis anima Chriſtiana nihil indignum debeat de filij dei maieſtate ſentire, & tranſcenſis incipientis fidei rudimentis, oporteat unumquemque ad ſublimiora proficere, neceſſe eſt tamen infirmitatem mentis humanæ, dum uerum hominem accepit Chriſtum, de ipſa naturæ noſtręque communione trepidare, & per initia uel incrementa corporea ad agnitionem unius cum patre deitatis difficulter accedere. Sed ubi inter caligantes cogitationes ra
B dius ſupernæ lucis refulſerit, cunctantes fidei moras ſplendor ueritatis abrumpat: ut cor liberum & à uiſibilibus abſolutum, lumen intelligentiæ tanquam lucem ſtella ſequatur: quia ſicut Apo-
Philip.2 ſtolus ait, Dominus Ieſus Chriſtus in gloria dei patris eſt: ut quem uenerabatur in cunis humiliter iacentem, ipſum ſine differentia adoret cum patre regnantem. Hæc autem manifeſtatio dilectiſſimi, quæ hæſitantium nebulas diſſoluit animarum, & ita facit innoteſcere dei filiũ, ut de hoc quod idem eſt etiam hominis filius, nihil patiantur obſtaculi, ad præſentis feſti pertinet dignitatẽ: & uera eſt in infantia ſaluatoris declaratio deitatis, quando carnis ſenſus ab humanis ad diuina
C transfertur, ut quos deprimunt experimenta infirmitatum, erigant ſigna uirtutum: quia tali auxilio & natura noſtra indigebat & cauſa, ut reparare humanũ genus nec ſine maieſtate poſſit humilitas, nec ſine humilitate maieſtas. Iam uero cum in ſingulorum fidelium profectibus, diuinorum eluceat cuſtodia mãdatorum, impleaturque quod dictũ
Matt.5 eſt, Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & magnificent patrem ueſtrum qui in cœlis eſt: quis illic non præſentem intelligat deitatem, ubi ueram uidit apparere uirtutem? quę utique ſine deo nulla eſt, nec proprietatem obtinet uirtutis niſi ſpiritu ſui uegetetur authoris. Dicente enim diſcipulis ſuis domino,
Ioan.15 Sine me nihil poteſtis facere: dubium non eſt, ho-
D minem bona agentem, ex deo habere & effectum operis, & initium uoluntatis. Vnde & Apoſtolus copioſiſſimus fidelium cohortator: Cum timore, inquit, & tremore ueſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in uobis & uelle & operari pro bona uoluntate. Et hæc ſanctis cauſa eſt tremendi atque metuendi, ne ipſis operibus pietatis elati, deſerantur ope gratiæ, & remaneant in
Pſal.87 infirmitate naturæ. Qui autem experiri cupit, an in ipſo deus habitet de quo dicitur, Mirabilis deus in ſanctis ſuis: ſyncero examine cordis ſui interiora diſcutiat, & ſagaciter quærat qua humilitate repugnet ſuperbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidiæ, quàm non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectet alienis, an pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas obliuiſci in
A iurias, quàm imaginem & ſimilitudinem ſui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem ſui generalibus incitãs donis, pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: ac ne in multis laboret ſolicitę diſcretionis inſpectio, ipſam matrem uirtutum omnium charitatẽ in ſecretis ſuę mentis inquirat: & ſi eam dilectionẽ dei & proximi toto intẽtoque corde repererit, ita ut etiam inimicis ſuis eadem uelit tribui, quæ ſibi optat impendi. Quiſquis huiuſmodi eſt, deum & rectorẽ & habitatorem ſui eſſe nõ dubitet, quẽ tanto magnificentius recipit, quanto magis non in ſe, ſed in domino gloriatur: quoniã quibus dici
Luc.17 tur: Regnum dei intra uos eſt: ipſi etiam aguntur illius ſpiritu, cuius reguntur imperio. Scientes igi
B tur dilectiſſimi, quòd charitas deus eſt, qui operatur omnia in omnibus, ſectamini charitatem, ita ut in unum caſtæ dilectionis affectum uniuerſorum fidelium corda cõcurrant. Tranſeuntia uos & uana non occupẽt, cõſtanti deſiderio ad ea quæ ſemper ſunt manſura tendamus. Sacramentum enim præſentis feſti oportet in nobis eſſe perpetuum, quod utique ſine fine celebrabitur, ſi in omnibus actibus noſtris dominus Chriſtus appareat, qui uiuit & regnat cum patre & cum ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

In eodem feſto: Sermo VI

Ser.XXXIIII

N VPER celebrauimus diem quo ex Iudæis dominus natus eſt, hodie celebramus quo à gentibus adoratus eſt: quoniam ſalus ex Iudæis, ſed hæc ſalus uſque ad fines terræ. Nam & illo die paſtores adorauerunt, hodie Magi. Illis angeli, iſtis autem ſtella nunciauit. Vtrique de cœlo didicerunt, cum regem cœli in terra uiderunt, ut eſſet gloria in excelſis deo, & in
Ephes.2 terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum. Iam hoc infans natus atque annunciatus oſtenditur lapis ille angularis, iam in ipſo primordio natiuitatis apparuit. Duos ex diuerſo parietes in ſe copulare iam cœpit, paſtores à Iudæa, Magos ab Oriente perducens, ut duos conderet in ſe unum hominem nouum, faciens pacem, pacem his qui longe, & pacem his qui prope. Ideoque illi ipſo die de proximo uenientes, iſti hodie de longinquo peruenientes, duos dies celebrandos poſteris ſignauerunt, unam tamen lucem mundi utrique uiderunt. Sed hodie de iſtis loquẽdum eſt, quos de
Matt.2 remotis terris fides duxit ad Chriſtum. Venerunt enim, & quæſierunt eum dicentes, Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum. Annunciant & interrogant, credunt & quærunt, tanquam ſignificantes eos qui ambulant per fidem, & deſiderant ſpeciem. Nonne alij reges Iudæorum iam totiens in Iudæa nati erant? Quid eſt quod iſte ab alienigenis in cœlo agnoſcitur, in terra quæritur, in alto fulget, in humili latet? In Oriente Magi uiderunt ſtellam, & in Iudæa na-

tum intellexerunt regem. Quis est iste rex tam paruus, tã magnus, nondum in terris loquẽs, iam in cœlo edicta proponens? Veruntamẽ propter nos, quibus de scripturis suis sanctis innotescere uoluit, ipsos etiam Magos quibus tam clarum signum in cœlo dederat, & quorum cordibus se natum esse reuelauerat, Prophetis tamen suis de se credere uoluit. Quærendo enim ciuitatem in qua natus erat quem uidere & adorare cupiebant, necesse habuerunt percontari principes Iudæorum: ut illi de sancta scriptura, quam in ore non in corde gestabant, infideles fidelibus de gratia dei responderent, mendaces à se, ueraces contra se. Quantum enim erat, ut illis quærentibus Christum comites fierent, cum ab eis audissent, quod uisa stella eius uenerint eum adorare cupientes, ipsi eos ad Bethleem Iudæ, quam de libris diuinis indicauerant, ducerent, pariter uiderent, pariter adorarent? Nunc uero alijs demonstrato uitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate: factiq; sunt eis tanquam lapides à miliario, qui uiatoribus ambulantibus aliquid ostenderunt, sed ipsi solidi atque immobiles remanserunt. Magi quærebãt ut inuenirent. Herodes quærebat ut perderet. Iudęi ciuitatem nascentis legebant, tempus ueniẽtis non intelligebant. Inter magorũ pium amorem, & Herodis crudelem timorem illi euanuerunt Bethleem demonstrantes: Christum autem qui ibi natus est, non nunc quæsitum, sed uisum postea negaturi, nec nũc infantem, sed loquentẽ postea negaturi. Felix potius infantum ignorantia, quos Herodes persecutus est territus, quàm istorum sciẽtia quos consuluit perturbatus. Illi pro Christo potuerunt pati, quem nondum poterant confiteri: isti docentis non secuti sunt ueritatem, cuius nascentis potuerunt nosse ciuitatẽ. Magos sanè ad ipsum proprie locum, ubi dei uerbum infans erat, illa stella perduxit. Hic iam erubescat stultitia sacrilega, & quædam, ut sic dicam, indocta doctrina, quę ideo putat Christum sub stellarum decreto esse natum, quia scriptum est in Euangelio, quando natus est, stellam eius magos in Oriente uidisse. Quod uerum non esset, nec si homines sub decreto eiusmodi nascerentur: quia nõ sicut dei filius propria uoluntate, sed naturæ mortalis conditione nascuntur. Nunc autem tantum abhorret à uero sub stellato fato natum esse Christum, ut nullos homines ita nasci credat quisquis recte credit in Christum. Sed de genituris hominum uani homines loquantur quod insipienter opinantur, negent uoluntatem qua peccant, confingant necessitatem qua peccata defendãt: perditos mores per quos in terra ab hominibus detestantur, in cœlo etiam figere conentur, & à syderibus manare mentiantur. Videat tamẽ unusquisq; eorum quemadmodum non uitam, sed familiam suam qualicunq; potestate regendam putet: quandoquidem ista sentiẽdo seruos suos in domo peccantes uerberare non sinitur, nisi prius deos suos in cœlo radiantes blasphemare cogatur. Christum tamen isti nec secundum suas uanissimas coniecturas, & non sanè fatidicos, sed planè falsidicos libros, ideo putent sub stellarum decreto esse natũ, quia eo nato stellam Magi in Oriente uiderũt. Hinc enim potius Christus non sub dominatu eius, sed dominus eius, apparuit: quia illa non in cœlo sydereas uias tenuit, sed hominib. quærentibus Christum uiam usq; ad locum in quo natus fuerat demonstrauit. Vnde non ipsa Christum fecit mirabiliter uiuere, sed ipsam fecit Christus mirabiliter apparere. Nec ipsa Christi mirabilia decreuit, sed ipsam Christus inter sua mirabilia demõstrauit: Ipse enim natus ex matre de cœlo terræ nouum sydus ostẽdit, qui natus ex patre cœlum terramq; formauit. Eo nascente lux noua est in stella reuelata, quo moriẽte lux antiqua est in sole uelata. Eo nascẽte superi nouo honore claruerũt, quo moriẽte inferi nouo timore tremuerũt, quo resurgente discipuli nouo amore exarserunt, quo ascẽdente cœli nouo obsequio patuerunt. Celebremus ergo deuota solẽnitate hũc diem, quo cognitũ Christum Magi ex gẽtib. adorauerũt, sicut celebramus illum diẽ quo natũ Christum pastores ex Iudæa uiderunt. Ipse em̃ dominus deus noster qui elegit Apostolos ex Iudęa pastores, per quos congregaret saluandos etiã ex gentibus peccatores.

In eodem festo. Sermo VII

Ser. XXXI

OMINI & saluatoris nostri Iesu Christi aduẽtus in carne in ipso de uirgine rudi eius exortu manifestari gentibus cœpit, cum ad eum adorandũ Magi ab Oriẽte uenerũt. Hic dies solẽnissimus debita sanctitate est factus ecclesiæ, maxime quæ creuit ex gentibus, & angulari lapide alterum parietem structura uberiore compegit, ut ille pax nostra faceret utraq; unũ, ex circumcisione & præputio cõdens ecclesiam. Vnde & lapis angularis dictus est, tanquam in se copulans ex diuersitate uenientes, ut commutaret utrosq; in uno corpore deo, sicut Prophetica & Euangelica & apostolica doctrina testatur. Nato itaq; domino ex uirgine, quem diẽ nuperrime celebrauimus, pastores admoniti ab angelis secũdum Lucam Euangelistam ad infantis uerbi præsepe uenerunt. Pastores aũt illi Israelitæ fuerunt. Ecce præsignatus est unus paries, angularem lapidem de circumcisione præcurrens. Paucis diebus inde transactis, hodie Magi ab Oriente uenisse creduntur, & illius paruuli magnitudinem cognouisse, quos Matthæus Euangelista commemorat. Ecce alius paries ex præputij desperatione concurrens nos proprie figurauit, & diem nobis festum familiari lætitia germinauit. In cœlo enim uidentes ignotissimam stellam, non ante paucos dies, sed ante ferme biennium, sicut inquirenti Herodi patefecerunt. Vnde à bimatu & infra, secundum tempus ut scriptum est, quod inquisierat à Magis. Hanc stellam sicut intelligitur admirati, cuius etiam esset consequenti reuelatione nosse meruerunt, regis uidelicet Iudæorum: eoq; nato cum & hoc eius gratia cognouissent, ad eum adorandum hodie occurrere potuerunt, Non utiq; regi Iudęorum, qualis esse illic solebat, hunc

Luc.2

Matt.2

hunc tam magnum honorẽ longinqui alienigenæ & ab eodem regno prorsus extranei à se deberi arbitrabantur, sed tamen natum esse didicerant in quo adorando se salutem, quę secundum deum est, consecuturos minime dubitarent. Necq; enim ætas erat saltem cui adulatio humana seruiret, nõ sub poplite sella regalis, non de mẽbris purpura, non de capite diadema fulgebat: nõ pompa famulantium, nõ terror exercitus, non gloriosorum fama præliorum hos ad eum uiros ex remotis terris cum tanto uoto supplicationis attraxerat. Iacebat in præsepi puer ortu recens, exiguus corpore, cõtemptibilis paupertate: sed magnũ aliquid latebat in paruo, quod illi homines primitiæ gentiũ non terra portante sed cœlo narrante didicerant, qui tam ex longinquo tam supplices ueniebant, & q̃d intuendo non uidebant, promereri adorando cupiebant. Regina quædam Austri uenerat à finib. terræ audire sapientiam Salomonis, nec illa regni eius sublimitate sed mentis luce commota est. Veruntamen inerat in Salomone doctrina, quæ uerbis eius longissime ac latissime diffamatis ad discendum potuit studiosos animos excitare: proinde illa non latentem deum sed loquentem hominem, non adorare uenerat sed audire. Hic autem qui donauerat illam sapientiam Salomoni, & erat uirtus ac sapientia dei infirmitate carnis indutus, adhuc per pusillam ætatem tacebat in terris, & iã per amplissimam maiestatem clarebat in cœlis. Quid times Herodes? Quid maligna mente turbaris? Si salutem tuam sapias, ille natus est per quẽ regnum dei uideas. Quid sæuis? Quid occidis infantes? Quid ætatem innoxiam noxius insectaris? Agladio regis huius nemo erit crudelitate sed pietate securus. Detestanda ergo regis Herodis insania, sed magis miranda Iudæorũ stultitia, propter quos iudicandos dispositione diuina se à cõspectu Magorum Christum quærentium parumper illa stella subtraxit. Apparuit nãque ut locum in quo puer fuerat demonstraret. Poterat utiq; index etiam ciuitatis existere, sed quod in Bethleẽ Iudæ Christus nasceretur, de libris sanctis interrogati Iudæi proferre debuerunt, parati ad legendũ, cæci ad intelligendum, duri ad credendum. Hos ergo nos in uetustate literæ dimittamus, & ex eorum adiuti codicibus adorandum Christum cum istis alienigenis agnoscamus.

Item in eodem festo alius sermo factus ad fratres in eremo, qui inter sermones ad eosdem habetur XLIII

Dominica intra octauas Epiphaniæ domini de baptismo Christi.

Sermo I

Ser. XXXVI

NTELLIGERE possumus fratres charissimi quãtam gratiam Christo domino debeamus, q̃ uota uotis accumulat, gaudia gaudijs multiplicat. Ecce enim adhuc exultãmus Christum dominum natum, & iam eum lætamur pro salute humani generis baptizatum. Nec dum ortus est eius expleta festiuitas, & iam baptismatis eius est celebranda solennitas. Vix natus est hominibus, & iam renascitur sacramentis. Hodie enim licet post multa annorum curricula cõsecratus est in Iordane. Ita ergo disposuit dominus ut uotis uota subiungeret, hoc est, in uno eodemq; tempore & æderetur per uirginem & per mysterium gigneretur, esset q̃ continuata festiuitas carnis natiuitas atque baptismatis: ut quemadmodum tunc eũ miramur incorrupta matre progenitum, ita & nunc suscipiamus illum pura unda submersum. Et gloriemur in utroq; facto, quia filium genuit mater & casta est, & quia Christum unda lauit & sancta est. Nam sicut post partũ glorificata est Mariæ castificatio, ita post baptismum aquæ est purificatio comprobata, nisi quod penè maiori munere quàm Maria unda ditata est. Illa enim sibi tantum meruit castitatem, ista nobis cõtulit sanctificationem. Illa meruit ne peccaret, ista ut peccata purgaret. Illa propria delicta à se repudiat, ista in se per dei gratiam aliena condonat. Illi est collata uirginitas, isti donata fœcunditas. Illa unum procreauit & pura est, ista genuerit plures & uirgo est. Illa præter Christum nescit alium filium, ista cum Christo mater est populorum. Natalis ergo hodie alter est quodammodo saluatoris. Nam ijsdem eum signis, ijsdem miraculis cognoscimus genitũ, sed nunc maiore mysterio baptizatum. Deniq; spiritussanctus qui tunc illi in utero affuit, modo eum in gurgite circumfulsit. Qui tunc Mariam castigauit, nunc fluenta sanctificat. Pater qui tunc obumbrauit in uirtute, nunc clamat in uoce, & quasi maturiore consilio qui tunc umbram præstitit natiuitati, modo testimonium perhibet ueritati. Ait enim deus, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Præclarior planè est secunda quàm prima natiuitas. Illa enim sine teste silentio Christum genuit, ista cum diuinitatis professione dominum baptizauit. Ab illa se Ioseph qui pater putabatur excusat, in hac se pater qui non credebatur insinuat. Ibi laborat suspicionibus mater, quia professioni deerat pater: hic honoratur genitrix, quia diuinitas filium protestatur. Honoratior, inquam, secunda quam prima natiuitas. Siquidem pater hic deus maiestatis inscribitur, illic Ioseph artifex æstimatur. Et licet in utraque dominus per spiritum sanctum & natus sit & baptizatus, tamen honoratior est qui de cœlis clamat, q̃ qui in terris laborat. Ioseph ergo faber in terris pater putabat̃ esse domini Saluatoris, nec ab hoc opere deus qui uere est pater domini nostri Iesu Christi excludit̃: Nã est & ipse faber. Ipse em̃ est artifex, qui huius mundi machinam, non solum mirabili sed etiam ineffabili potentia fabricauit. Tanquam sapiens architectus cœlum sublimitate suspendit, terram mole fundauit, maria calculis alligauit. Ipse artifex, qui in nostris moribus præcidit superflua opera, utilia quæq; conseruat. Ipse est artifex, cuius securim ad radicem nostram positam Ioannes baptista cõminatur, ut omnis arbor quæ normã iustæ discretionis excesserit, excisa radicitus tradat̃ incendio: Quę autem mensuram ueritatis habuerit, cœlesti

Luc.3

Matt.3

Matt.1

Matt.13

fabricæ deputetur. Hodie ergo baptizatur dominus in Iordane. Quale est hoc baptismũ, ubi purior est fonte ille qui mergit, ubi dũ susceptũ aqua diluit, non sordibus inficitur, sed benedictionib. honoratur? Quale, inquam, saluatoris est baptismum, in quo purgãtur potius fluenta quàm purgant? Nouo enim sanctificationis genere Christum non tam lauit unda ꝗ lota est. Nam ex quo Saluator in aqua se mersit, ex eo omniũ gurgitum tractus cunctorũq; fontiũ uenas mysterio baptismatis consecrauit. Et quisquis ibi in nomine dñi baptizari uoluerit, non tam illum mundi aqua diluit quàm Christi unda purificat. Saluator autem ideo baptizari uoluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluenta mundaret. Interea Magorum beata legatio perducta ad sacra cunabula radio de super currente miratur, ludęam prę cedit Aethiopia peccati exuenda nigredine, & fidei induenda candore. Quàm stupẽda dignatio: Inter amplexus genitricis includitur, qui cœlum terramq; cõplectitur. In sinu matris latet, qui regnum patris excedit. Per simplex officium, spiritale reuelatur arcanum. Humanitas cernitur, & diuinitas adorat. Exhibent aurũ, thus & myrrham, plus in mysteriis ꝗ in conscientijs offerentes. In auri munere regia dignitas, in thuris uapore diuina maiestas, in myrrhæ specie sepelienda demonstratur humanitas: ac sic trinitatem oblationũ numerus loquitur, unitatem deuotio una testat. Per hoc ergo peruigili intentione cordis cœlum semper studeamus aspicere, si ad Christum cupimus peruenire. Dirigat ergo nobis semitas uitæ, perfecta stella iustitiæ, quæ dixit, Nõ apparebis in cõ spectu meo uacuus. Offeramus ei aurũ fidei, pietatis aromata, castitatis holocausta. Spiritalem quoq; myrrham habeamus in nobis, quæ ita animas nostras condiat, ut illęsas à peccati corruptione custodiat: q̃d ipse præstare dignet, qui uiuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

In eadem dominica: Sermo II

Ser. XXXVII B. Maximi

L ICET fratres dilectissimi de solennitate diei huius ueterũ sit diuersa traditio, una tamen sanctę deuotionis est fides. Et quanquam nonnulli hodie dominum nostrum Iesum Christum stella duce uenientibus ab Oriente Magis æstiment adoratum: Alij autẽ asserant eum aquas in uina mutasse: Quidam uero baptizatum illum à Ioanne confirment, in omnibus dei filius creditur, in omnibus est uera festiuitas. Nam quod Magis utiq; gentibus & adorare dominum & munera offerre cõceditur, gentium est præfigurata uocatio. Quòd aquæ uero transformantur in uinum, religionis nostræ designatur arcanum. Quòd uero fluentis Iordanis baptizatur Iesus, aquæ nostro baptismati consecrant. Oportet itaq; charissimi, ut aliqua nunc de ipso baptismate sanctitati uestræ prout dominus donauerit pferamus, ut simul & humilitatẽ Saluatoris nostri, & mysteriorum gloriã cognoscatis. Prædicabat in deserto Ioannes baptismum pœnitẽtiæ populo, in remissionem peccatorũ, non quo crimina cõmissa deleret, sed quo emẽdaret errantes. Nam
A remissio peccatorum Christi gratiæ seruabatur. Confluebat ergo ad Ioannem desiderio lauacri diuersorum copiosissima multitudo, quorũ erant tam scelerati actus, uita tam perdita, ut eos uenerabilis Baptista uiperino semini compararet. Inter huiusmodi homines ille uirtutum cœlestium dominus, ille qui respicit terram & facit eam tremere, Christus Iesus, non dedignatur humilis & quietus ad seruuli sui baptismum properare. Sed quid mirum de mansuetudine, si se prophetæ manibus inclinauit, qui se ab inimicis suis passus est crucifigi? Quo properante ad fluuium, talem Ioannes circumstantibus turbis erupit in uocem,
B Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mũdi: hoc Ioan. 1
est dicere, Cessate iã, cessate à baptismo meo quo pœnitẽtia incepit: Ecce baptista per quem crimina dimittuntur, desinite ulterius à cõseruo uestro baptizari uelle, præsens est dominus omnium nostrum qui baptizat ad uitam. Illum sequimini, illi credite, ab illo lauacrum salutis tota mente supplices postulate, à quo & ego ipse baptista uester cupio baptizari. Non renuit quidem Iesus testimonium uocis huius, sed qui per ordinem uellet uniuersa complere, nihilominus baptizari se expetit à Ioanne: & baptista deuotus baptizandi sui potentia tremefactus ait, Ego à te debeo baptizari, Matth. 3
& tu uenis ad me? id est, quoniam ego creatura sum, tu creator. Ego seruus, tu dominus. Ego figura, tu ueritas. At Iesus ait, Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam: id est, quid nunc ista commemoras, propositum suscepi humilitatis, implendum est, Tunc ille qui præsumere formidabat, uelociter paruit præcipientis imperio. Baptizatur ergo Iesus non sibi, sed nobis. Baptizatur ut non purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet. Baptizatur nouus homo, ut noui baptismatis constituat sacramentum. Aperti sunt,
C inquit, ei cœli. Aestimo ut in cœlestibus esset miraculum de his quę gerebant in terris: sicut ait scriptura, In quẽ concupiscũt angeli pspicere. 1. Pet. 1
Quomodo enim poterant non mirari uirtutes cœlorũ & dominationes, Cherubin & Seraphin, cum uiderent dominum sabaoth in fluuio à Ioanne baptizari? Vt autem Ioannis testatio etiam cœlesti testimonio confirmet, uidit spiritũ sanctum corporali specie, quasi columbam descendentem & ma
D nentẽ super Iesum. Audit & patrem dicẽtem, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui bene. Aduertite dilectissimi fratres quanta nobis in baptismate domini nostri Iesu Christi patefacta sit gratia, ꝗ subtili sacramento trinitas se homini reuelauit. Pater enim audit in uoce, filius manifestatur in homine, spiritus sanctus dinoscitur in columba. Quàm mirifico autẽ mysterio noster Iesus Christus uel tactu corporis sui, uel transitu glorię suę omnem ad momentum creaturam sanctificat, uiuificat & illustrat? Aquas enim consecrat dum baptizatur, terram sanctificat dum sepelitur, mortuos suscitat dum resurgit, cœlestia glorificat dum ascendit in cœlum & sedet ad dexteram patris.

In eadẽ dominica de Trinitate & columba:

Sermo III

SERMO XXXVIII

Q VAMVIS fratres in huius exilij ærumnosam cæcitatem pro originalis peccati iustissima pœna à gaudio beatæ felicitatis deiecti simus, non tamen ita inde præcisi atq; abrupti sumus ut non etiam in istis mutabilibus ęternitatem, ueritatem, beatitudinem quærere uel desiderare ignoremus. Quod ex eo perspicuum est, quòd nec mori, nec falli, nec miseri esse uoluntatẽ habemus: unde ex naturali instinctu beatos esse uelle, qui est omnibus licet diuerso modo, in animis singulorum beatitudinis appetitus fiat. Quidam enim beatum existimant esse regno potiri terreno, alij diuitijs abundare, alij honoribus exaltari: Quidam uero laudibus celebres esse gau
B dent, alij uoluptatib. inhiant carnalibus. Sed nequaquam in huius uitæ uolubilitate uera inueniri poterit beatitudo. Quocirca tota sancta series scripturarũ nos à terrenis ad cœlestia erigi adhortatur, ubi uera & sempiterna est beatitudo, ad quã nisi per fidem catholicæ pacis cooperante charitate dei & proximi neminem peruenire certissimũ est, Deniq; ad ueram beatitudinem peruenire uolentibus, primo omnium fides necessaria est: sicut Apostolica docet autoritas dicens, Sine fide
Heb. 11 impossibile est placere deo. Constat ergo neminem ad ueram posse peruenire beatitudinem, nisi deo placeat, & deo neminem posse placere nisi per fidem. Fides nanq; est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium. Si-
C ne hac nemo ad filiorum dei consortiũ potest peruenire, quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam iustificationis exequitur gratiam, nec in futuro uitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem beatæ uisionis domini nostri Iesu Christi. Proinde omnis anima rationalis ætate congrua discat fidem catholicam, maxime populi prædicatores Christiani, & ecclesiarum dei doctores, ut possint ueritati contradicentibus resistere, & catholicam amantibus pacem prodesse. Quomodo enim docet quis quod nõ didicerit, uel qualiter pastor esse poterit si pane uitæ gregem sibi commissum pascere ignorat? Non erubescat discere nesciens
D quod ignorat, nec sciens tardus sit docere quod nouit, Sciat uterq; suo domino acceptæ pecuniæ rationem se redditurum. Tũc desiderabilem fide-
Matth. 25 lis seruus audiet uocem domini dicentis, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Omnis itaq; scriptura ueteris ac noui testamenti diuinitus inspirata si catholice intelligitur, hoc insinuat, quòd pater & filius & spiritus sanctus unus sit deus, eiusdem substantiæ uniusq; essentiæ, atque inseparabilis in diuinitate unitas. Ideoq; non sunt tres dij sed unus deus, pater & filius & spiritus sanctus. Quamuis pater filium genuerit, & ideo filius non sit qui pater est: filius à patre sit genitus, & ideo pater non sit qui filius est: spiritus sanctus nec pater sit nec filius, sed tantum patris & filij spiritus, patri & filio etiam ipse
A coæqualis & ad trinitatis pertinens unitatem: Et hæc trinitas unus deus est ex quo omnia, per quẽ omnia, & in quo omnia beato Paulo attestante ubi ait, Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso Rom. 11
sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum, Amẽ. Teneamus igitur firmissime patrem & filium & spiritum sanctum unũ esse naturaliter deum, neq; tamen patrem ipsum esse qui filius est, nec filium ipsum esse qui pater est, nec spiritum sanctum ipsum esse qui pater est aut filius. Vna est enim patris & filij & spiritus sancti essentia, in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud spiritus sanctus, quamuis personaliter alius sit pater, alius filius, alius spiritus sanctus. Quod nobis maxime in i-
B psо sanctarum scripturarum initio demonstratur, ubi deus dicit, Faciamus hominem ad imagi- Gen. 1
nem & similitudinem nostram. Cum enim singulari numero dicit, Imaginem, ostendit unam naturam esse, ad cuius imaginem homo fiebat, non unam esse personam. Si enim illa una essentia patris & filij & spiritus sancti una esset persona, non diceretur ad imaginem nostram, sed ad imaginem meam: nec dixisset, faciamus, sed faciam. Si uero in illis tribus personis tres essent credendæ uel intelligendæ substantiæ, non diceretur ad imaginem nostram, sed ad imagines nostras. Sed ad unam imaginem unius dei homo factus dicitur, ut una sanctæ trinitatis essentialiter diuinitas intimaretur. Hanc quoque trinitatem
C personarum atque unitatem naturæ propheta Esaias reuelatam sibi non tacuit, cum se dicit Seraphin uidisse clamantia, Sanctus sanctus sanctus Esa. 6
dominus deus Sabaoth. Vbi prorsus in eo quod dicitur ter sanctus, personarum trinitatem, in eo uero quod semel dicitur, dominus deus sabaoth, diuinæ naturæ cognoscimus unitatem. Plane ergo & absq; omni dubitatione credendum est patrem & filium & spiritum sanctum unum esse deum omnipotentem, æternum, incommutabilem: & singulus horum deus, & simul omnes unus: & singulus quisque horum plena & perfecta æterna substantia, & simul omnes una substãtia. Quia quicquid est pater quo deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc filius, hoc spiritus san-
D ctus. Ita etiam quicquid est filius in eo quod deus est, quo substantia est, quo ęternitas est: hoc pater, hoc spiritus sanctus est. Et quicquid est spiritus sanctus in eo quod deus est, quo substãtia est, quo æternitas est, hoc pater est & filius. Vna ergo in tribus diuinitas, una essentia, una omnipotentia, & quicquid substantialiter potest dici de deo. Si forte de solo patre interrogatus fueris, Quid sit pater? responde, deus. Interrogatus de filio, responde deus. Interrogatus de spiritu sancto, responde, deus. Si interrogatus fueris simul de patre & filio & spiritu sancto, non deos, sed deum responde unum, omnipotentem, incommutabilem. Sciendum est uero quòd quædam de deo substantialiter dicuntur, ut deus est magnus, omnipotens, & quicquid ad se dicitur, id est, substan-

tiam diuinitatis significans. Quædam uero relatiue dicuntur, ut pater ad filium, filius ad patrem, A
& spiritus sanctus relatiue ad patrem & filium: ad se autem siue pater, siue filius, siue spiritussanctus deus dicitur. Itaq; pater eo quod deus est, hoc ipso substantia est, quia eiusdem substantiæ proculdubio & filius deus & spiritussanctus deus. At uero deus, eo quod pater est relatiue dicitur, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad filium deum esse. Nec ita dicimus filium patrem esse, sicut dicimus deum esse, quia deus substantialiter dicitur, pater uero & filius & spiritussanctus relatiue dicitur. Sicut enim relatiue pater & filius dicuntur, ita & spiritussanctus ad patrem & filium quodammodo relatiue dicitur, quia patris & filij spiritus est. Sed ipsa relatio spiritussancti non ita B
reciproca ratione conuerti poterit sicut pater & filius. Nam pater filij pater dicitur, & filius patris filius dicitur, spiritus uero sanctus uniformiter dicitur ad patrem & filium, quia patris & filij spiritus est. Dicimus enim spiritumsanctum spiritum patris, sed non uicissim dicimus patrem spiritus sancti, ne filius eius intelligatur spiritus sanctus. Item dicimus spiritum sanctum spiritum filij, sed nõ dicimus filium spiritussancti, ne pater eius intelligatur spiritussanctus. Dicitur & idem spiritus donum dei, quia donator est deus doni sui. In quibus nominibus circunferri potest uicissim relationis regula, ut si dicamus donator doni, & donum donatoris: quia in his uocabulis potuit inueniri usitata huic categoriæ quæ dicitur ad aliquid C
circumlatio. Ergo hoc donum dei, id est, spiritus sanctus qui de patre & filio æqualiter pcedit, ineffabilis quædam patris filijq; communio est. Et ideo fortasse sic appellatur, quia patri filioq; potest eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipse proprie dicitur quod illi communiter dicuntur, quia & pater spiritus & filius spiritus recte dicitur. Ergo ut nominibus iunctis quæ separatim utrique personæ conueniunt utriusque communio proprie significetur, uocatur spiritussanctus, quæ est tertia in sancta trinitate persona patri & filio per omnia æqualis, coæternus & consubstantialis. Et hæc trinitas unus est deus solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens, ipse sibi unitas, deitas, magnitudo, bonitas, omnipotẽtia, & quic D
quid ad se substantialiter dicitur. Non ita in relatiuis uocabulis intelligendum est uel dicẽdum: quia dici non potest pater sibi pater, uel filius sibi filius, uel spiritussanctus sibi spiritussanctus, sed hæc relatiua uocabula ad aliam proculdubio personam referri debent. Quicquid ergo ad se dicuntur pater & filius, non dicitur alter sine altero: id est, quicquid dicuntur quod substantiam eorum ostendat, simul dicuntur. Si hæc ita sunt, iam ergo nec pater est deus sine filio, nec filius deus sine patre: id est, non ita dicitur deus pater quasi filius non sit deus, nec filius ita dicitur deus quasi pater non sit deus, sed ambo simul deus, etiam & unus deus. Quocirca quicquid secundum substantiam uel æternitatem de eis dici potest, ambo simul sunt: ut quod de filio dicitur, deus de deo, lu A
men de lumine, ambo simul lumen: sed non pater deus de deo, nec lumen de lumine, sed filius deus de deo, & lumen de lumine, ambo tamen simul & semper unus deus & unum lumen. Sic etiam de alijs appellationibus quæ secundum substantiam dicũtur, id est, quod simul ambo sunt dici debet: ut omnipotens, magnus, bonus, æternus & cætera, quæ ad se dicuntur. Quod si ita est, hoc solum de eis dici non potest illud de illo, quod simul ambo non sunt: sicut uerbum de uerbo dici non potest: quia non simul ambo uerbum, sed solus filius: nec imago de imagine, quia non simul ambo imago sed solus filius imago: nec filius de filio, quia non simul ambo filius, nec pater de patre, qa B
nõ simul ambo pater. Et ideo q̃d Euangelista ait, Et uerbum erat apud deum, multum est ut sic intelligatur, uerbum quod solus est filius, erat apud deum quod non solus est pater, sed pater & filius simul deus. In quo perfecte intelligitur, quòd non præcessit genitor illud quod genuit. Et quod ipse in Euangelio ait: Ego & pater unum sumus: V- Ioan.10
num sumus enim: id est, quod ille, hoc & ego, secũdum essentiam non secundũ relatiuum. Quod dicimus lumen de lumine, non duo lumina intelligenda sunt uel separatio luminis, sed intelligendum est quòd filius effulgentia æterna luminis est æterni, sicut imago sempiternæ substantiæ sempiterna est imago. Exempli gratia: Si quæris quid sit Abraham iuxta substantiam: Respondetur ho C
mo, Si quæris de Abraham cur pater sit: Relatiue respondetur, quia filium habet Isaac. Si quæris de Isaac cur sit filius: Relatiue respõdetur, quia patrem habet Abraham. Omnis uero relatio ad aliquid aliud refertur. Et hæc regula relationis in personis sanctæ trinitatis intelligenda est. Si ergo interrogatus fueris de deo, cur dicatur pater: Relatiue responde, quia habet filium. Ita etiam de filio responde, relatiue ideo esse filium quia habet patrem. Si ergo dictum de deo tibi fuerit, quomodo pater hoc est quod filius, aut filius hoc est quod pater? Responde secundum substantiam, hoc est filius quod pater, hoc pater quod filius, quia unus est deus & una substantia pater & filius. Ad se enim deus substantialiter dicitur: Ad patrem filius, uel pater ad filium relatiue dicitur. Iuxta personę proprietatem non est pater qui filius, nec filius qui pater: iuxta substantiæ unitatem hoc pater quod filius, id est, deus unus omnipotens. Quicquid ergo ad seipsum dicitur deus, & de singulis personis dicitur de patre & filio & spiritu sancto, & simul de ipsa trinitate non pluraliter sed singulariter dicendum est: quoniam quippe non aliud est deo esse & magnum esse uel aliud esse, & aliud bonum esse, sed hoc idem est illi esse & magnum esse & bonum esse: propterea sicut non dicimus tres deos, nec tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, nec tres bonitates, sed unum deum, unam essentiam, & unam magnitudinem & unam bonitatem. Absq; omni scilicet dubitatione credi necessariũ est, quòd pater plenus

plenus deus & perfectus est, filius plenus & perfe
ctus est deus, spiritus sanctus plenus & perfectus A
est deus: non tamen tres dij pater & filius & spiritussanctus, sed unus deus plenus & perfectus: nec aliquid maius tres simul dici pater & filius & spiritussanctus, quàm unus quilibet uel pater uel filius uel spiritussanctus: quia eadem natura est in unaquaque persona simul dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis. Non ita dicimus in hominibus fieri posse: Abraham plenus homo, Isaac plenus homo, Iacob plenus homo, & hi omnes unius substantiæ quantum ad humanam pertinet naturam: non tamen hi tres unus homo, sed tres omnimodis homines, & aliquid maius in tribus cognoscitur, quàm in quolibet uno eorum. Item Abraham unus homo, non tamen tres personæ B
in eo, sicut in uno deo tres personæ plenæ & perfectæ: Sed una persona in Abraham, sicut in uno solet homine esse. In deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est, nec tamen omne quod de deo dicitur secundum substãtiam dicitur, ut in superioribus diximus. Quamuis enim dicitur pater ad filium, filius ad patrem secundũ ad aliquid, non est tamen accidens patri patrem esse, nec filio filium esse: quia & ille semper pater, & ille semper filius: quia æternitas & incommutabilitas negat alicuius accidentis in deo instabilitatem: quia omne accidẽs secundum tempus, uel esse uel non esse potest uel potuit uel etiam poterit: quia pater nunquã non pater, filius nunquam non filius, nec cœpit unquã C
pater esse pater, nec filius esse filius. Quòd si aliquando cœpisset pater esse pater, uel filius esse filius, uel desineret esse quod erat, secundum accidens diceretur pater uel filius. Si uero quod dicitur pater ad seipsum diceretur non ad filium, & quod dicitur filius ad seipsum diceretur non ad patrem, secundum substantiam diceretur: Sed pater non dicitur pater nisi ex eo quod est ei filius, & filius non dicitur filius nisi ex eo quod habet patrem. Non ergo secundum substantiam ut dictum est in prioribus, quia non quisque eorum ad seipsum sed ad se inuicem atque ad alterutrũ ista dicuntur. Neq; secundum accidens, quia & quod dicitur pater & filius, æternum atque incommuta bile est eis. Quamuis enim alius sit pater, alius fi- D
lius, non est tamen diuersa substantia patris & filij: quia hæc non secundum substantiam dicuntur sed secundum relatiuum, quod tamen relatiuum non est accidens, quia non est mutabile. Cum itaque tantus solus est pater uel solus filius uel solus spiritussanctus, quantus est simul pater & filius & spiritussanctus, nullo modo triplex dicendus est deus, quia non est quo crescat illa perfectio summæ trinitatis. Perfectus autem siue pater siue filius siue spiritussanctus, & perfectus deus pater & filius & spiritussanctus, ideo trinitas potius quàm triplex dicẽda est: habent singulę in trinitate personæ aliquid proprium, quòd inseparabili æqualitate aliquam in se ostendant proprietatem. Pater solus pater, & filius solus filius, & spiritussanctus solus spiritussanctus. Et pater hoc habet pro- A
prium, quod ex omnibus quæ sunt solus est, quia ab alio non est, ac per hoc solus est in paternitatis persona, non in diuinitatis essentia. Vnigenitus uero dei filius hoc habet proprium, quòd ex solo id consubstantialiter, id est patre, & coessentialiter solus genitus est, & in hoc personę suę proprietas. Spiritussanctus autem hoc habet proprium quòd ex patre & filio æqualiter procedit, & est amborum spiritus eiusdemq; substantiæ & æternitatis cum patre & filio. Sed hæc tria uere etiam tria sunt ineffabiliter, quæ tria & essentialiter tria habentia proprietates suas: & hęc trium unum & uere unum: & hoc unum tres, sed non tres patres, nec tres filij, nec tres spiritussancti, sed tres B
personæ: Vnus pater, unus filius, unus spiritussanctus: & hi tres, id est, pater & filius & spiritussanctus unum sunt in natura, omnipotentia & æternitate. Sed hoc etiam atque etiam firmiter tenendum est, nihil in sancta trinitate ad se dictum, plurali numero esse dicendum, quia simplex illa diuinitatis summæ natura singulari numero dici debet non plurali: ac ideo non tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos, nec tres essentias in deo dicere fas est. Cum enim personaliter alius sit pater, alius filius, alius spiritus sanctus, his tamen unum est naturę nomen, quod dicitur deus uel substantia uel essentia uel omnipotentia, uel alia multa quæ substantialiter non relatiue de deo dicuntur. Indubi- C
tanter siquidem credere debemus, ipsam sanctam trinitatem esse inseparabilis substantiæ, essentiæ, inseparabiliterq; operari quicquid à singulis personis legimus operatum esse. Quamuis enim certissimum sit patrem esse solum qui dixit: Hic est Matt.3
filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: & filium esse solum super quem illa uox solius patris sonuit, quando in Iordane secundum Ioannem baptizatus est idem unigenitus deus qui carnem solus accepit: & spiritum sanctum patris & filij solum esse, qui in specie columbæ super eum baptizatum ascendentem de aqua descendit, & quinquagesima die post resurrectionem Christi fidelis in uno loco positos in linguarum ignearum uisione aduenienes repleuit: Illam tamen ue- D
rissime uocem qua solus locutus est deus pater, & illam carnem qua solus homo factus est unigenitus deus, & illam columbam in cuius specie spiritussanctus super Christum descendit, illasq; linguas igneas in quarum uisione fideles in uno loco cõstitutos repleuit, opera esse totius sanctę trinitatis, id est, unius dei qui fecit in cœlis & in terra uisibilia & inuisibilia, uerissime credendum est. Deus ergo per immensitatem naturæ suę totam creaturam suam & implet & continet: ac per hoc totum quicquid est implet pater, totũ filius, totum spiritussanctus, quia pater & filius & spiritussanctus naturaliter unus est deus. Inseparabilis ergo naturæ unitas non potest separabiles habere personas. Hæc uero summæ diuinitatis atq; indiuiduæ unitatis natura, quæ est sola ubiq; tota sicut

ſicut ubiq; inſeparabilem habet unitatem naturæ uel operis, ſic ſeparationem non poteſt accipere A
perſonarum. Nominantur quidem illæ perſonæ aliquando ſingulæ: ſed ita ſe uoluit ipſa deus trinitas inſeparabilem oſtendere in perſonis, ut nullum ibi nomen ſit in qualibet perſona quod ad aliam ſecũdum relationis regulam non referatur. Sicut pater ad filium, uel filius ad patrem, uel ſpiritus ſanctus ad patrem & filium ueriſſime refertur. Ea uero nomina quæ ſubſtantiam uel potentiam uel eſſentiã dei ſignificant, uel quicquid proprie ad ſe dicitur deus, omnibus perſonis æqualiter conuenit, ut deus magnus, bonus, ęternus, omnipotens, & omnia quæ naturaliter de deo dicunt. Nõ eſt ergo aliquod naturę nomen quod ſic patri conuenire poſſit, ut aut filio aut ſpiritui ſancto cõ- B
uenire nõ queat. Deus enim pater naturaliter eſt deus, æqualiter & filius & ſpiritus ſanctus. Idcirco inſeparabilis eſt ſancta trinitas in perſonis ſenſu intelligenda, quamuis in uoce ſeparabilia habeãt nomina, quia pluralem numerũ in naturę nominibus nullatenus recipit. In hoc oſtẽditur perſonas non poſſe diuidi in ſancta trinitate, quia cuiuslibet perſonæ nomen ſemper ad alterã recipit perſonam. Si patrem dicis, filiũ oſtendis: ſi filium nominas, patrem prædicas: ſi ſpiritum ſanctũ appellas, alicuius eſſe ſpiritum neceſſe eſt intelligas, id eſt, patris & filij. Et hoc regulariter tenere debemus, ꝙ omnis naturæ nomina uel eſſentiæ, ſicut in una perſona ſingulariter, ſic etiã ſemper in tribus ſingulari nomine dici debẽt. Si quis uero minus eſt in talibus exercitatus myſterijs ſummę tri C
nitatis, uotis agat apud deũ ut intelligat quæ dei ſunt, non mecũ querelis quod ea ſcripſi quę in ſanctorum dictis doctorũ legebam. Sciendum uero eſt quod per omnia idem eſt patrẽ dicere & ingenitum, quia & filiũ non genuiſſet niſi perhiberet eum dici ingenitum: quia dum dicitur ingenitus, non quod ſit, ſed quod non ſit ille, de quo dicis ingenitus, ſignificatur. Pater itaq; ſecundum affirmationem, ingenitus ſecundum negationem dicitur. Negatur itaq; eum eſſe genitum de quo hoc dicitur: nec tamen aliquid eum genuiſſe ſignificatur dum dicitur ingenitus. Patrẽ itaq; dum dicimus, ſignificamus eum filium genuiſſe, quia filius proprie de eo genitus dicitur, quia patrem habet qui
eum genuit. Sed non inter patrem & filiũ diuiſio uel ſciſſio, quia alter in altero eſt: ſicut in Euangelio legimus ipſum dominum dicentẽ: Ego in patre & pater in me eſt. Vnus ab uno genitus, perfectus à perfecto. Plenitudo diuinitatis in utroque, nihil differens alter ab altero, quia uita à uiuente
Ioan. 5 eſt filius à patre, ſicut ipſe ait, Sicut pater habet uitam in ſemetipſo, ſic talem filium genuit, qui uitam haberet in ſemetipſo. Spiritus ſiquidem ſanctus nec ingenitus nec genitus alicubi dicit: Neſi ingenitus diceret ſicut pater, duo patres in ſancta trinitate intelligerentur: Aut ſi genitus diceretur ſicut filius, duo itidem filij in eadem æſtimarentur eſſe ſancta trinitate: Sed tantummodo procedere de patre & filio ſalua fide dicendus eſt.

Qui cum non de patre procedit in filium, & de filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſicut
quidam male intelligentes credendum eſſe putabant, ſed ſimul de utroque procedit, quia pater tale genuit filium, ut quemadmodum de ſe, ita & de illo quoq; procedat ſpiritus ſanctus. Decẽ ſunt genera locutionis, quib. homines ſuos ſenſus ſolent inter ſe cõferre. Non de illis dico, quas grammatici partes orationis uocant, ſed de illis quas philoſophi Græce categorias, Latine prædicamẽta appellare ſolent. Quę quidem ſic nominantur: ſubſtantia, qualitas, quantitas, ad aliquid, quod genus locutionis relatiuum dicitur, Item habitus, ſitus, tempus, locus, facere, pati. Hæc ſunt igitur cauſæ locutionis noſtræ. Aut enim de ſubſtantia
cuiuslibet rei loquimur, uel de quantitate, id eſt, B
magnitudine, aut etiam de qualitate, in quo genere locutionis bonos dicimus qui boni ſunt. Aut uero ad aliquid, id eſt, dum perſonæ quælibet inter ſe conferuntur, ut dominus non dicitur niſi ſeruus intelligatur, nec iterum ſeruus niſi reſpiciatur ad dominum. Item de habitu animi uel corporis, aut de ſitu in quo conſiderabitur ſtare, ſedere, iacere. De loco & tempore, id eſt, quid in quo loco uel tempore fiat. Item quis quid faciat uel patiatur ſæpe loquela noſtra oſtendit. His ergo omnibus modis, ſolet ſancta ſcriptura de deo loqui, ſed aliter proprie, aliter translatiue, aliter relatiue. Proprie deus dicitur ſubſtantia una, ſumma, ineffabilis, quæ ſemper idem eſt quod eſt: quia nihil ei
accedens uel recedens ineſſe poterit, quæ ſemper C
eſt, quia ſemper immutabilis. Item deus magnus dicitur, non autem magnitudine, niſi qua ipſe magnus & immenſus. Ea igitur magnitudine magnus eſt, qua ipſe eadem eſt magnitudo, & ea bonitate bonus quæ ipſe eſt. Nec deo aliud eſt eſſe, aliud magnum eſſe, aliud bonum eſſe, ſed eo quo magnus eſt & bonus eſt, ideo nec tres ſubſtantias, nec tres magnos, nec tres bonos de deo dicere fas eſt. Quod autem facere dicitur, de deo ueriſſime dicitur, per quem omnia facta ſunt, domino dicente, Pater meus uſque modo operatur, Ioan. 5
& ego operor. Hæc quippe in prædicamentis ſupra nominatis de deo dicuntur, ſi tamen proprie de illo aliquid dici ore hominis poteſt. Relatiue
D autem de deo dicitur pater & filius & ſpiritus ſanctus, ſicut ſupra abundanter docuimus. Situs uero & habitus & loca & tempora & pati non proprie ſed translatiue per ſimilitudines dicuntur in deo. Nam & ſedere ſuper Cherubin dicitur, quod ad ſitum: Et abyſſus tanquam ueſtimentum amictus eius, quod ad habitum: et anni non deficient, quod ad tempus: & ſi aſcendero ad cœlum tu illic es, quod ad locum pertinet. Dicitur de deo: Pœnitet me hominem feciſſe: uel etiam, Laborauí ſuſtinens: Neque enim aliquid deus patitur quantum ad eius ſubſtantiam pertinet, quia deus eſt, quia incommutabilis & impaſſibilis ſubſtantia eſt: dum aliæ omnes ſubſtantiæ capiunt accidẽtia quibus in eis fiat uel magna uel quãtacunq; mutatio, deo aũt eiuſmodi aliquid accidere nõ poteſt: Gen. 6 Hiere. 6

&

& ideo ſola eſt incommutabilis ſubſtantia uel eſ-
ſentia quæ deus eſt, cui profecto ipſum eſſe unde A
eſſentia nominata eſt maxime ac ueriſſime competit. Cui ſoli optime id congruit nomen, quod Græci dicunt on, Latini eſt: ſicut Apoſtolus ait,
2 Cor. 1 Non eſt in illo eſt. Iam uero ſublimitas huius tam arduæ diſputationis reſpirare aliquantulum dictantem admonet, ut liberiori ſenſu ea quæ deinceps dicenda ſunt ingrediatur explanare. Omnis itaq; ſanctorum autoritas librorũ hoc nobiſcum agit ut recte de deo credamus, eumq; tota animi intentione amemus: Sed acies mentis humanæ inualida eſt ad aſpiciẽdam diuinæ maieſtatis excellentiſſimam lucem, niſi iuſtitiæ fidei & dilectionis diuina donante gratia illuſtretur ſplendo
re: quapropter diuina uotis omnibus poſtulanda B
eſt gratia ut mundetur oculus cordis ad uidẽdum quam proprie trinitas ſit unus & ſolus & uerus deus, & quàm recte pater & filius & ſpirituſſanctus unius eiuſdemq; ſubſtantiæ uel eſſentiæ dicatur, credatur, intelligatur. Ad huius ſacratiſſimæ beatitudinis uiſionem nemo niſi per fidem mundato corde attingere poterit, dicente ipſa ueritate, Beati mundo corde quoniam ipſi deum uidebunt. Hæc uero uiſio non carnalibus æſtimanda eſt oculis cerni poſſe, ſed puræ mentis intuitu cõſideranda eſt, ſecundum quod ſancti ſpiritus gratia noſtræ mentis aciem illuſtrare dignabitur. Eorum igitur quæ ſunt uel fuerunt uel futura ſunt,
cauſa eſt deus, & eorum dator eſt & creator: & C
non eſt dicere, hoc eſt ipſum quibus ut eſſent dedit: nec alicui creaturæ partem ſuæ ſubſtantiæ dedit, & cum ipſe ſit immutabilis, mutabilia ſine ſui mutabilitate creauit. Ideo in illo hymno laudabili, quem peracta cœna myſtica coram diſcipulis in laudem patris dei filius decantauit, non dixit de fidelibus ſuis, ut unum ſint nobiſcum: ſed, ut unum ſint in nobis: quia diuerſa ſubſtantia eſt creator & creaturæ. Nec etiam dixit: Ego & ipſi unum, quamuis per id quod eccleſiæ caput eſt, & corpus eius eſt eccleſia, poſſit dicere: Ego & ipſi non unum, ſed unus, quia caput & corpus unus eſt Chriſtus: ſed diuinitatem ſuam conſubſtantialem patri oſtendens ait, Vt ſint unum. Vult ergo eſſe ſuos unum, ſed in ipſo, quia in ſeipſis non poſſunt non diſſociari ab inuicem per diuerſas uolun
tates. Cum enim ſit ſancta trinitas unus & ſolus, D
in ſubſtantia ſolus, in perſonis tria, quædam cum multa uoluit eſſe, non illud eſſe ea uoluit quod ille ipſe eſt, dum ea quę uoluit eſſe originẽ habent. Illi ſiquidem ſine origine eſt eſſe, deum ſupra omnem exiſtentiam, ſupra omnem uitam, ſupra omnem intelligentiam credimus eſſe: Et ille eſt ſumma exiſtentia, ſumma intelligentia, ſumma uita, à quo omnis uita, omnis intelligentia & omnis exiſtentia. Dei enim idem ipſum eſt & potentia & ſubſtantia & diuinitas, & hæc omnia unum: Et hoc unum ſimplex de dei filio doctor egregius
Philip. 2 beatus Paulus apoſtolus dicit: Cum eſſet in forma dei non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo. Proinde melius eſſe uidetur æqualita-

tem de diuinis dicere perſonis quàm ſimilitudi-
nem, quanquã utrunq; inueniatur: quia una quæ- A
libet ſubſtantia ſecundũ quod ſubſtantia eſt, non eſt alia ut ſit ſimilis ad aliam. Nec enim in ſancta trinitate ſubſtantia ſubſtantiæ ſimilis eſt, ſed una & ipſa eadem ſubſtantia eſt: non eſt alia patris & filij & ſpirituſſancti, nec ſunt tres ſubſtantiæ ſimiles, ſed una trium æqualiter, nec pater filio prior, nec filius patre poſterior, ſicut Ariani uoluerunt. Nam Abraham & Iſaac licet unius ſint ſubſtantiæ ſecundum humanitatẽ, tamen Abraham prior eſt tempore & Iſaac poſterior: quamuis ſint ſimilis ſubſtantiæ, tamen illa ſimilitudo ſubſtantiæ in filio poſterior eſt tempore: quod impium eſt in deo credere aliquid prius eſſe uel poſterius, quia
non ex tẽpore deus cœpit eſſe pater: ſed ſicut ſem B
per deus, ita ſemper pater, ſemper habẽs filiũ quẽ ſemel genuit ex ſua æqualem ſibi natura. Addũt q̃q; dialectici quòd omne ſimile receptibile poſſit eſſe diſſimilitudinis: ſicut duo homines quamuis ſimilis ſint ſubſtantiæ, diſſimiles poſſunt eſſe moribus: ideo non poſſunt per omnia æquales dici, & ſunt duæ ſubſtantiæ in eis diuiſæ, unuſquiſq; in ſua ſubſtantia plenus homo, in patre uero & filio & ſpiritu ſancto non eſt ſimilis ſubſtantia, ſed una æqualis p̃ omnia, & ὁμοούσιον, id eſt, unius ſubſtantiæ, non ὁμοιούσιον, id eſt ſimilis ſubſtantiæ, ſicut hæretici uoluerunt.

Item in eadem dominica alius ſermo, qui habe- Eſt etiã Tom. 9. col. 1048.
tur inter ſermones de Verbis domini LXIII. ſed prolixior.
Dominica prima poſt octauas feſti Epiphanię de charitate. Sermo I

SERMO XXXIX

IVINARVM ſcripturarũ multiplicem
D abundantiam, latiſſimamq; doctrinã fra
tres chariſſimi, ſine ullo errore comprehendit, & ſine ullo labore cuſtodit, cuius cor plenum eſt charitate, dicente apoſtolo, Plenitudo Rom. 13
legis eſt charitas. Et in alio loco, Finis, inquit, legis eſt charitas. Et iterum dicit, Finis præcepti eſt 1. Tim. 1
charitas de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta. Si ergo non uacat omnes paginas ſcripturarum reuoluere, tene charitatem, & in ea inuenies omnem ſcientiam. Quis eſt autem finis præcepti, niſi præcepti adimpletio, niſi legis plenitudo? Quod ergo ibi dixit, Plenitudo legis eſt
charitas: hoc etiam hic dixit, Finis præcepti eſt D
charitas. Nec dubitari ullo modo poteſt, quod tẽplum dei ſit homo, in quo habitat charitas. Dicit enim & Ioannes, Deus charitas eſt. Hæc enim di- 1. Ioan. 4.
centes Apoſtoli, nobis charitatis excellentiam commendant. Non utiq; aliud niſi quod comederunt, eructuare potuerunt, Ipſe quoque dominus paſcens eos uerbo ueritatis, quod eſt ipſe panis uiuus qui de cœlo deſcendit, Mandatum, inquit, Ioan. 13
nouum do uobis, ut diligatis inuicem. Et iterum, In hoc ſcient omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi uos inuicem dilexeritis. Ille enim qui uenit per crucis irriſionem carnis perimere corruptionem, & uetuſtatem uinculi mortis noſtræ ſuæ mortis nouitate diſſoluere, mãdato nouo fecit hominẽ nouum

uum. Res enim uetus erat ut homo moreretur. Quod ne ſemper ualeret in homine, res noua facta
A est ut deus moreretur. Sed quia in carne mortuus eſt non in diuinitate, per ſempiternam uitam diuinitatis, non permiſit eſſe ſempiternum interitum carnis. Itaq; ſicut dicit Apoſtolus, Mortuus
Rom.4 eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtrã. Qui ergo contra mortis uetuſtatem attulit uitæ nouitatem, ipſe contra uetus peccatum opponit nouum mandatum. Quapropter quiſquis uetus peccatũ uis extinguere, mandato nouo extingue cupiditatem & amplectere charitatem. Sicut enim radix omnium malorum eſt cupiditas, ita & radix omnium bonorum eſt charitas. Totam magnitudinem & latitudinem diuinorum eloquiorum ſecura poſſidet charitas,
B qua deum proximumq; diligimus. Docet enim
Matth.22 nos unus cœleſtis magiſter, & dicit, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & diliges proximum tuum ſicut teipſum, In his duobus præceptis uniuerſa lex pendet & prophetæ. Si nunc ergo non uacat omnes paginas ſanctas perſcrutari, omnia uolumina ſermonum euoluere, ſcripturarum ſecreta penetrare, tene charitatem ubi pendent omnia, ibi tenebis etiam quod ibi non didiciſti. Si enim noſti charitatem, aliquid noſti unde & illud pẽdet quod forte non noſti, & in eo quod in ſcripturis non intelligis. Charitas patet in diuinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Quapropter fratres ſectamini charitatem dulce ac ſalubre uinculum mẽtium, ſine qua diues pauper eſt, & cũ qua pauper diues eſt. Hęc in aduerſitatibus tolerat, in proſperitatibus temperat, in duris paſſionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutiſſima, in hoſpitalitate latiſſima, inter ueros fratres lætiſſima, inter falſos patientiſſima. In Abel ſacrificio grata, in Noe per diluuium ſecura, in Abrahæ peregrinationibus manſuetiſſima: in tribus pueris iugulandis ignes innocẽter expectat, in Machabæis ſæuos ignes fortiter tolerat. Caſta in Suſanna erga uirum, in Anna poſt uirum, in Maria præter uirum. Libera in Paulo ad arguẽdum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Chriſtianis ad confitendum, diuina in Chriſto ad ignoſcendum. Sed quid ego de charitate maius aut uberius poſſum dicere, quàm quod per os Apoſtoli laudes eius intonat dominus, ſuperemi
1. Cor. 13 nentem uiam demonſtrantis atq; dicentis, Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum uelut ęramentum ſonãs, aut cymbalum tinniens? Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & habuero omnẽ fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi donauero omnes facultates meas, & ſi diſtribuero omnia mea pauperibus, & ſi tradidero corpus meũ ut ardeã, charitatem non habeam, nihil mihi prodeſſet, Charitas magnanima eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit perperam. Non inflat, nõ dehonestatur, non quęrit quę ſua ſunt. Non irritat, non cogitat malum, non gau
A det ſuper iniquitatem, congaudet autem ueritati. Omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuffert, charitas nunquam cadit. Quanta eſt iſta animarum ſalus, ſcientiæ ſolidamentum, fidei fructus, diuitiæ pauperũ, uita morientium? Quid tam magnanimum quam pro impijs mori? Quid tam benignum q̃ inimicos diligere? Sola eſt quã felicitas aliena non premit, quia non ęmulatur. Sola eſt quam felicitas ſua non tollit, quia nõ inflatur. Sola eſt quam conſcientia mala non pungit, quia non agit perperam. Inter opprobria ſecura eſt, inter odia benefica eſt. Inter iras placida eſt, inter inſidias innocens. Inter iniquitates gemens, in ueritate reſpirans, Quid illa fortius non ad retribuendas ſed ad non curandas iniurias?
B Quid illa facilius, non uanitate ſed ueritate? Nam ideo tolerat omnia in præſenti uita, qui credit omnia de futura uita, & ſuffert omnia quæ hic irrogantur, quia ſperat omnia quæ ibi promittuntur: merito nunquam cadit. Ergo ſectamini charitatẽ, & eam ſancte cogitantes afferte fructus iuſtitiæ. Et quod uberius quàm ego dicere potui uos inueneritis in eius laudibus, appareat in ueſtris moribus. Oportet ergo ut ſenilis ſermo non ſolum ſit grauis, ſed etiam breuis.

In eadem dñica de eo quod Chriſtus tribus modo in ſcripturis intelligatur. Sermo II

A Sermo XL. Sæpius hunc citat Beda in epiſtola Pauli.

OMINVS noſter Ieſus Chriſtus quan-
D tum aduertere potuimus ſcripturas, ſcilicet paginas ſanctas, tribus modis no-
C minatur quando prædicatur, ſiue per legẽ & prophetas, ſiue per epiſtolas apoſtolicas, ſiue per fidẽ rerum geſtarum, quas in euãgelio cognoſcimus. Primus modus eſt ſecundum deum & diuinitatẽ illam patri coæqualem atq; coæternã ante aſſumptionem carnis. Alter modus eſt, cũ aſſumpta carne iam idem deus qui homo, & idem homo qui deus, ſecundum quãdam ſuæ excellentiæ proprietatem, qua non cæteris coęquatur hominibus, ſed eſt mediator, & caput eccleſiæ eſſe legitur & intelligitur. Tertius modus eſt quodammodo totus Chriſtus in plenitudine eccleſiæ, id eſt, caput & corpus, ſecũdum plenitudinem cuiuſdam perfecti uiri, in quo uiro ſinguli mẽbra ſumus. Quod
D credentibus prædicat, & prudentibus agnoſcibile offertur: non omnia teſtimonia ſcripturarũ tam multa anguſto tempore ſiue recolere ſiue explicare poſſumus, quibus omnia tria iſta genera probemus: ſed tamen non omnia poſſumus improbata relinquere, ut quibuſdam cõmemoratis teſtimonijs, cætera quæ cõmemorare nõ ſinimur propter anguſtias temporis, per uoſipſos iam obſeruare in ſcripturis & inuenire poſſitis. Ad primum ergo modum inſinuandi domini noſtri Ieſu Chriſti, ſaluatoris unici filij dei, per quẽ facta ſunt omnia, pertinet illud quod nobiliſſimum & præclariſſimum eſt in euangelio ſecundũ Ioannem, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbũ: hoc erat in principio apud deũ: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt
Ioan.1
nihil

nihil. Quod factum eſt in illo uita erat: Et uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ A eam non comprehenderunt. Miranda & ſtupenda uerba hęc, priuſquam intelligantur, amplectenda ſunt. Partem cibo iſtam, ad omnes tamen peruenirет cibus, ſed non ad omnes totus cibus apponeretur ori ueſtro. Sic quaſi quidam cibus & potus uerborum nunc apponitur auribus ueſtris, & tamen totum ad omnes peruenit. An forte cum loquor alius ſibi tollit unam ſyllabam, alius alteram, aut alius unum uerbum, alius alterum uerbum? Si ita eſt tot uerba dicturus ſum, quot homines uideo, ut ad omnes perueniant uel uerba ſingula. Et facile quidem plura dico quàm hic ſunt homines, & omnia ad omnes peruenirũt. Verbum ergo hominis non diuiditur per ſyllabas ut omnes audiãt, B & uerbum dei per fruſta conciditur ut ubiq; ſit? Nunquid hæc fratres ſonantia atq; tranſeũtia uerba illi incõmutabiliter permanenti uerbo ulla ex parte comparanda arbitramur? Aut ego quia hęc dixi, comparaui? Sed quoquo modo inſinuare uobis uolui, ut deus quod exhibet in corporalibus rebus, ualeat uobis ad credenda ea quæ nondum uidetis de ſpiritalibus uerbis. Sed iam ad meliora tranſeamus. Nam uerba ſonant & abeunt. De ſpiritalibus cogitationibus iuſtitiam cogitate. Cogitans iuſtitiam cõſtitutus in iſtis partibus Occidentalibus, cogitans iuſtitiam conſtitutus in Oriente, unde fit ut ille totam iuſtitiam cogitet, & ille non totam uideat, & ille totam? Nam qui uidet iuſtitiam, ſecundum quam gerat aliquid, ipſe iuſte ge-
C rit. Videt intus, agit foris. Vnde uidet intus, ſi nihil ſibi præſto eſt? Quia ipſe in parte poſitus eſt, ad eandem partem non peruenirет alterius cogitatio. Cum autem idem uideas mente tu hic poſitus, quod uidet ille tam longè poſitus, & totum tibi luceat, totum illi uideatur, quia ea quæ diuina & incorporea ſunt ubiq; ſunt tota, crede uerbum totum in patre, totum in utero. Crede enim hoc de uerbo dei, qui eſt deus apud deum. Sed audi iam aliam inſinuationem, alium modum inſinuandi Chriſtum quem ſcriptura prædicat. Ea enim quæ dixi, dicta ſunt ante aſſumptam carnẽ. Nunc audi illud quomodo prædicat ſcriptura, Verbum,
Ioan.1 inquit, caro factum eſt, et habitauit in nobis. Nam
D qui dixerat, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum, hoc erat in principio apud deum, omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil: fruſtra nobis diuinitatem uerbi prædicaret, ſi uerbi humanitatem taceret. Vt enim illud uideam, hic mecum agitur: ut purget ad illum contemplandum, infirmitati meæ ipſe ſubuenit. Suſcipiendo de natura humana ipſam naturam humanam, factus eſt homo.
Luc.10 Venit cum iumento carnis ad eum qui iacebat in uia uulneratus, ut paruam fidem noſtram incarnationis ſuæ ſacramento informaret atque nutriret, faceretq; ſerenum intellectum ad uidendum quod nunquam amiſit per id quod ſuſcepit. Eſſe enim cœpit homo, eſſe non deſtitit Deus. Ergo hæc eſt prædicatio domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum quod mediator eſt, ſecundum quod caput eſt Eccleſiæ, quod Deus homo eſt, & homo Deus eſt, cum dicat Ioannes: & uerbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis. Audite iam utrunq; in illo notiſſimo capitulo Pauli apoſtoli, Qui cum Philip.2 in forma Dei eſſet, inquit, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. Hoc eſt in principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & Deus erat uerbum. Quomodo apoſtolus dixit, Non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo, ſi non æqualis Deo? Si autem pater Deus, ille nõ Deus, quomodo æqualis? Vbi ergo ille ait: Deus erat uerbum: ibi iſte, nõ rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo: Et ubi ille, uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, ibi iſte: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Attendite, per hoc
B ergo quod homo factus eſt, per hoc quod uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, per hoc ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Quid enim exinaniuit? Non ut amitteret diuinitatem, ſed ut indueret humanitatem, apparens hominibus quod non erat antequam homo eſſet: Sic apparendo ſe exinaniuit, id eſt, reſerans dignitatem maieſtatis, & offerens carnem indumentum humanitatis. Per id ergo quod ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, formam Dei non accipiens. De forma enim Dei cum diceret, non dixit accepit, ſed cum in forma Dei eſſet conſtitutus non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. Ad formam autem ſerui ubi uentum eſt:
C Formam inquit, ſerui accipiens: per hoc ergo mediator & caput eſt eccleſiæ, per quem reconciliamur Deo per ſacramentum humilitatis & paſſionis & reſurrectionis & aſcenſionis & iudicij futuri, ut duo illa audiantur cum ſemel locutus ſit Deus. Vbi duo audiũtur? Vbi reddet unicuiq; ſecundum opera ſua. Hoc ergo tenentes, nolite quæſtiones mirari hominum quæ ſerpunt ſicut cãcer, quemadmodum dixit Apoſtolus, ſed cuſtodite aures ueſtras, & uirginitatem mentis ueſtræ, tanquam deſponſati ab amico ſponſi uni uiro Virginem caſtam exhibere Chriſto. Virginitas enim ueſtra in mente, uirginitas corporis in paucis Eccleſiæ. Virginitas mentis in omnibus fidelibus eſſe debet. Hanc uirginitatem uult ſerpens cor-
D rumpere, de quo idem Apoſtolus dicit, Deſponſaui uos uni uiro Virginem caſtam exhibere Chriſto. 2. Cor.11 Et timeo ne ſicut Euam aſtutia ſua ſerpens decepit, ſic quoq; & ueſtri ſenſus corrumpantur & excidant à caſtitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Veſtri, inquit, ſenſus, id eſt, ueſtræ mentes. Nam hoc magis proprium eſt. Senſus enim intelliguntur huius corporis, uidendi, audiendi, odorandi, guſtandi, tangendi, Mentes noſtras timuit corrumpi Apoſtolus, ubi eſt fidei uirginitas. Modo perge, Anima uirginitatem tuam ſerua, fœcundata poſteà in amplexum ſponſi tui. Sepite ergo, ut ſcriptum Eccl.28 eſt, aures ueſtras ſpinis. Turbauit fratres infirmos eccleſiæ quæſtio Arianorum, ſed in domini miſericordia ſuperauit catholica fides. Non enim deſeruit ille Eccleſiam ſuam, & ſi ad tempus tur-

bauit eam, ob hoc turbauit ut ſemper ſupplicaret
ei à quo in ſolida petra confirmaretur, & adhuc A
muſſitat ſerpens & nõ tacet. Quærit pollicitatio-
ne quadam ſciẽtiæ deijcere de paradiſo eccleſiæ,
quem non permittat redire ad illum paradiſum,
unde prius homo deiectus eſt. Intendite fratres.
Quod geſtum eſt in illo paradiſo, hoc geritur in
eccleſia. Nemo uos ſeducat ab iſto paradiſo. Suffi
ciat quod illinc lapſi ſumus, uel experti corriga-
mur. Ipſe eſt ſerpens qui ſemper ſuggerit iniquita
tem, impietatem. Ipſe aliquando promittit impu-
nitatem, quemadmodum & ibi promiſit dicens:
Gen.3 Nunquid morte moriemini? Ipſe talia ſuggerit, ut
modo male uiuant Chriſtiani. Nunquid omnes,
inquit, perditurus eſt deus? Nunquid omnes dam
naturus eſt deus? Ille dicit damnabo, ignoſcam eis
qui ſe mutauerint. Mutent facta ſua, muto minas
meas. Ipſe eſt ergo qui murmurat & muſſitat & di
Ioan.14 cit, Ecce ubi ſcriptum eſt: Pater maior me eſt: & tu
illum dicis æqualem patri? Accipio quod dicis: Et
utrunq; accipio quod dicis. Sed utrunq; accipio,
quia utrunq; lego. Quare tu unum accipis, & unũ
non uis? Nam mecum utrunq; legiſti: Ecce pater
maior me eſt: accipio non à te, ſed ab Euangelio,
& tu eſſe filium æqualem Deo patri, accipe ab A-
poſtolo. Coniunge utrunq;, utrunq; concordet,
quia qui locutus eſt per Ioannem in Euangelio,
ipſe locutus eſt per Paulum in epiſtola. Non po-
teſt ipſe ſecum diſcordare, ſed tu concordiam ſcri
pturarum non uis intelligere, cum amas ipſe liti-
gare. Sed ex Euangelio, inquit, probo, Pater ma-
C ior me eſt. Et ego ex Euangelio probo: Ego & pa
ter unum ſumus. Quomodo utrunque uerum eſt?
Quomodo nos docet Apoſtolus, Ego & pater u-
num ſumus? Qui cum in forma Dei eſſet, non ra-
pinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. Audi, Pa-
ter maior me eſt: Sed ſemetipſum exinaniuit, for-
mam ſerui accipiens. Ecce ego oſtendo quare ma
ior eſt, tu oſtende in quo æqualis non eſt. Vtrunq;
enim legimus. Minor eſt patre, inquantum filius
hominis eſt. Æqualis patri, inquantum filius Dei,
quia Deus erat uerbum. Mediator, Deus & ho-
mo. Deus ęqualis patri, homo minor eſt patre. Eſt
ergo & æqualis & minor. Æqualis in forma Dei,
minor in forma ſerui. Tu ergo dic, unde æqualis
& minor? Nunquid alia parte æqualis, & alia par-
D te minor? Ecce excepta ſuſceptione carnis, oſten-
de mihi æqualem & minorem. Vnde demonſtra-
turus es uolo dicere. Attendite impietatem ſtoli-
Rom.8 dam carnem ſapere, quomodo ſcriptum eſt, Sa-
pere ſecundum carnem mors eſt. Hic ſiſte. Seque-
ſtro adhuc, & nondum loquor, de incarnatione
domini noſtri Ieſu Chriſti unici filij: ſed tanquam
nondum factum ſit quod iam factum eſt, attendo
Ioan.1 tecum: In principio erat uerbum, & uerbum erat
apud Deum, & Deus erat uerbũ, hoc erat in prin-
cipio apud Deum. Attendo tecum, Qui cum in
forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe
æqualis Deo. Ibi mihi oſtende & minorem. Quid
dicturus es? Diuiſurus es Deum per qualitates,
id eſt, per quaſdam affectiones corporales uel ani
males, in quibus aliud atq; aliud eſſe ſentimus?
A Naturaliter dicere quidem poſſum, ſed utrũ ſicut
& uos intelligatis, Deus uiderit. Ergo ut dicere
cœperam, ante ſuſceptionem carnis, antequam
uerbum caro fieret, & habitaret in nobis, oſtende
minorem, oſtende æqualem. Nunquid aliud &
aliud Deus, ut alia parte ſit minor illo filius, & ex
alia parte illi æqualis? Veluti ſic dicamus, Corpo-
ra ſunt quædam. Poſſis mihi dicere, Æqualis eſt in
longitudine, ſed minor in robore. Plerunq; enim
duo corpora talia occurrunt, ut ſtatura longitudi-
nis æqualia ſint, robore autem unum ſit minus, al-
terum maius: Ergo talia quaſi corpora cogitaturi
ſumus, Deum & filium eius? Cogitaturi ſumus
eum qui totus in Maria fuit, totus apud patrem,
totus in carne, totus ſuper angelos? Auertat De-
B us iſtas cogitationes à cordibus Chriſtianorum.
Item forte ita cogitabis ut dicas & robore, & lon-
gitudine æquales, ſed colore diſpares ſunt. Vbi
color, niſi in corporibus? Ibi autem lux ſapien-
tiæ, oſtende mihi colorem iuſtitiæ. Si iſta colo-
rem non habent, tu illa de Deo non diceres, ſi pu-
doris colorem haberes. Quid ergo dicturus es?
Poteſtate æquales ſunt, ſed minor filius pruden-
tia: iniuſtus eſt Deus, ſi minori prudentię poteſta-
tem dedit æqualem. Si prudentia ęquales ſunt, ſed
minor eſt filius poteſtate, inuidus eſt Deus, quia
æquali prudentiæ poteſtatem dedit minorem. In
Deo autem omne quod dicitur idipſum eſt. Neq;
enim in Deo aliud poteſtas, & aliud prudentia, &
C aliud fortitudo, & aliud iuſtitia, aut aliud caſtitas.
Quicquid horum de deo dicis, neq; aliud & aliud
intelligitur, & nihil digne dicitur: quia hæc ani-
marum ſunt quas illa lux perfundit quodammo-
do, & pro ſuis qualitatibus afficit: quomodo cum
oritur corporibus lux iſta uiſibilis: ſi auferatur, u-
nus eſt corporibus omnibus color, qui potius di-
cendus eſt nullus color. Cum autem illata illuſtra-
uerit corpora, quamuis ipſa unius modi ſit, pro di
uerſis tamen corporum qualitatibus diuerſo eos
nitore aſpergit. Ergo animarum ſunt iſtę affectio-
nes, quæ bene ſunt affectæ ab illa luce quę non af-
ficitur, & formatæ ab illa quæ non formatur. Ta-
men iſta de Deo dicimus fratres, quia non inueni
mus melius quod dicamus. Dico iuſtum Deum,
D quia in uerbis humanis nihil melius quod dica-
mus inuenio. Nam eſt ille ultra iuſtitiam. Dici-
mus in ſcripturis: Iuſtus dominus, & iuſtitias di-
lexit. Sed ibi dicitur & pœnitere Deum, Ibi dici- Pſal.10
tur & neſcire Deum. Quis non exhorreat, neſcit
Deus, Pœnitet Deum? Ideo tamen & ad iſta uer-
ba ſalubriter ſcriptura deſcendit, quæ & tu exhor 15 de ciuitate dei cap.25
res, ne illa quæ magna putas digne dicta arbitre-
ris: atq; ita ſi quæras quid ergo de Deo digne di-
citur, aliquis fortaſſis tibi reſpõdeat & dicat, quia
iuſtus eſt. Alius autem iſto melius intelligens, e-
tiam hoc uerbum dicat ſuperari ab illius excellen
tia, & indigne de illo etiam hoc dici, quamuis con
gruenter ſecundum humanam capacitatem dica-
tur: ut ille cũ de ſcripturis probare uoluerit, quia
ſcriptum eſt, Iuſtus dominus: recte illi reſpõdeat,
in

in eiſdem ſcripturis poſitũ eſſe, quia pœnitet de-
um: ut quomodo iſtud non accipit ſecundũ con- A
ſuetudinem loquẽtium, ſicut ſolent homines pœ-
nitere: ſic & illud quod dicitur, Iuſtus, ſuperemi-
nentiæ ipſius non competere intelligat: quamuis
hoc ſcriptura bene poſuerit, ut per qualiacunque
uerba gradatim animus ad id quod dici nõ poteſt
perducatur. Iuſtum quidem deum dicis, ſed intel-
lige aliquid ultra iuſtitiã, quã ſoles & de homine
cogitare. Sed ſcripturæ iuſtum dixerunt, propter-
ea & pœnitentem dixerunt & neſcientem, quod
iam non uis dicere. Quomodo ergo illa quæ iam
exhorres, intelligis propter infirmitatem tuam di
cta, ſic & iſta quæ magnipendis, pro aliqua firmi-
tate ualidiore dicta ſunt. Qui autem & iſta tran-
ſcenderit, & de deo quantum homini conceditur
digne cogitare cœperit, inueniet ſilentium inef-
B fabili cordis uoce laudandum. Ergo fratres quia
hoc eſt in domino uirtus quod iuſtitia, quicquid
de illo dixeris, hoc idem dicis: cum tamen nihil di
gne dicas, non potes dicere æqualem eſſe patri fi-
lium per iuſtitiam, & non eſſe æqualem per uirtu-
tem: aut æqualem per uirtutem, & non æqualem
per conſcientiam: quia ex una re aliqua æqualis
eſt, ex omni re æqualis eſt, quia omnia quæ ibi di-
cis idem ſunt, & idem ualent. Sufficit ergo quia di
cere non potes quomodo ſit æqualis filius patri,
niſi dederis diuerſitates quaſdam in ſubſtãtia dei.
Quas cum dederis, foras te mittit ueritas, nec acce
dis ad illud ſanctuarium Dei ubi ſynceriſſime ui-
detur. Cum aũt non poſſis æqualem dicere ex alia
parte inæqualẽ, quia nõ ſunt in deo partes: ut poſ-
C ſis dicere ex alia eũ eſſe æqualem, ex alia minorẽ,
quia non ſunt in deo qualitates: ſecundum deum
nõ potes dicere æqualem, niſi omnimodo æqua-
lem. Vnde ergo potes dicere minorem, niſi quia
formam ſerui accepit? Itaq; fratres hæc aduertite.
Si in ſcripturis regulam quandam acceperitis, om
nia uobis lux ipſa monſtrabit. Si cubi inueneritis
ſecundum quod dictum eſt æqualem filium patri,
ſecundum diuinitatem accipite. Secundum for-
mam uero ſerui aſſumptam, minorem accipite, ſe-
Exod.3 cundum quod dictum eſt, Ego ſum qui ſum. Et
ſecundum quod dictum eſt, Ego ſum deus Abra-
ham, & deus Iſaac, & deus Iacob. Sic tenebitis, &
quod in eius natura eſt, & quod in eius miſericor-
dia. Arbitror ſatis eſſe dictum de illo etiam modo
D quo dominus noſter Ieſus Chriſtus ſaluator no-
ſter caput Eccleſiæ mediator factus, per quem re-
conciliamur deo, deus & homo inſinuatur in ſcri-
pturis. Tertius modus eſt quomodo totus Chri-
ſtus ſecundum Eccleſiam, id eſt, caput & corpus
prædicetur. Etenim caput & corpus unus Chri-
ſtus: nõ quia ſine corpore non eſt integer, ſed quia
& nobiſcum integer eſſe dignatus eſt, qui & ſine
nobis ſemper eſt integer, non ſolum in eo quod
uerbum eſt unigenitus filius æqualis patri, ſed &
in ipſo homine quem ſuſcepit, & cum quo ſimul
deus & homo eſt. Veruntamen fratres quomodo
corpus eius nos ſimus, & nobiſcum unus Chri-
ſtus? Vbi inuenimus hoc, quia unus eſt Chriſtus
caput & corpus, id eſt, corpus cũ capite ſuo, ſpon-
A ſa cum ſponſo ſuo? Quaſi ſingulariter loquitur a-
pud Eſaiam. Certe unus idemq; loquitur. Et uide-
te quid ait, Velut ſponſo alligauit mihi mitram, Eſa.61
& uelut ſponſam induit me ornamento. Et ſpon-
ſus & ſponſa cum dicit, ſponſum ſecũdum caput,
ſponſam ſecũdum corpus, duo uidentur, & unus
eſt. Alioquin quomodo membra Chriſti ſumus,
Apoſtolo apertiſſime dicente, Vos eſtis corpus
Chriſti & membra? Membra Chriſti & corpus ſu 2 Cor.12
mus omnes ſimul, non qui hoc loco tantũ ſumus,
ſed per uniuerſam terram, nec qui tantũ hoc tem-
pore. Sed quid dicam? Ex Abel iuſto uſq; in finem
ſeculi quamdiu generant & generantur homines,
quiſquis iuſtorum per hanc uitam tranſitum facit,
quicquid nunc, id eſt, non in loco, ſed in hac uita,
B quicquid poſt naſcentium futurum eſt, totum hoc
unum corpus Chriſti, ſinguli autem mẽbra Chri-
ſti. Si ergo omẽs corpus, ſinguli membra, eſt utiq;
caput cuius hoc ſit corpus. Et ipſe eſt, inquit, ca-
put corporis eccleſiæ primogenitus, ipſe prima-
tum tenens. Et quia de illo ait etiam quod ſemper
caput omnis principatus & poteſtatis ſit, adiun-
gitur iſta eccleſia quæ nunc peregrina eſt, illi cœ-
leſti eccleſiæ, ubi angelos ciues habemus: quia æ-
quales nos futuros poſt reſurrectionem corpo-
rum impudenter nobis arrogaremus, niſi ueritas
promiſiſſet dicens, Erunt æquales angelis dei: & Matth.22
fit una eccleſia, ciuitas regis magni. Sic ergo ali-
quando in ſcripturis inſinuatur Chriſtus, ut intelli
gas uerbum ęqualem patri. Sic aliquando, ut intel
C ligas mediatorem: cum uerbum caro factũ eſt ut
habitaret in nobis: cum ille unigenitus, per quem
facta ſunt omnia, non rapinam arbitratus eſt eſſe
æqualis deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam
ſerui accipiens, factus obediens uſq; ad mortem,
mortem autem crucis. Sic autem aliquando ut in-
telligas caput & corpus, exponente ipſo Apoſto
lo apertiſſime quod dictum eſt de uiro & uxore
in Geneſi, Erunt, inquit, duo in carne una: uidete Gen.2
ipſum exponentem, ut non coniecturis noſtris a-
liquid auſi dicere uideamur. Erunt enim, inquit,
duo in carne una: & addidit, Sacramentũ hoc ma- Epheſ.5
gnum eſt. Et ne adhuc putaret quiſquam in uiro
eſſe & uxore ſecundum naturalem utriuſq; ſexus
copulationem, corporalemq; mixturam: Ego au-
D tem dico, inquit, in Chriſto & eccleſia. Secũdum
hoc ergo quod in Chriſto & eccleſia accipitur
quod dictum eſt, Erunt duo in carne una: nõ iam
duo, ſed una caro eſt, Et quomodo ſponſus &
ſponſa, ſic caput & corpus, quia caput mulieris
uir. Siue ergo dicam caput & corpus, ſiue dicam
ſponſus & ſponſa, unum intelligite. Ideoq; idem
Apoſtolus cum eſſet adhuc Saulus audiuit, Sau-
le Saule quid me perſequeris, quoniã corpus ca-
piti adiungitur. Et cum iam Chriſti prædicator Act.9
pateretur ab alijs quæ perſecutor ipſe fecerat, Vt
ſuppleam, inquit, quæ deſunt preſſurarum Chri-
ſti in carne mea: ad preſſuras Chriſti oſtendens
pertinere id quod patiebatur. Quod non poteſt
intelligi ſecundum caput, quod iam in cœlo nihil

tale patitur: sed secũdum corpus, id est, ecclesiam. Quod corpus cum suo capite, unus Christus est. A Exhibete ergo uos dignum corpus tali capiti, dignam sponsam tali sponso. Non potest habere caput illud nisi condignũ corpus. Nec ille uir tantus, nisi cõdignam ducit uxorem, ut exhiberet sibi, inquit, gloriosam ecclesiã, non habentem maculam
2 retr. ca. 18 aut rugam, aut aliquid eiusmodi. Hæc est sponsa Christi, non habens maculam aut rugam. Non uis
Esa. 1 habere maculam, fac quod scriptum est, Lauamini, mũdi estote, auferte nequitias de cordibus uestris. Nõ uis habere rugam, extendere in crucem. Non enim tantum opus est ut laueris, sed etiam ut extendaris, ut sis sine macula aut ruga. Per lauacrũ enim auferuntur peccata. Per extensionem fit desiderium futuri seculi, propter quod Christus cruci-
Ad Tit. 3 fixus est. Audi ipsum Paulum totum, Non, inquit, ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundũ suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Audi eundem extensum. Ea, in-
Philip. 3 quit, quę retro sunt oblitus, in ea quę ante sunt extensus secundum intensionem sequor ad palmam supernæ uocationis Dei in Christo Iesu domino nostro, cui est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Dominica secũda post octauas festi Epiphanię de nuptijs factis in Chana Galilææ: Sermo I

SERMO XLI

DOMINI & saluatoris nostri uirtus fratres charissimi pręsente lectione euidẽter ostenditur, cum mirabilia eius non obscuritate uerborũ, sed eloquij puritate narrantur. Deniq; Euangelista ita mysterij interna custo dit, ut rem gestã fido sermone designet. Sic enim
Ioan. 2 ait: Vocatus est dominus Iesus ad nuptias & mater sua. Nec dedignatus est conuersationem homi num, qui usum carnis exceperat. Nec secularia instituta contempsit, qui ad hæc uenerat corrigenda. Interfuit nuptijs, ut cõcordiæ iura firmaret. Interfuit nuptijs, & comessationes non renuit nuptiarum, ut psalmos & tympana ad dei patris gloriam prædicandam concitaret, ut pater honoraretur in filio, & à patre filius nosceretur. Erat, inquit, mater eius ibi. Quàm libenter Maria ad has nuptias uenit, in quibus Dei mirabilia comprobat. Vinum diuina suggestione suggeretur defecisse. Nunquid latere Deũ poterat, quid in ea domo in qua erat gereretur? Sed non ignorans rerum Deus respõdit. Quid mihi & tibi est mulier? Nondum uenit hora mea. Hac responsione interim debemus aduertere, q̃ de nuptiali uino pars aliqua adhuc forte resederat. Ideo nondum erat domini plena hora uirtutum, ne miscere magis elementa quàm mutare uideretur. Sed ait, Nondum uenit hora mea, ut ita sint Dei mirabilia manifesta, ut nec argumẽto ualeat inimicus, nec perfidia Iudæus insimulet. Et dicit Maria ministris, Quæcũq; dixerit uobis facite. Quàm bene mater domini credulitatẽ suadet ministris, ut non desint uina prandentibus. Quæcunq; dixerit facite. Intelligimus iam esse mysterium, cum Dei mandata se nosse sollicite mater hortatur. Ait dominus Iesus ad ministros, Implete hydrias aqua. Et cùm imple uissent, ait, Haurite nunc & ferte architriclino. Quod cum princeps architriclinus accepisset, statim intellexit uina illata posterius esse sublimia. Et cum nesciret quod dominus fecisset, spõso ait. Quid tam sero meliora profers uina, cum hæc prima esse debuerant? Vidimus ergo conuenire mysterium, & quod saluator dicit, Nondum uenit hora mea: & cum accusat princeps architriclinus tardítatem sponsi, uideamus attentius ordinis huius quæ Euangelista designat aperta mysteria. Videamus quæ sint nuptiæ, qui ministri, qui princeps architriclinus, qui spõsus, quomodo ad nuptias Deus, quomodo Maria, unde ex aqua uinum, quare postea melius, quare Deus in hora differre uoluerit. Equidem nulla sunt apud credentium mentes B occulta mysteria. Nihil animus fallitur, qui Deum fideliter confitetur. Nam qui scit saluatoris aduentum uitæ nostræ esse remedium, facile uirtutis eius misericordiam pura ueritate cognoscit. Vocatur saluator ad nuptias, hoc est, Ecclesiæ uota spiritussanctus inuocatur. Venit cum discipulis suis, id est, in hoc loco turba sanctorũ. Quid dici apertius potest? Mirabilia Dei Maria mater expectabat, hoc est, uirtutem Christi expectat Ecclesia, appropinquare compellit. Ait enim Maria, Ecce uina deficiunt: id est, quare populus iam non inuenit remediũ? Maria Deum probare festinat, uinũ ecclesia optat excipere, ut fiat ex nuptiali prandio spiritale cõuiuium. Dicit enim, Quid mihi & tibi C est mulier? Nunquid mulierẽ dicit Mariã, quę uirgo post partum inuẽta est? Sed ecclesiam quæ nõ solum mulier, sed etiam meretrix nũcupatur, quæ errantem populum & per æuum & lubricam ætatem lasciuũ tanquã prostitutam suscepit sponsam, & quasi docta mater adornat. Nondum uenit, inquit hora mea: hoc est, passionis tempus superest. Nondum uenit hora mea, nondum populus credidit, nondũ Iudæus insequitur. Adhuc habet diabolus unde lætetur, adhuc triũphi mei palma non proditur, adhuc locum crucis persecuturus ignorat, ac necdum Iudas mentitur. Nondum uenit hora mea, Sunt prius quæ purgentur in seculo, & sic uita proficit in populo. Dicit Maria ministris, Facite quæcunq; iusserit: hoc est, obtẽperate doctori, ministris mandat Ecclesia. Qui sunt ministri, D nisi officia Leuitarũ, quæ dei mysterijs sunt deputata? Implenẽ hydriæ aqua: hoc est, uacuatæ nuptiali uino, id est, potu sordido, fontis puritate supplentur, & benedictione domini in saporem uini uertuntur, ut ex aqua spiritus potum qui iam prandentibus defecerat reputaret. Aquam in uinum cõuertit, humanæ fragilitati uirtus augetur. Princeps architriclinus uinum melius probat, hoc est, dominici uigoris saporem humana corda senserunt. Nam qui primũ uinum melius iudicauit, primus & credidit. Quod uinũ est quod optimum iudicatur, quod architriclinus princeps querit? sero prolatũ, nisi sanguis dominicæ passionis? Hoc est enim quod Deus in hora suspendit, hoc est quod ministri suscipiunt, hoc est quod creduli conuiuæ

designant

designant, hoc est quod seruat sponsus, hoc est q̃d princeps Architriclinus, qui fidei primus est uene A ratur. Aduertamus ergo attẽto corde nos sanctas scripturas audire debere, ut cœlestem doctrinam fida credulitate possimus agnoscere, & ab omni mundi huius impedimẽto liberari, ipso adiuuante qui uiuit & regnat in secula seculorũ, Amen.

In eadem dominica de charitate, Sermo II

SERMO XLII

QVANTVM nos fratres dilectissimi charitas uestra desideret ex meis animis recognosco. Et licet uos humilitatẽ meam assidue uidere uelitis, tamẽ ego, si posset fieri, frequẽtius de cõspectu uestro, & uestro & meo uellem desiderio satiari. Sed patienter tolerare debemus, quod implere pro temporum necessitate nõ possumus. Sed licet corporaliter nos propter multas necessitates uidere non ualemus, charitate tamen & sancto amore usi pariter sumus. Pro qua re nihil nocet corporis separatio, ubi est animorum uera & sincera coniunctio. Charitas enim ipsa uera est, quæ corporaliter separatos consueuit spiritaliter copulare atq; coniungere. Duo enim qui se sancto amore diligunt, etiam si unus in Oriente, alius in Occidente, ita in charitate conglutinante iunguntur, ut nunquam ab inuicem separentur. Audi Apostolum dicentem laudem ueræ & inte-
1 Cor. 13 græ charitatis. Sic enim ait, Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Et post pauca addidit, dicens, Charitas patiens est, benigna est. Et licet sufficienter præconia eius plenus spiritu sancto Pau C lus Apostolus prædicauerit, tamen quia sancta charitas dulce est ac salubre uinculum mentium, etiam nos paruuli secundum modulum nostrum, de illa quantum possumus conquiramus. Magnæ sunt diuitiæ charitatis charissimi, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est. Nam diues si charitatem non habeat, quid habet? Quamlibet grandis substantia sit, sine charitate inanis & uacua est. Charitas enim si de terrenis facultatibus nihil habeat, plena est. Vnde quamlibet aliquis copiosas diuitias habeat, si charitas in illo nõ fuerit, nihil boni ex illis facere poterit, sine qua uera & cœlestium uirtutum matre magistra quid facere debeat, & quando uel quantum dare debeat omnino non nouit: & ideo quantum potest D elaboret ut habeat charitatem, ut habeat lucem, ut habeat oleum. Charitas oleo comparatur. Nam quomodo oleum omnibus humoribus superius esse cognoscimus, ita charitas omnibus uirtutibus sublimior comprobatur. Nam si aliquis habeat infinitas diuitias, & non habeat charitatem, sic est, quomodo habeat plures lucernas, & multas lampades, pinguedinem non habentes. Lucerna uel lampas sine oleo accensa fumare potest de iracundia, fumare de superbia, fœtere de auaritia, sine charitate penitus non potest lucem habere. Charitas si in te fuerit, quamlibet tibi sit grandis substãtia, nouit quid de illa agere debeat. Ipsa scit optime cui uel quantum porrigat, quid tribuat, quid reseruet. Ipsa intelligit quantũ animæ reseruet in cœlo, & quantum corpori seruet in mundo. A Satis bona ordinatrix est fratres, bene nouit congregare in æstate quod possit hyeme habere, hoc est, scit prouidere per eleemosynam in hoc seculo, quod inueniat in futuro. Habete charitatem fratres, quia sine illa quicquid aliud boni fuerit, nihil esse poterit. Veram charitatem habete fratres. Quæ est uera charitas? Qui sic diligit omnem hominem, quomodo seipsum. Est uera charitas, quæ non solum usque ad amicos, sed etiam usque ad ipsos peruenit inimicos. Nemo se circumueniat fratres. Qui istam charitatem non habuerit, Deum uidere non poterit, nec audire merebitur, Venite benedicti, percipite regnum. Certe uidetis Matt. 25 quod in lectione Euangelica, nihil aliud dominus nominauerit de uniuersis uirtutibus, nisi so-
B lam eleemosynam quæ cum charitate operatur. De ramis tacuit, radicem tantummodo nominauit ita dicens, Venite benedicti, percipite regnum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Et iterum ipse dominus, Veruntamen date e- Lucæ 11 leemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Omnis homo qui charitatem uult habere in futuro seculo, faciat illam sibi patronam in hoc mundo, ut illam propitiam inueniat in æternum. Nam quomodo arbor quamlibet pulchra sit & fructifera, non potest uiuere sine radice: sic quælibet bona opera perseuerare non poterunt sine charitate. Ipsa est enim de qua Apostolus dicit, In cha- Ephes. 3 ritate radicati & fundati. Talem ergo charitatem habeamus fratres, ut omnes homines toto corde C amare possimus. Si totum genus humanum sic diligis quomodo te, non remansit ianua, unde peccatum intret in te. Omnes aditus unde diabolus ad animam ingreditur claudis, si totus homines sicut teipsum dilexeris. Et reuera fratres quomodo potest fieri, ut aliquis alteri homini malum faciat, si illum sicut seipsum dilexerit. Dilige ergo, & quicquid uolueris fac. Ama ex toto corde tuo, & quod uolueris exerce in proximo tuo. Si irasceris, dulce est, quia de charitate procedit. Si corripis, suaue est. Si castigas etiam & flagellas, acceptabile est. Quare hoc fratres? Quia uerus amor est quando corripis & castigas, quando etiam de Ecclesia foras proijcis, amaritudo uidetur sæuire in ore, sed dulcedo seruatur in corde. Nec D fratrem quasi inimicum odio habeas, sed peccatum uelut morbum persequere, E contrario sunt qui sub falsa adulatione dulcedinem solent in ore proferre, & dolum uel amaritudinem in corde seruare. Vos autem fratres dilectissimi ueram charitatem tenentes, quæ falsa est fugite, audite Apostolum dicentem, Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Ergo fra- 1. Tim. 1 tres quando de charitate loquor, tacere non possum. Quare hoc? Quia satis dulcis est charitas. Qui illam habet, quod dico intelligit: qui uero non habet, forsitan me irridet & despicit. Quare irridet? Quia quàm dulcis sit charitas non gustauit. Gustet ergo & uideat quàm suauis est dominus. Deus charitas est. Quid dulcius deo? Fratres,

Aug. to. 10

qui nescit audiat Prophetam dicentẽ, quod pau-
Psal.33 loante suggessi, Gustate & uidete quàm suauis est A
dominus. O quàm felix & beata est anima, quæ charitatem in se habere meretur. Charitas fratres sitienti potus est, esurienti cibus, in amaritudine positis dulcedo, in tristitia constitutis uera & grata consolatio, fluctuantibus portus, errantium uia, peregrinantibus patria. Hanc ergo fratres tenete, hanc tota auiditate diligite. Si amatores estis, amate charitatem. Si fortes, uincite cupiditatem. Si peregrini, desiderate patriam. Ipsa uos ergo charitas, si illam tenere uolueritis, & gubernat in hoc seculo, & perducit ad regnum, præstante domino nostro qui uiuit & regnat in secula, Amen.

Solum exordium Aug. est, ex sermo. 45 col. 664

In eadem dominica de uerbis Apostoli ubi ait, B
Non quod uolo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago:

SERMO XLIII

Sermo III

LECTIO diuina, quæ de Apostoli Pauli L
epistola recitatur, quotiescunq; legitur timendum est, ne male intellecta det hominibus quærentibus occasionem. Procliues sunt quippe homines ad peccandum, & uix se tenent. Vbi ergo audierint Apostolum dicentem, Non enim quod uolo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago: agunt malum, & quasi displicentes sibi quia agunt malum, putant se Apostolo esse similes qui dixit, Non enim quod uolo facio bonũ, sed quod nolo malum hoc ago. Nonnunquam enim legitur, & nunc nobis ingerit necessitatem disputandi, ne homines male sumentes salubrem C
cibum uertant in uenenum. Sic ergo intendat charitas uestra, donec quod dominus donauerit dicam uobis, ut ubi me forte laborare uideritis in difficultate alicuius obscuritatis, adiuuetis me af-
Sequentia non sunt Aug. fectu pietatis. Oportet igitur, ut uirtutum sensus ex intimo dicentis metiatur affectu, & quid beatus Apostolus dixerit bonum, quidue comparatione eius pronunciauerit malum, nõ nuda significatione uerborum, sed eodem quo ille discutiamus intuitu, intellectu quoque eius secundum dignitatem pronunciantes, ac meritum perscrutemur. Tunc enim sententias deo inspirante prolatas, secundũ ptopositum ac uoluntatem eius comprehendere poterimus, cum eorum à quibus promulgatæ sunt statum ac meritum perpendentes, D
non uerbo sed experimentis parem induerimus affectum, pro cuius qualitate sine dubio uel concipiuntur uniuersi sensus, uel sententiæ proferuntur. Quamobrem quid sit principaliter bonum, quod Apostolus non potuerit perficere cum uellet, diligentius indagemus. Multa enim nouimus bona, quę beatum Apostolum, omnesq; illius meriti uiros & habuisse per naturã, & acquisisse per gratiam negare non possumus. Est enim bona castitas, laudabilis continentia, miranda prudentia, larga humanitas, circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta iustitia, quę omnia in Apostolo Paulo eiusq; consortibus ita plena atq; perfecta fuisse nõ dubium est, ut uirtutum potius quàm uerborum magisterio ab eis religio doceretur. Quid q; iugi ecclesiarum omnium cura, ac peruigili solicitudine semper exusti A
sunt? Quantum hoc misericordiæ bonum, quanta perfectio est, pro scandalizantibus uri, cum infirmantibus infirmari? Cum ergo tantis Apostolus abundauerit bonis, quid illud est boni, cuius perfectione caruerit non poterimus agnoscere, nisi in illum quo ipse locutus est profecerimus affectum. Omnes itaque quas diximus eum habuisse uirtutes, quãuis uelut gemmæ splendidissimę atq; preciosæ sint, tamen si præclaro illi atq; præcipuo margarito quod ille euangelicus negociator inquirens, uniuersis quæ possidet uenditis comparare desiderat conferantur, ita eorum meritum reuilescit atq; contemnitur, ut eis sine cunctatione B
distractis, unius tantum boni possessio locupletet bonorum innumerabilium uenditorem. Quid ergo est unum quod illis tantis tamq; innumeris bonis tam incomparabiliter præponatur, ut spretis abiectisq; omnibus solum debeat possideri? Nimirum illa pars optima, cuius magnificentiam ac perpetuitatẽ cum relicto susceptionis atq; humanitatis officio Maria prælegisset, ita prædicatur à domino, Martha Martha solicita es, & turbaris er Luca.10
ga plurima, Paucis uero opus est, aut etiam uno. Maria bonam partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea. Vna ergo & sola est contemplatio dei, cui merito omnia iustificationum merita, uniuersa uirtutum studia postponuntur. Et illa quidem omnia quæ in Apostolo Paulo fulsisse prædiximus, non C
solum bona & utilia, uerũetiam magna atq; præclara, Sed sicut, uerbi gratia, stãni metallum quod alicuius utilitatis & gratiæ putabatur, fit argenti cnntemplatione uilissimum, Et rursum auri comparatione meritum euanescit argẽti, Aurũ quoq; ipsum gemmarũ collatione contemnitur: Et ipsarum nihilominus quãuis insigniũ multitudo gemmarum, unius margaritę candore superatur: Ita illa omnia merita facultatis, quamuis non solum in præsenti bona & utilia sint, uerũetiam donum æternitatis acquirant, tamen si diuinæ contemplationis meritis cõferantur, uilia atq;, ut ita dixerim, uendibilia censebuntur. Et ut hanc eandem cõparationem etiam scripturarum cõfirmet autoritas, D
nõnne de uniuersis quæ à deo creata sunt generaliter scriptura dicit: Et ecce omnia quæ fecit deus Gen.1
bona ualde, Et iterũ, Vniuersa quæ fecit deus bona in tempore suo? Hæc igitur quæ in præsenti nõ Eccl.3
solum bona simpliciter, uerumetiam cum additamento, ualde bona, pronunciantur. Sunt enim reuera in hoc mundo cõmorantibus nobis, aut ad usum uitæ aut ad corporis medicinam, aut ad aliquam causam ignotæ nobis utilitatis accõmoda: uel certe in eo etiam ualde bona, q; faciunt nos inuisibilia dei à creatura mũdi, per ea quæ facta sunt intellecta conspicere, sempiternam quoq; uirtutem eius ac diuinitatem ex tanta, tamq; ordinata molitione fabricę mundalis, & omnium quę in ea sunt subsistentia contemplari. Hæc tamen omnia nec boni nomen tenebũt, si futuro illi seculo comparentur, ubi nulla bonorum immutatio, nulla est

est ueræ beatitudinis formidanda corruptio. Cu-
ius mũdi ita beatitudo describitur, Erit lux lunæ si A
cut lux solis, & lux solis septempliciter sicut lux septem dierum. Magna igitur hæc & præclara intuitu atq; mirifica, si futuris ex fide repromissionibus conferantur, continuo uanitas apparebunt, dicen
Psal.110 te Dauid, Omnia sicut uestimentum ueterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ergo quia nihil est per semetipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonũ, nisi deitas sola, omnes uero creaturæ ut beatitudinem æternitatis uel immutabilitatis obtineant, nõ hoc per suam naturam, sed per creatoris sui participationem & gratiam consequentur, tenere meritum bonitatis creatori suo collata non possunt. Quod si etiam manifestioribus adhuc testimonijs huius sententiæ rationem B
uoluerimus astruere, nõne multa pronunciari bo
Mat.7 na in Euangelio legimus, & arborem bonam &
Mat.11 thesaurum bonum? Nam & bonum hominem & bonum seruum: quia non potest, inquit, arbor bo
Lucæ 19 na malos fructus facere: & bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona: &, euge serue bone & fidelis. Et utique omnes secundum se bonos esse, cum non dubium sit, si respiciamus ad bonitatem dei, nullus eorum pronunciatur bonus, dicen
Luc.18 te domino, Nemo bonus, nisi solus deus. Cuius intuitu etiam ipsi Apostoli, qui electiõis merito bonitatem generis humani multis excesserãt modis, mali dicuntur esse à domino, ad eos ita loquente, Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona data dare fi lijs uestris, quanto magis pater uester qui in cœlis est dabit bona petentibus se? Deniq; sicut bonitas nostra supernæ bonitatis intuitu in malitiam uertitur: ita etiã iustitia nostra diuinæ collata iustitiæ, panno menstruatæ uniuersa iustitia nostra similis
Isa.64 deputatur, dicente Esaia propheta: Sicut pannus menstruatæ uniuersæ iustitiæ nostrę. Et ut aliquid adhuc euidentius inferamus, legis quoque ipsius præcepta uitalia, quæ dicũtur ordinata per angelos in manu mediatoris, & de qua idẽ Apostolus,
Rom.7 Itaq; lex, inquit, sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum: si perfectioni Euangelicę conferantur, minime bona diuino pronunciantur ora
Ezech.20 culo. Ait enim, Et dedi eis præcepta non bona, & iustitias in quibus non uiuent in eis. Apostolus quoq; ita noui lumine testamenti gloriam legis af D
firmat obtundi, ut eam Euangelici comparatione fulgoris ne glorificatam esse pronunciet dicens,
2 Cor.5 Nam nec gloriosum est id quod glorificatum est propter excellentem gloriã. Quam cõparationẽ etiã in parte cõtraria, id est, in peccatorum meritis cõpensandis scriptura cõseruat, ut eos qui multo minus peccauerint, impiorũ collatione iustificent
Hiere.3 dicens, Iustificata est Sodoma ex te. Et iterũ, Quid enim peccauit soror tua Sodoma, & iustificauit animam suam auersatrix Israel, comparatione peccatricis Iudæ? Ita igitur & uniuersarum merita uirtutum quæ superius comprehendi, cum per se bona atque preciosa sint, tamen theoricæ claritatis comparatione fuscantur. Multum etenim sanctos quamuis bonorum operum, terrenis tamẽ studijs Reliqua nobis huius ser. partẽ habes colum. 669
occupatos, à cõtemplatione summi illius boni re- A
trahunt ac retardant.

Item in eadem dominica Homilia, de eo quod scriptum est in euangelio secũdum Ioannem, Nuptiæ factæ sunt, &c. quæ habet in expositione doctoris ibidem. Tom. 9. colum. 72.

Item in eadem dominica alius sermo de eodem, qui habetur inter sermones De uerbis domini, XLI.

Dominica tertia post octa. festi Epiphaniæ domini, de charitate.

Sermo I

Ser. XLI

I charitati uestrę possemus frequenti-
S us præsentari fratres charissimi, Christo adiuuante de sanctarum scripturarum copiosis fontibus, & si non abundantes riuu- B
los, certe uel qualescunq; guttulas poteramus sanctis animabus uestris infundere: ut uberrima atq; fructifera cordis uestri terra accepta uerbi dei pluuia, copiosam messem bonorum operum germinaret: ut ueniens dominus in agro cordis uestri, non solum tricesimum, sed sexagesimum & centesimum fructum se inuenire cõgaudeat, quibus fructibus horreum prępararet in cœlo, non incendium in inferno. Sed quia multis occupatiõibus impedimur humilitatem nostram uobis secundum desiderium uestrum repræsentare non possumus: aliquid breue & satis magnum, deo donante insinuare uobis uolo, in qua breuitate si diligenter attenditis, potestis quid animæ uestrę cõuenit in- C
uenire. Quid ergo est illud breue & ita magnum, ut possit generi humano sufficere? Apostolus dicit, Finis precepti est charitas de corde puro & cõ 1 Tim.1
scientia bona, & fide non ficta. Attendite fratres quid in uerbis breuius, & quid in rebus magnificentius poterit inueniri, quàm charitas de corde puro & conscientia bona, & fide nõ ficta? Ista breuitas & ut teneatur memoriter, est suauis, & ut custodiatur fideliter dulcis. Quid dulcius fratres charissimi? Qui nescit, gustet & uideat. Quid ergo gustare debet qui uult ut illi dulcedo sapiat charitatis? Audite fratres Apostolum dicentem, De- 1 Ioan.4
us charitas est. Quid dulcius fratres? Qui nescit, audiat Psalmistam dicentẽ. Gustate & uidete quo Psal.33
niam suauis est dominus. Deus enim charitas est. Qui habet charitatem, deus in illo manet, & ipse in deo. Si charitatem habes, deum habes. Quid habet diues si charitatem non habet? Pauper si charitatem habeat quid nõ habet? Tu forte putas q; ille sit diues, cuius arca plena est auro, & ille non sit diues, cuius conscientia plena est deo. Nõ ita est fratres, Ille uere diues esse uidet, in quo deus habitare dignatur. Quid em̃ de scripturis poteris ignorare, si te charitas, hoc est, deus cœperit possidere? Quid em̃ de bonis operibus nõ poteris implere, si fontem bonorũ operum merueris in corde portare? Quem aduersariũ timebis, si regem deum in te habere meruerisꝛ Tenete ergo & custodite fratres dilectissimi dulce ac salubre uinculum charitatis. Sed ante omnia ueram charitatem tenete, non illam quæ tantum promittitur ore, & nõ ser-

uatur in corde, sed illam quæ sic ex ore profertur,
ut tamen in corde iugiter teneatur, ut impleatur A
Ephes.3 in uobis illud quod Apostolus dicit, In charitate
radicati atque fundati. Radix enim omnium bo-
norum est charitas, sicut & radix omnium malo-
rum cupiditas. Sicut in charitate nihil unquam
mali, ita in cupiditate nihil unquam boni poterit
inueniri. Istæ duæ radices fratres dilectissimi, in
duobus agris à duobus plantantur agricolis. V-
nam in cordibus bonorum plantat Christus, ali-
am in cordibus malorum plantat diabolus. Nec
de charitatis radice nascetur aliquid mali, nec de
radice cupiditatis aliquid boni. Non enim menti-
tur ueritas, quæ in Euangelio cum de istis duabus
radicibus loqueretur, ita definiuit dicens, Arbor
Matt.7 bona fructus bonos facit. Et iterum, Non potest
arbor bona fructus malos facere, neq; arbor ma- B
la fructus bonos facere. Hæc sententia nõ est mea
fratres, sed domini. Tanta ergo sit in uobis abun-
dantia charitatis, quæ non solum usq; ad amicos,
sed etiam usque ad ipsos perueniat inimicos. Et
ideo quia audistis & laudem charitatis, & uitupe-
rationem cupiditatis, attendat unusquisq; & con-
sideret agrũ cordis sui: & qui in se charitatẽ uide-
rit, gaudeat, & tota cordis uigilantia germina in se
sancta custodiat. Qui uero in agro cordis sui qua-
lemcunq; stirpem cupiditatis inspexerit, Christo
adiuuante extirpet cupiditatem, & plantet chari-
tatem. Nam quandiu hoc facere noluerit, fructus
bonos afferre non poterit. Et cum bonos fructus
non attulerit, dicit de ipso Christus dominus cœ-
li & terræ, Arbor quæ non facit fructum bonum,
excidetur & in ignem mittetur. Si te non delectat
dulces fructus charitatis afferre, uel spinis pecca-
torum tuorum ignem nõ debes metuere? Omnis,
Matth.3 inquit, arbor, quæ non facit fructum bonum exci-
detur & in ignem mittetur. Quandiu radicem nõ
mutaueris, fructus legitimos afferre non poteris:
& sine causa quod bonum est promittis in ore,
quia hoc implere non potes, quãdiu radix boni-
tatis nõ tenetur in corde. Istas ergo duas radices,
sicut supra dixi, duo agricolæ plantare consueue-
runt. Vnam plantat Christus in cordibus fideliũ,
alteram plantat diabolus in pectoribus superbo-
rum: ac sic una plantatur in cœlo, altera in infer-
no. Sed dicit aliquis, si in cordibus fidelium plan-
tatur, utiq; fideles, adhuc in mundo esse uidentur.
Quomodo enim radix illa in cœlo plantatur? Vis
scire quomodo? Quia corda fideliũ cœlum sunt,
quia in cœlos quotidie eriguntur, dicente sacer-
dote, Sursum corda, securi respondent, Habemus
Philip.3 ad dominum. Et Apostolus dicit, Nostra autem
conuersatio in cœlis est. Si ergo fidelium conuer-
satio in cœlis est, quia uera charitas in illis est, ra-
dix charitatis in cœlo plantata est. E contrario ra-
dix cupiditatis quæ in cordibus superborum est,
quia semper terram cupiunt, terram sapiunt, ter-
ram diligunt, & omnem spem suam in terra con-
stituunt, in inferno plantata est. Et licet hæc ita
sint, attamen nec peccatores debent desperare,
nec humiles iusti in aliquo quasi de suis meritis su-
perbire: quia & iusti si de se præsumpserint, cito
perdũt radicem charitatis, & peccatores si ad pœ-
nitentiã conuertuntur euulsa cupiditate, cito plan
tam recipiunt charitatis. Et ideo qui boni sunt cu-
stodiant quod dei munere perceperũt, & qui mali
sunt studeant reparare quod infeliciter perdide-
runt. Nemo se ad illud tempus reseruet, & tũc pœ
nitentiam uel charitatis dulcedinem retinere cõ-
tendat, quãdo cœperit de hac luce migrare. Non
se ad hoc reseruent, ut quãdoq; in senectute ad pœ
nitentiæ medicamenta confugiant, quia nesciunt
quid superuẽtura pariat dies. Qua fronte salutem
suam in tempore senectutis dissimulat, cum uitus
diei spatio certus esse nõ possit? Et ideo si mortem
timere nolumus, semper parati esse debemus, ut
cum nos dominus de hoc seculo iusserit uocari,
cum secura conscientia, nõ cum desperatione, sed
cum gaudio ante conspectum iudicis ueniamus,
& ibi feliciter audire possimus, Euge serue bone Matt.25
& fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super mul
ta te constituam, intra in gaudium domini tui. Ad
quod gaudium nos dominus pro sua pietate per-
ducat, qui uiuit & regnat per cuncta secula secu-
lorum, Amen.

In eadem dominica de eo quod Apostolus di-
cit, Non enim quod uolo facio bonum, sed quod
nolo malum: hoc ago. Sermo II

LECTIO diuina, quæ de Apostoli Pauli A
epistola recitata est, quotiens cũq; legi- SERMO XLV
tur timendum est, ne male intellecta det
hominibus quærentibus occasionem. Procliues
C quippe sunt homines ad peccandum, & uix se te-
nent. Vbi ergo audierint Apostolũ dicentẽ, Non
enim quod uolo facio bonum, sed quod odi malũ
hoc ago: agunt malum, & quasi displicentes sibi
quia agunt malum, putãt se Apostolo esse similes,
qui dixit: Non enim quod uolo facio bonum, sed Rom.7
quod nolo malum hoc ago. Nonnunquã enim le
gitur, & nũc nobis ingerit necessitatem disputan-
di, ne homines male sumentes salubrem cibũ uer-
tant in uenenum. Sic ergo intẽdat charitas uestra,
donec quod dominus donauerit dicam uobis, ut
ubi me forte laborare uideritis in difficultate ali-
cuius obscuritatis, adiuuetis me affectu pietatis.
Prius ergo recolite quod deo propitio soletis au-
D dire, uitam iusti in isto adhuc corpore bellum esse
nondum triumphum. Huius autem belli quando
erit triumphus? Ideo Apostolus dixit, & uoces
belli & uoces triumphi. Voces belli modo audi-
uimus, Non enim quod uolo ago, sed quod odi il-
lud facio. Si autem quod odi illud facio, consentio
legi quoniam bona est. Velle adiacet mihi, perfi-
cere autem bonum non inuenio. Video autem a-
liam legem in membris meis repugnantẽ legi mẽ-
tis meæ, & captiuãtem me in lege peccati quæ est
in membris meis. Quando audis repugnantem,
quando audis captiuantẽ, bellum non agnoscis?
Vox ergo triũphi nondum est, sed quia futura est,
docet te idẽ Apostolus dicens: Oportet corrupti- 1 Cor.15
bile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc
induere immortalitatem. Cum autem corrupti-
bile

bile hoc induerit incorruptionem, & mortale
hoc induerit immortalitatem, ibi est uox trium- A
phi. Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absor-
pta est mors in uictoria. Dicant triumphantes.
Vbi est mors contentio tua? Dicimus ergo quan-
doque, & ipsum quandoque non erit longe,
Non enim tantum remanet de seculo, quantum
iam exemptum est. Hoc igitur tunc dicimus.
Modo autem in isto bello ne male intelligentibus
lectio ista tuba sit hostis non nostra, unde ille inci
tetur, nõ unde uincatur, aduertite obsecro fratres
mei, & qui certatis certate. Qui enim nondum
certatis, non estis intellecturi quod dico. Qui
iam certatis, intellecturi estis. Vox mea in aper-
to, uestra erit in silentio. Prius illud recolite
quod scripsit ad Galatas, unde bene hoc possit B
exponi. Ait enim fidelibus, loquens baptizatis,
loquens quibus utique in sancto lauacro omnia
Gal.5 fuerant dimissa peccata. Eis tamẽ loquens, sed pu-
gnantibus loquens ait, Dico autem, Spiritu am-
bulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis.
Non dixit, ne feceritis: sed, ne perfeceritis. Qua-
re hoc? Sequitur & dicit, Caro enim concupi-
scit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus car
nem. Hæc enim inuicem aduersantur, ut non ea
quæ uultis faciatis. Quod si spiritu ducimini, non
adhuc estis sub lege utique, sed sub gratia. Si spi-
ritu ducimini. Quid est duci spiritu? Spiritui dei
consentire iubenti, non carni concupiscenti. Ta-
men concupiscit & resistit, & uult aliquid, & non
uis tu. Perseuera, ut nolis tu. Desideriũ tuum ta-
men tale esse debet ad deum, ut non sit ipsa con- C
cupiscentia cui resistas. Videte quid dixerim, De-
siderium, inquam, tuum tale esse debet ad deum,
ut omnino non sit ipsa concupiscentia cui resiste-
re oporteat. Resistis enim, & non consentien-
do uincis, sed melius est hostem nõ habere quàm
uincere. Hostis iste aliquando non erit. Refer
animum ad uocem triumphi, & uide si erit. Vbi
est contentio tua? Non erit. Vbi est mors acule-
us tuus? Quæres locum eius & non inuenies. Nõ
enim hæc, quod maxime debetis audire, non e-
nim hæc quasi alia natura est, sicut insaniunt Ma-
nichæi, Languor noster est, uitium nostrum est.
Non separatum alibi erit, sed sanatum nusquam e-
rit. Ergo concupiscentias carnis ne perfeceritis.
Rom.7 Melius quidem erat implere quod lex dixit, Ne D
concupiscas. Plenitudo est ista uirtutis, perfectio
iustitiæ, palma uictoriæ, ne concupiscas. Hoc
Eccl.18 quia modo impleri nõ potest, uel illud impleatur
quod sancta scriptura intendit, Et post concupi-
scentias tuas non eas. Melius est eas non habere,
sed quia sunt, noli post eas ire. Nolunt post te ire,
noli post eas ire. Si uelint post te ire non erunt,
quia contra mentem tuam non rebellabunt. Re-
bellant, rebella: pugnant, pugna: expugnãt, expu-
gna: Hoc solum uidete ne uincant. Ecce aliquid
inde ponam unde cætera intelligatis. Nostis esse
homines sobrios, pauciores sunt, sed sunt. Nostis
esse & ebrios, abundant. Baptizatus est sobrius,
quantum pertinet ad ebrietatem, non habet cum
qua pugnet, habet alias concupiscẽtias cum qui- A
bus pugnet. Sed ut de cæteris intelligatis, unius
tantummodo hostis certamen in medio constitua
mus. Baptizatus est & ebriosus, Audiuit, & cum
timore audiuit, inter cætera mala, quibus homini
bus male uiuẽtibus intercluditur regnum dei, cõ-
memoratam esse & ebrietatem, quia ubi dictum
est, Neque fornicatores, neque idolis seruientes,
neque adulteri, neque molles, neq; masculorum
concubitores, neque fures, ibi additum est; Neq;
ebriosi regnum dei possidebunt. Audiuit & timu
it. Baptizatus est, dimissa sunt illi omnia, quibus
inebriatus est. Restat aduersaria consuetudo. Er
go habet cum qua pugnet renatus. Præterita enim
eius uitia omnia dimissa sunt ei, obseruet, uigilet,
pugnet ne aliquando inebrietur. Surgit ergo illa B
concupiscentia potandi, titillat animum, ingerit
faucibus siccitatem, insidiatur sensibus, uult etiam
ipsum, si potest fieri, penetrare murum, adire in-
clusum, trahere captiuum. Pugnat, repugna. O si
& ipsa non esset. Si consuetudine uitæ huius ac-
cessit, bona consuetudine morigeretur, tu tan-
tum noli ei satis facere, noli eam cedendo satiare,
sed resistendo necare. Tamen quandiu est, ho-
stis est: Si ei non consentias, & nunquam inebrie-
ris, minor & minor erit quotidie. Nam sunt uires
illius subiectio tua. Si enim ei cesseris, & inebria-
tus fueris, das ei uires. Nunquid contra me & non
contra te? Ego de loco superiore moneo, dico,
prædico. Quid ergo mali futurum sit ebriosis, an-
tè denuncio. Non est quod dicas, non audiui, Nõ
C est quod dicas. Exigit deus animam meam de ma
nu illius qui mihi tacuit. Sed laboras, quia tibi ua
lidum aduersarium mala consuetudine ipse feci-
sti. Non laborasti ut nutrires eum, labora ut uin-
cas eum. Et si minus idoneus es aduersum eum,
roga deum tamen: si te non uicerit, quamuis ipsa
tua mala consuetudo luctata sit tecum, si te non ui
cerit, fecisti quod ait Apostolus Paulus, Concupi-
scentias carnis ne perfeceritis. Facta est concupi-
scentia titillando, sed non est perfecta consentien-
do, potando. Quod dixi de ebrietate, hoc de omni
bus uitijs, de omnibus cupiditatibus intelligas. Cũ
aliquibus enim nati sumus, aliquas consuetudine
fecimus. Nam propter illas, cum quibus nati su-
mus, baptizantur infantes, ut soluãtur à reatu pro-
paginis malę quam habuerunt. Consuetudini er-
go semper repugnãdum est, quia ipsa concupiscẽ
tia cum qua nati sumus finiri non potest quandiu
uiuimus. Quotidie minui potest, finiri non potest.
Per illam dictum est hoc nostrum mortis corpus.
De ipsa dicit Apostolus, Condelector enim legi
dei secũdum interiorem hominem. Video autem
aliam legem in membris meis repugnantem legi
mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati
quæ est in mẽbris meis. Tunc nata est ista lex quã-
do transgressa est prima lex. Tunc nata est, inquit,
ista lex quando contempta est & transgressa pri-
ma lex. Quæ est prima lex? Quam in paradiso ac-
cepit primus homo. Nõne nudi erãt, & nõ confun
debantur? Quare nudi erant, & non confunde-
bantur

bantur, nisi quia nondum erat lex in membris repugnans legi mentis? Fecit homo factum puniendum, & inuenit motum pudendum. Manducauerunt contra interdictum, & aperti sunt oculi amborum. Quid enim? Prius in paradiso clausis uel cæcis oculis oberrabant? absit. Nam Adam unde nomina imposuit uolatilibus et bestijs, quãdo ad eum cuncta animalia adducta sunt quibus nomina imponebat, si non uidebat? Deinde dictum est, Vidit mulier lignum, quia placet oculis ad uidendum. Ergo oculos apertos habebant & nudi erant, & non confundebantur. Aperti sunt autem oculi eorum ad aliquid quod nunquam senserant, quod in motu sui corporis nunquam expauerant. Aperti sunt ad intuendum, non ad uidendum. Et quia senserunt pudendum, curauerunt tegendum. Consuerunt, inquit, folia ficulnea, & fecerunt sibi succinctoria. Quod texerunt, ibi senserunt. Ecce unde trahitur originale peccatum, ecce unde nemo nascitur sine peccato, ecce propter quod dominus non sic concipi uoluit, quem uirgo concepit. Soluit illud, qui uenit sine illo, Soluit illud, qui non uenit ex illo. Vnde unus & unus? Vnus ad mortem, unus ad uitam. Homo primus ad mortem, homo secundus ad uitam. Sed quare ad mortem ille homo? Quia tantum homo. Quare ad uitam iste homo? Quia deus & homo. Non ergo quod uult, agit Apostolus, quia uult non concupiscere, & tamen concupiscit, ideo non quod uult agit. Nunquid illa concupiscentia mala trahebat Apostolum subiugatum ad concupiscendum ad fornicationem? Absit. Non ascendant tales cogitationes in cor nostrum. Luctabatur, non subiugabatur. Sed quia nolebat & hoc habere contra quod luctaretur, ideo dicebat, Non quod uolo ago. Concupiscere nolo, & concupisco. Non ergo quod uolo ago, sed tamen concupiscentiæ non consentio. Non enim aliter diceret, Concupiscentias carnis ne perfeceritis: si eas ipse perficeret. Sed constituit tibi ante oculos pugnam suam, ne timeres tuam. Si enim hoc non dixisset beatus Apostolus, quando uideres moueri concupiscentiam in membris tuis cui tu non consentires, tamen cum eam moueri uideres, forsitan desperares de te & diceres: Si ad deũ pertinerem, sic non mouerer. Vide Apostolum pugnantem, & noli te facere desperantem. Video aliam legem, inquit, in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Et quia nolo ut repugnet: caro enim mea est, ego ipse sum, pars mea est: non quod uolo ago, sed quod odi malũ hoc ago, quia concupisco. Quod ergo bonum ago, quia concupiscentiæ malæ non consentio, ago bonũ, & non perficio bonum: & concupiscentia hostis mea agit malum, & non perficit malum. Quomodo ago bonum, & non perficio bonum? Ago bonum cum malæ concupiscentiæ non consentio: sed non perficio bonum, ut omnino non concupiscam. Rursus ergo & hostis meus quomodo agit malum, & non perficit malum? Agit malum, quia mouet desiderium malum. Non perficit malum, quia me nõ trahit ad malũ. Et in isto bello est tota uita sanctorum. Iam quid dicam de immundis, qui nec pugnant? Subiugati pertrahuntur, quia libenter sequuntur. Hæc, inquam, est pugna sanctorum, & in hoc bello semper homo periclitatur quousq; moriatur. Sed in fine, id est, in triumpho illius uictoriæ quid dicitur, imo quid dixit Apostolus iam præmeditans triumphum? Tũc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in uictoria. Vbi est mors contentio tua? Vox triumphantium. Vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum, cuius punctione facta est mors. Peccatum quasi scorpius est. Pupugit nos, & mortui sumus. Sed quando dicitur, Vbi est mors aculeus tuus: quo aculeo facta es, non quem fecisti. Quando ergo dicitur, Vbi est mors aculeus tuus: utique non erit, quia peccatum non erit. Aculeus autem mortis est peccatum. Contra peccatum data est lex. Quomodo uirtus est peccati lex? Subintrauit ut abundaret delictũ. Quomodo hoc? Quia fuit ante legem homo peccator, data lege atque transgressa, factus est præuaricator. Peccato tenebantur omnes rei, lege data plus præuaricatione facti sunt rei. Vbi spes nisi quod sequitur, Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia? Ideo & iste miles, & quodammodo in isto bello exercitatissimus, tam exercitatus ut esset & dux, cum laboraret in hoc bello contra hostem & diceret, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis: legem fœdam, legem miseram, uulnus, tabem, languorem, subiunxit. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et gementi subuentum est. Quomodo subuentum est? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Quando corpus habebis ubi nulla cõcupiscentia remanebit? Cum mortale hoc induerit immortalitatem & incorruptionem, & dicetur morti, Vbi est contentio tua? Et non erit. Vbi est mors aculeus tuus? Et nusquam erit. Modo quid? Audi igitur. Ego ipse mente seruio legi dei, carne autẽ legi peccati. Mente seruio legi dei, non consentiendo: carne autem legi peccati, concupiscendo. Et mente lege dei, & carne legi peccati. Et hac delector, & ibi concupisco, sed nõ uincor: titillat, insidiatur, pulsat, trahere conatur, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Nolo semper uincere, sed aliquando uolo ad pacẽ uenire. Nunc ergo fratres tenete istum modum, mẽte seruite legi dei, carne legi peccati, sed ex necessitate, quia cõcupiscitis, nõ quia consentitis. Aliquando ista cõcupiscentia sic insidiatur sanctis, ut faciat dormientibus quod nõ potest uigilantibus. Vnde omnes acclamastis, nisi quia omnes agnouistis? Pudet hic immorati, sed non pigeat inde deum precari.

Gal.5

Rom.7

1 Cor.15

1 Cor.15

Rom.7

Item in eadem dominica Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Matthæum, Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt

sunt turbæ, &c. quæ habetur in opere De quæstionibus Euangeliorũ lib. II. cap. III.

Ser. XLVI

Dominica quarta post octa. festi Epiphaniæ De quatuor uirtutibus charitatis, Sermo I. habetur in tomo. 9. columna 1042.

Dominica eadem de eo quod Apostolus dicit, Delector enim legi dei secundum interiorem hominem, &c. Sermo II

Ser. XLVII Frag. nothi sermonis 43

VM ergo semetipsos quotidie sentiãt sancti, terrenæ cogitationis pondere prægrauatos ab illa mentis sublimitate decidere, & inuitos imò uero etiam nescientes in legem peccati mortisq; traduci: atq; ut cætera prætermittam illis saltem quę superius comprehendi, bonis quidem ac iustis, sed tamen terrenis à conspectu dei operibus auocari: habent profecto pro quibus ad deum iugiter ingemiscant, habent pro quibus in ueritate humiliati atque compuncti, non uerbis tantummodo, sed affectu semetipsos pronuncient peccatores, ut ueniam pro omnibus quæ quotidie superati fragilitate carnis incurrunt, à gratia domini iugiter postulantes, ueras pœnitentiæ lachrymas indefinenter effundant: quippe qui uideant ijsdem ipsis se pro quibus continuo dolore uexati sunt, etiam usque ad deum iugiter ingemiscãt, æstibus inuolutos, etiam ipsas supplicationes suas offerre se sine cogitationum anxietate non posse. Experti igitur se humanis uiribus desideratam fidem, obsistente carnis sarcina, non posse contingere, neque illi præcipuo summóque bono secundum cordis sui desiderium posse coniũgi, sed ab eius intuitu captiuos ad mundana traduci: ad gratiam dei qui impios iustificat conuolantes, cum Apostolo protestantur, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Christum Iesum dominum nostrum. Sentiunt enim se bonum istud quod uolunt non posse perficere, sed illud quod nolunt, quodq; oderunt malum, id est, cogitationum motus & curam corporalium rerum semper incidere: & condelectantur quidem legi dei secundum interiorem hominem, qui uisibilia uniuersa transcẽdens, conatur deo soli semper uniri. Sed uident aliam legem in membris suis, id est, in natura humanæ conditionis insertam: quæ repugnat legi mentis eorum, pertrahit sensum uiolenta lege peccati, compellens scilicet eos relicto illo principali bono terrena cogitatione submitti. Quæ quãuis necessaria atq; corpori utilis uideatur, cum dispensationi religiosæ cuiuspiam necessitatis impenditur: comparatione tamen illius boni quod sanctorum omniũ oblectat intuitum, mala utiq; ab eis ac fugienda decernitur, qui per eam quoquo modo uel ad modicum tempus ab illius perfectæ beatitudinis gaudio retrahuntur. Vere enim lex peccati est, quam humano generi præuaricatio sui induxit authoris, per illius noxam in quem lata est æquissimi iudicis illa sententia, Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi, & in sudore uultus tui edes panem tuum. Hæc, inquam, est lex membris omnium inserta mortalium, quæ repugnat legi mentis nostræ, eamq; à diuino arcet intuitu: quæ maledicta terra in operib. nostris post agnitionem boni ac mali, cogitationum spinas cœpit ac tribulos germinare: quarum aculeis carnis obtusis semina præfocantur, ne illum panem nostrum qui de cœlo descendit, quiq; confortat cor hominis, edere absque uultus nostri sudore possimus. Omne igitur humanum genus huic generaliter legi sine ulla exceptione subijcitur. Nullus enim est, quanuis sanctus, qui supradictũ panem non cum sudore uultus sui & solicita cordis intentione percipiat: cæterum communi isto pane multi, ut uidemus, diuites sine ullo uultus sui sudore uescuntur. Quam etiam legem beatus Apostolus spiritalem asserit dicens: Scimus autem quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, uenundatus sub peccato. Spiritalis enim est lex quæ iubet nobis ut in sudore uultus nostri comedamus illum panem uerum qui de cœlo descẽdit, sed nos carnales fecit uenundatio illa peccati. Quod rogo istud, cuiusue peccatum est? Sine dubio Adæ, cuius preuaricatione, atque ut ita dicam, negociatione damnosa, fraudulentoq; commercio uenditi sumus. Omnem enim prolem suam, serpentis persuasione seductus illiciti cibi perceptione distractam, iugo perpetuæ seruitutis addixit. Hic namque mos solet inter uendentem ementemq; seruari, ut is qui se alieno cupit dominio mancipare, aliquid precij pro iactura proprię libertatis & addictione perpetuæ seruitutis à suo consequatur emptore. Quod etiam inter Adam atque serpentem manifestissime uidemus impletum. Ille enim à serpente precium libertatis suæ esu interdictæ arboris capiens, à naturali libertate discessit: illiq; maluit semetipsum perpetua uendere seruitute, à quo uetiti pomi letale precium fuerat assecutus: qua deinceps conditione constrictus, non immerito omnẽ posteritatis suæ progeniem, perpetuo eidem cuius effectus est seruus, subdidit famulatu. Quid enim aliud seruile coniugium potest procreare quàm seruos? Quid ergo? Nunquid emptor iste uersutus & callidus domino uero atque legitimo ius damnationis eripuit? Non ita est, neque enim sic ille omne peculium dei, unius fraudis dolositate peruasit, ut potentiam dominij sui uerus dominator amitteret, qui ipsum quoque emptorem quamuis refugum uel rebellem, tamen iugo reprimit seruitutis. Sed quia omnibus rationalibus creaturis arbitrij libertatem creator indulserat, eos qui se contra fas edaces concupiscentiæ transgressione uendiderant, inuitos ad ingenitã libertatẽ reuocare nõ debuit. Abhorret siquidem ab illo iustitiæ & pietatis authore quicquid bonitati æquitatiq; cõtrarium est. Malum em̃ fuerat si cõcessæ libertatis beneficiũ reuocasset: iniustũ si liberũ hominẽ potentia sua opprimẽs atq; captiuãs libertatis acceptæ priuilegium exequi nõ siuisset, cuius salutẽ in futura tunc secula reseruauit, ut recto ordine cõpleretur

Rom.7

Gen.3

retur ſtatuti tẽporis plenitudo. Oportebat enim eius ſobolem tandiu ſub auita conditione durare, quouſq; eandem originalibus uinculis liberatam, in antiquum libertatis ſtatum, prioris domini gratia precio ſui ſanguinis reformaret: quam pie talis inſtinctu potuit etiam tunc ſaluare, ſed noluit, quia eum decreti ſui irrumpere ſanctionem æquitas non ſinebat. Vis noſſe cauſam uenditionis tuæ? Audi ipſum redemptorem tuum per E-
Eſa.50 ſaiam Prophetam apertiſſime proclamantem, Quis eſt iſte liber repudij matris ueſtræ, quo dimiſi eam? Aut quis eſt creditor meus, cui uendidi uos? Ecce in iniquitatibus ueſtris uenditi eſtis, & in ſceleribus ueſtris dimiſi matrẽ ueſtram. Vis etiam euidenter agnoſcere cur te iugo ſeruitutis addictum redimere potentiæ ſuæ uirtute noluerit? Audi quid ad ſuperiora, quibus eiſdem famulis cauſam uoluntariæ uenditionis exprobrat, adiecerit, Nũquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, ut non poſſim redimere, aut non eſt in me uirtus ad liberandum? Sed quid huic potentiſſimæ miſericordiæ eius ſemper obſtiterit, idem
Eſa.59 Propheta demonſtrat, Ecce, inquit, non eſt abbreuiata manus domini ut ſaluare nequeat, neq; aggrauata eſt auris eius ut non exaudiat, ſed iniquitates ueſtrę diuiſerunt inter uos & deum ueſtrum, peccata ueſtra abſconderunt faciem eius à uobis ne exaudiret. Quia ergo carnales nos fecit, & ſpinis ac tribulis condemnauit illa prima dei maledictio, noſq; ita iniquo pater noſter commercio uenundedit, ut bonum quod uolumus agere nequeamus, dũ diuiſi à memoria ſummi dei, ea quę humanæ fragilitatis ſunt cogitare compellimur, dum puritatis amore flagrantes, incentiuis naturalibus quæ penitus ignorare uelimus, etiam inui-
Rom.7 ti plerunque compungimur: Scimus quia non habitat in carne noſtra bonum, id eſt, huius, quam diximus theoriæ atque puritatis perpetua iugiſq; tranquillitas: ſed factum eſt iſtud peſſimum ac lugubre diuortium, ut cum mente legi dei ſeruire uelimus, nunquam ſcilicet uolentes à charitate diuina dimouere conſpectum, tamen carnalibus tenebris circunfuſi, quadam lege peccati ab eo q̃d bonum nouimus cogamur auelli: ſcilicet ad curas cogitationeſq; terrenas, ab illa mentis celſitudine decidentes, ad quas nos lex peccati, id eſt, illa ſententia dei non immerito condemnauit, quam primus delictor excepit. Et inde eſt quod beatus Apoſtolus cũ apertiſſime fateatur ineuitabili ſe, uel omnes ſanctos, peccati huius neceſſitate conſtringi: tamen neminem eorum ab hoc eſſe dam-
Rom.8 nandũ audenter enunciat dicens, Nihil ergo nũc damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu, Lex enim ſpiritus uitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati et mortis: id eſt, quotidiana gratia Chriſti, omnes ſanctos ſuos ab hac lege peccati & mortis, in quam iugiter uel nolentes coguntur incurrere, cum remiſſionẽ debitorũ ſuorum à domino precantur, abſoluit.

Item in eadem dominica Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Matthæum, Simile eſt regnũ cœlorũ homini qui ſeminauit bonũ ſemen, &c, quæ habeẽ in opere de quæſtionib. Euangeliorũ ſecundum Matthęum quæſt. 11

Dominica quinta poſt octauas feſti Epiphaniæ, de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Matthæum, Confiteor tibi pater, &c.

Sermo I

SANCTVM Euangelium cum legeretur fratres, audiuimus dominum leſum exultaſſe in ſpiritu, & diximſſe, Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, reuelaſti ea paruulis. Hucuſque interim uerba domini. Si digne, ſi diligenter, ſi quod primum eſt pie conſideremus, inuenimus primitus, non ſemper cum in ſcripturis legimus confeſſionem, debere nos intelligere uocem peccatoris. Maxime autẽ hoc dicendum fuit, & hinc admonenda charitas ueſtra, quia mox ut hoc uerbum ſonuit uox lectoris, ſecutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris ueſtri, audito ſcilicet quod dominus ait, Confiteor tibi pater. In hoc ipſo quod ſonuit confiteor, pectora tutudiſtis. Tundere autem pectus quid eſt, niſi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Quare hoc feciſtis, niſi quia audiſtis, Confiteor tibi pater? Confiteor audiſtis, qui confitetur non attendiſtis. Nunc ergo aduertite, Si cõfiteor Chriſtus dixit, à quo longè eſt omne peccatum, non ſolius eſt confiteri peccatoris, ſed etiam aliquando laudatoris. Confitemur ergo ſiue laudantes deum, ſiue accuſantes noſmetipſos. Pia eſt utraque confeſſio, ſiue tum te reprehendis qui non es ſine peccato, ſiue cum illum laudas qui non poteſt habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehẽſio tua laus ipſius eſt. Quare enim iam confiteris in accuſatione peccati, in accuſatione tuijpſius? Quare confiteris? Quia ex mortuo factus es uiuus. Scriptura quippe ait, A mortuo quaſi qui non ſit, perit confeſſio. Si perit à mortuo confeſſio, qui confitetur uiuit: & ſi peccatum confitetur, utique à morte reuixit. Si peccati confeſſor reuixit à morte, quis illum ſuſcitauit? Nullus mortuus eſt ſuijpſius ſuſcitator. Ille ſolus ſe potuit ſuſcitare, q̃ mortua carne non mortuus eſt. Etenim hoc ſuſcitauit quod mortuum fuit. Ille ſuſcitabat, qui uiuebat in ſe. In carne autem ſuſcitando mortuus fuerat. Nõ enim pater filium ſolus ſuſcitauit, de quo dictum eſt ab Apoſtolo, Propter quod deus eum exaltauit: ſed etiam dominus ſemetipſum, id eſt, corpus ſuum ſuſcitauit. Vnde dicit, Soluite templũ hoc, & in triduo ſuſcitabo illud. Mortuus eſt aũt peccator, maxime ille quem moles cõſuetudinis premit, quaſi ſepultus Lazarus. Parum enim erat quia mortuus, etiã ſepultus. Quiſquis igitur malæ cõſuetudinis, malæ uitæ ſcilicet terrenarũ cupiditatũ mole premitur ita, ut in illo iam factum ſit, ſicut in quodam Pſalmo mirabiliter dicitur, Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt deus: fit talis, de quali dictum eſt, A mortuo uelut qui non ſit perit confeſſio. Quis eum ſuſcitauit, niſi qui remoto lapide clamauit dicens

Ser. XLVIII
Mat. 11
Eccl. 17
Philip. 2
Pſal. 13
Pſal. 25

Ioan. 11 dicens, Lazare prodi foras. Quid eſt autem foras prodire, niſi q̃d occultum erat foras prodire? Qui confitetur, foras prodit, foras autem prodire non poſſet niſi uiueret, uiuere non poſſet niſi reſuſcitatus eſſet. Ergo in confeſſione ſui accuſatio, dei laudatio eſt. Dicit ergo aliquis, Quid prodeſt eccleſia, ſi iam confeſſor uoce dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt eccleſia confitenti, cui dominus ait, Quæ ſolueritis in terra ſoluta erunt & in cœlo? Ipſum Lazarum attende, cum uinculis prodijt. Iam uiuebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat uinculis irretitus. Quid ergo facit
Matth. 8 eccleſia, cui dictum eſt, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt: niſi quod dominus ait continuo ad diſcipulos, Soluite illum & ſinite abire? Siue ergo nos accuſemus, ſiue deum laudemus, ſemper illi gratias agere ſtudeamus, à quo gratia gratis datur cuicunque datur, Bis ergo deum laudamus, ſi pie nos accuſemus, deumq; laudemus. Quãdo deum laudamus, tanquam eum qui ſine peccato eſt prędicamus: quando autem noſmetipſos accuſamus, ei per quem reſurreximus gloriam damus: hoc ſi fecerimus nullam occaſionem inueniet inimicus, qua nos circumueniat ante iudicem. Cum enim tuipſe fueris accuſator, & dominus liberator, quid erit ille niſi calũniator? Merito ille hinc ſibi tutelam prouidit aduerſus inimicos non conſpicuos, carnem & ſanguinem miſeranda potius quàm caueuda, ſed aduerſus illos inimicos cõtra quos A-
Epheſ. 6 poſtolus nos hortatur ut armemur, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, id eſt, aduerſus homines quos uidetis ſæuire in nos. Va-
Ioan. 13 ſa ſunt, alius utitur. Organa ſunt, alius tangit. Immiſit ſe, inqt, diabolus in cor Iudæ, ut traderet do-
Epheſ. 4 minum. Ait aliquis, Quid ergo ego feci? Audi Apoſtolum, neq; detis locum diabolo. Tu malę uoluntati locum dediſti, intrauit, poſſedit, utitur: ſi locum non dares, non poſſideret. Ergo nos admonens ait: non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates: poſſet quiſq; putare, aduerſus reges terræ, aduerſus potentes ſeculi. Quare? Ipſi non caro & ſanguis? Semel dictum eſt, Non aduerſus carnem & ſanguinem. Auertere ab omni homine, q̃ ergo reſtant inimici? Aduerſus principes & poteſtates, ſpiritalis nequitiæ, rectores mundi: quaſi plus dedit diabolo & angelis eius. Plus dedit, q̃s rectores mũdi appellauit. Sed ne male intelligas, exponit quid ſit mundus, cuius ſunt illi rectores. Rectores mũdi tenebrarũ harum. Quid eſt mundus tenebrarum harum, quibus eſt rector? Dilectoribus ſuis & infidelib. plenus eſt mundus, hos appellat Apoſtolus tenebras. Harum rectores diabolus & angeli eius. Hæ tenebræ non naturales ſunt, non incõmutabiles ſunt. Mutantur & lux efficiũtur, credũt & credendo illuminantur. Quod
Epheſ. 5 cum in eis factum fuerit, audient, Fuiſtis enim aliquando tenebrę, nũc autem lux in domino. Nam quando tenebræ, in te, non in domino. Iterũ quan-
1. Cor. 4 do lux, non in te, ſed in domino. Quid enim habes quod nõ accepiſti? Quia ergo ſunt inuiſibiles inimici, inuiſibiliter ſunt expugnandi. Quippe hoſtẽ uiſibilem uincis feriendo, inuiſibilem uincis credendo, Viſibilis eſt hoſtis homo, uiſibile eſt & ferire: inuiſibilis eſt hoſtis diabolus, inuiſibile eſt & credere. Ergo eſt pugna inuiſibilis aduerſus inuiſibiles inimicos. Ab his enim inimicis quomodo ſe tutum dicit quidam? Hoc enim cœperam dicere, & neceſſe habebam de iſtis inimicis aliquando cũ mora tractare. Iam ergo cognitis inimicis, uideamus tutelam. Laudans inuocabo dominum, & ab Pſal. 17
inimicis meis ſaluus ero. Habes quid agas, Laudans inuoca, ſed dominum laudans inuoca. Si enim te laudaueris, ab inimicis tuis ſaluus non eris. Laudans inuoca dominum, & ab inimicis tuis ſaluus eris. Quia quod ait ipſe dominus, Sacrificium Pſal. 49
laudis honorificabit me, & ibi uia eſt ubi oſtendã tibi ſalutare meũ. Vbi uia? In ſacrificio laudis. Noli pedem extra hanc uiam mittere, in uia eſto. Noli à uia recedere, à laude domini, nec unguẽ, nedũ pedẽ. Si enim uolueris ab hac uia deuiare, & pro domino te laudare, non eris ſaluus ab inimicis, qa de ipſis dictum eſt, Iuxta ſemitam ſcandala poſue Pſal. 139
runt mihi. Quicquid ergo putaueris boni habere te abs te, deuiaſti à laude dei. Quid iam miraris, ſi te ſeducit inimicus, quando tuijpſius ſeductor es? Audi Apoſtolum, Qui enim putat ſe eſſe aliquid Gal. 6
cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Dominũ ergo attẽde confitentẽ, Cõfiteor tibi pater domine cœli & ter Matth. 11
ręCõfiteor tibi, laudo te. Laudo te, nõ accuſo me. Quantũ autem pertinet ad ipſius hominis ſuſceptionem, tota gratia, ſingularis gratia, perfecta gratia. Quid meruit homo ille qui Chriſtus eſt ſi tollas gratiam, & tantam gratiam qua unum oportebat eſſe Chriſtũ, & ipſum eſſe quem nouimus? Tolle iſtam gratiam, quid eſt Chriſtus niſi homo? Quid niſi quod tu? Suſcepit animam, ſuſcepit & corpus, ſuſcepit plenum hominem, coaptatam ſibi unam facit dominus cũ ſeruo perſonam. Quanta eſt iſta gratia? Chriſtus in cœlo, Chriſtus in terra, Chriſtus ſimul in cœlo et in terra, nec duo Chriſti, ſed idem Chriſtus in cœlo & in terra. Chriſtus apud patrem, Chriſtus in utero uirginis: Chriſtus in cruce, Chriſtus apud inferos ſubueniens q̃buſdam: eo autem ipſo die Chriſtus in paradiſo cum latrone confitente. Et ibi quid latro meruit, niſi quia illam uiam tenuit, ubi oſtẽdit ſalutare ſuum, à qua tibi pes non exeat? In eo enim quod ſe accuſauit, deum laudauit, & uitam ſuam beatam fecit. Præſumpſit quidem de domino, & ait illi, Domi- Lucæ 23.
ne memento mei dum ueneris in regnum tuum. Cõſiderabat enim facinora ſua, & pro magno habebat ſi ei uel in fine parceretur. Dominus autem continuo cum ille diceret, Memento mei, ſed quando? Cum ueneris in regnum tuum, Amen dico tibi, inquit, hodie mecum eris in paradiſo. Miſericordia obtulit, quod miſeria diſtulit. Audi ergo dominũ confitentem, Confiteor tibi pater, domine cœli & terræ. Quid confiteor? In quo te laudo. Hæc enim confeſſio, ut dixi, laudem habet. Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Quid eſt hoc fratres? A con-

A contrario sensu intelligite. Abscondisti hæc, in-
quit, à sapientibus & prudentibus: & non dixit, re
uelasti ea stultis & imprudentibus: sed dixit, Ab-
scondisti à sapientibus & prudẽtibus, & reuelasti
ea paruulis. Sapientibus & prudentibus irriden-
dis, arrogantibus, falso grandibus, uere autem tu-
mentibus opposuit, non sapientes, non pruden-
tes, sed paruulos. Qui sunt paruuli? Humiles. Er-
go abscõdisti hęc à sapientib. & prudentibus. No
mine sapientium & prudentium superbos intelli
gi posse, ipse exposuit cum ait, Reuelasti ea paruu
lis. Ergo abscondisti non paruulis. Quid est non
paruulis? Non humilibus. Quid est non humili-
bus, nisi superbis? Hæc uia domini aut nõ erat, aut
latebat ut reuelaretur nobis. Vnde dominus exul
tauit, nisi quia reuelatum est paruulis? Debemus
esse paruuli, nam si uoluerimus esse magni quasi
sapientes & prudentes, non nobis illud reuelatur.
Qui sunt magni? Sapientes & prudentes, dicẽtes
se sapientes, stulti facti sunt. Habes remediũ à con
trario: si dicendo te sapiẽtem, stultus factus es, dic
te stultum & sapiẽs eris. Sed dic, dic, sed intus dic,
quia est ut dicis. Si dicis, noli coram hominibus di
cere, & coram deo nõ dicere. Prorsus quod ad tei-
psum pertinet, quod ad tua, tenebrosus es. Quid
est enim aliud, esse stultum, nisi esse tenebrosum in
Rom.1 corde? Deniq; de illis sic ait: Dicentes se esse sapi
entes, stulti facti sunt. Antequã hoc diceret, quid
rursum? Et obscuratum est insipiens cor eorum.
Dic quia tu tibi lumen non es. Vt multum, oculus
es, lumen nõ es. Quid prodest patẽs ac sanus ocu-
lus si lumen desit? Ergo dic à te tibi lumen non es-
Psal.17 se, & clama quod dictum est, Tu illuminabis lucer
nam meã domine, lumine tuo domine illumina-
bis tenebras meas. Meæ enim nihil nisi tenebræ:
tu autem lumen, fugans tenebras, illuminans me,
non à me mihi lumen existens, sed lumen non par
ticipans nisi in te. Sic Ioannes amicus sponsi Chri
Ioan.1 sti, putabatur lumen. Nõ erat ille lumẽ, sed ut testi
monium perhiberet de lumine. Quòd autem erat
lumen, erat lumẽ uerum. Quid est uerum? Quod
illuminat omnem hominem. Si uerum lumen est
quod illuminat omnẽ hominem: ergo audi & Io-
annem recte dicentem, recte cõfitentem, Nos au-
tem de plenitudine eius accepimus. Vide si aliud
dixit, quàm tu illuminabis lucernam meam domi
ne. Deniq; iam illuminatus testimonium perhibe
bat. Propter cęcos lucerna diei testimoniũ perhi-
Ioan.5 bebat. Vide quoniam lucerna est. Vos, inquit, mi
sistis ad Ioannem, & uoluistis exultare ad horã in
lumine eius. Ille erat lucerna ardens & lucens. Ille
lucerna, hoc est, res illuminata, accensa ut luceret,
quæ accendi potest & extingui. Sed ut non extin
guatur, uentum superbiæ non patiatur. Ergo con
fiteor tibi pater, domine cœli & terræ, quia abscõ
disti hæc à sapientibus & prudentibus, lumẽ se pu
tantib. & tenebræ erant. Et pro eo quòd tenebræ
erant, & lumen se putabant, nec illuminare potue
runt: illi autem qui tenebrę erant et tenebras se es-
se confitebant̃, paruuli erant & non magni, humi
Psal.17 les erant & non superbi. Recte ergo dicebant, Tu
illuminabis lucernam meam domine. Se agnosce
A bant, dominum laudabant, à uia salutari non rece
debant. Laudantes dominũ inuocabant, & ab ini
micis suis salui erant. † Postremo aperit cœleste Hæc cõcordi sunt ex Hila
mysteriũ, qđ sic placuerit deo ut paruulis magis rio in Matt.
q̃ prudentib. istius mũdi gratiam suam reuelaret. & ex Ambr. in
Quod cpostolus Paulus stylo pleniore digessit di Lucam.
cens, Nonne stultam fecit deus sapientiam huius
mundi? Nam quoniam dei sapientiam nõ cogno-
uit hic mundus per sapientiã, placuit deo per stul-
titiam prædicatiõis saluos facere credentes. Ait er Matth.11
go, Ita pater, quoniam sic fuit placitũ ante te. Cœ-
lestium enim uerborum arcana atq; uirtutes, sapi-
entibus absconduntur & paruulis reuelantur. Par
uulis malitia non sensu: sapientibus uero stultitiæ
B præsumptione nõ prudentię causis. Factiq; huius
æquitatẽ dominus paternę uolũtatis iudicio con-
firmat, ut qui dedignent̃ paruuli in deũ fieri, stulti
deinceps in sapiẽtia sua fiant. Vides quàm terribi-
lis in consilijs dominus. Disce uerę humilitatis ex
empla, nec temere discutias supernę dispẽsationis
consilia. Cum enim intulisset utrũq;, scilicet quòd
alijs aduentus sui sacramenta reuelauerit, ab alijs
uero abscõderit, non mox rationem reddidit, sed
sic deo placitum dixit, hoc ostendens manifeste,
quia iniustum esse non potest quod placuit iusto.
Ac ne quid in illo minus quàm quod in deo est ę-
stimaret, statim subdidit: omnia mihi tradita sunt
à patre meo. Pulcherrimus connectitur de fide lo
cus, quãdo omnia sibi tradita dicit à patre suo. Cũ
C omnia legis, omnipotentem agnoscis, nõ decolo
rem, non degenerem patris. Cum tradita legis, fili
um confiteris, cui per naturã omnia unius substan
tiæ iure sunt propria, non dono collata per grati-
am. Tradita autem sibi dicit omnia, non solum &
terram uel cętera quę ipse cõdidit ac fecit elemen
ta: sed hos, qui per filium accessum habent ad pa-
trem, et ante rebelles deo postea per fidem sentire
cœperũt: unde & alio loco dicit, Omne quod dat
mihi pater ad me ueniet: &, Nemo nouit filium ni
si pater, neq; patrẽ quis nouit nisi filius, & cui uo-
luerit filius reuelare. Cum diceret, Nemo nouit fi-
lium nisi pater: non dixit, & cui uoluerit pater re-
uelare, quemadmodum cum dixerit, Nemo nouit Ioan.6.
patrem nisi filius: addidit, Et cui uoluerit filius re-
D uelare. Quod nõ ita intelligendum est quasi à nul
lo possit cognosci nisi à solo patre: pater autẽ non
solum à filio, sed etiam ab eis quibus reuelauerit fi
lius. Sic enim potius dictum est, ut intelligamus et
patrem & ipsum filium, per filium reuelari, quia ip
se est mentis nostræ lumẽ, ut quod postea intulit,
& cui uoluerit filius reuelare, non patrem tãtum,
sed etiam filium accipias: ad totum enim quod di-
xit, illatum est. Verbo enim suo se pater declarat.
Verbum enim nõ solum id quod per uerbum de-
claratur, sed etiam seipsum declarat. Vt scias au-
tem quia sicut filius patrem quibus uult reuelat ip
sum, audi dicentem ipsum dominum Iesum cum
laudaret Petrum quòd eum filium dei esse confes-
sus sit, Beatus es Simon bar Iona, quia caro & san- Matth.16
guis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in
cœlis

cœlis, Audiamus ergo eum qui sequitur & dicit.
Venite ad me omnes q̃ laboratis & onerati estis
Hæc supra col.32. Mirum quibusdam uidetur, fratres charissimi, cũ
audiunt dominum dicentem, Venite ad me om-
nes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam
uos: Tollite iugum meũ super uos & discite, quia
mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem
animabus uestris: Iugum meum suaue est, & o-
nus meum leue: & considerant eos qui iugum ip-
sum intrepida ceruice subierunt, et illam sarcinam
mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari
& exerceri difficultatibus huius seculi, ut non à la
boribus ad quietem, sed à quiete ad laborem uoca
2.Tim.3 ti uideantur: cum Apostolus dicat, Omnes qui uo
lunt pie uiuere in Christo Iesu, persecutionem pa-
tientur. Ait ergo aliquis, Quomodo iugũ eius sua
ue est & sarcina leuis, quãdoquidem illud iugum
& sarcinam ferre, nihil est aliud quàm pie uiuere
in Christo? Et quomodo dicit̃, Venite ad me om-
nes q̃ laboratis & onerati estis & ego reficiã uos:
& nõ potius dicitur, Venite qui uacatis ut labore-
tis? Nam & uacantes inuenit quos cõduxit in ui-
neam ut ferrent æstum diei. Et sub illo iugo leni et
2.Cor.6 sarcina leui, audiamus Apostolum dicẽtem, In o-
mnibus commendantes nosipsos sicut dei mini-
stros, in multa patientia, in tribulationibus, in ne-
cessitatibus, in angustijs, in plagis, &c. Et alio lo-
2.Cor.11 co in eadẽ epistola, A Iudęis quinquies quadrage
nas una minus accepi, ter uirgis cæsus sum, semel
lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in
profundo maris fui: & cætera pericula quæ enu-
merari quidem possunt, sed tolerari nisi spiritusan
cto iuuante non possunt. Omnia ergo illa quæ cõ
memorauit aspera & grauia, frequentius & abun
dantius sustinebat, sed profecto aderat ei spiritus-
sanctus, qui in exterioris hominis corruptione in
teriorẽ renouaret de die in diem, et gustata requie
spiritali in affluentia deliciarum dei, in spe futuræ
beatitudinis omnia præsentia deliniret, aspera &
grauia omnia releuaret. Ecce quàm suaue iugum
Christi portabat & quàm leuem sarcinam, ut om-
nia illa quæ superius enumerata dura & immania
omnis auditor horrescit, leuem tribulationem di-
ceret, intuens interiorib. & fidelibus oculis quan-
to precio temporalium emenda sit futura uita, nõ
pati labores æternos impiorum, & sine ulla soli-
citudine perfrui æterna felicitate iustorum. Se-
cari & uri se homines patiuntur, ut dolores non
æterni sed aliquanto diuturniores ulceris acrio-
rum dolorum precio redimantur, in languida &
incerta uacationis breuissimæ atque ultima uita.
Immanissimis bellis miles atteritur, pluribus for-
tasse annis in laboribus inquietus, quàm in ocio
quieturus. Quibus tempestatibus & procellis,
quàm horribili & tremendæ sęuitię cœli et maris
importuni sunt mercatores, ut diuitias uentosas
acquirãt, maiorib. quàm quibus acquisituri sunt
periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus,
quæ frigora, quæ pericula ab equis, à fossis, à præ-
cipitijs, à fluminibus, à feris perferunt uenatores?
quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas ui-
lissimi & sordidissimi cibi & potus angustias, ut
A bestiam capiant? Et interdũ nec ipsius bestiæ car-
nes, propter quam hæc tanta sustinent, epulis ne-
cessariæ: quanq; & si aper ceruus ue capiatur, ma-
gis suaue sit uenãtis animo quia captus est, quàm
comedentis palato quia coctus est. Quãtis crucia
tibus propè quotidianarum plagarum tenera pue
rorum ætas subditur? Quantis etiam scholis uigi-
liarum & abstinentiæ molestijs exercentur, non
propter discendam sapientiam, sed propter opes
honoresq; uanitatis, ut numeros & literas & diser
tas fallacias eloqui dicant? Sed in his omnib. qui
hæc non amant, eadem grauia patiuntur: qui uero
amant, eadem quidem, sed non grauia pati uiden
tur. Omnia enim sæua & immania, prorsus facilia,
B & propè nulla efficit amor. Quanto ergo certius
ac facilius ad ueram beatitudinem charitas facit,
quod ad miseriã quantum potuit cupiditas fecit.
Quàm facile toleratur quęlibet aduersitas tempo
ralis, ut æterna pœna uitetur, æterna requies com
paretur. Non immerito ille uas electionis cum in-
genti lætitia dixit, Non sunt condignæ passiones Rom.8
huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabi
tur in nobis. Ecce unde iugum illud suaue est &
sarcina leuis. Et si angusta est paucis eligentibus,
facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmi Psal.16
sta, Propter uerba labiorum tuorum ego custodi-
ui uias duras. Sed quæ dura sunt laborãtibus, eis-
dem ipsis mitescunt amantibus: propter quod ita
diuinæ pietatis dispensatione actum est, ut interi-
C or homo qui renouatur de die in diem non adhuc
sub lege positus, sed iam sub gratia exoneratus sar
cinis innumerabilium obseruationum, quod erat
reuera graue iugum, sed duræ ceruici conuenien-
ter impositum, facilitatem simplicis fidei & bonæ
spei & sanctæ charitatis, quicquid molestiarũ ex-
teriori homini forinsecus intulisset ille princeps q̃
missus est foras, interiore gaudio leue fieret. Ni-
hil enim tam facile est bonæ uoluntati quàm ipsa
sibi, & hæc sufficit deo. Quãtumlibet ergo sęuiat
iste mundus, uerissime angeli nato in carne domi
no clamauerunt, Gloria in excelsis deo, & in ter- Luc.2
ra pax hominibus bonæ uoluntatis. Quia qui na-
tus erat suaue iugum eius est & sarcina leuis, sicut
dicit Apostolus: fidelis deus qui non sinit tentari 1.Cor.10
D nos super id quod possumus ferre, sed facit cũ ten
tatione etiam exitum ut possimus sustinere. Con-
uersi ad dominũ deum patrem omnipotentẽ pu-
ro corde, & in quãtum potest paruitas nostra, ma
ximas atq; ueras gratias agamus, precantes toto
animo singularem masuetudinem eius, ut preces
nostras in beneplacito suo exaudire dignetur: ini-
micũ quoq; à nostris actibus & cogitationib. sua
uirtute expellat, nobis multiplicet fidem, mẽtem
gubernet, spiritales cogitationes concedat, & ad
beatitudinẽ suam perducat, per Iesum Christum
dominum nostrum filium suum, qui cum
eo uiuit & regnat in unitate spiri-
tus sancti deus per omnia
secula seculorum,
Amen.

In eadem dominica de iustitia quæ ex lege, & ea quę ex fide est. Et quomodo diabolus princeps sit mundi ex traduce peccati. Et de perfectione imperfecta & æternitate futura:

A SERMO XLIX.

Sermo II

D IVINAE lectiones omnes ita sibi connectuntur tanquã una sit lectio, quia omnes ex uno ore procedunt. Multa ora sunt ministerium sermonis gerẽtium, sed unum est os ministros implentis. Audiuimus Apostolicã lectionem, & forte aliquem moueat quod ibi scriptum
Philip.3 est, Secundũ iustitiam quæ ex lege est, qui fuerim sine querela. Quæ mihi lucra fuerũt, hæc propter Christũ damna esse duxi. Deinde secutus ait, Non solũ damna, sed etiam stercora existimaui esse, ut Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iustitiã quæ ex lege est, sed iustitiam quæ est ex fide Iesu Christi. Quomodo enim stercora existimat damnaq; secundũ iustitiã quæ ex lege est conuersari sine querela? Quis enim legem dedit? Nónne ipse legem prẽmisit, qui postea reis legis cum indulgentia uenit? Sed his eũ credimus uenisse cum indulgentia, quos reos lex tenebat. Nunquid aũt lex reos tenebat eos, qui secundum iustitiam quæ ex lege est conuersati sunt sine querela? Si ergo indulgentiã & ueniam peccatorum reis legis attulit dominus, non attulit Paulo Apostolo, qui dicit, sine querela se in lege conuersatũ?
Tit.3 Sed ipsum audiamus alio loco, Non ex operibus, inquit, quæ nos fecimus, sed secundũ suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenera-
C
1. Tim.1 tionis. Et iterum, Qui prius fui blasphemus & persecutor & iniuriosus, sed misericordiam consecutus sum: & reliqua. Hac se constituit conuersatum in lege sine querela, ac talem se cõfitetur fuisse peccatorẽ, ut omnis peccator propterea de se non desperet, quia Paulus meruit indulgentiam. Videte fratres, & uim sermonis huius intuemini, quomodo Paulus Apostolus dãna existimat & stercora, ubi sine querela dixit se conuersatum fuisse. Hac impletor legis, hac reus legis, uno eodẽq; tempore, ante baptismũ, ante gratiam. Sed non sine causa damna esse dicit, ne subintrẽt cogitationes noxiæ, hoc ideo dixisse Apostolum Paulum, quod alius dederit legem, alius Euangeliũ: sicut Manichæus mente peruersa sentit, & reliqui hæretici q
D dixerunt, alium datorem fuisse legis quæ data est per Moysen, alium autem largitorem Euangelicę gratię: illum quidem deum malum, illum uero deum bonum. Quid miramur fratres, in obscuritate legis tanquã in clausis ostijs caliginem passi sunt, quia non pietate pulsauerunt. Inuenimus aliquan
Rom.5 do eundem Paulum apertissime dicere, legem bonam esse: quam tamen ideo datam dicit esse, ut abundaret peccatum: & ideo abũdasse peccatum, ut superabundaret gratia. Præsumebant enim homines de uiribus suis, & faciendo quicquid sibi licere arbitrabantur, peccabant in legem dei occultam. Vnde ista lex manifesta promulgata est eis qui omnino sibi rei esse non uidebantur. Data est illis lex, non quæ sanaret, sed quæ ægrotantes pro

baret. Lex præcurrit ante medicum, ut se ægrotus
A qui se sanum putabat inueneret ęgrotum, & dixit, Non concupisces. Et quia ante legem datam præ- Rom.7
uaricatio nondum erat, Vbi enim non est, inquit, Rom.4
lex, nec præuaricatio: antea sine lege peccabatur. Data uero lege postea quàm peccatum est amplius peccatum est, quia cum præuaricatione peccatum est. Inuenit se homo uinci cupiditatibus suis, quas mala consuetudine aduersum se nutriebat, qui etiam cum uinculo & obligatione peccati ex Adam fuerit propagatus. Vnde dicit Apostolus, Ephes.2
Fuimus & nos aliquando natura filij iræ. Inde est Iob 15
quòd nec unius diei infantẽ mundum dicit à peccato, non ex eo quod cõmisit, sed ex eo quod traxit. Audi Psalmum interiora dicentem, & pecca-
B torum nostrorum secreta canentem. Ex persona enim generis humani dicitur Christo, Tibi soli Psal.50
peccaui, & malum coram te feci. Non ex persona unius Dauid hoc dicit, sed ex Adam persona, de quo genus humanum. Audi enim Psalmum, Tibi, inquit, soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, Christo dicitur. Vnde hoc intelligimus? Audi quod sequitur, Et uincas cum iudicaris. Non est iudicatus deus pater, non est iudicatus deus spiritussanctus, non inuenimus nisi solum filium in ista carne, quam de nostra massa suscipere dignatus est iudicatũ: non ex nodo concupiscentiæ hominis & fœminæ uirgo credidit, uirgo concepit, uirgo peperit, & uirgo permansit: Et ideo dicitur, Vincas cum iudicaris.
C Iudicatus est enim & uicit, quia sine peccato iudicatus est. Patientiæ fuit sustinere iudiciũ, non reatus. Multi innocentes iudicantur, sed in ipsis causis quas agunt. Nam de reliquo peccato non carent, quia sicut ante homines factum, sic ante deum cogitationis peccatum est. Factum tuum coram oculis dei, cogitatio tua est. Testis facti est ipse iudex, accusatrix facti ipsa conscientia. Ergo ille uere innocens iudicatus est, & ideo uicit. Solus enim uicit, non de iudice Pontio Pilato, neq; de Iudæis sæuientibus, sed de ipso diabolo, qui omnia nostra peccata rimatur diligentia inuidentiæ. Et quid ait dominus Iesus de ipso diabolo? Ec Ioan.14
ce uenit princeps mundi huius. Iam sæpe dictum est charitati uestræ mundum istum appellari pec-
D catores. Et quare peccatores nomine mũdi appellantur? quia dilectione mundi inhabitant mundũ. Qui enim non diligunt mundum, non habitant in eo quod non diligunt. Nostra, inquit, conuer- Philip.3
satio in cœlis est: Si ergo qui diligit deum in cœlo habitat cum deo, qui diligit mundum in mundo cum principe habitat mũdi: Omnes itaq; dilectores mundi ipsi sunt mundus, habitatores mundi, non carne quod omnes iusti, sed animo quod soli peccatores, quibus princeps est diabolus, quomodo dicitur domus habitatores domus. Secundum quam sententiam dicimus malam domũ esse marmoratam, & bonam domum esse fumigatam. Inuenis domum fumosam quam boni habitant, & dicis bona domus. Inuenis domum marmoratam & laqueatam quam possidẽt iniqui, & dicis mala domus

domus domum appellãs non parietes & receptacula corporum, sed ipsos habitatores: Sic mundũ
A appellauit scriptura habitatores mundi per cõcupiscentiam dilectionis, non per cõuersationẽ corporis. Ergo ecce, inquit, uenit princeps mundi, & in me nihil inuenit. In solo ipso nihil inuenit diabolus. Et tanq; diceretur ei, Quare ergo moreris? Ibi sequitur, Sed ut sciant omnes, quia uolũtatem patris mei facio, surgite eamus hinc. Surgit & it ad passionem. Quare? Quia uoluntatẽ patris mei facio. Propter hanc ergo singularem innocentiam ait Psalmus, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cũ iudicaris: quia nihil mali in te inuenit. Quare autem in te inuenit ò genus humanum? Quia sequi-
Psal.50 tur & dicit, Ego enim in iniquitatibus conceptus
B sum, & in peccatis peperit me mater mea. Dicit hoc Dauid, Quære unde natus sit Dauid, inuenies de legitima coniuge, de nullo adulterio. Secundum quam ergo propaginẽ dicit, In iniquitate cõceptus sum, nisi quia est ibi quiddã de mortis propagine, quod secum trahit omnis qui ex coniunctione uiri & fœminæ nascit? Habens ergo unusquisq; concupiscentiã, attendat legem dicentem,
Exod.20 Non cõcupisces: inuenit in se quod illa prohibet & fit reus legis. Inueniens autẽ in se cui subditus est, incipiat iam dicere, Cõdelector legi dei secundum interiorem hominem. Video autẽ aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati quæ est in membris meis. Cognouit se ægrotum, implorat
C medicum. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Respondeat medicus, Gratia dei per Iesum Christum dominũ nostrũ. Gratia dei, non merita tua. Quare ergo te dixisti in lege cũ iustitia sine querela conuersatũ? Attendite, Sine querela dixit hominũ. Est enim quædã iustitia quam potest homo implere, ut nullus hominũ queratur de homine. Dicit, Non concupiscas alienum: Tu si non rapueris alienum, nulla querela erit hominũ. Ergo aliquando concupiscis & non rapis: Sed sententia dei supra te est, quia concupiscis: Reus es legis, sed in oculis latoris legis. Sine querela uiuitur: Quare ergo ista damna? Quare ista stercora? Constrictior est aliquanto nodus iste, sed soluet qui soluet, Hoc autem non ego solus pia subiectione, sed omnes pia intentione meamur. Quicquid faciebant Iudęi unde homines non quererentur, & esset ipsius conuersatio ex lege sine querela, sibi tribuebant, & ipsam iustitiã secundum legem uiribus suis assignabant, implere non poterant, sed in tantũ faciebant inquantum poterant sibi tribuendo, nec hoc pie implebant. Hoc ergo dicit legem implere, hoc est, non cõcupiscere. Quis ergo hoc qui uiuit potest? Adiuuet
Psal.142 nos Psalmus, qui modo cantatus est, Exaudi me domine in tua iustitia: hoc est, non in mea. Si diceret, Exaudi me in iustitia mea: tanquam meritum uocaret. Vocat quidem & in nonnullis locis & suam iustitiam, sed sic melius discernit, quia & suam quando dicit, datam dicit, quomodo dicimus, Pa-

nem nostrũ quotidianum da nobis hodie: Quo- Matth.6
modo nostrum: Quomodo da. Ergo hic distincti
A us loquens ait, Exaudi me in tua iustitia. Et sequi- Psal.142
tur, Et non intres in iudiciũ cum seruo tuo. Quid est, Non intres in iudicium cum seruo tuo? Non stes mecum in iudicio exigendo à me omnia quæ præcepisti, & omnia quæ iussisti: Nam me inueniens reum si in iudicium intraueris mecũ. Opus est ergo, inquit, mihi misericordia tua potius quàm liquidissimo iudicio tuo. Quare ergo, ne intres in iudiciũ cũ seruo tuo? Sequitur & dicit, Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Seruus enim sum: Quare mecum stas in iudicio? Misericordia domini utar. Quare? Quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Quid
B dixit? Quamdiu uiuitur in hac uita, nemo iustificatus est, sed in cõspectu dei. Non frustra addidit, In conspectu tuo: nisi quia potest esse iustificatus aliquis in conspectu hominum, ut & illud implea
Philip.3 tur, Secundum iustitiam quæ ex lege est, qui sine querela in cõspectu fuerim hominum. Referat in conspectu dei: Nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Quid ergo facturi sumus? Clamemus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Clamemus, Ne intres in iudicium cũ seruo tuo. Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrũ. Hoc ergo Psalmũ audiuimus, hoc Apostolum audiuimus, Quia cum fuerit illa iustitia secundum quam uiuunt angeli, cum fuerit illa iustitia ubi nulla erit cõcupiscentia, iam unusquisq; metiatur se quid est modo, & quid erit tũc:
C & inueniet in cõparatione illius iustitiæ, ista damna esse & stercora. Quisquis autem putat se modo posse implere iustitiam, & cum uixerit bene atq; innocenter secũdum probabilitatem existimationis humanę in uia remansit, non desiderat melius, quia implesse putat, maximeq; sibi tribuẽs, erit superbus: Et melior est peccator humilis quàm iustus superbus. Ideo ait, Et inueniar in illo non habens meam iustitiã quę ex lege est, sicut Iudæi putabãt, sed iustitiam quæ ex fide est in Christo Iesu. Deinde secutus ait, Si quo modo occurram in resurrectione mortuorũ: Ibi se credidit impleturum esse iustitiam, id est, plenam se habiturũ iustitiam. In cõparatione resurrectionis illius, stercus est to-
D ta uita quam gerimus. Adhuc Apostolum audi apertius dicentem, Si quomodo occurram in resurrectionem iustorum, non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim. Et contexit inde, Fratres ego me non arbitror apprehendisse. Quomodo comparat iustitiam iustitiæ, salutem saluti, fidem speciei, peregrinationem ciuitati? Attendite quomodo hoc impleat, fratres ego me nõ arbitror apprehendisse. Vnum autem. Quid unum, nisi ex fide uiuere, spe salutis ęternę, ubi erit plena & perfecta iustitia? In cuius comparatione damna sunt quæ transitura sunt, & stercora quæ reprobanda sunt. Quid ergo? Vnum autem, quæ retrò sum oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernę uocationis dei in Christo Iesu. Et ad eos qui de sua perfectione pos-

ſent pręſumere, Quotquot autem perfecti ſumus,
hoc ſapiamus. Iam dudum dixerat ſe imperfectũ, A
nunc aũt perfectum. Quare niſi quia ipſa eſt per-
fectio hominis, inueniſſe ſe non eſſe perfectum?
Quotquot autẽ perfecti, hoc ſapiamus. Et ſi quid
forte aliter ſapitis, id quoq; uobis deus reuelauit,
id eſt, ut ſi uos in aliquo profectu animi iuſtifica-
tos probatis, legẽdo ſcripturas, & inueniẽdo quæ
ſit uera & perfecta iuſtitia inueniatis uos reos, &
deſiderio futurorum damnetis præſentia, uiuatis
ex fide & ſpe & charitate, & intelligatis quia qd
adhuc creditis nõdum uidetis, quod adhuc ſperatis,
nondum tenetis, quod adhuc deſideratis, non
dum impletis. Etſi talis eſt charitas peregrinan-
tium, qualis erit uidentium? Ergo ille qui docebat
dei iuſtitiam & non conſtituebat ſuam, clamabat B
de Pſalmo: Exaudi me in tua iuſtitia: Et nõ intres
in iudicium cum ſeruo tuo, quoniam non iuſtifica
bitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Secundum
hanc uitam dicitur Moyſi, Nemo faciem dei uidit
et uixit. Non enim uiuendum eſt hac uita, ut illam
faciem uideamus. Moriendum eſt mundo, ut deo
in ſempiternum uiuamus. Tũc non peccabimus,
non ſolũ factis, ſed nec cõcupiſcentijs, cum illam
faciem uiderimus quę uincit omnes concupiſcen
tias. Tam enim dulcis eſt fratres mei, tam pulchra
ut illa uiſa nihil aliud poſſit delectare: Satietas erit
inſatiabilis, nullum faſtidium, ſemper eſuriemus,
ſemper ſaturi erimus. Audi ipſas duas ſentẽtias de
ſcriptura, Qui bibit me, dicit ſapiẽtia, adhuc ſitiet:
& qui edit me, adhuc eſuriet. Sed ne putes qa ibi C
Ioan.4 erit indigentia & fames: audi dominũ, Qui bibe-
rit de hac aqua, non ſitiet in æternum. Sed dicis,
Pſal.26 Quando erit? Quandocunq;, erit tamen: Expecta
dominum, ſuſtine dominũ, uiriliter age, & con-
fortetur cor tuum. Nunquid tanta reſtant, quanta
peracta ſunt? Intende ab Adam uſq; ad hodiernũ
diẽ, quot ſecula euoluta ſunt, & ecce iam nõ ſunt.
Pauci dies remanent quodãmodo: ſic enim dicen
dum eſt quod remanet in cõparatione tranſacto
rum ſeculorũ. Exhortemur in inuicem. Exhorte-
tur nos ille qui uenit ad nos, qui cucurrit uiam, &
dixit, Sequimini. Qui aſcendit prior in cœlum, ut
caput de ſublimioribus ſubueniat cæteris mẽbris
Acto. 9 in terra laborãtibus: q dixit de cœlo, Saule Saule,
quid me perſequeris? Ergo nemo deſperet: Red-
detur uobis in fine quod promiſſum eſt: Ibi imple
bitur illa iuſtitia, Audiſtis & Euangelium iſtis le-
ctionibus concordare. Volũtas, inquit, patris eſt,
ut omnia quæ mihi dedit non pereant, ſed habeãt
uitam æternam, & ego reſuſcitabo eos in nouiſſi-
mo die. Seipſum primo die, nos nouiſſimo die. Pri
mus dies ad caput Eccleſiæ. Dies enim noſter
dominus Chriſtus, non facit occaſum, Nouiſſi-
mus dies, erit finis ſeculi. Nolo dicas, quando erit
iſte. Generi humano longè erit, unicuiq; hominũ
prope erit, quia nouiſſimus dies eſt, cuiuſq; dies
mortis. Etenim hinc cũ exieris recipieris pro me-
ritis, & reſurges ad recipiẽda quę egiſti. Tunc de-
us coronabit non tam merita tua quàm dona ſua.
Quicquid tibi donauit, ſi ſeruaſti cognoſcit. Totũ
ergo fratres deſiderium noſtrum non ſit niſi ad ui-
tam æternã. Nemo ſibi placeat quaſi qui hic iuſte
uixerit, & comparet ſe illis qui male uiuunt ſecun
dum Phariſæum qui ſe iuſtificabat, qui non audie
rat Apoſtolum, Non quia iam acceperim, aut iam Philip.3
perfectus ſim. Ergo non acceperat adhuc hoc qd
deſiderabat. Pignus acceperat, ſic dixit, Qui dedit 2 Cor.4
pignus ſpiritũ nobis: Cuius rei pignus erat, ad hoc
puenire cupiebat: Participatio quædã, ſed diſtat.
Aliter modo participamur, aliter tũc participabi-
mur, Modo per fidem, per ſpem, in eodem ſpiritu:
tunc aũt ſpecies erit, res erit. Idem autem ſpiritus,
idem deus, eadem plenitudo. Qui clamat abſenti-
bus, exhibebit pręſentibus. Qui uocat peregri-
nos, nutriet & alet in patria. Via nobis factus eſt
Chriſtus, & deſperamus nos uenturos? Via iſta ſi
niri nõ poteſt, pręcidi nõ poteſt, corrũpi non po-
teſt, nec pluuia, nec diluuijs, nec à latronib. obſide
ri. Ambula ſecurus in Chriſto, ambula ne offen-
das, ne cadas. Ne retro reſpicias, ne in uia remane-
as, ne à uia recedas. Iſta omnia præcaue tantũ, &
perueniſti. Dum perueneris, tunc iam gloriare ex
hoc. Noli in te: Nam qui laudat, deũ non laudat,
ſed ſe à deo auertit: Quomodo qui uult recedere
ab igne, ignis calidus remanet, ſed ille frigeſcit: q̃
modo qui uult recedere à lumine, ſi receſſerit, lu-
men in ſe lucidum remanet, ſed ille tenebratur.
Non recedamus à calore ſpiritus, à lumine uerita
tis. Vocem modo audimus, tunc autem facie ad
faciẽ uidebimus. Nemo ſibi placeat, nemo alicui
inſultet. Omnes ſic uelimus proficere, ut non in-
uideamus proficientibus, non inſultemus defici-
entibus, & erit in nobis cum gaudio impletũ qd
promiſſum eſt in Euangelio: Et ego ſuſcitabo eos
in nouiſſimo die.

Dominica in Septuageſima de lapſu mundi & auaritia. Sermo I.

OMNIS homo in tribulatione conſtitutus SER. I
aliqua, & in ſua cauſa deficiens, prudentem aliquem querit à quo conſilium acci- A
piat, & norit quid agat. Exiſtimemus ergo uniuer
ſum mundum quaſi eſſe hominem unum. Euade-
re mala quærit, & facere bona piget: ac per hoc
crebreſcentib. tribulationib. ſuis in ſua cauſa defi
ciens, quẽ poteſt ad accipiendũ cõſilium pruden-
tiorem inuenire quàm Chriſtũ? Certe meliorem D
inueniat, & quod uult agat. Si aũt non habet ubi
meliorem inueniat, ad hunc ueniat quem ubique
inueniat, conſulat, accipiat conſilium, ſeruet man-
datum bonum, euadat magnum malũ. Præſentia
enim mala tẽporalia, quæ multũ homines exhor-
rent, ſub quib. plurimũ murmurãt, & murmuran-
do offendunt emendatorem, ne inueniant ſaluа-
torem. Præſentia ergo mala ſine dubio trãſitoria
ſunt, aut per nos tranſeũt, aut nos per illa trãſimus,
aut tranſeunt nobis uiuentibus, aut dimittunt no
bis morientibus. Non eſt in tribulatiõe magnum,
quod tempore breue eſt. Quiſquis cogitas craſti-
num diem, nõ reuocas heſternum diem. Minuen-
te die perẽdio, heſternus erit & craſtinus. Verun-
tamen ſi curis tãtis homines æſtuãt ad euadendas
tempo-

temporales & tranſcurrentes uel potius tranſuo-
lantes tribulationes, quid eſt cogitãdum ut homo
euadat manentes & ſine fine durantes? Dura cau A
ſa eſt uita mortalis. Quid eſt aliud hic naſci, niſi in
gredi laborioſam uitã? De labore futuro noſtro,
teſtis eſt ipſe fletus infantis. Ab ipſo moleſto con
uiuio nemo eſt excuſatus. Bibẽdũ fuit quod pro-
pinauit Adam. Facti quidem ſumus manibus ue-
ritatis, ſed propter peccatũ pecti in dies uanita-
tis. Facti ſumus ad imaginem dei, ſed detriuimus
eam trãſgreſſiõe peccati. Ideo pſalmus nos admo
net, quomodo facti fuerimus, & quò peruenerí-
Pſal.38 mus. Ait enim, Quanquam in imagine dei ambu-
2.Retract.25 let homo. Ecce quod factus es. Quò puenit? Au-
di quod ſequitur, Tamen uane conturbatur omis
homo. In imagine ambulat ueritatis, & conturba
tur in cõſilio uanitatis. Deniq; uide conturbatio-
nem eius, uide & tãquam in ſpeculo diſplice tibi.
Quanquã, inquit, in imagine dei ambulet homo,
& ideo magna res eſt homo, tamen uane contur-
babitur. Et quaſi quereremus, unde rogo te, unde
uane conturbabitur? Theſaurizat, inquit, & igno
rat cui cõgregat ea. Ecce ille homo, id eſt, uniuer-
ſum genus humanũ, quaſi unus homo qui in cau-
ſa ſua defecit, conſilium perdidit, de uia ſanæ men
tis errauit, theſaurizat, & neſcit cui congreget ea.
Quid dementius? Quid infelicius? Certe enim ſi-
bi? Non. Quare ſibi nõ? Quia moriturus eſt, quia
breuis uita hominis eſt, quia theſaurus durat, & ci
to tranſit qui cõgregat. Ideo miſeratus hominem
in imagine dei ambulantem, uera fatentem, uana
ſectantem, Vane, inquit, conturbabitur. Doleo,
theſaurizat & ignorat cui congregat ea. Sibi ea? C
Non. Quia moritur homo, perdurante theſauro.
Conſilium habes, da & mihi. Non habes conſiliũ
quod mihi des, nec tu ergo tenes. Proinde ſi am-
bo nõ habemus, ambo quæramus, ambo accipia-
mus, ambo tractemus. Conturbatur, theſaurizat,
cogitat, laborat, curis inuigilat. Per diem uexaris
laboribus, per noctem agitaris timoribus. Vt ſac-
cellus tuus impleatur nummis, anima tua febrici-
tat curis. Video, doleo, conturbaris, & ſicut dicit
q fallere neſcit, uane conturbaris. Theſauriza em̃,
ut bene proueniat quicquid agis, ut damna tacea
mus, ut tãta pericula & in ſingulis lucris ſingulas
mortes (Mortes dico non corporũ ſed malarũ co
gitationũ) ut accedat aurũ, perit fides, ut foris ue- D
ſtiaris, intus expoliaris: ut iſta omittamus, ut alia
taceamus, ut aduerſa prætereamus, proſpera ſola
cogitemus: Ecce theſaurizas, ecce undiq; lucra cõ
fluunt, & more fontium nummi currunt. Vbiq; ar
det inopia, ubiq; fluit copia. Non audiſti, Diuitiæ
Pſal.61 ſi affluant ne apponatis cor? Ecce acquiris, nõ in-
fructuoſe cõturbaris, tamẽ uane cõturbaris. Quа-
re, inquis, uane cõturbor? Ecce ſaccos impleo, pa
rietes mei uix capiũt q̃d acquiro: Quare uane con
turbor? Theſaurizas & ignoras cui ea congreges.
Aut ſi ſcis cui obſecro dic & mihi. Audiã te cui. Si
non uane conturbaris dic cui theſaurizas? Mihi,
inquis. Hoc audes dicere moriturus? Filijs meis,
inq;. Hoc audes dicere de morituris? Magna pie-
tas, theſaurizat pater filijs: imò magna uanitas, the
A ſaurizat moriturus morituris. Si propterea quia
morituris dimittis, quid colligis? Hæc cauſa & fi-
liorum, ſucceſſuri ſunt non permãſuri. Omitto di-
cere qualibus filijs, ne forte quod congregauit a-
uaritia, perdat luxuria: Alius fluẽdo perdit, quod
tu laborãdo cõgregaſti. Sed omitto hoc. Forte e-
runt boni filij, luxurioſi non erunt, ſeruabũt quod
dimiſiſti, augebũt quod ſeruaſti, non perdent q̃d
cõgregaſti. Filij tui tecum ſunt pariter uani ſi hoc
faciunt, ſi te patrẽ in hoc imitãtur: illis dico quod
tibi dicebam. Filio tuo dico, Cui ſeruas: illi dico,
Theſaurizas, & neſcis cui congreges ea. Sicut em̃
tu neſciſti, ſic & ille neſcit. Si in illo uanitas per-
mãſit, nunquid ad ipſum defecit ueritas? Omitto
B dicere, quia forte dum uiuis theſaurizas furi. Vna
nocte uenit, & tot diebus ac noctibus cõgregatũ
paratum inuenit. Theſaurizas forte latroni, forte
prædoni. Nolo amplius dicere, ne commemorem
& refricem perpeſſorũ dolores. Quàm multa quę
cõgregauit inanis uanitas, parata inuenit hoſtilis
crudelitas. Nõ eſt enim meum optare, ſed omniũ
eſt timere. Auertat hoc deus. Sufficiant flagella
ipſius. Omnes oremus, auertat hoc deus. Parcat
deus nobis quem rogamus. Sed ſi dicat quibus,
quid reſpondemus? Tu ergo ò homo, ò omnis ho
mo, tu qui uane theſaurizas, unde mihi reſpõdes
tractanti tecum, & tecum quærenti conſilium in
cauſa omniũ? Dicebas enim & reſpondebas, The
ſaurizo filio meo, filijs meis, poſteris meis. Dixi,
quanta ſint & in ipſis filijs metuenda. Sed omitto
pœnaliter uiciuros filios ſicut optat inimicus, ſic
C uiuant ut optat pater, quàm multi in caſus incide-
runt. Dixi, commemoraui, horruiſti & non corre-
xiſti. Quid em̃ reſponſurus es, niſi hoc dicas, for-
te non? Et ego ſic ſum locutus, Forte, inquam, fu-
ri, forte latroni, forte prædoni. Non dixi certe, ſed
forte. Inter forte fiet, forte non fiet, neſcis ergo q̃d
fiet: Vane conturbaris. Vides quàm uerum dixe-
rit ueritas, quàm inaniter conturbetur uanitas.
Audiſti, tandẽ aliquando ſapuiſti, quia hoc ipſum
cum dicis forte filijs meis, non autem audes dice-
re certus ſum, quia filijs meis, neſcis cui cõgreges
ea. Ergo ut uideo, ut ante dicebã, defeciſti in cau-
ſa tua, non inuenis quod mihi reſpondeas, ſed nec
ego quid tibi. Ambo itaq; quæramus, ambo cõſi-
lium petamus. Habemus copiã non ſapientis, ſed
ipſius ſapientiæ: Audiamus ambo Chriſtum, Iu- 1 Cor.1
dæis ſcandalum, gentib. autem ſtultitiam, ipſis au
tem uocatis Iudæis & Græcis Chriſtum dei uirtu
tem & dei ſapientiam. Quid paras munimenta di
uitijs tuis? Audi uirtutem, nihil fortius. Quid pa-
ras argumenta diuitijs tuis? Audi ſapientiam dei,
nihil prudentius. Forte enim cũ dixero ſcandali-
zaberis: Iudęus eris, quia Chriſtus Iudęis ſcanda-
lum. Forte cum dixero ſtultũ tibi uidebitur: Gẽti-
lis eris, quia Chriſtus gentibus ſtultitia. Chriſtia-
nus es, uocatus es. Vocatis autem Iudęis & Græ-
cis Chriſtus dei uirtus eſt & dei ſapientia. Nolite
cõtriſtari cũ dixero, nolite ſcãdalizari, nolite uelu
ti inſipientiæ meæ ore torto inſultare. Audiamus.

Quod enim dicturus sum, Christus dixit: Cõtemnis præconem, time iudicem. Quid ergo ego dicam? Iam me propemodum paulo ante Euangelij lector hac cura liberauit. Non ego lego, sed lecta recolo. Consilium quærebas in causa tua deficiens, uide quid dicat fons recti cõsilij, fons unde
Matt.6 quicquid imples uenenũ non times. Nolite uobis cõdere thesauros in terra, ubi tinea & comestura exterminat, & ubi fures effodiunt & furantur, sed thesaurizate uobis thesauros in cœlo, quò fur nõ accedit neq; tinea corrumpit, Vbi enim est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Quid expectas amplius? Res aperta est. Consilium patet, sed cupiditas latet, imò non latet, sed etiam ipsa quod peius est patet. Non enim cessat rapina grassari, non eũ cessat fraudare auaritia, non enim cessat periurare malitia. Totum ut quid? Vt thesaurizetur. Et ubi ponatur? In terra. Recte quidem à terra in terram. Homini enim à quo nobis dixi laborẽ fuisse pro-
Gen.3 pinatum, dictum est peccanti, Terra es, & in terrã ibis. Merito thesaurus in terra, quia cor in terra. Vbi est ergo quod habemus ad deũ? Dolete qui intellexistis, corrigimini si doluistis. Quãdiu uultis laudare & non facere? Verum est, nihil uerius. Fiat ergo quod uerũ est. Vnum deum laudamus & non mutamur, ut non etiam in hoc uane conturbemur. Ergo nolite uobis condere thesaurum in terra, siue experti quomodo pereat quod in terra reconditur, siue non experti sed ex alteris metuentes experiri. Quem non corrigunt uerba, corrigant experimenta. Non surgitur, non procedit, nisi ut una uoce dicatur ab omibus: Vę nobis ruit mundus. Si ruit, quare non migras? Si tibi architectus diceret ruituram domum tuam, nónne prius migrares quàm murmurares? Structor mundi tibi dicit ruiturum mundum, & nõ credis? Audi uocem prædicentis, audi consilium commonentis.
Luca 23 Vox prędicentis est, Et cœlum & terra trãsibunt. Vox commonentis est, Nolite uobis cõdere thesaurum in terra. Ergo si creditis prædicenti, si non contemnitis commonentem, fiat quod dicit. Non enim ille te fallit qui tale cõsilium dedit. Non perdes quod dedisti, sed sequeris quod misisti. Consilium ergo do, Da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Non sine thesauro remanebis, sed quod habes in terra solicitus, habebis in cœlo securus. Consilium do seruandi non perdendi. Habebis, inquit, thesaurum in cœlo, & ueni sequere me, ut ducam te ad thesaurum tuum. Non est hoc dispendium, sed compendium. Cur silent homines? Audiant, uel experti quod timeant, faciant unde non timeant, migrent in cœlum. Frumentũ ponis in terra, uenit amicus tuus, qui nouit frumẽtum & terræ naturam, docet tuam imperitiam, dicit tibi, Quid fecisti? Frumentum in terra in inferioribus posuisti. Humidus locus est, putrescit quod posuisti, perdes laborem tuum: Respõdes, Quid ergo faciã? Migra, inquit, in superiora. Audis ergo amicum consilium dantem de frumento tuo, & contemnis deum consilium dãtem de corde tuo? Frumentum tuum times ponere in terra, & cor tuum perdis in terra. Ecce dominus deus
A tuus dat tibi consilium de corde tuo: Vbi enim, inquit, fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuũ. Leua, inquit, cor in cœlo, ne putrescat in terra. Consilium est eius, qui te uult seruare non perdere. Si ergo ita est, quomodo pœnitet eos qui non fecerunt? Modo quid sibi dicũt? In cœlo haberemus, quod in terra perdidimus. Inuasit hostis domum, nũquid inuaderet cœlum? Occidit seruum custodem, nunquid occideret dominum seruatorem, quò fur nõ accedit, neque tinea corrũpit? Quàm multi dicunt: Ibi haberemus, ibi nostros thesauros reconderemus, quò eos securi post paululum sequeremur. Quare non audiuimus dominum nostrum? Quare contempsimus patrem monen-
B tem, & hostem sensimus inuadentem? Ergo si cõsilium est hoc, non simus pigri in tam bono consilio: & si migranda sint quæ habemus, in eum locum transferamus, unde ea non perdamus. Quid sunt pauperes quibus damus, nisi laturarij nostri per quos in cœlum de terra migramus? Da, laturario tuo das, ad cœlum portat quod das. Quomodo, inquis, ad cœlum portat? Et uideo quia manducando consumit. Prorsus nõ tenendo, sed manducando transportat. An excidit tibi, Venite be-
Matt.25 nedicti, percipite regnum, Esuriui enim & dedistis mihi manducare: Et cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? Si ante te medicantem non contẽpsisti, attende ad quẽ peruenerit q̃d dedisti. Cum uni, inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fe-
C cistis. Christus accepit quod dedisti. Ille accepit, qui tibi unde dares dedit. Ille accepit, qui in fine tibi seipsum dabit. Nam & hoc fratres aliquando cõmonui charitatem uestram, quod me fateor in scriptura dei plurimum mouet, & sępius debeo commonere. Rogo uos ut cogitetis, quòd ait ipse dominus noster Iesus Christus, in fine seculi cum uenerit ad iudicium, congregaturum se omes gẽtes in conspectu suo, & diuisurũ homines in duas partes, alios ad dexteram, & ad sinistram alios positurum, dextrisq; dicturum, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mũdi. Sinistris autem, Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius.
D Quære causas uel tantæ mercedis, uel tãti supplicij, percipite regnum, & ite in ignem ęternũ. Quare isti percepturi regnum? Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Quare isti ituri in ignem ęternum. Esuriui eũ & non dedistis mihi manducare. Quid est hoc rogo? Videro de his qui percepturi sunt regnum, quia dederunt tanquam boni & fideles Christiani: uerba domini non contemnentes, & cum fiducia promissa sperantes fecerũt hoc: quia si non fecissent, uitæ ipsorum bene sterilitas ista nõ utiq; conuenisset. Forte eũ casti erãt, non fraudatores, nõ ebriosi, abstinentes se ab operibus malis: Si hoc non adderent, steriles remanerent. Fecissent enim, Declina à malo: nõ fecissent, Et fac bonum. Veruntamen etiam ipsis non ait, Venite percipite regnum, caste eũ uixistis, nulli fraudem fecistis, neminem pauperẽ oppressistis.

limitem

limitem nullius inuasistis, neminem iurando fefellistis: Non dixit hæc, sed percipite regnũ, quia esuriui & dedistis mihi manducare. Quanto hoc excellit, quãdo cętera tacuit, & hoc solum dominus nominauit? Rursus ad illos, Ite in ignẽ æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Quàm multa posset in impios dicere, quoniã si quærerẽt quare imus in ignem æternum, quare quęris adulter, homicida, fraudulator, sacrilege, blasphemator, infidelis? Nihil horum, sed quia esuriui & non dedistis mihi mãducare. Video uos moueri, sicut moueor. Et uere mira res. Huius autem admirabilis rei rationem colligo ut possum, quam uos non
Eccle.3 celabo. Scriptum est: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatũ. Item scriptum
Eccle.29 est, Include eleemosynã in corde pauperis, & ipsa pro te deprecabitur dominum. Item scriptum est,
Dan.4 quod pauloante commemoraui, Consiliũ meum audi rex, & peccata tua eleemosynis redime. Et alia multa sunt diuini eloquij documẽta, quibus ostenditur multum ualere eleemosynam ad extinguenda & delenda peccata. Proinde illis quos dãnaturus est, imò plus illis quos coronaturus, solas eleemosynas imputabit, tanquã dicens, Difficile est, ut si examinem uos, & appendam uos, & scruter diligentissime facta uestra, nõ inueniam unde uos damnem: Sed ite in regnum, Esuriui eũ & dedistis mihi manducare. Non ergo itis in regnum quia nõ peccastis, sed quia uestra peccata eleemosynis redemistis. Rursus & illis, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et illi tanquã noxij, olim rei, sero trementes, attendentes peccata sua quando auderẽt dicere, immerito
C se damnari, immerito in se hanc depromi à iudice tam iusto sententiam? Considerãdo conscientias suas, cõsiderando omnia uulnera animæ suæ quãdo auderẽt dicere, iniuste damnamur? De quibus
Sap.5 ante in sapientia dictum est, Traducent eos ex aduerso iniquitates eorum: Sine dubio uidebunt se iuste damnari pro sceleribus & criminibus suis, & quasi eis diceret, Non inde unde putatis, sed quia esuriui & non dedistis mihi manducare. Si enim ab illis omnibus uestris factis auersi & ad me conuersi, illa omnia crimina atq; peccata eleemosynis redemissetis, ipsæ eleemosynæ modo liberarent uos, & à reatu tantorum criminum absoluerent. Beati enim misericordes, quoniã ipsis misericor-
D dia præstabitur. Modo aũt ite in ignem æternum, Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam. Commendauerim uobis fratres mei, Date panem terrenum, & pulsate ad cœlestem. Dns panis est. Ego sum panis, inquit, uitæ. Quomodo tibi dabit qui non das egẽti? Eget ad te alter, eges ad alterum: Et cum eges ad alterum, & eget ad te alter, ille ad egentem eget. Nam ad quem tu eges nullius eget, fac quod circa te fiat. Non enim quomodo inter se solent improperare quodammodo beneficia amici: Ego tibi præstiti hoc: Respondetur, Et ego tibi hoc, uult ut præstemus ei, quia & ipse prestitit nobis. Nullius indiget, ideo uerus est
Psal.15 dominus. Dixi domino deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges. Cum ergo sit dns &
A uerus dominus, & bonorum nostrorũ non egeat, tamen ut aliquid etiam erga illum faceremus, esurire dignatus est in pauperib. suis. Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare. Domine quando te uidimus esurientem? Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Breuiter ergo audiãt homines digneq; considerent, quantum sit meritum Christum pauisse esurientem, & quale sit crimen Christum contempsisse esurientem. Mutat quidẽ hominem in melius pœnitẽtia peccatorum, sed nec ipsa uidetur aliquid profutura si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit. Testat hoc ueritas per Ioãnem, qui uenientib. ad se dicebat, Generatio uipe Luc.3
rarũ, quis uobis ostendit fugere ab ira uentura? Fa-
B cite ergo dignos fructus pœnitentiæ. Et ne dicatis, patrẽ habemus Abrahã. Dico eũ uobis, quia potens est deus de lapidib. istis suscitare filios Abrahæ. Iam eũ securis ad radicem arborũ posita est. Omis eũ arbor non faciens fructum bonũ excidet & in ignem mittet. De hoc itaq; fructu superius ait. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Quisquis itaq; istos fructus nõ fecerit, sine causa putat per sterilẽ pœnitentiam se mereri ueniam peccatorum. Qui sint aũt isti fructus, ipse consequenter ostendit. Nam post hæc eius uerba interrogabant eum turbæ, dicentes, Quid ergo faciemus, id est, qui sunt isti fructus quos ut faciamus hortaris & terres? Respondens aũt dicebat illis, Qui habet duas tunicas det unã non habenti, & qui habet es-
cas similiter faciat. Quid manifestius fratres mei? Quid certius? Quid expressius? Quid ergo aliud
C sonat, quod superius ait, Omis arbor non faciens fructũ bonum excidet & in ignem mittet: nisi q̃d sinistri audituri sunt, Ite in ignẽ æternum: Esuriui eũ, & non dedistis mihi mãducare? Parũ est itaq; recedere à peccatis, si prętérita curare neglexeris: Eccle.21
sicut scriptũ est, Fili peccasti, ne adijcias iterũ. Et ne hoc solo securũ se esse putaret: Et de pristinis, inquit, deprecare ut tibi dimittant. Sed quid proderit deprecari, si te non dignũ feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitẽtiæ, ut tanq; sterilis arbor excidaris & in ignẽ mittaris? Si ergo exaudiri uultis cum deprecamini pro peccatis uestris, Dimittite & dimittetur uobis.

Item in eadem dominica Homilia de eo q̃d
D scriptum est in euangelio secundũ Matthęũ, Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliãs qui exijt primo mane &c. quæ inserta est in sermone LIX. de uerbis domini.

Item in eadem dominica alius sermo de epistola, Nõ sic puto &c. qui habetur inter sermones de uerbis Apostoli XIX.

Dominica in Sexagesima, De uocatione Abrahæ. Egredere de terra tua &c. Sermo I

ODO cum diuina lectio legeretur audiui- Ser. LI
M mus dñm beato Abrahæ dicentẽ, Egre- Gen.12
dere de terra tua, & de cognatione tua, & Incerti authoris
de domo patris tui. Omnia eũ fratres charissimi, quę in ueteri testamẽto cõscripta sunt, Noui testamenti

menti typum & imaginem prætulerũt, sicut Apo
1. Cor. 10 stolus dicit, Omnia enim in figura contingebant A
illis: Scripta sunt autem propter nos, in quos fines
seculorum obuenerunt. Si ergo propter nos scri
pta sunt, quod tũc in Abraham corporaliter legi
mus factũ, spiritaliter in nobis uidebimus imple
tum. Egredere, inquit dominus, de terra tua, & de
cognatione tua, & de domo patris tui. Hæc omnia
fratres pro sacramento baptismi in nobis & credi
mus & sentimus impleri. Terra nostra caro nostra
est. Et bene de terra nostra egredimur, quãdo car
nales consuetudines deserẽtes, Christi uestigijs in
hæremus. Quasi non tibi uidetur feliciter de terra
sua, id est, de seipso egredi, qui de superbo efficit
humilis, patiens ex iracundo, castus ex luxurioso,
largus ex cupido, benignus ex inuido, placidus
ex cruento? Vere fratres feliciter de terra sua egre B
dit, qui pro dei amore taliter commutat. Denique
etiam in collocutione priuata ita loqui consueui
mus, ut si aliquis malus homo subito bona opera
cœperit exercere, dicamus de illo, Exijt iste de se.
Et uere bene de se exisse dicitur, Egredere, inquit
dominus, de terra tua. Terra nostra, id est, caro no
stra ante baptismum terra morientium fuit, per ba
ptismum facta est terra uiuẽtium. Ipsa est illa terra
Psal. 26 de qua Psalmista cõmemorat, dicens, Credo uide
re bona dñi in terra uiuentium. Terra uiuentiũ &
non morientiũ, id est, uirtutum non uitiorũ, ut di
xi, per baptismum facti sumus: si tamen post acce
ptum baptismum ad uitiorum nõ reuertimur uo
lutabrum, si posteaq; terra uiuẽtium facti sumus,
opera morti obnoxia & luxuriosa non faciamus. C
Et ueni, inquit dominus, in terrã quã monstraue
ro tibi. Tunc enim ad terrã quã dominus ostendit
cũ gaudio ueniemus, si prius de terra nostra, id est,
de carne nostra, ipso adiuuãte, uitia & peccata re
pellimus. Egredere, inquit, & de cognatione tua.
Cognatio ista, uitia intelligũtur atq; peccata, quæ
nobiscũ quodãmodo & ex parte nascuntur, & ab
infantia malis morib. addunt ac nutriunt. De co
gnatione ergo nostra egredimur, quãdo p̃ gratiã
baptismi omibus peccatis & uitijs uacuamur: ita
tamẽ ut postea cũ dei adiutorio quãtũ possumus
laboremus, ut expulsis uitijs, uirtutib. repleamur.
Nã si per baptismũ malis omnib. uacuati, desides
esse uolumus & ignaui, timeo ne impleatur illud
D in nobis q̃d in euãgelio scriptum est, Cum exierit
spiritus immũdus ab homine, uadit per loca arida
& quærit requiẽ & non inuenit. Postea reuersus si
inuenerit domũ uacuã, adducit secũ septẽ spiritus
nequiores se, & ingressi habitãt ibi: Et erũt homi
nis illius posteriora peiora prioribus. Ita ergo de
cognatiõe nostra, id est, de peccatis & uitijs exea
mus, ut nunq; ad hæc mala postea uelut canis ad
uomitũ redire uelimus. Egredere, inquit, & de do
mo patris tui. Et hoc charissimi spiritaliter debe
mus accipere. Pater noster ante gratiã Christi, dia
Ioan. 8 bolus fuit. De ipso dominus in euãgelio Iudęos ar
guit, dicens, Vos ex patre diabolo estis, & deside
ria patris uestri facere uultis. Patrẽ ergo hominũ
dixit diabolũ, nõ ex ipso nascẽdo: sed ipsius nequi

tiam imitãdo, nõ q̃ ex ipso potuerint nasci, sed q̃
eum uoluerint imitari. Nam quòd prius pater no
ster diabolus fuerit, ex persona dei loquẽtis ad ec
clesiam, Psalmista cõmemorat, dicens, Audi filia Psal. 44
& uide, & obliuiscere populũ tuum, & domũ pa
tris tui. Considerate fratres quid dixerit, Audi, in
quit, filia. Qui dicit, Audi filia, pater utique est. Et
cũ dicit, Obliuiscere populũ tuum & domum pa
tris tui: patrẽ utiq; admonet relinquendũ. Inuita
mur ergo à deo patre, ut beata & felici commuta
tione patrẽ diabolũ relinquamus. Bene diabolũ
patrẽ relinquimus, si deo auxiliante calliditatẽ &
neqtias illius uitare semper uel fugere studeamus.
Hæc omnia ergo fratres, id est, ut exẽplo beati A
brahæ de terra nostra, conuersatione utiq; carnali
possimus exire, & cognationẽ nostrã, uitia uidelicet
B & peccata relinquere, & de domo diaboli pa
tris effugere, nõ nostris uiribus, sed Christi gratia
donãte meruimus. Et ideo quantũ possumus cum
ipsius adiutorio laboremus, ne iterũ ad consortiũ
uel ad amicitias diaboli, aut ad uitia uel ad carna
les concupiscẽtias redeamus, propter illud q̃d scri
ptũ est, Iam sanus factus es, noli peccare, ne quid ti Ioan. 5
bi deterius cõtingat: sed Abrahæ fidẽ potius imi
tando, & bona iugiter opera faciẽdo, non solũ ad
ueniã, sed etiã ad cõsortium uel amicitiam dei per
uenire possimus. Sed & illud fratres charissimi q̃d
de hac eadem re dominus locutus est ad Moysen,
cum grãdi metu & tremore cõsiderare debemus.
Sic enim ait, Cum tradiderit uobis dominus terrã Deut. 7
Chananęorum, cauete ne unquã cum habitatori
bus terræ illius iũgatis amicitias, quæ uobis proti
nus sint in ruinam. Cum enim per gratiã baptismi
à nobis omia crimina uel peccata expulsa esse cre
damus, si postea cum ipsis uitijs & peccatis amici
tias iũgimus, dum eis ad cupiditatẽ uel luxuriam
consentimus, sine dubio eorũ amicitia nobis effi
citur in ruinã. Et ideo quantũ possumus cũ dei ad
iutorio pro salute animæ laboremus, & agro cor
dis nostri quẽ peccata uel crimina possederãt, uir
tutes intromittere festinemus, ut in nobis impleatur illud quod beatus Isaac in typo Christi benedi
cens filiũ suũ, dixit, Ecce odor filij mei, sicut odor
agri pleni, cui benedixit dominus: quod ipse præ
stare dignetur, cui honor & imperium cũ patre &
spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Itẽ in eadem dominica, Homilia de eo quod scriptum est in euangelio secundum Matthæum, Exijt qui seminat &c. quæ habetur lib. 1. quęstionum euangeliorum cap. X. & XIII.

Feria quarta post dominicam in Sexagesima, De charitate & dilectione dei & de cæco illuminato.

Sermo I

E charitate nobis pauloante Apostolus lo Ser. LII
D quebatur, cum eius epistola legeretur, & A
eam nobis sic commendabat, ut intelligeremus cætera omnia quamuis magna dei dona, si ne illa nihil prodesse. Vbi aũt ipsa est, sola esse non potest. Et nos ergo uestrę charitati sermonem de charitate reddamus. Charitas alia est diuina, alia est humana: alia est hũana licita, alia illicita. De his

ergo

ergo tribus charitatib. uel dilectionibus, duo eã
nomina habet apud Latinos, quæ Græce ἀγάπη A
dicitur, quod dominus donauerit dicam. Hæc er
go prima est distributio mea, quòd dixi, aliã huma
nam, aliam diuinã esse charitatem. Eandẽq; huma
nam in duo distribui, q̃d alia sit licita, alia illicita,
Prius ergo loquor de humana licita quę nõ repre
hẽditur: Deinde de humana illicita quę dãnatur:
Tertio de diuina quę nos perducit ad regnum. Vt
ergo breuiter insinuẽ, licita est humana charitas
qua uxor diligitur, illicita qua meretrix uel uxor
aliena. In foro eã & plateis magis licita charitas
diligit q̃ meretrix. In domo dei, in templo dei, in
ciuitate Christi, in corpore Christi, etiam meretri
cis amor ad gehennas amãtem perducit. Licitam
ergo charitatem habete, humana est, sed, ut dixi, li B
cita est. Non solum autem ita licita est ut cõcedatur, sed ita licita ut si defuerit reprehẽdatur. Liceat uobis humana charitate diligere coniuges, dilige re filios, diligere amicos uestros, diligere ciues ue stros. Omia enim ista nomina habent necessitudi nis uinculum, & gluten quodammodo charitatis. Sed uidetis istam charitatẽ esse posse & impiorũ, id est, paganorum, Iudęorũ, hæreticorũ. Quis eã eorum non amat uxorem, filios, fratres, uicinos, affines, amicos &c. Hæc ergo humana est. Si ergo tali quisq; crudelitate efferetur ut perdat etiã humanum dilectiõis affectũ, & non amet filios suos, & nõ amet coniugẽ suã, nec inter homines nume randus est. Non enim laudãdus est qui amat filios suos, sed dãnandus est qui nõ amat filios. Adhuc C enim uideat cum quibus debet ei esse dilectio ista cõmunis. Amat filios, & ferę amant filios: Amant filios aspides, amãt filios tigrides, amãt filios leones. Nulla enim bestia est quæ non filijs suis blande murmuret. Nam cum terreat homines, paruulos fouet. Fremit leo in filios, ut nemo transeat. Intrat in speluncam ubi habet filios suos, omnem ra biem feritatis exponit. Foris eam ponit, cum ipsa nõ ingreditur. Ergo qui non amat filios suos, etiã leone peior est, humana sunt ista & licita sunt. Illicitũ amorẽ cauete, Mẽbra Christi estis, & corpus Christi estis. Audite Apostolum & terremini. Nõ potuit enim grauius dicere, non potuit uehemen tius, nõ potuit acrius terrere Christianos ab amo
1. Cor. 6 re fornicationum, nisi ubi dixit, Tollens ergo mẽ D
bra Christi, faciam membra meretricis? Vt autem hoc diceret, superius ait, Nescitis quia qui adhæ ret meretrici unum corpus est? Et testimoniũ de scriptura dedit quòd scriptũ est, Erunt duo in carne una. Dictum est eã hoc diuinitus, sed de uiro & uxore ubi licet, ubi concessum est, ubi honestũ est, non ubi turpe, non ubi illicitum, nõ ubi omni ratione dãnabile. Sicut autem una fit caro in permixtiõe licita uiri & uxoris, sic una fit caro in permixtione illicita meretricis & amatoris, Cũ ergo una fit caro, illud te terreat, illud exhorreat q̃d addidit, Tollens ergo membra Christi. Mẽbra Christi, Christiane attende. Membra Christi noli in altero, in te attẽde mẽbra Christi qui emptus es sanguine Christi. Tollẽs ergo mẽbra Christi, faciam

membra meretricis? Hoc qui non horret, deo hor
ret. Prorsus prorsus obsecro uos fratres mei: Ecce A
ponamus, quod nõ est, promisisse deũ talibus im
punitatem & dixisse, Qui talia fecerint miserebor
eorum, non eos damnabo: Faciamus hoc dixisse
deum. Etiã promissa impunitate tollit quisq; mẽ
bra Christi, & facit iam membra meretricis? Nõ fa
cit si est ibi tertia diuina dilectio. Etenim tres dile
ctiones commemoraui, de tribus me quod domi
nus daret dicturũ esse promisi. De licita humana,
de illicita humana, de illa excellẽti atq; diuina. In
terrogemus diuinam charitatem, & ponamus ante illã duas humanas charitates, & dicamus ei, Ec
ce licita charitas humana qua uxor diligit & filij
aliæq; necessitudines seculares: Ecce alia illicita
qua diligitur meretrix, qua diligit ancilla aliena, B
qua diligitur aliena filia non petita, non promissa,
qua diligitur uxor aliena. Duæ sunt ante te chari
tates, cum qua istarum uis manere? Qui eligit ma
nere cum illa humana licita, cum illa humana illi
cita non manet. Nemo sibi dicat, ambas habeo. Si
ambas habes admittẽdo ad te dilectionẽ meretri
cis, iniuriam facis matronæ & quę ibi habitat diui
næ charitati. Puto enim quia si homo coniugatus
es & diligas meretricem, nõ mittis meretricem in
domum tuã ut habitet cum matrona tua. Nõ usq;
adeo progrederis. Tenebras quęris, latebras quę
ris, turpitudinem non profiteris. Sed & qui nõ ha
bent uxores & sunt quasi meretricum licentius a
matores, ideo dixi quasi, quia & ipsi damnãtur si
iam sunt fideles: puto quia & adolescens nondum
habens uxorem si diligat meretricẽ nõ eã facit ha C
bitare cum sorore sua, non eam facit habitare cum
matre sua, ne iniuriã faciat humanæ pudicitiæ, ne
offendat decus sanguinis sui. Si ergo non facis ha
bitare meretricem quam diligis cũ matre tua, cũ
sorore tua, ne sicut dixi, offendat decus sanguinis
tui: facis habitare in corde tuo dilectionẽ meretri
cis cum dilectiõe dei, & offendis decus sanguinis
Christi? Amate deũ, nihil melius inuenitis. Ama
tis argentũ, quia melius est ferro & æramento. A
matis plus aurum, quia melius est argento. Ama
tis plus lapides preciosos, quia & auri preciũ supe
rant. Amatis postremo istam lucem quã dimittere formidat omis qui mortẽ timet. Amatis, inquã,
istam lucẽ, quomodo eam amore quodam ingen D
ti desiderabat, qui post Iesum clamabat, Miserere Matt. 20
mei fili Dauid. Clamabat cæcus Christo trãseunte. Metuebat enim ne transiret, & non sanaret. Et quantũ clamabat, ut turba prohibente nõ taceret, uicit contradictorẽ, tenuit Saluatorem, obstrepẽtibus turbis & clamare prohibẽtibus, stetit Iesus, Vocauit eũ & dixit ei, Quid uis tibi fieri? Domine, ut uideã, inquit. Respice, fides tua te saluum fecit. Amate Christũ, desiderate lumẽ quod est Chri stus. Si desiderauit ille lumẽ corporis, quãto plus lumen cordis desiderare debetis. Ad eũ non uoci bus sed moribus clamemus. Viuamus bene, mun dũ contẽnamus. Nihil nobis sit omẽ quod trãsit. Reprehẽsuri sunt nos quãdo sic uixerimus quidã dilectores nostri homines seculares, amãtes terrã,

sapien-

ſapientes pluuerem, nihil de cœlo ducẽtes, auras liberas corde nare carpentes. Reprehenſuri ſunt nos proculdubio atque dicturi ſi uiderint nos iſta humana, iſta terrena contemnere. Quid pateris? Quid inſanis? Turba illa eſt contradicens ne cæcus clamet, & aliquanti Chriſtiani ſunt qui prohibẽt uiuere Chriſtiane: quia & illa turba quæ cum Chriſto ambulabat, & uociferãtem hominem ad Chriſtum ac lucem deſiderantem ab ipſius Chriſti beneficio, phibebant, ſunt tales Chriſtiani. Sed uincamus illos, uiuamus bene, & ipſa uita ſit uox noſtra ad Chriſtum, ſtabit qui ſtat. Nam & ibi magnum myſterium eſt. Tranſiens erat ille quãdo ille clamabat. Quando ſanauit, ſtetit. Trãſitus Chriſti intentos nos faciat ad clamandum. Quis eſt trãſitus Chriſti? Quicquid pro nobis tẽporaliter pertulit, tranſitus eius eſt. Natus eſt, tranſit: Nunquid adhuc naſcitur? Creuit, tranſit: Nunquid adhuc creſcit? Suxit? Nunquid adhuc ſugit? Manducauit & bibit: Nũquid adhuc facit? Deſeſſus dormiuit: Nũquid adhuc dormit? Poſtremo prenſus eſt, uinctus eſt, uerberatus eſt, ſpinis coronatus eſt, alapis cæſus eſt, ſputis illitus, ligno ſuſpenſus, occiſus, lancea percuſſus, ſepultus reſurrexit: Adhuc tranſit. Aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris: Stetit. Clama quantum potes, modo te illuminat. Nam in eo ipſo quod uerbũ erat apud deũ, utq; ſtabat, quia non mutabatur. Et deus erat uerbum, & uerbum caro factum eſt. Caro per tranſitum multa fecit, & paſſa eſt: Verbũ ſtetit. Ipſo uerbo cor illuminatur, quia ipſo uerbo caro quam ſuſcepit honoratur. Tolle uerbum, quid eſt caro? Hoc eſt quod tua. Caro autem Chriſti ut honoretur, uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Clamemus ergo & bene uiuamus. Amate filios ueſtros, amate coniuges ueſtras, & ſi ſeculariter. Nam ſecundum carnem amare debetis, ut ſecundum deum illis conſulatis, & non in eis niſi Chriſtum diligatis, & oderitis in ueſtris ſi Chriſtum habere noluerint. Ipſa enim eſt charitas illa diuina. Nam quid eis proderit tranſitoria & mortalis charitas ueſtra? Tamen quando & humanitus diligis uxorem, ſed plus dilige Chriſtũ. Non dico ut non diligas patrem, non dico ut non diligas filios, ſed plus dilige Chriſtũ. Audi illum dicentem, ne mea
Matt.10 putes iſta uerba. Qui amat patrem aut matrẽ plus q̃ me, non eſt me dignus. Quando audis, Non eſt me dignus, non times? De quo dixit, Non eſt me dignus, non eſt cum illo. Qui cum illo non erit, ubi erit? Si non amas cum illo eſſe, time ſine illo eſſe. Quare times ſine illo eſſe? Quia cũ diabolo eris ſi cum Chriſto nõ fueris. Et ubi erit diabolus? Audi ipſum Chriſtum, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Si igne cœli non accenderis, ignem time gehennarum. Si non amas eſſe inter angelos dei, time eſſe inter angelos diaboli. Si non amas eſſe in regno, time eſſe in camino ignis ardẽtis inextinguibilis ſempiterni. Vincat in te pius timor, & erit amor. Timor pedagogus ſit. Non ipſe in te remaneat, ſed te ad charitatem quaſi ad magiſtrum perducat.

Item in eadem feria alius ſermo de epiſtola
A diei, Quẽ diligit dñs caſtigat &c. qui habet in lib. 83. quæſtionum, quæſtione. LXXXII

Item in eadẽ feria Homilia de eo quod ſcriptũ eſt in euãgelio ſecundũ Matthæũ, Omne peccatũ & blaſphemia remittet hominibus &c. quæ habetur inter ſermones de uerbis domini. XI

Dominica in quinquageſima, De fide, & ſpe, & charitate. Sermo I

VICVNQVE enim Chriſtianum nomẽ
Q tenet, & quicunq; ſacramẽtis diuinis eſt Ser.LIII
imbutus fratres chariſſimi, neceſſe eſt ut religionis Chriſtianæ rationem ſciat, & fidei ueritatẽ agnoſcat, eius quoq; fidei, quæ ut Apoſtolus ait, per dilectionẽ operat̃, quæ in preſenti confortat ac roborat credentes, & in futuro perducit ad
B dei contemplationem. Nam tria quædam propoſuit animæ noſtræ neceſſaria beatus & egregius
gentium doctor, dicens, Nunc autem manent fi- 1.Cor.13
des, ſpes, charitas, tria hæc, maior autẽ horum eſt charitas. Primum ergo fides catholica Chriſtiano neceſſaria eſt, quia in ipſa diſtinguntur filij dei à filijs diaboli, filij lucis à filijs tenebrarũ, per ipſam renaſcimur in baptiſmate, & ſalutem æternam im
petramus, ſicut ſcriptum eſt, Qui crediderit & ba- Matt.16
ptizatus fuerit, ſaluus erit. Hæc porta eſt uitæ, hec ianua regni. Per ipſam diſcitur ueritatis ſciẽtia, & percipitur cognitio diuinitatis, per ipſam gratiam dei inuenimus. Aliter autem deo placere non poſſumus, quia ſine fide impoſſibile eſt placere deo. Vere em̃ beatus eſt qui & recte credẽdo bene uiuit, & bene uiuendo fidem rectam cuſtodit. Igitur
C ſicut ocioſa eſt fides ſine operibus bonis, ita nihil proficiũt opera bona ſine fide recta. Vnde beatus
Iacobus Apoſtolus dixit, Quid proderit fratres Iacobi
mei ſi fidem ſe quis dicat habere, opera autem nõ habeat? Nunquid poterit ſaluare eum? Fides ſine operibus ocioſa eſt. Sicut enim corpus ſine ſpiritu emortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt. Fidem ante omnia fratres mei rectam & immaculatam habere contendite, & ſecundum apoſtolicæ inſtitutionis normam, ſymbolũ à ſanctis patribus conſtitutum memoriter tenete, & religioſe uiuentes obſeruare ſtudete: Hęreticorum dogmata peſtifera fugite, maleficorum & incantatorum uenena mortifera horreſcite, diuinorum & ſortile
D gorũ nefandas traditiones quæ cum dæmonibus ſocietatem habent penitus reſpuite, ut nihil aliud quàm q̃d catholica fides laudat, amat, prædicat, in mente ſiue in profeſſione ſeu moribus teneatis. Poſt hãc ergo fidem, ſpem firmam habere diſcite, quæ animum noſtrum ad inuiſibilia trahit, & intentionem noſtram in cœleſtia & æterna inſerit, & quodammodo nexib. inſolubilibus ligat, quæ non decipit, ſed fideliter obſequentes ad ęternam beatitudinem perducit. Nemo igitur quamuis ingenti peccatorum põdere prematur, de bonitate diuinę pietatis deſperare debet, ſed ſpe certę miſericordiæ illius indulgentiã ſibi quotidianis deprecari lachrymis, quã recte ſperare poſſũt ſi ab actione praui operis ceſſabunt. Ideo non propter ſpem

ueniæ

ueniæ, perſeueranter peccare debemus, neq; quia deus iuſte peccata punit, ueniam deſperare debe- A
mus: ut neq; cũ fiducia peccemus, neq; rurſus peccata deſperemus, ſed utroq; periculo euitato, & à malo declinemus, & de pietate dei ueniam ſperemus. Similiter & in omnium tribulationum anguſtia, ſpe in ſolatiũ ſupernę pietatis currẽdũ eſt: quia in illo ſolo omnis ſpes & ſalus ſine dubio cõſiſtit,
Pſal.16 dicente Propheta, In deo ſalutare meum & gloria mea, deus auxilij mei, & ſpes mea in deo eſt. Cum enim fidem rectam & ſpem firmam uobis fratres perſuademus, hoc maxime hortamur ut charitatem in uobis habere & opere oſtendere per omnia ſatagatis. Per ipſam enim & cum ipſa beatitudinẽ ueram habituros uos eſſe ſciatis, quia ſine hac nemo uidebit deum. Hæc autem ideo maior fide & ab Apoſtolo eſſe narratur, quia cæteris recedenti- B
bus ipſa ſola permanebit. Fidei em̃ ſuccedit ſpes, & ſpei beatitudo, charitati autem non tranſmutatio ſed ſola reſtat perfectio. Hæc omnium arx eſt uirtutum, hæc promiſſio regni, hæc præmiũ ſummum eſt ſanctorum in cœlo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent ſancti perfecto amore dei. Quem quia præſentem uidẽt, ſuauius diligunt, & dulcius fruũtur ipſo bono. Oportet uos ſcire fratres, quia in omnibus pręceptis dei charitas obtinet principatum, ſine cuius perfectio
ne deo nihil placere poſſe, Paulus apoſtolus teſta C
tur: quia nec martyrium, nec ſeculi contemptum, nec eleemoſynarum largitionẽ ſine charitatis officio quicquam proficere poſſe oſtendit. Vnde et ipſe dominus à quodam ſcriba interrogatus, quod eſſet mandatũ maximum, reſpõdit, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. Addidit quoq;, Secundum ſimile eſt huic, Diliges proximũ tuũ ſicut te ipſum. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetę. Quod uero ait, Ex toto corde, et tota anima, & tota mente: id eſt, toto intellectu, tota uoluntate, & ex omni memoria deum eſſe diligendũ.
Dei uero dilectio in obſeruatiõe mandatorũ eius
Ioan.14 tota conſiſtit, ſicut alibi ait, Si quis diligit me, ſermones meos ſeruat. Vnde & ipſa ueritas alibi ait,
Ioan.13 In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Item Apo-
Rom.13 ſtolus, Plenitudo legis eſt dilectio. Item Ioannes
1Ioan.4 euangeliſta, Hoc, inquit, mandatũ habemus à deo ut qui diligit deum, diligat & proximum. Si forte quislibet quærat, quis ſit proximus, ſciat omnem Chriſtianũ recte proximum dici, quia omnes in baptiſmo filij dei ſanctificamur, ut fratres ſimus ſpiritaliter in charitate perfecta. Nobilior eſt generatio ſpiritalis q̃ carnalis, de qua in euãgelio ipſa ue
Ioan.3 ritas ait, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnũ dei. Qui autẽ taliter intelligens proximũ diligit, ſine dubio charitatem ueram in ſemetipſo tenebit. Hæc igitur fratres diligẽter cõſiderate, ut cũ fide & dilectiõe ueſtram operemini ſemper ſalutẽ, habentes ſpem firmam, quia quicquid boni in præſenti agitis, in futuro ab illo inæſtimabiliter remunerabimini, qui

author & protector eſt noſtræ ſalutis, Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat.

In eadẽ dominica de uacca, ariete uel capra triũ annorũ, turture quoq; & colũba, Sermo II

VDIVIMVS fratres chariſſimi ſcri- Ser.LIII
A pturam dicentẽ, Locutus eſt dominus Gen.15
ad Abraham dicens, Sume mihi uaccã triennem & capram trimam, et arietem annorũ trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens uniuerſa hæc, diuiſit ea per mediun, & utraſq; partes contra ſe altrinſecus poſuit, aues autem non diuiſit. Deſcenderuntq; uolucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham. Cumq; ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. Cũ ergo occubuiſſet ſol,
B facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis trãſiẽs inter diuiſiones illas. Quid ergo ſignificent iſta fratres, breuiter, quantũ dñs dederit, charitatis auribus ueſtræ cupimus intimare. Beatus Abraham, pater multarum gentium à dño dictus eſt. Omnes enim gentes quæ in Chriſtum credũt & crediturę ſunt, filij ſunt Abrahæ, imitando fidem, nõ naſcendo per carnem. Nõ ſicut Iudæi per infidelitatem degeneres facti ex filijs Abrahæ filij diaboli, & progenies uiperarum ſunt in euangelio appellati: ita ecõtrario oẽs gentes quæ Chriſtũ fideliter credunt, Abrahæ filij effici meruerunt. Vacca ergo triennis, & aries annorum trium, & capra triennis, & turtur uel columba, figuram omnium gentium prætulerunt. Dicta ſunt autem trium annorum, quia omnes gentes in
C trinitatis erant myſterium crediturę. Et quia tota eccleſia catholica non ſolum habet ſpiritales, ſed habet etiam & carnales, quãuis nonnulli in trinitatem ſe credere dicant, carnales tamẽ ſunt, quia crimina & peccata uitare diſſimulãt. Quia ergo cum carnalibus ſunt etiã ſpiritales, ideo turtur & colũba ſunt additę. In turture & colũba, ſpiritales poſſunt ſignificari, ut in illis tribus animalib. carnales intelligi. Ergo diligenter attendite, quia illa tria animalia diuiſiſſe in duas partes dicitur Abraham, & cõtra ſe inuicẽ poſuiſſe. Aues, ſcriptura inquit, non diuiſit. Quare hoc fratres? Quia in eccleſia catholica carnales diuidunt̃, ſpiritales omnino non diuidunt̃: & ſicut dicit ſcriptura, cõtra ſe inuicem
D præparant̃. Quare carnales & diuiſi & cõtra ſe poſiti ſunt? Quia omnes luxurioſi & amatores mundi, contra ſe inuicẽ diuiſiones & ſcandala habere non deſinũt. Iſti ergo diuidunt̃, quia ſibi inuicẽ aduerſantur: aues autem, id eſt, ſpiritales nõ diuiduntur. Quare ſpiritales non diuiduntur? Quia eſt illis cor unum, & anima una in deum. Eſt in illis unum uelle ac nolle: illis em̃ quas ſupra diximus auibus, ſimiles ſunt, turturi ſcilicet uel columbæ. In turture caſtitas, in colũba ſimplicitas deſignatur. Omnes enim in eccleſia catholica deum timẽtes, & caſti ſimplices q̃ eſſe deſignantur, & cũ pſalmiſta dicere poſſunt, Quis dabit mihi pẽnas ſicut colũbæ, Pſal.83
& uolabo & requieſcã? Et iterum, Turtur inuenit ſibi nidum ubi reponat pullos ſuos. Et quãdo car-

nales qui diuidi possunt, grauibus uitiorum compedibus premuntur in mundo, spiritales diuersarum uirtutum pennis eleuantur in altum, & duabus uelut alis, duobus scilicet præceptis, diligẽdo deum & proximum, eriguntur in cœlum, & cum
Philip.3 Apostolo dicere possunt, Nostra autem conuersatio in cœlis est. Et quotiens sacerdos dixerit, Sursum corda, secuti & fideliter dicunt se habere ad deum, quod ualde pauci & rari in ecclesia fiducialiter & cũ ueritate dicere possunt. Ideo ergo aues Abraham non diuisit, quia spiritales, quibus, sicut dixi, est cor unum & anima una, diuidi & à dei uel à proximi amore separari nõ possunt, sed cũ Apo-
Rom.8 stolo clamant, Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Et cætera quæ sequuntur, usq; ad id quod dictũ est, Neq; creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Spiritales ergo, nec tormentis separantur à Christo, carnales uero interdum etiam ociosis fabulis separantur. Illos nõ separat nec crudelis gladius, istos uero separat carnalis affectus. Spiritales nec dura frangunt, carnales etiam blanda corrumpunt. Diuisit ergo Abraham illa animalia in duas partes, aues autem non diuisit. Cum autem occubuisset sol, sopor, inquit, irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus nimis, & apparuit clibanus ardens & fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. Videte fratres quid ignis iste inter diuisiones illas transiens dicitur, Turturem quoq; & columbam tetigisse non legitur. Vespera illa, finem mundi significauit: animalia illa, sicut iam diximus, typum omnium gentium in Christo credentiũ prætulerunt. Quæ tamen gentes, sicut iam dictum est, quia in se non solum carnales, sed etiam spiritales, id est, non solum bonos, sed etiam malos habent, ideo animalia illa diuisa sunt, & ignis transiuit per
1 Cor.3 ea secundum illud quod dicit Apostolus, Dies eẽ domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Clibanus ille ardens & fumans et lampas ignis, diem iudicij figurauit. Et ideo super beatum Abraham timor & horror tenebrosus incubuit. Vnde intelligimus q; si in die iudicij iustus uix saluabit, peccator & impius ubi parebunt? Clibanus ergo ardẽs & fumigans significauit diem iudicij, Diẽ, inquã, iudicij in quo erit fletus & stridor dentium, in quo erit ululatus & lamentatio & tarda pœnitentia, quando mouebuntur fundamẽta montium, & ar-
2 Pet.3 debit terra usq; ad inferos deorsum, quando sicut dicit beatus Petrus, Cœli ardentes soluentur, elementa ignis ardore tabescent: quando sicut dominus ipse in euangelio dicit, etiam uirtutes cœlorũ commouebuntur, quando sol obscurabitur, quando & luna non dabit lumen suum, & stellę cadent de cœlo: Vbi se tunc impij uidebũt? ubi adulteri, ubi ebriosi, ubi maledici se recognoscẽt? Vbi amatores luxuriæ, ubi raptores, ubi superbi & inuidi apparebunt? Quid infelices pro sua defensione dicturi sunt, quos totiens admonitos, & tamẽ imparatos dies ille repererit? Cum ad illam archangeli tubam omni buccina clariorem totus simul cœperit mugire mũdus, cũ sicut dicit propheta, uenerit dñs ponere orbẽ terrę desertũ, & peccatores pdere ex eo: qñ, sicut dicit scriptura, peccatores & impij mittent in stagnũ ignis, & fumus tormentorum illorum ascendet in secula seculorũ. Qui tũc tremor, quę caligo, quę tenebrę criminosos quosque negligẽtes ac tepidos occupabunt? Ne ergo & nos in istum ueniamus cruciatũ animę, expergiscamur dum corrigẽdi tempus est, & uoluntatem dñi nostri tanquã boni serui & utiles requiramus: ut cum dies ille iudicij quem clibanus ille ardens & fumans significauit, tremendus & nimium etiã bonis expauescendus aduenerit, nõ cum mortalibus quos illa animalia figurabãt, qui per diuersas uoluptatũ cõtentiones diuidi possunt, flãmis ultricibus cruciemur in inferno, sed simplicitatẽ colũbæ & castitatẽ turturis pręferentes, spiritalibus uirtutum pennis eleuemur in cœlum, secũdum illud quod ait Apostolus, Simul, inquit, rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus præstãte dño nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen. 1.Thes.4

Item in eadem dominica Homilia de eo quod scriptũ est in euãgelio secundũ Matthæũ, Et ecce duo cæci sedentes &c. quæ habet inter sermones de uerbis domini, XVIII

Feria quarta In capite Ieiunij. Sermo I Ser.LV

CCE fratres charissimi, deo propitio, tempus quadragesimæ uenit: & ideo rogo dilectissimi, ut dies istos corporibus salubres & animæ medicinales ita cũ diei adiutorio sanctè ac spiritaliter celebremus, ut obseruatio sanctæ quadragesimæ non nobis iudicium pariat, sed profectũ. Si enim negligenter agimus, nos minus occupationib. implicamus, si castitatem seruare nolumus, si ieiunijs & uigilijs & orationib. nõ insistimus, si scripturas diuinas aut ipsi nõ legimus, aut legẽtes alios nõ libẽter audimus, ipsa nobis medicamẽta conuertunt in uulnera, & inde habebimus iudiciũ, unde potuimus habere remediũ. Et ideo rogo uos fratres charissimi ad uigilias maturius surgite, ad tertiã, ad sextã, ad nonã ante omnia cõuenite. Nullus se à sancto opere subtrahat, nisi quẽ infirmitas, aut publica utilitas, aut forte certe & grãdis necessitas tenuerit occupatũ. Nec solũ uobis sufficiat quod in ecclesia diuinas lectiones auditis, sed etiã in domib. uestris aut ipsi legite, aut alios legẽtes requirite, & libẽter audite. Recolite fratres sententiã domini nostri qua dicit, Si totum mundũ lucretur homo, animę aũt suę detrimentũ patiatur, quã dabit cõmutationẽ pro anima sua? Et illud omnia memoriter retinete, & iugiter expauescite quod scriptum est, Impedimẽta mundi fecerũt eos miseros. Sic ergo te occupabis in domo tua, ut non negligas animã tuam. Ad extremũ si amplius non, uel tantũ labora pro anima tua, quantum pro carne tua laborare te cõsideras. Et ideo fratres charissimi nolite diligere mundũ, neq; ea quæ in eo sunt, quia mũdus trãsit & cõcupiscẽtia eius. Quid autem permanet in homine Matth.11

nisi quod quisq; aut legendo aut orando aut bona opera faciendo pro animæ salute in thesauro conscientiæ suæ recondiderit? Infelix enim uoluptas, infelicior cupiditas atq; luxuria, per transitoriam dulcedinem præparant sempiternam amaritudinem. Abstinentia uero, uigiliæ, orationes atq; ieiunium, per breuissimas angustias perducũt ad paradisi delicias: quia non mentitur ueritas, quæ in
Matt.7 euãgelio dicit, Arcta & angusta uia est quæ ducit ad uitam, & pauci sunt qui inueniũt eam. Nec per latam uiam diu gaudetur, nec per angustã & asperam longo tempore laboratur: quia & isti post breuem tristitiam accipiũt uitam æternam, & illi post paruum gaudium patiuntur sine fine supplicium. Et ideo fratres charissimi in istis quadraginta diebus, quasi totius anni cibaria animæ nostræ ieiunando, legendo, uel orando prouidere debemus. Nam licet per totum annũ deo propitio lectiones diuinas frequenter & fideliter audiatis, in istis tamen diebus de pelago & fluctibus mundi huius quasi ad portum quadragesimæ confugientes, debemus requiescere, & lectiones diuinas in exceptorio cordis nostri cum silẽtio & pace suscipere: ut deo propitio pro amore uitæ æternæ uacantes, quicquid in nauicula animæ nostræ per totum annum multis tempestatibus, id est, peccatorũ fluctibus, aut fractum, aut dissolutũ aliquid, aut corruptũ, aut perditũ est, omni solicitudine in istis diebus reparare studeamus atq; cõponere. Et qa nos necesse est, dũ adhuc in isto corpusculo sumus, procellas & turbines seculi istius sustinere, quotienscunq; nos aut per tẽpestates durissimas auertere, aut per uoluptates mollissimas decipere uoluerit inimicus, semper nos, adiuuante deo, cõtra se inueniat præparatos. Vnde iterũ rogo, ut occupatiões seculi huius in istis diebus sanctæ quadragesimæ, si nõ potestis abscindere, studeatis uel ex parte aliqua tẽperare: ut præciso dãno & gloriosissimo fructu hoc seculũ fugiẽtes, subtrahatis aliquas horas occupationi terrenæ, in quibus deo uacare possitis. Nã iste mundus aut ridet nos, aut ridetur à nobis: aut acquiescimus & despicimur, aut contẽnimus ut æterna præmia cõsequamur. Ac sic aut cõtẽnis & despicis mundũ, aut acquiescis & premeris uel calcaris à mundo. Sed melius est ut calces mundũ, & calcato eo gradũ tibi facis per quem in sublime cõscẽdas. Hæc eẽ fratres charissimi quæ pro salute cõmuni de uestra obediẽtia præsumentes suggerimus: si secundũ uestrã consuetudinem & libenter auditis & fideliter implere cõtenditis, & pascha cũ gaudio celebrabitis, & ad uitam æternam feliciter uenietis. Quod ipse præstare dignetur, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Eodem die, Sermo II Ser.LVI

OMINVS & saluator noster qualiter ad eum post multas negligentias uenire debeamus fratres charissimi, per Prophetã
Psal.94 nos hortat & admonet dicens, Venite adoremus & procidamus ante dominum, & ploremus corã
Ioelis 2 domino qui fecit nos. Et iterum, Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio & fletu & planctu. Dies enim sanctæ quadragesimæ fratres charissimi si diligenter attendimus, uitã seculi præsentis significant, sicut & dies paschę æternã beatitudinem præfigurãt. Et quomodo in quadragesima quasi tristitiam habemus, ut in pascha ordine legitimo gaudeamus: sic & in hoc seculo quãdiu uiuimus pœnitẽtiã agere debemus, ut in futuro possimus peccatorũ indulgentiã accipere, & ad æterna gaudia peruenire. Sed ita debet unusquisque pro suis criminibus suspirare, lachrymas fundere, eleemosynas dare, ut deo auxiliãte quamdiu uiuit semper crimina ipsa conetur effugere. Sicut enim sine minutis peccatis nullus unq; aut fuit aut esse potest: ita sine capitalibus criminibus donãte & auxiliãte deo omnimodis esse possumus & debemus. Et ut hęc obtinere possimus, si nos alio tẽpore impedimenta mũdi detinẽt obligatos, uel in diebus sanctæ quadragesimę, in domini lege sicut scriptũ est, die noctuq; meditemur: & ita cor nostrũ diuinæ legis dulcedine repleamus, ut in nobis nullum locũ uirtutibus uacuũ, quẽ obtinere possint uitia relinquamus. Sicut enim tẽpore messium uel uindemiarũ, unde caro nostra possit sustentari colligitur: ita in diebus quadragesimæ quasi in spiritali uindemiarum uel messium tempore, unde anima nostra in æternum possit uiuere, cõgregetur: quia sicut negligens quisq; si opportuno tẽpore nihil collegerit, per totũ anni spaciũ fame torquebitur: ita qui hoc tẽpore spiritale triticum & cœleste mustum ieiunãdo, legendo, orando in horreis animæ suæ prouidere & cõgregare neglexerit, in æternũ durissimã sitim & crudelem inopiã sustinebit. Certissime scitote fratres charissimi, quia qualis est caro quæ post multos dies percipit cibũ, talis est anima quæ assidue nõ pascitur uerbo dei. Et quomodo caro per famem & inopiã tenuis & sicca uelut quoddam simulacrũ efficitur: ita & anima si uerbi dei cibo nõ pascitur, arida & inutilis & ad nullum opus bonũ cõgrua inuenitur. Cõsiderate fratres, & si horrea & cellaria nostris annis singulis replemus, unde uno anno cibũ habeat caro nostra, putas quantum debemus recondere, unde in æternũ sustentetur anima nostra? Et ideo fratres uel istis paucis diebus recedant impedimẽta mundi, quia secundum quod scriptum est, multos negligentes miseros faciunt. Recedat carnalis lętitia, recedant uenenis plena mundi huius blandimenta. Carnis gaudium minuatur, ut animæ lucra spiritalia præparentur, propter illud quod scriptum est, Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Et illud, Beati qui lugent, quoniam ipsi cõsolabuntur. Lucæ 6 Matth.5 Tempus quod nobis furiosus tabulæ ludus solebat auferre, lectio diuina incipiat occupare. Ociosis fabulis, & mordacibus iocis & detractionibus uenenatis, colloquia de scripturis sancta succedãt. Horarum spacijs in quibus solebamus sine ullo lucro animæ detineri, uisitentur infirmi, requirantur in carcere constituti, peregrini suscipiantur, & discordes ad cõcordiam reuocentur. Hęc si facimus fratres, inde nobis parare possumus medicamẽta,

unde nobis uulnera feceramus. Ante omia in die-
bus ieiuniorũ quod ſolebamus prandere, pauperi
bus erogemus, ne forte aliqs ſibi ſumptuoſas cœ-
nas, & exquiſitis ſaporib. epulas ſtudeat præpara
re, & corpori ſuo magis cõmutaſſe ꝙ ſubtraxiſſe
ciborũ abundantiam uideatur. Nihil prodeſt tota
die longũ duxiſſe ieiuniũ, ſi poſtea ciborum ſuaui
tate uel nimietate anima obruatur. Ilico mens re-
pleta torpeſcit, & irrigata corporis noſtri terra, ſpi
nas libidinũ germinabit. Sit ergo tẽperatus cibus,
& nunquam nimiũ uẽter repletus: & plus ſemper
de cibo cordis quàm de cibo corporis cogitemus,
quia intus in homine interiore facti ſumus ad ima
ginem dei, in carne autem de limo terræ ſumus for
mati. Et uidete fratres ſi iuſtum eſt ut caro noſtra
de terra facta interdum bis in die capiat cibum, &
anima quæ imago dei eſt uix poſt plures dies acci
piat uerbum, cum tamen expediat nobis, ut am-
plius dei imaginem in nobis ꝙ noſtram carnẽ ho-
norare debeamus. Qui enim de ſola carne cogi-
tant, beſtijs & pecoribus ſimiles ſunt, & qui ita a-
gunt, iam in ſe dei imaginẽ contriuerunt. Caro er-
go uelut ancilla gubernetur, & anima tanquã do-
mina legitima reficiatur. Nam ſi aliter factum fue-
rit, ſi nõ agnoſcimus nos ad imaginem dei factos,
et plus de carne quàm de anima cogitamus, timeo
ne nos ſpiritus ſanctus per Prophetam arguat di-
Pſal.48 cens, Et homo cum in honore eſſet nõ intellexit,
comparatus eſt iumentis inſipientibus, ſimilis fa-
ctus eſt illis. Lectiones diuinas & in eccleſia ſicut
conſueſtis audite, & in domibus ueſtris relegite. Si
aliquis ita fuerit occupatus, ut ante refectionem
ſcripturæ diuinæ non poſſit inſiſtere, non eum pi-
geat in conuiuiolo ſuo aliquid de diuinis ſcriptu-
ris relegere: ut quomodo caro paſcitur cibo, ſic
reficiatur anima dei uerbo, ut totus homo, id eſt,
& exterior & interior, & de ſancto & ſalubri con-
uiuio ſatiatus exurgat. Nam ſi ſola caro reficitur,
& anima dei uerbo nõ paſcitur, ancilla ſatiatur &
domina fame torquetur. Et hoc quàm ſit iniuſtũ,
ſanctitas ueſtra non poteſt ignorare. Et ideo ſicut
iam dixi, lectiones diuinas illo deſiderio legere &
audire debetis, ut de ipſis in domibus ueſtris, & a-
libi ubicunq; fueritis etiam loqui & alios docere
poſſitis: ut uerbum dei uelut mũda animalia cogi-
tatione aſſidua ruminantes, utilem ſuccum, id eſt
ſpiritalem ſenſum, & uobis ſumere, & alijs deo au
xiliante propinare poſſitis: ut in nobis impleatur
Pſal.22 illud quod ſcriptum eſt, Et calix tuus inebrians
quàm præclarus eſt. Implentes illud quod beatus
1 Cor.10 Apoſtolus hortatur & admonet dicens, Siue man
ducatis & bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia ad
dei gloriã facite. Si infirmitas non prohibet, quo-
tidie ieiunate, ad uigilias alacri & feruenti deuo-
tione conſurgite, propter illud quod ſcriptum eſt,
De nocte uigilat ſpiritus meus ad te deus. & iterũ,
Pſal.5 Ad te orabo domine mane, & exaudies uocem
& 18 meam, Et iterum, Media nocte ſurgebam ad con
fitendum nomini tuo domine. Ad quam rem eti-
am dominus & ſaluator noſter in euangelio horta
tur & admonet dicens, Vigilate & orate, ne intre
tis in tentationem: quod ipſe præſtare dignetur,
A cui eſt honor & imperium cum patre & ſpiritu ſan
cto in ſecula ſeculorum, Amen.

Item de ieiunio alius ſermo factus ad fratres
in eremo, qui habetur inter ſermones ad eoſdem,
XXIII. & XXIIII. & XXV.

Itẽ eodem die homilia, de eo quod ſcriptum
eſt in Euangelio ſecundum Matthæum, Cum ieiu
natis, nolite &c. quæ habetur libro ſecundo de ſer
mone domini in monte, capite decimotertio.

Feria quinta poſt dominicam in quinquage-
ſima de pœnitentia. Sermo I

SAEPE aduertimus dilectiſſimi fratres Ser.LVII
nõnullos ex uobis cõmunionem eccle-
ſiaſticam declinare, & hoc intelligo fie-
ri ex conſcientia grauiũ atq; ingentiũ peccatorũ.
B Vnde admoneo uos dilectiſſimi, quod prauũ eſt
hoc inſalubri conſilio duplicat̃: quia homines iſta
faciẽtes, & delictorum ſarcinam cumulãt, & mu-
nus æternæ ſalutis amittunt: hoc eſt enim reatum
congregare, & remedium deuitare. Ergo uos dile
ctiſſimi fratres hortor atq; cõmoneo, ut ſi quis ex
uobis cõſcius criminũ ſuorũ, indignũ ſe cõmunio
ne eccleſiaſtica putat, dignum ſe eſſe faciat. Dici-
tis quomodo aliquis dignũ ſe facere poſſit? Quo-
modo niſi ut errores priſtinos relinquat, & pœni-
tentiã petat: ut qui criminũ ſuorũ ſorde pollutus
eſt, exhomologeſis ſatisfactione mũdetur. Nec il-
lud ſeruet ut in extremo uitæ ſuę tẽpore tunc pœ-
nitentiã petat, quãdo iam agere non poſſit. Inuti-
lis eſt enim dilectiſſimi iſta perſuaſio. Parũ eſt pec
C catorem pœnitere, niſi pœnitẽtiam peregerit. Ad
emendanda eñ crimina uox pœnitentis ſola non
ſufficit: nam in ſatisfactione ingẽtium peccatorũ
non uerba tantum, ſed opera quæruntur. Datur
quidẽ etiam in extremis pœnitentia, quia non po
teſt denegari: ſed authores tamen eſſe non poſſu-
mus, ꝙ qui ſic petierit, mereat̃ abſolui. Quomodo
eñ agit pœnitentiã lapſus? Quomodo agit pœni
tentiã in extremis uitæ finibus conſtitutus? Quo-
modo pœnitentiã agere poſſit, qui nulla iam pro
ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? Et ideo pœ
nitẽtia quæ ab infirmo petit̃, infirma eſt. Pœniten
tia quæ à moriente tantũ petit̃, timeo ne ipſa mo-
riatur. Et ideo dilectiſſimi quicunq; inuenire uult
miſericordiam dei, ſanus agat pœnitẽtiam in hoc
D ſeculo, ut ſanus eſſe ualeat in futuro.

Eodem die de pœnitentia. Sermo II

ROGO uos fratres chariſſimi, ut ſi forte Ser.LVIII
aliquis ex uobis, ut ſe habet humana fra
gilitas, calliditate diaboli ſuperatus, &
capitalib. criminibus inuolutus, ſecundũ quod A-
poſtolus ait, templũ dei in ſe uiolãdo deſtruxerit,
de dei miſericordia non deſperet: ſed cito de malo
iniquitatis ſuæ cõſurgat, ne cõſuetudine peccan-
di in ipſis ſe ruinis ſuis ſepeliat. Non enim qui pec
cauerit, ſed qui in peccatis perſeuerauerit, odibilis
& abominabilis deo erit. Nam ut de indulgentia
diuina nemo diffidat, dominus per prophetã ue-
lut pater pijſſimus conſolatur dicens, Nolo mor- Ezech.33
tem peccatoris, ſed ut conuertat̃ & uiuat, Et illud,
Impietas

Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die cõ
uerſus fuerit ab impietate ſua. Sed iſta tam magna
miſericordia tunc nobis prodeſt, ſi non tardamus
conuerti ad dominum, nec crimina criminibus ſu
peraddimus. Deniq; etiam in ipſis uulneribus uel
fracturis corporũ, infirmitates cognoſcere poſſu-
mus animarum. Si enim alicui pes frangatur aut
manus, cum labore ſolet ad priſtinum officium re
uocari. Si uero ſecũdo & tertio & adhuc frequen-
tius in eodem loco membra ipſa frangãtur, poteſt
intelligere charitas ueſtra cum quantis doloribus
uulnera ipſa curanda ſunt, et tamen poſt longas &
multas tribulationes uix erit antequam ad priſti-
num ſtatum membra ipſa ualeant reuocari. Simi-
lis ratio in animarum fracturis ſeu uulneribus eſſe
credenda eſt. Si ſemel aliquis uel ſecũdo peccaue-
rit, & ſine aliqua diſſimulatione ad pœnitẽtiæ me
dicamenta cõfugerit, priſtinam incolumitatem ſi-
ne aliqua mora, & forſitan ſine aliqua fœditate re-
cipiet. Si uero peccatis peccata cœperint addi, &
animarum uulnera magis tegendo uel defenden-
do putreſcere, ꝙ confitendo & pœnitendo cura-
ri: timendũ eſt ne in illo impleat̃ illud quod Apo-
Rom.2 ſtolus dixit, An ignoras qa benignitas dei ad pœ-
nitentiam te adducit? Tu autem ſecundum du-
ritiam cordis tui & cor impœnitens theſaurizas ti
bi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij dei.
Sed forte cogitat aliquis tã grauia ſe admiſiſſe pec
cata, ut iam dei miſericordiam promereri nõ poſ-
ſit. Abſit hoc à ſenſibus omnium peccatorum. O
homo quicunq; illam peccatorum multitudinem
attendis, cur & omnipotentiã cœleſtis medici nõ
attendis? Cum enim deus uelit miſereri quia bo-
nus eſt, & poſſit quia omnipotens eſt, ipſe contra
ſe diuinæ pietatis ianuã claudit, qui deum ſibi mi-
ſereri, aut non uelle, aut nõ poſſe credit eumq; aut
bonum aut omnipotentem eſſe diffidit. Nemo er
go nec poſt centum peccata, nec poſt mille crimi-
na de miſericordia diuina deſperet. Sic tamen non
deſperet ut ſine ulla mora deũ ſibi repropitiari feſti
net, ne forte, ſi conſuetudinem peccandi fecerit, e-
tiam ſi uelit de diaboli laqueis liberari, non poſſit.
Dauid qui & rex & propheta diuino munere fieri
meruit, poſt tantam gratiã ita præuẽtus eſt, ut non
ſolum adulterium committeret, ſed etiam homici
dium perpetraret: nec tamen ſe ad hoc reſeruauit
ut in ſenectute ſua ad pœnitẽtiæ medicamẽta con
fugeret, ſed ſtatim cilicio proſtratus, conſperſus ci
nere cum ingenti rugitu & gemitu pœnitentiam
agens, impleuit illud quod ipſe in pſalmis dixerat,
Pſal.6 Lauabo per ſingulas noctes lectum meũ, lachry-
mis meis ſtratum meum rigabo. Et iterum. Cine-
Pſal.101 rem ſicut panem manducabam, & potum meum
cum fletu miſcebam. Et quia pœnitentiam agere
mortifera ſecuritate non diſtulit, cito in ſe dei miſe
rationem ita reuocauit, ut non ſolum regnum nõ
amitteret, ſed etiã ſancti ſpiritus donum recipere
mereretur. Sed forte eſt aliquis qui dicat, Ego in
militia poſitus ſum, uxorem habeo, & ideo pœni-
tentiã agere quomodo poſſum? Quaſi nos quan-
do pœnitentiam ſuademus hoc dicamus, ut unuſ-
quiſq; magis ſibi capillos ſtudeat auferre, & non
A peccata dimttere, & ueſtimenta potius euellat ꝙ
mores. Qui hac diſſimulatione decipere ſe magis
quàm excuſare conatur, attendat quia regem Da-
uid nec honor regni, nec dignitas ueſtimenti ad
pœnitentiam agendam potuit impedire. Achab
quoq; rex ſacrilegus, de quo ſcriptura dicit, quòd
non fuerit alius talis qui uenundatus ſit ut faceret
malum contra dominũ: poſteaquam deprauatus
ab uxore Iezabel abominabilis deo factus eſt, in-
terfecto & lapidato Naboth Iezrahelita, cum ui-
neam eius uellet inuadere, caſtigatus à ſancto He
lia, ſciſſis ueſtibus cilicio indutus eſt, & inclinato
capite pœnitentiam egit. Pro qua re ſtatim ſermo
dei ad Heliam factus eſt dicens, Nõnne uidiſti hu
miliatum Achab coram me? Quia, inquit, humi-
B liatus eſt mei cauſa, non inducã in diebus eius ma-
lum. Conſiderate fratres, quia & ipſe quamlibet ſa
crilegus, nõ reſeruauit, ut poſt longa tempora pœ
nitentiam ageret, ſed ſtatim ſacrificium contriti &
humiliati cordis deo offerre nõ diſtulit. Qui utiq;
ſi poſtea in illa humilitate quã cœperat perduraſ-
ſet, nunquam ab illo dei miſericordia diſceſſiſſet.
Manaſſes quoque rex, ſicut in ſcripturis legimus,
tam ſacrilegus & impijſſimus fuit, ſicut de illo ſcri
ptum eſt, ut totam Hieruſalem omni iniquitate re
pleuerit, & tamẽ poſt hæc in captiuitatem ductus
& in carcerem miſſus, cum grandi humilitate pœ
nitentiam agens, ita gratiam dei obtinuit ut mere
retur inter dei amicos poſtmodum numerari. Me
retrix quoq; illa quæ pedes domini lachrymis la-
uit, & capillis ſuis exterſit, ubi cœleſtem medicũ
C ueniſſe cognouit, ultro ſe ingeſſit in domum ubi
rogata non fuerat: & quæ prius frõtoſa erat ad per
ditionem, poſtea frõtoſior facta eſt ad ſalutem, &
ideo audire meruit quòd ei omnia fuerint peccata
dimiſſa. Nec ipſa ſe ad hoc reſeruauit ut in fine ui-
tæ ſuæ pœnitentiam ageret, ſed dum adhuc pecca
re poterat, ſic deo inſpirante uoluit peccata deſere
re, ut illam de adulterijs ſuis non neceſſitas ſubtra
heret ſed uoluntas. Multos adhuc in ſcripturis di-
uinis poteramus inuenire, qui poſt infinita crimi-
na pœnitentiã agentes, in ſe dei miſericordiã pro-
uocauerint, & non ſolũ non ad peiorẽ, ſed etiã ad
meliorem ſtatum redierint. Sed quia longum eſt
ire per ſingulos, iſti quatuor quos nominauimus
D ſatis abundeq; ſufficiunt, ut agnoſcamus quòd do
minus noſter qui & Dauid poſt tam graue pecca-
tum indulſit, & Achab ſacrilego regi pepercit, &
Manaſſen poſt innumerabilia peccata pœnitẽtiã
agentem inter amicos ſuos reputauit, & meretrici
quæ lachrymis pedes rigauerat & capillis ſuis ter
ſerat, totum indulſit: qui ergo iſtis tantis ac talibus
peccatoribus ueniam dedit, paratus eſt & nobis ſi
in ueritate conuertimur non ſolum peccata dimit
tere, ſed etiam æternam beatitudinẽ dare. Hæc er
go cogitantes fratres chariſſimi, quantum poſſu-
mus cũ dei adiutorio laboremus, ne nobis aliqua
crimina uel capitalia peccata ſurrepant. Si uero in
hoc malo fuerit aliquis diabolica calliditate ꝓſtra
tus, priusq; crimina ipſa per conſuetudinem cõua

lescant, remedium sibi in die necessitatis acquirat, & cum ingenti rugitu & gemitu deum sibi reconciliari cõtendat. Nec erubescat pœnitentiã agere, qui nõ erubuit pœnitẽda cõmittere: sed cito in se bonis operibus contendat imaginem reparare, ut inter filios mereat agnosci à patre: ne ab illa æterna beatitudine exclusus, & à cõuiuio nuptiali proiectus, ligatis manibus & pedibus proijciatur in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium: sed magis medicamẽtis pœnitentiæ humilitatis uel compunctionis ad sanitatẽ pristinã reuocatus, & bonorum operum margaritis ornatus audire mereatur, Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui, Amen.

Item eadem feria Homilia de eo quod scriptum est in euangelio secundum Matthæum, Cum oratis, nõ eritis sicut hypocritæ tristes &c. quæ habetur libro secundo De sermone domini in monte, Tom. 4. col. 1141. D.

Item in eadẽ feria alia Homilia de eo quod scriptum est in euãgelio secundum Matthæum, Cum introisset Iesus Capharnaum &c. quæ habetur inter sermones De uerbis domini, sexto.

Feria sexta post dominicam in quinquagesima de eo quod scriptum est in euangelio secundum Matthæum, Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum.

Sermo I

Ser. LIX

G RADVM esse aliquem in pharisæorũ iustitia quæ ad legem pertinet, hinc intelligitur, ꝙ multi homines eos etiam à quibus diliguntur oderũt, sicut luxuriosi filij parentes coercitores luxuriæ suæ. Ascẽdit ergo aliquẽ gradũ qui proximũ diligit, quãuis adhuc oderit inimicum: eius autẽ imperio qui uenit legem implere non soluere, perficiet beneuolentiam & benignitatem, cum eam usq; ad inimici dilectionẽ perduxerit. Nam ille gradus quamuis nonnullus sit, tam paruus est tamẽ, ut cum publicanis possit esse cõmunis. Nec quod in lege dictum est, Oderis inimicum tuum, uox iubẽtis iusto est accipienda, sed permittẽtis infirmo. Sic autem diligendus est inimicus, non inquantum inimicus, sed inquãtum homo est, ut ei hoc uelis prouenire quod tibi, id est, ut ad regnum correctus reuocatusq; peruenias. Proximus est aũt omnis homo. Omnes proximi sumus conditione terrenę natiuitatis & mortalitatis, & etiam spe cœlestis hæreditatis: quia nescimus quis quid futurus sit, quoniam aut Iudæus aut hæreticus, aut Paganus: forte enim per misericordiam dei cõuertetur ad deum, & inter sanctos primũ locum habere merebitur. Quod in lege dominus non inimicos sed inimicũ præcipit odiri, ut qui spiritales erant in lege solum diabolũ, odio haberent: cuius odiũ Christus nõ uenit soluere, sed adimplere. Ego autem dico uobis, Dilígite inimicos uestros, bene facite illis qui oderũt uos. Multi præcepta dei, sua imbecillitate nõ sanctorum uiribus æstimãtes, putant esse impossibilia quę præcepta sunt: & dicũt sufficere uirtutibus nõ odisse inimicos, cæterum diligere plus præcepti q̃ humana natura patiatur. Sciendũ est ergo, Christũ non impossibilia præcipere, sed perfecta quę Dauid fecit in Saul & Absalon. Stephanus quoq; martyr pro inimicis se lapidantibus deprecatus est: & Paulus anathema esse cupit pro persecutoribus suis. Hæc autẽ Iesus & docuit & fecit dicens, Pater ignosce illis. In reliquis operibus bonis interdũ potest aliquis qualẽcunq; excusationẽ prætendere: in habẽda uero dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, nõ possum ieiunare, nunquid potest dicere, nõ possum amare? Potest dicere, propter infirmitatẽ corporis mei non possum à uino & carnibus abstinere: nũquid potest dicere, non possum diligere? Potest aliquis dicere, uirginitatẽ non possum seruare: potest dicere, nõ posse res totas uendere & pauperib. erogare: Nunquid potest dicere, nõ possum diligere inimicos? Non em̃ ibi aut pedes laborant currẽdo, aut aures audiendo, aut manus operãdo lassant̃, ut nos p ipsam excusationẽ liberare conemur. Nõ nobis dicit̃, Ite ad Orientẽ et quęrite charitatẽ, nauigate ad Occidentẽ, & inuenietis dilectionẽ. Intus in corde nostro est, ubi redire iubemur dicente Propheta, Redite præuaricatores ad cor. Non enim in longinquis regionibus inuenitur quod à nobis petit. Et orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Quid aliud pro inimicis orandũ est, nisi hoc quod ait Apostolus, Vt det illis deus pœnitentiã & resipiscãt à diaboli laqueis à quo capti tenentur. Sed hic merito mouet, quomodo huic præcepto domini nõ sit aduersum qd̃ & in prophetis inueniũtur multæ imprecationes aduersus inimicos, qnę maledictiones putãtur, sicuti est illud, Fiat mẽsa eorũ corã ipsis in laqueum, & cætera quæ ibi dicuntur: & Ioannes Apostolus ait, Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei uita peccanti nõ ad mortem. Est peccatum ad mortem, nõ pro illo dico ut roget quis. Vbi primo uidẽdum, quia prophetæ per imprecationem quid esset futurum cecinerunt, nõ optantis uoto, sed spiritu præuidentis: qui maxime solent figura imprecantis futura prædicere, sicut figura præteriti temporis, ea quæ uentura erant sæpe cecinerũt. Deinde in Apostoli uerbis intelligẽdũ esse quosdam fratres pro quibus nõ orare nobis præcipit̃, cũ dominus etiam pro persecutoribus nostris nos orare iubeat. Quę soluí quæstio non potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus, inimicorũ persecutione grauiora. Fratres autem Christianos significari, multis diuinarum scripturarum documentis probari potest. Peccatum ergo fratres ad mortẽ puto esse, cum post agnitionem dei per gratiam domini nostri Iesu Christi, quisq; oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam qua reccõciliatus est deo, inuidẽtiæ facibus agitatur. Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam nõ amorem à fratre alienauerit, sed officia fraternitati debita, per infirmitatem aliquam animi non exhibuerit. Quapropter & dñs in cruce ait, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nondum enim gratia spiritussancti participes facti, societatẽ sanctæ fraternitatis inierãt. Et beatus Stephanus in actibus

A B C D

2 Tim. 2

Psal. 68

1 Ioan. 5

Luc. 23

in actibus Apostolorum orat pro eis à quibus lapidatur, quia nondum Christo crediderant, neq; aduersus illã cõmunem gratiam dimicabant. Apostolus uero Paulus propterea credo non orat pro Alexandro, quia frater erat, & ad mortẽ, id est, fraternitatẽ inuidentia oppugnãdo, peccauerat. Pro his autem qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant, orat ut eis ignoscatur. Sic enim dixit, Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi deus secundum opera illius, quẽ & tu deuita. Valde enim restitit sermonibus nostris. Deinde subiungit pro quibus orat ita dicẽs, In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omẽs me dereliquerunt, non illis imputetur. Et nota quod Apostolus nõ ait reddat, sed reddet illi deus secũdum opera eius: quod uerbum prænunciantis est, non imprecantis: sicut de illa hypocrisi Iudęorum est dictum, cui euersionẽ imminere cernebat, Percutiet te deus paries dealbate. Quæritur aũt quomodo huic præcepto quo nobis iubeẽ, Orate pro persequentibus & calumniantibus uos, illud non est cõtrarium, quod in Apocalypsi legitur, martyres orare deum ut uindicentur? Sed hoc quempiã mouere non oportet. Quis enim audeat affirmare cum illi sancti candidati se uindicare petiuerunt, utrũ contra ipsos homines an contra regnum peccati petierint? Nã ipsa est syncera & plena iustitiæ misericordiæ uindicta martyrum, ut euertatur regnũ peccati, quo regnante tanta perpessi sunt. Ad cuius euersionem nititur Apostolus dicens, Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore. Destruitur aũt & euertitur peccati regnũ, partim correctione hominum ut caro spirituí subijciatur, partim deprauatione perseuerantium in peccato, ut ita ordinentur, ut iustis cum Christo regnantibus molesti esse non possint. Quis ergo conuincit sanctos, non talem suam uindictam à domino esse deprecatos? Quod autem cõsequenter positũ est: Vt sitis filij patris uestri qui in cœlis est: ex illa regula intelligendũ est, qua Ioannes dicit: Dedit eis potestatem filios dei fieri. Vnius enim naturaliter filij dei, qui nescit omnino peccare, nos potestate accepta efficimur filij, inquantum ea quæ ab illo præcipiunt̃ implemus. Vnde apostolica disciplina adoptionem appellat, qua in æternã hæreditatem uocamur, ut cohæredes Christi esse possimus. Filij ergo efficimur regeneratione spiritali ut adoptemur in regnũ dei, non tanquã alieni, sed tanq̃ ab illo facti & conditi. Itaq; non ait facite ista qui estis filij: sed, facite ut sitis filij patris uestri. Nos autem cũ patimur inimicos, hoc clamare debemus, Pater ignosce illis. Phrenetici enim sunt, à contrario spiritu possidentur, ut nos persequantur, & maiorem persecutionem à diabolo patiunt̃. Qui solẽ suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Scriptum est, Orietur timentibus uobis nomẽ domini sol iustitiæ, ut etiam pluuiam accipias irrigationẽ doctrinæ ueritatis: quia & bonis & malis apparuit, bonis & malis euãgelizatus est Christus. Siue istum solẽ mauis accipere non solum hominum, sed etiam pecorum corporis oculis prolatum, & istam pluuiam qua fructus gignuntur qui ad refectionem corporis dati sunt: quod probabilius intelligi existimo, ut ille sol spiritalis nõ oriatur nisi bonis & sanctis: quia hoc ipsum est quod plangunt iniqui, in illo libro qui Sapientia Salomonis inscribitur: Et sol non ortus est nobis: & illa spiritalis pluuia nõ irriget nisi bonos quia malos significabat uinea, de qua dictum est: Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem. Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedẽ habebitis? Filios & parentes amat latro, amat & leo, amat & draco, amant & ursi, amant & lupi. Si enim amantes non diligimus filios uel parentes, peiores leonibus uel supradictis bestijs sumus. Si uero amãtibus uicem reddimus, adhuc nihil ab istis bestijs distare uidemur. Nónne & publicani hoc faciunt? Publicani sunt qui sectant̃ lucra & exigũt uectigalia per negotiationes & fraudes & furta sceleraq; & periuria. Et si salutaueritis fratres uestros tantum, quid amplius facitis? Nónne & Ethnici hoc faciunt? Ethnici ex Græco in Latinum interpretantur gentiles. Ethnos enim Græcè gens dicitur. Si ergo, inquit, etiam peccatores, publicani, Ethnici erga dilectores suos natura ducẽ norunt esse benefici, quanto magis uos quibus ut gradus pfessionis eximior, ita cura necesse est sit ueritatis uberior, latiori sinu dilectionis amplecti debetis & non amantes? Nã dilígere inimicos deus præcipit. Et petulantes humanarum mentium motus, publicæ charitatis frangis affectu, non solũ iram ab ultione depellens, sed etiam in amorẽ mitigans iniuriosi: quia gentium est amantes amare, & cõmune est diligere diligentes. Plus diligendi sunt inimici quàm amici. Qui enim inimici sunt corpori aduersantur, & animæ præparant æterna premia: quia qui carnalia nostra & terrena rapiũt, cœlestia nobis & spiritalia cõgregant. Nónne magis diligendus est q̃ odiendus, qui nobis dat æternas opes? Amici uero carnis nostræ nobis suauia suadere contendunt, quæ animæ nostræ præparãt æternam mortẽ. Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est. Quis aũt hęc facit, nisi plene perfecteq; misericors? Quo uno cõsilio miseria deuitatur, opitulante illo qui ait, Misericordiam magis uolo quàm sacrificiũ. Perfectionanq; misericordiæ, qua plurimũ animæ laboranti cõsulitur, ultra dilectionem inimicorum porrigi nõ potest. Ideoq; sic cõcludit̃, Estote uos perfecti, sicut & pater uester perfectus est, ita tamen ut deus intelligat̃ perfectus tanquam deus, & anima perfecta tanq̃ anima. Attẽdite ne iustitiã uestram faciatis corã hominibus ut uideamini ab eis, alioquin mercedẽ non habebitis apud patrem uestrũ qui in cœlis est. Cauete, inquit, iustitiã uestram facere corã hominibus: id est, hoc animo iuste uiuere & ibi cõstituere bonũ uestrũ ut uos uideant homines. Alioquí mercedem nõ habebitis apud patrem uestrum qui in cœlis est: nõ si ab hominibus uideamini, sed si ꝓpterea iuste uiuatis ut ab hominibus uideamini. Nã & Apostolus dicit, Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus nõ essem: cũ

A B C D

1 Tim. 4

Mala. 4

Sap. 5

Esa. 5

Osee 5

Gal. 1

1.Cor.10 alio loco dicat, Sicut & ego omnibus per omnia placeo. Omnem curam rerum præsentiũ amouet & attentos tantum esse in spe futuri iubet, neq; sectari uel hominum fauorem ostentatione bonitatis, uel iactantiam religionis orationis publicæ copia: sed intra conscientiã fidei fructum boni operis continendum, quia humanæ laudis cõsectatio eam tantum quam ab hominibus expectas mercedem sit receptura. Iustitia non aliud est quàm non peccare, non peccare aũt legis præcepta seruare. Præceptorũ aũt obseruatio duplici genere cõtinetur, ut nihil eorũ quę prohibẽt facias, et omnia quę iubentur implere cõtendas. Hoc est em quod psalmista dicit, Recede à malo, & fac bonũ. Si à malo recesseris, et nõ feceris bonũ, transgressor es legis, quæ non tantum in malorũ actuũ abominatione, sed in bonorũ perfectione cõpletur. Neq; hoc solum tibi præcipitur, ut uestitum suis non spolies indumentis, sed ut spoliato sperias tuis. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ facunt in synagogis & uicis ut honorificentur ab hominibus. Hypocrita Græco sermone simulator interpretatur, qui dum intus malus sit, bonũ se palàm ostendit. Nomen aũt hypocritæ translatum est à specie eorũ qui spectaculis tecta facie incedunt, distinguentes uultum ceruleo niueoq; colore & cæteris pigmentis, habentes simulacra oris, lintea gipsata, & uario colore distincta, nonnunquam colla & manus creta perungentes, ut ad personæ colorem peruenirent, & populum dum in ludis agerent fallerent, modo in specie uiri modo in forma fœminæ & reliqs præstigijs. Quæ species argumenti translata est in his qui falso incedunt uultu, & simulant quod non sunt. Sed hypocriseorum maculam non habere, aut paucorũ aut nullorũ est. Nam quicunq; uult se uideri quod non est, hypocrita est. Qui tuba canit faciens eleemosynã, hypocrita est. Qui in synagogis & in platearum angulis orat ut uideatur ab hominibus, hypocryta est. Qui ieiunans demolitur faciẽ, ut uentris inanitatem demonstret in uultu, & hic hypocrita est. Ex quibus omnibus intelligitur hypocritas esse, qui faciũt quodlibet ut ab hominibus glorificentur. Mihi uidetur & ille hypocrita esse qui dicit fratri suo, Dimitte ut tollam festucam de oculo tuo: propter gloriam hoc facere, ut ipse esse iu-
Matt.7 stus uideatur. Vnde ei à domino dicitur, Hypocrita eijce prius trabem de oculo tuo. Nõ itaq; uirtus, sed causa uirtutis apud deum mercedẽ habet. Et si à recta semita paululum deuiaueris, nõ interest utrum ad dextram uadas an ad sinistram, cum uerum iter amiseris. Signanter aũt dicit, Receperunt mercedem suam, hoc est, non dei sed suam. Laudati enim sunt ab hominibus, quorum cau-
Matth.6 sa exercuere uirtutes. Te aũt faciente eleemosynã nesciat sinistra tua quid faciat dextra. In dextra intelligitur amor dei, in sinistra uanitas uel cupiditas mundi. Si pro humana laude dederis eleemosynã, totum est sinistra, si uero pro remissione peccatorum, totum dextra facit. Quid est ergo, Nesciat sinistra quid faciat dextra, nisi quod facit dei amor, non corrũpat inanitas uel cupiditas mundi? Nam si hoc aliquis secundum literam impleri posse credit, quid faciet? Si em manus dextra doluerit, nũquid de sinistra eleemosynã dare non debet? In superioribus, Cauete, inquit, ne iustitiam uestram faciatis corã hominibus, ubi iustitiã generaliter nominauit, deinde particulariter exequit. Est etenim pars aliqua iustitiæ opus quod per eleemosynam fit: & ideo cõnectit dicendo, Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. Ad hoc respicit quod superius ait, Cauete facere iustitiam uestram coram hominibus, ut scilicet uideamini ab eis. Quod autem sequitur, Amen dico uobis, perceperunt mercedem suam: ad illud respicit quod supra posuit, alioquin mercedẽ nõ habebitis apud patrem uestrum qui in cœlis est. Deinde sequitur: Te aũt faciente eleemosynam. Cum dicit, Te autem, quid aliud dicit, quàm non quomodo illi? Quid ergo mihi iubet? Te igitur, inquit, faciente eleemosynã, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Ergo illi sic faciunt, ut sciat sinistra eorum quid faciat dextra. Quod igitur in illis culpatum est, hoc tu facere uetaris. In eis aũt hoc culpatũ est, quod ita faciũt ut laudes hominum quærãt. Quapropter nihil consequentius sinistra uidetur significare quàm ipsam delectationem laudis. Dextra autem significat intentionem implendi præcepta diuina. Nesciat ergo sinistra quid faciat dextera: id est, non se misceat conscientiæ tuæ laudis humanę appetitio, cum in eleemosyna facienda diuinum præceptum contendis implere, ut sit eleemosyna tua in absconso. Quid est in abscõso, nisi in ipsa bona conscientia, quæ oculis humanis demonstrari non potest nec uerbis aperiri? Multi foras faciunt eleemosynam, & intus non faciunt, qui uel ambitione, uel alicuius temporalis rei gratia, misericordes uolũt uideri. Et pater tuus qui uidet in absconso, reddet tibi. Rectissime omnino & uerissime. Si enim præmiũ ab eo expectas, qui conscientiæ inspector est, sufficiat tibi ad promerẽdũ deum ipsa conscientia. Et cum oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amãt in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut uideãtur ab hominibus. Neq; hic ab hominibus uideri nefas est: sed ideo hæc agere uidearis, & fructus in eis expectetur placendi ho-
D minibus. Plateæ perpetuæ ac latiores ciuitatũ uiæ sunt, iuxta proprietatẽ linguæ Græcę à latitudine nominatæ. πλατὺ enim latum dicitur. Amen dico uobis perceperunt mercedem suã. Et hinc ostẽdit dominus id se prohibere, ut ea merces appetatur, qua gaudent stulti cum laudantur ab hominibus. Tu autem cum orabis, intra in cubiculum, & clauso ostio ora patrem in absconso. Cubiculum quod nominat non occultam domum ostendit, sed cordis nostri secretum. Hinc psalmista dicit, Quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris cõpungimini. Et claudẽtes ostia, orate, inquit, ad patrem uestrũ in abscondito. Parum est intrare in cubicula si ostium pateat importunis, per quod ostiũ ea quę foris sunt improbe se immergũt & interiora nostra aperiunt. Foris autẽ dicimus esse omnia tempo

temporalia & uisibilia, quæ per ostium, id est, carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, A & turbæ uanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum, ut oratio spiritalis dirigatur ad patrem, quæ fit in intimo cordis, ubi oratur pater in absconso. Qui uero uult orationem suam uolare ad deum, faciat illi duas alas, id est, eleemosynam & ieiunium, & ascendat celeriter & exaudietur. Et pater tuus qui uidet in absconso, reddet tibi. Et hoc tali clausula terminandum fuit. Non enim monet nunc ut oremus, sed quomodo oremus: neq; ut superius ut eleemosynam faciamus, sed quo animo faciamus: quoniam de corde mundando præcipit, quod non mundat nisi simplex intentio in æternam uitam, solo & puro amore sapientiæ.

In eadem feria, de eo quod scriptũ est in Euangelio secundum Matthæum, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua &c.

Sermo II.

SERMO LX

VANGELICA lectio fratres charissimi B quæ nobis modo recitata est, uidetur mihi q; secundum literam non possit intelligi: & ideo, deo auxiliante, requiramus qualiter ad eius spiritalem sensum peruenire possimus. Sic enim ait dominus, Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis. Et iterum, Cum facis eleemosynã, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in absconso. Quomodo hoc secundũ literã accipere possumus, cum ipse dominus iterum dicat, Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glorificẽt patrem uestrum qui in cœlis est? Quomodo hic dicit, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: cum alibi dicat: Sic luceat lux uestra corã hominibus, ut uideant opera uestra bona? Diligenter attẽdite fratres, & intellectũ diuinæ scripturæ humiliter & sapienter requirite. Non enim sibi ipse dominus in euangelica lectione cõtrarius esse potest. Nã quia eleemosynã & occulte fieri ipse dixit, & publice ipse admonuit, ut sibi præcepta eius nõ uideanẽ esse contraria, intellectũ sobrium quęrit. Qui enim ideo facit eleemosynã ut ab hominibus se laudari desideret, etiam si occulte fecerit, publice facit, quia laudem ab hominibus quærit. Qui uero eleemosynã pro D solo amore dei facit, ut ad opus bonum illũ reliqui imitentur, & non ipse sed dominus collaudetur, etiam si publice faciat eleemosynam abscõse facit: quia pro eleemosyna illa non hoc quod uidet, sed quod nõ uidetur desiderat, nec ab hominibus laudem sed mercedem à deo optat accipere. Hoc etiã & de ieiunio debemus accipere. Cũ enim ipse dominus dicat: Vnge caput tuum et faciẽ tuam laua, ne uidearis ieiunans hominibus: ergo cõtra Christi præcepta facimus qui publice ieiunium indicimus, & uidẽte toto populo pariter cum ipso ieiunamus? Et in hoc sensu oportet intelligi, ut nemo pro laude humana, sed pro peccatorũ indulgẽtia, uel pro misericordia diuina ieiunet: & unusquisq; interroget cõscientiam suam, & si pro solo deo facit eleemosynã, securus & publice faciat, ut quicunq; uiderint, imitentur. Nam & illud quod dicit dominus: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: ad hoc quod supra diximus pertinere cognoscitur. In dextera enim intelligitur amor dei, in sinistra uanitas uel cupiditas mũdi. Si pro laude humana dederis eleemosynam, totum sinistra facit, dextera omnino nihil facit. Si uero pro remissiõe peccatorum & amore uitæ æternæ eleemosynam dederis, totũ dextera facit. Quid est ergo, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, nisi quod facit amor Dei, non corrumpat aut perdat uanitas uel cupiditas mundi? Nam si hoc aliquis secundum literam impleri posse credit, quid faciat si ei manus dextera doluerit? Nunquid de sinistra eleemosynam dare non potest? Aut si uult captiuũ redimere, quomodo aut sacculum soluere aut arcam aperire poterit, si sinistrã manum dexteræ suę non iunxerit? Aut si peregrinum optat excipere, & secundum præceptum domini sanctorum pedes abluere, non uideo quomodo hoc nesciente sinistra manu possit impleri. Ad hoc pertinet etiã illud quod dixit, Cum oratis nolite in angulis platearum ora- Matt.6
re, sed intra, inquit, in cubiculum tuũ, & clauso ostio ora patrem tuum in abscõdito. Ecce ipsi bene agnoscitis, quia nõ hoc semper secundum literam poterit impleri. Nam & nosipsi & totus populus non solum in cubiculis nostris oramus, sed etiam publice ad Ecclesiam conuenimus, & simul cum omni populo genua flectimus. Et nunquid hęc facientes præceptis Christi contrarij sumus, qui dixit, ut in cubiculis clauso ostio orare debeamus? C Nõ ita est. Vnde etiam & iste sensus superiori sententiæ conueniens est, Qualiter ergo hoc intelligi debeat attende. Si quando oras deũ & hoc ab illo petis quod uidetur, publice & aperto ostio oras, quia hoc à deo uis accipere quod uidet. Si uero p indulgẽtia peccatorũ & pro uita æterna uolueris supplicare, etiã si publice oraueris clauso ostio oras, quia nõ petis quod uidetur sed quod nõ uidetur. Quæ enim uidenẽ tẽporalia sunt, quæ aũt non 2. Cor.4
uidentur ęterna sunt. Si tẽporalia quęris, sicut iam dixi publice & aperto ostio oras: si ęterna quæris, secreta est oratio tua: quia nõ quæ uidenẽ, sed quę non uidẽtur optas accipere. Qui ergo illa quæ nõ uidentur in ueritate quæsierit, & illa quæ uidẽtur deo remunerante percipiet, quia nõ mentitur qui dicit: Quęrite primum regnum dei & iustitiã eius, Matt.6
& hæc omnia adijcienẽ uobis. Nec hoc sic dicimus ut pro rebus tẽporalibus deum nõ oremus, id est, pro sanitate corporum, aut pro pace temporũ, aut pro abũdantia fructuũ. Debemus & ista à deo petere, sed secũdo & tertio loco, ut primas partes in omni intentione nostrę orationis, amor animæ & desideriũ uitę æternæ obtineat. Oremus ergo pro corpore, sed sine ulla cõparatione amplius p anima supplicemus. Et ideo charissimi quotiẽs uobis ista euãgelica lectio legitur, ordine quo supra suggessimus intellectũ eius debetis accipere: ut siue in eleemosynis siue in ieiunijs seu in orationib: in dextera

dextera uel in sinistra hoc seruare studeamus, ut quicquid agimus non pro uanitate uel cupiditate seculi, sed pro amore æternæ beatitudinis faciamus. Quod ipse præstare dignetur qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat.

Eodem die, Sermo III.

SERMO LXI

CIO & credo charitatem uestrã sapienter intelligere, non esse sine causa quos de uera & perfecta charitate tã frequenter admoneo. Hoc enim ideo facio, quia ad omnium peccatorum uulnera nullum medicamentum tam salubre & tam efficax esse cognosco. Additur & hoc, quòd cum tam magnum sit ueræ & perfectæ charitatis remediũ, nullus tamẽ inuenitur qui eam cum dei adiutorio non possit habere. In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcunq; excusationem prætendere, in habenda uero dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi dicere aliquis nõ possum ieiunare: nunquid potest dicere, non possum amare? Potest dicere, propter infirmitatẽ corporis mei, non possum à uino uel à carnibus abstinere, nũquid potest dicere, nõ possum diligere? Potest quisquã dicere, se uirginitatẽ non posse seruare: Potest dicere nõ posse res totas uendere ac pauperibus erogare, nũquid potest dicere, non possum inimicos meos diligere, & eis qui in me peccauerunt indulgere? Nemo se circũueniat fratres charissimi, quia deus neminem fallit. Cũ enim multa sint quę propter fragilitatem humanam corporaliter implere non possumus, charitatẽ tamen in corde nostro deo inspirante, si in ueritate uoluerimus, sine aliqua dubitatione habere poterimus. Multa em̃ sunt quæ de horreo, canauo uel cellario aliquotiens proferre non possumus, de thesauro uero cordis nimis fœdum & turpe est si aliquam excusationem prætendere uidemur. Non enim ibi aut pedes laborant currendo, aut oculi uidendo, aures audiendo, aut manus operando lassantur, ut nos per ipsam fatigationẽ excusare conemur. Non nobis dicitur: Ite ad Orientem & quærite charitatem, nauigate ad Occidentem & inuenietis dilectionem: Intus in corde nostro est unde nos iracũdia excludere solet, & redire iubemur, dicente Propheta, Redite præuaricatores ad cor. Isa. 46 Non enim sicut iam dixi, in longinquis regionibus inuenitur quod à nobis dominus petit, intus ad cor nostrum nos mittit. In nobis enim ponit quod requirit, ubi tota charitas profecto in animi bonitate uel uolũtate cõsistit, Luca 2 de qua uolũtate angeli pastoribus clamauerũt, Pax in terra hominibus bonę uoluntatis. Et ideo quia nulla nobis ante tribunal Christi excusatio poterit esse, cũ dei adiutorio totis uiribus laboremus ut in animis nostris plus præualeat bonitas quàm malitia, plus patientia quàm iracundia, plus benignitas quàm inuidia, plus humilitas quàm superbia. Et ut totum breui sermone concludam, sic totũ cor nostrum obtineat charitatis dulcedo, ut in nobis locum habere non possit odij amaritudo. Sed dicit aliquis, nulla ratione possum inimicos meos diligere. In omnibus scripturis Deus tibi dicit, quia potes. Tu econtrario respõdes, non posse. Considera nunc utrum tibi an deo debeat credi. Et ideo quia ueritas mentiri nõ potest, iã uanas excusationes suas relinquat humana fragilitas: quia nec impossibile aliquid potuit imperare, qui iustus est: nec dãnaturus est hominem pro eo quod non potuit uitare qui pius est. Quid tergiuersamur incassum? Nemo enim quantum possumus melius nouit, q̃ qui nobis ipsum posse donauit. Tot uiri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ & tam delicatæ puellæ flãmas & ignes & bestias æquanimiter pertulerunt, & nos stultorum hominum cõuicia dicimus tolerare non posse, quæ nobis malorum hominũ nequitia inferuntur, si possumus etiã usq; ad mortem illorum nostras iniurias uindicamus: Vnde nescio qua fronte uel qua conscientia cum omnibus sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus. Sed sunt aliqui qui testimonia diuinæ scripturæ iracundiæ suæ existimant suffragari. Dicunt enim: Amat anima mea amantem se. Et dum authoritatem diuinam male intelligunt, de medicamentis sibi uulnera faciunt. Qualiter autem hoc & debeat & possit intelligi, attendat charitas uestra. Amat, inquit, anima mea amãtem se. Licet & de omnibus litera sentiri & debeat & possit, tamen certius de Deo intelligendum est, quia nullus nos melius quàm ipse diligit. Nam si boni tantummodo amandi sunt, quid dicemus de Deo nostro, de quo scriptum est, Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unicum daret? Ioan. 3 Quid enim boni fecerat mundus, ut illũ sic dilexerit deus? Omnes enim homines non solum malos, sed etiam impios & originali peccato mortuos in anima Christus inuenit. Et tamen etiam cum tales essemus, dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis, & per hoc amauit etiam non amantes: sicut & Paulus Apostolus dicit, Christus pro impijs mortuus est, ac sic p̃ ineffabili pietate uniuerso humano generi hoc exemplum dedit dicens, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Matt. 11 Quoniam & beatus Petrus Apostolus in epistola sua similiter præcipit dicens, Christus, inquit, passus est pro nobis, relinquens uobis exemplum & sequamini uestigia eius. 1 Pet. 2 Quod exemplum domini secuturi sumus? Nunquid ut mortuos suscitemus? Nunquid ut supra mare pedibus ambulemus? Non utique, sed ut simus mites & humiles corde, & non solum amicos, sed etiã inimicos toto animo diligamus. Et sequamini uestigia eius. Dixit hoc etiam beatus Euangelista Ioannes, Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo & ille ambulauit, & ipse ambulare. 1 Ioan. 2 Quomodo enim Christus in cruce fixus erat, & tamẽ per uiam charitatis currebat dicens, Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt: Luc. 5 & nos ergo cum patimur ab inimicis hoc clamare debemus, quia nesciunt quid faciunt. Phrenetici enim sunt & à contrario spiritu possidẽtur, & ut nos persequãtur, maiorem persecutionem à diabolo patiuntur: & ideo magis ut liberentur q̃ dãnentur orare debemus. Sic fecit beatus Stephanus

nus, qui gloriosissime primus Christi uestigia est secutus. Cum enim duris saxorum imbribus cęderetur, stans orauit pro inimicis suis, & positis in terra genibus totis uiribus clamauit & dixit, Act. 7 Domine ne statuas illis hoc peccatum. Si ergo putamus nos non posse imitari dominum nostrũ, imitemur talem conseruum nostrum. Imitemur quippe beatum Iacobũ, qui cum à Iudæis lapidaretur, flexis genibus pro impijs persecutoribus supplicauit. Matth. 5 Dominus quoq; in Euãgelio ut inimicos diligere debeamus non dedit consilium sed præceptum. Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur ut uirginitas cõseruetur, ut à uino & à carnibus abstineatur, ut uendantur omnia & pauperibus erogentur. Præceptum uero datur ut iustitia custodiatur, ut omnis homo diuertat à malo & faciat bonum. Matt. 19 Deniq; de uirginitate dicitur, Qui potest capere capiat. De iustitia uero non dicitur, qui potest facere faciat: sed omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Consilium qui libenter audierit & fecerit, maiorem habebit gloriam. Præceptũ qui non impleuerit, nisi pœnitentia subuenerit, euadere pœnam non poterit. Sic enim præcepit dominus, Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos. Et orate pro persecutoribus uestris & maledicentibus uobis. Et si quæras quam mercedẽ accipies? Audi quod sequitur: Vt sitis filij patris uestri. Aduertite quia si inimicos non diligimus, filij dei esse non possumus. Et qua fronte dicimus in oratione, Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum? Aut qua conscientia dicere poterimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus. Sed dicit aliquis. Ego audiam scripturam dicentẽ: Amat anima mea amantem se. Amas amantes te filios & parentes, amat & latro, amat & draco, amant & lupi, amant & ursi. Si enim amantes non diligamus, si filios uel parentes despicimus, peiores leonibus & supradictis bestijs existere uidemur. Sic & ipse dominus dicit, Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Qui ergo solos amicos diligunt, sicut & ipsi uidetis, adhuc in hac parte publicanis & gẽtibus & bestijs similes sunt. Vt ergo superiores simus & gentibus & bestijs, etiam inimicos & aduersarios diligamus. Et timeamus illud quod dominus in Euangelio dicit, Matth. 18 Serue male, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne oportuit & te misereri cõseruo tuo, sicut & ego tui misertus sum? Et quid postea, Tradidit eum tortoribus, donec redderet uniuersum debitum. Sic, inquit dominus, pater meus cœlestis faciet uobis, si non dimiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris. Et iterũ ipse dominus ait, In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli Iacobi 2 estis, si uos inuicem diligatis. Et iterum. Qui uniuersam legem compleuit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Quid est hoc unum, nisi Ioan. 13 quod supra diximus, Mandatum nouum do uobis, ut uos inuicem diligatis? Quid, inquam, est hoc unum, nisi illud quod Apostolus dicit, Omnis lex in uno sermone completur, Diliges proximum tuum sicut teipsum? Gal. 5 Sed ne forte aliquis dicat, locum hunc non sic debere intelligi: Audiat de hoc mãdato iterum Apostolum, sublimi uoce clamantem: Et si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem autem nõ habeã, nihil mihi prodest. 1. Cor. 13 Ipsa est uera & germana charitas, quæ nõ solum usq; ad amicos, sed etiam usq; ad ipsos peruenit inimicos: Sicut dominus noster tantam circa genus humanum cognoscitur habere charitatem ut non solum supra bonos, sed etiam supra malos pluuiam dare, & solem suum quotidie oriri cõcedat. Etiam illud ante omnia cum grandi reuerentia & timore recolere & retinere debemus, quod dominus in Euãgelio dixit, Si dimiseritis, inquit, hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cœlestis peccata uestra. Matt. 6 Si non dimiseritis, nec pater uester cœlestis dimittet debita uestra. In potestate nostra positũ est qualiter in die iudicij iudicemur. Vnde nescio qua fronte indulgẽtiam peccatorũ suorum ante tribunal Christi obtinere poterit, qui deo præcipiente inimicis suis ueniam dare non acquiescit. Apostolus etiam prędicat dicens, Nemini malum pro malo reddentes: Rom. 12 Benedicite persequentibus uos, benedicite & nolite maledicere. Et iterum, Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Et iterum, Non reddentes maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicentes. Beatus quoq; euangelista Ioannes, qui supra pectus domini in cœna recubuit, in epistola sua ita nos admonet dicens, Qui odit fratrem suum, homicida est: 1 Ioan. 3 Et scitis quia omnis homicida non habet in se uitam æternam. 1 Ioan. 2 Et iterum, Qui dicit se in lumine manere, & fratrem suum odit, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò uadat, quia tenebrę obcæcauerunt oculos eius. Hoc loco fratrem omnem hominem debemus accipere. Dicit etiam ipse beatus Ioannes, Si quis dixerit, diligo deum, & fratrem suum odit, mendax est. 1 Ioan. 4 Qui enim non diligit fratrem suũ quem uidet, deum quẽ non uidet quomodo potest diligere? Sed etiam si iubetis sufficiunt ista: Sunt enim innumerabilia tam in nouo quàm in ueteri testamẽto, quę causam, de qua loquimur, ualidissimis testimonijs confirmare longum est, & nunc omnia charitatis uestræ auribus nõ intimentur. Nam in sanctis animabus etiam parua pro magnis accipiuntur, quia & reuera cui pauca non sufficiũt, magna non prosunt, plura prodesse nihil poterunt. Vos autem fratres charissimi considerantes, quia omnis lex uno sermone impletur in nobis: id est, Diliges proximum tuum sicut teipsum: non solum amicos sed etiam inimicos diligite: quia quicũq; hoc implere nolũt, reliqua illis opera bona prodesse non poterũt. Et ideo ita omnibus inimicis uestris dimittite, ut cũ secura conscientia possitis in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Matt. 6

Item

Item eodem die alius sermo qui habetur inter sermones de Verbis domini, II.

Item eodē die alius sermo de epistola diei, qui habetur in libro: Quinquaginta homiliarum: homilia VII & XVIII.

Sabbato post dominicam in quinquagesima:

Sermo I.

SERMO LXII

ROGO uos fratres charissimi & admoneo ut in isto legitimo ac sacratissimo tempore exceptis dominicis dieb. nullus prandere præsumat, nisi forte ille quem ieiunare infirmitas non permittit, quia alijs diebus ieiunare remedium est aut premium, in quadragesima non ieiunare peccatum est. Alio tempore qui ieiunat accipiet indulgentiam, in quadragesima qui non ieiunat sentiet pœnam: & tamen qui ieiunare non præualet, secretius sibi soli, aut si est alius infirmus cum ipso in domo sua præparet quod accipiat, & illos qui ieiunare præualent ad prandium non inuitet: quia si hoc fecerit, non solum deus sed etiam homines possunt intelligere illum non pro infirmitate non posse, sed pro gula ieiunare non uelle. Sufficiat illi quod ipse ieiunare nō preualet, & magis cum gemitu & suspirio & animi dolore māducet, pro eo quòd alijs ieiunātibus, ille abstinere nō potest. Quod opus est unicuiq; infirmo, secretius sibi soli, aut cum alio similiter infirmo faciat præparari, quia nō ei oportet ut aliquem sanum roget ad prandium, ne sibi etiam de alterius gula augeat peccatum. Pro eo tamen quod non potest ieiunare, amplius debet erogare pauperibus, ut peccata quæ non potest ieiunādo curare, possit in eleemosynis dando redimere. Bonum est ieiunare fratres sed melius est eleemosynā dare. Si aliquis utrunq; potest, duo sunt bona. Si uero non potest, melius est eleemosynam dare. Si possibilitas non fuerit ieiunandi, eleemosyna sufficit sibi sine ieiunio: ieiunium uero sine eleemosyna omnino non sufficit. Ergo si aliquis ieiunare nō potest, eleemosyna sine ieiunio bonū est. Si uero præualet ieiunium cū eleemosyna, duplex bonum est. Ieiunium uero sine eleemosyna nullū bonum est, nisi forte ita sit aliquis pauper ut nō habeat omnino quod tribuat. Ille ergo qui nō habuerit unde tribuat, sufficit uoluntas bona secundū illud quod scriptum est: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Sed quis erit qui se possit excusare, cū etiam pro calice aquæ frigidæ mercedē se dominus redditurū promiserit? Et quare frigidæ dixit? Ne forte se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut dicere se uasculū ubi aquam calefaceret non habere. Denique & per beatū prophetam fratres charissimi dominus ita hortatur & admonet eleemosynam fieri, ut prope nullus pauper sit qui se ualeat excusare. Sic enim ait, Hoc est ieiunium quod elegi, dicit dominus, Frange esurienti panem tuum. Non dixit ut integrum daret, cū forte pauper ille alium non haberet: sed frange, inquit: hoc est dicere, Etiam si tanta paupertas tibi est ut non habeas nisi unū panem, ex ipso tamen frange & pauperi tribue. Et egenum, inquit, ac sine tecto induc in domum tuam. Si aliquis ita pauper est ut nō habeat unde tribuat pauperi cibum, uel in uno angulo domus suæ peregrino preparet lectulum. Quid nos ad hæc dicturi sumus fratres, uel quā excusationem habere poterimus, qui amplas & spatiosas domus habētes, uix aliquādo dignamur excipere peregrinū, ignorantes imo non credētes quod in omnib. peregrinis Christus excipitur: sicut ipse dicit, Hospes fui & suscepistis me: & quamdiu uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis? Laboriosum & fastidiosum nobis est in pauperibus recipere Christū in patriam nostrā, timeo ne nobis ille uicem reddat in cœlo, & nō nos recipiat in beatitudinem suam. Cōtemnimus illum in mūdo, timeo ne nos ille iterum cōtemnat in cœlo, secundū illud quod ipse dixit, Esuriui, & nō dedistis mihi manducare: hospes fui, & non accepistis me. Et quādiu nō fecistis uni ex minimis istis, nec mihi fecistis. Et quod post hæc fratres sequit, auertat deus à nobis. Hoc enim postea addidit dicens: Discedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hæc ergo fratres non transitorie nec solis corporis audiamus auribus, sed fideliter audiētes etiā ut alij teneāt & impleāt uerbo pariter & exēplo doceamus: prestante dño nostro Iesu Christo, qui cū patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorū, Amen.

Eodem die, de necessitate ieiunij cum mititate & largitate: Sermo II.

Est Leonis pape SERMO LXIII

POSTOLICA dilectissimi doctrina nos admonet, ut deponentes ueterem hominem cū actibus suis, de die in diem sancta cōuersatione renouemur. Si enim templum dei sumus, & mentiū nostrarū spiritussanctus habitator est dicēte Apostolo, Vos enim estis templum dei uiui: multa nobis uigilantia laborandū est, ut cordis nostri receptaculum tanto hospite non sit indignū. Et sicut in domibus manufactis laudabili diligentia prouidendum est, ut si quid aut infusione imbriū aut turbine procellarū, uel ipsa fuerit antiquitate corruptū, cita in integrum cura restituat: ita iugi oportet solicitudine precaueri, ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inueniatur immundum. Quāuis ædificium nostrum sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio profuerit conditoris: tamē quia rationabiles lapides sumus, & uiua materies, sic nos authoris nostri exterruit manus, ut cū opifice suo etiā is qui reparatur operet. Gratiæ dei igitur obediētia se humana non subtrahat, nec ab illo bono sine quo nō potest bona esse deficiat: aut si quid sibi impossibile aut arduū in mandatorū effectibus experitur, nō in se remaneat, sed ad adiuuātem recurrat: qui ideo præceptum dat ut excitet desideriū, & præstet auxiliū dicente Propheta, Iacta cogitatū tuū in domino, & ipse te enutriet. An forte quisquam tam insolēter superbit, & ita se illæsum, ita immaculatū esse præsumit, ut nullius iam renouationis indigeat? Fallit prorsus ista persuasione, & nimia uanitate ueterascit, qui intertētationes istius uitæ ab omni se uulnere credit immunem

munē. Plena sunt omnia periculis, plena laqueis, incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent. Amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper uerácia sunt ora laudantium. Inde sæuit odium, hinc decipit mendax officium, ut facilius sit uitare discordem quàm declinare fallacem. In ipsis autē uirtutibus obtinendis tam dubius modus est, & tam incerta discretio est: ut si quisquam inter bonorum malorumq; confinia subtilissimi discriminis poterit seruare mēsuras, difficile sit ut bene sibi cōsciam probitatē obtrectantiū lingua nō mordeat, & iniquorum euadat opprobria, cui amica est iustitia. Iam cū ad ipsas rerum temporaliū uarietates cogitatio humana conuertit, quantę se opponunt caligines, quātī prauarum opinionum oboriūtur errores, ut de obiectu contrariorum sumatur materia querelarum. Nam licet omnium fidelium corda nō dubitent nullis mundi huius partibus nullisq; temporibus prouidentiam abesse diuinam, nec de stellarum potestate, quę nulla est, secularium negociorum pendere prouectus, sed æquissimo & clementissimo summi regis arbitrio cuncta disponi: quoniam scriptum est, Vniuersæ uię domini misericordia & ueritas: tamen cū quędam non secundum desideria nostra procedūt, & sub humani errore iudicij superior est plerunque iniqui causa q̄ iusti, uicinum nimis atq; contiguum est ut etiam magnos animos ista cōcutiant, atq; in aliquod illicitę causationis murmur impellāt: Siquidem istis uarietatibus etiam excellentissimus propheta Dauid usq; ad periculum se turbatum profiteatur & dicat, Mei autem penè effusi sunt gressus, quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum uidens. Vnde quia paucorum est tam solida fortitudo, ut nulla inæquitatum perturbatione quatiantur, & multos fidelium non aduersa tantum, sed etiā secunda corrumpant, sanandis uulneribus quib. humana infirmitas sauciatur, diligens est adhibenda curatio. Ideo enim de periculis quibus mūdus hic plenus est quædam breuiter percurrit: ut dicente scriptura, Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato? omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam & reparationis necessariam esse medicinam. Quādo autē dilectissimi ad remedia diuina aptius recurrimus, quàm cū ipsa nobis sacramenta redemptionis nostræ temporum lege reserantur? Quæ ut dignius celebremus, saluberrime nos quadraginta dierū ieiunio præparemus. Non enim hi tantum qui per mortis Christi resurrectionisq; mysterium in nouam uitā baptismo sunt regenerante uēturi, sed omnes populi renatorum utiliter & necessariè presidium sibi huius sanctificationis assumunt: illi ut quę nondum habent accipiant, isti ut accepta custodiāt: dicente Apostolo, Qui stat, uideat ne cadat. Nemo tāta est firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus. Vtamur igit dilectissimi saluberrimi temporis uenerabilibus institutis, & solicitiori cura cordis nostri specula tergamus. Quantumlibet em castè & sobriè mortalis hæc uita ducitur, quodam tamen puluere terrenæ cōuersationis aspergitur: & nitor mentium ad dei imaginem conditarum, non ita à fumo totius uanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, & non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quanto illis amplius est expetendum, qui tota forte anni spacia aut securius aut negligentius transierunt? Quos charitate debita commonemus, ut non ideo sibimet blandiantur, quia nobis cōscientiæ singulorum patere nō possunt: cum oculos dei simul uniuersa cernētis non abdita locorum, non parietum septa secludāt: nec solum ei acta & cogitata, uerum & agēda & cogitanda sint cognita. Ista uera sciētia summi iudicis, iste est tremendus aspectus, cui peruium est omne solidum, & apertum omne secretum: cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine uoce mens loquitur. Nemo patientiam bonitatis dei de peccatorum suorum impunitate contemnat, nec ideo illum estimet nō offensum, quia necdum est expertus iratum. Non sunt lōge mortalis uitæ induciæ, nec diuturna est licentia insipientium uoluptatum, in ęternarum dolorem transitura pœnarum, si dum iustitia suspenditur, pœnitentiæ medicina non queritur. Cōfugiamus ergo ad presentem ubique misericordiam dei, & ut sanctum pascha domini digna obseruātia celebretur, cunctorum se fidelium corda sanctificent. Mitescat sæuitia, mansuescat iracundia, remittant sibi omnes culpas inuicem suas, nec exactor sit uindictæ qui petitor est uenię. Dicentes enim, Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: durissimis nos uinculis alligamus, nisi quod profitemur impleamus. Vnde si orationis huius sacratissimum pactum non tota sui conditione seruatum est: nunc saltem conscientiam suam unusquisq; cognoscat, & alienis ignoscendo delictis, abolitionem suorū obtineat peccatorum. Dicente nāq; domino, Si dimiseritis hominibus peccata eorū, dimittet & uobis pater uester qui in cœlis est: nō longe est ab unoquoq; q̄d poscit, cum de benignitate supplicis sentētia pendeat iudicātis, qui humanarum precū misericors & iustus auditor, æquitati suæ de nostra lenitate præscribit, ut non haberet in eos ius seueritatis, quos non inuenisset cupidos ultionis. Clementes autem & mites animos, etiam largitas decet. Nihil em dignius est quàm ut homo sui authoris sit imitator, & secundum modum proprię facultatis diuini sit operis executor. Nam cum alūtur esurientes, uestiuntur nudi, fouentur infirmi, nónne auxilium domini manus explet ministri, & benignitas serui munus est domini? Qui cum ad effectus misericordiæ suæ adiutore nō egeat, ita suam omnipotentiam temperauit, ut laboribus hominum per homines subueniret. Et merito deo gratiæ referuntur de pietatis officijs, cuius opera uidentur in famulis. Propter quod ipse dñs discipulis suis ait, Sic luceat lumē uestrum coram hominib. ut uideāt opera uestra bona, & magnificēt patrē uestrū qui in cœlis est: per Christū dnm nostrum, Amē.

Aug. to. 10

Item

Item in eodē die Homilia de eo quod ſcriptum
eſt in Euangelio ſecundum Matthæum, Et dimiſ-
A ſa turba aſcendit in montem ſolus orare &c. quæ
habetur inter ſermones de uerbis domini
XIII, & XIIII

Dominica prima in XL, de myſterio ieiuuij
quadrageſimalis, fructu & modo: Sermo I

Ser. L. XIIII

OMNE uitę noſtrę tempus, ſtadium quod
dam debemus putare uirtutū & ad cœ-
leſte brauiū tota uirtute contendere. Sed
hoc præcipue in quadrageſimę dieb. implendum
eſt, qui abſtinentiæ ac ieiunij dedicati, tantum no
bis ad uirtutem animi cōferunt, quātum & de cor
pore uoluptatem decerpunt. Eſt autem legitimus
numerus iſte ieiunij & qui in ſanctis celebratur e-
xemplis. Moyſes legē accepturus à deo quadra-
B ginta dies ac noctes abſq; cibo potuq; trāſegit, &
ad ſuſcipiendam domini uoluntatem ieiunus præ
paratus eſt. Helias poſt quadraginta dierum ieiu-
nia curru igneo ad ſuperna cœlorum de hoc mun
do trāslatus eſt. Ipſe quoque dominus ac ſaluator
noſter quadraginta diebus ieiunans de diaboli tē
tationibus triumphauit, ut ad prædicationē Euā-
gelij iam uictor accederet. Merito uero etiā nos
hūc dierū numerum cuſtodire debemus ieiunijs,
quem per talia exempla legimus cōſecratum. Ce
lebremus ergo hos dies cum omni alacritate mē-
tis & gaudio, & eos omnibus epulis & corporali-
bus delicijs pręferamus. In his enim pręcipue die
bus ad implendam domini uoluntatem accendi-
mur, quando maxime per abſtinentiam uoluptas
C carnis extinguitur. Tunc enim ad dominum & ad
eius futura promiſſa tota mens purior facienda fe
ſtinat, cum nulla crapula, nulla cibi ac potus ſatie-
Luce 21 tate craſſatur. Vnde & ſaluator in Euāgelio dixit,
Attendite itaq; uobis ne grauētur corda ueſtra in
crapula & ebrietate & cogitationib. ſecularibus,
& ſuperueniat in uos dies illa repentina: tanquam
laqueus enim ſuperueniet uniuerſo mundo, & ne
mo effugiet. Sed & illa eſt in quadrageſimæ die-
bus grandis utilitas, quod dum etiam à licitis ab-
ſtinemus, magis ac magis admonemur illicita ui-
tare. Qui enim abſtinemus nos à carnibus quibus
alijs dieb. uti licet: qui nos abſtinemus à uino quo
moderare uti licet: qui ergo iſta uitamus quæ ali-
quando licent: in primis peccata fugiamus, quæ
omnino nūquam licent. Itaq; uolumus bene ieiu-
nare à cibis, ante omnia ieiunemus & à uitijs. Quid
enim prodeſt uacuare corpus ab eſcis, & animam
replere peccatis? Quid eē prodeſt pallidum eſſe
ieiunijs, ſi odio & inuidia liueſcas? Quid eē pro-
deſt uinū non bibere, & iracundiæ ueneno inebri
ari? Quid prodeſt abſtinere à carnibus ad edendū
creatis, & malignis obtrectationibus fratrum mē
bra lacerare? Quid prodeſt ſi abſtineamus ab his
quæ aliquando licent, & faciamus illa quæ nunq;
licent? Deus enim illos honorat & diligit, qui illi-
cita fugiunt. Sic ergo, ut dixi, ieiunemus à cibis, ut
multo magis ieiunemus à uitijs, ut ſanctorum mo
rum ubertate ſaturemur, ut & in futuro mereamur
ipſorum operum retributione ſatiari: ſicut in Euā-
gelio legimus, Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtiti- Matth. 5
A am, quoniam ipſi ſaturabunt. Illam eē compenſa
tionem magis eligere debemus, ut cibis quib. nos
abſtinemus, eos pauperib. ac debilib. largiamur:
ſecundū illud q̄d ſcriptum eſt, Beati qui contenti
ſunt eſurire ut alibi reficiant. Satis deo acceptum
eſt munus quando indigens ſaturat, quando nu-
dus ueſtit, quando ira non perficitur, & iracūdiæ
tempus non reſeruat, quando malū pro malo nō
redditur. Tunc grata ſunt deo noſtro ieiunia, ſi illi
qui neceſſitate ieiunant reficiant à nobis. Tunc il
lam dñi ſententiam audire merebimur, Amen di- Matth. 25
co uobis, q̄ diu feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi
feciſtis. O benigniſſimum dñm ad edomandam
hominū auaritiam, qui ſibi dari dicit, q̄d uel mini-
B mo pauperi donatū fuerit. Vobis aūt fratres præ-
ſtet domini miſericordia, ut ei ieiunijs & elecmo-
ſynis in bonis operibus ſeruiatis, ut ad ęternam &
ueram uitā uos perducat, ipſe qui uiuit & regnat
n ſecula ſeculorum, Amen.

In eadē dominica, de ieiunio & eius affectibus
Sermo II

Ser. LXV

DEST nobis uenerabile & medicabile
A tēpus quadrageſimæ chariſſimi, per q̄d
ieiunantes peccatorum noſtrorū uulne-
ra curare debemus, Quantū ſit ergo bonū ieiunij,
breui ſermone exemplis additis diſſeramus. Moy
ſes primus quadraginta diebus ac noctib. cum ie-
iunaſſet legem domini accipere meruit, per quam
C populis imperaret. Impetrauerunt unius hominis
ieiunia, quod totius populi ſaturitas deſperaue-
rat. Aduertamus ergo quāta ſit inter ieiunium &
ſaturitatem diſtātia, inter uentrem uacuum & pul
mones epulis æſtuantes. Moyſes ergo quia ieiu- Exod. 14
nauit dominū uidit: populus quia manducauit &
bibit, idola fabricatus eſt. Sed quid de Moyſe &
Iſraelitica multitudine loquar? Princeps ille hu-
mani generis Adam, quamdiu ieiunauit ſeruans Gen. 3
mandatum, in paradiſo fuit. Vbi uero comedit, e-
iectus eſt de paradiſo. Et qui in paradiſo dei uirgo
fuerat, eiectus de paradiſo cognouit uxorē. Sem-
per eē iuncta eſt ſaturitati laſciuia. Vicina ſibi ſūt
uēter & genitalia, & p mēbrorum ordine ordo ui
tiorum intelligit. Eiecit ergo nos de paradiſo ci-
D bus, reducat eſuries, reducat ieiunium. Diximus
ergo quid ſanctus Moyſes meruit ieiunando: de-
inde & cunctos uideamus. Sancto Heliæ ieiunan
ti etiā elementa famulata ſunt. Hic deniq; trib. an-
nis & ſex menſibus cœlū clauſit: Ad cuius uocem
etiā ſupernum deſcēdit incendiū. Et cū eum Iezą-
bel regina uellet occidere, & feſſus ſub arbore frō
doſa iaceret in ſolitudine, angelus ad eum mittit
& dicit ei: Sume paululum panis & aquæ. Videte
quanta ſit dei clementia erga ieiunantes chariſſi-
mi: Non ſufficiebat, quia angelum ad ieiunantem
dominus miſerat, qui eum ut cibum ſumeret iube
ret, ſed etiā pręcepit, ut longius fugiat perſequen-
tem. Ait ergo, Sume paululū panis & aquę: Qua-
draginta eē dierū ieiunio perrecturus erat per de
ſertū uſq; montē Sina. Nunquid eē dominus qui

cœlum & terram fecerat, cuius omnis eſt creatura,
A nō potuit in eremo per angelum prandiū mittere,
ſicut Danieli in lacum leonum per Abacuc miſit?
Sed ſciebat deus prophetam ſuum tentantem dia
bolum aliter ſuperare non poſſe, ni ieiunijs erudi
tus inſidiantis inimici tētamenta repelleret. Dani
el quoq; ille futurorum gnarus, & aduētus domi
ni conſcius, & euerſionis Hieruſalem manifeſtiſſi
mus prędicator, ideo uir deſideriorum appellatus
eſt, quia panem deſiderij nō comedit, & potū con
cupiſcētiæ non bibit, quia magis Chriſtum quàm
epulas deſiderabat. Ioānes quoq; præcurſor domi
ni locuſtis in eremo & agreſti melle nutritur, non
animalium carnibus, non uolucrū ſuauitatibus pa
ſcitur: poterat utiq; iuxta Iordanē poſitus piſcium
ſibi exhibere delicias, ſed pœnitētiā prędicaturus
B rigorem ieiunij exēplo ſuo magis debuit & factis
oſtendere q̄ uoce. In Euāgelio quoq; cum quidā
Matt. 17 dęmone plenus domino fuiſſet oblatus, quem A-
poſtoli curare nequiuerāt, interrogātes audiunt à
domino, iſtiuſmodi genus non poſſe eijci niſi ora
tionibus & ieiunijs. Videte ergo chariſſimi quāta
ſit ieiuniorum uirtus, ut id facere ieiunia ualeant,
quod Apoſtoli nequiuerant. Omitto cætera, ſed
unuſquiſq; conſideret quāta ſit inter ieiunium &
ſaturitatem diſtantia, inter uētrem uacuum & re-
fertum, inter rubentem faciem & ora pallentia, in
ter os ieiunum & labia crapula diſſoluta, inter op
preſſum epulis & inediæ tenuitate uigilantē. Nō
dico hebdomadas, non duplicata, non multiplica
ta ieiunia, ſed uel ſingulos dies abſq; ciborum ni-
C mietate tranſeamus. Ceſſent lauacra, uina uel car-
C nes, non quod creaturam dei iudicemus eſſe dam
nandam, ſed qui toto anno nobis uiximus, ſaltem
uel paucos dies uiuamus & domino. Sed ieiunia
noſtra ut plena ſint & ſuffarta, miſericordiæ pin-
guedine ſaginent, demus eſurientib. prādium no
ſtrum. Nec putes ieiunia ſola ſufficere ad ſananda
uulnera peccatorū, ni medicamento eleemoſynæ
recreentur. Ieiunium ergo tuum te caſtiget, ſed læ
tificet alterū, & ita fructuoſæ erunt anguſtię tuæ,
ſi alteri latitudinem præſtent. Sic ieiuna ut in alio
manducante prandiſſe te gaudeas. Hilarem enim
datorem diligit deus. Nam manducante paupere
de bonis tuis, prandet Chriſtus qui ſe in paupere
eſurire teſtatur.
D
In eadem dominica de cōfeſſione peccatorum:
Sermo III

Ser. LXVI

ORTATVR nos ſæpius ſcriptura ad
H medicamēta fugere confeſſiōis, non q̄
deus indigeat cōfeſſione noſtra cui om
nia præſto ſunt quę cogitamus, loquimur aut agi-
mus, ſed nos aliter ſalui fieri nō poſſumus, niſi cō-
fiteamur pœnitētes quod inique geſſimus negli-
gentes. Qui ſeipſum accuſat in peccatis ſuis, hunc
diabolus nō habet iterum accuſare in die iudicij:
Iacobi 5 ſi tamen cōfitens pœnitēdo deleat quæ fecit, nec
iterum renouet quæ egit. Confitemini, dicit Iaco-
bus apoſtolus, alterutrum peccata ueſtra, & orate
pro inuicem ut ſaluemini. Iterum beatus Apoſto-
Rom. 10 lus, Ore aūt confeſſio fit ad ſalutē. Sed & Salomō
de confeſſione peccatorū dicit, Qui abſcōdit ſce Prou. 28
lera ſua non dirigetur: Qui autem confeſſus fuerit
& reliquerit ea, miſericordiā cōſequetur. Magnū
eſt ſalutis medicamentum non iterare quę impie
geſſimus, nec priorum cicatrices uulnerū reſauci
are. Sicut autem dicit Ioannes euangeliſta, Si con 1. Ioan. 1
fiteamur peccata noſtra, fidelis eſt deus & iuſtus
ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos
ab omni iniquitate. Similiter & Pſalmiſta ait, Dixi Pſal. 31
confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domi
no, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Viuēs
cōfiteatur peccator quæ fecit, quia nō eſt fructuo
ſa confeſſio apud inferos, nec pœnitentia ad ſalu
tem proficiens. Ecce nūc tempus ſalutis: ecce nūc 2. Cor. 6
tempus acceptabile deo. Tempus eſt nunc remiſ-
ſionis pœnitētibus, ſed tempus erit poſt mortem
uindicationis negligentibus confiteri ſcelera ſua.
Omnes eē impij amarā habent in tormentis pœ
nitentiā, ſed nō proficit eis ad remiſſionē, ſed con
ſcientia torquet ad augmentum pœnarū quas pa-
tiuntur. Potuerūt enim ſibi per confeſſionem pre
cauere tormentorum immanitatē & neglexerūt:
ita ſicut foris flammis, ita intus conſcientia ppria
torquentur. Quomodo poteſt medicus uulnus ſa
nare, quod ęgrotus oſtendere erubeſcit? Deus cō
feſſionē noſtram deſiderat, ut iuſtam habeat igno
ſcendi cauſam. Qui peccata ſua occultat, & erube
ſcit ſalubriter cōfiteri, deum quem iudicem habe-
bit, habebit & ultorem. Optime ſe iudicet homo
in hac uita, ne iudicetur à deo dānatiōe perpetua.
Duplicem habere debet fletum in pœnitētia om-
nis peccator: ſiue quia p negligentiam bonum nō
fecit, ſeu per audaciam malum perpetrauit. Quod
enim oportuit non geſſit, & quod nō oportuit e-
git. Confeſſio iuſtificat, cōfeſſio ueniam peccatis
donat, omnis ſpes ueniæ in confeſſione conſiſtit.
Confeſſio opus eſt miſericordiæ, ſalus ægroti, uni
cum eſt uiribus noſtris medicamentum cum pœ-
nitentia. Cuius ipſe ſaluator in Euangelio uirtutē
oſtendit dicens, Pœnitentiā agite, appropinqua- Matt. 4
bit enim regnum cœlorum. Et Ioannes baptiſta,
facite fructus dignos pœnitētiæ. Fructus dignus
eſt pœnitentię, trāſacta flere peccata, & eadē ite-
rum non agere: ſicut ſcriptum eſt, Ne adijcias pec Eccle. 5
catum ſuper peccatum. Lauamini, dicit dominus Eſa. 1
per Eſaiam prophetam, & mundi eſtote. Lauatur
itaq; & mūduſeſt, qui & præterita plangit, & iterū
non admittit. Lauatur & nō eſt mundus, qui plan
git quod geſſit nec deſerit, ſed poſt lachrymas flē
da hæc quæ fleuerat repetit. De his beatus Petrus
terribiliter ait, Canis reuerſus ad uomitum ſuum. 2. Pet. 2
Fili peccaſti, dicit ſcriptura ſancta, ne adijcias ite- Eccle. 21
rū: ſed de priſtinis deprecare ut dimittant tibi. Pœ
nitentia uera non annorum numero cenſet, ſed a-
maritudine animi. Vnde beatus Petrus, mox à do Matt. 26
mino indulgētiam recepit, quia amariſſime fleuit
trinę negationis culpam. Pœnitentia quamuis ſit
exigui temporis, ſi intima cordis amaritudine agi
tur, non deſpicit apud iudicem iuſtum deum, qui
cordis ſecreta conſiderat. Non eē longitudinem
temporis tantum requirit deus, quātum affectum

ſyncerítatís pœnitẽtis penſat. Qui enim in Chriſtum tota mente confidit, etiam ſi multis commo
Ioan. 11 riatur peccatis, fides ſua uiuet in æternum. Sicut ipſe dominus in Euangelio dicit, Ego ſum reſurrectio & uita: Qui credit in me, etiã ſi mortuus fuerit, uiuet: Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum: De morte animæ dixit, quæ propter peccatorũ ægritudines eueniet illi. Deus in natura miſericors eſt, paratus eſt ſaluare per miſericordiam, quos non inuenit ſaluare per iuſtitiã. Qui uult omnes homines ſaluos fieri, & neminem perire. Qui per prophetam ait, In quacunque die conuerſus fuerit peccator, uita uiuet & nõ morietur. Quamuis quiſq; ſit peccator & impius, ſi ad pœnitentiam conuertitur, conſequi per miſericordiam ueniam non dubitet. In hoc ſeculo pœnitentiam facientibus dei miſericordia ſubuenit: In futuro autem pœnitentia nõ proficit, ſed rationem noſtrorum operum reddituri ſumus. In hac uita tãtum pœnitentiæ patet libertas, poſt mortem nulla correctionis eſt licentia.

Feria ſecunda poſt primam dominicam in quadrageſima, De extremo iudicio cogitando: Sermo I

Ser. LXVII R OGO uos fratres chariſſimi, & cum grandi humilitate admoneo, ut mihi nullus ex uobis ſucceſſeat, aut forte incongruum me ſuperfluumq; iudicet, quare uobis tam frequenter tremendum & utiliter expaueſcẽdum diem iudicij inſinuare contendo. Si quis em̃ eſt cui forte in hac parte diſpliceam, cõſideret periculum meum, & audiat dominum per Prophe-
Ezech. 3 tam ſacerdoti terribiliter comminantem, Si non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram. Et iterum, Cla-
Iſa. 58 ma, inquit, ne ceſſes: quaſi tuba exalta uocẽ tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum. Sed forte aliquis dicit, Quare nobis tam dura aſſiduè prædicantur? Quia melius eſt hic paruam amaritudinem ſuſtinere, & poſtea ad æternam dulcedinem peruenire, quàm hic habere falſum gaudium, & illic ſuſtinere ſine fine ſupplicium. Audite fratres, non me, ſed dominũ in Euangelio dicentem, Bea-
Matt. 5 ti qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur: Et uę-
Luc. 6 uobis qui ridetis nũc, quia lugebitis & flebitis. Et hoc attendite fratres, quia omnes carnales medici quotiens ad eos qui in corpore ægrotare uidẽtur D ueniunt, omnia quæ eis delectabilia eſſe uidebantur abſcindunt: & quod dulce eſt, ad integrum interdicunt. Aliquotiens etiam frigidam accipere non permittunt, interdum & amariſſimas potiones bibere cogunt, & aſperrimis ferramentis eorum uulnera frequenter incidũt. Hoc ergo quod pro ſanitate corporũ carnales medici faciunt, pro animarum ſalute ſpiritales medici exercere cõtendunt. Hæc ego cogitans fratres chariſſimi, & tam pro mea quàm pro ueſtra ſalute rationem me redditurum eſſe ante tribunal æterni iudicis nõ ignorãs, eligo aſpera quidem, ſed ſalubria uobis medicamenta ingerere, ut uobiſcum poſtea in angelorum cõſortio perpetua merear incolumitate gaudere. Et hæc quidem non ideo ſuggero, quòd uos A admonitiones noſtras ſenſerim non libenter accipere: ſed quia me neceſſe eſt & pro ueſtra & pro mea ſalute frequentius prædicare, ſtudeo ueſtros animos & ad timendum iudicium, & ad deſiderãdum præmium excitare: ut exceptoria ſancti pectoris ueſtri ad recondendam ſpiritalem uindemiam, ſicut ſemper feciſtis, auxiliante domino fideliter præparetis. Quotiens uobis durum aliquid prędicamus, non hoc ideo dicimus, quòd à uobis tale aliquid fieri ſuſpicemur: ſed ideo iterũ illa quę non facitis denunciamus, ut illa in quibus forte præuenti fueritis, ſanare poſſimus. Solet enim fieri, ut dum maiora timentur, minora celerius caueantur. Quomodo enim theriaca bibitur, ne corpo B ribus poſſint pręualere uenena, hoc auſtera prædicatione geritur, unde animarum pręparentur antidota. Certum eſt fratres chariſſimi, quòd ſi ſemper beneficia dei noſtri, quę nobis nullis pręcedẽtibus meritis noſtris collata ſunt, aſſiduè cogitamus, peccata noſtra nobis aut non dominantur, aut ſi forte ſurrepſerint, cito per pœnitentiam corriguntur. Quis enim uel mente concipere, non dicam uerbis poſſit exponere, quanta circa nos ſint dei noſtri beneficia? Fecit enim nos cum nõ eſſemus, reparauit nos poſtea cum periſſemus. Mortem ſuſcepit, precioſo nos ſanguine liberauit, ad inferna deſcendit, de faucibus nos æternæ mortis eripuit, cœlorum nobis etiam præmia promiſit. Hæc omnia fratres dilectiſſimi pio & benigno animo cogitãtes, quantum poſſumus cũ ipſius adiutorio beneficijs ſuis uicẽ repẽdere feſtinemus. C Non reddamus mala pro bonis, ſed quantum poſſumus uoluntati illius obtemperare fideliter ſtudeamus, totis uiribus innitentes, ut præcepta ipſius magis nobis pariant de ſequacitate remedium, quàm de tranſgreſſione iudicium. Nam quid faciemus chariſſimi in illo metuendo iudicij die, cũ tremente mundo dominus prącinẽtibus angelorum buccinis, in illo maieſtatis ſuæ throno circundatus cœleſtis militiæ luce conſederit: ibiq; de terræ gremio & antiquo puluere ſuſcitato humano genere, aſtante teſtimonio conſcientiæ ſingulorum, poſitis in conſpectu peccatorũ pœnis iuſtorumq; præmijs, rationem uitæ cœperit poſtulare, & plus iam iuſtus quàm miſericors, ſeueritate iudicis contemptę miſericordiæ reos cœperit accuſare & dicere: Ego te, ò homo de limo manib. meis feci, ego terrenis artubus infudi ſpiritum, ego tibi imaginem noſtram ſimilitudinemq; cõferre dignatus ſum, ego te inter paradiſi delicias collocaui, tu uitalia mandata contemnens, deceptorem, ſequi quàm deum maluiſti? Cum expulſus de paradiſo iure peccati mortis uinculis tenereris, uirginalem uterum ſine diſpendio uirginitatis pariendus introiui, in præſepio expoſitus & pannis obuolutus iacui, infantiæ contumelias humanosq; dolores quibus tibi ſimilis fierem, ad hoc ſcilicet ut te mihi ſimilem facerem, pertuli: irridentium palmas & ſputa ſuſcepi, acetũ cum felle bibi: flagellis cęſus, uepribus coronatus, cruci affixus, uulnere

nere perfoſſus, ut tu eripereris morti, animã in tormentis dimiſi. En clauorum ueſtigia quibus affixus pependi. En perfoſſum uulneribus latus. Suſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem: Suſcepi mortem tuam, ut in æternum uiueres. Cõditus iacui in ſepulchro, ut tu regnares in cœlo. Cur quod ,p te pertuli perdidiſti? Cur ingrate redemptiõis tuæ munera renuiſti? Non te ego de morte mea quæro, redde mihi uitam tuam pro qua meam dedi. Redde mihi uitam tuam, quam uulneribus peccatorum indeſinenter occidis. Cur habitaculum quod mihi in te ſacraueram, luxuriæ ſordibus polluiſti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculaſti? Cur me grauiore criminum tuorum cruce quàm illa in qua quõdam pependeram afflixiſti? Grauior em̃ apud me peccatorum tuorũ crux eſt, in qua inuitus pẽdeo, quàm illa in qua tui miſertus mortem tuam occiſurus aſcendi. Cum eſſem impaſſibilis, ,p te pati dignatus ſum, ſed tu deſpexiſti in homine deum, in infirmo ſalutem, in uia reditum, in iudice ueniam, in cruce uitam, in ſupplicijs medicinã. Et quia poſt omnia mala tua ad medicamenta pœnitentię confugere noluiſti, ab auditu malo non mereberis liberari. Qui tunc erit ſtridor dentium, cum ſanctorum multitudine ad dexteram regis & ad gloriam ſegregata, peccati populus in ,pfundo tartari ſine ulla miſerationis ac ueniæ ſpe demerſus, excludi ſe tenebris ſuis à beata ſanctorũ luce uiderit, & in profundi ſinum ſine fine deſcẽdens, urgente os ſuum puteo, æterna ſupplicia & perpetuam mortẽ non moriturus aſpexerit? Fruſtra autem à paupere quẽ in hac uita deſpexit miſericordiã poſtulabit, fruſtra extremum Lazari digitum, quo ardens refrigeretur, ardentibus labijs rogabit apponi. Quàm uellet miſer, cum pauperum gloriã uiderit, duris quondam paupertatis ſubiacuiſſe laboribus, & in illa uita quę cum uita morerentur mala portaſſe, ne ad illa ęterna mereretur ſupplicia peruenire. Vt ergo hæc tam dura & tam terribilia ante illud tribunal ęterni iudicis audire non mereamur, dũ adhuc licet, & cum dei adiutorio in poteſtate noſtra eſt, conſideremus conſcientias noſtras: & ſi aliqua crimina uel peccata capitalia nec dum eleemoſynis & orationib. purgata nobis adhuc dominari cognoſcimus, portum pœnitentię deuictis peccatorum fluctibus Chriſto iuuante feſtinemus intrare: Et ſi quid in nauicula animę noſtrę multis tempeſtatibus peccatorũ, aut per ſuperbiã fractum, aut per auaritiam ruptũ, aut per luxuriam reſolutum eſſe cognoſcimus, cõponere uel reparare bonis operibus feſtinemus. Studeamus iugiter uitiorum exhaurire ſentinam. Non enim nocent peccata pręterita, ſi non placent pręſentia. Sicut enim nulli iuſtorũ ſufficit iuſtitia ſua, ſi non perſeuerauerit uſq; in finem: ita nulli peccatorũ nocere poterit iniquitas ſua, ſi antequàm de corpore iſto diſcedat, ad eleemoſynarum remedia uel ad pœnitentiæ medicamẽta confugerit. Sed quia quãdo uel qua hora de hoc ſeculo rapiamur ſcire non poſſumus, ſine ulla dilatione uel mora de ſiniſtra fugere feſtinemus ad dexteram. Non ſanitati, non ætati credendum eſt. Non in remedium ſalutis ſuę ſemper tardandus eſt, q uitæ ſuæ ſemper incertus eſt: quia qui nos ſecuros fecit dicẽdo, Peccator in qua die
Ezech. 18 conuerſus fuerit, omnes iniquitates illius obliuioni traduntur: ipſe nos etiam cautos eſſe uoluit dicens, Nolite tardare conuerti ad dominũ, nec dif-
Eccl. 5 feratis de die in diem. Sed forte quando generaliter omnes ad pœnitentiã prouocamus, aliquis intra ſe cogitet dicens, Ego iuuenis homo uxorem habens, quomodo poſſum aut capillos minuere, aut habitum religionis aſſumere? Nec nos hoc dicimus fratres chariſſimi, non hoc prædicamus ut iuuenes qui coniugia habere uidentur, habitũ magis q̃ mores habeãt commutare. Quid em̃ homi-
B ni uxorẽ habenti nocet, ſi mores perditos uoluerit ad opera bona uel honeſta conuertere, ſi peccatorum ſuorũ uulnera eleemoſynis, ieiunijs & orationib. ad ſanitatem priſtinam ſtudeat reuocare? uera em̃ conuerſio ſine ueſtimentorum commutatione ſufficit ſibi. Veſtimẽta uero religioſa ſine bonis operib. nõ ſolum remedium habere nõ poterunt, ſed etiam iuſtum dei iudicium ſuſtinebũt. Conuertamur ergo ad meliora, dũ in noſtra ſunt poteſtate remedia. Hic extinguamus mortẽ moriendo peccatis, hic uitã uitę meritis acquiramus, præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & imperium cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Feria tertia poſt primã dominicam in quadra-
C geſima, de beato Abraham: Sermo I

Ser. LXVIII C REDIDIT Abraham deo, & deputatũ eſt illi ad iuſtitiã. Ecce ſine opere iuſtifi-
Gen. 15 cat̃ ex fide, & quicquid illi legali poſſet obſeruatione cõferri, totum credulitas ſola donauit. Ipſe ſibi fuerat lex qui legem non acceperat, natura tamen quicquid legis fuerat obſeruabat. Abrahã pater noſter radicẽ fidei nominiſq; Chriſtiani habebat, qui cũ ex proprietate genuina ad incerta atq; peregrina iuberet̃ exire, tota deuotione compleuit: Cui in re tam dura nulla dubitatio fuit, ſed ſententiam dei tãquam qui optare uidetur accepit. Exi, inquit dominus, de terra tua, & de cognatione tua, & ueni in terrã quam demõſtrauero tibi. Nouũ probationis genus, habenti pro-
D pria, exilia indicere peregrina, ingerere laborem itineris quieſcenti, imperare penuriam poſſidẽti, & tantarum facultatum domino neceſſitatem imponere peregrinandi. Libenter tamen fides accepit, quicquid arduum uidebatur incredulis. Cui nõ eſt magis dulce proprium tugurium quam palatia peregrina, & uoluntaria caſa quàm digeſta prætoria? Leue cuiquam non eſt, dimittere propria & ſectari aliena incerta, dimittere quod ſcias, quęrere quod ignoras. Quis em̃ ,ppria ſine dolore deſeruit, aut ſine lachrymis dereliquit? Cui nõ eſt durũ illos conſcios nataliũ parietes, dulcia illa liminа atq; amabilẽ larem, quẽ & parentũ memoria, & ipſius infantiæ rudimẽta cõmendãt: ubi cunabula illa noui & mox orientis hominis famulabantur, ubi ſecura alludens infantia inter lucis primordia

mordia,aut pueriles anni simplicitate fœlices, q̃s sibi inter lasciuos atque ipsius ætatis lusus uernaculo genuina solo necessitas exhibebat? Inter hęc ergo tam blanda,tam dulcia quæ omni fuerāt difficultate relinquēda: Exi ait de terra tua. Quis hoc sine fidei uiribus libenter audiret? Leuius probaretur,si uel nomē loci quò perrexisset audiret. Proficiscit̃, pergit,socia scilicet credulitate,cōiuge comite it securus,it fretus,promissum sibi fidei laboribus exacturus,plus sperans de incerto q̃ fuerat securus de ꝓprio. It ergo per desertas solitudines, per inuias sedes,ꝑ naturę secreta,ubi hominis uestigium necdum rudis terra cognouerat: & inter illa oĩa quę dei imperio dereliquerat,nō tuguriū, non casam, sed inter ipsa camporum silescentium formidolosa secreta hospes tātummodo cœli terræq; nullū suffugium quò diuerteret inueniebat. Excepit tamē Abraham peregrinū quercus arbor humana,quæ uenięntem Abraham atq; æstiuo sole decoctū amœnitatis suę umbraculo refoueret: cuius syluescentis nemoris comata luxuries,in æstiuum tēpus diem & urentis solis uaporiferos radios ramorum frequētia suspēdebat, ut quicquid iniuria temporis irrogabat, oĩe auferret & ramorum & foliorum densitas. Ingreditur ergo lucū arboris Abraham,sub qua cōstruitur qualecunque suffugium, angustum quidē homini,sed sufficiēs maiestati. Dignū tamē deo palatium fides deuota pingebat,in quo fuisset maiestas superna pransura. Cum ergo illic positus curiosis oculis cœlum intentaret, ecce subito in triū uirorū persona maiestas incorporea descēdit. Accurrit,properat,manus supplices tendit,& transeuntiū genua osculatur, Domine,ait,si inueni gratiā corā te,ne transieris puerū tuū. Videtis, Abrahā tribus occurrit,& unum adorat. Trina unitas,& una trinitas. Sumatur aqua,lauent̃ pedes uestri,& refrigerate sub arbore ista,& afferā panem & māducabitis,& postea trāsibitis in uiam uestrā. Et dixerūt ei, Fac ut dixisti. Seruat semper in bonis tenorem sui perfecta iustitia, offert peregrinis hospitiū qui nō habet tectū: & cū sit omni domicilio uiduatus, domiciliū quale necessitas ꝓcurabat,exhibuit trāseuntibus. Et licet illa minora fuerint quę offerebant̃,locorū angustijs magnitudinē dederat fides,quę contēni non meruit à deo. Diuertunt ad arboris hospitiū, quod Abrahā deo iam fecerat dignum. Interea cōspergit̃ similago,fiunt encryphiæ,mactatur & uitulus. Et si illis diuinitas nō eguit,iustitia tamē q̃d optabat impendit. Ecce ad humanam mēsam cœlestis sublimitas recumbebat,cibus capitur,prāsitatur & cōtubernali colloquio inter hominem & deū familiaria uerba miscent̃. Et quia apud deum infructuosa hospitalitas esse nō potuit,statim precium mercedis accepit. Datur filius seni,datur posteritas desperāti, accepit senectus quod minime Gen.18 potuit habere iuuētus. Ad hoc,inquit,tempus ueniā,& erit Sarę filius. Cumq; seniles anni, & emortua Saræ uiscera hoc posse fieri denegarent,dedit tamē diuinæ promissioni credulitas fidem. Patrē, Gen.17 inquit,multarum gentium posui te. Repletus est bonis,quia quod ei promisit impleuit. Ecce in ipso margine senectutis,nōdum prolatis legib. recitatisq;, asserimus Abrahā quòd fuerat religiosus, & qui fuerat in cultura iustior, fuerit in credulitate ꝓbatior. Ecce eñ senex ille maritus, q adhuc unum non habebat,in uno tamē deus innumerabiles promittebat. Ecce exhaustis uisceribus dixit deus ad Abraham, Suspice in cœlum, & numera Gen.15 stellas,sic erit semen tuū. Et credidit Abrahā deo, & deputatum est illi ad iustitiam. Defecerūt Saræ uenire muliebria, quia iam lassa defecerāt mēbra. Totum corpus sulcatur in rugas, fit perarata fronte,& exhausta senectute. Deficiēte sanguine in uenis tristis senectus delassat̃, sed diuino iudicio ætatis feruor accenditur. Meliorem facit diuina promissio matrem,quā ętas non fecerat generare. Accepit genitrix nomen, quod ei sterilitas temporis subtraxerat. Longè deficiētibus mēbris Isaac concipitur,subito inanes ac marcescētes uenę rediuiuo sanguine ferbuerūt,& emortua seni uiscera calefacto sanguine uaporata,usq; ad partum inquilinis sunt caloribus animata. Iuuenilis ętas incaluit, & calefacto sanguine uaporauit. Fit anus fœta,fit senex grauida, crescit uenter per dies singulos, & conualescente partu,tumescētis uteri capax sinus extendit̃. Fit sarcina,& desideratus affectus ex uisceribus lassis, onus nimium exoptata posteritas. Portabat uterū grauē talis mater, quæ inanis ambulare uix posset. Sed quia credulitatis fuerāt quę acceperat,defecta uiscera fides ualidior animabat. Marcidę mammæ,quas in uacuos folles subducti succi detrimēta laxauerant, lactei fontis ubertate tendūt̃. Fit mater in pectore,fit mater in partu,fit, inquam,mater, quæ auia fuerat per ætatē. Dedit fides uetustis nouos uiscerib. ignes. Sic Isaac credulitate nascitur,ut eorum fides in progenie enarretur in secula, Amen.

Feria quarta post primā dominicā in quadragesima,de ieiunio,cataclysmo & arca Noe. Ser. I Ser.LXIX

HOS sanctæ quadragesimæ dies fratres charissimi debemus omni cum ueneratione suscipere, nec lōgiorem numerum huius temporis fastidire,quia quanto plures dies sunt ieiunij,tanto melior est causa remedij. Quanto prolixior abstinentię cursus, tāto redēptio copiosior est salutis. Quanto austerior cura uulnerum, tāto medicina est salubrior peccatorum. Deus eñ qui est nostrarum medicus animarum, cōgruens tempus instituit, quod & iustis satis sit ad adorādum, & peccatoribus sufficiat ad rogandum. Illi requiem postulantes,hi ueniam deprecantes. Congruens enim tempus est quadragesimę,nec breue est ad exorandum, nec longum est ad promerēdum. Quadraginta eñ dierum ieiunijs, quæuis iniquitas peccatoris exorari potest, & quātauis seueritas iudicis mitigari. Illi lōgum & fastidiosum forte sit tēpus,q nec orat de culpa,nec sperat de uenia. Desperatio eñ nec confiteri de scelere,nec indulgentiam nouit sperare de iudice. Sanctus igit̃ & salutaris quadragesimæ cursus est, quo adducitur ad misericordiā peccator per pœnitentiam iustus ad

requiem. His enim diebus solito amplius & diuinitas miseret̃, & delinquentia deprecatur, & iustitia promeretur. Patent enim omnia,& cœli ad indulgentiam,& peccator ad confitendū, & lingua ad postulandum. Salutaris,inquam, & mysticus est quadragenarius numerus. Nam primum cum Gen.7 mundi faciem iniquitas hominum possideret, tot dierum curriculo deus effusis de cœlo imbribus, uniuersam terram diluuio superfudit. Vides ergo iam illo tempore mysterium in figura dispositum. Nam sicut tunc quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum: quanquam & illius temporis diluuium misericordia dicenda est,quo iniquitas oppressa est, & iustitia cōseruata. Pro misericordia enim factum est, ut & iusti euaderent,& iniqui amplius non peccarēt. Pro misericordia planè uidimus illud fuisse diluuium, quo ueluti baptismo quodā totius est mūdi facies innouata: scilicet ut qui perditorū hominū scelere sordebat ad crimina,beati Noe habitatione floreret ad gratiā, & qui iniquitatis erat purgatoriū tunc,modo fieret domiciliū sanctitatis. Diluuiū inquam illud,huius nostri fuit similitudo baptismatis. Hoc enim tunc gestum est,quod nunc agitur,hoc est,ut exuberantibus aquarū fontibus periclitarentur uitia,iustitia sola regnaret,mergerentur in ꝓfundū peccata, sanctitas uicina cœlo portaretur. Modo enim,sicut dixi,hoc quod nūc agitur in ecclesia Christi,sicut Noe arca submersis omnibus uitijs peccatorū,in baptismatis fonte cœlo uicina portatur ecclesia: & deletis omniū superstitionib. idolorū,fides regnat in terris,quę de saluatoris arca procedit. Sanctum ergo & sacratum quadragesimę tēpus est,quod statim ab initio cœpit inter iustos & iniustos discernere,bonos à malis quodam iudicio separare. Quod quidem similiter fieri etiā in hac nostra quadragesimæ obseruatione perspicimus. Nā per hos quadraginta dies separātur mali à bonis,hoc est luxuriosus à casto, à ieiuno intemperans,à Christiano gentilis. Separatur,inquam,malus à bono,hoc est,peccator à iusto,diabolus à sancto,hæreticus à fideli. Relictis enim his omnibus ad similitudinem diluuij tanquam in naufragio seculi, sola ad instar arcæ illius in altum cum suis uirtutibus eleuatur ecclesia. Nā & nos etsi peccatores,ad imitationem sancti Noe annunciamus uobis mundi futurū esse excidium, & illos tantummodo dicimus periculis euasuros, quos triplex arca intra se gremio religionis incluserit. Triplex enim arca est ecclesia, quæ trinitatis continet sacramentum. Nam cum dicit scriptura, Gen.6 Bicameratam & tricameratam eam fuisse,utiq; demonstrat tripliciter diuinitatis illam gratiā esse distinctā. Annunciamus igitur sicut Noe mundi futurum esse naufragium, & ad hanc domum confugere omnes homines admonemus, Et sicut Noe filios suos in arca recepit, ita & nos filios nostros optemus in ista arca suscipere. Quisquis eñ in hac domo uult habitare nobiscū,noster est filius. Sed dicit aliquis,sancti Noe prędicationis uocē in scripturis minime esse descriptā. Audi igitur: Noe & si tacebat uoce, opere loquebatur, silebat lingua, fabricatione clamabat. Nam utiq; cum operaretur opus nouum,& nulli aliquando compertum, admonebat cūctos nouis periculis, noua tabernacula pręparari. Loquebat̃ ergo opere,& dicebat illud euangelicū domini dictum, Si mihi non cre- Ioan.10 ditis,operibus credite, & credēdo periculum euadere poteritis: præstante domino nostro Iesu Christo,qui uiuit & regnat cum patre et spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Item eodem die de ieiunio alius sermo factus ad fratres in eremo,qui inter sermones ad eosdem habetur XXV.

Item eodē die Homilia de Euangelio diei,quę habetur de quęstionibus Euangeliorum libro primo,capite 7.& 8.Tom.4.

Feria quinta post primam dominicam in quadragesima, de tribus uiris qui beato Abrahæ apparuerunt. Sermo I SERMO LXX

FREQVENTER admonui charitatē uestram fratres dilectissimi,ut his lectionib. quæ diebus istis in ecclesia recitātur,non hoc tantū attendere debeamus quod ex litera sonare cognoscimus, sed remoto uelamine literę,uiuificātem spiritum fideliter requiramus. Sic enim dicit Apostolus, Litera occidit,spiritus autem ui- 2.Cor.13 uificat. Deniq; infelices Iudæi, & plus infelices hæretici, dum solum literæ aspiciunt sonum,quasi corpus sine anima,ita sine uiuificāte spiritu mortui remanserunt. Nos audiamus Apostolum dicentem, Quia hæc omnia in figura contingebāt 1.Cor.10. illis,scripta sunt autem propter nos. Videamus ergo quid sit, quod modo cum diuina lectio legeretur audiuimus. Visus est,inquit, deus Abrahæ, cū Gen.18 sederet ad ostium tabernaculi sui ad ilicem Mambrę, Ecce,inquit,tres uiri astiterunt super eum, & exijt in occursum eius. Attendite fratres & uidete qualiter deus apparuit Abrahæ,& qualiter apparuit Loth. Ad Abraham tres ueniunt,& stāt su- Gen.29. per eum,ad Loth duo ueniūt, & sedent in platea. Videte fratres,si non dispensatione sancti spiritus pro meritis res geruntur. Etenim Loth lōge inferior erat Abrahā. Nisi enim inferior fuisset,à beato Abraham separari non meruisset,nec ei Sodomorū habitatio placuisset. Veniunt ergo ad Abraham tres uiri in meridie,uenerunt ad Loth duo,& uespere ueniūt: Nō eñ sustinebat meridianę lucis magnitudinem Loth, Abraham uero poterat plenum fulgorem lucis excipere. Nūc uideamus qualiter Abraham,& qualiter Loth susceperunt uenientes. Præsumpsit Abraham, & occurrit obuiam eis,& cum occurrisset, festinat ad tabernaculum, & dicit ad uxorem suā, Festina,inquit,& consperge tres mensuras similaginis, & fac subcinericios panes,q̃ Gręce encryphias dicit̃,occultos uidelicet & absconditos indicans panes. Ipse autem Abraham ad armentū cucurrit, & accepit uitulum. Qualem uitulū? Forte qui potuit primus occurrere: non ita est,sed uitulum bonum & tenerum. Tulit ergo uitulū,& dedit puero, Puer,inquit,festina

facere eum. Videte fratres, attendite quàm feruen
ti animo hospites debeatis excipere. Ecce ipse A
braham currit, uxor festinat, puer accelerat. Nul
lus est piger in domo sapientis. Ecce æqualia sunt
Abrahæ & Saræ hospitalitatis officia. Loth uero
excepit quidem, sed duos tantum, & non integrã
trinitatem, nec in meridie, sed ad uesperũ. Et quid
eis apposuit? Coxit, inquit, azyma, & comederũt.
Et quia meritis multo inferior erat Abraham, nec
uitulum saginatum habuit, nec in tribus mensuris
similaginis, mysterium trinitatis agnouit: Atta-
mẽ quia uel hoc quod potuit benigno animo ob-
tulit, de perditione Sodomorũ liberari promeru-
it. Attendite fratres, quia etiam & Loth dum ho-
spites non repellit, angelos excipere meruit. Ecce
hospitalem domũ angeli ingrediuntur, clausæ ho
B spitibus domus flammis sulphureis cõcremantur.
Venerunt ergo tres uiri ad Abraham, & steterunt
super eũ. Hoc ipsum uidete, quare sit quod super
eum ueniunt, non cõtra eum. Subiecerat se uolun
tati dei, & ideo super eum stare dicitur deus. Asti-
terunt, inquit, super eum, non cõtra eum ad repel-
lendum, sed super eum ad protegendum. Tres ui-
ros suscepit, trib. mensuris panes apponit. Quare
hoc fratres, nisi quia mysterium trinitatis intelli-
git? Apponit & uitulum, qui uitulus non est du-
rus, sed tener. Et quid tam tenerũ, quid tam bonũ,
q̃ est ille qui se pro nobis humiliauit usq; ad mor-
tem? Ipse est ille uitulus saginatus, quem pro rece
Ioan.3 pto pœnitẽti filio iugulat pater. Sic em̃ dilexit de
us mundum, ut filium suũ unigenitum daret. Tri-
bus ergo occurrit Abrahã, & unum adorat. In eo
autem quod tres uidit, sicut iam dictum est, trinita
tis mysteriũ intellexit, Quod aũt quasi unum ado-
rauit, in tribus personis unũ deum esse cognouit.
ad unum loquitur dicẽs, Declina ad puerũ tuum.
Addit etiam, quasi ad homines loquens, Accipi-
am, inquit, aquam, & lauentur pedes uestri. Disci-
te fratres à beato Abrahã, hospites libenter exci-
pere, pedes eorum cum humilitate & pietate laua
re. Lauate, inquã, sanctorũ peregrinantiũ pedes,
ne forte in illis remaneat puluis, quẽ ad iudicium
uestrum possint de pedibus suis excutere. Sic em̃
in Euãgelio dixit, Qui non susceperit uos, exeun-
tes excutite puluerem de pedibus uestris. Amen
dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in
D die iudicij, quàm illi ciuitati. Hoc ergo præuide-
bat in spiritu Abraham, & ideo uolebat præueni-
re & lauare pedes, ne qd forte pulueris resideret,
quod ad testimoniũ incredulitatis excussum pos-
set in die iudicij reseruari. Propterea ergo dicit sa-
piens Abraham, Accipiam aquam, & lauentur pe
des uestri. Diligenter hęc audite fratres, qui hospi
talitatem exercere non uultis, qui hospitem uelut
hostem excipitis. Ecce beatus Abraham dum ho-
mines feruẽter exciperet, ipsum deũ suscipere ho-
spitalitatis contẽplatione promeruit. Hoc etiã in
Matth.25 Euãgelio Christus cõfirmauit, dicẽs, Hospes fui,
& suscepistis me. Nolite ergo negligere peregri-
nos, ne forte quẽ non excepistis, ipse sit Christus.
Vbi tamen factum sit hoc? Ad ilicem Mambre q̃

in Latina lingua interpretatur uisio, siue perspica-
cia. Vides qualis sit locus in quo dominus potest
habere conuiuium? Delectauit enim eum uisio et
perspicacia Abrahæ. Erat enim mundus corde, ut
posset deum uidere. In tali ergo loco, & in tali cor
de, potest dominus habere conuiuium. De ista ui-
sione dominus in Euangelio locutus est ad Iudæ-
os, dicẽs: Abraham exultauit ut uideret diem me- Ioan.8
um, uidit & gauisus est. Diem, inquit, meũ uidit,
quia mysterium trinitatis agnouit. Vidit patrẽ di-
em, filium diem, spiritũ sanctum diem, & in his tri
bus unum diem: sicut & pater deus, & filius deus,
& spiritus sanctus deus, & hi tres unus deus. Nam
& singulatim singulę quęq; personę plenus deus,
& totę tres simul unus deus. Nã & illis tribus men
B suris similaginis, propter unitatem substantię non
incongrue pater & filius & spiritus sanctus intelli
gitur. Quod tamen & alio modo potest accipi, ut
Saram intelligamus Ecclesiam, tres mẽsuras simi-
laginis, fidem, spem & charitatem. In his enim tri-
bus uirtutibus, uniuersæ fructus continẽtur eccle
siæ. Qui hæc tria in se meruerit habere, securus po
test ad conuiuium cordis sui totam trinitatem ex-
cipere. Post hæc dixit dominus ad Abraham. Cla Gen.18
mor Sodomorum & Gomorrhæ ascendit ad me,
descẽdi ergo ut uiderem, si sermo qui uenit ad me
opere compleatur, an nõ est ita, ut sciam. Hęc scri-
pturæ sunt uerba, uideamus quid in his intelligi di
gnum sit. Descendi, inquit, ut uiderem. Quando
ad Abraham responsa redduntur, non dicitur de-
C scendere deus, sed supra ipsum adstare: nũc autem
quia peccatorum causa agitur, descendere dicitur
deus. Vide ne ascensionem & descẽsionem loca-
lem sentias. Indignum est hoc de incorporea, &
ubiq; tota sentire substantia. Sed descendere dicit
deus, quando curam humanæ fragilitatis habere
dignatur. Quod specialius de domino ac saluato-
re nostro sentire debemus, qui semetipsum exina
niuit, serui formam accipiens. Sed uideamus quid
est quod dicit, descendi ut uidere, utrũ sermo qui
ad me puenit opere cõpletus sit, an non est ita, ut
sciam. Solent enim nos hinc impugnare Pagani,
& maxime immũdissimi Manichæi dicẽtes, Ecce
nesciebat deus legis, quid ageretur in Sodomis.
Nos em̃ sano intellectu respondemus & dicimus,
D quod aliter dicit deus nosse iustos, aliter nouerit
peccatores. Deniq; de iustis quid dicitur? Nouit 2. Tim.2
dominus qui sunt eius. De peccatoribus quid dici
tur? Discedite à me omnes qui operamini iniqui- Matth. 7
tatẽ, qa non noui uos. Et iterũ Paulus Aposto
lus, Si quis est domini, intelliget quę dico: quia au 1 Cor.14
tem ignorat, ignorabitur. Quid est ergo, Nescio?
non noui uos, non uos agnosco in regula mea, nõ
in uobis recognosco imaginẽ meã. Cognouit in
uobis iustitia mea q̃d puniat, & non cognoscit mi
sericordia q̃d coronet: ac si quorum actus indigni
deo sunt, indigni etiã notitia dei dicunt. Descẽdi
ergo ut uideam, non ut ego quid agunt sciam, sed
ut ipsos scientia mea dignos efficiã, si quos ipsorũ
inueniam iustos, si quos inueniam pœnitentes, si
quos tales quos debeam scire. Deniq; quia nullus
qui

qui pœniteret, nullus qui conuerteretur inuentus
est præter Loth, ipse solus cognoscitur, ipse solus A
de incendio liberatur. Nos uero fratres demus o-
peram, & tales esse cum dei adiutorio laboremus,
ut digni habeamur notitia dei, ut nos & agnosce-
re dignetur & scire, præstante domino nostro Ie-
su Christo, & cætera.

Itẽ eodẽ die alius sermo factus ad fratres in ere-
mo, q̃ inter sermones ad eosdẽ habetur XLVI

Item eodẽ die Homilia de eo quod scriptũ est
in Euãgelio secundũ Ioannẽ, Dicebat Iesus ad eos
qui crediderunt ex Iudæis &c. quæ habetur in ex
positione doctoris, ibidem Tom. 9. col. 301.

Item eodẽ die alia Homilia de eodẽ, quæ habe-
tur inter sermones de uerbis domini, XLIII

Feria sexta post primam dominicã in quadra- B
gesima, De immolatione Isaac: Sermo I

SERMO LXXI

LECTIO illa fratres charissimi, in qua be-
L atus Abraham Isaac filium suum in holo
caustũ legit obtulisse, ideo in ordine sto
diebus quadragesimæ non recitatur, quia sicut ip-
si nostis, in uigiliis Paschæ propter sacramentum
dominicæ passionis reseruatur. Et quia tunc non
est in spatio, ut de ista possit aliquid dici, nunc si ui
detur, expositionem eius secundum quod eam pa
tres nostri inspirante domino tractauerunt, chari-
tatis uestræ auribus, quantum possumus breuiter
Gen. 22 intimemus. Dixit ergo dominus ad Abrahã, Tol-
le filium tuũ quem diligis Isaac, & offeres eum mi
hi in holocaustũ super unum montiũ quem mon-
strauero tibi. At ille surgens strauit asinam, & tu-
C lit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & per
uenit ad locum quem ei ostenderat dominus, die
tertia. Abraham enim quando Isaac filium suum
obtulit, typum habuit dei patris, Isaac uero typũ
gessit domini saluatoris. Quod autẽ ad locum im
molationis die tertia peruenitur, mysterium trini-
tatis intelligitur. Nam quod dies tertius in sacra-
mẽto uel mysterio accipi debeat trinitatis, frequẽ-
ter in uoluminibus sacris inuenitur, sicut in exo-
Exod. 5 do: Viam, inquit, trium dierum ibimus in deser-
tum. Et iterum quando ad montem Sina uentum
Exodi 19 est, dictum est populo, Sanctificamini & estote pa
ratiin diem tertium. Et Iosue transiturus Iorda-
nem, ut in die tertia populus paratus sit admonu-
Matth.28 it. Et dominus die tertio resurrexit. Hoc ideo dixi
D mus, quia beatus Abraham die tertio uenit ad lo-
cum, quẽ ei ostenderat dominus. Duo pueri quos
cum asina Abraham remanere iussit, typum ha-
bueruut populi Iudęorũ, qui pro eo quod in Chri
sto non erant credituri, ideo ad locum ubi immo-
landus erat, ascendere uel peruenire nõ poterant.
Asina illa significauit synagogã, aries uero ille qui
inter spinas cornibus tenebatur, & ipse typum do
mini habuisse uidetur. Nam & Christus quasi cor
nibus inter spinas hærebat, quando ad crucis cor
nua clauorum confixione pendebat. Quod uero
Isaac ipse sibi ad immolandum ligna detulit, & in
hoc Christum dominum figurauit, qui ad locum
passionis crucem suã ipse portauit. De quo myste
rio multo antè dictũ fuerat per Prophetam, Et e-

rit, inquit, principatus eius super humerum eius. Isa.9
Tũc enim Christus principatum super humerum
eius habuit, quãdo crucem suã admirabili humili-
tate portauit. Non incongrue crux Christi signifi-
cat principatum, Nam per ipsam & diabolus uin-
citur, & totus mundus ad Christi notitiam uel gra
tiam reuocatur. Deniq; sic & Paulus dicit, cum de
passione domini loqueretur, Factus, inquit, obe- Philip.2
diens patri usq; ad mortẽ, mortem aũt crucis: pro
pter quod & deus illum exaltauit, & donauit illi
nomẽ quod est super omne nomẽ. Hoc ideo dixi
mus fratres, ut agnosceret charitas uestra qd̃ prin
cipatus Christi, de quo scriptũ est, Et erit princi-
patus super humerũ eius: non sit aliud nisi crux e-
ius: & ideo lectio ipsa in Pascha legitur, quãdo Isa
ac uerus, cuius typũ gerebat filius Abrahę, pro ge
nere humano patibulo crucis affigit. Legit etiã
in ipsa lectione, quod ueniens beatus Abraham
cum filio suo, uiderit locum à longe, & dixerit ad
pueros, Sedete hic cum asina, ego & puer profici
scemur, & cũ adorauerimus, reuertemur ad uos.
Quare pueris qui figuram habuerunt Iudæorum
dicitur, Sedete hic cum asina? Nonne asinã illam
sedere fecit fratres charissimi? Sed ideo dicitur, Se
dete cum asina, quia Iudęorũ populus qui in Chri
stum crediturus non erat, stare non poterat, sed ut
debilis, & uelut peccator languidus qui baculum
crucis despexerat, in terram casurus erat. Dixit er-
go Abraham beatus, Sedete hic cum asina, ego &
puer proficiscemur, et cum adorauerimus reuerte
mur ad uos. Quid est quod dicis beate Abraham?
C Ad immolandũ filium uadis, & dicis cum filio re-
uerteris? Si eum in holocaustũ obtuleris, utiq; te-
cum redire non poterit. Potuit respondere beatus
Abraham, Verum dico & offero filiũ, & cum filio
reuertar ad uos. Tanta est fides mea, ut credã qd̃
ille q mihi eũ de matris sterilis utero dignatus est
dare, possit etiã eũ mortuũ suscitare: & ideo uerũ
dico, quia cum adorauerimus reuertemur ad uos.
Quòd aũt aries occisus est, & Isaac nõ est occisus,
ideo factũ est, qa Isaac figura & ueritas nõ erat, in
ipso designatũ est qd̃ postea in Christo cõpletum
est. Videte deũ cũ hominibus magna pietate cer-
tantem. Abraham mortalẽ filiũ non moriturũ ob-
tulit deo, & deus immortalem filium pro homini
D bus tradidit morti. Potest tamen & de beato Isaac,
& de illo ariete etiam sic intelligi, ut in beato Isaac
significata sit diuinitas, in ariete humanitas Chri-
sti. Et quia in passione non diuinitas crucifixa cre
ditur, ideo non Isaac, sed aries immolatur. Dei em̃
filius uel unigenitus offertur, et uirginis primoge
nitus immolatur. Audite aliud sacramentũ fratres
charissimi. Hieronymus presbyter scripsit ab anti
quis & senioribus Iudæis se certissime cognouis-
se, quòd ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Chri-
stus crucifixus est. Deniq; ab eo loco unde beatus
Abraham iussus est proficisci, tertio die ad locum
ubi Christus crucifixus est peruenitur. Etiam hoc
antiquorum relatione refertur, quod et Adam pri
mus homo in ipso loco ubi crux fixa est, fuerit ali-
quando sepultus, & ideo caluarię locũ dictũ esse,
quia

quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et uere fratres non incongrue creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi iacebat ægrotus. Et dignum erat ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia: & sanguis ille preciosus etiam corporaliter puluerẽ antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. Hæc enim fratres charissimi secundum quod potuimus, è diuersis scripturarum uoluminibus, p̃ animæ nostræ profectu collegimus, & charitatis cõtemplatione suggessimus. Vos uero, auxiliante domino, dum frequẽtius scripturas diuinas relegitis, si diligenter attenditis, credo q̃d etiam meliorem expositionem inuenire possitis. Rogo uos fratres, ut quicunq; aut filium, aut uernaculum suum baptizari desiderat, iam nũc eum ecclesiæ offerre non differat: quia non est iustum ut res quæ tam magna, tam præclara creditur, negligenter aut tardius quàm expedit requiratur. Timeo enim ne aliquæ mulieres ideo tardius infantulos suos offerant, quia cum ipsis ad uigilias uenire dissimulant. Certissime enim credimus quod qui statim, incipiente quadragesima, eos q̃ baptizandi sunt offerre uoluerint, & cum ipsis ad uigilias feliciter uenerint, & filij eorum legitimo ordine accipient baptismi sacramentum, & ipsi acquirent indulgentiam peccatorum, præstante domino nostro Iesu Christo &c.

In eadem feria de tentatione Abrahę à deo

Sermo II

A SERMO LXXII.

NOTISSIMA pietas patris nostri Abrahæ reddita est nobis in memoriam per recentem lectionem: et est quidem ita mirabile, ut nullũ cor arbitrandum sit tam obliuiosum ut inde aliquãdo elabi possit, Veruntamẽ nescio quomodo quotiscunque legitur, quasi tunc fiat, ita afficit mentes audientiũ. Magna fides, magna pietas, nõ solum in deum, sed etiam in ipsum unicum filium, cui nihil mali credidit esse pater, quicquid de illo iusserat qui creauit. Pater enim filij sui erat Abraham secundũ operationem carnis, non autem creator & conditor secundũ operationem maiestatis. Et quidem sicut dicit Apostolus, non secundum carnem natus est Isaac Abrahæ sed ex promissione: non quia cum carne non erat operatus, sed quia de summa eum desperatione suscepe rat. Et nisi adesset promittẽs deus, nihil iam senex de uisceribus aniculę cõiugis sperare audebat posteritatis. Sed credidit nasciturum, & non plangit moriturũ. Eius dextera eligitur ad sacrificium ut moreretur, cuius cor erectum est ad fidem ut nasceretur. Non trepidauit Abraham credere quando promittebatur, non trepidauit offerre quando exigebatur, nec fuit religio credentis cõtraria deuotioni obtemperantis. Hoc dico, non quòd sibi dixit Abraham, Deus mihi locutus est quãdo promisit filium. Credidi quod mihi daturus esset deus posteritatem. Et qualem posteritatem? Vt diceret mihi, In Isaac uocabitur tibi semen. Et ne forte sic uocaretur mihi semen in Isaac, ut ante me meus filius moreretur, In semine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes. Ipse ergo mihi loquens promisit filium, & ipse exigit ut occidam? Non fecit sibi quæstionem quasi de contrarijs & sibi aduersantibus uerbis dei, promittentis filium nasciturum, & postea dicentis. Occide mihi filium tuum: sed erat in corde eius semper fides incõcussa, & nullo modo deficiens. Cogitauit enim Abraham, deum qui dedit ut ille de senibus nasceretur qui non erat, posse etiã de morte reparare. Amplius est eẽ quod iam fecerat deus, cum qui non erat post tantam desperationem uidebat sibi datum filiũ, & si humanam infirmitatem cõsulas, impossibile. Adiecit itaq; animũ ad fidẽ, non credidit aliquid impossibile esse creatori, qui quemadmodum crediderat, filiũ suscepit. Credidit postea iubenti deo, iam in se suscepto filio probauerat deum. Credidit suscepturus filium, credidit occisurus. Vbiq; fidelis, nusquam crudelis. Omnino perduxit filiũ ad locum uictimæ, armauit etiam dexteram cultro. Attendis quis feriat, & quem feriat, attende quis iubeat. Pius ergo Abraham obtemperãdo, Quid deus in iubendo? Nónne forte infirmis, nõ dicam sacrilegis animis ipse displiceat qui iubeat? Sed si placet qui obtemperabat, quomodo displicet qui iubebat? Quia si Abraham bene fecit obtẽperando, multo melius & lõge melius incõparabili modo deus in iubendo. Fortasse sacramentũ quærit. Non enim frustra hoc deus iuberet, aut carnaliter accipiẽdum est, quod lectum fortasse nonnullorum minus intelligentiũ corda commouit. Tentauit, inq̃t, deus Abrahã. Sic ergo ignarus est deus rerũ, sic nescius cordis humani, ut tentando hominem inueniat? Absit, Sed ut ipse homo se inueniat. Primo itaq; fratres propter illos qui aduersantur legis ueteris scripturæ sanctæ, quia nonnulli non intelligẽtes citius uolũt exagitare quod non intelligunt, quàm quærere ut intelligant, & non sunt humiles inquisitores, sed superbi calumniatores: Propter hos ergo qui Euangelium uolũt accipere, et legem ueterẽ respuere, putantes in uia dei posse se esse, & recte uno pede ambulare, quoniã non sunt scribę eruditi in regno dei qui proferunt de thesauro suo noua & uetera, Propter hos ergo tales, ne qui forte hic lateant, aut & si hic non sunt habeant qui assunt, quid talibus respondeant, breuiter soluẽda est ista quæstio. Dicimus talibus, Euangelium accipitis, legem non accipitis, Nos aũt dicimus, eundẽ esse Euãgelij misericordissimum largitorem, qui extitit etiam legis terribilis lator. Lege eẽ terruit, Euãgelio cõuersos sanauit, quos ut conuerteret lege terruerat. Imperator dedit legem, & multa cõmissa sunt cõtra legem. Lex quã dedit imperator, nõ nouerat nisi punire peccãtes. Restabat ergo ut ad soluẽda delicta eorũ ipse cũ indulgentia ueniret qui legẽ præmiserat. Sed q̃d dicit peruersum cor, quia dicit se accipere Euãgeliũ, legẽ uero respuere? Quare respuit? Quia scriptum est, inquit, Tentauit deus Abrahã. Ego deũ colã qui tentat? Christũ cole, quẽ habes in Euãgelio. Ipse reuocat te ad intelligẽdam legẽ. Sed quia non transierunt ad Christum, in suo phantasmate remanserunt

remanserunt. Non enim colunt Christum qualis prædicatur ex Euãgelio, sed qualem ipsi sibi finxerunt, Propterea super uelamẽ stultitiæ suæ naturalis, addunt alterũ uelamen peruersæ opinionis: Et quando per duplex uelamen poterit uideri quod lucet in Euangelio? Displicet tibi tentans deus, displiceat tibi tentãs Christus. Sed cũ placuerit tibi tentans Christus, placeat tibi tẽtans deus. Et Christus enim filius dei deus, & cum patre Christus unus deus. Vbi igit̃ legimus tentantẽ Christum? Euangelium loquitur. Ait eẽ Philippo, Habentes panes, date illis manducare. Et sequitur Euangelista, Hoc aũt dicebat, tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus, Refer nunc animum ad deum tentantẽ Abrahã. Hoc enim dicebat & deus, tentans Abraham, Ipse eẽ sciebat quid esset facturus. Agnoscitur tentator deus, agnoscitur tẽtator Christus, corrigatur tentator hæreticus. Non eẽ sic tentat hæreticus, quomodo tentat deus. Deus enim tentat ut aperiat homini, Hæreticus tẽtat, ut deũ sibi claudat. Ergo nouerit charitas uestra tentationẽ dei nõ id agere, ut ipse aliquid cognoscat quod ante nesciebat, sed ut illo tentante, id est, interrogãte, quod est in homine occultũ prodatur. Non enim sibi homo ita notus est ut creatori. Nec sic æger sibi notus est ut medico. Aegrotat homo, ipse patit̃, medicus non patitur, & ab illo qui non patitur expectat audire q̃ patitur. Ideo in Psalmo clamat homo, Ab occultis meis munda me dñe: quia sunt in homine occulta ipsi homini in quo sunt, & non procedunt, neq; aperiuntur neq; inueniuntur, nisi in tentationibus. Sed deus cessat tentare, magister cessat docere. Sed deus tẽtat ut doceat, diabolus tẽtat ut decipiat. Cui tamẽ nisi ille q̃ tentãt dederit locum, inanis & irridendus repelitur. Ideo Apostolus, Neq; detis, ait, locum diabolo, Dant autem locum homines diabolo ex cõcupiscentijs suis. Non enim uident diabolum homines cum quo pugnant, sed facile habent remediũ. Seipsos interius uincãt, & de illo foris triũphant. Quare hoc diximus? Quia nescit se homo, nisi in tentatione discat se. Cum aũt didicerit se, nõ se negligat. Si eẽ se negligebat latentẽ, nõ se negligat notũ sibi. Quid ergo dicimus fratres? Et si sciebat se Abraham, nos non noueramus Abraham. Aut sibi, aut certe nobis, prodendus erat. Sibi, ut sciret unde gratias ageret. Nobis, ut sciremus uel quid à domino deprecaremur, uel quid in homine imitaremur. Quid ergo nos docet Abraham? Vt breuiter dicam, ut deo nõ præponamus quod dat deus: interim ad literam rerum gestarum antequam tractetur latebra sacramenti, id est, quid lateat in hoc mysterio, quo iussus est Abrahã occidere unicum filiũ. Ergo nec illud quod tibi p̃ magno præstat deus, præponas illi q̃ præstitit. Et cũ uoluerit tibi subtrahere, non tibi uilescat, quia gratis amandus est deus. Quod enim dulcius à deo præmium, quàm ipse deus? Ergo impleta Abrahã deuotiõis obedientia audit à deo, Nunc cognoui quòniam tu times deum. Quod ita intelligitur, eo quod Abrahã fecerit deus ut sibi innotesceret, sicut quando loquitur Propheta. Christianis loquor, uel proficientibus in schola dei, non sunt rudia nec noua quæ dico, sed uestræ sanctitati nobiscum usitatissima & manifestissima. Quando propheta loquit̃, quid dicitur? Dixit deus, Plane dicimus. Dicimus etiam, Dixit Propheta. Et utrunq; recte dicimus, utrunque in authoritate inuenimus. Et Apostoli sic intellexerunt prophetas ut dicerent, Dixit deus. Et alio loco, Dixit Esaias. Vtrũque uerum est, quia utrunq; inuenimus in scripturis. Soluat mihi Christianus quæstionem quã modo proposui, & soluat sibi quod pauloante proposui. Quomodo? Quia quod homo dicit de dono dei, deus dicit, secundum illud, Non enim uos estis qui loquimini, & cętera. Et iterũ, Ecce ego Paulus loquor uobis. Et iterum, Christus qui in me loquitur. Ergo istam regulam fratres transferte ad illud quod aliquando tortuosum uidebatur, & rectum erit. Illum ergo omnes intueamur, ut esurientes animas nostras ipse pascat, qui esuriuit propter nos, qui pauper factus est cum diues esset, ut ipsius paupertate nos ditaremur. Opportune ad eũ pauloante cantauimus, Omnia à te expectãt, ut des illis escã in tẽpore opportuno. Si omnia oẽs, Si omnes, et nos. Nõ ergo si quid boni in sermõe daturi sumus nos dabimus, sed ille à quo oẽs accepimus, quia omnes ad deũ expectamus. Tempus est, det. Sed faciamus quod dixit ut det, id est, expectemus ad eum. Ipsum corde intueamur, quia sicut oculi corporis & aures ad nos, ita oculi cordis & aures ad illum. Patenti aure cordis audite sacramentum magnum. Omnia quidem sacramenta diuinarum scripturarum utique magna atq; diuina sunt. Sunt tamen insigniora, magisq; præcipua, quæ maximè intentos nos desiderant, & quę præ cæteris lapsos ædificant, satiant esurientes, qui non ita satientur ut fastidiant: sed non sit satietas fastidio, pellens inopiam, non assumens contemptum. Quem non moueat iussus immolari unicus filius ei à quo promissus est. Et maxime res ita gesta, ut audiuimus, intentos animos facit ad quærendũ exponi sacramentum. Ante omnia tamen fratres hoc in nomine domini & admonemus quantum possumus, & præcipimus, ut quando auditis exponi sacramentum scripturę narrantis quę gesta sunt, prius illud quod lectum est credatis sic gestum quomodo lectum est, ne subtracto fundamento rei gestę quasi in aere quæratis ædificare. Abraham pater noster homo erat illis temporibus fidelis, credens deo, iustificatus ex fide, sicut scriptura dicit & uetus & noua. Suscepit filium de Sara uxore, iam in senectute utriq; cõstitutis, ex magna desperatiõe, sed secundũ hominem. Quid aũt de deo desperandũ, cui difficile nihil est? Qui sic facit magna, quomodo parua: Sic suscitat mortuos, quomodo creat uiuos. Si pictor eadem arte facit murẽ qua elephantem, diuersa opera, sed ars una: quanto magis deus qui dixit, & facta sunt, mãdauit, & creata sunt? Quid difficile facit qui uerbo facit? Qua facilitate creauit angelos ultra cœlos, ea facilitate luminaria in cœlis, ea facilitate pisces in mari, ea facilitate arbores

Ioan. 6 — Matt. 10 — 2. Cor. 13 — Psal. 103 — Psal. 18 — Ephes. 4 — Gen. 21

arbores & animalia in terra, ea facilitate magna
qua parua. Cui ergo cuncta facillimum fuit face-
re de nihilo, mirãdum est quia dedit senibus filiũ?
Tales ergo illos uiros uel illos homines habebat
deos, & in illo tẽpore tales fecerat pręcones filio
uenturo, ut non solum in his quæ dicebant, sed e-
tiam in his quæ faciebant, uel in his quæ accide-
bant Christus queratur, Christus inueniat. Quic-
quid scriptura dicit de Abraham, & factum est, &
prophetia est, sicut apostolus quodam loco dicit,
Gal.4 Scriptum est quod Abraham duos filios habuit,
unum de ancilla, & alterum de libera. Quę sunt in
allegoria. Hæc ergo sunt duo testamenta. Iam pru
denter dicimus, quia Isaac & natus est Abrahæ, &
aliqd significauit: sicut & immolare filiũ iussus ob
temperat deo, perducit ad locũ, peruenit triduo,
dimittit duos seruos suos cum iumento, pergit ip
se quò deus præceperat, leuat lignum in altare, le-
uat filium super lignum. Antequã ueniat filius ad
locũ sacrificij, portat lignũ quo leuandus est. De
inde cum iam penè feriretur, sonat uox, ut parca-
tur, & nõ tamen sine sacrificio, & sine sanguine fu
so receditur. Apparet aries in uepre inhęrẽs corni
bus, immolatur, peragitur sacrificiũ. Peracto sacri
ficio, dicitur ad Abrahã, Facio semen tuũ sicut stel
las cœli, & arenã maris, Et obtinebit semen tuũ ci
uitates aduersariorum, Et benedicentur in semine
tuo omnes gentes terræ, eo quod exaudisti uocẽ
meã. Vide ergo quando factũ est, & quando com
memoratio fit facti ipsius. Quãdo dicit ille aries,
Psal.21 Foderunt manus meas & pedes meos, & cætera.
Quãdo peractum est illud in Psalmo sacrificium,
tunc in ipso Psalmo dictũ est: Cõmemorabuntur
& conuertẽtur ad dominũ uniuersi fines terræ, Et
adorabunt in cõspectu eius uniuersæ patriæ gen-
tium. Quoniã ipsius est regnum, & ipse dominabi
tur gentium. Si cõmemorabuntur dictum est, præ
signatum est aliquando quod fieri iã uidemus. Vi
deamus ergo q̃modo impletũ sit, & unde imple-
tum, quo præcedente sacrificio impletũ quod di-
Gen. 22 ctum est Abrahę, In semine tuo benedicentur o-
mnes gentes, Felices omnes gentes, quæ illud nõ
audierunt, & nunc legentes crediderũt, quod cre
Iacobi 2 didit ille q̃ audiuit, Credidit enim Abraham deo,
& reputatum est illi ad iustitiam, & amicus dei ap
pellatus est. Quòd credidit deo, intus in corde, in
sola fide est. Quòd autem immolãdum duxit filiũ,
quòd intrepidus dexterã armauit, quòd iam feri-
ret nisi uoce tenereẽ, magna fides est utiq̃, & ma-
gnum opus, & ipsum opus laudauit deus ut dice-
ret, Quoniam exaudisti uocem meam. Quare er-
Rom.3 go Apostolus Paulus ait, Arbitramur iustificari
hominem per fidem sine operibus legis. Et alio lo
Gal.3 co dicit, Et fides quæ per dilectionem operaẽ, Per
quam adipisci credimus salutem æternam, Amen.

Item eodem die alius sermo factus ad fratres in eremo, qui inter sermones ad eosdẽ habetur quadragesimus.

Item eodem die Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Ioannem, Erat dies festus Iudæorũ, Et ascendit Iesus Hierosolymam, &c. quæ habetur in expositione doctoris, ibidem Tom.9, col.147

Sabbato post primam dominicam in quadragesima, de Abraham & immolatione Isaac.

Sermo. I

SERMO LXXIII

OVVM præcepti genus est, homini legẽ sceleris dare, & religiosum habere si impi um uoluerit perpetrare. Abraham si parricidium fecerit, iustus est, si nõ fecerit, indeuotus est. Quid sit ergo quod nunquam deum nisi pieta te placamus? Cupit sibi uota offerri, nõ crudeliter coli. Ecce inter pietatẽ patris & deuotionem dei, filium est quidem scelus occidere, sed deum scelestius non audire. In angusto posita est perfecta iustitia. Parricidium iuberis ut facias, tuis te manibus orbaturus. Quid hoc est? Imperat parricidiũ, qui prohibet homicidium. Iubetur, inquit, filium uictimare, solatium paternæ senectutis, & unicũ pignus posteritatis, Qui quanto serior, tanto dul cior, quanto solus aut unicus, tanto charior & dilectus. In utroq̃ senes, creãdę prolis desperatio re tinebat, utpote post tẽpus quod natura fraudauerat, ætas in sene patre, sterilitas in anicula matre. Iã enim Sara actus suæ uuluæ perdiderat, & senẽ patrem uis generandi lassauerat, quia fructum sterilis non habebat. Ecce subito frigens uuluа materna nõ instinctu libidinis, sed fomite uirtutis incaluit, rediuiuo successit flore iuuentutis. Mœrentis iam artus corporis uiruerũt marcida mẽbra, & an nosæ ætatis tabe pallentia, pueritiæ rubore uiguerunt, & in succido tepore ueterascens iam corpus, non tanquã cõcubitus, sed promissio uegetabat. Canis iam togatũ caput albebat, & rugas suas uul ua in uentre tendebat. Tumebat uterus grauidæ, tremebat gressus in poplite. Gestabat onustum uterum, quæ corpus iam non regebat incuruũ. Nouissimis annis fœta & fessa mulier, quæ non noue rat in iuuentute cõcipere, discit in senectute lacta re. Discite cõiugati uacare effectũ seminis, ubi nõ fuerit munus authoris, ipso dicente, Priusquam te Hier.1 formarem in utero noui te. Accipe, inquit, filium tuũ, & offer mihi illum in unũ de montibus quem demonstrauero tibi. Senex pater & unici mater, noui parentes, & ueteres genitores, ad tam acerbum non mouẽtur imperium. Hilaris accingebatur, qui nec timorem facinoris formidauit, nec im plere quod iussus est degener animus dubitauit. Spes illa futura tot gentiũ paterna manu iubetur occidi, Deuotus pater eo uoto suscepit parricidium, quo susceperat filiũ: nec refert utrum impẽdat aut perdat, dum quoquo modo quod acceperat reddat. O domine pijssime, quẽ scis patri dilectũ, quid imperas uictimandum? Nunc nuper senem sterilem fœcundasti, & tam cito quod donaueras repetisti? Vbi est quod senib. præstitisti? Ergo ira tus potes lædere, sicut propitius imperas orbitatem? Absit à nobis ista incredulitas. Deus pro nobis filium suum iussit occidi, non nostros mactari. Ideo iubetur filiũ occidere, ut manifestetur mundo qui iam notus fuerat deo. Nã quomodo innocentis desiderat sanguinẽ, qui reum damnat pro sanguine

sanguine? Demonstrare cunctis hominibus deuo
tionem uoluit, qui parricidium ut fieret impera-
uit. Paret ilico imperijs, præceptis obtẽperat, per-
git percussor paratus, imo filius cum patre profi-
ciscitur moriturus, atq̃ utinam tantũmodo mori-
turus, non insuper & patris gladio obiturus. Ve-
nerunt ergo ad locum quem dixerat Deus, ambo
pariter aram construunt sacerdotes, ligna aræ im-
ponit, filium alligauit, & extento gladio, angelus
ne percutias puerum exclamauit, oculis respice,
& uide arietem in uepre. Videte fratres Abraham
patientia fortem, deuotione constantem, nõ cum
aliqua fera luctantẽ, sed cum natura pugnantem.
Deuotio dicebat, percute, Pietas clamabat, parce.
Illa reuocabat, ista prouocabat. Filius tunc mori-
turus iacebat, erigit dexteram feriturus, & locum
quo libens percutiebat aucupat. Parce, inquit, A-
brahã. Qui iusserat ut feriret, modo uociferatur ut
parceret. Sciebat enim probatũ patrem, & in de-
uotione feruentem gladium temperare, & filium
nõ perimere, sed nec cremare. parce, inquit, deuo-
te pater, parricida sine crimine parce. Tuum sacri-
ficium quod paraueras intendi, ego quod iusserã
ut obtulisses accepi. In uoto probaui, quod in fa-
cto renui. Acceptaui uotum, nec repuli sacrificiũ.
Laudo fidem, nec reprobo pietatẽ, nec tibi patior
inferri orbitatẽ. Perfecta sunt omnia, & salua sunt
uniuersa. Vincitur innocens hostia, ne offerentis
deuotio putaret se minus aliquid exhibere, si im-
patientia doloris uictima calcitraret. Ecce spirita-
li præsagio meum præuenisti consilium. Quod e-
nim paraui pro toto mundo, tu iam deliberasti in
filio tuo. Quod in unigenito meo disposui, tu in
tuo unico perfecisti: Vnde benedicẽtur in te om-
nes gentes, Amen.

Item eodẽ die alius sermo, qui habetur inter ser mones de uerbis Apostoli XXVII.

Item eodem die homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundũ Matthęum, Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum &c. quæ habetur de quæstionibus Euãgeliorum libro primo, capite decimo octauo.

Dominica secũda in quadragesima, de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Matthæum, Egressus Iesus de Genezareth secessit in partes Tyri & Sidonis &c. Sermo I

SERMO LXXIIII

HANANAEA ista mulier, quæ heri no bis lectione Euangelica cõmendata est, præbet nobis humilitatis exemplum, & pietatis uiã, ab humilitate in alta surgere ostendit. Erat aũt, sicuti paret, nõ de populo Israel unde patriarchę, unde prophetæ, unde parẽtes domini no stri Iesu Christi secundum carnem, unde ipsa uirgo Maria quæ peperit Christũ. Non ergo ex isto
Matth.15 populo erat hæc mulier, sed erat ex gẽtibus. Nam sicut audiuimus, secessit dominus in partes Tyri & Sidonis, & inde mulier Chananæa de finibus il lis egressa est. Petebat beneficium instãtissime curandæ filiæ suæ, quę male à dęmonio uexabaẽ. Ty rus & Sidon non erant ciuitates populi Israel, sed gentium, quamuis uicinæ illi populo: clamabat er go auida impetrandi beneficij fortiterq̃ pulsabat: & dissimulabatur ab eo, non ut misericordia nega retur, sed ut desiderium accẽderetur, nec solum ut desiderium accẽderetur, sed sicut ante dixi, ut humilitas commendaretur. Clamabat ergo domino non audiẽte, sed quod facturus erat in silentio disponente. Discipuli rogauerũt pro illa dominum & dixerũt, Dimitte illã, quia clamat post nos. Et ille, Non sum missus, nisi ad oues quę perierũt domus Israel. Hic uerborum istorum oritur quęstio, unde nos ad ouile Christi de gentibus uenimus, si non est missus nisi ad oues quę perierũt domus Israel? Quid sibi uult huius secreti tam alta dispẽsatio, ut cum dominus sciret quare uenerit, utiq̃ ut ecclesiã haberet in omnibus gentibus, non se missum dixerit nisi ad oues quæ perierunt domus Israel? Intelleximus ergo præsentiam corporis sui, natiuitatem suã, exhibitionem miraculorum, uirtutemq̃ resurrectionis in illo populo eũ ostendere debuisse, ita fuisse dispositum, sic ab initio commendatum, hoc prædictũ, hoc impletũ: quia Christus Iesus ad gentem Iudæorum uenire debuit uidendus, occidendus, & lucrandus eos inde quos ante præsciuit. Non enim damnata illa plebs est, sed uentilata. Ibi erat paleæ multitudo, ibi granorum occulta dignitas. Ibi quod incenderetur, ibi unde horreũ repleretur. Nam unde Apostoli nisi inde? Vnde Petrus? Vnde cæteri? Vnde ipse. Paulus, primo Saulus? Hoc est, primo superbus, postea humilis. Nam quando Saulus, à Saule nomen deriuatũ erat. Saul autem rex superbus, in regno autem Dauid humilem persequebatur. Quando ergo Saulus, qui postea Paulus, tunc utiq̃ superbus, tunc persecutor innocentum, tũc uastator ec clesiæ. Acceperat enim literas, uelut zelo synagogæ ardens & insequens Christianum nomen, à sacerdotibus, ut exhiberet quoscunque inuenisset Christianos ad luẽda supplicia. Cum pergit, cũ anhelat cædes, cũ sitit sanguinẽ, cœlesti Christi uoce prostratus est persecutor, erectus est prædicator. Impletur in illo quod scriptum est in propheta, E- Deut.32
go percutiam, & ego sanabo. Hoc enim percutit deus, quod se in homine extollit aduersus deum. Non est impius medicus, qui tumorẽ ferit, qui pu tredinem secat aut urit. Dolorẽ ingerit, sed ut perducat ad sanitatẽ. Molestus est, sed nisi esset, utilis non esset. Prostrauit ergo Christus una uoce Saulum, erexit Paulum: hoc est prostrauit superbum, erexit humilem. Nam quæ fuit ratio mutandi sibi nominis, ut cum Saulus antea uocaretur, postea se Paulũ dici uellet, nisi quia Sauli nomen in se agno uit cum persequereẽ fuisse superbiæ? Elegit ergo humile nomen, ut Paulus, hoc est minimus, uocaretur. Paulum enim minimum est. Paulum nihil aliud est q̃ minimum uel paruum, De quo nomine iam glorians humilitatemq̃ cõmendans, Ego, in- 1 Cor.15
quit, sum minimus Apostolorum. Vnde ergo unde iste nisi ex populo Iudæorum? Inde illi Apostoli, inde Paulus, inde quos commendat idem Paulus, qui uiderint dominum post resurrectionem. Dicit enim eum uisum ferme à quingẽtis fratribus simul

ſimul, ex quibus plures manent uſq; adhuc, quidã autem dormierunt. Ex illo autem populo etiam illi, qui cum Petrus loqueretur, cõmendans paſſionem, reſurrectionem, diuinitatem Chriſti, accepto ſpiritu ſancto, quando illi omnes, in quos uenit ſpiritus ſanctus, linguis omnium gentium ſunt locuti, compuncti ſpiritu, qui audiebant ex populo Iudæorum quæſierũt conſilium ſalutis ſuæ, intelligentes ſe reos ſanguinis Chriſti: quòd eum ipſi crucifixerunt, ipſi occiderunt, in cuius nomine occiſi à ſe uiderent tanta miracula fieri, uiderent ſpiritus ſancti præſentiã. Quærentes ergo conſilium, reſponſum acceperunt: Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrũ in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, & dimittent uobis peccata ueſtra. Quis deſperaret ſibi donanda peccata, quãdo crimen occiſi Chriſti reis donabatur? Conuerſi ſunt ex ipſo populo Iudæorũ, Conuerſi ſunt, baptizati ſunt. Ad menſam domini acceſſerunt, & ſanguinẽ quẽ ſæuientes fuderunt, credentes biberũt: Quẽadmodum aũt ſunt cõuerſi q̃ plane atq; perfecte indicant Actus Apoſtolorum. Nam omnia quæ poſſidebant uendiderunt atq; precia rerũ ſuarum ad pedes Apoſtolorum poſuerunt: Et diſtribuebatur unicuiq; ſicut opuſcuiq; erat: Et nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia cõmunia. Et erat illis ſicut ſcriptum eſt, anima una, & cor unum in deũ. Ecce oues de quibus dixit, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Illis enim exhibuit præſentiã ſuam, pro illis in ſe ſæuientibus crucifixus orabat dicens, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Intelligebat medicus phreneticos mente perdita medicum occidẽtes, & occidendo medicum neſcientes ſibi medicamentum faciẽtes. De domino enim occiſo omnes nos curati ſumus, illius ſanguine redẽpti, pane illius corporis à fame liberati. Hanc præſentiam Chriſtus Iudæis exhibuit, Hoc ergo ait, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael, ut illis præſentiã ſui corporis exhiberet, non ut oues quas habebat in gẽtibus contẽneret & pręteriret. Ad gẽtes enim ipſe nõ uenit, ſed diſcipulos miſit. Et illic impletum eſt quod Propheta dixit. Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi. Videte q̃ alta, quàm euidens, q̃ expreſſa prophetia: Populus quẽ non cognoui, id eſt, cui præſentiã meam non exhibui, ſeruiuit mihi. Quomodo? In auditu auris obaudiuit mihi. Hoc eſt, nõ uidendo, ſed audiẽdo crediderunt. Ideo gentiũ maior laus. Illi enim uiderunt & occiderunt, gentes audierũt & crediderũt. Ad gentes aũt uocandas & cõgregãdas, ut impleretur quod modo cãtauimus, Cõgrega nos de gẽtibus, ut confiteamur nomini tuo, & gloriemur in laude tua: ille Paulus Apoſtolus miſſus eſt minimus, ille factus magnus nõ per ſe, ſed per eũ quem perſequebatur, Miſſus eſt ad gẽtes, ex latrone paſtor, ex lupo ouis. Miſſus eſt ad gentes ille Apoſtolus minimus, & multum laborauit in gentibus, & per eum gentes crediderunt, Teſtes ſunt eius epiſtolæ. Habes hoc in Euãgelio ſacratiſſime figuratum, Filia archiſynagogi quædam defuncta erat,

Act.4 Matth.15 Lucæ 23 Pſal.17 Pſal.105 Act.9 Lucæ 8

pater eius rogabat dominũ ut iret ad eam, ęgrã reliquerat, & in periculo conſtitutam. Ibat dominus ad uiſitandã & ſanandã ægrã, interea mortua nunciata eſt, & dictum eſt patri puellę: Mortua eſt, noli uexare magiſtrũ. Dominus autem qui ſciebat ſe poſſe mortuos ſuſcitare, non abſtulit ſpem deſperato, & ait patri, Noli timere, tãtũ crede. Pergebat ad puellã, atq; in itinere inter turbas quomodo potuit coarctauit ſe quædã mulier, quæ fluxũ ſanguinis patiebatur, & diuturno illo languore in medicos fruſtra omnia quæ habebat impenderat. Vbi fimbriam ueſtimenti eius tetigit, ſanata eſt. Et dominus, Quis me tetigit? Admirantes diſcipuli qui neſciebant quid eſſet factum, & uidebant eum à turbis comprimi, & de una quæ leuiter tetigerat fuiſſe ſolicitum, reſponderunt, Turba te premit, & dicis, quis me tetigit? Et ille. Tetigit me aliquis. Nam iſti premunt, illa tetigit. Corpus ergo Chriſti multi moleſte premunt, pauci ſalubriter tangunt. Tetigit me, inquit, aliquis. Ego enim ſenſi de me uirtutem exiſſe. At ubi uidit illa nõ ſe latuiſſe, p̃uoluta eſt ante pedes eius, & cõfeſſa eſt quid eſſet factũ. Poſt hæc perrexit peruenitq; quò tendebat, & puellam filiam archiſynagogi inuentã mortuã ſuſcitauit. Factum quidem eſt, & ita ut narrat̃ impletum, ſed tamen etiam ipſa quæ à domino facta ſunt aliquid ſignificantia erant, quaſi uerba ſi dici poteſt uiſibilia & aliquid ſignificãtia. Quod maxime apparet in eo quod præter tempus poma quęſiuit in arbore, & quia non inuenit arbori maledicens aridã fecit. Hoc factum niſi figuratũ accipiatur ſtultum inuenitur: primo quæſiſſe poma in illa arbore, quando tẽpus non erat ut eſſent in ulla arbore: deinde ſi pomorũ iam tempus eſſet, nõ habere poma quę culpa arboris eſſet? Sed quia ſignificabat, quęrere ſe non ſolũ folia, ſed etiã fructum, id eſt, non ſolum uerba, ſed & facta hominũ, areſaciendo ubi ſola folia inuenit, ſignificauit eorũ pœnã qui loqui bona poſſunt, facere bona nolũt. Sic ergo & hic. Nam utiq; myſteriũ eſt, præſcius omniũ dicit, Quis me tetigit: ſit imperio ſimilis creator, & interrogat non ſolum qui hoc ſciebat, ſed etiã qui cætera præſciebat. Aliquid eſt utiq; quod nobis ſignificante myſterio loquitur Chriſtus. Filia illa archiſynagogi ſignificabat populũ Iudæorum mortuorum, propter quem uenerat Chriſtus qui dixit, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierant domus Iſrael. Illa uero mulier quæ fluxũ ſanguinis patiebatur, eccleſiã figurat ex gentibus, ad quã Chriſtus per præſentiã corporis non erat miſſus. Ad illam ibat, illius ſalutẽ intendebat: hæc intercurrit, tangit fimbriam quaſi neſciẽtis, id eſt, ſanatur tanquã abſente. Dicit ille, Quis me tetigit? quaſi diceret, Nõ noui hũc populũ. Populus quẽ nõ cognoui ſeruiuit mihi. Tetigit me aliquis. Ego enim ſenſi uirtutẽ de me exiſſe: id eſt, Euangelium miſſum totum orbem impleuiſſe. Tangitur autem fimbria exigua pars ueſtimenti & extrema. Facuſtem Chriſti Paulum. Quaſi fimbria ibi apoſtolus Paulus erat, hoc eſt, extremus & minimus. Nam utrunq; de ſe dicit, Ego ſum minimus apoſtolorũ.

Pſal.17 Luc.8 1.Cor.15

Nam

Nam poſt omnes uocatus eſt, poſt omẽs credidit, plus omnibus ſanauit. Non erat miſſus dñs, niſi ad oues quæ perierant domus Iſrael. Sed quia & populus quẽ nõ cognouerat ſeruiturus erat, in obauditu auris obauditurus erat, nec de illo tacuit ibi, conſtitutus. Ait enim quodã loco idem dominus, Habeo alias oues, quæ nõ ſunt de hoc ouili, oportet me & has adducere, ut ſit unus grex & unus paſtor. Inde mulier iſta erat, ideo non cõtemnebatur ſed differebatur, Non ſum, inquit, miſſus niſi ad oues quę perierũt domus Iſrael. Et illa clamãdo inſtabat, perſeuerabat, pulſabat, tãquã iam audiſſet: Pete & accipe, quære & inuenies, pulſa & aperiet̃ tibi. Inſtitit, pulſauit. Nam & dominus quando dixit hæc uerba: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperiet̃ uobis: ſupra dixerat, Nolite ſanctum dare canibus, nec proieceritis margaritas ueſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & canes conuerſi diripiãt uos: id eſt, poſt cõtemptum margaritarum ueſtrarũ etiã moleſti ſint uobis. Nolite ergo illis proiicere quę contemnunt. Et unde diſcernimus, tanquã reſponderent, qui ſint porci, qui ſint canes, hoc in iſta mulierẽ demonſtratum eſt. Nam illi mulieri inſtanti reſpondit hoc, Non eſt bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus. Canis es, una es ex gentibus, idola adoras. Quid autem tam familiare canibus quàm lapides lingere? Non eſt ergo bonũ panem filiorum tollere & mittere canibus. Illa ſi recederet poſt hęc uerba, canis acceſſerat, canis abſceſſerat: ſed pulſando, homo factus eſt ex cane. Inſtitit enim petendo, & ex ipſo ueluti conuitio humilitatẽ oſtẽdit, miſericordiam impetrauit. Neq; em̃ cõmota eſt aut ſuccenſuit q̃ canis appellata fuerit petẽs beneficium, rogans miſericordiã: ſed ait, Ita domine: dixiſti me canẽ, planè canis ſum, agnoſco nomen meũ: & ueritas loquitur, ſed non ideo à beneficio repellenda ſum. Prorſus canis, ſed & canes edũt de micis quę cadũt de menſa dominorũ ſuorum. Modicũ quoddã & exiguũ beneficium deſidero, nõ inuado, ſed micas quæro. Videte quemadmodũ humilitas cõmendata eſt. Canem illã dominus dixerat. Non dixit, non ſum: ſed dixit, ſum. Et dominus continuo quia ſe agnouit canem: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti. Tu te agnouiſti canem, ego te iam agnoſco hominem. O mulier, magna eſt fides tua, petiſti, quæſiſti, pulſaſti: accipe, inueni: aperiat̃ tibi. Videte fratres quemadmodũ in hac muliere quę Chananęa erat, id eſt, quæ de gentibus ueniebat, & typũ, hoc eſt, figuram eccleſiæ gerebat, maxime humilitas cõmendata eſt. Etenim gens Iudæa ut ab Euangelio repelleretur ſuperbia inflata eſt q̃ legẽ accipere meruiſſet, q̃ de ipſa gente patriarchæ proceſſerint, prophetæ extiterint, Moyſes dei ſeruus miracula magna, quæ audiuimus in pſalmo, in Ægypto fecerit, per mare rubrum aquis recedentibus populum duxerit, legem acceperit quã ipſi populo dederit. Erat unde extolleretur gens Iudæa, & per ipſam ſuperbiam factum eſt ut Chriſto nollet humiliari authori humilitatis, repreſſori tumoris,

Ioan.10 Matt.15 Matt.7 Matth.15

Aug.to.10

medico deo, qui propter hoc cũ deus eſſet homo factus eſt, ut ſe homo hominem cognoſceret. Magna medicina. Hæc medicina ſi ſuperbiam non curat, quid eam curet neſcio. Deus eſt, & fit homo. Seponit diuinitatẽ, id eſt, quodãmodo ſequeſtrat, hoc eſt occultat quod ſuum erat, quod apparet accepérat. Fit ille homo cum ſit deus, & non ſe agnoſcit homo hominem, id eſt, nõ ſe mortalem agnoſcit, nõ ſe agnoſcit fragilem, non ſe agnoſcit ęgrotum, ut quærat uel ęgrotus medicum: ſed quod eſt periculoſius, ſanus ſibi uidetur. Ergo propter hoc ille populus nõ acceſſit, id eſt, propter ſuperbiam: & dicti ſunt ex arbore oleę, hoc eſt, de illo populo à patriarchis creato, fracti rami naturales, id eſt, Iudæi merito ſteriles ſpiritu ſuperbiæ, & in illa olea, inſertus eſt oleaſter. Oleaſter populus ex gẽtibus. Sic dicit Apoſtolus, q̃ oleaſter inſertus ſit in olea, rami aũt naturales fracti ſint. Illi fracti propter ſuperbiã, inſertus oleaſter propter humilitatẽ. Hanc humilitatẽ oſtendit mulier dicens, Ita domine, Canis ſum, micas deſidero. In hac humilitate etiã Cẽturio ille placuit, qui cum deſideraret puerũ ſuum à domino curari, & dominus diceret: Ego ueniam & curabo eũ, Reſpondit ille, Domine, nõ ſum dignus ut ſub tectum meũ intres, ſed tantũ dic uerbo & ſanabit̃ puer meus. Non ſum dignus qui ſub tectũ meũ intres. Tecto nõ recipiebat, corde recipiebat. Quãto humilior, tãto capacior, tanto plenior. Colles enim aquã repellũt, ualles implebuntur. Quid deinde, quid ad hoc dominus poſtea q̃ dixit, Non ſum dignus qui ſub tectum meum intres, ad eos qui ſequebantur? Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Iſrael: id eſt in illo populo ad quem ueni, non inueni tãtam fidem. Tantam quid eſt? Tam magnam. Vnde magnam? De minimo, id eſt, de humilitate grandem. Non inueni tantam fidem ſimilem grano ſinapis, quãto minutiori tanto feruentiori. Inſerebat ergo dominus oleaſtrum in oliua, Tunc hoc faciebat quando dicebat: Amen dico uobis, nõ inueni tantam fidem in Iſrael. Deniq; uide quod ſequitur, Ideo dico uobis, quia non inueni tantam fidem in Iſrael, id eſt, tantam cum fide humilitatẽ, Ideo dico uobis, quia multi ab Oriente & Occidente uenient, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cœlorum. Recumbent, inquit, requieſcent. Nõ enim debemus illic carnales epulas cogitare, aut aliquid tale in illo concupiſcere, ut non uitia mutemus uirtutibus, ſed uitia ſubdamus. Aliud eſt enim deſiderare regnum cœlorum propter ſapientiam & uitam æternam, aliud propter felicitatem terrenam, quaſi illic habeamus eam opulẽtiorem atque maiorem. Si diuitem te in illo regno futurum putas, cupiditatem non amputas ſed mutas: & tamen diues eris, & nõ niſi illic diues eris. Nam hic indigentia tua colligit plurima. Quare multũ habent diuites? Quia multum indigẽt. Maior indigentia quaſi maiores cõparat facultates: illic ipſa indigentia morietur. Tũc uere diues eris, quando nullius indigens eris. Non tu diues, & angelus pauper, qui non habet iumenta & rhedas &

Rom.11 Matt.8

familias. Quare? Quia non indiget, quia quanto fortior, tanto minus indigus. Ergo ibi diuitiæ, & A ueræ diuitiæ. Epulas terræ huius non ibi cogites. Epulæ enim terræ huius medicamenta quotidiana sunt, ægritudini cuidam nostræ cum qua nascimur necessaria sunt. Ægritudinẽ istã sentit quisq; cũ hora reficiendi transierit. Vis uidere quanta ægritudo sit ista, ut tanquam acuta febris septẽ diebus necet? Ne te sanum putes. Sanitas immortalitas erit: nam hæc longa ægritudo est: quia quotidianis medicamentis fulcis morbum tuum. Sanus tibi esse uideris? Detrahe medicamenta, & uide quid potes? Nam ex quo nascimur necesse est ut moriamur. Morbus hic necesse est ut ad mortem perducat. Certe medici quando ægros inspiciunt, hoc dicunt, Verbi gratia, hydropicus est iste, moritur. Hic morbus non potest curari. Elephantiosus est, nec morbus iste curari potest. Phthisicus est, quis hoc curat? Necesse est ut pereat, necesse est ut moriat. Ecce iam dixit medicus, phthisicus est, non potest nisi moriatur, & tamen aliquãdo & hydropicus non inde moritur, & elephantiosus non inde moritur, & phthisicus non inde moritur & tamen necesse est ut quisquis natus fuerit inde moriatur. Moritur inde, non potest aliter. Hoc & medicus & imperitus pronunciat, sed & si tardius moritur, nisi quid ideo non moritur? Quando ergo uera sanitas, nisi quando uera immortalitas? Si ergo uera immortalitas, nulla corruptio, nulla defectio, quid illic alimentis opus erit? Ergo cum audis, Recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum, id est, inseruntur in oliua. Huius enim oliuæ radices sunt, Abraham, Isaac & Iacob: filij aũt regni, hoc est Iudæi increduli, ibũt in tenebras exteriores. Præcidentur rami naturales, ut inseratur oleaster. Sed unde rami naturales præcidi meruerunt, nisi superbia? unde oleaster inseri, nisi humilitate? Vnde & ista mulier dixit, Ita do-
Matt.15 mine, nam & canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum: Et inde audit, O mu-
Matt.8 lier, magna est fides tua. Sic & ille centurio, Non sum dignus ut sub tectum meum intres, Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israel. Discamus ut teneamus humilitatem. Si nondum habemus, discamus: si habemus, nõ amittamus: si nondum habemus, habeamus, ut inseramur: si iam habemus, teneamus ne præcidamur.

Item de eodẽ alia Homilia, quæ habetur de quæstionibus Euangeliorum lib. primo, cap. xviij.

Feria secunda post secundã dominicam in quadragesima, de puero Abraham qui missus est ad Rebeccam. Sermo I

SERMO LXXV Gen.24 P AVLOANTE cum diuina lectio legeretur, audiuimus q̃ beatus Abrahã uocauerit puerũ suum, & dixerit ei, Pone manum tuã sub femur meũ, ut adiurem te per deũ cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus regionis huius: & q̃ ille obediens posuerit manum sub femore, & iurauerit ei. Hæc enim omnia fratres, quæ in testamento ueteri recitãtur, si tantum secundum literam uoluerimus accipere aut paruũ, aut nullum lucrũ animæ consequemur. Quid enim nobis prodest, qui ad ecclesiam ad audiendum dei uerbum fideliter conuenimus, si nobis dicatur quòd Abraham miserit puerum suum, ut de regione lõginqua adduceret uxorẽ filio suo, cũ & in istis regionibus hoc frequenter uideamus fieri? Nos uero fratres, sequentes beatum Apostolum Paulũ, credamus quia omnia quę scripta sunt, 1 Cor.10 Iudæis in figura contingebant, nobis autem in ueritate completa sunt. Dixit ergo Abraham ad puerum suum: Mitte manum tuã sub femur meum, & iura per deum cœli & terræ. Quid est hoc fratres? Sic dixit beatus Abraham, Mitte manum tuã sub femur meum: tanquam diceret, mitte manũ tuam ad altare: aut diceret: mitte manũ tuam ad arcã testamenti: aut, extende manum ad templum dei, & B iura mihi. Femur tangebat, & per deũ cœli & terræ iurabat. Non em̃ errabat beatus Abrahã, quando hoc fieri imperabat, sed quia prophetiæ spiritu repletus, nouerat de semine suo Christum cœli & terræ dominum nasciturum. Ideo quando seruus suus femur illius cõtingebat, nõ per carnale membrum, sed per deum uiuum & uerũ iuramẽta præstabat: quia Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudã, de cuius semine Christus dominus natus est. Et stetit iuxta fontem, & dixit in corde suo, Domine deus domini mei, si fecisti misericordiã cum domino meo, ecce sto ad puteũ, & puella quæ uenerit haurire aquam, si ei dixero, da mihi bibere, & illa responderit mihi & tu bibe, C & camelis tuis hauriã aquam: ipsa est quã præparasti domino meo Isaac. Necdũ puer in corde suo uerba compleuerat, & ecce apparuit Rebecca, habens hydriam in scapula. Et dixit ad eam puer, Da mihi bibere. At illa cito deposuit hydriã & dixit, Et tu bibe domine, & camelis tuis hauriã aquam. Et cum interrogasset cuius esset filia, respondit ei, quòd filia esset Betuelis, & soror Laban. Et incuruauit se homo, & adorauit deum, eo q̃ agnouerat q̃ ipsi essent parentes domini sui Abrahæ, & protulit inaures ad ornandã faciẽ suã, & armillas posuit in manibus eius. At illa uadẽs nunciauit parẽtibus suis: qui exeuntes benedixerunt deũ, & cum gaudio & honore susceperunt puerũ Abrahæ. Et ille locutus est ad eos de Rebecca, ut eã darẽt domino suo Isaac. Illi autẽ dixerunt, Clamemus puel D læ, & quæramus illius uoluntatem. Cumq̃ uocata esset, dixerũt ad eam, Vis ire cum homine isto? At illa respondens dixit, Vadã. Nunc fratres charissimi, quãtum possumus, breuiter quid ista significent uideamus. Beatus Abraham q̃ puerum diri gebat ut acciperet uxorem filio suo, typum habebat dei patris: sicut & quando eum in holocausto obtulit dei patris imaginem figurabat: puer autẽ eius uerbum propheticum designabat. Misit ergo Abrahã puerum suũ in regionẽ longinquã, ut inde acciperet uxorẽ filio suo: quia miserat deus pater propheticum uerbum per uniuersam terrã, ut quereret ecclesiã catholicam, sponsam unigenito suo. Et quomodo per puerum Abrahæ beato Isaac sponsa adducitur, ita per uerbum propheticum ecclesia

ecclesia gentiũ ad uerum sponsum Christũ de longinquis regionibus inuitat. Vbi tamen inuenitur A sponsa illa quæ Christo sociande erat? Vbi nisi ad aquam? Verũ est charissimi, nisi ecclesia ad aquã baptismi uenisset, Christo sociata nõ esset. Rebecca ergo Abrahæ puerũ inuenit ad puteũ, & ecclesia inuenit Christũ ad baptismi sacramentũ. Quid tamen post hęc factũ est? Protulit puer inaures aureas, & dextralia aurea, & dedit ea Rebeccæ. In illis inauribus aureis significabant uerba diuina, in illis armillis aureis opera sancta, quia in manibus opera designantur. Videamus quomodo hæc dederit Christus ecclesiæ. Puer ergo obtulit inaures aureas ad ornandã faciẽ Rebeccæ, & Christus uerba diuina margaritis omnib. preciosiora dedit ecclesiæ: & armillas posuit in manibus Rebeccæ, & Christus dedit opera sancta in manus ecclesię. Cõsiderate fratres charissimi, & gaudete, & deo gratias agite, quia quod in illis figuratum est, in nobis Christo donante impletum est. Et quomodo Rebecca nec inaures habere potuit, nec armillas in manibus, nisi Isaac per seruum suum trãsmitteret: ita & ecclesia nec uerba diuina in aurib. nec opera sancta habere potuisset in manib. nisi hæc illi Christus per suam gratiam & per suos apostolos cõtulisset. Quòd autem interrogata puella à parentibus, utrum uellet ire cum puero, respondit, Vado: aperte hoc in ecclesia uidemus impleri: ibi interrogatur uoluntas Rebeccæ, hic requiritur uoluntas ecclesiæ. Rebeccę dicit, Vis ire cum homine isto? Et respondet, uado. Ecclesiæ dicitur, Credis in C Christum? & respondet, Credo. Rebecca non duceretur ad Isaac, nisi diceret uolo: nec ecclesia Christo iungeretur, nisi diceret credo. Accepit ergo puer Rebeccã & exhibuit Isaac. Videamus tamẽ ubi eum inuenerit, inuenit eum ad puteũ iuramenti. Videte fratres, puer Isaac Rebeccã ad puteum inuenit, & iterum ipsum Isaac Rebecca ad puteũ inuenit. Verum est: nec Christus ecclesiam, nec ecclesia Christum inuenit, nisi ad baptismi sacramentum. Exierat ergo, sicut dicit scriptura, beatus Isaac ad uesperũ in agrũ ad meditãdũ. Ager ille mundi figurã habebat. Exierat Isaac in agrũ, quia Christus uenturus erat in mundũ. Isaac ad uesperũ diei, Christus in fine mundi. Isaac ergo ad meditandum in agrũ processit, quia Christus in mundũ pugnaturus contra diabolum uenit, ut eum uinceret iuste, dum ab eo occideret iniuste: ut moriẽdo mortem destrueret, & resurgendo uitã credẽtibus cõdonaret. Et quomodo Isaac corporaliter Rebecca, sic Christo spiritaliter iungeretur ecclesia accipiens in præsenti preciosam arrã sanguinẽ sponsi sui, acceptura dotẽ postmodũ regni sui. Quã rem beatus Petrus apostolus euidenter enũciat dicẽs, 1 Pet.1 Non em̃, inquit, redẽpti estis auro & argento, sed precioso sanguine tanq̃ agni immaculati. Accepit ergo Isaac Rebeccã, & intromisit eam in tabernaculũ matris suæ, accepit Christus ecclesiã, & eã in loco constituit synagogæ. Per infidelitatẽ enim synagoga à deo separata & mortua est, & per fidẽ ecclesia Christo cõiuncta & uiuificata est. Accepit ergo Isaac Rebeccã, et intantũ dilexit, ut dolorem qui ex morte matris acciderat tẽperaret. Mors em̃ A Saræ, infidelitatẽ significat synagogę. Moritur ergo Sara, & in loco eius Rebecca ducit, synagoga repudiatur ut introducat ecclesia. Accepit ergo Isaac Rebeccã, & intantum dilexit, ut tristitiam quæ de matris morte acciderat, tẽperaret: accepit Christus ecclesiam, & intãtum dilexit, ut dolorem qui de perditione matris synagogæ acciderat, amore ecclesiæ mitigaret. Nã sicut infidelitas synagogæ Christo tristitiam fecit, ita illa fides ecclesiæ lætitiam generauit. Et quomodo per malitiã synagogæ unam gentem Iudæorum, nec ipsam tamen totam, perdidit: ita totum mundum per fidem ecclesiæ Christus dominus acquisiuit. Et quia de nobis fratres charissimi, spõsam sibi spiritalem, Christus B dominus præparauit, quã etiam sicut dixi, sanguine precioso redemit: ita ipso adiuuãte, unusquisq; beneficia in se munere diuino collata, non solũ custodiat, sed etiã augere contendat: ut nihil in eum aut per luxuriã sordidũ, aut per superbiã tumidũ, aut per iracundiam cõbustum, aut auaritiã obscurũ, aut per inuidiã uipereo ueneno percussum appareat: quia iustũ est ut spõsus ille speciosus forma præ filijs hominũ, nihil in nobis de prædictis peccatis inueniat, quod oculos suæ maiestatis offendat, cui est honor & imperiũ cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Item eodem die, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secũdum Ioannem, Ego uado & Ioan.8 C quæritis me &c. quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem to. 9. col. 288

Feria tertia post secundam dominicam in quadragesima, De eleemosynis faciendis.

Sermo I

SERMO LXXVI S I homo priscã sui originem noscat, aut dignitatem in se cumulatã intelligat, aut iudicium destinatũ solicito timore perpendat: inueniet quid primo protoplastus amiserit, quid postmodum Christi misericordia contulerit, quid futuro iudicio destinarit: ut hæc primo solicita cura pertractans primordia recẽseat, præsentia teneat, futura solicito timore pertimẽscat. Claude, inquit, sapientia eleemosynã in sinu pau- Eccl.29 peris, & ipsa pro te orabit. Facile enim curatur uulneribus peccatorum, qui necessitatem curauerit D pauperum, & misericordiã accipiet: qui proximo pietatis non denegat officia. Denicq̃ cui dare præcipitur, gaudeat q̃ non ea sorte natus sit ut indigeat. Sufficit ad gloriam dantis, q̃ alterius miseria in paupere locuples donãdo exiitat, q̃ misericordia fœneret deũ, quòd pascat in paupere Christũ, quòd per alterius inopiam peccatorum accipiat indulgentiam. Obiurgantis domini uox est: Si in Luc.16 alieno mãmona fideles nõ fuistis, quod uestrũ est quis dabit uobis? Talẽ enim se exhibere quis pauperi debet, qualẽ sibi alium exhibere uellet si pauper ipse fuisset. Cæterũ dispẽdium magnum est, si deum de dei dono promereri nolueris, aut cũ tibi dñs ad hoc dederit ut dispenses, eius delegata nõ serues. Semper enim sua dominus tibi dispẽsanda interim

interim cõmendauit, de re ſua pauperibus te dare
præcepit. Cur dãtis iuſſa contẽmnis? Cur pactum A
deſtituis? cur dominum iubentem dare nõ audis?
Facile enim poterit pecuniam acceptã amittere,
qui quod accepit, in lucrũ noluerit erogare. Eſto-
te miſericordes ſicut & pater ueſter cœleſtis miſer
tus eſt ueſtri. Similitudinem patris, actus indicent
ſobolis. Similitudo operis, ſimilitudinẽ indicet ge
neris. Actus nomẽ confirmet, ut nomẽ genus de-
monſtret. Quod contulit pater, filius ſeruet, ut &
filio pater promiſſa præmia repręſentet. Patrimo-
nium quod habes, ſi operaris, tuũ eſt: ſi ceſſas, alie-
num eſt. Pecunia quæ ſeruatur, caſibus ſeruit: quæ
in miſericordia reſeruatur, præmium futurũ acqui
rit. Quid uereris Chriſto cõmittere, quod à latro-
Prou. 28 nibus uix poteris reſeruare? Qui dat, inquit, pau-
peri non egebit. Diuidis patrimoniũ tuũ hæredi,
& Chriſtus eſt indignus de tuo aliquid tecũ tolle-
re, aliqua tecum in futura ſecula deportare? Quid
hæredi ſeruas, quo ſi utatur ignoras? Quid ſubſtã-
tiam cumulas, quã fortaſſis ingrato relinquis? For
ſitan illi præſtabis, quicquid miſericordię cauſa de
eius portiõe detraxeris. Quare fac primo quod iu-
betur, ut poſſis accipere quod promittitur. Nõ po
teſt uſuras accipere, qui dominum noluerit fœne-
rare. Qui dat, inquit, pauperibus, deum fœnerat.
Nec enim poteſt diuina promiſſa percipere, qui
præcepta cœleſtia noluerit obſeruare.

Item eodem die alius ſermo de eodem qui ha-
betur in libro Quinquaginta Homiliarũ, XVIII.
& XLVII.

Item eodem die Homilia de eo quod ſcriptum
eſt in Euangelio ſecundũ Matthęum: Locutus eſt C
Ieſus ad turbas & ad diſcipulos ſuos dicens, Super
cathedram Moyſis, &c. quæ inſerta eſt in ſermone
De uerbis domini, XLIX.

Feria quarta poſt ſecũdam dominicam in qua-
drageſima, De cauſa ieiunij, loco ac tempore.

SERMO LXXVII Eraſ. Hic ſermo eſt inter Ambroſianos, 37

Sermo I

S I bene retinet fraternitas ueſtra, prędi-
cauimus quòd ſanctam quadrageſimã
abſtinendo ipſe dominus cõſecrarit, &
tot dierum & noctium curriculo cibum omnino
non capiens, unum ac ſolidum ieiunij tempus effe
cerit. Totum non obſeruare, ſacrilegiũ eſt: ex par-
te aũt uiolare, peccatum eſt. Hoc enim fecit cauſa
ſalutis noſtræ, ut rem utilem nõ ſolum doceret uer
bis ſed etiam exemplis inſtrueret, ut eiſdem ueſti-
gijs quibus ad fidem gradimur, ad abſtinentiã gra
diamur. Sed uideamus quæ cauſa extiterit ut ieiu-
nia ſibi ſaluator indiceret, & ipſe primus bonus hu
mani generis medicus ieiunaret. Bonus enim me-
dicus poculum quod ægro daturus eſt ipſe prius
guſtat, ut peritiam artis ſuæ antè ipſe in ſe demon-
ſtret, ut experimentum æger accipiens ſecurus ſit
de poculo, ſecurior de ſalute. Deinde quo loco
Matt. 4 hoc ipſum tẽpus ieiunij ꝓcurarit. Dicit em̃ Euan-
geliſta abſtinuiſſe dominum quadraginta diebus
Gen. 3 & noctibus in deſerto. Arbitror itaq; cauſam hãc
eſſe ieiunij, ut quia primus Adam in paradiſo con
ſtitutus per intemperãtiam gulæ, gloriam immor-
talitatis amiſerat, eandem immortalitatẽ ſecũdus
Adam Chriſtus per abſtinentiã repararet. Et quia
contra mandatũ dei guſtans de interdicta arbore
peccatũ mortis inciderat, nunc ſecundum manda
tum domini ieiunans uitæ iuſtitiã mereretur. Hoc
enim egit ſaluator ut eiſdem ueſtigijs quibus ad-
miſſa fuerant delicta purgent̃, hoc eſt, quia homo
manducando deliquerat, corrigat abſtinẽdo: uel
quia epulando mulierem cognouerat, ut eandem
ieiunando deſpiciat. Adam enim Euã non niſi in-
temperantia prouocante cognouit. Quãdiu autẽ
manſit in illis temperata parcitas, manſit & impol
luta uirginitas, & quãdiu ieiunauerunt ab interdi
ctis epulis, tãdiu & à pudendis ieiunauerunt pec-
catis. Fames enim amica uirginitatis eſt, inimica
laſciuiæ: ſaturitas uero caſtitatẽ prodit, nutrit ille-
cebram. Igitur ſicut dixi, hoc egit dominus, ut his
B præiudicijs quibus homo obnoxius peccatis fue-
rat liberaretur. Propterea nanq; per omnia ſecun-
dum ſimilitudinẽ Adæ naſci uoluit, ut ſecundũ ſi-
militudinem Adæ omnia hominis peccata diſſol-
ueret. Adã enim de terra uirgine natus eſt, & Chri
ſtus de Maria uirgine procreatus: illius maternũ
ſolũ necdũ raſtris ſciſſum fuerat, iſtius maternũ ſe-
cretum nunq̃ cõcupiſcentia uiolatũ. Adã dei ma-
nibus plaſmat̃ de limo, Chriſtus dei ſpiritu forma-
tur in utero. Ideo oritur deo patre, uterq; uirgine
utiq̃ matre, uterq; ſicut Euangeliſta dicit, filius dei
eſt: ſed Adam creatura eſt, dei filius Chriſtus uera
ſubſtãtia. Hoc ergo agit dominus ſicut Adam ſe-
cũdus, ut quod prior homo mãducando perdide-
rat, hic alter ieiunãdo recipiat, ac legem in paradi-
ſo abſtinentię datã in deſerto cuſtodiat. Sciebat e-
nim pręceptũ dei non unius loci legẽ eſſe, ſed mũ-
di. Non enim intereſt diuinitatis mandatũ utrum
domi an in agro cuſtodias, cum ubiq; ſit qui pręce
pit. In deſerto itaq; ſaluator implet mandatũ dei,
ut ibi Adam ſeruaret errãtẽ, ubi fuerat de paradiſi
poſſeſſione proiectus. Adã enim expulſus de pa-
radiſo, inculta mũdi deſerta ſuſtinuit. In deſerto er
go primũ hominis ſalus refundit̃, ubi deſunt epu-
læ, ubi deſunt delicię, ubi quod eſt omnium malo
rum cauſa, deeſt & mulier. Poterat enim Adã in-
ter illas paradiſi delicias inconcuſſus ſtare, ſi Eua
ibidem cum diabolicis inſidijs non fuiſſet. Conue
niens ergo eſt deſertum ſaluti, ubi nõ eſt Eua quæ
D perſuadeat, nõ eſt mulier quæ blandiatur. Videte
rem miram. In paradiſo cum Adã diabolus decer-
tat, in deſerto cũ Chriſto diabolus dimicat: ubiq;
inſidiatur homini, ubiq; congreditur, ſed ubi mu-
lierem inuenit, uincit: ubi mulierem non inuene-
rit, uictus abſcedit. Formã igitur dedit nobis deus
in hoc facto, ut ieiuniorũ tempore tanq̃ in deſer-
to habitãtes, abſtineamus epulis uoluptatum, mu
lier ne coniungat̃ nobis Eua, ne nos à caſta obſer-
uatione illecebroſa perſuaſiõe ſubuertat. In deſer-
to enim quodã modo uidet̃ habitare, qui quadra-
geſimę tẽpore ieiunus & caſtus eſt. Deſertũ planè
quoddã ipſum corpus eſt Chriſtiani, cum non re-
pletur cibis, non poculis irrigatur, ſed arentis ine-
diæ ſqualore negligitur. Deſertũ in quã, eſt corpus
noſtrum

noſtrum, cum per dies aliqua abſtinẽtia marceſcit
carnis ſpecies, colore neglecto & cõtemptu rerũ A
totius hominis ſpecies inculta ſordeſcit. Tũc Chri
ſtus dominus habitat deſertum pectoris noſtri, cũ
terram noſtram fame ſqualidam ac ſiti aridam eſſe
Pſal. 62 repererit, ſecundum quod ait Propheta Dauid, Si
cut terra deſerta & inuia & inaquoſa, ſic in ſancto
apparui tibi. Aliter enim in ſancto ei apparere nõ
poſſumus, niſi terra corporis noſtri fuerit deſer-
ta mundanis delicijs, inuia inimicis concupiſcen-
tijs, & inaquoſa libidinoſis concupiſcentijs & ille
cebris. Tunc habitans ſaluator hoc deſertum cor-
poris noſtri omnes ibi diabolicas factiones exupe
rat, et ſecretum ac ſecurum à cogitationibus ſeculi
eſſe ſuum facit habitaculum: ut deinceps nos intra
noſmetipſos uelut in ſolitudine conſtituti, nõ niſi
cœlum reſpiciamus & terram, hoc eſt, non cogite B
mus alium, niſi cœleſtis regni dominum & terre-
næ reſurrectionis actorem, preſtãte ipſo domino
noſtro Ieſu Chriſto, qui uiuit & regnat in ſecula ſe
culorum, Amen.

In eadem feria de conceptu Rebeccæ:

SERMO LXXVIII

Sermo II

S I expoſitionẽ ſanctarũ ſcripturarũ eo
ordine & illo eloquio, quo à ſanctis pa
tribus ſunt expoſitæ, charitatis ueſtræ
auribus uoluerimus intimare, non niſi ad paucos
ſcholaſticos cibus doctrinæ poterit peruenire, re
liqua uero populi multitudo ieiuna remanebit. Et
ideo rogo humiliter ut contentę ſint eruditę aures
uerba ruſtica æquanimiter ſuſtinere, dũmodo to-
tus grex domini ſimplici, & ut ita dixerim, pede-
ſtri ſermone pabulum ſpiritale poſſit accipere. Et
quia imperiti & ſimplices ad ſcholaſticorũ altitu-
dinem nõ poſſunt aſcẽdere, eruditi ſe dignent̃ ad
illorum ignorantiã inclinare: quia quod ſimplici-
bus dictum fuerit, ſcholaſtici intelligere poſſunt:
quod aũt eruditis fuerit prædicatum, ſimplices o-
mnino capere nõ ualebũt. Lectio nobis de beato
Iſaac & ſancta Rebecca, & paruulis qui in eius u-
tero collidebantur recitata eſt. Quòd aũt beatus
Iſaac typum habuerit dñi ſaluatoris, penè nulli ha-
betur incognitũ. Iſaac ergo Chriſtum dñm, beata
autem Rebecca eccleſiam figurauit. Quę cũ mul-
to tempore ad exemplũ ipſius eccleſiæ ſterilis per
Gen. 25 maneret, beato Iſaac orante & domino donante
concepit, ſed collidebantur paruuli in utero eius: D
quorũ moleſtiã non ſuſtinens, dixit, Si ſic mihi fu-
turum erat, quid neceſſe fuit concipere? Et ait illi
dñs, Duæ gentes in utero tuo ſunt, & duo populi
de uentre tuo diuident̃, populusq; populũ ſupera
1 Cor. 10 bit, & maior ſeruiet minori. Hęc omnia fratres cha-
riſſimi, ſicut dicit Apoſt. in figura cõtingebãt illis:
ſcripta ſunt aũt propter nos. Cõcepit ergo corpo-
raliter de beato Iſaac Rebecca, quia cõceptura e-
rat ſpiritaliter de Chriſto eccleſia. Sed ſicut duo
paruuli in utero Rebeccę collidebant̃, ſic in utero
eccleſiæ duo ſibi populi iugiter aduerſant̃. Si em̃
aut ſoli mali, aut ſoli boni eſſent, unus populus eſ-
ſet: quia uero in eccleſia & boni inueniunt̃ & ma-
li, tanq̃ in uentre ſpiritalis Rebeccæ duo populi
collidunt̃, humiles ſcilicet & ſuperbi, caſti & adul
teri, mãſueti & iracũdi, benigni et inuidi, miſericor
des & cupidi. Boni em̃ lucrari uolunt malos, mali
uero extinguere cupiũt bonos. Bonorũ deſideriũ
eſt, ut qui mali ſunt, corrigant̃: malorũ ſtudiũ eſt, ut
qui boni ſunt cõſumant̃. Vnũ eſt genus piorũ, ali-
ud impiorũ, Genus piorũ ad cœlũ erigit̃ per humi
litatẽ: genus impiorũ ad infernũ demergit̃ per ela
tionem. Omnes em̃ qui in eccleſia catholica terre-
na ſapiunt, terrã diligũt, terrã cõcupiſcunt, & om-
nem ſpẽ ſuã in terra cõſtituunt, ad Eſau pertinent.
Quicunq; ideo deo ſeruire optat, ut honorib. cre-
ſcat, & lucra terrena percipiat, & ipſe ad Eſau, id
eſt, ad terrenã felicitatẽ pertinere cognoſcitur. In
Eſau em̃ carnales intelligunt̃, in Iacob uero ſpiri-
tales, Iſti em̃ duo populi ſicut beatus Apoſt. eui-
B denter aſſignat, cũ carnales demonſtrat, & ſpirita
les inſinuat, Sic enim ait, Manifeſta ſunt opera car Gal. 5
nis, quæ ſunt fornicatio, immũditia, luxuria, idolo
rum ſeruitus, ueneficia, inimicitiæ, cõtentiones, ę-
mulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ,
ebrietates, comeſſatiões, Ecce fructus populi per
tinentis ad Eſau, Qui aũt ſunt fructus qui pertinẽt
ad Iacob, idem Apoſtolus in conſequentibus ad-
iungit dicens: Fructus autem ſpiritus eſt charitas,
gaudium, pax, longanimitas, fides, bonitas, beni-
gnitas, modeſtia, cõtinentia. Ecce opera ſpiritaliũ
ad beatũ Iacob, id eſt, ad piorũ populum pertinen
tia. Quod autem dictum eſt, Populus populũ ſu-
perabit, & maior ſeruiet minori: ſecundũ literam
C in Eſau uel in Iacob non uidemus impletum. Non
enim corporaliter beato Iacob Eſau ſeruiſſe com-
memorat ſcriptura. Quomodo ergo hoc oporte-
at intelligi, aut qualiter maior populus minori ſer
uiat, ſpiritaliter debemus intelligere. Niſi em̃ fie-
ret, nõ hic ſancta ſcriptura cõmemoraret. Quõ er-
go populus maior ſeruiat minori, hoc qui diligen
ter attendit, in Chriſtianis uel in Iudæis agnoſcit.
Maior em̃ & ſenior populus Iudæorũ iuniori, id
eſt, populo Chriſtiano ſeruire probat̃, dũ per totũ
mundũ libros diuinæ legis ad inſtructionẽ omni-
um gentiũ portare cognoſcit̃. Ideo em̃ per omnẽ
terrã Iudęi diſperſi ſunt, ut cum aliquẽ Paganũ ad
fidem Chriſti uolumus inuitare, & ab omnib. pro
phetis ipſum Chriſtum eſſe annunciatũ teſtamur:
& ille reſiſtens dixerit, à nobis potius quàm à ſpiri
tu ſancto libros diuinæ legis eſſe conſcriptos: nos
habeamus unde eũ redarguere certa ratione poſ-
ſimus, dicentes ei, Si de meis libris tibi dubitatio
naſcitur, ecce Iudæorum libros utiq; inimicorũ no
ſtrorũ, quos certum eſt ſi ego conſcribere uellem
mutare nõ potui: ipſos relege, & cum in ipſis hoc
quod in meis libris inueneris, noli eſſe incredulus
ſed fidelis. Hoc ordine maior populus minori ſeru
ire cognoſcitur, dum etiam per illorum libros ad
credẽdũ in Chriſto gentiũ populus inuitatur. Sed
& alio modo populus maior ſeruiet minori. Quo
inquis ordine? Illo utiq; quo mali ſeruiunt bonis,
non utiq; obſequẽdo, ſed perſequẽdo. Quõ ergo
mali ſeruiũt bonis? Quomodo perſecutores mar-
tyribus, quomõ limæ uel mallei auro, quomodo

molæ ſeruiũt tritico,quõ panibus coquendis for-
nalia,ut illi coquanť,illi conſumanť. Quõ, inquã,
mali ſeruiunt? Quõ in fornace aurificis palea ſer-
uit auro, ubi ſine dubio palea conſumitur, aurum
probatur. Nõ ergo glorienť, nec ſe extollãt mali,
quando bonis aliquas tribulationes immiſerint:
quia cum illos perſequuntur in corpore, ſe occide
re probantur in mente. Vt ad uirum bonum per-
ueniat hominis mali aduerſitas,iam illius animam
putrefacit iniquitas. Qui ergo malo animo uirum
bonum iracundię furore ſuccenſus conatur incen
dere,utrũ ille poſſit exuri, adhuc dubiũ eſt. Quòd
autem iſte iam ardeat dubium non eſt,quia forte il
le uir bonus ſpiritali ſucco & ſanctiſpiritus refrige
rio plenus, appoſito perſecutionis igne nõ ardet:
ille uero qui eum conatur exurere,ſine dubio non
poteſt nõ ardere. De uno ergo ſemine Iſaac, & E-
ſau naſcitur & Iacob:ſicut de uno baptiſmo dñi ſal
uatoris & de eccleſiæ utero procreatur populus
Chriſtianus,qui tamen pro morũ diuerſitate,ſicut
& Iacob in duas partes diuidiť, cũ ex fructibus o-
perum una pars cognoſcitur carnalis, alia ſpirita-
lis.Ideo autẽ dixit,Maior ſeruiet minori, quia ſem
per maior eſt numerus malorum ꝙ bonorum. Et
ſicut illi duo paruuli in utero Rebeccæ, ita & iſti
populi in uentre eccleſiæ uſq; in diem iudicij colli
duntur, dum ſicut iam ſupra diximus, humilibus
aduerſanť ſuperbi,dum caſtos adulteri perſequun
tur,dum quorum infinitus eſt numerus, ebrioſi ſo
brios inſectantur, dum benignis inuidi æmulan-
tur, dum eleemoſynarios raptores,dum pacificos
extinguere cupiunt iracundi, dum eos qui cœle-
ſtia ſapiunt ad terram retrahere luxurioſi conanť.
Vnde rogo fratres,ut quicunq; in his malis ſe ſen-
tit obnoxium, dum tempus eſt cum dei adiutorio
ſtudeat trãſferri ad dexteram, & relictis uitiorum
ſordibus ad uirtutum ornamenta redire feſtinet,
unde in die iudicij ab auditu malo liberari, & illã
Matt.25 uocem deſiderabilem mereamur audire, Euge ſer
ue bone,intra in gaudium domini tui. Attẽtius ta-
men rogo & admoneo fratres, ut ad uigilias matu
rius ſurgere ſtudeatis,ad tertiam,ad ſextam, ad no
nam feliciter ueniatis, caſtitatem ante omnia per
totam quadrageſimam uſq; ad finem Paſchæ cum
proprijs uxoribus cuſtodite. Quod prãſuri eratis,
pauperibus erogate. Pacem ipſi habete, & quos
diſcordes agnoueritis,ad concordiam reuocate.
Peregrinos excipite, nec uos pigeat eorum pedes
abluere.Non erubeſcat exercere Chriſtianus, ꝗd
implere dignatus eſt Chriſtus.Cum bona uolunta
te pauperibus ſecundum uires ueſtras eleemoſy-
2 Cor.9 nas erogate. Hilarem enim datorem diligit deus.
Impedimenta mundi, ſi ad integrum non poteſtis
abſcindere, uel ex parte aliqua tẽperate, ut lectio-
ni uel orationi poſſitis inſiſtere, ut in ſancta exce-
ptoria pectoris ueſtri ſpiritale uinum,id eſt, uerbũ
dei abundantius reponentes,repudiatis omnibus
criminibus atq; peccatis,cum libera & ſyncera cõ
ſcientia deo ſeruire poſitis.Et cum ſancta ſolenni-
tas paſchalis aduenerit, charitatem non ſolum cũ
bonis, ſed etiam cum malis fideliter ac feliciter re-
tinentes, cum gaudio & exultatione mundo cor-
A de & caſto corpore ad altare dñi poſſitis accedere
& corpus & ſanguinem eius unuſquiſq; ueſtrum
non ad iudiciũ animæ ſuæ mereatur accipere,præ
ſtante eodem dño noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt ho-
nor & imperium cum patre & ſpiritu ſancto in ſe-
cula ſeculorum,Amen.

Item in eodem die Homilia de eo quod ſcriptũ
eſt in euangelio ſecundum Matthæum, Aſcẽdẽs Matth.20
Ieſus Hieroſolymam,aſſumpſit duodecim diſcipu
los ſuos ſecreto: &c. quæ habetur de quæſtionib.
Euangeliorum lib. I.cap.XXIX

Feria quinta poſt ſecundam dominicã in qua-
drageſima,de ſcala Iacob: Sermo I

C VM diuina lectio legereť, fratres cha- SERMO
riſſimi,audiuimus quod ſupplicãte ſan LXXIX
cta Rebecca,Iſaac uocauerit filium ſu- Gen.28
B um Iacob,et dixerit ei ut pergeret in Meſopotami
am Syriæ,& inde ſibi uxorem acciperet: & quod
ille humiliter obediens patri abierit, & in ipſo iti-
nere uenerit ad quendam locum, & ſuppoſuerit
lapidẽ capiti ſuo atq; dormierit, & uiderit in ſom-
nis ſcalã uſq; ad cœlos pertingentẽ, & angelos dei
aſcendentes & deſcendentes per eam: dñm aũt in
cumbentem ſcalæ & dicentẽ ſibi,Iacob Iacob, no
li timere,ego ſum tecum,& ego ero ſocius itineris
tui.Beatus eñi Iſaac,fratres chariſſimi, qñ filiũ ſu-
um dirigebat in Meſopotamiã,dei patris typũ prę
figurabat,Iacob uero Chriſtũ dominũ deſignabat.
Beatus ergo Iſaac neglectis mulieribus regionis
in qua habitabat,mittebat filium ſuum, ut in regi-
C one longinqua ſibi uxorẽ acciperet: quia deus pa
ter miſſurus erat unigenitũ ſuũ,qui repudiata ſyna
goga,de gentibus ſibi eccleſiã ſociaret. Hoc tunc
in ueritate completũ eſt, qñ Iudæis Apoſtoli dixe
runt, Vobis quidẽ primũ oportebat loqui uerbũ Act.13
dei, ſed quia uos indignos iudicaſtis æternę uitæ,
ecce cõuertimur ad gẽtes.De beato Iacob non le-
gimus ꝙ cũ equis aut aſinis aut camelis abierit,ſed
hoc tantũ legimus ꝙ baculũ in manu portauerit.
Sic enim ipſe dum ſupplicaret dño dixit, Domi- Gen.32
ne,inquit,minor ſum omnibus miſerationibus tu
is,cum baculo meo trãſiui Iordanẽ iſtum, & ecce
duabus turmis regredior.Iacob ergo ad accipien-
dã uxorẽ exhibuit baculũ,& Chriſtus ad redimen
D dam eccleſiam detulit crucis lignum.Iacob dormi
ens poſuit lapidẽ ſub capite ſuo, & uidit ſcalã per
tingentẽ ad cœlũ,& dñm incũbentẽ ſcalę. Videte
fratres,quanta ſint in hoc loco myſteria. Iacob ty-
pum gerebat dñi ſaluatoris,& lapis quẽ ſuppoſuit
capiti ſuo nihilominus Chriſtum dñm figurabat.
Quare lapis ad caput Chriſtũ ſignificet,audi Apo
ſtolum,Quia caput uiri Chriſtus.Deniq; unxit be 1 Cor.11
atus Iacob lapidem ipſum. Attendite unctum, &
intelligis Chriſtum.Chriſtus ab unctione, id eſt, à
chriſmate unctus interpretatur.Sed ſi Iacob domi
num in terra dormiẽs figurabat, quid eſt quod in
cœlo dominus ſcalæ innixus incũbebat? Quomõ
Chriſtus dominus & in cacumen ſcalæ in cœlo,
& in beato Iacob eſſe uidebatur in terra? Quòd
autẽ & in cœlo ſit Chriſtus & in terra, audi ipſum
Chriſtum

Chriſtum dicentẽ,Nemo aſcẽdit in cœlũ, niſi qui
de cœlo deſcẽdit,filius hominis, qui eſt in cœlo.
Aduertite,quia & ipſe dñs & in cœlo & in terra ſe
eſſe dixit.Chriſtum dñm, fratres chariſſimi, caput
eſſe eccleſiæ cõfitemur.Si caput eſt eccleſiæ,ſecun
dum caput in cœlo eſt,ſecũdũ corpus in terra. De
nique cum beatus Paulus Apoſtolus perſequere-
tur eccleſiam, Chriſtus de cœlo clamauit, Saule
Act.9 Saule,quid me perſequeris? Non dixit,quid perſe
queris ſeruos meos: nec hoc dixit, quid perſeque-
ris membra mea:ſed hoc dixit, quid me perſeque-
ris.Iam quaſi pede calcato lingua clamat, Calcaſti
me:cũ utiq; lingua calcari nõ poſſet, ſed per cõcor
diam charitatis caput pro membris omnibus cla-
mat. Iacob ergo dormiebat, & dñm in cacumen
ſcalæ uidebat incumbere. Quid eſt in ſcala incum-
bere,niſi in ligno pẽdere? Cõſiderate fratres, quis
in ligno crucis pendens pro Iudæis orauerit, & a-
gnoſcetis quis ad Iacob ſcalæ incumbens de cœ-
lo clamauerit. Sed quare hoc in itinere factum eſt
anteq; Iacob uxorem acciperet? Quia & uerus Ia-
cob dñs noſter prius in ſcala, id eſt, in cruce occu-
buit,& poſtea ſibi eccleſiã ſociauit, dans ei in prę-
ſenti arras ſanguinis ſui,daturus dotẽ poſtmodum
ſui regni. Quòd autẽ & Iacob dormiens,& domi-
nus ſcalæ incumbens,Chriſtum figurauit, attendi
Ioan.1 te & uidete rei huius altitudinem. Cũ enim ſalua-
tor noſter de Nathanael loquens beatũ Iacob no-
minaſſe dicens:Ecce Iſraelita in quo dolus nõ eſt:
in cõſequentibus dixit, Amodo uidebitis cœlos
apertos,& angelos dei aſcẽdentes & deſcendẽtes
ad filium hominis.Quod Iacob per figurã in ſom-
nis uiderat,hoc de ſe dominus in Euangelijs præ-
dicabat. Videbitis,inquit,cœlos apertos,& ange-
los dei aſcẽdentes & deſcẽdẽtes ad filiũ hominis.
Si ad filiũ angeli deſcẽdebãt, ꝗa in terris erat, quõ
hi ipſi angeli aſcendebant ad filiũ hominis, niſi ꝗa
& in cœlis erat? Ac ſic & in Iacob ipſe dormiebat,
& de cœlo ad Iacob ipſe clamabat.Hęc omnia fra
1 Cor.10 tres, ſicut Apoſtolus clamat, in figura continge-
bant illis:ſcripta ſunt autẽ propter nos, in quos fi-
nis ſeculorum deuenit. Quõ tamen fratres,angeli
dei ad filium hominis in cœlum aſcendant, & ad
ipſum filium in terram deſcendant, diligenter at-
tendite. Quando enim prædicatores dei de ſcri-
pturis ſanctis alta & profunda quæ non niſi à per-
fectis intelliguntur annunciant, aſcendunt ad fili-
um hominis: quando uero illa prædicant quæ ad
corrigendos mores pertinent, & quæ om̃is popu
lus intelligere poſſit, deſcẽdunt ad filiũ hominis.
1 Cor.2 Sic & Apoſtolus dicit, Sapientiã loquimur inter
perfectos, ſapiẽtiam non huius ſeculi, ſed arcanã,
abſconditam,quam prædeſtinauit deus ante ſecu
la in gloriam noſtram. Iſta quando dicebat Apo-
ſtolus,ſine dubio aſcendebat ad filium hominis.
1 Cor.6 Quando autem dicebat, Fugite fornicationem,
Ephes.5 quando dicebat, Nolite inebriari uino in quo eſt
1 Tim.6 luxuria: quando denunciabat, Radix omniũ ma-
lorum eſt cupiditas: in his uerbis tanquam ange-
lus dei deſcendebat ad filium hominis, Quando
Coloſſ.3 autem dicebat; Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ
ſuper terram,aſcendebat. Cũ uero dicebat,Sobrij 1 Cor.15
A eſtote & nolite peccare:& reliqua quę ad corrigẽ
dos mores pertinent prædicabat,lac doctrinæ mi
niſtrans tanq; nutrix paruulis, deſcendebat, quia
illa loquebatur quæ etiã imperiti capere poſſenť.
Hoc ordine & aſcenditur & deſcenditur ad filium Heb.5
hominis,cũ & pfectis cibus ſolidus tribuiť, & do-
ctrinæ lac etiã nõ negatur. Sed & beatus Ioannes
aſcendebat,quando dicebat, In principio erat uer Ioan.1
bum,& uerbum erat apud deũ,et deus erat uerbũ.
Satis in altum aſcendebat,quãdo iſta dicebat.Sed
quia angeli dei non ſolum aſcendunt ſed etiã de-
ſcendunt,inclinans ſe ad paruulos dixit, Verbum
caro factum eſt & habitauit in nobis. Vt hæc quæ
ſuperius ſuggeſſimus,ſanctis cordibus ueſtris poſ
ſint tenacius inhærere, bræuiter quæ dicta ſunt re
B petemus. Beatus Iſaac, ſicut diximus, mittens fili- Gen.28
um ſuum,typum dei patris habuit: Iacob qui miſ-
ſus eſt,Chriſtum dominum deſignauit. Lapis quẽ
ad caput habuit & oleo unxit, & ipſe ſignificauit
dñm ſaluatorẽ,Scala uſq; ad cœlos attingens,cru-
cis figuram habuit. Dominus innixus ſcalæ,Chri-
ſtus crucifixus oſtenditur. Angeli aſcendentes &
deſcendentes per eam, Apoſtoli & apoſtolici uiri
& omnes doctores eccleſiarum intelligũtur:aſcẽ-
dentes,quando perfectis perfecta prædicant: de-
ſcendentes,quãdo paruulis & imperitis ſimplicia
quæ intelligere poſſint,inſinuãt. Nos uero fratres
qui omnia quæ in ueteri teſtamento figurata ſunt,
in nouo teſtamento uidemus eſſe completa, quã-
C uis poſſumus, deo gratias referamus, ꝗ nobis nul-
lis præcedentibus meritis tanta præſtare dignatus
eſt,totis uiribus cũ ipſius adiutorio laborantes, ut
hæc tanta & talia beneficia non nobis iudiciũ pa-
riant ſed profectum. Quinimo ita ſpiritaliter ſtu-
deamus uiuere,& bonis operibus ſemper inſiſte-
re, ut cũ nos caſtos, ſobrios, miſericordes & pios
iudicij dies inuenerit, non cum impijs & peccato
ribus puniamur,ſed cum iuſtis & deum timentib.
peruenire ad æternam beatitudinem mereamur,
præſtante domino noſtro &c.

Item eodem die Homiliæ de eo quod ſcriptum
eſt in Euangelio ſecundum Lucam, Homo qui-
dam erat diues,& induebať purpura & byſſo: etc.
quæ habentur inter ſermones De uerbis domini,
XXIIII. & XXV. Et de quæſtionibus Euange-
D liorum lib. 2.cap.38. Et in lib. L. Homiliarum, in
VII. inſertum eſt.

Item aliæ Homiliæ de eo quod ſcriptum eſt in
Euangelio ſecundum Ioannem. Nõ poſſum ego Ioan.5
à meipſo facere quicquam: &c. quæ habentur in
expoſitione doctoris ibidẽ,Et inter ſermones De
uerbis domini, XLIII. XLV.

Feria ſexta poſt ſecundam dominicam in Qua
drageſima,de Iacob & Laban: Sermo I

F Requenter charitati ueſtræ ſuggeſſimus, SERMO
fratres dilectiſſimi, beatum Iacob typum LXXX
habuiſſe & figurã domini ſaluatoris. De-
niq; quomodo Chriſtus uẽturus erat in mundum
ut iũgeretur eccleſiæ,ita in beato Iacob hoc prefi-
guratum eſt,quando in regionẽ longinquã pere-
grinatus

grinatus est, ut coniugiũ sortireẽ. Abijt ergo sicut audistis, beatus Iacob in Mesopotamiã ad accipiendã uxorẽ, & cum uenisset ad quendã puteũ, uidit Rachel uenientẽ cum ouibus patris sui: & cũ agnouisset consobrinã suam esse, adaquato grege osculatus est eam. Si diligenter audistis fratres, potestis agnoscere nõ fuisse sine causa, q̃ sancti Patriarchæ matrimonia ad puteos aut fontes inueniũt. Si hoc semel tantũmodo euenisset, poterat aliquis dicere non pro aliqua significatione factum esse, sed casu potius accidisse. Cum uero & beata Rebecca quæ iungenda erat Isaac, ad puteum inuenitur, & Rachel quam accepturus erat Iacob, ad puteum agnoscitur, nihilominus & Sephora quæ Moysi iuncta est, ad puteum reperitur, sine dubio aliqua in his sacramenta debemus agnoscere. Et quia toti tres isti Patriarchæ typum domini saluatoris præferebant, ideo ad fontes uel ad puteos in ueniunt matrimonia, quia Christus ad aquã baptismi inuenturus erat ecclesiam. Denique ueniens Iacob ad puteum, prius gregẽ adaquauit, & postea osculatus est eam. Verum est fratres charissimi, nisi prius per aquam baptismi Christianus populus à malis omnibus abluatur, pacẽ Christi habere nõ meretur. Nunquid beatus Iacob uidens consobrinam suam, non eam potuit osculari prius quàm aquam gregibus daret? Potuit sine dubio, sed mysterium gerebatur. Oportebat enim ut per gratiã baptismi ab omni iniquitate uel discordia liberaretur ecclesia, & sic pacẽ cum deo habere mereretur. Quòd aũt in illa peregrinatione duas uxores accepit Iacob, duos populos figurabat, Iudęorũ & gẽtium. Nam in aduentu Christi non paruus numerus etiam de Iudæorum populo in eum legitur credidisse. Sic enim in Apostolorum actibus cõtinetur, q̃a crediderũt una die tria milia, itẽ alia die quinq̃ milia, itẽ postea multa milia. Quòd aũt duo populi in Christum crediderint, etiã ipse dñs in euangelio confirmat, ubi ait, Habeo & alias oues quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, ut fiat unus grex & unus pastor. Duæ ergo illæ mulieres, id est Lia & Rachel, quæ beato Iacob fuerãt iunctæ, istos duos populos figurauerũt, Lia Iudæorum, Rachel gentiũ. Istis duobus populis uelut duobus parietibus, tanq̃ lapis angularis iunctus est Christus. In ipso enim se osculati sunt, & in ipso æternam pacem inuenire meruerũt, sicut Apostolus dicit, Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum. Quomodo fecit utraq̃ unum? Vtiq̃ duos greges iungendo, & duos parietes sibijnuicẽ copulãdo. Denique uidete quid postea cõsecutus est. Dicit enim scriptura, q̃ post hæc diues factus fuerit beatus Iacob. Sicut emẽ sanctus Iacob creuit ac ditatus est, & cum infinita substantia ad patriã reuersus est: ita & uerus Iacob dñs noster Iesus Christus ueniens in hunc mundũ, & istas duas sibi plebes, id est, gentium & Iudæorum cõsociant, innumerabiles ex eis filios spiritaliter genuit & creauit, ac ditatus est nimis. Denique audi ipsum dicentem, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Nam expoliato diabolo reuersus ad patrẽ magnas secum diuitias reportauit, secundum quod Psalmista de eo multo antè prædixerat, Ascẽdens in altum, captiuã duxit captiuitatẽ. Reuertẽte aũt Iacob ad patriã suã, persecutus est eũ Labã cũ socijs suis, & scrutatus omnẽ substãtiã eius, nihil de rebus suis inuenit: & quia de suo nihil inuenit, tenere eum omnino nõ potuit. Laban hic typũ diaboli habuisse nõ incõgrue dicit, q̃ & idolis seruiebat, & beato Iacob qui typũ dñi præferebat aduersarius erat. Persecutus est ergo Iacob, nihil apud eum de rebus suis inuenit. Audi hoc et uerũ Iacob in euãgelio dicẽtẽ, Ecce uenit princeps huius mũdi, et in me nihil inuenit. Cõcedat nobis diuina misericordia, ut etiã in nobis nihil de suis operib. noster aduersarius recognoscat. Si enim de suo nihil inuenerit, tenere nos uel reuocare ab æterna uita non poterit. Et ideo fratres charissimi, diligenter aspiciamus arcellas conscientiæ nostræ, perscrutemur latibula cordis nostri, & si nihil ibi q̃d ad diabolũ pertinet inuenimus, gaudeamus & deo gratias referamus, & quantũ possumus cũ ipsius adiutorio studeamus ut ianuæ cordis nostri semper aperiantur Christo, & usq̃ ad finẽ claudant diabolo. Si uero aliquid de operib. uel calliditate diaboli in animis nostris latitare cognoscimus, uelut uenenũ mortiferũ euomere uel expuere festinemus: ut cũ nobis insidiari uoluerit, & nihil quod ad se ptinet potuerit inuenire, cõfusus abscedat, & nos cũ Propheta gratias agentes clamemus ad dñm, Liberasti ex affligentibus nos, & eos qui nos oderunt cõfudisti. Lia ergo sicut supra diximus, significat illã plebẽ quæ de Iudæis iũcta est Christo. Rachel uero, ecclesiæ, id est omniũ gentiũ, typũ gessit: & ideo Lia nõ est furata idola patris sui, sed Rachel, quia post aduentum Christi non usquequaq̃ synagoga idolis seruisse cognoscit, sicut de ecclesia gentiũ manifestissime comprobatur: & propterea non apud Liam, id est, synagogam, sed apud Rachel quæ typum gentium præferebat, idola Laban legimus latuisse. Quòd autem uenit Iacob ad Iordanem, & transmissis omnibus rebus ipse solus remansit, & luctabatur cum uiro usq̃ dum ueniret aurora: Iacob in illa colluctatione Iudęorum populum figurauit, angelus qui cum illo luctabatur, typũ saluatoris domini præferebat. Luctatur Iacob cum angelo, quia populus Iudæorum luctaturus erat cum Christo. Vincebat Iacob angelum quia Iudæorum populus Christum usq̃ ad mortẽ persecuturus erat. Et quia non totus populus Iudæorũ infidelis extitit Christo, sicut iam supra diximus, sed non parua multitudo in nomine eius legitur credidisse, ideo angelus tetigit femur Iacob, & claudicare cœpit. Pes emẽ ille in quo claudicabat, Iudæos qui in Christum nõ crediderũt figurabat: ille uero qui sanus remãsit, illorũ typum gessit qui Christum dominũ receperunt. Denique diligenter attendite, quia Iacob in illa colluctatione & uincebat & benedictionẽ petebat. Cum enim dixisset angelus: Dimitte me: respondit Iacob, Non dimittam te nisi benedixeris mihi. In eo quod uincebat Iacob, Iudæos persecuturos Christum significabat

Gen.24 Exod.2 Gen.29 Act.2 Ioan.10 Ephe.2 Matt.28 Psal.76 Psal.43 Gen.31

ficabat: in eo q̃ benedictionẽ petebat, illũ populum figurabat qui in Christũ dñm crediturus erat. Denique quid ei dixit angelus? Si contra dñm fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Hoc tunc impletũ est, quãdo populus Iudæorum Christum dñm crucifixit. Dimitte me, inquit angelus, iam ascendit aurora: hoc iam resurrectionem domini figurauit, quia dñs, sicut optime nostis, ante lucem legit resurrexisse à mortuis. Quòd aũt Iacob typũ domini figurauit, etiã hinc cognoscimus, q̃ orans deum ut eum de manu Esau fratris sui eriperet, Domine, inquit, minor sum cunctis miserationibus tuis, in baculo meo trãsiui Iordanem, & ecce cum duabus turmis regredior. Verum est, fratres charissimi, baculo crucis Christus apprehendit mundum, et cũ duabus turmis, id est, cum duobus populis ad patrẽ redijt cũ triumpho. Hæc ergo fratres charissimi, frequentius cogitate, & uelut munda animalia spiritaliter ruminantes utilem & necessariũ cibũ uestris animis præuidete, illũ utiq̃ cibũ de quo dñs ait, Operamini nõ cibum qui perit, sed qui permanet in uitã æternã: ad quam uos dñs per suam pietatem perducat, cui est honor & imperium cum patre & sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

Gen.32 Ioan.6

Eodem die de somnio Ioseph: Sermo II

SERMO LXXXI

Quotiens uobis, fratres charissimi, lectiones de testamento ueteri recitantur, sicut frequenter admonui, non hoc solum debetis attẽdere quod sonat in uerbo, sed q̃d intelligitur & sapit in spiritu. Sic & Apost. cõmonet nos dicẽs, Litera occidit, spiritus aũt uiuificat. Hæc enim omnia quæ in ueteri testamento leguntur, sicut dicit Apostolus, in figura cõtingebãt illis, scripta sunt aũt propter nos. Cũ enim populus Christianus fideliter ad ecclesiã uenit, quid ei prodest q̃ audit qualiter sancti patriarchæ aut uxores acceperint aut filios procreauerint, nisi quare hæc facta sint, aut quid res ipsæ figurauerint, spiritali sẽsu perspexerit? Ecce audiuimus q̃ beatus Iacob genuerit filium, & uocauerit nomen eius Ioseph, & eum plusq̃ reliquos filios suos dilexerit. Hoc loco beatus Iacob figuram habuit dei patris, sanctus quoq̃ Ioseph typum gessit domini saluatoris. Diligebat ergo Iacob filium suũ, quia deus pater diligit unicũ suum, sicut ipse dixit, Hic est filius meus dilectus. Iacob misit filium suum, ut de fratribus suis solicitudinem gereret, & deus pater misit unigenitum suum, ut genus humanũ peccatis languidum uisitaret. Ioseph dum fratres suos quæreret, errabat in eremo, & Christus genus humanum requirebat quod errabat in mundo, quodammodo quasi & ipse errabat, quia errantes requirebat. Ioseph enim fratres suos quærebat in Sichimis. Sichima interpretatur humerus. Semper enim peccatores dorsum magis quàm faciem ponunt in faciem iusti. Humeri enim retro sunt. Sicut enim fratres Ioseph inuidia percussi, fraternæ dilectioni dorsum magis quàm facies offerebant, ita & infelices Iudæi ueniente ad eos salutis authore inuidere potius quàm diligere maluerunt. De talibus dicitur in psalmo, Obscurẽtur oculi eorũ ne uideãt, & dorsum illorũ semper incurua. Inuenit ergo Ioseph fratres suos in Dothaim. Dothaim interpretatur defectio. Verè in grandi defectiõe erant, qui de parricidio cogitabant. Vidẽtes ergo Ioseph fratres sui, de morte illius tractauerũt, sicut uidentes Iudæi uerum Ioseph dominũ Christũ, ut eum crucifigerent uno omnes consilio statuerunt. Ioseph expoliauerũt fratres sui tunica polymita & talari, & Iudæi Christum per mortem crucis expoliauerunt tunica corporali. Ioseph exutus tunica mittitur in cisternam, id est, in lacum, & Christus expoliatus carne humana descẽdit in infernum. Ioseph posteaq̃ de cisterna leuat, Hismaelitis, id est, gentibus uenditur: & Christus posteaq̃ de inferno redditur, ab omnibus gentibus fidei commercio comparatur. Ioseph per consilium Iudę triginta argenteis distrahitur, & Christus per consilium Iudę Iscariotis eodem numero uenundatur. Quòd autem in diuersis translationibus non æquali precio Ioseph scribitur uenundatus, sed alij dixerunt uiginti argenteis, alij triginta, hoc spiritaliter significauit, quòd Christus non æqualiter ab omnibus credendus uel diligendus esset. Denique etiam nũc in ecclesia, alij eum plus diligunt, alij minus. Ipsi enim plus ualet Christus, qui eum maiori charitate dilexerit. Ioseph descendit in Ægyptũ, & Christus in mundum. Ioseph à penuria frumenti saluat Ægyptum, & Christus à fame uerbi dei liberat mundũ. Nisi enim Ioseph fratres sui uendidissent, defecerat Ægyptus. Fratres, uerum est, nisi Christum Iudæi crucifixissent, perierat mundus. Videamus tamẽ fratres charissimi unde in beato Ioseph fratres sui tam crudeliter sæuierunt. Vnde, nisi inuidiæ ueneno per quod mors intrauit in orbem terrarum? Denique audi scripturam dicentem, Inuidebant ei fratres sui, & non poterant ei loqui quicquam pacificum. Vidit enim beatus Ioseph somnium, quasi stantem se in agro cum fratribus suis, & manipulos alligantem, & fratrum manipulos adorare manipulum suum. Hoc in illo Ioseph tunc impletum est, quando eum in Ægypto adorauerunt fratres sui. Et non incõgrue coacti sunt steriles manipuli fructuosum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant. Vidit etiam aliud somniũ, q̃d sol & luna & undecim stellæ adorarẽt eum. Cui respondit pater suus, Nũquid ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terrã? Hoc in illo Ioseph implerì nõ potuit, quia iã mater ipsius de hac luce migrauerat: in nostro uero Ioseph, id est, dño Iesu Christo, somni illius sacramẽta cõpleta sunt. Sol emẽ & luna & undecim stellæ eũ adorauerũt, quando post resurrectionem sancta Maria quasi luna, & beatus Ioseph uelut sol, cũ undecim stellis, id est, beatis Apostolis, incuruati & prostrati sunt ante eum: & impleta est prophetia quæ dixerat, Laudate eum sol & luna, laudate eũ oẽs stellę & lumẽ. Nã intantũ in illo Ioseph impleta nõ est somnij huius interpetatio, ut mater ipsius ante multos annos legatur fuisse defuncta, q̃ præfata somnia illa uidisset. Et reuera, quomodo

2 Cor.3 1 Cor.10 Gen.37 Matt.3 Psal.68 Gen.37 Psal.148

quomodo fratribus ipsius potest cõuenire, q̃ eum quasi stellæ adorare possent, quos inuidiæ nox obscuros & tenebrosos effecerat? Iam em̃ claritatem stellarũ perdiderãt, qui in se lumẽ charitatis extinxerant. Merito ergo hoc in dño saluatore nostro uerius credimus fuisse cõpletũ, quẽ sicut iã antea dixi, beatũ Ioseph et beatã Mariam, cum undecim apostolis frequentius legimus adorasse. Nam q̃ apostoli lumen stellarum habuerint, ipse dñs in
Matt.5 & 13 Euangelio dixit, Vos estis lux mundi. Et iterũ de ipsis ac suis similibus: Tunc iusti, inquit, fulgebunt sicut sol in regno patris eorũ, Ioseph interpretatur augmentatio siue ampliatio. Sed in illo Ioseph ampliationẽ non habuit, nisi sola Ægyptus: in nostro uero Ioseph augmentũ habere uniuersus meruit mundus. Ille Ioseph erogauit triticũ, noster erogare dignatus est uerbũ. In omnẽ terram exiuit sonus
B Apostolorũ: & in fines orbis terræ uerba eorum. Nos ergo fratres dilectissimi, qui nullis præcedentibus meritis tanta bona per misericordiã ueri Ioseph dñi nostri Iesu Christi consecuti sumus, ad q̃s non umbra ueteris testamenti, sed ipsa ueritas uenit, quantũ possumus cũ dei gratia laboremus, ut quod nobis cõtulit iudicatus, integrũ inueniat iudicaturus. Qui tibi tantum contulit, scit quantum reposcat. Et quidẽ ille cum uenerit, redditurus est quod promisit, sed requisiturus est quod redemit, & quod dedit in primo aduẽtu, exacturus est in secundo. Nemo ergo Christo dño nostro reddat mala pro bonis. Quis enim est qui ita impie agit, nisi ille qui accepit uitã & restituit mortẽ? Mortẽ em̃ restituit, qui seipsum male uiuẽdo interficit. Quis
C est qui reddit mala pro bonis? Ille qui cum deberet dare propria, rapit aliena, qui pro charitate reddit odium, inuidiã pro benignitate, pro humilitate superbiam, pro castitate luxuriam. Quis est qui Christo reddit mala pro bonis? Ille qui cum deberet lectioni insistere, & ad ecclesiam currere, eligit potius ad tabulam ludere, spectacula furiosa, uel cruenta, uel turpia frequentare: & cui oportebat peccata sua orãdo, legendo, eleemosynas faciendo cõsumere, studet potius augere & amplius cumulare. Quis est qui reddit mala pro bonis? Qui pro luce tenebras, pro benignitate malitiã, pro sobrietate ebrietatẽ, pro eleemosynis rapacitatem, pro iustitia iniquitatẽ restituit. Qui ergo hæc mala
D adiuuante dño nõ admisit, quantũ potest munera in se diuina custodiat: qui uero his malis se sentit obnoxium, & intelligit obuolutũ, cito ad pœnitẽtiæ medicamẽta recurrat, & anteq̃ anima illa tenebrosa de corpore mortis suæ discedat, eleemosynis, ieiunijs & orationibus remediũ sibi in die necessitatis acqrat. Sic ergo agamus fratres, ut ante tribunal Christi, & qui boni sunt coronã, et qui negligentes sunt ueniã consequanẽ, ut illos ornet uita integra, istos ualeat excusare correcta, præstante dño nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium in secula seculorum, Amen.

Item eodem die Homiliæ de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Matthæum: Homo erat paterfamiliãs, qui plantauit uineam, &c. Quę habentur inter sermones de uerbis domini quinquagesimonono. Et de quæstionib. Euangeliorũ lib. primo, cap. trigesimosecundo. Et lib. secundo capite trigesimooctauo.

Sabbato post secundam dominicam in quadragesima, de eo quod Ioseph latuit patrem in Ægypto: Sermo I

SERMO LXXXII

N beato Iacobo fratres charissimi, & in sancto filio eius Ioseph, qui diligenter attendit, rem nimis admirabilẽ deum fecisse cognoscit. Primũ non credo fuisse sine causa, quòd dñs qui se totiens dignatus fuerat ostendere beato Iacob, per tot annos noluit ei indicare, q̃ Ioseph filius eius uiueret, sed permisit eum longa afflictione consumi. Si hoc quisquã sine certa & euidenti ratione factũ esse credit, uel hoc consideret, quod nec filius eius Ioseph in tam proximo positus permissus sit ad patrem suum mittere, ut ei nunciaret quòd non solum uiueret, sed etiam in grandi honore floreret. Ab illo enim loco ubi erat beatus Iacob, usq̃ in Ægyptum uix erant trecenta miliaria. Vnde frequẽtissime & ex Ægypto in locis illis ubi Iacob erat, plurimi properabant, & ex illo loco ad Ægyptũ infinitæ multitudines assidue confluebant. Sed forte aliquis dicit, quòd beatus Ioseph paruulus exierit à patre suo, & ideo recordari eũ non potuisset. Non ita est fratres charissimi. Puer enim erat sedecim annorum, & nulla ratione parẽtes suos poterat obliuisci. Nam & in tantum eos oblitus nõ erat, ut fratres suos ubi primum uidit, agnosceret. Sed dicit aliquis, quòd licentiam aut potentiam non habuerit mittendi ad patrem suum. Etiam si hoc quasi uerisimile uideatur posteaquam de carcere deductus est, & dñs factus est in omni terra Ægypti, per illos septẽ annos fertilitatis, & illos duos qui transacti sunt tẽpore inopiæ antequam fratres sui ad eum descenderẽt: per istos nouem annos in trecentis miliarijs sine ulla dubitatione potuit mittere ad patrẽ suum: sed occulto iudicio hoc dñs fieri non permisit, intantum ut nec tunc se manifestaret fratribus suis, quãdo ad emendum triticum uenerant, quinimo durissime eis loquens, & fratrẽ illorum in uinculis tenens, ad patrem suum eos cũ grandi dolore redire iussit. Attẽdite adhuc ad aliud maius miraculum,
D & uidete quomodo beatus Ioseph, qui patrẽ suũ nouerat pro se intolerabilem amaritudinẽ sustinere, quasi paruũ esset q̃d antè pertulerat, adhuc & Beniamin ei fecit auferri, quo facto utiq̃ nouerat eum multiplicẽ passurum esse dolorem. Hęc enim omnia sine spiritussancti dispensatiõe facta fuisse non credo. Deus enim, cuius iudicia plerũq̃ sunt occulta, nunq̃ tamen iniusta, qui beato Iacob noluit indicare filiũ suũ uiuere, ille etiã sanctũ Ioseph non permisit ut patri suo gloriã suam nunciaret: quinimo adhuc Simeon in uinculis tenendo, Beniamin auferẽdo, ipsius patris sui angustias cumulauit. Hæc aũt fratres charissimi, si fideliter attendamus, cũ grãdi misericordia dominũ fecisse cognoscimus. Ab initio em̃ mundi hoc deus in sanctis suis exercuit, q̃d in beato Iacob cum grandi pietate compleuit.

compleuit. Sed quare sit hoc factum, diligenter attendite. Quamuis em̃ serui & amici dei capitalia
A crimina uitauerint, & multa opera bona fecerint, tamen sine minutis peccatis eos fuisse non credi-
Iob.15 mus, quia non mentitur ille qui dixit: Non est immunis à peccato, nec infans cuius est unius diei uita super terram. Et beatus Ioannes Euangelista, qui utique meritis non erat inferior sancto Ia-
1.Ioan.1 cob, clamat & dicit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos decipimus, & ueritas in no-
Pro.24 bis non est. Et illud quod alibi scriptum est, Iustus septies cadit & resurgit. Quia ergo, sicut iam dictum est, sine istis minutis peccatis Iacob esse non potuit, uolens deus ipsa parua peccata in hoc seculo tribulationis igne consumere, implet in eo q̃d
B Eccl.27 ipse per spiritum sanctum dixit, Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulatio-
Heb.12. nis. Et illud, Flagellat deus omnem filium quem
Act.14 recipit, Et illud, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei. Vt ergo sanctum Iacob deus noster uelut aurum, purgatum in futuro iudicio præsentaret, prius ab illo omnes maculas peccatorum absterſit, ut in eo ignis ille arbiter quod exureret inuenire non posset. Quod etiam in ipso beato Ioseph factum esse cognoscimus. Cum enim, sicut dixit scriptura, dominus esset cũ eo, & gratiam ei apud dominũ suum & apud prin-
cipem carceris dedisset, præuentus tunc est ut ab homine auxilium postularet, dicens magistro pin-
Gen.40 cernarum, Memento mei cum tibi bene fuerit, &
C supplica Pharaoni, ut me eijciat de isto carcere. Et
Psal.117 quia nondum scriptum erat: Bonum est sperare in domino, quàm sperare in homine: cum in omnibus dei gratiam meruisset, surreptum est illi ut ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere, tanquam diceret ei deus: Ego tibi ostendo, ut magis à me quàm ab homine debeas auxilium postulare. Sine ulla enim dubitatione credendũ est, quòd pro castigatione sancti Ioseph non permisit deus magistrum pincernarũ ut in mente haberet quod ei sanctus Ioseph quando de carcere dimissus est, supplicauerat. Et quia etiam & ipse Ioseph quamuis sanctus tunc, sine peccato esse non poterat, ideo tãto tempore fuit in carcere clausus, ut in eo
D Apoc.3 impleretur quod scriptum est, Ego quos amo arguo, & quos diligo castigo. Si diligenter attendimus fratres charissimi, quod erga beatũ Iacob deum fecisse credimus, hoc etiam Ioseph circa fratres suos exercuisse cognoscimus, quia utiq̃ tam sanctus fuit, ut eos odio habere non potuisset. Vnde credendum est, quod ideo eos tantis tribulationibus fatigauerit, ut illos ad confessionem criminis, & ad medicamentum pœnitentiæ prouocaret. Deniq̃ cum ingenti dolore dixerunt se merito pati illa, quia peccassent in fratrem suum uidentes angustiam eius. Et quia sciebat beatus Ioseph, quòd fratribus suis parricidij crimẽ sine grãdi pœnitentia indulgeri non posset, & semel & secundo & tertio illos medicabili tribulatione tãquam spiritali igne decoxit, non ut se uindicaret, sed ut illos corrigeret, & de tam graui crimine liberaret. Denique priusquam peccatum suum confiterentur, & crimen quod admiserant mutua inter se castigatione consumerent, nec agnoscendum eis se dedit, nec pacis osculum eis indulsit. Cum uero illos pro peccato quod in ipso admiserãt humiliter uideret afflictos, deosculatus est singulos, & per singulos fleuit, & pauentium colla pio oculorum rore perfundens, odium fratrum charitatis lachrymis abluebat. Quod ergo deus in beato Iacob fecit, & quod Ioseph erga fratres exercuit, hoc etiam & nos in illis qui in nobis peccauerint debemus implere, & non ipsos sed peccata eorum studeamus odire, & ita uelimus secũdum culpæ merita durissima castigatione corripere, ut eos studeamus in ueritate diligere. Hæc si facimus fratres charissimi, implet̃ in nobis illud quod scriptum est, Inuicem onera uestra portate, & sic ad-
Gal.6 implebitis legem Christi. Ad extremum ut totum quod dixit breui sermone concludam, taliter indulgeamus eis qui in nobis peccauerint, qualiter uolumus ut nobis indulgeat deus quotiens in illo peccamus. Hæc si facimus, securi possumus dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos di-
Matt.6 mittimus debitoribus nostris. Adhuc nos delectabat cum charitate uestra de beato Ioseph aliquid loqui, sed propter pauperes qui ad opera sua festinant, melius est hoc ut nobis in die crastina reseruemus. Et ideo conuersi ad dominum misericordiam ipsius deprecemur, ut desiderium audiendi
C uerbum dei quod in nobis placatus cõtulit, & augere semper & conseruare dignetur, qui cum patre & spiritusancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

In eodem die Homiliæ de eo quod scriptum est
Luc.15 in Euangelio secundum Lucam, Homo quidam habuit duos filios, Et dixit adolescentior ex illis: Pater, da mihi portionem substantiæ, &c. quæ habentur inter Sermones de uerbis Domini, XXXIIII. Et de quæstionibus Euangeliorum libro II. cap. XXXIII. Et inter sermones ad fratres in eremo, XXVII.

Dominica tertia in quadragesima, de Ioseph, & domina sua: Sermo I.

SERMO LXXXIII

EATVS Ioseph sanctus & fidelis do-
B mini famulus tribulationibus magis iustus ostenditur, qui primo inuidia fratrum Hismaelitis in seruũ addictus, ab eisq̃ uenditus à quibus se uiderat adorandum, deinde Aegyptio domino traditus, semper tamen ingenui animi tenuit dignitatem: docuitq̃ exemplo suo & seruos & liberos in peccando non conditione coæquales esse, sed mente. Cum esset decorus & speciosus facie, pulchritudinem uultus sui non ad alienam deriuauit iniuriam, sed ad suam gratiam conseruauit, hoc se pulchriorem iudicans, si non dispendio castitatis, sed cultu pudoris speciosior probaretur: & illum esse uerum decorem qui non alienos oculos caperet, nec mentes fragiles uulneraret. Crimen enim dominæ suæ fuit quæ male uidit, non beati Ioseph qui male uideri non uoluit

luit. Nec in eo q uisus est culpa est, quia nõ erat in potestate seruili ut non uideretur à domina: maritus debuit cauere uxoris oculos. Discant tunc, & uiri cauere oculos fœminarum, cum amantur & qui nolũt amari. Deniq; adamatus est Ioseph, qui amantẽ cõtempserat: & bene excusauit eum scri-
Gen.39 ptura, dicens, Immisit oculos uxor domini eius in Ioseph: hoc est, non iste se ostentauit, nec illa cepit incautũ, sed illa retia sua immisit, & indagine sua capta est: catenas suas sparsit, & in suis uinculis colligata est. Dixit autẽ illi, Dormi mecũ. Prima adulterij oculorũ tela sunt, secũda uerborum. Sed qui nõ capitur oculis, potest uerbis resistere. Excusatur quòd ingressus est, prædicatur q̃ elapsus est. Nec plus fecit per uestimẽta corporis q̃ per animi castimoniam: reliquit tanquã non sua, quæ adultera manibus detinebat, & aliena iudicauit quæ tactu impudicę potuerant comprehendi. Magnus plane uir, qui uenditus seruire tunc nesciuit, ingenuam adamatus non redamauit, rogatus non acquieuit, apprehensus aufugit: concupiscitur adolescens à domina, sed ad concupiscentiam prouocatus & rogatus refugit, una hac in re blanditijs supplicat, quę in cæteris imperabat. Amabat illum, an potius se? Ego puto quia nec illum, nec se. Si illum amabat, quare uolebat perdere? si se amabat, quare quærebat perire? Ecce probaui, quia nõ amabat: ueneno libidinis ardebat, non flamma charitatis lucebat, Sed ille nouerat uidere quod illa nõ nouerat. Pulchrior erat in tus Ioseph q̃ foris, puchrior in luce cordis q̃ in facie corporis: ubi illius fœminę oculus non penetrabat, ibi ipse sua pulchritudine fruebatur. Intuens ergo interiorẽ pulchritudinẽ castitatis in speculo cõscientiæ suę, quando illã maculari, quãdo uiolari fœminea tẽtatione permitteret? Quod ergo uidebat in se, & tu uis uidere in te pulchritudinẽ pudicitiæ interiorẽ spũs talem? Si habes ad illã qualescunq; oculos, exẽpli gratia tibi aliquid propono, ipsam, uis in cõiuge tua: noli ergo odisse in aliena, quod amas in tua. Quid eã debes amare in coniuge tua? Vtiq; castitatẽ. Hanc odisti in aliena. Serua ergo in coniuge aliena quod seruare cupis in tua, quia & in uxore castitatem potius diligis q̃ carnẽ. Sed forte existimas te amatorẽ esse carnis uxoris tuæ & non castitatis. Sordida quidem cogitatio, misera & uoluptuosa, sed non te dimitto sine exemplo. Tu putas quòd carnem amas uxoris tuæ, ego enim dico quòd castitatem plus amas. Deniq; hanc plus amas in filia tua. Quis eã hominũ, qui non filias suas castiget, & non castas esse uelit? Nunquid & ibi carnem amas? Nunquid concupiscis corpus pulchrum, ubi exhorrescis incestum? Si ergo amatorem te castitatis conuincis, quid te offendisti ut eam noo ames in te? Quod amas in filia tua, ama hoc & in uxore aliena, quia & filia tua uxor erit aliena. Ama ergo & in te castitatem. Nam si amas uxorẽ alienam, non cõtinuo habebis: castitatem si amaueris, mox habebis. Blanda castitas & sancta, in cubiculo cordis tui suauis est, eius amplexus non habet amari-

tudinem, conuersatio illius in nullo tibi in domo
A conscientiæ contradicit. Ama ergo & in te & in alijs castitatem, & imitaberis beatum Ioseph, qui noluit impudicæ mulieri accubitu illicito consentire, repulit concupiscentiam alienam, amplexus est pudicitiam suam. Amator dei dilectissimi mulieris amore non uincitur, castum animum incitãs adolescentia non permouit, nec diligentis authoritas. Mirati estis castitatem, aspicite nunc benignitatem. Ille pro odio reddit charitatem, & cum uideret fratres suos, imò inimicos ex fratribus, cumq; ab eis agnosci uellet, dilectionis affectum pio dolore testatus est ad eos. Osculabatur singulos & per singulos flebat, & irriguis fletibus pauẽtium colla perfudit. Odiũ fratrũ charitatis lachry-
B mis abluebat. Constat uiuo patre atque mortuo, quod germano semper amore dilexit, nec recordatur illum in quo ad necem fuerat deiectus in lacum, non cogitauit addictam precio germanitatem: sed pro malis bona restituens, iam tunc nec dum data apostolica pręcepta cõpleuit. Ergo beatus Ioseph cogitans ueræ charitatis dulcedinem, uenenum inuidiæ, quo fratres suos nouerat fuisse percussos, deo auxiliante studuit de corde suo repellere. Et reuera fratres, quid infelici uiro præstat inuidia, quem in secretis conscientię quibusdam ungulis liuor ipse discerpit, & alienam felicitatem tormentũ illius facit? Quam inquam mercedem ex odio suo recipiet, nisi horribiles animæ tenebras, & confusæ mẽtis horrorẽ, qui uultu sem-
C per animoq; mœrẽte uoto quo uult alij nocere, se cruciat, quẽ sæuissimis exagitatũ stimulis ab omni consilio ac mentis sobrietate deturbat? Et ideo obseruemus fratres uitij huius incursum, ne forte participes operis diaboli inueniamur, & pari cum illo sententia condemnemur, sicut scriptum est, Inuidia diaboli, mors intrauit in orbem terrarum. Sap.2
Imitant autem eum qui sunt ex parte eius. Quod malũ lædit parum aliquid etiã eos in quos intendi tur, grauius tamen & perniciosius eos prius à quibus pcedit affligit. Sicut eã erugo ferrũ, ita inuidia illã ipsam animã in qua est interimit & consumit. Et sicut aiunt, uipas dilacerato & dirupto illo ipso materno utero in quo cõceptæ sunt nasci: ita & inuidiæ natura illã ipsam animã à qua cõcepta
D est & cõsumit & perdit. Qualis hæc animæ tinea est? Quæ cogitationũ tabes pectoris? Quãta rubigo zelare in homine donũ dei, & in malo opprobrio bona aliena conuertere, aliorũ gloriã facere pœnã suã, uelut quosdã pectori suo admouere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatib. lacerent? Non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus. Suspiratur semper & ingemiscitur ac doletur: diebus ac noctib. pectus obsessum sine intermissiõe laniatur. Et quantũ ille cui inuidet successu meliore profecerit, tãtum inuidus in maius incendium liuoris ignib. exardescit: pallor in facie, tremor in labijs, stridor in dentib. Quisquis ille est quem in zelo suo persequit inuidus, subterfugere eum forsitã poterit & uitare: inuidus uero fugere

non

non ualebit. Vbicunq; fuerit, aduersarius suus secum est hostis in pectore semper inclusus. Deniq;
A dominus in Euangelio, cum eum discipuli interrogarent, quis inter illos maior esset, respondit:
Matth.18 Quisquis fuerit, inquit, minimus in omnibus his, hic erit magnus. Quo uerbo omnẽ causam & materiam mordacis inuidię eruit & abscindit. Christiano ergo populo zelare non licet. Contra inuidiam redde humilitatẽ. Audi beatũ Ioannẽ Apo-
1.Ioan.3 stolum in epist. sua dicentem: Qui odit fratrẽ su-
1.Ioan.2 um, homicida est. Et iterum: Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò uadat. Descendit enim in gehennã ignarus, & cæcus præcipitatur in pœnã. Recedit ipse scilicet à Christi lumine mo-
Ioan.8 nentis & dicentis: Ego sum lux mundi, & qui credit in me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Nos uero deo auxiliante uenena inuidiæ fugientes, non solum cum bonis, sed etiam erga malos charitatis dulcedinem habeamus. Sit in manibus diuina lectio, in sensibus dominica cogitatio, oratio iugis omnino non cesset, & salutaris operatio perseueret, ut quotiens ad tentandũ nos accesserit inimicus, semper nos bonis operib. inueniat occupatos. Consideret ergo unusquisque conscietiam suã, & si se uidet de prosperitate proximi sui inuidię ueneno percussum, euellat de pectore suo spinas & tribulos, ut in eo semen domini quasi in fertili agro multiplicata segete luminis concipiatur: ut amaritudo inuidiæ, Christi dulcedine leniatur. Amet eos & quos antè oderat, & de
C meliorũ semper profectibus gratuletur. Non deroget sacerdotibus, nec præpositos suos uenenatis dentibus laceret, faciat se illis adunata dilectione participẽ. Dimittitur ei quando & ipse dimiserit, accipiẽtur sacrificia sua, cũ & ipse pacificus ad deum accesserit. Cogitet unusquisq; paradisi delicias, regno cœlesti discat adhęrere, ad qd nisi concordes & unanimes spiritu non admittunẽ. Cogitemus ergo fratres, q̃ filij dei hi soli possint uoca-
Ioan.13 ri, qui sunt pacifici, secũdũ quod scriptũ est: In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicẽ. Ad quod uos pius dominus bonis operibus sua protectione perducat, cui est honor & imperium cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

In eadem dominica, de eo quod scriptum est,
Exod.1 Mortuus est Ioseph, & filij Israel creuerunt &c.

Sermo II

SERMO LXXX IIII

VDIVIMVS in lectione quæ lecta
A est fratres dilectissimi, quòd mortuo Ioseph filij Israel creuerunt, & multiplicati sunt nimis, & quasi herba germinauerunt. Quid est hoc fratres charissimi? Donec uiueret Ioseph non referũtur creuisse filij Israel, nec quòd multiplicati sunt nimis: sed posteaquam mortuus est, sic germinasse dicuntur, cum utique sub patrocinio uel defensione Ioseph magis debuerant crescere & multiplicari. Sed hæc fratres charissimi, in illo Ioseph figurata sunt, in nostro autem Ioseph, id est Domino Christo, in ueritate

completa sunt. Prius enim quam morderetur, id
A est, quàm crucifigeretur Ioseph noster, pauci in eum crediderunt: postea quam uero mortuus est & resurrexit, in uniuerso mũdo multiplicati sunt, & creuerunt Israelitæ, id est populi Christiani. Sic
Ioan.12 & ipse dominus in Euangelio dixit: Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multũ fructum affert. Postea enim quàm passione precio sum granum frumenti mortuũ est & sepultũ, per uniuersum mundũ de uno illo grano messis ecclesiæ pullulauit. Non enim, sicut antea, in Iudæa tantum notus est deus, nec solum in Israel nomẽ eius colitur, sed à solis ortu usque ad occasum nomen illius collaudatur. Interea mortuus est Ioseph, &
B surrexit nouus rex in Aegypto, qui ignorabat Ioseph, & alloquitur gentem suam, ut persequerentur filios Israel. Dum rex ille uiueret qui nouerat Ioseph, non referuntur afflicti fuisse filij Israel, nec in luto & latere fatigati, nec masculi eorum necati & fœminæ uiuificatæ: sed posteaquã surrexit rex ille qui non nouerat Ioseph, omnia ista gesta refe
1 Cor.10 runtur. Hæc enim fratres secundum quod dicit Apostolus, in figura contingebant populo Iudæorum, scripta sunt autem propter nos. Quod in illis carnaliter figurabatur, in nobis spiritaliter adimpletur. Et nos ergo si diligenter attendimus, intus in nobis in homine interiore hæc fieri frequenter agnoscimus. Anima enim nostra aut à legitimo rege regitur, aut à tyranno uastatur. Si enim deo
C adiuuante pie uiuimus, si de charitate, de misericordia & de patientia atq; pœnitentia, cæterisq; his similibus cogitamus, licet adhuc in Aegypto, id est, in carne simus, tamen à Christo rege gubernamur: & ipse reget nos in luto & latere, sed non consumit, nec nos curis terrenis uel nimijs solicitudinibus atterit & affligit. Si uero anima nostra cœperit declinare à deo, & ea quæ sunt turpia & inhonesta sectari: tunc prudẽtia carnis quæ inimica est deo, repudiato rege Christo, subdit infelicia colla tyranno. Quod cum fuerit factum, alloquitur gẽtem suã, id est corporis uoluptates, & uitiorũ ducibus ad consilium cõuocatis initur deliberatio aduersus filios Israel, id est, aduersus cogitationes sanctas & acceptabiles deo, quomo
D do circumueniantur, quomodo opprimantur, ut luto & lateribus affligantur, ut masculos interficiant, & fœminas reseruent. In masculis intelligitur sensus rationabilis, in fœminis concupiscentia carnis. Vult ergo diabolus in nobis uiros occidere & fœminas reseruare: id est, sensum in nobis rationabilem ac deum uidentem extinguere, & quæ ad concupiscentiam carnis pertinẽt reseruari. Non nobis hæc ad historiam tantum scripta sunt, nec putandũ est diuinos libros Aegyptiorũ
Rom.15 gesta narrare, sed quæ scripta sunt, sicut Apostolus ait, ad nostrã doctrinã & cõmonitionem scripta sunt: ut tu qui hæc audis, & gratiã baptismi iã cõsecutus es, & annumeratus es inter filios Israel, & suscepisti in regem Christũ, si post hoc declinare uolueris & pro cupiditate opera seculi agere

actus terræ & luti, id est, luxuriosa explere ministeria, agnoscas & intelligas quia surrexit in te rex alius qui nescit Ioseph. Rex Aegypti ipse te cogit ad opera sua, non iustitiæ, sed iniquitati seruire: ipse faciet laterem sibi operari & lutum: ipse te sub præpositis, magistris & compulsoribus ad opera terrena & luxuriosa plagis & uerberibus aget: ipse est qui te facit discurrere per seculũ, maris ac terræ elementis pro cupiditate turbari: ipse est rex Aegypti, qui te forum pulsare litibus facit, & pro exiguo terrę cespite, propinquos iurgijs fatigare: ipse est qui te persuadet luxuria castitati insidiari, decipere innocentiam, in domum tuã quæ sunt fœda, foris quæ sunt crudelia, intra conscientiam quæ sunt flagitiosa cõmittere. Si ergo tales uideris esse actus tuos, scito te regi Aegypti militare, id est, non Christi, sed diaboli spiritu agi. Nos fratres charissimi, qui ante aduentum domini Saluatoris, domus diaboli fuimus, & per gratiã Christi de potestate ipsius liberari meruimus, quãtum possumus ipso deo adiuuante laborare debemus, ne à nobis malis actibus nostris offensus Christus abscedat, & diabolus illo recedente succedat: ne forte cor nostrum uero lumine offocato tenebrosa nox occupet, ne in nobis impleatur illud quod
Luc. 11 in Euãgelio scriptum est, Cum exierit spiritus immundus ab homine, uadit per loca arida, quærẽs requiem & non inuenit: post hæc dicit, Reuertar in domum meam unde exiui. Et cum uenerit, inuenit eam scopis mundatam, & adducit secum septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: & erunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Hoc enim charissimi de Christiano etiam baptizato intelligendũ est. Per gratiam eẽ baptismi uacuatur quisq; omnibus malis, postea uero cum dei adiutorio laborare debet ut impleatur omnibus bonis. Nam si aliquem liberum à malis uacuumq; à bonis inuenerit inimicus, adducit secum alios spiritus nequiores se, & erunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Et ideo unde expulsa est luxuria, introducatur castitas: unde eradicata est auaricia, plantetur eleemosyna: unde malitia uel inuidia expellitur, charitas dominetur. Et quia ueniẽs dominus noster alligauit fortem, id est, diabolum & uasa eius, id est, nos de potestate eius eripuit, quantum possumus ipso auxiliãte studeamus: ut illi à q̃ saluati sumus, toto corde & toto animo usq; ad uitæ nostræ terminũ seruiamus. Et quia expulso diabolo domum sibi de nobis ubi requiesceret, & uasa in quibus habitaret facere dignatus est Christus, in domo sua non patiatur iniuriam: nihil ibi inhonestum, nihil sordidum, nihil deprehendat obscurum: sed ita domicilium cordis nostre fide plenum, & uacuum malis omnibus semper inueniat, ut nos non solũ frequẽtius uisitare, sed etiam habitare in nobis dignetur, Qui cũ patre & spiritusancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Item eodem die Homiliæ de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Lucam, Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutũ, &c. quæ habentur De quæstionibus Euangeliorum libro primo, capite quinto. Et libro secundo, capite decimoseptimo. Et inter sermones De uerbis domini undecimo.

Feria secunda post tertiam dominicam in Quadragesima, de paleis Aegyptiorum,

Sermo I

SERMO LXXXI

VAMVIS fratres charissimi omni tẽpore uerbum dei, cum grãdi desiderio nos oporteat fideliter semper audire, in istis tamen diebus specialiter lectioni diuinæ insistere, & de salute animæ nostrę debemus attentius cogitare: quia per totum anni spacium Christianorum populus multis uitiorum fluctibus calliditate diaboli insectatur, quia propinquante paschali solennitate, maiore impetu contra fideles quosq; se præparare cõsueuit, & grauioribus stimulis corda nostra compungere uel iniquietare contendit. Sicut enim in diebus istis ad similitudinẽ diaboli & angelorum eius Pharao & Aegyptiorum populus persequebatur filios Israel, & luto eos ac lateribus affligentes ad amaritudinem perducebant: ita & hoc tempore imminente paschali solennitate, qa ueros Israelitas qui baptizandi sunt, dolet diabolus de suo exercitu uel possessione discedere, graiores consueuit tribulationes immittere, maiora scãdala concitare. Sed nos si Moysen sequimur, id est, si legẽ libenter audimus, retrospicere uel desiderare Aegyptũ nolumus, Pharaone submerso per sacramentũ baptismi, uelut per transitum maris rubri de eius potestate uel seruitio liberamur. Certissimum est fratres charissimi, quia qũo tunc Aegyptij filios Israel multis tribulationibus ad amaritudinẽ perducebãt: ita, sicut iam diximus, & in hoc tẽpore diabolus & angeli eius fideles Christianos & bonis operib. deditos impugnare uel inquietare non cessant. Hoc tamen scitote fratres qa diabolus nõ persequit nisi bonos. Malos eẽ luxuriosos, cupidos & superbos persequi diabolus non cõsueuit. Amici eẽ sunt sui, & semper uoluntates illius faciunt. Et intantũ eos non persequitur, ut etiam per illos alios persequatur. Malos enim homines diabolus quasi malleos uel flagella habere consueuit. Denique non persequitur bonos, nisi per malos. Habet ergo deus ministros suos, habet & diabolus adiutores suos. Deus eẽ per homines bonos tanquam per ministros suos agit omne quod bonum est: diabolus uero per homines malos uelut per satellites suos exercet omne quod malum est. Diabolus per malorũ auaritiã uestitos expoliat, deus per homines bonos uestit nudos. Diabolus per impios & superbos etiam & eos qui pacem habere uidentur, ad scandala uel lites instigat: deus per pios & humiles discordes quoq; pacificat. Et quia lõgum est ire per singula, ut pro certo agnoscat & intelligat charitas uestra: quia sicut omne qd̃ bonũ est per bonos homines agit deus: ita omne quod est crudele & impiũ, per malos homines consueuit exercere diabolus. Denique considerate fratres, & corporalibus etiã oculis uidebitis, quomodo populus diaboli persequi-

tur populũ Christi, dũ adulteri persequunt̃ castos, insectantur sobrios ebriosi, humilibus insidiantur superbi, benignos inuidi, largos cupidi, & eos qui mansuetudinem uel patientiam retinent affligere non desinunt iracũdi. Et ideo cõsideret unusquisque conscientiam suam, & si se uidet & in cogitatione & in opere semper quod bonum est diligere: & quod honestum est iugiter exercere, ministrum se dei esse cognoscat & gaudeat. Qui uere seipsum interrogans uiderit quod malum est, non solum cogitare, sed etiã dicere uel exercere, adiutorẽ diaboli se esse intelligat simul & dicat, & dũ adhuc peccatrix anima in corpore suo tenetur inclusa, cum dei adiutorio de potestate diaboli se conetur eruere. Nemo se circũueniat fratres charissimi. Vnusquisq; cuius opera & uoluntates exercet in isto seculo, cum ipso erit postmodum in futuro. Ac sic omnis homo aut cum Christo regnaturus est, aut cum diabolo in inferni supplicio cruciandus. Et ideo dũ tempus est, & in nostra potestate consistimus, cũ dei adiutorio unusquisq; qui se malis operib. in sinistra esse cognoscit, priusq; ab hac luce discedat, ad dexteram transire conten
Math. 25 dat, non ad sinistrã, ne audiat, Discedite à me maledicti in ignem æternum: sed ad dexterã, ut inter agnos audire mereatur: Venite benedicti, percipite regnum. Vt hæc omnia cum dei adiutorio possimus implere, attentius de dandis eleemosynis cogitemus. Qualiter autem de sinistra transeatur ad dexterã, euidens & manifesta ratio demonstrat. Qui fuit ebriosus sit sobrius, sit patiens qui fuerat iracundus: qui solebat res alienas rapere, incipiat etiam proprias pauperib. erogare: qui solebat maledicere, benedicat: qui solebat periurare, etiam à iuramento abstineat: qui consueuerat detrahere, semper quod bonum est loqui studeat: qui erat superbus sit humilis. Et hoc ordine semper contrarijs studeamus sanare contraria, ut destructis uitijs, uirtutes festinemus instruere. Et hoc ordine qui sunt in sinistra, transire conentur ad dexteram, ut ante tribunal æterni iudicis quicunque talis esse uoluerit, audire mereatur, Euge serue bone et fidelis, intra in gaudium domini tui, ad quod uos dominus perducere dignetur: cui est honor cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen,

Item eodem die Sermones de Epistola & Euangelio eiusdem diei, habentur infra dominica sexta post octauas festi Trinitatis, & inter Sermones ad fratres in eremo trigesimo secundo.

Feria tertia post tertiam dominicam in Quadragesima, de natiuitate Moysi & rubo,

Sermo I

SERMO LXXXVI

IN lectione diuina, fratres charissimi, quę nobis recitata est audiuimus, quòd posteaquam sanctus Moyses natus est, propter metum Pharaonis missus sit in fiscellam scirpeam, & proiectus in carectum fluminis. Si diligenter attendimus fratres charissimi, sicut beatum Isaac & Iacob & Ioseph, ita Moysen typum Christi prætulisse cognoscimus. Denique considerate diligentius, & uidebitis quanta in illo sint figurata mysteria. Moyses à muliere Iudæa nascitur, & à Pharaonis filia adoptatur. Filia enim Pharaonis Ecclesiam figurauit, quæ exierat de domo patris sui, & ueniebat ut lauaretur ad aquã. Pharao in diaboli typum accipitur, filia eius, sicut dixi, Ecclesia intelligitur. Quòd autem pater eius diabolus antea fuerit, dominus in Euangelio Iudæos increpans, ait: Vos, inquit, ex patre Ioan. 8
diabolo estis. Patrem ergo diabolum habuimus, non ex eo nascendo, sed nequitias illius imitando. Exierat ergo filia Pharaonis de domo patris sui, quæ quamuis impium habuerit patrem, attamen ei dicitur per Prophetam: Audi filia & uide, Psal. 44
& obliuiscere populum tuum & domum patris tui. Qui dicit: Audi filia, pater est. Et ille qui admonetur obliuiscendus, pater nihilominus nominatur: ac si deus pater admonet, ut diabolum patrem debeat derelinquere. Hæc ergo est Ecclesia quæ exijt de domo patris sui diaboli, & ad aquam, id est, ad aquam baptismi festinauit, ut lauaretur à peccatis quæ in domo patris sui contraxerat. Denique statim uiscera misericordiæ accipere meruit, & collegit Moysen à parentibus suis proiectum in flumine. Moyses ergo à matre sua proijcitur, & à Pharaonis filia inuenitur atq; colligitur: & Christus dominus à synagoga de qua natus est repudiatur, & ab ecclesia inuenitur atq; suscipitur. Postquam autem creuit Moyses, abijt in regionem longinquam, & accepit Aethiopissam uxorem. Agnoscite fratres hoc non paruum esse mysterium, Aethiopissa illa ex gentibus erat, quam beatus Moyses duxit uxorem, quia & Christus ex gentibus sibi sociaturus erat Ecclesiam. Moyses dereliquit populum suum in longinquis regionibus, & Aethiopissæ coniungitur: & Christus derelicto populo Iudæorum, de extremis regionibus Ecclesiæ sociatur, illi utique quę dicit in
Psalmis: A finibus terræ ad te clamaui. Audi ex Psal. 60
persona Ecclesiæ, in canticis Canticorum ait Ecclesia: Nigra sum & formosa. Quid est, Nigra Cant. 1
sum & formosa, nisi nigra per naturã, formosa per gratiã? Nigra originali peccato, formosa baptismi sacramento. Dũ ergo pasceret Moyses oues soceri sui in deserto, apparuit ei dominus in rubo, &
dixit Moyses: Vadam, & uidebo quare rubus ardet, & non consumitur. Et appropinquanti dixit Exod. 3
dominus: Ne appropinques huc, sed solue corrigiã calciamẽti tui, quia locus in quo stas terra sancta est. Rubus ille genus est spinarum. Ardebat enim & non consumebatur. In rubo significata est synagoga Iudæorum. Multo enim tempore in eis feruor & flamma sanctispiritus fuit, & tamen ita contra dei gratiam rebelles semper spiritui sancto restiterunt, ut eorum peccata uel sacrilegia igne sancti spiritus consumi non possent. Dixit autem dominus ad Moysen: Veni & mittam te in Aegyptum. Et respondens Moyses dixit: Domine non sum eruditus, & tardus sum ad loquendum. Et ait illi dominus: Ego aperiam os tuum, & instruam te quæ oportet te loquí. Beati

ſunt quorum os dominus aperit ut loquantur. Omnibus eñ qui pro ueritate, pro iuſtitia, pro caſtitate, pro humilitate, pro miſericordia loquuntur, ſine ulla dubitatione os illorum non aperit niſi dominus. Sicut econtrario qui de luxuria, de auaritia, de ſuperbia, de rapinis, de ſcurrilitate uel nequitia aſſidue loquuntur, quis illorum os aperiat non opus eſt dicere, poteſt hoc unuſquiſque ſine ulla difficultate cognoſcere. Et ideo fratres chariſſimi, auxiliante domino bona iugiter cogitemus, ut os noſtrum non crudelis aduerſarius, ſed
Lucæ 6 deus pius aperiat. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Vnuſquiſq; noſtrum cuius preſentiã ſuſceperit in corde, ipſius uerba proferre conſueuit ex ore. Noſtrum autem cor aperiatur Chriſto, & claudatur diabolo, ut in nobis impleatur illud qd
Pſalm.16 de domino & populo ſancto ſcriptum eſt: Et habi
Ioan 14 tabo, inquit, in eis, & inambulabo. Et iterum: Ego & pater ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui ſemper quod iuſtum eſt loquitur, & deus in illo habitat & ipſe in deo. Dixit ergo
Exod.4 dominus ad Moyſen: Quid eſt, inquit, quod in manu geſtas? Et ille ait: Virga. Proijce, inquit, eam in terram. Quam cum proieciſſet, uerſa eſt in ſerpentem, ita ut fugeret Moyſes. Virga illa fratres chariſſimi, crucis myſterium præferebat. Sicut enim per uirgam Aegyptus decem plagis percutitur, ita & per crucem totus mundus humiliatur & uincitur. Et ſicut Pharao & populus eius per uirgæ ſacramentum affligitur, ut ad ſeruiendum deo dimittat populum Iudæorum: ita & diabolus & angeli eius per crucis myſterium fatigantur & premuntur, ut à dei ſeruitio reuocare non poſſint populum Chriſtianum. Quod autem miſit Moyſes manum ſuum in ſinum ſuum, & protulit eam leproſam, & iterum miſit & protulit ſanã & carni reliquæ ſimilem, non ocioſe debemus accipere. In manu illa typus ſynagogæ uel eccleſiæ gerebatur. Sicut prior fuit populus Iudeorum, poſterior gentiũ, ita ante fuit ſynagoga quàm eccleſia. Sed quia eccleſia eligit & ſynagoga repudiatur, ideo in primis manus Moyſi leproſa efficitur, & poſtea carni reliquę ſimilis redditur: ac ſic ſynagoga propter infidelitatẽ leproſa relinquitur, eccleſia quaſi manus ſana ad omne opus apta præeligitur. Leuauit ergo Moyſes Sephoram uxorem ſuam, & ueniebat in Aegyptum: & aſtitit dominus contra eum, & uolebat occidere eum. Forſitan in hoc loco poſſumus intelligere, quòd diſpliceuerit deo, quare Moyſes tanta mirabilia facturus, uxoris impedimẽtum ſecum ducere uellet in Aegyptum. Vnde datur intelligi, quòd ex illo loco remiſerit uxorem ſuam ad ſocerũ ſuum. Nam intantum ſine illa deſcendit in Aegyptum, ut po-
Exod. 18 ſtea iam in eremo conſtituto Moyſi ipſam uxorem ſuam, ſicut legimus, Iethro cognatus ſuus ad duxerit. Quòd autem uirga proiecta in terram, uerſa eſt in ſerpentem, quid ſignificet uideamus. Serpẽs pro ſapientia reputatur, ſicut dominus in
Matth.10 Euangelio: Eſtote, inquit, prudentes ſicut ſerpentes. Virgam crucem diximus figuraſſe. Crux ergo quæ infidelibus ſtultitia eſſe creditur, ſicut di-
A cit Apoſtolus, Gentibus ſtultitia, poſteaquam in 1.Cor.1.
terram miſſa eſt, id eſt, ad paſſionem domini præparata, uerſa eſt in ſerpentem, hoc eſt, in ſapientiam: & in tantam ſapientiam quæ omnem mundi iſtius ſapientiam deuoraret: denicq; omnes ſerpentes quos magi incantationibus ſuis fecerant, deglutiuit. Per uirgam ergo Aegyptus flagellatur, & per crucem mundus uincitur, & diabolus ſuperatur. Oremus ergo fratres chariſſimi, ut & nobis Chriſtus dominus pro ſua pietate cõcedat mũdi huius concupiſcentiam uincere, & de diabolo & angelis eius ante tribunal ſuum felicem uictoriam reportare, cui honor eſt & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

B In eadem feria, de decẽ plagis Aegyptiorum.

Sermo II

SERMO LXXVII

M OYSES ad Aegyptum ueniens, fratres chariſſimi, defert & uirgam, qua caſtigat & uerberat Aegyptum decem plagis. Moyſes, lex intelligit, quæ data eſt huic mundo, ut eum decem plagis, id eſt decem mandatis quæ in decalogo continentur, corripiat & emendet. Quòd autem lex Moyſes intelligi poſſit, dominus in Euangelio dixit, Habẽt Moyſen & pro Luce 16
phetas, id eſt, legem & prophetas. Virga uero per quam Aegyptus ſubijcitur & Pharao ſuperatur, crucis Chriſti imaginem præferebat, per quã mundus hic uincitur, & princeps huius mundi cũ principatibus & poteſtatibus triumphatur. Quòd
C autem uirga proijcitur, & fit draco uel ſerpens, & deuorat Aegyptiorum ſerpentes: Serpens pro ſapientia ponitur: ſicut ſcriptũ eſt, Eſtote prudentes Matt.10
ſicut ſerpentes. Idcirco uirga Moyſi, id eſt, crux Chriſti poſteaquã ad terras deſcẽdit, id eſt, poſtea quam ad credulitatem & fidem hominum uenit, conuerſa eſt in ſapientiã, & in tantam ſapientiam quæ nomen Aegyptiorum, id eſt, huius mundi ſapientiam deuoraret. Quòd uero aquæ fluminis uertuntur in ſanguinem, ſatis conuenienter aptatur, ut fluuius cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderant, authoribus ſceleris poculũ ſanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quẽ parricidali cæde maculauerãt, potando ſentirent. Secunda uero plaga in qua inducuntur ranæ, in-
D dicari figuraliter arbitror carmina poetarum, qui inani quadam & inflata modulatione uelut ranarum ſonis & cãtibus ſimiles mũdo huic deceptionis fabulas intulerũt. Ad nihil enim animal illud utile eſt, niſi quòd ſonum uocis improbis & importunis clamorib. reddit. Poſt hoc ciniphes producunt. Hoc animal pennis quidẽ ſuſpendit per aera uolitans, ſed adeo ſubtile eſt & minutum, ut oculi uiſum niſi acute cernentis eludat: corpus tamen cũ inſederit, acerbiſſimo terebrat ſtimulo, ita ut quem uolantem quis uidere non ualet, ſentiat ſtimulantem. Hoc ergo animalis genus digniſſime arti philoſophiæ uel hęreticorũ calliditati poterit comparari: quę minutis & ſubtilibus uerborũ ſtimulis animas terebrat, & tãta calliditate circũuenit, ut deceptus quiſq; nec uideat, nec intelligat

gat unde decipitur. Quarto quoq; in hoc loco cy
nomya, id eſt, muſca canina inducitur, quæ cyni-
A corum ſectæ merito comparatur, qui ad reliquas deceptionis ſuæ improbitates, etiam uoluptatem & libidinem ſummum prædicãt bonum. Quoniã igitur per hæc ſingula prius deceptus eſt mũdus, aduenien ſermo & lex dei huiuſcemodi eum correptionibus arguit, ut ex qualitate pœnarum qualitates proprij agnoſcat erroris. Quinto in loco animalium nece uel pecudum Aegyptus uerberatur. Vecordia in hoc arguitur ſtultitiaq; mortalium, qui tanq; irrationabilia pecora cultum & uocabulum dei impoſuerunt figuris, nõ ſolum hominum, ſed & pecorũ. Vnde iuſto iudicio factũ eſt, ut in quibus cultum credebãt ineſſe diuinũ, in his uiderent miſeranda ſupplicia. Vlcera poſt hæc
B & ueſicæ cum feruore, ſexto in uerbere producũtur: & uidetur mihi quod in ulceribus arguat doloſa & purulenta malitia, in ueſicis tumens & inflata ſuperbia, in feruore, iræ ac furoris inſania. Hucuſq; per errorum ſuorum figuras mundo ſupplicia temperantur. Poſt hæc uero uerbera ueniunt de ſupernis uoces & tonitrua, & grando, & ignis diſcurrens in grandine. Videte temperamentum diuinæ correptionis. Non cum ſilentio uerberat, ſed dat uoces, & doctrinam cœlitus mittit, per quam poſſit culpam ſuam mundus caſtigatus agnoſcere: dat & grandinem, per quam tenera ad huc uaſtentur naſcentia uitiorũ: dat & ignem, ſciens eſſe ſpinas & tribulos peccatorum quos debe
Luc.12 at ignis ille depaſcere: de quo dicit dominus, Ignẽ ueni mittere in terram. Per hunc enim incentiua uoluptatis & libidinis conſumuntur. Quòd au-
C tem locuſtarum octauo in loco fit mentio, puto per hoc genus plagæ aut detrahentis, aut ſemper à ſe diſcordantis humani generis inconſtantiã deſignari. Locuſta enim cum regẽ non habeat, ſicut
Prou.30 ſcriptura dicit, una acie ordinatum ducit exercitum. Homines uero cum rationabiles à deo facti ſint, neq; ſemetipſos regere potuerunt, neq; dei regis patienter moderamina pertulerunt. Nona plaga tenebræ ſunt, ut mentis eorum cæcitas arguatur, ut intelligant diuinæ diſpenſationis & prouidentiæ obſcuriſſimas eſſe rationes. Poſuit enim
Pſal.17 deus, ſicut Pſalmiſta dicit, tenebras latibulũ ſuum. Quæ ſuperbi audacter & temere perſcrutari cupientes, & alia ex alijs aſſerentes, in craſſas & palpabiles errorum deuoluti ſunt tenebras. Ad ultimum, primogenitorum infertur interitus. Primo-
D genita Aegyptiorum non incõgrue principatus & poteſtates mundi huius, id eſt, diabolus & angeli eius intelliguntur, quos in aduentu ſuo Chriſtus deſtruxiſſe dicitur: id eſt, captiuos duxiſſe & triumphaſſe in ligno crucis ſuæ. Poſſumus primogenita Aegyptiorum accipere etiam omnes hæticorum auditores, & inuentores falſarum quę in hoc mundo ſunt religionum, quas Chriſti ueritas cum ſuis extinguit autoribus. Et ut hæc quæ dicta ſunt, tenacius ueſtræ memoriæ inhęreant, & ea uelut munda animalia, in ore cordis reuoluere, & ſpiritaliter ruminare poſſitis, breuiter recapitulatio-
nem facimus. Quòd enim in prima plaga aquæ
A conuertuntur in ſanguinem, ſignificantur doctrinæ philoſophorum, quæ paruulos ſenſu decipiũt. Quod uero in ſecũda plaga, multitudo ranarum, intelliguntur in eis carmina poetarum, quæ nullis unquam prodeſſe potuerunt. In tertia plaga ciniphes, id eſt, muſcę minutiſſimę producũt, grauiſſimo ſtimulo corpora compungentes: & in eis philoſophiæ artis aſtutia, & infeliciũ hæreticorum uenena uel cõmenta ſubtiliſſima deſignant. Quarta plaga, muſca canina inducitur, & Cynicorum doctrinæ merito comparat, qui inter reliqua mala libidinem ſummũ prędicant bonum. Quinto loco animalia occidũt, & ſignificatur in hoc uecordia uel ſtultitia hominũ. Sexto loco ulcera & puſtulæ
B ueſicę cum feruore mittuntur. In ulceribus arguit doloſa & purulenta malitia, in ueſicis, tumens & inflata ſuperbia: in feruore, iræ ac furoris inſania. Poſtea uero ſeptimo loco tonitrua & uoces de cœlo mittuntur ſimul & grando uel ignis. In uocibus & tonitruis agnoſcitur doctrina cœleſtis, in grandine diſciplina quam accipiũt peccatores, in igne gratia ſanctiſpiritus, per quam libidinum uoluptates & peccatorũ tribuli cõſumuntur. Octaua plaga, locuſtę introducuntur, animal dente noxium: & ſignificatur in eis ſuperbia hominum malignorum, qui ſe inuicem falſis teſtimonijs & proditi-
onibus perſequuntur. De quibus Apoſtolus di- Gal.5
cit, Si inuicem mordetis & comeditis, uidete ne ab inuicem conſumamini. Nona plaga, tenebræ inducuntur, per quas cæcitas mentis uel cordis arguitur. Decima plaga, primogenita percutiuntur,
C in quib. aut ſpiritales nequitiæ, aut originalia peccata intelligi poſſunt, quæ ueniente Chriſto per myſterium crucis & gratiam baptiſmi deleri uel extingui manifeſtiſſime comprobantur. Hæc ergo fratres chariſſimi, quæ illo tempore per figuras & imagines legimus facta, gaudeamus & gratias deo agamus, quia in nobis per eius miſericordiam & ſentimus, & uidemus eſſe completa: regnãte domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & imperium cum patre & ſpiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Item eodem die Homiliæ de eo quod ſcriptũ
eſt in Euangelio ſecundum Matthæum, Si pecca- Matt.18
uerit in te frater tuus, &c. quæ habentur inter Ser-
D mones, De Verbis domini decimoquinto & decimoſexto, & De quæſtionibus Euangeliorum, libro ſecundo, cap. 6. Tom. 4

Feria quarta poſt tertiam dominicam in
Quadrageſima, de eo quod ſcriptum eſt, Indu- Exo.9
rauit dominus cor Pharaonis:

Sermo I

SERMO LXXXVIII

Q VOTIENS lectio illa recitatur, fratres chariſſimi, in qua frequenter audimus cor Pharaonis dñm induraſſe, non ſolum laicis, ſed etiã aliquibus clericis ſolet ſcrupulum generare. Dicunt enim aliqui inter ſe, Cur enim iniquitas illa Pharaoni imputatur, cũ dñs cor illius obduraſſe referat? Et quia de hac re immun-

dissimi Manichæi sacrilego furore scripturã ueteris testamenti reprehẽdere solent: rogo uos fratres charissimi diligenter attendite, quia etsi non quantum debemus, certe uel quantum possumus breuiter uolumus charitati uestræ suggerere, qualiter obduationem illam debeatis accipere. Primo hoc fideliter & firmiter credat dilectio uestra, quia nunquam prius deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Cum enim & semel & secundo & tertio unusquisq; grauia peccata commiserit: expectat tamen illum deus, sicut
Ezech.33 per Prophetam dicit, Vt conuertatur & uiuat. Cũ uero in peccatis suis cœperit permanere, de multitudine peccatorum nascit desperatio, ex desperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua, quia parua sunt, crescentibus minutis peccatis adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt & demergunt. Quod cum factum fuerit, implet hoc quod
Proverb.18 scriptum est, Peccator cum uenerit in profundum malorum contemnit. De talibus & Apostolus dicit, Ignoras quòd patiẽtia dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ. Et de tali obduratione etiam alibi legimus, Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadit præceps. Et iterum de corrigendo filio scriptura loquitur. Vnde ait, Tũ de latera filij tui dum infans est, ne induret & non consentiat tibi. Ista enim testimonia scripturarum ideo charitati uestræ insinuare uolui, ut intelligatis, quia & obduratio non dei potẽtia compellente perficitur, sed dei remissione uel indulgentia generatur: ac sic Pharaonem non diuina potentia, sed diuina patientia credenda est obdurasse. Denicq; quotiens eum dei plaga percussit, afflictus pœnituit. At ubi ei remissio diuina indulgentiam dedit, iterum se in superbiam elatus erexit. Hoc ergo definitissime credite fratres, & hoc intelligite, quia quotiens dominus dixit, Ego indurabo cor Pharaonis: non aliud intelligi uoluit, nisi ego, inquit, suspendo plagas meas & flagella, unde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto. Sed forte aliquis dicat, Quare illum deus parcendo indurari fecerit, & quare flagella remouerit? Hoc loco securus ego respondeo, Ideo deus totiens flagella remouit, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum suorum non tanquam filius ad emẽdationem meruit corripi, sed tãquam hostis permissus est indurari. Tantæ enim illius iniquitates præcesserunt, & deum totiens sacrilego ausu contempserunt, ut in illo impleret quod
Psal.72 de talibus spiritussanctus dixit, In labore hominum non sunt, & cum hominibus nõ flagellabuntur: Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua: Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Ecce qualiter obduratur, qui ad correctionem castigari à domino non meretur. De illis autem quos indurari dei misericordia non
Heb.12 permittit: scriptum est, Flagellat deus omnem fi-
Apoc.3 lium quem recipit. Et iterum, Ego quos amo, arguo & castigo. Et iterum, Quem enim diligit Proverb.3
A dominus, corripit. De hac obduratione etiam Propheta ex persona populi ad dominũ clamat, dicens, Indurasti cor nostrum ne timeremus te. Isa.63 Quod utique non est aliud, nisi deseruisti cor nostrum, ne conuerteremur ad te. Quam rem multis præcedentibus sacrilegijs in populo Iudæorũ impletam esse cognouimus. Nemo ergo cum paganis aut Manichæis dei iustitiam reprehendere aut culpare præsumat: sed certissime credat quòd Pharaonem non dei uiolentia, sed propria iniquitas & indomabilis superbia cõtra dei præcepta totiens fecerit obdurari. Quid est autem quòd dixit, Ego indurabo cor eius, nisi cum abfuerit gratia mea, obduret illum nequitia sua? Et ut hoc eui
B dentius possit agnosci, aliquam similitudinem de rebus uisibilibus charitati uestræ proponimus. Sicut em̃ quotiens nimio frigore aqua constringitur, solis calore superueniente resoluitur, & discedente eodem sole iterum obduratur: ita nimirum peccatorum frigore refrigescit charitas multorum, & uelut glacies obdurantur, & cum eisitem calor diuinæ misericordiæ superuenerit resoluũtur: Ille utiq; calor de quo scriptum est, Non Psal.18 est qui se abscondat à calore eius. Quod etiam erga Pharaonem impletũ esse cognoscimus, à quo quotiens flagella remota sunt, contra deum se obduratus erexit, quotiens uero afflictus est humiliter supplicauit. Quare autem deus noster non omnes ita misericorditer flagellat, ut nullum con-
C tra se obdurari permittat? Aut illorum iniquitati qui obdurari merentur ascribendum est, aut ad inscrutabilia dei iudicia referendum, quæ plerũq; sunt occulta, nunquam tamen iniusta. Nobis ergo sufficiat pie & humiliter credere illud quod Apostolus dixit, Nũquid iniquitas apud deum? Rom.9 Absit. Et illud quod in cantico consueuimus psallere. Deus fidelis in quo non est iniquitas. Vnde sicut iam superius suggessi de Pharaone, hoc Deut.32 sine aliqua dubitatione credamus, quòd eum nõ tam dei potentia quàm dei patientia fecerit obdurari. Quam rem etiam ipso confitente euidenter agnoscimus. Sic enim ipse cum castigaretur iustitia compellente professus est, Dominus iustus, ego autem & populus meus impij. Qua er-
D go conscientia Christianus deum iniustum esse conqueritur? Nam & in tantum non eum deus irreuocabiliter obdurauit, ut post decem plagas populum dei non solum dimitteret, sed etiam exire compelleret. Quod enim decem plagis percussus fecisse legitur, post primam castigationem implere potuisse cognoscitur. Quam rem etiam circa uernaculos nostros exercere consueuimus, quos nimis delicate aut satis remisse nutrimus, uel quibus frequenter peccantibus indulgemus. Cum enim peiores de ipsa remissione reddũtur: solemus his exprobrantes dicere, Ego te talem feci, ego tibi parcendo proteruiam tuam negligentiamq; nutriui. Et hæc non dicimus, quod ex uoluntate nostra in tantam sint superbiam deuoluti, sed quia magis de bonitate uel indulgentia

tia nostra fuerint obdurati. Ita & deus de Pharao ne fecisse dinoscitur, dum ab illo pro ineffabili bo
A nitate plagas suspendit, ille obdurato corde contra deum superbus erigitur. Ego uobis fratres charissimi hęc suggerendo quasi indicula quędam directa & obscura insinuare curaui: Vos uero si pio & fideli animo sicut consuestis scripturæ diuinæ sacramenta percipitis, domino donante plenius quid rei ueritas habeat cognoscitis. Nos uero fratres charissimi qui in ueritate agnoscimus, quòd ex multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione obduratio generatur: secun-
Proverb.18 dum illud quod supra dictum est, Peccator cũ uenerit in profundo malorum contemnit: quotiens nobis aliqua peccata surrepserint, sine ulla mora medicamentum eleemosynæ uel pœnitentiæ fe-
B stinemus animarum nostrarum uulnerib. prouidere. Vtiliter em̃ malagma uel fibula calidis adhuc uulneribus apponitur, & cito ad sanitatẽ uulnus reducit, quod putrescere longa abusione nõ sinitur. Et ideo quotienscunq; delinquit, peccata nostra iudices nos sentiant non patronos, accusatores suos, & non defensores esse cognoscant: secundum illud quod scriptum est, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meũ cõtra me est semper. Tu agnosce, & deus ignoscit. Nam quo pacto deus dignetur ignoscere, quod in se homo dedignatur agnoscere? Quomodo enim si aliqua plaga aut aliquod uulnus in corpore nostro super uenerit, sine aliqua mora medicamenta requirimus, & medicamenta apponere festinamus: ita & animæ uulneribus exercere debemus, ne forte si plus de corporibus q̃ de animæ salute soliciti sumus, iniusto iudicio ancillam dominæ præferẽtes increpationẽ propheticam mereamur excipere:
Psal.47 Homo, inquit, cum in honore esset, nõ intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hoc enim nobis oportet ut plus de animę q̃ de corporis incolumitate cogitemus, & imaginem dei ita in nobis studeamus excolere, ut ante tribunal æterni iudicis sine confusione uenire possimus, Qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

In eadem feria, de Pharaone,

Sermo II

SERMO LXXXIX

A E GYPTIORVM turmæ inter maritimos fluctus alienũ iter ingressæ aqua D
uindice puniũtur, ut illos in ditionem reuocarent, qui deum habebant peculiariter defensorem. Quos in medium marini aluei sinum desperata traxit audacia, inanis furor ire amplius prouocabat insania, confundentibus & in naturam suam redeuntibus undis, grauiter eos per diuersa mox litus excepit, & insepultos bestiarum pastib. arena seruauit. Elegerat deus Moysen qui Pharaonem uirtutibus inuitaret, signis & magnalibus admoneret, uindicta terreret, & territum seueritate cõpesceret. Sed dicis, Quomodo posset liberari admonitus, qui iam dei sentẽtia trahebatur? Obdurabo, inquit, cor Pharaonis. Sentẽtiam protulit quam se facturum promiserat, non quam iam fecisse monstrabat. Obdurabo, inquit, nõ obduro. Aliud est facere, aliud est quod iam fecisse
A promittitur, nec tamen impletur, ut metu territi corrigantur. Consumi Hebræos præcepit luto, latere, paleis denegatis, ut tandem afflicti si bellum contingeret Aegyptijs, non ualerent resistere ciuitati. Leuantur ergo machinę uscq; ad cœlum, turres eminent, & aptissime construunt fabricam: non q̃d deessent ędificia ciuitati, sed populum perire quærebat, qui diuino fauore pollebat. Augetur populus dum opprimitur, & dum putat minui quotidie crescit. Plus insequitur quasi posset uincere, quos diuina maiestas prædixerat esse uictores. Inter hæc præcepit uocari obstetrices, imperat ut Hebræarum si nati essent masculi necarentur, & sexus inferior seruaretur. O prodiga furo-
B ris audacia: Necdum natis pœna mãdatur, & ante principium uitæ periculum concitatur. Cohibe nefarie homo insaniam tuam. Quos necdum uides insequeris. Quid sceleſtius? nondum natos occidis. Seruet ordinem feritas tua, nascantur antè quos punias. Præstant tamen partum ministræ, noluerunt exercere ad pernicię quod didicerant ad salutem, facilius Hebræas mulieres quàm Aegyptias parere dicentes, nec illis obstetricum ministeria sunt necessaria, quibus deus prouenit ad animas liberandas. O magnum humanitatis ingenium, & pium pro salute mendacium. Tantum timuerunt obstetrices deum, ut pręcepta regis contemnerent, & mulierum sacraria conseruarent. Sed incredulus Pharao in alterum se nocẽdi aditum uertit, ut quod occulte antea tẽtauerat in po-
C pulis palãm faceret, omnem Hebræam masculinam prolem iussit occidi. Quod ubi ad aures matrum rumor aduexit, pulsatum est planctibus cœlum: & cum ab ipsis uberibus auulsa proles raperetur ad mortem, succedebat dolor uincẽs parturiẽtis dolorem, Nulla tamen mater infelicior fuerat, nisi quæ fœcundior erat. Optabant tamen omnes steriles esse, quàm fœcũde parerent. Quid impie insanis? quid crudeliter sæuis? Licet plurimis insontium mortes acerbas inferas, & animas miserorum crudeliter cremes, tibi necis augeẽ & pœnæ nõ detrahitur meritum. Cum em̃ passim paruulorum corpuscula deij̃cerẽtur in flumine, Moysen manus excepit humana, quem pro totius uindictæ causa quęrebãt. Nam cũ Pharaonis filia uiridanti in ripa tremula posceret fluenti lauacra, inuenit in loculo quem pater non posset nutrire supplicio. Ad quem educandum in nutricẽ mater ad ducit, ad alẽdum occasio cõiunxit affectum, quẽ regis diuiserat metus. Nouum miraculum genus fecit misericordis filia parricidæ. Nam dum paruulum seruat ignara, patrem decipit incauta. Dignũ malitiæ eius sceleris erat, ut filiæ prouisione periret, qui genitrices indixerat parturire. Competens processit diuina uindicta, ut suis affectibus puniretur, & Moyses pro alijs exuendis exuueretur. A fluctibus denicq; mystica lingua Moyses nomẽ accepit, & Pharaonis necem quam præparauerat in nomine, in flumine maris inuenit. Hic

operante

operante uirga per medios fluctus ac ſi puluerulentos exhibet greſſus, imperio ſuſpenſam in altitudine montium erigit undam, ut dei plebem redderet ſaluam. Audiſtis nefariam crudeliſſimamq; uocem duriſſimi Pharaonis, maſculos in amnem proijcite, fœminas uiuificate. Iubet hoſtis in flumen paruulos proijci, iubet innocentes crudeli morte necari. Non prohibet naſci, dum natos decernit occidi. Quos enim necdum uiuere natura conceſſerat, eos ſententia iam ſuſtinet ad pœnam. O noua & inaudita crudelitas. Ante iudicium celebratur, quàm reus ipſe damnetur. Ante ſententia profertur, quàm obnoxius ſententiæ demonſtretur. Vtiq; reorum mos eſt, ut reatus ſui ſententiam expectare ſoleant. Nec enim reus poteſt ante damnari, quàm eius culpa cœperit manifeſtari. Hi uero nec rei nati, nec reatus ſui ſententiæ B merito mancipati. Naſcebantur enim non ut uitæ ſalutis perciperent fructum, ſed ut eſſet quos crudelitas ſeculo faceret luctum. Nunc præcipis, quod factum deberes ulciſci. Non natorum pietas, non parentum dolor te flectit, qui inter infantium mortem parentumq; dolorem, ſeuitiq; tuę expleri ſentẽtiam gaudes. O parẽtum uota crudelia lętitia luctibus immutata, Ad facinus, pfuit, quicquid in eorum felicitate proceſſit. Gaudebat lætiſſimus hoſtis, inter madẽtes omniũ fletus. Quãtę perierunt dolentiũ preces, quantę incaſſum effuſæ ſunt lachrymę, quãti gemitus ululatusq; multorum, cum parentes manibus natos exponi uiderent, qui ſimile nihilominus mox facturi fuiſſent? Suos iam caſus in alijs alij cernebant, alij contineC tes filios ſuos cum iam celare nõ poſſent exponebant, alij mox editos expoſuerunt, ne quanto retinerent tardius, tanto emitterẽt crudelius. Quanti pro filijs optauerunt mori, quanti ſententiam contemnere uoluerunt tyranni? Satiemus, inquiunt, eum, & noſtro mœrore eius ſæuitiam repleamus. Percutitur Aegyptus primogeniti affectu, ut ex ſeſe cognoſcerent quantus dolor ſit filiorũ, qui necauerunt filios Hebræorum. Percutitur, inquam, Aegyptus primogenitorum affectu, oriturq; funeſtus clamor. Dignitas nullum excuſabat, nec alium conditio opprimebat. Non ſeruus ad obſequium, nõ dominus ad imperium. Non regem honor excuſabat, nec inopem neceſſitas alienabat. Stabant Hebræi uindicta dominante illæD ſi, quos nõ tantum propria ſalus lętos reddiderat, ſed & hoſtium plaga lætiores effecerat. Exeunt lęti, exeũt ſecuri domino protegente inuicti. Tunc pœnitet Pharao quòd uiuat, & euaſiſſe eum tanta eius ſcelera non ſuſtinebant, ut qui in tantis plagis nullam emendauerat culpam, quę fuerat competens exquirebat. Iungit currus, exercitũ præparat, aciem dirigit, nemo relinquitur qui ſaluari metur. Includunt ẽ perſequentibus Aegyptijs Hebræi inter mare & hoſtes, inter undas & gladios. Hinc mare ſpumat, inde arma coruſcant. Hinc aquarum, inde armorũ ſtrepitus. Sic operari deus ſuis aſſueuit, ut ubi defecit humanum conſilium, illic intercedat diuinum adiutoriũ. Quibus uiſis populus territus formidabat, cum conſpiceret rapidos curſus influere litoribus mare, uoluente q; quora flamine colliſa laxare, mox uniuerſi exclamabant ad ducem Hebræorum: Dum Pharaonis domino carere uolumus, diſcrimen, inquiunt, inuenimus, & cum uoluntarie ſeruire nolumus, ad periculum peruenimus. Exhibes mala quibus adhuc uſq; promittis, nec te interitus noſtri autorem intelligis, dum tantis malis obnoxium non agnoſcis. Quibus Moyſes ſanctiſſimus ait, Ne formidetis uiri, eſtote fide armati, credite uerbum quod ſentietis futurum. Credite uictoriam ueſtram iam properare, & gentis furentis interitum. Non conſentientibus uentis aquarum uolumina imperfectis curſibus refrenantur, ne hoſtes ueſtros ante puniant quàm iubentur. Statim diuino iuſſu uirgæ ictu rumpit mare, & diuiſis undis cãpos quos natura nõ nouerat exhibuit. Hiantibus undis freti, arcana & maris ſecreta declarat unda. Erigitur in cumulum pelagus, & murorum inſtar ſuſpenſos exhibet fluctus. Fit litus ubi fuerat pelagus, & limite recto uia porrigitur, ubi populus domini mirabiliter graderetur. His nanque uiſis populus domini propter ſe cuncta geſta cognouit, & iuſſu diuino intrepidus introiuit. Ambulabat, inquit, ſecurus, domino pugnante inuictus, ſequit Pharaonis exercitus aquarum ſupplicio periturus. Putabat illic poſſe ſe pugnare, ubi ſolus cum ſuis fuerat periturus. Sic itaque dominus locutus eſt Moyſi. Nũc aduenit Aegypti interitus. Quos enim diſperdere uolui, ſupplicio hoc abolere diſpoſui. Ad priſtinum ſtatum redeat maris, quod fuerat, ut ſalutem iuſtis, interitum operetur iniuſtis. Confeſtim iuſſu diuino impetu facto Aegyptij rapiuntur, & ruina aquarum oppreſſi fluctu uoluente in litore proijciuntur, ante mortui Aegyptij quàm incolumes peruenirent Hebræi. Hæc uindicta debebatur, ut citius periret, qui cõſequi denegauit ſalutem.

Item in eodem die Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euãgelio ſecundum Matthæum, Acceſſerunt ad Ieſum ab Hieroſolymis ſcribę & phariſæi, dicentes, Quare diſcipuli tui &c. quę habet de quæſtionibus Euangeliorũ lib. 1. capite 16 & 17. Tom. 4.

Feria quinta poſt tertiam dominicam in Quadrageſima, De uia trium dierum.

Sermo I

Ser. XC

IN lectionibus diuinis quę nobis preteritis diebus recitatæ ſunt, audiuimus dominum pręcepiſſe Moyſi, ut uiã trium dierum pergeret in deſertum, & cum omni populo ſacrificaret domino. Videamus fratres dilectiſſimi quid ſit illud quod dixit Moyſes, Viam triũ dierũ ibimus in deſertum, ut ſacrificemus dño deo noſtro. Hæc quidẽ uolebat Moyſes, ſed contradicebat Pharao, & non uolebat filios Iſrael à ſe longe diſcedere. Non uolebat princeps huius mundi exercitum domini trium dierum ſacramenta cognoſcere: illa utiq; ſacramenta, de quibus Prophe-

Oſee 6 ta dixit, Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertio ſuſcitabit nos. Prima dies paſſio domini ſalA uatoris eſt. Secunda qua deſcendit ad infernum. Tertia autẽ reſurrectionis eſt dies. Et ideo in die tertia deus antecedebat eos per diem in columna nubis, per noctem autem in columna ignis, ducitq; populus per mare rubrum. Tres enim dies non incõgrue poſſumus dicere, patrem & filium & ſpiritum ſanctum, quia & pater dies eſt, & filius dies eſt, & ſpiritus ſanctus dies eſt, & hi tres unus dies. Via trium dierum, quia exitus de Aegypto Ioan. 14 recte intelligitur ille, qui dixit, Ego ſum uia, ueritas & uita, quia uemo uenit ad patrem niſi per ipſum. Ipſe eſt uia per quam populus qui deo cõiungitur, de Aegypto, id eſt de idolorum obſeruatione educitur: per mare rubrum Chriſti ſanguine ruB bicundum, & quodammodo iam tunc myſterio conſecratum, tãquam per baptiſmi ſacramentum, Pharaone ſubmerſo, populus dei eripitur. Et uere ita fit fratres, quando in ſalutari lauacro tertio Chriſtiani merguntur: tunc Aegyptij, id eſt, originalia peccata uel actualia crimina, quaſi in rubro mari ſepeliuntur, & filijs Iſrael pertranſeuntibus ad dei ſeruitium, ſola patiũtur peccata naufragium. Et ne aliq; dubitet & putet non omnia peccata ſopiri per baptiſmum, agnoſcat & intelligat, quia quomodo nullus remanſit Aegyptiorum, ſic nihil remanet penitus peccatorum. Sed antequã mare rubrum tranſiretur, clamauit Moyſes ad dominum. Quomodo clamat, quia nulla eius uox auditur? Et tamen dicit ad eum deus, Quid clamaC ſ ad me? Vellẽ ſcire quomodo ſancti ſine uoce clamẽt ad deum. Gal. 4 Apoſtolus docet, Quia dedit deus ſpiritũ filij ſui in cordibus noſtris, clamantẽ abba Rom. 8 pater. Et alibi, Ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et iterum, Qui autem ſcrutatur corda ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum deum poſtulat pro ſanctis. Sic ergo inſpirante ſpiritu ſancto, apud deum per ſilentiũ ſanctorum clamor auditur. Poſt hæc iubetur Moyſes uirga percutere mare. In uirga myſterium ſanctæ crucis agnoſcite. Et uerum eſt fratres: Attendite enim & uidete quòd niſi uirga ſupra mare eleuetur, populus dei de Pharaonis poteſtate non tollitur. Sic eſt fratres chariſſimi. Si ſancta crux eleuata non eſſet, Chriſtianus populus in æternum periſſet. Eleuata uero uirga, id eſt, cruce erecta, cedit mare, cedunt & fluctus eius, hoc eſt, uincitur mundus & mundi iſtius poteſtates. Cogitur ergo fluctus in cumulum, & unda in ſemetipſa repreſſa curuatur. Soliditatem recipit liquor, & ſolum maris areſcit in puluerem. Bonitatem creatoris intellige: Si uoluntati eius obtemperas, ſi legem ipſius ſeruaueris, ipſa tibi elementa etiam contra ſui naturam ſeruire compellit. Oremus ergo fratres dilectiſſimi, ut dominus noſter quod de Aegyptijs fecit in mari rubro, faciat in corde & in corpore noſtro, ut det nobis uirtutem & adiutorium ſpirituſſancti, ut in nobiſipſis ſpiritales Aegyptios poſſimus extinguere. Extinguit namque ſpiritalem Aegyptium, qui non agit opera tenebrarum: Extinguit Aegyptium, qui non carnaliter, ſed ſpiA ritaliter uiuit. Extinguit Aegyptium, qui cogitationes ſordidas & impuras uel depellit ex corde, uel omnino non recipit: ſicut & Apoſtolus dicit, Aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſimus omnia Epheſ. 6 tela maligni ignita extinguere. Hoc ergo modo poſſumus hodie etiam Aegyptios uidere mortuos & iacentes ad litus, ſubmergi quadrigas eorũ & equos. Poſſumus etiam Pharaonẽ uidere ſubmergi, ſi tanta fide uiuamus, ut deus pacis conterat ſatanam ſub pedibus noſtris uelociter. Via etiam trium dierum, poteſt intelligi, bene cogitare, bene loqui, bene operari. Et reuera qui hoc agit & tota animi uirtute cuſtodit, non in nocte ſed in die ambulat, nec filius tenebrarum ſed filius lucis efficitur: & impleẽ in illo illud quod Apoſtolus dicit, Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autB Epheſ. 5 tem lux in domino, ut filij lucis ambulate. Quando fuimus tenebræ fratres? Vtique quando uias noctis ambulauimus, id eſt, quando malum cogitauimus, malum diximus, malum etiam operati ſumus. Poſtea uero uenientes ad Chriſtum, per ipſius gratiam relinquamus opera tenebrarum, & bene cogitando, bene loquendo, bene operando uiam lucis currere feſtinemus. Iſtæ ergo ſunt tres uiæ per quas peruenitur ad cœlum: ſicut & illæ tres aliæ ſunt per quas amatores mundi perueniunt in infernum, hoc eſt, malum cogitare, malum dicere, malum facere. Iſta eſt lata & ſpacioſa uia quæ ducit ad perditionem: Et per iſtas uias diues purpuratus deſcendit in infernum, per illas uero alias Lazarus ad Abrahæ peruenire meruit ſinum. Iſtas tres uias obſidet inimicus ſicut de Pharaonis exercitu legimus. Electos aſ- Exodi 14 cenſores ternos ſtantes demerſit in mare rubrum. Qui ſunt iſti electi aſcẽſores? Electi utiq; à diabolo ad luxuriam, ad malitiam, ad omniũ malorum caput ſuperbiam. Et hi ergo terni ſtantes, iſtas tres obſident uias, ut ille aut hominem ad opera mala ſubuertat, aut ille ſermonem malum eliciat, aut ille cogitationem iniquam extorqueat. Sed felix eſt qui totas tres iſtas uias, deo adiuuante deuitans, per totum triduum de Pharaonis ſocietate diſcedit, ita ut nullum illi diem ſubtrahat inimicus, nec ſplendorem fidei eius uertat in noctem. Et ideo fratres, faciamus illud quod ſcriptum eſt, D Omni cuſtodia ſerua cor tuum. Conſideremus Prouerb. 4 cum dei adiutorio, & cuſtodiamus cor ſimul & conſcientias noſtras: & ſi eſt quiſquam in nobis cui cogitationem malã inimicus eliciat, quantum poteſt laboret ut uel in ſermone non peccet: ut ſi ei diabolus unum diem rapuit & conuertit in noctem, uel ſecundum diem in illo obtinere non poſſit. Si uero & hoc ſubtilitate callidiſſima potuerit obtinere, ut malum & corde cogitemus & ore loquamur, ſi iam duos dies perdidimus, uel unum diem cum dei adiutorio conſeruemus, ne etiam nos uſq; ad opera mala poſſit nequitia inimici ſubuertere. Si uero & hoc factum eſt, non tamen de miſericordia deſperemus, ſed cito per pœnitentiã de luto fecis pedes animę noſtræ ex-

cutere festinemus. Non enim uult dominus mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Sic tamen conuertamur, ne iterum retro respiciamus, neq; opera mala quæ fecimus faciamus, nec reuertamur quasi canis ad uomitum, sed ad preciosam & desiderabilem patriam tendentes, per uiam bonorum operum perueniamus ad regnum, regnante domino nostro Iesu Christo, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Eodem die, de amara aqua & manna.

Sermo II

Ser. XCI I N lectione quæ nobis ad missas legēda est, fratres charissimi audituri sumus, q̃ filij Israel post trãsitum maris rubri uenerunt ad mara, id est, ad aquam amaram, & non poterat populus bibere aquã eo quòd esset amara. Pro qua re dominus beato Moysi ostendit lignum, & misit illud in aquam, & facta est dulcis. Mirum admodum est ut lignum ostenderet Moysi quod mitteret in aquam, & faceret eam dulcẽ, quasi non potuisset sine ligno aquam dulcem efficere deus, aut Moyses nesciebat lignum ut deus illi ostenderet. Sed uidendum est, quid decoris in his interior habeat sensus. Rubrum enim mare, sacramentum baptismi significauit. Aqua amara, legis literam significauit. Deniq; lex si secundum literam suscipiatur, satis amara est. Quomodo non
2. Cor. 3 esset amara quæ occidit, dicente Apostolo, Litera occidit? Quid enim tam amarum, quàm ut puer octaua die circumcisionis uulnus accipiat, & rigorem ferri tenera patiatur infantia? Amarum satis & peramarum est huiusmodi poculum legis, intantum ut populus dei non ille qui in Moyse baptizatus est in mari & in nube, sed Christianus populus qui in spiritu & aqua baptizatus est, non possit bibere de ista aqua: sed ne gustare quidem de circumcisiõis amaritudine potest, nec hostiarum ferre cruorem ualet, nec sabbati obseruantiam custodire. Si uero ostendat deus lignum quod mittatur in hanc amaritudinem ut dulcis fiat aqua legis, potest de illa bibere Christianus. Quod est istud lignum quod dominus ostendit? Salomon demonstrat, cũ de sapientia dicit, Quia
Prou. 3 lignum uitæ est omnibus amplectentibus eam. Si ergo lignum sapientiæ Christi missum fuerit in lege, & ostenderit nobis quomodo spiritaliter intelligi debeat circũcisio, quomodo sabbata, quomodo lex obseruata sit, tunc efficitur aqua amara dulcis, & amaritudo legis cõuertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritalis, & tunc potest bibere populus dei. Vt ergo possit bibi aqua amara, ostendit deus lignum quod mittatur in eam, ut qui ex ea biberit non moriatur, nec amaritudinem sentiat. Vnde constat quòd si quis sine ligno uitæ, id est, sine mysterio crucis, sine fide Christi, sine intelligentia spiritali bibere uoluerit de legis litera, per amaritudinem moriatur. Hæc sciens Paulus Apostolus dicebat, quia litera occidit: hoc est aperte dicere, quia aqua amara occidit si non per spiritum in dulcedinem conuertetur. Lignum ergo in aquam mittitur, ut in dulcedinem commutetur. Verum est fratres. Tunc amaritudo ab aqua tollitur, quando crucis lignum baptismi sacramẽto coniungit. Et illud aduertite fratres, quòd Iudæorum sabbato de manna nũquam omnino pluerit, nec meruerunt Iudæi ut eorum sabbato gratia illis de cœlo descenderet. In nostra autem dominica die non solum semper uenit manna, sed etiam ab ipso die ueniendi initium fuit. Semper ergo nobis dominus pluit manna de cœlo. Cœlestia namq; sunt eloquia ista quæ nobis dicta sunt, & ideo nos qui tale manna suscipimus, semper nobis manna datur de cœlo. Vnde infelices Iudæi dolendi & lugendi sunt, quia manna sicut patres ipsorum nõ merentur accipere, illi nunquã manna manducant. Non enim possunt manducare illud quod est minutum sicut semen coriandri, & candidum sicut pruina. Nihil enim in uerbo dei minutum, nihil subtile, nihil infelices Iudæi sentiũt spiritale, sed totum pingue, totum crassum. Incrassatum est enim cor populi huius. Sed & interrogatio nominis hoc idem sonat. Manna enim interpretatur, quid est hoc. Vide si non ipsa nominis uirtus ad discendum te prouocat, ut cum audieris legem dei recitari in ecclesia, semper interroges & dicas doctoribus, quid est hoc. Hoc em̃ est quod indicat manna, Tu ergo si uis manducare manna, si cupis suscipere uerbum dei, scito illud minutum esse & ualde subtile sicut semen coriandri. Habet enim in se aliquid oleris quo nutriri & recreari possit infirmus, quia qui infirmus est olera manducet. Habet aliquid rigoris, & ideo ut pruina est. Candoris autem & dulcedinis habet plurimum. Quid enim candidius, quid splendidius eruditiõe doctrinæ? Quid dulcius, quidue suauius eloquijs domini, quę dulcia sũt super mel & fauum? Sed quid est quod dicit, ut in die sexto duplum colligatur in repositionem quãtum sufficiat etiam sabbato? Hoc secundum nostram intelligentiam non ociosi nec securi præterire debemus, sed per eleemosynas recondere quantũ sufficiat & in futuro die. Si quid enim hic boni operis acquiras, si quid iustitiæ, misericordię & pietatis recondas, hoc tibi in futuro seculo erit cibus.
Gal. 6 Deniq; hoc & Apost. admonet, dicẽs, Quæ em̃ seminauerit homo, hęc & metet. Quid ergo agimus nos, qui magis illud recõdere uolumus quod corrumpatur, nõ quod permaneat & perduret in crastinum, id est, in futuro seculo? Diuites auari & cupidi hæc recondunt quæ in hoc seculo, imò cum seculo corrumpantur: Qui autem bona opera recondunt, illa permanent usq; in crastinum. Denique scriptum est, q̃ qui infideles fuerunt, seruauerunt, inquit, de manna, & ebullierunt ex eo uermes & computruit. Illud aũt quod pro die sabbati reponebatur nõ est corruptũ, neq; uermes ebullierunt in eo, sed permãsit integrum. Et tu ergo si propter præsentem uitam tantũmodo & propter amorẽ seculi thesaurizes, cõtinuo uermes ebullient. Deniq; audi de peccatoribus & his qui præsens seculum diligunt, quid Propheta dicat, Ver-
Esa. 66 mes, inquit, eorum nõ morientur. Isti sunt uermes quos

quos generat auaricia, isti sunt uermes quos generat diuitiarum cæca cupiditas his qui habent pecunias, & uidentes in necessitate fratres suos claudunt ab eis uiscera sua. Propterea & Apostolus di
1 Tim. 6 cit, Diuitibus autem seculi huius præcipe non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed diuites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent & thesaurizent sibi ueram uitam. Sed dicit aliquis, Si manna uerbum dei esse dicis, quomodo uermes facit? Verum est fratres: Non aliunde fiunt uermes in nobis, nisi ex uerbo dei.
Ioan. 15 Sic enim ait, Nisi uenissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Post susceptum aũt uerbum dei qui peccat, efficitur ei ipsum uerbum uermis, qui eius semper conscientiã fodiat, & arcana pectoris rodat. Nũc ergo festinemus cœleste manna suscipere. Istud enim mãna prout uult quisq; talem saporem sapit. Audi enim & dñm dicentẽ his
Matt. 9 qui accedunt ad se, Fiat tibi secundũ fidem tuam. Et tu ergo si uerbum dei quod in ecclesia prædicatur tota fide & tota deuotione suscipias, fiet tibi ipsum uerbum quodcunq; desideras: Verbi gratia,
Psal. 50 Si tribularis, consolatur te dicens, Cor contritum & humiliatum deus non despiciet. Si lætaris pro-
Psal. 31 spere, cumulat tibi gaudia dicens, Lætamini in domino & exultate iusti. Si iracundus es, mitigat te,
Psal. 102 dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Si
Psal. 112 paupertate consumeris, cõsolatur te, dicens, Dominus erigit de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna uerbi dei reddit in ore tuo saporem quemcunque uolueris. Hoc tamen si quis infideliter suscipiat & non comedat sed abscondat, putásne eousq; deducendum est uerbum dei ut etiam uermis fieri putetur? Nõ te turbet auditus: audi Prophetam ex persona domini dicen-
Psal. 21 tem, Ego autem sum uermis & non homo. Sicut enim ipse est qui fit alijs in ruinã, alijs aũt in resurrectionem: ita & ipse est qui nunc in manna fidelibus quidem dulcedo mellis, infidelibus autẽ uermis efficitur. Et ideo fratres charissimi quantũ possumus cum dei adiutorio lectioni diuinæ studeamus insistere, ut legem dei spiritaliter mereamur agnoscere, ut nobis uerbum dei non efficiatur uermis qui nostras conscientias iugiter arguat & affli-
Psal. 118 gat: sed illud impleatur in nobis quod scriptũ est, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua domine, super mel & fauum ori meo. Quam gratiam oremus ut nobis deus pro sua pietate præstare dignetur: cui est honor & imperium cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Item in eodem die Homilia de eo quod scriptũ est in Euangelio secundum Ioannem, Operamini non cibum qui perit &c. quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem. Tom. 9. col. 217

Feria sexta post tertiam dominicam in Quadragesima de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Ioannem, Venit Iesus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar &c. Et de non differendo baptismo:

Sermo I

Ser. XCII I N lectione Euangelij infirmitatem humani generis suscepisse dominũ Iesum Christũ plenissime nobis sanctus Euangelista monstrauit. Siquidem cum dixisset uenisse dominum in ciuitatem Samariæ quę dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo, in quo prædio erat fons Iacob: addidit, Iesus, inquit, fatigatus ex itinere sedebat sic supra puteum. Venit dominus noster Iesus Christus ad prædium quod sanctus Iacob Ioseph filio suo dereliquerat, quod prædium non tam Ioseph quàm Christo arbitror derelictum: Cuius figurã sanctus Ioseph patriarcha portauit, quem uere sol adorat & luna & omnes stellæ benedicũt. Ad hoc prædium ideo uenit dominus, ut Samaritani qui hæreditatem sibi patriarchæ Israel uendicare cupiebant, agnoscerent possessorem suum, & conuerterẽtur ad Christum qui legitimus patriarchæ hæres est factus. Iesus, inquit, fatigatus ex itinere sedebat sic supra puteum. Videte diuersitatem mysterij. Inter Apostolos exultabat in spiritu in monte positus, non solum confortabat eos, uerumetiam gloriam his propriam demõstrabat: in Samaria cõstitutus fatigatus ex itinere sedebat supra puteum: Nunquid dei uirtus poterat fatigari? Nõ utiq;, sed fatigabatur quòd fidelem populum inuenire non poterat. Tunc ergo fatigatur Christus, quando nullam uirtutem in suo populo recognoscit. Hodiéque fatigat eum inobedientia nostra, fatigat eum infirmitas nostra. Infirmi enim sumus, quando non ea quæ fortia sunt atque perpetua, sed temporalia & caduca sectamur. Bene ait, Sedebat supra puteum, non requiescebat, quoniam in Samaritanis non poterat requiescere. Et hora, inquit, erat quasi sexta. Sexta die deus de limo terræ hominem figurauit, sexta hora uenit Samariam uisitare, ut qui in eum Samaritani crederent, ipse in his inciperet requiescere, ut uerum illud quietis sabbatum celebraret. Sedebat ergo dominus supra puteum, & uenit Samaritana mulier haurire aquam. Magnum mysterium. Venit mulier ad puteum, & fontem quem non sperauit inuenit. Dicit ad eam dominus, Da mihi bibere. Bonus dominus ultro se offert non quærenti, ut com-
Esa. 65 pleatur illud propheticum, Palàm apparui non quærentibus me, inuentus sum ab his qui non interrogauerunt nomen meum. Petit bibere daturus, sedit supra puteum, ut non in altitudine quæramus aquam, sed de eo fonte qui supra omnes aquas est salutaria nobis pocula hauriamus. Quis est fons nisi dominus noster Iesus Christus, cui di-
Psal. 35 citur, Quoniã apud te est fõs uitę, & in lumine tuo uidebimus lumen? Bonus fons qui nos de huius uitę refrigerauit incẽdio, & inundatione sua aridi-
Ioan. 4 tatẽ nostri pectoris superauit. Vnde & mulieri dicitur, Si scires donũ dei, et quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitã petisses ab eo, & dedisset tibi uiuã aquã. Non oẽs sciunt donũ dei, quia non omnes desiderant aquam uiuam. Si enim desiderarent, nunquam circa se baptismi sacramenta differrent. Igitur de se pronunciant, & uitæ suæ testi-

monium perdunt, qui ideo uolunt tardius baptizari ut flagitia & scelera multa committant. Noli differre ò homo remedia salutis tuæ, quoniam nescis quando à te anima tua repetatur. Denique Samaritana ignara mysterij, Domine, neque hauritorium habes, & puteus est altus. Ante aduentum domini & puteus altus erat, & sine hauritorio aquam sibi unusquisque haurire non poterat: Venit dominus fons uiuus ut pharisæorum corda dilueret, sitim extingueret, pectora satiaret, non quærens hauritorium, sed ultro se infundens mentibus singulorum. Et addidit, Omnis qui bibit ex hac aqua quam ego dabo ei, nõ sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ saliẽtis in uitam æternam. Vnum baptismum docet, qui post ingressum æterni fontis & cœlestis poculi sacramentum, unumquenq; nostrũ sitire non patitur. Et ideo nos quibus tanta beneficia nullis præcedentibus meritis præstitit diuina misericordia, quantum possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ut tantæ pietatis gratia non nobis iudicium pariat sed profectum: Quod ipse præstare dignet, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Eodem die de Raphidin & de petra percussa & Amalech, Sermo II

SERMO XCIII

OMNES, inquit Apostolus, qui uolunt pie uiuere in Christo, persecutionem patiuntur, & ab hostibus impugnantur. Et ideo agens quisque iter uitæ huius, auxiliante Christo indesinenter debet esse amarus, & stare semper in castris. Si ergo & tu semper uigilare uolueris ut te cognoscas in domini castris militare, obserua illud quod idem Apostolus dicit, Nemo militans deo, implicat se negocijs secularibus, ut ei placeat cui se probauit. Qui si ita militas, ut à rebus secularibus, liber sis, & in castris dei agas semper excubias, ut dicatur de te illud quod paulo superius audiuimus, quia per uerbum domini exeas de deserto Sin, & uenias in Raphidin: Sin interpretatur tentatio, Raphidin uero sanitas iudicij. Qui bene exit de tentatione, & quem tentatio probabilem reddit, ipse uenit ad sanitatem iudicij. Saluus erit & sanitas cum eo erit, qui in tentatione uitæ præsentis nunquam contra deum murmurans minime fuerit uulneratus, sicut in Apocalypsi legimus, Qui uicerit dabo ei edere de ligno uitæ quod est in paradiso. Venit ergo ad sanitatem iudicij, qui bene causam alterius audiens disponit sermones suos in iudicio: & munera super innocentem non accipit. Quid ergo in consequentibus scriptura commemorat, Sitiuit, inquit, ibi populus aquam, & murmurauit contra Moysen. Cum enim dixisset, Sitiuit populus, quid opus fuit ut adderet aquas? Sic enim habet antiqua translatio. Quare hoc addidit, nisi aquam sitiuit qui debuit sitire iustitiam? Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Et iterum, Sitiuit anima mea ad deum uiuum. Multæ enim sunt sites. Sitiunt iusti, sitiunt & peccatores, Illi iustitiam, illi luxuriam. Iusti sitiunt deum, peccatores sitiunt aurum. Sitiuit ergo populus aquam, qui debuit sitire iustitiam. Dixit ergo ad Moysen dominus, Tolle uirgã & percute petram, ut educat populo aquam. Ecce est petra, & habet aquam. Sed hæc petra nisi percussa fuerit, aquas omnino non habet: percussa uero fontes producit & flumina, sicut in Euangelio legimus, Qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Percussus enim Christus in cruce, noui testamenti fontes eduxit. Necesse enim erat ut ille percuteretur. Nisi enim ille percussus fuisset, & de sacro eius latere sanguis & aqua manasset, uniuersus mundus sitim uerbi dei patiens interisset. Percussit ergo Moyses uirga bis sillicem. Quid est hoc fratres? Nec hoc puto esse sine mysterio. Quid est hoc quòd nõ semel sed bis uirga percussa est petra? Ideo secunda uice petra percutitur, quia duo ligna in crucis patibulo erigunturquia in uno ligno sacras manus expandit, in alio uero à capite usq; ad pedes immaculatum corpus extendit. Bibit ergo de petra populus, & statim bellum inijt contra Amalech. Videte fratres, quia postea quàm quisque de petra biberit, id est, Christi sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam procedere. Tandiu enim aliquis diabolum contra se pugnantem non sentiet, quamdiu opera illius exercere uoluerit. Qui uero illum reliquerit & de petra bibens Christum sequi elegerit, necesse est ut illum patiatur infestum, cui isto iudicio uoluit præponere Christum. Quisquis ergo Christo coniungitur, non ad delicias, non ad uoluptates sed ad prælium pręparetur, quia omnes qui uolunt pie uiuere in Christo, persecutionem patiuntur. Et iterum: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei. Inierunt ergo bellum filij Israel, & Moyses uocat Iesum, & dicit ad eum, Elige tibi uiros & pugna contra Amalech. Vsque ad hunc locum beati huius nominis mentio, id est Iesus, nusquam facta est. Hic primum uocabuli huius splendor obfulsit. Moyses uocat Iesum, lex inuocat Christum. Elige, inquit, tibi uiros potentes. Non poterat Moyses eligere uiros potẽtes: Iesus solus est qui potest uiros potẽtes eligere, Ipse utiq; qui dixit Apostolis suis, Non uos me elegistis, sed ego elegi uos. Ipse est qui domum fortis intrauit, & uasa eius diripuit. Moyses autem ascendit in uerticem collis. Et factum est cum eleuaret manus Moyses, uincebat Israel. Aduertite fratres, Moyses manus quidem leuat, non tamẽ extendit. Cui ergo seruabatur ut manus extenderet nisi domino nostro Iesu Christo, qui extentus in cruce uniuersum orbem complexurus brachia pietatis expandit? Moyses ergo leuauit manus, & licet nõ expandit, tamen ipsa eleuatione mysterium crucis ostendit. Videte fratres iam tunc per sacramẽtũ crucis superatas esse aduersarias gentes. Et nos fratres dilectissimi si adiuuãte domino manus erigimus diabolum superamus. In manibus, opera debemus accipere. Si ergo talia sunt opera tua ut illa posis in altum in conspectu domini leuare, potes etiam & tu in te ipso aduersarios tuos extinguere. Quis bene manus leuat, nisi qui per eleemosy-

Apoc.2

Exod.17

Ioan.7

Ioan.15

mosynam in cœlo iugiter thesaurizat? Quis ergo bene manus leuat, nisi qui assidue uictũ ac uestitũ pauperib. subministrat? Quis bene manus leuat? Ille utiq; qui implet illud Apostoli, Eleuantes, inquit, puras manus sine ira & disceptatione. Quia ergo quotidie nobis & uobis pugna imminet cõtra aduersarias potestates, si uolumus uincere, manus nostræ, id est, actus nostri & cõuersatio nostra nõ sit in terris, sed sicut Apostolus dicit, Super terram ambulantes cõuersationem habeamus in cœlo. Scriptum est tamen, quia sicut uitulus ablingit in campis herbam uiridem, ita populus Israel ablinget populum Amalech super terram. Per quod indicari uidetur, quia populus dei non tam manu & armis quàm uoce pugnabat & lingua, id est, orationem ad deum fundebat. Ergo & tu si uis uincere, audi Apostolum dicentem, Orationi insistentes, & uigilantes in ea. Hæc est Christiani pugna gloriosissima, non in suis uiribus præsumere, sed semper dei auxilium implorare, cui est honor & imperium cum patre & spiritu sancto in secula seculorum: Amen.

1 Tim.2

Colos.4

Item eodem die Homilię de eodẽ de quo supra in Euangelio secundũ Ioannem, quæ habentur in expositione doctoris ibidẽ: Et in lib. LXXXIII. quæstionum, quæstione. LXIIII.

Sabbato post tertiam dominicam in quadragesima, Sermo habitus ad mensam sancti Cypriani, de eo quod scriptum est in Psalmo: Erudimini qui iudicatis terram: Et de muliere in adulterio deprehensa. Sermo I

Psal.2

SERMO XCIIII

RVdimini omnes qui iudicatis terrã. Terram iudicare, est corpus damnare. Audiamus Apostolum iudicãtem terram, Non sic pugno, inquit, tanquam aerem cædens, sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte alijs prædicans ipse reprobus efficiar. Audi ergo terram iudicantem terram, & iudica terram, ne sis terra. Si enim terram iudicaueris, cœlum eris, & in te factam gloriam domini enarrabis. Cœli enim enarrant gloriam dei. Si autem terram non iudicaueris, terra eris. Si autem terra fueris, ad eum pertinebis, cui dictum est, Terram manducabis. Audiant ergo iudices terræ. Corpus castigent, libidines frenent, ament sapientiam, uincant concupiscentiam. Et ut hoc faciant erudiantur. Hæc est autem summa eruditionis. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Exulta ei, non tibi. Ei à quo es quod es, & quòd homo es, & quod iustus es, si tamen iam iustus es. Si autem putaueris quod ab illo quidem homo es, à te autem iustus es, non seruis domino in timore, nec exultas ei in tremore, sed tibi in præsumptione. Et quid tibi fiet nisi quod sequitur? Nequãdo irascatur dominus, & pereatis, inquit, de uia iusta. Non enim ait, Nequando irascatur dominus, & non intretis in uiam iustam, sed pereatis de uia iusta. Iam enim uideris tibi iustus non rapiendo alienum, non adulterando, non homicidium faciendo, non falsum testimonium aduersus proximum dicendo, patrem & matrem honorando, unum deum colendo, idolis & dæmonijs non seruiendo. De hac uia peribis, si tibi ista à teipso esse putaueris. Infideles enim non intrant in uiam iustam, Superbi pereunt de uia iusta. Quid enim ait? Erudimini qui iudicatis terram. Et ne forte uires & potentiam, quia iudicatis terram, uobis tribuatis, à uobisipsis eam uobis esse credatis, nolite sic, Seruite domino in timore, exultate non uobis in præsumptione, sed ei in tremore. Ne quando irascatur dominus & pereatis de uia iusta, cum exarserit cito ira eius. Quid ergo faciendum est ne pereamus de uia iusta? Beati omnes qui confidunt in eo. Si beati qui confidunt in eo, miseri qui confidunt in se. Maledictus enim omis homo qui spem suam ponit in homine. Ergo nec in te, quia & tu homo es. Si enim spem tuam posueris in alio homine, inordinate humilis eris: Si autem spẽ tuam posueris in te, periculose superbis. Quid autem interest? Vtrunque perniciosum. Nihil horum eligendum, inordinate humilis non leuatur, periculose superbus præcipitatur. Denique ut nouerit sanctitas uestras, propter istum sensum redarguendum & consumendum, quòd in se quisque confidit, diuturna esse ista uerba, Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apostolum audite hæc ipsa uerba dicentem, & sententiam cur dicta sint explanãtem. Ecce Apostoli uerba sunt, Cum timore & tremore uestram ipsorum salutem operamini. Quare ergo cum timore & tremore meam salutem operor, cum sit in potestate mea operari salutem meam? Vis audire quare cum timore & tremore? Deus est enim qui operatur in uobis, ideo cũ timore & tremore. Quia quod imperat humilis, amittit superbus. Si ergo deus est qui operatur in uobis, quare dictum est, uestram ipsorum salutem operamini? Quia sic deus in nos operatur ut & nos operemur, Adiutor meus esto. Designat esse operatorem, qui inuocat adiutorem. Sed uoluntas, inquit, mea bona est. Fateor tua. Sed & ipsa à quo data, à quo excitata? Noli me, ipsum Apostolum interroga. Deus est enim, inquit, qui operatur in uobis & uelle & operari pro bona uoluntate. Quid est ergo ꝗd tibi arrogabas? Quid est quod superbus ibas & peribas? Redi ad cor tuum, inueni te malum, & ut sis bonus, inuoca bonum. Non enim in te placet deo, nisi quod habes ex deo. Quod autem habes ex te, displicet deo. Si bona tua cogites, quid habes quod nõ accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Solus est ille qui non nouit nisi dare: Non habet datorem, quia non habet meliorem. Quo tu si inferior es, imo quia inferior es, gratulare quia ad eius imaginem factus es, ut in illo inuenias qui in te peristi. Nõ enim potuisti in te, nisi perdere te: nec scis inuenire te, nisi ille qui fecit te quærat te. Alloquamur tamen & eos qui secundum istam uisibilem & popularem intelligentiam iudicant terram. Iudicant enim terram reges, duces, principes, iudices. Vnusquisq; pro munere quod accepit in terra, iudicat

1 Cor.9

Hier.17

Philip.2

cat terram. Quid est autem quod dicitur, Iudicat terrã, nisi iudicat homines qui sunt in terra? Nam si terram proprie non accipias, nisi quam calcas, agricolis ergo dictum est, qui iudicatis terram: Porrò autem si reges iudicant terram & qui sub regibus potestatem accipiunt à regibus, erudiantur & ipsi, quia terra iudicat terram. Et timere debet eum qui est in cœlo terra iudicans terram. Parem quippe suum iudicat, homo hominem, mortalis mortalem, peccator peccatorem. Si enim procedat in medium dominica illa sententia: (*Ioan.8*) Qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat: nónne omnis iudicans terram terræmotum patitur? Euangelicum capitulum recolamus: Pharisæi tentantes dominum, adduxerunt ante eum mulierem in adulterio deprehensam: de quo peccato pœna fuerat lege definita, lege scilicet data per Moysen famulum dei. Hac ergo complexione dolosa & fraudulenta ad dominum Pharisæi accesserunt: ut si iuberet lapidari mulierem diffamatam, perderet mansuetudinem: si autem quod lex iusserat prohiberet, peccasse teneretur in legem. Sicut autem interrogantes de tributo Cæsari reddendo, ore suo cepit, uicissim interrogans cuius esset prolatus nummus, cuius haberet imaginem & superscriptionem: Respondentes enim ipsi qui interrogauerunt, in nummo esse imaginem Cæsaris: respondit eis secundum os ipsorum, Reddite Cęsari quæ Cæsaris sunt, & deo quæ dei sunt: ut admoneret sic reddendam deo in homine imaginem dei, quemadmodum in nummo imago sua redditur Cæsari: Ita & in ista adultera interrogatores interrogauit, & ideo iudices iudicauit. Non prohibeo, inquit, lapidari, quam lapidari lex iussit, sed quæro à quibus. Non enim resisto, sed legis ministrum requiro. Denique audite, Lapidare uultis secundũ legem, Qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat. Quando autem hæc audiuit, digito scribebat in terra, ut erudiret terram. Quando autem hoc dixit Pharasæis, leuauit oculos suos & inspexit terram, & fecit eam tremere. Proinde cum hoc dixisset, iterum cœpit scribere in terra. At illi compuncti & tremefacti, unus post alterum discesserunt. O terræmotum, ubi sic terra mota est ut etiam mutaret locũ. Illis ergo discedentibus, remansit peccatrix & Saluator. Remansit ægrota & medicus. Remansit misera & misericordia.

Et aspiciens mulierem, dixit, Nemo te condemnauit? Et illa, Nemo domine. Sed tamen adhuc solicita erat. Peccatores enim damnare non ausi sunt. Non ausi sunt lapidare peccatricem, qui seipsos intuentes similes inuenerunt. Sed adhuc mulier erat in magno periculo, quia ei ille iudex remanserat qui erat sine peccato. Nemo, inquit, te condemnauit? At illa, Nemo domine: Sed nec tunc secura sum. Cui solicitudini tacita dominus uoce respondit, Nec ego te condemnabo.

Illos à uindicta repressit conscientia, me ad subueniendum inclinat misericordia. Hæc attendite & erudimini omnes qui iudicatis terram. Omnes scilicet, qui etiam sic intelligendum est, de quibus (*Rom.13*) Apostolus dicit, Omnis anima potestatibus sublimiorib. subdita sit. Nõ est enim potestas nisi à deo. Quæ autem sunt, à deo ordinata sunt: Qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. Principes enim non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac & habebis laudem ex illa. Et si non ab illa, tamen ex illa. Aut enim iuste agis, & iusta potestas laudabit te: Aut iuste agentem etiam si potestas iniusta damnet te, deus iustus coronabit te. Ac per hoc tu iustitiam tene, tu bene uiue. Et siue damnet siue absoluat, habebis laudem ex illa. Beatus ille cuius hic sanguis fusus est. Nónne ex illa potestate antequam & uisus est iudicari, laudem inuenit? Confessionem promisit, in fide permansit. Mortem non timuit, sanguinem fudit, diabolum uicit. Vt ergo non sitis iniquæ potestatis quicunque homines uultis habere in potestate, erudimini ne peruerse iudicetis, et antè anima pereatis, quàm quenquam carne perdatis. Iudex esse uis, nõ potes meritis, uel pecunia, nondum reprehendo. Fortasse enim prodesse cupis rebus humanis, & emis ut prosis, ut seruias iustitiæ non parcis pecuniæ. Prius propter te esto iudex in te. Prius iudica te de te, ut de penetrali conscientiæ securus procedas ad alterum. In teipsum redi, te attende, te discute te audi. Ibi te uolo probare integrum iudicem, ubi non quæris testem. Procedere uis cum potestate, ut alter tibi dicat de altero quod tu nescis, prius intus iudica. Nihil tibi de te dixit cõscientia tua? Si nolis negare, utique dixit. Nolo audire quid dixerit, Tu iudica quid audisti. Dixit tibi de te quid feceris, quid acceperis, quid peccaueris. Vellem scire qualem sententiam protulisti, Si bene audisti, si recte audisti, si in audiendo iustus fuisti, si tuæ mentis tribunal ascendisti, si teipsum ante teipsum in eculeo cordis suspendisti, si graues tortores adhibuisti, si timores bene audisti, si sic audisti & proculdubio pœnitendo peccatum punisti. Ecce & discussisti & audisti & punisti, & tamen tibi pepercisti. Sic audi & proximum tuum, si erudiaris sicut admonuit Psalmus, Erudimini qui iudicatis terram. Sic audi proximum tuum, quomodo audit & te. Peccata persequeris, non peccantem. Et si forte quisque durus est ad corrigenda peccata auersus à timore dei, hocipsum in eo persequeris, hocipsum corrigere conaberis, hoc perdere & tollere laborabis, ut seruetur homo peccato damnato. Duo enim nomina sunt, homo & peccator. Hominem deus fecit, peccatorẽ se ipse homo fecit. Pereat quod fecit homo, liberetur quod fecit deus. Noli ergo usque ad mortẽ, ne cum persequeris peccatũ perdas hominem. Noli usque ad mortem, ut sit quem pœniteat, homo non necetur ut sit qui emendetur. Hanc in corde retinẽs homo inter homines dilectionem, esto iudex terræ, & ama nõ currere sed diligere. Si superbis, superbi in peccata, nõ in hominẽ. In illud sæui quod tibi displicet et in te, nõ in eũ qui factus est sicut tu. De una officina existis, unum artificem habuistis, unus

unus limus est uestra materies. Quid perdis nõ amando quem iudicas? Quoniã iustitiã perdis non amando quem iudicas. Adhibeantur pœnæ, non recuso, non interdico, sed animo amãtis, animo diligentis, animo corrigentis. Num enim filium tuũ non erudis? Et prius agis ut si fieri potest pudore & liberalitate erudiatur, & erubescat patrem offẽdere, non tanquam seuerum iudicem timeat: Gaudes ad talem filium. Sed si fuerit forte ista contemnens, adhibebis & uerbera. Incutis pœnam, ingeris dolorem, sed quęris salutem, Multi amore, multi timore correcti sunt, sed per tremorem timoris ad amorem peruenerunt. Erudimini qui iudicatis terram. Diligite & iudicate. Non enim sic quæritur innocentia, ut pareat disciplina. Scriptum est, (*Sap.3*) Disciplinam qui abijcit infelix est. Bene potest addi ad istam sententiam, Sicut disciplinam qui abijcit infelix est: sic disciplinam qui negat crudelis est. Ausus sum aliquid dicere fratres mei, quod uobis aliquanto plenius exponere ipsius rei obscuritate compellor. Repeto quod dixi, Disciplinam qui abijcit infelix est. Hoc est manifestum: Disciplinam qui non dat, crudelis est. Teneo prorsus, teneo & ostendo, feriendo pium, parcendo crudelem: Exemplum ante oculos pono. Vbi inuenio feriendo pium? Non eo ad alios, ad patrẽ & filium eo: pater quando ferit amat, & non uult puer cædi. Contẽnit uoluntatẽ, consulit ad utilitatem. Quare? Quia pater est, quia hęreditatẽ parat, quia successorem nutrit. Ecce feriendo pius est pater, feriendo misericors est. Da mihi hominẽ parcendo crudelem. Non recedo à personis, eos ipsos ante oculos pono. Sed si puer imperitus & indisciplinatus sic uiuat ut pereat, & pater dissimulet, pater parcat, pater perditum filium disciplinæ asperitate offendere timeat, nónne parcendo crudelis est? Erudimini ergo qui iudicatis terrã, & bene iudicando non à terra præmiũ, sed ab illo sperate qui fecit cœlum & terram.

Eodem die, De decem in lege præceptis, & de decem plagis. Sermo II

SERMO XCV. *Sumptus ex libell. Aug. de cõuenientia X. præcep. & plag. tom. 9 col. 1139*

NON est sine causa, fratres dilectissimi, quòd præceptorum legis dei numerus cum numero plagarum quibus Ægyptus percutitur exæquari uidetur. Nam sicut decem præcepta sunt legis, quibus ad cultũ dei populus admonetur: ita decem plagæ leguntur, quibus superbia Ægyptiorum affligitur. Consideremus ergo cur & ibi decem præcepta, & hic decem plagæ memorentur. Ideo sine dubio, quia in illis erant uulnera, in istis medicamenta. Et opus erat ut periculosis plagarum decem uulnerib. decem præceptorum medicamina subuenirent. Primum est præceptum in lege de uno deo. Non erunt, inqt, tibi dij alij præter me. Prima plaga Ægyptiorum, aqua conuersa in sanguinem. Compara primum præceptum primæ plagæ, deum unum ex quo sunt omnia, in similitudinem aquæ ex qua generantur omnia. Ad quam autem rem pertinet sanguis, nisi ad carnem mortalem? Quid est ergo aquæ conuersio in sanguinem, nisi quia illi qui in dominum credere noluerunt: sicut dicit Apostolus, (*Rom.1*) Obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Aqua enim in sanguinem uertitur, quia sensus Ægyptiorum obscurus & tenebrosus efficitur. Et iusto dei iudicio factum est, ut de illo fluuio sanguinem biberẽt, in quo Hebręorum paruulos necare consueuerant. Secundum præceptum, Non accipies nomen dei tui inuanum. Qui enim acceperit nomen domini dei sui inuanum, non mundabitur. Nomen enim domini Iesu Christi, ueritas est. Ipse enim dixit, Ego sum ueritas. Et quia ueritas mundat, uanitas inquinat: uideamus huic secundo præcepto contrariam plagam, ranarum abundantiam. In ranis hæretici intelliguntur atque philosophi. Philosophi enim uel hæretici quia in Christo omnia falsa esse dicunt, ranæ sunt clamantes in paludibus limosis. Per superbiam et inanem contentionem strepitum uocis habere possunt, doctrinam ueræ sapientiæ insinuare non possunt. Qui enim Christianæ ueritati contradicunt, & in sua uanitate decepti decipiunt, ranæ sunt tædium afferentes auribus, non cibum mentibus. Tertium præceptum est. Memento, inquit, ut diem sabbati sanctifices. In isto tertio præcepto insinuatur quædam uacationis indictio, requies cordis, tranquillitas mentis, quam facit bona conscientia. Ibi enim est sanctificatio, quia ibi est spiritus dei. Denique uidete uacationem, hoc est quietem. Super quem, inquit dominus, requiescam, nisi super humilem & quietum & trementẽ uerba mea? Spiritale enim sabbatum non obseruant, nisi illi qui se ita temperate operibus terrenis accommodant, ut tamen lectioni & orationi, & si non semper certe uel frequenter insistant, secundum Apostolum, (*1 Tim.4*) Attende lectioni diuinæ doctrinæ. Et iterum, (*1 Thes.5*) Sine intermissione orate. Qui enim tales sunt, quotidie spiritaliter sabbatum colunt. Qui uero inquieti sunt & iugiter terrenis actibus implicantur, de quibus scriptum est, Impedimenta mundi fecerunt eos miseros, ijdem requiem habere non possunt. Attendite tertiam plagam, huic tertio præcepto contrariam. Ciniphes nati sunt in terra Ægypti de limo, muscæ minutissimæ, inquietissimæ, inordinate uolantes, in oculos irruentes, non permittẽtes hominem quiescere: dum abiguntur iterũ irruunt, dum expulsæ fuerint iterum redeũt. Quales istæ sunt muscæ, tales sunt homines inquieti, qui sabbatũ spiritaliter obseruare, id est, bonis operibus studere & lectioni uel orationi insistere nolunt. Et quomodo corpus humanum ab istis muscis affligit̃, ita cor illorũ diuersis cogitationibus inquietatur & compungitur. Tenete præceptum, cauete plagam. Quartum præceptum est, Honora patrem tuum & matrem tuam: huic contraria quarta plaga Ægyptiorum cynomia, id est musca canina. Græcũ enim uocabulum est. Qui ẽm parẽtes honorare dissimulat, musca hunc canina, id est, diaboli nequitia spiritaliter affligit & cruciat, Caninum est enim parẽtes non agnoscere. Nihil tam caninum, quàm cum illi qui ge-

nuerunt non agnoſcuntur. Quintum præceptum
eſt, Non mœchaberis. Quinta plaga mors in peco A
ra. Omnis enim qui aut uxore propria intempera
te excepto filiorũ deſiderio utitur, aut certe quod
eſt crimen grauiſſimum, qui uxori aut filiæ alienę
aut ancillę uel ſuæ uel alterius inſidiatur, & non re
uocatur pœnitendo, uictus cupiditate beſtiarum,
tanquam amiſſo homine erit pecus: non quaſi cõ-
uerſus in naturam pecoris, ſed in humana forma
habens ſimilitudinem pecoris, qui non uult au-
Pſal. 31 dire dicentem dominum, Nolite fieri ſicut equus
Pſal. 48 & mulus, in quibus non eſt intellectus. Et illud,
Homo cum in honore eſſet non intellexit, com-
paratus eſt iumẽtis inſipientibus, & ſimilis factus
eſt illis. Sed ſi pecus eſſe non times, uel mori ſicut
pecus time. Sextum præceptum, Non occides.
Sexta plaga puſtulæ in corpore, & ueſicæ bullien B
tes & ſcaturientes incendia uulnerũ de fauilla for-
nacis. Tales ſunt homicidales. Ardẽt ira, quia per
iram homicidij fraternitas perijt. Ardent homines
iracundia, ardent & gratia. Nam & qui uult ſubue
nire feruet, qui uult occidere feruet. Iſte precepto,
ille morbo. Iſte bonis operibus, ille ſanioſis ulce-
ribus. O ſi poſſemus uidere animas homicidarum,
ſine dubio plus plangeremus quàm putreſcentia
corpora ulceratorum. Sequitur præceptum ſepti-
mum, Non furaberis. Et plaga ſeptima grando in
fructibus. Quod per furtum contra dei præce-
ptum ſubducis, de cœlo perdes. Nemo enim ha-
bet iniuſtum lucrum ſine iuſto damno. Qui fura-
tur, uerbi gratia, acquiret ueſtem, ſed cœleſti iudi C
cio perdet fidem. Vbi lucrum, ibi damnum. Vi-
ſibiliter lucrum, inuiſibiliter damnum. Lucrum
ſua cæcitate, damnum de domini nube. Ergo qui
ſuo malo deſiderio forinſecus furantur, iuſto dei
iudicio intrinſecus grandinantur. Octauum præ-
ceptum, Falſum teſtimonium non dices. Octaua
plaga locuſta animal dente noxium. Quid enim
uult falſus teſtis niſi mordendo nocere, & conſu-
Gal. 5 mere mentiendo? Et ideo nos admonet Apoſto-
lus, ne nos falſis criminibus appetamus. Si, inquit,
mordetis, & comeditis inuicem, uidete ne ab in-
uicem conſumamini. Nonum præceptum. Non
concupiſces uxorẽ proximi tui. Nona plaga den-
ſæ tenebræ. Si enim peccatum eſt uxorem propri-
am excepta cauſa filiorum agnoſcere, putas qua-
le peccatum eſt alienam appetere? Verè denſæ
ſunt tenebræ, nihil enim ſic dolet in corde patien-
tis, quomodo ſi uxor illius appetatur. Et qui hoc
facit alteri, nihil tale uoluiſſet pati. Alia mala ſo-
lent homines patienter excipere. Hoc autem ne-
ſcio utrum inueniri poterit qui patienter ferat. O
quàm denſas tenebras patiuntur, qui talia faciunt
& talia concupiſcunt, uere excitantur furore hor-
ribili. Furor enim indomitus eſt uxorem alienam
commaculare uelle atq; polluere. Decimum præ-
ceptum. Non cõcupiſces ullam rem proximi tui,
non pecus, non ouem, non bouem, non aliquid
omnino. Huic mandato plaga decima contraria
eſt, mors primogenitorum. Primogenita cordis
noſtri fides eſt. Non enim bene operatur niſi fides
præceſſerit, ſicut dicit Apoſtolus, Sine fide impoſ- Heb. 11
ſibile eſt placere deo. Omnia opera tua bona, filij
tui ſunt ſpiritales, ſed inter iſtos tibi primogenita
eſt fides. Quiſquis rem alienam occulte concupi-
ſcit, internam fidem perdit. Erit enim primum ſi-
ne dubio ſimulator, obſequens non charitate ſed
fraude. Veluti amans eum à quo ſe cupit fieri hæ-
redem, amare ſe dicit eum quem mori deſiderat:
& ut in re eius ſe uideat poſſeſſorem, optat ut pro
prium nõ relinquat hæredem. Hæc fratres compa
ratio & quodammodo contrarietas decem præ-
ceptorum, & decem plagarum cautos nos faciat,
ut habeamus ſecuri res noſtras in præceptis dei.
Res, inquam, noſtras interiores in arca conſcien-
tiæ noſtræ repoſitas, Ipſi ſunt theſauri noſtri quos
nobis nec fur nec latro nec uicinus malus poterit
aliquando auferre: ubi nec tinea nec rubigo eſt
metuenda. Iſtę ſunt enim ueræ diuitiæ, id eſt, bo-
na conſcientia, iuſtitia, miſericordia, caſtitas, ſo-
brietas. Qui talibus rebus plenus eſt, diues erit eti-
am ſi de naufragio nudus exierit. Si diligẽter hæc
attenditis, & quæ mala ſunt fugere, & quæ bona
ſunt uolueritis auxiliante domino exercere, eritis
populus dei, & de iniqua Ægyptiorum ſeruitute,
id eſt ſpiritalium nequitiarum perſecutione libe-
rati, ad terram repromiſſionis poteritis feliciter
peruenire, præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto,
cui eſt gloria & imperium cum patre & ſancto ſpi
ritu in ſecula ſeculorum, Amen.

C Item eodem die ſermo de iudicibus, qui habeẽ
inter ſermones ad fratres in eremo. XXXV.

Item eodem die Homiliæ de eo quod ſcriptum
eſt in Euangelio ſecundum Ioannem, Perrexit Ie-
ſus in montem Oliueti &c. quæ habentur in ex-
poſitione doctoris Ibidem, Et inter ſermones de
Verbis domini. XLVII.

Dominica quarta in quadrageſima, de decem Ser. XCVI
chordis, & de decem præceptis. Sermo I A
qui habetur tomo 9. col. 918

Eodem die, de filijs Iſrael. Sermo II

AEC dicit dominus Moyſi, Sine ut Ser. XCVII
H faciam te in gentem magnam. Gra-
ue eſt diſcutere perſonã qui in infide
litatẽ cadit, dum maius quod accepit perdit. Quis
D ludæorum inexolubiles nodos neſcit? Quis per-
fidiam & audaciam non deponit? Legunt elogia
ſua, quod in præuaricatione parentum non defu-
iſſet uindicta. Irata ſeueritas promitur, & contu-
macia non emendatur. Clementia leuius iraſcitur,
quia citius miſeretur. Ipſius erit iudicium, & pro
bare dignum, & delinquentibus indulſiſſe pecca
tum. Quid dico? Deus illos horruit, aut amauit?
Abſit. Si horruit peccatores contempſit. Sed ama
uit, ideo frequenter indulſit. Reuertimini, inquit, Zach. 1
ad me, & reuertar ad uos. Eorum quidem ſunt
ſcelera aut rea lingua, aut conſcientia crimino-
ſa. Vos, inquit, de patre diabolo eſtis. Non po- Ioan. 8
teſt differri uindicta, ultio non procraſtinabitur.
Tanta

Tanta enim ſunt crimina uſurpatione concepta,
ut non parcant generi, cum rei uideantur autho- A
ri. Clamauerunt, inquit, ad dominum cum tribu-
larentur, mittitur dux qui populum Iſraeliticum
redderet liberatum. Parantur Ægyptijs dignę &
innumerabiles plagæ ignominię, ad uindictam ci
niphes proceſſerũt, uineas bruchus abſumpſit, fru
ctifera ligna locuſta uaſtauit: terrorem & grandi-
nem, ulcera, tumultus, uoces, flãmas, addicta peco
ra, armenta proſtrata, aquas in ſanguinem muta-
tas, proſtratas ranas, piſces occiſos: prædurantur
elementa nullo rigore, ſiccantur fluentia in rei mi
raculo curuata, & in muro ſuſpenditur unda, in-
ſuetum iter mirantur fluctus, miratur & populus.
Quid incredule popule nocte deſperas? Signũ ti
bi erit colũna, quam Chriſtus illuminat. Securus
iter quod arripis uade, antecedet te Chriſtus. Et B
quia proſequitur Chriſtus fiducia non terror de-
bet eſſe, ſecurus ad promiſſa peruenies atque uti-
nam non rebelles. Apertum intrant mare Ægy-
ptij, quos circumfuſi fluctus feſtinanter ruentes
perdunt. Medij maris arena ungulam ſenſit, mare
curſus ſuſtinuit equitum. Sed hæc uindicta debe-
batur, ut citius periret, qui conſequi denegauit ſa-
lutem. Quid dubitas de hoſte? Tute iam procede,
mortuum uidebis, probabis defunctum, cui ante
fueras ſeruus. In eremum exitur, nec contumelia
differtur. Murmurant, petunt cepas & pepones,
Num. 11 merito inſulſi & quos non gratiæ ſales condunt,
uilem expetunt cibum. Cepas ait, ut extorqueren
tur eis lachrymæ ex delicto collectæ. Non aqua- C
rum in fluuijs natura degenerat, communem li-
quorem amaritudo triſtauerat, lignum mittitur,
dulcedo reparatur. Petra percuſſa ſitientibus po-
tum præbuit uirga, nec ueternoſa eis diſſuta ſunt
ueſtimenta, aruo ſterili non defuit mãna. Pulmen-
tarium poſcitur, deſiderijs omnia conferuntur. Sa
porem ſenſit quiſq; quem uoluit in ore dum man-
ducauit. Petunt ſibi quod colerẽt, atq; utinam ſim
pliciter poſtulaſſent. Sed plebs quæ dotales tabu-
las lege mariti perceperat, de corruptela diſponit,
& de adulterio cogitat: Quid te infidelis uis iun-
gere conſortio digno? Mater tua diſplicuit repu-
diata per libellum repudij pronunciante Eſaia,
Iſaie 50 nec ſummo chariſmate es digna, cum execrabili-
bus factis uidearis ingrata. Nõ ſeruies, inquit, deo
alieno. Aurum igni apponitur, & ingrati infau- D
ſtum ſcelus expetunt, adorant imaginem quam
ſuccenſus eiecerat ignis. Vbi eſt quod mandatum
eſt: Audi Iſrael, dominus deus tuus unus eſt? Vi-
Deut. 6 tulus tuus ubi erat, cum tibi Chriſtus in mari iti-
nera præparabat, mare aperuit, ſitientibus potum
præbuit: feſſos ieiunio reparauit? Luxurioſa gen-
tilitas, poſt ſaturiem luſum quærit. Sedit, inquit,
populus manducare & bibere, & ſurrexerunt lu-
dere. Atque utinam uerbis fuiſſent dicta, non fa-
ctis fuiſſent admiſſa. Ecce iam pater Abrahã trãſ-
fertur in gẽtem magnam. Ecce quid criminis ad-
mittit primitiuus, quid gratiæ meretur ſecundus.
Vendidiſti mihi primatus tuos, delicto factus ſer-
uulus fratri tuo. Radix quidem me aliena portat,
ſed noua gratia meum caput impinguat. Ducem
ſe ergo dominus ingrato populo præbebat, exer-
citum Chriſti per inacceſſa loca & deuia deſerta
terrarum non turbauit iter ignotum. Igitur exori-
tur impugnante diabolo prophana tentatio, fit
repẽte populus diuinis beneficijs ingratus, mens
eius à ueritate deſciſcit, deſeruit uitæ largitorem,
& ſecutus eſt mortis authorem. Vnde ſimulachra
colentium cæca ſtultitia, imò non ferenda demen
tia, mortali manu formatum uitulum putare diui-
num? Acerbior indignitas rerum eſt, ut pecoris
ſit figura terrori, & cum deus animalia omnia ho-
mini ſubiecerit, ipſe ſe in famulatũ pecudum ſpon
te deiecerit. Adeo formatur uitulus ſtultorum col
lationibus inauratus: & quẽ nullus naturalis mo-
tus quacunq; flectebat, eum dementia perfido-
rum ſubiugata ceruice portabat: & cuius aures B
nullus penetrabat auditus, uel aliqua commotio
ſenſibilis agitabat, has incaſſum dementis populi
oratio ſtulta pulſabat: & cui uiſum modulantibus
palpebris uitali motu artificis phantaſia non de-
derat, nec genitrix natura contulerat, eum uiden-
tes ingrati Deo ſupplices adorabant. Præcedebat
in eremo populum carens ſpiritu uitulus figura-
tus, ut tali duce demens populus uteretur, qualis
fuerat & ipſe delictis effectus. Et ne tanti mali ſine
uindicta in poſteros manaret exemplum, ſtatim
uindicatur in reos. Dum enim malis modus impo
nitur, frangitur licentia peccatorum: Frequenter
enim plagis diſciplina corrigitur, ſi nihil proficí-
ant hortamenta iuſtorum. A damnabilibus factis
homines uindicta compeſcit, quos in bonis ope-
ribus beneficia Dei retinere non poſſunt. Si enim
non inter primos peccantium lapſus conſuleret,
ſed in futurum ſuſpenderet ultionis occurſum di-
uina cenſura, proculdubio ſceleſtorum omnium
latius proceſſiſſet audacia. Denicq; ſi uis tuorum
proficere diſciplinam, exerce cenſuram. Vbi Dei
futuræ uindictæ ſolicitudo uerſatur, illic aut non
peccatur, aut tardius delinquitur. Cenſura enim
interdum quidam ſuſcipiunt ſupplicium, ut multi
corrigantur in paucis, ne poſtmodum ira cõmo-
tus incipiat graſſari per multos. Riſus frequẽs cor-
rumpit mores, relaxat quoq; neruos rigoris aſtri-
ctos, ſeuerus autem uultus cuſtos eſt diſciplinę. Si
enim delinquentibus frequenter indulges, pec-
cator non proficit ad ſalutem.

In eadem dominica homilia, de eo quod ſcri-
ptum eſt in Euangelio ſecundum Ioannem, A-
bijt Ieſus trans mare Galilææ quod eſt Tyberia-
dis, & cætera, quæ habetur in expoſitione docto-
ris Ibidem.

Feria ſecunda poſt quartam dominicam, de
Thuribulis: Sermo I

ODO fratres dilectiſſimi, cum diui- SERMO
M na lectio legeretur, audiuimus dixiſ- XCVIII
ſe dominum ad Moyſen, ut thuribula
in quibus ſuperbi illi ac rebelles incẽſum obtule-
rant cõflaret, & producta in laminas altari affige-
ret, ut eſſent in teſtimonium rebellium & ſuper-

borum. Thuribula, inquit dominus, quæ sanctificata sunt in mortibus peccatorum, facito ea lami-
A nas ductiles: & circunda ex eis altare: quia oblata sunt coram domino & sanctificata sunt. Hoc ergo per hanc figuram uidetur ostendi, ꝗ thuribula ista quæ scriptura nominat ærea, imaginem teneant scripturæ diuinæ: cui scripturæ hæretici ignem alienum imponẽtes, sensum uidelicet per errorem & intelligentiam alienam à Deo & ueritati contrariam introducentes, incensum domino nõ suaue sed execrabile offerunt. Ista ergo thuribula ærea, id est, hæreticorum uoces, si adhibeamus ad altare Dei, ubi diuinus ignis est, ubi uera fidei prædicatio, melius ipsa ueritas ex falsorum comparatione fulgebit. Si enim, uerbi gratia dicam, ponam dicta Arrianorum uel Manichæorum, aut alterius cuiuslibet hæreticorum, & ex sermonibus
B ueritatis ac scripturarum diuinarum testimonijs uelut diuini altaris igne confutem, nónne euidentior eorum ex ipsa comparatione apparebit impietas? Nam si doctrina ecclesiastica simplex esset, & nullis extrinsecus hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara & tam examinata uideri fides nostra. Sed idcirco doctrinam catholicam contradicentium obsidet impugnatio, ut fides nostra non ocio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc
1 Cor. 11 denique & Apostolus dicebat: Oportet autem hæreses esse, ut probati quique manifesti fiãt inter uos. Hoc est dicere, Oportet hæreticorum thuribulis altare circundari, ut certa & manifesta omnibus fiat fidelium atque infidelium differentia. Cum e-
C nim fides catholica uelut aurum cœperit fulgere, & prædicatio eius ut argentum igne probatum intuentibus resplenduerit, tunc maiore cum turpitudine, & dedecore hæreticorum uoces obscuri æramenti uilitate sordebunt. Hæc autem diximus de thuribus eorum qui condemnati sunt, quę altari iubentur affigi, quod ex comparatione impiorum isti clariores appareant: simul ut & posteris daretur exemplum, ne quis præsumptione superbi spiritus non sibi à Deo datum munus pontificatus inuaderet: sed ut illi credatur quem non ambitio humana, non fauor corruptus asciuerit, nec munerũ oblatio prophana surrogauerit, sed meritorum conscientia & Dei uoluntas assumpserit. Quod ergo pertulerunt superbi illi Leuitę, qui
D domino non iubente sibi sacerdotium uendicabant, hoc patiuntur quicunque se in episcopatus, aut presbyteratus, uel diaconatus officium uel muneribus aut adulationibus impudenter conantur ingerere. Quomodo combusti sunt illi in corpore, sic isti exurẽtur in corde. Hortat ergo Moyses pontificem magnum, ut offerat incensum in castris, & exoret pro populo. Iam enim, inquit, uastari populus cœpit. In spiritu uidebat Moyses quæ gerebantur. Abijt ergo Aaron ut offerret incensum pro populo, & stetit inter uiuos & mortuos, & mitigatus est furor Dei. Si intellexisti historiæ ordinem, & oculis ut ita dicam cernere potuisti stantem pontificem medium inter uiuos & mortuos, ascende nunc ad uerbi huius celsiora fastigia: & uide quomodo uerus põtifex Iesus Christus assumpto thuribulo carnis humanæ, & superposito igne altaris, anima sine dubio illa magnifica cum qua natus est in carne, adiecto etiã incenso qui est spiritus immaculatus, medius inter uiuos & mortuos stetit, & mortem non permisit ultra grassari: sed sicut Apostolus dixit, destruxit eũ Heb. 2
qui habebat mortis imperium, id est diabolum, ut qui in ipsum pontificem Christum credit, iam nõ moriatur sed uiuat in æternum. Hoc fuit ergo mysterium, quod futurum iam tunc angelus ille qui populum uastabat expauit. Agnoscebat enim figuram thuribuli, & ignis & incensi, & qualis offerenda esset Deo hostia ab eo qui medius mortuorum uiuorumq; constituendus erat præuidebat: & illos tunc imago præfigurata saluauit, ad
B nos autem salutis ueritas ipsa peruenit. Neq; enim indumenta põtificis purpura ac lana byssoq; contexta erubuisset angelus ille uastator: sed ista quæ futura erant indumẽta domini & saluatoris nostri singularis & magni põtificis intellexit, & his cessit quibus utiq; uniuersa creatura inferior erat. Puto autem quòd non solum primo aduentu domini & saluatoris nostri forma ipsa completa sit, sed eadem fortasse seruabitur & in secundo. Veniet iterum filius hominis, & cum uenerit sine dubio inueniet quosdam mortuos, quosdã uiuẽtes. Hoc loco non incongrue mortui intelliguntur, illi qui nimietate scelerum in peccatis suis mortui cõprobantur, uiuentes autem illi qui in operibus uiræ
C permanserint. Veruntamen utrolibet modo stabit etiam in futuro magnus hic pontifex & saluator noster medius uiuorum & mortuorum. Sed & tũc forte medius uiuorum & mortuorum stare dicẽdus est, cum statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris, & dicet his qui à dextris erunt: Venite benedicti patris mei percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi. His autem qui à sinistris sunt dicet, Ite in ignem ęternum operarij iniquitatis, quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius quoniam nõ noui uos. Et sunt utiq; mortui qui in ignem mittuntur æternum: Sunt autem uiui illi qui mittuntur ad regnum. Ad quod regnum uos pius dominus perducere pro sua pietate dignetur, cui est honor
D & imperium cum patre & sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

Eodem die, de uirga Aaron. Sermo II

SERMO XCIX

OMNIS princeps tribus populi habet uirgam. Non enim potest quis regere populum, nisi habeat uirgã. Vnde & Paulus Apostolus quia princeps erat populi, idcirco dicebat: Quid uultis? In uirga ueniam ad 1. Cor. 4
uos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Omnes ergo principes tribuum habeant necesse est uirgas suas, sed unus est solus, sicut scriptura dicit, uerus pontifex, cuius ille Aaron sacerdos præferebat figurã. Huius ergo uirga germinauit. Sicut enim uirga Aaron germinauit in populo

Iudæorum

Iudæorum, ita crux Christi floruit in populo gen-
A tium. Verum quoniam ut sæpe ostendimus, uerus pontifex Christus est, ipse solus est cuius uirga crucis non solum germinauit sed & floruit, & omnes credentium populorum fructus exhibuit. Quis autem iste est fructus quem attulit? Amygdalas, inquit. Amygdalæ fratres nuces sunt. Qui fructus primo quidem indumento amarus est, sequenti munitur ac tegitur, tertio sumentem pascit ac nutrit. Talis ergo est in ecclesia Christi doctrina legis ac Prophetarum. Prima literæ facies satis amara est, quæ quidem circumcisionem carnis præcipit, quæ de sacrificijs mandat, & cætera quæ per occidentem literam designantur. Hæc omnia tanquam amaram nucis corticem proijce. Secundo in loco ad munimenta tecta peruenies, in quo
E uel moralis doctrina uel ratio continentiæ designatur. Quæ necessaria quidem sunt ad custodiam eorum quæ seruantur intrinsecus, frangenda tamen quandoq; & sine dubio dissoluenda sunt: ut si uerbi causa dicamus, abstinentia ciborum & castigatio corporis donec sumus in corpore isto corruptibili & passibili sine dubio necessaria est: cum autem superueniente morte confractum fuerit & resolutum, & resurrectionis tempore incorruptibile ex corruptibili redditum, atq; ex animali spiritale, non iam labore afflictionis, nec abstinentiæ castigatione, sed qualitate sui nulla iam corpori corruptela dominabitur: Sic ergo & nũc durior testa nucis uelut necessaria abstinentiæ ratio uidetur, & postmodum non quærenda. Tertio autem loco, reconditum uelut in nuce inue-
C nies secretum mysteriorum sapientiæ & scientiæ Dei sensum, quo nutriantur & pascantur animæ sanctæ, non solum in presenti uita, sed etiam in futura. Ipse enim est põtificalis fructus, de quo promittitur his qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Hoc igitur modo in omnibus scripturis triplex huius sacramenti ratio percurrit. Sic & sapientia monet, ut describamus eam nobis in corde tripliciter, ad respondendum, inquit,
Prou. 22 uerbum ueritatis his qui proposuerunt nobis. Nam quia sacramentum sacerdotale est uirga nucis, idcirco arbitror etiam Hieremiam, qui erat unus ex sacerdotibus ex Anathot, uidisse uirgam nuceam, & prophetasse de ea illa quæ scripta sunt, uel de uirga nucea, uel de lebete siue olla succen-
D sa: quasi ostenderit per hæc in uirga nucea esse uitam, & in lebete succensa esse mortem. Vita enim
Hier. 21 & mors ponitur ante faciem nostram, & uita quidem Christus in sacramento nucis, mors autem diabolus in figura lebetis succensæ. Si ergo peccaueris, portionem tuam pones cum olla succensa. Si autem iuste egeris, efficietur portio tua in uirgam nuceam cum magno pontifice. Sed & in
Cant. 6 Cãticis canticorum sponsa dicitur descendisse in hortum nucis, ubi etiam pariter cum nucibus sacerdotalium quodammodo pomorum copiam perscribitur inuenisse. Diligenter attendite fratres, quia unum promisit Deus futurum in uirga, sed plura dedit. Verum est fratres: Consuetudinis suæ rem fecit dominus noster. Semper enim maiora tribuit, quàm promittit. Et erit, inquit, homo
A quemcunq; elegero, uirga eius germinabit: hoc est solum quod promisit deus, ut uirga eius quem eligeret germinet. Vbi uero ad rem uenitur, ut quod promissum est ostendatur impletum, non unum illud quod promissum fuerat effectum dicitur, sed uide quanta adduntur. Ait enim scriptu-
ra, Ecce germinauit uirga Aaron in domo Leui. Num. 17
Hoc est unum illud sine dubio quod fuerat repromissum. Sed adduntur alia, & dicitur: Et produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces. Cum ergo de solo germine fuisset repromissum, uide quanta largitur Deus, ut non solum germen produxerit, sed & frondes, & non solum frondes, sed & flores, & non solum flores, sed & fructus. Quid igitur est quod ex his colligi & contemplari possit uideamus. Primum omnium resurrectionis ex mortuis sacramentum in his euidenter agnoscimus. Virga enim arida germinat, cum corpus extinctum cœperit reuiuiscere. Quæ sunt autem quatuor ista, quæ resurgenti corpori præstabuntur? Vt seminatum in corruptionem, surgat in incorruptione: Et seminatum in infirmitatem, surgat in uirtute, Seminatum in ignominiam, surgat in gloria: Et seminatum corpus animale, resurgat corpus spiritale. Ista sunt quatuor, quæ uirga arida corporis nostri in resurrectione germinabit. Sed redeamus ad ea quæ de uirga dicere cœperamus. Possumus adhuc sic intelligere eorum quæ uirga germinauerat differentias. Omnis qui in Christo credit, primo moritur, & post
C hoc renascitur. Et est etiam in figura quòd uirga arida postmodum germinat. Est ergo primũ germen, prima hominis in Christo confessio. Secundo frondescit, ubi renatus donum gratiæ Dei sanctificationemq; susceperit. Inde affert flores, ubi proficere cœperit, & morum suauitate decorari, ac fragrantiam misericordiæ & benignitatis effundere. Ad ultimum quoque affert etiam fructus iustitiæ, quibus non solum ipse uiuat, sed & alijs uitam prębeat. Cum autem ad perfectum uenerit, & protulerit ex se uerbum fidei, uerbum scientiæ Dei, & per doctrinam suam alios lucrifecerit, hoc est attulisse fructus quibus alij nutriantur. Sic ergo singuli quique credentium de uirga
D Aaron, quæ Christus est, germinantur. Quorum quatuor istæ differentiæ in alijs scripturæ locis uelut ætates quatuor designantur, quas Ioannes Apostolus in epistola sua distinctione mystica comprehendit. Ait enim: Scripsi uobis pueri, scri- 1 Ioan. 2
psi uobis adolescentes, scripsi uobis iuuenes, scripsi uobis patres. In quibus utique non corporales ætates, sed spiritualium profectuum differentias ponit. Sic etiam in hoc sacerdotalis uirgæ germen obseruabimus designari. Habẽtur ergo omnia hæc non tam in uirga Aaron, quàm in ea uirga quæ exijt de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit, supra quem requiescit spiritus Dei. In quo nec hoc ipsum uidetur ociosum, quod exire dicitur uirga, & flos ascendere. Quamuis enim

unus

unus sit Christus, singulis tamen diuersus efficit, prout indiget is qui operat. Qui ergo segnior est & negligentior, pro disciplina Christus ei efficit uirga, & in uirga non ascendere dicitur, sed exire. Exeundum nanq; est ei qui inutilis & ignauus est, de eo statu in quo non recte consistit, transeũdum ad alium statum tanq; uirgæ compulsione, id est, seueritate, doctrinæ rigidioris admonitu. Qui uero iustus est, quia iustus sicut palma floret, in hoc ascendere dicitur Christus. Sic ergo qui uerberibus indiget, exit ad eum uirga. Qui autem proficit ad iustitiam, ascendit ei in florem. Ascendit autem quousq; afferat fructus spiritus, qui sunt charitas, pax, patiẽtia, & reliquæ uirtutes in Christo Iesu domino nostro.

Item eodem die homilia de eo quod scriptum
Ioan.2 est in Euangelio secundum Ioannem: Prope erat Pascha Iudæorũ, & ascendit Iesus Hierosolymam & cætera: quæ habetur in expositione doctoris Ibidem.

Feria tertia post quartam dominicam in quadragesima, de exploratoribus & de botro:

Sermo I

SER. C ODO cũ diuina lectio legeretur, audiuimus q; tempore illo quo missi sunt duodecim exploratores ad cõsiderandam terram repromissionis, duo ex illis unam miræ magnitudinis in phalanga detulerint ad filios Israel. Duo isti fratres dilectissimi, multis modis intelligi possunt. Nam & duo ista testamenta non incõgrue significasse creduntur, & duo præcepta quibus diligitur deus & proximus. Possunt etiã in historia & allegoria intelligi: Quòd autem duũm testamentorum typum habuerint, hinc euidenter agnoscimus, quia quomodo in medio duorum illorum uua exhibita legitur, ita in medio duũm testamentorum Christus dominus euidenter agno-
Abacuc 3 scitur: secũdum illud quod scriptum est: In medio duũm animalium cognosceris, id est in medio noui uel ueteris testamẽti. Quòd aũt dicit, In medio, non sic intelligendũ est, q; Christus inter nouũ & uetus testamentum sic fuerit medius, ut nec in nouo nec in ueteri cõtineretur. Nõ ita est fratres charissimi. Sed quod ait, In medio duũ animaliũ cognosceris, hoc sentiendum est, q; sit in medio ueteris testamenti, & in medio noui: id est, intus in interiori & spiritali intellectu, non in litera quæ nõ solum Iudæos sed etiã hæreticos omnes cõsueuit occidere, sed in spiritu qui omnes Christianos spiritaliter intelligentes uiuificat. Hoc est ergo, in medio duũm animalium cognosceris, in interiori sensu noui siue ueteris testamenti: Exhibita est ergo uua à duobus. Isti autem duo qui uuam de terra re
promissionis afferre meruerũt, sicut iam diximus,
Matt.22 possunt intelligi etiam duo præcepta dilectionis, id est, diliges deum & diliges proximum. Denique considerate fratres, quia sicut illi duo pendentem uuam attulerunt, ita & de istis duobus, id est, dilectione dei & proximi dicitur. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Sicut enim uua illa Christum deum figurauit, ita & terra repromissionis in qua natus est sanctæ Mariæ uidetur imaginem pretulisse. In ipsa enim impletũ est: Veritas de terra orta est. Quomodo aũt beata Maria Psal.84
nõ fuit terra repromissionis, quæ per prophetam multo ante promissa est? Nam per beatum Esaiã dominus eam ante multa annorum spacia repromisit. Sic enim ait, Ecce uirgo in utero concipiet Esa.7
& pariet filium. Exhibita est enim uua de terra repromissionis. Ipsa est enim de qua legimus. Suxe- Deut.32
runt mel de petra, & oleum de firma petra. Et de ipsa scriptum est: Petra aũt erat Christus. Et illud, 1 Cor.10
Cum adipe renium, & sanguine uuæ. Et iterũ, Lauabit in uino stolam suam, & amictum suũ in san- Gen.49
guine uuæ. Hæc, inquam, uua in ligno suspensa duorum defertur obsequio, quæ nobis utiq; sicut iam dictum est, duũm testamentorum representatur oraculis, quæ in ligno crucis pependit, cuius uinum in precium nostrum passionis expressione profluxit. Sed operæ precium est arcana sacramentorum aperiri effectibus rerum. Hanc uuam duo deferunt inserto uecte pendentem. Possunt isti duo etiam Christianum uel Iudaicum populum figurare. Isti ergo sunt duo, id est, synagogæ uel Ecclesiæ populi. Et quia prior fuit Iudæorum populus, præcedit Iudæus, sequitur Christianus. Salutem suam hic ante conspectum suum gerit, ille post dorsum. Hic obsequium præfert, ille contem
ptum. Ideo & de Iudæis Propheta testatur, Ob- Psal.68
scurentur oculi eorum ne uideant, & dorsum illorum semper incurua. Incedunt duo sub sacro fasce ordine suo. Hic semper uidet, ille semper relinquit. Iudæus autem proximum se æstimat, sed absentat. Christianus ergo præsenti munere fruitur, Iudæus solo onere prægrauatur: Quia Christus sicut credenti salus, ita onus est non credenti. Iudeis enim ille specialiter annunciatus: de quibus dictum est, In sua uenit, & sui eum non recepe runt: factus est eis lapis offensionis & petra scandali: & quem Israel non cognouit, gentium fides recepit. Et ideo post sequitur iste, sed spem suam sub oculis habens antecedit & proficit: ille prior graditur, sed deserit & recedit. Portat quidẽ Christum in lege Iudæus, sed à gratia quam in mysterijs portat auersus est: quia quẽ prædicatione suscepit electus, corde perdit incredulus: & quem unus aspernatur in lege, alter miratur in corpore.
D Vnde amborum dominus & redemptor noster ab hoc adorante gestatur, ab illo se auersante suspenditur. Ac sic impletum est in Iudæis: Posuerunt ad me dorsa, & non facies suas. Et quia Christum dominum quem prior populus Iudæorum, & post dorsum reliquit & crucifixit, nos postea uenientes adorare & portare meruimus: secũdum
illud quod Apostolus ait, Glorificate & portate 1 Cor.6
Deum in corpore uestro: quãtum possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne à ceruicibus nostris tam sanctam sarcinam malis operibus deponamus. Sarcina enim Christi, leuare consueuit nõ premere. Sic & ipse in Euangelio dixit, Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Si enim iu- Matt.11
gum Christi subdita & humili ceruice suscipimus, magis

magis nos portat q̃ à nobis portetur. Sicut enim iugum seculi semper premit, ita iugum Christi le- A
uare cõsueuit. Et quia omnis homo aut Christum portando erigitur, aut iugum seculi sustinendo ad inferiora deprimitur, attẽdat unusquisq; conscientiam suam: & si se sanctis cogitationibus & bonis operibus iugum Christi portare cognouerit, gaudeat & deo gratias agat, & cum grãdi solicitudine uel timore perseuerare cõtendat. Qui uero luxuriosis cogitationibus & malis operibus durissimo mũdi huius iugo se nimiũ grauari cognoscit, orationibus, ieiunijs uel eleemosynis proijciat iugũ diaboli, ut mereatur excipere iugum Christi, & de omnibus malis actibus suis cum propheta fideli-
Psal.2 ter dicat: Dirumpamus uincula eorũ, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Tũc enim de illa spi- B
ritali uua de qua nobis uinum lætitiæ prælum crucis expressit, cum secura conscientia bibere poterimus, si nos nec luxuria sordidauerit, nec iracundia combusserit, nec inflauerit superbia, nec auaricia obscurauerit, nec inuidia uipereo ueneno percusserit, Omnia enim ista de corde suo debet expellere, qui ad altare desiderat uel optat accedere. Et quia spiritalis uindemia, id est, paschalis solẽnitas imminet, in qua festiuitate botrus ille, de quo superius diximus, per iniuriam uel põdera crucis expressus est, de tãta ac tali uua accepturi calicem salutaris, & uinum lætitiæ bibituri, exceptoria cordis uel pectoris nostri cum grandi nitore ac diligentia, ieiunijs, uigilijs, orationibus, eleemosynis, & præcipue castitatis nitore mundemus: Contra
nullum hominem odium in corde seruantes, & non solum amicos sed etiam inimicos aduersarios diligentes, cum secura cõscientia in oratione do-
Matt.6 minica dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, præstante domino nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium cum patre & spiritusancto in secula seculorum, Amen.

Eodem die, de serpente æneo, Sermo II

Ser. CI N lectione quæ nobis recitata est fratres charissimi, audiuimus q; eo tempore, quo propter superbiam Iudeorum & murmurationem eorum contra dominũ à serpentibus regulis, id est, basiliscis in deserto populus uastabatur, præceperit dominus Moysi ut serpentem æneum faceret, eumq; in ligno suspenderet, D
quem percussi respicientes ab interitu sanarẽtur. Serpens iste fratres dilectissimi, licet hoc satis mirum esse uideatur, tamen figurauit incarnationem domini. Durũ forte alicui uideri poterat ista significatio, nisi hoc ipse dominus in Euangelio suo di-
Ioan.3 xisset. Sic enim ait, Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Suspensus est ergo tunc serpens æneus in conto, quia Christus suspendendus erat in ligno. Tũc enim quicunq; fuisset à serpente percussus, serpentem æneũ respiciebat & sanabatur: nunc uero humanum genus quod à spiritali serpente diabolo percussum fuerat, Christum credendo respicit & sanatur. Quicunq; percussus serpentem illũ æneũ nõ uidisset, moriebatur. Ita est fratres, nisi quisq; in
Christum crediderit crucifixum, diaboli ueneno A
premitur. Tũc enim unusquisq; respiciebat serpentem mortuũ, ut posset euadere uiuum. Nunc uero qui uult diaboli uitare uenenũ, Christum respiciat crucifixum. Et quia mors à morsu nomen accepit, & generi humano morsus antiqui serpentis acciderat, & mors nisi à morte superari non poterat: ideo mortem Christus sustinuit, ut iniusta mors iustam uinceret mortẽ, & liberaret reos iuste, dum pro eis occidebat iniuste. Quicquid enim diabolus in Adã exercuerat, quasi iuste uidebat egisse in homine, qui se unius arboris delectatiõe uẽdiderat. In Adã ergo quasi in proprio seruo iure sibi domino dominiũ uendicauit: in passione aũt Christi in quo peccati maculã nõ inuenit, iniuste mala
omnia perpetrauit. Sic & ipse dominus in Euãge- B
lio dixit, Ecce uenit princeps huius mũdi: & in me Ioan.14
nihil inuenit. Quid est nihil inuenit? Nullum omnino peccatum. Et in psalmis, Quæ non rapui, in- Psal.68
quit, tunc exoluebam. Quod ergo iuste debebat Adam, Christus iniuste mortem suscipiendo persoluit. Ille expandit manum ad pomorum dulcedinem, iste ad crucis amaritudinem. Ille arborem necis, iste salutis ostendit. Ille se contra deum erexit & cecidit, Christus se humiliauit ut omnes erigeret. Adam mortem uniuersis intulit, & Christus uitam omnibus reparauit. Respiciebat ergo
unusquisq; ad serpentem æneum, & à uenenatis
serpentibus sanabatur. Serpens æneus in ligno Num.21
politus uenena uiuorum serpentium superauit, C
& Christus in cruce suspensus & mortuus antiqua diaboli uenena restrinxit, & omnes qui ab eo percussi fuerant liberauit. Quare tamen serpens ille non de auro, non de argento, sed de æramento fuerit factus, uideamus. Hoc mihi uidetur quòd duas significationes habere possit. Vnam propter diuturnitatem, quia uasa ænea durare diutius solent. Aliam propter uocis claritatem: nam inter omnia metalla uasa ærea maiorem tinnitum reddere & longius sonare solent. Doctrina non in una tantum gente Iudæorum innotescere, sed per uniuersum mundum claro salutiferæ prædicationis sono poterat peruenire: ideo serpens ille æneus efficitur, ut doctrina Christi in uniuerso mundo clarius prædicetur: secundum illud quod de apostolis scriptum est: In omnem ter- D Psal.18
ram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Et tamen fratres etiam secundum medicorum carnalium disciplinam, quibus de morte serpentis contra uiuorum serpentium uenena salubria præparantur antidota, non est incongruum ut mortuum debeat serpentem intendere, qui à uiuorum serpentium uenenis desiderat liberari. Hæc ergo omnia ideo diximus, ut quoscunq; serpentis, id est, diaboli & angelorum eius uenena percusserint, ad Christum qui in similitudine illius æneí in ligno suspensus est, fideliter aspiciant, ut cum beato Paulo apostolo dicere possint: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mũdus crucifixus

crucifixus est & ego mũdo. Et quia de beatæ crucis mysterio diutius loqui & dulce est & salubre, reliquas eius significatiões breuiter si iubetis charitatis uestræ auribus intimamus. Quid enim dulcius, quid suauius uel cogitari uel dici potest quã sanctæ crucis mysteriũ, per quã non solum ab inferis reuocari, sed etiã in cœlos eleuari meruimus? Quia sine ulla dubitatione ubi caput nostrũ Christum ascendisse credimus, membra illius secutura esse cõfidimus. Ligni crucis etiam umbra uel figuræ, in ueteri quoq; testamento plurimũ ualuerunt. Nullum Moyses signũ sine ligni sacramento peregit. Vt enim signa & prodigia in Ægypto faceret uirgam accepit à domino, & ad signa quæq; diuinitus audiebat & dicebatur ei: Eleua uirgã tuã. Non utiq; deus uirgæ auxilio indigebat, sed erigebatur ut scire possimus quantũ esset illud futuri ligni mysteriũ, cuius fuerat umbra figuratum uirgæ illius sacramentum. Forte si rubrum mare diuidendum est, iubetur Moyses eleuare uirgam, & mare cognoscens uenturi ligni figuram, mox iter populo pãdit insuetũ. Si ad aquam Marrhæ amarã uenitur, nisi lignũ in se susceperit non dulcescit. Quę res erat indicio, amaritudinem gentium per lignũ crucis in usum dulcedinis quandoq; esse uertendam. Si autem non habet aquam populus unde bibat, petra ligno percutitur, & dat per gratiã quod non habuerat per naturam. Si Amalech sęuus hostis occurrit, Iesus filius Naue uirgam tenere manu iubetur, & Moyses brachia sua in modum crucis extendere, ac sic per figuram crucis uincit insuperabilis inimicus. Sed nec Helisæus ligni huius mystici uirtutem penitus ignorauit, qui securim de manubrio in gurgitem lapsam misso in flumine ligno de profundo euocauit: significãs utiq; dura corda & ferreas hominũ ceruices de profundo emersas errore, ligno crucis esse in posterum subiugandas. O crux cuius tantus ac talis decerpitur fructus. Fructus aũt crucis, gloriæ est resurrectio. Hic fructus ligni huius, uere plantatus est secus decursus aquarum. Semper enim cruci baptisma iungitur. Dedit hoc lignum fructũ in tempore suo, dedit fructum interim domini resurrectione, dabit & cum apparuerit de cœlis ille qui uisus est super terram, cum precedente ipso crucis signo iam fulgido uenerit de supernis: tunc resurgent corpora sepultorum, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc in suis cubilibus lætabunt, qui nũc de sui regis ac domini cruce non confunduntur, sed potius gloriantur.

Item eodem die homilia de eo quod scriptum est secundum Ioannem: Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templũ & docebat: &c. quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem.

Feria quarta post quartam dominicã in quadragesima: de eo quod senior populus in deserto mortuus est, & iunior in terrã repromissionis ingressus est.

Sermo I.

SERMO CII

CIRE & intelligere debemus fratres dilectissimi, quia senior populus Iudæorũ qui propter incredulitatem in deserto mortuus est, significauit priorem populũ Iudæorum: paruuli uero eorum, id est, iunior populus figurauit populum Gentium. Sicut enim seniore populo mortuo, iunior terram repromissionis accepit, ita reprobato Iudæorum populo, iunior populus Christianorum gratiam diuinę benedictionis obtinuit. Tamen fratres charissimi non trãsitorie uel negligenter, sed cum ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis milibus duo tantum terram repromissionis ingressi sunt. Hoc ergo audiant, qui ita dominũ misericordem esse uolunt, ut iustum esse non credant. Si enim diligenter attendimus fratres, & erga illa sexcenta milia quæ in eremo mortua fuerant deus noster misericors fuit, & circa illos duos qui terram repromissionis intrauerunt iustus apparuit: Quomodo nõ fuit misericors, qui eos per quadraginta annos reseruauit & expectauit ad pœnitentiam, & non solum conuerti noluerunt, sed etiam frequenti rebellione contra dominum murmurantes, ad peccatorum suorum cumulum grauiorem semper sarcinam addiderunt? Quomodo non est misericors qui nos tanto tempore expectat ut corrigamur? Nũquid tam prolixa misericordia potest deo auferre iustitiam? Quãto enim diutius expectat, tanto grauius uindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali à domino sustinemus, patientia est non negligẽtia. Non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reseruauit. Ergo & in illis qui in eremo mortui sunt misericors fuit, quos tanta longanimitate sustinuit: & in illis duobus promissa cõpleuit, quos fidei merito in terrã repromissionis induxit. Sed dicit aliquis, q̃ etiam si egissent pœnitentiam, terram repromissionis intrare non potuissent: quia deus definitam illis dederat sententiam dicens, Non intrabitis terram pro qua iurauí patribus uestris, sed in solitudine iacebunt cadauera uestra. Non ita est fratres charissimi: Atq; utinam tam cito peccator homo resurgat ad pœnitentiam, quàm cito deus etiam definitam uult mutare sententiam. Audi ipsum dominum per Prophetam spem maximam humano generi promittentem. Repente, inquit, loquar ad gentem, ut pro peccatis suis faciam eis malum: & si pro iniquitatibus suis egerit pœnitentiam, & ego pœnitentiam agam super malo quod cogitaui ut facerem eis, & non faciam. Videte fratres quanta sit circa nos pietas Dei nostri, & agnoscite utrum uelit negare misericordiam, qui de conuersione nostra suam dixerat mutare sententiam. Conuertamur ergo fratres charissimi, nec emendationem nostram ad extremum uitæ nostræ tempus differre uelimus, sed audiamus Prophetam dicentem: Nolite tarde conuerti ad dominum, nec differatis de die in diem, quia nescitis quæ superuentura pariat dies. O homo quare differs de die in diem, forte hodie habiturus ultimum diem? Semper ergo fratres charissimi cum ingenti timore atque tremore ad memoriam reuocemus, quòd tanta sit apud dominum nostrum iustitia, ut sicut iam supra dictum est, de sexcen

Hier. ad

Eccl. 5

de sexcentis milibus duo tantum terrã promissionis intrauerint. Hęc si humili & cõtrito corde assidue cogitare uolumus, salubrem nobis metũ incutiẽtes medicamenta nobis de alienis uulneribus facimus, & aliorum mors proficit ad nostrã salutem. Iterum atq; iterum rogo uos fratres & admoneo ut istam seueritatem & iustũ iudicium dei quo senior ille populus, p̃ peccato murmuratiõis in deserto cõsumptus est, cũ grãdi semper metu & solicitudine cogitemus, & sic amemus dei misericordiã, ut tamẽ iustitiã timeamus. Parcit modo & tacet, sed nõ semper tacebit. Modo em̃ p̃ ineffabili pietate sua non solũ nos admonet, sed etiam rogat ut nos à peccatis mortiferis reuocemus. Audiamus illũ dũ rogat, ne nos postea non audiat ille dũ iudicat. Audiamus eum per prophetam dicẽtem, Fili, inquit, miserere animę tũæ placẽs deo. Quid ad hæc respõdebit humana fragilitas? Deus te rogat ut tui miserearis, & non uis. Causam tuã apud te agit, & à te nõ potest impetrare. Et qũo te audit ille in die iudicij supplicantẽ, cum tu eum pro teipso nolueris audire rogãtem? Quis enim non expauescat & metuat fratres charissimi, q̃ pro quadraginta dierũ spatio, annis quadraginta populus Iudæorum pœnã recipere meruit in eremo? Si em̃ pro unius diei culpa unius anni spatium recõpensandum est pœna, nos qui tanta quotidie peccata cõmittimus, si eleemosynarũ uel pœnitentiæ non subuenerint medicamẽta, timeo ne nobis non inferantur temporalia sed æterna supplicia. Et quia calidis uulneribus solẽt medicamenta celerius subuenire, quotiens cunq; peccauerimus nõ expectemus mortifera securitate uulnera ipsa putrescere, nec iterum uulnera uulneribus augeamus, sed cõtinuo ad spiritalẽ medicum recurrẽtes, salutẽ recipere festinemus. Et ideo qũo quando in corpore uulnus accipimus, si statim medicamẽta requirimus, cito sanitatem recipere poterimus: ita si moram fecerit, necesse est ut tardius ad sanitatẽ plaga ipsa redeat, aut aliqua fœda cicatrix in corpore nostro remaneat. Si hæc in corpore facimus, quanto magis in animæ uulneribus adhibere debemus, ubi ad imaginẽ & similitudinẽ dei facti sumus? Si tãtam curã impendimus corpori q̃d uelimus nolimus in puluerem redigendum est, quantã solicitudinem & curam erga salutẽ animę debemus apponere: ut sicut dicit Apostolus, Sine macula uel ruga mereamur ante tribunal æterni iudicis apparere? Ne forte si multis peccatorum uulneribus lacerati & uitiorum pannis sordentibus inuoluti ad illud nuptiale conuiuiũ uenerimus, dicat̃ nobis illud quod ille sponsus cœlestis in Euangelio dixit, Amice qũo huc intrasti, nõ habens uestẽ nuptialem? Auertat à nobis deus illud quod sequit̃. Cũ enim hæc peccator ille audiens obmutesceret, dixit paterfamilias: Ligate illi manus & pedes & p̃ijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Ecce qualem sententiã accepturi sunt qui maiorem de corpore quàm de anima solicitudinem gerũt, & plus cogitãt qualiter caro sua paruissimo tẽpore uiuat in oculis hominum, q̃ qũo anima sua ornata bonis operib. ad beatitudinem uel similitudinem peruenìat angelorũ. Hæc ergo fratres charissimi, sicut superius supplicaui, si attẽtius uoluerimus cogitare, remedia nobis in die necessitatis acquirimus: ut cũ dies iudicij uenerit, nõ cum impijs & peccatoribus puniamur, sed cũ iustis & deũ timentib. ad ęterna præmia fœliciter ueniamus, auxiliãte domino nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium cũ patre & sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

Item eodem die homiliæ de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Ioannem: Præteriens Iesus uidit hominem cęcum à natiuitate &cętera: quæ habẽtur in expositione doctoris, Ibidem: Et in libro Quinquaginta homiliarum. XLIII.

Feria quinta post quartam dominicam in quadragesima, de Balaam & Balach:

Sermo I

Eccle. 30

Ephes. 5

Matt. 22

LECTIO quæ nobis hodie recitata est fratres charissimi dicit, quod, pfecti filij Israel collocauerũt castra ad Occidentẽ Moab iuxta Iordanem contra Hiericho, & uidit Balach filius Sephor, & reliqua omnia quæ de Balaã & asino scribit historia plena negocijs. Interior uero intellectus multũ negociosior esse potest, uel ipsas tantũ historiæ explanari facit sententias, deo tamen donãte breuiter quę possumus enarramus. Hic Balaam famosissimus erat in arte magica, & in carminibus noxijs præpotens. Non enim habebat potestatem uel à se uerba ad benedicendũ, sed habebat ad maledicendum. Dęmones em̃ ad maledicendum inuitant̃, non ad benedicendum: & ideo quasi expertus in talibus, opinioni erat omnibus qui erant in Oriente. Nisi em̃ experimenta plurima præcessissent, q̃ frequẽter maledictis hostem uertisset armatum, non utiq; præsumpsisset rex hoc posse fieri sermonibus, q̃d ferro & acie uix posset impleri. Certus ergo Balach de hoc & frequenter expertus, omissis omnib. instrumentis & auxilijs bellicis, mittit ad eum legatos dicẽs: Veni nunc maledic populũ hunc, quia fortior hic est q̃ nos, si forte possimus aliquos percutere ex eis, & eijcere eos de terra. Et addidit: Scio, inquit, q̃ q̃s benedixeris benedicti erũt, & quos maledixeris, maledicti erunt. Ego non credo, quia sciret quòd quibus benedixerit benedicti sint, sed uidetur mihi adulandi gratia hæc dicere, ut artẽ eius efferens & extollens, promptiorẽ reddat ad facinus. Sed tamen ueniunt ad Balaam legati. Venerunt em̃, inquit, seniores Moab & seniores Madian, & diuinacula in manibus eorum. Igitur Balaam diuinaculis acceptis, cũ solerent dæmones ad se uenire, fugatis quidem uidit adesse dñm. Venit ergo ipse dominus ad Balaam, non quòd dignus esset ad quem uenisset deus, sed ut fugarent̃ illi qui ad maledicendum & malefaciendũ adesse consueuerũt. Et dixit deus ad Balaam: Non eas cum eis neque maledicas populum: Est enim benedictus. Deus ire Balaam atq; inuocare dæmones ad maledicendum prohibet: si tamen à cupiditate cessasset. Sed quia

Ser. CIII

quia persistit in desiderio pecuniæ, indulgẽs deus arbitrij uoluntatem rursus ire permisit. Ascẽdit er A go asinã Balaam, occurrit ei angelus qui excubabat pro Israel, de quo scriptum est dicẽte domino
Exod.38 ad Moysen: Angelus meus ibit tecũ. Pertendens autem ire comprimitur in uia, conteritur ab asina. Sed magus dæmones uidit, asina tamen angelum uidet, non quòd digna esset uidere angelum, sicut nec loqui digna erat, sed ut confutaretur Balaam,
2.Pet.2 ut ait scriptura in quodam loco, Mutũ animal humana uoce respondens argueret Prophetę demẽtiam. Hæc asina, id est, Ecclesia prius portabat Balaam, nunc autem Christum, ex quo soluta est à discipulis, & à quibus innexa erat uinculis relaxata, ut filius dei sederet super eã, & cum ipsa ingrederetur sanctam ciuitatem Hierusalem: sicut scriptũ
Matt.21 est; Noli timere filia Sion, ecce rex tuus uenit tibi
Ioan.12 mitis, & sedet super iugalem, id est, asinã. Asinam, credẽtes sine dubio ex Iudæis dicit, & pullum nouellum eos profecto qui sunt ex gentibus credentes in Christum. Balaam hic qui interpretatur populus uanus, uidet mihi habere personam scribarum & pharisæorum Iudaici populi. Balach uero qui exclusio uel deuoratio interpretat, & ipse habere personam intelligẽdus est unius alicuius mũdi huius cõtrarię potestatis, quæ excludere & deuorare cupiat Israel. Primum ergo omnium de ipso Balaam requiramus, cur in scripturis nũc uituperabilis est, nũc laudabilis ponitur. Nam uituperatus est cũ ædificat aras, & uictimas imponit dæmonijs, & apparatu magico poscit diuina cõsulta. Culpabilis est, cum cõsilium pessimum dat ut populus decipiatur per mulieres Madianitas, & cultum idolorum. Rursus laudabilis est, cum uerbũ domini ponitur in ore eius, cum spiritus dei fit super eum, cum de Christo prophetat, cum Iudæis & gentib. de aduentu Christi mysteria futura pronunciat, cum pro maledictionibus benedictionẽ populo largitur, & nomen Israel super uisibilem gloriam mysticis excolit eloquijs. Hęc fratres charissimi pauca de plurimis pro tempore uobis dicta sufficiant, sed omnia in corde diligẽtissime retinete, & corda uestra semper ad spiritalia agnoscenda cõuertite: ut quia omnẽ prophetiã iam per Euangeliũ nobis dominus reuelauit, ad illud gaudium peruenire mereamur, q̃d pie & iuste uiuentibus dominus repromisit: Ipso adiuuante qui uiuit & regnat cum patre & spiritu sancto in secula seculorum: Amen.

Item eodem die homilię de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Ioannem, Pater meus usq; modo operat & ego operor, & cætera: quæ habentur in expositione doctoris Ibidem: Et in libro Quinquaginta homiliarum xxij.

Feria sexta post quartam dominicam in quadragesima de suscitatione Lazari:

Sermo I

Ser.CIIII M VLTIS quidem signis ac uirtutibus dominus ac saluator noster Christus Iesus diuinitatis suæ potẽtiam declarauit, sed maximè in Lazari morte, ut in pręsenti lectione audi uit dilectio uestra, ostendens se esse de quo scriptũ erat, Dominus uirtutum nobiscum, susceptor no- Psal.45
ster deus Iacob. Quas tamen uirtutes dominus ac saluator noster duplici genere operatus est, & corporaliter & spiritaliter, id est, uisibiliter, & inuisibiliter, ut per uisibile opus inuisibilẽ uirtutem ostenderet. Superius cæcũ à natiuitate lumine oculorũ illuminauit uisibili opere, ut inuisibili illa uirtute cęcitatem Iudæorũ cognitiõis suæ lumine illustraret. In præsenti uero lectiõe Lazaro mortuo uitã donauit, ut incredula corda Iudæorum de morte peccati suscitaret in uitã. Deniq; multi Iudæorum propter Lazarũ Christo dño crediderũt. Cognouerunt em̃ in resurrectione Lazari manifestam filij dei potẽtiã, quia morti potestate propria imperare nõ est conditionis humanæ, sed diuinæ naturæ. Legimus quidem & Apostolos mortuos susci- B
tasse, sed illi ut suscitarẽt dominum orauerunt. Su- Act.9.&20
scitauerunt aũt non sua uirtute, nec sua potestate, sed inuocato nomine Christi qui morti ac uitę dominatur: filius aũt dei Lazarum uirtute propria suscitauit. Deniq; ut ait dñs, Lazare exi foras, statim Ioan.11
ille egressus de monumento est, neq; mors tenere poterat, quem uita uocabat. In narib. humor sepulturæ erat: Lazarus uiuus astabat. Non expectauit mors iteratã uocẽ saluatoris audire, quia uirtutẽ uitæ ferre nõ poterat: sed ad unã uocem dñi mors & corpus Lazari de monumento & animã dimisit de inferno, & totus Lazarus de monumẽto uiuus processit, qui totus ibi nõ fuerat. Tardius quis
C de somno suscitatur q̃ Lazarus de morte. Humor corporis adhuc erat in naribus Iudæorũ, & Lazarus uiuus astabat. Sed iam caput lectiõis ipsius uideamus. Ait ergo dñs ad discipulos suos, ut audit in pręsenti lectione dilectio uestra: Amicus, inqt, noster Lazarus dormit, sed uado ut à somno suscitem eum. Bene dixit dñs, amicus noster Lazarus dormit, quia uere de morte uelut de somno erat surrecturus. Sed discipuli ignorantes cur hoc dñs dixisset, aiunt ad illum, Domine si dormit sanus erit. Tũc respõdẽs ait illis manifestę: Lazarus mortuus est, sed gaudeo propter uos, ut credatis, quia non ibi erã. Sed si gaudere se dicit hic dominus, ꝓpter discipulos de Lazari morte, quid est q̃ postea flesse refert in Lazari morte? Sed aduertamus ra- D
tionem gaudij, & lachrymarum. Gaudebat dñs propter discipulos, flebat ꝓpter Iudæos. Propter discipulos gaudebat, quia per resurrectionem Lazari confirmari habebat fides ipsorum in Christo. Propter Iudæorũ flebat incredulitatem, quia nec resurgente Lazaro Christo dño fuerant credituri. Aut forte idcirco fleuit dñs, ut lachrymis suis mũdi peccata deleret. Si Petrus potuit lachrymarum suarũ fusione propria peccata abstergere, cur non credimus lachrymis domini mundi peccata deleta fuisse? Deniq; post lachrymas domini multi ex populo Iudæorũ crediderunt. Vicit ex parte incredulitatem Iudęorum dominicæ pietatis affectus, et discordes mẽtes eorũ molliuit prima fusio lachrymarum. Et idcirco forte utrũq; de domino in præsenti lectione refertur, q̃ & gauisus sit & fleuit, quia

uit: quia qui seminat in lachrymis, ut scriptum est, in gaudio metet. Lachrymæ ergo domini gaudia A
mũdi sũt, quia idcirco ille lachrymas fudit, ut nos gaudia mereremur. Sed redeamus ad ordinẽ. Ait ergo ad discipulos suos: Amicus, inqt, noster Lazarus mortuus est, sed gaudeo propter uos, ut scia tis quia non eram ibi. Aduertamus & hic mysterium, quomodo nõ se illic dñs fuisse dicit. Cum em̃ dicit manifeste, Lazarus mortuus est: præsentem se illic fuisse euidẽter ostẽdit. Neq; em̃ hoc dicere dñs potuisset, nullo sibi nunciante, nisi præsens fuisset. Qũo enim in loco ubi Lazarus mortuus est præsens non erat dominus, qui omnia loca totius mũdi diuina potestate circumuenit? Sed hic quoque dominus ac saluator noster sacramẽtum in se carnis ac diuinitatis ostendit. Non erat ibi secũdũ carnem, hic erat secũdum diuinitatem, quia deus B
ubiq; est. Cum ergo uenisset dominus ad Mariam & Martham sororẽ Lazari, uidens turbã Iudęorũ ait, Vbi posuistis eum? Nunquid nesciebat dominus ubi positus esset Lazarus, qui absens mortuũ Lazarum pronunciauerat, & qui diuinitatis suæ maiestate ubiq; erat? Sed hoc dñs ex ueteri cõsue
Gen.3 tudine fecit. Nam & ad Adam similiter ait, Vbi es Adam? Non quia nesciret ubi esset Adam, sed idcirco interrogauit, ut peccatum suũ Adã ore proprio cõfiteretur, ut posset peccati ueniã promere-
Gen.4 ri. Interrogat & Cain, ubi est frater tuus Abel? Et ille dixit, Nescio. Nõ quia nesciret ubi esset Abel, idcirco interrogaret Cain, sed cũ ille negaret, parricidium eius argueret q̃d in fratre cõmiserat. Deniq; Adam quia interroganti domino cõfessus est C
peccatum quod cõmisit, uenię redditus est: Cain quia negauit parricidium q̃d cõmisit, æterna pœna damnatus est. Sicut cum hic dicit dñs, Vbi posuistis eum, non idcirco interrogat quia nesciret ubi positus esset Lazarus, sed ut turba Iudæorum ad monumentum Lazari sequerentur: ut uidẽtes diuinam Christi potentiam in Lazari resurrectione, ipsi aduersus se testes existerent, si tantę uirtuti
Ioan.10 non crederẽt. Dixerat em̃ illis superius dñs, Si mihi non creditis, uel operibus credite, & cognoscite quia pater in me est, & ego in illo. Deinde cum
Ioan.11 uenisset ad monumentum, ait ad circunstantes Iudæos, Tollite hinc lapidem. Quid dicimus? Nunquid lapidem dñs à monumento præcepto remo- D
uere non poterat, qui inferni claustra propria uirtute remouit? Sed quod ab hominib. fieri poterat homines facere præcepit: quod autem diuinæ uirtutis erat, sua potentia demõstrauit. Lapidem em̃ à monumento reuocare, humanæ uirtutis est: animam uero ab inferno reuocare, solius diuinæ potentiæ est. Verum facile si uoluisset sola iussione uerbi remouere à monumẽto lapidẽ potuisset, q̃ uerbo mundum creauit. Cum ergo remouissent lapidem à monumento, ait magna uoce, Lazare
Psal.29 ueni foras: ostendens se esse de quo scriptum erat,
Psal.67 Vox domini in uirtute, uox dñi in magnificentia. Et iterum, Ecce dabit uirtuti suæ uocem uirtutis, Virtutis plane & magnificentiæ uox ista est, quæ statim Lazarum de morte ad uitam reuocauit, & ante anima corpori reddita est quàm sonum uo- A
cis miserat. Licet alibi esset corpus, alibi anima, tamen uox ista domini statim & animã corpori reddidit, & corpus animæ repręsentauit. Deterrita enim mors est, audita uoce tantæ uirtutis. Nec mirum sanè si ad unam uocẽ dñi resurgere Lazarus potuit, quando oẽs qui in monumentis sunt ad unam uocem solam resurrecturos in Euangelio ipse declarauit dicẽdo, Venit hora, quando omnes
Ioan.5 qui in monumẽtis sunt audient uocẽ filij dei, & resurgent. Vnde sine dubio tunc mors audita uoce domini oẽs mortuos à se potuisset dimittere, nisi proprie uocatum Lazarum cognouisset. Vt ait ergo dñs, Lazare exi foras, statim ille exiuit ligatis manibus & pedibus, & facies eius sudario erat cooperta. Quid & hic dicemus? Nunquid dominus in Lazaro sepulturæ uincula rumpere nõ poterat, qui mortis uincula diruperat? Sed hic dominus ac saluator noster duplicem uirtutem in Lazaro suæ operationis ostendit, ut uel sic incredulitati Iudæorum fidem credulitatis infunderet. Nõ enim minoris admirationis est Lazarum ligatum pedibus ambulare potuisse, quàm à mortuis resurrexisse.

Eodem die quod iusto dei iudicio filij Israel terram promissionis receperint.

Sermo II

I N lectionibus quæ nobis recitatę sunt fratres charissimi, audiuimus quòd mortuo Ser.CV
Moyse, Iesus susceperit principatũ, & transito Iordane, expulsis uel interfectis gentib. Chananæis, terras eorũ filijs Israel tradiderit possidendas. Quotiens lectiones istæ fratres charissimi, de testamẽto ueteri recitant, solent Pagani, & uel maximè immundissimi Manichæi, ore sacrilego blasphemare & dicere, quia iniustitia dei fuit, ut filios Israel per uiolentiam de terra Aegypti tolleret, & postea expulsis Chananęorũ gentibus, terras eorum eis tradiderit possidẽdas. Vnde ne forte simplices quoq; uel imperitos ista murmuratio prophana decipiat, quãtum possum breuiter deo auxiliante, sanctitati uestræ demonstrare cupio, ab antiquis patribus traditam uerissimam rationem, & ostendere quia deus noster, non solum misericors, sed & iustus est, & iudicia eius plerunq; sunt occulta, nunquam tamen iniusta. Tradunt maiores nostri, quod quando filij Noe omnem terram inter se inuicem diuiserunt, terra ista quæ dicitur Chananæorũ, in diuisiõe orbis, seniori filio Noe, id est Sem, in possessionẽ obuenerit, & eam tempore non paruo possederit. Postea uero increscentes populi Chananæi, de illo utiq; filio qui à patre fuerat maledictus, uenerũt ad loca illa, & per uiolentiam expulsis fratribus suis, id est, filij Sem, terram eorum more barbarico possederunt. Et quia beatus Abraham de genere Sem legitur fuisse, filij eius, id est, populi Israelitæ, non alienam terram tradente domino peruaserũt, sed suam propriam quã per uiolentiam patres eorum perdiderant receperunt. Et quia Chananæi, excepto illo peccato, quod possessionem alienam inuaserant, multa nefanda

nefanda & inaudita crimina committebant, intātum, ut quando dominus Sodomam & Gomorram subuertebat, dixisse legatur, Gen.15 Necdum ēm cōpletæ sunt iniquitates Amorręorū: & expectabat dominus ut aut conuerterentur, & agerent pœnitentiā, aut certe si conuerti nollent, crimina criminibus cumulantes, & peccandi mensuram implētes, iustissimā dei sententiā sustinerent. Quia ergo eos dupliciter inuenit reos diuina censura, pro eo quod & terras alienas inuaserāt, & postea scelera & crimina inaudita commiserāt, iusto iudicio puniuntur, & Israelitico populo antiquorum patrū possessio reformatur. Et quidē secundum literam, sicut in scripturis sanctorum scriptū inuenimus, charitati uestræ rustico & simplici sermōe quē toti intelligere possent, insinuāda credidimus, ut habeatis quod respōdere possitis perditis & sacrilegis Manichęis: qa sicut iam dictū est, filij Israel antiquorū parētum suorum terrā recipiunt, non alienam quasi per iniustitiam tollunt. Et hęc quidem secundum literā, iusto dei iudicio gesta referūtur: 1 Cor.10 sed quia sicut dicit Apostolus, Oīa in figura cōtingebāt illis, scripta sunt aūt propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt: quid etiā spiritaliter ista significēt, si diligenter, sicut deo inspirāte consuestis attenditis, ratione euidentissima cognoscetis. Terra repromissionis, quam totiens deus dicit lacte & melle manantem, nos fuimus anteq̄ peccaret Adā, quando in nobis nihil aliud erat, quàm quod misericordia contulerat conditoris. Postq̄ autē in Adam omnes moriūtur, & iterum omnes eunt in condemnationem per transgressionē primi hominis, terram repromissionis Chananæi cœperant possidere. Volūtas enim domini possessionem cordis nostri, non uitijs sed uirtutib. naturaliter deputauerat. Quæ post pręuaricationē Adæ insolescentib. uitijs tanquam populis Chananęis, à propria religiōe, id est ab intellectu uel mēte rationali, uirtutes sanctę depulsę sunt, & uitia remāserunt. Cum uirtutibus rursum si per dei gratiam possessio animæ nostræ recepta fuerit, nō tam alienas occupasse terras, quàm proprias uidebimur recepisse. Cum enim, auxiliante domino, à populo uirtutibus cōtra se dimicātibus, uitia fuerint superata, locum quem sibi in corde nostro cōcupiscentiæ uel fornicationis spiritus retentabat, deinceps castitas occupabit: quē furor cœpit, sapiētia possidebit: quem tristitia mortem operās inuaserat, salutaris & plena gaudij lętitia obtinebit: quem desidię tepor uel negligentię uastabat, humilitas honestabit: quē cupiditas obscurum fecerat, misericordia ad claritatē pristinā reuocabit: quē inuidia ueneno suo percusserat, benigna simplicitas adornabit. Ita singulis uitijs expulsis, eorū loca, id est, affectus, uirtutes è contrario possidebunt. Ipsæ tamen uirtutes, filij Israel, id est, animę uidētis deum non immerito nuncupant: & cum uniuersas, deo auxiliāte cordis sui expulerint passiones, nō tam alienas possessiōes peruasisse, q̄ proprias terras recuperasse credēdæ sunt. Et illud aduertite fratres, quod specialiter ad donū gratiæ pertinere cognoscitur. Non enim lege naturæ, nec per legē literæ, quia non per Moysen, id est p legem ueteris testamenti, sed per Iesum successorē Moysi terra repromissiōis Israelitico populo reformatur. Sic ēm & Apostolus ait, Nihil, inquit, ad perfectū adduxit lex. Nō ergo per legis literam, sed per euangelicā gratiam, gētes crudeles & pessimæ, id est, originalia peccata uel actualia crimina, de terra repromissionis, id est, Christianorū cordibus Iesu duce potuerunt effugari: sicut ipse in Euangelio dicit, Matt.12 Nemo potest domū fortis intrare, & uasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortē. Et iterū, Ioan.16 Confidite, quia ego uici mundum. Sicut enim uetus Adam, consentiēdo diabolo nos de terra repromissionis exclusit: Ita è contrario nouus Adam Christus resistēdo diabolo ad antiquam patriā reuocauit. Et hoc fratres attendite, quia terra repromissiōis nō recipitur, nisi prius regnante Iesu Iordani fluuius transeatur. Ita est fratres, quia ad spiritalem terram repromissionis, id est, conscientiā puram, non nisi per sacramentū baptismi peruenit. Deniq; per ipsum fluuiū Iesus Israeliticum populum transire fecit. Hæc enim quæ uobis suggessimus fratres charissimi, uelut mūda animalia spiritaliter ruminate. Scriptū est itaq;: Apoc.3 Quos deus amat, arguit & castigat. Et uasa figuli probat fornax, & homines iustos tētatio tribulatiōis. Quoties domino dispensante tribulari permittimur, uel aliquas aduersitates contra iustitiam sustinemus, patienter & æquanimiter auxiliante domino sufferamus, propter illud quod Apostolus ait: Rom.8 Non sunt condignæ passiones huius tēporis, ad futurā gloriam quę reuelabitur in nobis. Cum tribulamur à domino corripimur, ut non cū hoc mundo dānemur. Magis timere debemus, si aut nullas aut paruas tribulationes in hoc seculo patimur: quia si deus flagellat omnē filium quem recipit, sine dubio quem nō flagellat nō recipit. Si pro terrenis bonis tantos labores & tam grauia pericula homines ęquo animo patiuntur, quare pro fide thesauro æterno sumus pigri? Quare sumus timidi p illis diuitijs, quas nec naufragia nobis possunt auferre? Iustus ēm naufragus euadit diues & nudus. His diuitijs plenus erat sanctus Iob. Nihil in domo remāserat, oīa uno ictu perierūt quibus opulētus pauloante uidebatur: subito mēdicus in stercore sedet, à capite usq; ad pedes uermibus scatens. Quid ista miseria miserius? Quid interiore felicitate felicius? Perdiderat omnia illa quę dederat deus, sed habebat ipsum q omnia dederat deū. Nudus, inquit, exiui de utero matris męę, nudus reuertar in terram. Dn̄s dedit, dn̄s abstulit: sicut dn̄o placuit ita factum est, sit nomē dn̄i benedictum in secula. Certe pauper est, certe nihil habet. Si nihil remansit, de quo thesauro istæ gemmæ laudis dei proferunt? Postea tentator ad carnem accessit, omnib. sublatis tentatricē uxorē reliquit. Euam dimisit, sed Adam ille non fuit. Et ibi qualis inuentus est. quomodo respondit uxori blasphemiam suggerenti? Iob 2 Locuta es, inquit, quasi una ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu domini, mala quare non sustineamus

neamus? O uirum putrem & integrum, O fœdum & pulchrum, O uulneratum & sanum, O in stercore sedentem, & in cœlo regnantem. Si amamus imitemur, ut imitemur laboremus. Adiuuat certātem, qui certamen indixit. Non te sic spectat deus in agone certantem ut populus aurigam. Clamare enim nouit, adiuuare non nouit. Coronæ ueniam parare potest, uires subministrare nō potest. Homo ēm non deus. Et forte dum spectat, plus laborat sedendo q̄ ille luctando. Deus quando spectat certatores suos, adiuuat eos inuocātes. Nam uox athletæ ipsius est in Psalmo, Psal.93 Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua domine adiuuabat me. Non ergo pigri fratres mei quæramus, petamus, & pulsemus. Luc.11 Qui quærit, inuenit, qui petit accipit, & pulsanti aperietur, præstante domino nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Item eodem die Homiliæ de eo quod scriptū est in Euangelio secundū Ioannem, Erat quidam languens Lazarus, & cętera: quę habētur in expositiōe doctoris ibidem, Et inter sermones De uerbis dn̄i XLIIII. & LII. Et in libro LXXXIII. quæstionum, quæstione LXV.

Sabbato post quartam dominicam in quadragesima, de eo quod Iesus præcepit populo ut parati essent ad transeundum Iordanem, Et de Raab meretrice, Et subuersione Hiericho:

Sermo I

Ser.CVI

SICVT frequēter charitati uestrę suggessimus fratres charissimi, Moyses non solum typum Christi, sed etiam figuram legis intelligitur habuisse, Deniq; in monte ubi dominus transfiguratus est, Moyses & Helias loquebant Matt.17 cum eo. Et in illis duobus lex & prophetia significatæ sunt. Mortuo ergo Moyse, Iesus suscepit imperium, & cessante lege, dominus noster uerus Iesus totius mūdi obtinuit principatum. Iesus ergo ille qui typum domini pręferebat, ueniens ad Iordanem dixit ad populum, Parate uobis cibos ad diem tertium. Diem tertium fratres charissimi, trinitatis agnoscimus esse mysterium. Quos ergo cibos præparare debemus, ut ad diem tertiū ueniamus? Videtur mihi quòd cibus iste fides intelligi debeat. In Christianis enim fides est, per quam in trinitatem creditur, & ad sacramentum baptismi peruenitur. Quod ergo tūc Iesus ille dixit populo suo, hoc nūc & uerus Iesus per ministros suos dicit Iosue 1 populo Christiano. Quid est ēm aliud dicere, Parate uobis cibum ad diem tertium: nisi, trinitatis suscipite sacramentum? Post hæc Iordane transito, quasi baptismi completo mysterio, populus Israel terrā repromissionis ingreditur. Verum est fratres charissimi, Nisi quis per baptismi sacramētum transierit, terram ueræ repromissionis, id est, Iosue 2 æternam beatitudinem non uidebit. Mittit tamē Iesus duos exploratores ad ciuitatē Hiericho, & suscipiuntur à meretrice. Iesus duos mittit exploratores, qa uerus Iesus daturus erat duo præcepta dilectionis. Quia & reuera quid nobis aliud quos mittit uerus Iesus, nisi ut diligamus deum, diligamus & proximū? Dixit ergo Iesus, Præparate uobis cibos, & estote parati ad diē tertium. Sicut ēm tunc præparatis cibis die tertio uentum est ad Iordanem fluuiū: ita & nunc in Ecclesia catholica assumptis spiritalibus cibis fidei, spei & charitatis, peruenitur ad trinitatis mysterium, & ad baptismi sacramentū. Tulit aūt Iesus duodecim lapides, & Iosue 4 posuit in Iordane. Ex ipso Iordane tulit alios duodecim, & fixit in loca castrorū. Illi duodecim qui missi sunt in Iordane, uident mihi typum habuisse Patriarcharum. Illi uero qui leuati sunt de Iordane figuram habuisse Apostolorum. Post mortem ēm Moysi, sepultis Patriarchis, Apostoli surrexerunt. Sic & in psalmo legimus, Pro patribus, inqt, Psal.4 tuis nati sūt tibi filij, cōstitues eos principes super omnē terram. Sic sepultis Patriarchis Apostoli nascuntur, quomodo sepulto seniore populo, iunior populus Iesu duce in terrā repromissionis inducitur. Senior ille populus typum habuit Iudęorum, iunior uero figurā habuit gentium. Ille populus senior trāsito mari rubro sepelitur in eremo, iunior uero populus ad hoc transit Iordanē fluuiū, ut acciperet regnū. Verum est fratres. Nemo beatitudinē regni cœlestis accipiet, nisi prius per baptismi sacramēta transierit. Nā de illo seniore non amplius q̄ duo meruerunt terram repromissionis intrare, & in ipsis duob. aliquid figuratū esse cognoscimus. Sicut ēm supra dictū est, duo sunt præcepta dilectionis, quæ Christianū populum inuitant, ut uitam æternā accipiant. Ita illi duo fuerūt, qui Iudęorum populo cōsilium dabant, quòd si in deū crederent, feliciter terrā repromissionis introirent. Post hęc ad ciuitatem Hiericho uentum est, Iosue 6 & muri eius ad clamorem populorum & sono tubarum usq; ad fundamenta deiecti sunt. Hiericho fratres typū habuit mundi huius. Sicut enim tunc canētibus tubis muri illi ceciderunt, ita & nūc oportet ut ciuitas mūdi, id est superbia cū suis turribus, auaritia scilicet, inuidia atq; luxuria, simul cū populis, id est, omnibus cōcupiscentijs malis, assidua sacerdotū pręedicatione destruatur atq; dispereat. Non ergo oportet ut sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant dominum dicentem, Esa.18 Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuā, & annuncia populo meo scelera eorū. Clamare ergo iubemur, & uehementer clamare. Ne parcas, inquit, id est, peccatoris iniquitati, ne tacendo pereas, & dū uerecundiæ eius cōsulis, non consulas sanitati, ne uulnera illius, quę clamādo resecare poteras, reticēdo in peius enutrias. Clamare ergo iubemur, & ne quis se nō audisse dicat, aut quenq̄ uox lateat sacerdotis, uehemēter clamare. Et ne forte hoc ipsum non sufficeret, addit dicens, Sicut tuba exalta uocē tuā. Scitis q tuba nō tam oblectationis esse soleat, quàm terroris: non tam delectationem præferre, quàm inferre formidinem. Tuba itaq; peccatoribus necessaria est, quæ non solum aures eorum penetret, sed & cor cōcutiat, nec delectet cantu, sed castiget auditu, & strenuos quosque hortetur in bonis, & remissos terreat pro delictis. Nam

ſicut in prelio tuba formidoloſi militis mentē deij cit, & animū fortis accendit: ita & ſacerdotalis tuba mētem peccatoris humiliat, animos uiri ſancti corroborat. Nec parcit uoci, ut parcat ſaluti: & uno eodemq; ſono iſti adhortationem dat quemad modum ſit fortior ad uincendum, illi terrorē incutit quemadmodum ſit tardior ad peccādum. Hæc enim conſuetudo tubæ eſt, ut delinquentiū opera diſſipet, & ſanctorū facta confirmet. Deniq; ſacerdotalibus tubis Hiericho muri qui intra ſe cōtinebant peccatorum populum corruerūt. Non illos pulſauit aries, nō expugnauit machina, ſed quod mirum eſt, ſacerdotalis ſonus aut tubę terror euertit. Muri qui aduerſus ferrum inexpugnabiles extiterant, ſacra tubarum uoce colliſi ſunt. Quis em̄ non ſtupeat in illo facto ſaxa ſono dirupta, fundamēta clangore eſſe quaſſata, & ita uniuerſa collapſa, ut cū uictores nihil manu læderēt, apud aduerſarios nihil ſtabile remaneret? Sed quāuis muros illos nemo contingeret, expugnabant̃ tamē forin ſecus ſono iuſtorum, intrinſecus habitacula peccatorū. Sic em̄ æquo dei iudicio & iuſtis aperuerūt uiam, & defenſionem perfidis negauerūt. Sed hęc omnia in figura facta eſſe nō dubiū eſt. Nam ſacerdotales illius tēporis tubas quid aliud prefigurаſſe credimus, q̄ huius temporis ſacerdotū prędicationes, per quas non ceſſant peccatorib. terribili ſono auſterum iudicium nūciare, triſtem gehennæ interitum prædicare, & quodā cōminationis ſtrepitu aures delinquētium uerberare? Sicut em̄ tunc tubarum clangor deſtructis cementorū muris ad populi interiora peruenit, ita nūc prædicatio ſacerdotum deſtructis prauis cogitationib. ad animæ nuda pertranſit. Et ſicut ſacræ uocis ſonus cōtumacem populum deſtruxit & captiuauit, ita & nunc ſacerdotalis prædicatio populum peccatorē ſubiugat. Septem ergo diebus, ſicut ſcriptura dicit, muri Hiericho ſacerdotalib. tubis circūdati ceciderunt. Vnde nos ſpiritalibus ſpiritalia cōparantes, dicimus q̄d hoc ſeptenario numero nunc per ſacerdotes dei nō tam una ciuitas deſtruitur, q̄ totius mundi iniquitas diſſipatur. Nam ſicut in ſingularis urbis nuncupatione uniuerſi mundi habitus figurat̃, ita ſeptem dierum circulo totius mūdi ſpatia diſtinguūtur, per quæ ſacerdotalium prędicationum tubæ ipſi ſeculo excidiū annunciant, & iudicium comminant̃, ſicut ſcriptum eſt, Quoniā mundus peribit, & omnia quæ in mūdo ſunt. Qui autem facit uoluntatē dei manet in ęternum, ſicut & Chriſtus in æternum manet, Cui eſt honor & gloria cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

1 Cor. 2

1. Ioan. 2

Item eodem die Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecūdum Ioannem, Ego ſum lux mundi: & cætera, quę habetur in expoſitione doctoris, Ibidem.

Dominica in paſſione domini, de Sampſone: Sermo I

Ser. CVIII

IN lectiōe iſta quę nobis recitata eſt fratres chariſſimi, multa & nimia obſcura diuina myſteria continentur. Quę quia non poſſunt breuiter explicari, hac ſola ex cauſa pſalmos matutinos temperius uoluimus conſummare, ne uos ſermo prolixior fatigaret. Et quia hora cōſuetudinaria de eccleſia exituri eſtis, ea quæ dicenda ſunt ſecundum ueſtram conſuetudinem cū ſilētio & quiete attēto animo audite. Sampſon fratres dilectiſſimi qualem fortitudinē habuerit de gratia dei, nō de natura propria, iam audiſtis. Nam ſi fortis eſſet natus, cum ei capillus diminueretur, fortitudo non adimeretur. Et ubi erat illa potētiſſima fortitudo, niſi in eo q̄ ſcriptura dixit, Incedebat cū illo ſpiritus dñi? Ad domini ſpūm pertinebat illa fortitudo. In Sampſon uas erat, in ſpiritu plenitudo erat. Vas impleri & exinaniri poteſt. Videamus ergo allophylis qualem parabolam Sāpſon propoſuit. De mādducante, inquit, exiuit cibus, & de forte eſt egreſſa dulcedo. Prodita eſt hæc parabola, delata eſt ad amicos, ſoluta eſt, uictus eſt Sāpſon. Hic ſi iuſtus eſt latet ualde, & in profundo eſt uiri huius iuſtitia. Nam & q̄d legit̃ uictus blanditijs muliebribus, & q̄ ad meretricē intrauerit, uidete huius meritum uacillare minus intelligentibus ſecreta ueritatis. Requiramus fratres chariſſimi quid ſignificauerit uictus, quid figurauerit uirtus, quid ſignificauerit cedēs blanditijs muliebribus, quid ſignificauerit prodens ſecretū parabolæ, quid ſignificauerit intrans ad meretricē, quid ſignificauerit uulpes capiens, & per caudas uulpium, quibus ignem alligauit, inimicorum fructus incēdens. Quos quidē fructus de cōpendio incēdere potuit, ſi nō in uulpib. myſterium cogitaret. Nunquid ſtipula arida ardere nō potuit, niſi ignē per eam uulpes traxiſſent? Intelligamus ergo fratres chariſſimi grandia hic latere myſteria quæ uiderat. Sampſon fratres dilectiſſimi Chriſtū ſignificabat. Verū mihi dicere uideor, ſed continuo occurrit cogitātibus, Et Chriſtus uincit̃ blāditijs muliebribus? Et Chriſtus quō intelligit̃ ad meretricē intrare potuiſſe? Deinde & Chriſtus capite nudatur, capillo radit̃, uirtute ſpoliat̃, alligat̃, excæcat̃, illudit̃. Euigila fides, attēde q̄d ſit Chriſtus, nō ſolū q̄d fecerit, ſed etiā q̄d paſſus eſt Chriſtus. Quid fecit? Operatus eſt ut fortis, paſſus eſt ut infirmus. In uno intelligo utrūq;, uideo fortitudinē filij dei, uideo infirmitatē filij hominis. Accedit & aliud, quia Chriſtus totus quō eum ſcriptura cōmēdat, & caput & corpus eſt. Sicut Eccleſiæ caput eſt Chriſtus, ita Chriſti corpus Eccleſia eſt. Habet ergo Eccleſia in ſe fortes, habet infirmos: habet iuſtos, habet & iniuſtos. Modo enim corpus Chriſti quod iuſtis area eſt, poſtea horreum erit. Tamē cū area eſt, nō recuſat paleas ſuſtinere. Cum tempus aduenerit reponet triticum, & à paleis ſegregabit. Quædam ergo fecit Sampſon ex perſona capitis, quędam ex perſona corporis, totum tamē ex perſona Chriſti. In eo enim q̄ uirtutes & mirabilia operatus eſt Sampſon, caput Eccleſiæ Chriſtum ſignificabat: in eo autem quòd prudenter fecit illorum qui in Eccleſia iuſte uiuunt, imaginem geſſit. Vbi forte præuentus eſt, & incaute egit, eos qui in Eccleſia peccatores ſunt figurauit. Meretrix quam

Iudicum 14

Epheſ. 5

Matt. 13

quam Sampſon in cōiugiū ſumit, eccleſia eſt quæ ante agnitionē unius dei cū idolis fornicata fuit, quā poſtea ſibi Chriſtus adiunxit. Poſtquā ab eo illuminata fidē ſuſcepit, etiā hoc meruit, ut per eū ſalutis ſacramenta cognoſceret, & ab eodē reuelarent̃ ei myſteria cœleſtiū ſecretorū. Nam quæſtio ipſa quæ cōtinet, De edente exiuit cib. & de forte eſt egreſſa dulcedo, q̄d aliud ſignificat q̄ Chriſtū à mortuis reſurgentem? De edente uti q̄, id eſt, de morte quæ cuncta deuorat atq; cōſumit, exiuit cibus ille qui dixit, Ego ſum panis uiuus qui de cœlo deſcendi: quē humana exacerbauit iniquitas, eiq; aceti & fellis amaritudinē propinauit, atq; ab eo plebs gentiū uitę dulcedinē conuerſa ſuſcepit: ac ſic de mortui leonis ore, id eſt, de Chriſti morte qui accubans dormiuit ut leo, apū, id eſt Chriſtianorū proceſſit examē. Quod autē dicit, Non inuenniſſetis propoſitionē meam, niſi araſſetis in uitula mea: hæc uitula, id eſt, eccleſia reuelata ſibi à uiro ſuo ſecreta fidei myſteria trinitatis, reſurrectionis, iudicij pariter & regni, in fines terrę apoſtolorum & ſanctorum doctrina, & prędicatione uulgauit, & intelligentibus atq; cognoſcentibus æternę uitæ premia repromiſit. Sequitur aūt, Iratus eſt Sampſon, quia duxit ſodalis eius uxorem eius. Sodalis iſte omniū hæreticorū figurā geſſit. Magnū ſecretū eſt fratres mei. Nam hæretici qui eccleſiā diuiſerunt, uxorem domini ſui ducere & abducere uoluerunt. De eccleſia em̄ & de euangelijs exierūt, qui impietatis adulterio eccleſiam, id eſt, Chriſti corpus in partē ſuā conant̃ inuadere. Vnde fidelis ille ſeruus & amicus dominicæ ſpōſæ loquitur, Deſpondi em̄ uos uni uiro uirginē caſtā exhibere Chriſto. Videamus myſteriū, iſte Sampſon quid fecerit offenſus, Cepit em̄ uulpes, id eſt, adulterantes ſodales: de quib. dicitur in Cantico cāticorum, Capite nobis uulpes paruulas exterminantes uineas. Quid eſt capite? Id eſt cōprehendite, cōuincite, cōſutate, ne exterminent̃ eccleſiaſticæ uineę. Quid eſt aliud uulpes capere, niſi hæreticos diuinæ legis authoritate reuincere, & ſanctarū ſcripturarū teſtimonijs uelut quibuſdā uinculis alligare atq; cōſtringere? Vulpes capit, ligatis caudis ignē apponit. Quid ſibi uolunt caudę uulpium colligatę? Caudę uulpiū quid ſunt, niſi poſteriora hæreticorū, qui prima habent magna & blanda & deceptoria opera, poſteriora ligata, id eſt, dānata, & in ignē in fine trahentia, ut eorū fructus & acta cōſumāt, qui ſuis ſeductionib. acquieſcunt? Quod autē intrauit ad meretricē, ſi ſine cauſa fecit quicūq; fecit, immundus eſt. Si non ita intrauit ut cōcumberet, myſterij cauſa fortaſſis intrauit. Sed concubuiſſe non legimus. Sequit̃, Inimici uero expectabant ad portas ciuitatis, ut cōprehenderent eum cū de meretrice ad quā intrauerat fuiſſet egreſſus. Ille aūt dormiebat. Videte quemadmodū nō ſcriptū eſt, quia mixtus eſt meretrici: ſed ſcriptū, quia dormiebat. Vbi ſurrexit, inq̄t, media nocte exijt, abſtulit portas ciuitatis ipſius cū ſeris, & eaſdem portas in cacumine montis poſuit. Ab allophylis teneri non potuit, portas ciuitatis quibus ad meretricē intrauit abſtulit, & in mōte leuauit. Quid eſt hoc? Infernū & amorē mulieris, utrunq; ſcriptura coniungit. Inferni ignem tenebat domus meretricis. Pro inferis ponit̃ domus meretricis. Recte p̄ inferis ponit̃, quia neminē repellit, omnē intrantem ad ſe trahit. Agnoſcimus hoc loco redemptoris noſtri opera. Poſtq̄ ſynagoga, ad quā uenerat, à ſe per diabolū ſeparata eſt, poſteaq̄ eū decaluauit, id eſt, in loco caluariæ crucifixit, ad inferna deſcendit: & inimici cuſtodiebāt locū dormientis, id eſt ſepulchrū, & capere uolebāt quē uidere nō poterant. Ille autē dormiebat ibi. Hoc ideo dixit, quia uere mortuus erat. Et quod dictū eſt, Media nocte ſurrexit, hoc ſignificauit, quia in ſecreto ſurrexit. Aperte enim paſſus eſt, ſolis autē diſcipulis & certis quibuſq; reſurrexiſſe manifeſtus eſt. Ergo q̄ intrauit oēs uiderunt, q̄ ſurrexit pauci cognouerūt, tenuerunt & palpauerunt. Tollit tamen portas ciuitatis, id eſt, aufert portas inferni. Quid eſt portas inferni tollere, niſi mortis imperiū remouere? Recipiebat em̄, non remittebat. Quid autē fecit dñs Ieſus Chriſtus? Ablutis portis mortis, aſcēdit in cacumen montis. Nouimus em̄ eum & reſurrexiſſe, & in cœlos aſcendiſſe. Quid eſt aūt q̄ & in capillis uirtutē habebat? Et hoc fratres diligēter aduertite. Virtutem non habuit in manu, nō in pede, nō in pectore, non in ipſo capite: ſed in capillis, in crinibus. Quid ſunt capilli, quid comæ? Et nos uidemus, & interrogatus Apoſtolus reſpondet nobis, Coma uelamentum eſt. Et in uelamento Chriſtus habebat uirtutē, quādo umbræ ueteris legis eū tegebant. Coma ergo Sampſon in uelamento erat, quia in Chriſto aliud uidebatur, & aliud intelligebatur. Quid ſibi aūt uult quòd p̄ditum eſt ſecretū, & decaluatus eſt Sampſon? Cōtempta eſt lex, & paſſus eſt Chriſtus. Chriſtum enim nō occiderēt, ſi legem non contempſiſſent. Nā nouerant & ipſi quia eis Chriſtū non licebat occidere. Dicebāt iudici, Nobis non licet occidere aliquē. Decaluatus eſt Sampſon, reuelata ſunt cōdenſa, remotū eſt uelamentū, & Chriſtus qui latebat apparuit. Capilli aūt rediuiui caput iterū ueſtierūt, quia Iudæi nec reſurgentē Chriſtū agnoſcere uoluerūt. Fuit quidē in molendino, fuit cæcatus, fuit in domo carceris. Domus carceris uel molēdinū labor eſt huius ſeculi. Excæcatio autē Sampſon illos indicat, qui infidelitate cæcati Chriſtū nec uirtutes operantē, nec aſcendentē ad cœleſtia cognouerunt. Cęcitas ergo Sampſon quā intulerunt, cæcitatē Iudæorū ſignificabat. Chriſtus aūt à Iudęis & cōprehenſus eſt & occiſus. Adduxerunt ergo eū inimici ut illuderent ei. Iam hic imaginem crucis attendite. Expanſus em̄ manus ad duas columnas, quaſi ad duo ligna crucis extēdit: ſed aduerſarios ſuos interemptos oppreſſit, & illius paſſio interfectio facta eſt perſequentium. Et ideo ſcriptura cōcludit, Plures mortuus occidit, q̄ uiuus occiderat. Nam hoc myſterium in domino noſtro Ieſu Chriſto impletum eſt, Redemptionem noſtram quam ipſe uiuēs minime celebrauerat, mortuus cōſummauit, Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

A

B

C

D

2. Cor. 11

Cant. 2

1. Cor. 11

Ioan. 18

Item in eadem dominica Homilia, De eo quod
ſcriptum eſt in euangelio ſecũdum Ioannẽ, Quis
arguet me de peccato &c. quæ habetur in expoſi-
tione doctoris, Ibidem.

Feria ſecunda poſt dominicam paſſionis do-
mini, de Gedeon. Sermo I

SERMO CVIII

HODIERNA die audiuimus fratres, quòd
cũ ſub arbore quercus Gedeon filius Ioas
triticeã meſſem uirga cæderet, angelo pro
mittẽte audire meruit, ꝙ ipſe à poteſtate inimico-
rum in libertatẽ dei populum uindicaret. Nec mi
rũ ſi electus ad gratiã, cũ ſub umbra iam tunc ſan-
ctæ crucis & uenerabilis ſapiẽtię prædeſtinato in-
carnationis futurę myſterio cõſtitutus, feracis ſe-
getis ſenſibilia de latibulis frumenta produceret,
electionemq́ ſanctorũ à purgamẽtis inanis paleę
ſequeſtraret: quia tanq̃ uirga ueritatis exercitati,
ſuperflua ueteris hominis cũ actib. eius deponen
tes, quaſi in torculari ita in eccleſia congregãtur.
Eccleſia enim torcular eſt fontis ęterni, in qua cœ
leſtis uitis fructus exundat. Gedeõ uero cũ audiſ-
ſet ꝙ per eũ dominus plebẽ ſuã à multitudine ho-
ſtiũ liberaret, obtulit in ſacrificio hœdũ caprarũ:
cuius carnẽ ſecundũ pręcepta angeli & azyma ſu
pra petrã poſuit, & in eã ius perfudit. Quæ ſimul
uirgæ cacumine quã gerebat angelus dei cõtigit,
& de petra ignis erupit, atq; ita ſacrificiũ quod of-
ferebat̃ abſumptũ eſt. Per quod indiciũ declaratũ
uidet̃, ꝙ petra illa typum habuerit corporis Chri-
1.Cor.10 ſti: quia ſcriptũ eſt, Bibebant autẽ de ſpiritali con-
ſequẽte eos petra, petra aũt erat Chriſtus. Quod
utiq; nõ ad diuinitatẽ eius, ſed ad carnẽ relatũ eſt,
quę ſitientum corda populorum perenni riuo ſui
ſanguinis inundauit. Iam tũc igitur in myſterio de
claratum eſt, quia dominus Ieſus in carne ſua to-
tius mũdi peccata crucifixus aboleret, nec ſolum
delicta factorũ, ſed etiã cupiditates animorũ. Ca-
ro enim hœdi ad culpã facti refertur, ius ad illece-
Nume.11 bras cupiditatũ, ſicut ſcriptum eſt, Quia concupi-
uit populus cupiditatẽ peſſimã, & dixerunt, Quis
Iudic.6 nobis dabit carnem? Quòd igitur extendit ange-
lus uirgam, & tetigit petram, de qua exiuit ignis,
oſtendit quod caro domini repleta ſpiritu diuino,
peccata omnia humanæ cõditionis exureret. Vn-
Lucæ 12 de & dominus ait, Ignem ueni mittere in terram.
Aduertit igitur uir doctus & pręſagus futurorum
ſuperna myſteria, & ideo ſecundum oracula occi
dit uitulum à patre ſuo idolis deputatũ, & ſepten-
nem alium immolauit deo. Quo facto manifeſtiſ-
ſime declarauit, poſt aduẽtum dñi omnia abolen-
da eſſe gẽtilitatis ſacrificia, ſolũq; ſacrificium deo
dominicæ paſſionis pro religione populi deferen
dum. Etenim uitulus ille erat in typo Chriſti. Se-
ptem aũt annorũ erat, quia in Chriſto ſeptem ſpiri
taliũ plenitudo uirtutũ, ut Eſaias dixit, habitabat.
Hunc uitulum Abraham obtulit, quãdo diem do
mini uidit, & gauiſus eſt. Hic eſt qui nunc in hœdi
typo, nũc in ouis, nũc in uituli offerebat̃, Hœdus
quòd ſacrificiũ pro delictis ſit, ouis quòd uolunta
riæ hoſtia, uitulus ꝙ immaculata ſit uictima. Præ-
uidit ergo myſteriũ ſanctus Gedeon. Deniq; ele-
git trecentos uiros ad pręlium, ut oſtenderet non
A in numero multitudinis, ſed in ſacramento crucis
mundũ ab incurſu grauiũ hoſtium liberandũ. Tre
centi em̃ in Gręca τ, tau ſimilitudinẽ crucis oſten
dũt. Et licet fortis eſſet & fidẽs, pleniora adhuc de
domino futuræ uictorię documenta quęrebat, di-
cens, Si ſaluas in manu mea Iſrael, quẽadmodum
loçutus es domine, ecce ego pono lanæ uellus in
area, & ſi ros factus fuerit ſuper uellus, & ſuper o-
mnẽ terrã ſiccitas, cognoſcã quia in manu mea ſe-
cundũ promiſſa tua populũ liberabis. Et ita factũ
eſt. Sed adiecit poſtea ut rurſus ros proflueret per
totã terrã, & ſiccitas eſſet in uellere, & ita cõpletũ
eſt. Ros enim in uellere fides erat in Iudæis, quia ſi
cut ros uerba dei deſcẽdunt. Vnde & Moyſes ait:
B Expectet̃ ſicut pluuia eloquiũ meum, & ſicut ros Deut.32
uerba mea. Ergo quando totus orbis infructuoſo
æſtu gentilis ſuperſtitionis arebat, tunc erat ros il-
le cœleſtis uiſitationis in uellere, id eſt, in Iudæa.
Poſtea uero q̃ oues quę perierãt domus Iſrael un
de puto figurã Iudaici uelleris adumbratã: oues,
inquã, illę fontẽ aquę uiuę negauerũt, ros fidei ex-
aruit in pectorib. Iudęorũ, meatusq́ ſuos fons ille
diuinus in corda gẽtium deriuauit. Inde eſt quòd
nunc fidei rore totus orbis humeſcit, at uero Iudęi
prophetas ſuos & conſiliarios perdiderunt. Nec
mirum ſi perfidię ſubeunt ſiccitatem, quos domi-
nus deus prophetici imbris ubertate priuauit di-
cens, Mandabo nubibus ne pluant ſuper uineam Eſa.5
iſtam. Eſt em̃ ꝓpheticæ nubis pluuia ſalutaris, ſi-
C cut Dauid dixit, Deſcendet ſicut pluuia in uellus, Pſal.71
& ſicut ſtillicidia ſtillãtia ſuper terrã. Hanc nobis
ſcripturæ diuinæ totius mundi pluuiã polliceban
tur, quę ſpiritu diuini roris rigaret orbẽ ſub domi-
ni ſaluatoris aduẽtu. Venit ergo iam ros, uenit &
pluuia, uenit dñs ſtillicidia ſecũ cœleſtia deferẽs:
& ideo iam nos bibimus qui ante ſitiebamus, &
diuinũ illũ ſpiritũ hauſtu interiore potamus. Hoc
ergo præuidit ſanctus Gedeon, quia uerũ & ſpiri-
talem rorem etiã gentes nationesq́ erãt fidei per-
ceptione bibituræ. Nec tunc ocioſe Gedeon uel-
lus nec in campo poſuit nec in prato, ſed poſuit in
area ubi meſſis eſt tritici. Meſſis aũt multa, opera- Math.9
rij uero pauci, eo ꝙ per fidẽ domini in eccleſia fu-
tura eſſet meſſis fœcunda uirtutũ. Nec illud otio-
D ſum eſt quod exiccauit uellus Iudaicum, & rorem
eius miſit in peluim ut repleretur aqua, non tamẽ
ipſe ex eo rore pedes lauit, Alij debebat̃ tanti præ
rogatiua myſterij. Expectabat̃ Chriſtus, qui ſor-
des omniũ ſolus poſſet abluere. Nõ erat tãtus Ge-
deon, q hoc ſibi myſteriũ uẽdicaret. Non em̃ Ge-
deõ, ſed filius hominis uenit nõ miniſtrari, ſed mi- Matt.10
niſtrare, Aliquoties ea quæ dicuntur, rogo uos fra
tres ut nõ moleſte accipiatis, quod propter tardio
res quoſq; & ſimplices breuiter replicamus. Qui
enim literati & docti ſunt, deo ꝓpitio ſine labore
intelligunt quæ dicunt̃: reliquis uero idiotis atq;
ſimplicibus, niſi breuis recapitulatio facta fuerit,
timeo ne ex his quæ dicuntur parum capere poſ-
ſint. Gedeon fratres chariſſimi typũ geſſit domi-
ni ſaluatoris. Et quia trecenti ſecundum Gręcum
computum

computum crucem faciunt, ita tũc Gedeon in tre-
centis uiris Iudæorum populum de crudeliſſimis
gẽtib. eripuit, quomodo poſtea Chriſtus per my-
ſterium crucis totum genus humanum de poteſta
te diaboli liberauit. Torcular enim ubi meſſem te
rebat, propter aſſiduas tribulationes eccleſiæ ty-
pum geſſit. Meſſis quæ cædebatur, Chriſtianũ po
pulum ſignificauit, quẽ adueniens Chriſtus uirga
diſciplinę uel baculo crucis ſuę, à paleis, id eſt, à
peccatis omnibus ſeparauit. Nam & angelus ille
qui uenit ad eum, & ipſe in typũ domini ſaluatoris
accipit̃. Arborem ſub qua ſtetit, & uirgam quam
tenuit, crucem ſignificaſſe manifeſtum eſt. Petra il
la, ſuper quam Gedeon obtulit holocauſtũ, Chri-
1Cor.10 ſtus erat. Sic enim ait Apoſtolus. Petra autem erat
Chriſtus. Hœdus ille qui oblatus eſt, humanum
genus peccatis obnoxiũ deſignauit. Quod ange-
lus uirga ſua tetigit petrã, & exijt ignis, & conſum
pſit hœdum illum: crux tetigit Chriſtum, & de pe
tra quę erat Chriſtus ignis exijt charitatis, qui hu-
mani generis peccata cõſumpſit. De ipſo enim ue
Lucæ 12 rus Gedeon Chriſtus in euãgelio dixit, Ignem ue
ni mittere in terram, & quid uolo niſi ut accenda-
tur? Taurus uero quem occidit, & ipſe dominum
figurabat, qui pro redẽptione generis humani ob
latus eſt. Quod aũt ſeptem annorum erat, ſeptem-
plicem gratiam ſpiritus ſancti, quæ in Chriſto ue-
nit, ſignificaſſe uidetur. Vellus qđ in area poſuit,
& rogauit dominum ut in ſolo uellere eſſet ros, &
in omni terra ſiccitas, & factum eſt ita: & iterũ ro-
gauit, ut uellus remaneret ſiccum, & in tota area
eſſet ros: uellus ſignificauit populum Iudæorum,
area autẽ in toto mundo populum omnium Gen
tium. Et quia primo tempore ros uerbi dei in ſola
Iudæa fuit, & totus mundus in ſiccitate remanſe-
rat, ideo primum ros in uellere uenit, & area ſicca
fuit: poſtea uero quando Iudæi Chriſtum dominũ
occiderunt, per paſſionis iniuriam expreſſum eſt
uellus, & remanſit Iudæorum populus aridus &
ſiccus, & in totam aream, id eſt, uniuerſum mun-
dum, ad omnes gentes, non ſolum ros, ſed etiã plu
uia uerbi dei & apoſtolorũ flumina peruenerunt.
Deniq; in uniuerſa terra quaſi area, rore gratię per
ſeuerante in nobis, ſpiritalis irrigatur eccleſia, &
infelix ſynagoga ab omni humore uel pluuia diui
ni uerbi ſicca remanſit & arida. Vt hęc ergo ſpiri-
talis pluuia, & ros diuinæ gratię perſeueret in no-
bis, omnia quæ prædicãtur ſalubriter cogitando,
& nobis inuicem colloquendo, uelut munda ani-
malia ruminemus: ut utilem ſuccum, unde anima
noſtra in ęternum poſſit uiuere, habere poſſimus,
& talibus delicijs ſatiati cum propheta dicere me
Pſal.118 reamur, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua
domine. Sed tunc in nobis dulcedo uerbi dei po-
terit permanere, ſi hoc etiam alijs plena & perfe-
cta charitate frequentius referendo uoluerimus
ingerere, ut non ſolum de noſtra, ſed etiam de alio
rum ſalute lucra nobis ſpiritalia poſſimus proui-
dere, auxiliante nobis domino noſtro Ieſu Chri-
ſto, cui eſt honor & imperium cum patre & ſpiri-
tu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Item eodem die Homilia de eo quod ſcriptum
A eſt in euangelio ſecundũ Ioannem, Miſerunt prin
cipes & phariſæi: & cætera, quæ habetur in expo-
ſitione doctoris, Ibidem.

Feria tertia poſt dominicam paſſionis, & illo
uerſu pſalmi, Sicut deficit fumus, deficiant &c.

Sermo I

SERMO CIX

AVDIVIMVS & contremuimus quod in
A uoce pſalmi eſt prophetatum. Ait em̃, Si-
cut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera
à facie ignis, ſic pereãt peccatores à facie dei. Non Pſal.67
dubito fratres chariſſimi ꝙ omnium ueſtrũ corda
cõcuſſa ſint, nec cuiuſq; cõſcientia ſub his uerbis
intrepida ſteterit. Quis em̃ gloriabit̃ caſtum ſe ha Prou.20
bere cor, aut quis gloriabit̃ mundum ſe eſſe à pec-
B catis? Ac per hoc cũ ſcriptura dicit, Sicut fluit ce-
ra à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie dei,
qs non cõtremiſcat, quis non pauibundus exiliat?
Quid ergo faciamus, aut quę ſpes nobis eſt? Ne q;
em̃ fruſtra hæc cantant̃. Aut uero cum hæc dicit
propheta, optat ea hominibus, ac nõ potius uẽtu-
ra pręuidet? In uerbis quidẽ figura optantis appa
ret, ſed intelligit̃ præſciẽtia nũciantis. Sicut enim
quædã in ſcriptura prophetarum tanq̃ in præteri
tum facta narrãtur cũ futura prędicantur: ita quę-
dam tanq̃ uoto dicũtur optantis, ſed qui recte in-
telligunt quod audiunt, uiſionem prænunciantis
agnoſcunt. Longe aũt ante natiuitatem domini-
cæ incarnationis, iſti pſalmi dicti atque conſcripti
ſunt. Non ante deum Chriſtũ, ſed ante natum ex
C uirgine Maria Chriſtũ. Nam profecto pater Abra
ham lõge ante Dauid regẽ, cuius tẽpore hi pſalmi
cãtati ſunt, fuit. Dominus aũt dixit, Ante Abrahã Ioan.8
ego ſum. Ipſe enim eſt uerbum dei, per quod facta
ſunt omnia, ſed ipſe implẽs prophetas, in carne ſe
eſſe uenturũ per eos prędixit. Ad eius autẽ incar-
nationẽ pertinet paſſio. Neq; enim potuit pati illa
quę in euangelio ſcripta ſunt, niſi in carne mortali
& paſſibili quã gerebat. Et ibi utiq; legit̃, quẽad-
modũ domino crucifixo hi qui crucifixerũt eum
ueſtimenta eius diuiſerunt ſibi, & cum ueniſſent
in eis tunicam deſuper textã, noluerunt eam con-
ſcindere, ſed ſortem ſuper eam miſerunt, ut ad quẽ
perueniret, integra perueniret, qua ſignificabatur
charitas, quę diuidi non poteſt. Hæc ergo cum in
D euãgelio iam facta narrãtur, lõge ante multos an
nos in pſalmo cũ futura prænũciarẽtur, tanq̃ ge-
ſta & trãſacta narrata ſunt, Foderũt, inquit, manus Pſal.21
meas & pedes meos, & dinumerauerũt om̃ia oſſa
mea. Ipſi uero cõſiderauerũt & inſpexerũt me: di-
uiſerũt ſibi ueſtimẽta mea, et ſuper ueſtẽ meã miſe
rũt ſortẽ. Omnia tanq̃ præterita dicunt̃, & futura
prędicãtur. Sicut ergo in uerbis pręteriti tẽporis
futura facta ſignificant̃, ſic in figura optantis præ-
nunciantis mens intelligẽda eſt. Sic & de Iuda do
mini traditore tanq̃ optat ei propheta, qđ uentu
rũ eſſe prędicit. Et de ipſis Iudęis, Fiat, inquit, men Pſal.68
ſa eorũ in laqueũ, & in uenationem & in ſcãdalũ.
Quod de his prædictum eſſe ſine dubitatione ex-
ponit, ſicut de Iuda quę ſub eadẽ figura pręnũcia- Act.1
ta ſunt, apoſtolus Petrus commemorat. Nec ſine
cauſa

causa & quæ futura sunt tanq̃ transacta dicuntur.
Deo enim sic certa sunt, & iam pro factis habean A
tur, & tanq̃ optãs uidetur dicere Propheta, quod
certũ præuidet esse uenturũ, nihil aliud, quantum
mihi uideꝰ, ostẽdẽs, nisi nobis nõ debere displice-
re cognitã sententiã dei, quã fixam immobilemq̃
constituit. Et ideo in Actibus apostolorum, cum
quidã ꝓpheta nomine Agabus prædiceret Apo-
stolum Paulũ in Hierosolyma à Iudæis multa esse
passurum, & usq̃ ad uincula peruenturum, cũ hoc
audito fratres reuocare & retinere uellent ne illuc
pergeret: quid facitis, inquit, cõturbãtes cor meũ?
Ego em̃ nõ solum alligari, sed etiam mori paratus
sum pro nomine domini nostri Iesu Christi. Atq̃
ita cũ uiderẽt fratres immobilẽ uiri ad omnia per-
ferenda constantiã, dixerunt, Fiat domini uolun-
tas. Nunqd ergo quia dixerunt, Fiat uoluntas dei,
optauerunt Apostolo ut talia pateretur, ac nõ po
tius mentẽ suã sublimi & diuino statuto deuotissi
Psal.67 me subdiderunt? Sic & propheta cum dicit, Sicut
fluit cera à facie ignis, sic pereãt peccatores à facie
dei: uidet hoc certissime peccatorib. imminere, &
placet ei quod deus statuit, ne deo ipse displiceat.
Quid ergo facimus fratres, nisi ut dum tẽpus est
uitã mutemus, & facta nostra si qua sunt corriga-
mus? Vt q̃d sine ulla dubitatione uenturũ est pec
catoribus, nos nõ inueniat super quos ueniat: non
quia non erimus, sed ut nõ tales inueniat qualibus
uenturũ esse prædictũ est. Propterea se iudex uen-
turũ minatur, ut non inueniat quos puniat cũ ue-
nerit. Propterea illud cantat Prophetæ ut corriga
mur. Si dãnare uellet, taceret. Nemo uolens ferire
dicit, obserua. Totũ fratres q̃d audiuimus per scri-
pturas, uox est dei dicẽtis, Obserua. Et totũ quod
patimur tribulationes in hac uita, flagellũ dei est
corrigere uolentis ne damnet in fine. Quasi dura
sunt, molesta sunt, horrent quãdo narrantur, quæ
quisq̃ grauia ualde patit in hac uita, in cõparatio-
ne autẽ æterni ignis nõ parua sed nulla sunt. Siue
ergo nos flagellemur, siue cũ alij flagellant, admo
nemur à domino. Omnia ista fratres quæ in hac ui
ta infligunt à domino, admonitiões sunt & stimu
li correctiõis nostræ. Veniet aũt ignis æternus, de
Matth.25 quo dicet illis q ad sinistram constituendi sunt, Ite
in ignẽ æternũ, qui paratus est diabolo & angelis
eius. Tunc acturi sunt quidã pœnitẽtiã. Nam scri- D
Sap.5 ptum est in libro quodã Sapiẽtiæ, Dicent intra se
pœnitentiã agẽtes, & præ angustia spiritus gemẽ
tes. Quid nobis profuit superbia, & q̃d diuitiarũ
iactantia cõtulit nobis? Trãsierunt omnia illa tan-
quã umbra. Erit em̃ ibi pœnitẽtia, sed infructuosa.
Erit ibi pœnitentia, sed dolorẽ habens, medicinã
non habens. Nunc est fructuosa pœnitentia, quan
do correctio libera, pœniteat te ad uocem scriptu
ræ. Nam ad uocem præsentis iudicis, sine causa pœ
nitebit me. Tunc iam ille sententiã dicturus est, Et
non erit q̃d reprehẽdas quãdo sententiã dicturus
est, Non em̃ tacuit ante sententiã. Nõ em̃ te distu-
lit nisi ut corrigeres te, quãdo quidẽ latroni in cru
ce pendenti se mutare permisit. Tunc enim latro
pendens cũ domino, credidit in Christum, quan-
do de illo discipuli titubauerũt. Contẽpserunt Iu-
daei mortuos suscitantẽ, nõ contẽpsit latro secum
in cruce pendentẽ. Non est ergo quod in fine dica
tur domino, Nõ me permisisti bene uiuere, aut di-
lationẽ correctionis non mihi dedisti: aut nõ ostẽ
disti quid appeterẽ, quid uitarẽ. Videte quia non
tacet, uidete quia differt, uidete quia blandit, hor-
tatur, minatur. Constituit uerbũ suũ in sublimita-
te, per totũ mundũ recitatur uniuerso humano ge
neri. Non est qui iã dicat, Nesciui, non audiui. Im-
pletur quod dictum est in psalmo, Nec est q se ab- Psal.18
scõdat à calore eius. Modo ergo calor eius in uer-
bo eius est. Mutare modo à calore eius, & non de-
flues sicut cera ab igne eius. Nam illud fratres mei
uenturũ est aliqñ, quod modo rident impij, quod
B modo contẽnunt derisores, q̃d putant falsò cãtari
aliquãdo uenturũ est. Si non uenerũt tãta, quanta
prædicta sunt, desperemus & illud aliquãdo uẽtu-
rũ. Si aũt omnia quæ de ecclesia futura prænuncia
ta sunt, iã uidemus exhibita, & cæcorũ etiã oculos
feriunt, q̃d dubitamus etiam illa uentura? Quãdo
dicebatur ecclesia Christi futura per totum orbẽ
terrarũ, dicebatur à paucis & ridebatur à multis.
Modo iam impletũ est, q̃d tanto ante prædictum
est, Diffusa est ecclesia per totũ orbẽ terrarum. An
te milia annorũ promissum est Abrahæ, In semi- Gen.22.
ne tuo benedicentur oẽs gentes. Venit Christus
ex semine Abrahæ, benedictę sunt in Christo iam
omnes gẽtes. Prædicta sunt schismata, & hæreses
futuræ, uidemus illa. Prędictę sunt persecutiones,
C factæ sunt à regib. colentibus idola. Pro ipsis ido-
lis aduersus nomen Christi repleta est terra marty
ribus. Sparsum est semen sanguinis, surrexit seges
ecclesiæ. Nec frustra orauit ecclesia pro inimicis
suis. Crediderunt & qui persequebant. Prædictũ
est etiã quia ipsa idola euertenda essent per nomẽ
Christi. Nã & hoc inuenimus in scripturis, Ante
paucos annos Christiani illa legebant & nõ uide-
bant, adhuc futura illa expectabant, & sic abierũt,
non illa uiderunt, sed tamen credẽtes q futura es-
sent, cũ fide abierunt ad dominũ. Nostris tẽporib.
etiam ipsa cernuntur. Omnia quæ ante prædicta
sunt de ecclesia, uidemus impleta. Solus dies iudi-
cij non est uenturus? Ipse solus prænunciat & nõ
ueniet? Vsqueadeo sumus duri & lapidei cordis,
ut legamus scripturas, & uideamus omnia ꝓsus
ad literã euenisse quę scripta sunt, & de his quæ re
manẽt desperemus? Quantum est em̃ quod rema
net, ad ea quæ iam nobis exhibita uidemus? Tam
plura deus ostendit, et de residuo nos fraudaturus
est? Veniet iudiciũ redditurũ pro meritis, Bonis
bona, malis mala. Boni simus & securi iudicẽ ex-
pectemus, Fratres mei, maxime nunc dicentẽ me
audite, Nolo tecũ cõputare præterita. Ab hodier-
na die te muta, cras te alterũ inueniat. Nos autem
peruersitate nostra sic uolumus deũ esse misericor
dẽ, ut non sit iustus. Alij rursus quasi præsidentes
de iustitia sua, sic uolũt iustum ut nolint misericor
dẽ. Vtrũq̃ se exhibet deus, utrũq̃ prestat, nec mi-
sericordia eius prescribit iustitiæ, nec iustitia eius
aufert misericordiam. Misericors est, & iustus est.
Vnde

Vnde misericordẽ ꝓbamus? Parcit modo pecca-
toribus, dat ueniã cõfitentibus. Vnde probamus A
quia iustus est? Quia uenturus est dies iudicij quẽ
modo differt, non aufert. Et cũ uenerit redditurus
est pro meritis. An hoc uultis ut reddat auersis, q̃
reddetur cõuersis? Fratres, iustũ uidetur uobis ut
ibi ponat Iudas, ubi positus est Petrus? Et ipse ibi
poneretur si se correxisset, Sed de uenia desperãs,
potius sibi collũ ligauit, q̃ regis clemẽtiã supplica
ret. Itaq̃ fratres, sicut dicere cœperã, non est unde
reprehendamus deum. Quid cõtra illum dicamus
nõ erit, cum uenerit iudicare. Cogitet unusquisq̃
peccata sua, & modo illa emendet cũ tẽpus est. Sit
fructuosus dolor, non sit sterilis pœnitudo. Tanq̃
hoc dicit deus, Ecce indicaui sententiã, sed non-
dum protuli. Prædixi, nõ fixi. Quid times quia di- B
Gen.6 xi? Si mutaueris, mutatur. Nam scriptũ est, quòd
pœniteat deũ. Nũquid quomodo hominẽ sic pœ-
Hiere.18. nitet deum? Nam dictũ est, Si pœnituerit uos de
peccatis uestris, pœnitebit & me de omnibus ma
lis quæ facturus erã uobis. Nunquid quasi errãn-
tem pœnitet deum? Sed pœnitẽtia dicitur in deo
mutatio sentẽtię. Non est iniqua, sed iusta. Quare
iusta? Mutatus est reus, mutauit iudex sententiã.
Noli terreri. Sentẽtia mutata est, nõ iustitia. Iusti-
tia integra manet, quia mutato debet parcere q̃a
iustus est. Quomodo pertinaci nõ parcit, sic muta
to parcit. Ipse rex est indulgẽtiarũ, qui dator est le-
gis. Misit legẽ, uenit cũ indulgentia. Reum te fece
rat lex, absoluit te qui dedit legem. Imo non absol
uit. Nam absoluere est innocentẽ iudicare. Donat C
potius peccata conuerso. Omnes em̃ sunt rei, qui
peccatis suis inuoluti sunt. Nemo se optet absolui.
Omnes ueniã deprecemur. Venia uero datur mu
Psal.67 tato. Et erimus securi cũ audierimus, Sicut fluit ce
ra à facie ignis, sic pereant peccatores à facie dei.
Certe fratres modo pereunt peccatores, & nõ pe-
reũt peccatores. Si incipiãt iuste uiuere, peribunt
utiq̃ peccatores, sed nõ peribũt homines. Homo
23.q.4.duo peccator, duo nomina sunt, homo unũ nomẽ est,
& peccator unũ nomẽ est. In his duob. nominib.
intelligimus quia unũ horũ deus fecit, alterũ horũ
homo fecit. Hominẽ em̃ deus fecit, peccatorẽ se
ipse homo fecit. Quid ergo cõtremiscis? Quando
tibi dicit deus, Pereãt peccatores à facie mea, hoc
tibi dicit deus, Pereat in te quod tu fecisti, & seruo D
q̃d ego feci. Et modo ardet ignis in calore uerbi,
Psal.18 res est in feruore spiritus sancti, sicut diximus iã-
dudum, quia scriptũ est in alio psalmo, Nec est qui
se abscõdat à calore eius. Spiritũ autẽ sanctũ esse
Rom.12 calorẽ dicit Apostolus, Spiritu feruẽtes. Ergo pro
facie dei, tibi pone interim scripturã dei. Liquesce
ab illa, pœniteat te cũ audis hæc de peccatis tuis.
Cum autẽ te pœniret, & cũ teipsum excrucias sub
calore uerbi, cũ etiã lachrymæ currunt, nónne ce-
ræ tabescenti & tanq̃ in lachrymas currenti simi-
lis inueniris? Modo ergo fac quod in posterum ti
mes, & non habebis quod in posterũ timeas. Tan
tũ non sicut fumus deficiant, Nam utrunq̃ ibi ha-
bes positũ, forte nõ sine causa, quia est etiã distan-
tia peccatorum. In ipso uno uerbo utrunq̃ posuit
psalmus, Sicut deficit fumus, deficiãt: & sicut fluit Psal.67
cera à facie ignis, sic pereãt peccatores à facie dei.
Qui sunt qui sicut fumus deficiunt? Qui sunt nisi
superbi, nõ cõfitẽtes peccata sua, sed defendẽtes?
Quare fumo cõparati sunt? Quia fumus erigit se,
extollit se tanq̃ in cœlũ, sed quãto fit superior, tan
to facilius euanescit & disperit. Rursus cõsiderate
q̃d dixi, Solidior est fumus igni proximus, & ter-
ræ proximus, nondũ sic euanuit, nondũ sic est di-
spersus in uẽtos: quando autẽ attenuat, euanescit,
& disperit quãdo se multũ extulerit. Quia ergo su
perbus sic se erigit cõtra deũ, quomodo fumus cõ
tra cœlũ, restat ut ita deficiat & tanq̃ in uẽtos suæ
uanitatis elatiõe dissipatus intereat, quẽadmodũ
disperit fumus elatus, tumida nõ solida magnitu-
dine inflatus. Sic est em̃ fumus. Vides magnã mo-
lem, habes quasi q̃d uideas, & nõ habes quod te-
neas. Talem ergo pœnã fratres ante omnia detesta
mini, nec defendatis peccata uestra: & si adhuc fa-
citis, nolite defendere. Subdite uos deo, & sic tun
dite pectora uestra, ut & ipsa quæ remanserũt, nõ
fiant. Conamini non facere, & si fieri potest, nulla
facite, si autem fieri non potest ut nulla facitis, ma
neat tamẽ illa pia cõfessio. Erit enim respectus mi
sericordiæ ipsius, ut te conante omnia perimere, &
quantũ adiuuerit perimẽte, de reliquis quæ tibi re
stant in itinere inuẽto & in conatu cõprehẽso, fa-
cile ignoscat: tantũ ꝓficere affecta, nõ deficere. Si
nõ te inuenit dies ultimus uictorẽ, inueniat uel pu
gnantẽ, nõ captum & addictũ. Est autẽ misericor-
dia abũdantissima & larga eius beneuolentia, qui
nos sanguine filij sui redemit, cum ꝓpter peccata
nostra nihil essemus. Nã ipse aliquid magnũ fecit,
cũ hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ suã creauit.
Sed quia nos nihil fieri uoluimus peccãdo, & tra-
ducẽ mortalitatis de parentibus duximus, & mas-
sa peccati, massa iræ facti sumus, placuit tamen illi
per misericordiã suã redimere nos tãto precio, de
dit pro nobis sanguinẽ unici sui innocẽter nati, in
nocenter uiuẽtis, innocẽter mortui. Qui nos tãto
precio redemit, non uult perire quos emit. Non
emit quos perdat, sed emit quos uiuificet. Si pec-
cata nostra superãt nos, preciũ suũ non cõtemnit.
Deus preciũ magnũ dedit, nec tamen nobis tantũ
de ipsius misericordia blandiamur, si nõ fuerimus
conati aduersus peccata nostra, nec si aliqua maxi D
me capitalia fecerimus, speremus ita futuram esse
misericordiã, ut ei cõiungatur iniquitas. Nunquid
em̃ & eos qui nihil egerũt, quẽadmodũ correcti
uiuerẽt, sed in pertinacia & duritia animi permãse
rũt, accusauerũt etiã deũ defendendo peccata sua,
ibi cõstituturus est ubi constituit sanctos aposto-
los, prophetas, patriarchas & fideles suos bene de
se meritos, sibi seruiẽtes, ambulantes in castitate,
modestia, humilitate, eleemosynas faciẽtes, igno-
scẽtes q̃d à quoquã perpessi sunt. Talis est em̃ uia
iustorũ, talis est uia sanctorũ tenentiũ deũ patrẽ,
tenentiũ ecclesiã matrem, nec illum parẽtem, nec
istam offendentes, sed in amore utriusq̃ parentis
uiuentes, & ad hæreditatem æternam properan-
tes, non læso patre, non læsa matre, datur unicuiq̃
hæreditas

hæreditas. Quia duo parentes nos genuerunt ad
mortem, duo parentes nos genuerunt ad uitã. Pa
A rentes qui nos genuerũt ad mortem, Adam est &
Eua: parentes qui nos genuerũt ad uitã, Christus
est & ecclesia. Et pater meus q̃ me genuit ad mor-
tem Adam mihi fuit, & mater mea Eua mihi fuit.
Nati sumus secundum istam progeniem carnis ex
munere quidem dei, quia & istud munus non est
alterius sed dei: & tamen fratres, quomodo nati su
mus? Certe ut moriamur. Præcessores genuerũt si
bi successores, nũquid genuerunt sibi cũ quib. hic
semper uiuãt? Sed tanq̃ decessuri, qui illis succe-
derẽt genuerũt sibi. Deus autẽ pater & mater ec-
clesia, nõ ad hoc generãt, generãt autem ad uitam
æternam, quia & ipsi æterni sunt. Et habemus hæ-
reditatem promissam à Christo uitam æternam, se
B cundũ qd̃ uerbũ caro factũ est, & habitauit in no-
bis. Nutritus creuit, passus, mortuus & resuscita-
tus accepit hęreditatem regnum cœlorũ. In ipso
homine accepit resurrectionem & uitã æternã, in
ipso homine accepit, in uerbo aũt non accepit: qa
incõmutabiliter manet ab ęterno in ęternũ. Quia
ergo accepit resurrectionẽ & uitam ęternã, caro
illa quæ resurrexit & uiuificata ascendit in cœlũ,
hoc nobis promissum est. Ipsam hęreditatẽ expe-
ctamus, uitam æternã. Adhuc em̃ non totum cor-
pus accepit, quia caput in cœlo est, mẽbra adhuc
in terra sunt: nec caput solum accepturũ est hære-
ditatẽ, & corpus relinquetur: totus Christus acce
pturus est hęreditatẽ. Totus secũdũ hominem, id
est, caput & corpus. Membra ergo Christi sumus,
speremus hæreditatem, quia cũ ista omnia transie
rint, hoc bonũ accepturi sumus qd̃ non transibit,
& hoc malum euasuri quod non transibit: æterna
sunt em̃ utraq̃. Non em̃ aliquid non æternũ pro-
misit suis, & aliquid tẽporale minatus est impijs,
Quomodo uitam, beatitudinẽ, regnum, hæredita-
tem sempiternã sine fine promisit sanctis, sic ignẽ
ęternum minatus est impijs. Si quod promisit nõ
amamus, saltem quod minatus est timeamus.

Item in eodem die Homilia, de eo quod scri-
ptum est in Euangelio secundum Ioannem, Am-
Ioan.7 bulabat Iesus in Galilæam, &c. quæ habetur in ex
positione doctoris, Ibidem.

Feria quarta post dominicam passionis, de
Psal.9 illo uersu psalmi, Tibi derelictus est pauper, &c.

Sermo I

A ANTAVIMVS domino & diximus, Ti-
SERMO C bi derelictus est pauper, pupillo tu eris ad
CX iutor. Quęramus pauperẽ, quæramus pu-
pillum. Nec mirum sit quòd admoneo ut quæra-
mus, q̃s sic abundare cernimus & sentimus. Nón-
ne pauperib. plena omnia? Nónne pupillis plena
sunt omnia? Et tamen inter omnia quæro pupillũ.
Ac prius ostendendũ est charitati uestræ id, quod
putamus non hoc esse quod quærimus. Qui enim
dicuntur pauperes & sunt, in quos à deo manda-
tæ eleemosynę fiunt, de quibus fatemur scriptum,
Eccl.29 Include eleemosynã in corde pauperis, & ipsa ora
bit pro te dominũ. Abundat quidẽ hoc genus ho
minum, sed altius intelligendus est iste pauper de

quo dictũ est, Beati pauperes spiritu, q̃niã ipsorũ Matth.5
est regnũ cœlorũ. Sũt pauperes non habentes pe-
cuniã, uictum quotidianũ uix inuenientes, alienis
operibus misericordia sic indigentes, ut etiã men
dicare nõ erubescãt: sed si de his dictũ est, Tibi de
relictus est pauper: nos q̃d facimus qui hoc non su
mus? Ergo nos qui Christiani sumus, non sumus
deo derelicti? Et quę alia nobis spes est, si non su-
mus illi derelicti, qui nos non deliqt? Discite er
go esse pauperes & deo relinq̃ ò cõpauperes mei.
Diues est, superbus est. Nã & in diuitijs istis, quæ
uulgo appellant diuitię, quibus est cõtraria uulga
ris ista paupertas, in diuitijs ergo istis nihil est sic
cauendũ q̃ sup̃biæ morbus. Qui em̃ nõ habet pe-
cuniã, nõ habet amplissimas facultates, non habet
unde se extollat. Si ergo q̃ non habet unde se ex-
B tollat, nõ laudat̃ ꝓ eo q̃ non se extollit: qui habet,
laudet̃ si se non extollit. Quid ergo laudo humilẽ
pauperẽ? Vnde superbiat nõ habet. Quis aũt fe-
rat & inopẽ & superbũ? Lauda diuitẽ humilẽ, lau
da diuitem pauperẽ. Tales uult Apostolus Pau-
lus, qui scribens ad Timotheũ dicit, Præcipe diui- 1.Tim.6
tibus huius seculi, nõ superbe sapere. Noui qd di-
cã. Hoc illis pręcipe. Habẽt diuitias intrinsecus su
perbiã persuadẽtes, habẽt diuitias in quibus labo
rẽt esse humiles. Da mihi Zachęũ habẽtẽ magnas
diuitias, principẽ publicanorũ, cõfessorẽ peccato
rũ, statura breuẽ, animo breuiorẽ, ascendentem li-
gnũ, ut trãseuntem uideret qui pro illo pẽdebat in
ligno. Da mihi dicentẽ, Dimidiũ rerum mearũ do Luca19
C pauperibus. Sed multũ diues es ò Zachæe, multũ
diues es. Ecce dimidiũ dabis, Dimidium quare re
seruabis? Quia si cui aliq̃d abstuli, quadruplũ red-
do. Sed ait mihi quisq̃ mendicus, debilitate fessus,
pannis obsitus, fame lãguidus, respõdit mihi & di
xit, Mihi debetur regnũ cœlorũ: ego enim similis
sum illi Lazaro, qui iacebat ulcerosus ante diuitis Luca16
domũ, cuius canes lingebãt ulcera, & quęrebat sa
turari de micis quæ cadebãt de mẽsa diuitis, ego il
li similior sum, inquit. Nostrũ genus est, cui debe-
tur regnũ cœlorũ, nõ illi generi qui induũtur pur-
pura & bysso, & epulãtur quotidie splẽdide, Talis
em̃ erat ille, ante cuius domũ iacebat pauper ulce
rosus: & uidete exitus amborũ. Contigit em̃ mori
inopẽ illũ, & auferri ab angelis in sinum Abrahæ.
D Mortuus est diues, & sepultus est, Nã pauper for-
te nec sepultus. Et quid postea? Cũ apud inferos
diues ille in tormẽtis esset, leuauit oculos suos, ui-
dit pauperẽ quẽ contempserat in Abrahę gremio
quiescentẽ. Desiderauit guttã, à quo ille micã. Et
quoniam dilexit opulentiã, nõ inuenit misericor-
diã, Voluit subueniri fratrib. suis, semper uecors,
sero misericors. Nihil omnino qd̃ postulauit, ac-
cepit. Discernamus ergo, inquit mihi, pauperes et
diuites. Quid me ad alia intelligenda exhortaris?
Aperti sunt pauperes, aperti sunt diuites. Audi er
go me de hoc qd̃ proposuisti domine pauper. Cũ
illũ sanctũ ulcerosum te esse dicis, timeo ne super-
biendo nõ sis quod dicis. Noli contẽnere diuites
misericordes, diuites humiles: & ut citius dicã qd̃
pauloante dixi, diuites pauperes noli cõtẽnere ò
pauper

pauper. Esto & tu pauper, pauper, id est, humilis.
Si enim diues factus est humilis, quãto magis pau A
per debet esse humilis? Pauper nõ habet unde in-
fletur, diues habet cũ quo luctet̃. Audi ergo me,
Esto uerus pauper, esto pius, esto humilis. Nã si de
ipsa pãnosa & ulcerosa paupertate gloriaris, quia
talis fuit ille qui ante domũ diuitis inops iacebat,
attẽdis quia pauper fuit, & aliud nõ attẽdis. Quid,
inquis, attẽdo? Lege scripturas, & inuenies quod
dico, Lazarus pauper fuit, in cuius sinum leuatus
est, diues fuit. Cõtigit, inquit, mori inopem illũ, &
auferri ab angelis. Quò? In sinũ Abrahæ, id est, in
secretũ ubi erat Abrahã. Nolite em̃ carnaliter in-
telligere, quod uelut in sinũ tunicæ Abrahæ leua-
tus sit pauper. Sinus erat, quia secretũ erat. Vnde
Psal.78 dicit̃, Redde uicinis nostris in sinũ eorũ: Quid est B
in sinũ eorũ? in secreta eorũ. Quid est? Redde in
sinũ eorũ? Torque cõscientiã eorũ. Lege: aut si le-
Gen.13 gere nõ potes, audi cũ legit̃, & uide Abrahã opu-
lẽtissimũ fuisse in terra, auro, argẽto, familia, pecо-
re, possessione, & tamẽ diues iste pauper fuit, quia
Gen.15 humilis fuit. Humilis aũt fuit, credidit Abraham
deo, & deputatũ est illi ad iustitiam. Iustificatus est
gratia dei nõ ꝓpria præsumptione. Fidelis erat, be
ne operabat̃. Filiũ iussus est immolare, neq̃ cũctа-
tus est ei offerre quod acceperat à quo acceperat.
Probatus est deo, constitutus est exẽplũ fidei. Iam
deo notus erat, sed nobis mõstrandus erat. Nõ est
inflatus quasi in operibus bonis suis, quia pauper
erat diues iste. Et ut scias quia nõ est inflatus tanq̃
in bonis operib. suis. Sciebat em̃ quia quicquid ha C
bebat, à deo habebat: & nõ in semetipso, sed in do
Rom.4 mino gloriabat̃. Audi Paulũ apostolũ: Si em̃ Abra
ham ex operib. iustificatus est, habet gloriã, sed nõ
ad deũ. Videtis, quia cũ abundent pauperes, recte
quærimus pauperẽ, in turba quęrimus & uix inue
nimus. Occurrit mihi pauper & quæro pauperẽ.
Interim tu manũ porrige pauperi quẽ inuenis. Ex
corde quæris quẽ quæris. Tu dicis, pauper sum si-
cut Lazarus: diues iste meus humilis nõ dicit, di-
ues sum sicut Abrahã. Ergo tu te extollis, ille se hu
miliat. Quid inflaris & non imitaris? Ego, inquit,
pauper leuor in sinũ Abrahæ, nõ uides quia diues
susceptor est pauperis? Si em̃ superbis contra eos
qui habẽt pecuniã, negas eos ad regnũ cœlorum
pertinere, cũ in eis fortasse inueniat̃ humilitas quę
in te nõ inuenit̃. Non times ne tibi cũ mortuus fue
ris dicat Abrahã: Recede à me quia blasphemasti
me? Admoneamus ergo diuites nostros, q̃d Apo
1.Tim.6 stolus admonuit, Nõ superbe sapere, neq̃ sperare
in incerto diuitiarũ. Admoniti sumus. Diuitiæ illæ
quas putatis plenas esse deliciarũ, pleniores sunt
periculorũ. Pauper erat, et securior dormiebat. Sõ
nus facilius accedebat ad duram terrã, q̃ ad lectũ
inargentatũ. Attẽdite curas diuitũ, & cõparate se-
curitati pauperũ. Sed audiat diues iste ut nõ super
be sapiat, neq̃ speret in incerto diuitiarũ. Vtatur
mundo tanq̃ nõ utẽs. Sciat se uiã ambulare, & in
has diuitias tanq̃ in stabulo intrasse. Reficiat, uia-
tor est, reficiat se & transeat, nõ secũ tollit quod in
stabulo inuenit. Alius uiator erit, & ipse habebit,

sed non auferet. Omnes hic relicturi sunt, q̃d hic
acquisierunt. Nudus, inquit, exij de utero matris Iob.1
meæ, nudus reuertar in terrã. Audi aliũ pauperẽ,
Nihil intulimus in hũc mundũ, sed nec auferre ali-
quid possumus. Victũ & tegumẽtum habẽtes, his 1Tim.6
contenti simus. Nam qui uolunt diuites fieri, inci-
dunt in tẽtationem & desideria multa stulta & no
xia, quę mergunt homines in interitũ & perditio-
nẽ. Radix est enim omniũ malorũ auaricia, quam
quidã appetentes à fide pererrauerunt, & inserue-
runt se doloribus multis. Qui sunt isti qui à fide per-
errauerũt, et inseruerunt se doloribus multis? Qui
uolũt diuites fieri. Modo respõdeat mihi ille pan-
nosus. Videamus si nõ uult diues fieri, uideamus,
interrogemus eũ si nõ uult diues fieri. Respõdeat,
nõ mẽtiatur. Audio linguã, sed interrogo cõscien
tiã. Dicat si non uult fieri: si aũt uult, iam incidit in
tentationẽ & desideria multa, stulta & noxia. Nõ
enim opes, sed desideria. Vnde? Quia uult diues
fieri. Quid inde? Desideria multa & stulta & no-
xia, quæ mergũt homines in interitũ & perditio-
nẽ. Vides ubi sis? Quid mihi ostẽtas nullas facul-
tates, cũ ego cõuincã tãtas cupiditates? Ecce iã cõ
para duos. Iste diues est, ille pauper. Sed iste diues
est, iam est, non uult fieri: iste diues est, aut de parẽ
tibus: aut de donis & hæreditatibus. Ponamus, fa-
ciamus: diues est etiã de iniquitatibus, iam nõ uult
addere, imposuit modũ, fixit limitẽ cupiditati, iam
corde militat pietati. Diues, inquis. Respondeo di
ues est, Iterũ tu accusator respõdes & dicis, De ini
quitate diues est. Quid si facit amicos de mãmona
iniquitatis? Dominus nouerat quod dicebat: utiq̃
non errabat, quãdo pręcipiebat: Facite uobis ami Luc.16
cos de mãmona iniquitatis, ut & ipsi recipiãt uos
in tabernacula ęterna. Quid si hoc facit iste diues?
Iam finit cupiditatẽ, exercet pietatem. Tu nihil ha
bes, sed diues uis fieri, incides in tentationem. Sed
forte inde factus es pauperrimus & egentissimus,
quia nescio quid habebas paternũ, quod te sustẽta
ret, & calũnia aliqua cõpetitoris abstulit. Gemis,
audio, tẽpora accusas. Quod gemis, si possis facis.
An nõ uidemus, an nõ quotidianis exẽplis, plena
sunt omnia? Heri gemebat, quia perdebat sua: ho
die pergens ad maiorẽ, rapit aliena. Inuenimus ue
rum pauperẽ, inuenimus piũ humilẽ, non de se fi-
D dentẽ, pauperem uirum, membrum pauperis, qui
propter nos pauper factus est cum diues esset. Vi- 2Cor.8
de diuitẽ nostrum, qui propter nos pauper factus
est cũ diues esset. Vide illum diuitem. Omnia per Ioan.1
ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil. Plus est
aurũ facere q̃ habere. Diues es auro, argento, pe-
core, familia, fundis, fructibus, tibi ista creare non
potuisti. Vide illũ diuitem, omnia per ipsum facta
sunt. Vide illum pauperẽ, uerbũ caro factũ est, &
habitauit in nobis. Quis digne cogitat diuitias e-
ius? Quomodo faciat qui non fit, quomodo creet
non creatus, formet non formatus, mutabilia ma-
nẽs, tẽporalia sempiternus? Quis digne cogitat di
uitias eius? Paupertatẽ cogitemus, ne forte paupe
res uel ipsam capiamus. Concipitur utero uirgina
li, includit̃ uisceribus matris. O paupertas. In an-

gusto diuersorio nascitur, inuolutus infantilib. tegumētis in præsepio ponit, fit cibaria iumētis pau A peribus, deinde cœli & terrę dominus. Creator angelorum, omniū uisibiliū & inuisibiliū effector & cōditor, fugit, uagit, nutritur, crescit, tolerat ætatē, occultat maiestatē: postea tenet, cōtēnitur, flagellatur, illudit, cōspuitur, colaphizatur, spinis coronatur, ligno suspēditur, lancea perforatur. O paupertas. Ecce caput pauperum quos requiro, cuius pauperis mēbrum inuenimus uirū pauperem. Breuiter quæramus pupillū, quia in paupere requirendo fatigati sumus. Domine Iesu, pupillū quero. Fa
Matt.23 tigatus quæro, cito respōde ut inueniā. Ne uobis dicatis, inquit, patrē in terra: inuentus est pupillus iste. Oret pupillus iste, audiamus eū, & imitemur
Psal.26 eū. Quæ eius est oratio? Quoniā pater meus & ma B ter mea dereliquerunt me, dominus aūt assumpsit me. Si ergo beati pauperes spiritu, quoniā ipsorū est regnū cœlorū, tibi derelictus est pauper. Si pater meus & mater mea dereliquerūt me, dominus autem assumpsit me: pupillo tu eris adiutor.

Item in eodem die Homilia, De eo quod scri-
Ioan.10 ptum est in Euangelio secundum Ioannem, Facta sunt encænia in Hierosolymis &c. quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem.

Feria quinta post dominicā passionis, de aduersitate temporali, Sermo I

SER. CXI VOTIENS, fratres charissimi, aliquæ aduersitates ueniūt, quotiēs aut hostilitas aut siccitas aut mortalitas iusto dei iudicio nobis fuerit irrogata, nō eius iniustitiæ sed nostris hoc peccatis imputare debemus. Quia si-
Rom.3 cut dicit Apostolus: Non iniquus est deus qui infert irā. Multorū ēm malis moribus atq; clamorib. exagitatus est mūdus. Et ut hoc omnes intelligere possint, apertius charitati uestræ insinuo: sic sunt boni & mali, quō si duo uasa sint plena, & unū habeat putredinē, & aliud aromata preciosa cū uno uētilabro uentilata. Illud uas ubi fuerint aromata, odorē desiderabilē: aliud aūt fœtorē intolerabilē reddit. Ita simul boni atq; mali indiscrete quidem turbati, sed alto dei iudicio separati. Quotiens aliqua tribulatio in mundū uenerit, qui boni sunt uelut sancta uasa gratias agūt deo, qui eos castigare dignat: illi uero qui sunt superbi, luxuriosi, cupidi, blasphemant & murmurant contra deū dicentes, O deus, quid tanti mali fecimus ut talia patiamur? Vnde sępe fit, ut infelices isti amore huius uitę obligati, nec istā tenere possint, & illam sempiternā, de qua fugiet dolor & gemitus, amittāt: & q̄d peius est, nec ista mala præsentia possunt euadere, & ad illa quæ æterna mala sunt, eorū crimina eos faciūt peruenire. Nō insultās, sed gemens & dolens hæc dico. Ecce sicut in eo qui superbo & rebelli spiritu emēdare se noluerit, implet illud quod scri
Apoc.22 ptū est: Qui in sordibus est sordescat adhuc. Iustus aūt iustiora faciet, & sanctus sanctiora: Non enim
Rom.8 spes bonorū in isto est mūdo posita. Spes ēm quæ uidet, ait Apostolus, nō est spes, quoniam & ipsa spes mundana quæ uidet in amaritudine uera est. Amarā ēm potionē mūdus suis dilectoribus ꝓpinat. O infelicitas generis humani. Amarus est mūdus & diligit, putas si dulcis esset qualiter amaretur? Vos alloquit ueritas dilectores mūdi, ubi est q̄d amastis, ubi est q̄d ꝓ magno tenebatis, ubi est quod dimittere nolebatis, ubi sunt tot regiones, ubi tātæ splendidissimæ ciuitates? Lugēdo potius ista sunt q̄ insultando. Magno affectu ista deputarentur, si tantūmodo audirent. At cum oculos nostros dira calamitas & obsidionis percusserit, & nūc tēpore mortalitatis affligat, mortuorū hominum sepeliēdis corporib. uix illi qui remanere uidebant occurrerent. Cōsiderantes etiam illa mala quæ iusto dei iudicio illata sunt, quādo totæ prouinciæ in captiuitatē ductæ sunt, sustinuimus mātres familiās abductas, prægnātes abscissas, & nutrices auulsis è manib. paruulis, atq; in uias proiectis, nec uiuos ipsos filios retinere, nec mortuos permiserūt sepelire. Cruciatus magnus & dolor, timor & horror tortores cordis pariter insistebant, maxime cū à talibus fœminis hoc impia barbarica exigebat potētia, ut quæ se sciebat multorū mācipiorū fuisse dominā, barbarorū se subito sine ullo precio lugeret ancillā. Sic impletū est in nobis illud q̄d dictū est per prophetā Dauid: Vendidisti Psal.43
populū tuum sine precio, & nō fuit multitudo in cōmutationibus eorū. Dura à delicatis & à nobilibus mulierib. seruitia sine ulla miseratione humanitatis à barbaris exacta sunt. Strepitus clamoris huius in aurib. nostris urget, dū talia audimus atq; uidemus. Nunquid ferreæ sunt carnes hominum, etiā si seruus ferreus in aliquibus inueniat? Quis C ista audiens uidensq; nō doleat? Vnde cū prophe
Hier.9 ta dicere possumus, Quis dabit capiti meo aquā, aut oculis meis fontē lachrymarū, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Non solum mortē corporū, uerū etiā animarū. Christianis loquimur, multos cognouimus in ista uisitatiōe sine sacramēto baptismi ex ipsa uita fuisse ereptos, atq; inter uasa iræ relictos. Quis luctus idoneior, quis planctus celsior inueniri potest, quando sic exarsit ira omnipotētis, ut repelleret etiā tabernaculū
Rom.8 suū in quo habitauit in hominibus? Et ille etiā qui unico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illū, nec precium tāti sanguinis attenderit, nulli ecclesiæ, nulli clero, nulli sacratæ uirgini, nulli parcere ciuitati. Nos uero fratres charissimi, quibus dñs nō pro nostris meritis parcere, sed D adhuc ad pœnitentiam reseruare dignatur, nō sine grandi timore debemus cōsiderare, q̄ hęc omnibus nobis præbentur exempla, Et ideo illorum mors proficiat ad nostrā salutē, eorū tribulatio sit nostra correptio, de aliorū plagis faciamus medicamenta uulneribus nostris: & semper timeamus q̄d dominus in Euāgelio dixit, Putatis q̄ hi Gali-
Luc.13 læi præ omnibus peccatores fuerint, quoniā talia passi sunt? nō, dico uobis: sed nisi pœnitentiā egeritis, oēs similiter peribitis. Et ideo qui solebat esse luxuriosus sit castus, qui superbus sit humilis, qui erat inuidus sit benignus, qui per fraudes uel calūnias solebat res alienas rapere, incipiat de suis largiores eleemosynas dare. Nimis delicatū est quod

à nobis requirit dominus noster fratres charissimi non dixit nobis ieiunate plus q̄ potestis, & plusq̄ A uires uestræ sufferunt uigilate. Non nobis dicit, à uino uel à carnibus abstinete. Non à nobis requiruntur, sed hoc dignatur iniungere quod omnes homines possunt cum ipsius gratia sine grandi labore cōplere. Sed quod pessimum est multi sunt qui durissimū & amarissimū auariciæ iugum cum multis laboribus uolunt ferre, & dulce iugū Christi & onus eius leue dissimulant humeris suis imponere: malunt cū multis peccatis sub sarcina gra ui succumbere, quàm iugum Christi, quod eos potest in cœlum eleuare, suscipere. Vos uero fratres, nobiscum sapienter & fideliter cogitantes, dirum patis à ceruicibus uestris durum & asperum auaritiæ iugum, & iugum Christi suauissimum uestris B humeris imponite, secūdum Apostolum conuer-
Philip.3 sationem uestram leuantes in cœlū, ut cum Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos cū ipso appareatis in gloria, quod ipse præstabit in, &c.

Item eodem die, Homilia de eo quod scriptū
Luc.7 est in Euangelio secundū Lucam, Rogabat Iesum quidam Pharisæus, &c. quæ habet in libro Quinquaginta Homiliarum, XXIII.

Feria sexta post dominicam passionis, De studio sapientiæ & meditatione legis dei.

Sermo I.

Ser. CXII PORTET fratres charissimi, ut mundo corde & casto corpore sapientiā diuinā discere diligatis, & intelligere appetatis, quia ipsa cognitio dei fideliter se quærētibus & C instāter meditantibus tribuit. Cognitione autem dei nihil melius est, quia nihil beatius est, & ipsa uera beatitudo est. Vnde & saluator ad patrē ait:
Ioan.17 Hæc est aūt uita æterna, ut cognoscant te unū uerum deū, & quē misisti Iesum Christum. Huius ergo sapiētiæ notitia qualiter adipiscat, audite. Primo omnium quærendum est homini quæ sit uera scientia, uera q̄ sapientia: Quia sapientia huius se-
1 Cor.3 culi, stultitia est apud deum. Scientia uera est, à diaboli seruitio, quod sunt peccata, recedere: & sapiētia perfecta est, deum colere secūdum mandatorū illius ueritatē: quia in his duobus uita beata acqui
Psal.33 ritur, sicut Psalmista ait: Diuerte à malo, & fac bonum. Nec etiam sufficit cuiquam mala nō facere, nisi etiam bona faciat: nec bona facere, nisi etiā ma D la omittat. Omnis ergo qui sic sapiens est, proculdubio beatus erit in æternum. Beata siquidem uita est, cognitio diuinitatis: cognitio diuinitatis, uirtus boni operis est: uirtus boni operis, fructus est æternæ beatitudinis. Adhuc ergo bonū habemus solatium, diuinarum lectionem scripturarū: quia sacrarū lectio scripturarū, diuinæ est præcognitio non parua beatitudinis. In his enim quasi in quodā speculo homo seipsum considerare potest, qualis sit, uel quò tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorē incutit gehēnæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui uult cū deo semper esse, frequēter debet orare & legere. Nam cū oramus, ipsi cū deo loquimur: cum uero legimus, deus nobiscum loquitur. Geminū confert donum lectio sanctarum scripturarū, siue quia intellectū mētis erudit, seu quia à mūdi uanitatibus abstractū hominē A ad amorem dei perducit. Labor honestus est lectionis, & multis ad emundationē animi proficit. Sicut enim ex carnalibus escis alit caro, ita ex diuinis eloquijs interior homo nutrit & pascit, sicut
Psal.118 psalmista ait: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua domine, super mel & fauum ori meo. Sed ille beatissimus est, qui diuinas scripturas uertit in opera. Omnes planè scripturæ sanctæ ad nostrā salutē scriptæ sunt, ut proficiamus in eis in ueritatis agnitionē. Sępius cęcus offendit quàm uidens: sic ignorans legē dei sæpius ignoranter peccat q̄ ille qui scit. Sicut cęcus sine ductore, sic homo sine doctore rectam uiā uix graditur. Et ideo fratres charissimi, quicūq; ex uobis lectiones sacras legere & B intelligere possunt, in his studiū impendāt, ut earū frequenter meditatione utant: qui uero sensum locutionis sacræ ex lectione non possunt percipere, attētius audiant interpretantē, ut recipiant saltem inde ædificationē. Cū uero magisterio cœlesti instructi quid faciendum, quidúe uitandum sit dilectissimi accipiatis, non sit mora in faciendo, quod intus sapiatis intelligendo: quia ut beatus Paulus apostolus ait, Non auditores legis iusti sunt apud Rom.2
deum, sed factores legis. Et ipsa ueritas ait, Seruus Luc.12
qui scit uoluntatē domini sui & non facit, uapulabit multis. Item alibi scriptū est, Scienti bonum & Iac.4
nō facienti, peccatū est illi. Itaq; omni diligētia studete ut cognoscatis uoluntatē dei: postq̄ autē cognoueritis uoluntatē eius, summo nisu cōtendite, ut hāc faciatis implentes mandata illius, & instanter deposcite, ut in hoc perseuerantes perueniatis ad promissa illius. Ad quod nos adiuuare dignet ipse qui per suam bonitatem nos uocauerat, & per suam gratiam liberauerat, quicq; bene certantibus cœlestia regna ꝓmiserat Iesus Christus dominus noster, qui uiuit & regnat cum deo patre & spiritu sancto, per omnia secula seculorum. Amen.

Item eodem die Homilia, de eo quod scriptum
Ioan.11 est in Euāgelio secundum Ioannem, Collegerunt pōtifices & pharisæi conciliū aduersus Iesum &c. quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem.

Sabbato post dominicam passionis, De uita mortali & immortali. Sermo I

Ser. CIII IXIT dominus cuidā adolescētī: Si uis A D uenire ad uitā, serua mādata. Non dixit, Si uis uenire ad uitam æternā: sed, si uis Matt.19
uenire ad uitā: eam definiēs uitam quæ fuerit æterna uita. Huius ergo uitæ amorem nos primitus cōmendemus. Etenim amatur & qualiscūq; uita ista, & ipsam qualemcūq; grumnosam, miseram finire homines timent & pauescūt. Hinc uidendum est, hinc considerandū est, quemadmodū amanda sit æterna uita, quādo sic amatur misera ista, & quandoq; finiēda uita: cōsiderate fratres, quantū amanda sit uita, ubi nunq̄ finies uitā. Amas ergo istam uitam, ubi tantū laboras, curris, satagis, anhelas, & uix enumerantur quæ necessaria sunt in misera uita, seminare, arare, nouellare, nauigare, molere, coquere, texere, & post hęc omnia finire habes uitā.

Ecce quæ pateris in misera ista quã diligis uita, & putas te semper uicturũ & nunq̃ moriturũ. Templa saxea, marmorea, ferro plũboq̃ consolidata, tamen cadũt, & homo se nunq̃ putat moriturũ? Discite ergo fratres quærere æternã uitã, ubi ista non
Psal.33 tolerabitis, sed in ęternũ cũ deo regnabitis. Qui enim uult uitam, sicut dicit propheta, diligat uidere dies bonos. Nã in dieb. malis mors potius optatur q̃ uita. Nónne audiuimus & uidimus homines in aliquib. tribulationibus & angustijs, conflictationibus & ægritudinib. dũ sunt cõstituti & uident se laborare, nihil aliud dicere, Deus mitte mihi mortẽ, accelera dies meos? Et quãdo uenit ęgritudo, curritur, adducuntur medici, solidi & munera promittũtur. Dicit tibi ipsa mors, Ecce assum quã pauloante à dño petebas, quid mihi modo fugere uis? Inueni te falsatorẽ, & miseræ uitæ amatorem.
Ephes.5 De his aũt dieb. quos agimus, Apostolus ait, Redimẽtes tempus quoniã dies mali sunt. Non ergo sunt mali dies quos agimus in corruptela huius carnis in tãta uel sub tãta sarcina corruptibilis corporis, inter tãtas tẽtationes, inter tãtas difficultates, ubi falsa uolũtas, nulla securitas gaudij, timor torquẽs, cupiditas auida, tristitia arida? Ecce q̃ mala dies, & nemo uult finiri ipsos dies malos, multumq̃ hinc rogãt homines deũ ut diu uiuãt. Quid est aũt diu uiuere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu uiuere, q̃ malos dies malis diebus addere? Et cũ crescũt pueri quasi accedũt illis dies, & nesciũt quia minuunt̃, & ipsa est falsa cõputatio. Crescẽtibus em̃ decedũt dies potius q̃ accedũt. Constituit alicui homini nato, uerbi gratia, octoginta annos, quicquid uiuit, de summa minuit, & inepti homines gratulantur plurimis natalicijs, tam suis q̃ filiorum suorũ. O uirũ prudentẽ, si tibi uinũ minuatur in cuppa tristaris, dies perdis & gaudes? Mali ergo sunt dies, & eo peiores, quia diliguntur. Sic blanditur hic mundus ut nemo uelit finire ęrũnosam uitã. Vera enim uita uel beata hæc, cũ resurgimus & cũ Christo regnabimus. Nam & impij resurrecturi sunt, sed in ignẽ ituri. Vita itaq̃ non est nisi beata. Et beata uita esse non potest nisi æterna ubi sunt dies boni, nec multi, sed unus. Ex consuetudine huius uitæ appellati sunt dies. Dies ille nescit ortũ, nescit occasum: illi diei nõ succedit crastinus, quia eũ non pręcedit hesternus. Hunc diẽ uel hos dies & hanc uitã & uerã uitã in pmissis habemus. Alicuius ergo operis merces est. Si em̃ mercedem amamus, in opere non deficiamus, & in æternum cum Christo regnabimus.

Item eodem die, Homilia de eo quod scriptũ
Ioan.17 est in Euãgelio secundum Ioannem, Subleuatis Iesus oculis in cœlũ dixit, Pater uenit hora, &c. quæ habetur in expositione doctoris ibidem.

Dominica in Ramis palmarum, De passione domini.

SERMO CXXIIII Sermo I.

A DMONET nos fratres charissimi, ad solennitatem dominicæ passionis ipse, in quo eã nec muta elemẽta tacuerũt. Celebret eã lux fidei linguis hominũ, quam conclamauerunt etiã silentia tenebrarũ. Hodie dominus noster in statera crucis precũ nostræ salutis appẽdit, & una morte uniuersum mũdum sicut omniũ conditor, ita omniũ reparator absoluit. Indubitanter enim credamus q̃ totũ mundum redemit, qui plus dedit q̃ totus mũdus ualeret. Meritum enim redẽptæ mercedis dignitas insignis precij supergressa est. Inter redemptũ & redimentem dispensatio fuit, cõpensatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata ꝓpria, digne deleuit aliena. Solus hic pia uictima ꝓ omnibus cecidit, ut omnes leuaret. Et quia debitũ solus non habuit, recte fœnus misericordiæ pro debitoribus erogauit. Perpẽde inter hęc qui talẽ pro nobis dedit pecuniã, qualem à nobis sit exacturus usuram. In hac itaq̃ die fides prophęticæ annunciationis impleta est, ita dicentis:
B Corpus meũ dedi percutientibus, & genas meas Isa.50
uellentibus, faciẽ meã nõ auerti à fœditate sputorum. Suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua. Hinc intelligamus quãtũ hominẽ diligere dignatus sit ante culpã, quẽ sic diligit post ruinã. Agnosce homo quantũ ualeas, & quãtũ debeas, & dum tantã redemptionis tuæ perspicis dignitatẽ, ipse tibi indicito peccãdi pudorẽ. Ecce ꝓ impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mẽdace ueritas necatur, dãnatur iustitia pro iniquo, misericordia afficitur pro crudeli, pro misero repletur synceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur uita pro mortuo. Expauit scelus hominũ natura rerũ, & quẽ creatura rebellis non agnoscit, eũ mundi dominũ tremẽs terra testatur, & cœli regẽ sol fugiens cõfitetur. Chlamyde coccinea induitur, quia sanguine martyrũ suorum ecclesiæ corpus ornatur. Corona spinea capiti eius imponitur, quia pũctio peccatorũ nostrorum, quorũ remissione redẽptoris gloria struitur, aridis tribulis cõparatur. Studeamus nũc è diuerso, ut membrorũ uita capitis sit corona. Quòd uero sitire se in cruce positus dicit, fidẽ incredulę gẽtis cõcupiscit. Sed ecõtra acetũ malitiæ porrigũt, quia uinũ sapiẽtiæ quòd à deo acceperant peccando corruperãt. Velũ tẽpli scinditur, quia synagoga honore nudatur. Obseruatio antiqua dissoluitur, ecclesiæ unitas præmonstratur. Monumenta aperiuntur, quia mortis iura iure superantur. Laxata sede tartarea à domino rerũ profundæ noctis clau
D stra reserãtur, & quem homines nõ recipiũt, inferi deũ esse cognoscũt. Quòd aũt triginta argenteos Iudas uẽditor prophanus refudit, indicabat nihil sibi Christi precũ profuturũ, sed salutis beneficiũ scelere suo alijs cõferendum. Videamus quid hoc refuso precio emptũ esse eloquia diuina testantur. Emerunt, inquit, ex eo agrũ figuli in sepulturã peregrinorũ. Figulus Christus est, ager Christi ecclesia, acquisitio peregrinorũ populus gẽtiũ. Superest charissimi, ut agri huius, quotidiani atq̃ perpetui studeamus esse cultores, seminemus in eo frugẽ bonæ conscientiæ, ut cũ tẽpus messis, id est, cõsummationis, & dies reddẽdæ rationis aduenerit, cũ securitate & exultatiõe bonorũ operũ manipulos reportemus, & post cõtritionẽ ieiuniorũ præsentis quadragesimæ laudabilium actuum cãdore uestiti

uestiti, & indumento castitatis ornati, ad festa futura procedamus, & pascha illud æternum piorum
A inserti cõcilijs celebremus, præstãte domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritusancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

In eadem dominica, De traditione Symboli.

Sermo II.

SERMO CXV S YMBOLVM quod uobis tradituri sumus, fratres charissimi, cõprehensio est fidei nostræ atq̃ perfectio, simplex, breue, plenũ, ut simplicitas cõsulat audientiũ rusticitati, breuitas memorię, plenitudo doctrinę. Quod em̃ Græce symbolũ dicitur, Latine collatio nominatur. Collatio ideo, quia collata in unũ totius catholicæ legis fides, symboli colligitur breuitate, cuius textũ uobis modo deo annuente dicemus. Petrus dixit, Credo in deũ patrẽ omnipotentẽ. Ioannes dixit, Creatorem cœli & terræ. Iacobus dixit, Credo & in Iesum Christũ filiũ eius unicũ dominum nostrũ. Andreas dixit, Qui conceptus est de spiritusancto, natus ex Maria uirgine. Philippus ait, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Thomas ait, Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexterã dei patris omnipotentis. Matthæus dixit, Inde uẽturus iudicare uiuos & mortuos. Iacobus Alphæi, Credo & in spiritũsanctũ, sanctã ecclesiã catholicã. Simon Zelotes, Sanctorũ cõmunionem, remissionem peccatorũ. Iudas Iacobi, Carnis resurrectionem. Matthias cõpleuit, Vitã æternam, Amen. Audite ergo
C fratres charissimi redẽptoris nostri uocẽ per pro-
Psal.33 phetã dicentẽ: Venite filij, audite me, timorẽ domini docebo uos. Filios uocat, quos in gremio ecclesiæ collocat. Nec em̃ potest mater uocari, nisi filios procreauerit. Ergo charissimi, ad perenne premiũ uos inuitari cognoscite, qui fideliter cum dei adiutorio lauacrũ aquæ uitalis accepistis, uel qui expetitis ut cũ ad sacrũ fontẽ uel uerã pœnitẽtiam peruenerítis, per spiritũsanctũ salutaris & cœlestis uos unda perfundat. Ideo charissimi, huius mysterij sacramentũ sicut fide cõcepimus & corde credimus, perfectis uocibus declaremus. Credo in deũ patrẽ omnipotentẽ, & reliqua sicut supra. Ergo dilectissimi, hęc uerba nõ humana, sed domini sunt cœlestia sacramẽta, quæ in uestris cordib. ipsius misericordia præstãte resideãt, ut gratiam dñi
D incorruptã & immaculatã usq̃ ad finẽ percipiatis. Repetimus adhuc charissimi symbolũ, ut cũ mysterio cõueniat trinitatis. Credo in deũ. Credendum nobis est, fratres charissimi, in deũ patrẽ, ita & in Iesum Christũ filiũ eius. Pater sine filio credi non potest, quia licet distincta sit in eis personarũ proprietas, tamẽ una est & indiscreta maiestas. Sicut totũ ergo potuit semper pater, ita totũ potest semper filius. Qui cõceptus est de spiritusancto natus ex Maria uirgine. Sacramẽtum hic suscepti corporis demonstratur, ut quẽ ante secula pater genuit, in fine iam seculi Maria uirgo spiritusancto inspirãte cõcepit. Et ideo de ipsa dñi matre ange-
Luc.1 lus Gabriel dicit: Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obũbrabit tibi. Ad excipiẽdũ em̃ dominicæ maiestatis aduẽtũ, necesse fuit ut humanæ infirmitati diuinũ adesset auxiliũ. Sancta enim Maria ut uirgo peperit, ita uirgo concepit. Qualiter hæc aut quõ salua uirginali integritate perfecta sint, credere magis q̃ enarrare possumus. Fidei in his plurimũ licet, sermoni parũ. Passus ergo sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descẽdit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Ascẽdit ad cœlos, sedet ad dexterã dei patris. Sedere ad dexterã patris dicitur, non ut dicatur maior, sed ut ostendat æqualis. Hæc omnia testimonia sunt dominicæ passionis, ut dominũ Iesum Christũ sicut uere passum & uere mortuũ, sic uere resurrexisse & triũphasse credamus. In quo nobis
B Christus dominus reliquit exẽplum, ut sicut eum nõ dubitamus natũ & mortuũ, et resurrexisse & uiuere: ita nos quoq̃ sicut natos & mortuos esse nouimus, sic post mortẽ resurrecturos & in æternum esse uicturos noscamus. Sequitur: Inde uẽturus iudicare uiuos & mortuos: Credo & in spiritũsanctum: utiq̃ ut æqualis credulitas dei patris & filij & spiritussancti æqualẽ ostẽderet potestatẽ. Credo sanctã ecclesiã catholicã. Bene symbolũ ecclesiã catholicã nominauit & sanctã, quia multæ ecclesiæ hæreticorũ sunt, sed quæ non est catholica, nec sancta dici potest. Sequitur: Sanctorũ cõmunionẽ. Credẽtes ergo sanctã ecclesiã catholicã sanctorũ habẽtes cõmunionẽ, quia ubi est fides sancta, ibi est & sancta cõmunio: credere uos quoq̃
C in corpore resurrectionẽ & remissionẽ peccatorũ oportet. Omne sacramentũ baptismi in hoc constat, ut resurrectionẽ corporũ & remissionẽ peccatorũ nobis à deo præstãda credamus. Superest ut cuius audistis passionẽ, audistis ascensionẽ, audistis iudicium, quotidie expectetis aduentum.

In eadem dominica, Ad competentes.

Sermo III.

SERMO CXVI O DIE fratres charissimi specialiter ad
H cõpetentes humilitatis nostræ sermo dirigitur. Et quãuis omnib. etiã fidelibus baptizatis admonitio nostra conueniat, & unusquisq̃ qui de animæ suæ salute solicitudinẽ gerit, unde proficere possit, credimus q̃ in ista humili suggestione nostra reperiat, peculiariter tamẽ eos q̃ nũc baptismi sacramẽta desiderãt, uolumus ad-
D monere. Primũ ergo cõpetẽtes isti, quare hoc nomine uocentur, agnoscãt. Cõpetentes dicuntur simul petẽtes, quomõ cõsedentes nihil est aliud, nisi simul sedentes, & colloquẽtes nihil aliud est, nisi simul loquẽtes, cõcurrẽtes sine dubio nõ intelligũtur, nisi simul currẽtes: ita & cõpetentes non possunt aliud intelligi nisi simul petẽtes. Ecce iã quare hoc nomẽ cõpetentes habeant, didicerũt: nunc uero isti qui simul petũt, debent scire quid petunt, Quid ergo petunt qui baptismi sacramẽta desiderant? Quid utiq̃ nisi ut qui erãt uasa diaboli, mereantur effici uasa Christi? Totũ in nobis spiritaliter implet̃ ministerijs angelorũ. Ideo rogo uos & cõmoneo omnes cõpetentes, & cõtestor simul & annuncio, ut cũ dei adiutorio in istis diebus usq̃ ad pa-

ad pascha, diligenter perscrutemini cõscientias uestras, ne forte sit uel unus homo contra quem odiũ in corde teneatis. Si enim ille qui baptizandus est, iracundiam uel odium in corde reseruat, nescio si
Matth. 6 in eo gratia diuina proficiat. Dicturus est enim, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et si hoc in eo futurũ est quod ipse orat, quid superest, nisi quõ ipse dimiserit, sic ei iustitia diuina dimittat, secũdum illud quod do-
Lucæ 6 minus ipse dixit, Date, & dabitur uobis. Dimittite, & dimittet uobis? Ac sic qui non dimiserit, ipse cõtra se ianuã diuinæ misericordiæ claudit, dicendo, Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus. Primo ergo hoc specialiter cõpetẽtes attendant, ne ullum hominem odio habeant. Secundo interrogent conscientias suas, & si alicui ut euenire solet, fecerunt iniuriã, cito ueniam petant. Tertio si aut per furtũ aut per falsum testimonium aut per aliquã caliditatem aut per stateras dolosas uel mẽsuras duplices cuicũq; aliquid abstulerũt, si secundum exemplũ Zachęi non possunt in quadruplũ, uel simplo restituant. Nam nescio qua fronte gratiã diuinæ misericordiæ se credit posse accipere, qui res alienas quas male abstulit, dissimulat reformare. Sed forte hoc etiã oportet cõpetentibus obseruare, ut si agnoscunt se persuadente diabolo furtũ, homicidiũ, aut adulteriũ cõmisisse, aut si aliqua mulier cõpetens potiones diabolicas aliquando ad aborsum accepit, & filios suos adhuc in utero positos, aut etiã natos occidit: quia satis graue peccatũ est: pro omnibus his cũ gemitu & cõpunctiõe dei misericordiã querãt, & ad baptismi sacra
C menta per pœnitentiã mundati perueniãt. Et hoc ante omnia quicunq; se has culpas habere uident, obseruent, ut castitatẽ & ante baptismũ custodiãt, & post baptismũ non paruo tẽpore se à uoluptate custodiãt. Venenũ inuidiæ fugiant, ne imitatores
Sap. 2 diaboli esse uideant, de quo scriptũ est: Inuidia diaboli mors intrauit in orbẽ terrarum: imitantur aũt eũ qui sunt ex parte illius. Superbiã etiam per quã ipse diabolus cecidit, uitare cõtendant: quia Christus quẽ sequi desiderãt, mitis fuit & humilis cor-
Iac. 4 de. Et satis timẽdũ est illud quod scriptũ est: Deus superbis resistit, humilibus aũt dat gratiã. Mendacium etiam de ore suo non proferãt, propter illud
Psal. 5 Sap. 1 quod scriptũ est, Perdes omnes qui loquunt mendacium. Et iterum, Os quod mentitur, occidit animam. Nec solum à periurio, sed etiam à iuramẽto
D
Eccle. 23 abstineant, quia non mentitur qui dixit, Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet de domo illius plaga. Vinum uero & istis diebus parũ accipiãt, & cũ dies paschæ uenerint, cũ grandi se cautela à crapula uel ebrietate custodiant, ne forte quod per sacramentũ baptismi mundatũ uel illuminatũ fuit, si crapula surrepserit, per intemperantiã obscuretur. Et ideo etiam si aliquis eos per inimicam amicitiam ad bibendũ cogere uoluerit, omnino refugiant & nunq; penitus acquiescant, sed quod decet & expedit Christianis, in cibo uel in potu percipiãt. Et quia omnes cõpetentes uterus matris ecclesiæ Christo inspirante cõcepit, nihil iniustum aut inhonestũ exerceant, ne forte ma-
A le agendo uiscera materna cõcutiant, & ante legitimũ partũ uelut aborsum eos mater sancta proijciat: sed magis omnes cõpetentes benigni sint, humiles, mansueti, sobrij, ut ad salutaris baptismi sacramẽtum ordine legitimo cõuenientes, de hędis cõuertantur ad agnos, de sinistra transferantur ad dexteram, cũ illis qui ad dexterã erunt, illam desiderabilem uocẽ feliciter auditurí, Venite benedi-
Matt. 25 cti patris mei, percipite regnũ quod uobis paratũ est ab origine mundi. Si secundũ cõsuetudinẽ suã charitas uestra diligenter attendat, agnoscere potestis admonitionem nostram, licet ad cõpetentes dicta sit, posse tamẽ omnibus baptizatis fidelibus conuenire. Et ideo nos qui iã ante multa tẽpora in Christo renati sumus, istis qui baptizãdi sunt exẽ-
B plũ sanctæ conuersationis in omnib. præbeamus: ut si nos imitari uoluerint, nõ per latam & spatiosam uiã trahãtur ad mortem, sed per arctam & angustam peruenire mereantur ad uitã, Et ideo non solum exemplis, sed etiã uerbis eos ad omne opus bonum admonere debetis, præcipue tamen qui filios aut filias excipere religioso amore desiderãt, & antequã baptizentur, & posteaq; baptizati fuerint, de castitate, de humilitate, de sobrietate uel pace eos admonere uel docere nõ desinãt, & agnoscãt se fideiussores esse ipsorum. Pro ipsis enim respõdent, q; abrenuncient diabolo, põpis & operibus eius. Et ideo tam illi qui excipiũt q; qui excipiuntur, id est, tam patres q; filij pactũ quod cum Christo in baptismi sacramẽto conscribunt, custodire contendant, nec unquam aliquid de diaboli
C põpis uel mundi istius luxuriosis oblectationibus cõcupiscant, ut deo adiuuante, & illi qui filios suscipiũt si caste & iuste uixerint, & illi qui excipiuntur si eos imitari uoluerint, sicut credimus, pariter ad præmia æterna perueniant, præstante domino nostro Iesu Christo, qui cũ patre & spiritusancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Item in eadem Dominica, de eodem alius sermo, qui habetur in libro quinquaginta Homiliarum XLIX

Item in eadem dominica alius sermo de primo uersu psalmi uicesimiprimi, Deus deus meus respice in me: qui sumitur ex expositione doctoris, Ibidem.

De eodem etiam psalmo tractatur in libro De gratia noui testamenti ad Honoratum, capite secundo & sequentibus.

Feria secunda post dominicam Palmarum, De passione domini & Iuda traditore.

Sermo I.

SERMO CXVII

S VSCEPIT dominus tristitiã nostrã, ut nobis largirẽ lętitiam suam. Et uestigijs nostris descẽdit usq; ad mortis ærũnam, ut nos suis uestigijs reuocaret ad uitã. Percutiam, inquit, pastorem, & dispergentur oues gregis. Tristis erat quia nos paruulos relinquebat. Anima tristis erat nõ pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Proditorem osculo libenter suscepit, non quia deus dei filius mortem timebat, sed quia nec ma-

Zach. 13
Matt. 26
Ex Ambr. in Luc. emendata, sed corruptim & corrupte.

nec malos pro se perire uolebat. Iuda osculo filiũ hominis tradis? Fũgebaris disciplina uirtutis, & A discipulus factus es cõsilij iniquitatis. Officio sanguinẽ fundis, pro pignore amoris uulnus infligis, pacis argumẽto mortẽ immittis, seruus dñm tra-
Prou. 27 dis, discipulus magistrũ prodis. Vtiliora sunt uulnera amici q; uoluntaria oscula inimici. Signo dato ab his qui cum fustibus uenerant, detinetur, Injicit manus turba, nectunt uincula, detinetur iustitia, & traditur ab iniustitia. Percussit ergo Petrus aurẽ pueri principis. Quare Petrus? Quia ipse accepit regni cœlorũ claues, & soluẽdi ligãdiq; ipse adeptus est potestatẽ. Abscissa est pueri auricula male audientis, aure interiore Christũ male intelligentis, qui passus nõ est se Prophetã æstimari, sed dei filiũ docuit fideli cõfessione signari. Limus suum agnoscit cooperatorem & caro suam sequitur
B operatricẽ. Iubere potuit, operari maluit, qui è limo terræ corporis mẽbra formauit, qui hostes suos nõ passus est uulnerari. Illi iusto mortem infere bant, persecutorũ uulnera iste sanabat. Petrus sequebat à longe. Neq; em negare potuisset, si Christo dño adhæsisset. Ter me, inquit, negabis. In domo principis sacerdotũ ignis ardebat, ubi Petrus occultus sedebat. Frigus erat ubi Christus non erat. Petrus ab ancilla proditus negat. Mallem Petrum dominum negasse, quàm Iudam dominum uendidisse. Interrogatus Petrus, Et tu, inquit, ex illis es qui cũ Galilæo erant. Non enim erat, quia in principio erat: hominẽ negauit, hominũ consortium refutauit. Nõ enim hominis erat Apostolus,
C qui fuerat Christi discipulus. Ergo fleuit amare, maluit ipse suum accusare peccatum, ut iustificaretur fatendo, quàm grauaretur negando. Lachrymas lego, satisfactionem non lego. Petrus negauit in nocte, sed cõfitetur in die. Habebat lachrymas Petrus, quas pio fũdebat affectu: nõ habebat proditor fletus quibus culpã ablueret, ut dum reus suo iudicio damnatur, spontaneum facinus expietur. Peccaui, inquit, quod tradiderim sanguinẽ iustum. Et udæi: Quid ad nos? tu uideris. Pertinacibus studijs funestam sibi uendicãt sanguinis auctionem, cum refunderet uenditor sacrilegij quantitatem. Precium sanguinis à Iudæorum gazophylacio separatur, & ager figuli Christi pecunia comparatur, locus humandis peregrinorum reliquijs: prophetiæ testimonium adimpletur, & surgentis
D ecclesiæ mysterium reuelatur. Ergo precio sanguinis emitur mundus: Venit enim ut saluetur mundus. Nõ enim cognouit mũdus eum, qui fuerat in mundo mundus. Accusatur, & tacet, bene tacet qui defensione non eget. Ambiant defendi, qui timent uinci. Non ut reus excusat se tacẽdo, sed despicit falsidicos refellẽdo. Manus quidem Pilatus lauit, sed facta probauit. Vxor uerberat in nocte, admonet uirũ in die. Veritas fatigat, & à seruo dominus iudicatur. Coronã de spinis annexam compungentes, caput eius coronant, & illudentes adorant. Vt rex salutatur, ut uictor coronatur, & quasi deus & dominus adoratur. Pulchre crucem ascendit, iudicio uictor assistit. Talis ergo ascendit, qui seculum uincere parat. Posuerunt titulum scriptum, Hic est Iesus rex Iudæorum. Vermis in cru-
Luc. 23 ce, scarabeus in cruce. Bonus uermis qui hæsit ligno, bonus scarabeus qui clamauit è ligno, Quid clamauit? Ne statuas illis hoc peccatum. Illis utiq; petebat ueniã, à quibus accipiebat iniuriã. Hodie, inquit, mecum eris in paradiso. Nec mirũ si cõuerso culpam ignoscebat, qui insultantibus ueniã relaxabat. Potauerunt eũ aceto. Bene ad cõsumman da omnia corruptio synceritatis hauriẽt. Itaq; acetũ bibitur, uinũ cum felle nõ bibitur. Synceritati non debuit amaritudo misceri, quia pro nobis dñm sine peccato decuit crucifigi. Pater, inquit, in manus tuas cõmendo spiritum meum. Bene tradidit, qui non amisit. Spiritus patri cõmendatur, ut peccatorũ uincula resoluant. Sol occidit sacrilegis, ut
B spectaculũ obumbraret funestis. Fiduntẽ petræ, & Iudæorũ corda duranẽ. Elemẽta fugiũt, terra cõcutitur. Iudæus arguit, miles custodit, monumẽta reserantur, & Iudæorũ perfidia denudat. Discipuli uigilant, & fletibus oculos mœstos somnus inuidus captat. Iudęi quid curiosi estis, ubi caro crucifixa remãsit? In flãmis cũ tribus pueris apparuit, qui postea paruulus dignatus est nasci. Stabãt tñ mulieres hæc uidentes, stabat & mater dñi suo filio testimoniũ perhibente: Ioseph & Nicodemus Christum sepeliunt, unus iustus, alter in quo dolus nõ erat. Nam si Apostoli sepelirent, dicerẽt nõ sepultum, quẽ Iudęi nunciauerãt raptũ. Nicodemus nocte uenit propter metũ Iudæorũ. Simplicitas em quæritur, non ambitio desideratur. Quomodo iustus latebras periculi timeret, qui corpus non timuit sepelire? Ideo occulte postulauit ut corpus
C celaret, nõ ut periculũ præcaueret. Mulieres de lõge stabãt, quæ diligẽter locũ seruabãt. Sexus innutat, deuotio calet. Et cũ discipuli fatigarent, solæ tamen ab angelo ne timeant admonẽtur. Noli me, inquit, tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Nondum tibi ascendi, quæ uiuentem cum mortuis quæris. Quare primum mulieri? Per mulierem mors antea est nunciata, per mulierem uita hominibus reparatur. Mulier quid ploras? Mulier Christum uidebat, sed ortulanum putabat. Deus est qui adoratur, homo est qui tenebatur. Non tenuit tangi à fœmina, quia non omnes possunt Christum tangere resurgentem, quem tetigerant in corpore commorantem.

In eadem feria de passione domini & Susanna:

Sermo II

Ser. CXVIII Maximi epi scopi

F ORSITAN mirum uidetur nobis fratres cur dominus apud præsidem Pilatum à principibus sacerdotum accusetur, nec aliquem iam eorum responsione conuincat, cum utique ingratam accusationem non nisi repellere solet subsecuta defensio. Mirum, inquam, sit fratres quod arguatur Saluator & taceat. Taciturnitas enim negat quod objicitur, cum non uult respondere quod quæritur. Accusationem suã dominus tacendo nõ firmat, sed despicit nõ repellendo. Bene enim tacet, qui defensionem nõ desperat. Ambiat defendi, qui metuit superari.

Festinet loqui, qui timet uinci. Christus autē cum
cōdemnatur exuperat, cum iudicatur uincit, sicut
Psal.50 ait Propheta, Vt iustificeris in sermonibus tuis, &
uincas cū iudicaris. Quid ergo opus erat ei loqui
ante iudicium, cui ipsum iudiciū erat plena uicto-
ria? Vicit ergo cum iudicatur Christus, quia sic in-
Matt.27 nocens approbatur. Vnde ait Pilatus, Innocens
ego sum à sanguine huius iusti. Melior est igitur
causa quæ non defenditur & probatur, plenior iu
stitia quæ non uerbis astruitur, sed ueritate fulci-
tur. Taceat lingua necesse est, ubi ipsa ueritas si-
bi adest. Taceat lingua in bono negocio, quæ &
in malis causis obticere cōsueuit. Nolo sic defen-
di iustitiā, sicut solet iniquitas excusari. Quod uin-
cit Christus, non rationis est sed uirtutis. Sciuit em̄
Saluator, qui est sapientia, quō tacendo uinceret,
quomodo nō respōdēdo superaret: atq; ideo cau-
sam suam maluit cōprobare quàm dicere. Ad uin-
cendum fortasse metus eum cogeret ne salutē pro
deret, nisi quod ipsa erat tota causa uictorię. Suam
enim salutē prodidit ut salutem omniū lucraretur.
In se uinci maluit, ut uictor esset in cunctis. Sed qd
de deo Christo loquar? Susanna mulier inimicos
suos tacuit & uicit. Non em̄ apud Danielem in ser
mone tuitio est, sed in sancta fœmina tacēte lingua
pro ea castitas loquit̄. Castitas enim Susannæ affu
it in iudicio, quæ Euæ defuit in paradiso. Ibi enim
pudori eius cōsuluit, hic saluti. Ibi ne macularetur
pudicitia, hic ne innocētia damnarē. Castitas em̄
Susannæ & presbyteros impudicos cōuicit in pa-
radiso, & in iudicio falsos accusatores obtinuit:
bisq; uictrix reos facit testimonij, quos reos facit
adulterij: atq; tandē iudicem meretur castitas Da-
nielem puerum iuniorem, nec dum pubescētis æ-
tatis. Multum igitur de deo pudicitia cōsequitur,
cum iudicem uirginem promeretur. Secura enim
est de uictoria castitas, cui est iudicatura uirgini-
tas. Pudicitiæ aūt causas, nisi uir pudicus audire nō
debuit. Talem em̄ arbitrū meretur castimonia, a-
pud quem non periclitetur uerecundia. Cognito
igitur Daniel Susannæ negocio, cum eam falsis ac
cusationibus uellet plebs imperita dānare, ait idē,
Mūdus ego sum à sanguine huius. Quo dicto, pec
cantis populi reuocauit errorem. Hac ergo uoce
circa Susannam Daniel utitur, qua circa dn̄m usus
est Pilatus. Ait enim Pilatus, Mundus ego sum à
sanguine huius iusti. Eadem igitur sententia absol
uitur pudicitia, qua est & absoluta iustitia. Sed Da
niel melius quàm Pilatus. Ille enim pudicum san-
guinē nec condemnat & liberat, hic autē iusti san-
guinem cōfitetur & tradit. Quid enim profuit te-
stimonium perhibuisse innocentiæ, & uelut reum
addixisse nequitiæ, nisi quod grauius peccatū est
unum eundemq; & pronunciare iustum & trade-
re criminosis? Ipse enim iniquitatis suæ testis est,
qui ore absoluit & corde condēnat. Lauerit licet
manus Pilatus, tamē sua facta nō diluit. Quanuis
abstergere se putauerit iusti sanguinē de suis mem
bris, eodem tamen sanguine mens eius tenetur in
fecta. Ipse enim occidit Christum, qui eum tradi-
dit occidendū. Iudex em̄ bonus & cōstans, nē san-
guinē innocētis addiceret, nec inuidiæ cedere de
buit, nec timere. Daniel ergo melius q̄ Pilatus. Il-
le peccantis populi reuocauit errorē, hic aūt furē-
tis synagogæ sacrilegium confirmauit.

In eadem feria de symbolo: Sermo III

YMBOLVM ex breuiter cōplexa re-
S gula fidei, ut mentem instruat nec one-
ret memoriam, paucis uerbis dicatur
unde multum acquiratur. Credo in deum patrem
omnipotentem. Vide quàm cito dicitur, & quan-
tum ualet. Deus est, & pater est. Deus potestate,
pater bonitate. Quàm felices sumus, qui dn̄m no-
strū patrē inuenimus. Credamus ergo in eū, & om
nia nobis de ipsius misericordia, pmittamus. Quia
omnipotens est, ideo in deum patrē omnipoten-
tem credimus. Nemo dicat, non mihi potest dimit
B tere peccata. Quomodo nō potest omnipotens?
Sed dicis, Ego multum peccaui. Et ego dico, sed
ille omnipotens est. Et tu, Ego talia peccata com-
misi, unde liberari & mūdari nō possum. Respon-
deo, Sed ille omnipotens est. Vidēte quid ei can-
Psal.102 tetis in Psalmo, Benedic, inquit, anima mea domi-
no, & noli obliuisci omēs retributiones eius. Qui
propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat
omnes languores tuos. Ad hoc nobis est eius om
nipotentia necessaria. Nam uniuersæ creaturæ ad
hoc erat necessaria ut crearetur. Omnipotens est
ad facienda maiora & minora. Omnipotēs est ad
cœlestia & terrestria. Omnipotens est ad facienda
immortalia & mortalia. Omnipotēs est ad facien-
da spiritalia & corporalia. Omnipotens est ad fa-
C cienda uisibilia & inuisibilia, magnus in magnis,
nec paruus in minimis. Postremo omnipotens est
ad facienda omnia quæ facere uoluerit. Nam ego
dico quanta non possit. Non potest mori, non po
test peccare, non potest mentiri, non potest falli.
Tanta non potest, quæ si posset, non esset omnipo
tens. Credite ergo in eum & confitemini. Corde
enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit
ad salutem. Ideo cum crediderit̄is oportet ut confi
teamini. Quādo symbolū redditis, accipite modo
quod teneatis, & postea reddatis, & nunquā obli-
uiscamini. Post hoc quid? Et in Iesum Christum.
Credo dicis in deum patrē omnipotentē, & in Ie-
sum Christum filium eius unicum dn̄m nostrum.
D Si filium unicum, ergo patri æqualem. Si filium u-
nicum, ergo eiusdem substantiæ cuius est pater.
Si filium unicum, ergo eius omnipotentiæ cuius
est pater. Si filium unicum, ergo patri coæternum.
Hoc in se & apud se & apud patrem. Propter nos
quid? Ad nos quid? Qui conceptus est de spiritu-
sancto, natus ex uirgine Maria. Ecce quà uenit,
Quis, Ad quos. Per uirginem Mariam, in qua o-
peratus est spiritussanctus, non homo maritus, qui
fœcundauit castam & seruauit intactam. Sic ergo
carne indutus est dominus Christus, sic factus
est homo qui fecit hominem, assumendo quod
non erat, nō perdendo quod erat. Verbum enim
caro factum est, & habitauit in nobis. Non ue-
rbum in carnem uersum est, sed uerbū manens car-
ne accepta. Inuisibilis semper, factus est uisibilis
quando

quando uoluit & habitauit in nobis. Quid est in
nobis? In hominibus. Factus unus ex hominum A
numero, unus & unicus. Vnicus patri. Nobis
quid? Et nobis unicus Saluator. Nemo enim præ-
ter ipsum Saluator noster, & nobis unicus redem-
ptor. Nemo enim præter ipsum redēptor noster,
non auro, non argento, sed sanguine suo. Ergo ip-
sa ubi empti sumus eius cōmercia uideamus. Cum
enim dictum esset in symbolo, Qui conceptus est
de spiritu sancto, natus ex uirgine Maria: iā quid
pro nobis passus est sequitur, Sub Pontio Pilato
crucifixus, mortuus, & sepultus. Quia filius dei
unicus dominus non crucifixus, filius dei unicus
dominus non sepultus est: Homo crucifixus est,
homo sepultus, deus non est mutatus, deus nō est
occisus, & tamen secundum hominem occisus. Si
1 Cor.2 enim cognouissent, ait Apostolus, nunquam do-
minum gloriæ crucifixissent. Et dominum glorię
ostendit, & crucifixum confessus est: quia si quis
etiam tuam tunicam illæsa carne tua conscindat,
tibi facit iniuriam, nec sic clamas pro ueste tua ut
dicas, conscidisti tunicam meam, sed conscidisti
me, fila de me fecisti. Loqueris ista integer, & ue-
rum dicis, & de carne tua nihil detraxit qui læsit.
Sic & dominus Christus crucifixus est, dominus
est, unicus patri est, Saluator noster est, dominus
gloriæ est, tamen crucifixus est, sed in carne, & se-
pultus in sola carne. Nam ubi sepultus est, & quan
do sepultus est, tūc ibi nec anima fuit. Sola caro in
sepulchro iacebat, & tamen confiteris Iesum Chri
stum filium eius unicum, dominum nostrum: Qui
conceptus est de spiritu sancto, natus ex uirgine C
Maria. Qui Iesus Christus unicus filius dei domi-
nus noster sub Pontio Pilato crucifixus: Qui Iesus
Christus unicus dei filius dominus noster & sepul
tus. Qui Iesus Christus unicus dei filius dominus
noster, sola caro iacet, & tu dicis, Dominus no-
ster. Dico planè dico, quia uestem intueor & ue-
Philip.2 stitum adoro. Caro illa illius uestimentū fuit, quia
cum in forma dei esset non rapinam arbitratus est
esse se æqualē deo, sed semetipsum exinaniuit for-
mam serui accipiens, non formam dei amittens:
In similitudine hominum factus & habitu inuen-
tus ut homo. Non contemnamus solam carnem,
quādo iacuit, tūc nos emit. Quare nos emit? Quia
non semper iacuit: Tertia em̄ die resurrexit à mor-
Matth.28 tuis. Hoc sequitur in symbolo, Cum confessi fue- D
rimus eius passionem, confitemur & resurrectio-
nē. In passione quid egit? Docuit quid toleremus.
In resurrectiōe quid egit? Ostēdit quid speremus.
Hic opus, ibi merces. Opus in passione, merces in
resurrectiōe. Nec quia resurrexit à mortuis hic re-
mās̄it. Sed quid sequit̄? Ascēdit in cœlū. Et modo
ubi est? Sedet ad dexteram patris. Intellige dexte-
ram, ne quæras ibi sinistram. Dextera dei dicitur
æterna felicitas. Dextera dei dicitur ineffabilis,
inæstimabilis, incomprehensibilis beatitudo atq;
prosperitas. Hæc est dextera dei. Ibi sedet. Quid
est ibi sedet? Ibi habitat. Sedes enim dicuntur ubi
quisque habitat. Num enim quando illum uidit
Stephanus sanctus mentiebat̄ qui dicebat, Sedet
ad dexterā patris? Quomodo enim dicit Stepha-
nus, Ecce ego uideo cœlū apertū & filium homi-
nis stantem ad dexterā dei. Quia ille uidit stātem
mentiebatur forte qui dicebat tunc, Sedet ad de-
xteram patris? Sedet ergo dictū est, manet, habi-
tat. Quomodo? Quomō tu. Quo statu? Quis di-
cet? Dicamus qoud docuit, dicamus quod noui-
mus, Quid? Inde uēturus iudicaturus uiuos et mor
tuos. Confiteamur saluatorē, ne timeamus iudicē.
Qui enim modo in eum credit, & precepta eius fa
cit, & diligit eum, non timebit quando ueniet iudi
care uiuos & mortuos, non solum nō timebit, sed
ut ueniat optabit, Quid enim nobis felicius quàm
quando uenit quem desideramus? Quando uenit
quem amamus. Sed timeamus quia iudex noster
erit, qui modo est aduocatus noster, ipse tunc erit
B iudex noster. Audi Ioannē, Si dixerimus quia pec 1 Ioan.1
catum non habemus, nosipsos seducimus & ueri-
tas in nobis non est. Si autem cōfessi fuerimus pec
cata nostra, dixit, Fidelis est & iustus qui dimittat
nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.
Hæc scripsi uobis ut non peccetis. Et si quis pec-
cauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum
Christum iustum, & ipse est exoratio peccatorum
nostrorum. Si haberes causam apud aliquem iu-
dicem agendam, & instrueres aduocatū, esses sus-
ceptus ab aduocato, ageret causam tuā sicut pos-
set: & si non illam finisset, & audires illum iudicio
uenturum, quantū gauderes quia ipse potuit esse
iudex tuus, qui fuit pauloante aduocatus tuus? Et
modo ipse pro nobis orat, ipse pro nobis interpel
lat. Aduocatum enim habemus & iudicem timea
C mus: Imò quia aduocatum præmisimus, securi iu-
dicem uenturum speremus. Transitum est in sym
bolo quod pertinet ad Iesum Christum filium dei
unicum dominum nostrum: sequitur, Et in spiri-
tum sanctum, ut compleatur trinitas, pater & filio
us & spiritus sanctus. Et de filio multa sunt dicta,
quia filius suscepit hominem, filius uerbum caro
factum est, non pater, non spiritus sanctus, sed car
nem filij tota trinitas fecit. Inseparabilia enim sunt
opera trinitatis. Sic ergo accipite spiritū sanctum,
ut non credatis minorem esse quàm filium, & mi-
norem esse quàm patrem. Pater enim & filius &
spiritus sanctus tota trinitas unus deus. Nihil ibi
distat, nihil uarium, nihil defectuū, nihil alteri con
D trarium, æquale semper, inuisibile & incommuta
bile pater & filius & spiritus sanctus. Liberet nos
trinitas à multitudine peccatorū. Iam quod sequi-
tur ad nos pertinet. In sanctā ecclesiam. Sancta ec
clesia nos sumus, sed non sic dixi, nos, quasi ecce
qui hic sumus, qui me modo audistis. Quotquot
hic sumus deo ꝓpitio Christiani fideles in hac ec-
clesia, id est, in ista ciuitate, quotquot sunt in ista re
gione, quotquot sunt in ista prouincia, quotquot
sunt & trās mare, quotquot sunt & in toto orbe ter
rarū, quoniā à solis ortu usq; ad occasum laudat̄ no
men dn̄i. Sic se habet ecclesia catholica mater no-
stra uera, uera illius spōsi cōiunx: Honoremus eā,
quia tanti dn̄i matrona est. Et quid dicam? Magna
est sponso & singularis dignatio, meretricem inue
nit,

nit, uirginē fecit. Quia meretrix fuit nō debet negare, ne obliuiscatur misericordiā liberantis. Quo modo nō erat meretrix, quando post idola & dæmonia fornicabatur? Fornicatio cordis in omnib. fuit. In paucis carne, in omnibus corde. Et uenit & uirginem fecit. Ecclesiam uirginē fecit. In fide uirgo est. In carne paucas habet uirgines sanctimoniales: In fide omnes uirgines debet habere & fœminas, & uiros. Ibi enim debet esse castitas & puritas & sanctitas. Nam uultis nosse quàm uirgo sit? Apostolum Paulum audite, amicum sponsi audite zelantem sponso non sibi. Aptaui uos, inquit, uni uiro. Ecclesiæ dicebat. Et cui Ecclesiæ? Quocunq; literæ illæ peruenire potuerunt, Aptaui uos uni uiro uirginē castam exhibere Christo. Timeo autem dixit, ne sicut serpens Euam decepit astutia sua. Serpens ille nunquid corporaliter concubuit cum Eua? Et tamen uirginitatem cordis eius extinxit. Hoc timeo dicit, ne corrumpantur mentes uestrę à castitate quę est in Christo. Virgo est ergo ecclesia: uirgo est, uirgo sit. Caueat seductorē, ne inueniat corruptorē. Virgo est ecclesia. Dicturus es mihi forte, Si uirgo est, quō parit filios? Aut si non parit filios, quō dedimus nomina nostra ut de eius uisceribus nasceremur? Resp; ondeo, Et uirgo est & parit, Mariā imitatur quę dominum peperit. Nunquid non uirgo sancta Maria, & peperit & uirgo permansit? Sic & ecclesia & parit & uirgo est. Et si consideres, Christum parit, quia membra eius sunt qui baptizantur. Vos estis, inquit, Apostolus, corpus Christi et membra. Si ergo membra Christi, parit, Mariæ simillima est. In remissionem peccatorum. Hęc in ecclesia si non esset, nulla spes esset: remissio peccatorum si in ecclesia non esset, nulla futuræ uitæ & liberationis æternę spes esset. Gratias agimus deo, qui ecclesię suæ dedit hoc donum. Ecce uenturi estis ad fontem sanctum, diluemini baptismo salutari lauacro regenerationis. Renouamini, eritis sine ullo peccato, ascendentes de illo lauacro. Omnia quæ nos præterita persequebantur, ibi delebuntur: Ægyptijs insequentibus Israelitas similia erant uestra peccata, persequentibus sed usq; ad mare rubrum. Quid est usq; ad mare rubrum? Vsq; ad fontem Christi cruce & sanguine consecratum. Quod enim rubrum est, rubet. Non uides quomodo rubeat pars Christi, interroga oculos fidei. Si crucem uides, attende & cruorem. Si uides quod pendet, attende quod fudit. Lancea perforatum est latus Christi, & manauit precium nostrum. Ideo signo Christi signatur baptismus, id est, aqua ubi tingimini, & quasi in mari rubro transitis. Peccata uestra, hostes uestri sunt. Sequuntur, sed usque ad mare. Cum uos intraueritis euadetis, illa delebuntur: Quomodo euadentibus per siccum Israelitis, aqua cooperuit Ægyptios. Et quid dicit scriptura? Vnus ex eis nō remansit. Peccasti multa, peccasti pauca, peccasti magna, peccasti parua, quod est minus ex eis non remansit. Sed quoniam uiuituri sumus in isto seculo ubi quis non uiuit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola ablutione sacri baptismatis, sed etiam in oratione dominica & quotidiana, quam post octo dies accepturi estis. In illa inuenietis quasi quotidianum baptismum uestrum, ut agatis deo gratias qui donauit hoc munus ecclesię suæ, quod confitemur in symbolo. Vt cum dixerimus, Sanctam ecclesiam, adiungamus, Remissionem peccatorum. Post hæc, Carnis resurrectionem. Iste iam finis est. Sed finis sine fine erit resurrectio carnis: Sed erit postea nulla mors carnis, nullæ angustiæ carnis, nulla fames & sitis carnis, nullæ afflictiones carnis, nulla senectus & lassitudo carnis. Noli ergo horrere carnis resurrectionē. Bona eius uide, mala obliuiscere. Prorsus quic quid querelarum est carnalium modo, tunc ibi nō erit. Æterni erimus, æquales angelis dei. Vnam cum angelis sanctis ciuitatem habebimus, domino possidebimur, hæreditas eius erimus, & ipse hæreditas nostra erit, quoniam ipsi dicimus modo, Dominus pars hæreditatis meæ. Et de nobis dictum est filio ipsius, Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Possidebimus & possidebimur, tenebimus & tenebimur. Quid dicam? Colimur & colimus. Sed colimus ut deum, colimur ut ager. Vt sciatis quia colimur, dominum audite, Ego sum uitis uera, uos estis sarmenta, pater meus agricola. Si agricola dicitur agrum colit. Quem agrum? Colit nos. Et agricola terræ huius uisibilis arare potest, fodere potest, plātare potest, rigare si aquam inuenerit potest, nunquid potest incrementum dare, germen educere in terram, radicem figere, in auras promouere, robur addere ramis, fructibus onerare, foliijs honestare? Nunqd agricola potest? Agricola tamē noster deus pater omnia ista potest in nobis. Quare? Quia credimus in deum patrem omnipotentem. Ergo tenete q̄d & proposuimus uobis, & quomodo deus dare dignatus est exposuimus.

1 Cor. 11 — Psal. 15 — Psal. 2 — Ioan. 15 — 1 Cor. 12

Item eodem die alius sermo de eodē, qui habetur in libro Quinquaginta Homiliarum XLII.

Item eodem die Homilia de eo quod scriptum est in euangelio secundum Ioannē, Ante sex dies Paschæ uenit Iesus Bethaniam &c. quæ habet in expositione doctoris, Ibidem.

Feria tertia post dominicam Palmarum, De reparatione generis humani:

Sermo I

SERMO CXX

REquenter audiuimus fratres dilectissimi beatum Paulum Apostolum dicē tē, Deus erat in Christo, mundū reconcilians sibi, id est, diuinitas operabatur in corpore. Apparebat in fragilitate humanitas, & in uirtute maiestas. Ad hoc itaq; nobiscum uixit in carne, ut pręferret exēpla iustitiæ. Ad hoc pro nobis mortem subijt, ut conferret munera salutis ęternę. Hominē ad hoc induit ut erudiret, ad hoc tradidit ut redimeret, ad hoc resumpsit ut in deū sumeret. Vitam ad hoc deposuit ut donaret, mortē ad hoc suscepit ut uinceret, cui tamē mortis pręsumptum dominiū reddit: & quasi seruus quidē succubuit, sed quasi dns imperauit. Siquidē nec animā inferni porta, nec corpus tenere potuit sepultura: quæ per

per illud triduum nequaquā carnem mortali corruptione uiolabat, quia in inferno sub eadem mora regnū mortis anima destruebat. Quid retribuemus domino pro muneribus tantæ dignitatis? De plenitudine cœlesti pro nobis in facturam se suam factor exinaniuit, figulus in figmentum suum transiit, & rex cœli homini militauit. Militauit dixi, Crux enim pugnantem indicat, resurrectio triumphantem. Quis tātam possit narrare pietatem? A summo cœlo egressio eius & usq; ad inferni profunda descensio. In una eademq; persona quàm bene manifestantur humana pariter & diuina? Nam sedem tartari penetraturus hominem se confessus est dum descēderet, deum se prodidit dum rediret. Vt redimeret impios, sicut ait sermo diuinus, ut redimeret iniquos, inter iniquos reputatus est, inter duos quos dextera leuaq; legimus pepēdisse. Seipsum cōfusioni & opprobrio crucis tradidit, ut latronem glorificaret. Sed si bene respicimus, nō illi soli hoc præstitū esse deprehendimus. Nā dum tantum reum benigne relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionē, humano generi conscripsit securitatē: ut consolatio ac spes fieret totius populi, absolutio unius desperati, & priuatum donum in publicum crescceret beneficium.

Quare indubitanter credendum est, ut quod latroni illi ad commendationem fidei suæ uenerat, etiam causa spei nostræ, & utilitatis accesserit. Immēsa enim dei nostri bonitas libenter tribuit, quæ etiam generaliter profutura prænoscit. Et ideo iuxta fiduciam tantæ clementiæ, si quis nostrum crimina sua probabili conuersatione dānauerit, & Christum toto corde crediderit, etiam cum latrone in semetipso ingressum paradisi aperuisse se nouerit. Quantum autem sit in spe salutis humanæ magnitudo fidei, & altitudo diuitiarum misericordię dei & patientiæ magnitudo, ostēditur cum hominem in sceleribus inuolutum pœna misit ad innocentiam, & offensa perduxit ad gloriam. Quem saluticulpa perdiderat, perditio inuenit, cruciatus absoluit, damnatio consecrauit. Et non sine causa tantum meruit. Videamus pro tempore fidelis apparuit. Ecce inter signa atq; uirtutes attestantibus miraculis & acclamantibus, aliquotiens in discipulis mens iam robusta titubauit, & nunc Christi supplicijs quodammodo contradicentibus in latrone fides nouella conualuit. Sub ipso passionis tempore ab ancilla interrogatus unus ex discipulis beatus Petrus, peculiarius Christo cognitus, ita respondit, Non noui hominem istum. Et iste qui ante non nouerat, exclamat, Memento mei domine cum ueneris in regnum tuum. Quàm singularis & quàm stupenda deuotio. Sub illo tempore credidit reus, quo negauit electus. Laudabilius hoc itaque in latrone ac magnificentius fuit, quòd hominem addictum & inter extrema deficientē supplicia deum credidit, quàm si inter uirtutum opera credidisset. Non itaq; sine causa tantum meruit. Aduertamus plenius quo tempore dominum cōfitetur. Feruebat impietas persequentium, exultabat impietas blasphemantium, contritio, liuores & uulnera solum Christum hominem demonstrabant. Sacrarum manuum in ligno crucis extensio & reuerenda confixio, quę condemnabat Adę & Euæ manus, ad interdictum ligni cibum ingemiscenda seculi transgressione porrectas: Hæc, inquam, confixio per omnia infirmitatem hominis asserebat. Illisæ per latus lanceæ tremenda percussio quantum ostendebat hominem, tantū abscondebat deū. Apostolis post diuina miracula desperantibus, solus hic non acquiescit scandalo crucis & mortis. Solus hic testis est maiestatis, qui socius probatur doloris. Et ideo adhuc in latrocinijs positus, inuisibilem deum angelicis iam oculis uidet. Illuminarat credo nascentē fidem, lateri iam credentis in Christum propius corpore admota diuinitas, quæ se largius sub momento illo pro peragēda redemptione infuderat. Videamus autem qualis fuerit ipsa deprecatio confitentis, Memento, inquit, mei domine cum ueneris in regnum tuum. Non dixit, si deus es de præsenti supplicio eripe me: sed magis, quia uere deus es, de futuro iudicio libera me. Quàm cito eum repleuit spiritus sancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitās; & si intolerabile probat esse quod sentit, grauius tamen intelligit esse quod metuit. Prędicat seculis iudicem regemq; seculorum, nondum uocatus & iam electus, nondum famulus & iam amicus, nondum discipulus & iam magister atq; ex latrone cōfessor: quia & si pœna cœperat in latrōe, nouo genere consummatur in martyre. Memento, inquit, mei domine. De ligno crucis clamat, sed iam tempora retributionis cogitat. Videamus quid inter ista respondeat diues & larga dei bonitas, quæ sicut excedit uota, ita gratiam adiungit ad merita. Hodie, inquit, tāquam si diceret, Quid me, inquit, ò fidelissime comes & unice tanti testis triumphi, quid me tantopere exorādum putas, ut die iudicij mei meminerim tui? Quid me ad præsentem retributionē paratum, in tempora tam longa dissimulas? Quid in futura secula fidem in te perfectam fatigas? Hodie mecum eris in paradiso. Ergo tāquā hæreditaria & paterna sedes, quæ expulso Adam, quæ expulsis duobus clausa est, innumeris populis te introeunte reserabitur. Ingredere illuc primus, sed ingressu feliciore quàm primus. Intra paradisum, nequaquam ultra cum Adam uisurus infernum. Nullum illic cibum letalem, nullā iam legem, nullam arborē pertimescas. Ego tibi illic ero uictus & uita: & ne forte uerearis ne tibi aliquis hostis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro insidietur, possessio tibi illic me introducente firmabitur. Recedat ergo infidelitas quæ deū & hominē nō recognoscit. Nā sicut diabolus est qui de paradiso expulit, ita deus est qui reducit. Hęc charissimi per omnē gestorū ordinem, deum sub homine agnoscamus operantem. Positus in patibulo uerus arbiter in medio damnatorū, negantē repulit, suscepit confitentē. Hunc deputat regno, illum relinquit inferno. Per hæc ergo credamus in maiestate iudicaturum, quē iam in cruce & misericordiam uidemus exercere & iudiciū. Credamus, inq;

deum

deum:uel ex sola uirtute patientiæ,qui dum ab ho
mine crucis neci traditur, sic quoq; homini gloriã A
pollicet:qui illas ipsas iniurias & plagas in corpus
suũ,conuertit in precium nostrum.Sed & ipsa toti
us mundi rationabilis creatura,morib. suis deum
loquitur. Nam in media passione domini Saluato
ris,cœlestia & terrena turbãtur, lux cum nocte mi
scetur,elemẽta quatiuntur, & ab antiquis ministe
rijs effugantur.Aperte rerum natura perspicit cõ-
moueri,uelut in uindictam authoris sui uelit arma
ri.Terra ipsa concussa à fundamẽtis suis,quasi quę
crucem domini uix sustineat,tanquã ad scelus pro
prium contremiscit.Dies refugo lumine quomo-
do potest sumit lamentum, & fusco tristium tene-
brarum habitu more lugentis induitur: & ut tota
cœli facies dominicæ natiuitatis gloram noua lu-
ce testatur, ita crucis iniuriam nouis tenebris dete B
statur.Et quæ duritia cordis humani? Væ eis quæ
inter ista non credunt, quandoquidem creatura ir
rationabilis,quæ recipere non potest credulitatis
effectum,dat tamen deo confessionis obsequium
& cum pro solo homine Christus mortuus sit, per
hibet ei tamen etiam pars illa mundi testimonium
diuinitatis, ad quam non peruenerunt beneficia
passiõis.Quæ cum ita sint charissimi,agnoscat ho
mo,quantum ualeat,& quantum illum deo obno
xiũ faciat natura uel gratia. Agnoscat homo quã-
tum ab illo expectet deus,& quem tanta dignatio
ne habuit charum,quàm uelit esse in conuersatio-
ne preciosum. Agnoscat homo quãtum ualeat &
quantum debeat, & dum precium suum cogitat,
uilis sibi esse desinat, & potius uicem muneris Sal C
uatori ex ipso bono suo,id est, de conseruata salu-
te restituat. Custodiamus ergo solicite quod tan-
ti sui cruoris commercio Christus redemit. Reus
itaque erit non parui precij, sed sanguinis Christi,
qui uiolat & commaculat animam Christi sangui
ne & passiõe mundatam, blasphemus, homicida,
castitatis proditor. Hæc tria capitaliter occidunt.
Contestamur charitati uestræ causas æternorum
malorum. Blasphemus,homicida, proditor casti-
tatis suæ,expugnator alienæ,id est qui legitimi cu
bilis iura transgreditur, qui extra coniugem suam
per mortiferos errat amplexus, reus erit æternæ
mortis,quia uilem in se habuit sanguinem redem-
1 Cor.6 ptoris.Et quia clamat Apostolus, Neque rapaces
neq; adulteri regnũ dei possidebunt:abstineamns D
manus ab alienis, oculos ab aliena fœmina cauea
mus: ne corpori illi q̃d de nostro Christus assum-
psit,iniuriam faciamus in nostro corpore. Cauea-
mus ita peccatis & criminibus uitã prodere, ut ad
Psal.9 nos non respiciat prophetia illa terribilis, Nõ est,
inquit,deus in cõspectu eius,polluũtur uię eius in
omni tẽpore,auferuntur iudicia tua à facie eius. Ir
remediabile periculum est,sic aliquem uitijs & cu
piditatibus frena laxare,ut se rationem deo nõ me
minerit redditurum. Puto quia magna sit iam pec
cati pœna,metum ac memoriam futuri perdidisse
iudicij.Non nobis ita dulcia sint pauperum spolia
postmodum nimis amaricatura. Nihilominus si-
cut dictum est, refugiamus carnis alienæ abomi-
nanda contagia,uitemus obscœna inimicæ uolu-
ptatis incendia.Hæc qui agit charissimi, de stipu-
la ac lignis iniquitatum perpetuos sibi succendit
ignes,& nunquam extinguendos concinnat ua-
pores.Nõ tanti est uita,si ad hoc uiuat homo,ut in
paucis huius uitæ annis, cõsummandæ sub breui
fine,cõgreget sibi pœnas æternas & sine fine man
suras. Sed ne forte charissimi aliquẽ nimis securũ
faciat aut remissum tam noua felicitas credulitatis
ne forte dicat aliquis in corde suo,Non me usque-
adeo cõturbet & cruciet rea cõscientia,nõ usque-
adeo contristet culpabilis uita, uideo sub momen
to,uideo sub exiguo spatio latroni crimina sua do
nata,& mihi resoluta mente concipiuntur: Primũ
considerandum in latrone illo, non solum creduli
tatis compẽdium,sed deuotio, sed temporis illius
sub quo hæc agebantur occasio, quo iustorum le-
gitur titubasse perfectio. Deinde antè mihi fidem
latronis ostende, & tunc tibi latronis beatitudinẽ
pollicere. Immittit diabolus securitatem ut infe-
rat perditionem,neque dinumerari possint, quan
tos hæc inanis spei umbra deceperit. Deterreant
quæso nos ab hac persuasione,innumerabiles po-
puli sub tali securitate nudi & uacui bonis, & ma-
lis pleni ex hac luce prerepti. Quotidie expauescẽ
do transitus nostri & cõmigrationis incerta, quæ
& modo uel insperata uel subdita sunt, & æternũ
remedijs caritura sunt: præueniendus est dies, qui
præuenire cõsueuit.Ipse se seducit,& de morte sua
ludit qui hoc cogitat, potest mihi extremi tempo-
ris indulgẽtia subuenire.Non est hoc,Primũ,quia
periculosissima est in ultimum diem promissa se-
curitas:Deinde stultissimũ est ut causa quæ de ne-
cessitatibus agitur æternis, inutilitatib. uitæ defici
entis cõmittatur extremis.Odibile est apud deum
quando homo sub fiducia pœnitentiæ in senectu-
tem reseruatę liberius peccat. Credite charissimi,
difficile est ut callida dissimulatio ordinandæ con
summationis obtinere digna sit facultatem: apud
illum cordis interpretem,ars non admittetur ad sa
lutẽ.Ille aũt de quo locuti sumus beatus latro, bea
tus,inquam,non iam iuxta uiam insidias tendens,
sed uiam ipsam in Christo tenens, ac uitæ prædam
subito rapiens, immutato genere, & noua spolia
de morte propria reportans,ille nec salutis tempo
ra sciens distulit, nec remedia status sui in momen
ta ultima infelici fraude posuit, nec redemptionis
suæ spem in desperationis nouissimũ reseruauit,
nec religionem ante nec Christum sciuit. Quod si
scisset,fuisset forsitan inter Apostolos non postre-
mus in numero, qui prior factus est in regno. Er
go etiam ex hoc in extremo placuit deo, quia ad
consequendam fidem non fuit extrema hora illa
sed prima.Opus est ergo ut sibi homo quotidiano
actu prouideat,& procuret consummationem,o-
pus est ut tota uita nostra talis sit in cõuersatione,
ut liberi mereamur esse in fine.Incessabiliter diem
transitus nostri & tempus iudicij cogitantes, nos
quoq; cũ latrone iugiter proclamemus, Memẽto
mei domine cum ueneris in regnum tuum.

In eadem

In eadem feria de passione domini Ser. II.

SERMO CXXI

OMNES, inquit dominus Iesus,scandalum A
patiemini in hac nocte. Discipuli terrẽt
tali auditu,& Iudam non terret tanti sce-
leris cogitatus.Consulite Apostoli dominũ, inter
rogate discipuli magistrũ. Qui mecũ,inquit,mit-
tit manũ in paropside,ipse traditurus est me.O in-
duratam frontem,talia de se audire,& adhuc dele
ctatur accumbere. Videt publicari suam conscien
tiam,& adhuc manum porrigit ad buccellã.Nun-
quid ego sum Rabi? O Iuda cui dicis,nũquid ego
sum Rabi? iam dic ego sum. Non est obliuio nesci
entis,sed pietas miserantis. Tu Iuda quẽ possedit
cupiditas,omia in te nouit diuinitas, sed uę tibi in
quo semel perijt humanitas. Omnes,inquit, scan-
dalum patiemini in hac nocte. Et Petrus, Et si om- B
nes scãdalizati fuerint in te,ego tamẽ non scanda
lizabor.Cœperunt altercari medicus & ægrotus.
Ille sine ægritudine se esse putabat,ille futuram ac
cessionẽ uidebat.Cui dñs ait:Paululum sequestre
mur,donec rei exitum comprobemus. Et Iudas,
Quem osculatus fuero ipse est,tenete eum. O si-
gnum sacrilegũ,ò placitum fugiendũ,ubi ab oscu
lo incipit bellum,et per pacis indicium pacis rum
pit sacramentũ. Venerũt ad ortum qui iam antea
perdiderãt paradisum,quærẽtes dominum Iesum
Christum.Egrediunt quærentes qui ante præue-
nerant uenientes. Stat Iesus & dicunt,Iesum quæ-
rimus.Aspicit eos ipse saluator,quos præcedebat
Iudas tenebrosus ducator.Ducatum præbebat &
magistrum non uidebat,non quia Iesus mutabilis C
erat.Erat quod erat.Lucem in tenebris quęrebãt,
sed lucem tenebræ non cõprehenderunt.Sed au-
diamus uocẽ lucis,qui dicit tenebris uenientibus
cum laternis, Quem quęritis? Illi dixerũt, Iesum.
Respõdit Iesus,Ego sum. Audita uoce abierũt ,p-
strati in faciem cæcitatis. Sed quia lucet lux in te-
nebris,excitat elisos à mortuis.Iterũ dicit eis:Quẽ
quæritis? Iesum,inquiunt. Et ait illis,Ego sum. O
insensati Iudæi,interrogastis & cecidistis:leuati e-
stis,& ingrati estis.Qua uos cõcutiemini commi-
natione uel terrore,q ad solam cecidistis simplicẽ
uocem? Dic Israel, Venisti tenere me,quia ego de
fendi tę a persequentibus te? Vtinam teneres me,
& nõ perderes te.In aqs parietes construxi, facu-
lam columnæ micantis erexi, Aegyptios cæcitate D
percussi,tota nocte pro te pugnaui. Factũ est ma-
ne,& trãsisti incolumnis mare. Male me quæritis,
ideo cecidistis. Ecce qualiter cadunt,q male domi
num quęrunt. Tenetur interea dominus ad sacer
dotum principẽ perducendus,& cum discipuli la
berent,Petrus promissor egregius cœpit ambula
re longinquius,peruenit ad principis domum, &
q̃a Petrum frigus urgebat, calefaciẽdus solicitus
assistebat. Ecce ille q nihil infirmitatis se putabat
habere,paulatim cœpit ad uerba medici perueni-
re.Negat territus Christum,qui se promiserat ani-
mam pro eo positurũ.Prostrauit eum anicula de-
crepita,quasi grauis febricula. Pressit eum lethar-
gicus somnus,& cepit eum preco impiger matuti
nus.Audit gallum cantantẽ, & uidit se discipulus
dominum offendisse. Sub ancilla cœpit pondere
uergi atq; demergi. Nõ erat qui adiuuaret,nisi de
interioribus prætorij Petrũ dominus respexisset.
Cum nox media declinatum subito teneret incur
sum,gallus cãtauit,& nocte naufragus respirauit.
Contum inuenit fidei liberalem quousq; impelle-
ret nauem,ut in medio scopulorum portum quæ-
reret lachrymarũ. Vidit nauim cordis sui sine mer
cibus nudum,flere cœpit amare,quia dominũ suũ
cœpit amare.Iesus pelago nauigatorem terrebat,
Petrus de gubernatore securitatem sperabat. Do
mine,inquit Petrus, ubi me dimisisti? Lumen tuũ
uideo,te adhuc nõ uideo.Lauisti pedes meos,ter-
sisti lintheo tuo, lumine tuo aperi oculos meos.
Quando possum uidere te, nisi respexeris me? Ita
permansit in amaritudine lachrymarum, quousq;
dominus de portis erũperet inferorum.Petrus la-
chrymas fudit cõfessionis, & Iudas osculum por-
rigit falsitatis. Orate,inquit discipulis, ne intretis
in tẽtationẽ. Inquieta nox in fugã cõpulit piscato
res.Pastor tenetur,& Petrus turbatur. Ipse pastor
tristis erat,anima eius turbatur,diuinitas incõcus-
sa lætatur.Orat semel,orat & iterum, tertioq; pre-
catur.Tanq; aquila tegebat nidũ suum uelamẽto
pennarum, & solicitus cum orat ad pullos reuer-
tebat,propter quos tristitiam patiebatur.Obtule-
runt Iudęi triginta argẽteos. Ille tali precio debet
cõparari,cui non potest aliquid æstimari. Bene sy
nagoga triginta stateres argenti pensasti,dum dei
filium suspendisti. Abijt ergo Iudas,& laqueo se
suspendit. Vide Iudas sententiam diuinæ maiesta
tis,quę te puniri noluit manibus alienis. Pẽdes in
laqueo,& argẽtum iacet in templo.Nullus gratu-
latur de tali cõmercio, quia sacrilegũ pronunciat
precium.Non licet mitti in corbonã, quoniã pre-
cium sanguinis est.Ecce Iudęorũ improbitas cõ-
demnat admissum,& non cõdemnat sacrilegium.
Si tollere non licet preciũ,cur implere festinas ho
micidium? Aut preciũ innocẽtis sanguinis in cor-
bonam non licebat mittere,ipsum innocentẽ lice
bat occidere? Emerunt, inquit, agrũ in sepulturã
peregrinorum. Inuenit tandem mens cæca reme-
dium. Ad requiem peregrinorum,saluatoris depu
tant precium. Licet non agnoscant,implet tamen
mysterij sacramẽtum.Interrogauit Pilatus Iesum,
Tu es rex Iudæorum? Et Iesus, Tu dixisti. Qui ait
uulgo, Quẽ uultis dimittam uobis,Barrabã an Ie-
sum? Vulgus clamat, crucifigatur. O inordinata
nequitia iudicantis.Pronunciat innocentẽ, & eli-
gendi tribuit facultatẽ. Multa enim sum passa pro
iusto isto hac nocte,eius mulier mandat. In natiui
tate mundi,uxor ducit uirum ad mortẽ:in passio-
ne Christi,uxor prouocat ad salutem. Illic serpen
tis subtilitas præcipitat,hic terror angelicus reuo-
cat:ut inde inciperet uenia,unde uidentur proru-
pisse peccata. Aqua manus lauat,dicens, Innocẽs
sum à sanguine huius iusti. Illuminatur per aquæ
mysteriũ iudicis sensus, & Christum ,pnunciat iu-
stum,ut populum faceret reum. Magnum tibi de-
licti uindicas principatum. Ecce iudex saluatoris
se amore excusat, & traditor se cum Iudæis pro-

pria uoce cõdemnat. Omnia sunt elemẽta permo
ta, cœlum non est quietum, cum caput dominicũ A
colaphis uerberatur. Non curia cœlestis cœlo cõ
tenta permansit, quia in cõmotione fuerunt. Cœli
luminaria conturbantur, & de stationibus suis stel
læ sulphureæ cadũt in lapsum. Ligni cuspide rum-
pitur Golgatha, resonãt mallei securesq; cędẽtes,
scinduntur mõtis sacrati petræ, ille solus Petrus q
fuerat super petrã tanq; in mollem tenuemq; are-
nam soluebatur ex petra. Latro ueniam petijt, dei
tate largiente percepit. Ille sui meminisse rogauit,
saluator in paradiso secum uenisse promisit.

SERMO CXXII In eadem feria: Sermo III

Dilectissimi fratres, dominus noster Iesus
D Christus nobis salutem exhibuit, diuinæ
uero naturæ nihil minuit. Gratias ergo a-
gamus pietati eius, qui infirmitati nostræ de homi
ne suo uitale composuit medicamẽtum. Magnifi-
cemus eum, quia nullum diuinæ uirtutis dum no-
bis subuenit fecerat detrimẽtum. Vere pius, uere
Saluator, qui in tantũ dilexerit opus suum, qui in
tantum reputauerit seruũ suum, id est, humanũ ge
nus uniuersum, ut culpã eius suo uerbere expia-
ret, uulnera eius suo liuore sanaret, Deniq; ille pec
cat, hic uapulat. Ille prẽuaricatur, iste crucifigitur.
Quis hoc existimet, & qs cogitet? Quis cõpenset
dominũ pro seruis mori dignatum? Et hoc ꝓ qui-
bus? Pro sceleratis, pro impijs. Quid tibi domine
retribuet opus tuum bonum à te factũ, propria uo
luntate peruersum, sed tua miseratione reparatũ?
Quid ab eo pro tantis beneficijs expetis? Nunqd
aliquid eius eges, aut ab eo quod ei non dedisti re C
quires? An forte, imò hoc quæris ut aptum facias
cui miserearis, ut dignum cõstituas quẽ immorta
litatis tuę participem reddas, ut facias bonũ quem
corones in æternũ? Sed quid à nobis ut hoc retri-
bueres accepisti? Nihil certe, an aliq̃d? Indulgeat
dominus terræ miseræ, si quippiam terra & cinis
presumpserit dicere. Non repudiet insipientẽ, sed
respiciat confitentem, Dicat terra domino suo, di
cat homo factori suo. Nempe accepisti aliquid ex
me, quod non habuisti in te. Volẽs enim subueni-
re terræ, sed excedere nolens modũ iustitię, morta
lem morte tua redimere cogitabas, sed unde mori
posses ex te nihilominus nõ habebas. Tu omnipo
tens, ego egens, Tu immortalis, ego mortalis. Ac
cepisti ex me egestatẽ pulueris, sumpsisti de me
mortẽ carnis. Fudisti pro me preciũ redẽptionis.
O preciosum precium perditorũ. Dicant nũc qui
redempti sunt à domino, quos liberauit de manu
Psal.106 hostis: Cõfitemini dño quoniã bonus, quoniã in
seculum misericordia eius. Dicat ei terra redem
pta, terra irrigata, redempta sanguine, irrigata ba-
ptismate: Magna iniquitas mea, sed maior est re-
demptio tua. Audiat ergo uocem dñi mei huma-
ni generis aduersarius, & nihil iam sibi applaudat
elatus, qui ꝓ totius mundi facinore in cruce pepẽ
dit dominus noster Iesus Christus. Nunc, inquit,
iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi
mittetur foras. Et ego cum exaltatus fuero à terra,
omnia traham ad meipsum. O quàm bene te tuo
impetu diabole percussisti: Crudelitas tua tibi ex
itium, nobis attulit cõmodum. Dum nulli parcis
teipsum tandẽ interimis. Per unius delictum om-
nes captiuasti, per unius iustitiam omnes nihilo-
minus amisisti. Sed illum qui tibi consenserat inua
sisti, istum in quo nihil inueneras cur indebitè oc-
cidisti? Effudisti innoxiũ sanguinem, redde dam-
natam progeniem. Tu certe ille es qui tibi diuini-
tatis similitudinem arrogabas elatus, nunc ab ho
mine diuino prosterneris superatus. Et quid mirũ
si te utpote creaturam suam uirtus diuina fecisset?
Sed hoc est magnum atq; mirificum ut de puluere
assumeret, unde tuam nequitiam prosterneret
atq; contereret: ut qui supra sidera superbus erige
baris, nũc à carne supereris. Ille igit̃ sanguis quem
effudisti, te uicit, me redemit. Deniq; illum bibo,
& ueneni tui perniciem saluatus ultra non timeo. B
Præualuisti in paradiso, sed uictus es de patibulo.
Quid mihi circumiectam paradiso igneam romp-
heam opponis? Ecce exaltati crucifixi profluẽs
unda restinxit uersatilem flammam. Iam iam patet
humano generi paradisus, in quo latronem confi
tentem reduxit dominus Iesus Christus. O quàm
grande mysterium. Paradisus qui clausus fuerat
præuaricatori, iam reseratur latroni. An forte &
in hoc latrone totum hominem, uel illum etiam
primum generis humani parentem aduertere cõ-
uenit? Si enim is qui alijs interficiendo intulerat
mortem latronis accepit nomen: quãto magis qui
ipsam mortem quæ non erat peccando inuenit, la
tronis non immerito crimen incurrit? Christus au
tem ait latroni, Hodie, inquit, mecum eris in para Luca 23
diso. Cui aliquando charissimi tarda uideatur esse
conuersio, cum latronis iam pendentis, iam mori
entis non fuerit repudiata confessio? O ampla do
mini miseratio, obliuiscentis iniusti crimen, susci-
pientis pœnitentis fidem, pro scelere damnatum
facientis electum, mortis debitorem reddentis ę-
ternitatis uitæ participem: Sed planè huius latro-
nis extrema quidem sed non minima fides, qui do
minum tunc non suscitantem mortuos, sed mori-
entem pro peccatoribus propemodũ agnoscere
et confiteri promeruit. Solus deniq; Petrus passio
nis timore perterritus, quasi hominem denegat, la
tro crucifixum adorat. Sed Petrum dominus cor-
rexit respiciendo, latronẽ uero beatificauit in glo
ria assumendo. O latronem laudabilem, mirabilẽ,
imitabilem, sæuientem gladio, uiolẽtum cœlo, ra-
pinis inhiantem, fide feruentem. Sed hęc mutatio
dexteræ excelsi est, ut uersam uicem redderet dia
bolo Christus: uidelicet, ut quemadmodũ diabo-
lus primum deprauando hominem abstulerat de
paradiso, sic Christus latronem confitentem erue
ret de inferno. Ille præsumentem de interdicto li-
gno decepit, iste pendentem de pœnali ligno re-
demit, Etenim fratres assumamus & nos uocẽ la-
tronis huius, si non uolumus esse latrones. Dica-
mus & nos, Memẽto nostri domine cum ueneris
in regnum tuum. Hanc ergo confessionem illius
sancti latronis fratres charissimi, quã decantando
protulimus & respõdẽdo ꝓpria uoce fecimus, de
uotione

uotione certissima proferamus, & sic dicamus ut
audiamur, sic confiteamur ut saluemur. Fide ergo A
dicamus, corde clamemus. Ipse aũt dñs noster Ie-
sus Christus audiet, ꝓfecto uocẽ nostri clamoris,
si integrã deuotionẽ approbauerit mẽtis. Ipse per
ducat nos ad arborẽ uitæ, qui eruit nos de lacu mi
serię. Ipse aperiat nobis ianuas paradisi, q̃ cõfregit
portas inferni. Ipse populũ suũ eruat à flagello, qui
se cõtineri permisit ante præsidẽ Pontiũ Pilatum.
Ipse in regnum suum perducat confidentes, qui
pati dignatus est pro impijs innocens, ut sit nomẽ
domini benedictum in secula seculorum, Amen.

In eadem feria, De expositione symboli:

SERMO CXXIII Sermo IIII.

Oportet attendere fratres charissimi, quan-
B ta dei pietas sit erga humanũ genus. Om-
nipotens deus creator & conditor ange-
lorum & hominum, omnis creaturę uisibilis & in
uisibilis, patrẽ se uoluit uocari ab homine, & pro
filijs habere quos fecit ex limo terræ. Si ergo cre-
dis deo, dæmonem relinque: si deum sequi uolue-
ris, quicqd deo nõ placeat deuitare procura. Gau
de & exulta, quia unum eũdemq; deum habes &
patrem, ipsum cole, ipsum dilige, ipsius fac uolun-
tatem. Nihil de idolorũ cultu uel superstitionibus
Paganorũ cogites, quia deus est omnipotens qui
omnia quę tibi promittit potẽs est reddere. Et in Ie
sum Christũ filium eius unicum dominũ nostrũ.
Nisi enim eundem dei filium, eundemq; Christũ
filium hominis tota mente absq; ulla hæsitatione
C credideris atq; confitearis, nec patrem tibi prode-
rit confiteri. Crede ergo filium dei unigenitum
ab ingenito deo patre, uitam à uita, uerũ deum de
deo uero, coæternũ & coessentialẽ, coomnipotẽ
tem & coæqualẽ per omnia patri, & ad æterna cũ
eo & cum omnibus sanctis eius gaudia mereberis
peruenire. Qui conceptus est de spiritusancto, na
tus ex Maria uirgine. Cum spiritum sanctũ mini-
stratorẽ tantæ natiuitatis audieris, nullatenus du-
bites uirginẽ potuisse cõcipere. Cur nõ credis eũ
in utero incorruptæ uirginis potuisse hominẽ fi-
gurare, quem credere debes hominẽ fecisse de li-
mo terręꝰ Nec dubites Mariam uirginẽ mansisse
post partũ, quia qualiter hoc factũ sit nõ humanus
sermo neq; sensus potest cõprehẽdere: quoniã de
D us pater uoluit filiũ suũ coęqualẽ sibi per omnia, in
mulloq; dissimilẽ humanã pro hominibus suscipe
re carnem: ut omnibus sibi credentibus eiusq;
obsequentibus uoluntati æternã uitam largiretur
& gloriam: ut hominem ad imaginem dei factũ
& per inuidiam deceptũ diaboli, atq; à regno ex-
pulsum æterno, per unicũ filiũ suum carnem assu-
mendo & humanã naturã suscipiẽdo erueret à dia
bolo & regno restitueret æterno. Qui passus est
sub Põtio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.
Qui propter te humanæ carnis accepit corruptio
nem, ipse pro tua redẽptione & salute in humani-
tate quam accepit crucis pertulit passionem: quia
passio illius nostra est uita, mors illius est liberatio
nostra. Tertia die resurrexit à mortuis. Si te tridua
na domini sepultura conturbet, resurrectio glorio
sa confirmet, Quicquid enim infirmitatis audis in
Christo, nostræ hoc necessitatis, nostræ redẽptio-
nis est causa: quicquid gloriæ, eius est propriæ po
testatis. Qui ideo mortuus est ut nos reuiuisceret,
ideo resurrexit ut nos ad uitam resuscitaret æter-
nam. Ascendit ad cœlum, sedet ad dexterã dei pa-
tris omnipotentis. Si tibi magnum q̃ preciosum
uidetur quod pro te filius dei pependit in cruce, il
ludq; sublime quòd ascendit in cœlũ, illud te mul-
to magis stupere oportet, quòd ꝓ te mortuus est
& sepultus. Quia ad hoc descendit, ut ea quæ hu-
manę displicent infirmitati, ꝓ tua salute sufferret,
& te ad ęterna & ad cœlestẽ gloriã secũ perduce-
ret. Inde uẽturus est iudicare uiuos & mortuos. Ip-
se qui ab iniquis & impijs iudicatus est ad mortẽ,
B ipse omnes bonos & iustos iudicaturus est ad glo
riam, omnesq; impios detrusurus ad pœnã. Et in
spiritumsanctum, Sicut credidisti deũ patrem om
nipotentẽ & filium eius unigenitũ, pari fide & ue
neratione crede spiritũ sanctũ unũ deum esse pa-
tri filioq; coæqualẽ in omnibus, in nulloq; dissimi-
lẽ. Sanctam ecclesiã catholicã, sanctorum cõmu-
nionẽ, remissionẽ peccatorũ. In qua omnis qui re-
natus fuerit ex aqua & spiritusancto æternã omni
um percipiet indulgentiã peccatorũ, extra quam
omnes iniqui & impij ad supplicia deputantur æ-
terna. Carnis resurrectionẽ & uitã æternã. Quod
in Christi gloriosa resurrectione audisti cõpletũ,
hoc in te omnino in futuro iudicio crede esse com
plendum: Et carnis tuę resurrectio te reparet in ę-
C ternũ. Nisi enim credideris reparandũ te esse post
mortẽ, ad præmiũ uitę ęternę peruenire non pote
ris. Si aũt credideris, æternis gaudijs inseraris: Per
Christũ dominũ nostrum uiuentem & regnãtem
cum patre & spiritusancto nunc & semper, & in
omnes æternitates seculorum seculi, Amen.

Feria quarta post dominicam palmarum, De passione domini: Sermo I

SERMO CXXIIII N lectione Euangelica quæ nobis hester
I no die recitata est fratres charissimi, audi-
uimus dominũ dixisse discipulis suis, O-
Matth.26 mnes uos scãdalum patiemini in hac nocte ꝓpter
me. Cui beatus Petrus ait, Etiam si omnes scanda-
lizati fuerint, ego nunq; scandalizabor, Sed domi
nus inspector cordis respõdit, & dixit, Amẽ dico
D tibi anteq; gallus cãtet, ter me negabis, Ille autem
dixit, Etiã si me mori oportuerit pro te, nõ te nega
bo. Videte fratres charissimi, uerus & cœlestis me
dicus uenã cordis inspexerat, & qua hora tẽtatio-
nis pondus uel infidelitatis frigus uenturum esset
prædixerat. Medicus prędicabat, & ęgrotus nega
bat. Sed ubi ad horam uentum est, falsum fuit qd̃
promiserat homo, & uerum apparuit quod prędi
xerat deus. Quid em̃ homo sine dei gratia possit,
timor beati Petri Apostoli euidẽter ostendit. Per
solũ enim liberũ arbitrium, non addito etiam dei
adiutorio ꝓmiserat se pro domino moriturũ. Sed Esa.40
quid est homo sine gratia dei, nisi qd̃ fuit Petrus
cũ negaret Christũ, & nisi quod ait propheta, Om
nis caro fœnũꝰ Et ideo beatũ Petrum paululum
dominus subdeseruit, ut in illo totum humanũ ge
nus

nus posset agnoscere, nihil se sine dei gratia pręua
lere, & ut ecclesię rectori futuro ignoscēdi peccan A
tibus quædam regula poneretur. Credendę enim
erant Petro Apostolo. claues ecclesiæ, imo cre-
ditæ sunt ei claues regni cœlorū, Credenda quoq;
ei erat populorum innumera multitudo quæ esset
pro suę naturæ uitijs, passionibus, culpis inuoluta
Matt.16 atq; peccatis. Deniq; sic ad eum Saluator dicit, Ti
bi, inquit, dedi claues regni cœlorū. Deinde sequi
tur, dicens, Quæcunq; ligaueris super terrā erunt
ligata & in cœlo: uidelicet ut in clauibus fidelis ia
nitor, in sentētijs esset clementissimus dispēsator.
Erat enim reuera hic Petrus paulo durior & seue-
rus, sicut eius austeritatē trūcata ob Christi iniuri-
am serui principis sacerdotum declarat auricula.
Hic igit̃ tam durus tamq; seuerus si donū non pec B
candi à domino fuisset indeptus, quæ uenia com-
missis populis donaretur? Sed idcirco diuinę pro
uidentię secretū ita tēperauit atq; permisit, ut pri-
mus ipse laberetur ac rueret in peccatū, quo erga
peccantes duriorē sententiā proprij casus intuitu
temperaret. Quantū igitur diuini muneris erga sa
lutem hominū, quantum curæ quantumq; solici-
tudinis impendat̃ aduertite. Totius corporis mor
bum in ipso capite curat ecclesiæ, & in ipso uerti-
ce cōponit membrorū omniū sanitatē, in ipsa cō-
fessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei
fundamēto, in Petro scilicet illo qui dixerat, Etiā
si me oporteat mori tecū, nō te negabo. Hic est Pe
trus, qui diuina reuelatione prior omniū ueritatē
Matt.16 meruit confiteri, dicens: Tu es Christus filius dei. C
Hic tantus & talis uenit ad illā noctē in qua domi
nus tradebat̃, & cū se calefacere uellet ad prunas,
accessit ad eū puella & dicit ei: Et tu hesterno die
cum homine hoc eras. At ille mox respondit, Ne-
scio hominem istum. Quid agis ò Petre futuræ re
ctor ecclesiæ, quid loqueris? Intuere quid sis inter
rogatus, uel quid interrogāti respōderis. Vox tua
repente mutata est, hoc est, omne illud quod cito,
sed nō cauto sermone promiseras. Hoc est totum
quod etiā omnibus negantib. te usq; ad mortem
perseuerare iuraueras? Nondū fidem tuā aliquis
tentauit atq; discussit, nōdū te ob Christi negatio-
nem aduersarius traxit ad publicū, nondū es apud
reges & præsides ꝓpter nomen eius exhibitus, nō
tibi flagella, nondum sunt admota tormēta. Quis D
porrò est qui te interrogat, quòd tā cito negasti?
Non est seruus, nō liber, non pharisæus, nō scriba,
non sacerdos, nō miles, nō cēturio, nō spiculator,
nullus postremo eorum qui autoritate sua posset
formidinē incutere cōfitēti: mulier te simplici uo
ce interrogat, & fortasse nec proditura cōfessum:
nec uero tantū mulier, sed puella: & non solū puel
la, sed ostiaria, uile proculdubio, abiectumq; man
cipium. O res stupenda. Puella accedēs fidē Petri
discussit, & mirū si soliditatem Petri nō turbo, nō
imber, sed roris leuissima gutta transfixit. Petrus
labia puellæ non sustulit, sed ubi locuta est, ille tur
bat̃. Processit sermo puellæ, & immobilis colum
na concussa est. Veruntamen instabat illa interro
gans, & dicebat: Et tu hesterno die cum homine
hoc eras? Petrus autē eo magis oppressus formidi
A ne, hominē se scire negauit. Quem respiciēs Chri-
stus suorum fecit recordari sermonum. At ille in-
telligēs factum, cōuersus ad pœnitentiā amarissi-
me fleuit. Agnouit enim sibi ut homini peccati ir
repsisse perniciem, quod totum hactenus ut me-
mini diuinitus procuratū est. Videte ergo fratres
charissimi, quemadmodū exiguæ culpę permittit̃
subiacere tantus Apostolus, ut emendatus elatio-
nis uitio atq; correctus, integro uestiat̃ moderatio
nis & clementiæ indumēto. Iam enim eruditus es
& edoctus in Petro, quēadmodū eū dominus tui
causa patitur circūscribi delicto, quemadmodum
illum fidei pietatisq; signiferū, & generis humani
columnam permiserit metu dominante quassari,
B ut populorū doctoribus & magistris esset exem-
plum, à deo sibi non peccandi gratiā minime con
donatam, sicut dicit Apostolus Paulus, Consi-
derans te, ne & tu tenteris. Cum forte quis fuerit
in ecclesia delicto præuentus, non statim abijciat,
condemnet, sed compatiatur ac lugeat, console-
tur & reuocet, commodet iacenti affectum, por-
rigat manum, erigat lapsum, spem ei diuinę clemē
tiæ repromittens, sub qua etiam seruire exemplo
tantorum comprobat magistrorum. Hæc autem
nos, ut suprà memorauimus, non iustos culpādo,
sed peccatores ad spē erigendo protulimus, & pri
mo quidē uirtutes eius extulimus, ut & iustis for-
mam cautelæ, & peccatoribus salutis monstrare-
mus exemplum.

In eadē feria, De expositione Symboli: Ser. II

SERMO CXXV

Idem prope est cū Damasi papæ symbolo: quod inter Hieron. opera reperies tom. 2. fol. 56.

C Credimus in unum deum patrē omnipo-
tētem, et in unigenitū filium eius Iesum
Christum deum & dominū saluatorem,
& in spiritum sanctum deum. Nō tres deos, sed pa
trem & filium & spiritūsanctum unum deum coli
mus & confitemur. Non sic unū deum quasi soli-
tariū, nec eum deniq; qui ipse sibi pater sit, ipse &
filius. Sed patrem uerum qui genuit filiū uerum,
id est, deum de deo, lumē de lumine, deum uerum
de deo uero, omnipotentem de omnipotēte, uitā
ex uita, perfectū ex perfecto, totum à toto, plenū
à pleno: non creatum, sed genitum: nō ex nihilo,
sed ex patre, unius substantiæ cum patre, qđ Græ
ce dicitur homousiō. Spiritum uero sanctū deum
D non ingenitum, neq; genitum, non creatum neq;
factum, sed de patre procedētem & filio, patris &
filij spiritum, semper in patre & filio coæternū &
coæqualem & cooperatorem cōfitemur & uene-
ramur. Ideoq; in nomine patris & filij & spiritus-
sancti unū confitemur deum: quia deus nomē est
potestatis non proprietatis. Proprium nomē est
patri pater, & proprium nomen est filio filius, &
propriū est spirituisancto spiritussanctus. Hanc tri
nitatem unum deum credimus. Et unū esse deum
patrem, & ex uno patre filium, qui est unius cū pa
tre naturæ uniusq; substantiæ, & unius potestatis.
Pater filiū genuit, non uolūtate, non necessitate,
sed natura. Filius ultimo tēpore, per quem omnia
facta sunt, quę in cœlis, & quę in terra, uisibilia &
inuisibilia, ad nos saluandos & ad implendas scri-
pturas

pturas uenit à patre, qui nūquā desijt esse cum pa-
tre: quē credimus conceptū de spiritusancto, & na A
tum de uirgine Maria, uerbū carnē factū, non de-
mutatū, sed deum permanentē, hominē natum nō
putatiue, sed uere: non aereum, sed corporeū: non
phantasticum, sed carnē, ossa, sanguinem, sensum,
& animam habentē: hoc est, perfectū hominē, ue-
rum hominē, & uerum deū intelligimus, ut uerū
deum uerū hominem fuisse nullo modo ambiga-
mus. Non enim amisit quod erat, sed cœpit esse q
non erat, ut perfectus sit in suis, & uerus sit in no-
stris. Nā qui deus erat, homo factus est: & qui ho-
mo natus est, operatur ut deus: & qui operatur ut
deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur,
surgit ut deus: qui deuicto mortis imperio, cū ea
carne qua natus & passus & mortuus fuerat surre B
xit. Ascendit ad patrem, sedetq; ad dexteram eius
in gloria, quā semper habuit habetq;. In eius mor-
te & sanguine credimus nos emundatos, & ab eo
resuscitandos die nouissima in hac carne in qua
nūc uiuimus, & quā habemus, consecuturos nos
aut uitā ęternā pro pręmio boni meriti, aut pœnas
pro peccatis æterni supplicij. Hęc retinete, huic fi
dei animas uestras subiugate, à Christo domino
pręmia consecuturi regni cœlorum, Amen.

In eadem feria, de oratione dominica:

Sermo III

SERMO CXXVI

Q Voniam domino gubernante iam estis in
regia constituti, & prope est dies quo ad
cœlestis regis ueluti consistoriū ueniatis,
moneo uos charissimi, ut precem legitimā patri
& deo offerendā antè discatis. Nam quia stupida
mens hominū & ignara cœlestium, nec scire, nec
inuenire poterat quemadmodum deū digne pre-
caretur, ipse uerus dominus & magister ostēdit &
docuit, per se quidē sanctos Apostolos, per illos
autē nos, quomodo debeamus orare. Sic, inquit,
Matth.6 orabitis: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur
nomen tuum, adueniat regnum tuū, fiat uoluntas
tua, &c. O uere cœlestis oratio, quæ tota est ora-
tio. Nam si singula uerba ꝓut sunt, latius tractare
uoluerimus, dies antè q̃ sermo deficiet. Attamen
breuiter percurramus. Dicimus: Pater noster q es
in cœlis. Sic incipiēdo, bonitatē dei & gratiā pro-
testamur. Nam quando nos terrestres & miseri, &
imbecilles, & inutiles serui auderemus uultum le
uantes ad cœlū dicere, Pater noster: nisi ipse ꝑ suū
nobis unigenitū hanc fiduciam pręstitisset? Sicut
Ioan. 1 scriptum est: Quotquot eū receperunt, dedit illis
potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomi
ne eius. Accepta igitur potestate patrē uocamus
deum, quia per fidem spiritum adoptionis accipi
mus, ut nos factos dei filios gratulemur. Deinde
dicimus: Sanctificetur nomen tuū. Hoc actio gra
tiarum est, ueluti si dicatur, sanctū sit & benedictū
nomen tuū. Decet ergo gratias agere, qui gratiā
meruerunt. Adueniat regnū tuum. Non utiq; ut
incipiat ille regnare, cuius regnum est omniū se-
culorū: sed hoc optamus ut fidē nostris faciat ma-
lis, & ueniens de cœlo nos assumat in regnū. Hoc
enim dicto admonemur, ubi uitā nostram & sub-

Aug.to.10

stantiam & regnū sperare debeamus. Similiter di-
A cimus: Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra.
Quis em̄ obstat deo, quo minus fiat uoluntas eius
ubiq;? Sed hoc oramus, ut sicut in cœlo fit uolun-
tas dei ubi nullus offendit: ita uirtutem nostris ani
mis tribuat, ut eius uoluntatē nos qui sumus in ter
ra facere & implere possimus. Vel certe cum dici
mus, Fiat uolūtas tua: docemur semper ad dei, nō
ad nostram respicere uoluntatē: quia in nostra uo
luntate aliquotiens contraria sunt, in domini aūt
uoluntate uita est semper & bonitas. Consequēter
iam post cœlestia etiā terrestria postulamus, sed ta
men necessaria. Nam dicimus: Panē nostrū quo-
tidianū da nobis hodie. O sapientia uera & diui-
na prouidētia, quæ docuit & panē solū petere, &
B hodie nominare. Hoc em̄ dicto & auiditas cū aua
ritia tollitur, & humanæ uitæ insinuatur incertū:
secundum illud, Nolite soliciti esse in crastinum. Matth.6
Vere em̄ inconueniens esset eū in multos annos
& tēpora, uel certe in aliū diem necessaria postu-
lare, cui forte sub nocte esset uita finienda. Sic em̄
& ille auarissimus diues, qui restructis horreis &
repletis dixerat ad animā suā: Habes multa bona
in annos multos, epulare: audiuit à domino, Stul-
te, hac nocte repetunt animā tuā, quæ præparasti
cuius erunt? Cōpetenter ergo oramus, panē no-
strum quotidianū hodie nobis dari, quia crastinus
dies quid pariat ignoramus. Dicimus deinde: Di-
mitte nobis debita nostra. Debita fratres peccata
intelliguntur. Nam debitū cōtrahitur quotiescun
C que delinquitur, quod debitū quandoq; solui in
gehēna necesse est. Et quia humanæ fragilitati nō
deest quotidie unde delinquat: ideo petimus ut
debita nobis dum sumus in corpore dimittantur,
ne usq; ad nouissimū quadrantē desudemus. Be-
ne aūt adiūgit̃: Dimitte nobis debita nostra, sicut
& nos dimittimus debitoribus nostris. Vides cha
rissime quāta nos conditione diuinus sermo præ-
stringat. Dimitte ergo, ut dimittat̃ tibi. Habes ali-
quem debitorē qui in te peccauit, qui forte iniuriā
fecit, dimitte illi rogāti, indulge poscēti, parce pœ
nitenti, ne dū denegas pietatē fratri, tibi claudas
indulgentiā. Iam uero utilissimo fine oratio sacra
cōpletur orando contra tentationē & malū. Dici
mus em̄, Ne inducas nos in tentationē, sed libera
D nos à malo. Inducit deus in tentationē hominem
cū tētari permittit ut probet, non ut perimat̃. Ten
tat autem non quasi mentiū nescius humanarum,
sed ut suos fideles faciat in seculo manifestos, sicut
scriptū est, Vasa figuli ꝓbat fornax, homines autē
iustos tentatio tribulationis. Sic Abraham tenta-
uit in filio & honorauit, sic Iob dando in tentatio
nes uarias probauit, sic sanctos Apostolos, sic bea
tissimos martyres per ignē quoq; & gladios coro
nauit. Ex quo apparet, à deo tētationes huiusmo-
di prouenire, & diabolū nihil sine dei permissio-
ne ualere. Ergo deus solus adorandus est, q potest
educere de tētatione. Educit uero cū liberat à ma
lo. A malo aūt liberat, quando super id quod pos-
sumus, non nos permittit tentari. Habetis fratres
ostēsum, & quē debeatis orare, & cui gratias age-

 re, &

re,& cuius cupere regnum,uel expectare uolũtatem. Deinde contra tentationes & malũ, cuius sit auxilium prestolandum. Ecce in paucis omnia & in breuitate completa sunt. Quia ergo non difficile discitur, imò facile retinetur, omnes hortor tam uiros quàm fœminas, discite retinere: ut cum fueritis gratiam domini quam cupitis consecuti, inter omnes sanctos hanc precem ore cõsono proferre possitis, & corde mundo diligere: ut Christus sedens ad dexteram patris in ore uestro uerba sua uidẽs, & in corde uestro sua præcepta, & hic uos custodiat, & futuro æuo dignos efficiat. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

Ioan.13. Feria quinta in cœna domini, de eo quod scriptum est in Euangelio secundũ Ioannem, Surgit à cœna & ponit uestimẽta sua, &c. Ser. I.

SERMO CXXVII

ODIE fratres charissimi audiuimus Euãgelistam dicentem, Quia cum surrexisset à cœna dominus, posuit uestimenta sua, & precinxit se linteo, & cœpit lauare pedes discipulorum. Quid nos dilectissimi in hoc loco dicturi sumus? Quam excusationẽ prætendere poterimus, qui dedignamur impendere peregrinis, qd' ille dignatus est impẽdere seruis suis? Sed sunt forte aliqui uiri potentes & nobiles, sunt aliquæ delicatæ matronæ, quæ dedignantur se inclinare, usq; ad uestigia sanctorum in hoc mundo peregrinantium: hospitum pedes non solum ipsi dedignantur abluere, sed nec suorũ quidem cuiquam ut pro se faciant imperare. Erubescũt forsitan nobiles delicatis manib. uiri, uel mulieres Christianæ in hoc mundo sanctorum contrectare uestigia, quia hoc natalium prærogatiua non patit̃. Mala nobilitas, quæ se per superbiam apud deũ reddit ignobilẽ. Erubescũt ergo nobiles & potẽtes sanctis et peregrinis abluere pedes in hoc seculo, sed si se non correxerint, plus habẽt erubescere & dolere, cum ab illorũ consortio separati fuerint in futuro. Tũc sine ullo pœnitentiæ remedio affligent̃, cum illos quos despexerãt, propter humilitatẽ uiderint accipere regnum, se propter superbiã meruisse suppliciũ. Timeamus ergo fratres illud quod beatus Petrus Apostolus timuit, quãdo audiuit dominũ dicentem: Si non lauero te, non habebis partẽ mecum, Et dum Petrus recusat, negat illi Christus regnum, nisi accepisset obsequium: ne forte et nos si sanctorũ pedes dedignamur abluere, partẽ cum illis nõ mereamur habere, inclinemus nos potius ad sanctorũ uel peregrinorum uestigia: quia cum hoc sancta humilitate complemus, illorũ quidem pedes manibus nostris tangimus, sed animarum nostrarum sordes & maculas per fidem & humilitatem abluimus, & non solum minuta, sed etiam capitalia peccata purgamus. Gaudete ergo dilectissimi & exultate in dño, qui nobis in hoc die salutiferę consolationis mysteria cõsecrauit. Vnde autem commendauit dominus corpus & sanguinem suum? Vnde nisi de humilitate sua? Nisi em̃ esset humilis, nec mãducaretur nec biberetur. Respicit altitudinem ipsius, In principio erat uerbũ. Ecce qualis est cibus sempiternus. Sed manducãt angeli, manducant supernæ uirtutes, manducant cœlestes spiritus: manducant & saginantur, & integrũ manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum ascẽdere? Quia ergo ad illum panem homo non poterat ascendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominẽ: & hoc cum ineffabili pietate factũ est, quia oportebat ut mensa illa angelorũ lactesceret, & ad paruulos peruenirет. Sic ergo fecit sapientia dei, sic nos per carnis assumptionem pauit pane cœlesti. Quia uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vide ergo humilitatem, quia panem angelorum mãducauit homo: id est, uerbũ illud unde pascuntur angeli sempiternũ, quod est æquale patri, mãducauit homo. Et ideo fratres charissimi, quia nos dns noster patientia docuit, pœna liberauit, morte redemit, speremus semper in domino, & nihil sine eius uoluntate & adiutorio præsumamus. Nostis em̃ quid temere beatus Petrus promiserit Christo, Et si omnes, inquit, scãdalizati fuerint in te, ego nunq; scandalizabor. Dominus qui nouerat fragilitatẽ humanam, & sciebat nõ esse in promissione, sed in cõsummatiõe uirtutẽ: Amẽ, inq̃t, dico tibi, quòd in hac nocte anteqũ gallus cantet, ter me negabis. Dicit ei beatus Petrus, Etiã si me mori oportuerit tecum, nõ te negabo. Videte fratres respõsionẽ discipuli, & intelligite dilectionis esse qd' dixit. Sed qa per solũ sui amoris studium, nõ addito etiã adiutorio domini uoluit esse ꝓmissum, stare nõ potuit per hominẽ, quod sub diuinitate pendebat: fuit quidẽ in uoluntate, sed nõ fuit in uirtute, sicut ipse dominus dicit, Spiritus promptus est, caro aũt infirma. Et iterũ, Sine me nihil potestis facere. Vsq; ad mortẽ promisit, & in timore negauit. Habuerat confessionem mirabilem, si habuisset in consummatione uirtutẽ. Vnde dilectissimi fratres, rogo & admoneo uos, ut unusq;que recurrat ad testem idoneum, id est, cõscientiã suã: & si ibi aliqua uulnera inuenerit peccatorum, confugiat ad remedium lachrymarum, pœniteat se fecisse quod fecit, incipiat uigilantissimo corde præterita curare, præsentia uitare, futura prospicere, & deo auxiliante omnia mala repellere: quia quandiu quis in hoc seculo uiuere possit ignorat, nec licet euadere, nisi pœnitẽtia præcurrẽte. Illud ante omnia dilectissimi fratres, q̃d specialiter pertinet ad fideles, pia fide & tota animi deuotiõe cogitate. Accessuri ad altare domini dei nostri inspicite uniuersa latibula cordis uestri, ne forte sint ibi aliqua peccata, quæ nondũ curata sint eleemosynis atq; ieiunijs: & timete illud Apostoli, Qui mãducauerit corpus domini et biberit sanguinẽ eius indigne, reus erit corporis & sanguinis dñi. Probet autem seipsum homo, & sic de corpore illo edat, & de calice bibat. Nullus ex uobis contra ullũ hominẽ odiũ reseruet in corde suo, ut securi possitis dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Castitatẽ aũt ante omnia custodite, gulam refrenate, ebrietatẽ fugite, pauperibus secũdum quod uires suppetũt eleemosynas date. Et hoc ante omnia rogo fratres charissimi

Ioan.1

Ioan.15

Mat.26

1.Cor.11

charissimi, ut gaudium quod nobis hucusque de uestra deuotione fecistis, in die crastina, id est, in passione domini compleatis. Nõ enim qui cœperit, sed qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Et ideo sic agere debetis, ne per unius diei negligentiam perdatis, quod per totam quadragesimam acquisistis. Sic est enim tota quadragesima abstinere, orare uel psallere, & in passione domini, id est, in Parasceue de ecclesia se subtrahere: quõ si quis cum grandi labore studeat terram colere, & messem non mereatur accipere. Et ideo rogo uos, ut nullus se de ecclesia subtrahat, nisi forte quem aut corporis infirmitas, aut grandis & publica necessitas tenuerit occupatum. Ipse em̃ in Paschali solennitate legitimum gaudium poterit celebrare, q̃ in passione domini se noluit de ecclesiæ conuentu subtrahere. Qui me in hac suggestione libẽter audierit, confido q̃ illi deus & in hoc seculo & in futuro gloriosa præmia recõpensabit: qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Eodem die de Iuda Iscarioth: Sermo II

Maximi SERMO CXXVIII

RETINET sanctitas uestra fratres, nos uobis hoc proxima dominica prędicasse, quod Iudas Iscarioth propria sentẽtia condẽnatus, ad pharisęos dominici sanguinis mercedem reportarit, & actus pœnitentia refuderit uenditionis precium, sed conscientię suæ non resoluerit scelus. Deniq; post redditum precium, laqueo se suspendit, ut qui se mulctauerat pecunia, mulctaret & uita. Intelligẽs enim quantum scelus admiserit, nõ suffecit ei sacrilegij carere mercede, nisi careret & salute. Dignum enim se morte iudicat, quòd Christum uitam omniũ tradidisset. Seuerissimus igitur Iudas sui iudex, uel in ulciscẽdo confitetur, quem negauerat in tradendo. Restituit ergo pecuniam Pharisæis, sed nec pharisæi eam libenter accipiunt. Dicunt enim illicitum sibi esse in suis eam habere thesauris. Vide igitur quãta uis dominicæ sit pecuniæ, quam inde Iudas reijcit, hinc pharisæi in loculos non recludunt. Iusti enim sanguinis precium pertimescit iniquitas possidere: consiliũ tamen ineunt Pharisęi, ut ex eo ager figuli compare̅t, in quo peregrinorum corpora collocentur. Quod quidem prouidentia dei factum puto, ut precium saluatoris nõ peccatoribus sumptum prębeat, sed peregrinis requiẽ subministret: non sacrilegis sit ad luxum, sed defunctis sit ad sepulchrum: ut iam exinde Christus & uiuos sanguinis passione redimat, & mortuos preciosa possessione suscipiat. Precio ergo dominici sanguinis ager figuli cõparatur. Legimus in scripturis, q̃ totius generis humani salus redẽpta sit sanguine saluatoris, sicut ait Apostolus Petrus, Hoc scientes, quia non corruptibilibus auro uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione paternę traditionis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Iesu Christi. Igit̃ si preciũ uitæ nostræ sanguis est domini, uide ergo quia illo non tam redempta sit agri terrena fragilitas, q̃ totius mundi incolumitas sempiterna. Ait nanq; Euangelista. Non enim uenit Christus ut iudicet mundum, sed ut saluetur mũdus per ipsum. Vide, inquam, ne pecunia illa non tam comparati sit agri parua portio, quàm totius mundi copiosa possessio, sicut ait Dauid Propheta, Postula à me, & dabo tibi gẽtes hęreditatem tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Ager ergo iste mundus hic totus est, in quo nos dispersi & disseminati domino fructum boni operis germinamus. Sed si fortasse perquiras à me, si ager mundus est, quis nam sit figulus qui mundi possit habere dominatũ? Ni si fallor, ipse est figulus, qui uascula corporis nostri fecit ex limo, de quo dicit scriptura, Et fecit deus hominem de limo terrę. Ipse est figulus, qui carniũ nostrarum cœnosum lutum uapore sui spiritus animauit, & materiã fluidam atq; terrenam igneo calore decoxit: ipse, inquã, est figulus, qui nos per manus suas formauit ad uitam, per Christum suũ reformauit ad gloriã, sicut ait Apostolus, Ad eandem imaginem reformamur de gloria ad gloriã: scilicet ut q̃ à priore factura proprijs uitijs corruimus, in secunda natiuitate figuli huius materia reparemur: hoc est, qui per Adæ transgressionem in mortem cecidimus, per saluatoris gartiam denuo resurgamus. Ipse planè est figulus, de quo dicit beatus Apostolus, Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare me finxisti sic? Et iterum, Nũquid nõ habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorẽ, aliud uero in contumeliam? Ex eodem enim luto corporis nostri deus, tamen pro meritis singulorũ, alios custodit ad regnũ, alios reseruat ad pœnam. Iuste utiq; figuli ager Christi sanguine emptus est: peregrinis inq̃t, qui erant sine domo & patria, & his qui totò orbe exules iactabantur, requies Christi sanguine prouideẽ: & quibus non est in mundo possessio, his in Christo sit sepultura. Istos aũt peregrinos q̃s esse dicimus, nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes seculo, & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christianus em̃ qui mundum non possidet, hic totum possidet saluatorem. Ideo autem peregrinis Christi sepultura promittitur, ut qui se à carnalibus uitijs tanquam peregrinum & alienum custodierit, is Christi requiem mereatur. Sepultura enim Christi quid est aliud, nisi requies Christiani? Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, & tanquam hospites in hac luce uersamur, sicut ait Apostolus dicens, Etenim dum sumus in corpore, peregrinamur à domino. Peregrini, inq̃t, sumus, & nobis saluatoris empta est sepultura. Consepulti enim sumus, sicut ait Apostolus, cũ illo per baptismum in mortẽ. Baptismus igitur Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminib. sepelimur, & ueteris hominis conscientia resoluta in alteram natiuitatem rediuiua infantia reparamur. Baptismus, inq̃t, saluatoris nobis est sepultura: quia ibi p̃didimus q̃d ante uiximus, & ibi denuo accipimus ut uiuamus. Magna igitur sepulturæ huius est gratia, in qua nobis & utilis mors inferẽ, & utilior condonatur. Magna, inquam, sepulturæ huius gratia, quæ & purificat

Ioan.3

Psal.2

Gen.2

2 Cor.3

Rom.9

2.Cor.5

Rom.6

1.Pet.1

purificat peccatorem, & uiuificat morientem.

Eodem die, de fide recta: Sermo III

Ser. CXXIX

C REDIMVS in unũ deum patrem & filium & spiritum sanctũ, uisibiliũ & inuisibilium factorem, per quẽ creata sunt omnia in cœlo & in terra. Hunc unũ deum, & hanc unam esse diuini nominis trinitatẽ, patrẽ non esse filium, sed habere filium qui pater nõ sit: filiũ non esse patrẽ, sed filium dei esse natum, sanctũ quoq; paracletũ esse, qui nec pater sit ipse, nec filius, sed à patre filioq; procedat. Est ergo ingenitus pater, genitus filius, nõ genitus paracletus, sed à patre et filio procedens. Pater est, cuius uox hęc est audita

Matt. 3 de cœlis, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi

Ioan. 16 bene cõplacui. Hic filius est q̃ ait, Ego à patre exiui, & ueni in hunc mundum. Paracletus est ipse de quo filius ait, Nisi abiero ad patrẽ, paracletus non ueniet ad uos. Hãc esse trinitatem personis distinctam, indifferentem: pręter illam nullam diuinam esse naturam uel angeli, uel spiritus, uel uirtutis alicuius quę deus esse credatur. Hunc igitur filium dei deum natũ à patre, & esse principiũ, patrẽq; illum sanctificasse in utero Mariæ uirginis, atq; ex ea unũ hominem sine uiri semine generatũ: id est, suscepisse dñm nostrũ Iesum Christum non imaginarium corpus, aut forma sola compositum, sed solidum. Atq; hunc & esurisse, & sitisse, & doluisse, & fleuisse, & omnia corporis exercitia sensisse. Postremo crucifixũ, mortuũ & sepultũ, tertia die resurrexisse, conuersatum postmodũ cum discipulis, quibus sanctũ paracletum misit, dum ad cœlos ascendisset: hũc filium hominis nũc uocari. Resurrectionẽ ueram humanę credimus carnis. Animã hominis non diuinam esse substantiam uel dei patris, sed creaturã diuina uoluntate prolapsam. Si quis ergo dixerit atq; crediderit, à deo omnipotẽte mundũ hunc factum non fuisse atq; eius omnia instrumenta, anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit deum patrem eundem filium esse uel paracletum, anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit deum filium eundem esse patrẽ uel paracletũ, anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit paracletum spiritum, esse patrem seu & filium, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit hominem Iesum Christum à filio dei assumptum non fuisse, anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit filium dei deum passum fuisse, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit hominem Iesum Christum, hominem impassibilem fuisse, anathema sit. Si quis dixerit atque crediderit alterum deum esse priscæ legis, alterum Euangeliorũ, anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit ab altero deo mundum fuis

Gen. 1 se factũ, quàm ab illo de quo scriptum est: In principio fecit deus cœlum & terram: qui solus uerus deus est, anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit corpora humana non resurrectura post mortẽ, anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit animam humanam dei portionem uel dei esse substãtiam, anathema sit. Si quis aliquas scripturas præter eas quas catholica ecclesia recepit, uel in autoritate habendas esse crediderit, uel fuerit uenera-

A tus, anathema sit. Si quis non dixerit, semper patrem, semper filium, & semper spiritum sanctum esse, anathema sit. Si quis nõ dixerit filium natum esse de patre, id est, de substãtia paterna, anathema sit. Si quis non dixerit uerbum dei filium dei esse, & deum patrẽ eius, & omnia posse, & omnia nosse, & patri æqualem, anathema sit. Si quis dixerit, q̃ in carne constitutus filius dei cum esset in terra, in cœlis cum patre non erat, anathema sit. Si quis dixerit, quòd in passiõe crucis dolorem sentiebat filius dei, deus & nõ caro cum anima quam induerat formam serui quam sibi acceperat, sicut ait scri

Philip. 2 ptura, anathema sit. Si quis non dixerit, q̃ in carne quam assumpsit sedet in dextera patris, in qua uẽturus est iudicare uiuos & mortuos, anathema sit.

B Si quis non dixerit spiritum sanctum de patre esse uere ac proprie, sicut filius de diuina substantia, & deum uerum, anathema sit. Si quis dixerit spiritũ sanctum facturam, aut per filium factum, anathema sit. Si quis non dixerit, omnia per filium & spiritum sanctum patrem fecisse, id est, uisibilia & inuisibilia, anathema sit. Si quis non dixerit patris & filij, & spiritus sancti unam diuinitatem, parẽ maiestatem, potẽtiam, unã gloriam, dominationem, unum regnum atque unam uolũtatem, anathema sit. Si quis tres personas non dixerit ueras, patris & filij & spiritus sancti æquales, semper uiuentes, omnia continentes uisibilia & inuisibilia, omnia potentes, omnia iudicãtes, omnia uiuificantes, omnia facientes, omnia quę saluanda sunt saluantes,

C anathema sit, Si quis non dixerit adorandum spiritum sanctum ab omni creatura, sicut filiũ & patrẽ, anathema sit. Si quis de patre & filio bene senserit, de spiritu autẽ sancto non recte habuerit, hæreticus est. Quòd omnes hæretici de filio dei & spiritu sancto male sentientes, in perfidia Iudæorum & gentilium inueniuntur. Quòd si quis patiatur deum patrem & deũ filium & deum spiritum sanctum deos dici, & non deum, propter diuinitatem & potẽtiam unam quã credimus esse & scimus patris & filij & spiritus sancti, anathema sit. Si quis subtrahens aut filium, aut spiritum sanctum, ita solum existimet esse deum patrem dici, aut credi unum deum, anathema sit.

D Item in eadem feria, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Ioannem: Ante Ioan. 13 diem festum Paschæ sciens Iesus: &c. quæ habetur in expositione doctoris ibidem.

Item eodem die alius sermo de Psalmo sexagesimotertio: Exaudi deus orationem meã: &c. qui sumptus est de expositiõe doctoris eiusdẽ psalmi.

Item eodem die alius sermo factus ad fratres in eremo, qui inter sermones ad eosdem habetur uigesimus octauus.

Feria sexta in parasceue, de cruce & latrone.

Sermo I

Ser. CXXX

M ODIERNA die dominus noster fratres pepẽdit in cruce, & nos epulamur, ut discatis qm̃ crux Christi feriæ sunt & nundinę spiritales. Antea nanque crux nomen condem-

condemnationis erat, nũc uero facta est res honoris: prius in damnatione maledicti stabat, nunc in

A occasione salutis erecta est. Hæc enim crux innumerabilium nobis bonorum extitit causa: hęc nos de errorib. liberauit, hæc nos sedentes in tenebris illuminauit, hęc nos ex diabolo expugnatore reconciliauit deo, & ex alienatis restituit in domesticos, de longinquis proximos fecit, de peregrinis reddidit ciues. Hæc est enim inimicitiarum interemptio, pacis firmamẽtum, & omnium nobis bonorum thesaurus: propter hanc iã non erramus in solitudinibus, uiam em̃ ueritatis agnouimus, nec iam extra regnum sumus, ianuã enim regis intrauimus, iam ignitas diaboli sagittas non timemus. Fontem enim uitę quo extinguerent̃ inuenimus.

B Propter hanc iam in uiduitate nõ sumus, spõsum enim recepimus. Nõ expauescimus lupum, quia

Ioan. 10 bonum pastorem inuenimus, Ego em̃ sum, ait, pastor bonus. Propter hãc nõ formidamus tyrannũ, regi em̃ adhæremus: propter hanc diem festũ agimus, crucis memoriam celebrãtes. Ita & magister gentium docet, propter crucem annua festa cõsti

1. Cor. 5 tui. Epulemur, inquit, nõ in fermento ueteri, neq; in fermento malitiæ & nequitię, sed in azymis synceritatis et ueritatis. Deinde causam agendę solennitatis adijciẽs, ait: Quoniã Pascha nostrũ pro nobis immolatus est Christus. Vbi aũt sacrificiũ, ubi & interemptio peccatorũ, ibi recõciliatio dei fiet. Vox lętitię & salutis in tabernaculis iustorũ. Sed & omnis terra lætet̃, Pascha nostrũ pro nobis immolatus est Christus. Et ubi immolatus est? Dicito, in altitudine crucis. Nouũ est altare sacrificij huius, quoniã & immolatio noua et admirabilis. Ipse

C em̃ & hostia erat & sacerdos. Hostia quidẽ secundum carnẽ, sacerdos uero secundũ spiritũ. Idẽ ipse & offerebat quidẽ se secundũ spiritũ, offerebat̃ uero secundũ carnem. Audi igit̃ nũc quomodo utra

Heb. 5 que hęc manifestauerit Paulus. Omnis, inquit, sacerdos, qui ex hominibus accipit̃, pro hominibus constituitur. Vnde necessariũ est, ut & ipse habeat q̃d offerat. Ecce ipse offerebat seipsum. Alibi di-

Heb. 9 ctũ est, Quoniã dñs semel oblatus est, p oblatione sui, deinceps ut multorũ auferat peccata. Secunda uero sine peccato uidebit̃ his, q̃ expectãt eũ in salutẽ. Ecce istic oblatus est, ibi seipsum obtulit. Vidisti quomodo simul & hostia & sacerdos factus est, & altare erat crux. Et cuius rei causa non in tẽ-

D plo offert̃ hæc hostia, sed extra ciuitatem & extra

Isaie 53 muros, ut illud impleret̃ quod scriptum est, Quo-

Luc. 22 niã inter iniquos deputatus est. Cuius igit̃ rei causa in altitudine crucis immolat̃, & non sub tegmine ædificij? Ob hoc scilicet, ut aeris naturã mundaret, propterea non in altari, nec tecto superposito, sed sub cœlo. Aer em̃ purgabat̃, cum in altitudine immolaret̃ ouis: terra etiã purgabat̃, qa stillabat sanguis dñi super eam. Ideo nõ sub tegmine, neq; in templo Iudæorum, ut non subtraherent sacrificium salutare Iudæi. Neq; existimes pro illa tantummodo gẽte hãc hostiam offerri. Propterea enim extra ciuitatem & extra muros, ut intelligas qm̃ communis est hostia pro genere humano ob-

A lata: & ideo cõmunis est purificatio, nõ ex aliqua parte, quemadmodum fuerat in Iudæis. Nam Iudęis ideo pręcepit deus relinquere uniuersam terram, & in uno loco offerre sacrificia et uota reddere, quoniam immunda erat tunc uniuersa terra fumo ararũ & nidore bustorũ, cæterorumq; coinquinatorum, eorum quæ de prophanis gentiliũ sacrilegijs inferebantur super eam. Nobis uero iam quoniam Christus adueniens uniuersam terram expiauit, omnis locus oratorium factum est. Et idcirco beatus Paulus hortat̃ & præcipit, sine intermissione orare ubiq;, dicẽs, Volo orare uiros in omni loco, leuantes manus sanctas? Vides quomo 1. Tim. 2

do mundatus est orbis terrarum. Et ideo ubiq; sanctas manus leuare possumus, quoniã uniuersa ter

B ra sanctificata est, ut sanctior sit q̃ illa quę in interioribus tẽpli ueteris erant sancta sanctorum. Ibi nanq; irrationabile animal ouis offerebat̃, hic autem spiritalis oblata est. Et quãto maior est oblatio, tanto & eminentior sanctificatio, idcirco festiuitas epulationis est crux Christi. Vis discere & aliud crucis beneficiũ? Paradisum ante quinq; millia uel amplius ferè annos clausum, hodie nobis aperuit. In hac enim die & in hac hora latronem introducẽs Christus, duplex beneficiũ operatus est: unum quidem quia paradisum aperuit, aliud uero quia latronẽ introduxit. Hodie reddidit nobis patriam principalem, hodie reduxit nos in ciuitatẽ paternam, & æternam domum redonauit cõmuni hominum naturæ. Hodie mecum eris in paradi Luce 23

so. Quid dicis? Crucifixus es, & clauis confixus, & paradisum promittis? Ita, inquit, ut in ipsa cru-

C ce uirtutẽ meam agnoscas, quoniam res hæc tristitiæ uidebatur, ut nõ in crucis lignum attendas, sed uirtutẽ eius qui crucifixus est discas. In cruce hoc miraculum operatus est, unde maxime potentiã suam declarat omnipotens, non mortuum resuscitans, non mari & uentis imperans, non dæmones eijciens, sed crucifixus & consputatus in facie, clauisq; confixus, cũ iniurias & maledicta susciperet, derisus atq; contemptus malignam illam atq; longo scelerum usu obduratam latronis mentem immutare præualuit, ut ex utroq; uirtutem eius inspicias. In eodem enim tempore passionis crucifixus uniuersam creaturam turbauit, & saxa dirupit, duriorem uero lapidibus animam attraxit pariter &

D honorauit, dicens, Hodie mecum eris in paradiso. Luce 23

Et certe Cherubin custodiuit paradisum, sed hic etiã Cherubin dominus est. Flammea rhomphæa obuoluitur, sed ipse & flammæ, & gehennæ, & uitæ, & mortis potestatem habet. Et quidem nemo regum aliquando passus est latronem hominem, aut quempiam alium eiusdem naturæ conseruum secum assumens ita in ciuitatem introducere: sed Christus hoc fecit, qui mortis & diaboli uictor, & sacratissimam ingrediẽs patriam secum latronem introducit, non conculcans paradisum istius pietatis opere, sed honorans, neq; confundens latronis introitu, sed illustrans. Honor nanq; paradisi est, talem dominum habere, qui etiam latronẽ dignum facere posset paradisi deliciarum. Etenim cum publicanos

blicanos & meretrices introduceret in regnum cœlorum, non confudit sed extulit regnum cœlorum, neque deiecit, sed potius honorauit paradisum. Honor enim, ut dixi, est paradisi, talē habere dominum, qui & latronem dignum facere possit delicijs et possessione paradisi. Talis est ēm domini regnum cœlorum, ut & meretrices & publicanos ita probabiles reddat, ut digni appareāt gratia & gloria quæ illic est. Quemadmodū enim medicum tunc maxime admiramur, cum uiderimus eum difficiles hominum ualetudines curantem, mortis q̃ pericula medēdi arte uincētē: ita & Christum admirari iustum est, quando insanabilia uulnera in corporibus & mentibus curat, quando publicanum & meretricē ad tātam sanitatem perducit, ut etiam cœlo dignos ostendat. Et quid tali dignum quiete egerat latro, ut post crucē quam meruerat, repēte paradiso dignus iudicaretur? Vis breuiter dicam uirtutem filij eius? Quando Petrus negauit deorsum, tunc ille confessus est sursum. Et hęc non ut accusans beatissimum Petrum locutus sum, quod absit, sed latronis magnanimitatē ostēdere uolēs. Nam ille discipulus minas abiectę puellæ non sustinuit, latro uero multitudinem totius populi uidens circumstantem & clamantem, insanas blasphemias & opprobria atq̃ maledicta iaculantem, non attendit illis, non cogitauit uisibilem abiectionem eius qui crucifigebatur: sed oculis fidei hęc cuncta transcurrens, & ut abiecta & leuia ueritatis impedimenta præteriens & relinquens, cognouit dominum cœli, & ait dicens, Memento mei domine in regno tuo. Ne ergo breui commemoratione dimittamus latronē istum, neq̃ cōfundamur doctorem accipere, quem dominus noster nō erubuit primū in paradisum introducere. Ne, inquam, erubescamus magistrum habere hominem qui ante omnem generis humani naturā meruit dignus haberi regno cœlorum: sed singula intentius disquiramus, ut uirtutem crucis agnoscamus. Nō dixit ad eum dominus quemadmodum
Matt.4 ad Petrum: Veni post me, faciam te piscatorē hominum. Nec dixit ad eū quemadmodum ad duo-
Matt.19 decim discipulos, Quoniam sedebitis super duodecim thronos iudicātes duodecim tribus Israel: sed nec qualecunq̃ uerbū dignatus ei dicere, nullum miraculum ostendit, non mortuum resuscitatum, non dęmonē expulsum, nō mare obediens, non denique aliquid aut de regno cœlorum ei locutus, aut de gehenna comminatus est: & prior omnium latro confessus est eum, & hoc alio exprobrante fecit. Improperat ei & ille alius latro. Audisti latronem & latronē, ambos in cruce, ambos ex conuersatione latronum, ambos ex eadā malignitate uenientes, sed iam nō ambo in eisdem mentibus & meritis sunt constituti. Nam alius quidem regnū adipiscebatur, alius uero in gehennam mittebatur. Ita & pridie in discipulis simile discrimen fuit. Nam & Iudas quidem discipulus fuit ut illi undecim, sed illi quidem dicebant domino, Vbi uis paremus tibi Pascha mādūcare: iste uero se ad tradendum dominum præparabat & dicebat, Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradā? & illi quidem ad ministerium diuinum se præparabant, hic autem ad tradendum festinabat. Ita & in hoc loco latro & latro, sed unus quidem improperabat, alius adorabat: alius blasphemabat, alius laudabat, & blasphemantē corripiebat: dicēs, Nec times dominum tuum? Vidisti fiduciam latronis, uidisti liberam uolūtatem in cruce. Audisti philosophiam in tribulatione, & reuerentiā diuini timoris in supplicio. Quoniam quidem in semetipso erat, & clauis confixus, non saucium intellectum neq̃ confixum sensum habebat. Quis nō admiretur & compungatur? Non solum enim quod in ipso erat, sed & ea quæ circa seipsum erant relinquens, de altero curam gerebat in cruce, doctor effectus, & corripiens & dicens, Nec times dñm tuum? Noli, inquit, attendere iudicio huic q̃d deorsum est, alius iudex inuisibilis est. Ne ergo cōsideres, quia deorsum à iudice mortali condēnatus est, non enim talia sunt superna iudicia. Hic autē in terreno iudicio, & iusti condemnantur, & iniusti effugiūt, & rei dimittuntur, & innocentes puniuntur. Volentes nanq̃ & nolentes multum errant qui iudicant. Ignorantes enim iustitiam seducūtur, uel certe scientes per auaritiam corrumpuntur ut sanguinem innocentē uendant. In supernis uero nihil tale. Iudex enim iustus est, & iudicium eius tanquam lumen prodijt, non habens tenebras neq̃ ignorantiam. Vt ergo non diceret, quoniam damnatus deorsum in terris, & adiudicatus est pœnæ, perduxit eum ad iudicium supernum, cōmemorauit tribunal illud horribile, tantum non dicēs sibi: Respice te, & non portabis sententiā damnationis ęternę, nec stabis in sorte iudicū corruptorum, respiciens ad salutem futurum in supernis iudicium. Vidisti philosophiam latronis, uidisti intellectū & doctrinam, subito in ictu oculi de cruce in cœlum transiliuit: ita iam ex abundantia receptæ iustitiæ proximum illum uel socium quondam suum arguēs, ut diceret ei: Non times, inquit, quoniam in ipso iudicio sumus, id est, eadē condemnatione? Nonne, inquit, & tu in ipsa cruce es? Quamobrem in quo sociū increpas pœnę, teipsum pro illo reum statues? Quemadmodum enim is qui in peccatis est, si alios audeat accusare, seipsum ante illos accusat: ita & is qui in ęrūna positus est, si alijs eam sui oblitus exprobrat, sibi ante illos dicit opprobrium: quoniā, inquit, in ipso iudicio sumus. Quid agis ò latro? satisfacere incipiēs, socium tibi dñm fecisti? Non, inquit: emendo hanc de me opinionē in sub sequentibus. Nam ne æstimes quòd propter damnationis consortium, criminis quoq̃ cōsortem fecerit dominum, subtexit emendationē, dicens: Et nos quidē iuste, digna enim patimur his quæ commisimus. Vidisti confessionem perfectam, uidisti quomodo in cruce se exuit à peccatis. Dic, inquit, tu iniquitates tuas prior, ut iustificeris. Nemo cōpulit, nemo uim fecit, sed ipse se diuulgauit, ipse condēnauit, dicens: Et nos quidem iuste digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit: Memēto mei domine in regno tuo. Non est ausus antè dicere

dicere, memento mei deus, quàm per confessionē iniquitatis præteritæ sarcinam peccatorum deponeret. Vides quanta res sit cōfessio. Confessus est, & paradisum aperuit: confessus est, & tantæ fiduciæ robur accepit, ut de latrocinio regnum deposceret, considerans quantorū bonorū nobis causa sit crux. Dicito mihi latro regnū petēs, quid in eo tale uides ex quo petis? Dic mihi, nam q̃d in conspicuo est, clauos & crucē cernis. Sed hęc, inquit, crux, ipsa regni insigne est, & propter eam Iesum regem appello, quia uideo crucifixum. Opus ēm regis est, uitam suam pro his quibus regnat oppo
Ioan.10 nere. Vnde & ait: Quia pastor bonus animā suam ponit p ouibus. Igitē & rex bonus animā suā ponit pro his quorū princeps est. Quoniā igitē animam posuit, ideo eum regem cognosco, & dñm appello. Memento mei, inquit, dñe in regno tuo. Considerasti qūo & regni insigne sit crux, quod si aliunde uis dicere, hoc ipsum nō reliquit eum solum super terram, sed attraxit in cœlo. Vnde hoc ipsum scire potes, quia pariter cum ipso ueniet in secūdo & glorioso eius aduentu, ut discas qūo uera & magnifica est crux. Vnde & gloriosam eam dixit, in ea gloriante Apostolo. Sed uideamus qūo cū cru
Mat.24 ce ueniet. Necessarium est enim & hoc ipsum ostēdere. Si dixerint, inquit, ecce in promptuarijs est Christus, ecce in solitudine est, nolite credere: de secunda pręsentia suæ gloriæ dicens propter pseudochristos, & propter falsos prophetas, propter antichristum, ne aliquis errore præuētus in falsos incidat christos, qm̄ Christi saluatoris aduentum præueniet antichristus. Ideo solicite præcauendū est, ne quis pastorem quærens, lupū inueniat. Ob hoc prædico tibi, unde dinoscas ueri pastoris aduentum. Nam quia primus aduentus eius latenter factus est, ne æstimes qm̄ secundus aduentus eius talis erit, hoc dedit signum. Hæc ēm fuit uoluntas eius, ut primus aduentus latenter fieret & quæreret quod perierat: secundus uero aduentus nō ita
Mat.24 simpliciter ait: Quēadmodum, inquit, fulgur exiens ab Oriēte apparet in Occidente, ita erit aduētus filij hominis. Subito omnibus apparebit, nec erit indigens quisq̃ interrogare, siue hic siue illic est Christus. Quemadmodum ēm cum fulgur emicuerit, non egemus inquirere si facta sit coruscatio, ita cum reuelatio præsentiæ eius effulserit, nō indigebimus interrogare an uenerit Christus. Sed quod quæritur, si cum cruce ueniet, nec enim promissæ expositionis oblitus sum, audi igitē subsequentia: Tunc, inquit, quando uenturus est, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum. Tanta enim erit eminentia splendoris in Christo, ut etiam clarissima cœli luminaria præ fulgore luminis diuini abscondantē. Tunc stellę cadent, quando apparuerit signū filij hominis in cœlo. Cōsideresti quāta uirtus sit signi, hoc est, crucis: sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum: crux uero fulgebit, & obscurabit luminaria cœli, delapsisq̃ syderibus sola radiabit: ut discas quoniā crux & luna lucidior, & sole erit præclarior, quorum splendorem diuini luminis illustrata fulgore superabit. Quemadmodum enim ingrediente rege in ciuitatem, exercitus antecedit, pręferens humeris signa atq̃ uexilla regalia, & ambitu præparationis armisonæ annunciat regis introitum: ita domino descēdente è cœlis pręcedet exercitus angelorum, qui signum illud, id est, triumphale uexillum sublimibus humeris pręferentes, diuinum regis cœlestis ingressum terrestrium mētibus nunciabunt. Tūc, inquit, commouebūtur uirtutes cœlorum. De angelis dicit: Tremor ēm illos apprehēdet, & timor magnus. Cuius igitur rei causa dic mihi? Quia tūc tam terribile erit iudicium illud, ut etiam ab angelis timeatur. Omnis enim natura generis humani incipiet iudicari, & astare terribili iudici. Quāobrē ergo tūc angeli contremiscent, & unde tremor apprehendet eos? Non enim illi habent iudicari. Sed quemadmodum principe iudicante, non solum rei, sed & officia quæ nihil sibi conscia sunt, timore & tremore comprehenduntur propter iudicis terrorem: ita & tunc cum genus humanum iudicabitur, etiam cœlestes ministri pauebunt, & terribili apparatu de iudicis intuentis horrēda formidine contremiscent. Sed quare crux apparebit tunc, & quam ob causam in eius pręlatu dominus adueniet, ratio perspicua est, ut agnoscat consilium iniquitatis suæ qui dominum maiestatis cruci fixerunt. Per hoc enim signum, impudens Iudæorum redarguitur impietas: & quomodo propter hoc ipsum habēs crucem ueniet, audi ipsum in Euangelio protestantem: Quia tunc plangent omnes tribus terræ, uidentes accusatorem suum, id
Ioan.20 est, ipsam crucem, & in ipso arguente cognoscēt
Lucæ.24 peccatum suum sero, & frustra fatebuntur impiam cæcitatem. Quid autem miraris, si crucem afferens ueniet, ubi & ipsa uulnera ostendet? Tunc uidebunt, inquit, in quem cōpunxerunt. Quemadmodum ēm in Thoma fecit, uolens incredulitatem discipuli coarguere, errorem q̃ corrigere pro multorum fide, & ingerens ostendit illi signa clauorū, & ipsa de clauis uulnera, & dixit: Mittte manum tuam, & uide: quoniam spiritus ossa & carnē non habet, quēadmodum me uidetis habere: tunc ostendet uulnera & crucem manifestabit, quoniā ipse est qui crucifixus est. Nō solum autem de cruce, sed de uerbis ipsis quæ in cruce habuit, immensam pietatem eius possumus considerare. Nam cū
Lucæ.23 adhuc in cruce cōfixus esset, dicebat: Pater, dimitte illis peccatum, non enim sciunt quid faciunt. Et crucifixus pro illis qui crucifixerāt orabat, & quidem illi è diuerso dicebant: Si filius dei es, descēde de cruce. Sed propter hoc nō descendit de cruce, quoniā filius dei est. Propter hoc ēm uenit, ut crucifigeretur pro nobis. Descende, inquiūt, de cruce, & credimus in te. Hęc uerba sunt & occasionis & incredulitatis. Nam plus fecit, q̃ si de cruce descendisset. Multo enim maius fuit lapide ad monumentum apposito resurgere, quàm de cruce descendere. Lazarum etiam quatriduanum iam fœtere fœtidū de sepulchro resuscitasse maius fuit, q̃ de cruce descendere. Et illi quidē dicebāt: Si filius dei es, salua temeipsum. Hæc autem omnia faciebant

faciebant, & improperabāt ei pariter. Dimitte, inquit, illis peccatum. Vtiq; dimisit, si uellent pœnitere. Si enim non dimisisset illis peccatū, non utiq; statim post assumptionem eius tria millia & quin-
Act.2.&4 que millia credidissent. Quoniā, inquit, multa millia Iudæorum crediderūt. Audi quid dicunt Pau-
Acto.21 lo Apostolo, Vides, inquiunt, frater, quot millia sunt Iudæorum qui crediderunt? Imitatores ergo domini esse debemus, & pro inimicis orare exemplo ipsius, qui cū esset crucifixus, pro crucifigentibus se patrem postulabat ut dimitteret illis peccatum. Et qūo, inquis, possum dñm imitari? Si uolueritis, poteritis. Si enim impossibile erat imitari
Matt.11 eum, qūo dicebat: Discite à me quoniā mitis sum & humilis corde. Nam si impossibile esset imitari
1 Cor.10 eum, nunq; Paulus dixisset: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quòd si dominum imitari nō B uis, imitare seruum eius Stephanum, quē & Apostolum dico, nam ille dñm imitatus est. Et quemadmodū Christus inter crucifigentes se relinquēs crucem, relinquēs propriam persecutionem, pro crucifigentibus se deprecabat patrē: ita & seruus eius inter lapidantes se, suscipiēs iacula saxorum
Acto.7 & dolores qui ex ipsis fiebant, dicebat: Domine, ne statuas illis peccatum hoc. Audisti qūo secun-
Luc.23 dum dñm locutus est seruus. Ille aut: Pater, dimitte illis peccatum, nesciunt enim quid faciunt. At iste dicit: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et ut
Acto.7 discas quoniam cū omni solicitudine orauit: Positis, inquit, genibus orabat dicēs: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, qui uiuis & regnas in secula seculorum, Amen.

Eodem die, de expositione Symboli ad competentes: Sermo II

Ser.CXXXI Q VAESO uos fratres charissimi, ut nobis referantibus expositionem symboli attentius audiatis. Quæ doctrina symboli uirtus est sacramenti, illuminatio animæ, plenitudo credētium, in eo quod docet aut discitur, & unitas trinitatis, & trinitas distincta personis, & opulētia creatoris, & redemptio passionis. Hoc nexus infidelitatis absoluit, hoc uitæ ianua pandit, hoc gloria confessionis ostenditur. Symbolum dilectissimi breue est uerbis, sed magnū est sacramētis: paruū ostendens imminutione latitudinis, sed totum continens cōpendio breuitatis: exiguū est, D ut memoriā nō obruat, sed diffusum ut intelligentiam supercedat, cōfirmans omnes perfectiōe credendi, desiderio confitendi, fiducia resurgēdi. Digne ergo & attentiores & frequētiores, & pro ratione tēporis ipsius puriores ad audiendū symbolum conuenistis. Quicquid em̄ præfiguratū est in patriarchis, quicquid nunciatum est in scripturis, quicquid prædictū est in pphetis, uel de deo ingenito, uel ex deo dei unigenito, uel de spū sancto quāuis latēter ostensum sit, uel de suscipiendi hominis sacramēto, uel de morte dñi resurrectiōisq; mysterio, totum hoc breuiter iuxta oraculum propheticum, symbolum in se continet confitendo. Tenēdo ergo fratres charissimi collationem fidei & gratiā, professionis mysteriū memoriæ cōmendatum, iam ad istius symboli pfessionis sacramentum textumq; ueniamus, quod in hūc modū incipit: Credo in deum patrē omnipotentem, creatorem cœli & terræ: & in Iesum Christum filiū eius unicum, dñm nostrum: qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Ascēdit ad cœlos, sedet ad dexterā dei patris omnipotētis, inde uēturus iudicare uiuos & mortuos. Credo in spūm sanctum, sanctā ecclesiā catholicam, sanctorum cōmunionem, remissionē peccatorū, huius carnis resurrectionem, uitā æternam, Amē. Repetendus est nobis dilectissimi sermo symboli huius, qualiter ea quæ dicimus uestris sensib. melius inseramus. Credo in deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Tertia igitur uice repetit, ut ad reliqua capienda fideli cursu pueniré possimus. Et qa lex fidei nostræ in trinitate cōsistit, ut ipse numerus repetitionis cū signo ueniat trinitatis, tertia uice ordo symboli recēsendus est. In primis dilectissimi qualis sermo sit, in capite symboli diligēter aduertite, & quali principio inchoetur solicitius tractate. Ergo in primo habet, Credo. Vide q̄ dñs noster nō nos iubet discutere diuina iudicia, sed credere: nec rationē requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter exhibere. In deum patrem. Aduertite, q̄ cum dei patris nomē in confessione cōiungit, ostendit q̄ nō ante deus esse cœperit & postea pater, sed sine ullo initio & deus semper & pater est. Quia ergo semper fuit pa C ter, semper habuit filium cui pater est. Omnipotētem uero ideo dicit, quia omnipotens est, cuiq; nihil impossibile est, qui cœlū, terrā, mare, homines, atq; omnia animalia & reptilia non aliquo operis actu, sed solo uerbi creauit imperio. Et ideo nō nobis ueniat in cogitationem qūo hoc aut illud potuit fieri, qui omnipotentem præcipimur cōfiteri. Creatorē cœli & terræ. Hoc ait quod superius dixi, quia omnia sola uerbi potestate perfecit. Credo & in Iesum Christum filium eius. Aduertite, quòd qūo in patrem, sic & in filiū credendū sit. Et quia cum patre æqualis est maiestate, tantū ipsi quantū & patri honoris nos debere nouimus, & seruitutis obsequium. Iesum Christum. Iesus saluator interpretatur, Christus uero à chrismate dicit: quia sicut antiqui reges à sacerdotibus oleo sacro perfundebant, sic dominus noster Iesus Christus spiritus sancti infusione repletus est. Qui conceptus est de spiritu sancto. Non poterat aliunde quàm de deo concipere, quæ deum meruit procreare. Natus ex Maria uirgine. Non potuit non talem habere cōceptum, quæ uirgo erat permansura post partum. Passus sub Pontio Pilato. Ille Pilatus iudex erat in illo tempore, ab imperatore positus in Iudęa, sub quo dñs passus est: cuius mētio ad temporis significationem, non ad personæ illius pertinet dignitatem. Crucifixus & sepultus. Crucem illam in qua ille crucifixus est in corpore, nos gestamus in fronte. Sepultus est. Sicut in ueritate natus, ita in ueritate mortuus & sepultus.

Tertia

Tertia die resurrexit. Triduana sepulturæ mora euidenter ostēdit quòd dum corpus in sepulchro A iacuit, anima illa de infernis triumphauit. Ascendit ad cœlos: id est, cōditionē naturę nostræ quam de homine matre natus assumpsit, super cœlos in dexteram dei patris collocauit. Inde uenturus iudicare uiuos et mortuos. In ipso corpore uenturus est ad iudicium, in quo ascendit ad cœlū. Christianos iudicat & Paganos, iustos & peccatores, fideles & impios. Credo & in spiritū sāctū. Aduertite, quòd sicut in patrem, ita & in filium & in spiritum sanctum sit credendum. Nam qui uel in unam de trinitate personam non crediderit, in duabus illi credidisse non proderit. Sanctam ecclesiam catholicam. Sciendum est q̄ ecclesiam credere, non tamē in ecclesiam credere debeamus, quia ecclesia non est deus, sed domus dei est. Catholicam dicit B toto orbe diffusam, quia diuersorum hęreticorum ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atq; per suas quasq; prouincias cōtinentur, hæc uero à solis ortu usq; ad occasum unius fidei splendore diffunditur. Sanctorū cōmunionē: id est, cū illis sanctis qui in hac quā suscepimus fide defuncti sunt, societate & spei cōmunione teneamur. Remissionem peccatorū. Oportet enim, ut post remissionem quæ nobis præstatur munere redemptoris in baptismo, plenæ credulitatis teneamus affectum. Carnis huius resurrectionem. Carnem quam in hac uita sub mortali cōditione portamus resurrecturam esse immortalem, ac rationem reddituram pro animæ consortio credamus. Vitam æternam. Absq; ulla dubitatione fatemur nos uitam æternam consecuturos, si hæc quæ uobis exC ponimus sacramēta fideliter teneatis, ac bonis actibus conseruetis. Hunc breuem sermonē de uniuerso symbolo uobis debitum reddidi, quod symbolum cum audieritis, totum istum sermonem nostrum breuiter collectum regnoscetis: nec ut eadē uerba teneatis ullo modo scribere debetis, sed audiēdo perdiscere, & memoria sēper tenere atq; recolere. Quicquid enim in symbolo audistis iam, diuinis scripturarū sanctarum literis cōtinetur. Cōmemoratio fit promissionis dei, ubi per Prophetā
Ier.31 prænuncians testamentum nouum dixit, Hoc est testamentū quod ordinabo eis post dies illos dicit dominus, dans legem meā in mente eorum, & in D corde eorū scribam ea. Huius rei significandæ causa, audiēdo symbolum nō in tabulis uel in ulla materia, sed in cordibus scribit: præstabit ille qui uos uocauit ad suū regnū, ut eius gratia regeneratis uobis, etiā spiritu sancto scribat in cordibus uestris, ut quod creditis diligatis, & fides in uobis per dilectionē operetur, ac sic dño deo largitori bonorum omniū placeatis, non seruiliter timendo pœnam, sed liberaliter amādo iustitiā. Hoc ergo symbolum quod uobis per scripturas & sermones ecclesiasticos insinuatū est, sub hac breui forma fidelibus confitendum & profitendum est.

Sabbato in uigilia Paschæ, de Ioseph qui corpus Domini petijt à Pilato &c. Sermo I

Aug.to.10

SERMO CXXXII

P ERACTA passione domini nostri Iesu Christi & resurrectione in qua fidei nostræ omnis summa cōsistit, emergit quidam Ioseph, olim quidē amator & discipulus domini, & qui pro ratione tēporis defuncto exequias occultas impēdebat, quia & noti misericordiam furor persequentiū prohibebat. Quod factū ita Ioānes euāgelista narrauit, Rogauit, inquit, Pi
Ioan.19 latum Ioseph occulte, propter metū Iudæorū, & petiuit corpus Iesu, & permisit Pilatus. Cū in animo religioso metus cum deuotione certaret, excogitat statim q̄d & fidei satisfaceret & timori, occulte postulans ut & humo mādaret occisum, & declinaret insaniā Iudæorū. Iudex uero eundem seruat animū mortuo, quem impendit audito: nam quē coactus dederat pœnæ, libens tradit sepulturæ. Postquam uero corpus Iesu humatum est, statim potentiam suam repetit, quà uenerat reditura maiestas. Nam cuius natiuitas hominis ostenderat filium, mors prodidit deum. Cum em̄ Maria Magdalene uenisset ad monumentum, quam memorē saluatoris amissa fide deuotio in lachrymas compellebat, uidēs reuolutum à foribus lapidem, cum non inuenisset in sepulchro dominum, cœpit acrius dolere quòd perdiderit & defunctum. Mox autē ad Petrum eius discipulum peruolat, quem pro meriti qualitate uel fidei, maior de eius obitu cura tangebat, nunciat inane sepulchrū, queritur corpus ablatū. Petrus uero resurrectionis filij dei & ante crucem conscius, quam prædixerat ipse passurus, sub tali nuncio non fleuit aut doluit: sed morem suum in diuinis uirtutibus seruans, properat experiri quod credidit. Ad sepulchrū itaq; dñi celeri cursu festinat, lætior rediturus, si non inueniret quē quærebat. Beatus aūt Euangelista & ex consequentibus probat potentiā resurgentis. Ve
Ioan.20 nit, inquit, Simon Petrus, & introiuit in monumētum: & cum non inuenisset dñm, uidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius. Nam manifestius deus perlaturus quem uiuificauerat in cœlum, & mortē uacuat & sepulchrū. Nam linteamine quo funus tegebatur exposito, reliquit terræ exuuias, uitali iā corpore induta maiestas. Petrus igit uidēs resurrectionē quā dei filius prænunciauerat impletā, qui solicitus uenerat, securus abcessit. Maria tamē resurrectiōis ignara nō cessat lachrymas fundere, nesciēs hanc esse dominici corporis gloriam, quam putabat iniuriam. Cuius inanes mœrores angelus magis prohibet q̄ consolatur, ut Euangelista testatur: Maria, inqt, quid ploras? Si spiritali prudentia intētionem diuini sermonis intelligas, lachrymarum causam nō tanquam ignarus interrogat, sed importunos fletus dolentis obiurgat. Maria, inquit, quid ploras, cum uacuo monumento non damno funeris, sed merito resurgentis, Iesu Christi corpus uirtus sibi non facinus uendicasset? Culpat eodem tēpore à Maria lachrymas fundi, quo debuit gloriari. Quid ploras, aut quē quæris? Angelus instruit ne scientem sano consilio, ne uiuentem quereret in sepulchro. Quæ mulier quia reuixisse quem flebat,

P nec

nec correcta cognouit, à ſuperfluis poſtmodũ lachrymis reuocatur uocib. reſurgentis ſimilibus. A Etẽ Ieſus Mariã uerbis allo quit: Mulier, inquit, quid ploras, aut quẽ quæris? Hoc eſt dicere, me iã uiuẽte pro quo mortuo lachrymas fundis? aut me præſente quem quæris? At illa Ieſum ſecundo appellata cognoſcens diuinæ maieſtatis operãte potentia uiuum inuenit, quem quærebat occiſum Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum, cui ſemper in patre gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO CXXXIII

Eodem die de ſepulchro domini: Sermo II

V IDEAMVS fratres de domini corpore poſteaquã de cruce deponitur quid geratur. Accepit illud Ioſeph ab Ari-
Ioan.19 mathia uir iuſtus, ſicut ait Euangeliſta, & in nouo ſuo ſepeliuit monumẽto, in quo nondũ quiſquam
B poſitus fuerat. Beatũ ergo corpus dñi noſtri Ieſu Chriſti, quod cum naſcit ex utero uirginis gignit, cũ recedit iuſti tumulo cõmendatur. Beatũ planè corpus quod uirginitas peperit, & iuſtitia cuſtodiuit. Cuſtodiuit enim illud Ioſeph tumulo incorruptum, ſicut ſeruauit illud Mariæ uterus illibatũ. Sicut eẽ pollutione ibi non tangit, ſic mortis corruptione nõ lędit. Vbiq; beato corpori defert ſanctitas, ubiq; uirginitas. Nouus illud uenter concepit, nouus tumulus concluſit. Dominica ergo eſt uirgo uulua, & uirgo eſt ſepultura. Quin potius ipſam ſepulturam uuluam dixerim, eſt eẽ ſimilitudo nõ parua. Sicut eẽ dñs de matris uulua uiuus exiuit, ita & de Ioſeph ſepultura uiuus ſurrexit. Et
C ſicut de utero tunc ad prædicandum natus eſt, ita & nunc ad euangelizandum renatus eſt de ſepulchro, niſi q̃ glorioſior eſt iſta q̃ illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc ædidit immortale. Poſt illam natiuitatem ad inferos deſcenditur, poſt hanc remeatur ad cœlos. Religioſior eſt planè iſta quàm illa natiuitas, Illa enim corpus mortale genuit, totius mundi dominũ nouem menſibus in utero clauſum tenuit, hæc autem triduo tantum tumuli gremio cuſtodiuit. Illa cunctorũ ſpem tardius protulit, hæc omnium ſalutem citius ſuſcitauit. Fortaſſe quis dicat de priori dominicæ natiuitatis prædicatione, in qua prædicauimus, non minorem eſſe gloriam, quòd tumulus Ioſeph ſuſcitauerit dominum, quàm quòd eum ſanctę Mariæ uterus procrearit. Quæ comparatio uentris
D & tumuli, cum ex intimis uiſceribus illa ædiderit filium, hic autem ſolummodo locum præſtiterit ſepulturæ? At ego dico, non minorem Ioſeph affectum fuiſſe quàm Marię. Siquidem illa utero dominum, hic corde concepit. Illa ſaluatori membrorum ſuorum ſecretum præſtitit, hic ſecretum ſui cordis non negauit. Illa dominum pannis inuoluit cum natus eſt, hic linteis cum receſſit: illa perũxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honorauit. Conueniunt ergo ſibi obſequia, conuenit & affectus. Inde neceſſe eſt etiam meritum cõuenire, niſi quod Mariam ad obſequium angelus admonuit, Ioſeph autem iuſtitia ſola perſuaſit. Igitur Ioſeph in ſuo ſepulchro poſuit dominum. Legimus in Propheta: Sepulchrum patens eſt gut-

tur eorum. Si ergo ſepulchrũ patens eſt guttur hominum, uide ne forte ſecundum hanc ſimilitudinem dominum Ioſeph non tam in terrena poſuerit ſepultura, quàm in monumento ſui cordis collocauerit, & cuſtodiendum illum ſuſceperit, non tam memoria fragili moriturorũ q̃ memoria ſancta uirtutum. Hęc enim uirtutum fidelis eſt memoria, quæ intra ſe continens Chriſtum, lædi eum hæ
reticorum corruptione non patitur. De qua memoria in ſacramentis dominus dicit: Quotiẽſcun 1 Cor.11
que feceritis hęc: in memoriam mei facietis donec ueniam. Quotienſcunq; enim Chriſtũ loquimur, totiens eum ſanctiori memoriæ cõmendamus. Sepulchrum ergo patẽs, guttur hominum recte planè dicit Propheta. Sepulchrum enim Chriſti patens eſt Euangeliſtarũ beatum guttur, per quod illud ęterno literarum theſauro condiderunt. Patẽs autem ſepulchrum ideo dicitur, quia qui uult ad Chriſti peruenire myſterium, non ingreditur ad illud, niſi per Euangelicæ ſcripturæ ſecretũ. In literarũ enim ſecreto, quaſi quodam nouo uaſculo cõmendatus eſt dominus. Quiſquis igitur illum uidere deſiderat, ibi & paſſionis eius ſacramẽtum inueniet, & reſurrectionis gloriam recognoſcet. Patens ergo guttur ſanctorum eſt. Vnde apoſto-
lus ad Corinthios ait: Os noſtrum patet ad uos ò 2 Cor.6
Corinthij: inuitans eos ut per prædicationis ſuæ apertam ianuam ingrediantur Chriſti ſecreta myſteria. In hac igitur pectoris memoria collocatur dñs in Ioſeph, ut in iuſtitiæ ſede requieſcat, & habeat filius hominis ubi caput reclinet. Videamus igitur quare ſaluator in aliena ſepultura ponatur, ac ſuam non habeat ſepulturam. Ideo in aliena ſepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur ſalute. Mors enim iſta non illi accidit, ſed nobis proficit: mors iſta nõ illi illata eſt, ſed nobis delata. Vt quid ergo ei propria ſepultura, qui in ſe mortẽ propriã non habebat? Et quid illi tumulus in terris cuius ſedes manebat in cœlis? Vt quid illi ſepultura, qui tridui tantum temporis ſpacio non tam in ſepulchro mortuus iacuit, q̃ ueluti in lecto conquieuit? Ipſa enim temporis breuitas declarat potius ſomnum fuiſſe quàm mortem. Sepulchrum autẽ mortis eſt habitaculum. Neceſſarium ergo non erat mortis habitaculũ Chriſto, qui uita eſt, nec corpus habebat ſemper uiuẽs habitaculo defũctorũ.
Recte autem hanc uitam nos in noſtro ſepulchro condimus, ut uiuificet mortem noſtrã, ut cum ipſo à mortuis reſurgamus. Vnde et illa Maria Magdalene, quæ dominum inter cæteros defunctos in ſepulchro requirebat arguitur, et dicitur illi: Quid Lucæ.14
quęris uiuentẽ cum mortuis? Hoc eſt, quid quęris in tumulo, quem adorare debes in cœlo? Quid quæris apud inferos, quem rediſſe iam conſtat ad ſuperos? Quem illa adhuc non intelligens nec cognoſcens, reſpondit illi: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Æſtimabat eẽ eum, ſicut dicit ſcriptura, ortulanũ eſſe. Sancta ergo & ſimplex fœmina Chriſtũ requirit à Chriſto, ac deuotione mentis prophetat & neſcit. Ait enim domino de ſemetipſo: Si tu ſuſtuliſti

ſuſtuliſti eũ, dicito mihi. Recte interrogat, ſi tu ſuſtuliſti eũ. Ipſe eẽ tulit corpus ſuũ, qui illud protu A
lit de ſepulchro: ipſe tulit corpus, qui illud iacẽs & dormiẽs ſua aſpiratione collegit: ipſe tulit corpus ſuũ, qui illud diuinitatis uirtute geſtãs portauit ad cœlos, Atq; ideo mulier ſapienter interrogat & requirit: Si tu ſuſtuliſti eũ, dicito mihi ubi poſuiſti eum: hoc eſt, ſi illud auferens de ſepulchro ad paradiſum tranſtuliſti. Audierat eẽ illũ dicẽtem latro-
Luc.23 ni: Hodie mecũ eris in paradiſo. Aut certe ſi de inferno in patris dexterã collocaſti, ſicut ait Apoſto-
Coloſ.3 lus: Quæ ſurſũ ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera dei ſedens. Beatus ergo qui ita quærit Chriſtum dñm, ut credat eum in paradiſo cõſtitutũ, & & in cœleſtibus collocatũ. Nam qui eum in inferno requirit aut in tumulo, dicitur ei: Quid quæris B
uiuentem cum mortuis?

Item eodẽ die alius ſermo de eodem, de quo ſupra, qui habetur in lib. Quinquaginta Homiliarũ, Homilia trigeſima ſexta.

Eodem die de eo quod ſcriptum eſt in Geneſi:
Gen.1 In principio creauit deus cœlum & terram, &c.

SERMO CXXXIIII

Sermo III

M VLTA ſunt & magna uenerandæ paſchæ myſteria, quæ diuinis libris ſunt conſecrata, & in antiquis Iudæorũ archiuis fuerant reſeruata, quorũ admirabilis ratio & mira, fides pura, religio ſyncera ueluti quodam uelamine tecta ſuam ſanctitatẽ in abditis occulebant, & priſci antiſtites adumbrata cernebant, & C
ſacrificia cruenta muneribus offerebant. Hanc artifex non terrerenis coloribus, ſed cœleſtibus uirtutibus clypeo deuotionis auro coruſcante depinxit, & animũ tenaciter diligẽs in ipſo templo humani corporis dedicauit, integris & acerrimis ſenſibus officia diſtribuit, & amorẽ in eius corde concluſit. Et cum ille clarus rector aſtrorum, poli genitor, dux diei, luminis imperator, interiector germinis, autũni tẽperies, anni curſum & quadripartita temporũ ſpacia cõpleuerit, diei huius ſolennitatẽ nos docuit celebrare. Quanta nobis bona dñicæ paſſionis admirabiles triũphi contulerint, mortali & humana uoce nec prædicare nec memoriter ualeo enumerare. Ex illo itaq; beneficiorum aceruo, quæ cœleſtis muniſicẽtia humano generi largita eſt, unum granũ fidei quod in ſe continet multiplicem uitæ rationẽ in gremio ſapientiæ collocabo,
D ut in ipſo prudentiæ ſulco coaleſcat diuini ſermonis imbre ſatũ, magnaq; & admiranda ex modica præbet ſtirpe, & orationis opacitate exuberantia præſtet. In principio, inquit, fecit deus cœlum & terram. Excluſit omniũ infelicium errores, unum imperatorem deum patrem oſtendit, unum conditorem uniuerſitatis filium indicauit. Fiat lux: Et facta eſt lux. Et uidit deus lucem quia bona eſt: non q̃ deus lucem ante nõ noſſet, quam non niſi uiſam laudaret, cum ſit lux ſolus omniũ ipſe, ſicut Euãge-
Ioan.8 liſta teſtatur: Ego ſum lux mundi. Et Apoſtolus:
1 Tim.6 Qui habitat lucẽ inaccęſſibilẽ, quam nemo hominum uidit, nec uidere poteſt. Hanc lucẽ dixit in ſeculo, quia bona eſt ſecundũ hominem, non ſecundum deum. Deus enim non tantã hanc lucem tribuit q̃ poterat ipſe largiri, ſed quantũ mortalis oculus capere potuit. Nec qui uniuerſum orbẽ illuminat tribueret ſplendorẽ, niſi quẽ mortalis capere aut ſuſtinere utiq; poſſet. Terra erat inuiſibilis & incõpoſita. Sed terra inuiſibilis eſſe nõ poterat. Cui ergo inuiſibilis erat? Si angelis, ubi tanta moles abſcondi poterat? Si hominibus, adhuc homo nõ erat. Deus quippe fundauit terrã ſuper aquas, & medietatẽ aquarũ ſuper cœlos impoſuit, & medietatẽ abyſſis demerſit, & in maria congregauit, & ſic terra apparuit. Et dixit deus: Fiat firmamentum inter aquam & aquam. Et uocauit deus firmamentum cœlum. Videtis quia aquam ſuper firmamentum cœli impoſuit, & per ſeparationẽ aquarum arida terra apparuit, & recedẽtibus aquis uiſibilem ſignificauit. Quòd autem inuiſibilis & incompoſita, necdum fuerat ordinata, necdũ diuerſis fructib. plena, Tenebræ, inquit, erãt ſuper abyſſos, & ſpiritus dei ferebatur ſuper aquas. Si eẽ faculam in tenebris inferas, continuo illuminantur uniuerſa: quanto magis ubi deus erat, tenebrę eſſe non poterãt? Hic ſpiritus quidẽ res eſt dei, non tamen ipſe deus intelligetur eſſe. Nam & ſi ſpiritus dicitur, nõ omnis ſpiritus deus eſt. Sic enim ſpiritus dei dictus eſt, quõ & angelus dei, hoc eſt, res dei, nõ tamen ipſe deus qui ſpiritus dei. Hic ergo ſpiritus qui ſuperferebat aquas, ſeminarius eſt animandæ conditionis. Vnde & aquæ & terræ mox iuſſu dei emerſerunt, quia nec aqua nec terra uiuere aut aliquid generaret, niſi hoc dei ſpũs animaret. Vnde & terra fruges, & aqua produxit piſces.
Duos aũt ſpũs eſſe, unũ dei, alterum huius mundi; 1. Cor.2
Apoſtolus dicit: Nos iam nõ habemus ſpiritũ huius mundi, ſed ſpiritum qui ex deo eſt: ut oſtenderet alterum eſſe ſpiritũ dei qui deus eſt, alterũ ſpiritũ huius mundi quo animantur uniuerſa. Amos propheta dicit: Qui ſolidat tonitruũ, & condidit ſpiritum: eũ utiq; qui deus dici non poterat generatus. Fecit ergo in principio cœlum & terram. Cœlum ſpiritum, terram carnem, hoc eſt, hominem ſpiritalem. In principio, hoc eſt, in Chriſto. Interrogaue Ioan.8
runt eum Iudæi: Quem te dicis? Reſpondit: Principium, qui & loquor uobis. Terra, inquit, inuiſibilis & incompoſita. Quia carnem hominis Chriſtus aſſumere diſponebat, incompoſita dicebatur.
Compoſita necdum erat, quia necdum Gabrie-
D lis angeli annunciatione compoſita, necdũ aſſumptione domini uiſibilis facta, necdum uirtutũ frugibus plena. Diuiſio aquarum, Iudæorum populorum & Chriſtianorũ, ſicut Apocalypſis: Aquas Apoc.17
quas uidiſti, populi ſunt & nationes. Cum aquas dicit ſuper cœlos impoſitas, Chriſtianum populum nũciat. Tertia die germinat terra herbã pabuli ſecundum ſuũ genus, & omne lignũ faciens fructum. Cum igitur terram germinare iubet, in eccleſia catechumeni ſunt quaſi herbæ. Cum credunt, uelut in culmo ſe erigũt. Fideles quoq; in ſpica maturi accreſcunt, unde & ſanctorũ grana in horreis cœleſtibus recõduntur. Lignũ enim fructiferum, diuerſa ſunt genera ſanctorum. Quas arbores nec

turbines

turbines cupiditatũ poſſunt euertere, nec ardentis libidinis flãmæ exurere. Fiat, inquit, luminare maius in inchoatiõe diei, & luminare minus in inchoatione noctis. Sol Chriſtus eſt. Luna eccleſia in orbe cõpleta, ſolis claritate quotidie illuſtrata. Stellę quoq; lucẽtes, ſanctorũ ſunt milia, id eſt, Apoſtoli, patriarchę, martyres, uirgines, ſacerdotes, cũcti iuſti pariter & fideles uirtutũ ſuarum flãma radiantes. Quinta die fœtus ſuos piſces & aues factũ eſt ut producerẽt. In cõparatione piſciũ ſanctos dicimus, qui in aqua baptiſmatis uiuũt. Ideo piſces benedictionẽ primo cõſequi meruerũt, quia fideles in ſacramẽto baptiſmatis benedici potuerunt. Sexta uero die fecit deus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.

Eodem die de expoſitione orationis dominicę poſt redditum ſymbolum, Sermo IIII (Ser. CXXXV)

REDDIDISTIS quod creditis, audiſtis quod oretis, quõ inuocare nõ poſſetis in quem non credidiſtis, Apoſtolo dicente: Quõ inuocabunt in quem non crediderũt? Ideo prius ſymbolũ didiciſtis, ubi eſt regula fidei ueſtræ breuis & grãdis: breuis numero uerborũ, grandis pondere ſententiarum. Oratio autem quã hodie accepiſtis tenendã, & ad octo dies reddendam, ſicut audiſtis cum Euagelium legeretur, ab ipſo domino dicta eſt diſcipulis ipſius, & ab ipſis peruenit ad nos, (Pſal. 18) quoniam in omnem terram exiuit ſonus eorum. Ergo nolite inhærere terrenis, qui patrem inueniſtis in cœlis. Dicturi enim eſtis:

Pater noſter qui es in cœlis. Ad magnum genus pertinere cœpiſtis. Sub iſto patre fratres ſunt dominus & ſeruus, ſub iſto patre fratres ſunt imperator & miles, ſub iſto patre fratres ſunt diues & pauper. Omnes Chriſtiani fideles diuerſos in terra habent patres, alij nobiles, alij ignobiles, unum uero patrem inuocant qui eſt in cœlis. Si ibi eſt pater noſter, ibi nobis præparatur hæreditas. Talis eſt aũt iſte pater, cum quo poſſideamus q̃d donat. Dat enim hæreditatem, ſed non moriens illam nobis derelinquit. Non eñ ipſe diſcedit, ſed ille permanet ut nos accedamus. Quia ergo audiuimus à quo petamus, ſciamus & quid petamus, ne forte talem patrem mala petendo offendamus. Quid ergo nos docuit dominus Ieſus petere à patre, qui eſt in cœlis? Sanctificetur nomen tuũ. Quale beneficium eſt dum petimus à deo, ut ſanctificetur nomen dei? Semper ſanctum eſt. Quare ergo petimus ut ſanctificet̃, niſi ut nos per ipſum ſanctificemur? Quod ergo ſemper ſanctũ eſt, ut in nobis ſanctificetur oramus. Sanctificatur in uobis nomen dei, quãdo baptizamini. Vt quid hoc orabitis cũ baptizati fueritis, niſi q̃d ut accipitis perſeueret in uobis? Sequitur alia petitio: Adueniat regnum tuũ. Siue petamus, ſiue non petamus, uenturũ eſt regnũ dei. Quare ergo petimus, niſi ut ueniat & nobis, quod uẽturum eſt omnibus ſanctis: ut & nos deus in numero ſanctorũ ſuorũ habeat, quibus uenturũ eſt regnũ eius? Dicimus tertia petitione: Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Quid eſt hoc? Vt quomodo tibi ſeruiunt angeli in cœlo, & nos tibi ſeruiamus in terra. Angeli ipſius ſancti obediunt illi, nõ illum offendunt, faciũt iuſſa amãdo eum. Hoc ergo oramus, ut & nos pręceptũ dei charitate faciamus. Iterũ uerba iſta & aliter intelliguntur. Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Cœlum in nobis anima eſt, terra in nobis corpus eſt. Quid eſt ergo fiat uoluntas tua? Sicut & nos audimus pręcepta tua, ſic nobis conſentiat caro noſtra, ne dum contendunt caro & ſpiritus, præcepta dei minus implere poſſimus. Sequit̃ in oratione: Panẽ noſtrũ quotidianũ da nobis hodie. Siue exhibitionẽ corpori neceſſariã petamus à patre, in pane ſignificãtes quicquid nobis eſt neceſſariũ, ſiue quotidianum panem illum intelligamus quem accepturi eſtis de altari, petimus bene ut det nobis eum. Quid eſt enim quod oramus, niſi ne male aliquid admittamus, unde à tali pane ſeparemur? Et uerbum dei quod quotidie prędicatur, panis eſt. Non enim quia non eſt panis uentris ideo non eſt panis mentis. Cum aũt iſta uita tranſierit, nec panem illum quærimus quem quærit fames: nec ſacramentum altaris habemus accipere, quia ibi erimus cum Chriſto, cuius corpus accipimus: nec uerba iſta nobis dici habẽt quæ dicimus uobis: nec codex legẽdus eſt quãdo ipſum uidebimus quod eſt uerbũ dei, per quod facta ſunt omĩa, quo paſcunt̃ angeli, quo illuminantur angeli, quo ſapientes fiunt angeli, nõ quærẽtes uerba locutionis anfractuoſæ, ſed bibentes unicũ uerbum, & inde impleti ructant laudes & nõ deficiunt in laudibus. Beati enim, ait pſalmus, qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabũt te. (Pſal. 83) Ergo in hac uita petimus quod ſequitur, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitorib. noſtris. (Matt. 6) In baptiſmo omnia debita, id eſt, peccata prorſus dimittũt̃ nobis. Sed quia nemo hic poteſt uiuere ſine peccato: & ſi nõ magno crimine unde ſeparet̃ ab illo pane, tamẽ nemo poteſt ſine peccatis eſſe in hac terra, & nõ poſſumus accipere niſi unum baptiſmũ: ſemel in oratiõe accipimus, unde quotidie lauemur, ut nobis peccata noſtra quotidie dimittant̃: ſed ſi faciamus q̃d ſequit̃, Sicut & nos dimittimus debitorib. noſtris. Itaq; fratres mei moneo uos in dei gratia filios meos, & ſub illo patre fratres meos moneo uos, ut quãdo aliqs offendit & peccat in uos, & uenit ut confitetur, & petit à uobis ueniam, ut ignoſcatis illi, & continuo ex corde dimittatis, ne uobis à deo ueniam uenientẽ prohibeatis. Si enim nõ dimittitis uos, nec ille dimittet uobis. Ergo & hoc in iſta uita petimus, quia & hic poſſunt dimitti, ubi poſſunt haberi peccata. In illa autem uita non dimittuntur, quia nec habentur. Deinde petimus, dicẽtes, Ne nos inducas in tẽtationem, ſed libera nos à malo. Et hoc in iſta uita nobis neceſſarium eſt petere, ne inferamur in tentationẽ, quia hic ſunt tentationes: & liberemur à malo, quia hic eſt malũ. Ac per hoc omnes iſtæ petitiones ſeptem, tres ad uitam æternam pertinent, quatuor ad uitam præſentem. Sãctificetur nomen tuum: ſemper erit. Adueniat regnum tuũ: hoc regnũ ſemper erit. Fiat uoluntas tua ſicut in

in cœlo & in terra: ſemper erit. Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie: non ſemper erit. Dimitte nobis debita noſtra: non ſemper erit. Ne nos inducas in tentationẽ, ſed libera nos à malo: nõ ſemper erit. Sed ubi eſt tentatio & ubi eſt malũ, ibi neceſſariũ eſt ut petamus. Vnde deus omnipotẽs ita à nobis orãdus eſt, ut quicquid humana fragilitas cauere & uitare nõ pręualet, hoc ille propitius nobis cõferre dignet̃ Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui uiuit & regnat cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Item eodẽ die alij ſermones de eodẽ de quo ſupra, qui habentur in libro Quinquaginta Homiliarum quadrageſimo ſecundo. Et de uerbis domini uiceſimo octauo.

In die ſancto Paſchę, de eo q̃d ſcriptũ eſt in pſalmo: Hęc eſt dies quã fecit dñs, &c. Ser. I (Pſal. 117) (SERMO CXXXVI)

NON queo fratres chariſſimi, quod mẽte cõcipio, ore proferre, & cordis mei lætitiam lingua non explicat. Hoc aũt non ſolum ego patior, (Iſ inter ſer. Euſebij) qui cupio narrare quæ ſentio, ſed etiã uos mecũ patimini, plus exultantes in conſcientia q̃ in eloquio proferentes. Videtur mihi hæc dies ceteris diebus eſſe lucidior, ſol mundo clarior illuxiſſẽ, aſtra quoq; omĩa uel elementa lętari: & quæ patiente dño propriũ lumen retraxerant, & noluerunt creatorẽ ſuũ aſpicere crucifixũ, ecce nunc uictorem illum, & ab inferis reſurgentem nouo claritatis ſuæ uenerantur obſequio. Credit cœlum, credit terra, & ſagena quæ totum mundum piſcata eſt, Iudæos tenere nõ potuit. Hæc eſt dies quam fecit dñs, exultemus & lætemur in ea. Quõ Maria uirgo mater domini inter omnes mulieres principatum tenet, ita & inter cæteros dies hæc omniũ dierũ mater eſt. Rem nouam dico, ſed quæ ſcripturarũ uocibus cõprobat̃. Hæc dies una de ſeptẽ, & extra ſeptem eſt. Hæc dies quæ appellatur octaua. Vnde & in quibuſdã Pſalmorũ titulis ſuperſcribitur pro octaua. (Pſal. 6. & 11) Hæc eſt in qua ſynagoga finitur, & eccleſia naſcit̃. Hæc eſt in cuius numero octo animæ ſeruatæ ſunt in arca Noe. Et q̃d mihi neceſſe eſt infinita replicare? dies me deficiet ſi uoluero omne diei iſtius exponere ſacramentũ, hoc tantum dico, quod uniuerſa ſabbati gratia & antiqua illa feſtiuitas populi Iudæorũ diei iſtius ſolennitate mutata eſt. Illi in ſabbato nõ faciebãt opus ſeruile: nos in die dominica, hoc eſt, in die reſurrectionis opus ſeruile non facimus, quia peccatis & uitijs nõ ſeruimus. (Ioan. 8) Qui enim facit peccatũ, ſeruus eſt peccati. Illi de domibus ſuis nõ egrediebantur, & nos de domo Chriſti nõ egredimur. Sumus enim in Eccleſia. Illi non accẽdebant ignem in die ſabbati, nos econtrario accendamus in nobis ignem ſpiritus ſancti, & omne uitiũ excoquamus peccatorũ. (Luc. 12) De quo igne dominus ait: Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo niſi ut ardeat? Deſiderat dominus iſtum ignem ardere in nobis, ſecundum Apoſtolum: (Rom. 12) Spiritũ ſanctum feruere, ut non refrigeſcat charitas dei. Illi per diẽ ſabbati nõ ambulãt in itinere, perdiderunt eñ eum qui dixit: (Ioan. 14) Ego ſum uia. Nos aũt dicimus: Beati immaculati in uia, qui ambulãt in lege dñi. Et iterũ: (Pſal. 118) Viã ueritatis elegi, & uiam iuſtificationũ tuarum doce me. Illi de ſpinis dominũ coronauerunt, nos aũt ſi fuerimus lapides precioſi, noſtrum dominũ coronabimus. Caput imperatorũ ſeculi iſtius ornãt diademata, nos ideo in capite noſtri ręgis imponimur, ut ornemur à capite. Illi nõ receperũt Chriſtũ & ſuſcepturi ſunt antichriſtũ: nos recepimus humilem filiũ dei, ut habeamus poſtea triumphantẽ. Et ad extremum, noſter hircus ante dñm immolatur in altari, illorum hircus antichriſtus conſputus & maledictus proijcit̃ in ſolitudinẽ. Noſter latro cum dño ingreſſus eſt paradiſum, illorũ latro, homicida atq; blaſphemus moritur in ſuo peccato. Illis Barrabas latro dimittitur, nobis Chriſtus occiditur. Pro quibus uniuerſis fratres chariſſimi conſona pariter uoce cantemus: Hæc eſt dies quam fecit dñs, exultemus & lætemur in ea. Igneam illam rhompheã & paradiſi ianuam quam nullus potuit effringere, hodie Chriſtus cũ latrone reſerauit. (Pſal. 117) Hodie dixit Chriſtus ad angelos: Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor domino. Quę cũ ſemel aperta eſt, nunq̃ credentib. clauditur. Ex eo tẽpore quo paſſus eſt dñs uſq; ad præſentem diem, hæc porta clauſa eſt & reſerata: clauſa eſt peccatorib. & incredulis, reſerata eſt iuſtis & credẽtibus. Per hanc ingreſſus eſt Petrus, per hãc ingreſſus eſt Paulus, per hanc omnes ſancti martyres intrauerunt, per hanc quotidie de toto mundo iuſtorũ animæ ingrediuntur. Duæ enim ſunt portæ, porta paradiſi, & porta Eccleſiæ. Per portã eccleſiæ intramus in portam paradiſi. Ita ergo debemus uiuere, ne eijciamur de domo illa, & eiecti foras à beſtijs deuoremur, quas in alio loco Propheta formidans cõmemorãs ait: (Pſal. 73) Ne tradas beſtijs animam confitentem tibi. Ecce nunc dominus ſtans in paradiſi ianua loquitur ad nos, qui ſumus in domo ipſius congregati, & dicit: (Pſal. 117) Hęc eſt porta domini, iuſti intrabunt per eam.

In eodem feſto, de deſcenſu Chriſti ad inferos: Sermo II (SERMO CXXXVII)

PASSIONEM uel reſurrectionẽ domini & ſaluatoris noſtri fratres dilectiſſimi, licet omnia ueteris teſtamenti uolumina multo ante prædixerint, tamẽ etiã per os Dauid prophetæ ſpiritus ſanctus euidenter oſtendit, dicens: (Pſal. 93) Deus ultionũ dñs, deus ultionũ libere egit. Solus etenim ipſe libere egit, qui nobis hodie oſtendit quid egerit. Libere enim egit, de quo multo ante fuerat prophetatum, quia factus eſt ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Vultis tamen audire quid egerit? Audite quid fecerit. Nulla neceſſitate, ſed propria uoluntate in ligno ſe ſuſpendi permiſit, clauis corpus ſuum perforari non renuit, animam ponendo mortem ſuſtinuit, carnẽ in ſepulchro poſuit, & comitante ſecum anima ad inferna deſcendit. Per hãc electi, qui quamuis in tranquillitatis ſinu, tamen apud inferni clauſtra tenebantur, ad paradiſi amœna reducti ſunt. (Hæc ad uerbũ deprõpta ſunt ex Homil. Greg. papæ 22. in Euang.) Quod ante paſſionẽ dixit, in reſurrectione ſua dominus impleuit: Si exaltatus fuero, inquit, à terra,

omnia traham ad me. Omnia etenim traxit, qui de electis ſuis apud inferos nullũ reliquit. Omnia abſtulit, utiq; electa. Neq; ẽm infideles quoq; & pro ſuis criminib. æternis ſupplicijs deditos, ad ueniã dñs reſurgendo reparauit, ſed illos ex inferni clauſtris rapuit, quos ſuos in fide & actibus recognouit. Oſee 13 Vnde recte etiã per Oſee dicit̃: Ero mors tua ò mors, ero morſus tuus inferne. Id nanq; quod occidimus, agimus ut penitus nõ ſit. Ex eo aũt quod mordemus, partem abſtrahimus, partemq; relinquimus. Quia ergo in electis ſuis funditus occidit mortẽ, mors mortis extitit. Quia uero ex inferno partem abſtulit & partẽ reliquit, non occidit funditus, ſed momordit infernũ. Ait ergo: Ero mors tua ò mors. Ac ſi aperte dicat: Quia in electis meis te funditus perimo. Ero morſus tuus inferne, q̃a ſublatis meis te in parte tranſigo. † Hactenus Greg. Tũc enim dominus noſter Ieſus Chriſtus illum tenebrarum & mortis principem colligauit, legiones illuis perturbauit, portarum inferni uectes ferreos confregit, omnes iuſtos qui originali peccato aſtricti tenebantur abſoluit, captiuos in libertatem priſtinã reuocauit, peccatorũ tenebris obcæcatos ſplendida luce perfudit. Ecce audiſtis q̃ defenſor noſter ultionis dñs libere egiſſe deſcribitur. Poſtq; enim exaltatus, id eſt, à Iudæis in cruce ſuſpenſus eſt, ut hæc breuiter cuncta perſtringã, mox ut ſpiritũ reddidit, unita ſuæ diuinitati anima ad inferorum profunda deſcendit. Cumq; tenebrarum terminũ quaſi quidam deprædator ſplendidus ac terribilis attigiſſet, aſpicientes eum impiæ ac tartaricæ legiones, territæ ac trementes inquirere cœperunt, dicentes: Quis nam eſt iſte terribilis, & niueo ſplendore coruſcus? Nunquã noſter talem excepit tartarus, nunquam in noſtram cauernam talem euomuit mundus. Inuaſor iſte nõ debitor, exactor eſt non peccator. Iudicem uidemus non ſupplicem: uenit iubere, nõ ſuccumbere: eripere, nõ manere. Vbi iam ianitores noſtri dormierunt, cũ iſte bellator clauſtra uexabat? Hic ſi reus eſſet, tam potens non eſſet. Si eum aliqua peccata fuſcarent, nunq̃ noſtra tartara ſuo diſſiparet fulgore. Si deus, ut q̃d uenit? Si homo, quid præſumpſit? Si deus, quid in ſepulchro facit? Si homo quare peccatores ſoluit? Nunquid cum actore noſtro fœdus cõpoſuit, aut forte congreſſus & ipſum uicit, & ſic ad noſtra regna aſcendit? Certe mortuus erat, certe illuſus erat. Prĕliator noſter neſciuit, quam hic ſtragẽ procuraret inferno crux illa, fallens gaudia noſtra, parturiens damna noſtra. Per lignum ditati ſumus, per lignum euertimur. Perit poteſtas illa ſemper populis formidata. Nullus hic uiuus intrauit, nemo carnifices terruit, nunquam huic cœnolento loco & nigra ſemper caligine cæcato iucundum lumen apparuit. Aut forte ſol de mundo migrauit? Sed nec cœlum nubes aſtraq; apparent, & tamen infernus lucet. Defendere contra ipſum cuſtodiam carceris noſtri non ualemus. Male intrauimus, lumen obtenebrare nequiuimus, inſuper & de noſtro interitu formidamus. Vnde eſt iſte tã ſplendidus, tam fortis, tam præclarus, tamq; terribilis? Mũdus ille qui nobis ſubditus fuit, ſẽper noſtris uſibus mortis tributa perſoluit, A nunq̃ nobis talem miſit, nunq̃ talia inferis munera deſtinauit. Quis ergo iſte eſt, qui ſic intrepidus noſtros fines ingredit̃, & non ſolum noſtra ſupplicia nõ ueret̃, inſuper & alios de uinculis noſtris abſoluit? An forte ipſe eſt ille, de quo princeps noſter paulo ante dicebat, quod per eius mortẽ, totius mũdi acciperet poteſtatẽ? Sed ſi iſte eſt, in contrariũ eſt noſtri præliatoris uerſa ſententia, & dum ſibi uincere uiſus eſt, ipſe potius uictus atq; proſtratus eſt. O princeps noſter, hic ne eſt ille de cuius tibi ſemper futura morte plaudebas? Ipſe ne eſt in cuius cruce omnẽ mundum tibi ſubiugandum eſſe credebas? Ipſe ne eſt in cuius exitu nobis tãta ſpolia promittebas? Quid eſt quod egiſti? Quid eſt quod facere B uoluiſti? Ecce iam totas tibi tenebras ſuo ſplendore fugauit, & omnes tuos carceres fregit, captiuos eiecit, ligatos ſoluit, luctus eorum in gaudium cõmutauit. Ecce ipſi qui ſub noſtris ſolebant ſuſpirare tormentis, inſultant nobis de perceptione ſalutis, & non ſolum iam nihil uerentur, inſuper & minantur. Nunquam hic ita ſuperbi erant mortui, nec aliquando ſic potuerunt læti eſſe captiui. Vt quid huc iſtum adducere uoluiſti, quo ueniente omnes ſunt lætitiæ reſtituti, qui ante fuerãt deſperati? Nullus hic iam ſolitus eorum mugitus auditur, nullus reſonat gemitus. Factum eſt autem captiuis redemptionis commercium. O princeps noſter, illas tuas diuitias quas primũ acquiſieras per paradiſi amiſſionem, nunc perdidiſti per crucem: C perit omnis lætitia tua, in luctum conuerſa ſunt gaudia tua. Dum tu Chriſtum ſuſpendis in ligno, ignoras quanta damna ſuſtineas in inferno. Præuidere non poteras, quia euerſorem regni tui in mortem ſine reatu aliquo perducebas? Attẽderes cauſam, requireres culpã. In quo nihil mali cognoueras, quare eum ad noſtram patriam perducebas? Liberũ huc adduxiſti, & tot obnoxios perdidiſti. Poſt iſtas crudeliũ miniſtrorũ infernalium uoces, ſine aliqua mora ad imperium domini & ſaluatoris noſtri omnes ferrei cõfracti ſunt uectes: & ecce ſubito innumerabiles ſanctorũ populi, qui tenebãtur in more captiui, ſaluatoris ſui genibus aduoluti, lachrymabili eum uoce cum obſecratione depoſcunt, dicentes: Aduenisti redẽptor mundi, D aduenisti quẽ deſiderãtes quotidie ſperabamus. Aduenisti quem nobis futurũ lex nunciauerat & prophetæ. Aduenisti donans in carne uiuis indulgentiam peccatoribus mũdi, ſolue defunctos inferni. Veniſti poſt lõgas lachrymas, eripe ſolus qui paſſus es pro nobis. Cœli conditor, ad inferos intrare dignatus es. Te enim noſtra uocabant ſuſpiria, te larga requirebant lamenta. Vnde ſpes deſperatis, unde conſolatio in tormentis? In aduentu tuo catena noſtra cecidit, nox effugit. Vita ueniente mors morit̃, nec tortor inſtat, nec percuſſor. Dãnati uota capiunt, creator imperat non inuaſor. In tyrãno catena innectit̃, & tortor noſter pœna torquetur. Solue redemptor mundi defunctos captiuos inferni. Deſcendiſti pro nobis ad inferos, noli
nobis

nobis deeſſe, cum fueris reuerſurus ad ſuperos. Poſuiſti titulum gloriæ in ſeculo, pone ſignum uictoriæ in inferno. A Nec mora poſtquam audita eſt poſtulatio atq; allegatio innumerabiliũ captiuorum, ſtatim à domini iuſſu omnes antiqui iuſti iura poteſtatis accipiũt, atq; in ſuos tortores ipſi protinus tormenta cõuertunt, humili ſupplicatione cũ ineffabili gaudio clamantes dño, atq; dicentes: Aſcende domine Ieſu ſpoliato inferno, & authore mortis ſuis uinculis irretito, redde iam lætitiam mundo. Iucundentur in aſcenſu tuo fideles tui, aſpicientes cicatrices corporis tui. Fecit hoc Chriſtus ſicut iam ſuperius dictum eſt. Facta præda in inferno, uiuus exijt de ſepulchro. Ipſe ſe ſua potẽtia ſuſcitauit, & iterum ſe immaculata carne ueſtiuit. Diſcipulis ſuis apparuit, ut dubitationem auferret incredulis. B Clauorum uulnera demonſtrauit, ut nullam ſuſpicionem relinqueret Manichæis. Manifeſte manducauit & bibit, poſtea uero in conſpectu multorum apparuit. Per nubem cœlos aſcẽdit, in ſede ſuam carnem ad patris dexteram, unde nunquam uerbum dei diſceſſerat, collocauit. Exultẽt ergo populi Chriſtiani, pro quibus ſanguis effuſus eſt Chriſti. Iucundemur in domino, qui reſurrectionem carnis ſolenniter celebramus in Chriſto. Omnis per totũ mundũ catholica gratuletur Eccleſia, quia Chriſtus dominus & de ſua diuinitate nihil minuit, et hominẽ quem creauerat liberauit. Vnde exultãtes uoce humili ſupplicemus, ut pro quibus iſta pertulit cum uenit in mundum, liberatos nos de manu inferi attollere ſecũ dignetur in C cœlum, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In eodem feſto de reſurrectione,
Sermo III.

SERMO CXXXVIII Et hic inter Euſebianos

G AVDETE fratres chariſſimi, quia redemptionis noſtrę preciũ perſolutũ eſt. Non modica quãtitate conſtamus, pro quibus ipſe factus eſt preciũ qui redemit. Chriſtus enim dominus & ſaluator ideo natus eſt ut doceret, ideo mortuus eſt ut ſanaret. Crux fuit mortifera Chriſto, ſed ſalutifera Chriſtiano. Surrexit ſaluator chariſſimi, cũctis diuinitatis ſuę manifeſtus indicijs. Nam ſecutæ ſunt eum ſtellæ poſt uterũ, gloria poſt ſepulchrum. Regreſſum cuſtodit angelus qui nunciauerat naſciturũ. Reddũt inferna uictorem, & ſuperna ſuſcipiũt triumphantẽ. Suſtulit errorẽ natus, mortẽ calcauit occiſus. D Reuocauit ab inferis quẽ creauit, in illius cruce preciũ noſtrum pependit & regnũ. Redit in lucẽ creatura cũ domino. Lumen ẽm ex lumine ſuſcipere meruiſti, q̃d cum Chriſtus oculos clauderet perdidiſti. Proijciãt ſuperi tenebras, quas ſaluator inferis denegauit. Cõgaudeant hic elemẽta quæ planxerãt, quia Chriſtus de ſua maieſtate nihil perdidit, & hominem quẽ fecerat liberauit. Iudæi tamẽ perfidi monumenti lapidem ſignauerũt, ut non haberet Chriſtus egreſſum: ſed ſicut eum mundus nõ capit, nec ſepultura cuſtodit. Tenetur ibi, ſed ubiq; regnat. Difficile ſurgeret, ſi nõ antequã reſurgeret regnaret. Nam quomodo de ſepulchro exire nõ poſſet, qui ex incorruptis matris uiſceribus ſalua uirginitate proceſſit? Fefellit cuſtodes, exiliuit de ſepulchro, apparuit diſcipulis ianuis non apertis. Inde clauſus exijt, huc excluſus intrauit. Immenſæ maieſtatis arcanum fecit etiã in morte miniſterium. Crucifixus redit ab inferis & triumphat. Infer manum tuam Thoma lateri ſaluatoris, tange uulnera quæ noſtra peccata fecerũt, ſcrutare unde ſanguis effluxit, ut nobis ſanitatis poculũ propinaret. Intuere Thoma preciũ noſtrum, ſigna clauorum diligenter attende, & in ipſis uulneribus medicamentũ uel theſaurũ humani generis recognoſce. Niſi hoc ligno figeretur, ligni illius prĕuaricatio minime tolleret̃. Sed ideo ſe ille percuti uoluit, ne nos diutius peccata percuterent. Innocẽtem tradidit, ut reum abſolueret. Quis tãtã digne poſſit eloqui pietatem? Innocens affligit̃, ut noxius liberetur. Vt redimatur ſeruus, occiditur filius. Vtitur pij & fortiſſimi regis officio, dum cicatrices quas pro ſalute populi ſui excepit, oſtendit. Aſpicite phariſæi uacuum monumentũ, & impietatis ueſtræ cognoſcite ſacrilegium. Clauos quos fixeratis agnoſcimus, & quem occidiſtis adoramus. Videte quem cõpunxiſtis. Poterat fixuras clauorũ dominus reſurrectione ſua cõponere, ſed ideo reſerauit ut qui hoc ſacrilegiũ cõmiſerant, uideant & confundantur. O crudeliſſimi phariſæi, impios uos uidetis & perfidos. Vni mors data eſt, ut omnibus tolleret̃. Sed Chriſtus dominus quando mortẽ ſuſcepit, ita corruptionem nõ ſenſit, quomodo quando natus eſt integritatẽ Mariæ uirginitas nõ amiſit. Properate diſcipuli, & accepta poteſtate per omnes gentes excurrite. Renaſcant̃ in ſpiritu, qui naſcunt̃ in carne. Salutare lauacrũ diluat, quicquid præuaricatio ſordidauit. Baptizent̃ omnes gẽtes in nomine patris & filij & ſpiritusſancti, ut impleatur illud quod ſcriptũ eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua Ioan. 3 & ſpiritusſancto, nõ poteſt intrare in regnum dei. Nos uero chariſſimi, qui nullis præcedẽtibus meritis de inferni carcere & de tenebris æternæ noctis meruimus liberari, ita ſobrie, caſte, ac pie uiuere ſtudeamus, ut ſtolã baptiſmi ſine aliqua luxuriæ macula integrã illibatamq; ſeruãtes, ad æterni ſponſi thalamũ, & ad illud cœleſte ac nuptiale cõuiuium charitate ſplendidi, bonorum margaritis operũ ornati feliciter ueniamus, ipſo adiuuãte qui cum patre et ſpiritusſancto uiuit & gloriatur deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

In eodem feſto, de reſurrectione corporũ contra Gentiles: Sermo IIII

SERMO CXXXIX A

P ER hos dies ſicut recolit charitas ueſtra fratres, ſolenniter legunt̃ Euangelicæ lectiones ad reſurrectionem domini pertinentes. Omnes enim Euãgeliſtæ quatuor, neq; de paſſione domini, neq; de reſurrectione tacere potuerunt. Nam quia multa fecit dominus Ieſus, nõ omẽs omnia cõſcripſerunt, ſed alius iſta, alius illa, ſumma cum concordia ueritatis. Multa etiã cõmemorat Ioãnes Euãgeliſta facta eſſe à domino Ieſu Chriſto, quæ à nullo aliorum cõſcripta ſunt. Tãta facta ſunt, quãta tunc fieri debuerũt: tanta ſcripta ſunt, quãta nunc legi debuerunt. Vt aũt oſtendan

tur

tur Euangelistæ omnes quatuor in eo quod simul omnes dicũt, & nõ prætermittũt: id est, de passione uel de resurrectione Christi non inter se dixisse cõtraria, ualde operosus est labor. Nonnulli enim putauerũt eos inter se esse contrarios, cum essent contrarij animæ suæ. Et ideo data est opera ab eis qui potuerunt adiuuante domino, ut ostenderent inter se nõ esse cõtrarij. Sed sicut dixi, si hoc uobis ostendã, & in populo uelim ista tractare, multitudo audientium prius obruitur tędio quàm reuelet sciẽtia ueritatis. Sed scio fidem uestram, id est, fidem huius totius multitudinis, & eorum qui hodie hic nõ sunt, & tamen fideles sunt: noui fidẽ eorum sic esse certã de ueritate Euangelistarũ, ut expositione mea nõ indigeãt. Qui nouit quomodo ista defendat, doctior est, non fidelior. Habet fidẽ, habet facultatẽ defendendi fidem. Alius nõ habet facultatẽ & copiam & doctrinã defendẽdi fidem, sed habet ipsam fidem. Ille aũt qui nouit defendere fidẽ, titubãtibus est necessarius, nõ credẽtibus. In defensione enim fidei curant uulnera dubitationis uel infidelitatis. Qui ergo defendit fidẽ, bonus est medicus. Sed in te nõ est infidelitatis morbus. Quãdo ille nouit curare quod nõ habes, nouit ille ponere medicamentũ, sed in te nõ est uitiũ.
Matth. 9 Non est sanis opus medicus, sed male habẽtibus. Tamen quę possunt expeditius dici pro tẽpore, et cõmodius audiri, subticere uobis non est consilij. De ipsa resurrectione domini, cuius in seipso dominus præmisit exemplũ, ut sciremus quod etiam in corporibus nostris in fine seculi sperare debeamus, multi multa disputant, aliqui fideliter, aliqui infideliter. Qui fideliter disputãt, scire uolũt diligẽtius quid respõdeant infidelibus: qui aũt infideliter disputant, argumentantur contra animas suas, disputantes contra potentiã omnipotentis, dicentes: unde fieri potest, ut mortuus resurgat? Dico ego: Deus est qui facit, & tu dicis fieri nõ potest. Nõ dico: Da mihi Christianum, da mihi Iudæum: sed, da mihi paganum multorum idolorum cultorem, dæmonum seruum, qui nõ dicat deum esse omnipotentem: negare Christum potest, negare omnipotentem deum non potest. Quem tu ergo credis (quasi pagano loquor) quem tu credis deũ omnipotẽtem, ipsum ego dico mortuorum suscitatorẽ. Si dixeris, Non potest fieri, derogas omnipotẽti. Si autem credis illũ omnipotentem, me quare respuis ista dicentem? Si diceremus carnem resurrecturam ut esuriat & sitiat, ut ægrotet, ut laboret, ut corruptionibus subijciatur, merito credere nõ deberes. Habet enim modo caro ista has necessitates uel calamitates. Et hoc unde? Causa peccatum est, in quo peccauimus, & omnes ad corruptionẽ nati sumus. Malorum omniũ nostrorũ causa peccatum est. Non enim sine causa homines mala ista patiuntur. Iustus est Deus, omnipotens est Deus, nullo modo ista pateremur si nõ meteremur. Sed cum essemus in pœnis, ad quas uenimus de peccatis, dominus noster Iesus Christus uoluit esse in pœnis nostris sine peccatis suis, sustinẽdo sine culpa pœnam, & culpam soluit & pœnam. Culpam soluit peccata donando, pœnam soluit à mortuis resurgendo. Hoc promisit, & nos in spe ambulare uoluit: perseueremus, & ad rem perueniemus. Caro resurget incorruptibilis, caro resurget sine uitio, sine deformitate, sine onere ac pondere: quæ nunc tibi facit tormentũ, postea tibi erit ornamentum. Ergo si bonum est habere corpus incorruptibile, quare hoc facturum deum uolumus desperare? Philosophi seculi huius, qui magni fuerunt & docti & cæteris meliores, animam humanam immortalem esse senserunt, nec solum senserunt, sed quantis potuerũt argumẽtationibus defenderũt, & ipsas defensiones conscriptas posteris reliquerunt. Sunt libri, leguntur. Ideo istos philosophos dixi alijs fuisse meliores in cõparatione peiorum: quia fuerunt philosophi qui dicerẽt, homini cum mortuus fuerit, nullã uitam postea remanere. Talibus illi utiq; præponendi sunt. Et in quo illi meliores erant, quãuis in multis à ueritate deuiantes, tamen in quo erant isti superiores, ueritati fuerant propinquantes. Hi ergo qui senserunt atq; dixerunt animas humanas immortales, de malis hominum, de ęrumnis erroribusq; mortalium quæsierunt causas quãtum homines potuerunt, & dixerunt sicut potuerũt perfecisse nescio quæ in alia uita peccata, quorum pęccatorũ merito ista corpora uelut carcerem animæ mererẽtur. Deinde quęsitum est ab eis, quòd postea cũ fuerit homo mortuus quid erit. In hoc contriuerunt ingenia sua, & laborauerunt quantum ingenia potuerũt reddere hominibus rationẽ uel sibi uel alijs: & dixerũt, animas hominũ male uiuentium immundas pessimis moribus, cum exierint de corporibus, rursus cõtinuo reuolui ad alia corpora, & pœnas hic luere quas uidemus: eas uero animas quæ bene uixerunt, cũ exirent de corporibus, ire ad superna cœlorum, requiescere ibi in stellis & luminibus istis cõspicuis, uel quibuscũq; cœlestibus abditisq; secretis, obliuisci omniũ pręteritorũ malorũ, & rursus delectari, redire ad corpora, & uenire iterũ ad ista patiẽda. Hoc ergo interesse uoluerũt inter animas peccatorum & animas iustorũ, quia peccatorum animas de proximo statim cũ exierint de corporibus, dicũt reuolui ad altera corpora, iustorum aũt animas diu esse in requie, nõ tamẽ semper, sed rursus delectari corporibus, & de summis cœlis post tantã iustitiã ad ista mala facere ruinã. Hoc dixerũt ualde magni philosophi mũdi huius, de quibus dicit scriptura nostra: Stultã fecit deus sapientiam huius mũdi. 1. Cor. 1 Si sapiẽtiam, quanto magis stultitiam? Si sapientia mundi stultitia est apud deum, stultitia mundi q̃ longe est à deo? Est tamẽ quædã stultitia mundi huius, quæ peruenit ad deũ, de qua dicit Apostolus: Quoniam in sapientia dei nõ cognouit mũdus per sapiẽtiã deum, placuit deo per stultitiã prædicationis saluos facere credentes. 1. Cor. 1 Et dicit: Iudæi signa petunt, & Græci sapiẽtiam quærunt: nos aũt prædicamus Christum crucifixum, Iudęis quidem scandalũ, gentibus stultitiam, ipsis autem uocatis Iudæis & Græcis Christum dei uirtũtem & dei sapientiam. Venit dominus Christus

sapientia

sapientia dei, cœlum tonat, ranæ taceãt. Quod dixit ueritas, uerum est. Quòd dixit in malo quidem esse genus humanum causa peccati, manifestũ est. Sed qui crediderit in mediatorem, qui cõstitutus est medius inter deum & homines, inter deum iustũ & homines iniustos, medius homo iustus, humanitatem habens de imo, iustitiam de summo, & ideo medius, hinc unum & unum inde: quia si utrunq; inde ibi esset, si utrunq; hinc nobiscum iaceret, medius nõ esset. Qui ergo crediderit in mediatorem, & fideliter ac bene uixerit, exit quidem de corpore, & erit in requie, postea uero recipiet corpus non ad tormentũ, sed ad ornamentũ, & uiuet cum deo in æternum. Non est quòd eum deleret ut redeat, quia secum habet corpus. Ergo charissimi, qui proposui uobis hodie quid dicant etiã philosophi mundi huius, quorum deus sapiẽtiam tãquam ueram stultitiam reprobauit, crastino adiuuante domino exponere poterimus.

Non est August. Itẽ in eodem festo alius sermo de resurrectione domini & cantatione Hallelu ia, qui habetur in libro Quinquaginta Homiliarum decimosexto.

Feria secunda Paschæ, de eo quod scriptum est
Luc. 24 in Euangelio secundum Lucam, Duo ex discipulis Iesu ibant &c. Sermo I.

SERMO CXL A H ESTERNO die, id est nocte, lecta est ex Euangelio resurrectio saluatoris. Lecta est aũt ex Euangelio secundũ Matthæũ. Hodie uero sicut audistis pronunciare lectorem, recitata est nobis dñi resurrectio, sicut Lucas Euãgelista conscribit. Quod sæpe admonendi estis, & memoriter tenere debetis. Non uos debet mouere quod alius Euangelista dicit, si quid alius prætermittit: quia & ille qui prætermittit quod alius dicit, dicit aliquid quod ille prætermiserit. Aliqua uero singuli dicunt, alij tres nõ dicunt: aliqua duo dicunt, alij non dicunt: aliqua tres dicunt, & unus nõ dicit. Authoritas aũt tanta est euangelij sancti, ut quia in eis loquebatur spiritus unus, uerum sit etiã quod dixerit unus. Hoc ergo quod modo audistis, quia dominus Iesus, posteaquàm resurrexit à mortuis, inuenit duos in uia ex discipulis suis colloquentes inuicem de his quæ contigerant, & dixit illis: Qui sunt sermones isti quos loquimini uobiscum, & cætera: solus dicit Lucas Euangelista. Breuiter hoc attigit Marcus, quia apparuit duobus in uia: sed quid illi dixerint dño, uel quid eis dixerit dñs, prætermisit. Quid ergo ista lectio cõtulit nobis? Magnum aliquid si intelligamus. Apparuit Iesus, uidebat oculis, & non agnoscebatur. Magister ambulabat cũ illis in uia, & nondum illi ambulabãt in uia. Inuenit enim eos exorbitasse de uia. Quãdo enim cum illis fuerat ante passionem, omnia prædixerat passurum se fuisse, moriturum, tertia die resurrecturũ. Omnia prædixerat, sed sermo illius illorũ obliuio fuit, sicut perturbati sunt quando cũ uiderũt in ligno pendentem. Nos, inquiũt, sperabamus quia ipse erat redẽpturus Israel. O discipuli sperabatis, ergo iam nõ speratis? Ecce Christus uiuit, spes mortua est in uobis. Prorsus uiuit Christus. Mortua discipulorum corda inuenit, quorum oculis apparuit & non apparuit, & uidebatur & abscondebat. Nam si nõ uidebatur, quomodo illũ interrogantem audiebãt, interroganti respõdebant? In uia cum illis tanquam comes ambulabat, & ipse dux erat. Vtiq; uidebant, sed non agnoscebant. Tenebãtur oculi eorum, sicut audiuimus, ne eum agnoscerent. Eia fratres, ubi uoluit dñs agnosci? In fractione panis. Securi sumus, panem frangimus, & dominum agnoscimus. Noluit agnosci nisi ibi propter nos, qui nõ eum uisuri eramus in carne, & tamen manducaturi eius carnem. Quisq; ergo fidelis es, quisquis nõ inaniter Christianus uocaris, quisquis ecclesiã nõ sine causa ingrederis, quisquis uerbũ dei cum timore & spe audis, cõsolatur te fractio panis, absentia domini nõ est absens. Habeto fidẽ, & tecũ est quem nõ uides. Illi quando cum eis dominus loquebatur, nec fidẽ habebant, quia eum resurrexisse nõ credebãt, nec resurgere posse sperabant. Perdiderãt fidem, perdiderant spem, ambulabant mortui cum uiuente, ambulabãt cum ipsa uita. Cum illis ambulabat uita, sed in eorũ cordibus nõdum erat uita. Tu uero si uis habere uitã, fac quod fecerũt ut agnoscas dominũ, hospitio susceperunt. Similis enim erat dominus tanquam in longinqua pergẽti, illi uerò tenuerũt eũ. Posteaquã uenerunt ad locũ quò tendebant, dixerũt: Iam hic nobiscũ mane, declinauit in uesperã dies. Tene hospitẽ, si uis agnoscere saluatorẽ. Quod tulerat infidelitas, reddidit hospitalitas. Dominus ergo pręsentauit seipsum in fractione panis. Discite ubi dominũ quæratis, discite ubi habeatis, discite ubi agnoscatis quando mãducatis. Norũt enim fideles aliquid quod melius intelligũt in ista lectione quàm illi non nouerunt: Dominus his cognitus est, & posteaq; cognitus est, nusquã comparuit ab eis. Affuit corpore, dum tenebat fide. Ideo enim dominus noster absentauit se corpore ab omni Ecclesia, & ascendit in cœlum ut fides ædificet. Si enim nõ nosti nisi quod uides, ubi est fides? Si aũt credis & quod non uides, cum uideris gaudebis. Ædificatur fides, quia redditur species, ueniet quod uidemus. Veniet fratres ueniet, uide quomõ te inueniat. Nã ueniet quod dicunt homines, ubi est, quãdo est, quomõ est, quando erit, quãdo uenturũ est. Certus esto, ueniet, nõ solum ueniet, sed & si nolis ueniet. Vę qui nõ crediderunt, & magnum gaudiũ eis qui crediderunt. Gaudebunt fideles, cõfundentur infideles. Fideles dicturi sunt, Gratias tibi domine, uera audiuimus, uera credidimus, uera sperauimus, uera cernimus. Infideles autem dicturi sunt, Vbi est quod non credebamus, ubi est quod illa quæ legebãtur mendacia putabamus? Ista sint, ut confusioni reddatur supplicium. Ibunt enim illi in cõbustionem æternam, iusti autem in uitam æternam.

Eodem die de resurrectione: Sermo II

SERMO CXLI A R ESVRRECTIO dñi nostri Iesu Christi ex more legit his diebus ex omnibus libris sancti Euãgelij. In hac lectione animaduertimus, quomõ discipulos suos prima mẽbra sua, hærentes lateri suo obiurgauit dominus

Iesus

Iesus: quia quem dolebant occisum fuisse, non credebant uiuum esse patres fidei, nõdum fideles magistri: ut crederet totus orbis terrarũ quod prædicaturi fuerant, & propter quod fuerant morituri, nondum credebant. Quem uiderant mortuos suscitasse, nõ credebãt resurrexisse. Merito ergo obiurgabantur, ostendebanẽ sibi ut innotescerent sibi, qui essent per seipsos, quid futuri essent per illũ. Sic etiam Petrus demonstratus est sibi, quãdo de imminẽte passiõe pręsumpsit, & ueniẽte ipsa passione titubauit. Vidit se in se, doluit se in se, fleuit se in se, cõuersus est ad eum qui fecerat se. Ecce isti nondũ credebãt. Qualis illius dignatio qui nobis dedit credere quod nõdũ uidemus, nos credimus uerbis eorũ, illi nõ credebant oculis. Resurrectio aũt dñi nostri Iesu Christi noua uita, & uita est credentium in Iesum, & hoc sacramentũ est passionis & resurrectionis eius, quod ualde nosse & agere debetis. Non enim sine causa uita uenit ad mortẽ. Non sine causa fons uitæ unde bibit, bibit hũc calicem qui ei nõ debebatur. Non enim Christo debebatur mori. Vnde uenerit mors, originẽ ipsius quæramus. Pater mortis peccatũ est. Si enim nunquam peccaretur, nemo moreretur. Legẽ dei, hoc est, præceptũ dei cum conditione prius homo accepit: ut si seruaret, uiueret: si corrũperet, moreretur, nõ sese credẽdo moriturũ fuisse quod dixerat qui legẽ dederat, inde mors, inde labor, inde miseria, inde etiã post mortẽ primã mors secunda est, post mortẽ temporalẽ, mors sempiterna. Huic ergo traditioni mortis obnoxius, his legibus inferni obstrictus nasciẽ omnis homo: sed propter illũ hominem deus homo factus est ne periret homo. Nõ enim legibus obstrictus uenit: ideo dicitur in Psalmo, Inter mortuos liber. Quẽ sine cõcupiscentia uirgo cõcepit, quẽ uirgo peperit, & uirgo permansit, qui uixit sine culpa, qui est mortuus ꝓpter culpã non suã. Nam mortuus est propter nostram. Pœna culpæ mortis dominus noster Iesus Christus mori uenit, peccare non uenit, cõmunicando nobiscũ sine culpa pœnã, & culpã soluit & pœnã. Pœna quã soluit quæ nobis debebatur post istam uitã. Ergo crucifixus est, ut in cruce ostẽderet, ueteris hominis nostri occasum. Et resurrexit ut in uita sua ostẽderet nostræ uitæ nouitatẽ. Sic enim docuit doctrina apostolica: Traditus, inquit, est ꝓpter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã. Huius rei signum circũcisio data erat patribus, ut octaua die circũcideretur omnis masculus. Circũcisio fiebat ex cultellis petrinis, quia petra erat Christus. In ista circũcisione significabatur expoliatio carnalis uitæ octauo die per Christi resurrectionẽ. Septimus enim dies hebdomadis sabbato cõpletur. Sabbato dominus iacuit in sepulchro: octauo aũt die resurgẽdo nos innouauit. Nos ergo octauo die resurgẽdo circũcidit, nos in ipso spe uiuimus. Audiamus Apostolũ dicentẽ: Si cõresurrexistis cum Christo. Quomodo resurgimus qui nondũ mortui sumus? Quid est ergo q̃d uoluit dicere Apostolus, Si cõresurrexistis cũ Christo? Nũquid ille resurrexit, nisi prius mortuus fuisset? Viuentibus loquebat, nondũ morientibus iam resurgentibus. Quid sibi uult? Videte quid dicat, Si resurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedẽs: quæ sursum sunt sapite, non quæ supra terrã. Mortui enim estis. Ipse dicit, nõ ego, sed tamen uerũ dicit: & ideo dico & ego, Credidi propter quod locutus sum. Si bene uiuimus, mortui fuimus & resurreximus. Qui aũt nondũ mortuus est, nec resurrexit, male adhuc uiuit. Et si male uiuit, non uiuit: moriaẽ ne moriatur. Quid est moriatur ne moriatur? Muteẽ ne damneẽ. Si resurrexistis cũ Christo, uerba repeto Apostoli, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedens: quæ sursum sunt sapite, nõ quæ super terrã. Mortui enim estis, & uita uestra abscõdita est cũ Christo in Deo. Cũ enim Christus apparuerit uita nostra, tunc & nos cũ illo apparebimus in gloria: hęc sunt uerba Apostoli. Et qui nondum mortuus est, dico ut moriaẽ: & qui adhuc male uiuit, dico ut muteẽ. Si em̃ male uiuebat, & iam male non uiuit, resurrexit. Sed quid est bene uiuere? Quæ sursum sunt sapere, nõ quæ super terram. Quãdiu terra es, in terram ibis: quãdiu lingis terrã? Amando terram, lingis utiq̃ terrã, & efficieris eius inimicus: de quo dicit Psalmus, Et inimici eius terrã lingent. Quid erratis filij hominum? Quid estis filij dei? Filij hominum usquequo graui corde? ut quid diligitis uanitatẽ & quæritis mendaciũ? Quod mendacium quæritis? Mũdum. Beati esse uultis, scio. Da mihi hominem latronẽ, sceleratum, fornicatorem, maleficũ, sacrilegũ, omnibus uitijs inquinatũ, omnibus flagitijs seu facinoribus obrutũ, qui nõ uelit beatam uitã uiuere. Scio omẽs uultis beate uiuere, sed unde homo beatè uiuaẽ, hoc nõ uultis quęrere. Quęris aurum, quia putas te de auro beatũ futurũ, sed aurũ te non facit beatũ. Quare quæris mendaciũ? Quare uis esse in isto seculo sublimatus? Quia honore hominum & pompa seculi putas te beatũ futurum, sed pompa seculi non te facit beatũ. Quare quæris mẽdaciũ? Et quicquid hic aliud quæris cũ secularitẽr quæris, cũ amando terram quęris, propterea quęris ut sis beatus. Sed nulla res terrena te faciet beatũ. Quare non cessas quærendo mendaciũ? Vnde ergo eris beatus? Filij hominũ usquequo graui corde? Non uultis esse graui corde, qui terreno mẽdacio oneratis cor uestrum? Quousq̃ fuerunt graui corde homines? Antequam ueniret Christus, antequã resurgeret Christus, fuerũt homines graui corde. Quousq̃ graui corde: ut quid diligitis uanitatẽ & quæritis mendacium? Volentes beati esse, eas res quæritis unde miseri sitis. Fallit uos quod quæritis, mẽdacium est, quod quæritis. Beatus uis esse? Ostendo tibi si uis, unde habes beatus esse. Sequiẽ ibi, Vsquequo graui corde, ut quid diligitis uanitatẽ & quęritis mẽdaciũ? Scitote, Quid? Quoniã dominus magnificauit sanctũ suum. Venit Christus ad miserias nostras, esuriuit, sitiuit, fatigatus est, dormiuit, mira fecit, mala passus est, flagellatus est, spinis coronatus est, sputis illitus, alapis cæsus, ligno fixus est; lancea uulneratus

Psal.71

Psal.87

Rom.4

Col.3

ratus est, in sepulchro positus, sed tertia die resurrexit. Finito labore, mortua morte. Ecce ibi oculum habete in eius resurrectione, quia ita magnificauit sanctũ suum ut resuscitaret eũ à mortuis, et daret ei honorem in cœlo sedenti ad dexteram suã. Ostendit tibi quid debeas sperare si uis beatus esse. Hic enim beatus esse non potes, quia nemo hic beatus esse potest. Bonã rem quæris, sed terra ista non est regio eius quã quæris. Quid quæris? Beatã uitam. Sed nõ est hic. Aurum si quæreres in illo loco ubi non est, ille qui nouit, quia non est ibi, nónne diceret tibi, quid fodis, quid terrã solicitas? Fossam facis quã descendas, non ubi aliquid inuenias, quid es respõsurus admonẽti te? Aurum quæro. Et ille: Nõ dico tibi, nihil est quod quæris, sed, non est ibi quod quæris. Sic & tu quãdo dicis, Beatus esse uolo, bonam rem quæris, sed non est hic. Si habuit illud hic Christus, habebas & tu in regione mortis tuæ. Quid ille inuenit hic attende, ueniens de alia regione, & quid inuenit, nisi q̃d hic abũdat? Manducauit tecũ, quod abundat in cella miseriæ tuæ. Acetum hic bibit, fel hic habuit. Ecce quid in cella tua inuenit. Sed ad magnam mẽsam suam te inuitauit, mensam cœli, mẽsam angelorum, ubi ipse panis est. Descendens ergo & ista mala inueniens in cella tua, & non dedignatus est talẽ mẽsam tuã, & promisit suam. Et quid nobis dicit, Credite credite uos uenturos ad bona mensæ meæ, quãdo nõ sum dedignatus mala mensæ uestrę. Malum tuum tulit, & bonum suum dabit. Vitam suam promisit nobis. Sed incredibilius est quod fecit. Mortẽ suã prærogauit nobis, tanquã diceret, Ad uitã meam uos inuito, ubi nemo moriẽ, ubi nemo deficit. Ecce ad quos uos inuito, ad regionem angelorũ, ad amicitiam patris & sanctispiritus, ad cœnam sempiternam, ad fraternitatem meã: postremo ad meipsum. Ad uitam meam uos inuito. Non uultis credere, quia dabo uobis uitã meam? Tenete pignus mortem meam. Modo ergo cũ in ista morte corruptibili uiuimus, morum mutatione cum Christo moriamur, à morte iustitiæ cum Christo uiuamus, beatam uitam non accepturi, nisi cum ad illum uenerimus qui uenit ad nos, & cum illo esse cœperimus qui mortuus est pro nobis.

Eodem die: Sermo III.

SERMO CXLII S ALVTIS humanæ fratres charissimi, & mũdi rediuiua libertas nõ modica taxatione requiriẽ, sed Christi sanguine temperaẽ. Sed quantũ uenerabilis diei huius officium credentibus cõtulit gaudiũ, tantũ incredulis interitum portauit & luctum. Confert lætitiam Christianis ex fide, ingerit pœnã Iudæis desperantibus ex cruce. Illis iniuria filij dei æternam cõtulit mortem, nobis ad perpetuã proficit salutem. Quis rogo diuinæ pietatis excessus est, uel quanta amoris amplitudo mõstratur? Ad hoc deus propter hominem perditum de cœlo uoluit descendere, non ut honorẽ in mũdo accipere uideretur, sed ut suspenderetur in cruce. Et dum uoluit deceptũ laqueis mortis eximere, ipsam subire non dedignatus est mortem. Et qualem mortem? Quæ detestabilior omni morte extitisset. Hoc Apostolus asseuerat dicens: Humiliauit, inquit, se usq̃ ad mortem, mortẽ autem crucis. Vnde post mortem uictrix resurrectio parabatur. Dicamus fratres. Hæc est dies quã fecit dominus, gaudeamus & epulemur in ea: hoc est pascha quod colimus, in hoc peregrinamur, hoc præteritum redit, hoc uoluitur in futurum.

Philip.2

Eodem die sermo, de resurrectione corporum contra infideles: Sermo IIII.

SERMO CXLIII A P ROPRIA fides est Christianorũ, resurrectio mortuorũ. Hanc in seipso, id est, resurrectionem mortuorũ, caput nostrum Christus ostendit. Et exemplum fidei nobis prestitit, ut hoc sperent membra in se, quod præcessit in capite. Hesterno die uobis insinuauimus, sapiẽtes gẽtium quos philosophos dicunt, ipsos qui in eis excellentissimi fuerunt, scrutatos fuisse naturam, & de operibus artificem cognouisse: Prophetã nõ audierunt, legem dei non acceperunt, sed eis deus quodãmodo silens ipsius mundi operibus loquebatur, & eos ad quærendum artificem rerũ, mundi species inuitabat. Nec potuerũt in animum inducere, cœlum & terram sine authore cõstare. De his beatus Paulus apostolus ita loquitur, Reuelatur, inquit, ira dei de cœlo super omnem impietatem. Quid est super omnem? Non solum super Iudęos qui dei legem acceperũt, & legis datorẽ offenderunt, uerũetiam super impietatem gentium reuelaẽ ira dei de cœlo. Et ne quisq̃ diceret, quare cum ipsi legẽ nõ acceperint? secutus adiunxit, Et iniustitiã eorum qui ueritatẽ dei in iniquitate detinent. Iam tu responde: Quã ueritatẽ? Nõ enim acceperunt legẽ, non enim audierunt Prophetã. Audi quam ueritatem. Quoniã quod notũ est, inquit Dei, manifestum est in illis. Vnde manifestũ? Adhuc audi, Deus enim illis manifestauit. Si adhuc quæris, quomodo manifestauit quibus legem nõ dedit? Audi quomodo: Inuisibilia enim eius à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Inuisibilia em̃ eius, hoc est, inuisibilia dei, à cõstitutione mũdi, id est, ex quo cõstituit mũdum, per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciũtur, illa per hæc intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoq̃, uerba Apostoli dico, ipsa attexo, Sempiterna quoq̃ uirtus eius & diuinitas subaudis, intellecta conspiciuntur, ut sint inexcusabiles. Quare inexcusabiles? Quia cognoscentes deum, non sicut deum glorificauerũt, aut gratias egerunt. Non dicit, nescientes deũ, sed cognoscẽtes. Vnde cognoscẽtes? Ex his quæ fecit. Interroga pulchritudinẽ terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati & diffusi aeris, interroga pulchritudinẽ cœli, interroga ordinẽ siderum, interroga solem fulgore suo diẽ clarificantẽ, interroga lunã fulgore suo sequẽtis noctis tenebras tẽperantem, interroga animalia quæ mouenẽ in aquis, in terris, quæ uolant in aere, latẽtes animas, perspicua corpora, uisibilia regenda, inuisibiles regẽtes: interroga ista. Respõdent tibi omnia: Ecce uide pulchra sumus: pulchritudo eorũ, cõfessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incõmutabilis

Rom.1

lis pulcher in ſeipſo? Deniq; homines ut poſſent
intelligere & cognoſcere deũ uniuerſi mũdi crea- A
torẽ, in ipſo homine interrogauerũt hęc duo, cor-
pus & animã: hoc interrogabãt quod & ipſi geſta
bant, uidebãt corpus, animã nõ uidebãt. Sed cor-
pus niſi de anima nõ uidebant. Videbãt enim per
oculum, ſed intus erat qui per feneſtras aſpiciebat.
Deniq; diſcedẽte habitatore, iacet domus. Diſce-
dente qui regebat, cadit quod regebat. Et quoniã
cadit, cadauer uocat: Nónne ibi oculi integri? Et
ſi pateãt, nihil uidẽt. Aures aſſunt, ſed migrauit au
ditor, Linguę organum manet, ſed abſcellit muſi-
cus q̃ mouebat. Interrogauerũt ergo iſta duo, cor-
pus quod uidet, & animã quæ non uidet, & inue-
nerunt melius eſſe illud quod non uidetur, q̃ illud
quod uidetur: maiorẽ eſſe animam latentem, dete
riorem carnem apparentem. Viderunt iſta, intuiti B
ſunt, diſcuſſerũt utrunq;, & inuenerunt utrũq; mu
tabile in ipſo homine. Mutabile corpus per ętates
per corruptiones, per alimẽta, per refectiões, per
defectiones, per uitã, per mortem. Tranſierunt ad
animã quam utiq; comprehenderãt meliorem &
inuiſibilẽ, mirabãtur, & inuenerunt & ipſam muta
bilẽ, modo uelle, modo nolle, modo ſcire, modo
neſcire, modo meminiſſe, modo obliuiſci, modo
timere, modo audere, modo ire in ſapiẽtiã, modo
in ſtultitiã deficere. Viderũt & ipſam mutabilem,
trãſierunt & ipſam. Quęſierunt enim aliquod im-
mutabile. Sic ergo peruenerunt ad cognoſcendũ
deũ qui fecit, per iſta quę fecit: ſed non ſicut deum
honorauerũt aut gratias egerũt: ut ipſe dicit Apo- C
Rom.1 ſtolus: Sed euanuerũt in cogitationib. ſuis, & ob-
ſcuratum eſt inſipiens cor eorũ, dicentes ſe eſſe ſa-
piẽtes, ſtulti facti ſunt. Et quo peruenerũt? Et im-
mutauerũt, inquit, gloriã incorruptibilis dei, in ſi-
militudinẽ imaginis corruptibilis hominis. Idola
dicit. Et parum erat facere idolũ ad ſpeciem homi
nis, & ad ſui operis ſimilitudinẽ addicere artificẽ,
parum fuit hoc. Sed inſuper quid? Et uolucrum &
quadrupedũ & ſerpẽtiũ. Omnia quippe iſta quaſi
muta animalia & irrationabilia illi quaſi magni ſa
piẽtes deos ſibi fecerunt. Reprehendebã quando
adorabas imaginẽ hominis, quid tibi faciã quãdo
adoras imaginem canis, imaginem colubri, imagi
nem crocodili? Peruenerunt uſq; ad iſta. Quantũ
quærentes in ſuperna euecti ſunt, tantum cadẽtes D
in ima demerſi ſunt. Altius enim mergit quod de
alto cadit. Hi ergo ſicut hodie uos cõmonui quæ-
ſierunt quod poſtea, id eſt, quod poſt hanc uitã ſit
futurum. Quæſierunt ſicut homines, ſed quando
inuenirent cum homines eſſent, doctrinã dei non
habuerunt, prophetas non audierunt, non potue
rũt inuenire, ſuſpicati ſunt. Retuli heri uobis ſuſpi
ciones illorũ. Exeunt animæ malę, inquiũt, & quia
immundæ ſunt, cõtinuo in alia corpora reuoluun
tur. Exeunt animæ ſapiẽtium atq; iuſtorũ: & quia
bene uixerunt, uolant ad cœlum. Age bene, bene
inueniſti illis locum, uolantes ad cœlum peruene
runt. Et quid ibi? Ibi erunt, inquiunt, & requieſcẽt
cũ diis. Sedes eorum erunt ſtellę. Non malum ha-
bitaculum illis inueniſtis, uel ibi illas dimittite, no
lite illas deijcere, Sed inquiunt, Poſt tempora lon-
ga, facta penitus obliuione ueterum miſeriarũ, in-
cipiũt uelle reuerti ad corpora, & delectat eas ue-
nire: & rurſus ueniunt ad iſta patienda, ad iſta tole
randa, ad obliuiſcẽdum deum, ad blaſphemandũ
deum, ad ſequendas corporis uoluptates, ad pu-
gnas contra libidines. Veniunt ad iſtas miſerias,
unde & quo? Dic mihi quare? Quia obliuiſcũtur.
Obliuiſcũtur & delectationem carnis, hoc ſolum
mali ſui meminerũt unde ruerent. Veniunt. Qua-
re? Quia delectat eos rurſus in corporibus habi-
tare. Vnde delectat eos, niſi per memoriã, quia ibi
aliquãdo habitauerunt? Dele totam memoriã, &
forte reſiduam facies ſapientiam. Nihil remaneat
quod reuocet. Et horruit quidam author ipſorum
cui demõſtrabat, uel qui inducebat apud inferos
demonſtrantẽ patrẽ filio ſuo. Noſtis enim propè
omnes hæc, atq; utinã pauci noſceretis. Sed pauci
noſtis in libris, multi in theatris, quia Æneas de-
ſcendit ad inferos, & oſtẽdit illi pater ſuus animas
Romanorũ magnorum uenturas in corpora: ex-
pauit ipſe Æneas & ait. O pater anne aliquas ad
cœlum hinc ire putandũ eſt, Sublimes animas, ite
rumq; ad tarda reuerti Corpora. Sentiendũne eſt,
inquit, q̃ eant ad cœlũ & iterum redeant? Quæ lu
cis miſeris tam dira cupido? Melius filius intellige
bat quàm pater exponebat. Reprehendit cupidi-
tatem animarũ rurſus in corpora redire uolentiũ.
Dixit dirã cupiditatem, dixit eas miſeras, nec eru-
buit eas. Ad hoc Philoſophi perduxiſtis, ut pur-
gentur animæ, perueniant ad ſummã mũdiciam,
& per ipſam mundiciã obliuiſcãtur omnia, & per
obliuiones miſeriarum redeant ad miſerias corpo
rum. Dicite obſecro. Nónne etiam hæc ſi uera eſ-
ſent, inquã, quæ ſine dubio falſa, quia fœda ſunt,
nónne melius neſcirent? An forte dicturus es mi-
hi, non eris ſapiens ſi iſta neſcieris. Vt quid illa
ſciam, poſſum ne eſſe modo melior, q̃ tunc ero in
cœlo? Si in cœlo quãdo ero melior & perfectior,
obliuiſcar omnia quæ hic didici, & hæc ibi melior
neſciturus ſum, ſine modo illa neſcire. In cœlo ha-
bitantẽ dicis omnia obliuiſcentẽ, ſine in terra eſſe
horum omniũ neſcientẽ. Deinde rogo te, an ſciãt
ſe iſtæ animæ in cœlo, paſſuras eſſe rurſus huius ui
tæ miſerias, an neſciunt? Elige quod uoluerís. Si
ſciunt ſe paſſuras eſſe tantas miſerias, quomõ ſunt
beatæ miſerias ſuas futuras cogitantes? Quomo-
do ſunt beatæ, ubi ſunt ſine ſecuritate? Sed uideo
quid eligas, dicturus es neſciunt. Laudas ergo ibi
hanc ignorantiam quam me nunc habere non ſi-
nis, docendo me in terra, quod me neſciturum di-
cis in cœlo. Neſciunt, inquis. Si neſciunt, & ſe non
putant paſſuras, errando ſunt beatæ. Quod enim
paſſurę putant ſe non paſſuras, quod falſum puta-
re, quid eſt aliud quàm errare? Erunt ergo errore
felices, erũt beatæ non æternitate ſed fallitate. Li-
beret nos ueritas ut beati uere eſſe poſſimus, quo-
niam non uacat ſermo redẽptoris noſtri, Si uos fi- Ioan.8
lius liberauerit, tunc uere liberi eritis. Ipſe enim di
xit, Si manſeritis in uerbo meo, uere diſcipuli mei
eritis, & cognoſcetis ueritatẽ, & ueritas liberabit
uos

uos. Deinde audite aliud peius, aliud dolendũ uel
potius irridendum: hic ſapiens, hic philoſophus, A
hoc eſt interrogatus: Verbi gratia, Pythagoras,
Plato, Porphyrius, & neſcio quis alius ipſorum,
Quare philoſopharis? Propter, inquit, beatam ui-
tam. Quando habebis iſtam beatam uitam? Cum
hoc corpus, inquit, reliquero in terra. Modo ergo
miſera uita geritur, ſed ſpes eſt beatæ uitæ: ibi bea
ta uita geritur, ſed ſpes eſt miſerę uitę. Ergo ſi ſpes
noſtræ infelicitatis eſt felix, & felicitas infelix: ab-
ijciamus hæc, & uel rideamus quia falſa ſunt, uel
doleamus quia magna exiſtimantur. Sunt enim
iſta fratres mei magna, magnorum deliramẽta do
ctorum. Quanto melius tenemus magnorum ſa-
cramenta doctorum? Amore corporum dicũt re-
dire animas purgatas, mundatas, ſapientes, pur-
gatas animas amore corporũ redire ad corpora.
Ergo anima purgata ſi ſic amat, nonne amor iſte
magnæ ſunt ſordes? Sed corpus eſt omne fugien-
dum, magnus eorũ Porphyrius philoſophus, fidei
Chriſtianæ acerrimus inimicus, quia iam Chriſtia
nis temporibus fuit, ſed tamen ab ipſis deliramen
tis erubeſcendo, à Chriſtianis ex aliqua parte cor-
reptus, dixit, Corpus eſt omne fugiendum. Omne
dixit, quaſi omẽ corpus uinculum ęrumnoſum ſit
animæ. Et prorſus ſi corpus quacunque eſt fugien
dũ, non eſt ut laudes eius corpus: & dicas, qũo deo
docente fides noſtra laudat corpus: quia & cor-
pus q̃d modo habemus: quamuis habeamus hinc
de peccato pœnã, & corpus quod corrũpit aggra
uat animam: tamen habet corpus iſtud ſpeciem
ſuam, diſpoſitionem membrorum, diſtinctionem
ſenſuum, erectam ſtaturam, & cætera quæ bene C
conſiderantes ſtupent. Veruntamen illud omni-
no incorruptibile, omnino immortale, omnino
ad mouendum agile & facile erit. Sed ait Porphy
rius. Sine cauſa mihi laudas corpus. Qualecun-
que corpus, ſi uult eſſe beata anima, corpus eſt o-
mne fugiendum. Hoc dicũt philoſophi, ſed errãt,
ſed delirant. Cito probo, noli diutius diſputare, li-
bros ueſtros lego, quia illa quæ prædicata ſunt, de
bent habere ſubditum. Duo em̃ ſunt inuicem ſibi
cõnexa, prędicata & ſubdita. Superat omnia deus,
huic cuncta ſunt ſubdita. Et anima ſi habet aliquẽ
honorem apud deum, debet habere aliquid ſub-
ditum. Sed nolo hinc diutius diſputare, libros ue-
ſtros lego: mũdum iſtum animal dicitis, id eſt, cœ- D
lum & terram, maria, omnia q̃ ſunt ingentia cor-
pora, & immenſa uſq; quaq; elemẽta. Totum hoc
uniuerſum corpus quod ex his elementis omnib.
conſtat, dicitis eſſe animal magnum: id eſt, habere
animã ſuam, ſed ſenſus corporis non habere, quia
extrinſecus nihil eſt quod ſentiri poſſit: habere ta-
men intellectum, hęrere deo: & ipſam animã mũ-
di uocari Iouem uel uocari Hecatem, id eſt, quaſi
animam uniuerſalem mundum regẽtem, & unum
quoddam animal facientem: eundemq; mundum
æternum eſſe dicitis, ſuperfuturũ, finem non habi-
turum. Si ergo æternus mũdus, & ſine fine manet
mundus, & animal eſt mundus, animã iſta ſemper
tenetur in mundo, certe corpus eſt omne fugien-
dum. Quid eſt quod dicebas, Corpus eſt omne fu-
giendum? Ego dico beatas animas incorruptibi-
lia corpora ſemper habituras. Tu qui dicis, cor-
pus omne fugiendum, occide mundum. Tu dicis,
ut fugiam de carne mea, fugiat Iupiter tuus de cœ
lo & terra. Quodq; inuenimus eũdem Platonem
magiſtrum iſtorũ omnium, in libro quodam ſuo
quem ſcripſit De conſtitutione mundi, inducere
deum factorem deorum, facientem ſcilicet deos
cœleſtes, ſtellas omnes, ſolem & lunam. Dicit er-
go deum opificem deorum cœleſtium, dicit ipſas
ſtellas habere animas intellectuales quæ intelli-
gunt deum, & corpora uiſibilia quæ cernuntur.
Dico ut intelligatis, Sol iſte qui uidetur nõ uide-
retur niſi corpus eſſet. Hoc uerũ eſt: ſtella ulla uel
B luna non uideretur niſi corpus eſſet, uerum dicit.
Ideo dicit & Apoſtolus, Et corpora cœleſtia, & 1.Cor.15
corpora terreſtria. Et ſequitur: Alia gloria cœle-
ſtium, alia & terreſtrium. Et rurſus dicens de glo-
ria cœleſtium corporum Apoſtolus adiunxit &
ait, Alia gloria ſolis, alia gloria lunæ, alia gloria
ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in gloria, ſic
& reſurrectio mortuorum. Videtis quia promiſſa
eſt ſanctorum corporibus claritas, & diuerſa ſpe-
cies claritatis, quia diuerſa ſunt merita charitatis.
Sed illi qui dicunt, ſtellæ iſtæ quas uidetis, corpo
ra ſunt quidem, ſed habent ſuas animas intellectu
ales, & ſunt dij: iterum de corporibus, quia corpo
ra, uerum dicunt. Sed utrum habeant animas ſuas,
ut quod diſcutio modo ueniamus ad rem: Inducĭ-
tur deus à Platone ipſo alloqui deos quos fecit de
corporali & incorporali ſubſtantia, atq; inter cæ-
tera dicere illis, Quoniam eſtis orti, immortales eſ
ſe & indiſſolubiles non poteſtis. Iam ad iſtam uo-
cẽ illi intremiſcere poterãt. Quare? Quia immor-
tales eſſe cupiebant & mori nolebant. Ergo ut eis
auferret timorem, ſecutus adiunxit atq; ait, Non
tamen diſſoluemini, neq; uos ulla mortis fata pe-
riment, nec erunt ualẽtiora quàm conſilium meũ,
quod maius eſt uinculum ad perpetuitatem ue-
ſtram, quàm illa quibus colligati eſtis. Ecce deus
ſecuritatem dat diis à ſe factis: ſecuritatem illis dat
immortalitatis: ſecuritatem illis dat quòd non re-
linquant globos corporum ſuorum. Certe corpus
eſt omẽ fugiendũ. Quantum exiſtimo reſponſum
eſt illis, ſicut intelligere poteſtis, ſicut & nos loqui
D poſſumus, quãtum hora ſermonis permittit, quan
tum capacitas noſtra ſinit, reſponſum eſt eis. Iam
uero quod & ipſi dicant de reſurrectione corporũ
quaſi acute, & nõ eis, ſicut arbitrant, etiam nos re-
ſpõdere poſſumus, multũ eſt ut hodie uobis dicã.
Sed quia ſemel promiſi uobis, per iſtos dies iſtam
de reſurrectiõe carnis quæſtionem eſſe uerſandã;
ad ea quæ reſtant, adiuuante domino, & aures &
corda in craſtinum præparate.

Feria tertia paſchæ. Sermo I

SERMO CXLIIII A

RESVRRECTIO domini noſtri Ieſu
R Chriſti, & hodie recitata eſt: ſed de al
tero libro Euangelij qui eſt ſecundũ
Lucam. Primo em̃ lecta eſt ſecũdum Matthæum,
heſterna autem die ſecundum Marcum, hodie
ſecun-

secundum Lucam. Sic habet ordo euangelistarum. Sicut enim passio ipsius ex omnibus euangelistis conscripta est, sic dies isti septem uel octo durant spacium, ut secundum omnes euangelistas resurrectio recitetur. Passio autem quia uno die legitur, non solet legi nisi secũdum Matthæum. Volueram aliquando ut per singulos annos secundũ omnes euangelistas etiam passio legeretur, factũ est, non audierunt homines quod consueuerunt & perturbati sunt. Qui autem amat literas & non uult semper esse idiota, omnia nouit, & omnia diligenter inquirit. Sed sicut cuiq; à deo parata est mensura fidei, sic quisq; proficit. Nunc attendamus quod hodie cum legeretur audiuimus. Nam quod heri commendaui charitati uestræ expressimus, hodie audierimus infidelitatem discipulorũ, ut intelligamus quantũ eius beneficio nobis pręstitum est. B Si credamus quod nos audiuimus, uocauit eos, instruxit eos, uixit cum eis in terra, fecit ante oculos eorum tanta mirabilia usq; ad mortuos suscitandos. Mortuos resuscitauit, carnem suã non credebatur resuscitare. Venerunt mulieres ad monumentum, corpus in monumento non inuenerunt, resurrexisse dominum ab angelis audierunt, fœminę uiris nunciauerũt. Et quid scriptum est? quid audistis? Visa sunt ista ante oculos eorũ quasi deliramenta. Magna infidelitas conditiõis humanæ. Quãdo locuta est Eua quod dixerat serpens, audita est, cito mulieri creditum est, fœminis uera dicentibus q uiueret Christus, minus creditum est. Nam hoc est quod egit dominus Iesus Christus, ut prius illud sexus fœmineus nunciaret. C Quia ergo per sexum fœmineum cecidit homo, per sexum fœmineum reparatus est homo: qa uirgo Christum peperit, fœmina resurrexisse nunciabat: per fœminam mors, per fœminã uita. Sed non crediderunt discipuli quod dixerãt fœminæ, delirare putauerunt, quando ueritatem nunciabant. Ecce alibi. Luca 24 Duo ambulabant in uia, & loquebantur secum de his quæ acciderant in Hierusalem, de iniquitate Iudæorum, de morte Christi, ambulabant fabulantes, & quasi mortuum dolentes, resurrexisse nesciẽtes. Apparuit & ipsis, factus est tertius uiator, miscuit cũ eis amica colloquia, oculi eorum tenebantur ne agnoscerent eum. Oportebat enim ut melius cor instrueretur. D Cognitio differtur, quærit ab eis quid inter se loquerent, ut quod ipse sciebat illi faterentur. Et quod audistis, mirari cœperunt, quia de re clara & tam manifesta uelut à nesciente interrogabantur. Tu solus, inquiunt, peregrinus es in Hierusalem, & nescis quæ ibi gesta sunt? At ille dixit, Quæ? De Iesu Nazareno qui fuit propheta potens factis & dictis. O discipuli, Propheta erat Christus dominus prophetarum, iudici nomen præconis imponũt, ad alienigenarum uerba deuenerant. Quid est quod dixi? Recolite quòd quando ipse Iesus ait discipulis suis, Matt.16 Quem dicũt homines esse filium hominis? Responderunt opiniones alienas. Alij dixerunt quòd Helias es, alij quia Ioãnes baptista, alij quia Hieremias, aut unus ex Prophetis. Verba ista alienorum erant, non discipulorum. Ecce ad ista uerba discipuli uenerunt. A Nunc ergo uos quem me esse dicitis? Respondistis mihi opiniones alienas, fidem uestram uolo audire. Tunc Petrus unus pro omnibus, Tu es Christus filius dei uiui. Non quicunque unus ex prophetis, sed filius dei uiui, adimpletor prophetarum, creator angelorum. Tu es Christus filius dei uiui. Audiuit quod decuit eum audire ex hac uoce & tali uoce, Beatus es Simon bar Iona, quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque solueris super terram, soluta erunt & in cœlo: & quæcunque ligaueris super terram, ligata erunt & in cœlo. B Fides hoc meruit audire, non homo. Nam ipse homo quid erat, nisi quod ait psalmista, Omnis homo mendax? Psal.115 Deniq; continuo post hæc uerba denunciauit eis passionem suam & mortem. Expauit Petrus & ait, Absit à te domine non fiet istud. Tunc dominus, Redi post me satanas. Petrus satanas, ubi sunt illa uerba, Beatus es Simõ bar Iona? Nunquid beatus satanas? Beatus de deo, satanas de homine. Denique ipse dominus exposuit quare illum dixerit satanam. Non enim sapis quæ dei sunt, sed quæ sunt hominis? Vnde tunc beatus? Quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed pater meus q est in cœlis. Vnde postea satanas? Non sapis quæ dei sunt, quæ quando sapueras beatus eras, sed sapis quæ hominis sunt. C Ecce quomodo alternabat anima discipulorum quasi ex ortu & occasu, modo stabat, modo iacebat, modo illuminabatur, modo tenebrabatur, quia de deo illuminabatur, de suo tenebrabatur. Vnde illuminabatur? Accedite ad eum Psal.33 & illuminamini. Vnd tenebrabatur? Qui loquitur Ioan.8 mendacium de suo loquitur. Filium dei eum dixerat, & timebat ne moreretur cum filius dei esset. Nisi ille uenisset ut moreretur, nos unde uiueremus? Vnde nos habemus uitam, inde ille habuit mortem. Ipsum Euangelium attende, In principio erat uerbum & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Quære ibi mortem? Vbi? Vnde? Quomodo? Erat uerbum, uerbum apud deum, deus uerbum. D Si inuenis ibi carnem & sanguinem, inuenis mortem: ergo ille uerbum. Vnde illi mors? A nobis hominibus in terra positis, mortalibus, corruptibilibus, peccatoribus. Vnde uita? Non erat illi unde haberet mortem, nõ eramus nos unde haberemus uitam. Accepit ille mortem de nostro, ut daret nobis uitam de suo. Quomodo ille mortem de nostro? Verbum caro factum est & habitauit in nobis. Accepit hinc à nobis quod offerret pro nobis. Vita aũt unde nobis? Et uita erat lux hominũ. Ipse nobis uita, nos illi mors. Sed qualis mors? Dignatione nõ conditione, quia dignatus est, quia uoluit, quia misertus est. Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Hæc Petrus nesciebat, quando audita morte domini ex-
pauit

pauit. Sed ecce iam dixerat dominus moriturum se, & resurrecturum tertia die. A Factum est quod prędicabat, & non credebant quod audierant. Ecce iam triduũ est ex eo quo ista facta sũt, & nos putabamus q ipse erat redempturus Israel. Sperabatis, iam desperatis, de spe cecidistis, leuat uos qui uobiscum ambulat. Discipuli erant, ipsum audierant magistrum, nouerant ipsum, ab illo instructi erant, & non potuerunt imitari & habere fidem latronis pendentis in cruce. Sed forte aliqui uestrum nesciunt quid dixi de latrone, non audiendo passionem secundum omnes euangelistas. Iste enim euangelista Lucas narrauit quod dico, quia duo latrones crucifixi sunt cum Christo: dixit & hoc Matthæus, Sed unus eorum latronum qui insultauit domino, & alter eorum qui credidit B Christum: Matthæus non dixit, Lucas dixit. Recolamus fidem latronis quam non inuenit Christus post resurrectionem in discipulis suis. Pendebat in cruce Christus, pendebat & latro. In medio ille, illi à lateribus. Insultat unus, credit alter, iudicat melius ille. Ille enim qui insultabat hoc dixit, Si filius dei es libera te. Et alius ad illum, Tu non times deum. Si nos propter facta nostra merito patimur, ipse quid fecit? Et conuersus ad eum, Memento, inquit, mei domine dum ueneris in regnũ tuum. Magna fides, huic fidei quid addi possit ignoro. Titubauerunt qui uiderunt Christum mortuos suscitantem, credidit ille quem uidebat secum in ligno pendentem. Quando illi titubauerunt, tunc ille credidit. C Qualem fructum Christus de arido percepit? Quid enim dominus dixerat? Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Tu differs te, ego agnosco te. Quando hoc speraret latro, adductus de latrocinio ad iudicem, à iudice ad crucem, de cruce ad paradisum. Deinde ipse attendens merita sua non dixit, Memento mei ut liberes me hodie, sed cum ueneris in regnũ tuum, tunc memor mei esto: si mihi tormenta debentur, uel quousque ueneris in regnum tuum. Et ille: non sic, inuasisti regnum cœlorum, uim fecisti, credidisti, rapuisti, hodie mecum eris in paradiso. Non te differo. Tantæ fidei hodie reddo quod debeo. Latro dicit, Memento mei domine cum ueneris in regnum tuum. Non solum credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum. D Pendẽti crucifixo, cruento ligno horrenti, cum ueneris, inquit, in regnum tuum: & illi, nos sperabamus. Vbi latro inuenit, discipulus perdidit. Deinde iam charissimi magnum sacramentum quod cognouimus, audite. Ambulabat cum illis, suscipitur hospitio, panem frangit & cognoscitur. Et nos non dicamus, quia Christum non cognouimus, nouimus si credimus. Verum est, Nouimus si credimus, habemus si credimus. Habebant illi Christũ in conuiuio, nos intus in animo. Plus est Christum habere in corde, quàm in domo. Cor enim nostrum interius nobis est, quàm sit domus nostra. Iam uero ubi debet eum fidelis agnoscere? Agnoscit qui fidelis est, qui autem catechumenus est, ignorat. Sed ianuam contra eum nemo claudat, ut nouerit. Hesterna die admonui charitatem A uestram, quia resurrectio Christi est in nobis, si bene uiuamus. Si uita nostra mala moriatur, & quotidie noua proficiat. Abundant hic pœnitentes. Quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Orate pœnitentes, & eunt orare pœnitẽtes. Quõ pœnitet quod fit, si pœnitet non fiat. Si autẽ fit, nomen erat, crimen manet. Aliqui ipsi sibi pœnitentię locum petierunt, aliqui excommunicati à nobis in pœnitentiæ locum redacti sunt: nolunt inde surgere, quasi electus sit locus pœnitentium. Qui debet esse locus humilitatis, fit locus humilitatis. Vobis dico qui uocamini pœnitentes & nõ estis. Vobis dico. Quid uobis dicam? Laudo uos, in hoc non laudo, sed gemo & plango: Et quid faciam B fratres, immutate uitam in melius. Mutate, quia finis incertus est. Omnis homo cum casu suo ambulat. Quid differtis bene uiuere, cum putatis, quia longa erit uita? Longam uitã putatis, & mortem subitaneam non timetis. Sed ecce longa sit: & quęro unũ pœnitentem, & non inuenio. Quanto melius bona longa quàm mala uita erit? Longam cœnam malam ferre nemo, longam uitam malam omnes habere uolunt. Vtiq; si grande quod uiuimus, bonum sit ipsum grande. Quid enim uis mali, dic mihi in omnib. actibus tuis, cogitationibus, cupiditatibus? In terram non uis segetem malam, non uis utiq; malam, sed bonam arborem, equum, seruum, bonum amicum, bonum filium, uxorem bonam. Et quid hæc magna commemorem, quan- C do non uis uestem malam habere, sed bonam, caligam postremo ipsam non uis nisi bonam? Aut da mihi aliquid te uelle quod malum est, nec te uelle aliquid bonum: puto uillam malam non uis, sed bonam, solam animam malam uis? Quid te offendisti? Quid de te tuipse male meruisti? Inter bona tua non uis esse malum, nisi te solum. Puto, quia dico quod soleo, & facitis quod soletis. Ego coram deo excutio uestimenta mea. Timeo ne mihi imputetur quia non dico, officiũ meum impleo, fructum uestrum quæro, de bonis operibus uestris gaudium habere uolo, non pecuniam. Non enim qui bene uiuit, diuitem me facit: & tamen diuitiæ meæ non nisi spes uestra est, in Christo gaudium meum, solatium meum, & respiramentum pericu- D lorum in his tentationibus nullum est nisi bona uita uestra. Obsecro uos fratres, si obliti estis uestri, misereminí tamen mei.

Eodem die, de resurrectione domini:

Sermo II

Ser. CXLV A

DE resurrectione domini quod sequebatur in Euãgelio secundum Lucam, hodie terminatum est, ubi audiuimus apparuisse dominum in medio discipulorum suorum discrepantium & non credentium. Tam uero inopinatum fuit & incredibile, ut nec uidentes uiderent. Videbãt enim uiuum quem planxerant mortuum, uidebãt in medio sui stantẽ, quem doluerant in cruce pendentem. Videbant ergo & quia suis oculis nõ credebant, ut uerum uiderent, falsum putabant. Aestimabant, sicut audistis, se spiri-

ſpiritum uidere. Quod poſtea crediderunt de Chriſto peſſimi hæretici, prius hoc crediderunt ti tubantes Apoſtoli. Sunt enim hodie qui non credunt carnem habuiſſe Chriſtum, quia & partum uirginis deſtruunt, & nolunt eum natum ex fœmina credere. Verbum caro factum eſt: prorſus à ſua fide, uel potius à ſua infidelitate, totam iſtam diſpenſationem ſalutis noſtræ, quòd factus eſt homo pro inueniendo homine qui deus fecerat hominem: totum hoc quod Chriſtus in remiſſionem peccatorum noſtrorum uerum nõ falſum ſanguinem fudit, & de uero ſuo ſanguine chirographum peccatorum noſtrorum deleuit: hoc totum hæretici damnabiles euacuare conãtur, totum hoc Manichæi non credunt. Ecce loquitur & Euangelium, Stabat dominus inter diſcipulos ſuos, nondũ credentes quòd reſurrexerat. Videbant eum & putabant ſe ſpiritum uidere. Si nihil mali eſt credere Chriſtum fuiſſe, non carnem: ſi nihil mali eſt, dimittantur in iſta opinione diſcipuli. Attendite ut intelligatis quod uolo dicere, deus autem donet ut dicam, ut ſic dicam, quomodo uos audire expedit. Ecce hoc ipſum repeto. Aliquando ipſi deteſtabiles carnem deteſtantes, & ſecundum carnem uiuentes: aliquando hoc dicunt, & ſic decipiunt. Qui melius credunt de Chriſto, illi qui dicunt quia carnem habuit: an nos qui dicimus, deus erat ſpiritus, & oculis hominum non corpus, ſed deus apparebat? Quid eſt melius, caro an ſpiritus? Quid reſponſuri ſumus, niſi ſpiritum carne eſſe meliorem? Si ergo dicis, Confiteris quia ſpiritus melior eſt quàm caro. Melius ergo de ſpiritu ſentio, qui eum ſpiritum fuiſſe dico, nõ carnem. O infelix error. Quare ergo ſpiritum & carnem dico fuiſſe Chriſtum? Tu dicis ſpiritum, ego ſpiritum & carnem. Non tu melius dicis, ſed minus dicis. Audi ergo totum quod dico ego, id eſt, catholica fides, & quod dicit fundatiſſima fides & ſereniſſima ueritas. Tu qui dicis ſpiritum tantum fuiſſe Chriſtum quod eſt & ſpiritus noſter, id eſt, anima noſtra, hoc dicis tantum fuiſſe Chriſtum. Audi quid dicas, Dico quod dicas. Erat ipſe ſpiritus ex ea natura & ſubſtantia, unde & noſter eſt ſpiritus. Quanto minus dicas, attende. Erat ibi uerbũ, tu dicis humanus ſpiritus ſolus. Ego dico, uerbũ, ſpiritus, corpus, deus & homo. Si duo nolo dicere, iſto utor compendio, Deus & homo, & uerus deus, & uerus homo. Sed de ipſo homine ſi quæris à me, duo iterum dico, Anima humana, caro humana. Tu homo es propter animam & carnem, ille Chriſtus propter deum & hominem. Ecce quod dico. Sed tu melius te dicere putas, quia dicis, ſpiritus erat, ſpiritus apparebat, ſpiritus uidebatur, ſpiritus in homine conuerſabatur. Hoc dicis, hoc dixi, hoc putabant & diſcipuli. Si nihil malum dicis, ſi bonum eſt quod dicis, bonum erat ꝗd diſcipuli putabant. Si dominus eos dimittit ut ſic putent, dimittendus es & tu. Hoc em̃ credebant quod & tu: ſi bonum eſt quod tu credis, bonum erat quod illi credebant. Sed non erat bonum. Ait illis dominus, Quid turbati eſtis, & cogitationes

Luca.24

A aſcendunt in cor ueſtrum? Cogitationes iſtæ terrenæ ſunt. Si enim cœleſtes eſſent, deſcenderent in cor, non aſcenderent. Quare enim dicitur nobis, Surſum cor ueſtrum, niſi ut terrenę cogitationes non ante ſe inueniant cor noſtrum quod ſurſum poſueramus? Ergo quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendũt in cor ueſtrum? Videte manus meas & pedes meos, palpate & uidete. Parum eſt uobis attendere, Manus mittite, ſi parum eſt attendite. Nec ſufficiat attendere, palpate. Nec tangere ſolum dixit, ſed palpate & contrectate. Probent ſibi manus ueſtræ ſi mentiuntur oculi ueſtri, palpate & uidete, oculos & manus habete. Quid palpate, & quid uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Errabas cum

B diſcipulis, corrigere cum diſcipulis. Humanũ eſt, concedo. Putatis ſpiritum Chriſtum, hoc & Petrus, hoc & cæteri qui ſpiritum putauerunt ſe uidere: ſed in iſto errore non remanſerunt, ut ſcias prorſus hoc fuiſſe in cordibus eorum: medicus nõ dimiſit, acceſſit, medicamentum adhibuit, uulnera in cordibus uidebat, & unde uulnera cordium curaret in corpore cicatrices ferebat. Sic ergo credamus, ſcio quia creditis ſic: ſed ne forte in agro iſto domini ſit herba mala, etiam eos alloquor q̃s non uideo. Nemo credat de Chriſto, niſi quod de ſe credi uoluit Chriſtus. Antequam nobis expedit ut credamus quod credi de ſe uoluit, qui nos redemit, qui ſalutem noſtram queſiuit, qui pro nobis ſanguinem ſuum fudit, qui pro nobis quod nobis non debebatur, attulit: hoc credamus quod

C Chriſtus eſt filius dei, uerbum dei. Quid eſt uerbum dei? Quod dicere non poteſt uerbum hominis, hoc eſt uerbum dei. Quæris à me, quid ſit uerbum dei? Si tibi uellem dicere quid ſit uerbum hominis, non explico, fatigor, hęſito, ſuccumbo, non poſſum explicare uim uerbi humani. Ecce antequam dicam uobis, quod uolo dicere, iam uerbũ eſt in corde meo, nondum à me dictum eſt, & apud me eſt: dicitur à me & peruenit ad te, & non recedit à me. Intenditis ut audiatis uerbum à me, mentes ueſtras paſco cum loquor. Diuideretis inter uos cibum ſi afferrem uentribus, nec totus peruenire ad ſingulos. Sed quanto plures eſtis, tanto in plura fruſta quod ponerẽ diuideretis, & tanto minus quiſq; acciperet, quãto maior eſſet multitudo accipientium. Modo aũt cibum attuli mentibus, dico accipite, ſumite & comedite. Acce-

D piſtis, comediſtis, & non diuiſiſtis. Quicquid loquor, & omnibus totum eſt, & ſingulis totum eſt. Ecce quomodo nõ poteſt ſatis explicari quãtam uim habet hominis uerbum, & dicitis mihi, quid eſt uerbum dei. Verbum dei paſcit angelorum tot milia. Mente em̃ paſcuntur, mente replentur. Implet angelos, implet mũdum, implet uirginis uterum, nec ibi ſpaciatur, nec hic anguſtatur. Quid eſt uerbũ dei? Ipſe breuiter de ſe dicit, ſed magnũ eſt ꝗd dicit, Ego & pater unum ſumus. Nolo mur- Ioan.10
mures, uerba appende. Quid ergo? Plura uerba de uno uerbo nõ ſufficiũt explicãdo uerbum. Ergo quod non poteſt explicari uerbum caro factũ

eſt

eſt, & habitauit in nobis. Suſcepit totum quaſi plenum hominẽ, animam & corpus hominis. Et ſi aliquid ſcrupuloſius uis, animam & carnem habet & pecus. Cum dico animam humanã & carnem humanam, totam animam humanam accepi. Fuerunt enim qui hinc hæreſim facerent & dicerent, quia anima Chriſti non habuit mentem, non habuit intellectum, non habuit rationem, ſed uerbũ dei illi fuit pro mente & pro intellectu & pro ratione. Nolo ſic credas. Totum redemit qui totum creauit, totũ ſuſcepit, totũ liberauit uerbum. Vbi mens hominis & intellectus, ibi anima uiuificans carnem. Caro uera & integra erat ibi, peccatum ſolum non erat ibi.

Eodem die, de eo quod ſcriptum eſt in E-
Mar.16 uangelio ſecundũ Marcum, Poſt hæc aũt duobus ex his ambulãtibus, apparuit in alia effigie &c.

Sermo III

ODIERNO die iam ecce tertiò audiui-
In CXLVI H mus ex Euangelio domini noſtri reſur-
A rectionẽ: quemadmodum me uobis locutum eſſe meminiſtis, quoniam hoc moris eſt, ut ſecundum omnes Euangeliſtas reſurrectio domini recitetur. Marci Euãgelium eſt, quod modo cum legeretur audiuimus. Marcus autem meruit iſtam diſpenſationem; cum in numero illorum duodecim non fuiſſet, quemadmodum & Lucas. Nam cum ſint quatuor euangeliſtæ, Matthæus, Ioãnes, Marcus & Lucas, duo ſunt ex illis duodecim Apoſtolis, id eſt, Matthæus & Ioannes. Sed illorum

C præceſſio infœcunda non fuit, ut cõſequentes comites non haberent. Marcus & Lucas Apoſtolorum non pares, ſed ſuppares fuerunt. Ideo iam uoluit ſpirituſſanctus etiam ex his qui inter duodecim non fuerunt, eligere ad Euangelium conſcribendum duos, ne putaretur gratia euangelizandi uſq; ad Apoſtolos perueniſſe, & in illis fontẽ gratiæ defeciſſe. Cum enim dicat dominus de ſpiritu ſuo, & de uerbo ſuo: q̃d ſi quis perceperit dignęq; habuerit, fiet in eo fons aquę ſalientis in uitam æternam: fons utiq; manando ſe indicat, non remanando. Per Apoſtolos peruenit gratia ad alios, & miſſi ſunt euangelizare, quoniam qui uocauit primos, ipſe uocauit ſecũdos, ipſe uocauit etiam uſq; ad nouiſſimum tẽpus corpus unigeniti ſui, id eſt,

D Eccleſiam toto orbe diffuſam. Quid ergo audiuimus Marcum dicentem? Quod apparuerit dominus in uia duobus, ſicut dixit & Lucas, cuius Euãgelium heri audiuimus, Apparuit, inquit, duobus in uia in alia effigie. Lucas autem hoc ipſum alijs uerbis dixit, ſed ab eadem ſententia non deuiauit. Lucas enim quid dixit? Tenebãtur oculi eorum, ne eum agnoſcerent. Marcus quid dixit? Apparuit eis in alia effigie. Quod ille dixit, Tenebantur oculi eorum ne eum agnoſcerent: hoc iſte dixit, In alia effigie. Alia enim effigies uiſa eſt, retentis oculis non apparentis. Quid ergo fratres, quoniam Lucas dixit, quod credo uos de lectione heſterna recentiſſime meminiſſe, quod cum benedictum frãgeret panem, aperti ſunt oculi eorum?

Aug.to.10

Ergo clauſis oculis in uia cum illo comitabantur,
A & poterant ſcire ubi greſſus ponerent, ſi clauſos oculos haberent? Aperti ſunt ergo ad cognitionem, non ad uiſionẽ. Dominus itaq; noſter Ieſus Chriſtus, ante panis fractionem ignotus loquitur cũ hominibus, in panis fractione cognoſcit, quia ibi percipitur ubi uita ęterna percipitur. Hoſpitio ſuſcipitur, qui domum parat in cœlo. Ait enim ſe- Ioan.14
cundũ Euangeliſtam Ioannem, Multę manſiones ſunt apud patrem meum, alioquin dicerem uobis ibo parare uobis locum. Sed ſi iero & parauero, iterum ueniens aſſumam uos. Hoſpes in terra eſſe uoluit dominus cœli, peregrinus in mundo, per quem factus eſt mũdus. Hoſpes eſſe dignatus eſt, ut tu haberes ſuſcipiẽdo benedictionem, nõ quia

B ille indigebat, cum hoſpes intrabat. Heliam ſanctum famis tẽpore per coruũ dominus paſcebat, & quem perſequebãtur homines, ei ſeruiebant aues. Afferebat ſeruo dei coruus mane panes, ad ueſperam carnes. Non indigebat ergo ille quẽ deus miniſtris auibus paſcebat, & tamen quãuis Helias non indigeret, mittitur ad uiduam Sareptanam, & dicitur ei, Vade, illa uidua paſcet te. Defecerat ei deus, ut ad uiduam mitteret? Sed ſi deus ſeruo ſuo ſine humano miniſterio ſemper præberet panem, uidua unde haberet mercedem? Mittitur ergo non indigens ad indigentem, non eſuriens ad eſurientem, & dicit ad eam. Vade & affer mihi puſillum ut mãducem. Illa modicum habebat quod conſumptura erat, & moriendo defectura. Reſpõ-

C dit, quantum haberet, Prophetæ intimauit: & ait illi Propheta, Vade prius affer mihi. Illa non dubitauit, ſed obtulit. Obtulit refectionem, ſed meruit benedictionem. Benedixit ſanctus Helias hydriã farinæ, capſacem olei. Illud in domo repoſitum erat conſumendum, & illud oleum in palo pendebat finiendum. Acceſſit benedictio, & uaſa illa theſauri facti ſunt. Laguncula olei facta eſt fons olei, farina parua uberrimas ſegetes ſuperauit. Si Helias non indigebat, Chriſtus indigebat? Ideo fratres mei admonet nos ſcriptura ſancta, quia plerunque ſeruos ſuos quos poteſt paſcere deus, ideo facit indigentes, ut inueniat operantes. Nemo ſuperbiat, quia dat pauperi, Chriſtus pauper fuit. Nemo ſuperbiat, quia hoſpitem ſuſcipit, Chri-

D ſtus hoſpes fuit. Melior eſt ſuſceptus quàm ſuſcipiens, ditior accipiens quàm tradens. Qui accipiebat cuncta poſſidebat, qui dabat ab illo cui dabat acceperat quod dabat. Nemo ergo ſuperbiat fratres mei, quando dat pauperi, non dicat in animo ſuo: Ego do, ille accepit, Ego ſuſcipio, ille indiget tecto. Forte quem ſuſcipis iuſtus eſt, ille indiget pane, tu ueritate, Ille tecto, tu cœlo, ille indiget pecunia, tu iuſtitia. Fœnerator eſto, eroga q̃d recipias, noli timere, ne te fœneratorem iudicet deus. Prorſus eſto fœnerator, ſed deus tibi dicit: Quid uis? Fœnerari uis. Quid eſt fœnerari? Minus dare, & plus accipere. Ecce mihi da, ego accipio minus, & do plus. Quem queris cui des, unde creſcat pecunia tua? Hominem queris, quando accipit gaudet, quando reddit plorat, Vt accipiat

precaẽ, ne reddat calũniaẽ. Da quidem & homini, & noli te auertere ab eo qui mutuum petit. Sed tu A dedisti, nõ ploret cui dedisti: & si hoc ipsum q̃d daturus est, uel q̃d accepit exigitur, forte ad manum nondũ habet: pertulisti petentem, expecta habentem, cum habuerit reddet tibi. Sed auarus es, dicit
1.Cor.8 tibi deus, Me conueni, ego filiũ diuitem, pauperẽ propter te feci. Propter nos enim pauper factus est cum diues esset. Aurũ quęris, ille fecit. Familiã quæris, ille fecit. Pecora quæris, ille fecit. Possessiones quęris, ille fecit. Argentum quæris, ille fecit. Quid quæris tantum quæ fecit? Ipsum accipe qui fecit, cogita quemadmodũ te dilexit. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Omnia per ipsum, & ipse inter omnia. Qui fecit hominẽ factus est homo, factus est q̃d fecit, ne periret q̃d fecit. Qui fecit omnia, factus est inter omnia. Attẽ B de diuitias: quid ditius eo per quem facta sunt omnia? Et tamẽ ille cum diues esset, mortalẽ carnẽ accepit in utero uirginis. Infans natus est, pannis infantilibus inuolutus est, in præsepio positus est, patienter expectauit ætates, patienter tẽpora pertulit, per quem facta sunt tempora. Suxit, uagiuit, infans apparuit. Sed iacebat & regnabat, à matre nutriebatur, & ab angelis nũciabatur, & stella fulgente declarabatur. Tales diuitiæ, talis paupertas: diuitiæ, ut creareris, paupertas ut restituereris. Quod ille ergo pauper susceptus est hospitio quasi pauper, dignatio fuit suscipientis, non miseria egentis. Forte dicis tibi, O beati qui meruerũt Christum suscipere. Si ego tunc fuissem, O si unus fuissem de duobus illis quos inuenit in uia. Tu esto in C uia, non deerit hospes Christus. Putas enim iã non tibi licere suscipere Christum? Vnde, inquis, licet? Iam resurgẽs manifestatus est discipulis suis, ascendit in cœlum, ubi est ad dexteram patris, non est uenturus nisi in ultimo seculo ad iudicandũ uiuos & mortuos. Venturus est aũt in claritate, nõ in infirmitate, daturus regnũ non quęsiturus hospitiũ. Quãdo dabit regnum, excidit tibi quod dicturus
Math.15 est: Cũ uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? Ille diues, egens est usq; in finem seculi. Eget prorsus, non in capite, sed in membris suis, ubi dolebat
Act.9 quando dixit, Saule Saule quid me persequeris? Obsequamur ergo Christo. Nobiscum est in suis,
Math.28 nobiscum est in nobis: nec frustra dixit, Ecce ego D uobiscum sum usq; ad cõsummationẽ seculi. Hæc faciẽdo agnoscimus Christum in bonis operibus, nõ corpore, sed corde: nõ oculis carnis, sed oculis fidei. Quia uidisti, credidisti, ait cuidam discipulo suo incredulo, qui dixerat, Nõ credo nisi tetigero: Veni tange, & noli esse incredulus. Tetigit & clamauit, Dns meus & deus meus. Quia uidisti credidisti, ipsa est tota fides tua, quia credis quod uides: laudo eos qui non uident & credunt, quia cũ uiderint gaudebunt.

Eodem die, de resurrectione corporum contra Gentiles: Sermo IIII

SERMO CXLVII

IEBVS his sanctis resurrectioni domini dedicatis, quãtum donante ipso possumus de carnis resurrectione tractemus. Hæc enim est fides nostra, hoc donum in domini nostri Iesu Christi nobis carne promissum est, & in ipso præcessit exemplum. Voluit enim nobis quod promisit in fine, non solum pronunciare, sed etiam demonstrare. Illi quidem qui tunc fuerũt cum illum uiderent, & cum expauescerẽt, & spiritum se uidere crederent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solum uerbis ad aures eorum, sed etiã specie ad oculos eorũ: parumq; erat se præbere cernendum, nisi etiam offeret pertractandum atq; palpãdum. Ait emẽ, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cor uestrum? Putauerunt enim se spiritum uidere. Quid Luca.24 turbati estis, inquit, & cogitationes ascendunt in cor uestrum? Videte manus meas & pedes meos: Palpate & uidete, quia spiritus ossa & carnem nõ B habet, sicut me uidetis habere. Contra istam euidentiam disputabant homines. Quid enim aliud facerent homines qui ea quæ sunt hominum sapiunt, quàm sic disputare de deo contra deum? Ille enim deus est, isti homines sunt. Sed deus nouit cogitatiões hominum quoniam uanæ sunt. In homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi. Quod solent uidere credũt, quod non solent non credunt. Præter consuetudinem facit deus miracula, quia deus est. Maiora quidem miracula sunt tot quotidie homines nasci qui non erant, quàm paucos resurrexisse qui erant: & tamen ista miracula non consideratione comprehensa sunt, sed assiduitate uiluerunt. Resurrexit Christus, absoluta est res. Corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emisit animam, posita est caro in sepulchro. Exhibuit illã uiuam, qui uiuebat in illa. Quare miramur? Quare non credimus? Deus est qui fecit. Considera authorem, & tolle dubitationem. Quęrunt ergo homines, utrum corruptio ista corporis quam sentiunt in carne sua, futura sit in resurrectione mortuorum? Dicimus non futuram. Respondent nobis, Si corruptio nõ erit, quare manducabitur? Aut si non manducabitur, quare post resurrectionem dominus mãducauit? Modo Euangelium cum legeretur audiuimus, quia cum exhiberet se uiuum oculis manibusq; discipulorum suorum, parum illi uisum est ad demonstrandam euidentiam corporalẽ: sed addidit. Habetis hic aliquid quod manducetur? Et obtule- Luca.24
D runt ei partem piscis assi & fauum mellis: manducauit & reliquias dedit eis. Dicitur enim nobis, Si corruptio corporis non resurget, quare manducauit dominus Christus? Legistis quia manducauit, nunquid legistis, quia esuriuit? Quòd manducauit Iesus, potestatis fuit, non egestatis. Si deside raret manducare, egeret, Rursus si manducare nõ posset, minus ualeret. Nunquid & angeli quando suscepti sunt hospitio à patribus nostris nõ mãducauerunt, & tamen corruptibiles non fuerunt? Rursus dicunt, Resurgent uitia quæ erant in corpore humano cum quibus moritur homo? Respondemus: Non resurgẽt uitia. Et dicitur nobis: Quare ergo dominus cum suorum uulnerũ cicatricibus resurrexit? Quid adhuc dicimus, nisi quia

quia & hoc potestatis fuit non necessitatis. Sic resurgere uoluit, sic uoluit quibusdam dubitãtibus A exhibere in illa carne cicatrices uulneris, ut sanaret uulnus incredulitatis. Adhuc disputant & quęrunt à nobis: Paruuli qui moriuntur, paruuli resurrecturi sunt, an ętas erit plena reuiuiscẽtium, quorum erat parua mortiũ? Hoc quidem scripturis definitum nõ inuenimus. Incorruptibilia corpora & immortalia resurrectura promissa sunt. Sed si parua ætas redditur, si statura pusilla reuocatur, nunquid & propterea infirmitas reuocatur? Si parui erunt, nunquid iacebunt & ambulare non poterunt? Credibilius tamen accipitur & probabilius & rationabilius, plenas ætates resurrecturas, ut reddatur munere, quod accessurũ erat tempore. Nec emẽ crediturí sumus senectam B resurrecturam anhelam & curuam. Postremo corruptionem tolle, & quod uis adde. Sed inqs, Quomodo erit terrenum corpus in cœlo? Philosophi enim gentium illi ualde magni, quorũ uobis iam uel insanas certe uel humanas sententias intimaui: quæsierunt quippe ista nõ spiritu dei, sed coniectura cordis humani: hinc maxime faciunt quęstionem, tractant subtiliter de momentis ponderum & ordine elementorũ: & dicunt quod etiam uidemus mundũ sic esse dispositũ, ut ima sit terra tanquã in fundo eius, secũda aqua superfundatur terræ, tertius aer ueniat, quartus æther cuncta cooperiat. Illud elementũ supernũ quod æthera appellant, ignẽ dicunt esse liquidum & purum, inde sydera esse formata, ibi nihil esse posse terrenum, C quoniã ordo ponderũ non admittit. Si dicamus eis nostra corpora in terra esse noua uictura & in cœlo non futura, audaciter & temere imò infideliter dicimus. Credere enim debemus talia corpora nos habituros, ut ubi uelimus quando uoluerimus ibi simus. Nam si respondemus, ad absoluendam de ordine ponderũ quæstionẽ, in terra nos esse uicturos, de ipso corpore dñi nobis est quæstio cũ quo ascendit in cœlum. Audistis quod de euangelio modo recens sonuit in auribus nostris, quia eleuatis manibus suis benedixit eis: & factũ est ut benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlũ Christus dominus. Qui ferebatur in cœlum? Dominus Christus, Qui dominus Christus? Quid enim, separaturus es hominem à deo, & fa- D cturus es aliã personam dei, aliam hominis, ut iam non sit trinitas sed quaternitas? Qũo tu homo anima es & corpus, & sicut anima & corpus unus est homo, ita deus & homo unus est Christus. Sed uerbũ non recessit à patre, & ad nos uenit, & patrem nõ deseruit, & in utero carnẽ accepit & mundũ rexit. Quid ergo leuatũ est in cœlum, nisi quod sumptum est de terra? Id est caro illa, corpus illud:
Luca.24 de quo loquẽs ad discipulos ait, Palpate et uidete, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me uidetis habere. Credamus hoc fratres, & si argumenta philosophorum difficilè soluimus, illud quod demõstratum est in domino sine difficultate dei teneamus. Illi garriãt, nos credamus. Sed non potest, inquiũt, esse terrenũ corpus in cœlo. Quid si hoc uelit deus? Responde contra deũ, & dic, non potest deus. Nónne & tu quicunq; paganus, dicis omnipotentẽ deũ? Nõne in libro Platonis, q̃d hesterno die declaraui, legiẽ dixisse deus non factus dijs à se factis, Quoniã estis orti, immortales quidem esse & indissolubiles non potestis: nõ tamen dissoluemini, neq; ulla uos mortis fata periment, nec erunt ualentiora q̃ consiliũ meũ, quod maius est uinculũ ad perpetuitatẽ uestram q̃ illa quibus estis colligati? Totũ ad uoluntatẽ suam redegit deus, qui potest & quod impossibile est. Nam quid est aliud, non potestis esse immortales, sed ut non moriamini, ego facio, nisi & quod fieri non potest ego facio? Volo tamen aliquid etiam de diuersita te disputare. Rogo dic mihi, Terra terra est, Aqua aqua est, Aer aer est, Aether est cœlum, Et ignis ille liquidus cœlũ est. Quatuor nempe ista grauida quasi construxerũt & ædificauerunt mundũ: hoc est, ex his quatuor ædificatus est mundus. Quod in imo sit, terra est. Quod desuper, aqua. Quod super aquã, aer est. Quod super aerem, cœlum est, ęther est, Corpora solida quę tenentur atq; tractantur, non humida dico quæ labuntur & fluunt, corpora dico, tractabilia, unde sunt? Terræ deputanda sunt, an aquæ, an aeri, an ætheri? Responsurus es, Terræ. Terrenũ ergo corpus est lignum? Planè terrenũ. In terra nascitur, in terra alitur, in terra crescit. Tractabile est non fluxibile. Redi mecũ ad illum ordinẽ ponderum. Terra est in fundamento. Ordinẽ sequere. Quid super terrã? Aquæ. Quare C lignũ natat super aquã? Terrenum est corpus. Si reuoces ad illum ordinẽ ponderum, sub aqua esse debuit non supra. Inuenimus inter terrã & lignũ aquam mediã, & super terrã aquam, & super aquã iterum terram, quandoquidem lignum terra est. Perdidisti illum ordinem, tene fidem. Ergo terrena corpora inuenta sunt super elemẽtum quod secundum est in ordine elementorum, quando natant ligna neq; merguntur. Attende aliud quod plus mereris. Corpora ipsa grauissima, & tamen terrena, mox ut dimissa fuerint super aquã, continuo demerguntur & ad ima profunda perueniũt: sicut est ferrum, postremo sicut est plumbũ. Quid enim plumbo grauius? Accedit tamen manus artificis ad plumbum, facit inde aliquod uas concauum, & natat plumbum super aquam. Ergó ne nõ deus dabit corpori meo, quod dat artifex plũbo? Deinde aquam ipsam ubi ponitis? Redite ad ordinem elementorum. Certe respondebitis, quòd aqua sit super terrã. Quare ergo antequã in terra currant, pendent in nubib. flumina? Reuoca nũc considerationẽ tuam & cogitationem ad ea quæ dicturus sum, si domino adiuuante explicare potuero. Quid facilius mouetur, quid uelocius agitatur, grauius corpus an leuius? Quis non respondeat, leuius? Leuiora enim corpora facilius mouentur, uelocius aguntur, grauiora difficilius atque tardius. Certe regulam fixisti, certe consideraſti, & circunspectis omnibus respondisti, quia facilius mouentur, & aguntur uelocius corpora leuiora quàm grauiora. Ita est, dicis. Respon-

de ergo mihi: Quare leuissima aranea tarde se mo
uet, & grauis equus uelociter currit? De ipsis ho- A
minibus loquar, maius corpus hominis grauius
est, breuius corpus quod minus habet pōderis, le-
uius est. Ita uero est, si alius portet. Si autē ipse ho-
mo corpus suum portat, ualidus currit, macer lan-
guore uix ambulat. Appende macrum & robustū
hominem, illum languore uix paucas libellas ap-
pendentem, illum salubritate corporis multa pon
dera in carne sua gerentem. Tenta tu ambos tolle-
re, grauis est ualidus, leuis est macilētus. Recedat
portator, appareat ambulator, ipsos dimitte sibi,
ferant corpora sua, uideo ualidum robustumq; cur
rentem, Si hoc ualet sanitas, immortalitas quid ua
lebit? Dabit ergo deus miram facilitatem, miram
leuitatē. Non sine causa illa corpora spiritalia nun
cupata sunt, non ideo dicta sunt spiritalia, quia e- B
runt spiritus non corpora. Nam ista quæ modo ha
bemus dicuntur animalia corpora, & tamen ani-
mæ non sunt sed corpora: sic illa spiritalia dicūtur,
sed non sunt spiritus, nisi quia ad nutū spiritus ser-
uient. Nihil tibi contradicit ex te, nihil in te rebel-
lat aduersus te: nō ibi erit quod Apostolus gemit,
Gal.5 Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus ad-
Rom.7 uersus carnem: non ibi erit: Video aliam legem in
membris meis repugnantem legi mētis meę. Hęc
bella ibi non erunt, pax ibi erit, pax perfecta ibi
erit. Vbi uolueris, eris, sed à Deo non recedes. V-
bi uolueris, eris: sed quocunq; ieris deum tuum ha
bebis. De quo beatus eris, semper cum illo eris.
Nemo ergo fallat, nemo argumentetur, nemo sua C
suspicione deliret quod nobis promisit deus: uen-
turum esse certissime teneamus. Quando uidebat-
ur Christus fratres mei, quando spiritus putaba-
tur, ut se corpus esse persuaderet, non solum præ-
bebat oculis uidendum, sed etiam manibus cōtre
ctādum. Quibus ad exhibendam fidei ueritatem
in corpore, dignatus est etiam non necessitate sed
potestate cibū sumere. Tamen adhuc illis præ gau
dio trepidantibus, firmamentum cordis adhibuit
de sanctis scripturis: et ait illis, Hęc sunt uerba quę
locutus sum ad uos cum adhuc essem uobiscum,
quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta
sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me.
Tunc aperuit illis sensum: sicut Euangeliū loqui-
tur quod modo lectum est, ut intelligerent scriptu D
Luc.24 ras: & dixit eis, Quia sic scriptum est, & sic oporte
bat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die
& prædicari in nomine eius pœnitentiam & re-
missionem peccatorum per omnes gentes inci-
pientibus ab Hierosolymis. Illud nō uidimus, sed
hoc uidemus. Quando ista promittebantur, non-
dum uidebantur, Apostoli Christum præsentem
uidebant, sed toto orbe terrarum diffusam eccle-
siam non uidebant. Videbant caput, & de corpo-
re credebant: habemus uices nostras, habemus
gratiam dispensationis & distributionis nostrę ad
credendum certissimis documentis, tempora no-
bis in una fide sunt distributa. Illi uidebant caput
& credebant de corpore, nos uidemus corpus, cre
damus de capite.

Feria quarta Paschæ, de eo quod scriptū est in
Euangelio secūdum Ioannē: Manifestauit se iterū
Iesus ad mare Tyberiadis &c. Sermo I.

SERMO CXLVIII A

T hodie lectio recitata est de his quæ fa
E cta sunt post resurrectionem domini se
cundum Euangelistam Ioannem. Au-
diuit nobiscum charitas uestra dominum Iesum
Christum ad mare Tyberiadis ostendisse se disci- Ioan.21
pulis suis: & qui eos iam fecerat piscatores homi-
num, inuenit eos adhuc piscatores piscium. Per to
tam noctem nihil ceperunt, uiso aūt domino, &
eo iubente, retia mittētes ceperunt quantum nu-
merum audistis. Nunquam hoc dominus iuberet,
nisi aliquid significare uellet, quod nobis nosse
expediret. Quid ergo pro magno potuit ad Iesum
Christū pertinere, si pisces caperentur, aut si nō ca
perētur? Sed illa piscatio, significatio nostra erat.
Recolamus ergo nobiscum duas piscationes disci
pulorum factas esse iubente domino Iesu Christo,
unam ante passionem, alteram post resurrectio-
nem. In his ergo duabus piscationibus tota figu-
ratur ecclesia, & qualis modo, & qualis erit in re-
surrectione mortuorum. Modo habet enim sine
numero multos bonos & malos, post resurrectio-
nem autem habebit certo numero solos bonos.
Recordamini ergo primam piscationem, ubi ui-
deamus ecclesiam qualis est isto tempore. Domi-
nus Iesus inuenit discipulos suos piscantes, quan-
do primum eos uocauit ut sequerentur eum. Tūc
tota nocte nihil ceperunt: Eo autem uiso audie-
runt ab illo, mittite retia. Domine, inquiunt, per C
totā noctem nihil cepimus, sed ecce in uerbo tuo
mittimus. Miserunt, iubente omnipotente. Quid
potuit aliud fieri, nisi quod ille uoluisset? Sed ta-
mē eodem ipso facto aliquid nobis, ut dixi, quod
nosse expediat significare dignatus est. Missa sunt
retia. Adhuc dominus nondum erat passus, non-
dum resurrexerat, missa sunt retia, ceperunt tan-
tum piscium ut duo nauigia implerentur, & ipsa
retia eadē piscium multitudine scinderent. Tunc
illis dixit, Venite & faciam uos piscatores homi- Mat.4
num. Acceperunt ab illo retia uerbi dei, miserunt
in mundum tanquam in mare profundum, cepe-
runt quantam multitudinem Christianorum cer-
nimus & miramur. Duo autem illa nauigia, duos
D populos significabant, Iudæorum & gentiū, syna-
gogæ & ecclesiæ, circuncisionis & præputij. Illo-
rum enim duorum nauigiorum tāquam duorum
parietum de diuerso uenientium, lapis angularis
est Christus. Sed quid audiuimus? Ibi premebantur
nauigia præ multitudine, sic fit modo, multi
Christiani qui male uiuūt ecclesiam premunt. Pa-
rum est quia premunt, & retia dirumpunt. Nam
si nō essent retia scissa, schismata non essent com-
missa. Transeamus ergo ab ista piscatione quā to-
leramus, & ad illā ueniamus. Ardenter optamus,
& fideliter exoptamus. Ecce dominus mortuus
est, sed resurrexit, apparuit ad mare discipulis suis,
iussit eos retia mittere. Non quomodocunq; in-
tendite. Nam in prima piscatione non illis dixit,
Mittite retia in dexterā aut sinistram. Ne soli ma-
li

li uel soli boni significarentur si diceret, in dexte-
ram, ideo nō dixit, uel in sinistram, quia permixti A
erant capiendi boni cum malis. Iam modo post re
surrectionem qualis erit ecclesia audite, discerni-
Ioan.21 te, gaudete, sperate, comprehendite. Mittite, in-
quit, retia in dexteram partem. Iam dexteri capiū-
tur, nulli mali timeant. Scitis enim qui dixit se se-
paraturum esse oues à dexteris dicturum: Accipi-
te regnum: Ecce unde mittit retia? In dexterā par-
tem miserunt, ceperunt, certus est numerus, nemo
est ibi super numerū. Modo autē quanti super nu-
merum accedunt ad altare, qui in populo dei uidē
tur, & in libro uitæ non scribūt. Ibi ergo certus nu
merus est. De quibus piscibus & uos esse affecta-
te, nō audiendo tantum & laudando, sed intelligē
do & bene uiuendo. Mittuntur ergo retia, capiun B
tur pisces magni. Quis est em ibi tunc paruus, quā
do erūt æquales angelis dei? Capiunt ergo pisces
magni, centum quinquaginta & tres. Dicet mihi
aliquis. Et tot erūt sancti? Absit à nobis ut tantam
paucitatem esse sanctorum & in illo regno futu-
rorum etiam de sola ista Ecclesia suspicemur. Cer
tus numerus erit, sed milia milium erūt de populo
Israelitico. Ioannes sanctus in Apocalypsi de solo
populo Israel duodecies duodena milia dicit futu
ros, qui se cū mulieribus non coinquinauerūt, uir-
gines enim permanserūt. At uero de cæteris gen-
tibus uenire dicit cum stolis albis tanta milia ho-
minū, quæ numerare nemo potest. Aliquod ergo
signum uult iste numerus, & anniuersaria solen-
nitate sermonis huius cōmemorare uobis debeo, C
quod omni anno soletis audire. Centum quinqua
ginta & tres pisces, numerus est significans milia
milium sanctorum atque fidelium. Quare ergo i-
sto numero tot milia quæ futura sunt in regno cœ
lorum, dominus significare dignatus est? Audite
quare. Scitis legem datam esse per Moysen popu
lo dei, & in ipsa lege præcipuū commemorari de-
calogum, id est, decē præcepta legis. Quorum est
unum præceptum de colēdo uno deo, secundum
præceptum de obseruatione sabbati, quod Chri-
stiani spiritaliter obseruant, Iudæi carnaliter uio-
lant. Ista tria præcepta ad deum pertinent, reliqua
septem ad homines, propter illa duo principalia,
Mat.22 Diliges dominum deum tuum in toto corde tuo,
& ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & dili-
ges proximum tuum tāquam teipsum. In his duo-
bus mandatis, tota lex pendet & prophetæ. Quia
ergo duo sunt ista præcepta in illo decalogo, tria
pertinent ad dilectionem dei, & septem ad dile-
ctionem proximi. Quæ sunt septem pertinentia
ad hominem? Honora patrem tuū & matrem, nō
mœchaberis, non occides, non furaberis, non fal-
sum testimonium dixeris, non concupisces uxo-
rem proximi tui, non concupisces rem proximi
tui. Hæc decē præcepta nemo implet uiribus suis,
nisi adiuuetur gratia dei. Si ergo legem nemo im-
plet uiribus suis, nisi deus adiuuet spiritu suo, iam
recolite quemadmodum spiritus sanctus septena
rio numero commendatur, sicuti sanctus Prophe
ta dicit, implendum hominem spiritu dei sapiētiæ
& intellectus, cōsilij & fortitudinis, scientiæ & pie
tatis, spiritu timoris dei. Istæ septem operationes A
cōmendāt septenario numero spiritum sanctum,
qui quasi descendēs ad nos, incipit à sapiētia, finit
ad timorem: Nos autem ascendentes incipimus à
timore, perficimur in sapientia: Initium enim sapi Eccle.1
entiæ timor domini. Si ergo spiritu opus est ut lex
possit impleri, accedant septem ad decē, fit nume-
rus decem & septem. Si computes ab uno usque
ad decem & septem, fiunt centum quinquaginta
& tres. Nō opus est omnia annumerare, apud uos
numerate, sic computate, unum & duo & tria &
quatuor sunt decem. Quomodo decem sunt unū
& duo & tria & quatuor, sic adde cæteros nume-
ros usq; ad decem & septem, & inuenis numerum
B sacratum fidelium atque sanctorum in cœlestibus
cum domino futurorum.

Eodem die: Sermo II

SERMO CXLIX

O D I E terminatum est de his quæ nar-
H rat Ioānes, quomodo apparuerit domi-
nus post resurrectionē discipulis suis.
Compellauit ergo Apostolum Petrum illum præ
sumptorem & negatorem, cum loqueretur iam ui
uus morte deuicta, & dicebat, Simon Ioannis (sic Ioan.21
enim appellabatur Petrus) amas me? Respondē-
bat ille quod erat in corde ipsius. Si Petrus re-
spondebat quod in corde habebat, dominus qua-
re quærebat qui corda uidebat? Denique ipse etī-
am Petrus mirabatur, & cum quodam tædio au-
diebat quærentem, quem nouerat omnia scientē.
C Semel dictum est, Amas me? Responsum est, Di-
ligo te, tu scis. Et iterū, Amas me? Domine tu om-
nia nosti, tu scis qa diligo te. Et tertiò, Amas me?
Contristatus est Petrus. Quid contristaris Petre?
Quia respondes amorem, oblitus tuum timorem.
Sine interroget, interroget te dominus, medicus
est qui te interrogat, ad sanitatem pertinet quod
interrogat. Noli tędio affici. Expecta, implet nu-
merus dilectionis, ut deleat numerum negationis:
ubiq; tamen idem in ipso ternario numero inter-
rogationis suæ dominus Iesus respondenti amo-
rem commendat agnos suos, & dicit, Pasce oues
meas: tanquam diceret, Quid retribues, quia dili-
gis me, dilectionem ostende in ouibus? Quid mi-
hi prestas, quia diligis me, quando ego tibi præsti
D ti ut me diligeres? Si dilectionē tuam erga me ha-
bes, ubi ostēdas habes, ubi exerceas, pasce agnos
meos. Quatenus autem essent pascēdę agni domi
nici oues, tanto precio cōparatæ, quanta essent di
lectione pascendæ, in cōsequentibus demonstra-
uit. Postquā enim Petrus impleto legitimo nume
ro trinę responsionis, professus est se esse dñi dile-
ctorē, commendatis sibi ouibus eius, audit de sua
futura passione. Hic demōstrauit dominus sic di-
ligendas oues suas ab eis quibus eas cōmendat, ut
parati sint mori pro eis. Sic idē Ioannes in Episto-
la sua ait, Sicut pro nobis Christus animam suam 1.Ioan.3
posuit, sic & nos debemus pro fratrib. animas po-
nere. Respōdebat ergo domino Petrus per super
bam quādam præsumptionem, quādo ei dixerat,
Animā meam pro te ponam. Nōdum uires acce- Ioan.13
perat

perat quibus impleret promissum. Modo iam ut
possit hoc implere, charitate impletur. Ideo dici- A
tur, Amas me. Et respondet, Amo, quia hoc non
implet nisi charitas. Quid est ergo Petre? Quan-
do negasti, qd timuisti? Totũ quod timuisti, hoc
erat mori. Viuus tecũ loquitur quem mortuũ ui-
disti, noli iam timere mortẽ, in illo uita est quam ti
mebas. Pependit in cruce, confixus est clauis, spi-
ritum reddidit, lancea percussus est, in sepulchro
positus. Hoc timuisti quando negasti, ne hoc pate
reris timuisti, mortem timendo uitam negasti.
Modo intellige: quando timuisti mori tunc mor-
tuus es. Mortuus est em negãdo, sed surrexit plo-
rando, Quid deinde ait illi? Sequere me: sciens
eius maturitatem. Si enim meministis, imo memi-
nerunt qui legerant, dixit Petrus: Sequar te quo B
cunque ieris. Et dominus ad illum, Non potes me
sequi modo, sequeris autẽ postea. Modo, inquit,
non potes: pmittis, sed ego uideo uires tuas. Ego
uenam cordis inspicio, & quod uerũ est ægroto
renuncio: Non potes me modo sequi: sequeris au
tem postea. Sed ista renunciatio non est desperatio.
Adiunxit & ait, sequeris autem postea. Eris sa
nus & sequeris me. Iã quia uidit quid agat in cor-
de ipsius, & uidit quod donũ dederit dilectionis
animæ ipsius, dicit ei, Sequere me. Ego certe dixe
ram: Non potes modo, ego modo dico, sequere
me. Respexit Petrus ad discipulũ quem diligebat
Iesus: id est, ad ipsum Ioannẽ qui Euangeliũ hoc
scripsit: & ait domino: Domine iste quid? Scio qa
diligis eũ, quomodo ego sequor & ipse non sequi C
tur? Ait dns: Sic eum uolo manere donec ueniã,
tu me sequere. Ipse uero euangelista, ipse qui scri-
bit de quo dictũ est hoc: Sic eũ uolo manere do-
nec ueniã: secutus adiunxit uerba sua in Euange-
lio & ait, natam fuisse famam inter fratres prop-
ter hoc uerbum, quia discipulus ille non esset mo-
Ioan. 21 riturus. Et ut tolleret istã opinionẽ adiunxit: Non
aũt dixit eum non esse moriturũ, sed tantum dixit:
Sic eum uolo manere donec ueniã, tu me sequere.
Hanc ergo opinionem qua putabatur Ioannes
non esse moriturus, abstulit ipse Ioannes uerbis
suis consequentibus, ne hoc credatur: & ait, Non
hoc dixit dominus, sed hoc dixit. Quare autẽ hoc
dixerit, Ioannes non exponit, sed nobis reliquit,
propter quod pulsamus si forte aperiatur nobis.
Quantum mihi dominus donare dignatur, quan-
tum mihi uidetur, uidetur autẽ & melius meliori-
bus, sic puto istam solui quæstionem duobus mo
dis: aut de passione Petri dixit dominus quod di-
xit, aut de Euangelio Ioannis quod est de passio-
ne: ut hoc, sequere me, sit patere pro me, patere
quod ego. Crucifixus est enim Christus, crucifi-
xus est et Petrus. Expertus est clauos, expertus est
cruciatus. Ioannes aũt nihil eorũ expertus est: hoc
est, Sic eum uolo manere, sine uulnere, sine cru-
ciatu, dormiat & expectet me, tu me sequere. Pa-
tere quod ego, sanguinem fudi pro te, funde pro
me. Vno ergo isto modo exponi potest quod di-
ctum est: Sic eũ uolo manere donec ueniã, tu me
sequere. Nolo ut ipse patiatur, tu patere. Secundũ
autem Euangeliũ Ioannis, hoc modo uidetur in-
telligi: quod Petrus scripsit de domino, scripserũt
& alij, sed scripta eorum magis circa humanitatẽ
domini uidentur occupata. Dominus enim Chri-
stus & deus est & homo. Quid est homo? Anima
& caro. Quid autẽ Christus est? Verbum, anima
& caro. Sed qualis anima? Nam & pecora habent
animas. Verbum, rationalis anima & caro, hoc to
tum Christus. Sed de diuinitate in literis Petri nõ
aliud: In Euangelio aũt Ioannis multũ memini. In
principio erat uerbum, ipse dixit. Transcendit nu
bes, & transcendit sydera, transcendit & angelos,
transcẽdit omnem creaturã, peruenit ad uerbum
per quod facta sunt omnia. In principio erat uer-
bum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uer-
bum: hoc erat in principio apud deum, omnia per
ipsum facta sunt. Quis uidet, quis cogitat, quis di-
gne suscipiat, quis digne pronunciet? Tunc hunc
qui bene intelligit quando Christus uenerit: Sic
eum uolo manere donec ueniã. Exposui sicut po-
tui, potest ipse melius in cordibus uestris.

Item eodem die Homilia de eo qd dictũ est in
Euangelio secundũ Ioannẽ: Manifestauit se iterũ
Iesus ad mare Tyberiadis &c. quæ habetur in ex-
positione doctoris ibidem. Tom. 9. col. 558.

Feria quinta paschæ: Sermo I

SERMO CL

GNVS ille legalis cuius immolatio-
A ne antiquus Hebræorum populus Ae-
gyptiæ seruitutis iugum abiecit, quo-
modo multimodis sacramentis ueriorem sanctæ
C Ecclesiæ hostiam in figura sui contineat, tunc po-
tissimum ipsa rerum ueritate probatũ est, quando
pascha nostrum immolatus est Christus: qui sicut
ouis ad occisionẽ ductus est, & sicut agnus corã
tondẽte se sine uoce, sic non aperuit os suũ. Iste est
agnus qui in altari crucis hostia uiua deo patri p
nobis in odorẽ suauitatis oblatus, transitũ nobis
de regione umbrę mortis ad terram repromissio-
nis patefecit. Iste est, inquam, qui simul uictima
& sacerdos, omnem ueteris sacerdotij & sacrificij
umbrã clara luce reuelando, figuris & ænigmati-
bus finem imposuit: nouo autem Ecclesiæ popu-
lo nouum sacerdotiũ et nouũ sacrificiũ initiauit,
ut uidelicet nouum uinum in utres nouos mitte-
retur. Qd si granũ frumenti cadẽs in terrã & mor-
D tuum tam mirabiliter omnia innouauit, multo ma
gis in seipso rediuiuũ cum fructu multiplicato re-
surgens cuncta fœcũdauit, & non solum spiritali-
bus ratiõabilis terrę incremẽtis, sed & ipsis quoq
terrenis seminib. hoc tẽpore ampliorẽ prouentũ
dedit. Vnde modo in germina erumpẽtis terræ to
ta hilarior facies, uario suorũ fructuũ ornatu om-
nem hactenus quasi mortuã rerũ naturam resur-
genti suo domino cõresuscitat: ubi arborũ & her-
barũ grata uenustas, diuerso quidẽ germinũ mu-
nere, pari tamen gestu lætitiæ, singulari huic solen
nitati festiua occurrit. De cœli autem nunc usque
quodãmodo tristi, tandẽ uero læta facie quid di-
cam, quæ aliquandiu iam densa caligine nubium
adoperta aeris huius spaciũ omne turbauit? Et ec
ce repẽte quasi iustitia de cœlo in terrã ꝓspiciẽte
mira

mira serenitas mundo arridet, & in unam lætitiam
cœli & terrę uota concurrunt, ut deum & homi- A
nem Christũ, cõmuni exultatione excipiant, qui
cõmunem utrisq pacem afferre uenerat, & medi-
um parietem maceriæ soluens, fecit utraq unum.
Hinc astrorũ omnium fomes, splendor ille solaris
suam frontẽ admodũ rugatam iam iamq expur-
gat: & quasi rex conspicuus in diademate capitis
sui, in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cor-
dis sui, cæterisq stellis uelut comitibus suis largio
ra luminis sui dona impẽdit. Luna enim ab ipso or
tus sui die semper in quodã sui dispendio posita,
ad paschalia gaudia pleno se lumine parat. Et ut
cuncta breuiter perstringam, sicut omne quod in
rebus subsistit diuina dispẽsatione hominis impe-
rio seruit, sic de salute humana omnib. una exulta B
tio incũbit. Cum igitur pro homine omnis creatu
ra tantis indicijs sua gaudia monstret, consequens
est ut ab hominibus ipsis testimonia tali læticiæ
non desint. Præfigurata est in protoplasto Adam
Christi resurrectio, quia sicut ille post soporẽ sur-
gens, Euã de latere suo fabricatã agnouit, ita Chri
stus à morte resurgens ex uulnere lateris sui ædifi-
cauit ecclesiã. Noe quoq uir agricola cũ plantas-
set uineã, et inebriatus uino obdormisset, et disco-
opertus iaceret in tabernaculo suo, expgefactus
à somno filio suo uerecundiã suã non celanti ma-
ledictũ perpetuæ seruitutis imponens, Christũ si-
gnificauit: qui uineã suã fecit Ecclesiã, cuius amo-
re poculo passionis inebriatus, & assumptę carnis
tegmine nudatus à mortuis resurrexit, sicut ipse C
Cant. 5 ait in Canticis, Expoliaui me tunica mea, qũo in-
duar illa? Ionas uero qualiter & ipse in se dni mor
tem & resurrectionẽ expresserit, Euangelicus ser
mo aperte declarat. Quia igit fratres omis creatu
ra quodam charitatis officio nostræ saluti congau
det, nostrum est ex hoc nobis in usum uiuendi ali-
quid trahere: ne cõmunis omniũ læticia ius suũ in
nobis amittat, quos causæ totius summa in capite
spectat. Et primũ quidẽ uelut oues pascuæ dni, in
ara cordis igne charitatis assati, nosmetipsos offe
ramus hostiam uiuentẽ, sanctam, deo placentẽ: &
azymis continẽtiæ, mortificata iam habẽtes mem
bra nostra quæ sunt super terrã, id est, fornicatio
nem, immundiciam, & cætera uitiorum ergastula
declinemus, & in statione uirtutum sedem nobis D
aptemus: mortuis quoq operibus abrenunciantes,
fructũ optimũ ut terra bona afferamus, exemplo-
q bonę arboris in omni bonitate & iustitia fru
ctificemus. Ne uero & claritas solis nostræ desit
cõuersationi, Luceat lux nostra corã hominibus,
ut uideãt opera nostra bona, et glorificent patrem
nostrũ qui in cœlis est. Si igit ita agentes ultimus
nos dies inuenerit, erit nobis quãdoq in præmio
ipsa quoq corporũ resurrectio, ubi cum Christus
apparuerit, uita nostra, tunc & nos apparebimus
cum ipso in gloria, qui uiuit & regnat deus per o-
mnia secula seculorum, Amen.

SERMO CLI

Eodem die, Sermo II

A IC se habet fratres charissimi: Sic se ha-
S bet miseria nostræ conditionis & dei mi
seratio, ut tẽpus mœstitiæ, tẽpus lętitię præcedat:
A id est, ut prius sit tẽpus mœstitiæ, posterius tẽpus
lætitiæ. Prius sit tempus laboris, posterius quietis,
prius sit tempus calamitatis, posterius felicitatis.
Sic se habet miseria nostræ conditionis, ut dixi-
mus, & diuina miseratio. Tẽpus enim mœstitiæ,
laboris, miseriæ, peccata nostra nobis repererunt.
Tempus uero lætitię, quietis, felicitatis, non uenit
de meritis nostris, sed de gratia saluatoris. Aliud
meremur, aliud speramus. Meremur mala, spera-
mus bona. Hoc facit misericordia eius qui crea-
uit nos. Sed tempore miseriæ nostrę, & sicut scrip
tura loquit, diebus natiuitatis nostræ nosse debe-
mus unde debeat esse tristitia. Tristitia em sic est,
qũo stercus. Stercus non loco suo positũ immũdi-
tia est. Stercus non loco suo positum, immundam
facit domum: loco suo positũ, fertilem facit agrũ.
Videte stercoris locũ ab agricola prouisum. Ait
Apostolus, Et quis est qui me lętificet, nisi qui cõ- 2. Cor. 2
tristatur ex me? Et alio loco, Tristitia inquit, secũ- 2. Cor. 7
dum deum pœnitentiam in salutem impœniten-
dam operatur. Qui secundum deum tristis est, in
pœnitentiã tristis est de peccatis suis. Tristitia de
iniquitate propriam iustitiam parturit. Prius tibi
displiceat quod es, ut possis esse quod nõ es. Quæ
secundũ deum est, inquit, tristitia, pœnitentiam
in salutem impœnitendam operatur. Pœnitẽtiã,
inquit, in salutẽ. Qualem salutem? Impœnitendã.
Quid est impœnitendam? Cuius te omnino pœ-
nitere non possit, Habuimus enim uitã cuius nos
debuimus pœnitere, habuimus uitam pœniten-
dam, sed non possumus peruenire ad uitã impœ-
nitendam nisi per malæ uitæ pœnitentiam. Nun-
quid fratres, ut dicere cœperã, in massa tritici pur-
gata inuenies stercus? Tamen ad illum nitorem,
ad illam speciem & pulchritudinem per stercus
uenitur, reipublicæ fœditas uia fuit. Merito eti-
am dominus dicit in Euãgelio de quadam arbore
infructuosa. Iam ecce trienniũ est quòd uenio ad Luca 13
eam, & fructum in ea non inuenio, præcidã illam,
ne mihi agrum impediat. Intercedit colonus: In-
tercedit iam securi imminente infructuosis radici
bus, & penè feriente, intercedit colonus, quomo-
do intercessit deo Moyses. Intercedit colonus &
dicit, Domine dimitte illam & hoc anno: Circun
fodio ei & adhibeo cophinum stercoris: si fecerit
fructũ, bene: si quo minus, præcides eam. Arbor
ista genus est humanũ. Visitauit istam arborẽ do-
minus tempore Patriarcharũ, quasi primo anno.
Visitauit eam tẽpore legis & Prophetarum, quasi
secundo anno. Ecce in Euãgelio tertius annus il-
luxit. Iam quasi præcidi debuit, sed interpellat mi-
sericors misericordẽ. Qui enm se uolebat exhibe-
re misericordẽ, ipse sibi opposuit intercessorẽ. Di-
mittat, inquit, hoc anno, circunfodiatur ei fossa: Il
gnũ est humilitatis, adhibeat cophinus stercoris,
si forte det fructũ, imo quia dat fructum, ex parte
nõ dat fructũ, ueniet dns eius & diuidet eã. Quid
est diuidet? Quia sunt boni, et sunt mali. Modo au
tem in uno cœtu, tanq in uno corpore, sunt cõsti-
tuti. Ergo fratres mei, ut dixi, Stercoris locus op-
portu-

portunius dat fructum, importunius autē locum
facit immundū. Nescio quis tristis est, Inueni ne-
scio quem tristem: Stercus uideo, locum quæro,
dic amice unde tristis es? Perdidi, inquit, pecuni-
am. Locus immundus, fructus nullus, audiat Apo
stolum, Tristitia mundi mortem operatur. Non
solum fructus nullus, sed magna pernicies. Sic &
de cæteris rebus ad gaudia secularia pertinentib.
quas res longum est enumerare. Video alium tri-
stantem, gementem, flentem: Multū stercoris ui-
deo, & ibi locum quæro. Et cum uiderem tristem,
flentem, inspexi & orantem. Orans nescio quid
mihi bonæ significationis ingessit. Sed adhuc lo-
cum quæro. Quid enim si ille orans, gemens, ma-
gno fletu mortē roget inimicis suis? Etiam sic iam
plorat, iam rogat, iam orat, locus immundus, fru-
ctus nullus. Plus est quod inuenimus in scriptu-
ris: Rogat ut moriatur inimicus ipsius, incidit in
Psal.108 maledictionem Iudæ: Oratio eius fiat in peccatū.
Inspexi aliū rursus gementem, flentem, orantem,
stercus agnosco, locum quæro. Intendi autem o-
Psal.40 rationi eius, & audio dicentem: Ego dixi domi-
ne miserere mei, sana animam meam quia pecca-
ui tibi: Gemit peccatū: Agnosco agrum, expecto
fructum: Deo gratias. Bono loco est stercus, non
ibi uacat, fructum parturit. Hoc est uere tēpus fru
ctuosæ mœstitiæ, ut conditionē mortalitatis no-
stræ, abūdantiam tentationum, surreptiones pec-
catorum, aduersitates cupiditatū, rixas concupi-
scentiarum contra bonas cogitationes semper tu
multuantiū doleamus, hinc tristes simus. Hoc tē-
C pus miseriæ nostræ & gemitus nostri, quadragin-
ta dies illi significāt ante pascha. Lętitia uero quę
posterior erit, quietis, felicitatis, uitæ æternæ, re-
gni sine fine, quod nondum est, his diebus quin-
quaginta quibus diebus deo laudes dicunt, signi
ficatur. Significant enim nobis tempora, unū an-
te resurrectionē domini, alterum post resurrectio
nem domini. Vnum in quo sumus, alterū in quo
nos futuros esse speramus. Tēpus mœroris quod
significant dies quadragesimæ, & significamus
& habemus. Tempus autem lætitiæ & quietis &
regni quod significant dies isti, significamus per
hallelu ia, sed nondum habemus laudes. Sed nūc
suspiramus ad hallelu ia. Quid est hallelu ia? Lau-
date deum. Sed nondum habemus laudes, in Ec-
D clesia frequentant laudes dei post resurrectionē
quia nobis erit perpetua laus post resurrectionē
nostram. Domini passio tempus nostrum signifi-
cat in quo nunc flemus. Flagella, uincula, contu-
meliæ, sputa, spinea corona, uinū fellitum, in spon
gia acetum, insultationes, opprobria, postremo ip
sa crux, in ligno membra sacra pendentia, quid
nobis significant nisi tempus quod agimus, tem-
pus mœroris, tempus mortalitatis, tempus tenta-
tionis? Ideo fœdum tempus, sed fœditas ista ster-
coris sit in agro, non in domo. Mœror sit de pec-
catis, non de cupiditatibus fraudatis. Fœdum tem
pus, sed si bene utat, fidele tempus. Quid fœtidius
agro stercorato? Pulchrior fuit ager antequàm co
phinum stercoris haberet, perductus est ager ad

fœditatem, ut ueniret ad ubertatē fidei. Ergo fœ-
A ditas huius temporis signum est, sed nobis sit ista
fœditas tempus fertilitatis. Videamus ergo cum
Propheta quid dicat: Vidimus eum. Qualē? Non Esa.53
habentem speciem neq; decorem. Quare? Alium Psal.21
prophetā interroga: Dinumerauerunt omnia ossa
mea. Dinumerata sunt ossa pendentis. Fœda spe-
cies, crucifixi species, sed ista fœditas pulchritudi
nem parturit. Quam pulchritudinē? Resurrectio Psal.44
nis: Quia speciosus forma præ filijs hominū. Lau
demus ergo fratres dominū, quia eius fidelia pro
missa retinemus, nondum accepimus. Parum pu
tatis, quia promissorē tenemus, ut iā debitorē exi
gamus? Promissor deus debitor factus est bonita-
te sua, non prerogantia nostra. Quid ei debemus
B ut eum debitorē teneamus? An forte quod audi-
stis in Psalmo: Quid retribuam domino. Primo
quando dicit, Quid retribuā domino, uerba sunt
debitoris, non debitum exigentis. Prærogatū est
illi, Quid retribuā domino. Quid est, quid retri-
buam? Rependam. Pro qua re? Pro omnibus quę
retribuit mihi. Quid retribuit mihi? Primo nihil Psal.115
eram & fecit me, perieram quæsiuit me, quærens
inuenit me, captiuum redemit me, emptū libera-
uit me, de seruo fratrem fecit me. Quid retribuam
domino? Non habes quid retribuas. Quando ab
illo totū expectas, quid habes retribuere? Sed ex-
pecta. Nescio quid uult dicere. Cur quęrit? Quid
retribuā domino pro omnibus quæ retribuit mi-
hi? Circūspiciens undiq; quid retribuat, quasi in-
C uenit. Quid inuenit? Calicē salutaris accipiā. Re-
tribuere cogitabis, adhuc accipere quærebas. Vn
de rogo? Si adhuc accipere quęris, adhuc debitor
eris, quando retributor. Si ergo semper debitor
eris, quando retribues? Non inuenis quod retri-
buas, nisi quod dederis non habebis. Vide quādo
dicebas: Quid retribuā, ad illud pertinet quod di-
xisti: Omnis homo mendax. Qui enim uoluerit
dicere, quia retribuet aliquid deo, mendax est:
(Omnia ab illo speranda sunt, à nobisipsis præter
illū nihil nisi forte peccatū,) & mendacium de suo
loquitur. Vere plene de suo abūdat homo, mēda-
ciū omnino hic habet & thesaurū mendaciorum:
cor suum mētiatur quantū potest non deficit, fin-
gat quicquid potest, mentiatur quicquid potest.
D Quare? Quia quod gratis habet, de se habet, non
illud emit. Quando uenitur ad ueritatem, si uerax
uult esse, non erit de suo. Mendax Petrus de suo.
Vbi mēdax? Promisit nobis dominus passionem,
& dicit, Absit à te, nō fiat illud. Omnis homo men
dax. Vnde mendax? Ipsum dominū audi: Non sa- Matth.16
pis quæ dei sunt, sed quæ sunt hominis. Verax au
tem Petrus. Quando? Tu es Christus filius dei ui-
ui. Vnde ista ueritas homini mēdaci? Ecce homo
dicit, Tu es Christus filius dei uiui. Quis dicit? Pe-
trus. Quid erat Petrus? Homo qui dixit uerū. Cer
te omnis homo mendax, Ecce, ecce lingua eius,
ecce lingua de lingua eius. Quō omnis homo mē
dax? Audi, quia omnis homo mēdax, quia de suo.
Ergo unde Petrus uerax? Audi ipsam ueritatem,
Beatus es Simō bar Iona. Vnde beatus? De suo?
Absit

Absit, quia tibi non reuelauit caro & sanguis, sed
pater meus qui in cœlis est. Laudemus ergo domi A
num fratres charissimi, laudemus deum, dicamus
hallelu ia. Significemus istis diebus diē sine fine.
Significemus locū immortalitatis, tēpus immorta
Psal.83 litatis: Festinemus ad domū ęternam. Beati qui ha
bitant in domo tua, in secula seculorū laudabūt te.
Lex dicit, scriptura dicit, ueritas dicit: Venturi su-
mus ad domum dei quæ est in cœlis. Ibi non quin
quaginta diebus deum laudabimus, sed quemad-
modum scriptū est: In secula seculorū. Videbimus
amabimus, laudabimus. Nec quod uidebimus, de
ficiet, nec quod amabimus peribit, nec quod lau-
dabimus tacebit. Sempiternū totum erit, sine fine
erit. Laudemus, laudemus, sed non solis uocibus,
laudemus & moribus: laudet lingua, laudet uita,
sed habeat charitatem infinitam cū uita: per Iesum
Christum dominum nostrum, qui &c.

Item eodem die, homilia de eo quod scriptum
est in Euāgelio secundum Ioannem, Maria stabat
ad monumentum &c. quę habetur in expositione
doctoris Ibidem.

Feria sexta Paschæ. Sermo I.

SERMO CLII. ARRATIONEM resurrectionis domi
N ni nostri Iesu Christi secundum Euange
A listam Ioannem ho die lectam scitis, &
cōmendaueram uobis secundum omnes quatuor
Euangelistas istis diebus resurrectionem domini
recitari. De his ergo quæ audistis illud tantum so-
let moueri, quare dixerit dominus Iesus mulieri
quærenti corpus eius, & eum iam uiuū agnoscen-
C ti, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad pa-
Iohn.20 trem meum. Dixi autem uobis & meminisse debe
tis, non omnia omnes dicere, sed dici ab alijs quæ
ab alijs prætermissa sunt: non tamen ita ut inter se
repugnare credendi essent, sed absit contentio, &
assit pietas intelligentis. Nam sicut legitur apud
Euangelistam Matthæum, postea quàm resurre-
xit occurrit duabus mulieribus, in quibus & ista
erat: & dixit eis, Auere. Illæ autem accesserunt &
tenuerunt pedes eius, & adorauerūt eum. Et utiq;
ad patrem nondum ascenderat. Quomodo huic
dicitur: Noli me tangere, Nondum enim ascendi
ad patrem meum? Sic enim uerba ista uidentur so
nare, quasi tunc eum posset tangere Maria, quan-
do ascendisset in cœlum. Si in terra positum non
tangit, in cœlo sedentem quis mortalium potest D
tangere? Sed ille tactus, fidem significat. Tangit
Christum, qui credidit in Christū. Nam & illa mu-
lier quæ fluxum sanguinis patiebatur, apud seip-
sam ait: Si tetigero fimbriam uestimenti eius, sa-
lua ero. Fide tetigit, & sanitas subsecuta est quam
præsumpsit. Denique ut nos sciamus quid sit uere
tangere, dominus continuo dixit discipulis suis:
Quis me tetigit? Et dixerunt discipuli: Turbæ te
comprimunt, & dicis quis me tetigit? Et ille, Te-
tigit me aliquis. Quasi diceret: Turba premit, fides
me tangit. Videtur ergo ista Maria cui dixit do-
minus, Noli me tangere, nondum enim ascendi
ad patrem meum, Ecclesiæ gestare personam, quę
tunc in Christum credidit, cum ascendisset ad pa-

trem. Ecce uos interrogo quando credidistis, in-
A terrogo Ecclesiam toto orbe terrarum diffusam,
cuius persona erat in una fœmina: & una uoce mi-
hi respondet, Tunc credidi cum Iesus ascendisset
ad patrem. Quid est tunc credidi, nisi tunc tetigi?
Multi carnales Christum tātummodo hominem
putauerunt, diuinitatem in illo latentem non in-
tellexerunt: & ideo bene non tetigerunt, quia nō
bene crediderunt. Vis bene tangere? Intellige
Christum ubi est patri coęternus, & tetigisti. Si au
tem hominem putas & nihil amplius putas, tibi
nondum ascendit ad patrem. Adhibuit ergo do-
minus Iesus speciem corporis hominis sensibus,
ad confirmandam carnis resurrectionem. Nihil
nos docere uoluit ostendendo se uiuum in corpo
B re post resurrectionem suam, nisi ut credatur à no
bis resurrectio mortuorum, donec ueniat domi-
nus & illuminet abscondita tenebrarum. Quid est
hoc? Audi quod sequitur: Et manifestabit cogita-
tiones cordis. Cor uidere, dei est: hominum autem
non est, nisi de his quæ manifesta sunt iudicare.
Modo ergo cogitationes nostræ nobisipsis singu
lis quibusq; in luce sunt, quia nouimus eas: sed p-
ximis nostris in tenebris sunt, quia nō uident eas.
Ibi quod nosti te cogitare, & alter sciturus est.
Quid times? Modo uis abscondere, modo times
publicare cogitationes tuas. Forte enim aliquid
mali aliquando cogitas, forte aliquid turpe, forte
aliquid uanum. Nihil ibi nisi bonum, nihil ibi nisi
honestum, nihil ibi nisi uerum, nihil ibi nisi purū,
nihil ibi nisi syncerum. Quando ibi fueris, quid co
C gitabis? Quomodo uis uideri modo faciem tuam,
sic tunc uoles uideri conscientiam tuam. Nam &
ipsa agnitio charissimi, nónne omnium nostrum
erit? Ibi erit inuicem agnitio. Sic uidebunt omnes
& multo excellentius, quomodo hic solent uide-
re Prophetæ. Diuinè uidebunt, quando de Deo
pleni erunt, nec quod offendat erit, nec quod la-
teat cognitorem. Erunt ergo ibi membra integra,
etiam quæ hic pudenda, ibi tamen pudenda non
erunt. Non ibi erit solicitum integritatis decus,
ubi non erit libidinis dedecus. Ecce etiam hic ubi
omnium nostrorum operum necessitas mater est,
quæ necessitas tunc non erit, tamen inuenimus a-
liqua quæ Deus posuit in corporibus ad nullos
usus, sed ad solum decus. Nulla ibi erit corruptio,
D nulla deformis prauitas, nulla ęrumnosa necessi-
tas, sed interminatæ æternitatis pulchra ueritas,
summa felicitas. Sed dicis mihi: Quid acturus
sum? Nulla actio tibi uidetur stare, uidere, amare,
laudare? Ecce dies sunt sancti, qui post resurrectio
nem domini celebrantur, significant futuram uitā
post resurrectionem nostram. Sicut enim quadra-
gesimæ dies ante pascha significauerunt laborio-
sam uitam in hac ęrumna mortali: sic isti dies læti
significant futuram uitam, ubi erimus sine fine
cū domino regnaturi. Vita quæ significatur qua-
dragesima ante pascha, modo habetur: uita quę si-
gnificatur quinquaginta diebus post resurrectio-
nem, non habetur sed speratur & sperando amat.
Et in isto amore Deus qui promisit ista laudat, &

ipsæ laudes hallelu ia sunt. Quid est enim hallelu ia? Verbũ est Hebræũ. Hallelu ia, laudate dominum: Hallelu ia: laudate deum. Canamus & inuicem nos excitemus ad laudãdum deum, nec non cordibus melius ꝗ cithara cordis dicimus laudes. Deo canamus hallelu ia, & cũ cantauerimus, propter infirmitatem recedimus ut corpora reficiamus. Quare reficimus nisi quia deficimus? Deinde tãta est infirmitas carnis, tanta huius uitæ molestia, ut quælibet magna res ueniat in fastidio. Quomodo desideramus istos dies ad annum uenturos cum modo abierunt, & quanta auiditate ad illos uenimus per temporis interuallum? Si diceretur nobis sine cessatione dicite hallelu ia excusaremus. Quare excusaremus? Quia lassi non possumus, quia & ad ipsum bonũ fastidio fatigaremur, ubi nullus est defectus, nulla fastidia. State, laudate qui statis in domo domini in atrijs domus Dei nostri. Quid quæris, quid ibi facturus sis? Beati ait qui habitãt in domo tua, in secula seculorum laudabunt te.

Eodem die: Sermo II.

SERMO CLIII S ACRAMENTVM dilectissimi dominicæ resurrectionis diuina uoluit prouidentia uarijs figuris rerum & prophetarum oraculis aliquotiẽs præsignari, quatenus per omnes seculi labentis ætates omnis sanctorũ spes ad illum tenderet solum, qui est expectatio omniũ gentiũ. Vnde illud quod in ipso mundi nascentis exordio mater omniũ uiuentium Eua de costa uiri dormientis est producta, matrem credentiũ Ecclesiam ex latere Christi in cruce morientis monstrat exortã: sicut in actu euigilantis Adæ, figura est domini resurgentis à morte. Vnde dicit Apo-
1. Cor. 15 stolus: Factus est primus homo in animam uiuentem: secundus homo in spiritũ uiuificantem. Noe uero qui in opere arcæ & ipso suo nomine requiẽ Dei in sanctis significat, in eo uel maxime redemptoris nostri figuram repræsentat, ꝙ cũ esset agricola uineam plantauit, & uini poculo ebriatus, in suo tabernaculo est denudatus. Quæ res ad illum proprie spectat, qui calice passionis adeo factus est ebrius, ut ipso tegmine corporis nudaretur ad tempus, & statim in resurrectione euigilans, illis daret benedictionem qui in mysterio uenerantur eius passionem, irrisoribus autem suis dignã maledictionem. De quo calice dicit Psalmista, Calix
Psal. 22 meus inebrians, ꝗ præclarus est. Et in Euangelio
Ioan. 18 dominus, Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum? Virga quoq; Moysi in terrã proiecta & in draconem cõuersa, cũ teneretur per caudam redijt iterũ in uirgã: quia illa potestas diuinæ maiestatis de cœlo descendens ad terrã pro nobis uoluit esse mortalis, sed post peractam carnis assumptæ dispensationem, recepit se ad paternæ dexteræ sedem. De Iona quẽ absorptũ piscis euomuit illæsum in aridam, euidentẽ habemus ipsius dñi sententiam, quòd sicut ille fuerit in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita foret hominis filius in corde terræ. Extant & alia ꝗ plurima de hac solennitate solennitatum sancta præconia, quibus omnibus astipulatur & ipsa temporum ratio, quæ
A paschalem terminũ uernali dedicauit æquinoctio expectato duntaxat sequente primi mẽsis plenilunio: ut sicut ab inferioribus sol in altum proficiẽs, primo nũc adæquat longitudine noctes, luna etiã per diurna suæ lucis incrementa uidet esse plenissima: ita resurgens ab inferis sol iustitię, Ecclesiam eatenus in tenebris constitutam suo illustraret lumine. Hæc sunt sacrosancta huius diei paschalia gaudia, hæc seculis omnibus desiderata & prædicata solẽnia, quę nos semper animo uenerari, semper opere pro modulo nostro iustum est imitari,
sicut dicit Apostolus Ioannes, Qui dicit se in Chri 1 Ioan. 2
sto manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Et ille quidem pro nobis ad tempus crucifixus, nos quotidie crucem tollere, & ipsum sequi
B oportet. Mortem ille ad horam gustauit, nos semper debemus mortificare mẽbra nostra quæ sunt super terrã, fornicationem, immunditiam, & cætera. Resurrexit ille à mortuis, resurgere nos iubemur à uitijs, dicente Apostolo, Surge qui dormis, Ephes. 5
& exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Quod si modo carnem nostram pro Christo cum uitijs & concupiscentijs crucifixerimus, cõplantati etiam similitudini mortis eius, mortificatione uitiorum fuerimus, cum Christus apparuerit uita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Eodem die: Sermo III.

C D EVS misericordiæ & iustitiæ hodie resurrexit à mortuis per potentiã patris ut Paulus ait, Qui suscitauit eũ à mortuis. SERMO CLIIII Gal. 1

Et propheta, Inter mortuos liber est. In quo & nos omnes pòst resurgemus & uiuemus. Quia enim præstitit nobis ducatum ad regnũ suum, iubemur & nos præparare uiã domino, hoc est, humilitatẽ, dilectionem dei & proximi, iustitiam, bonitatem, integritatem, patientiam, charitatem, prudẽtiam, pietatem & innocentiã. Hæc omnia præcepit nobis dominus per semetipsum exemplis, qui per agnum significatur. Quæritur ergo, quare agnus iste non die, sed ad uesperã immoletur? Hæc causa manifesta est. Dominus enim noster ac saluator in consummatione seculorũ passus est, ut Ioãnes ait,
D Filioli mei, nouissima hora est. Hodie fides ecclesiæ confirmata est in Christo, & in semine Abrahę omnes gentes benedicuntur, ac saluator mundi innotuit, & plenam supernis ciuibus & hominibus lætitiam contulit, cum uiuum se post passionem suam præbuit iuxta promissum suum. Bene quoque dominicus sermo ac resurrectio domini coniunguntur. Venerabilis est hic dies, qui dominicus dies, et dies primus atq; perfectus est, et dies clarus, in quo uisa est prima lux. In quo transgressi sunt filij Israel mare rubrum siccis pedibus, & in quo pluit manna filijs Israel in deserto, & quo dominus baptizatus est in Iordane, Quo uinum de aqua in Chana Galilææ factum est. Quo benedixit dominus quinq; panes, quibus satiauit quinque milia hominum. In quo resurrexit dominus à morte

morte. Quo intrauit dominus in domos clausas,
A ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum. In quo spiritus sanctus descendit in Apostolos. Et in quo speramus dominum nostrum Iesum Christum ad iudiciũ uenturum. In quo die omnis creatura reformabitur in melius, ut sol & luna septuplum lumen accipiant & sancti homines uitam æternam propter merita bonę obedientiæ recipiant à deo.

Sabbato post diem sanctum paschæ. Ser. I

SERMO CLV A T hodie resurrectio domini recitata est de sancto Euangelio. Lectum est enim Euangelium secundum Ioannem, audiuimus quæ in alijs libris Euangelij non audiueramus. Omnibus quidem communis est prædicatio ueritatis, & de fonte uno omnes biberunt. Sed in prædicatione Euangelij, sicut sæpe cõmonui charitatem uestram, alia omnes, alia tres, alia duo, alia singuli posuerũt. Modo ergo quod audiuimus secundum Ioannem Euangelium, quia Maria uidit dominum, & dixit ad eam dominus, Noli me tangere, nõdum enim ascendi ad patrem, solus Euan
B gelista Ioannes cõmemorat: Hinc ergo loquendũ est sanctitati uestræ. Visis enim linteaminibus in sepulchro, dominum non resurrexisse crediderãt, sed ablatum esse. Ipse Ioannes, seipsum enim dicit, quem diligebat Iesus, cum audisset denunciantibus mulieribus & dicentibus, Tulerũt dominum Ioan. 20
meum de monumento, cucurrit cum Petro, & attendit in monumentum, uidit sola linteamina, & credidit non quia resurrexerat, hoc sequentia uerba testantur. Sic enim scriptum est, quod modo au
C diuimus. Attendit, uidit & credidit: nõdum enim sciẽbat scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere. Ergo qui credidit quod fidei non erat hoc credidit: credidit, sed falsum credidit. Apparuit ei postea dominus, fugauit falsum, inseruit uerum. Tamen illud quod solet mouere lectorem & auditorem non incuriosum neq; negligentẽ, quomodo sit dictum: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem: hic uideamus domino ipso adiuuante, quid dictum sit. Mouet enim hoc quidẽ. Noli tangere, nondum enim ascendi ad patrem. Quando enim ascendit ad patrem? Sicut indicant
Act. 1 Actus Apostolorũ, quadragesimo die post resurrectionem suam, quem diem in nomine ipsius celebraturi sumus: tunc ascendit ad patrẽ, tunc eum
D discipuli qui manibus tetigerunt, oculis deduxerunt. Tunc sonuit angelica uox, Viri Galilęi, quid statis aspicientes in cœlũ? hic Iesus qui assumptus est à uobis, sic ueniet quomodo eum uidistis euntem in cœlum. Si ergo tunc ascendit ad patrem, quid dicimus fratres mei? Maria non poterat eum tangere in terra stantem, & poterat tangere in cœlo sedentem? Si hic non poterat, quanto minus poterat ibi? Quid est ergo, Noli me tangere, non enim ascendi ad patrem? Sic enim sonant uerba, tanquam diceret, tunc me tange cũ ascendero, antequam ascendam noli me tãgere. O domine hic es & nõ tango, cum ascenderis tangam? Deinde si antequam ad patrem ascenderet tactum horrebat humanũ, quomodo se discipulis nõ solum uidendum, sed etiam contrectandũ præbuit quando di- Luc. 24
xit, Quid cogitatis in cordib. uestris? Videte manus meas, & pedes meos, palpate & uidete, quia spiritus carnem non habet, sicut me uidetis habere. Incredulus etiam ille discipulus Thomas tetigit latus perforatũ, & exclamauit, Dominus meus & deus meus. An forte aliquis insipiens dixerit, antequam ad patrem ascenderet, uiri eum poterant tangere: mulieres aũt non poterant, nisi eum ad patrem ascenderet? Absurda est ista cogitatio, & peruersa sententia. Prorsus quod audiuit Maria, audiat Ecclesia. Hoc omnes audiant, deum intelligant, omnes faciant. Quid ergo est, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem? Quod me uides, hominem solum putas, patri æqualẽ esse adhuc nescis: noli me tangere talem, noli in homi
B nem solum credere, sed uerbum æquale genitori intellige, Quid ergo est, Noli me tangere, noli credere, Quid noli credere? Quia hoc solũ sum quod uides. Ascendam ad patrem, & tunc tange. Tibi ascendo, quando intellexeris æqualem. Quando me putas minorem, nondũ ascendo tibi. Tangere autem, credere esse puto: quia facile possumus intelligere de illa muliere quæ tetigit fimbriam uestimenti Christi, & salua facta est. Recordamini
Euangelium, Dominus Iesus Christus ibat ad uisi Luca 18
tandam archisynagogi filiam, quæ primo nunciata fuit infirma, postea mortua. Illo pergente, ecce mulier de transuerso uenit, quæ fluxum sanguinis patiebatur per duodecim annos, & in medicis fru
stra curantibus, & nõ sanantibus, omnia sua consumpserat, dixitq; in corde suo, Si tetigero fimbriam uestimenti eius, salua ero. Hoc ipsum dicere, iam tangere fuit. Denicq; audi sententiam, cum sal
C ua facta esset secundum fidem suam, ait dominus Iesus Christus, Tetigit me aliquis. Et discipuli, Turbæ te comprimunt, & dicis, quis me tetigit? Et ille, Tetigit me aliquis, nam ego scio uirtutẽ exijsse de me. Gratia præcessit ut illa sanaretur, non ut ille minueretur. Dicunt ergo discipuli, Premũt te turbæ, & tu unum aut unam sensisti. Et ille, Tetigit me aliquis, illæ premunt, ista tetigit. Quid est, illæ premunt, ista tetigit? Iudæi affligunt, Ecclesia credidit. Secundum hũc ergo intellectum, quoniam uidemus mulierem tetigisse, quod est credidisse,
D secundum hoc ergo dictum est ad Mariam, Noli me tangere, ascendam & tange. Tunc enim tan- Ioan. 1
ge, quando cognoueris: In principio erat uerbũ, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Verbum quidem caro factum est, uerbum incontaminatum, immaculatum, immutabile manet, integrum. Sed quia tu hominem solũ uides, uerbum non uides, nolo credas in carne, & relinquas uerbũ: totus Christus tibi appareat, quia æqualis est patri in uerbo. Noli ergo, inquit, modo tangere, scio quia nondũ uides quid sim. Ecclesia ergo, cuius figurã Maria gerebat, audiat quod audiuit Maria. Tangamus omnes, si credamus, iam ascendit ad patrẽ, sedet ad dexteram patris. Confitetur hoc hodie uniuersa Ecclesia: Ascendit in cœlum, sedet

ad dexteram patris. Hoc audiunt qui baptizãtur, hoc credunt antequam baptizentur. Quãdo ergo credunt, Maria tangit Christũ. Intellectus obscurus & sanus, incredulis clausus, fide pulsanti est apertus. Ipse ergo dñs Iesus Christus, et ibi est, & no biscum est, & cum patre est, & in nobis est, & ab illo non recedit, & nos non deserit, & orare docet ut magister, & cum patre exaudit ut filius.

Eodem die: Sermo II.

SERMO CLVI Et hic inter Eusebianos

D IGNE fratres charissimi piis studijs exultemus in Christo sub præsenti solẽnitate, in qua nobis inferorũ dominus diues spolijs redditus est, in qua redijt celsitudo de profundis, lux de tenebris, uita de mortuis. Ecce quantum pro salute ouium perditarum benigna pij pastoris solicitudo discurrit. Sub uno eodemq; tempore & hominem usq; ad paradisum reuocare dignatur, & mortem usq; ad inferna persequitur, gloriosius captiuandam in regno suo, & magnificentius in suis sedibus triumphandam. Ad descensum itaq; cœlestis domini profundum inferi panditur, peregrinum sibi lumẽ inferni nox ęterna miratur. Expauit ergo nox subito nõ suum mortuũ, imò expauit mortem suam. Aderat enim ille qui
Osee 13 dudum per Prophetã suum dixerat, O mors ero mors tua, ero morsus tuus inferne. Et ideo nõ solum in eo inuenire non potuit quod teneret, sed eos quos antea retinebat reuocari ad superos se nolente cõspexit, & quem debitorem suum putabat, exactorem potius experta est. Et quem quasi captiuum inferni uinculis astringendum esse credebat, quasi liberatorem cum recepta captiuitate redire mirata est: ac sic quem descensione hominem iudicauerat, deum regressione cognouit. Potuerat quidem dominus noster fratres charissimi hostem humani generis sola maiestate prosternere sine incarnationis humilitate, sine certamine passionis: sed homo qui proprio trãsgressionis crimine tenebatur obnoxius, qui per culpã suam incurrerat seruitutem, non uiolentia liberãdus fuit, sed misericordia redimendus. Et quia deus æquitas & iustitia est, ipse sibi lex est. Et quia homo iudicij & iuris sui ac liberi arbitrij prædितus uoluntate, qui uoluntarius ruerat, iniustũ erat ut erigeretur inuitus, æquius & salubrius fuit, ut qui per superbiam à diabolo persuasus fuerat ad mortem, à deo per humilitatem solidaretur ad uitam. Iusto ergo ordine qui per caliditatem maleuoli serpentis nõ impulsus sed seductus fuerat ad perditionem, rursum per sapientiam beneuoli redemptoris non compellitur, sed ducitur ad salutem: ut qui cum sua uoluntate corruisse uidebatur, cum sua rursus uoluntate repararetur, ut esset uirtuti ac remunerationi locus. Non enim preripuit eum per uiolentiam suam, sed potius per iustitiam & beneuolentiam solidat & eruit ad uitã: quia benignitas prouocantis etiam meritum desiderat acquiescentis, & dignantissimi medici studium, infirmi requirit assensum. Cuius ineffabilem ad eruendos nos dignitatem, etiam præsens Euangelij lectio declarauit. Ait enim, sicut audistis, Cum esset sero die illo una sabbatorum, uenit Iesus ianuis clausis, & Ioan.20
A stetit in medio discipulorum suorum. Quid mirum si dominus ad discipulos glorificatum corpus claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo, ianuam mundi huius intrauit? Cuius ortum naturæ nesciunt, non dubites si potentiam exercere uideas triumphantem, quẽ tam stupenda perspicis egisse nascentẽ. Quid hic respondebunt Iudęi, sepulto domino discedentes & signantes lapidem cũ custodibus? Quæ cum ita sint, quomodo eum repellere potuit obiectus repaguli, quem non coercuerat põdus sepulchri? Imo quomodo eum obserata domus excludere potuit, quem includere mortis porta nõ potuit? Quid mirum si substantiam corporis nostri
B per clausa ostia transmisit, cui etiam penetralia supernorum, & solis angelis familiare secretum patere consueuit? Cum ergo dixissent alij discipuli, uidimus dominũ, respondit Thomas & dixit eis: Nisi uidero, inquit, in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meũ in locum clauorum, & mittam manũ meam in latus eius, non credam. Quàm bona ignorantia quæ erudiuit ignaros, quæ instruxit incredulos? Quàm bona infidelitas, quæ seculorum fidei militauit? Nisi uidero, inquit, in manibus eius fixuram clauorum. Vox ista inquirentis est, non negantis. Dum hoc dicit, doceri uoluit, confirmari desiderauit: & ideo ad eum dominus ita ait, Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & affer manũ tuam, & mitte in latus meum, Dum benignum præbet ueritas
C moderata responsum, in Apostolo suo non dubitationis uitium, sed solicitudinis instruxit affectum. Quia ergo illo in tempore tanti mysterij nouitas uersabatur, merito curiosæ perscrutationis nõ est, sed utilitas exclusa accedit, quod in his Apostoli uerbis mundi utilitas agitur. Vnius interrogatio, uniuersitatis est instructio. Ostendit ergo manus & latus. Necessarium enim erat, ut manifestarum præsens expressio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem, quia splendor nouæ lucis pristinam obduxerat ueritatem, & cognitionem quodammodo claritas obscurauerat. Visis ergo cicatricibus, respõdit Thomas & dixit, Dominus meus & deus meus. Nouo genere uestigia uulnerum diuinitati perhibent testimonium, quia
D templum erat Dei indumentum corporis uulnerati. Duas hoc loco in Christo mirare substantias. Fixuram perspicit corporis, & deũ prædicat maiestatis. Vbi sunt qui dicunt animas nouis, in quibus antea non uixerunt, corporibus induendas? Ecce in resurrectionis autore hoc ipsum uideo resurrexisse quod cecidit, & ideo mortui dormire dicuntur iuxta prophetam, Nunquid qui dormit Psal.40 non adijciet ut resurgat? Quare mortem somno assimilauit? Quia in uno eodemq; homine, nunquid alter est qui in somno resoluitur, alter uero qui in eiusdem somni stupore ad uigilandi officia suscitatur? Nõ utiq;, sed ipsa absq; dubio membra euigilasse credenda sunt, quę dormitionis stupore laxata sunt. Ita mors corporis quod in puluere

uere cõfectura susceperit, idem ipsum discussa re-
A stituit, nec rude, sed rediuiuum uas cognatus spiritus recognoscit. Et propterea mysterium resurrectionis etiam de minimis exponens, ita Apostolus loquitur, resurrectionem grano tritici comparans. Etenim tu quod seminas non uiuificatur, nisi prius moriatur. Si quando ut moris est, fruges botri sulcis agricola fœnerante creduntur, nunquid aliud est quod sepelitur in semina, aliud quod uirescit in germina? Sed singula quæq; corpora non de nihilo, sed sui origine producuntur, & recentia de ueteribus innouantur. Cum autem de resurre-
1Cor.15 ctione loqueretur Apostolus, dicens, Quod semi nas non uiuificatur, nisi prius moriatur: uides quia mors quod susceperit, hoc refundit? Et unicuiq;, inquit, seminum proprium corpus. Non utiq; à ge-
B nere suo alienum, sed naturæ suæ proprium, & de materiæ suæ qualitate reparatum. Reuocabitur ergo in contubernium pristinum animę & corporis unitas, & nullis unquam seculis dissocianda germanitas. Nostrum est gratia autoris & redemptoris inniti, ut ad illorum numerum pertinere uidea-
1Thes.4 mur, de quibus Apostolus dicit, Simul rapiemur obuiam Christo in aera & in nubibus, & sic semper cum domino erimus. Dignum enim esse iudicauit, ut germana corporis animæq; substantia cum Christo simul regnet in cœlis, quæ Christo seruiuit in terris.

Item eodẽ die homilia, de eo quod scriptum est in Euangelio secũdum Ioannem: Vna sabbati Maria Magdalene uenit mane: &c. quæ habet in expositione doctoris, Ibidem to. 9. 1554.

Item eodem die alius sermo de epistola, qui habetur in libro Quinquaginta homiliarum XX

Dominica in octauis Paschæ, ad competentes:

Sermo I.

SERMO CLVII

P ASCHALIS solennitas hodierna festiuitate concluditur, & ideo hodie neophytorum habitus cõmutatur, ita tamẽ ut candor qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur. In qua quidem primum nobis agendum est, ut quia paschales dies sunt, id est, indulgentiæ ac remissionis, ita à nobis sanctorum dierum festiuitas agatur, ut relaxatione corporum puritas non obfuscetur, sed potius abstinentes ab omni lusu, ebrietate, lasciuia, demus operam sobriæ
D remissioni ac sanctæ synceritati, ut quicquid modo corporali abstinentia non acquirimus, mentium puritate quæramus. Ad omnes quidem pertinet sermo, quos cura nostra complectitur: uerũtamen hodie terminata sacramentorum solennitate, uos alloquimur nouella germina sanctitatis, regenerata ex aqua & spiritu sancto, germen pium, examen nouellũ. Flos nostri honoris, & fructus laboris, gaudium & corona mea, omnes qui statis in domino, Apostolicis uerbis uos alloquor
Rom.13 Ecce nox præcessit, dies autem appropinquauit: Abijcite opera tenebrarum, & induite uos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induimini dominum Iesum Christum. Ha- 2Pet.1
bemus, inquit, certiorem propheticum sermonẽ, cui benefacitis intendentes, tanquam lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus uestris. Sint ergo lumbi uestri accincti, & lucernæ ardentes, & uos similes homi- Luc.12
nibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs. Ecce dies adueniunt, in quibus dominus dicit, Pusillum, inquit, & non uidebitis Ioan.16
me, & iterum pusillum, & uidebitis me. Hæc est hora de qua dixit, Vos tristes eritis, seculum autẽ gaudebit: id est, uita ista tentationibus plena, in qua peregrinamur ab eo. Sed iterum, inquit, uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudiũ uestrum nemo tollet à uobis. Cuius spei tam gratum & tam gratuitum etiam pignus sanctum spiritum accepimus, qui in cordibus nostris inenarrabiles gemitus operatur sanctorum desideriorum. Concepimus enim, sicut ait Esaias, parturiuimus spiri- Esa.26
tum salutis. Et mulier cum parturit, ait dominus, tristitia est illi quia uenit dies eius, sed cum peperit fit gaudiũ, quoniam natus est homo in seculo. Hoc est gaudium quod nemo aufert à nobis, quo in æternæ uitæ lucem ex hac fidei conceptione transfundimur. Nunc ergo ieiunemus & oremus, cum dies parturitionis est. Hoc totũ corpus Christi, in toto orbe diffusum, id est, tota hæc agit Ecclesia, & illa unitas quæ dicit in psalmo, A finibus Psal.60
terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum.
C Vnde iam nobis elucet, cur quadragesima instituta sit huius humiliationis solennitas. Qui enim à finibus terræ clamat cũ anxiaretur cor eius, à quatuor orbis terræ partibus clamat, quas frequenter etiam scriptura commemorat, Oriente & Occiduo, Aquilone & Meridie. Per hoc totum ille decalogus legis, iam non per literam tantummodo metuendus, sed per gratiam charitatis implendus, indictus est. Vnde quater multiplicatis decem, uidemus quadraginta compleri. Sed adhuc in labore tentationis cum uenia delictorum. Quis enim perfecte implet, Non concupisces? Vnde ieiunandum & orandum, à bono tamen opere non cessandum. Cui labori merces illa redditur in fine, quæ denarij nomine nuncupatur. Sicut autem
D ternarius à tribus, quaternarius à quatuor, ita denarius à decem nomen accepit. Qui coniunctus quadragenario, tanquam merces labori redditur. Quinquagenarij numeri figura tempus illius gaudij significat, quod nemo auferet à nobis. Cuius in hac uita nondum perfectionem habemus, sed tamen post solennitatem dominicæ passionis, à die resurrectionis eius per dies quinquaginta, quibus ieiunia relaxamus, hoc in dominicis laudibus personante hallelu ia celebramus. Nunc itaque in persona Christi, ut non possideamur à satana, exhortor uos dilectissimi, ut quotidianis & largioribus eleemosynis, frequentioribus orationibus dominum propitiemus. Nũc tempus est ut unusquisq; abstineat se non tantum ab illicitis, sed etiam à quibusdam licitis, & orationibus atq; ieiu-

nijs uacet. Quamuis & per totum annũ certis diebus hoc facere debeat, & quanto crebrius, tanto A utiq; melius, quia & qui concessa immoderate appetit, eum qui concessit offendit. Oratio quippe spiritalis res est, & ideo tanto est acceptior, quanto magis suæ naturæ implet affectum. Tanto magis autem spiritali opere funditur, quanto magis animus qui eam fundit à carnali uoluptate suspenditur. Quadraginta dies ieiunauit Moyses legis administrator, quadraginta Helias prophetarum excellentissimus, quadraginta ipse dominus, testimonium habens à lege & Prophetis. Baptismus ille præponitur. Ioannes enim baptizauit Christum, cum se Christo profiteretur minorem. Christus autem baptizauit Christianum, qui se ostẽdit & Ioanne esse maiorem, sicut circũcisione carnis, quãuis eam & Christus accepit, & nemo Christianus accepit. Melius est sacramentum resurrectionis Christi, quod ad expoliandam carnalem hanc ueteremq; uitam corde circumcideretur Christia-
Rom. 6 nus, ut audiat Apostolum dicẽtem, Sicut Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, sic & nos in nouitate uitæ ambulemus: sicut ipsum uetus pascha quod agni occisione celebrare præceptũ est, non ideo quia hoc cum discipulis celebrauit Christus, iam melius est pascha nostro quod immolatus est Christus. Pertinuit enim ad præbendũ nobis humilitatis & deuotionis exemplum, ut illa etiam sacramenta ueniens suscipere dignaret: quibus uenturus ipse prænunciabatur: ut hinc ostenderet quanta religione nos oportet accipere hæc C sacramenta, quibus iam uenisse nunciatur. Nõ ergo quia Christus post acceptum baptismum cõtinuo ieiunauit, tanquã regulam obseruationis dedisse credẽdus est, ut post ipsius Christi baptismũ acceptum continuo ieiunare necesse esset: sed plane illo exemplo docuit ieiunandum esse, quando forte acriore luctamine cum tentatore confligitur. Ob hoc enim & Christus qui sicut homo dignatus est nasci, non respuit sicut homo tentari, ut Christianus magisterio eius instructus, non possit à tentatione superari. Siue ergo continuo post baptismum, siue quolibet interuallo temporis interposito, quando simile prælium tentationis infertur homini ieiunandum est, ut & caro impleat de castigatione militiam, & anima impetret D de humilitate victoriam. In illo ergo dominico exemplo illius causa ieiunij non Iordanis tinctio, sed diaboli tentatio fuit. Cur autem nos ante solennitatem passionis domini ieiunemus, & illa ieiuniorum relaxatio quinquagesimo die perficiatur, hæc ratio est. Omnis qui recte ieiunat, aut animã suã in gemitu orationis & castigatione corporis humili, & ex fide non ficta affligit: aut ab illecebra carnis inopia aliqua spiritali ueritatis, & sapientiæ delectatione suspensa, ad famem sitimq; sitiendam descendit. Interrogantibus Pharisæis cur discipuli eius non ieiunarent, de illo primo quod
Matt. 9 habet animæ humiliationem, Nõ possunt, inquit, lugere filij sponsi, quãdiu cum eis sponsus est, sed ueniet hora, quando auferet ab eis spõsus, & tunc ieiunabunt. De illo aũt altero, quod habet epulamentis, ita consequenter locutus est, Nemo assuit pannũ nouum uestimẽto ueteri, ne maior scissura fiat: neq; mittũt uinum nouum in utres ueteres, ne rumpantur, & uinum effundat: sed uinum nouum in utres nouos mittũt, & ambo conseruabuntur. Proinde quia iam sponsus ablatus est, utiq; nobis filijs illius pulchri sponsi lugendum est: Speciosus Psal. 44 enim forma præ filijs hominũ, cuius diffusa gratia in labijs eius, inter manus persequentium non habuit speciem neq; decorẽ, & ablata est de terra uita eius. Et recte lugemus, si flagramus desiderio eius. Beati quibus eum licuit ante passionẽ tunc habere præsentem, interrogare sicut uellent, audire sicut audire deberẽt. Illos dies concupierũt uidere patres ante aduentũ eius, neq; uiderũt: quia in alia B dispensatione fuerant ordinati, per quos uẽturus annunciarẽt, non quibus ueniens audirẽt. De his enim Apostolis loquitur dicẽs, Multi iusti & Pro- Matt. 13 phetæ uoluerunt uidere quæ uidetis, & non uiderunt, & audire quę auditis, & non audierũt. In nobis aũt illud impletum est quod idẽ ipse dicit: Venient dies, quando desiderabitis uidere unum de diebus istis, & non poteritis. Qui sancti desiderij flãma uritur, quis hic non lugeat, quis nõ laboret in gemitu suo, quis non dicat: Factæ sunt mihi la- Psal. 41 chrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicit mihi quotidie, ubi est deus tuus? Credimus quippe eũ iam sedentem ad dexteram patris, sed tamen quãdiu sumus in corpore, peregrinamur ab eo, nec de eo dubitantibus uel negantibus & dicẽtibus, ubi est deus tuus, ualemus ostendere. Merito Apostolus eius concupiscebat dissolui, & esse cũ illo: manere autem in carne non sibi optimũ dicebat, sed necessariũ propter nos: ubi cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, quoniam deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: inde tentatio est uita humana super terram: & in hac nocte seculi circuit sicut leo quęrens quem deuoret, non leo de tribu Iuda rex noster, sed leo diabolus aduersarius noster. Ille enim quatuor animaliũ de Apocalypsi Ioannis figuram in se uno exprimens, natus ut homo, operatur ut leo, immolatus ut uitulus, uolauit ut aquila. Volauit supra pennas uentorũ, & posuit tenebras latibulum suũ. Posuit tenebras, & facta est nox, in qua pertranseunt omnes bestiæ syluæ: catuli leonũ rugientes, tentatores uidelicet, per quos diabolus quærit quem deuoret. Non quidẽ habentes potestatem, nisi in eos quos receperint: quia & in Psalmo ipso ita sequit: Quærentes à deo escã sibi. In tã periculosa & tẽtationib. plena huius seculi nocte, quis nõ timeat? quis nõ medullis omnib. contremiscat, ne dignus iudicet qui deuorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Vnde & ieiunandum & orandũ est, & tãto potius, tãto instantius, quãto propinquius & ipsa dominicæ resurrectionis solẽnitate passionisq; celebritate anniuersaria, quodãmodo nobis eiusdem noctis memoria resculpit, ne obliuione deleat, & nos nõ corpore sed spũ dormiẽtes ille rugiẽs deuorator inueniat.

Nam

Nam & ipsa dominica passio quid nobis aliud in A capite nostro Iesu Christo, q̃ ipsam uitæ huius tentationem maxime cõmendauit? Vnde aduenienLuc. 22 te iam mortis suæ tempore Petro dixit, Postulauit satanas uexare uos sicut triticum, & ego orauí pro te, ne deficiat fides tua. Vnde & tu cõforta fratres tuos. Et planè cõfortauit nos per Apostolum. Vnde cum his duobus in monte se ostendit. Nos autem quia tam longum ieiuniũ perpetrare non possumus, ut per tot dies & noctes nihil alimẽtorum sicut illi accipiamus, saltem quantum possumus faciamus: exceptis diebus, per quos certis de causis mos Ecclesiæ prohibet ieiunare, domino deo nostro uel quotidiano uel crebro ieiunio placeamus. Sed nunquid sic à cibo & potu abstinẽtia, per tot dies non potest esse continua? Quanquam tem- B pus humiliandæ animæ quantum potui maxime cõmendaui, tamẽ propter hominum errores, qui per uaniloquas seductiones, & prauas consuetudines nobis molestã pro uobis curam inferre non cessant, tacere non possumus. Sunt quidam obseruatores quadragesimæ delicíosi potius q̃ religiosi, exquirentes nouas suauitates, magis quàm uetères concupiscentias castigantes, qui preciosis copiosis apparatibus fructuum diuersorum quorũlibet uarietates & sapores superare contendunt. Vasa in quibus coctæ sunt carnes tanq̃ immunda formidant, & in carne sua uentris & gutturis luxuriam non formidant. Ieiunant non ut solitam temperando minuant edacitatem, sed ut immoderatã differendo augeant auiditatẽ. Nam ubi tempus re- C ficiendi aduenerit, optimis mensis tanquã pecora præsepibus irruunt, uentresq; distendunt, artificiosis & peregrinis condimentorum diuersitatibus tantum capiunt manducando, quantum dicere nõ sufficiunt ieiunãdo. Sunt etiã qui uinum ita non bibunt, ut aliorum expressionẽ pomorum aliosq; sibi liquores non salutis causa sed iocunditatis exquirant, tanquam non sit quadragesima pię humiliationis obseruatio, sed noue uoluptatis occasio. Quanto enim honestius esset, ut qui propter infirmitatem stomachi aquam potare non poterat, uino usitato & modico sustentaretur. Quid autem absurdius, quàm tempore quo caro arctius est castiganda, tantã suauitatem carni procurare, ut ipsa faucium concupiscentia nollet quadragesi- D mam præterire? Quid inconuenientius, q̃ diebus humilitatis, quando parum uictus omnibus imitandum est, ita uiuere, ut si toto tempore sic uiuatur, uix possint uictum patrimonia sustinere? Cauete ista dilectissimi, cogitate, quid scriptum est,
Eccl. 18 Post concupiscentias tuas non eas. Quod saluberrimũ præceptũ, si omni tẽpore obseruandum est, quanto amplius his diebus, quando ita turpe est, si cupiditas nostra ad inusitatas relaxet illecebras, ut merito culpetur qui non restrinxerit usitatas? Præcipue sane pauperum mementote, ut quod uobis parcius uiuendo subtrahitis, in cœlesti thesauro reponatis. Accipiat esuriens Christus quod ieiunans minus accepit Christianus. Castigatio uolentis, fiat sustentatio non habentis. Copiosæ uoluntatis inopia, fiat necessaria inopis. Copiosa sit etiã in animo placabili & humili misericors ignoscendi facilitas. Petat ueniã, qui fecit iniuriã. Det ueniam, qui accepit iniuriam, ut nõ possideamur à satana, cuius triumphus est dissensio Christianorum. Et hæc enim magni lucri eleemosyna est, debitum relaxare cõseruo, ut tibi relaxet à dño. Vtrunq; opus bonũ cœlestis magister discipulis cõmendauit, dicens: Dimittite & dimittetur uobis, Luca 6 Date & dabitur uobis. Mementote serui illius, cui omne debitũ dominus eius quod donauerat repli cauit, quia conseruo sibi debenti centum denarios misericordiam non rependit, quã de talentorũ decẽ milibus quæ debebat accepit. In hoc genere operis boni nulla excusatio, ubi sola uoluntas tota facultas est. Potest quisque dicere, Ne stomachus doleat ieiunare non possum. Potest etiam dicere, Volo dare pauperi, sed unde non habeo, aut tantum habeo, ut timeam egere si dedero. Quanquam & in his operibus excusationes plerique sibi homines falsas faciũt, quas ueras nõ inueniunt: ueruntamen quis equidẽ dicat, ideo nõ ignoui ueniam petenti, quia me ualitudo impediuit, aut quia manus qua porrigerem non fuit? Dimitte ut dimittatur tibi. Cordis hoc opus est, nullum uel carnis suæ membrum in adiutorium animæ assumit, ut hoc impleat quod rogatur. Voluntate agitur, uoluntate perficitur. Fac securus, nihil in corpore dolebis, nihil in domo minus habebis. Iam uero fratres uidete quid malum sit, ut pœnitenti fratri non ignoscat, cui præceptum est, ut inimicũ adhuc diligat. Quæ cum ita sint, & cum scriptum sit, Sol non occidat super iracundiam uestram, consi- Ephes. 4 derate fratres utrum Christianus sit dicendus, qui uel his diebus inimicitias nõ uult finire, quas nunquam debuit exercere.

Eadem dominica, Sermo II A

QVANTVM domino donante possũmus de carnis resurrectiõe tractemus. Ser. CLVII Supra de tẽpore 147

Hæc est enim fides nostra, hoc donũm in domini nostri Iesu Christi nobis carne promissum est, & in ipso præcessit exemplum. Voluit eũ nobis quod promisit in fine non solum pronunciare, sed etiam demonstrare. Illi quidem qui tunc fuerunt cum illum uiderent, & cum expauescerẽt, & spiritum se uidere crederent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solum uerbis ad aures eorum, sed etiam specie ad oculos eorum. Parúmque erat se præbere cernendum, nisi etiam offerret pertractandum atque palpandum. Ait enim, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda uestra? putauerunt eũ se spiritũ uidere. Quid turbati estis, inquit, & cogitationes ascendunt in cor uestrũ? Videte manus meas & pedes meos, palpate & uidete, quia spiritus carnẽ & ossa non habet sicut me uidetis habere. Cõtra istam euidentiam disputabant homines. Quid eũ aliud facerẽt homines, qui ea quæ sunt hominum sapiunt, quàm sic disputare de deo contra deum? Ille enim deus est, isti homines sunt. Sed dominus nouit cogitationes hominũ, quoniam uanæ

sunt. In homine carnali tota regula est intelligendi, consuetudo cernendi. Quod solent uidere credunt, quod non solent non credunt. Præter consuetudinem facit deus mirabilia, quia deus est. Maiora quidem mirabilia sunt, tot quotidie homines nasci qui non erant, quàm paucos resurrexisse qui erant. Et tamen ista mirabilia non consideratione comprehensa sunt, sed assiduitate uiluerũt. Resurrexit Christus, absoluta res est. Corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emisit animam, positus est in seuplchro, exhibuit illam uiuam, qui uiuebat in illa. Quare miramur? Quare nõ credimus? Deus est qui fecit. Considera authorem, & tolle dubitationem. Querunt ergo homines, utrum corruptio ista corporis, quam sentiunt in carne sua futura sit in resurrectione mortuorum. Dicimus non futuram. Respondẽt nobis, Si corruptio non erit, quare manducabitur? Aut si non manducabitur, quare post resurrectionem dominus mãducauit? Modo cum Euangelium legeretur audiuimus, quia cum exhiberet se uiuum oculis manibusq; discipulorum suorum, parum illi uisum est ad demonstrandam euidentiã corporalem, sed addidit, [Luce 24] Habetis hic aliquid quod manducetur? Et obtulerũt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Manducauit & reliquias dedit eis. Dicitur enim nobis, Si corruptio corporis non resurgit, quare manducauit dominus Christus? Legitis quia manducauit, nunquid legitis quia esuriuit? Quod mãducauit Iesus, potestatis fuit, non egestatis. Si desideraret manducare egeret, rursus si manducare nõ posset, minus ualeret. [Gen. 18] Nunquid & angeli quando suscepti sunt hospitio à patribus nostris non manducauerunt? Et tamen corruptibiles non fuerunt. Rursus dicunt, Resurgunt uitiata? Et respondeť à nobis, Non. Quare ergo, inquiunt, dñs cum suorũ uulnerum cicacricib. resurrexit? Quid adhuc dicimus, nisi quia & hoc potestatis fuit nõ necessitatis? Sic resurgere uoluit, ut quibusdã dubitantib. exhiberet in illa carne cicatrices uulneris, & sanaret uulnus incredulitatis.

Eadem dominica: Sermo III

[Ser. CLIX]

LECTIO Euangelica fratres charissimi, quæ nuper auribus nostris insonuit, cõtinet magnũ miraculũ. Quãuis ubiq; sit dñs, ipsius miraculum continet beneficium, in quo acceperunt discipuli spiritum sanctum. Miraculum est, quòd dominus noster Iesus Christus in carne uera intrauerit ad discipulos per ostia clausa. Requiris à me forsitan rationem, & argumentum requiris. Si uera, inquies, caro fuerat quæ resurrexit, quõ ipsa clausis ianuis ad discipulos introiuit? Itáne uero, inquies, cuiuspiam capit auditus, quod non obseruat opus, & intrare quisquã limen in corpore potuit? Redde mihi, inquit, rationẽ. [Aug. uerba cõtra Felicianum cap. 8] O homo si rationem à me poscis, nõ erit mirabile. Exemplum quæritur, nõ erit singulare. Credis nempe dominũ Christum super aquas maris firmis gressibus ambulasse? Credis utiq;. Dicis igitur mihi, Si per ostia clausa Christus intrauit, ubi est corporis pondus? Recedant paulisper modus & pondus. Ille hæc fecit, cui nihil impossibile est. Christus qui carnem suam potuit de sepulchro producere, non potuit clausis ianuis ad discipulos introire? Qando auditis miraculum, serua fidem, non inquirat animus rationem. Hinc est ꝙ et Thomas discipulus titubauit, nec credidit, sed eum dominus postea confirmauit. Dixerant enim & condiscipuli eius, Vidimus dominum. Ille autem, [Ioan. 20] Nisi uidero, inquit, in manibus eius fixurã clauorum, & mittam digitum meũ in latus eius, non credam. Sciebat enim clauis in cruce cõfixum, sciebat lancea latus percussum. Hæc signa querebat, ideo nõ credebat. Manus quærebat & latus, & dum curiosus existit in uulnere, mortem incurrerat in fide. O beate Apostole, ante oculos tuos Christus Lazarum potuit suscitare, & ipse non poterat de sepulchro surgere? Quæris loca clauorum, & oblitus es miracula tanta signorum? Nónne ante oculos tuos cæcos illuminauit, paralyticos sauauit, leprosos mundauit? Sic perdidisti in triduo memoriam magistri, ut potentiæ nõ crederes Christi. Mors Christi in carne, uita tua debet esse in fide. Vidisti quidem percutientem lancea, sed diuinam non penetrauit potentiam. Ecce iterum uenit dominus, ne periret discipulus, & dicit Thomæ, Infer digitum tuũ huc, & uide manus meas, & affer manum tuã, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. O pietas saluatoris, quæ non dedignatur locum ostendere cicatricis. Respondit Thomas & dixit, Dñs meus & deus meus. Modo est dñs & deus tuus, quia uoluit ut uideres, ne incredulitate animam perderes. Merito ad eum dñs sic loquiť, Quia uidisti me credidisti, beati qui nõ uiderunt & crediderunt. Ecce discipulus trepidauit, ecclesia quod nõ uidit credidit. Beatũ meritũ nostrum fratres, si in ecclesia catholica teneať acceptum. Hic accipitur merces, ubi uera tenetur & cognosciť fides. Hanc igitur ecclesiã Christus sua resurrectione constituit, in hac æterna præmia collocauit. Credite fratres, ille speret requiem, qui nõ discesserit à radice, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Eadem dominica, Sermo IIII

[Ser. CLX]

AVDIVIT charitas uestra, cum sanctũ Euangelium legeretur, dominũ & saluatorem nostrũ Iesum Christũ post resurrectionem suam clausis ostijs introisse ad discipulos suos. Magnum miraculum, sed mirari desinis, si deum cogitaueris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refer ad omnipotentiam, non ad phantasiã. Ostijs clausis intrauit. Respondeo tibi, ut scias quia uera caro fuerat, cicatrices tangendo mõstrauit. Sed sicut nõ est, inquis, naturæ corporalis per ianuam clausam intrare, sic non est naturæ corporalis super fluctus maris ambulare. Intrauit per clausa ostia, respõde mihi, da mihi soliditatem carnis. Ambulauit super aquas maris, da mihi & tu pondus carnis. Vis nosse hoc omnipotentiæ fuisse? Et Petro dedit. Qui quod uoluit dedit, quod proprium erat sibi seruauit. Ille enim uiuens per clausas ianuas intrauit, qui nascendo integrita-

integritatẽ matris nõ uiolauit. Ergo fratres admirati credamus, credẽtes obaudiamus, obaudiẽtes speremus promissa, si faciamus iussa: quia ut faciamus iussa, ipse adiuuat à quo speramus promissa. Hodie octauæ dicunť infantiũ, reuelanda sunt capita eorum, quod est indiciũ libertatis. Habet eñ libertatẽ ista spiritalis natiuitas, proprie aũt carnis natiuitas seruitutem. Duæ sunt utiq; hominis natiuitates, nasci & renasci. Nascimur ad laborem, renascimur ad quietem. Nascimur ad miserias, renascimur ad æternã fœlicitatem. Nam illi pueri, infantes, paruuli, lactantes, maternis uberibus inhærentes, & quantum in eos gratiæ referatur nescientes, ut ipsi uidetis quia infantes uocãtur, & ipsi habent octauas hodie. Et isti senes, iuuenes, adolescentuli, omnes infantes. Vna quippe illorũ infantia pertinet ad uetustatẽ, altera ad nouitatẽ. Nam quos uidetis recentes à partu, ueteres nascunť. Vetus homo noster dictus est Adam, ex quo nascimur: nouus homo Christus, per quẽ renascimur. Isti ergo & noui sunt, & renati sunt ad aliam uitã, & est in illis, si dici potest, quando nascuntur noua uetustas. Ecce miscentur hodie fidelibus infantes nostri, & tanquam de nido uolant. Necesse est ergo, ut parturientes eos alloquamur, Sicut enim recolitis fratres mei, Hirundinum uel domesticorum passerũ pullos quando uolare de nido cœperint, matres cũ strepitu circũuolãt, & uocibus pijs testantur pericula filiorũ. Scimus ergo multos qui appellanť fideles male uiuere, & gratiæ quã acceperunt moribus suis non conuenire, laudare deũ lingua, blasphemare uita. Scimus autem alios inter istos multos tanq; inter multam & abundantẽ paleã uelut grana gementes in tritura, sed spe horrei se collocantes. Duo ista genera hominum scimus esse in Ecclesia. Aream dominicam Ecclesiã nouimus, uentilationem in die iudicij speramus, massam frumenti in resurrectione desideramus. horreum in uita æterna sumere cupimus. Ibi nulla palea erit, sicut in gehenna nullum granum erit. Nunc ergo fratres mei cum sciamus duo ista genera hominũ esse in Ecclesia, piorum & impiorum, bonorum & malorũ, timentiũ & cõtemnentium, quibus coniungantur isti nescimus. Quod aũt uelimus & ipsi sciunt: utrum de illis uota nostra compleantur, humana ignorantia solicitudine fatigatur aliquãdo, & falsis suspicionibus agitať. Ex his discitur in hac terra, ubi sine tẽtatione nõ uiuitur, Admoneo ergo uos sancta germina, admoneo uos nouellæ in agro dominico plantæ, ne de uobis dicať ꝙ de uinea domus Israel dictũ est, [Esa. 5] Expectaui ut faceret uuas, fecit aũt spinas. Botrũ in uobis inueniat, qui botrus pro nobis calcatus est. Vuam ferte, bene uiuite. Fructus enim spũs est, sicut dicit Apostolus, [Gal. 5] charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, fides, continentia, castitas. Quando ad nos uenerit agricola noster, cuius nos operarij sumus, ille qui intus dat incrementũ: nam nos forinsecus plantare nouimus & rigare, sed ait Apost. [1 Cor. 3] Neq; qui plãtat est aliquid, neq; qui rigat, sed deus qui incrementum dat, Qui modo uidet quomodo audiatis, qui modo inspicit quomodo timeatis, aut iam continere incipiatis, cum ad uos ille agricola uenerit, inueniat in uobis quod dixerat Apostolus, Gaudium meum & corona mea, omes qui statis in domino. Fratres, filij dulcissimi, filij charissimi, imitamini bonos, cauete malos. Scio enim quia uenturi sunt ad uos homines mali, & persuasuri uobis uinolentiam, & dicturi sunt uobis. Quare? Nõne & nos sumus fidelissimi? Scio, inde doleo, inde timeo. Iam tu si dixeris cõstanter: frater nec te uellẽ facere ꝗd facis, sed si te non possum ducere in bonũ meũ, uel noli me trahere ad malũ tuũ. Hominib. istis, ut fieri solet, caput dolebit: Dicturus est uicinus tuus aut uicina, Est hic incantator, est hic remediator, & nescio ubi mathematicus. Tu dicis, Christianus sum, nõ licet mihi. Et si ille dixerit tibi, quare? Nõne ego Christianus sum? Tu dicturus es, Sed ego fidelis sum. Et ille tibi, Et ego baptizatus sum. Fiunt angeli diaboli, membra Christi. Quia ipsum possidet inimicus, trahere quærit & alium. Inueniat uos paratos, qui ista uobis præparauit. Ideo loquor, ideo cõtestor, ideo non taceo, ideo uestimẽta mea excutio, ideo in tribunali dei mei excusatum me habeo. Dicam de meo, Domine non tacui, domine talentum quod mihi dedisti non abscõdi, sed erogaui, Hoc poterit mihi dicere, [Matt. 25] Serue nequam, tu dares, ego exigerẽ. Ecce dñe dedi, tu exige. Et si forte uos uetus titillauerit cõsuetudo, habetis quem interpelletis. Maior est adiutor ꝗ oppugnator. Ideo gemitis, ideo oratis, ideo dicitis, [Matt. 6] Ne nos inferas in tẽtationem. Obseruate illud etiam fratres mei, quod supra dicitis, Dimitte nobis debita nostra: ut faciatis quod sequiť, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Eleemosynã facis, eleemosynam accipis. Ignoscis, ignoscetur tibi. Erogas, erogabitur tibi. Deum audi dicentẽ, Dimittite & dimittetur uobis. Date, & dabitur uobis. In mente habete pauperes. Omnibus dico, Facite eleemosynas fratres mei, facite & non perdetis. Deum credite. Non solum dico uobis, non perditis quod facitis cum pauperibus: sed plane dico uobis, hoc solum non perditis, cætera perditis. Ecce uideamus si exhilaratis pauperes hodie, horrea ipsorum uos estis, ut det uobis deus unde detis, & dimittat quod forte peccatis. Includite eleemosynam in cordibus pauperum, & ipsa pro uobis exorabit dominum, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Eadem dominica, Sermo V

[SERMO CLXI]

RETINET sanctitas uestra fratres superiorem tractatũ, in quo scripsimus sanctum Thomã Apostolũ ad cõfirmandam fidem omniũ post resurrectionem dominici corporis membra palpasse, & ad repellendã ambiguitatem uniuersorum, uulnerum eius cicatrices scrutari uoluisse. Nõ enim propter se tantum hoc operatus est beatus Apostolus, sed quod sibi gessit, cunctis proficit. Cum suam enim exercuit solicitudinem, fidem omnium confirmauit. Quis enim ex hoc dubitet redisse à mortuis saluatorem, cuius

cuius post inferos præsentiam agnoscat oculus, at
trectet manus, digitus perscrutet? Quãuis igit mo A
dicæ fidei homo, cuius imbecillis ingenij Christia
nus, nunc solicitudinẽ suam inquisitioni Thomę
æquiparare potuisset. Nunc em post agnitionem
ac conuersationẽ loquela ausus esset petere, ut eti
am tactu Christũ perscrutaret in Christo, & in ipso homine quẽ cerneret hominis corpus inquireret, & resurrectionẽ eius non tam mirabiliũ gloria crederet, cũ passionis iniuria cõprobaret. Thomas ergo cum esset sanctus, fidelis & iustus, hæc omnia solicite requisiuit: nõ q ipse aliquid dubitaret, sed ut omnẽ suspicionẽ incredulitatis excluderet. Nã sufficerat illi ad fidem propriã uidisse quẽ nouerat, sed nobis operatus est, ut tangeret quem uidebat: ut si forte diceremus delusos esse oculos, non
possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In re B
surrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari. Constat enim ueritatis ipsius testimonio redisse ab inferis saluatorem. Quis non spem suam in Christo collocet? Quis non fidẽ suam ponat in domino, ut dum illum credit ab inferis, ipse resurgat à mortuis? Di-
1. Cor. 15 cit beatus Apostolus, Si enim mortui non resurgunt, neq; Christus resurrexit. Quia ergo surrexit Christus, suscitabuntur & mortui: quia resurrexit dñs, & seruuli reuiuiscẽt. Ipse em est, sicut ait Apostolus, primogenitus ex mortuis. Sicut enim est apud superos idem primogenitus in multis fratribus, ita & ab inferis est primogenitus ex defũctis. Primogenitus autem dicitur quis, ex eo quòd secuturis alijs primus gignitur. Primogenitus ergo Christus uocatur ex mortuis, quòd primum illum ex inferni tenebris in lucem resurrectionis partus ædiderit. Partus enim dicendus est, ubi permutatione quadam anima tartari legibus moritur, ut rediuiuo corporis usui renascatur. Natiuitas enim resurrectionis apud superos, mors quædam inferorum est. Vnde ipsa mors mortem quodammodo patitur, dum ei inuitę defunctorũ multitudo sub-
1 Cor. 15 trahitur. Nam sic beatus apostolus dicit, Nouissima aũt inimica destruet mors. Et iterũ, Absorpta est mors in uictoria. Cũ ergo absumit mors in victoria, defectionis quadã suæ internitiõe destruit. Defectionẽ aũt patitur, cũ potestas eius cunctis resurgentibus uacuat. Videamus aũt quid sit quod ait, Mortem in uictoria esse cõsumptam. Consumpta est planè mors in uictoria sua, dum Christum inferni legibus subijciens, ipse se, cum eum uincit, obruit. In eo enim, in quo illum quem se superasse credebat possedit, ab eo uicta est cum resurrexit. Totam ergo fidem nostram in resurrectionis gloria collocare debemus, & in futura magis uita sperare de domino. Sic enim ait sanctus Apostolus, Si in hac uita tantum in Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Miser ergo est qui in hac tantum uita sperat in domino. Miser planè est, quia cito spes eius subducitur, dum cito hæc breuis uita finitur. Nam spes illius caduca efficitur, dum temporali transitu dulcedinis eius uoluptas elabitur. De tali enim spe dicit Apostolus, Spes aũt quæ uidet non est spes. In futura igit Rom. 8
uita speremus in domino, quæ solida est atq; perpetua, ut non miserabiliores cunctis hominibus, sed meliores esse possimus.

Eadẽ dominica, De resurrectione. Ser. VI

ERTISSIMA est fiducia Christiano- Ser. CLXII
C rum, diuinitus promissa resurrectio mortuorũ. Hanc enim ueritas ipsa promisit. Veritas enim mentiri non potest. Alioquin ueritas non est, si mentiri potest. Vera est igitur de resurrectione corporum promissa ueritas: quia ueritas quæ mentiri non nouit, totum necesse est ut impleat quod promisit. Hanc enim resurrectionẽ corporum, ut futuram certissime nouerimus, ipse dominus nobis in suo corpore dignatus est demõstrare. Resurrexit Christus, ut resurrecturum se
non dubitet Christianus. B Quod enim præcessit in capite, sequetur in corpore. Nosse enim debemus dilectissimi fratres, duas esse mortes, & duas esse resurrectiones. Dicitur enim mors prima, dicitur & secunda. Porrò primæ mortis duæ sunt partes: Vna qua peccatrix anima per culpam discessit à creatore suo. Altera qua iudicante deo, exclusa est per pœnam de corpore suo. Mors autem secunda, ipsa est corporis & animæ punitio sempiterna. Per mortem uero secundam anima solius mali hominis in æternum cum corpore suo cruciatur. Vtraque ergo mors omnem hominem tenebat obstrictum, quia naturæ transgressio unumquenque peccatis propagat obnoxium. Venit autem dei filius immortalis & iustus, ut moreretur pro nobis:
in qua carne quia nullum potuit habere peccatũ, C
sine reatu pertulit peccati supplicium. Secundam itaque primæ mortis partem, id est, solius corporis mortem, dei filius pro nobis accepit, per quam à nobis & dominationem peccati, & pœnam ęternæ punitionis exclusit. Hoc ergo Christus in suis fidelibus misericorditer operatur, ut hic eos primo in anima resuscitet, donãs fidẽ ut recte credãt, tribuens charitatẽ, ut bonis operibus libenter insistant. In nouissimo uero die ad hoc eis corpora resuscitare dignabitur, ut eis æternam beatitudinem largiat. Resuscitati ergo in anima per fidẽ dilectissimi fratres, cũ iustitia uiuamus, ut etiã corpore ad æternã lætitiã resurgamus. Discedamus ab operibus malis, quæ mortificant animam, etiam dum uiuit corpus, ut in æternis bonis & anima nostra me
D reat esse & corpus. Seruemus primæ resurrectionis munus, quod nobis per fidem largitus est Christus, ut cum resurrexerimus corpore, mereamur 1 Cor. 15
cum Christo saluatore sine fine regnare. Tunc absorbebitur mors in uictoria. Tunc dabitur fidelibus uera uita, ueraq; lætitia. Tunc deus pro meritis fidei atq; bonorũ operũ dabit suis fidelibus regnum cœlorũ, Qui uiuit & regnat cũ patre & spiritu sancto in uirtute deus, &c.

Eadem dominica, Sermo VII Ser. CLXIII

ASCHA Christi dilectissimi regnum
P est cœli, salus mundi, uita credentium, occasus inferni, gloria supernorum, resurrectio mortuorum, testimonium resurrectionis

nis diuinæ, precium redemptionis humanę cogni
tio mortis abolitæ. Quæ festiuitas dei sacrata my- A
sterio & cognita sacramento, uirtutem dominicæ resurrectionis per angelos indicat, per Apostolos manifestat, per corda credentium bona multi
Psal. 117 plicat. Hic igitur est dies dilectissimi quem fecit dominus, ut audistis celsior cunctis, lucidior uniuersis, in quo dominus resurrexit, in quo sibi nouã plebem, ut ipsi uidetis, regenerationis spiritu conquisiuit, in quo singulorũ mentes gaudio & exultatiõe perfudit. Hic ergo dies resurrectionis Christi, defunctis uita, peccatoribus uenia, sanctis est gloria. Siquidem operatione uirtutis eleuat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis, consummat iustos, firmat dubios, damnat incredulos. Ad hoc enim dominus hodie resurrexit, ut imagi-
nem nobis futuræ resurrectionis ostenderet: & i- B
deo hodie uitali lauacro resurgẽs dei populus ad instar resurrectionis ecclesiã nostrã splendore niuei cãdoris illuminet, gratias agere deo nostro debemus, q dum sancti Paschæ solennitatẽ colimus, futuræ resurrectionis speciem iam uidemus: resurrecturum est humanum genus in seculi consummatione post mortem, nunc resurgit in baptismo: suscitandus est tunc dei populus post soporẽ, nũc suscitatur post infidelitatem: liberandus est tunc à mortali conditione, nunc liberatur ab ignorantiæ cæcitate: renasciturus est ad æternitatem, tunc nascitur ad salutem. Omnes enim qui olim in Christo baptizati, assumere non possunt candidam uestem, conuersationem saltem candidam non relin
quant. Solet sub nigro habitu anima satis pura la- C
titare, nec multum interest, si quis non habet candidam uestem. Talis latro fuit ille qui in Euange-
Luc. 23 lio crucifixus cum saluatore clamasse dicitur: Memento mei domine dum ueneris in regnum tuum. Attendite ergo charissimi & uidete, quid fidelis obtinet, quid meretur? Regnum Saluatoris latro poscit in cruce, & dum pœnæ multitudinem patitur, ad præmia æterna perducitur. Imitamini ergo eius deuotionem, imitamini amare regnum Christi: quod poscit latro moriendo, uos desidera te bene uiuendo. Illius credulitati paradisus aperitur, & nostræ spei æternorum monstratur firmitas præmiorum. Lætemur ergo & exultemus in hac die, in qua dominus resurgens intulit pacem, intulit salutem. Hoc itaque admoneo fratres dilectissimi, ut quotiens paschalis solennitas uenit, quicunq; uiri, quæcunq; mulieres de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fideiussores apud deum extitisse, & ideo semper illis solicitudinem uerę charitatis impendant, & admoneant ut castitatem custodiant, uirginitatem usq; ad nuptias seruent, à maledicto uel periurio linguam refrenent, cantica turpia uel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non inuideant, iracundiam uel odium in corde non teneant, auguria non obseruent, phylacteria & characteres diabolicos nec sibi nec suis aliquãdo suspẽdant, incantatores uelut ministros diaboli fugiãt, fidem catholicam teneant, ad Ecclesiam frequentius currant, contempta uerbositate lectiones di-
uinas attentis auribus audiant, peregrinos accipi A
ant, & secundum quod ipsis in baptismo dictum est, hospitum pedes lauent, pacem & ipsi teneant, & discordes ad concordiam reuocare contendãt, sacerdotibus & parentibus honorem amore uerę charitatis impendant. Hæc ergo omnia & his simi lia si filios & filias uestras admonere contenditis, cum ipsis ad æternam beatitudinem feliciter peruenietis. Nemo se circũueniat, fratres charissimi, nullus homo sibi solummodo uiuat: & sicut frequenter suggessi, quantoscunq; aliquis exemplo sanctæ uitæ ædificauerit, cum tantis & pro tantis mercedem beatæ uitæ retributionis accipiet: & quantiscunq; exemplum malæ conuersationis etiam si non eum illi sequantur præbuerit, pro tan-
tis se malis rationem nouerit redditurum. B Et ideo sicut iam supra suggessi, neophytis nostris auxiliante domino exẽplum bonæ cõuersationis, quantum possumus debemus ostendere, ut nõ pro illorum destructiõe pœnam recipere, sed potius pro ædificatione ad indulgentiam peccatorum mereamur peruenire, præstante domino nostro Iesu Christo.

Eadem dominica, ad baptizatos, ut bonos non malos in Ecclesia imitent: Sermo VIII

ODIERNA die qui baptizati sunt in A
H Christo & regenerati, alloquamur eos SERMO
& uos in eis, & ipsos in uobis. Ecce fa- CLXIIII
cti estis mẽbra Christi. Si cogitetis quid facti estis,
omnia uestra ossa dicent, Domine quis similis ti- C Psal. 34
bi? Non enim digne cogitari potest illa dignatio dei, defecit omnis sermo, sensusq; humanus, uenisse uobis gratuitã gratiam nullis meritis præcedentibus. Ideo & gratia dicitur, quia gratis datur. Quam gratiã? Vt sitis membra Christi filij dei, ut sitis fratres unici. Si ille unicus, unde uos fratres, nisi quia unicus natura, uos gratia fratres facti? Quia ergo membra Christi facti estis, admoneo uos, timeo de uobis, non tantum à Paganis, non à Iudæis, non ab hæreticis, quantum à malis catholicis, Eligite uobis de populo dei quos imitemini. Nam si turbam imitari uolueritis, inter paucos angustam uiam ambulantes non eritis: abstinete uos à fornicatione, à rapinis, à fraudibus, à periurijs, ab illicitis rebus, à iurgijs: ebrietas repellatur à uobis: adulterium sic timete quomodo mortem,
mortem nõ quæ animam soluit à corpore, sed ubi D
anima semper ardebit cum corpore. Fratres, fratres mei, filij mei, filiæ meæ, sorores meæ, scio agere diabolũ partes suas, nec quiescere loqui in cordibus eorum, quos obligatos suis uinculis tenet, scio fornicatoribus, adulteris qui cõtenti nõ sunt cõiuge sua, dicere diabolum in cordibus eorum, non sunt magna carnis peccata. Cõtra hanc diaboli susurrationẽ debemus habere Christi incarnationem. Hoc est unde Christianos decipit inimicus per carnis illecebras, cum eis facit leue quod graue est, lene quod asperũ est, dulce quod amarũ est. Sed quid ꝓdest quia satanas facit leue, quod Christus ostendit graue? Nunquid nouũ aliquid facit diabolus

diabolus dicere Christianis fidelibus, nihil graue
est quod facis in carne tua peccans? Nunquid in A
spiritu facile deletur carnis peccatũ, facile à deo ue
nia datur? Quid facit magnũ? Artificiũ suum facit
Gen.3 quod in paradiso dixit. Manducate, & eritis sicut
dij, nequaquam moriemini. Deus dixerat, Qua
die mãducaueritis, morte moriemini. Monet ami
cus & ait, Non moriemini, sed aperientur oculi ue
stri & eritis sicut dij. Dimissa est iussio dei, & audi
ta est persuasio diaboli: tunc inuẽta est uera iussio
dei, & falsa deceptio diaboli. Nunquid profuit, ob
secro uos, quia dixit mulier, serpens seduxit me?
Nũquid ualuit excusatio? Si ualuit excusatio, qua
re secuta est dãnatio? Ideo uobis dico fratres mei,
filij mei, qui habetis uxores, ut nihil aliud noueri-
tis: & qui non habebitis & ducere uultis, integri
uos ad eas seruate, sicut integras uultis inuenire.
Vos qui continentiam deo uouistis, nolite intro-
spicere. Ecce dico uobis, ecce clamo uobis, ego
me absoluo: erogatorem me posuit deus, non ex-
actorem, sed tamẽ ubi possumus ubi datur locus,
nõ cesso: ubi scimus, corripimus, obiurgamus, ana
thematizamus, excommunicamus, & tamen non
corrigimus. Quare? Quia neq; qui plãtat, aliquid
est, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat deus.
Modo qui loquor, qui moneo, quid opus est nisi
exaudiat me deus pro uobis, hoc est, in cordib. ue
stris? Breuiter dico, & uobis cõmendo, & fideles
terreo, & uos ẹdifico. Membra Christi estis, nolite
1 Cor.6 me, sed Apostolũ audire, Tollens, inquit, membra
Christi, faciã mẽbra meretricis? Sed dicit aliquis,
Meretrix non est quam habeo, cõcubina mea est.
C
O sancte Episcope, meretricẽ fecisti concubinam
meam. Nũquid ego dixi? Apost. clamat, & ego in
curri calumniam. Ego uolo te esse sanum, quare in
me furis sicut insanus? Habes uxorem qui hoc di-
cis? Habeo, inquis. Bene, uelis nolis illa quæ præ-
ter uxorẽ tecũ dormit, meretrix est. Ecce uade &
dic ei, quia iniuriã tibi fecit Episcopus. Habes uxo
rem legitimã tuã, & alia tecũ dormit, quęcũq; est il
la, iam dixi, meretrix est. Sed seruat uxor tua tibi fi
dem, nec nouit aliũ nisi te solum, & non disposuit
se nosse alterũ. Cum ergo illa sit casta, tu quare for
nicaris? Si illa te unũ, quare tu duas? Sed dicis, an-
cilla mea concubina mea est, nunquid ad uxorem
alienam uado? nunquid ad meretricem uado pu-
blicam? an nõ licet mihi facere in domo mea quæ
uolo? Dico tibi, non licet. In gehennã uadunt qui
hoc faciunt, in sempiternum ignem ardebunt. Vel
hic liceat mihi loqui & dicere, Corrigant se qui ta
les sunt dum uiuunt, ne postea uelint & non pos-
sint, quia subito uenit mors, & non est qui corriga
tur, sed ut in ignem mittatur, Nam quando ueni-
at illa nouissima hora nescitur, & dicitur, corrigo.
Quando corrigis, quando mutaris? Cras, inquis.
Ecce quotiens dicis, cras cras, factus es coruus, Ec
ce dico tibi cum facis uocem coruinã, occurrit ti-
Gen.8 bi ruina. Nam ille coruus cuius uocẽ imitaris, ex-
ijt de arca & nõ redijt. Tu autem frater redi in Ec
clesiam, quam tunc illa arca significabat. Sed uos
me audite, O baptizati, audite me per sanguinem
Christi qui estis renati, obsecro uos per nomẽ q̃d
super uos inuocatum est, per illud altare ad quod
accessistis, per sacramenta quæ accepistis, per iu-
dicium futurum uiuorum & mortuorũ. Obsecro
uos, obstringo uos per nomen Iesu Christi, ut non
imitemini eos quos infideles esse cognoscitis, sed
illius sacramentum maneat in uobis qui de ligno
descendere noluit, sed uoluit de sepulchro resur-
gere, Amen.

Item in eadem dominica Homilia, de eo quod Ioan.20
scriptum est in Euãgelio secundũ Ioannem. Cum
sero esset die illa una sabbatorum, &c. quæ habe-
tur in expositione doctoris Ibidem.

Dominica prima post octauas paschæ, De pa A
storibus, Sermo unus, qui habetur in Tomo no- SERMO
no, columna 1053 CLXV

Item eadẽ dominica Homilia, de eo quod scri- B
ptum est in Euangelio secundum Ioannem, Ego Ioan.10
sum pastor bonus, &c. quæ habetur in expositio-
ne doctoris Ibidem.

Dominica secũda post octauas paschæ, De pa
ce & unitate, Sermo I Ser. CLXVI.

L EGIMVS in Euãgelio fratres charissi
mi quòd Saluator & dominus noster
cum appropinquaret passioni, & tran
situm suum de hoc mundo ad patrem discipulis in
sinuaret, inter alia uerba quæ ob sui commemora
tionem dilectis comitibus suis impenderat, maxi-
me pacis bonum & unitatis quasi speciale munus
illis commendauit, dicẽs, Pacem meam do uobis, Ioan.14
pacem meam relinquo uobis: ac si diceret, In pace
uos dimisi, in pace uos inueniam. Proficiscens uo
C luit dare, quæ desiderabat rediens in omnibus in-
uenire. Hanc suis hæreditatem dedit, dona omnia
suæ pollicitationis & præmia, in pacis cõuersatio-
ne promisit. Atque ideo fratres, si hæredes Chri-
sti esse uoluerimus, in eius pace esse & manere de-
bemus. Pacem nobis sicut audistis, Christus dedit,
concordes atq; unanimes esse præcepit, dilectio-
nis & charitatis fœdera incorrupta atq; inuiolata
mandauit. Cuius pacis ornamẽta mirabiliter alio
ostendit loco dicens: Beati pacifici, quoniam filij Matt.5
dei uocabuntur. Et si filius dei incipit uocari qui
pacificus esse iam cœpit, nõ uult filius dei dici qui
pacem noluerit amplecti, negat deum sibi patrem
D qui pacificus esse contemnit. Pacificos ergo esse
oportet dei filios, corde mites, sermone simplices,
affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis
nexibus cohærentes. Sed hæc pax cum bonis &
dei pręcepta seruantibus custodienda est, nõ cum
iniquis & sceleratis, qui pacem inter se habent in
peccatis suis. Pax Christi ad salutem sempiternam
proficit, pax quæ in diabolo est, ad perpetuam ue
nit perditionẽ. Pax cum bonis, & bellũ cum uitijs
semper habendum est, mala siquidẽ impiorũ ho-
minũ odio habenda sunt. Nã homines ipsi, quãuis
mali sint, amandi sunt, quia creatura dei sunt: pax
uero quæ in bonis est, concordiã fratrũ & charita-
tẽ copulat proximorũ. Pax spiritũ specialiter dei
promereẽ, pax dilectionis mater est, pax indicium
est sanctitatis, de qua dominus per Prophetã ait,
Pacem

Zach.8 Pacem & ueritatẽ diligite. Pax plebis sanitas, glo
ria sacerdotis, & patriæ lætitia, & terror hostiũ si-
ue uisibilium siue inuisibilium. Omnibus uiribus
pax est custodienda fratres, qa semper in domino
manet qui in pace sancta manet, & cũ sanctis dei
societatẽ habet. Sacerdotis est, in pace populũ ad-
monere quid debeat agere: populi est, in humilita
te audire quę monet sacerdos. Quicquid nõ licet,
pastoris est prohibere ne fiat: plebis est audire ne
faciat, atq; unitatis uinculũ, omnes debent prælati
simul & subditi in fide et dilectione per omnia ser
uare, quia sine pace non suscipitur sacerdotis ora-
tio, nec plebis oblatio. Si ergo uolumus uelociter
à deo exaudiri, et gratãter munera nostra ab eo ac
cipi, debemus utiq; in pace cõuersari. De qua nos
Matt.5 ipsa ueritas instruere dignata est, Si offers, inquit, B
munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris qa fra
ter tuus habet aliq̃d aduersum te, relinque ibi mu-
nus tuũ ante altare, et uade prius recõciliare fratri
tuo, & tũc ueniens offeres munus tuũ. Quia ergo
unitatem nostrã & concordiam deus desiderat, o-
stendit ipse saluator in Euãgelio ad patrem ita lo-
Ioan.17 quens, Pater, inq̃t, sancte, serua eos in nomine tuo
quos dedisti mihi, ut sint unũ sicut et nos. Vnde et
1 Cor.1 Apostolus fideles adhortaẽ dicens, Obsecro uos
fratres, ut idipsum sapiatis, & unũ dicatis omnes.
Ephes.4 Et itẽ, Non sit, inquit, inter uos zelus & cõtentio.
Omnis amaritudo, & ira & indignatio & clamor
& blasphemia tollaẽ à uobis cum omni malitia. Itẽ
alibi ait, Sustinẽtes inuicẽ in charitate, soliciti ser-
uare unitatem spiritus in uinculo pacis. Vnũ cor- C
pus et unus spiritus, sicut uocati estis in una spe uo
cationis uestrę: Hęc itaq; unanimitas sub Aposto
lis olim fuit. Sic nouus credẽtium populus, domi-
ni mandata custodientis, charitatẽ suã tenuit, pro
Act.2 bat scriptura quæ dicit, Turba aũt eorum qui cre-
Act.1 diderant, unũ anima & mẽte agebant. Et iterũ, Et
erant perseuerantes omnes unanimes in oratiõe,
cũ mulieribus & Maria quæ fuerat mater Iesu, &
fratribus eius. Et ideo efficacib. precibus orabãt,
ideo impetrare cũ fiducia poterant quodcunq; de
dei misericordia postulabãt. In nobis uero sic una
nimitas diminuta est, ut & largitas operationis in-
fracta sit. Domos tunc uenundabant, & thesauros
sibi in cœlo reponentes, distribuenda in usus indi
gentiũ precia Apostolis offerebant: at nunc de pa D
trimonio nec decimas damus. Et cum uendere iu-
beat dñs, emimus potius & augemus. Sic in nobis
emarcuit uigor fidei, sic credentiũ robur elanguit.
Et idcirco dominus tempora nostra respiciens, in
Euangelio suo dicens ait: Filius hominis cum ue-
Luce.18 nerit, putas inueniet fidem in terra? Videmus fieri
quod ille prædixit, in dei timore, in lege iustitię, in
dilectiõe, in opere fides est. Nemo futurorũ metũ
cogitat. Diẽ & iram domini, & incredulis uẽtura
supplicia & statuta perfidis æterna tormẽta nemo
cõsiderat, quę metueret cõscientia nostra si crede
ret: qa nõ credit, omnino non metuit: si aũt crede-
ret, & caueret: si caueret, & euaderet. Excitemus
nos quãtũ possumus dilectissimi fratres, et somno
inertiæ ueteris abrupto ad obseruanda & gerẽda
domini præcepta uigilemus. Simus tales quales
A nos esse ipse præcepit dicẽs: Sint lumbi uestri præ Luc.12
cincti & lucernę ardẽtes, & uos similes hominib.
expectantibus dominũ suũ quando reuertatur à
nuptijs, ut cũ uenerit & pulsauerit, aperiant ei. Et,
Beati serui illi, quos aduenientes dominus inuenerit
uigilãtes. Accinctos nos esse oportet, ne cũ expe-
ditionis dies uenerit, impeditos & implicatos ap-
prehẽdat. Luceat in bonis operib. nostrũ lumẽ &
fulgeat, ut ipsum lumẽ nos ad lucẽ charitatis æter
næ de hac seculi nocte ꝓducat, q̃ cũ Christo, q̃ est
uerę pacis author, & cũ sanctis angelis eius ęterna
pace & perpetua felicitate fruatur, præstante dño
nostro Iesu Christo q̃ cũ patre & spiritusancto ui-
uit & regnat deus ꝑ omnia secula seculorũ, Amen.

Item in eadem dominica Homilia de eo quod B Ioan.16
scriptum est in Euangelio secundum Ioannẽ, Mo
dicum & iam uidebitis me, & cætera: quę habetur
in expositione doctoris, Ibidem.

Dominica tertia post octauas Paschæ:
Sermo I.

Hic sequebatur sermo de uerbis secũdum Io- SERMO
annem, Pacem meam do uobis, &c. quod habes CLXVII
de uerbis domini numero LVI.

Eadem dominica, de dilectione inimicorum:
Sermo II.

N diuinis uoluminibus fratres charissimi, SERMO
I ita dispensauit spiritussanctus ut & sanis or CLX-
namenta, & ægrotis spiritalia medicamẽta VIII
deesse non possint. Quã rem ego domino donãte
cognoscens, unde animarũ remedia possitis acci-
pere, spiritalia antidota studui, puidere. Collegi er
go quantũ potui paucos de amœnissimis scriptu-
rarum mõribus flores, unde sicut iam dictũ est, &
ægrotis medicamẽta conficerẽ, & de thesauro cœ
lesti preciosissimas margaritas à peccatorũ corru-
ptione liberis ornamenta cõponerẽ. Primũ medi-
camentũ est animę ægrotanti plena & perfecta di
lectio, per quã possit non solũ amicos, sed etiã ini-
micos diligere. Quã rem qualiter fidelis Christia-
nus credere, tenere & obseruare debeat, de ueteri
ac nouo testamento, prout potuimus, unicũ ac sin
gulare remediũ animarũ pro amore inimicorum
pauca capitula excerpsimus, quę unusquisq; si nõ
discutiẽdo sed credendo susceperit, & peccatorũ
suorũ indulgentiã accipiet, & ad æternam beatitu
dinẽ deo auxiliãte perueniet. In primis cõsideran-
dum est quanta in beato Iacob fuerit charitas, ut
odientẽ se fratrem suũ maluerit in longinquis re-
gionibus fugere quàm uicẽ odij repensare: quẽ si-
cut uitare sciuit, ita odisse nesciuit, & reuersus mul
tis muneribus, ut eum sibi placatũ faceret, honora
uit. Deinde attẽdendũ est q̃ benigna fuerit etiam
erga inimicos antiquorũ sanctorũ charitas. Nã be
atus Ioseph ꝑ parricidij crimine impijs et inimicis
fratrib. suis non odij amaritudinem, sed charitatis
dulcedinẽ repẽsauit. Osculabaẽ enim singulos, & Gen.45
per singulos flebat, quibus nõ solum nihil mali re
pendit, sed omnia bona retribuẽs tam uiuo q̃ mor
tuo patre, germano semper amore dilexit. Beatus
quoq; Moyses cũ frequẽter eum populus rebellis
non

non ſolum contēnere, ſed etiã lapidare uellet, diui
næ charitatis memor, ita pro illis dño ſupplicabat A
Exod.32 ut clamaret & diceret, Si nõ dimiſeris peccatũ po
puli tui, dele me de libro tuo quẽ ſcripſiſti. In ipſo
eũ ueteri teſtamento legimus ſcriptũ, Itinera eo-
rum qui iniuriã retinent malefacti in mortẽ. Et ite
Leuit.19 rũ, Ne memor, inquit, ſis iniuriæ ꝓximi tui. Et ite-
Exod.33 rum: Si uideris aſinũ inimici tui iacentẽ in luto, nõ
præteribis niſi prius alleues eũ. Quo loco diligen-
ter unuſq; ſq; conſideret, ꝙ ſi aſinũ inimici nõ licet
in luto dimitti, quãto magis homo ad imaginẽ dei
factus non debet odio haberi nec negligi. Beatus
quoq; Iob ita uerã & perfectã charitatẽ etiã cum
inimicis fideliter retinebat, ut gaudẽs & libera cõ
Iob.31 ſcientia ad deũ diceret, Si gauiſus ſum ad ruinam
inimici mei, & exultaui in eo ꝙ inueniſſet eum ma
lũ, uel ſi in corde dixi, bene. Beatus quoq; Dauid,
licet uirtutib. multis fuerit exornatus, nulla tamen
eum actio familiarius deo cõiunxit q̃ dilectio ini
1.Reg.16 micorũ ſuorũ. Cui cũ inimicus ſuus in faciẽ maledi
ceret, maluit tamen parcere & dei iudicio reſerua
re, q̃ ſuæ iracundiæ ſatisfacere. Et in tantũ nõ fuit
ſimulata nec uel falſa dilectio ſua, ut ipſos etiã ad-
uerſarios ſuos fleret, et in illis qui eos occidere præ
ſumpſerant uindicaret. Ideo ſecurus in pſalmo di-
cebat illud, qd' omẽs homines ſatis attento & tre-
Pſal.7 menti animo dicere debẽt, Si reddidi, inqt, retribu
entibus mihi mala, decidã merito ab inimicis meis
inanis. Perſequat inimicus animã meã & compre
hendat, & conculcet in terra uitã meã, & gloriam
meã in puluerẽ deducat. Ecce quali maledicto ſe- C
ipſum cõdẽnat, q̃ de inimicis diligẽdis dei præcep-
ta cõtemnens, odiũ in corde ſeruare non meruit.
Vnde cõſiderandũ eſt qua fronte uel qua cõſcien
tia uerſiculũ iſtũ ex ore ſuo proferre poterit, q̃ ini-
micis ſuis mala ꝓ malis retribuit. Per Salomonem
Prou.24 quoq; ſpirituſſanctus clamat & dicit, Cũ ceciderit
inimicus tuus, ne gaudeas, ne forte uideat deus, et
diſpliceat illi, & auertat iracũdiã ſuã ab eo, & utiq;
cũ illo auerterit, ad illum dirigat qui de inimici rui
Prou.17 na gaudebat: ſecundũ illud, Qui in ruina lætat al-
Eccle.28 terius, nõ erit impunitus. Itẽ ibi, Homo homini re
ſeruat irã, & à deo quærit medelã? Et in hominem
ſimilem ſibi non habet miſericordiã, &c. Ipſe cum
caro ſit reſeruat irã, & propitiationẽ quærit à deo,
quis exorabit ꝓ delictis ipſius? Dicit quidẽ in ue-
teri Teſtamẽto, Diliges ꝓximum tuũ & odio ha-
bebis inimicũ tuũ. Sed qui ſano intellectu ſcriptu-
rę diuinę ſenſum agnoſcere cupit, ſentẽtiã iſtã hoc
modo intelligat, ut diligat omnẽ hominẽ ꝓximũ
ſuum, odio habeat diabolũ inimicũ ſuum. Quod
etiam in uno homine malo impleri poteſt. In ipſo
eũ uno q̃ malus eſt, & proximũ habes & inimicũ.
Nã ꝙ homo eſt, ꝓximus tuus eſt: ꝙ malus eſt, non
ſolũ tuus ſed etiã ſuus inimicus eſt: dilige ergo in
eo carnẽ & animã, hoc eſt, ꝓximum tuum quem
deus fecit, & odio habe malitiã quã ipſo conſenti-
ente diabolus intromiſit. Quod cum ſancto et pio
animo feceris, uices cœleſtes medici agis, odio ha
Prou.25 bens morbũ, & diligẽs ægrotũ. Item per Salomo-
Rom.12 nẽ loquit ſpirituſſanctus, Si eſurierit inimicus tu-

us ciba illũ, ſi ſitit potũ da illi: hoc eũ faciens, car-
bones ignis congeres ſuper caput eius. Hoc ergo
loco cum grãdi diligẽtia obſeruãdum eſt, ne forte
dum eũ bene nõ intelligimus, de medicamẽtis no
bis uulnera faciamus. Solent eũ nõnulli hoc præ
ceptum quaſi ad ſatiandũ furorem ſuũ aſſumere.
Dicunt eũ apud ſe, Ecce cibo inimicum meũ ut
ardeat in æternũ. Auertat deus huiuſmodi intelli-
gentiã ab animis noſtris. Qualiter ergo accipi de-
beat locus iſte, ſancti et antiqui patres reuelãte ſpi
rituſancto definierũt, ſi eſurierit inimicus tuus, ci-
ba illũ, &c. hoc eũ, inquit, faciens carbones ignis
cõgeres ſuper caput eius. Caput in homine ſenſus
rationalis intelligit: qui ſenſus cũ à feruore chari
tatis recedẽs factus fuerit frigidus, unde ſcriptum
B eſt, Quia abundauit iniquitas, refrigeſcit charitas Matt.24
multorũ: neceſſe eſt ut quod obeſt ſaluti cõtrariũ
ſapiat, ut cui deberet eſſe amicus, inimicus exiſtat.
Ad ſanãdum ergo talem phreneticũ, homines ſan-
ctos & charitatis igne ſuccẽſos hortat ſpirituſſan-
ctus dicẽs, Carbones ignis congeres ſuper caput
eius. Cũ enim inimico tuo pio animo frequentius
bene feceris, quamlibet ſit impius & crudelis, bar
barus & cruentus: tamen tandẽ aliquando erube-
ſcit & dolet, & pœnitere incipit quod admiſit. Nã
cũ pœnitẽtiã cœperit agere, ſenſus rationalis, hoc
eſt, caput ipſius incipit charitatis igne ſuccendi: et
q̃ prius quaſi frigidus & phreneticus cõtra te con
ſueuerat iracundiã retinere, ſpiritali calore de tua
bonitate ſuccẽſus incipit toto corde diligere. Ec-
ce quõ ſancti patres hũc ſcripturæ locũ intelligen
dũ eſſe dixerũt. Nã abſit à ſenſu catholico, ut eo a-
nimo quiſq; boni aliquid inimico ſuo conet impẽ
dere, ut eũ pro hoc beneficio uelit æterno incẽdio
cõcremari. Vnde cum grãdi cautela de pace fidei
conſiderandum eſt, & timẽdum ne ſequamur lite
ram occidentẽ, ſed magis ſpiritũ uiuificãtẽ diliga-
mus. Et illud fratres chariſſimi, cũ grandi tremore
conſiderare debemus, quod in pſalmo terribiliter
ſpirituſſanctus dixit. Cum eũ illã cœleſtem Hie-
ruſalem, id eſt, congregationẽ omnium ſanctorũ,
quæ cũ Chriſto eſt regnatura, ad laudãdum domi
num ꝓuocaret, cum dixiſſet, Lauda Hieruſalẽ do Pſal.147
minũ: addidit, Qui poſuit fines tuos pacẽ. Ergo ut
ipſi uidetis, Hieruſalẽ illa cœleſtis muros de pace
D conſtructos habet. Qui eũ talem pacem & talem
charitatẽ habet, ut omnes homines diligat, & pro
bonis oret ut meliores fiant, pro malis ſupplicet
ut cito ſe corrigant, de qua parte uoluerit intrare,
illius cœleſtis Hieruſalem portas apertas merebi
tur inuenire: qui aũt nõ uult habere talem charita
tem, qualem & Chriſtus præcepit & Apoſtolus
docuit, ex omni parte Hieruſalẽ portas clauſas in
ueniet. Et quia oleũ charitatis habere noluit, clau
ſis ianuis ſpõſi cũ illis fatuis uirginibus illam me-
tuendam audiet uocem, Amen dico uobis neſcio Matt.25
uos unde ſitis. Quomodo enim illis quinq; uirgi-
nibus quæ charitatis oleũ habuerunt, illa cœleſtis
Hieruſalem aperiet ianuas ſuas, ut intrẽt in gaudi
um domini ſui: ſic illis econtrario qui ſine charita
te uiuũt claudet, & ęterna à ſe ſeparatione repel-
let, &

let, & implebitur illud quod in pſalmo dicitur de
Hieruſalem, Quoniã inquit, cõfortauit ſeras por- A
tarum tuarum. Clauſis portis & confirmatis ſeris
nunquam exiet amicus, nunquam intrare poterit
inimicus: qa ſicut iuſtus nunq̃ erit exiturus à glo-
ria, ita & peccator nunq̃ poterit liberari à pœna.
Et ideo ſi uolumus ut ab iſtis malis nos dignet di-
uina pietas liberare, ut feliciter ad illam cœleſtem
Hieruſalẽ mereamur intrare, totis uiribus labore-
mus, ut in nobis impleat illud quod Apoſtolus di
Rom.8 xit: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribu-
latio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nudi
tas, an periculum, an gladius? Et illud, Certus ſum
enim, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq;
principatus, neq; poteſtates, neq; altitudo, neq; ꝓ
fundum, neq; inſtantia, neq; futura, neq; creatura B
aliqua poterit nos ſeparare à charitate dei, quę eſt
in Chriſto Ieſu dño noſtro. Ecce ſicut audiſtis, bea
tum Apoſtolum & apoſtolicos uiros tãta ac tam
terribilia à charitate dei ſeparare non poterãt. Vn
de nimis dolendum eſt, quòd cum illi à charitate
dei ne tormentis poteran: ſeparari, nos interdum
ocioſis fabulis ſeparamur, & nonnunq̃ ob paruiſ-
ſimum conuiciũ & cuiuſcunq; miſeri hominis de-
tractionem, ita derelinquimus charitatẽ, ut nõ ſo-
lum cum eo multis diebus, ſed etiã menſib. fortaſ-
ſis & annis nec loqui nec ad cõuiuiũ peruenire ue
limus: & nõ attẽdimus quia dum nos inuicẽ odio
1.Ioan.4 habemus, ita muros ciuitatis Hieruſalẽ cõtra nos
claudimus, ut nullus nobis aditus ꝓmaneat ꝓ quẽ
intrare poſſimus Et qa ciuitas illa habitatorẽ deũ C
habet, dicẽte Ioãne Euãgeliſta, Deus charitas eſt:
q̃ charitatẽ habere noluerit, qua fronte uel qua cõ
ſcientia ad dominũ qui eſt charitas præſumit acce
dere? Hæc omnia fratres chariſſimi, dum uobis pa-
terna pietate frequẽter inſinuo, abſoluo apud deũ
cõſcientiã meã. Et quia nullus unquã erit qui ſe in
ueritate ualeat excuſare ꝙ ueram pacẽ & ueram
charitatẽ tenere non poſſit, totis uirib. miſericor-
diam dei deprecemur, ut nobis illã charitatẽ, ſine
qua nullus unq̃ deũ uidebit, inſinuare, & donare
dignetur, ut nullis nec tormẽtis nec dãnis ac per-
ſecutionib. ab illius dilectiõe uel dulcedine ſepa-
remur. Si iubetis, iã nõ eſt opus ut prolixiori uos
ſermõe diutius fatigemus: & ideo iam iſta quæ ad
præſens dicta ſunt, ueſtræ charitati ſufficiãt, dum D
hæc deo placita q̃ accepiſtis ſanctis cogitatiõibus
uelut mũda animalia aſſidue ruminatis, et qualiter
ea cũ dei adiutorio poſſitis adimplere, in ueſtris a-
nimis definitis. Ea quę ſequunt de amore inimico
rum, aut die craſtino, aut certe die dominico abſq;
aliqua laſſitudine corporis opportunius audietis.

Item in eadem dominica Homilia, de eo quod
Ioan.16 ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Ioannẽ, Va-
do ad eum qui me miſit &c. quæ habetur in expo-
ſitione doctoris, Ibidẽ, Et inter ſermones De uer-
bis domini LX. & LXI.

SERMO CLXIX. Dñica in Rogationibus, de pace: Sermo I.

Matth.5 F ELICES pacifici, quoniã filij dei uoca-
bũtur. Meritum Chriſtianæ uirtutis uile-
ſcit in cunctis, ſi unitatẽ non habet pacis,
nec peruenit ad uocabulum filij niſi per nomẽ pa
cifici. Pax eſt quæ expoliat hominẽ ſeruitute, dat
nomẽ ingenuũ, mutat cum cõditione perſonam,
ex famulo liberum, filium facit ex ſeruo, deum pa-
trem uocat, & cõmutat ſeruũ in filio, amicum fa-
cit ex deo, patrem ex domino. Sic ſic facit, qui nõ
uult perire quod facit: felices pacifici, quoniã filij
dei uocabuntur. En filius dei eſſe incipit, qui paci
ficus eſſe cœpit. Nõ uult dici qui pacificus nolue-
rit inueniri: negat ſibi patrem deum, qui hæres pa
cis eſſe nequiuit. Seuerũ ſenſurus eſt deum, quem
clementem blandumq̃ dedignatus eſt patrem. Fe
lices pacifici, quoniã filij dei uocabuntur. Gaudea
mus hoc nomine quaſi filij & hæredes dei, cohęre
des autem Chriſti. Quanta eſt huius pacis retribu
tio, hęreditatẽ poſſidere cum Chriſto, ſubſtãtiam
patris habere cũ filio, cœleſte regnum participari
cum domino, & in cõſortiũ perpetuitatis admitti
cum dño? Quę ſit hęc prauitas morũ, inuidere me
lioribus atq; in ſordidioribus hęrere, adoptati uic-
toriam perdere, ac nolle hæreditatẽ regnorũ cœ
leſtiũ poſſidere? Etenim filiũ ſe dei & cohęredem
denegat Chriſti, q̃ recuſauerit patris regimine gu-
bernari. Pax, concordia fratrum, ſicut ſcriptũ eſt,
In trib. placuit ſpiritui meo, quæ ſunt probata co- Eccl.25
rã deo & hominibus: cõcordia fratrũ, & amor pro
ximorũ, & uir & mulier cõſentientes ſibi. Concor
dia ergo fratrũ, uoluntas dei eſt, iucũditas Chriſti,
ꝓfectio ſanctitatis, iuſtitiæ regula, materia doctri-
næ, morũ cuſtodia, atq; in rebus omnibus laudabi
lis diſciplina. Pax ſuffragiũ precum & ſupplicatio
num, facilis atq; impetrabilis, quia deſideriorũ om
niũ cõpetẽs eſt plenitudo, ſicut ſcriptũ eſt in Apo
ſtolo: Pax conuentionis amabilem deo facit in fra
tribus, quę charitatis indicat teſtimoniũ. Pax ergo
dilectionis mater eſt, concordiæ uinculũ, ac purę
mẽtis iudiciũ manifeſtum, quia ſibi exigit de deo
ꝙ uelit quicquid uoluerit, petat, & q̃cquid uolue-
rit ſumat. Pax præceptis regalibus cõſeruãda eſt,
domino Chriſto dicente, Pacẽ meam do uobis, pa Ioan.14
cẽ meã relinquo uobis. Qui diſcipulus Chriſti eſt,
Chriſti pręcepta ſeruat. Seruare mandatum, eſt pa
cem in omnib. cuſtodire. Nam diuidere unitatẽ,
non eſt magiſtrum ſequi, ſed ius mandatum calca
re. Sequi enim Chriſtum, eſt habere pacem: & nõ
ſequi qd' pacis eſt, hoc eſt hoc habere in magiſtro
ex parte quod diligas, & ex parte quod damnes. Il
lud eſt amare doctorem, doctoris mandata in om
nibus cuſtodire, dicentis, Pacem meam do uobis,
pacem meam relinquo uobis. Licet fratres in pa-
ce protrahere moras, delectat hoc dixiſſe frequen
ter, & iterum atq; iterũ præconari, Pacẽ meam do
uobis, pacem meam dimitto uobis. In pace uos di
mitto, in pace uos dimiſi, in pace uos inueniã. Pro
ficiens uoluit dare, quod deſiderabat rediens in
omnibus inuenire. Conſultũ uoluit eſſe cui dede-
rat, qui uſq; ad regreſſum ſuum ſeruare quod pręſ-
titerat, imperabat. Quid ergo facturus eſt homo
cum uenerit deus, & quæſitũ non inuenerit quod
donauit? qua excuſatiõe uſurus, qui pacem ſeruã-
re non potuit? Pacem meam do uobis, pacẽ me-
am dimit-

am dimitto uobis, In pace uos dimisi, in pace uos inueniam. Regale mãdatũ seruate, diuina uox est, Inueniam quod dimisi. Plantare pacem, radicitus dei est; euellere, penitus inimici. Amor fratris ex deo est, odium ex diabolo constat. Propter quod
1 Ioan.3 damnanda sunt odia, quia scriptum est, Qui oderit fratrem suum, homicida est. Cohibeamus irã,
Matt.5 quia scriptum est, Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Amanda est pax & diligenda cõcordia. Ista sunt quæ generant charitatem, & scitis secũ-
1 Ioan.4 dum apostolum, ꝙ deus charitas est. Sine deo est, qui nõ habet charitatem. Paternus affectus nõ potest nõ amare quod docet. Pax plebis, gloria sacerdotis: & parentũ lætitia, perfecta charitas filiorũ. Sacerdotis est quod debet admonere, Plebis est audire q̃d admonet. Quicquid non licet, pastoris est prohibere ne fiat: gregis est audire ut faciat. V- B
traq; cõueniant, & uniuersa saluata sunt: nec deus inuenit in plebe q̃d puniat, nec sacerdos potest habere quod doleat. Seruemus mandata quæ uitæ sunt, teneat se profundæ pacis nexibus colligata fraternitas, & salutari uinculo charitatis, mutua se dilectione constringat, quia dilectio magnanimũ
1. Cor. 13 facit. Suauis est dilectio, non zelatur, non æmulatur. Dilectio non est falsiloqua, non inflatur, nihil dedecoris admittit, non quærit quæ sua sunt, non exacerbatur, nõ cogitat malũ, non gaudet in iniustitia, congaudet autẽ ueritati. Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Dilectio ergo omnibus uotis ac desiderijs amplectenda est, quæ tot bona potest habere quot præmia. Custodienda omnib. uiribus pax est, quoniam deus semper in pace est. C
Non habeat locũ quo obrepat inimicus, ne in tritici segetẽ ualeat zizania seminare, & securo iam rustico spe longi laboris elusus spectatus, in ipsa messis maturitate subducat, aut uinũ uetustate suauius, in acriori subito perfidia demutatũ in effusę fęcis se permixtiõe cõiungat, aut inter dulcia mella, fellis uenena amariora suffundat, aut inter uernantes floribus campos ac pratorũ uarietate gemmatos, tribulorũ interiectiõe animas grati odoris occidat. Procul cõtentiones, procul lites & odia, procul maledicta mutãtur, & quia laqueus mortis est lingua, susurro ac bilinguis parcat animæ suæ, ne in suppliciũ suum uincula sibi mortis adducat. Amate paçem, & tranquilla sunt omnia, ut & uos D
premia & nobis gaudia reseruetis, ut electa dei pacis unitate fundata, perfectam teneatis disciplinã, per Iesum Christum dominũ nostrum, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Eadem dominica, de dilectione inimicorum,

Sermo II

Ser. CLXX I NTENDITE fratres mei ad charitatẽ, quã sic laudat scriptura diuina, ut nihil ei coequet. Cũ nos moneat deus ut nos inuicem diligamus, nunquid hoc tantũ monet ut diligas diligentẽ te? Hęc est mutua dilectio, hoc nõ sufficit deo, peruenire eã uoluit usq; ad inimicos
Matth.5 diligendos, dicẽs, Diligite inimicos uestros, bene facite eis qui oderunt uos, & orate pro eis qui uos persequunt, ut sitis filij patris uestri q̃ in cœlis est, qui solẽ suum oriri facit super bonos & malos, qui pluit super iustos & iniustos. Quid dicis, diligis inimicũ tuum? Respõdebis forte, per infirmitatem non possum. Sed profice & age ut possis, maximè quia oraturus es iudicẽ, quẽ fallere nemo potest, qui acturus est causam tuam. Interpella ergo hũc iudicem, ubi nullus tabellarius conturbat, nullus officialis remouet, nullus emitur aduocatus, q̃ possit pro te preces effundere, aut uerba dicere, quæ nõ didicisti: sed ipse filius dei unicus ęqualis patri, sedens ad dexterã patris, illius assessor, tuus iudex est: docuit te pauca uerba, quæ quis idiota potest tenere & dicere, & in eis constituit tibi causam, tu am, docuit te ius cœleste quomodo preceris. Sed forsitan respondebis, p̃ quem peto, per me, an per alium? Qui te docuit orare, ipse pro te allegat pre cem, quia tu reus eras. Gaude quia ille erit tũc iudex tuus, qui modo aduocatus tuus est. Ideo ergo quia oraturus es, acturus es causam tuã, paucis
Matt.6 uerbis uẽturus ad illa uerba, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Dicit eã tibi deus, Quid mihi das, ut ego dimittã tibi debita tua? Quale munus offers, quale sacrificiũ conscientię tuę imponis altaribus meis? Continuo docuit te, quid petas & quid offeras. Petis, dimitte nobis debita nostra, & tu offers. Quid? Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debitor es ei q̃ falli nõ potest. Habes & tu debitorẽ. Dicit tibi deus, Tu debitor meus es, ille debitor tuus: hoc facio ergo tibi debitori meo, q̃d tu feceris debitori tuo. Inde offers mihi munus, unde peperceris debitori tuo. Rogas me, p̃ misericordia tua, noli esse piger in misericordia, attende quod scrip-
Osee 6 tura dicit, Misericordiã uolo magis quàm sacrificiũ. Noli offerre sacrificiũ sine misericordia, quia nõ remittuntur tibi peccata tua nisi offeras cũ mi-
Matt.9 sericordia. Sed forte dicis, nõ habeo peccata. Quã tumuis cautus sis frater, tamen in carne uiuens in seculo, agis inter pressuras & angustias & inter innumerabilia tentamẽta uersaris, nõ poteris esse sine peccato. Certe dicit tibi deus, Securus esto de peccato, noli dimittere si nõ habes q̃d ego tibi dimittã, sed magis exige si nihil debes: si aũt debitor es, magis gratulare te habere debitorẽ, in quo facias q̃d fiat in te. Audi me, & discute te, quia uel de paucis prodis q̃ possunt ueraciter orare, orationẽ dominicã ueraciter dicere, Domine dimitte mihi, sicut & ego dimitto. Nõ fallaciter, nõ ficte, ex corde uero fac, ut & in te uerũ fiat. Si enim q̃ te læsit, q̃ in te peccauit, petit à te ueniã, & ignoscis, iam potes securus dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nam si resistis roganti, contemneris & tu cum rogaueris. Clausisti cõtra pulsantem, clausum inuenies cum pulsaueris. Nam si aperueris uiscera indulgẽtię rogãti te, aperiet & tibi deus cũ rogaueris eum. Modo enim illos alloquor qui petũt ueniã à fratribus suis Christianis, & non accipiunt. Ecce tu si concesseris, securus orabis. Ille uero si te rogauerit, & si nõ cõcesseris, quomodo securus eris? Quisquis enim es qui peccasti & ueniam non meruisti, noli

timere

timere, interpella deũ ipsius & tuum, debita enim sunt. Nunquid poterit debita exigere seruus, quæ A
donauerit dominus? Si forte non te rogauerit qui in te peccauit, si ueniam non deprecatur, si peccauerit insuper adhuc & irascitur, tu quid facies? dimittis an non dimittis? Ecce nõ dimisisti. Quare? Quia non rogauit. Si propterea non dimisisti quia nõ rogauit, noli titubare in dominicã orationem, securus illã dic, non tibi pectus percutias, q̃a non rogãti non dimisisti. Ergo ille qui non rogauit remansit. Exigitur prorsus, exigitur ab illo: uerunta men in te sit perfecta charitas, roga pro nõ rogan te, quia rogas pro multũ periclitãte. Hic iam atten de magistrum & dominum tuũ, non in cathedra sedentem, sed in ligno pẽdentẽ circumspectis undiq; turbis inimicorũ & dicentẽ, Pater ignosce il- B
Luca 23 lis quia nesciunt quid faciunt. Vide magistrũ, audi imitatorẽ. Nunquid tunc dñs Christus pro rogantibus rogauit, & non potius pro insultantibus & interficientibus? Nunquid deseruit medicus officium suum, quia phreneticus sæuiebat? Dic eã, Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Saluatorem occidunt, quia salutẽ non quærũt. E contrà & tu forsitan dicturus es, Et quando ego hoc possum quod dominus potuit? Quare hoc dicis? Attende ubi hoc facit, attẽde quia in cruce hoc fecit, non in cœlo. Semper eã deus in cœlo cũ patre, in cruce aũt pro te homo, ubi se imitandum præbuit omnibus. Pro te eã misit ipsam uocẽ, ut ab omnibus audiret. Nam potuit pro illis orare in silentio, sed tu non haberes exemplum. Sed si multũ est ad C
te dominus, non sit ad te multũ seruus. Non potes imitari dominũ tuum cũ pẽderet in cruce. Stephanum seruũ eius cum lapidaretur attende. Primum
Act.7 ait tanq; seruus ad dominũ. Domine Iesu, accipe spiritum meũ: & post hæc genu flexo ait, Domine ne statuas illis hoc peccatum: & cum hoc dixisset obdormiuit in requie dilectionis. Pacem pinguissimã inuenit, quia pacẽ inimicis optauit. Nũquid & ipse tunc pro rogantibus rogauit, & nõ pro sæuientibus, pro lapidantib. & interficientibus? Habes exemplum, disce: uide quomodo pro se stans orauit, & pro illis genu flexit: putamus fratres q̃a plus eos diligit quàm seipsum? Pro se uero stans tanquã iustus facile exaudiebat. Nam pro iniquis genu figendum erat. Ostendit ergo dilectionem D
usq; inimicos ueniam rogantes. Ergo fratres propter securitatem dominicæ orationis, rogantibus ex corde dimittite, et ut dominus uobis uestra pec cata dimittat in hoc mortali corpore & futuro usque in secula seculorum, Amen.

Item in eadem dominica alius sermo, De pace: qui habetur inter sermones, ad fratres in eremo, secundus.

Item in eadem dominica alius sermo, De dilectione inimicorũ: qui habetur in libro Quinquaginta Homiliarum. VI.

Item in eadem dominica Homilia, de eo quod
Ioan.16 scriptum est in Euangelio secũdum Ioannem, Amen amen dico uobis, Si quid petieritis &c. quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem.

Aug. to. 10

Feria secunda in Rogationibus, De eo quod A
scriptum est in Euangelio secũdum Lucam, Quis Luca. 11
uestrum habebit amicum, &c.

Sermo I. SERMO CLXXI

SAVIS dominus & mitis fratres charissimi, habet ianuam pietatis, nec repellit inde pulsantes, sed culpat potius negligentes: neq; enim aliquid petitur quod non habeat, ut cum non dederit erubescat. Diues est & pius, affluens & benignus, dat & non improperat, imò tunc thesauri domus eius tristitiam patiuntur, quando desunt delectabilia fastidia petitionum. Ipse domi nus dicit, Vsq; modo nihil petistis, Petite & accipietis, pulsate & aperietur uobis. Ego sum ostium Ioan. 10
& ianua. Quare trepidat pulsando manus uestra, & dormitat in mẽdicitate cõscientia uestra? Ego sum ianua uitę, non horresco sordidũ pulsatorem, non pauperem repudio petitorem, tantũ nemo sũ am negligat paupertatẽ. Pulsate & aperiet. Stant angeli ad ianuam ut introducãt non ut repellant, ut suggerant non ut terreant, Nulla est pompa in ianua mea. Ego sum ianua, q̃ sustinui crucis ignominiam. Quare timeant petentes egentiam, cum nulli aliquando denegauit misericordiam? Quis sperauit in domino & confusus est? Si pulsant qui desiderant castitatem, dat eis continuo gratiam et
sanctitatem, & dicit eis, Nolite ambulare polluti, Leuit. 19
nolite incedere maculosi. Sancti estote, quia ego sanctus sum. Si accedat pupillus parua manu pulsare ianuam paternam, nũciant eum angeli domino, pupillus pulsat, defensionis pietatẽ expectat,
respõde illi domine, Tibi enim derelictus est pau Psal. 9
per, pupillo tu eris adiutor. Respondet illi qui diues est, misericordia plenus, qui miseris pater est: ego sum iudex uiduarum, & pater orphanorũ. Ne mo lædat quos ego suscipio, nemo expoliet quos ego defendo. Et qui accesserint ad ipsam ianuam, quamuis diuidãt uocem disparis precis, tamen ab unius diuitis patrisfamiliâs domo omnes accipiunt pietatem. Hoc amat ianua saluatoris, ut pulsatoribus semper abundet opportunis, importunis. Propterea ipse dominus uidẽs ianuam suam à petitorum uoce, à pulsantium clamore silere, inuitat omnes ad orationẽ, omnibus paratus tribuere pietatẽ. Petite, & si nõ acceperitis adhuc petite, et per seuerate pulsare. Nolite deficere, q̃a non necat deus fame animam iusti. Qui tamẽ uoluerit esse dulciter humilis & benignus, securus tanquam in tutissimo portu consistit. Opponit ergo parabolam cuiusdam hominis, cuius hospes impuisus aduenit, & hospes hospitẽ excepit: passus est uerecundiam, abijt continuo ad domum diuitis magnam, non sine sacramẽto tres petit panes: quia unus hospes erat gratia pietatis, sed substantia trinitatis. Nonne unus hospes erat in tribus qui uenit ad pa
trem Abrahã? Hospes & amicus, pransor & man- Gen. 18
sor, & omnia illi in trinitate sunt exhibita humanitatis obsequia, quia trinitatis gloria refulget. Trimum attulit uitulum pater, tres mensuras similagi nis consperſit futura mater, paritura filium pro quo pater mactaret agnũ, & ipsa corpus Christi in

trinitate iam fecerat sacramentum. Ita & iste amicus ueniente hospite pergit ad domum diuitis, & A
trium panum allegat necessitatē: pulsat & nullus
respōdet de ianitoribus, qa omnes tenuerat somnus. Non angeli, non archangeli, non prophetæ,
non ministri. Et ille pulsat, quamuis nemo respondeat. Quādoq; paterfamiliās ad importunitatem
pulsantis respondit, ille de interioribus sacris, de
throno quietis: quid pulsas sine tēpore, qui piger
fuisti cū tēpore? Dies fuit, & in lumine non ambulasti, nox superuenit, & pulsare cœpisti. Excusat
tēpus, q̄d improbus quærit affectus. Iā pueri quiescunt, & non est dignum ut propter te iniuriā patiantur: antequā uenires diutius uigilauerunt, modo pro tempore quieuerūt, non est qui posset tibi
dare responsum. Et ille, Dñe à te peto, ad te pulso, B
imò te pulso: tu es ianua, tu surge, da mihi misericordiā, qui non es dedignatus de luto limi formare
uiscera mea. Ministerio nō indiges, quia omnia
potes. Sed si pueri tui dormiūt, tu non dormis qui
custodis Israel. Gratis peto, sub gratia mendico,
non sub lege præsumo. Sed si lex & prophetę usq;
ad Ioannem, sed tua gratia non habet finem. Quò
deuenerūt pueri tui, pphetæ tui, & ego noui. Sed
Apoc.1 tu dñe qui es initiū & finis, primus & nouissimus,
noli ad me tediare nouissima hora noctis petentem, qui nocte media captiuam duxisti captiuitatem. Quid faciet paterfamiliās tanti perseueratoris uoce cōstrictus? Non excitat Prophetam, non
immittit angelum, non archangelū: ipse surget &
dabit illi quantū desiderat. Bene pertinax ille pe
C
titor & nocturnus mendicator ad hospitem proprium repedauit, diues factus refecit, nec hospes
ab hospite irrefectus discessit. Quis est iste hospes
rogo uos fratres, qui in nocte uenit, & imparatum
hospitem inuenit, imò ideo nocte uenit hospes in
perpetua & deficiente paupertate? In nocte uenit
hospes, gratia in summa ignorantia, in magna egentia, immittit tristitiam, quando dicit noctur-
Psal.117 nus petitor, In tribulatione inuocaui dominum &
Psal.33 exaudiuit me in latitudine. Et iterum, Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit
eos dominus, quoniā proximus est. Ideo hospes,
superuenit improuisus subito, cum quispiam tedio afficitur pressurarum. Superuenit illi orandi
desiderium, flendi arripiens uotum. Illa hora ho- D
spes uenit gratia, ut compungat conscientiam, ne
in sua moriatur egētia: sed eat & petat ad diuitem,
non suis meritis, sed meritis hospitis uenientis, &
accipiat tres panes: ut in patre & filio & sancto spiritu possit & ipse pascere cęteros indigētes. Quic
quid boni cogitauerit homo subito corde percussus, sciat qa hospes ille uenit de cœlo, & bene uenit qui nocte uenit. In tribulatiōe subuenit, nō ingerens tedium, sed affectum. Et quia dñs Christus
Ioan.20 ad discipulos suos clausis ostijs in tribulatione ue
nit, non speratus sed optatus, salutauit in pace, &
hospes hospites suos refecit in pace. Nonne est
Apoc.3 iste hospes qui dicit, Ecce sto & pulso, si quis aperuerit mihi intrabo & cœnabo cum illo ego & pater meus? Quàm bona domus, ubi pater & filius
ingreditur hospes amicus, qui & spiritussanctus. A
Ipse ibi exhibet in domo pauperis, in hospitio puritatis diuersa pulmentaria, propter cœnam dominicam. Quæ sunt ista pulmentaria? Gaudium, longanimitas, cōtinentia, fides, castitas. Tantummodo non pigeat hospitē suscipere dominum, ipse secum portat dulcedines deliciarum, ut pascat ibilę
tantes exercitus angelorum. Cum illo hospite pax
est et iucunditas, qui uenit ad hospitem suum, non
torquere sed pascere, nō expoliare sed uestire, nō
percutere sed sanare. Ipsum hospitem semper aperis cordis nostri ianuis suscipiamus, & nunquā nobis dominetur tyrannus inimicus, & in omnibus
Christo donante eius mandata seruemus.

Item eadem feria Homilia, De eodem de quo
B
supra, quæ habetur inter sermones De uerbis domini, XXIX. Et libro, II. De quæstionibus Euangeliorum, cap. XXI. & XXII.

Item eadē feria alius sermo de epistola diei, qui habet in lib. Quinquaginta Homiliarū, XII. & XLVI. & XLVII. Et ad fratres in eremo XXX.

Feria tertia in rogationibus: SERMO I

SERMO CLXXII

QVONIAM ieiuniorum tempus est fratres charissimi, de ieiunio cum sanctitate uestra tractandum est, ut sciatis quemadmodum ieiunetis. Ieiunia enim Christianorum spiritaliter potius quàm carnaliter obseruanda sunt. Vnde à peccatis nostris principaliter ieiunemus, ne ieiunia nostra sicut Iudeorū ieiunia à deo respuantur. Quale est enim ut à cibis quos dominus crea-
C
uit, nescio quis impostor abstineat, & peccatorū
sagina pinguescat? Non tale ieiuniū ego elegi, di- Isa.58
cit dominus. Nam si flectas, inquit, ut circulū ceruicem tuam, cilicium autē & cinerem substernas, nec sic uocabis, inquit, ieiuniū acceptū. Sed qd? Solue, inquit, omnem nodum iniquitatis, & obstinationem malorum. Dimitte cōflictos in requiē, & omnem cōuentionem dissipa. Paruum est em ieiunium, abstinere tantummodo à peccatis, nisi addamus & bona. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam. Si uideris nudum, uesti. Porrò autem ieiunijs uestris etiam illud oportet accedere, quod dominus in Matth.6
Euangelio præcipit, Cum ieiunatis, inquit, nolite fieri sicut hypocritę tristes. Extermināt enim facies suas ut appareant hominibus ieiunātes. Amen
dico uobis, receperūt mercedem suam: uos autem
cū ieiunatis ungite capita uestra, ne appareatis ho
minibus ieiunantes, & pater uester qui uidit in ab
sconso, reddet uobis in palàm. Quare fratres non
præuidet sanctitas uestra, aliter ieiunia acceptari
non posse, nisi cōtigerit legaliter ieiunare. Secun
dum Apostoli dictum fratres, me quidem hęc ea- Philip.3
dem uobis dicere non piget, uobis autem tutissimum. Sed & dñs in Euangelio, Omnis, inquit, Matt.13
scriba doctus, in regno cœlorum similis est homini patrifamiliās, qui profert de thesauro suo noua & uetera. Vt ergo sciat sanctitas uestra fratres
non solum noua dicenda, sed & uetera repetenda, legimus spiritumsanctum per Esaiam Pro- Isa.1
phetam taliter perfectos increpātem, Neomenia
uestra

uestra & sabbatum & dies magnus nō sit in eo di-
cit dominus. Ieiunium est quod probat altissimus, A
non solum intermissa corporis refectio, uerūetiā
à malis actib. facta discessio. Itaq; si neq; mens tua
grauetur oppressa peccatis, neq; animus tuus uitiorū illecebris delectet, digna deo exoluisti ieiunia. Cęterū si corpus tuum ieiunia longa consumpserint, atq; illi sub traxeris cibum, cū nō detrahis
uitia in malis perseuerans, magis horres q̄ placeas
deo. Tunc erunt deo accepta ieiunia, si operib. sanctis fuerit expiata cōscientia. Cur enim corpus fa-
me discrucias, cui turpiter peccādo blādiris? Principaliter ergo animus ieiunet à malis, et sic corpus
subeat exercēdo ieiunia. Nā cum sit ieiuniū animę
humiliatio, quale est humiliari cibo & augeri pec
cato? Qui igitur corpori suo ieiunia deuotus indi
B
cit, principaliter renūciet uitijs, cupiditatū fomites cōprimat, frāgat impetus mētis, libidines uincat, faces auaritię ardentes extinguat, latiusq; uim
dilectionis extendat, atq; in alimentis pauperū ab
rupti apparatus stipendia largiatur. Omnia enim
corporis nefanda peccata animi uirtute calcent,
ut & anima sanctitate corporis adiuuet. Tunc em
& impetrari poterit quod optatur, si casto corpore animoq; deuoto ad officia sanctitatis implēda,
per curam obseruationis quisq; incedat. Hæc sunt
quę diuinam commouent pietatem, quæ ad impe
trandam precibus sanctitatem semper aditum faciūt. Cæterum si caput substernas atq; cineres desuper spargas, si deniq; collum tuum uelut circulū
torqueas, atq; ad exorandam clementiam dei lar-
C
gos fletus effundas, nihil proficis. Commouere enim diuinā non poteris pietatem, qui circa proximos tuos debitam neglexisti charitatem. Scriptū
est enim, Non tale ieiunium ego elegi, dicit domi
nus. Nec si flectas ut circulum ceruicem tuam, cili
cium autē & cinerem substernas, nec sic uocabo,
inquit, ieiunium acceptabile. Sed quid? Solue, inquit, omnem nodum iniquitatis & obstinationē
malorum. Dimitte quassatos in requiem, & omnē
iniquam conuentionē dissipa. Frange esuriēti panem tuū, & egenos sine tecto induc in domū tuā.
Si uideris nudum uesti, & domesticos seminis tui
ne despicias. Tunc erumpet temporaneum lumē
tuum, & uestimenta tua cito oriētur, & prębibit an
te te iustitia, & claritas dei circundabit te. Tunc
D
inuocabis & dominus exaudiet, dū adhuc loqueris dicet, Ecce assum. Hæc sunt em quibus homo
& refectus cibo frequenter impetrat q̄d exoprat,
& ieiunans maiora præmia consequit sanctitatis.
Tale ieiunium delectat Christum, tali deniq; dele
ctatur cunctipotens, quem ad ieiunandum nō im
manium delictorum frequens reatus impellit, ad
quem deniq; non adipiscendæ gloriæ temporalis
uel cumulandi patrimonij cupiditas inanis accen
dit, sed urget semper religionis affectus & deuota
synceritas, quam cum fuerint comitata plena pietatis officia, quātum ille ualebit, tantum ille proficiet. Taliter agendo merebitur, statim præsentem
dominum propitium q̄ sentire. Imple ergo misera
tionis officia, & sanctificasti ieiunia. Sagina paupe
rum uiscera, & anima tua munerib. sanctitatis pin
guescit. Vesti nudum, & tua peccata cōtecta sunt.
Peregrinū hospitio tuo contende suscipere, ut &
te deus in cœlorum regna suscipiat, Per omnia secula seculorum, Amen.

Item in eadē feria Homilia, De eo quod scriptum est in euangelio secundum Matthęum, No- Matt.7.
lite sanctum dare canibus, &c. quæ habet in lib. I. De sermone domini in monte, ca. XXIIII. & sequentibus. Et inter sermones De uerbis domini, V.

In uigilia ascensionis domini:

Sermo I

SERMO CLXXIII

SCIRE debemus & intelligere fratres charissimi, quia dies compunctionis & pœnitentiæ celebramus, & ideo non nos opor
tet nimio risu uel in aliquo minus cauto & cōgruo
cachinno dissoluī: timētes illud quod dominus in
euāgelio dixit, Væ uobis qui ridetis, quia lugebi- Luca 6
tis & flebitis: & illud quod alibi scriptum est, Ex- Prou.14
trema gaudij luctus occupat. Nec aliquibus durū
esse uideatur, quòd magis ad tristitiā uel plāctum
q̄ ad lętitiam uos prouocare uidemur, Si enim di
ligenter attenditis fratres, in omnibus scripturis
hoc dominus hortatur & admonet, ut sic in hoc se
culo debeamus esse soliciti, ut in futuro possimus
esse securi, sicut ait Psalmista, Qui seminant in la- Psal.125
chrymis, in gaudio metent: & in euangelio, Beati Matt.5
qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quia ar
cta & angusta uia est quę ducit ad uitā, lata & spa
tiosa quæ trahit ad mortem: Melius est nobis post
paucas angustias ad æternam beatitudinē peru-
C
nire, quàm post breuē lętitiam ad inferni profunda descēdere. Vnde totis uiribus elaborare debemus, ut pœnam purpurati diuitis possimus euadere, & ad beatitudinem pauperis Lazari peruenire.
Quid enim illi profuit superbia diuiti, q̄ hic paruo tempore luxuriosus pascebatur delitijs suis, &
nunc sine ullo termino inferni flammā pascit medullis suis? Melius est ergo ut uos paruo tempore
ad salubrem iustitiā prouocemus, & postea uobis
cū ad æternam lætitiam peruenire mereamur: q̄
si uobis ad tēpus falsam dulcedinē uelimus ingerere, & postea uobiscū perpetuam amaritudinem
sentire. Et licet omni tēpore fratres charissimi uobis oporteat dei misericordiā corpore contrito &
D
corde cōpuncto requirere, & ab illo indulgentiā
peccatorū fideliter postulare: nūc tamen propter
imminentem peccatis nostris debitam & grauissimam seueritatem, cum ingenti rugitu uel gemitu
assiduis orationibus & largiorib. eleemosynis debemus dei misericordiā implorare: ut ipse nobis
misericordiā & benedictionē aquarum cœlestiū
tribuat, pacem reddere dignetur, peccatorū indulgentiā dare, & prospera dignetur pro sua pietate
concedere. In his diebus præcipue ociosis fabulis
finē conemur imponere, & quantum uires suppe
tunt orare studeamus, & psallere, Et si pacem tem
porū desideramus accipere, nō dissimulemus pa-
cem cum proximis custodire. Si em in ueritate uia
ut uincatur diabolus inimicus tuus, cito tibi recō-
ciliętur proximus tuus. Contra nullum hominem

desæuiat ira tua, & cito à te indignatio diuina cessabit secũdum illam promissionem domini & sal-
Matt.6 uatoris. Si, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cœlestis peccata uestra. Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de ecclesiæ conuentu subducat, Sine dubio peccatorum suorum uulnera diligit, qui in istis tribus diebus ieiunãdo, orando & psallendo medicamẽta sibi spiritualia nõ requirit. Abundant & nimium abundãt negligentiæ, quas per totum anni spatiũ cõgregauimus, & ideo uel in istis tribus diebus quod ad nitorem uel purgationẽ animę pertinet agere studeamus. Nolite uos de ecclesię conuentu subtrahere, quia nõ tã longo spatio fatigamur, ut hoc sustinere nõ ualeamus. Sicut qui in istis sex horis de conuentu ecclesiæ non subducit se, magnũ remediũ animę suę noscitur prouidere: ita e cõtrario qui aut per cupiditatẽ, aut pro alia qualibet minus necessaria occupatione adesse noluerint, inde sibi faciũt crudelia uulnera, unde habere poterant medicamenta salubria, & inde se grauant unde subleuare potuerant. Sed credo de dei misericordia q̃ ita uobis inspirare dignabitur, ut nõ negligentiã peccatorum acquirere, sed magis per cõpunctionem ieiunando, orãdo, psallendo, & eleemosynas faciendo ad remedium possitis indulgentię peruenire, prestãte dño nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Item in eadem uigilia, Homilia de eo quod scriptum est in euangelio secundum Ioãnem, Sub leuatis Iesus oculis &c. quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem.

In festo ascensionis domini: Sermo I

SERMO CLXXIIII

G LORIFICATIO dñi nostri Iesu Christi resurgẽdo & ascẽdendo cõpleta est. Resurrectionẽ ipsius Paschę dominico
A celebrauimus: Ascensionẽ hodie celebramus. Festus nobis dies utercq̃. Ideo enim resurrexit ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet. Et ideo ascendit, ut nos desuper protegeret. Habemus ergo dominum & saluatorem nostrum Iesum Christum prius pẽdentem in ligno, nunc sedentem in cœlo. Preciũ nostrum dedit cũ penderet in ligno, collegit quod emit cũ esset in cœlo. Cum enim omnes collegerit quos utiq̃ per tempora collegit, in fine temporis ueniet, & quomodo scriptum est,
Psal.49 Deus manifestus ueniet: non quemadmodũ primitus uenit occultus, sed sicut dictum est, manifestus: occultũ enim oportebat eum uenire ut iudicaretur, manifestus aũt ueniet ut iudicet. Si enim prius manifestus uenisset, iudicare manifestum qs
1.Cor.3 auderet? Quandoquidẽ dicit Apostolus Paulus, Si enim cognouissent, nũquam dominum gloriæ crucifixissent. Sed si ille nõ occideretur, mors nõ moreretur. Trophæo suo diabolus uictus est. Exultauit enim diabolus quãdo hominem primum seducendo deiecit in mortem. Seducendo primũ hominem occidit, occidendo nouissimũ primum de laqueis perdidit. Facta est ergo victoria domini nostri Iesu Christi cũ resurrexit & ascẽdit in cœlum, & impletum est quod audistis cum Apocalypsis legeretur, Vicit leo de tribu Iuda. Ipse leo di-
A ctus est, ipse agnus occisus est. Leo propter fortitudinem, agnus propter innocẽtiam. Leo quia inuictus, agnus quia mansuetus. Et ipse agnus occisus morte sua uicit leonem, qui circuit quærens quem deuoret. Dictus est em diabolus leo, feritate non uirtute. Apostolus quippe ait Petrus, Vigilare uos oportet aduersus tentationes, qa aduersarius, inquit, uester diabolus circuit, quærens quem deuoret. Sed qũo circuit, dixit, Sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Quis non incurrerer in dentes leonis huius, nisi uicisset leo de tribu Iuda? Contra leonẽ leo, contra lupum agnus. Ex-
B ultauit diabolus quando mortuus est Christus, & ipsa morte Christi est diabolus uictus, tanquam in muscipula escam accepit. Gaudebat ad mortem, quasi præpositus morti. A quo gaudebat, inde illi tensum est. Muscipula diaboli, crux domini: esca qua caperetur, mors domini. Et ecce surrexit dominus noster Iesus Christus: Vbi est mors quę pepẽdit in ligno? Vbi est insultatio Iudæorum? Vbi est typhus & superbia, caput ante crucem agitantium & dicentium, Si filius dei est descẽdat de cruce? Ecce plus fecit quàm illi insultando exigebãt. Plus enim est de sepulchro resurgere, quàm de ligno descendere. Iam uero quanta gloria est quòd ascẽdit in cœlum, quòd sedet ad dexteram patris: sed hoc oculis nõ uidemus, quia nec pẽdentẽ in li-
C gno uidimus. Totũ hoc fide tenemus, oculis cordis intuemur. Hodie em sicut audistis fratres, dominus Iesus Christus ascendit in cœlum, ascendat cum illo & cor nostrũ. Audiamus Apostolum dicentem, Si consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quęrite, ubi Christus est in dextera dei sedẽs. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Sicut enim ille ascẽdit nec recessit à nobis, sic & nos cum illo ibi iam sumus, quãuis nondum in corpore nostro factũ sit quod promittitur nobis. Ille iam exaltatus est super cœlos. Neq̃ em propterea nobis desperãda est perfecta & angelica cœlestis habitatio, quia dixit, Nemo ascendit in cœlum nisi qui descẽdit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo: sed hoc dictum est propter unitatẽ qua caput nostrum est, & nos corpus eius. Cum ascendit in
D cœlum, nos ab illo non separamur. Qui de cœlo descendit, non nobis inuidet cœlum, sed quodam modo clamat, Mea mẽbra estote, si ascẽdere uultis in cœlum. In hoc ergo ipsi interim roboremur, in hoc uotis omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris, quod computamur in cœlis. Tunc exuti carnem mortalitatis, nunc exuamus animi uetustatẽ. Facile corpus leuabit in alta cœlorum, si nõ premat spiritum sarcina peccatorum.

In eodem festo, Sermo II

SERMO CLXXV

S ALVATOR noster dilectissimi fratres ascendit in cœlum. Non ergo turbemur in terra. Ibi sit mẽs, & hic erit requies. A-
A scendamus cum Christo interim corde, cum dies eius promissus aduenerit, sequemur & corpore. Scire tamen debemus fratres, quia cũ Christo nõ ascen-

ascendit superbia, non auaritia, non luxuria, nullum uitium nostrum ascẽdit cum medico nostro. Etideo si post medicum desideramus ascendere, debemus uitia uel peccata deponere. Omnes enim quasi quibusdam compedibus nos premũt, & peccatorum nos retibus ligare contendũt, & ideo cũ dei adiutorio secundũ quod ait Psalmista, Dirumpamus uincula eorũ, ut securi possimus dicere domino, Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Resurrectio domini spes nostra est, ascẽsio domini glorificatio nostra est. Ascẽsionis hodie solennia celebramus. Si ergo recte, si fideliter, si deuote, si sancte, si pie ascensionẽ domini celebramus, ascendamus cum illo, & sursum corda habeamus. Ascendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi de proprijs meritis præsumamus. Sursum autem corda habere debemus ad dominum. Sursum enim cor ad dominum, nõ superbia uocatur. Sursum autem cor ad dominum, refugiũ uocatur. Videte fratres magnum miraculum. Altus est deus, erigis te, & fugit à te. Humilias te,
Psal.137 & descẽdit ad te. Quare hoc? Quia excelsus est & humilia respicit, & alta de longe cognoscit. Humilia de proximo respicit ut attollat, alta, id est, superba de longe cognoscit ut deprimat. Resurrexit em Christus ut spem nobis daret, quia surgit homo q̃ moritur: ne moriendo desperaremus, & uitam nostram in morte finitam putaremus, securos nos fecit. Soliciti enim eramus de ipsa anima, & ille nobis resurgendo de carnis resurrectione fiduciam dedit. Crede ergo ut munderis. Prius te oportet credere, ut postea per fidem deũ merearis aspice-
Matt.5 re. Deum enim uidere uis, audi ipsum, Beati mun-
C do corde quoniam ipsi deum uidebunt. Prius ergo cogita de corde mũdando, quicquid ibi uides quod displicet deo, tolle. Venire ad te uult deus:
Ioan.14 audi ipsum dicentem, Ego & pater ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ecce quid promittit deus? Si ergo qualiscunq̃ fragilis homo uẽturum me ad domum tuam promitterem, sine dubio mundares eam, superflua projceres, quæ erant necessaria præparares: Deus ad cor tuum uenire uult, & piger es ei domum mundare? Omnia uitia inimica sunt deo, & ideo ipso auxiliante projce illa, si uis excipere deum. Non em amat deus habitare cum auaritia immũda, sordida & insatiabili, cui infideles homines seruire uolunt, & deum
D uidere cupiũt. Et tu ergo munda cor tuum. Si potes id age, id operare, ut Christus mundet ubi maneat: Roga, supplica, humiliare: audi scripturã dicentem, Deus superbis resistit. Esto humilis, ut in te requiescat deus. Idem ipse Christus tibi est uia & patria. Secũdum hominem uia, secũdum deum patria. Si fideliter curris, per ipsum uadis, & ad ipsum peruenies. Etenim tibi æterna uia assumpsit quod non erat, non amisit quod erat. Ipsius ergo misericordiam deprecemur, ut nobis fidẽ rectam & intellectum sibi placitũ ad exercẽda opera bona concedat: Quod ipse præstare dignetur, qui uiuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

In eodem festo, Sermo III

SERMO CLXXVI Eusebij Emisseni

A OMNIA charissimi quæ dñs Iesus Christus in hoc mũdo sub fragilitate nostra miracula ædidit, nobis proficiũt: q̃ dum humanã conditionem syderibus importauit, credentibus cœlum patere posse monstrauit, & dum uictorem mortis in cœlestia eleuauit, uictoribus quò sequantur ostendit. Ascẽsio ergo domini, catholicæ fidei confirmatio fuit: ut securi in posterũ crederemus miraculi illius donum, cuius iam in præsenti percepissemus effectum: & fidelis quisq̃ cũ iam tanta perceperit, per ea quæ cognoscit prestita, discat sperare promissa, ac dei sui præteritam præsentemq̃ bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem. Super excelsa ergo cœli terrenum cor
B pus imponitur, ossa intra sepulchri angustias pauloante conclusa angelorum cœtibus inferunt, in gremium immortalitatis mortalis natura trãsfunditur, & ideo sacra apostolicæ lectionis testatur historia. Cum hæc dixisset, inquit, uidentib. illis eleuatus est. Dum audis eleuatũ, agnosce militiæ cœ- Act.1
lestis obsequiũ. Vnde hodierna festiuitas hominis nobis & dei sacramẽta manifestauit. Sub una eademq̃ persona in eo q̃ eleuat diuinam potẽtiã, in eo autem qui eleuatur humanam cognosce substantiam. Ideoq̃ omnimodis detestanda sunt uenena Orientalis erroris, qui impia nouitate præsumit asserere filium dei ac filium hominis unius esse naturæ. In alterutra enim parte uel qui solum hominem fuisse dixerit, negabit conditoris gloriam, uel qui solum deum, negabit misericordiam redemptoris. Quo genere non facile Arianus eu-
C angelicam poterit habere ueritatem, ubi filium dei nunc æqualem legimus, nunc minorem. Qui enim unius naturæ saluatorem nostrum mortifera persuasione crediderit, solum hominem aut solum deum cogetur dicere crucifixum. Sed non ita est. Mortem enim nec solus deus sentire, nec solus homo superare potuisset. Nos ergo noueri-mus in Christo duplicem geminamq̃ substantiã. De patre cœlestem, de matre terrenam. Quam utramque in uno eodemq̃ redemptore suis promptum est testimonijs explicare. Quasi homo dicebat, quia pater maior me est: sed idem quasi deus pronunciabat, Ego & pater unum sumus. Quasi homo dicebat, Tristis est anima mea usque ad mortem: sed quasi deus fiducialiter loquebatur,
D Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumẽdi eam. Quasi homo in cruce pendebat, sed quasi deus regnum cœleste donabat. Ariani autem confusa mente distinctas substantias penitus non uidentes, quæ erant hominis ad deum impie retulerũt, credentes quod minor loqueretur diuinitas, ubi iuncta deo hominis demonstrabatur infirmitas. Nullam itaque facientes inter cœlestia & terrena rationem, dum inter deũ & hominem distinguere nesciunt, dei substantiam diuiserunt, & dum ad sola hominis uerba respiciunt, deum sine intellectus lumine perdiderunt. Nos uero, ut præfati sumus, dei & hominis duplicem substantiam, sed simplicem noueri-mus

nouerimus esse personam. Ille etiã error ualde refugiendus est, qui impie asserit ꝙ beata Maria solũ
A deum peperit, eo ꝙ sibi saluator noster cœlestem nescio quam carnem intra uiscera materna perfecerit, & ita transierit per uirginis uterũ, quasi per corpus alienum. Sed cum dicat per Prophetã ser-
Psal.109 mo diuinus, De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput: si non est corpus nostrũ, qũo est
Esa.9 caput nostrum? Et cũ alio loco Propheta commemorat, Paruulus natus est nobis: Non nobis natus est, si nihil sumpsit ex nobis. Si nihil de nostro suscepit, nihil nobis præstitit. Proinde charissimi si non in nostra carne diabolum triumphauit, se exercuit, nõ nobis uicit. Si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostræ resurgendo nihil contulit. Hæc qui dicit, susceptę & assumptę carnis nõ intelligit rationem, cõfundit ordinẽ, euacuat utilitatem. si non in nostra carne peregit medicinam, solã ergo ex homine nascendi elegit iniuriã. Recedat à sensib. nostris tam periculosa persuasio. De nostro est quod appendit, de suo est q̃d donauit. Meum testor esse q̃d cecidit, ut meum sit q̃d resurrexit. Meum testor esse quod iacuit intra tumulũ, ut meum sit quod ascendit in cœlũ. In illo itaq̃ nostri generis corpore nos Christi mors uiuificauit, nos resurrectio erexit, nos ascẽsio consecrauit. In illo nostrę originis corpore cœlestibus regnis arram nostræ conditionis imposuit. Elaboremus ergo charissimi, ut quemadmodum dominus in hac die nostro cum corpore ad superna conscendit: ita nos post illum qũo possumus spe ascendamus & corde sequamur. Ipso affectu pariter & profectu ascendamus post illũ, & iam per uitia ac passiones nostras, si utiq̃ unusquisq̃ nostrũ subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quò possit ad superiora conscendere. Eleuabũt nos si fuerint infra nos. De uitijs nostris scalam nobis facimus, si uitia ipsa calcamus. Nam cum bonitatis autore non ascẽdit malitia, nec cum filio uirginis libido atq̃ luxuria. Non, inq̃, ascendunt uitia post uirtutum parentem, peccata post iustum, nec infirmitates ac morbi possũt ire post medicũ. Igit̃ si intrare ipsius medici regnum uolumus, prius uulnera nostra curemus. Ordinemus & custodiamus in nobis statum utriusq̃ substantiæ, ne animã nobiliorem utiq̃ hominis portionẽ tartaro pars deuoluat inferior, sed secum potius cœlo sanctificatum corpus acquirat natura gloriosior, ipso adiuuante, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

SERMO CLXXVII

In eodem festo, Sermo IIII

A SCENSIONIS dñi nostri Iesu Christi sanctus & solennis dies hodie illuxit, exultemus & iocũdemur in eo. Christus descendit, inferiora patuerunt. Christus ascendit, superiora claruerunt. Christus in sepulchro, mentiant̃ custodes. Christus in inferno, uisitent̃ quiescentes. Christus in cœlo, credant oẽs gentes. Ipse ergo debet esse autor nostri sermonis, qui est largitor nostræ salutis. Nam de quo aliquid loquamur uobis, nisi de illo qui modo ex euãgelio loquebatur omnibus nobis? Ascensurus em̃ ad patrẽ, dice
B bat discipulis suis, Hæc locutus sum uobis, cũ ad- Ioan.14
huc essem uobiscũ. Paracletus aũt spiritussanctus quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & commonebit uos omnia quæcũq̃ dixi. Nõ turbetur cor uestrum neq̃ formidet. Audistis quia dixi uobis, uado ad patrẽ meum, quia pater maior me est. Ascensurũ em̃ se dixit ad patrem, & contristati sunt discipuli, ꝙ eos corporali forma desereret, & ait illis, Quia dixi uobis, uado ad patrem, tristitia impleuit cor uestrum: Si diligeretis me, gauderetis utiq̃ quia uado ad patrem, quia pater maior me est: hoc est ac si diceret, Ideo subtraho uestris oculis istã serui formã in qua pater maior me est, ut ab oculis carnis serui forma remota
B dñm spiritaliter uidere possitis. Ergo & propter ueram formã serui quam susceperat, uerum dixit, Pater maior me est, quia utique homine maior est deus: & propter uerã formã dei in qua permanet cum patre: uerum dixit, Ego & pater unũ sumus. Ascendit ergo ad patrem per id q̃d homo erat, sed mãsit in patre per id q̃d deus erat, quia in carne ad nos processit, & à patre non recessit. Ascendit, inquam, ad patrẽ uerbũ quod caro factum est ut habitaret in nobis, & suam pręsentiam repromisit, dicens, Ecce ego uobiscũ sum omnibus dieb. usq̃ ad consummationem seculi. Secundum formã serui, dicit de illo Ioannes Apostolus, Ipse est uerus deus, & uita æterna. Secundum dei formã dicit de illo Apostolus Paulus, Qui cum in forma dei esset,
C non rapinã arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Secũdum formam dei ipse de se loquitur, Ego & pater unum sumus: secundũ formã serui dicit, Tristis est anima usq̃ ad mortẽ. Vnde illa fiducia, unde ista formido. Illa utiq̃ uox ex proprietate substantię, ista uero ex participatione infirmitatis assumptæ. Hæc ergo charissimi prudenter intelligẽtes de scripturis sanctis, dũ legimus discernamus, sed dum discernimus ne fortasse erremus, intellectum ab ipso domino postulemus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

SERMO CLXXVIII

In eodem festo, Sermo V

A SCENSIONIS ergo dominicæ inclytum & regale mysterium quòd Christus terram leuauit ad cœlum, canit e-
D tiam totus mundus & festis agit gaudijs triumphos domini sui, quia erexit à terra inopem, & de stercore exaltauit pauperem, eumq̃ leuauit ad patrem. Quis igitur illuc potest ascendere, & aereos dæmones transire, nisi ille solus qui peccatum nõ potuit habere? Crux ergo illa non obfuit sed profuit, quia & nobis Christus uicit, & ille in ea superari non potuit. Non sepulchra, non inferi uictricem domuere carnem, expendit deus pro homine quod decreuerat, & rapuit quem uolebat. Vident hoc præsentes apostoli, & paulatim semetipsum ad superna tollentem, pectore pauidi, mente confusi, oculis trepidi consequuntur, donec ultrò solutam nubem serena dies exciperet, & fulgore corusco uallatum humanis conspectibus occulta-

occultaret. Cum ergo eum discipuli tanto lumine
A perculsi non uiderent, & curiosos oculos iubar rubidum coruscis ictibus euitaret, cõfestim ex uictoribus angeli directi duo, metu & dolore prostratos apostolos uerbis talibus consolantur: Viri Galilæi quid statis aspiciẽtes in cœlum: Iste Iesus qui assumptus est à uobis in cœlum, ita ueniet quẽadmodum uidistis eum eũtem in cœlum. Sic ueniet, inquiunt, manifestus, quemadmodũ nunc extollitur super astra præclarus, & poli secreta suscipiũt quem refundãt. Sanctificatur diuino comitatu immensus aer, & omnis illa uolitans turba per auras Christo ascendente transtringit, pauet omne cœlum, mutãtur astra, concurrit cõfestim fulmineus ille militiæ cœlestis exercitus: Vident regem suũ
B uiuæ carnis manubias reportare, atq̃ hoste debellato hominem in superna conscendere, agnoscũt in cicatricibus signa bellorum: adorant in carne uulnera iam sanata, ubi nihil peccati macula extinxerat, nec quippiam sua uirulẽtia grauidus ille ueneni draco uomuerat. Serpens enim uestigium in petra non figebat. Plaudunt agmina, tubæ sonãt, lætis se miscentia blanda modulamina choris funduntur. Ecce confestim splẽdidus ille senatus cœlestis ex regnis soluitur. Namque in imis poli læta carminibus regia ampla dei reseratur, undiq̃ syderei repagula cœli, atq̃ astriferi orbis arcana soluta penitus compage patescũt. Recessit in geminam arcem diuisus aer, & lati ardua cœli latera cõcisis marginibus dependerunt. Fit unus ibi sine cœlo dies, & claris titubat fulgoribus, & tũc alternis inter se ita resonant obsequia lęta carminibus,
C Psal.21 Tollite portas principes uestras & eleuamini portæ æternales & introibit rex gloriæ. Ascendebat enim cruoris rubore perfusus, à trophęis uictricibus laureatus. Viderũt cœlites cuncti speciosum uulneribus Christum, spolia castris tyrannicis reportata: & admirantes fulgentia diuinæ uirtutis uexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntq̃ lætantes, Quis est, inquiunt, iste rex gloriæ? Et aiunt, Dominus uirtutum ipse est rex gloriæ. Hic est ille candidus & roseus compunctus à multitudine, Hic est ille qui nõ habuit speciem neque decorem, infirmus in laqueo, fortis in spolio, uilis in corpusculo, armatus in prælio, fœdus in morte, pulcher in resurrectione, candidus ex uirgine, rubicundus in cruce, fuscus in opprobrio, clarus in cœlo. Quando id quispiã fratres nosset, ut deus lateret in carne, maiestas habitaret in corpore, & ita in mũdo gereret prælium, ut ipsum corpus post sepulchra mox leuaret ad cœlũ? Recepit igit̃ se intra uelamina diuina cũ carne maiestas, didicit cœlũ portare hominem, atq̃ sub pedib. Christi famulantia ęthera iacuerunt. Ecce iam porta patet quã clauserat Adã, claustrum q̃d cœlo iniquitas infixerat reparatum est. Si quis se ad Christum tenuerit, & unius substantiæ patrem & filium & spiritumsanctum confessus fuerit, cœli ianuas per ipsum securus intrabit, Amen.

In eodem festo Sermo VI

SERMO CLXXIX

Q VANTIS ornatibus gaudiorum refulsit hodie aula cœlorum? Angeli enim uota sua sperata diutius receperunt & hymnũ dixerunt. In alleuatiõe portarũ lux in cœlis, splendor in ianuis, quia Christus rursum ascendit, procedens de thalamo suo, ascensurus in throno suo Vnde sanctus Dauid posuit organum suũ in foribus cœlorũ, cantans canticũ nouũ, Quoniam qui descendit, ipse est qui ascendit super omẽs cœlos. Lætioribus ergo fistulis organum tangens resultat, & dicit protoferum æterni consulis cernens, non auro gemmisq̃ decorum, sed nubium glacie candidatum. Qui ponit, inquit, nubem ascensum suum, qui ambulat super pennas uentorum. Iam enim super aspidẽ & basiliscum ambulauit, & conculcauit leonem & draconem: Pede mortis, plausu resurrectionis. Mirabilis in oculis nostris clarificatus coruscat ascensionis uirtutibus, sedens super nubem leuem, compluẽs apostolos pacis hæreditate & testamentaria charitate: Pacem, inquit, meam do uobis, pacem relinquo uobis. Ad hanc melodiam sonantiũ organorũ ante aulam regiam cœlorum inuitati sequuntur apostoli, benedictionis gratiam petituri: gradiuntur cum domino filij sponsi pignus accepturi spiritussancti. Leuans autẽ manus suas benedixit eos, dedit eis arram spon
D salem muneris preciosam, non ex auro gemmisq̃ distinctam, sed charitatis ansulis contextam catenã, qua alligati sequant̃ eum ad spõsam agni Hierusalem patriam sempiternam. Domine, inquiũt, quare nos derelinquis ascendens, qui nos elegisti in ripa pręcedens? Domine quando sumus uerba tua super mel & fauum eminus percepturi, & stillantis rotantisq̃ gratię balsamum de tuis labijs ac faucibus libaturi? Aut instrue quò ascendis, aut ne deseras cum ascendis: quasi scuto benignitatis tuę remansimus in aperto nudati, tanquam pupilli matris amplectentis pennatæ uelamine destituti. Quãdo uenies ad nos, qui redemisti nos? Mors tua fuit peccatũ nostrum, sit ascensus tuus pignus nostrum, ne nimis absorpti mœrore mergamur, quos eleuasti de gemitibus inferorũ. Ascẽdens ergo dominus alumnorum suorum tristitiã excelsa de nube suspiciens, emittit consolatores mœroris, nuncios ascendentis & indices reuertẽtis. Viri, inquiunt, Galilęi quid statis aspicientes in cœlũ? hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlũ, sic ueniet quẽadmodum uidistis eum euntẽ in cœlũ. Sic ueniet. Vna erit euectio, una lętitia nubifera, una species mãsueta, sed iustis clarifica & peccatorib. metuenda. Non uos terrebit aduentus, quos consolatur eius ascensus. Sic ueniet, clauorum uulnera illæsa demõstrans, & foraminum cruenta monilia. Vobis filijs spõsi cũ coronam cœlestis exhibebit imperij, crucis uulnera non mutabit, quia signum filij hominis fulgebit. Accepto ergo Apostoli ascendentis mandato, desuper uenturo sanctispiritus pignore precioso, in templo erant unanimes collaudantes dominum, ut una eos inueniret corona ignea aduentantium gratiarum. In templo ergo

ergo fratres ſemper unanimes demoremur, & in domo domini ambulantes cum concordia pacis eius ſperemus aduentum, & in templo eius omnes dicamus gloriam, ut etiam ignis gratię inſidat ſuper nos, Amen.

In eodem feſto: Sermo VII

Ser. CLXXX

D ELECTA Taſpicere Chriſtum dominum portatorijs nubibus aſcendentem, cum reſurgens à mortuis reuerti cœpit ad cœlũ, unde uenerat ſaluare genus humanum. Qui ſunt qui expectant aſcendentem, qui uiderũt reſurgentem, fugerunt pendentem, & ſequuntur oculis aſcendentem? Timor in cruce, amor in nube, uiſus delectabilis in aere. O dulcis deſcendẽtis affectus, ò delectabilis euolãtis aſpectus. Facit uale, & benedicit in pace. Illi ſe commendant, & ille benedictionis gratiam relinquit. Benedicit eos extenſis manibus, & præparatis in occurſum imponit nubibus. Finit eloquiũ, & iam repetit cœlum. Candida em̃ ſubito apparuit nubis euectio, parata in cœlo. Apparuit nubes, intrauit in eam, qui educit nubes ab extremo terrę, ut oblectaret oculos eorum nubis amœnitas, & irroraret eos aſcendẽtis de cœlo ſuauitas, ne ſola deſiderantium inanis remaneret anxietas. Ecce in clypeo Actuũ apoſtolorum pendentiũ uiuunt picta lumina piſcatorum, adeſt conſolator qui aſcendit ſaluator: Mittit continue duos cœleſtes prætores, ut alumnos ſuos ſecuros redderet metuẽtes, & in gaudium conuerteret lachrymantes. Oportebat enim cœleſtes mitti cõſolatores, ne remanerent trepidi piſcatores. Nam & cum Imperator de urbe trãſit ad urbẽ & eius nunciatur aduẽtus, nõ mittuntur niſi domeſtici prætores ac palatini, ut nuncient prouincialibus q̃ eſt regis aduentus aut reditus: ita & domino aſcendẽte prætorũ cœleſtium turba reſplenduit decãtantiũ, ut tanq̃ prouincialium reſpirare facerẽt à timore corda paſtorum. Quando etiã patitur ac reſurgit, domeſtici angeli deſtinantur, ut à nube ac prætorio monumenti reſurrexiſſe nunciarẽt dominum cœli: & nunc cum aſcendit, de choro præcedentiũ poteſtatum, de multitudine cantantium in aere caſtrorũ, duo palatini cœleſtis imperij diriguntur, ut & flebilia requieſcerent lumina piſcatorum, hymnum cœleſtem recitãt: Piſcatores uiri, inquiunt, Galilęi, quid aſpicitis in Ieſum euntem in cœlum, ſic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum. Profectus eſt deſiderabilis, non ueniet uobis terribilis: nubes in occurſu, nubes in reditu. Vulnera portauit, ipſa iterum reportabit. Crucem retulit cum triumpho, ſignum filij hominis uobis parebit in cœlo: Sic ueniet ipſo corpore, in ipſa nube, in ipſa ueritate, uobis in amore, impijs in tremore. Beati quibus uere dicitur, Sic uenies quẽadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum. Nunquid ſic ueniet oculis peccatorum? Ipſa erit ueritas, ſed nõ erit ipſa ſecuritas. Dies erit tremẽdi iudicij, deſcenſus angelorũ, reſurrectio mortuorũ. Aſcẽdent angeli & quodam digito tubæ ſonãtis, tangent ſepulchra terræ trementis, ut pignora reſtituãt throno igneo iudicãtis. Aſcendẽt angeli ad ſepulchra prophetarum & ipſorum apoſtolorũ omniumq̃ ſanctorum, & dicent eis, Ecce eſt qui ſic iterũ redit quomodo aſcendit. Nos diximus, quia ſic ueniet quomodo eum uidiſtis euntẽ in cœlum: qui deduxiſtis euntẽ, ſuſcipite redeũtẽ. Iſta allocutio non eſt linguarum ſeptuaginta, ſed patẽter nubes dicuntur pluuiales, ut occurrant in rore & refrigerosa amœnitate, qui conſcientiæ nõ cõtinent quæſtionem. Petamus ergo à domino deo noſtro, ut ſicut hodie aſcenſionis celebramus tempus & diẽ, ita reuertentis mereamur matutinã ſuſcipere pietatẽ, ut dicamus ei, Mane adorabo domine, mane aſtabo tibi & contemplabor te.

A

C

In uigilia Pentecoſtes, de expoſitione ſymboli: Sermo I

SERMO CLXXXI

B NOTVM eſt dilectiſſimi charitati ueſtræ quòd milites ſeculi beneficia tẽporalia à temporalib. dominis accepturi, prius ſacramentis militaribus obligantur, & dominis ſuis fidem ſe ſeruaturos profitentur: Quanto magis ergo æterno regi militaturi & æterna præmia percepturi, debent ſacramentis cœleſtibus obligari, & fidem per quã ei placituri ſunt publice profiteri: dicit em̃ Apoſtolus, Sine fide impoſſibile eſt placere deo. Hanc in cordib. noſtris agnoſcit qui ſcrutatur renes & corda. Sed propter conſeruandã eccleſiæ unitatẽ, diſpenſationi huius tẽporis cũ fidecordis neceſſaria eſt oris cõfeſſio: Quia corde creditur ad iuſtitiã, ore aũt confeſſio fit ad ſalutẽ, non tantũ prædicatorum ſed etiam eruditorum. Non enim aliter frater de fratre ſentiret, nec pax eccleſię ſeruaretur, nec alium docere aut ab alio diſcere ſaluti neceſſaria poſſet, niſi quod in corde habet, ſignis uocum tanq̃ ſuis uehiculis ad corda aliorum tranſmitteret. Eſt ergo fides & corde ſeruanda & ore promẽda. Fides namq̃ omniũ bonorũ eſt fundamentũ, & humanę ſalutis initiũ. Sine hac nemo ad numerum filiorum dei poterit peruenire, & ſine ipſa in hoc ſeculo nec iuſtificationis cõſequitur gratiã, nec in futuro poſſidebit uitam æternam. Et ſi quis non ambulauerit per fidem, non peruenietad ſpeciem. Hoc attendentes ſancti apoſtoli, certã regulam fidei tradiderunt, quam ſecũdum numerum apoſtolicum duodecim ſentẽtijs comprehenſam, ſymbolum uocauerunt, per quã credentes catholicam tenerẽt unitatem, & per quam hęreticã conuincerent prauitatem. Symbolum ergo tali ratione inſtitutum maiores noſtri dixerunt. Tradũt enim, quòd poſt aſcẽſionem domini & ſaluatoris noſtri ad patrem, cum per aduentũ ſpirituſſancti diſcipuli eius inflammati linguis omnium loquerentur ad ſingulas quaſq̃ nationes, ut dei uerbum prædicarent, ituri ac diſceſſuri ab inuicẽ, normam prius ſibi futuræ prædicationis in cõmune ſtatuerunt, ne localiter ab inuicẽ diſcedentes, diuerſum uel diſſonũ prędicarent his qui ad fidẽ Chriſti inuitabantur. Omnes igitur in uno poſiti & ſpiritu ſancto repleti, breue ſuæ prædicationis indiciũ cõferendo in unũ, quod ſentiebat unuſquiſq̃ computabat, atq̃ hãc ita credentibus dandã eſſe regulam inſtituũt. Symbolũ breue eſt uerbis, ſed magnum eſt ſacra-

Heb. 11

Rom. 10

eſt ſacramẽtis. Quicquid em̃ præfiguratum eſt in patriarchis, quicquid denũciatũ in ſcripturis, q̃cquid prædictũ eſt in prophetis, uel de deo ingenito, uel ex deo in deũ nato, uel de ſpirituſancto, uel de ſuſcipiẽdo omni ſacramento, uel de morte dñi reſurrectionis q̃q̃ eius myſterio, totũ breuiter hoc ſymbolũ cõtinet, & cõtinẽdo habet & cõfitendo. Diſcat ergo quiſq̃ fidem apoſtolicã profeſſus per ora geſtantiũ in baptiſmo, cũ ad annos intelligibiles uenerit. Iam ad iſtius ſymboli profeſſiõis ſacramentũ textũq̃, quod in hunc modũ incipit, Credo in deum patrem omnipotentẽ &c. In primis dilectiſſimi qualis ſermo ſit in ſymboli capite, diligẽter attẽdite. Ergo in primo habet credo. Vide q̃ dñs noſter nõ nos iubet diſcutere diuina iudicia, ſed credere: nec rationẽ requirere, ſed fidẽ ſimpliciter & immobiliter exhibere, Nõ dicit, credo deum, uel credo deo, quãuis & hæc ſaluti neceſſaria ſint. Aliud em̃ eſt credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illũ. Credere illi, eſt credere uera eſſe quæ loquit̃. Credere illũ, credere quia ipſe eſt deus. Credere in illũ, diligere illum. Credere uera eſſe quæ loquit̃, multi & mali poſſunt. Credũt em̃ eſſe uera & nolunt ea facere ſua, quia ad hoc pedũpigri ſunt. Credere aũt ipſum eſſe deũ, & dæmones poſſunt. Credere uero in deum, ſoli nouerunt q̃ diligũt illũ, qui nõ ſolũ nomine Chriſtiani ſunt, ſed & factis & uita, quia ſine dilectiõe fides inanis eſt. Cũ dilectione fides Chriſtiani, ſine dilectione fides dæmonis. Qui ergo nõ uolunt credere Chriſtum, adhuc nec dæmones imitantur. Iam credit Chriſtũ, ſed odit Chriſtũ, habet cõfeſſionẽ fidei in timore pœnæ, nõ in amore coronę. Nã & illi puniri timebãt. Deniq̃ beatus Petrus cũ dño cõfitens diceret, Tu es Chriſtus filius dei uiui: eadem penè uerba quæ dæmones, proferre uidet̃ ex ore, ſed illorũ cõfeſſio quia cũ odio prolata eſt Chriſti, merito dãnata eſt: Illius quia ex interna dilectione proceſſit, æterna beatitudine remunerata eſt. Nos ergo qui per adoptionẽ gratiæ filij dei ſumus, dicendo, Credo in deum patrẽ omnipotentẽ, hoc ſic ei credamus ut ei per dilectionẽ adhæreamus. In deum patrẽ omnipotentẽ. Aduertite quòd cũ dei patris nomen in confeſſione coniungit, oſtendit quòd nõ antè deus eſſe cœpit & poſtea pater, ſed ſine ullo initio & deus ſemper & pater eſt. Patrem autem cum audis, agnoſce quòd habet filium ueraciter genitum: quomodo poſſeſſor dicitur qui aliquid poſſidet, & dominus qui alicui dominat̃. Deus ergo pater ſecreti ſacramenti uocabulũ eſt, cuius uere filius eſt uerbum. Nec quæratur quomodo genuit filium, quod & angeli neſciunt, Prophetis eſt incognitũ. Vnde illud dictum eſt, Generationem eius quis enarrabit? Nec à nobis diſcutiendus eſt deus ſed credendus. Sed ut breuiter dicamus, ſufficit nobis ſcire quia genuit lux ſplẽdorẽ. Omnipotentẽ uero ideo dicit, quia omnipotens eſt, cui nihil impoſſibile eſt, qui cœlũ & terrã, mare, homines, atq̃ omnia animalia & reptilia, non aliquo operis actu, ſed ſolo uerbi imperio, creauit. Et ideo nõ nobis ueniat in cogitationẽ, quomodo hoc aut illud potuit fieri, qui omnipotentem precemur confiteri. Et in Ieſum Chriſtum filium eius unicum dominũ noſtrum. Aduertite, quomodo in patrem, ſic & in filium credendum eſt. Et quia cum patre æqualis eſt maieſtate, tantum ipſi quantum & patri honoris nos debere nouimus & ſeruitutis obſequiũ. Ieſus aũt ſaluator interpretatur. Ieſus aũt dicitur q̃ ſaluet populũ. Chriſtus à chriſmate dicitur, qui ſicut antiqui reges oleo ſacro perfundebãtur, ita dominus noſter Ieſus Chriſtus ſpiritus ſancti infuſione repletus eſt. Vnicus ideo, q̃ nec comparationem recipit cum creaturis, nec ſimilitudinẽ, quia omnium rerum ſummus ipſe creator eſt. Homines autem filij dei uocantur per gratiam, ille ſolus filius genitus per naturam. Oſtendunt iſta in eũ iure credendũ eſſe, qui propter hoc quod æqualis patri eſt ſaluator noſter eſt redimẽs nos, & Chriſtus eſt rex regens nos, & unicus dominus noſter ſpoliato antiquo hoſte ſingulari dominio ſuo aſciſcens nos. Qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, id eſt, cuius conceptionis ſolus author fuit ſpirituſſanctus. Sicut enim uermis calefaciẽte ſole de puro limo format̃: ſic ſpiritu ſancto illuſtrãte & ſanctificante cor uirginis, caro Chriſti de ſola carne uirginis nulla ſemẽtiua carnis origine operante cõcepta eſt. Vnde ſe uermi cõparans, per Pſalmiſtam dicit, Ego ſum uermis & nõ homo, id eſt, non cõceptus more humano. Natus ex Maria uirgine. Qui ueniebat inueteratã peccatis hominum renouare naturam, nouam legẽ uoluit habere naſcendi. Vnigenitus igitur dei factus eſt hominis filius: ut qui creator mũdi erat, fieret & redemptor. Quod uero maieſtatis deus de Maria incarnatus eſt, non eſt ſordidatus naſcendo de uirgine, qui non fuit pollutus hominẽ cõdens ex puluere. Deniq̃ ſol aut ignis ſi lutum tangat, quod tetigerit purgat, & ſe tamẽ nõ inquinat. Nec fuit deo iniuria cauſa miſericordiæ, neq̃ ſit incredibile quod ipſe natus de uirgine, qui Adam de uirgineo puluere, & primã mulierem potuit de coſta formare. Deus filiũ ſuũ quẽ ſolũ de corde ſuo æqualem ſibi genitum tanq̃ ſeipſum diligebat, ipſum dedit Mariæ, ut naturaliter eſſet unus idemq̃ cõmunis filius dei & Mariæ. Omnis natura à deo creata eſt, & deus ex Maria natus. Deus omnia creauit, & Maria deum generauit. Deus qui omnia fecit, ipſe ſe ex Maria fecit, & ſic omnia quæ fecerat refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea uiolata ſine Maria reficere. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus mortuus & ſepultus. Iſte Pilatus iudex erat in illo tempore ab imperatore poſitus in Iudæa, ſub quo dominus paſſus eſt. Cuius mentio ad temporis ſignificationem, non ad perſonæ illius pertinet dignitatem. Crucifixus. Hinc multa prophetæ prędixerũt, qualiter crucifixus in cruce in conſpectu populi maligni manibus extenſis pependerit. Tamen ut breuiter dicatur, in cruce ſuſpenſus eſt, ut nos à damnatione ligni uetiti diſſolueret, & à morte liberaret. Sed quæritur, quid ſit crucis ſignificatio, & quare dominus in patibulo pati ſe elegerit? Ad quod tripartita ratio reddi-

A

B

C

D

Pſal. 21

Iſaie 53

tur. Prima, ut Christus pro reatu mũdi redemptio daretur, & antiquus hostis uelut hamo crucis pateretur, scilicet, ut quos absorbuerat euomeret nõ potentia uictus sed iustitia. Secũda causa est, ut secutoribus hominibus uitæ magisteriũ præberet. Ad hoc enim ascendit in crucem, ut nobis passionis & resurrectionis præberet exemplum. Tertia causa est susceptæ crucis, ut superbia seculi & inflata sapientia, per crucis stultam, ut putatur, prædicationem humiliata corrueret, & sciret id quod stultum est dei, sapientius esse hominibus. Sed adhuc uidendũ est, quare dominus tale genus mortis elegerit. Legimus em̃ in euangelio quòd Pharisæi uoluerunt eum præcipitare de monte, At ille transiens, per medium illorum ibat. Alibi quoque legimus quod Iudæi tulerunt lapides ut iacerẽt in eum, ipse uero abscondit se; & exiuit de templo. Quare noluit dominus præcipitari, uel lapidari, aut etiam gladio truncari? Vtique causa nostræ salutis hoc fecit. Mors enim Christi signum est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari aut etiam gladio percuti, quia uidelicet nos semper nobiscum lapides aut ferrũ ferre non possumus quibus defendamur, Elegit uero crucẽ, quæ leui motu manus exprimitur, qua & cõtra inimici uersutias munimur. Hoc enim signo crucis consecratur corpus dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam presbyteri & cæteri gradus ecclesiastici, & omnia quæcunq; sanctificantur, hoc signo dominicæ crucis cũ inuocatione Christi nominis cõsecrantur. Nã & ipsa crux magnũ in se mysteriũ continet, cuius positio talis est, ut superior pars cœlos petat, inferior terræ inhæreat, fixa in infernorum ima contingat, latitudo autem eius partes mundi appetat. Quia & Christus per passionẽ crucis angelis profuit in cœlo, quorum numerus quia per apostatam angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium quotidie adimpletur: & nobis qui sumus in terra, & illis qui propter originale peccatum detinebantur apud inferos, sed & ipsis qui in diuersis mundi partibus habitabant. Iacens uero crux quatuor mundi partes appetat, Orientem uidelicet & Occidẽtem, Aquilonem & Meridiem: quia & Christus per passionem suam omnes gentes ad se trahit, & omnia sibi subiugauit, iuxta quod
Mat.28 ipse surgens à mortuis, dicit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Continetur etiam in hac crucis figura altius sacramentum, quod quanto est altius, tanto attendendum diligentius. Intelligitur namq; in latitudine crucis dilectio proximi, quæ non tantum usq; ad amicos, sed etiã extendenda est usq; ad diligẽdos inimicos. Intelligitur quoq; in eiusdẽ longitudine longa & perseuerans laborum & persecutionum sustinẽtia, quam patienter ferre debet ad patriam suspirans nostra peregrinatio, tam pro dilectiõe proximorũ quàm pro exhibitione omnium bonorũ operum. Figurantur simili ratione in altitudine eius eminentia spei, penetrãs usq; ad interiora uelaminis: ubi uisione pacis perfruent̃ qui hic à ciuibus Babyloniæ multipliciter exercent̃, donec in libertatẽ gloriæ filiorũ dei à seruitute corruptionis huius liberentur. Attẽdenda est etiam crucis profunditas, quia profundum est mysterium crucis, in quo multorũ qui sapientes dicuntur ingenia defecerunt: quòd ausi sunt reprehẽdere quod nõ potuerunt humana ratione cõprehendere: uidelicet cur uerbũ deo patri coæternũ omnia cõtinens, omnia implẽs, in assumpto homine totũ se conclusit, & tamen totũ mundum regere, cõplere & continere nõ desierit. Nulla ergo sit nobis de cruce Christi cõfusio, quia habemus de eius passione uictoriam. Sicut enim sempiternus dei filius non sibi sed nobis natus: ita immaculatus dei agnus non sibi sed nobis passus est. Quis autem non mirificum aduertat esse mysterium, ubi ipse homo prædicatur qui deus est, & ubi idem dominus annunciatur qui adscribitur crucifixus? Nec incogitata ei quod peremptus est aut improuisa res accidit, qui diuinitatis suæ consilio idcirco suscepit hominẽ, ut pro homine posset occidi. Supplicium autem crucis elegit, ut sublimiorem uictoriam pararet pœna deterior, et qui uniuersitatis bono patiebatur, quasi in conspectu mundi in altum sublatus occumberet, simul ut qui crucifixum uidebant, mirabilia cernerent crucifixi. Nam satis abundeq; gloriam patientis ostendit repentina solis obscuritas, tremor terrarum, saxorum diuisio, resurrectio mortuorum. Illud autem quanti est testimonij, quòd etiam pariter crucifixus latro memoriam sui in cœlesti regno fieri à cõsorte supplicij precabatur. Hinc est charissimi q illusiones & probra quę pertulit Christus, crucem mortemq; eius non suspirijs ingemiscimus, sed cõtinuis celebramus laudibus. Mors domini nostri Iesu Christi non fuit in anima, sed in sola carne: mors uero nostra non solum in carne sed etiam in anima. In anima propter peccatũ, in carne propter pœnam peccati. Ille uero quia peccatum nõ fecit, nec habuit in anima, non est mortuus nisi in carne tantũ, et hoc per similitudinẽ carnis peccati quam de Adã traxit. Igit̃ simpla eius mors profuit duplę morti nostræ, & simpla eius resurrectio, resurrectioni animæ & corporis. Resurrectio quippe eius duas mortes nostras soluit, & duas resurrectiones nostras formauit. Nec immerito uno die & duabus noctib. iacuit in sepulchro, quia uidelicet luẽ suæ simplæ mortis, tenebris nostræ duplæ mortis adiunxit. Venit em̃ ad nos qui in morte carnis & spiritus detinebamur, & suam unam mortẽ carnis detulit, duasq; nostras soluit. Si em̃ ipse utrãq; susciperet, à nulla nos liberaret. Sepultus est, ut ad consolationem sepultorum benedictionẽ corporis eius & terra susciperet. Infirma incarnati uerbi cõmemorãtur, de quibus Apostolus dicit, Quod 1 Cor.1
infirmum est dei, fortius est hominibus. Natus est ex uirgine, ut nos nasceremur ex ecclesiæ uirginis utero. Tentatus est, ut à tentatione liberaret. Tentus, ut dimitteremur. Ligatus, ut nos à nodo male dictionis absolueremur. Illusus est, ut nos ab illusionibus dæmonum liberaret. Venundatus est, ut nos redimeret. Humiliatus est, ut nos exaltaret. Captus est, ut nos à captiuitate dæmonum auferet

ret. Spoliatus est, ut nuditas primi hominis per quam mors ingressa est tegeretur. Spinis coronatus est ut nos liberaret à spinis peccatorum, uel potius ut monstraret se cum eis coronandum, illosq; caput & coronam Ecclesiæ futuros, qui spinosi erant amando uitia. Aceto est potatus, ut nos inebriaret dulcedine cœlestis desiderij & ęterni gaudij. Postremo in altari crucis sacrificatus est, ut totius mundi peccata deleret. Mortuus est, ut mortis captiuaret imperiũ. Sepultus est, ut sepulturæ sanctorum benediceret, & ut nos sibi uitijs & concupiscentijs sepeliret. Hæc ergo infirmitas Christi superauit omnem firmitatem mundi. Descendit ad inferna, ut Adam protoplastum, & patriarchas, & prophetas, omnesq; iustos qui pro originali peccato ibidem detinebant̃ liberaret, & ut de uinculis peccati absolutos, de eadẽ captiuitate & inferni loco, suo sanguine redemptos ad supernã patriam, & ad perpetuæ uitæ gaudia reuocaret. Reliqui qui supra originale peccatũ principalem culpam cõmiserunt, ut asserit scriptura, in pœnali tartaro remãserunt: sicut in persona Christi dictũ est
Osee 13 per prophetam, Ero mors tua ò mors: id est, morte sua Christus humani generis inimicã mortem interfecit, & uitã dedit. Ero morsus tuus inferne. Partim momordit infernum pro parte eorum quos liberauit, partim reliquit pro parte eorum qui pro principalibus criminib. in tormentis remanserũt.

Tertia die resurrexit à mortuis. Si credidisti de Christo quod dedecoris est, crede quod gloriæ est. Si credidisti quod mortis est, crede quod uitæ est. Sicut enim in passione mysterium pietatis est, ita in resurrectione operatio potestatis, ut ipse ait,
Ioan.10 Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Ascendit ad cœlos, id est conditionem naturæ nostræ quam ex homine matre natus assumpsit, super cœlos in dextera dei patris collocauit. Ascendamus & nos cum Christo interim corde, ut cum dies eius promissus aduenerit sequamur & corpore. Scire tamen debemus fratres, quia cum Christo non ascendit superbia, nõ auaritia, non luxuria, nullum uitiũ nostrum ascendit cum medico nostro: Ideo si post medicum desideramus ascendere, debemus uitia uel peccata deponere. Omnes enim quasi quibusdam compedibus nos premunt, & peccatorum retibus nos ligare cõtendunt, & ideo cum dei adiutorio secundũ
Psal.2 quod ait psalmista, Dirũpamus uincula eorum: ut
Psal.115 securi possimus dicere domine, Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiã laudis. Sedet ad dexteram dei patris omnipotẽtis. Sedere iudicãtis est: Et quia redemptor noster assumptus in cœlum, & nunc omnia iudicat, & ad extremum iudex omnium ueniet, sedere describitur. Inde uenturus iudicare uiuos & mortuos. In ipso corpore uenturus est ad iudicium, in quo ascendit ad cœlũ, Christianos iudicaturus & Paganos, iustos & peccatores, fideles & impios. Omnes enim, ut ait Apo-
2.Cor.5 stolus, astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis sui prout gessit, siue bonum siue malum. Quam rem etiã dominus in euangelio denunciat dicens, Filius hominis ueniet
Mat.16 turus est in gloria sua cum angelis suis, & tũc reddet unicuiq; secundum opera sua. Diligenter quæso attẽdite fratres, & mecum pariter expauescite, quia non dixit, ut reddat unicuiq; secundum misericordiam suam, sed secundũ opera. Hic enim est misericors, ibi iustus. Nam quod nõ statim in peccatores uindicat, patientia est nõ negligẽtia. Non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiã reseruauit. Vnde ualde timendũ est, ne quanto diutius expectat ut corrigamur, tãto grauius uindicet si emendari noluerimus. Scire & intelligere debemus fratres charissimi, nihil nobis esse salubrius q̃ ut damnatis omnium pręsentium rerum uoluptatibus, id potius cogitemus quando erimus de hoc seculo transituri, uel quãdo tabernaculum corporis ultimo die superueniente deposituri, & iterũ illud resurrectiõis tempore recepturi, ut cũ eodem recipiamus prout gessimus, siue bonũ siue malũ. Et ideo rogo fratres ut quotidie cogitemus, quales erimus in die iudicij purissimis angelorum cõspectibus offerendi, & æterno iudici rationem de libris conscientiæ reddituri, remotis omnibus probationibus. Certum est in die illa ipsum ante se hominem constituendum, & ipsam sibi uitam in cordis speculo demonstrandam, & testes contra eam non deforis aliquãdo sed intus de ipsa anima proferendos. Adijcienda erunt nõ aliqua peregrina, sed nimiũ nota testimonia, id est, opera sua. Ordinabuntur ante infelicẽ animã peccata uel crimina
Psal.49 sua, ut eam & cõuincat probatio, et cõfundat agnitio, secundũ illud quod scriptũ est, Arguã te & statuam contra faciẽ tuam. Quicunq; se modo dum licet emendare neglexerit, ante illum cœlestẽ populum primum excepturus erit de confusione supplicium: & anima quæ modo per pœnitentiam compendiosam transactas peccatorum suorum putredines curare dissimulat, ante illud tribunal metuendum sine ullo remedio in perpetuo tartaro manebit. Quæ cum ita sint, bene nobiscũ ageretur, si iam nunc sic pœniteremus super malis nostris, quomodo tunc sine ullo remedio pœnitebimus: si fœditates & confusiones nostras, quemadmodum tunc uisuri sumus, sic iam eas nunc uidere & horrere possemus. O si iam faciem nunc peccatricis animæ liceret oculis corporis intueri, & conscientiæ nostræ uultum in oculorum præsentiam permitteremur adducere: quod si liceret, nec dici potest quanto studio, quanto metu urgeremur fœdata componere, maculata tergere, uulnerata curare. Ideoq; quia nõ possumus oculis corporis, inspiciamus nos in quãtum possumus oculis cordis, & unusquisq; cõscientiam suam ante conspectũ interioris hominis cõstituat: ipsi nosmetipsos castigemus, ipsi nobiscum rationem de quotidiana cõuersatiõe faciamus, ipsi nos accusemus quotidie iudici nostro, & dum in carne sumus contra ipsam carnem auxiliãte domino quotidie dimicemus. Quod qui fecerit, ab auditu malo liberabit̃. Qui autem contemnit, quid faciet in illo metuendo iudicij die, cũ tremente mundo dominus præcinen-

cinctibus angelorũ buccinis,in illo maiestatis suæ
throno circũdatus cœlestis militiæ luce cõsederit: A
ibiq; de terræ gremio & antiquo puluere suscitato
humano genere,astante testimonio cõscientię sin
gulorum, positis in cõspectu peccatorum pœnis
iustorumq; præmijs,rationem uitæ cœperit postu
lare, & plus iam iustus q̃ misericors seueritate iu-
dicis, contemptæ misericordiæ reos.cœperit accu
sare & dicere, Ego te homo de limo manibus me-
is feci,ego terrenis artubus infudi spiritum, ego ti
bi imaginem nostram similitudinemq; cõferre di-
gnatus sum, ego te inter paradisi delicias colloca-
ui:tu uitalia mãdata contemnens, deceptorem se-
qui q̃ deum maluisti. Cum expulsus de paradiso
iure peccati mortis uinculis tenereris, uirginalem
uterum sine dispendio uirginitatis pariendus in-
troiui.In pręsepio expositus,& pannis obuolutus B
iacui:infãtiæ cõtumelias humanosq; dolores,qui-
bus tibi similis fierẽ,ad hoc scilicet ut te mihi simi-
lem facerem pertuli: irridentium palmas & sputa
suscepi,acetum cum felle bibi: flagellis cæsus, ue-
pribus coronatus,cruci affixus, uulnere perfossus
ut tu eripereris morti, animã in tormentis dimisi:
En clauorum uestigia quibus affixus pependi, en
perfossum uulneribus latus.Suscepi dolores tuos,
ut tibi gloriã darẽ,suscepi mortem tuam ut in æter
num uiueres.Conditus iacui in sepulchro, ut tu re
gnares in cœlo. Cur quod pro te pertuli perdidi-
sti? Cur ingrate redẽptionis tuæ munera renuncia
sti? Non te ego de morte tua quæro,redde mihi ui
tam tuam pro qua meam dedi. Redde mihi uitam
tuam, quam uulneribus peccatorũ indesinẽter oc C
cidis.Cur habitaculum quod mihi in te sacrauerã,
luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus meum ille
cebrarum turpidine maculasti? Cur me grauiore
criminum tuorũ cruce,q̃ illa in qua quondam pe-
penderam afflixisti? Grauior enim apud me pec-
catorum tuorum crux est in qua inuitus pendeo:
quàm illa in qua tui misertus mortem tuam occi-
surus ascendi. Cum essem impassibilis, pro te pati
dignatus sum: sed tu despexisti in homine deum,
in infirmo salutem: & quia post omnia mala tua
ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti,
ab auditu malo non mereberis liberari. Qui tunc
erit stridor dentium, cum sanctorum multitudine
ad dexteram regis & ad gloriam segregata, pecca
ti populus in profundo tartari sine ulla miseratio- D
nis ac ueniæ spe demersus,excludi se tenebris suis
à beata sanctorum luce uiderit:& in profundi sinũ
sine fine descendens urgente os suum puteo æter
na supplicia & perpetuam mortem non moritu-
rus aspexerit? Frustra aũt à paupere, quem in hac
uita despexit, misericordiã postulabit: frustra ex-
tremũ Lazari digitum,quo ardens refrigeretur,ar
dentibus labijs rogabit apponi. Quàm uellet mi-
ser,cum pauperũ gloriã uiderit,duris quondã pau
pertatis subiacuisse laboribus, & illa quæ cum ui-
ta morerentur mala portasse, ne ad illa æterna me
reretur supplicia peruenire. Vt ergo tam dura &
tam terribilia unde illud tribunal ęterni iudicis nõ
mereamur audire, dum adhuc licet & cum dei ad-
iutorio in potestate nostra est,consideremus cõsci
entias nostras: & si aliqua crimina uel peccata ca-
pitalia,nec dum eleemosynis & orationib.purga-
ta,nobis adhuc dominari cognoscimus,portũ pœ
nitentiæ deuictis peccatorũ fluctibus Christo iu-
uante festinemus intrare.Et si quid in nauicula ani
mæ nostræ multis tempestatibus peccatorũ flucti
bus,aut per superbiam fractum, aut per auaritiam
ruptum, aut per luxuriam resolutũ esse cognosci-
mus, componere uel reparare bonis operibus fe-
stinemus. Studeamus iugiter uitiorum exhaurire
sentinam. Non enim nocent peccata præterita, si
non placent præsentia. Sicut enim nulli iustorum
sufficit iustitia sua, si non perseuerauerit usq; in fi-
nem: ita nulli peccatorum nocere poterit iniqui-
tas sua, si antequam de corpore isto discedat,ad e-
leemosynarũ remedia uel ad pœnitẽtiæ medica-
menta cõfugerit.Sed quia quãdo uel qua hora de
hoc seculo rapiamur scire nõ possumus, sine ulla
dilatiõe uel mora de sinistra fugere festinemus ad
dexteram. Nõ sanitati, non ætati credendum est.
Non in remedium salutis suæ semper finis tardan-
dus est, qui uitæ suæ semper incertus est: quia qui
nos securos facit dicendo,Peccator in qua die cõ- Ezech.3
uersus fuerit, omnes iniquitates illius obliuioni
traduntur:ipse nos etiam cautos uoluit,dicẽs,No- Eccl.5
lite tardare cõuerti ad dominum, nec differatis de
die in diẽ. Conuertamur ergo ad meliora, dum in
nostra sunt potestate remedia. Hic extinguamus
mortem moriendo peccatis, hic uitam uitæ meri-
tis acquiramus. Hæc ergo fratres dilectissimi sapi
enter ac fideliter cogitantes, ad pœnitentiæ reme
dia cõfugere festinemus, & per castitatem uel hu-
militatem,per opera iustitiæ ac misericordiæ, æter
na nobis apud deum cõparemus. Sed ut ad id re-
deamus unde digressi sumus, sequitur in hoc san-
cto symbolo, Credo in spiritũ sanctũ. Aduertite
ꝙ sicut in patrem, ita & in filium & in spiritum san
ctum sit credendum. Nam qui uel in unam de tri-
nitate personam nõ crediderit,in duabus illi credi
disse non proderit. Fides nanq; catholica hæc est,
ut unum deum in trinitate, & trinitatem in unita-
te ueneremur, credamus & colamus & confitea-
mur, Et in hac trinitate nihil prius aut posterius,
quia sicut nunquã pater sine filio,nec filius sine pa
tre, sic & nunq; fuit pater & filius sine spiritu san-
cto. Coæterna ergo est sancta trinitas, & insepa-
rabilis unitas, sine initio & sine fine. Nihil maius
aut minus. Æqualitatẽ ꝑsonarũ dicit, quia sancta
trinitas æqualis est,& una est deitas, Apostolo di-
cente atq; docẽte, Per ea quæ facta sunt intellecta Rom.1
conspiciuntur, & per creaturam creator intelligi-
tur, secundũ has comparationes & alias q̃plures.
Sol, candor & calor, & tria sunt uocabula, & tria
unum. Quod candet, hoc calet, & quod calet,
hoc candet: tria hæc uocabula, res una cognosci-
tur:ita pater & filius & spiritus sanctus,tres perso-
næ in deitate unum sunt,& indiuidua unitas recte
creditur.Itẽ de terrenis,uena, fõs, fluuius, tria hęc
uocabula,& tria unũ in sua natura:ita triũ persona
rũ patris & filij & spiritussancti substãtia & deitas
unum

unum est. Neq; patris persona, neq; spiritussancti,
sed sola filij suscepit carnẽ.Et ut hoc intelligas,cõ- A
parationibus utar. Certe ut intelligas ex creatura
creatorẽ, in anima est & ratio: & cum sint unum,
aliud agit anima,aliud ratio: anima uiuimus, ratio
ne sapimus. Ita pater & filius & spiritussanctus, cũ
sint una substantia, tota trinitas operata est homi-
nem,quem assumpsit nõ tota trinitas, sed sola per-
sona filij.Et licet ipse dei filius deus & homo esset,
homo tantũ passioni subiacuit. Sicut uerbi gratia,
uidemus arborẽ splendorẽ solis in se habentẽ, &
cum incidit,uidemus quia ictus feriẽtis ferri splen
dorem solis excipit priusq; pertingatur lignũ: sed
splendor cum ibi sit,nõ potest nec incidi, nec à do
lante separari.Sic etiam diuinitas nec separari po-
test nec incidi.Illud aũt passioni subiacuit, quod si
cut lignum & ligari possit & teneri. Igitur sicut in B
patrem & filium, ita & in spiritum sanctum crede
re debemus. Hæc est charissimi inoffensa regula
ueritatis,ut quorum unum est & unum sunt, à no-
bis non separẽtur in terris. Nam sicut diuinitati ni
hil de creaturis æquari potest, ita omnẽ diuisionẽ
& inæqualitatẽ natura diuinitatis excludit.Secun
dum enim euangelicam ueritatem,sicut filius à pa
tre exiuit, ita & spiritus sanctus à patre procedit:
& sicut unigenitus filius dei est, ita & spiritus san-
ctus dei est: & sicut pater cui uult miseretur, & fili
us cui uult patrem reuelat, ita etiã spiritus sanctus
& inspirare legitur prout uult, & dona cœlestium
gratiarum diuidere prout uult. Vnde bene eiusdẽ
spiritus gratia septiformis à propheta describitur,
quia nimirum & per eius inspirationem ad requi- C
em peruenitur,& in eius plena perceptione ac ui-
siõe requies uera possidet. De quo recte ꝓmittit,
Ioan.14 Ipse uos docebit omia: quia nisi idem spiritus cor-
di assit audientis, ociosus est sermo doctoris. Ne-
mo docenti homini tribuat quod ex ore docentis
intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris
lingua exterius inuacuũ laborat. Vnde quia sine
eo nihil boni agere possumus, ipso opitulante ta-
les nos reddamus ad quos spiritus sanctus adueni
re, & in quibus habitare dignet. Sanctam eccle
siam catholicam.Sciendũ est ꝙ ecclesiam credere,
non tamẽ in ecclesiã credere debemus, quia eccle
sia non deus, sed domus dei est. Catholicam dicit
toto orbe diffusam,quia diuersorum hęreticorum
ecclesiæ ideo catholicæ non dicunt,quia per loca D
atq; per suas quasq; prouincias cõtinent.Hæc ue-
ro à solis ortu usq; ad occasum unius fidei splendo
re diffundit. Nullæ sunt maiores diuitiæ, nulli the
sauri, nulli honores, nulla huius mundi maior sub
stantia q̃ est catholica fides, quę peccatores homi
mines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, cate
chumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes
reparat,iustos augmentat,martyres coronat, cleri
cos ordinat,sacerdotes consecrat, regnis cœlesti-
bus præparat,& in ęterna hæreditate cum angelis
sanctis cõmunicat. Quisquis ille est, & qualiscũq;
Greg.uerba ille est, Christianus non est qui in Christi ecclesia
uerd.35 non est. Sola quippe est per quam sacrificium do-
minus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus
Aug.to.10
fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hostia
dominus præcepit dicens, In una domo comede- Exo.12
tis,nec efferetis de carnib. eius foras.In una namq;
domo agnus comeditur,quia in una catholica ec-
clesia uera hostia redẽptoris immolatur.De cuius Greg.uerba
carnibus diuina iussio efferri foras prohibet, quia
dari sanctũ canibus uetat. Sola est in qua opus bo
num fructuose peragitur, unde mercedem dena-
rij non nisi qui intra uineã laborauerãt acceperũt.
Sola est quæ intra se positos ualida charitatis com
page custodit. Vnde & aqua diluuij arcã quidem
ad sublimiora sustulit, omnes aũt quos extra arcã
inuenit,extinxit. Sola est in qua mysteria superna
ueraciter contẽplemur. Vnde ad Moysen dñs di-
cit, Est locus apud me, & stabis supra petram. Et Exod.33
paulopost,Tollam manum meã & uidebis poste-
riora mea. Quia enim ex sola catholica ecclesia ue
ritas conspicit, apud se esse locũ dñs perhibet de
quo uideatur. In petra Moyses ponitur ut dei spe-
ciem contẽpletur, quia nisi quis fidei soliditatem
tenuerit,diuinam præsentiam non agnoscit. Auel
le,inquit,radium solis à corpore, diuisionem lucis
unitas non capit. Frange ramũ ab arbore, fractus
germinare non poterit. A fonte præcide riuum,
præcisus arescit. In his Cypriani uerbis intelligi-
mus lucem non capere diuisionem, nisi in sanctis
regno dei prædestinatis, qui diuidi ab ecclesia nul
lo modo possunt: & nõ germinare ramum fractũ
salutis æternæ germine accipimus. Ariditatẽ ue-
ro riui à fonte præcisi,in eo quòd spiritu sancto ua
cuantur qui ab unitate separantur,agnoscimus.

Sanctorum communionem:id est,cum illis san
ctis qui in hac quã suscepimus fide defuncti sunt,
societate & spei communione teneamur. Si igitur
cum sanctis in æterna uita communionem habe-
re uolumus,de imitatione eorum cogitemus.De-
bent enim in nobis aliquid recognoscere de suis
uirtutibus, ut pro nobis dignẽtur domino suppli-
care. Si enim tormenta quæ sancti pertulerunt fer
re non possumus, uel contra malas concupiscenti
as, ipsis intercedẽtibus repugnemus. Nã nec A-
braham nec Isaac nec Iacob occisi sunt, & tamen si
dei & iustitiæ meritis honorati inter patriarchas
primi esse meruerunt. Ad quorum conuiuium cõ
gregatur, quisquis fidelis & iustus & laudabilis in
uenitur. Vnde & nos fratres charissimi etiam si nil
tale perpetiamur, si non uincula, non uerbera, nõ
carceres, non supplicia corporis alia, nullam ho-
minum persecutionem propter iustitiam tolere-
mus,societatem tamẽ sanctorum obtinere ualebi
mus, si castigare corpus nostrũ & seruituti subijcẽ
re curamus, si in spiritu humilitatis & in anima cõ
trita dño supplicare assuescimus, si illatas à proxi-
mo cõtumelias placida mẽte suscipere satagimus,
si & eos qui nos odio habẽt, qui iniurias nobis in-
ferunt,diligere,his benefacere,& pro horũ uita &
sospitate gaudeamus exorare,si cũ uirtute patien-
tiæ bonorũ quoq; operũ fructibus adornari con-
tendimus. Taliter etenim cõuersantibus nobis, &
corpora nostra,iuxta Apostoli uocem,hostiam ui
uentem, sanctam, deo placentẽ exhibentibus, cœ

leſti dignatione donabimur, ut cõmuni cũ eis qui mẽbra ſua in mortẽ pro dño dederunt gloria remuneremur: quia ſicut mors illorũ, ſic & uita noſtra precioſa ſit in cõſpectu dñi: diruptiſq; uinculis carnis & ipſi atria ſupernæ ciuitatis intrare atq; inter choros beatorũ martyrũ uota gratiarũ redẽptori noſtro reddere merebimur. Hæc ſunt ueſtigia quæ nobis ſancti quiq; reuertentes in patriam reliquerunt, ut illorũ ſemitis inhærentes ſequeremur ad gaudia. Cur non properamus et currimus, ut patriã noſtram uidere poſſimus? Magnus illic charorũ numerus expectat, parentũ, fratrum, filiorũ, freq̃ues nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua incolumitate ſecura, adhuc de noſtra ſalute ſolicita. Ad eorũ cõplexũ & conſpectũ uenire, quanta illis & nobis in cõmune lætitia eſt? Illic Apoſtolorum glorioſus chorus. Illic prophetarũ exultantium numerus inſignis. Ibi martyrũ populus innumerabilis ob certaminũ uictoriam coronatur. Illic clariſſimã uirginũ turba lætatur, illic etiam confeſſorum fortitudo laudat̃. Sed etiam illorum remuneratio cenſetur, qui præcepta dominica ſeruantes, ad cœleſtes theſauros terrena patrimonia trãſtulerunt. Quæ aũt lingua dicere, uel quis intellectus capere ſufficit illa ſupernę ciuitatis quãta ſint gaudia, angelorũ choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ cõditoris aſſiſtere, præſentẽ dei uultum cernere, incircũſcriptũ lumẽ uidere, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Ad hos electos dei auida cupiditate properemus, ut cũ his cito eſſe, & cito nos ad Chriſtum conuenire contingat, ad eum quem huius itineris ducem habemus, ſalutis authorẽ, lucis principem, læticiæ largitorem. Remiſſionem peccatorum. Credenda eſt præcipue fratres peccatorum remiſſio, quia hoc unum remedium eſt, quod hominum genus à ſententia perpetuæ mortis abſoluat. Idcirco unigenitus altiſſimi dignatus eſt carnem aſſumere, contentus eſt cruce, ut te qui crimina tua euadere nõ poteras, indulgentia faceret innocentem. Ideo immaculatus occiſus eſt agnus, ut eius cruore humani generis macula tergeretur. Miror aũt quoſdam ſic obſtinatos eſſe ut dandam non putent lapſis pœnitẽtiam, aut pœnitentibus exiſtiment ueniã denegandam, cum ſcriptum ſit,
Apoc.2 Memento unde excideris & age pœnitentiam, & fac priora opera. Vtiq; ei dicitur, quem conſtet excidiſſe, & quem dominus hortatur per opera rurſus exurgere, quia ſcriptũ eſt,
Tob.4 Eleemoſyna à morte liberat: & non utiq; ab illa morte quam ſemel Chriſti ſanguis extinxit, & aqua nos ſalutaris baptiſmi & redẽptoris noſtri gratia liberauit: ſed ab ea quæ per delicta poſtmodum ſurrepſit. Nam cũ ſcriptum ſit,
Sap.1 Dominus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum: utiq; qui neminem uult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiã denuo ad uitam redire. Ideo & per Iohel prophetã clamat & dicit,
Ioel.2 Et nunc dicit dñs deus ueſter, Reuertimini ad me ex toto corde ueſtro, ſimulq; in ieiunio, & fletu & plãctu, & ſcindite corda ueſtra & non ueſtimẽta ueſtra, & reuertimini ad dñm deũ ueſtrum, quia miſericors & pius eſt & patiens & multæ miſerationis, & qui ſententiam flectat aduerſus malitiam irrogatã. Dñs quoq; in euangelio pietatem dei patris oſtendens ait,
Matt.7 Quis eſt ex uobis homo quem ſi petierit filius eius panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem poſtulauerit, nunquid ſerpentem illi porriget? Si ergo uos cum ſitis mali, ſcitis bona data dare filijs ueſtris, quanto magis pater ueſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus eum? Comparat hic dominus carnalem patrẽ, & dei patris æternam largamq; pietatem. Quod ſi iſte in terris nequam pater offenſus grauiter à filio peccatore & malo, ſi tamen eum poſtmodum uiderit reformatum, & depoſitis prioris uitæ delictis, ad ſobrios & bonos mores, ad innocentiæ diſciplinã pœnitẽtię dolore correctum, gaudet & gratulatur, & ſuſceptum quem ante perdiderat cũ uoto paternę exultationis amplectitur: quanto magis unus ille & uerus pater bonus, miſericors, pius, imò ipſa bonitas & miſericordia & pietas, lætatur in pœnitẽtia filiorum ſuorum: nec iram pœnitentibus aut plangentibus & lamentantibus nec pœnam comminatur, ſed ueniam magis & indulgentiam pollicetur? Si enim tantum potuit diabolus ut de excelſis uirtutum faſtigijs in profundum te duceret malorum, quanto magis poterit deus te ad ſummũ bonorum uerticẽ reuocare: & nõ ſolum in id reuocare quod fuiſti, ſed & beatiorẽ multo q̃ prius uidebaris efficere? Tantũ ne cõcidas animo, neq; ſpẽ tibi abſcidas bonorũ, ne quæſo accidat tibi quod impijs ſolet. Nõ em̃ peccatorũ multitudo adducit in deſperationẽ, ſed impietas. Et propterea Salomon nõ dixit, quia om̃is qui uenerit in profundũ malorũ contemnit: ſed impius, inquit, ſi uenerit in profundum malorũ contẽnit. Impiorũ ergo eſt deſperare ſalutẽ, & cõtemnere cũ in profundum uenerint malorum, non peccatorũ. Impietas em̃ non ſinit eos ad deum reſpicere, & illuc redire unde di lapſi ſunt. Iſta ergo cogitatio quæ ſpem conuerſionis abſcidit, ab impietate deſcendit, & ſicut lapis grauiſſimus ceruicib. animæ incũbens, ſemper eã deorſum in terrã cogit aſpicere, ad deũ uero ſuum oculos nõ ſinit leuare. Sed uirilis animi eſt & præclarę mentis deijcere à ceruicib. animæ ſuæ inimicum pondus: imò deprimentẽ ſe diabolum abijcere, & imperare animę ſuę ut canens uerba prophetica dicat ad dominũ, Sicut oculi ſeruorũ in manibus dominorũ ſuorum, & ſicut oculi ancillę in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dñm deũ noſtrum donec miſereatur noſtri. Miſerere noſtri domine miſerere noſtri, quia multũ repleti ſumus deſpectione, Præclara uero in his uerbis & cœleſtis philoſophiæ doctrina eſt. Repleti ſumus, inquit, deſpectione: hoc eſt quod docere nos uoluit, quia & ſi peccatorum noſtrorum multitudine repleti ſumus, deſpectione atq; opprobrijs cooperti, oculi tamen noſtri ad dominũ deum noſtrum ſint, donec miſereatur noſtri. Nec prius ab obſecratione ceſſemus, quàm impetrare peccatorum ueniam mereamur. Hoc enim uere conſtãtis animę eſt &

perti-

pertinacis, ut nequaquã repellatur de perſeuerantia poſcendi deſperatione impetrandi, ſed perſeueret ac perſiſtat in obſecrationibus donec miſereatur ei. Et ne forte arbitreris te offenſam magis contrahere apud deum, ſi cum nõ merearis audiri importunus perſiſtas in precibus, recordare Euangelij parabolam, & ibi inuenies quòd perſeuerantes & importunos precatores dominus nõ ſibi oſtendit ingratos. Ait enim, Et ſi non dabit ei propter
Luc.11 quod amicus eius eſt, propter improbitatẽ tamen eius ſurget, & dabit ei quantum opus habet. Intellige chariſſime ergo quia ꝓpterea diabolus deſperationem ſubijcit impetrandi, ut ſpem bonitatis dei nobis abſcidat, quę eſt dux itineris quo itur ad cœlum. Sicut autem pro morte cõmuni philoſophicum eſt à lachrymis temperare, ita in animæ morte conſolationem recipere & inſipiens & irreligioſum duco. Quinimo & ignauiæ nos arguendos puto, ſi cum lamẽtatores corporum mortiſq; cõmunis tam dure & tam uehementer hoc faciãt, cum ſciant & certi ſint nihil prodeſſe fletus ſuos ad uitã defuncti, nos nihil tale pro animæ lamentatione faciamus, quam reſtitui in ſtatum ſuũ per pœnitentiã nouerimus. Scimus enim plures prolapſos ab itinere recto, & præcipitatos ab ingreſſu uiæ anguſtæ: & ita rurſus reparatos eſſe, ut poſterioribus priora tranſierint, atq; ad palmam peruenerint & coronam, numeroq; rurſus & choro adſcripti credantur eſſe ſanctorum. Et nolo putes quia de his ſermo mihi ſit tantum qui in paucis & leuibus peccauerunt: de illo loquor qui omnibus ſuccubuit malis, qui immanitate ſcelerum uiam ſibi excluſerit regni cœlorum, & nõ de infidelibus ſed de fidelibus fuerit, & ex his qui prius placuerunt deo, poſt hæc autem ceciderunt, uel in adulteria, uel in omnes impudicitias, quæ, ut Apoſtolus ait, turpe eſt dicere. Nunquã enim ſpernit pœnitentiam ſi ei ſyncere & ſimpliciter offeratur, ſuſcipit, libẽter accipit, amplectitur, facit omnia quatenus eum ad priorem ſtatum reuocet: quodq; eſt adhuc præſtantius & eminentius, etiamſi quis nõ potuerit explere omnem ſatisfaciendi ordinem, quantulamcunq; tamen & quamlibet breui geſtã non reſpuit pœnitentiam, ſuſcipit etiam ipſam, nec patitur quamuis exiguæ conuerſionis perire
Eſaie 54 mercedẽ. Hoc enim mihi uidetur indicare Eſaias, ubi de populo Iudæorum quædam talia ait, Propter peccatum modice contriſtaui te, & percuſſi te, & auerti faciem meam à te, & contriſtatus es, & ambulaſti triſtis, & conſolatus ſum te. Hæc igitur habentes exempla pœnitentiæ nõ perſeueremus in malis, nec deſperemus reconciliationem, ſed dicamus, Etiam nos redeamus ad patrem & approximemus deo. Nunquam crede mihi auerſabitur ad ſe conuerſum. Ipſe enim dicit, Deus appropians ego ſum, & non deus de longe. Et iterum per
Eſa.59 eundem Prophetam, Peccata, inquit, ſeparant inter me & uos. Si ergo peccata ſunt quæ nos ſeparant à deo, auferamus medium iſtud obſtaculum, & nihil eſt quod nos prohibeat cõiungi deo. Propterea enim creauit nos deus, & eſſe nos fecit qui non eramus, ut ęterna in nos cõferat bona, & pręſtet regna cœlorum. Nõ enim nos ad hoc fecit, ut gehẽnę nos tradat igniq; perpetuo. Regnum cœlorum propter nos, gehenna propter diabolum facta eſt. Et hæc ita eſſe ex Euangelijs doceam. Ipſe enim dñs dicit his qui à dextris eius erunt:
Matt.25 Venite benedicti patris mei percipite regnũ q̃d uobis paratum eſt ab origine mundi. Illis aũt qui à ſiniſtris eius erunt, dicet, Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternũ qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Si ergo gehẽna ignis propter diabolũ, propter hominem aũt regnũ cœlorũ à cõſtitutione mũdi præparatum eſt: tantũ eſt ne noſmetipſos ab ingreſſu bonorum perſiſtẽdo in malis pertinaciter excludamus. Donec em̃ ſumus in hac uita quãtacunq; nobis acciderint peccata, poſſibile eſt om̃ia ablui per pœnitentiã. Cum aũt abducti fuerimus ab hoc ſeculo, ibi iam etiã ſi pœnitebit nos: ualde enim nos pœnitebit, ſed nulla erit utilitas pœnitẽtię, & licet ſit ſtridor dentiũ, licet ululatus & fletus, licet fundamus preces & innumeris obſecrationibus proclamemus, nemo audiet, nemo ſubueniet, nec extremo quidẽ digito aquam quis infundet linguæ noſtræ poſitæ in flãmis: ſed audiemus illud quod diues ille audiuit ab Abraham, Quia chaos magnum firmatum eſt inter nos & uos, & neq; hinc illuc tranſire quis poteſt, neq; inde huc. Reſipiſcamus ergo tandem, & recordemur quid profuerit illis qui in luxuria corporis & præſentis uitæ uoluptatibus uſq; in diem ultimum permanſerunt. Intuere nunc ſepulchra eorum, & uide ſi eſt in eis aliquod iactantiæ ſuæ ueſtigium, ſi aliqua diuitiarum luxuriæ ſigna cognoueris. Require nunc ubi ueſtes & odoramenta peregrina, ubi ſpectaculorum uoluptas, ubi aſſeclarum turbæ, & conuiuiorum ceſſit opulentia, riſus, iocus, & immoderata atq; effrenata lætitia quò abijt, quò abſceſſit. Vbi illa nunc, & ubi ipſi. Quis finis utrorumq;. Intuere diligentius, & accede propius ad ſingulorum ſepulchra. Vide cineres ſolos, & uermium fœtidas reliquias, & recordare hũc corporum eſſe finem, etiam ſi in delicijs & lætitia, ſi in labore & continentia tranſegerint uitam. Nam ſi res omnis omniſq; cauſa uſq; ad cineres ueniret & uermes, parua penderentur hæc damna, & quæ facile poſſit excuſare naturæ conditio. Nunc autem conuerte tuos oculos ab iſtis cineribus & ſepulchris, & reuoca cogitationem tuã ad illud diuini iudicij tribunal horrendum, quod ardens fluuius flammeis ambit fluentis, ubi fletus & ſtridor dentiũ, ubi tenebræ exteriores, ubi ille uermis conſcientiæ qui nunquã moritur, & ignis qui nunquã extinguet̃. Recordare parabolam Lazari, & diuitis illius, qui opum tantarũ dominus, qui purpura indutus & byſſo, unã nunc aquæ guttã inuenire non potuit, cũ eſſet in ardoris neceſſitate cõſtitutus. Dic quęſo te, quid plus habet uita iſta q̃ ſomniũ? Sicut em̃ hi qui in metallis cõſtituti uel condemnati, uel in alia qualibet pœna poſiti, cũ forte poſt multũ duræ uitæ paululum relaxati fuerint in ſomnium, & uidẽt ſe inter plures dapes poſitos, epulis copioſiſ-

 ſimis

ſimis perfrui, ubi uero ſurrexerint, nihil ſibi gratiæ delectatione ſomnij inuenerint reſediſſe: ita & diues ille quaſi ſomnium habuit huius uitæ: ubi diſceſſit, nihil cum illo niſi præteritorum pœnitudo & præſentium pœna permãſit. Hæc recordare, & ignem illum gehennæ his quæ te nunc exagitant flammis libidinis & cupiditatis oppone. Ignis hic qui in præſenti eſt uita abſumit cuncta quæ recipit, ille uero quos ſuſceperit ſemper cruciat, & pœnæ ſuæ ſemper integros ſeruat. Propterea enim & inextinguibilis dicitur, non ſolũ quia ipſe non extinguitur, ſed quia nec eos quos ſuſceperit extinguet aut perimet. Scriptura etenim dicit, quia & peccatores induent incorruptionem, ſcilicet non ad honorem uitæ, ſed ad diuturnitatem ſupplicij profuturam. Huius aũt pœnę & ignis illius potentiam, nulla uox exponere, nullus poterit ſermo explanare. Nihil eſt enim in rebus corruptibilibus quod conferri poſſit incorruptibilibus ſiue bonis ſiue malis. Ibi quid agemus? Quid reſpõdebimus? Nihil erit niſi ſtridor dentium, niſi ululatus & fletus, & ſera pœnitẽtia, ceſſantib. undiq; auxilijs, & undiq; inualeſcentibus pœnis: ſed ſolatium quidẽ nullũ. Nullus ibi occurret oculis noſtris, niſi ſoli pœnarũ miniſtri, & facies dira tortorum. Verum has pœnas, hos cruciatus non ſolum euadere, ſed etiam æternam beatitudinẽ, ſi modo de malis noſtris pœnitentiam agimus, poſſumus acquirere. Vides quanta eſt uirtus pœnitentiæ? Vides quantum meriti conuerſio reparauit? Corrumpitur autem pœnitẽtia, ſi eiſdem quis pro quibus confite-
Eccl.34 tur, rurſus inuoluat malis. Vnus enim, inquit, ædificans & alius deſtruens, quid conſequentur niſi laborem? Et qui baptizatur à mortuo, & iterũ tangit mortuum, quid proficit in lauacro ſuo? Ita & homo qui ieiunat pro peccatis ſuis, & iterum uadit & eadem agit, orationem eius quis exaudiet? Et iterum dicit, Qui redit à iuſtitia ad peccatum,
Prouer.26 dominus præcipitat eum in gladium. Et canis cũ reuertitur ad uomitum odibilis fit, ita & ſtultus cũ reuertitur ad peccatum ſuum. Sed nunc quid dicamus auſculta. Sæpe accidit ut per pœnitentiã quis multa & magna correxerit, inter hæc tamen bona quæ per pœnitentiam correxit & peccata cõmiſit. Et hoc eſt quod maximè deſperationem inducit animo, quia uidetur hic deſtruxiſſe quod ædificauerat, & omnes illos labores inaniter effudiſſe. Et hæc eſt cogitatio quæ præcipue animæ põdus deſperationis imponit. Sed illud rurſus oportet cogitari, per quod peſſima & inimica uitæ noſtrę cogitatio iſta repellatur: quia illa bona quæ egimus, & emendatio illa quæ per pœnitẽtiam quæſita eſt niſi fuiſſet, & uelut contrarium põdus ponderi huic quod ex peccato nobis introductum eſt obſtitiſſet, nihil fuerat quod in profundum malorum nos decidere prohiberet. Nunc autem ſicut fortis quædam lorica iaculum graue & amarũ nõ permiſit uſq; ad uitalia uiſcerũ penetrare, ſed uim lętalis teli maximam fregit. Certum eſt enim, quia qui fert ſecum illuc plura opera bona & plura opera mala, in ipſis pœnis habebit aliquid refrigerij:

A qui autem bonorum operum nihil habet, malorũ autem ſecum multam copiam refert, quid eum maneat non opus eſt dicere. Erit enim ibi ſine dubio compenſatio bonorum malorumq;, & uelut in ſtatera poſita utraq; pars. Quæ demerſerit, illa ſibi eorum quò momentum uergitur operarium uendicabit. Si ergo malorum multitudo ſuperauerit, operarium ſuum pertrahit ad gehennam. Si uero maiora fuerint opera bonorũ, ſumma ui obſiſtent & repugnabunt malis, atq; operatorem ſuũ ad regionem uiuorum ex ipſo etiam gehẽnæ confinio reuocabunt. Hæc ergo fratres chariſſimi ſi attentius uoluerimus cogitare, remedia nobis in die neceſſitatis acquiramus, ut cum dies iudicij uenerit, non cum impijs & peccatoribus puniamur, ſed cũ
B iuſtis & deum timentibus ad ęterna pręmia feliciter ueniamus, Amen.

In eadem uigilia, De expoſitione orationis dominicæ ad neophytos: Sermo II.

SERMO CLXXXII

D VO ſunt chariſſimi, quę principaliter attendere debet humana circũſpectio, & dignitatẽ ſuæ conditionis, & excellentiam ſuæ reformationis. Dignitatẽ ſuæ cõditionis, ut peccare timeat: excellentiam redemptionis, ut gratiæ redimẽtis ingratus non exiſtat. Sola quippe uoluntate redemptoris homo de terræ uilitate ſubleuatus eſt, & ad dei ſimilitudinẽ priuilegio rationis ſublimatus eſt. Hanc miſer homo perdidit, cum diabolica perſuaſione ſeductus, à conditoris
C ſui inſtituto ſuperbiendo receſſit. Quem lapſum
Pſal.48 pſalmiſta conſiderans, quaſi dolendo dicebat, Homo cum in honore eſſet nõ intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. De ſumma erectione, pprio arbitrio corruens, merito ultima deiectione damnatus eſt, qui per ſe cadere potuit, ſed per ſe reſurgere non ualuit. Hunc caſum plãgere habet quotidianis lamentis humana fragilitas, quatenus eò redeat per quotidiana lamẽta, unde corruit per uana oblectamẽta, & quæ cecidit pede ſuperbiæ, reſurgere ſtudeat pede obedientiæ. Hoc attendens Pſalmiſta dicebat, Non ue-
Pſal.35 niat mihi pes ſuperbiæ, & ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt nec potuerũt ſtare. Expulſi ſunt ab intima quiete, nec potuerunt ſtare, id eſt, perſeuerare, ſicut per eundem Pſalmi-
D ſtam de eiſdem dicitur, Quia caro ſunt, ſpiritus ua-
Pſal.77 dens & non rediẽs. Ad hanc ergo reuerſionem ſiue reſurrectionem neceſſaria fuit medicinalis gratia redẽptoris, quæ ſanaret humilitate quod corruptum fuerat elatione ſuperbiæ. Aſſumpſit ergo uerbum dei formam ſerui in qua poſſet cõſeruos uerbo rnſtruere, & ad exemplum uitę ſuę morum diſciplina informare. Humilitatem quippe & obedientiam uerbo & exemplo inſinuabat, quãdo di-
Matt.11 ſcipulis exhortãdo dicebat, Tollite iugum meum ſuper uos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Iugũ enim meum ſuaue eſt, & onus meũ leue. Iugũ enim eius obedientiæ merito eſt ſuaue, cui ſeruare eſt regnare, & onus præceptorũ leue, quod nõ premẽdo grauat, ſed adimplẽdo per gratiã adiuuat. Inſinuauit etiã uerbo ſobrietatem, ubi dixit

Luc.12 dixit, Non grauentur corda ueſtra in crapula & e-
A brietate. Docuit exemplo qui turbam ſe comitantem nõ refecit ſumptuoſis delicijs, ſed panibus hordeaceis. Docuit etiam intẽtionem noſtram ad interna bona dirigẽs qualiter eſſet ieiunandũ, quan-
Matt.6 do dixit, Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Illos notans qui luctuoſis ſordibus rigorem ſimulant abſtinentiæ, ut uideant hominibus ieiunantes. Qualiter etiã ſit facienda eleemoſyna, ſilẽtio præterire noluit ubi dixit, Cũ facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Hoc documento inſinuans, quia eleemoſynam & omne opus miſericordiæ, quod facimus non uenando laudes hominũ, ſed propter intentionẽ uitæ æternæ, quæ per dexterã ſignificat, facere admonemur. Qualiter quoq; eſſet orandum admonuit ubi ait, Tu aũt cum orauerис intra in cubiculum, id eſt, habeto cor quietũ & ab omni tumultu exteriorũ liberum: & clauſo oſtio, id eſt, excluſa phantaſmatũ turba, ora patrem tuũ. Ecce dictum eſt qualiter ſit orandum, addit etiam quid ſit oran-
B dum, ita ſubiungens, Sic aũt orabitis, Pater noſter qui es in cœlis &c. Hæc oratio compendioſis uerbis, id eſt, ſeptem petitionibus, omnes ſpecies orationis cõprehendit, quibus deũ interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro uitandis malis, aut pro delẽdis cõmiſſis. Harum ſeptem petitionum tres prius poſitæ pertinent ad æternitatẽ, quatuor ſequentes ad uitæ præſentis neceſſitatem. Nã nominis dei ſanctificationem, & aduẽtum eius quo in claritate uenturus eſt, & cõpleta uoluntate eius ſicut in cœlo & in terra, ſiue iuſtos & peccatores, ſiue animã & corpus, ſiue Chriſtum & eccleſiam intelligamus, quamuis ab humili aduentu Chriſti exordium ſumant, tamen non niſi ſeculi terminatione complebuntur. Et omnia tria in æternum manebunt. Reliqua autem quatuor ad hãc uitam temporalẽ pertinere uidentur: quia & panis quotidianus & ſpiritalis, licet ſit ſempiternus, ad hoc tantum tempus pertinet inquantũ miniſtratur animæ quibuſdam ſignis & dictis uel ſcriptis: & ideo panis dicitur, quia laborando & diſſerendo diſcitur, & ita quaſi mandendo glutiẽ. Nunc quoq; peccata dimittunt nobis, & nos dimittimus alijs, quæ eſt inter quatuor ſecunda petitio, & nunc tẽtationes uitam noſtram infeſtant, & ipſa liberatio à ma-
D lo ad hãc uitam pertinet, quia dei iuſtitia mortem incurrimus, unde ipſius miſericordia liberandi ſumus. Quæ cum ita ſint, ipſarum petitionum uerba diligentius pertractanda ſunt, ut intellecta & maiorem generent cordis affectum, & quod petitur ad uelociorem perducatur effectum. Dicamus ergo, Pater noſter, cui non timore ſed amore famulamur. Non hoc populo priori dictũ eſt ut patrem oraret, ſed dominus inſinuatus eſt eis, cui nõ filiali obediebãt amore, ſed ſeruili ſubijciebantur timore. Admonentur autem hoc uerbo diuites & nobiles, cum Chriſtiani facti fuerint, quatenus ſe non extollant aduerſus pauperes & ignobiles: quoniã ſimul dicunt, Pater noſter, quod uere ac pie dicere non poſſunt niſi ſe fratres eſſe cognoſcant. Hoc nomine & charitas excitatur, quia filijs nihil cha-
A rius debet eſſe quàm pater: & ſupplex affectus cũ homines dicunt, Pater noſter: & quædam impetrandi præſumptio quod petitur, cum etiam ante petitionem tam magnum donum accepimus, ut poſſimus dicere, Pater noſter. Quid enim iam nõdet filijs petẽtibus pater, qui iam hocipſum dedit ut eſſent filij? Poſtremo quanta cura animum eius tãgit qui dicit, Pater noſter, ut tãto patre nõ ſit indignus? Vtatur ergo populus Noui teſtamẽti uoce, populus nouus ad æternitatem uocatus, Pater noſter. Oratio fraterna eſt, non dicit, pater meus tanquã pro ſe tantum orans, ſed, Pater noſter, omnes uidelicet una oratione complectens qui ſe in Chriſto fratres eſſe cognoſcũt. Qui habitas in cœlis, id eſt, in his quorum cõuerſatio eſt in cœlis. Et
B accõmodatiſſima eſt iſta ſimilitudo, ut tantum ſpiritaliter diſtare credatur inter iuſtum & peccatorem, quantũ diſtat corporaliter inter cœlũ & terram. Peccatori enim dictum eſt, Terra es & in ter-
Gen.3 ram ibis. Cuius rei ſignificandæ gratia cũ ad orandum ſtamus, ad Orientem uertimur, unde cœlum ſurgit: non ideo quòd ibi ſit deus tanquam cęteris mũdi partibus relictis: ſed ut admoneatur animus ad excellentiorem naturam conſurgere, id eſt, ad deum. Iam quid petendum ſit, attendamus. Sanctificetur nomen tuum. Quod non ſic petitur quaſi nõ ſit ſanctũ dei nomen, ſed ut ſanctum habeatur ab hominibus, & ita innoteſcat illis deus ut exiſtiment aliquid ſanctius non eſſe: quo magis timeãt
C eum offendere, quia iuſtum eſt nomen dei ſanctifi-
Amos 9 care, & deũ timere, de quo dicitur, Dominus nomen illi. Hic timor primo gradu eſt inter beatitudines, de quo dicitur, Initium ſapientiæ timor do-
Eccl.1 mini. Et alibi, Timor domini ſanctus permanẽs in ſeculum ſeculi. Sequitur: Adueniat regnum tuũ, id eſt, manifeſtetur mundo. Sicut præſens lux abſens eſt cęcis, ita dei regnum quãuis ubiq; ſit, deeſt tamen ignorantibus: uel ita, ut tu in nobis, & nos in te, te donante regnemus. Hæc petitio ad pietatem pertinet, quæ eſt ſecundo gradu inter beatitudines. Sic enim pietas eſt, qua beati ſunt mites. Petamus ut ueniat regnum dei in eos, id eſt, miteſcamus & non reſiſtamus. Sequitur, Fiat uolũtas tua ſicut in cœlo & in terra: id eſt, ſicut in angelis, ita in
D hominibus: & ſicut in iuſtis, ita in peccatoribus: uel ita cõſentiat caro tuæ uoluntati, ſicut conſentit ſpiritus. Hæc petitio ad ſcientiam pertinet, quæ tertio gradu eſt inter beatitudines. Nam ſic ſcientia eſt, qua beati ſunt qui lugẽt. Oremus ut fiat uoluntas dei ſicut in cœlo, ita & in terra, id eſt, ut conſentiat caro ſpiritui, quia non aliunde tantum dolorem habet humana miſeria, quantum inde q; caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: ut cũ Apoſtolo exclamare cogamur,
Rom.7 Infelix ego homo quis me liberabit de corpore huius mortis? Sequitur quarta petitio, Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie. Poteſt & ſimpliciter intelligi de corporali cibo, & ſpiritaliter de pane diuini uerbi. Si de corporali agitur, non extendit petitionem ſuam in longum iſte orator, ſed

præce-

præceptum ſequitur Euangelicũ, ubi dicitur, Nolite cogitare de craſtino. Craſtinus enim dies ipſe A
cogitabit ſibi. Sic & beatus Apoſtolus monet, Ha
I Tim. 6 bentes uictum & tegumentum, his cõtenti ſimus.
Si uero ſpiritaliter accipias panem iſtum, uel ipſum Chriſtũ intellige qui eſt ſuperſubſtantialis ani
mæ panis, quia omnem ſuperat ſubſtantiam, qui
Ioan. 6 de ſeipſo ait, Ego ſum panis uiuus qui de cœlo deſcẽdi. Vel ipſum intellectum uerbi diuini, qui nobis neceſſarius eſt ad reficiẽdas ruinas animæ, donec cognominatur hodie. Hæc petitio ad fortitudinem pertinet, quæ quarto loco ponitur aſcendentibus ad ſummam beatitudinem. Sic enim fortitudo eſt, qua beati fiunt qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Orandum nobis eſt ut detur nobis iſte panis quotidianus, quo confortati ad illam perfectam ſaturitatem uenire poſſimus. Sequitur, Et di B
mitte nobis debita noſtra. Forte peccauit in te aliquis, dimitte illi ueniam à te petenti, ne dum fratri negas miſericordiam, tibi claudas patris indulgen
Iac. 2 tiam, dicente Iacobo Apoſtolo: Iudicium enim ſine miſericordia ei qui nõ fecit miſericordiam. Petitio hæc refertur ad conſilium, quod quinto loco ponitur inter gradus beatitudinum. Sic enim conſilium eſt, quo beati ſunt miſericordes. Dimittamus ergo debitoribus noſtris debita ſua, & ſic oremus ut dimittantur nobis debita noſtra, id eſt, peccata noſtra, propter quæ differimur ab impetranda uenia, niſi eam acceleret fratrum indulgentia. Sequitur, Et ne nos inducas in tẽtationem, id eſt, ne patiaris nos induci in tẽtationem. Aliud eſt enim tentari, ſine quo nullus probatus eſt iuſtus: a- C
liud in tentationem induci, id eſt, à tentatore induci. Hoc eſt ergo quod oramus, ut non permittat nos deus tentari ſupra id quod poſſumus, ſed faciat cum tentatione prouentum ut poſſimus ſuſtinere. Petitio hæc pertinet ad intellectũ, qui ſexto loco ponitur in numero beatitudinum. Sic enim intellectus eſt, quo beati ſunt mundo corde, id eſt qui purgatum habent oculum mentis terreno puluere. Oremus non induci in tentationem, id eſt, nõ habere duplex cor, ſed unum & ſimplex appetere bonum. Sequitur, Sed libera nos à malo, non tantum in quod induci poſſumus, ſed etiam ab illo in quo inducti ſumus, quo peracto nihil reſtabit lugendum. Huic petitioni cõgruit ſapientia, quæ ſeptimũ inter beatitudines obtinet locũ. Nam ſic D
ſapientia eſt, qua beati ſunt pacifici, id eſt, qui ordinatis moribus ſuis cogunt omnia ſeruire ſpiritui. Orandum eſt itaq; nobis ut liberemur à malo. Ipſa eẽ liberatio liberos nos facit, id eſt, filios dei, ut ſpiritu adoptiõis clamemus, abba pater. Amen autem in his petitionibus ſignificat indubitãter à domino conferri quod petitur, ſi ultimę conditionis pactum firmiter teneatur. Hæc tria remediorũ genera ſpiritaliter cõmendauit nobis cœleſtis medicus, eleemoſynam uidelicet & ieiunium & orationem, quibus tãquam medicinalibus antidotis poſſemus inueterata mala curare, pręſentanea pellere, & ſeruando ſalutẽ futura cauere. Et congrue tria ſunt genera curationis, ſicut tria pręcedũt genera corruptionis. Omne enim peccatũ aut fit in
anima per conſenſum prauæ ſuggeſtionis ad uio- A
landum dei templum: aut fit male utẽdo corpore ad lædẽdum proximũ, quod eſt facinoroſum: aut fit male utendo corpore ad corrũpendũ ſeipſum, quod eſt flagitioſum. Facinora enim licet per corpus fiãt, qualia ſunt homicidia, rapinæ, furta, non tamen corpus facientis afficiunt uel corrumpunt. De quib. dixit Apoſtolus: Omne peccatũ quodcunq; fecerit homo extra corpus eſt. Flagitia uero & per corpus fiunt, & corpus afficiunt & inficiũt. De quibus dicit Apoſtolus, Qui autem fornicat̃ I. Cor. 6
in corpus ſuum peccat. Merito ergo facinora quæ extra corpus fiunt, eleemoſyna tanquam exteriori purgant̃ medicina: quia ſicut facinus nocuit, proximo, ſic eleemoſyna quę extra nos eſt, & per cor
pus tamen dat̃, prodeſſe debet proximo. Flagitia B
uero congrue medicinali mundãtur parſimonia, quia ſicut caro læta traxit ad culpã, ſic afflicta reducere debet ad ueniã. Si qui uero ſunt quib. hæc medicamẽta nõ cõgruant, ut uel eleemoſynã dare non poſſint propter nimiam paupertatem, aut ieiunare propter ſtomachi imbecillitatẽ, habẽt tertium genus medicinæ, à quo ſe excuſare non poterunt, niſi qui morbos animæ ſuæ ſanare contẽpſerint. Hoc ergo medicamẽtũ, quod nulli ſanæ menti deeſſe poteſt, ſtudioſe & pie frequentemus, impleẽtes illud Apoſtolicum præceptum, Sine inter- I Theſ. 5
miſſione orate. Hoc enim antidotum ita omnibus morbis occurrit, ut aſſiduatum morbos omẽs depellat, & omnia corrupta integritati reſtituat, pręſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor
& gloria in ſecula ſeculorum, Amen. C

Item in eadẽ uigilia alius ſermo de eodẽ qui habetur in libro Quinquaginta Homiliarũ XLII.

Item in eadem uigilia, Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Ioannem, Si diligitis me, mãdata mea ſeruate: quæ habetur in expoſitione doctoris, Ibidem.

In feſto Pentecoſtes, de miſſione ſpirituſſancti:

Sermo I.

SANCTITATI ueſtræ chariſſimi uoto- SERMO
S rũ iam nota debet eſſe feſtiuitas. Quid CLXXXIII
eẽ qua ratione curemus, ex ipſa annua celebritate cõdiſcimus. Nã cũ in ueſtigia ſua iterũ reuoluitur trãſacta ſolẽnitas, doctiores efficimur dũ eam ſæpius celebramus. Pentecoſten ergo agamus hodie, hoc eſt quinquageſimũ diem, à reſurrectione dominica, non q̃ hac die ſicut plerique putãt, ad cœlos Saluator aſcẽderit. Nam poſt reſurrectionem cum Apoſtolis conuerſatus, quadrageſima die ad dei patris dexteram remeauit, ſicut Lucas Euangeliſta ait, Quibus etiam exhibuit ſeipſum uiuum poſt paſſionem ſuam, per dies quadraginta apparens eis. Quadraginta ergo temporum curriculo conuerſationem ſuã diſcipulis ſuis ſaluator exhibuit, ſcilicet ut tanto numero reſurrectionis eius gratia lætaremur, quãto & paſſionis eius iniurias fleueramus, totidemq; temporum ſpatio eo reficeremur præſente, quo ieiunamus abſente. Non igitur hodie Chriſtus aſcendit ad cœlum, ſed

ſed Chriſti ſpiritus deſcẽdit de cœlo, ſicut ipſe do-
Ioan. 16 minus promittens ait: Cum autẽ aſcendero ad pa- A
trem, mittam uobis paracletum ſpiritum ueritatis, & ipſe uos docebit omnia. Magna planè gratia, duplex gaudium, quod abeuntem Chriſtũ non amiſimus, & uenientem ſpiritum poſſidemus. Nam illum retinemus fidei merito, hunc ſanctificationis acceſſu. Cum abiero, inquit, ad patrẽ, mittam uobis paracletum. Credimus enim ad patrem peruenisse filium, cum uidemus ad Apoſtolos deſcendiſſe paracletum. Credimus nanq; eum regnare in cœlis, quem cernimus munera ſancta donare in
Pſal. 67 terris, ſicut ſcriptum eſt per Prophetam, Aſcen- B
dens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Victor utiq; muneratur, uictor dona largit̃. Vnde & ſaluator uictor diaboli, poſt triumphum diſcipulos quos liberauit à captiuitate, etiam benedictione ditauit. Liberauit autẽ nos cum ad reſurgendum per ſeipſum tartara nobis aperuit, ditauit nos cum ad regnãdum per paracletũ nobis cœleſtia reſerauit. Quibuſdã enim quaſi profectuum gradibus tunc de morte ad uitam dicimus remeare, modo autem de terris ad cœlos docemur aſcendere, ſicut ſcriptum eſt, Ipſe uos do
Ioan. 14 cebit omnia. Quid docet ſpirituſſanctus? Vtique hoc nouit docere quod ſanctum eſt. Quid docet nos paracletus? Illud utiq; docet quod dicit ſaluator. Multa habeo uobis dicere, ſed nõ poteſtis portare modo: cum uenerit ille ſpiritus ueritatis: ipſe uos docebit omnia. Bonus itaq; magiſter eſt para- C
cletus, quia dicit quæ Chriſtus dicenda ſeruauit. Hoc enim docet ſpirituſſanctus, quod dominus docendum habere ſe dicit. Bonus planè magiſter eſt, qui præceptorum executor eſt ſaluatoris. Neceſſe eſt igitur ut unius ſit ſubſtantiæ natura cum Chriſto quem uidemus unius cũ Chriſto eſſe doctrinæ. Et ideo chariſſimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis, ut ſpiritum ſanctum promereri & accipere poſſimus. Si hunc mundũ relinquimus, nos ſimilem paracletum ſicut Apoſtoli, id eſt, ſpiritum ueritatis quem mittet nobis pater, accipiemus: Quoniam nõ eſt perſonarũ acceptio apud deum patrem, ſed promiſſa Apoſtolorum nobis proficiũt, ſi opera & deſideria & actus gerimus quos Apoſtoli fecerunt. Si uero legẽ domini immaculatam & conuertentem animas im- D
plendo mãdata eius perficiamus, noſmetipſos heredes domini & cohæredes Chriſti ad hæreditatẽ ſempiternam, & ad commorationem angelorum cum gratia Chriſti cõmittimus, quod ipſe præſtare dignetur, qui uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In eodem feſto, de miſſione ſpirituſſancti:

SERMO CLXXXIIII Sermo II.

ISCESSVRVS è mundo iſto & aſcen- D
ſurus in cœlũ dominus noſter atq; ſaluator, fratres chariſſimi, promiſit Apoſtolis ſuis q̃ ſpiritum ſanctum ad eos mitteret, quando ad deũ patrem ipſe remeaſſet. Sic enim ut nunc
Ioan. 15 audiſtis ad diſcipulos ſuos locutus eſt dicẽs, Cum autem uenerit paracletus quem ego mittã uobis ſpiritũ ueritatis qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Impleta eſt chariſſimi fratres promiſſio ſaluatoris. Aſcendit dominus Ieſus Chriſtus, deſcendit ſpirituſſanctus. Supereſt ut utrumq; hoc impleatur in uobis, id eſt, ut habeatis ſpiritum ſanctum qui deſcendit, & per bonam uitam Chriſtum ſequamini qui aſcendit. Miſit ergo nobis ſaluator ſpiritũ ſanctum, ſicut diſcipulis ſuis
ipſe promiſit dicẽs, Expedit uobis ut ego uadam, Ioan. 16
ſi enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos: ſi autem abiero, mittam eum ad uos. Quod dixit, mittam eum, ne forte aliquis ueſtrum cogitet, q̃ quaſi de inferiore dixerit mittam: uel ſicut hæretici dicunt, quòd ſpirituſſanctus quaſi ſubiectus ac ſeruiens deo, pareat imperanti. Abſit à uobis iſta ſuſpicio. In trinitate eẽ non minus aliquid aut maius, quia ſi in deo aliquid minus dicitur, imperfecta diuinitas accuſatur. Vnde obſecro uos fratres chariſſimi, ut fide integra unum deum in trinitate, & trinitatẽ in unitate credatis, ne pedes ueſtrorum ſenſuũ claudicent, aut oculi parum uideant, aut manus aridæ fiant. Omnis enim qui fidem catholicam non bene ſequitur, pedes debiles habet. Qui ueritatis lucem non uidet, oculorum caligi- A
nem patitur. Qui miſericordiæ fructũ non habet, manuum ariditate ſiccatur. Id ergo agite, id elaborate, ne aliqua membrorum ueſtrorũ portio hac debilitate uitietur, ne aut gula in uos horreat, aut auaritia diſpliceat, aut infidelitas langueat, ut emendati penitus ac purificati, habitaculũ dei efficiamini, ut ſpirituſſanctus qui deſcendiſſe in Apoſtolos hodie legitur, in uobis ſemper eſſe dignet̃, præſtãte domino noſtro Ieſu Chriſto, qui uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Item in eodem feſto, de eo quod ſcriptum eſt in Euãgelio ſecundum Ioannem, Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit &c. quæ habetur in expoſitione doctoris ibidem.

Feria ſecunda Pentecoſtes de miſſione ſpirituſſancti:

Sermo I.

POST illam ſingularẽ inſignemq; uicto- SERMO
P riam qua publicus propugnator mũdo CLXXXV
& militauit & uicit, poſtquam fragilitatem conditionis noſtræ nõ ſolum de inferis eruit, ſed etiam in regni ſui excelſa ſubuexit, in hac die
iuxta uerbum ſuum ſanctum ſpiritum donauit, de D
quo iam Apoſtolis ſuis dixerat, Et ego rogabo patrem, & alium paracletũ dabit uobis. Alium utiq; non minorẽ, alium paracletum, id eſt, ſimilis gloriæ uel naturæ eiuſdemq; ſubſtantiæ: ut diſcipulorum fides ueridica ſponſione ad expectationem tanti muneris præparata, illum quem ſibi à domino in locum dei promiſſum eſſe meminiſſet, uerũ deum eſſe cognoſceret. Et alium, inquit, paracletum: maieſtatis intellige ſociũ, quẽ maieſtati ſpiritis cõparatum. Et ego rogabo, inquit, patrẽ, & alium paracletũ dabit uobis. Quàm bene ſub titulo promiſſionis, diſtinctionẽ applicuit trinitatis. Pater eſt qui indicat̃ rogãdus, filius eſt qui intelligit̃ rogaturus, ſpirituſſanctus qui ꝓmittit̃ à patre mittendus. Quanta & quàm ineffabilis pietas redem

ptoris

ptoris? Hominem portauit ad cœlum, & deũ misit ad terras. Quanta est authori cura pro instauratione facturæ suæ? Ecce iterum noua de supernis medicina mittitur, ecce iterum infirmos suos per seipsam maiestas uisitare dignatur. Ecce iterũ humanis diuina miscentur, id est, uicarius redemptoris: ut beneficia quæ saluator dominus inchoauit, peculiari spiritussancti uirtute cõsummet, & quod ille redemit, iste sanctificet, q̃d ille acquisiuit, iste custodiat: ac sic unitas deitatis per unitatem gratię ac muneris approbatur, ut spiritussanctus deus in substãtia unus, in persona alius, æquali miseratione unicus, æquali reuerentia sit colendus. Ergo spiritussanctus in hac die ad præparata sibi Apostolorum suorum tẽpla, uelut imber sanctificationis illapsus est. Non iam uisitator subitus, sed perpetuus consolator, & cohabitator æternus. Nã sicut
Matt.28 de semetipso Apostolis suis dixerat, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq̃ ad consummationem seculi: ita etiã de spiritusancto, paracletum inquit, dabit uobis pater, qui uobiscũ sit in ęternũ. Affuit ergo in hac die fidelibus suis non iam per gratiam uisitationis & operationis, sed per ipsam præsentiã maiestatis: atq̃ in uasa nõ iam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti: ex cuius fragrantia latitudo totius orbis impleret, & appropinquantes ad eorum doctrinam, dei fierẽt capaces atq̃ participes. Sedit ergo super singulos
Luc.22 quasi ignis, de quo saluator noster testatur, Ignem
Deut.4 ueni mittere in terram. De quo dictum est, Deus noster ignis consumens est. Ipse itaq̃ Apostolos suos uiuæ lucis fonte perfudit, ut ipsi postmodum uniuersum mundum tanquam duodecim solis radij ac totidẽ lampades ueritatis illuminent, & inebriati nouo uino repleãt atq̃ irrigent sitiẽtia corda populorum. Inquiramus hoc loco post resurrectionem uel ascensionẽ domini, quid adhuc adijci possit Apostolorum perfectioni per participationem spiritussancti. Erat quidem in eis fides, sed fiduciæ constantia deerat. Iam quidem Christũ per uniuersa poterant prædicare, sed adhuc pro Christo usq̃ ad mortem certare nõ poterant, usq̃adeo ut nullum ex discipulis coronauerit palma martyrij ante aduentũ spiritussancti. Pręterea iam recesserat ex oculis eorũ dominus Iesus qui eos prædicatione uisibili os ad os loquens corroborabat, & uirtutũ miraculis instruebat, & dum cum eo erãt, facile credebant quæ uidebant. Fides adiuuabat aspectibus, pręsentibus confirmabatur operibus, signis ac uirtutibus pascebatur. Postquã uero dominus Iesus sublatus ex oculis eorũ recessit in cœlum, non sufficiebant attonitæ ac trepidæ eorum mentes, non sufficiebant ut dignum erat cœlestia & æterna cogitare: nec præualebant adhuc portare angusta eorum pectora diuinorum sensuum magnitudinem, ut possent intelligere Christum, quomodo erat uerbum deus apud deum: sic ut eis ipse dominus adhuc in corpore cõstitutus euiden
Ioan.16 ter insinuat dicẽs, Multa habeo uobis dicere, sed non potestis ea portare modo: cum autem uenerit spiritus ueritatis ipse uos docebit omnẽ ueritatẽ.

Vides quod post discessionẽ adorandæ summæq̃ A uirtutis discipulorum pectora dilatata sunt, ad sustinendam magnitudinem diuini luminis, & intelligentiam ueritatis? Deus itaq̃ est qui potest post munificentiam suam accumulare gratiam, augere sapientiam, confirmare constantiam. Videamus ergo ante uisitationem cœlestis cõsolatoris, quantum eis de magnanimitate, quantũ de perfectione defuerit. Nam primum cum eum supra tumentia maris dorsa uidissent substratis fluctibus ambulantem, & cum aquarum iter instabile sub diuinis solidaret unda famula uestigijs, turbati sunt dicentes, Phantasma est, & præ timore clamauerunt. Post infusionẽ uero spiritussancti iam non dicunt quia phantasma est, sed in principio erat uerbum, B & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Et iterum. Erat, inquit, lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hũc mundum. Et Apostolus dicit, Quia ipse est ante omnes, & omnia per ipsum constant. Col.1 Vnus autem ex discipulis Thomas nõdum huius muneris benedictione ditatus, cum in corpore iam glorificato, in corpore iam cœlesti per carnis uulnera deum quæreret, & ad credendã incorruptibilẽ diuinitatẽ fixuris clauorum & cicatricũ testimonijs indigeret, Nisi uidero, inquit, in manibus eius fixuram clauorũ, & mittã manũ meam in latus eius nõ credam. Alius uero iam sancti spiritus eruditione repletus, confidenter exclamat, Quod erat ab initio, quod audi- 1 Ioan.1 uimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ palpauerunt, de uerbo uitæ, & annunciamus uobis uitam æternam, quæ C erat apud patrem, & apparuit nobis. Et iterum alio loco Paulus Apostolus tantæ maiestatis locupletatus illapsu, fiducialiter protestat, Et si cognoui- 2 Cor.5 mus secũdum carnem Christum, sed nũc iam non nouimus. Beatus Petrus domini passione iam ꝓxima, nondum diuina paracleti inspiratione fundatus nolens à se Christum corporaliter separari, in traditorem & gladiatores gladium stringit, & uim ui æstimat repellendam. Stephanus autẽ plenus spiritusancto, iam nõ in terra Christum requirit, sed aperto cœlo uidit gloriam dei: neq̃ iam de uindicta cogitat, sed pro persecutoribus suis exorat & supplicat, Domine ne statuas illis hoc peccatum. Ante aduẽtũ uero spiritussancti sub ipso crucis dominicæ tẽpore, alij ex discipulis effugantur, D alij unius ancillæ uoce terrẽtur, & metu corda trepida penetrante, dominum suum negare cogunt. Post illustrationem uero spiritussancti & confirmationẽ, custodijs excruciati, uerberibus afflicti, ibant gaudentes, quia digni essent pro Christi nomine contumeliam pati. Et qui antè negauerant cũ iuramento, quia nõ nouimus hominem istum: nũc propter eum in supplicijs gloriantur, & operante in se spiritusancto, parum putant esse quod pro Christi amore patiunt. Et qui ante uerbis deterrebantur, nunc pœnis & cruciatibus roborantur, & Christum dominũ nõ iam uocibus sed moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinẽ sanguinis effusione testãtur. Et inter hæc calefacti & accensi

accensi mero dominicæ charitatis exclamãt, Non
Rom.8 sunt cõdignę passiones huius tẽporis ad futuram A gloriã quę reuelabit in nobis. Ergo beati Apostoli illo fidei igne feruẽtes de q̃ ipse dns dicit, Ignem ueni mittere in terrã, & quid uolo, nisi ut accendatur: ab impia multitudine putabant ebrij & musto pleni. Et dicebãt ad inuicẽ, quia musto pleni sunt isti. At uero nouo uino repleti erant, quia spiritu sancto iam fuerãt innouati, & apparebat in eis q̃d
Matt.9 ipse dns dixerat, Nouũ uinum in utres nouos mittendum est. Istud uero nouũ uinum non putemus solos tũc Apostolos suscepisse. Hoc musto inflamant, & hoc præclaro poculo quotidie inebriant etiam corda fideliũ, & animæ cõuertentiũ. Quod frequenter fieri uidemus, quando pro desiderio salutis suæ parentes & patriam suam fugiunt. Exeũt B nullo compellente de terra & de cognatione sua, & mortui huic mundo, alios spiritaliter animarũ inquirunt parentes, & liberi sub iugo ueniunt, & paulo ante elati atq̃ sublimes humilia affectãt, superba fastidiunt, & cupiunt esse q̃d ante despexerant, & odisse incipiunt q̃d fuerant. Præsentiũ hospites, futurorum appetitores, æternam illã patriã contempta temporalium fallitate suspirant. Hoc itaq̃ musto spiritales animæ inebriatæ, & penitus commutatę, abstinentiã delicijs, uigilias dulcibus somnis, paupertatem diuitijs anteponunt. Arduũ contra uitia laborem, iocũdissimã computant uoluptatem. Dulcescunt eis uilia, & quæ prius fuerant preciosa, uilescunt. Diligũt inimicos suos, & benefaciunt his qui se oderunt, nõ conuincuntur indignantibus, non irritant in opprobrijs, nõ frãguntur in iniurijs: prorsus horũ nihil sentiunt pro C pter feruorem spiritussancti, & propter æternam retributionem. Hoc spiritali mero calebant martyres, quando abij cientes & post se iactantes omnia seculi blandimenta, ibant ad passiones, obliuiscentes facultates & affectiões, patrimonia ac matrimonia sua, & uincentes armatã contra se paruulorum pignorum fletibus pietatem, uociferantes quidem parẽtes, puluerẽ mittentes in capita sua, & matres facies suas auulsis crinibus dilacerantes. Sed illi hęc omnia tanquã ebrij non uidebant, nec cognoscebãt suos, quia infuso præcordijs suis spiritusancto ad dolores, ad supplicia, tanq̃ ad cõsolationes & ad præmia festinabant. Itaq̃ anniuersarium quidem diem celebramus de aduentu spi- D ritussancti, sed nos ita agamus, ut quotidie eum ad nos castis operibus & castis pectoribus inuitemus. Ita enim puri atq̃ purgati sensibus & cogitationibus esse debemus, ita nos oportet ori & cordi adhibere custodiam, ut nos dignos eius uisitatione & illuminatione faciamus, & uideamur liberi esse ab omni immũdicia cogitationum, quia ut
Sap.1 dixi, Peruersæ cogitationes separant à deo. Studeamus liberi esse ab omni obtrectatione omniq̃ malitia, quia in maleuolam animã non ingreditur sapiẽtia, nec habitat in corpore subdito peccatis. Per iram ac superbiam, animæ negligentium spiritussancti custodia & protectione nudantur. Nõ ergo per huiusmodi passiones contristemus spiritumsanctum, sed potius eũ ad sedem cordis nostri A per gratiam humilitatis & pacis mansuetudinẽ euocemus, ac lætificemus eum operib. & profectibus nostris: quia ipse dicit, Super quem requiescã, Esa.66 nisi super humilem & quietũ, & trementẽ sermones meos? Si ergo promereri cupimus tanti uisitatoris ingressum, mundemus primũ domũ animæ nostræ ab indignis carnalis cõcupiscentiæ passionibus, à superbiæ dominatiõe, à fœtore iactãtiæ, à teporis horrore: de quo ipse dns dicit, Vtinam, inquit, frigidus esses aut calidus: nũc uero quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: id est, ex uiscerib. mei intimi cordis expuere. Præparemus itaq̃ hãc domũ quotidie ad sacri regis aduentum, eamq̃ diuersis probabilium morum florib. adornemus. Repleamur iucũdis preciosisq̃ odoribus B castitatis, fidei & cõpunctiõis incẽso, balsamo beneuolentiæ, & thymiamate charitatis: ut amputatis uitijs & uirtutib. insertis, destructa in nobis habitatione diaboli, mutemur in tẽplum dei, ut tam beatus hospes nitido delectatus hospitio, stabilẽ ac perpetuã in nobis faciat mansionẽ. Propter hoc em̃ ad nos ille descendit, ut nos ad illum possimus ascendere: Cui est gloria cũ patre & spiritusancto in secula seculorum, Amen.

Eodẽ die, de aduentu spiritussancti: Ser. II SERMO CLXXXVI A
H o dierni diei solẽnitas domini dei magni & magnæ gratiæ quæ superfusa est super nos, recordationẽ facit. Deo em̃ solennitas celebratur, ne quod semel factum est, de memoria deleatur. Solẽnitas enim ab eo quod solet in anno, nomen accepit: quomodo perennitas fluminis dicitur, quia non siccat æstate, sed per to- C tum annũ fluit: ideo perẽne, id est, per annũ, sic & solẽne quod solet in anno celebrari. Celebramus hodie aduentum spiritussancti. Dns enim spiritũsanctum de cœlo misit quem in terra promisit, & quia sic promiserat de cœlo esse missurum. Nõ po- Ioan.16 test ille uenire, ait, nisi ego abiero, dum autẽ abiero mittam illum ad uos: Passus est, mortuus est, resurrexit, ascẽdit, restabat ut impleret quod promisit. Hoc expectantes discipuli eius, animæ, ut scriptum est, centum uiginti decuplato numero apostolorum, duodecim enim elegit, & centũ uiginti spiritum misit. Hoc ergo promissum expectantes in una domo erant, orabant: quia desiderabãt iam ipsa fide, quod ipsa oratione, ipso spiritali desiderio: utres noui erãt, uinũ nouum de cœlo expectabatur & uenit. Iam enim fuerat magnus botrus ille calcatus & glorificatus. Legimus enim in Euãgelio, Spiritus enim nõdum erat datus, quia Iesus nondũ fuerat glorificatus. Iam quid respõdit, audistis, magnũ miraculum, Omnes qui aderãt, unam linguam didicerant. Venit spiritussanctus, impleti sunt, cœperunt loqui linguis uarijs omniũ gentium, quas nõ nouerãt nec didicerãt, sed docebat ille qui uenerat, intrauit, impleti sunt, fudit. Et tũc hoc erat signũ, quicũq̃ accipiebat spiritumsanctũ, subito impletus spiritu linguis omniũ loquebat, non illi solum centum uiginti. Docent nos literæ ipsæ, postea crediderunt homines, baptizati sunt, V accepe-

acceperũt ſpiritumſanctum, linguis omnium gentium locuti ſunt. Expauerunt qui aderant, alij ad-
Act.1 mirãtes, alij irridentes: ita ut dicerẽt, Iſti ebrij ſunt, muſto pleni ſunt. Ridebãt, & aliquid uerum dicebant. Impleti eũ erant utres nouo uino. Audiſtis
Matt.9 cum Euangelium legeretur, Nemo mittit uinum nouũ in utres ueteres: ſpiritalia nõ capit carnalis. Carnalitas uetuſtas eſt, gratia nouitas eſt. Quãtocunq; homo in melius fuerit innouatus, tanto amplius capit, q̃d uerũ ſapit. Bulliebant muſto, & muſto bulliente linguæ gentiũ profluebãt. Nunquid modo fratres non datur ſpiritusſanctus? Quiſquis hoc putat, non eſt dignus accipere. Dat̃ & modo. Quare ergo nemo loquitur linguis omnium gentium, ſicut loquebatur qui tunc ſpiritu ſancto implebat̃? Quare? Quia quod illud ſignificabat impletum eſt. Quid eſt illud? Quando celebrauimus quadrageſimam, recolite, quia cõmẽdauimus uobis dominum Ieſum Chriſtum eccleſiam ſuam cõ-
Act.1 mendaſſe & aſcendiſſe. Quærebant diſcipuli, quãdo erit finis ſeculi? Et ille non eſt ueſtrũ ſcire tempora uel momenta quę pater poſuit in ſua poteſtate. Adhuc promittebat q̃d hodie compleuit, Accipietis uirtutẽ ſpiritusſancti ſuperuenientis in uos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in tota Iudęa & Samaria, & uſq; in fines terræ. Eccleſia tunc in una domo erat, accepit ſpiritumſanctum, in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat. Ecce quod pretẽdebat modo. Nam quòd illa Eccleſia parua linguis omnium gentium loquebatur: quid eſt quòd eccleſia iſta magna à ſolis ortu uſq; ad occaſum linguis omnium gẽtium loquit̃? Mo-
Pſal.44 do impletur quod tunc promittebatur. Audiuimus, uidemus. Audi filia & uide: ipſi reginę dictũ eſt, Audi filia & uide. Audi promiſſum, uide completum: non te fefellit deus tuus, non te fefellit ſpõſus tuus, nõ te fefellit qui ſuo ſanguine te dotauit, non te fefellit qui de fœda pulchram, de immunda uirginẽ fecit. Tu tibi promiſſa es, ſed promiſſa in paucis, impleta in multis. Nemo ergo dicat, accepi ſpiritumſanctũ: Quare nõ loquor linguis omniũ gentium? Si uultis habere ſpiritumſanctum, intendite fratres mei, ſpũs noſter quo uiuit omnis homo, anima uocat̃, ſpũs noſter quo uiuit ſingulus quiſq; homo, anima uocat̃, & uidetis quid faciat anima in corpore. Omnia mẽbra uegetat, per oculos uidet, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquit̃, per manus operat̃, per pedes ambulat: omnibus ſimul adeſt membris ut uiuant, uitam dat omnibus, officia ſingulis. Non audit oculus, non uidet auris, nõ uidet lingua, nec loquitur auris & oculus, ſed tamẽ uiuit, uiuit auris, uiuit lingua, officia diuerſa ſunt, uita cõmunis. Sic eſt eccleſia dei, in alijs ſanctis facit miracula, in alijs ſanctis loquit̃ ueritatem, in alijs ſanctis cuſtodit uirginitatem, in alijs ſanctis cuſtodit pudicitiam cõiugalẽ, in alijs hoc, in alijs illud: ſinguli propria operant̃, ſed pariter uiuũt. Quod aũt eſt anima corporis hominis, hoc eſt ſpiritusſanctus corporis Chriſti, q̃d eſt Eccleſia: hoc agit ſpiritusſanctus in tota Eccleſia, q̃d agit Eccleſia in omnib. membris unius corporis. Sed uidete quid caueatis, uidete quid obſer A
uetis, uidete quid timeatis. Contingit ut in corpore humano, imò de corpore aliquod præcidat̃ mẽbrum, manus, digitus, pes, nunquid præciſum ſequitur anima? Cum in corpore eſſet uiuebat, præciſum amittit uitam. Sic & homo Chriſtianus catholicus eſt dum in corpore uiuit, præciſus hæreticus factus eſt mẽbrum amputatũ, non ſequit̃ ſpiritus. Si ergo uultis uiuere de ſpiritu ſancto, tenete charitatem, amate ueritatem, deſiderate unitatẽ, ut peruenietis ad æternitatem, Amen.

Item eodem die Homilia, de eo q̃d ſcriptum Ioan.3
eſt in Euangelio ſecundum Ioannem, Sic deus dilexit mundum, &c. quæ ſumpta eſt de expoſitiõe doctoris, Ibidem.

B IES nobis fratres gratus illuxit, quo ſan SERMO
D cta Eccleſia fidelium fulget aſpectibus, CLXXXVII
feruet in cordibus. Celebramus quippe A
iſtum diem, quo dñs Ieſus Chriſtus poſt reſurrectionem, aſcenſione glorificatus miſit ſpiritumſanctum. Sic enim ſcriptum eſt in Euãgelio cum diceret, Si quis ſitit, ueniat ad me & bibat, qui credit in
me, flumina fluent de uentre eius aquæ uiuæ. Euã- Ioan.7
geliſta ſecutus exponit & ait, Hoc autem dicebat de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum fuerat glorificatus. Reſtabat ergo ut clarificato Ieſu cũ reſurrexit à mortuis & aſcẽdit ad cœlos, iam daret̃ ſpiritusſanctus ab eo miſſus à quo promiſſus, ſicut & factum eſt. Quadraginta enim
dominus poſt reſurrectionẽ dieb. cum diſcipulis C
cõuerſatus, aſcendit in cœlum, & die quinquageſimo, quem hodie celebramus, miſit ſpiritumſanctum, ſicut ſcriptum eſt, Factus eſt ſubito ſonus de Act.2
cœlo, quaſi ferretur flatus uehemens, & uiſæ ſunt illis linguę diuiſę ſicut ignis, q̃ inſedit ſuper unumquenq;, & cœperunt linguis omnibus loqui quomodo ſpiritus dabat eis pronunciare. Flatus ille à carnali palea corda mũdabat, ignis ille fœnum ueteris concupiſcentiæ conſumebat, linguę illæ quibus loquebant̃ à ſpiritu ſancto impleti per omniũ gentium linguas futuram Eccleſiam deſignabãt,
Sicut eũ poſt diluuiũ impietas ſuperba hominũ Gen.11
turrim contra dominũ ędificauit excelſam, quando per linguas diuerſas diuidi meruit genus huma-
num, ut unaquæq; gens lingua propria loquerẽt̃ D
ne ab alijs intelligeretur: ſic humilis fideliũ pietas earũ linguarum diuerſitate eccleſię cõtulit unitatem, ut quod diſcordia diſſipauerat, colligeret charitas, & humani generis tanq; unius corporis mẽbra diſperſa ad unũ caput Chriſtũ cõpaginata redigeret, & in ſancti corporis unitatẽ dilectionis igne cõflaret. Ab hoc itaq; dono ſpiritu ſancti prorſus alieni ſunt, q̃ oderunt gratiã, qui ſocietatẽ non retinẽt unitatis. Licet eũ etiã ipſi hodie ſolẽniter cõgregent̃, licet iſtas audiãt lectiões quibus ſpiritusſanctus promiſſus & miſſus eſt, ad iudiciũ audiunt non ad premium. Quid enim eis prodeſt percipere auribus quod cordibus reſpuunt, & eius diem celebrare cuius lumen oderunt? Vos aũt fratres mei, membra corporis Chriſti, germina ueritatis

tatis, filij pacis, hunc diem agite læti, celebrate ſecuri. Hoc enim in uobis impletur, quod illis dieb. A
quãdo uenit ſpiritusſanctus, præſignabatur. Sicut enim tũc qui ſpiritumſanctũ percipiebat etiam unus homo linguis omibus loquebat̃: ſic & nũc per omes gentes omnib. linguis ipſa ueritas loquitur, in qua conſtituti ſpiritumſanctum habetis, q̃ Chriſtũ Eccleſia loquente omnib. linguis, à nobis ſchiſmate non diſſidetis.

Item eodem die, Homilia de eo quod ſcriptum
Ioan.10 eſt in Euangelio ſecundum Ioãnem. Amen amen dico uobis, qui non intrat per oſtium, &c. quę habetur in expoſitione doctoris, Ibidem. Et inter ſermones de uerbis domini, XLIX

Feria quarta Pentecoſtes, de miſſione
ſpiritusſancti: Sermo I B
RATRES chariſſimi, hodierna die an
niuerſaria ſolennitas agit̃, qua die dñs SERMO
F noſter Ieſus Chriſtus ſpiritũ ſanctũ pa CLXXXVIII
racletum miſit, quem diſcipulis antè promiſit. Dixerat eũ, Non poteſt ille uenire niſi ego abiero. Quadrageſimo itaq; die poſt reſurrectionẽ ſuam cuius ſolẽnitatem ante decẽ dies egimus, aſcendit in cœlum, nec immemor pollicitationis ſuę hodie miſit ſpiritũ ſanctum, q̃ impleti ſunt prius centũ uiginti, qui ſimul fuerãt cõgregati, eãdemq; domini
promiſſionẽ fideliter expectabãt. Scriptũ eſt eũ, In ſuperio/ re col.
Subito de cœlo ſonus factus eſt, quaſi ferret̃ flatus uehemẽs: & uiſæ ſũt illis linguæ diuiſę ſicut ignis, qui & inſedit ſuper unumquẽq; illorum: & cœperunt linguis omnib. loqui qũo ſpiritusſanctus dabat eis pronunciare. Flatus ille à carnali palea corda mũdabat, ignis ille fœnum ueteris concupiſcẽtiæ cõſumebat. Ita quippe tunc placuit ſpirituſſanctũ ſignificari preſentiã, ut qui eum accepiſſent linguis omnib. loquerent̃. Prius itaq; uideamus breuiter quare dixit quando eum promiſit: nõ poteſt ipſe uenire niſi ego abiero. Neq; enim ſeparabilis eſt à filio dei ſpiritusſanctus, aut impotens erat eo preſente uenire à quo nõ poteſt omnino diſcedere. Sed qm̃ diſcipulis adhuc infirmis formam ſerui dñs demõſtrabat, in qua uerbũ caro factum eſt & habitauit in nobis: cauſam uero ſerui, id eſt, carnẽ dñi etiam carnales poterant intueri: forma aũt dei in qua nõ rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ deo, non poteſt niſi à ſpiritalib. cogitari, propterea dixit, Non poteſt ille uenire niſi ego abiero: tanq; diceret, quamdiu circa carnem meã occupat̃ ueſter carnalis affectus, tamdiu meã diuinitatẽ nõ ſuſcipit ſpiritalis ueſter obtutus. Dono eũ ſpirituſſanctũ promiſerat eos introducentes in omnẽ ueritatem, ſicut ſcriptũ eſt, Fide mundans corda eorum. Beati autem mũdo corde, qm̃ ipſi deum uidebũt. Abſceſſit itaq; corporalis forma dñi à corporalib. oculis eorũ, ut per ſpiritumſanctum diuinitas dñi inſinuaret̃ cordib. eorũ. Nunc deinde uideamus, quare tum hoc ſignũ preſentiæ ſpiritusſanctũ, ut q̃ eum accepiſſent, linguis omniũ loquerent̃. Neq; eũ etiam nunc cũ dat̃ ſpiritusſanctus, qui eũ accipiunt loquuntur linguis omnibus, quo euidẽti miraculo ſe illo tempore demõſtrabat. Hic intelligẽdũ eſt fratres chariſſimi, hunc eſſe ſpiritumſanctũ, quo charitas dei diffunditur in cordib. noſtris, & A
quo Eccleſiam dei cõgregatura fuerat toto orbe terrarum: & q̃d tunc etiam unus homo poterat ut ſpiritumſanctũ accipiẽs linguis omniũ loquerẽt̃, nunc ſpiritu ſancto cõgregata ipſa unitas Eccleſię linguis omnib. loquitur. Proinde ſi quiſq; dixerit alicui noſtrum, Accepiſti ſpiritũſanctum, quare non linguis omnib. loqueris? Reſpondere debet, Loquor omnibus linguis, quia in eo ſum Chriſti corpore, hoc eſt, in Eccleſia, quæ loquit̃ omnibus linguis. Quid eũ tũc aliud ſignificat deus per ſpiritu ſancti præſentiã, niſi Eccleſiam ſuã linguis omnib. locuturã? Impletũ eſt ita q̃d promiſerat dominus, Nemo mittit uinũ nouum in utres ueteres,
ſed uinũ nouum in utres nouos mittit, & utraq; ſer B
uabuntur. Merito ergo cũ audirent̃ linguis omnibus loqui, nonnulli dicebãt, Hi muſto pleni ſunt. Iam eũ facti fuerant utres noui, ſanctitatis gratia renouati, ut uino nouo, hoc eſt ſpiritu ſancto repleti linguis omnib. loquendo feruerẽt, & Eccleſiam catholicam per omnium gentium linguas futurã euidentiſſimo illo miraculo preſignarent: ac per hoc recte credunt̃ hæretici ſpiritumſanctũ nõ habere qui diuidunt̃ à corpore, q̃d per oẽs gẽtes linguis omnib. meruit perſonare. Hunc itaq; diem dilectiſſimi ſic celebrare tanq; membra unitatis corporis Chriſti. Nõ eũ fruſtra celebratis, ſi hoc eſtis quod celebratis, illi eccleſiæ cohærentes, quã dñs implens ſpiritu ſancto toto mundo creſcentẽ co-
gnoſcit ſuam & agnoſcitur à ſua, & tanq; ſponſus C
ſponſam non perdit propriam, quia nemo ſupponit alienam. Vobis enim in omnibus gentibus cõſtitutis, hoc eſt Eccleſiæ Chriſti, membris corporis Chriſti, ſponſæ Chriſti, Apoſtolus dicit, Suffe- Epheſ.4
rentes inuicem in dilectione, ſtudentes ſeruare unitatem ſpiritus in uinculo pacis. Videte quia ubi præcepit ut ſuſtineamus inuicem, ibi poſuit dilectionem: ubi ſpiritum nominauit unitatis, ibi oſtẽdit uinculum pacis. Hæc eſt domus dei de uiuis lapidibus fabricata, in qua talem patremfamiliâs delectat habitare, cuius oculos ruina diuiſionis non debet offendere.

Item eodẽ die, Homilia de eo q̃d ſcriptum eſt in Ioan.6
Euangelio ſecundũ Ioannẽ, Nemo poteſt uenire
ad me, niſi pater meus q' miſit me traxerit eũ, &c. D
quę ſumpta eſt de expoſitione doctoris, Ibidem. Et ex ſermonibus de uerbis domini, XLVI

In feſto ſanctæ Trinitatis, q̃d celebrat̃ dominica in octauis Pẽtecoſtes, de ſancta Trinitate: Ser. I
Vdio fratres, quòd quidã inter ſe diſpu- SERMO
A tant, quomõ pater & filius & ſpirituſſan CLXXXIX
ctus & tres ſunt, & unũ ſunt. Videtis ex
quæſtione quàm periculoſa ſit diſputatio. Lutum & uas figuli de creatore diſputat, & ad naturæ ſuę rationem non poteſt peruenire, & curioſe quærit ſcire de myſterio trinitatis, q̃d angeli in cœlo ſcire non poſſunt. Quid enim dicũt angeli in cœlo, Pſal.33
Quis eſt iſte rex gloriæ? dominus uirtutũ ipſe eſt rex gloriæ. Similiter in Eſaia dicitur, Quis eſt iſte
qui aſcendit de Edom, candida ueſtimenta eius? Eſa.63

Vide quid dicunt, pulchritudinē prædicant, & de natura tacēt. Ergo & nos simpliciter dicamus. Vis scire naturā dei, hoc scito q̃d nescias, nec in hoc cō tristeris quia nescias, quia & angeli nescierūt, & si militer oēs creaturæ. Sed dicit aliquis, Quomodo ergo credo quod nescio? Quomodo Christianus sum, qui nescio qūo sum Christianus? Dicam simpliciter antequā aliqua de scripturis proferam: O Christiane qui tibi uideris nihil scire, si scias hocip sum quod nescias, nónne magis plus uideris à cæteris scire? Gentilis homo uidet lapidem, & deum putat: philosophi uident cœlū, & deū putant. Alij uident solem, & deum putant, Tu uero uide quantam super istos habeas scientiam qui dicis, deus lapis esse non potest. Sol deus esse nō potest, quia alterius imperio currit. Vides q̃d in eo quod dicis nihil te scire, magis nosti. Gentiles aūt in eo ꝙ se dicunt scire, nesciunt, quia falsa sunt quæ nouerūt: simulq̃ cōsidera ꝙ uoceris fidelis non rationalis. Deniq̃ accepto baptismo hoc dicimus, Fidelis factus est, siue factus sum, credo quod nescio, & propterea scio, quia me scio nescire quod nescio. Sed dicit aliquis, Hoc nō est exponere, sed expositionem fugere. Et nos sciebamus scire quod nesciebamus, tu nos dicebas scire quod ignoramus. Nō ne meum est pie ignorantiā cōfiteri, q̃ temere mihi scientiam uendicare? In die iudicij non dānor, quia dicam nesciui naturā creatoris mei: si aūt aliquid temere dixero, temeritas pœnā habet, ignorantia ueniā promeretur. Dicamus aliquid de scripturis rationē non sequētes, sed autoritatem dñi saluatoris. Christus em̄ dicit ascensurus in cœlum ad Apostolos loquens, quibus prædicat ut magister & dñs. Nemo em̄ nouit sic de natura sua dicere qūo ipse qui deus est: nobis aūt sufficiat scire de trinitate, quod dominus exponere dignatus est.

Matt. 28 Quod ergo dicit ad Apostolos, Ite & baptizate oēs gentes in nomine patris & filij & spiritussancti: tria nomina audio, & unū dicit nomen. Non em̄ dixit, in nominibus: sed in nomine. Tria nomina dicit, & qūo unum ponit? In nomine patris & filij & spiritussancti unum est, sed trinitas est nomen quod dicitur, in nomine patris dei, in nomine filij dei, in nomine spiritussancti dei, pater & filius & spiritussanctus unum nomen est diuinitatis. Sed requiris à me quomodo uno nomine tres appellant? Nescio & libere me nescire profiteor: q̃d Christus uoluit indicare hoc solum scio, quia in hoc Christianus sum, quia unū deum in trinitate cōfiteor. Si aūt dixero unā personam esse patris & filij & spiritussancti, Sabellianus appellor, & incipio nō esse Christianus, sed Iudæus: quia & Iudæus unū deū dicit, & quia patrem nescit & filiū & spiritumsanctum, propterea mysteriū nō nouit trinitatis. Ergo si sic dicimus unū deum ut patrem & filiū & spiritumsanctū excludamus à mysterio trinitatis, Iudæi efficimur. Ergo libere dico nō ex me, sed ex sentētia saluatoris, scādalum esse quod in animo nascitur auditoris, quomodo tres unum sint, quomodo pater & filius & spiritussanctus nō diuidantur in diuinitate, sed in personarum quali-

A tate. Quādo cunq̃ personas appello, rogo uos ne me putetis personas hominū dicere, ego personas in patre & filio & spiritusancto nō dico quasi personas hominū: personā patris dico quia pater est, & filij quia filius est, & spiritussancti quia spiritus sanctus est. Nō est pater filius, nec filius pater, nec spiritussanctus pater aut filius. Diuidūtur em̄ proprietatibus, sed natura sociant. Videte, hoc ipsū scandalum Philippus quondam Apostolus sustinebat, quādo dixit ad ipsum dominum: Domine, Io. 14. 8 ostende nobis patrē. Cui respōdens dñs ait: Philippe tanto tempore uobiscum sum, & nō cognouistis me. Qui uidet me, uidet & patrē. Quid? ipse pater, est ipse filius? Hoc impiū est dicere, sed hoc dicit, in eo quod filium uides, intellige patrē. Nō

B em̄ potest appellari filius, nisi habuerit patrē. Quādo dicit pater, non dicitur nisi habuerit filiū. Multa sunt quæ dici possunt, sed sufficiat fidelibus pauca de mysterio trinitatis audisse. Rogo uos, hoc maius inter nos certamen sit qūo aduersarium superemus, qūo ieiunemus, quomodo peccata nostra plāgamus, qūo pro tāto scelere satisfaciamus, quomodo eleemosynis insistamus, qūo cogitatio nostra non nos captiuos in libidinem trahat, quomodo contra omnem iniuriam patientiam habeamus, quomodo fratri iniuriam facienti non resistamus, sed uincamus eum in humilitate, quā à Christo didicimus, qui cum patereť nō comminabať. Quādo uenerit cogitatio, & proposuerit quid est deus, & quæ est ratio trinitatis, nobis sufficiat credere quia est: & nō temere rationem quærere trinitatis, sed timere & orare dūm semper debemus,

C & sibi soli scientiam nostram in hac parte exhibeamus, ut diebus ei ac noctibus laudes canamus, cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

In eodem festo, de eo quod scriptum est: Splendor est enim lucis æternæ & imago inuisibilis dei Sap. 7 &c.

Sermo II

Ser. CXC

A POSTOLI lectionē mecū pariter audistis dilectissimi. Ait em̄ de dño Iesu Christo, Splendor est em̄ lucis æternæ, & imago inuisibilis dei, eo q̃d & imago solis lux sua sit quæ de eo sole procedit. Quippe cū cōstet, lumē istud diuinitatis æstimari, cōprehēdi & definiri nō posse, ideo premoneo, ut tantum de unitate substātiæ spiritaliter credatis, & filiū uerū de uero patre cognoscatis. De qualitate aūt rei quærere nō debe-

D tis, quia deus credi se uoluit, nec examinari, quia quātus sit sciri non potest. Hoc em̄ prophetę, hoc Apostoli prædicauerūt. Deniq̃ pro captu, pro uiribus, pro fide nostra intueamur, deus quid sit, & uideamus an aliquid possit ei cōparari. Certe hoc est deus, quod & cum dicitur non potest dici, cum æstimatur non potest æstimari, cum comparatur nō potest comparari, cum definitur ipsa definitione crescit: quia cœlū manu sua cooperit, pugno omnem mundi ambitum claudit, quem totū omnia nesciūt, & metuendo sciunt. Cuius nomini & uirtuti famulatur hic orbis, & ipsa sibi elementorum succedentiū momentanea uicissitudo seruiēdum testať. Videte ergo, si aliquid esse possit, cui pa er

& filius possit cōparari, quia talis est filius qualis

A & pater. Nō enim ipse cū patre unū se diceret, nisi tale se de patre qualis est pater sciret. Ratio quidē quæ apud Græcos logos nuncupať, inter patrem uel filiū personas uel uocabula distinguit, quia & ipse filius ratio dicitur: quæ tamē ratio multis nominibus appellať, modo uerbū, modo uirtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachiū, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo homo, modo agnus, modo uitulus, modo aquila, modo leo, modo uia, modo ueritas & uita, cū sit deus omnia in omnibus: ut p hæc uocabula diuinarū dispositionū mysteria cognoscant, non ut ipsa maiestas filij dei proprie definita demōstretur. Hoc em̄ filius dei quod pater est non aliud, id

B est, per quē omnia facta sunt. Nam & hoc uerbum nuncupatur, quia semper in patre, & de patre, & nihil pater sine eo iussit aut fecit. Virtus dicit, qa proprie de deo est, & omnis potestas in ipso consistit. Sapientia appellať quia nō aliunde q̃ de patre ueniens credētibus arcana cœlestia reuelauit. dextera nuncupať, quia per eū omnia diuina opera perfecta sūt. Brachiū dicit, quia ab ipso omnia cōtinētur. Margarita appellať, ut nihil eo preciosius habeatur. Thesaurus dicitur, quia in ipso omnes opes, diuitiæ cœlestiū regnorū recōditę cognoscūtur. Retia dicitur, quia per ipsum & in ipso de mari seculi diuersarū gentiū multitudo more piscium per baptismū in ecclesia congregať, ubi bonorum malorumq̃ discrimē agnoscitur. Aratrū nuncupatur, quia signo crucis eius dura pectora subiugantur, ut necessario semini preparent. Fons aquæ uiuæ appellať, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquę grātia irriganť. Petra dicitur, quia credētibus fortitudinē, incredulis duritiā prestat. Lapis angularis dicit, quia utroscq̃ parietes noui, & ueteris testamēti, ipse unus & mediator in semetipso continens copulauit. Agnus appellať, ut innocentia & passio Christi demonstreť. Homo dicitur, quia secūdum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicit, quia ꝓpter nostrā salutē immolari sustinuit. Aquila dicitur, quia post uenerabilē resurrectionem ad patris sui reuolauit sedem. Leo est dictus, quia ipse est rex regum, qui mortē ac diabolum uirtutis suæ potestate cōminuit. Via est, quia p ipsum ad patrē accessus est. Veritas est, quia mēdaciū nescit. Vita est, quia dat uitam. Ipse uniuersa significat. Est ergo pater, deus immēsus, ęternus, incōprehensibilis, inæstimabilis. Est & filius deus & dñs noster tātus quantus est pater, sed non aliunde q̃ de patre: quia ego, inquit, de patre exiui, hoc est, lumē de lumine. Sed ne ex eo occasionem aliquam hæreticus capiat, cū duo nomina uel duas personas, id est patris & filij statuo, quasi duos ex diuersitate cōfingam: nos patrem & filiū ita nominamus, ut unū deum in his personis & in omnibus assignemus. Porrò pater & filius etsi duę personę credunt, ratione tamē & substantia unū sunt: quia inæqualiū societas melioris offensa est, & iniuria est eius qui uerus est deus, si nō uerus a-

lius compareť. Deum em̄ qui iniuste cōparat, uiolat. Cum aūt ego patrem & filiū statuo, unitatem generis assigno, & si illam in personis diuido, discretionē tamē personarū rursum eadem nomina in unitatis sui naturalis fœdetis lege consigno.

In eodem festo, de sancta Trinitate. Ser. III

SERMO CXCI

M VLTA quidē & frequēter ausi sunt Ariani heretici aduersus seruos dei, qui fidē rectā & catholicā custodiūt, p adulterinā doctrinā asserere, & orthodoxos persequi tentarunt. Intantū aūt nunc exurrexerunt contra fidem, ita ut multos ex nobis polluerint, & aures nostras cōmouerint, ut animas laniarēt. Scelerate autē hæresis suæ perfidiam tegūt, sed non diutius hic uel facere permissum est. Est enim gubernator

B ecclesiarum suarū dñs, qui pro omnib. nobis mortem sustinuit. Et ideo indeficiens nobis est oratio dilectissimi fratres. Primo, ut sancta dñi & catholica Ecclesia dissensionibus omnib. & hæresibus carens, unitatem spūs in uinculo charitatis ubiq̃ conseruet, quā per fidem rectā & uitam immaculatam tenere, amplecti, seruare, custodire omnib. inuocantibus dñm est quidem iustum, præcipue episcopis qui ecclesijs præsunt. Secūdo, ut Ecclesiæ regula sanctaq̃ patrum traditio atq̃ iudicia in perpetuū firma solidaq̃ permaneant. Est autē patrū nostrorum fides hęc: Credimus in deū patrem omnipotentē, cunctorum uisibiliū & inuisibilium conditorē. Credimus & in dñm Iesum Christum, per quē creata sunt omnia uerum deū unigenitū,

C uerum dei filium, nō factū aut adoptiuum, sed genitum, unius cum patre substātiæ, q̃d Græci dicūt homousion: atq̃ ita per omnia æqualem deo patri, ut nec tempore, nec gradu, nec potestate esse possit inferior, Tantumq̃ esse cōfitemur illum qui est genitus quantus est ille qui genuit. Non aūt quia dicimus genitū à patre filiū, diuinę & ineffabili generationi aliquod tempus ascribimus, sed nec patrē dicimus aliquādo cœpisse, nec filium. Non em̄ possumus aliter confiteri æternum patrē, nisi cōfiteamur etiā & filium coæternum. Ex filio pater dicitur, & qui semper pater fuit, semper filiū habuit. Credimus & in spūm sanctum, deum uerum ex patre procedentē, æqualem per omnia patri & filio, natura, uoluntate, potestate, æternitate, substātia.

D Nec est prorsus aliquis in trinitate gradus, nihil q̃d inferius superiusq̃ dici possit. Ideo tota deitas sua pfectiōe ęqualis est, ut exceptis uocabulis quę ꝓprietatem personarum indicant, quicquid de una persona dicit, de trib. dignissime possit intelligi. Atq̃ ut cōfutantes Ariū, unam eādemq̃ dicimus trinitatis substantiā esse, & unū in tribus personis fatemur deū, Ita impietatē Sabellij declinātes, tres personas expressas sui proprietate distinguimus: non ipsum sibi patrē, ipsum filiū, ipsum spūm sanctum esse dicentes, sed aliā patris, aliā filij, aliā spiritussancti esse personam. Non em̄ nomina tantūmodo, sed etiā nominum proprietates, id est, personas cōfitemur. Nec pater filij aut spiritussancti, personā aliquando excludit, nec rursus filius aut spiritussanctus patris nomen, personamq̃ recipit,

ſed pater ſẽper pater, filius ſemper filius, ſpũs ſanctus ſemper ſanctus: itaq; ſubſtantia unũ ſunt, per
A ſona ac nominib. diſtinguntur. Ipſum aũt dei filium, qui abſq; initio cũ patre & ſpiritu ſancto eſt, dicimus in fine ſeculorũ perfectum naturę noſtræ hominem ſuſcepiſſe ex Maria ſemper uirgine, & uerbũ carnem eſſe factum, ſed aſſumẽdo hominẽ nõ permutãdo deitatem. Nec, ut quidã ſceleratiſſimi opinãtur, ſpiritum ſanctum dicimus pro ſemine fuiſſe, ſed potẽtia & uirtute creatoris operatũ. Sic autem confitemur in Chriſto unã filij eſſe perſonam, ut diſcamus duas atq; integras eſſe ſubſtãtias, deitatis ſcilicet, & humanitatis, quę ex anima conſtat & corpore: atq; ut condẽnamus Photinũ, qui ſolũ & nudum hominẽ confiteẽ in Chriſto, ita anathematizamus Apollinarẽ & eius ſimiles, qui dicunt
B dei filiũ minus aliquid de humana ſuſcepiſſe natura, & uel in carne, uel in anima, uel in ſenſu aſſumptũ hominẽ his propter quos aſſumptus eſt fuiſſe diſſimilem, qm̃ abſq; ſola peccati macula quæ naturalis nõ eſt, nobis cõfitemur fuiſſe conformẽ. Illorum quoq; execramur ſimiliter blaſphemiã, qui nouo ſenſu aſſererе conantur, à tẽpore acceptę carnis omnia quæ erãt diuinitatis in hominẽ demigraſſe, & rurſum quæ humanitatis erant in deum eſſe trãsfuſa: ut q̃d ulla unq̃ hęreſis auſa eſt dicere, uincatur hac cõfuſione utraq; exinanita eſſe ſubſtantia, & deitatis ſcilicet & humanitatis, & amiſſo ꝓprio ſtatu in aliud eſſe mutata: ut qui tam deũ perfectũ in filio q̃ hominem cõfitemur, nec deũ uere nec hominem temere credamus. Nos aũt ita dici-
C mus ſuſceptũ à dei filio hominẽ, ut deus tamen impaſſibilis permaneret. Paſſus eſt etem̃ dei filius nõ putatiue, ſed uerè omnia quę ſcriptura teſtatur, id eſt, eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortẽ, & cętera huiuſmodi: ſed ſecundũ illud paſſus eſt quod pati poterat, non ſecundum illam ſubſtantiã quæ aſſumpſit, ſed ſecundum illã quæ aſſumpta eſt. Ipſe em̃ dei filius ſecundum deitatem ſuam impaſſibilis eſt ut pater, incorruptibilis ut pater. Et quamuis proprie perſona filij, id eſt, dei uerbum ſuſceperit paſſibilem hominẽ, tamen eius inhabitatione ſecundum ſuã ſubſtantiam deitas uerbi nihil paſſa eſt, ut tota trinitas quã impaſſibilẽ eſſe neceſſe eſt. Mortuus ergo eſt dei filius eadẽ natura carnis in qua natus eſt & paſſus, in qua & reſurrexit. Nõ em̃ exinanita eſt humanitatis ſubſtantia, ſed glorificata in ęternũ cum deitate manſura. Venturus eſt ad iudiciũ uiuorum & mortuorum: ut & iuſtos remuneret & puniat peccatores. Reſurrectionẽ carnis ita credimus, ut dicamus nos in eadẽ in qua nunc ſumus ueritate membrorum eſſe reparãdos, qualesq; ſemel poſt reſurrectionẽ fuerimus effecti, inperpetuũ manſuros. Vnam eſſe ſanctorũ uitã omnium, ſed præmia ꝓ labore diuerſa, & e contrario ꝓ modo delictorũ, peccatorum quoq; eſſe ſupplicia. Baptiſma unũ tenemus, q̃d ijſdem ſacramenti uerbi infantib. quibusue etiã maiorib. dicimus eſſe celebrandum. Hominẽ ſi poſt baptiſmũ lapſus fuerit, primo per recõciliationem, deinde per pœnitẽtiam credimus poſſe ſaluari. Nouum & uetus Teſtamentum recipimus in illo librorũ numero, quem ſanctæ eccleſię catholicę tradit authoritas. Animas à deo dari credimus, quas ab ipſo factas dicimus, anathematizãtes eos, qui animam, quaſi partẽ dei, diuinę dicũt eſſe ſubſtantię. Eorũ quoq; condẽnamus errorem, qui eas ante peccaſſe uel in cœlo conuerſatas eſſe dicũt, q̃ in corpora mittertur. Execramur etiã blaſphemiã eorũ, q dicunt impoſſibile aliqd homini à deo eſſe præceptũ, & mã data dei nõ à ſingulis, ſed ab omnibus in cõmune poſſe ſeruari: uel q primas nuptias cũ Manichæo, uel ſecundas cũ Cataphrygis dãnant. Anathematizamus etiã illos, qui dei filiũ neceſſitate carnis mẽtitum eſſe dicunt, & tunc ꝓpter aſſumptũ hominẽ nõ omnia facere potuiſſe quę uoluit. Iouiniani quoque dãnamus errorẽ, q dicit nullã in futuro meritorum diſtantiã. Nos quoq; habituros eſſe uirtutes, quas hic habere neglexímus. Liberũ ſic cõfitemur arbitriũ, ut dicamus nos dei ſemper indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichęo dicunt hominẽ peccatum uitare nõ poſſe, q̃ illos qui cũ Iouiniano aſſerũt, hominẽ nõ poſſe peccate. Vterque enim tollit arbitrij libertatem. Nos uero dicimus hominẽ ſemper & peccare & nõ peccare poſſe, ut nos liberi cõfiteamur eſſe arbitrij. Hæc eſt fides dilectiſſimi fratres, quã in catholica didicimus Eccleſia, quãq; ſemper tenuimus & tenemus, quã credimus & à nobis deinceps poſſe teneri.

In eodem feſto, de ſymbolo ac deitate & omnipotentia patris: Sermo IIII

SERMO CXCII

OStendimus fratres dilectiſſimi, ut ueſtra certe dilectio recordatur, deũ in quo uos credere promiſiſtis, & creditis uerũ eſſe deum, ita etiã uerũ patrem, hũc uero eundẽ etiam omnipotentem. Hinc enim ordo ſymboli mõſtratur eſſe. Nam licet hoc ipſo q̃d uerus deus eſſe probatur, ſine dubio omnipotens intelligãtur: tamẽ magis hoc fidei proficit, ſicut ſcripturis ſanctis omnipotentia eius aſſeritur. Magna enim credentibus oritur cõfidentia, cum agnoſcũt illum omnia poſſe quem credunt. Omnipotẽtem ergo dominum ac deum noſtrũ ipſa eius in primis opera teſtantur, qui fecit hunc mundum totum de nihilo, & totam quę magna eſt pulchritudinẽ, tamq; ſpecioſas rerum formas, ex nulla materia extante compoſuit.
D De ipſo em̃ dicit ſcriptura diuina: In principio fecit deus cœlum & terrã. Et rurſus: Quoniã ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud. Quis ergo neget omnipotẽtem eſſe, quem tam clara cognoſcit operatũ? Sed multo magis eum eſſe omnipotentem fatebitur, cum hæc ipſa, q̃ facile operatus ſit, agnouerit. Propheta loquitur in Pſalmo: Ipſe dixit & facta ſũt, ipſe mãdauit & creata ſunt. Abſq; ullo labore, abſque difficultate aliqua uerbo res cõdidit: qęquid ratio humana miratur nõ labore deus, ſed iuſſione reformauit. Imperio eius extiterũt omnia, quę ante non fuerãt: cũ ex nihilo tanta procedũt, omnipotentem loquuntur authorẽ. Neq; uero à deo iſta ſola creata ſunt quæ uidemus, ſed maiores potẽtię diuinę diuitias, inuiſibilia eius opera teſtantur. Siquidẽ ab ipſo creatę ſunt oẽs angelicę poteſtates, quæ

Gen.1 Pſal.94 Pſal.32 & 148

quæ quamuis non uideantur à nobis, tamen ut ex ſcripturis diuinis agnoſcimus, deo militant: & ipſi
A seruiunt, throni, dominationes, ac uirtutes omnes & ſpiritalis ſubſtantiæ poteſtates. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem uretem. Vnde urentem tanti regis exercitũ Propheta de-
Dan.7 ſcribẽs: Millia, inquit, milliũ miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Certe ſi breuiter agnoueritis ex creatione iſta uiſibiliũ & inuiſibiliũ omnipotentiã dei, nũc & eandem eius uirtutem ex adminiſtratione cognoſcite. Cum em̃ toto ſub Noe peccante mundo diluuium inducit, cum Sodomam & Gomorrã pluuia ignis exurit, cũ populo ſuo de Aegyptiorũ ſeruitute liberato ſiccam in mari præbet uiam, quid aliud q̃ ſe omnipotentẽ teſtatur, & ſeipſum qui mare fecit, qui illud etiam ſiccauit ex ea parte qua uoluit? Cũ uero ipſum populũ per quadraginta annos in ſolitudine
B cibauit, id eſt, manna, ineffabilẽ uirtutem ſuæ diuinitatis aſſerit, ut oſtenderet quia non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo quod procedit de ore dei. Et ut innumeras uirtutes dei pauca cõmemorando prætereã, oſtendit etiam nunc omnipotentiam ſuam deus, cum filiũ ſuũ quem ſecundum hominem mori uoluit pro ſalute noſtra, ſoluris inferni legibus à mortuis ſuſcitauit, ut in Chriſto oſtẽderet ſe eſſe à quo mortales homines ſunt creati: qui etiã immortalem fecit ex mortuo. Ad ipſius omnipotentiæ uirtutem pertinet, ut iſtũ mundum
Iſa.34 quem aliquando fecit ex nihilo, in fine ſeculorum diſſoluat. Vnde propheta, Cœlũ, inquit, plicabitur reuolutũ ut liber, & omnia ſydera cadent ut folia
C de uite, & ſicut folia cadent de ficu. Et ſaluator in
Matt.34 Euangelio, Quia cœlũ & terra tranſibunt, uerba aũt mea non tranſibũt. Eadem omnipotentia oẽs homines qui ſunt mortui, quiq; morientur in finẽ,
Pſal.61 ad diem iudicij ſuſcitabit, ut propheta dicit, Reddet unicuiq; iuxta opera ſua. Et alios quidẽ in cœlorum regno conſortio copulabit angelorum, alios uero in gehennæ ſupplicio diabolo iunget. In hunc credentes deũ dilectiſſimi fratres, omnipotentem, iuſtũ, ſeuerũ, & his tamen benignũ qui hic ſeueritatẽ eius timendo peccata uitauerũt: In hũc, inquam, credentes deum, cum omni timore & tre
Philip.2 more, ut ait Apoſtolus, ueſtram ſalutem operamini: & ab omni peccato, & ab omnib. criminib.
D & uitijs recedẽtes, ad ſola opera iuſtitiæ feſtinate: ambulantes, ſicut Saluator ait, in luce dum habetis lucẽ, ne tenebrę uos cõprehendãt. Cauete à malorũ cõſortijs atq; colloquijs, & ad ſola uerba dei audiẽda fideliũ prepare auditus, & ad res ſanctas ſolas loquendas lectorũ lingua moueatur, ut audi tum bonum & ſermonẽ bonum bona opera ſubſequantur. Quod dominus noſter Ieſus Chriſtus in nobis ſecundũ bonæ uoluntatis ſtudiũ perficere dignetur: Cui eſt honor & gloria cum patre & ſancto ſpiritu in ſecula ſeculorum, Amen.

In eodem feſto, de domino Ieſu Chriſto quòd ab initio ſit cum patre ſecundum deitatem, qui ſecundum hominem nobis à certo initio natus eſt ex uirgine, Sermo V

SERMO CXCIII

A H VCVSQVE fratres dilectiſſimi de Deo patre in quem creditis locuti ſumus, ut quòd ipſe ſit uerus deus, quòd uerus pater, quòd omnipotens diuinarum ſcripturarũ authoritate monſtratur: nũc uero iuxta ordinẽ ſymboli tranſimus ad filiũ. Poſtquàm diximus in ſymbolo, Credo in deum patrem omnipotentẽ: ſequitur, Et in Ieſum Chriſtum filium eius, qui natus eſt ex Maria uirgine, cõceptus de ſpiritu ſancto. Hic iã ſolicitus auditor attẽdat, ut ſciat unũ filij dei, eandẽq; perſonã iuxta ſuſcepti hominis ueritatẽ. Hic enim cum dicimus credere nos in Chriſtũ filium dei, q natus eſt ex Maria uirgine, nõ eo modo dicimus, ut in hominẽ tantũ uerum nos fidem habere fateamur, ſed in deũ uerũ qui ſuſcepit hominẽ uerum. Vnus enim & idem eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui & uerbũ dei eſt, & ſine initio genitus eſt ex patre, & homo uerus in fine ſeculorũ natus ex uirgine. Gemina enim in hoc loco hæreſis contrarijs nos nititur impugnare ſententijs. Inde Apollinaris, hinc Arius, qui ſic in Chriſto hominem perfectum ſuſcipit, ut deũ illum neget eſſe perfectum, dum ipſum dei uerbum principio ipſi conatur includere, & eum non creatorem ſed creaturam fatetur. Apollinaris uero ita dei filium econtrario perfectum credit eſſe deum, ut ei uerũ hominem timeat copulare, dum metuit ne ſuſcipientis dignitatẽ ſuſcepti hominis obfuſcet infirmitas. Nos aũt catholici contra utrunq; diuinarum ſcripturarum authoritate muniti, aduerſus Ariũ ueram & perfectam uerbi diuinitatem, aduerſus
C Apollinarem perfectã hominis in Chriſto defendimus ueritatẽ. Itaq; ſicut contra Arium ſuperiore tractatu perfectionẽ deitatis in Chriſto aſſeruimus, ita nunc contra Apollinarẽ perfectum hominem cõprobauimus. Vnde lucidiſſima pro nobis eſt Apoſtoli authoritas dicẽtis, Miſit deus filium ſuũ factum ex muliere. In primis dicendo, factum, diſtinguit humanam à uerbi diuinitate ſubſtantiã. Factum enim uel creatum dei uerbum dici omnino nõ poteſt, per quod omnia facta ſunt, ſicut beatus Ioannes ait: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Miſit, inquit, deus filium ſuum factum ex muliere. Cum ergo dicit factum, oſtendit ſe hic non de diuinitate tractare. Cum autem addidit, ex muliere, ſubſtãtiam ueri hominis
D expreſſit: ut hæc ſit natura facti hominis, quæ fuit ipſius unde factus eſt, id eſt, ut ea credatur eſſe natura Chriſti, qui factus eſt ex uirgine, quæ fuit natura uirginis, ex qua Chriſtus formatus & natus eſt. Inde eſt quod alibi idẽ Apoſtolus de dei filio dicit: Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecũdum carnem. Nam etſi non interceſſit ſemen hominis in conceptione uirginis, tamẽ quia ex carne Chriſtus formatus eſt quę conſtat ex ſemine, dicitur factus ex ſemine. Quemadmodũ ergo ſecũdum diuinitatem una eſt patris & filij natura, ita etiam iuxta humanitatẽ eadem eſt matris & filij, id eſt, Mariæ Chriſtiq; natura: ex utraq; ſubſtantia & diuinitatis & humanitatis unus atq; idem eſt dei filius dominus noſter Ieſus Chriſtus, ut deus uerus,

Gal.4 Ioan.1

ita etiam homo uerus: Atteſtãte Apoſtolo, atq; di
Rom.9 cente, Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui A
eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula. Et alibi,
2. Tim.2 Vnus eſt enim deus, unus eſt mediator dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, Vnũ ergo atq; eundem dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ, cum ex aliijs, tum ex his Apoſtolicis ſententijs & deum uerum comprobauimus & hominẽ. Qui cum eſſentiam æqualem impaſſibilem & immortalem cũ patre poſſideat, propter noſtrã tamen ſalutẽ, paſſibilem atq; mortalem ſuſcepit hominem: non ut permutaretur in humanitatẽ diuinitas, ſed ut diuinitati ſociaretur humanitas. Secundũ ergo huius hominis ueritatem, dei filius ad redemptionem noſtrã natus eſt ex uirgine, conceptus de ſpiritu ſancto. Sic enim ad Mariam in Euangelio angelus loquitur: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſſimi obumbrabit tibi: & propterea quod naſcetur ex te ſanctum uocabitur filius dei. Quam mirabilem natiuitatem olim Eſaias propheta prædixit.
Eſa.7 Ipſe, inq̃t, dñs dabit uobis ſignum. Ecce uirgo in utero cõcipiet & pariet filiũ, & uocabitur nomen eius Emmanuel. Quod interpretatur ab euãgeliſta,
Matt.1 Nobiſcum deus. Nam hoc quoq; ex effectu rerũ dñs noſter Ieſus Chriſtus nomen acceptat: qui aſſumpto naturæ noſtræ homine nobiſcum eſſe dignatus eſt: qui pro nobis fecit omnia, paſſus eſt omnia, eſuriem, ſitim, laſſitudinẽ, fletũ, dolorem, ad extremum etiam mortem: qui à Pontio Pilato præſide flagellatus atq; crucifixus, mortuus eſt & ſepultus. Condẽnatus eſt enim iuſtus pro iniuſtis, C
& pœnam quę peccatoribus debebatur ſine peccato ipſe ſuſcepit, ut illorum pro quibus punitus eſt & pœnam auferret & peccato deleret. Mortuus eſt morte breui ac temporali, ne nos mortem ſubiremus æternam. Sed uſq; ad hanc rerum ſeriem in Chriſto naturæ humanæ infirmitas intelligatur: nam qui fuit paſſibilis uſq; ad mortẽ, incorruptionis gloriam & ipſius mortis imperiũ accepit. Siquidem hoc iam in carne Chriſti precium, quòd iuxta Dauid prophetiam, caro exanimis & uſq; ad tertiũ diem ſepulta, tamẽ incorrupta permanſit. Sic eũ ex perſona Chriſti legimus in Pſal-
Pſal.15 mo dicentis ad patrẽ, Quoniam non derelinques in inferno animam meam, nec dabis ſanctũ tuum uidere corruptionem. Vnde & beatus Petrus, Ie-
Act.2 ſum, inquit, Nazarenũ uirum approbatum à deo in uobis, in uirtutibus, prodigijs & ſignis quæ per illũ fecit deus in medio ueſtro ſicut uos ſcitis: hũc definito conſilio & præſcientia dei traditũ in manus iniquorum affigentes interemiſtis. Quem deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab illo. Mortuus eſt Ieſus Chriſtus pro nobis, & die tertio reſurrexit. Nam ſi mors quoq; eius pro nobis facta eſt, quanto magis eius uita pro nobis eſt? Qui poſt reſurrectionem accepta à patre omni poteſtate, diſcipu-
Matt.28 los conſolatur & dicit, Ecce data eſt mihi omnis po-
Mar.16 teſtas in cœlo & in terra. Et alibi, Euntes, inquit, in mundum uniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturę. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui uero nõ crediderit condẽnabitur. Poſt hæc per quadraginta dies inter diſcipulos eſſe dignatus eſt, & immortalis mortalium tamen non eſt aſpernatus habere conſortium, utiq; ut docẽdo Apoſtolos, fide & ueritate compleret, quæ ad nos illorum quoq; teſtimonio peruenirẽt. Confirmatis uero diſcipulis eleuatus eſt in cœlũ, & tam de peccatis quàm etiam de morte ad patrẽ uictor aſcẽdit, quod manifeſte in Euangelio legimus, Et dominus quidẽ Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſcẽdit in cœlũ, & ſedet à dexteris dei. Quo ſermone non humana in deo mẽbra ſignificant, ſed honor quo Chriſtum pater ſuſcepit exprimit. Vnde illum deſcenſurum eſſe credimus ad uiuorum mortuorũq; iudiciũ, nõ in infirmitate quã habuit, ſed in ſublimitate quã poſſidet. Qui enim in B
infirmitate uenit ut redimeret, in poteſtate uenturus eſt ut iudicet. Sic eũ legimus in Actibus Apoſtolorũ, Cumq; intuerentur in cœlũ euntem illũ, ecce duo uiri aſtiterũt iuxta illos in ueſtibus albis, qui & dixerũt, Viri Galilęi, quid ſtatis aſpiciẽtes in cœlũ: hic Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis in cœlum, ſic ueniet quẽadmodũ uidiſtis eum euntẽ in cœlum. Ad hunc ergo aduentũ domini noſtri Ieſu Chriſti parati ſimus fratres dilectiſſimi, & timeamus ne ille nos non tales inueniat quales uoluit inuenire: qui omnia pro nobis eſt paſſus, ut nos iuueniret tales, quibus non ſupplicia inferret, ſed præmia redderet ſempiterna. Ad quæ nos dominus ac deus gratia ſua adiutos dignetur adducere, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In eodem feſto, De ſymbolo & ſpiritu ſancto, q̃ eiuſdem ſit ſubſtantiæ atq; deitatis cuius eſt pater & filius, Sermo VI

ORDINEM ſymboli fratres dilectiſſimi, SERMO
in quo totius fidei noſtræ ſacramẽta con CXCIIII
ſiſtunt, nos adiuuante deo ſtatuimus abſoluere. Et quod bene uos meminiſſe arbitror, qd de patre deo ſentire, quid etiam de filio æque deo ſentire debeatis, quantũ inſtructioni ueſtræ, ut puto opus eſt, ſufficienter oſtendimus: nũc reſtat ut etiam de ſancti ſpiritus deitate dicamus. Hic enim eſt ordo ſymboli, ut poſt patris & filij perſonã ſpiritus ſancti confeſſio ſubſequatur. Tũc enim prodeſt in patrem & filium credidiſſe, cum etiam ſpi-
D ritum ſanctum eadẽ fidei ueneratione credideris. Hanc ſiquidẽ ſanctæ fidei normam ipſe dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtruxit, & nemo niſi impius de ea fidei catholicæ regula dubitat quam ille dictauit, cui fides ipſa debetur. Ipſe ergo dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum iam glorificatus reſurrexit à mortuis, in cœlũ aſcenſurus ad patrẽ, hęc ſacramẽta fidei diſcipulis, id eſt, apoſtolis dereliqt.
Ait enim, Euntes baptizate omnes gentes in no- Matth.28
mine patris et filij et ſpiritus ſancti, docẽtes eos ſeruare quęcunq; mãdaui uobis. Rerũ ipſarũ docet effectus, ut in una deitate perſonarũ potentiã credamus: & quẽadmodũ pater in cuius nomine baptizamur deus eſt, ita etiã ſpiritus ſanctus, in cuius nomine baptizamur deus eſt. De q̃ certe beatus Petrus apoſtolus abſolutiſſime ꝓnunciauit dicẽs ad

Act.5 ad Ananiam, Cur tentauit ſatanas cor tuum, men
tiri te ſpiritui ſancto? Et paulo poſt, Non es menti A
tus homini, ſed deo. Apertiſſime quẽ ſpiritũ ſanctum dixerat, hũc poſtea deum nominauit. Et bea
1.Cor.10 tus Paulus Apoſtolus, Nemo poteſt dicere domi nus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem uero deus qui operat omnia in omnibus. Hic quoq; quàm euidenter uas electionis, quem ſpiritum ſanctum nouerat, eundem eſſe deum dixit ac dominũ operantem ex propria poteſtate quod uult. Hic eſt ſpiritus ſanctus, in quẽ peccare adeo ſacrilegum eſt, ut nec hic, nec in futuro iudicio remittat. Sic enim ipſe dominus no-
Matt.12 ſter Ieſus Chriſtus in Euangelio loquit. Quicũq; dixerit uerbũ contra filiũ hominis, remittetur illi: qui autem dixerit contra ſpiritũ ſanctum, non re- B
mittet ei, neq; hic neq; in futuro. Hic eſt ſpiritus ſanctus quem dñs aſcenſurus ad patrem diſcipu-
Ioan.15 lis ſuis repromittit dicens: Cum aũt uenerit paracletus quẽ ego mittã à patre ſpiritũ ueritatis, qui à patre procedit, ipſe teſtimoniũ perhibebit de me:
Ioan.14 de quo ſuperius ait: Paracletus autem ſpiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ipſe uos docebit omnia. Ipſe ergo ſpiritus ſanctus, quẽ mittet pater in nomine meo, qui ex patre procedit, oſtendit unius cũ patre & filio eſſe ſubſtantiæ. Et diligẽter attendite q̃ ad diſcipulos ſuos rurſus idem
Ioan.16 dominus ait, Expedit uobis ut ego uadam. Nam ſi non abiero, paracletus non ueniet ad uos: ſi autẽ abiero, mittam eum ad uos. Hoc quod dicitur, mittam, non minorem quod abſit, indicat ſpiritũ ſan- C
ctum, ſed ſimpliciter abſq; adulatiõe unitatẽ atq; concordiam indicat uolũtatis. Attendite aũt qd dixit, Expedit uobis ut ego uadam. Nam ſi nõ abiero, paracletus non ueniet ad uos. Quomodo expedit diſcipulis ut ab illis Chriſtus aſcendat ad patrem, ſi minor eſt ille q̃ pro Chriſto ad diſcipulos eſt mittẽdus? Sed expedit diſcipulis ut ab eis Chriſtus aſcendat, q̃a æqualis eſt patri & filio ſpiritus ſanctus, q̃ ad diſcipulos uenturus eſſe promittit. Quòd aũt paracletus dicitur ſpiritus ſanctus, proprietas operationis eius exprimit. Paracletus eũ Græce, Latine dicitur conſolator. Et bene ipſe ꝓ Chriſto ad diſcipulos mittit, ut eos conſoletur inter omnes tribulationes quas ipſi erant confeſſione paſſuri. His ergo fratres dilectiſſimi, diuinarũ D
ſcripturarũ teſtimonijs inſtructi, ſpiritũ ſanctum deum eſſe æqualem patri & filio tota fidei perfectione fateamur. Quia enim deũ patrẽ, deum filiũ, deum ſpiritum ſanctum in ſcripturis diuinis legimus, quemadmodum non poſſumus de patris & filij, ita nec de ſancti ſpiritus deitate dubitare. Abſit aũt longe à Chriſtianis mentibus polluta gentilis erroris impietas, ut trium in una confeſſione perſonarum tres deos uideamur fateri. Abſit hoc, inquam, & procul à piorũ mentibus excludat. Et nos eũ iuxta ſcripturæ ſanctæ authoritatẽ nominum tantũmodo ac perſonarũ diſtinctionẽ in trinitate facimus, deitatem uero unã indiuiſibilẽ cõfitemur, ipſa eſt in patre, ipſa in filio, ipſa in ſpiritu ſancto, una & perfecta diuinitas. Nõ ergo tres deos dicimus, quia unam deitatem fatemur. Nõ eũ
obliti ſumus diuinam ſcripturã dicentẽ, Audi Iſra Deut.6
el, dominus deus tuus unus eſt. Et rurſus, Domi- Deut.4
nus deus unus hic eſt in cœlo ſurſum & in terra deorſum, & non eſt alius niſi ipſe. Non inquam, obliti ſumus unum deum eſſe, quem utiq; ſcriptura dicente cognouimus. Sed inter duos errores & maxime hæreticos ad fidei ueritatem dirigimus, ut nec cũ gentilibus numerũ in deitate faciamus, nec cum Iudęis myſteriũ in trinitate negemus: ſed exiſtere patrem, exiſtere filium, exiſtere ſpiritum ſanctum in perſonarũ proprietate, credentes unitatem deitatis in trinitate ueneremur, id eſt, ut tres perſonas, patris ſcilicet & filij & ſpiritus ſancti, unum eſſe dicamus deum, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In eodem feſto, de fide catholica, Ser. VII. SERMO
OGO & admoneo uos fratres chariſſimi, CXCV.
R ut quicunque uult ſaluus eſſe, fidem rectam ac catholicam diſcat. Ita ergo oportet unicuiq; obſeruare ut credat patrem & filium & ſpiritum ſanctum. Pater deus, filius deus, ſpiritus ſanctus deus, ſed tamen non tres dij ſed unus. Qualis pater, talis filius, talis ſpiritus ſanctus. Attamen credat unuſquiſq; fidelis quòd filius æqualis eſt patri ſecundũ diuinitatem, & minor eſt patre ſecundũ humanitatem carnis, quam de noſtro aſſumpſit: ſpiritus uero ſanctus ab utroq; procedens. Credite ergo chariſſimi in deũ patrẽ omnipotentem, credite & in Ieſum Chriſtũ filium eius unicum dominũ noſtrũ, credite eum conceptum eſſe de ſpiritu ſancto, & natum ex Maria uirgine, quæ uirgo ante partũ ſemper fuit, et abſq; cõtagione uel macula peccati perdurauit. Credite eũ pro noſtris peccatis paſſum ſub Pontio Pilato, credite crucifixũ, credite mortuũ & ſepultũ, credite eum ad infernum deſcendiſſe, diabolum obligaſſe, & animas ſanctorũ quæ ſub cuſtodia detinebant, liberaſſe, easq; ad cœleſtem patriã perduxiſſe. Credite eum in cœlis cũ carne quam de noſtro aſſumpſit, aſcendiſſe. Credite q̃ in dextera ſedet patris, credite quòd uenturus ſit iudicare uiuos & mortuos. Credite in ſpiritũ ſanctũ, credite ſanctam Eccleſiam catholicam, credite ſanctorum cõmunionem, credite remiſſionẽ peccatorũ, credite uitam æternam. Igit ſi quis uult diſcipulus Chriſti eſſe, mãdata ſua cuſtodiat, humilitatẽ diſcat, ut ipſe ait, Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. De- Matt. 11
um corde roget. Quàm multi ſunt qui foris uidentur ſe humiliare, intus autem pleni ſunt tumore ſuperbiæ. Chriſtus pro nobis humiliauit ſe, formam Philip.2
ſeruí accepit, factus eſt obediens uſq; ad mortem, mortem aũt crucis. Pro nobis fratres, ut peccata noſtra deleret, carnem humanã aſſumpſit, natus eſt ex uirgine, poſitus in præſepio, pannis inuolutus, à Iudęis reprobatus, ab ipſis perſecutus, comprehenſus, flagellatus, ſputis ſordidatus, ſpinis coronatus, clauis crucifixus, lancea ꝓforatus, cruci appẽſus, aceto cũ felle potatus, & inter iniquos reputatus. Et hæc omnia fratres chariſſimi ſuſtinuit ut nos de faucibus inferni liberaret. Ergo fratres chariſſimi

chariſſimi, dum tanta & talia dominus pro nobis
ſuſtinuit, ſi ad eũ uolumus peruenire, ueſtigia eius A
debemus ſequi, exẽpla ſanctorum imitari. Domi-
Lucæ 9 nus in Euangelio dicit: Si quis uult poſt me ueni-
re, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuã, & ſe-
Matt. 19 quatur me. Et alibi dicit, Vade uende omnia quæ
habes, & da pauperibus, & ueni ſequere me. San
cti martyres, fratres chariſſimi, ſecuti ſunt ueſtigia
illius, & calicẽ quem ipſe bibit biberunt. Petrus A
poſtolus ꝓ nomine Chriſti crucifixus eſt, Paulus
decollatus, Stephanus lapidatus, & reliqui quàm
plures pro nomine ipſius ſic paſſi ſunt. Ergo fra-
tres crucifigite & mortificate membra ueſtra quę
ſunt ſuper terrã, ut poſſitis placere illi q̃ uos crea-
uit. Qui fuit ſuperbus, ſit humilis. Qui fuit incre-
dulus, ſit fidelis. Qui fuit luxurioſus, ſit caſtus. Qui
fuit latro, ſit idoneus. Qui fuit ebrioſus, ſit ſobrius. B
Qui fuit auarus, ſit largus. Qui fuit bilinguis, ſit
beniloquus. Qui fuit detractor aut inuidioſus, ſit
purus & benignus. Qui aliquando in eccleſiã tar
de ueniebat, frequentius ad eam currat. Elemoſy
narũ copia unuſquiſq̃ ſe redimat, quia ſicut aqua
extinguit ignẽ, ita eleemoſyna peccatũ. Decimas
Matt. 25 annis ſingulis de omni fructu quod colligitis Ec-
cleſijs & pauperibus erogate. Ieiunium amate, uo
racitatem & crapulam uini deuitate. Eſuriẽtes paſ-
cite, ſitiẽtes potate, nudos ueſtite, & q̃ poſiti ſunt
in carcere requirite, infirmos uiſitate. Hoſpites in
domos ueſtras colligite & pedes eorũ lauate, lin-
teo extergite, ore exoſculamini, & lecta ipſorũ
præparate. Non homicidiũ ullus faciat, non furtũ,
non adulteriũ, non periuriũ, non falſum teſtimo- C
nium dicat, honoret patrẽ & matrẽ ut ſit lõgæuus
ſuper terram. Diligat deũ pluſq̃ ſe, amet proximũ
ſicut ſemetipſum. Quicũq̃ de his ſupradictis com
miſit, cito emẽdet, confeſſionẽ donet, uerã pœni
tentiã agat, remittũtur ei peccata ſua. Si hæc quæ
ſuggeſſi fratres implere uoluerítis, remiſſionẽ pec
catorum promerebimini, & uitam æternam.

Item in eodem feſto alius ſermo, de indiuidua trinitate & inſeparabili unitate, incipiens: Sancta & diuina eloquia &c. qui ſumptus eſt ex ſermoni bus de Verbis Apoſtoli I

Item in eodem feſto alius ſermo, incipiens: Extorſiſti mihi dilecte fili &c. qui ſumptus eſt ex libro contra Felicianum.

Item in eodem feſto: homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Ioannem, Erat homo ex phariſęis Nicodemus nomine &c. quæ ſumpta eſt de expoſitione doctoris ibidem. Et ex ſermonibus de uerbis Apoſtoli xiiij.

Item in eodẽ feſto: alia homilia de eo quod ſcri ptum eſt in Euangelio ſecundũ Ioannem, Cum ue nerit paracletus quẽ ego mittã uobis &c. quę ſum pta eſt de expoſitione doctoris Ibidem.

Dominica prima poſt feſtum ſanctæ trinitatis, De auaritia uitanda Sermo I

SERMO CXCVI A

VI deum timetis, non dubito quin uer-
Q bum eius cum timore audiatis, & cum hi
laritate faciatis, ut quod promiſit modo
ſperetis, poſt accipiatis. Dominum modo audiui
mus præcipientem nobis Chriſtum Ieſum filium
dei. Præcepit nobis ueritas quæ non fallitur. Au- A
diamus, timeamus, caueamus. Quid ergo præce-
pit? Dico inq̃t, uobis, abſtinete ab omni auaritia. Luc. 12
Quid eſt ab omni? Quare addidit, ab omni? Poteſt
enim & ſic dicere, Cauete ab auaritia. Pertinuit ad
eum ut adderet ab omni & diceret, Cauete ab o-
mni auaritia. Quare hoc dixerit uelut occaſio ip-
ſa, unde natus eſt ſermo, apparet in ſancto Euãge
lio. Interpellauit enim eũ quidam, contra fratrem
ſuum qui totum patrimonium abſtulerat, & fratri
ſuo partem ſuam nõ reddebat. Quàm bonam er-
go cauſam habuerit interpellator iſte aduertitis.
Non enim rapere quęrebat aliena, ſed ſua à paren
tibus ſibi derelicta quęrebat, & ipſa domino inter
pellato & iudicante poſcebat. Habebat inimicũ
fratrem, ſed iuſtũ iudicẽ inuenerat cõtra inimicũ
fratrem. Deberet ergo perdere in tam bona cauſa
iſtam occaſionẽ? Aut quis diceret fratri eius, red-
de partem ſuam fratri tuo, ſi Chriſtus non diceret?
Ille iudex hoc dicturus erat, quem forte frater di-
tior & raptor præmio corrumpebat? Miſer ergo
& paternis opibus deſtitutus, tali ac tanto iudice
inuento accedit, interpellat, rogat, cauſam ſuã bre
uiſſime exponit. Vt quid em̃ opus erat cauſam ꝓ
telare, quando ei loquebat̃ q̃ cor poterat uidere?
Domine, inquit, dic fratri meo ut diuidat mecum
hæreditatẽ. Non ei dixit dominus, ueniat frater tu
us, ſed nec miſit ut adeſſet, aut cũ affuiſſet interpel
latori dixit, proba quod dicebas. Petebat dimidiã
hæreditatem. Petebat in terra dimidiam, in cœlo
dominus offerebat totam. Plus dominus dabat
quã ille poſtulabat. Dic fratri meo, ut diuidat me-
cum hæreditatem. Cauſa iuſta, cauſa breuis. Sed
audiamus & iudicantem et docentem. Homo ait,
homo. Qui enim pro magno habes iſtam hęredi-
tatem, quid es niſi homo? Volebat illum facere a-
liquid pluſquam eſt homo. Quid plus illum uo-
lebat facere, cui uolebat auaritiam tollere? Quid
eum plus uolebat facere? Dico uobis, Ego dixi
dij eſtis & filij excelſi omnes. Ecce quid eum uole
bat facere. Inter deos numerare, qui auaritiam nõ
habent. Homo quis me conſtituit diuiſorem in-
ter uos? Et Paulus Apoſtolus ſeruus ipſius quan-
do dicebat: Obſecro uos fratres, ut idipſum dica-
tis omnes, & non ſint in uobis ſchiſmata, nolebat
eſſe diuiſor. Denique doluit eos qui ad ipſius no-
men currebant, & Chriſtũ diuidebãt. Vnuſquiſq̃
ueſtrũ dicit: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Ce-
phæ, ego Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? Nunquid
Paulus ꝓ uobis crucifixus eſt, aut in nomine Pau-
li baptizati eſtis? Videte ergo quàm mali ſunt ho-
mines qui uolunt eſſe diuiſi, Qui noluit eſſe diui-
ſor, quis me, inquit, cõſtituit diuiſorem inter uos?
Petis beneficiũ, audi cõſiliũ. Ego dico uobis. Ca-
uete ab omni cupiditate. Forte, inquit, tu auarum
& cupidũ diceres, ſi quęreret aliena. Ego aũt dico,
Cupide & auare non appetas nec tua: hoc eſt, ab
omni. Cauete, inquit, ab omni auaritia. Magnum
pondus. Si forte hoc põdus infirmis imponit̃, ro-
getur ut qui imponit uires dare dignet̃. Nõ enim
leuiter

leuiter habendum eſt fratres mei, quãdo dominus
noſter, redemptor noſter, ſaluator noſter, qui mor A
tuus eſt pro nobis, qui ſanguinem ſuũ precium de
dit ut redimeret nos, aduocatus & iudex noſter,
nõ eſt leue quãdo dicit, Cauete. Nouit ille quantũ
mali ſit, nos nõ nouimus. Illi credamus. Cauete, in-
quit. Quid? Vnde? Ab omni auaritia. Meũ ſeruo,
non alienũ tollo. Cauete ab omni auaritia. Non ſo
lum auarus eſt q̃ rapit aliena, ſed ille auarus eſt qui
cupide ſeruat ſua, ſed ſi ſic culpat̃ qui cupide con-
ſeruat ſua, quomodo iudicaturus eſt te, cum non
ſolum ſeruas tua, ſed etiam quæris aliena? Da mi
hi hominem qui cum timore audiuit: Cauete ab
omni cupiditate: & nõ mihi dicat, Ego homo pau
per ſum, plebeius, mediocris, gregalis, quãdo me
ſpero ante iudicem futurum, non timeo iſtam ten B
tationem, cuius periculum ante oculos poſuiſti.
Ecce dico & pauperi, quod timere debeat. Vocat
te diues & potens, ut pro illo falſum dicas teſtimo
niũ. Quid facturus es? Modo dic mihi, Habes bo-
num peculiũ, laboraſti, acquiſiſti, ſeruaſti. Exigit
ille, Dic pro me falſum teſtimoniũ, & tantum &
tantũ dono tibi. Tu qui non quæris aliena, dic ab-
ſit à me, non quæro qd̃ mihi noluit deus dare, nõ
accipio, recede à me. Non, inquit, uis accipere qd̃
do, qd̃ habes tollo. Ecce modo te proba, modo
te interroga. Quid me attẽdis? Intus attẽde, intus
uide, intus examina, & conſtitui te ante te, & in e-
culeo præcepti dei extẽde te, & timore torque te,
& noli te palpare. Reſponde tibi, Ecce ſi hoc quiſ-
quam minetur, quid facies? Credo tibi, qui quod C
cũ tanto labore acquiſiſti minime perdere uis. Mi
natur tibi, Niſi pro me falſum teſtimoniũ dixeris,
tollo illud: Sed ſi pro me falſum teſtimonium dixe
ris, do illud. Cauete ab omni auaritia. O ſerue me-
us dicit tibi deus, quẽ redemi & liberũ feci, quem
de ſeruo fratrem adoptaui, quem in corpore mem
brum poſui: audi me, Tollat quod acquiſiſti, me ti
bi non tollit. Ne pereas, ſeruas tua: Non tibi dixi,
Cauete ab omni cupiditate? Ecce turbaris, ecce
fluctuas. Cor tuum quaſi nauis tempeſtatibus qua
titur. Dormit Chriſtus. Excita dormientem, & nõ
patieris tempeſtatem ſæuiẽtem. Ipſum excita qui
nihil hic habere uoluit, & totũ habes, qui uſque ad
crucem pro te peruenit, cuius nudi atque penden
tis oſſa ab inſultantibus numerata ſunt, & caue ab D
omni auaritia. Parũ eſt auaritia pecuniæ, caue ab
auaritia uitæ, Horrenda auaritia, metuenda auari
tia. Aliquando homo contemnit qd̃ habet: & di-
cit, Non dico falſum teſtimoniũ. Non dico, dicis
mihi? Tollo quod habes. Tolle quod habeo, non
tollis quod intus habeo. Non enim pauper remã-
ſerat qui dicebat, Dominus dedit, dominus abſtu
lit, ſicut domino placuit ita factum eſt: Ergo ſit no
men domini benedictũ: Nudus exij de utero ma-
tris meæ, nudus reuertar in terrã. Nudus foris, in-
tus ueſtitus. Nudus foris à pannis & putribilibus
Pſal. 131 pannis, intus ueſtitus. Vnde? Sacerdotes tui indu
antur iuſtitia. Sed qd̃ ſi dicat, cũ contempſeris ea
quæ poſſides, qd̃ ſi dicat, occido te? Reſpondit illi
ſi Chriſtũ audiſti: Occidis me? Melius tu carnem
meam, quàm ego per linguam falſam, animã meã. A
Quid facturus es mihi? Occiſurus es carnẽ: Exiet
anima libera, in fine ſeculi & ipſam quã contem-
pſit carnẽ receptura. Quid ergo mihi facturus es?
Si aũt falſum teſtimoniũ dixero ꝓ te, lingua mea
occido me, & non in carne occido me. Os enim
quod mentitur, occidit animam. Forte hoc non di
cis, Vnde non dicis? Viuere uis. Vis uiuere, cum
deus hic limitem uiuendi cõſtituit? Certe caue ab
omni auaritia. Hucuſq̃ deus uoluit ut uiuas, quo
uſq̃ iſte ad te acceſſerit. Forte occiſurus eſt te, ut
martyrem faciat. Noli habere cupiditatem uiuen
di, & nõ habes æternitatem moriendi. Videtis qa
ubiq̃ auaritia illa cũ plus uolumus quàm opus eſt,
facit nos peccare. Caueamus ab omni auaritia, ſi uo
lumus frui æterna ſapientia.

In eadem dominica, de Dauid & Iſai patre ſuo, & de Goliad ſpurio: Sermo II

SERMO CXCVII

N ſcripturis diuinis fratres chariſſimi u-
I na eademq̃ perſona prout tempus & lo
cus fuerit, diuerſam ſignificationem habe
re poteſt. Nam beatus Iſaac q̃d optime nouit ſan-
ctitas ueſtra, quando à patre oblatus eſt, Chriſtũ
dominum figurauit: cum uero filio ſuo Iacob be
nedixit, & ad accipiendam uxorem in Meſopota
miam miſit, Iacob typum habuit Chriſti, & Iſaac
dei patris imaginẽ geſſit. Iterum beatus Iacob qui
typũ Chriſti habuit quando uxorem accepit, d ei
patris figuram geſſit. Quando enim beatum Io-
ſeph plus omnibus filijs diligebat, & tunicã ei po-
lymitam fecit, incarnationem domini ſaluatoris ſi
gnificauit. Quomodo ergo tũc factum eſt fratres
chariſſimi in beatis patriarchis, in Iſaac uidelicet
& in Iacob, Ita in Iſai patre Dauid figuratum eſſe
cognoſcimus. Quando enim Iſai Dauid filium ſu
um mittebat ut requireret fratres ſuos, typum dei
patris habuiſſe uidetur. Iſai miſit Dauid ut requi-
reret fratres ſuos, & deus pater miſit unigenitum
ſuum, ex cuius perſona ſcriptum eſt, Narrabo no- Pſal. 21
men tuũ fratribus meis, Ad requirendos enim fra
tres ſuos uenerat Chriſtus, quando dicebat, Non Matth. 15
ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſrael. Di-
xit ergo Iſai ad Dauid filium ſuũ, Accipe ephi po- 1. Reg. 17
lentæ & decem formellas caſei, & uade require
fratres tuos. Ephi, triũ modiorũ menſura eſt: Et
tribus menſuris, myſterium intelligitur trinitatis.
Bene nouerat hoc myſteriũ etiã & beatus Abra-
ham. Deniq̃ quando ſub ilice Mambræ in tribus
perſonis ſacramentũ uidere meruit trinitatis, tria
ſata ſimilæ miſceri præcepit. Tria ſata tres menſu-
ræ ſunt. Hanc ergo menſurã & Iſai dedit filio ſuo.
In decem formellis caſei, intelligit̃ decalogus ue-
teris teſtamenti. Venit ergo Dauid cũ tribus men
ſuris & decẽ formellis caſei, ut fratres ſuos in præ-
lio poſitos uiſitaret: quia uenturus erat Chriſtus
cum decalogo legis & myſterio trinitatis, ut ge-
nus humanum de poteſtate diaboli liberaret. Ve
niente autem Dauid, unus è fratribus increpauit
eum dicẽs, Quare dimiſiſti pauculas oues illas, &
ueniſti ad prælium? Frater iſte ſenior qui Dauid
typum Chriſti gerentem per malitiam increpauit,
ſignificauit

ſignificauit populum Iudæorũ, qui per inuidiam Chriſto domino qui ꝓ ſalute humani generis uenerat detraxerũt, & multis frequenter iniurijs affecerunt, Quare, inquit, dimiſiſti oues illas & ueniſti ad prælium? Quaſi non tibi uidetur per os eius ſaluti hominum inuidens diabolus loqui: tanꝗ ſi diceret Chriſto, Quare dimiſiſti nonaginta & nouem oues quæ non errauerũt, & ueniſti ut unum requireres quę perierat, & eam de manu ſpiritalis Goliæ, id eſt, de poteſtate diaboli per crucis baculum liberatã ad ouile proprium reuocares? Quare, inquit, dimiſiſti paucas oues illas? Malo quidẽ & ſuperbo animo, ſed tamen uerum dicebat, quia Ieſus, ſicut iam dictum eſt, dimiſſurus erat nonaginta & nouem oues, ut quęreret unam, & ad ouile proprium id eſt, ad angelorũ conſortium reuocaret. Prius tamen quàm ueniret Dauid cum iam unctus eſſet à beato Samuele, ſicut & ipſe Sauli regi ſuggeſſit, & leonem & urſum ſine armis occidit. Sed & leo, & urſus ambo typum diaboli præferebant. Qui pro eo quòd de ouibus Dauid aliquid inuadere auſi ſunt, ipſius Dauid uirtute ſunt ſuffocati. Hoc totum fratres chariſſimi quod tunc in Dauid legimus figuratum, in domino noſtro Ieſu Chriſto cognoſcimus eſſe completũ. Tunc eũ & leonem & urſum ſtrangulauit, quando ad infera deſcendens, omnes de eorũ faucibus liberauit.

Deniq; audi prophetã ex perſona domini ſupplicantem, Erue à framea animã meam, & de manu canis unicam meã. Libera me ex ore leonis. Et qa urſus in manu fortitudinem habet, & leo in ore, in iſtis duabus beſtijs idẽ diabolus figuratus eſt. Hoc ergo ex perſona Chriſti dictum eſt, ut unica eius Eccleſia de manu, id eſt, de poteſtate, uel de ore diaboli tolleretur. Venit ergo Dauid, & inuenit Iudæorum populum in ualle Terebinthi poſitum ut contra Allophylos dimicaret, quia uenturus erat uerus Dauid Chriſtus, ut de cõualle peccatorum ſiue lachrymarum humanum genus erigeret. Stabant autem in ualle contra Allophylos. In ualle erant, quia eos peccatorum pondus oppreſſerat. Stabãt enim, & pugnare contra aduerſarios non audebant. Quare non audebãt? Quia Dauid, qui typum Chriſti gerebat, nondum uenerat. Verũ eſt fratres chariſſimi. Quis eũ contra diabolũ pugnare poterat, anteq; Chriſtus dominus genus humanum de poteſtate diaboli liberaret? Dauid eũ interpretatur manu fortis. Quid eo fortius fratres, qui uniuerſum mundum uicit, armatus nõ ferro, ſed ligno? Stabãt ergo filij Iſrael cõtra aduerſarios quadraginta diebus. Quadraginta dies, propter quatuor tempora, et quatuor partes orbis terræ uitam præſentẽ ſignificant, in qua cõtra Goliad uel exercitum eius, id eſt, contra diabolũ & angelos eius, Chriſtianorũ populus pugnare non deſinit. Nec tamẽ uincere poſſet, niſi uerus Dauid Chriſtus cũ baculo, id eſt, cũ crucis myſterio deſcendiſſet. Ante aduentũ enim Chriſti fratres chariſſimi ſolutus erat diabolus: Veniens Chriſtus fecit de eo quod in Euangelio dictum eſt, Nemo poteſt intrare in domum fortis & uaſa eius diripere, niſi prius alligauerit fortem. Venit ergo Chriſtus, & alligauit diabolum. Sed dicit aliquis, Si alligatus eſt, quare adhuc tantum præualet? Verum eſt fratres chariſſimi, quia multũ præualet, ſed tepidis & negligentibus, & deum in ueritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit. Iam uidete fratres q̃ ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu illi ꝓ uoluptates & cupiditates ſeculi noli coniungere, & ille ad te non præſumit accedere. Latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omnino non poteſt niſi uolentem. Non enim cogendo ſed ſuadẽdo nocet, nec extorquet à nobis cõſenſum, ſed petit. Venit ergo Dauid & inuenit Iudæorum pupulum contra diabolũ præliantem, & cũ nullus eſſet, qui præſumeret ad ſingulare certamẽ accedere, ille qui figuram Chriſti gerebat proceſſit ad prælium, tulit baculum in manu ſua, & exijt contra Goliad. Et in illo quidẽ tũc figuratum eſt, quod in domino Ieſu Chriſto completum eſt. Venit eũ uerus Dauid Chriſtus, qui contra ſpiritalem Goliad, id eſt, contra diabolum pugnaturus crucem ſuã ipſe portauit. Videte fratres ubi Dauid Goliad percuſſerit, in fronte utiq; ubi crucis ſignaculũ nõ habebat. Sicut enim baculus crucis typũ habuit, ita etiã & lapis ille de quo percuſſus eſt, Chriſtũ dominũ figurabat. Ipſe eſt enim lapis uiuus: de quo ſcriptũ eſt, Lapidẽ quem reprobauerũt ædificantes, hic factus eſt in caput angeli. Quod autem Dauid non habens gladium aſcendit ſuper Goliad, & ſuo eum proprio interfecit gladio: deſignatũ eſt quod in aduentu Chriſti ſuo gladio diabolus uictus eſt: qui per nequitiã ſuam & iniuſtã perſecutionẽ quã exercuit in Chriſtum, omniũ in eum credentiũ perdidit principatum. Quod aũt arma Goliæ Dauid poſuit in tabernaculo ſuo, arma diaboli nos fuimus. Sic enim dicit Apoſtolus, Sicut enim exhibuiſtis membra ueſtra arma iniquitatis peccato, ita & nunc exhibete membra ueſtra arma iuſtitiæ deo. Et iterum, Nolite, inquit, exhibere membra ueſtra arma iniquitatis peccato. Arma enim inimici noſtri miſit Chriſtus in tabernaculo ſuo, quando nos qui domus diaboli fueramus, per ipſius gratiã templum dei eſſe meruimus. Nam et uiciſſim nos in Chriſto & in nobis Chriſtus habitare cognoſcit. Quod autem Chriſtus in nobis habitet, Apoſtolus probat dicens, In interiore homine per fidem habitare Chriſtum. Quod autem iterum nos habitemus in Chriſto, idem Apoſtolus deſignat dicens, Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Et dominus in Euangelio ad diſcipulos ſuos, Ego in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Quod uero non in alio membro, ſed in fronte percuſſus eſt: hoc ſignificat ꝓ modo in noſtris competentibus exercetur: qa quando catechumenus in fronte ſignat, ſpiritalis Goliad percutitur, & diabolus effugatur. Et quia de cordibus noſtris per gratiã Chriſti diabolũ effugatũ eſſe cognoſcimus pariter & ſentimus, quãtũ poſſumus cũ ipſius adiutorio labo-

Pſal.21 — Matt.12 — Pſal.117 — Rom.6 — Epheſ.3 — Gal.3 — Ioan.14

rio laboremus, ne malis operibus noſtris et impijs uel luxurioſis cogitationibus iterũ eum in nos inuitare uelimus, ut eo inſpirante ad æterna præmia feliciter uenire mereamur. Quod ipſe præſtare dignetur, Qui cũ patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Itẽ in eadem dñica alius ſermo de eodẽ, qui habetur in libro Quinquaginta homiliarũ XXXI.

Item in eadem dominica, Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Lucam, Homo quidã erat diues, & induebatur purpura &c. quæ habetur inter Sermones de Verbis domini XXIIII. & XXV. Et in libro Quinquaginta homiliarum VII. Et in libro ſecundo De quæſtionibus Euangeliorum XXXVIII.

Luca 16

Dominica ſecunda poſt feſtum ſanctę Trinitatis, De plaga dei: Sermo I.

SERMO CXCVIII

VM regum lectio legeretur, audiuimus quòd cũ dei plaga ſæuiret in populo Iudæorum, angelus domini qui percutiebat ſteterit iuxta aream Areuna Hiebuſæi. Et dixit dominus ad angelum, Extende manum tuam ſuper Hieruſalẽ, ut diſperdam eam. Cumq; extendiſſet manũ angelus, miſertus eſt dominus ſuper afflictionem: & ait angelo percutienti populum. Sufficit nunc, contine manum tuam. Et ceſſauit plaga à populo. Areuna fratres chariſſimi rex erat Hiebuſæorum, & partẽ aliquam poſſidere uidebatur in Hieruſalem, quia licet omnes in circuitu nationes ſubditę fuerint regi Dauid, nõ tamẽ permiſit deus ut Hiebuſęi ad integrũ delerentur. Rex ergo ille paganus populũ gentium figurabat. Aduertite fratres, quia in Iudęorum terra non inuentus eſt locus dignus ubi altare domini poneretur, ſed in terra gentium locus eligitur, ubi & angelus uidetur, & domini altare conſtruitur, & ſic ira omnipotentis domini mitigatur. Iam tunc figurabat quod in Iudæorum cordibus ad offerendas ſpiritales hoſtias locus dignus nõ poſſit inueniri: ſed gẽtium terra, id eſt Chriſtianorũ cõſcientia eligitur, ubi templũ domini collocetur. Quã rem Apoſtolus euidẽter oſtendit, dum Iudæos increpat dicẽs: Vobis, inquit, oportuit loqui primum uerbũ dei, ſed quia uos indignos iudicaſtis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes: hoc eſt dicere: Quia Chriſtum repuliſtis & dignum locum non præparaſtis in quo altare domini poneretur, in terra gentium, id eſt, in cordibus populorum altare domini collocabimus. Et inde eſt quod nobis idem Apoſtolus clamat, Templum dei ſanctum eſt, quod eſtis uos. Et ideo attendite fratres chariſſimi, quia tunc gentilis regis terra eligitur, quando populus Iudæorũ dei plaga percutitur, quod in paſſione domini uidemus eſſe completum. Nam quando Iudæorum populus crucifigens dominum reprobatur, tũc in area gentiũ, id eſt, in omni terra altare domino cõſecratur. Angelus ergo domini in area regis gentilis ſtetit, & uerus angelus, id eſt, Chriſtus gentiũ populũ uiſitauit. Rex ergo ipſe obtulit beato Dauid aream & boues ad holocauſtum: ſed rex Dauid accipere noluit, niſi prius preciũ daret. Et hoc in aduentu domini ſaluatoris impletũ eſt, qui gentium corda ſibi aſſumere noluit, niſi prius pro eis precium ſanguinẽ daret. Quid ergo dedit? Quinquaginta, inquit, ſiclos argenti. In quinquagenario numero, & gratia ſpiritus ſancti intelligitur, & peccatorũ remiſſio deſignatur. Nam quinquageſimo die ſpiritus ſanctus Apoſtolis mittitur: Et in ueteri teſtamẽto quinquageſimus annus remiſſioni & indulgentiæ conſecratur. Dauid quidem ille argentum dedit, noſter uero Dauid cuius ille typum tenebat, precioſum ſanguinem fudit. Ergo ut aream Pagani regis Dauid emeret, ſiclos quinquaginta obtulit: & uerus Dauid Chriſtus ut in area gentiũ altare ſibi cõſtitueret, quinquageſimo die gratiã ſpiritus ſancti & peccatorum indulgentiam dedit. Et ideo fratres quia in nobis & de nobis templum ſibi dignatus eſt facere, in domo ſua non patiatur iniuriam: quia ſi de peccatis noſtris iniuriam pertulerit, cito diſcedit, & uæ miſeræ animæ de qua ille diſceſſerit. Sine dubio enim qui à lumine deſeritur, à tenebris occupatur. Ita ergo cũ ipſius adiutorio agere ſtudeamus, ut tam pium dominum non ſolum hoſpitem recipere, ſed etiam perpetuum habitatorem habere mereamur, præſtante eodem domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Ad.13 — 1.Cor.3

Item in eadem dominica, Homiliæ de eo quod ſcriptũ eſt in Euangelio ſecũdum Lucam. Homo quidam fecit cœnã magnam &c. quæ habẽtur inter ſermones de Verbis domini xxxiij. Et lib. ij. de quæſtionibus Euangeliorum cap. xxx.

Tract. de 5 hæreſibus qui hic erat loco ſermonis 199 habetur to. 6 col. 35

Dominica tertia poſt feſtum ſanctæ trinitatis, de iudicio Salomonis & duabus meretricibus: Sermo I.

SERMO CC A

E duabus meretricibus dilectiſſimi fratres quæ ad iudicium Salomonis uenerunt, unde nobis ad ueſperam lectio recitanda eſt, ex quibus una quæ erat non ſolum luxurioſa, ſed etiã crudelis & impia, clamabat ad regem ut diuidi iuberet infantẽ: Nunc ſi libenter accipitis, de ipſis quid ſancti patres noſtri expoſuerunt, charitatis ueſtræ auribus cupimus intimare. Illa enim quæ clamabat, ut puer integer ſeruaretur, Eccleſiæ catholicæ typum gerebat: illa alia crudelis & impia quæ clamabat ut puer diuideretur, Arianam hereſim deſignabat. Catholica enim quaſi mater pijſſima, omnibus hæreticis clamabat: Nolite Chriſtum minorem facere patre, nolite unitatem diuidere, nolite unum deũ diuerſis gradibus diuidendo ueluti idola gentiũ in ueſtris cordibus fabricare, totum nobiſcum poſſidete: ſi uultis habere pacem, nolite unitatẽ ſcindere. Non enim ſi uos totũ tenueritis, nobis nihil remanet. Tanta eſt illius omnipotẽtia, ut eũ omnes totũ poſſideãt, & ſinguli totũ. Sed impia & crudelis hæreſis clamat, non, ſed diuidatur. Quid eſt diuidatur, niſi non filius æqualis ſit patri? Dum enim filio ſubtrahit æqualitatẽ, & bonũ omnipotẽtemq; denegauit patrem. Deus enim pater ſi potuit filiũ ſibi ſimilem gignere & noluit, non eſt bonus. Si uoluit & non

potuit, non est omnipotens. Certi estote fratres mei, quia huic sententiæ nullus unquam Arianorum poterit respondere, sed quotiens cõstricti fuerint uerissima ratione, uelut anguis lubricus ad alias quasq; quæstiones callidas & tortuosas refugiunt. Ergo fratres charissimi, testamẽtum profero, uerba testatoris refero. Si habet quod diuidatur, ibi inuenio. Si non habet quod diuidatur, ex ipso testamẽto illis resisto. O infelix hęretice, quid
Joan.14 habet testamentum audi, Pacem meam do uobis, pacem relinquo uobis. Hęc est Christianorum hęreditas, & quis est ipse testator? Lege testamẽtum & inuenis. Cum Propheta de domino loqueretur
Mich.5 ait, Magnificabitur usq; ad terminos terræ, & iste
Luc.2 erit pax. Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonę uoluntatis: Non diuisoribus sanctę unitatis, sed hominibus bonæ uoluntatis. Ipse est hæreditas, ipse testator, ipsum quæris diuidere. Quid partiris unum? Si unum diuiseris, integrum nihil habes. O Ariana hæresis crudelis & impia e-
3 Reg.3 rubesce. Iudicante Salomone, meretrix ne unum uiuum, ne undecunq; conceptum etiam natũ proderet, non dimisit diuidi filium suum, & tu diuidis deum tuum? Illa etsi meretrix, tamen pia, quia mater: Tu hæresis impia, quia non mater. Quod paris præfocas, quod non parturis congregas. Viscera tua duruerunt, illius tremuerunt. Quid dicit illa, quæ typum gerebat catholicæ matris? Date illi puerum, & nolite diuidere eum. Filius meus est, sed melius apud illam migret natus, migret totus, tamen apud me maneat maternus affectus. Date illi puerum, non auferantur uota, membrorum illius integritas non diuidatur, ne mihi pietas auferatur. Quod dicit, date illi puerum, & nolite diuidere, ecce & ego dico: Totum posside, & noli diuidere deum. Non, inquit, sed si uis habere pacem diuide hæreditatẽ. Sine præiudicio dico. Et quomodo habeo diuidere? Audi, Pater maior me est, filius minor, spiritus creatura. O partes, ò iustitia, ò æquitas. Facio partem, quia diuido pacem: Si enim fracta fuerit pax, iam non est pax. Sed quomodo apud te pax illibata est, apud quem fides integra non est? Vnde quia mecum uis possidere, & pacem uis diuidere, hæreditatem non uis diuidere? Postremo si more tuo non paci sed perfidię studes, uade interpella iudicem Christum, uideamus quid tibi dicturus est, Dic ei quod in Euãgelio di-
Luc.12 ctum est, Domine dic fratri meo, ut diuidat mecum hæreditatem. Sine dubio respondet tibi: Amice, quis me constituit iudicem aut diuisorem? Vis diuidere pacem, & quæris habere iudicem pacem, iudex tuus nolo esse. Pax sum, consentientibus assideo, litigantes fugio. Si enim omnibus Christianis meis per unam uoluntatem unum cor habere concedo, quomodo inter me & patrem diuido unitatem, qui omnibus fidelibus meis unum cor & unam tribuo charitatem? Quid ait domi-
Joan.14 nus Philippo? Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouistis me: Philippe, ego ueni patri meo te adiungere, tu noli me separare. Quid quæris quasi alterum præter me? Qui me uidet, uidet & patrem? Tanta est in nobis similitudo, tanta uni-
A tas, tanta charitas, ut ego in patre sim, & pater in me. Per quam unitatem uos dominus sibi iũgere & conseruare dignetur: Præstãte eodem domino nostro Iesu Christo, qui cũ patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

In eadem dominica, de Helia: Sermo II.

N lectionibus quæ nobis dieb. istis recitantur fratres charissimi, frequenter ad- SERMO
I monui ut non sequamur literã occiden- CCI
tem, & uiuificantem spiritum relinquamus. Sic enim Apostolus ait, Litera enim occidit, spiritus ui 2 Cor.3
uificat. Si enim hoc tantum uolumus intelligere quod sonat in litera, aut paruam aut prope nullam ædificationẽ de diuinis lectionibus capiemus. Illa
B enim omnia quæ recitantur, typus erant & imago futurorum. In Iudæis enim figurata, in nobis gratia dei donãte completa sunt. Beatus enim Helias typum habuit domini Saluatoris. Sicut enim Helias à Iudęis persecutionem passus est, ita & uerus Helias dominus noster ab ipsis Iudæis reprobatus est & contemptus. Helias reliquit gentem suam, & Christus deseruit synagogam. Helias abijt in desertum, & Christus uenit in mũdum. Helias in deserto coruis ministrãtibus pascebatur, & Christus in deserto mundi huius gentium fide reficitur. Corui enim illi qui beato Heliæ iubente domino ministrabant, gentium populum figurabãt.
Propterea & de gentiũ Ecclesia dicit, Nigra sum Cant.1
C & formosa filia Hierusalem. Vnde est Ecclesia nigra & formosa? Nigra per naturam, formosa per gratiam. Vnde nigra? Ecce in iniquitatibus con- Psal.50
ceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Vnde formosa? Asperges me hysopo & mundabor, lauabis me, & super niuẽ dealbabor. Vnde ni Rom.7
gra? Apostolus dicit, Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentẽ in lege peccati. Vnde formosa? Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Vere Ecclesia gentium coruis similis erat, quando uiuentem dominum contemnebat, & ante acceptã gratiã uelut morticinis cadaueribus idolis ministrabat. Post hæc iubetur Helias proficisci in Sareptã Sidoniorum, ut ibi pascatur à uidua. Sic enim ad
D eum dominus dixit, Vade in Sareptam Sidoniæ, 3.Reg.17
ego mandaui uiduæ, ut te pascat ibi. Quomodo & per quem mãdauit deus uiduæ cum propè nullus tũc alius esset propheta cum quo deus manifestius loquereẽ nisi beatus Helias? Quia licet essent eo tempore aliqui de filijs prophetarum, ita persecutionem Iezabel metuebant, ut uix uel abscõditi euadere possent. Ego, inquit dominus, mandaui uiduæ. Quomodo mandat dominus, nisi inspirãdo quod bonum est intus in anima per gratiam suam? Ac sic omnis homo qui boni aliquid operatur, Deus illi loquitur intus. Nemo ergo de se, sed de domino glorietur. Nunquid tunc in Iudęa non erãt multæ uiduæ? Et quid fuit quòd nulla Iudęorũ uidua beato Heliæ cibũ meruit ministrare, sed ad uiduam gentilem mittitur ut ab ipsa pascatur?

Vidua

Vidua enim ista ad quam propheta mittitur, typũ Ecclesiæ gerebat, sicut & corui illi qui Helię mini
A strauerant, figuram gentium habuerunt. Venit ergo Helias ad uiduam, quia Christus uenturus erat ad Ecclesiã. Sed uideamus fratres dilectissimi, ubi beatus Helias uiduam illam inuenit. Exierat enim ut aqua se lauaret, & ligna colligeret. Quid enim aqua & quid ligna significent, uideamus. Satis enim ista duo Ecclesiæ & amica & necessaria esse cognoscimus, id est, lignum & aquam. Deniq; sic
Psal.1 scriptum est: Et erit tanq; lignum quod plãtatum est secus decursus aquarum. Nam in ligno crucis mysteriũ, in aqua ostendit baptismatis sacramentum. Exierat ergo ut colligeret duo ligna. Sic eẽ respõdit beato Heliæ, cũ ab ea cibum peteret. Dixit eẽ, Viuit dominus, quia nõ habeo nisi pugillũ
B farinæ, & modicũ olei in uase, & ecce ego exeo, ut colligã duo ligna, & faciã mihi cibũ & filio meo & manducabimus & moriemur. Sicut ergo supra dixi, uidua illa typũ habebat Ecclesię, filius uiduę figuram gerebat populi Christiani. Veniẽte ergo Helia, exijt uidua colligere duo ligna. Videte fratres, quia nõ dixit tria, nec quatuor, nec unum tantummodo lignum, sed duo ligna colligere uoluit. Ideo duo ligna colligebat, quia in typo Heliæ Christũ excipiebat. Duo ligna uolebat colligere, quia crucis mysteriũ desiderabat agnoscere. Crux enim domini Saluatoris duobus lignis aptata est. Ideo duo ligna colligebat uidua illa, quia in illum qui in duobus lignis pepẽdit creditura erat Ecclesia. Dixit ergo uidua illa, Colligo duo ligna ut fa-
C ciam cibũ mihi & filio meo, & manducabimus & moriemur. Verũ est fratres dilectissimi. Nemo in Christum crucifixũ credere merebitur, nisi huic seculo moriat. Nam quicunq; corpus Christi digne mãducare uoluerit, necesse est ut moriat præteritis & uiuat futuris. Vidua ergo illa, sicut diximus, Ecclesiam figurabat, filius uiduæ typum gentilis populi præferebat. Filius uiduæ defunctus iacebat, quia & filius Ecclesiæ, id est, populus gẽtium multis peccatis & criminibus mortuus est. Orãte Helia filius uiduæ suscitat, ueniente Christo filius Ecclesiæ, id est populus Christianus de carcere mortis reducit. Helias inclinat in oratione, & uiuificat uiduæ filius, & Christus procumbit in passione, & suscitat populus Christianus. Quod au-
D tem tribus uicibus beatus Helias ad resuscitãdum puerũ incuruatus est: hoc etiã anteq; ego dicã, credo q; charitatis uestræ præuenit intellectus. Nã q; tribus uicibus inclinat, mysterium trinitatis ostenditur. Viduæ enim filiũ, id est, populũ gẽtium, nec solus pater sine filio, nec pater & filius sine spiritu sancto, sed sola trinitas suscitauit. Deniq; hoc etiã in sacramẽto baptismatis demonstrat, dum tertia uice uetus homo mergit, ut nouus surgere merea tur. Post hæc ostẽdit se beatus Helias regi, & ascẽdit in montẽ Carmeli, & posuit caput suũ inter genua sua, & orauit ut dominus daret pluuiam super terrã. Et dixit ad puerũ suum, Respice contra mare. Et renunciauit puer se penitus nihil uidisse. Et ait illi, Vade & cõsidera septies. Septima aũt uice

Aug.to.10

renũciauit & dixit, Video nubeculã paruulã quasi uestigium hominis ascendentẽ de mari. Et subito contenebrati sunt cœli, & facta est pluuia magna. Helias ergo sicut diximus, figuram habuit domini saluatoris. Helias orauit & sacrificiũ obtulit, & Christus pro uniuerso mundo seipsum immaculatum sacrificiũ tradidit. Helias orauit in monte Carmeli, & Christus in monte Oliueti. Helias orauit ut pluuia in terram ueniret, & Christus ut in cordibus humanis gratia diuina descenderet. Quòd aũt dixit Helias ad puerum suum, Vade & considera septies: septiformem sancti spiritus gratiam quæ danda erat Ecclesiæ designabat. Et quia ipse dixit se uidisse nubeculã paruulam ascẽdentem de mari, carnẽ Christi figurabat, quæ in mari mũdi istius nascitura erat. Quã ob rem ne forte aliquis dubi-
B tet, nubem illam uestigiũ hominis habuisse dixit: illius utiq; hominis qui dixit, Quem dicunt homi Matt.16
nes esse filiũ hominis? Sicut ergo orãte Helia post tres annos & sex menses pluuia de cœlo descẽdit: ita & in aduẽtu saluatoris tribus annis & sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluuia uerbi dei totum mundũ feliciter irrigauit. Et sicut tũc in aduentu Heliæ omnes sacerdotes idolorũ interfecti sunt & deleti, ita in aduentu ueri Heliæ, id est, domini nostri Iesu Christi obseruatio sacrilega Paganorum destructa est. Hęc breuiter charitatis uestræ sensibus intimantes, uelut pauca capitula, quasi quædam indicula fidei uestræ oculis demõstramus, perquę sancta desideria uestra ad perscru
C tanda diuina mysteria salubriter incitentur: & ut spiritale pabulũ sanctis animabus uestris iugiter ruminandũ salubri consilio procuremus, ne forte de memoria excidat, si iubetis recapitulationem ex his quę dicta sunt faciamus. Sicut ergo supra diximus, sanctum Heliam intelligite typum habuisse domini saluatoris. Deniq; sicut dominus postea quam multas uirtutes exercuit, postea q; passus est, resurrexit & ascendit in cœlum: ita & Helias post mirabilia quæ per eum deus fecit igneo curru eleuatur ad cœlũ. Quòd Helias deseruit Iudęã, significauit q; Christus reliquerit synagogã. Corui qui Heliæ ministrauerunt, sicut iam dictum est, figuram gentilis populi monstrauerunt. Vidua illa
D quę eum in Sarepta suscepit, typũ gessit Ecclesiæ. Duo ligna quæ colligebat, crucis mysterium figurabãt. Hæc ergo fratres charissimi si syncera, sicut credimus, benignitate suscipitis, & uelut munda animalia assidua cogitatione in uestris cordib. ruminatis, implebitur in uobis illud, quod scriptum est, Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapiẽ Prou.21
tis: Regnante ipso deo nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium cum patre & spiritu sancto, in secula seculorum, Amen.

Dominica quarta post festum sanctæ trinitatis, de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Matthæũ, Nolite iudicare ut non iudicemini &c. Mat.7

Sermo I.

VDIVIMVS euangelistã dicẽtẽ fratres SERMO
A charissimi, Nolite iudicare ut nõ iudi- CCII
cemini. Quid est hoc fratres cũ ipse dñs

Ioan.7 in alio loco Euãgelij dixerit, Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate. Et ali A
Zach.7 bi dicat, Iudicium uerũ iudicate? Nõ em̃ sibi diuina lectio cõtraria esse potest, sed intellectũ sobriũ querit. In cõuersatiõe humana dilectissimi fratres sunt aliqua quæ rationabiliter reprehẽdunt: Sunt uero quædam quæ non sine peccato iudicãtur. Aperta enim mala & iudicari & argui debẽt. Illa uero quę ignoramus, & utrum bono an malo animo fiant scire nõ possumus, iudicare penitus non debemus. Verbi gratia: Vides hominẽ frequẽtius ieiunantem, cõgaude & noli nimis laudare, quia potest hoc & pro humana gloria fieri. Sed & noli uituperare, quia potest & pro deo & pro animæ remedio ieiunare. Vidisti aliũ indicto publico ieiunio uelle prandere, cum dilectione admone. Si dixerit, p stomachi lassitudine se ieiunare nõ posse, B
crede & noli iudicare, quia utrunq; potest fieri, ut per gulam uel luxuriã prãdere uelit, & pręinfirmitate ieiunare nõ possit. Vidisti alterũ subditis suis cum seueritate disciplinã imponere, & indulgẽtiã tardius dare: noli iudicare crudelem: quia forsitan non hoc facit morbo iracũdiæ, sed zelo disciplinę & amore iustitiæ: propter illud quod scriptum est,
Psal.68 Zelus domus tuæ comedit me. Forte aliquis uicinus aut amicus tuus, dum animũ suũ habet in rebus satis sibi necessarijs occupatũ, tardius te saluta uerit, aut tardius occurrerit quàm debuit: noli eũ superbum iudicare, noli malignũ credere, sed magis hoc aut per obliuionem aut per negligẽtiam, q̃ per despectum uel superbiã factum crede: quia forte & tibi hoc, ut est humana fragilitas frequenter euenit, ut in rebus alijs nimis intentus, aliquid minus caute ac minus solicite fecisse uidearis, & C
tamen noluisti te pro hac re malo animo iudicari. In istis ergo et in his similibus quę utrum bono an malo animo fiant scire non possumus, melius est ut ad partem dexteram nostrum animum decline mus: quia tolerabilius est nos in hoc præfiniri, ut eos qui mali sunt bonos esse credamus, q̃ ex consuetudine iudicãdi etiã de bonis quod malum est suspicemur. De istis ergo quæ sunt deo nota & nobis incognita, periculose nostros proximos iudi-
Matt.7 camus. De ipsis enim dominus dixit, Nolite iudicare, ut non iudicemini. De illis uero quæ aperta sunt & publica mala, iudicare & redarguere cum D
charitate tamen & amore & possumus & debemus, odio habentes non hominẽ sed peccatũ, non uitiosum sed uitium, detestantes morbũ potius q̃ ægrotũ. Nã publicus adulter, raptor, assidue ebrio sus, proditor, superbus, si iudicati uel castigati non fuerint, implebitur in eis illud quod beatissimus martyr Cyprianus de talibus dixit: Qui peccãtem uerbis adulãtibus palpat, peccati fomitem subministrat. Ad hãc rem pertinet fratres charissimi etiã illud quod in hac ipsa euãgelica lectione audiuimus: Quid enim uides festucã in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo nõ uides? Vidisti hominẽ subito irasci, noli continuo iudicare, sed expecta paululum, forsitan q̃ uelociter irascitur, tam celeriter mitigatur. Quid tamen festuca, quid trabes significet uideamus. Subita enim iracũdia festuca est, ira uero quæ in longum tempus protrahitur, dum per odiũ falsis suspitionibus nutritur, trabes efficitur. Cito ergo irasci & cito placari festuca est iracundiam diu in corde tenere ac seruare, trabes est. Ergo iracundia inueterata uertitur in trabem. Et qua fronte ille qui odium seruat in corde illũ iudicare præsumit, in cuius oculo non trabem sed festucam esse cognoscit? Nam cordis oculum festuca turbat, trabes excæcat. Quod dixi charissimi, scripturarum debeo testimonijs approbare. Quomõ ira cordis oculũ turbat, audi Psalmistã dicẽtẽ, Turbatus est, inquit, præ ira oculus meus. Quo- Psal.6
modo aũt odium oculum cordis excæcat, Ioãnes euangelista testatur, Qui, inquit, odit fratrẽ suum 1 Ioan.2
in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò uadat, quoniam tenebræ obcęcauerunt oculos eius. Secundũ hæc ergo per subitaneã irã cordis oculus turbatur, per odiũ lumen charitatis extinguitur. Ergo fratres charissimi capitula uobis quædã & indicula, qualiter hæc intelligere & accipere debeatis, insinuo. Nã uos deo propitio melius hæc capere & obseruare potestis. Vt hæc quæ dixi tenacius uestris cordibus inserantur, breuiter repeto quod suggessi. In his enim rebus sicut iam supra dixi, periculose alios iudicamus, de his quæ dubium est utrũ bono an malo animo fiant, id est, ieiunare, uigilare, eleemosynas facere, à uino & carnibus uel abstinere uel nõ abstinere, & reliqua his similia, quæ & pro deo & pro humana gloria fieri possunt. Et quia ignoramus quo animo fiant, iudicare penitus non debemus. Propterea hęc dicit dñs, Nolite iudicare ut nõ iudicemini. Propter Matt.7
apertam uero iniquitatem, dictum est: Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia & doctrina. Et 2 Tim.4
illud quod supra memorauimus, Iustum iudicium iudicate. Hæc enim fratres charissimi si diligenter sicut credimus considerare & cum grandi soliciudine deo donante obseruare uolumus, nõ de paruo peccato cũ dei adiutorio liberamur. Maxima enim pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendendũ prompta & parata esse probatur, cũ tamen non ita se uelit ab alijs iudicari quomodo uult alios iudicare. Propter hoc scriptura diuina admonet dicens: Prius quàm interroges, ne uituperes quenquam, & cum interrogaueris corripe iuste. Omnis homo prius se uult interrogari, & postea si reus est patienter tolerat reprehendi. Et quicquid nobis omnes uolumus ab alijs fieri, iustum est ut hoc in alijs studeamus implere. Prius cum patiẽtia interrogemus & soliciti simus, & cũ aliquid certius agnouerimus, tũc aut si mala sunt reprehẽdere, aut si bona defensare ualeamus: propter illud quod scriptum est, Omnia quæcũq; uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis similiter. Hæc est enim lex & prophetæ. Et ideo conuersi ad dominum, eius imploremus auxilium, ut ipse nobis & ueram discretionem & perfectã charitatem præstare pro sua pietate dignetur: cui est gloria & imperium cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Ioan.7 Eccl.11

In eadem

In eadem dominica, de misericordia & indulgentia. Sermo II.

SERMO CCIII

INTER omnia quibus humana indiget fragilitas maxime necessaria est misericordia: quia quanto fragilior est corrupta natura, tanto minore indiget prouidentia beneficij. Et ideo fratres, qa sine hac uita nostra subsistere non potest, discamus quomodo in nos primum diuinam prouocemus clementiam, ut secundum multitudinem miserationum suarum, nostræ miserię subuenire dignetur, quatenus in pręsentis uitæ cursu uitemus nostræ salutis damnũ, & in futuro interitum possimus euadere perpetuum. Ad hoc enim impetrandũ dilectissimi, sicut nobis scriptura sacra ostendit, præcipuũ est misericordiæ bo
Matt.5 num: de qua ipse Saluator ait: Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur. Nõ potest peccator misericordiam à deo sperare, qui misericordiã non facit peccantibus in se. Ergo dimittat homo temporale debitũ, ut mereatur recipere æternale bonũ. Si animas nostras cupimus peccatorum sordibus emũdari, misericordiã in nos peccantibus non negemus, ut in die retributionis ad promerendã dei misericordiã, misericordiæ operibus adiuuemur. Quomodo misericordiã à deo expectat uel sperat, qui crudelis est in cõseruos suos? Si quis cupiat deũ sibi misereri, ita & misereat debitoribus suis. Certissime indulgentiã expectare poterit, qui alijs indulgere nouit. Ad misericordiæ opus optime nos in Euãgelio dominus exem
Luc.6 plo roborauit: ubi ait, Estote ergo misericordes, sicut pater uester cœlestis misericors est, Qui solẽ suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Omnis misericordia facit lo cum unicuiq; secundũ meritũ operũ suorũ. Qui facit misericordiam, deo offert sacrificium satis placabile. In iudice misericordia & disciplina debet esse, quia una sine altera bene esse nõ poterit. Misericordia sola si fuerit, securitatẽ faciet peccandi subiectis. Iterũ si disciplina semper aderit, uertitur animus delinquẽtis in desperationẽ, & iudex non merebitur à deo misericordiã, sed hanc misericordiam à seipso debet homo incipere. Quomodo in alijs est misericors, qui in seipso crudelis est? In seipso crudelis est, qui sibi perpetuas peccatis suis præparat flãmas. Bene misericors est, qui à seipso incipit, & se diligẽter custodit, ne puniat cũ diabo lo, & sic alijs præstet, quod sibi bonum esse prospicit. Per indulgentiã aũt docuit nos dominus, quomodo possimus impetrare misericordiam ab illo,
Luc.7 cum in Euangelio ait, Dimittite & dimittetur uo-
Mat.6 bis. Item, Si dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & uobis pater cœlestis peccata uestra: Si non dimiseritis hominibus, nec pater uester cœlestis dimittet uobis peccata uestra. Hæc quoq; uera sciẽtia, magnã super nos misericordiã sonat his qui eam recte intelligere possunt. Igitur ex nostro iudicio iudicat nos deus. Quodãmodo in potestate nostra est, quomodo iudicemur à iudice. Si misericorditer iudicemus in nos delinquentibus, misericorditer iudicat deus de nobis in se peccantib.

Aug.to.10

Intẽdamus ergo in exemplum illius: sicut doctor gẽtium nos admonens ait: Donate uobis metipsis Colos.3
si quis aduersus aliquem habet querelã, sicut deus in Christo donauit uobis, ita & uos facite: hoc est, quomodo deus in Christo nobis peccata donauit sic etiam nos qui in nos peccant dimittamus. Item alibi idem Apostolus ait: nulli malum pro malo reddentes. Et alio loco, Noli uinci à malo, sed uin Rom.12
ce in bono malum. Sciendum est certissime quod unusquisq; talem indulgentiam accepturus est à deo, qualem & ipse dederit proximo suo. Tũc oratio nostra pro peccatis nostris ad aures omnipotentis dei cito perueniet: si delinquentium preces in nostris auribus acceptabiles erunt. Qui clementer peccantibus ignoscere nouit, clementiam diuinæ pietatis certissime accipiet. Vnde & scriptum est: Qui pronus est ad misericordiam, benedictus Prou.22
à domino. Sic enim remittitur nobis, ut nos remiserimus eis qui nobis quacũq; malignitate nocuerunt. Multa itaq; genera sunt miserationum, quæ cũ facimus adiuuamur ut dimittantur nobis nostra peccata. Sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus quod quisq; peccauit. Non solum enim qui dat esurienti cibum, sitienti potũ, nudo uestimentum, peregrinantibus hospitium, & cætera huiusmodi, uerũ etiam qui dat ueniam peccãti, eleemosynam dat: Et qui emendat uerbere in quem potestas datur, uel coercet aliqua disciplina: & tamen peccatũ eius qui ab illo læsus aut offensus est dimittit ex corde, uel orat ut ei dimittatur: non solũ in eo quod dimittit atq; orat, uerũ etiã in eo quod corripit & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiã præstat. Proinde fratres obsecro ut ante omnia misericordiæ operã detis, & in quibuscunq; possitis proximos uestros adiuuetis. Ad indulgendum quoq; proximis uestris delicta eorum prompti sitis, ut peccatorũ uestrorum ueniam pro hoc ab omnipotente iudice adipisci ualeatis, & uitam æternã cum sanctis omnibus in cœlesti regno perpetualiter habere mereamini, præstãte domino nostro Iesu Christo, qui cũ patre & spiritu sancto uiuit & regnat deus per omnia secula seculorum, Amen.

In eadem dominica, de eo quod scriptum est de sancto Helisæo, Ascende calue &c. Sermo III.

SERMO CCIIII

VM diuina lectio legeretur, audiuimus quod prætereũte beato Helisæo, pueri irridentes clamauerunt, Ascẽde calue. 4 Reg.2

Ob quam rem orãte Helisęo, egressi sunt duo ursi de saltu, & lacerauerunt quadraginta duos pueros. Inimici dei & hostes animæ suæ immundissimi Manichæi, qui scripturã ueteris testamenti nõ solum recipere nolunt, sed etiã tabido ore blasphemare præsumunt, solẽt dicere: Quæ fuit tanta crudelitas in Helisæo, ut, ppter iocularia uerba infantum, quadraginta duos pueros fecerit lacerari? Et ideo qualiter eorum insaniæ respõdendum sit, breuiter charitati uestræ suggeremus. Tempore illo quo beatus Helisæus in Iudæa fuit, tam ille quàm reliqui prophetæ, non solum non honorabantur ex maxima parte populi, sed etiã irrisui & oppro-

brio habebantur, & uelut insani atq; arreptitij crede-
debantur: intãtum ut eo tempore quo beatus He-
lisæus unum de filijs prophetarũ mitteret, ut lehu
ungeret in regem, principes qui sedebant cũ lehu
4 Reg. 9 dixerunt: Quid ad te uenit insanus iste? Prophetã
domini uidebant, & eum esse arreptitium blasphe
mabant. Nam in illo tempore sancti Prophetę ita
in grandi contemptu & opprobrio habebãtur, ut
etiam beato Helisæo qui tanta miracula faciebat,
sicut supra diximus, pueri indisciplinati clamarẽt,
Ascẽde calue, ascende calue. Quam rem etiam pa
rẽtibus suis instigantibus fecisse credẽdi sunt. Ma-
nifeste pueri illi nõ clamarent: si hoc eorum paren
tibus displiceret. Dolens ergo beatus Helisęus de
interitu populi, imò sanctus spiritus per beatũ He
lisæum uolens reprimere superbiam Iudæorũ, fe-
cit uenire duos ursos, & lacerauerunt quadragin-
taduos pueros: ut percussis paruulis maiores reci-
perẽt disciplinam, & mors filiorum fieret disciplí-
na parentũ, & prophetam quem mirabilia facien-
tem nolebant amare, discerent uel timere. Sed ita
perseuerauerunt Iudæi in malis suis, ut sibi de me-
dicamentis uulnera facerent, & inde acquirerent
mortem, unde poterãt obtinere salutem, Conuer-
terũt enim sibi lucem in tenebras, & dulcedinem
Hier. 2 in amaritudinem cõmutauerunt. Deniq; impletũ
est in illis quod scriptũ est, Percussi filios uestros
& disciplinã non recepistis. Nemo ergo beato He
lisęo ore uipereo derogare pręsumat, quia hoc q̃d
de pueris illis factum est, nõ tam ipse propria uir-
tute q̃ per illum spiritus sanctus fecisse credẽdus
est. Sed hoc, sicut dixi, pro grandi pietate, & inef-
fabili misericordia factum est, ut quia deo humili-
ter prædicãtibus prophetis Iudæi nolebãt crede-
re, uel cũ seueritate uindictam irrogatam metue-
rent, & timentes mortem corporũ uel sic salutem
requirerent animarũ. Quam rem non solum in ue
teri testamento, sed etiam in nouo per beatum Pe
trum apostolũ in Anania & Saphyra legimus fuis-
se completam. Quos ideo Petri sententia dãnauit,
ut nullus in oblationibus uel muneribus suis spiri
tui sancto mentiri præsumat. Et quidẽ fratres cha-
rissimi secundum literam ita credendum est, ut su-
pra suggessimus, q̃ beatus Helisæus non iracun-
diæ morbo cõmotus, sed zelo dei succẽsus, ad cor
rigẽdum populum Iudæorum paruulos permisit
lacerari, non ut uindicaret, sed potius ut illos cor-
rigeret: tamen in hoc facto etiã passio domini Sal-
uatoris præfigurata fuisse euidenter ostendit. Nã
quomodo pueri illi indisciplinati clamauerũt bea
to Helisęo, Ascende calue, ascende calue. ita & in-
sensati populi Iudæorũ Helisæo Christo tempore
Luc. 23 passionis uoce sacrilega clamauerunt: Crucifige,
crucifige. Quid est, ascende calue, ascende calue,
nisi ascende crucẽ in loco caluariæ? Et hoc attẽdi-
te fratres, quia sicut sub Helisæo quadragintaduo
pueri lacerati sunt, ita & post quadragintaduos an
nos passionis dominicæ, uenerũt duo ursi, Vespa
sianus & Titus. Et hoc considerate fratres, quia in
solennitate paschali facta est obsidio Iudæorũ, ut
iusto dei iudicio ex omnibus quinqijs cõgregati
Iudæi in ipsis diebus pœnã sibi debitã sustinerent,
A in quibus uerũ Helisæum dominum & Saluatorẽ
nostrũ in cruce suspenderant. Illo enim, id est, qua-
dragesimo secũdo anno, à die passiõis domini no-
stri, quasi diuina manu acti Iudæi, Hierosolymis
sicut solebant ad celebrandũ pascha cõuenerant.
In historijs legimus, q̃ tunc tricies cẽtena milia ho
minum ex Iudæis Hierosolymis fuerint cõgrega-
ta, ex quibus ferro & fame undecies cẽtena millia
legunt esse cõsumpta, & centũ millia iuuenũ Ro-
mam perducti sunt in triumphũ. Duobus em annis
obsessa est ciuitas illa, & tanta multitudo mor-
tuorum de ciuitate proiecta est, ut muris ipsa cada
uera coequarent. Istam ergo uastationẽ figurabãt
illi duo ursi, qui quadragintaduos pueros propter
irrisionẽ beati Helisæi laceraſſe dicunt: Et imple-
B tum est quod dixerat Psalmus, Exterminauit eam Psal. 79
aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.
Quia sicut dictũ est, post quadragintaduos annos
à duobus ursis, Vespasiano & Tito, gens illa sacri-
lega quod merebat excepit. Et quia infelices Iu-
dæi propter superbiã repudiari & despici, ac per
totũ mundũ dispergi meruerũt, nos quibus tanta
beneficia pietas diuina cõcessit, cum omni humi-
litate fidem rectã tenentes, & ut superbia in nobis
locũ inuenire non possit, charitatem integrã cum
omnib. hominibus conseruantes, usq; ad finem ui
tæ nostræ mundo corde & casto corpore seruire
domino laboremus, ut post laborem bonorũ ope
C rum, illã desiderabilẽ uocẽ audire mereamur, Eu-
ge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini
tui: Quia bene administrasti uitã temporaneã, ac-
cipe sempiternã. Quia custodisti preciũ sanguinis
mei, sume consortium regni mei. Ad quod regnũ
uos pietas diuina perducere dignet, Quæ uiuit &
regnat in secula seculorum, Amen.

Item in eadem dominica, Homilia de eo quod
scriptum est in Euangelio secundum Lucam, Re-
mittite & remittetur uobis &c. quæ habetur in li-
bro quinquaginta Homiliarum XXIX.

Dominica quinta, de eo quod scriptum est in
Euangelio secundum Matthęum, Si uis uenire ad
uitam, serua mandata &c. Sermo I.

SERMO CCV A

E VANGELICA lectio quæ modo perso-
nuit in auribus uestris fratres, auditorem
D magis atq; factorem, q̃ expositorẽ deside
rat. Quid hac luce clarius, Si uis uenire ad uitã, ser
ua mãdatũ? Quid ergo dicturus sum? Si uis uenire
ad uitã, serua mandatũ. Quis est qui nolit uitã,
& tamen qui uelit seruare mandatum? Si manda-
ta seruare non uis, quare uitã quæris? Si ad opus
piger es, quare ad mercedem festinas? Dixit se ille
diues adolescens seruasse mandatum, Audiuimus
præcepta maiora, Si uis perfectus esse, unum tibi
deest, uade uende omnia quæ habes, & da paupe-
ribus, nec perdes, sed habebis thesaurum in cœlo,
& ueni sequere me. Nam quid tibi prodest, si fece
ris, & nõ sequeris me? Abscessit aũt mœstus, sicut
audistis, habebat em multas diuitias. Quod audi-
uit ille, audiuimus & nos. Os Christi, Euangelium
est. In cœlo sedet, sed in terra loqui nõ cessat. Non
simus

simus surdi, nam ille clamat. Non simus mortui,
nam ille tonat. Si maiora nõ uis facere, minora fac.
A Onus maiorũ ad te multũ est, uel minora prende.
Quid ad utraq; piger es? Quid utrisq; aduersaris?
Maiora sunt, Vende omnia quæ habes, da paueri
bus, & sequere me. Minora sunt, Non homicidiũ
facias, nõ adulteres, nõ falsum testimoniũ queras,
non fureris, honora patrẽ & matrẽ, diliges proxi-
mum tuũ tanq; teipsum. Ista fac. Quid ad te clamo,
ut uendas res tuas, cui extorquere non possum ne
rapias alienas? Audisti, nõ furaberis, tu rapis. An-
te conspectũ tanti iudicis, iam te nõ furem teneo,
sed ereptorem. Parce tibi, miserere tui. Adhucuita
ista dat tibi dilationẽ, noli abijcere correptionem.
Fuisti heri fur, noli & hodie. Iam forte & hodie fui
sti, cras noli. Aliquando fini malũ, & pro mercede
exige bonum. Bona habere uis, & bonus esse non
B uis? Contraria est uita tua uotis tuis. Si magnũ bo-
num est habere uillam bonam, quantũ malum est
habere animã malam? Discessit diues contristatus
& ait dominus, Quàm difficile est, ut qui diuitias
habet, intret in regnum cœlorum. Et quàm esset
difficile, similitudine proposita, ostendit tam esse
difficile, ut omnino sit impossibile: omne em im-
possibile difficile est, sed nõ omne difficile est im-
possibile. Quale difficile est, similitudinem atten
de, Amẽ dico uobis, facilius est camelum per fora
mẽ acus transire, q̃ diuitẽ intrare in regnũ cœlorũ.
Camelum intrare per foramen acus, si diceret pu-
licem, impossibile esset. Deniq; hoc audito, con-
tristati sunt discipuli & dixerunt, Si ita est, quisnã
poterit saluus fieri eius diuitum? Pauperes audite
C Christum, populo dei loquor. Plures estis paupe-
res, uel uos apprehendite, & tamen audite. Qui-
cunq; de paupertate gloriamini, cauete superbiã,
ne uincãt uos humiles diuites. Cauete impietatẽ,
ne uincãt uos pij diuites. Cauete ebrietatẽ, ne uin-
uant uos sobrij diuites. Nolite de paupertate glo-
riari, si nõ debẽt illi de diuitijs gloriari. Audiant di
uites, si tamẽ sunt, audiant Apostolũ, Præcipe diui
tibus huius mũdi, quia sunt diuites alterius seculi
pauperes. Sũt diuites alterius seculi Apostoli, Sũt
diuites alterius seculi qui dicebant, Tanquam ni-
hil habentes, & omnia possidentes. Vt sciatis de
quibus loquatur diuitibus, addidit huius mundi.
1 Tim. 6 Audiant ergo Apostolum diuites huius mundi,
Præcipite, inquit, diuitibus huius mundi, non su-
D perbe sapere. Primus uermis diuitiarũ superbia.
Mala tinea, totũ rodit, & ad cinerẽ usq; perducit.
Præcipe ergo nõ supbe sapere, ne forte diues dor-
mias, & pauper surgas. Neq; sperare in incerto di-
uitiarũ, Apost. uerba sunt, sed in deo, inquit, uiuo.
Fur tibi tollit aurũ, quis tollit deũ? Quid habet di-
ues, si deum nõ habet? Quid nõ habet pauper, si
deũ habet? Noli ergo in diuitijs sperare ait, sed in
deo uiuo, qui præstat nobis abundanter omnia ad
fruendũ, cũ quibus omnibus & seipsum. Si ergo
non debent de diuitijs sperare, nõ in eis cõfidere,
sed in deo uiuo, de diuitijs quid facturi sunt? Audi
quid, Diuites sunt in operib. bonis. Quid est hoc?
Expone Apostole. Multi enim quod nolunt face
re, nolũt intellígere. Expone Apostole. Noli dare
A occasionẽ mali operis per obscuritatem sermonis.
Dic quid dixeris, Diuites sunt in operibus bonis.
Audiãt, intelligant, nõ permittant se excusare, sed
se potius incipiant accusare, & dicere q̃d audiui-
mus modo in Psalmo, Qm̃ peccatũ meũ ego co- Psal. 50
gnosco. Dic tu, quid est, Diuites sunt in operib. bo
nis? Quid est, Facile tribuãt? Nũquid & hoc intel
ligitur? Facile tribuãt, cõmunicẽt. Habes tu nõ ha
bet alius, cõmunica ut cõmunicetur tibi. Commu
nica hic, & cõmunicabis ibi. Cõmunica hic panẽ,
& accipies ibi panẽ. Quẽ hic panẽ? Quem colli-
gis cum sudore & labore, ex maledicto primi ho-
minis. Quẽ ibi panẽ? Qui dixit, Ego sum panis ui Ioan. 6
uus qui de cœlo descẽdi. Diues es hic, sed pauper
es ibi. Habes aurũ, sed nondũ tenes præsentẽ Chri
stum. Eroga quod habes, ut accipias q̃d nõ habes.
B Diuites sunt operibus bonis, facile tribuant, com-
municent. Ergo perditurí sunt res suas. Cõmuni-
cent dixi, non totum dent. Teneant sibi quantum
sufficit, teneant plus q̃ sufficit. Demus inde quan-
dam partem. Quam partem? Decimam partem.
Decimas dabãt Scribæ & Pharisæi. Erubescamus Mat. 23
fratres. Decimas dabant, pro quibus Christus nõ-
dum sanguinẽ fuderat. Decimas dabãt Scribæ &
Pharisæi, ne forte aliquid magnũ facere te putes,
quia frangis panẽ pauperi, & uix est millesima ista
facultatũ tuarũ, & tamẽ non reprehẽdo, Vel hoc
fac. Sic sitio, sic esurio, ut ad istas micas gaudeam.
Sed tamen quid dixerit uiuus, qui pro nobis mor-
tuus est, non tacebo, Nisi abundauerit iustitia ue-
stra, inquit, super Scribarũ & Pharisæorum, nõ in-
C trabitis in regnũ cœlorũ. Ille nos non palpat, Me-
dicus est, usq; ad uiuũ peruenit. Nisi abundauerit
iustitia uestra plus q̃ Scribarũ & Pharisæorũ, non
intrabitis in regnũ cœlorũ. Scribæ & Pharisæi de-
cimas dabant. Quid est? Interrogate uosipsos. Vi
dete quid faciatis, de quanto faciatis: quid detis,
quid uobis relinquatis: quid misericordiæ impen
datis, quid luxuriæ reseruetis? Ergo facile tribuãt,
cõmunicent, thesaurizent sibi fundamentum bo-
num in futurum, ut apprehendãt ueram uitã. Ad-
monui diuites, audite pauperes. Vos erogate, uos
rapere nolite. Vos tribuite facultates, uos frenate
cupiditates. Audite pauperes eũdem ipsum Apo
stolum, Est autem quæstus magnus. Quæstus est
D acquisitio lucri. Est autẽ quæstus magnus, inquit,
pietas cum sufficientia. Cõmunem habetis cum
diuitibus mundũ, nõ cõmunem habetis cum diui
tibus domum, sed cõmune habetis cœlũ, cõmunẽ
lucem. Sufficientiam quærite: Quod sufficit quæ-
rite, plus nolite. Cætera grauant, non subleuãt: o-
nerant, nõ honorant. Quæstus magnus, pietas cũ
sufficiẽtia. In primis pietas. Pietas est dei cultus, pi
etas cũ sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc
mundũ, Pauperibus loquitur, sed nec auferre ali-
quid possimus. Victum & tegumentum habẽtes,
his cõtenti simus. Nam qui uolũt diuites fieri, qui
uolunt, non qui sunt. Nã qui sunt, sint. Quod ad il
los pertinet audierũt, ut diuites sunt in operib. bo
nis, Facile tribuant, cõmunicent. Audierunt ipsi,

uos qui nondũ estis audite. Qui uolũt diuites fieri, incidũt in tẽtationẽ & laqueos, & desideria multa & noxia. Non timetis? Audite quod sequit, Quæ mergũt homines in interitũ & perditionẽ, Non times? Radix est omniũ malorum auaritia. Auaritia est esse uelle diuitẽ, nõ iam esse diuitẽ. Ipsa est auaritia. Mergi nõ times in interitũ et perditionẽ? Nõ times radicẽ omniũ malorũ auaritiã? De agro tuo extirpas radicẽ spinarũ, & non extirpas de corde tuo radicẽ malarum cupiditatũ? Purgas agrum tuum unde fructum capiat uenter tuus, & non purgas cor tuum ubi habitet deus tuus? Radix est em omniũ malorum auaritia, quam quidã sequentes, à fide pererrauerunt, & inseruerunt se doloribus multis. Audistis quid faciatis, audistis quid timeatis, audistis unde emat regnum cœlorũ. Omnes in uerbo dei cõcordate, & diuitẽ & pauperẽ deus fe-
Prou.22 cit. Scriptura loquit, Dives & pauper occurrerunt sibi, Fecit aũt ambos dñs. Dives et pauper occurrerũt sibi, In qua uia nisi in ista uita? Natus est dives, natus est pauper. Occurristis uobis pariter ambulantes uiam. Tu noli premere, tu noli fraudare. Iste eget, ille habet. Fecit aũt ambos dominus. Per eũ qui habet, iuuat egentem, per eum qui non habet probat habentẽ. Audiuimus, diximus, timeamus, caueamus, oremus ut peruenìamus ad regnũ, præstante domino nostro Iesu Christo, qui uiuit & regnat cum patre & spiritu sancto deus, per omnia secula seculorum, Amen.

In eadem dominica, De Helisæo, Ser. II

Ser.CCVI S ICVT de beato Helia diximus fratres charissimi, ꝙ typum habuerit dñi Salu-
C atoris, ita & sanctũ Helisæum confidenter & secure asserimus saluatoris nostri imaginem prætulisse. Clamauit em ad beatũ Helisæum, sicut in lectione diuina audistis, uidua quędam, &
4 Reg.4 uoce flebili supplicauit dicens, Vir meus mortuus est, & ecce creditores ueniut & uolunt mihi tollere filios meos. Ille aũt interrogauit eam quid haberet in domo sua. Respõdit mulier & ait, Viuit dñs, quia nõ habeo nisi modicũ olei quo ungar. Et dixit Helisæus, Pete uasa à uicinis tuis, & clauso ostio, mitte ex illo oleo in omia uasa, & cũ plena fuerint, uẽde & redde creditorib. tuis. Vidua ista fratres charissimi typũ ecclesiæ præferebat, sicut & illa quæ meruit beatũ Heliam excipere. Vidua ergo ista, id est, Ecclesia debitũ graue cõtraxerat nõ solidorum, sed peccatorũ. Debitum habebat, & creditorem crudelissimum sustinebat, quia se diabolo multis peccatis obnoxiam fecerat. Sic enim
Esa.50 & Propheta prædixit, In peccatis uestris uẽditi estis, & in sceleribus uestris dimisi matrem uestram. Vidua ergo illa pro tã grandi debito captiua quodammodo tenebatur. Captiua erat, quia redẽptor nondũ uenerat. Sed posteaq̃ uiduam istam uerus redemptor Christus dominus uisitauit, ab omnibus debitis liberam fecit. Vnde enim illa uidua liberata sit uideamus. Vnde, nisi de augmento olei? In oleo misericordia intelligit. Ergo uiduæ illi ideo debitum creuerat, quia oleum misericordiæ peccando perdiderat. Cõsiderate fratres. Defecit oleum, & debitũ creuit. Creuit oleum, & perijt de
A bitũ. Creuerat cupiditas, & perijt charitas. Redit charitas, & perit iniquitas. Veniẽte uero Helisæo Christo dño, uidua, hoc est ecclesia, per augmentũ olei, id est, donum gratiæ & misericordiæ, uel charitatis pinguedine, de peccatorum debito liberat. Quid tamẽ ei beatus Helisæus dixerit, uideamus. Pete uasa multa à uicinis & proximis tuis, & clauso ostio infunde in uasculis uicinorũ. Qui erãt isti uicini, nisi Gentiũ populi? Et licet uidua illa ecclesiæ typũ habuerit, tamen uidua erat, & ideo uicini illi unde uasa petebant, populum Gentiũ figurabant. Quæ tamen uasa uacua exhibebantur, ut oleum misericordiæ accipere mererent: quia omnes gentes anteq̃ donũ gratiæ cõsequant, fide & charitate, & bonis operibus uacuæ esse probant. Deniq̃
B oẽs qui ad salutare baptismũ cõsequendũ ecclesiæ offeruntur, & chrisma & oleũ benedictionis accipiunt, ut iam non uasa uacua, sed deo plena, & tẽplum dei esse mereantur. Considerate ergo fratres charissimi, Quãdiu uidua illa oleũ in uasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat, Verum est charissimi. Qui se solum diligit, nec sibi sufficit, nec peccatorũ suorũ debitum reddit. Cũ uero in alienis uasculis, id est, omnibus uicinis & propinquis, & omnib. omnino hominib. cœperit oleum charitatis infundere, tunc & sibi sufficere, & ab omib. se debitis poterit liberare. Et uere fratres talis est natura sãcti amoris & uerę charitatis, ut erogãdo crescat, & quantũ in alijs plus expẽdit, tantũ in se abundantius cu
C mulet. Cibũ corporis si uolueris egenti tribuere, ad præsens q̃d illi dederis tu habere non poteris. Panẽ charitatis si dederis centũ hominibus, integer manet. Si uniuerso mũdo largiri uolueris, tibi nihil deficit, imò nõ solũ nõ deficit, sed omniũ illorum quibus largitus fueris, lucrũ tibi multipliciter crescit. Verbi gratia, Vnũ panem charitatis habebas, Si nemini dedisses, ipsum solũ haberes. Mille hominib. dedisti, mille panes acquisisti: quia tanta est possessio charitatis, ut & singulis tota sit, & omnib. integra esse possit. Ergo & alijs dedisti, & tu nihil penitus ꝑdidisti, Imò nõ solũ non ꝑdidisti, sed sicut iam dixi, quicquid alijs à te collatũ est, tu centupliciter acquisisti. Ergo fratres charissimi, agnoscite uiduã nõ aliud nisi de oleo à suis creditoribus absolutã, & intelligite ecclesiã catholicã nõ
D aliunde, nisi per oleum misericordiæ dei de suis fuisse criminibus liberatã. Sed hoc attendite fratres, ꝙ mulier illa quandiu habuit uasa ubi oleũ infunderet, tandiu oleum creuit. Nam dixit filio suo: Affer mihi uas. Et ille respondit: Nõ habeo. Et ait scriptura stetisse oleum, posteaquã ubi poneret nõ inuenit. Sic dilectissimi fratres tandiu charitas augetur, quandiu tribuitur. Et ideo etiã ex industria debemus uasa quęrere ubi oleum possimus infundere: quia probauimus quod dũ alijs infundimus plus habemus. Vasa charitatis, homines sunt. Si charitatis oleo uolumus abundare, non solum bonos, sed etiã malos debemus diligere. Bonos, qa boni sunt. Malos ut boni fiant. Habet enim hanc uirtutem

uirtutẽ oleũ charitatis, ut & bonos meliores faciat & malos de peccatorũ tenebris ad lucẽ ueritatis
A reducat. Quod aũt ait scriptura clauso ostio uiduã illam oleum in uasculis infudisse, hoc significauit ut unusquisq̃ eleemosynam clauso ostio faciat: id est, pro solo dei amore, nõ ideo ut laudetur ab hominibus, sed ut apud deum inuenire gratiã merea tur. Qui em pro laude humana eleemosynã facit, aperto ostio facit, quia apertũ omnibus patet. Qui uero pro sola uita æterna & pro remissione peccatorũ bona opera fecerit, etiã si publice faciat, clauso ostio facit: quia de illo eleemosyna nõ hoc quærit quod uidet, sed quod nõ uidetur. Laus em humana uidetur, æternũ præmiũ nõ uidet. Sed audi
1 Cor.4 quid dicit Apostolus, Quę enim uidentur tẽporalia sunt, quæ aũt non uidentur æterna. Securus ergo
B unusquisq̃ eleemosynã faciat, tantũ ut pro illa gloriam humanam nõ requirat. Post hæc audiuimus quòd dũ beatus Helisæus transiret per Sunã, quędam mulier magna susceperit eũ, & dixerit ad uirum suum, Animaduerto ꝙ homo iste uir dei sit, faciamus illi cœnaculum, & ponamus ei in eo lectũ, mensam, sellam & candelabrũ, ut quãdo uenerit maneat ibi. Et mulier illa sterilis erat, sed orãte Helisæo genuit filium. Sic & ecclesia anteq̃ Christus ueniret sterilis fuit. Et sicut illa orante Helisæo genuit filium, ita & ecclesia ueniente ad se Christo, genuit populũ Christianũ. Sed filius mulieris illius, dum Helisæus absens esset, mortuus est: sic & filius ecclesiæ, hoc est, populus Gentiũ, anteq̃ Christus ueniret, peccatis mortuus erat. Descendente
C de monte Helisæo, filius uiduæ huic uitę redditur: descendente de cœlo Christo, filius ecclesię, id est, populus Gentium suscitatur, sed hoc qualiter factum sit, uideamus. Mortuo em filio suo mulier illa abijt, & uestigijs se sancti Helisæi ꝑstrauit, Beatus uero Helisæus dedit baculũ suũ puero, & dixit ad eum, Vade & mitte baculũ meũ super faciem pueri. Si te salutauerit homo nõ resalutes eũ. Hoc loco fratres uidete, ne alicui surrepat impia cogitatio, & dicat ꝙ augurium beatus Helisæus obseruare uoluerit, & ideo iusserit puero suo ut salutantẽ se in uia non resalutaret. Frequẽter hoc in scripturis legimus, sed pro celeritate est dictũ, nõ pro aliqua superflua & sacrilega obseruatione preceptũ. At si diceret, Ita uelociter ambula, ut nullis fabulis
D in uia occupari aut retardari præsumas. Abijt ergo puer, & misit baculum super faciẽ pueri, & penitus non surrexit. Puer iste typum habuit beati Moysi. Misit em eum deus cũ baculo in Ægyptũ: sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit, de originali uero uel actuali peccato liberare
Heb.7 uel resuscitare nõ potuit. Nihil enim, dicente Apostolo, ad perfectũ adduxit lex. Opus erat ut qui baculum miserat, ipse descenderet. Baculus sine Helisęo nihil ualebat, quia crux sine Christo nihil poterat. Venit ergo beatus Helisæus, & ascendit in cœnaculum, qua uenturus erat Christus, & ascensurus crucis patibulũ. Inclinauit se Helisæus, ut puerum resuscitaret: humiliauit se Christus, ut mundum in peccatis iacentẽ erigeret. Misit Helisæus oculos super oculos, manus super manus. Videte fratres quantũ se uir ille perfectę ætatis cõtraxit ut
A paruulo mortuo & iacẽti cõgrueret. Qd' em Helisæus in puero præfigurauit, hoc in toto genere humano Christus impleuit. Audi Apostolũ dicentẽ, Humiliauit semetipsum, factus obediens usq̃ ad Philip.2
mortẽ. Quia paruuli eramus, paruulũ se fecit. Quia mortui iacebamus, pius se medicus inclinauit, qa & reuera fratres nemo potest iacentẽ erigere, si se noluerit inclinare. Quod aũt puer oscitauit septies, septiformis gratia sancti spiritus ostendit, quæ humano generi ut resuscitetur in aduentu Christi tribuitur. De ipso spiritu dicit Apostolus, Si quis Rom.8
spiritum Christi nõ habet, hic nõ est eius. Ipsum etiam spiritum dñs dedit discipulis, quãdo insufflauit & dixit, Accipite spiritũ sanctum. Os em quo- Ioan.20
dammodo super os posuit, quãdo insufflando spiritum dedit. Gratias ergo agamus pijssimo redemptori, qui nos nullis præcedentibus meritis suscitauit, & nõ solum de morte perpetua eripuit, sed etiã adiuuante gratia ipsius si bene egerimus, æterna præmia repromisit, quod ipse præstare dignet, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat deus in secula seculorum, Amen.

Dominica sexta, De Naaman Syro, Ser. I

C VM Naaman regis Syrię princeps perfusus lepra fuisset, & sibi uel cũctis horreret, dolebat rex Syriæ uirũ per quem Ser. CCVII
plurima confecerat bella, gentes domuerat, & uictorias perpetrarat. Tũc audit Naamã apud Israel esse Prophetã Helisæũ mirandis uirtutib. præditũ,
C & stupendis operibus nominatum, per quem posset & causæ periculo liberari, & perniciosa uarietate tergi. Mox suũ pergit ad regẽ, & cõmendatitias literas ad Israelitarũ regẽ deposcit. Confestim rex ad regẽ literas mittit dicẽs: Misi ad te Naaman seruum meũ, ut cures eũ à lepra ipsius. Cũ rex à rege literas accepisset, scidit uestimenta sua dicens, Videte quoniam malitiã quærit iste, qui misit ad me hominẽ ut curẽ eum, Nunquid ego deus? O fides, Naaman princeps fideliter festinat ad deũ, & rex perfidus suum dissipat uestimentũ. Rex Syriæ credit posse fieri quod audierat, & rex Israel non credit fieri posse quod nouerat. Tũc ad Helisæum cũ regis cõmotio perferret, Mitte, inquit, ad me Naaman Syrum, ut sciat quia est deus in Israel. Adduci
D tur itaq̃ ad ostiũ hominis dei cũ quadrigis & equitibus. Ad quẽ ait, Vade baptizare in Iordane septies, & mundaberis. Quo audito Naaman cõmotus dixit, Ego putabã quod egredere ad me, & stans inuocaret nomẽ domini dei sui, & tãgeret locum lepræ, & curaret me. Si enim aquis me mundari oportet, nõne meliores sunt apud nos aquæ? Tũc unus ex suis ait, Nunquid hoc difficile uerbum est quod locutus propheta ad te? Quare non facis q̃d dixit? Tunc Naaman reuersus & in Iordane septies baptizatus, ascendit inde mundatus. Tunc miratur Naaman, tunc stupet, tunc Prophetam cõspicit, tunc cœlũ attendit, miratur uno iussu affuisse uirtutem, miratur operatũ domini, miratur deterſum tanti tẽporis uitium. Miratur Naaman se mutatum

tatum corpore & mente perniciosa, ab illo contagium pellitur, & optata sanitas reparatur. Gaudet
A Naamã, Propheta lætat̃, & ab utrisq; dñs collauda
tur. Gaudet Naamã quod optauerat se percepisse,
& quod crediderat inuenisse. Gaudet Propheta
in opere, lætat̃ populus in uirtute. Gaudet Iudæa
q̃ uenientibus prestent̃ auxilia, discũt in Israel q̃d
apud se inuenire non poterãt. Qui curatus est præ
dicat, qui sentit nũciat, nemini dubiũ habet̃ quod
in Naaman mirabilia protestant̃. Tunc lætus Naa
man Helisæo offert munera, tũc sanitatis uoto ob
tulit dona. Non em̃ preciũ curationis est quod of-
fero, nec sanitate percepta isto munere redimo sa-
nitatẽ quã merui, Nec precio poterit redimi, nec
ullo munere inueniri. Mihi, inquit Helisęus, quod
offers non accipio, quod ingeris ut alienũ recuso.
Nec enim tibi sanitatẽ prestiti, nec perniciosum in
B te uitium egoipse correxi. Est potens in cœlestib.
deus, cuius imperiũ seruo, officio pareo, seruituti
insisto, cui solus præparandus est sensus, dicandus
animus, retribuendus in omibus famulatus. Huic
enim si soli seruieris, aut obsequia debita mancipa
ueris, antecq̃ reddas seruitia, ante meliorẽ merebe
ris medicinam. Mox Naaman diuinã sibi disciplí-
nam indicit, superstitiosa abscidit. Cõtinuo se deũ
uenerari testatur, & detestari idolũ profitet̃. Nũc,
inquit, cognoui, quia deus colendus est solus, nũc
primum addidici quia unus uenerandus est dñs.
Cæterum dij gentium nec saluare poterũt, nec no
cere merentur, aut sanum quempiam facere, qui
se non possunt de non colentibus uindicare. Tũc
Naaman proficiscitur in Syriam lætus, tunc ad su-
C os properat sanus. Lætant̃ oẽs qui cum eo tristes
aduenerãt, gaudẽt cuncti qui eius inualetudinem
exhorrebãt, Magnalia dei cuncti secũ loquunt̃, &
uirtutes eius uniuersi inuicẽ fabulant̃. Statim Pro-
phetę puer secũ loquitur dicens, A Naaman Syro
noluit quicquã accipere, pergam ut quod ille no-
luit suscipere ego sumam. Nec cessauit, pergit festi
nanter. Quem cum puer uideret concurrentẽ, ut
domino nunciaret, mox Naaman suorum statuit
currus, in obuiam redit, causam exquirit. Ille aua-
rus iactat mendacium. Dicit à Propheta esse man-
datum, ut argenti aliquid mitteret, quod adueniẽ-
tibus ad se Prophetarum liberis tribuisset. Conti-
nuo Naaman puero duplum q̃ petierat dedit, q̃d
Prophetæ ipse supplex ut acciperet extorquere
D non meruit. In sequestri ergo deposito, in Helisæi
conspectu solito more cõsistit. Vbi, inquit, fuisti,
uel quid negocij gessisti? Nusquã, inquit, discessi.
Tũc Propheta sanctissimus ait, Nõne cor meũ te-
cum fuit, quando Naaman tibi in obuiã propera-
uit? Argentũ accepisti, & eius lepram sumpsisti. O
meritũ Helisæi, Vno tẽpore duplex uirtus osten-
ditur, & gemina potestas Prophetę sãctissimi de
monstrat̃. Curatur Naaman Syrus, & lepra Giezi
perfunditur. Seruo Syro fideli gloriam attulit, &
seruo perfido intulit pœnam. Ille de Syria ueniẽs
quod desiderauit accepit, hic puer Prophetę pla-
gam sibi de perfidia sumpsit. In aquis Naaman cu-
ratur & gaudet, Giezi uulneratur & deflet. Alius
suis redditur sanus, alius cunctis ostenditur macu
latus. Deus in Naaman laudat̃, quòd deposita le-
pra integer reuersus est & sanus.

Item in eadẽ dominica, de eodem de quo supra
alius sermo factus est ad fratres in eremo, qui inter
sermones ad eosdem habetur XXXII

In eadẽ dominica, De Helisæo & Giezi puero,

Sermo II

Requenter charitati uestræ suggessi- Ser.CCVIII
F mus fratres charissimi, beatũ Helisæũ
typum habuisse dñi Saluatoris: Giezi
aũt discipulus non incongrue Iudam traditorem,
uel Iudæorũ populum intelligitur figurasse. Sicut
enim Giezi ideo seruiebat beato Helisæo, ut pecu
niam posset acquirere: ita & Iudas propterea adhę
serat dño saluatori ut fraudẽ faceret, & terrenas di
uitias cõgregaret. Deniq; sic in Euãgelio scriptũ
B est, Quia fur erat, & loculos habebat, & ea quæ Ioan.12
mittebant̃ asportabat. Nã Giezi qui gratiam ma-
gistri poterat promereri, sicut & dñs suus consecu
tus fuerat beati Heliæ, cupiditate uictus meruit in
æternum crudeli lepra perfundi. Iudas uero pro a-
more pecuniæ & Apostolatus gratiã perdidit, &
laqueo uitã finiuit. Ac sic intelligimus oẽs auaros
& cupidos, intus in anima peccati lepra esse perfu
sos. Naaman uero princeps militiæ, qui leprosus
erat, & suggerẽte ancilla ad beatũ Helisæũ sanan-
dus aduenit, populum gentiũ figurauit. Puella illa 4 Reg.5
quæ captiua fuerat de Iudæa ducta, & suggesserat
dñæ suæ, q̃ si ad beatũ Hælisæum suus dñs perge-
ret, sanitatẽ reciperet: puella, inq̃, illa prophetiæ
C imaginẽ gessit: quia licet tẽpore illo in sola Iudæa
gratia pphetiæ floruit, tamẽ non potuit fieri, nisi
ut etiã ad uicinas gẽtes beata eius notitia perueni
ret. Audiuit ergo Naaman puellã, & uenit ad He-
lisæum, Audiuit populus gentiũ prophetiã, & ue-
nit ad Christũ. Naaman ueniens ad Helisæũ sanat̃
lepra: & populus gentiũ ueniens ad Christũ, ab o-
mni peccatorũ lepra purgat̃. Potest tamẽ, sicut iã
dixi, Giezi etiã Iudæorũ populũ figurare, qui eo
tẽpore peccati lepra percutitur, quo ab ea gentiũ
populus liberat̃. Deniq; sic infelices Iudæi in pas-
sione dñi clamauerunt, Sanguis eius super nos & Mat.27
super filios nostros. Tunc enim peccati lepra per-
fundi meruerunt, qñ contra cœlestem medicũ ore
sacrilego clamauerũt, Tolle tolle, crucifige eũ. Er- Ioan.19
D go eo tẽpore in illis remansit lepra, quo ad gentes
dñi transiit gratia. Deniq; sic & Apost. Petrus ad
eos locutus est dicens, Vobis, inquit, oportuit pri Act.13
mum loqui uerbũ dei, sed quia uos indignos iudi-
castis æternæ uitę, ecce cõuertimur ad gẽtes. Quã
do doctrina Apostolorũ ad gẽtes transiit, tunc in
miseris Iudæis peccati lepra remansit. Quid tamẽ
mandauerit beatus Helisæus Naaman Syro uide-
amus, Vade, inquit, & lauare septies in Iordane.
Quod autẽ audiens Naaman, ut lauaretur septies
in Iordane, indignatus est, & nolebat annuere, &
ab amicis suis cõsilio accepto, acquieuit ut laua-
retur, & purgatus est: hoc significauit, quia populus
gẽtium anteq̃ Christus crucifigeretur, ipsi per se
Christo loquenti nõ credidit, sed postea prędican
tibus

tibus Apostolis ad sacramentũ baptismi fideliter
uenit. Naamã munera obtulit beato Helisęo, & il-
A le accipere noluit, Christi in hoc gratiã figuratã in
tellige, quę ideo gratia dicit̃, q̃a gratis dat̃. Sic em̃
Matt.10 dñs in Euãgelio discipulis dixit, Infirmos curate,
mortuos suscitate, dęmones expellite. Gratis acce
pistis, gratis date. Et q̃a omia sacramẽta & mys-
teria dñi nostri quę in Iudæis erãt præfigurata, in no
bis uidemus esse completa, quãtas possumus deo
gratias referamus, ut cũ dies iudicij aduenerit, ab
auditu malo liberati, illa ad nos uox desiderabilis
Matt.25 dirigat̃, Venite benedicti, percipite regnũ q̃d uo-
bis paratũ est ab origine mũdi. Ad q̃d uos dñs sua
protectione perducat, cui est honor & imperiũ cũ
patre & spiritusancto in secula seculorũ, Amen.

Itẽ in eadẽ dominica, Homilia de eo q̃d scriptũ
est in Euãgelio secundũ Matthæũ, Amen dico uo
B bis, Nisi abundauerit iustitia uestra, &c. quæ sum-
pta est ex lib. I De sermone dñi in monte, cap. VI.
& VII. Et ex sermonib. De uerbis dñi, IIII. Et ex
lib. Quinquaginta homiliarũ. XL.

Dominica septima, de eo quod scriptum est in
Euangelio secundum Marcum, cum turba multa
esset cũ Iesu, nec haberẽt quod manducarent, &c.

Sermo I

Ltitudinẽ diuinitatis suæ & misericor-
Ser.CCIX A diam humanitatis multis & uarijs mo
dis in scripturis sanctis dñs noster le-
sus Christus ostẽdit, quemadmodũ solet in mys-
terijs & sacramẽtis, ut & petentes accipiant, & que
C rentes inueniant, & pulsantibus aperiatur. Omnia
em̃ quæ in hoc mundo sub fragilitate nostra exhi-
buit miracula, nobis proficiũt. Non utiq; sine cau-
sa faciebat ea dñs, uel quasi frustra & inaniter. Ver
bum dei est Christus, qui nõ solum sonis, sed etiã
factis loquitur hominibus. Hoc enim etiam quod
hodie de sancto Euãgelio lectum est, quærit intel
lectorem, & cũ fuerit intellectũ, spiritale facit gau
dium. Et in hac lectione simul consideranda est in
uno eodẽq̃ redẽptore nostro disiũcta operatio di
uinitatis & hũanitatis, atq; omnimodis detestan-
dus error Eutychetis, qui unã tantũ in Christo dog
matizare præsumit operationẽ. In alterutra enim
parte uel qui solum hominẽ fuisse dixerit, gloriã
negabit cõditoris, uel qui solũ deũ, negabit miseri
cordiã redẽptoris, Nẽpe quod super turbã misere
tur dñs, ne uel inedia, uel longioris uiæ deficiat la-
D bore, nouerimus affectũ esse atq; cõpassionẽ hu-
manæ fragilitatis. Quod aũt de septem panibus &
paucis piscibus satiauit quatuor milia hominũ, cre
dimus diuinæ opus esse uirtutis. Attẽdat ergo san
ctitas uestra, quia hoc nobis propositũ est, quod
cum uestra charitate tractemus, quid sibi uelit hu-
ius rei tantũ mysteriũ, q̃ eo modo se deum discipu
lis demonstrasse sancta testat̃ scriptura, quõ Euan
gelium narrat. Ait enim Euangelista in hodierna
Mar.8 lectione, Cum multa turba esset cum Iesu, nec ha-
berent quod manducarent, conuocatis discipulis
ait illis, Misereor turbæ huic. Sed requiramus q̃d
ait superius: In illis diebus cum turba multa esset.
Superius enim accesserunt Iudæi ad Saluatorem,
accusantes discipulos eius, eo q̃ nõ lotis manibus
A manducarent. Quos dñs redarguit, quia quæ de
corde mala ꝓcedũt, ea potius hominẽ coinquina-
rẽt. Et relictis illis, uenit in finibus gentiũ, ubi mu-
lier Chananæa, quæ est mater gẽtiliũ, pro filia sua,
id est, ecclesia dñm deprecat̃. Quæ tãdiu postula-
uit donec acciperet quod petebat. Post hæc iterũ
curauit mutũ & surdũ. Ergo in his diebus cũ mul-
titudo populi cõcurrisset, nec haberãt quod man-
ducarent: turbas em̃ hic oẽs gẽtis significare crea-
turas intelligimus, pro quibus ipse dñs misericor-
dia cõmouetur, q̃ non haberent quod manduca-
rẽt: hic spiritaliter debemus intelligere, q̃ ideo nõ
habebant q̃d manducarẽt, quia gentes legẽ nõ ha
bebant, id est, quinq̃ libros Moysi, nõ prophetas,
nõ prædicationẽ sancti Ioãnis, quia gentes nõ per
B legem, sed per fidẽ uenerũt ad redẽptorẽ. Ideo tri-
duo perseuerat, hoc est, in natiuitate, in passione,
in resurrectione dñi, siue in patre, & in filio, & in
spiritu sancto. Perseuerare em̃ permanere est in cõ
fessione, sicut ipse dñs ait, Qui aũt perseuerauerit Matt.10
usq; in finem, hic saluus erit. Dicit ergo dñs, Non Mar.8
habent quod manducẽt. Quia legẽ nõ habent, &
dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia: ut
qui per fidẽ Christi crediderũt, per fidẽ Christi salu-
arent̃. Quidã aũt ex his de longe uenerũt. Lon-
ge em̃ erant gentes à deo, errãdo per idola. Et mo
do omis qui peccat longe est à deo. Dicũt discipu
li eius. Vnde istos quis poterit saturare panibus in
solitudine? Adhuc Apostolos tenebat incredulí-
C tas, donec mysteria reuelarent̃, nec recordabant̃
quod fecerat de quinq̃ panib. & duob. piscibus.
Et interrogauit eos Iesus quot panes haberẽt. Qui
dixerunt, septem. Et præcepit turbæ ut discũberẽt
super terram. Et accipiẽs panes gratias egit, & de
dit discipulis suis ut apponerent. Et pisces simili-
ter benedixit, & posuit ante illos. Et manducaue-
runt & saturati sunt, & sustulerũt septẽ sportas ple
nas. Erant aũt qui manducauerunt quasi quatuor
milia extra mulieres & infantes. Et uirtutes quidẽ
dñi manifestissimè credimus esse factas in præ-
senti, sed quid lateat in mysterio, ipsius gratia do-
nante requiramus. In superiori enim lectione de
quinq̃ panibus & duobus piscibus quinq̃ milia
hominũ satiauit: hic septẽ panibus saturauit qua-
tuor milia hominũ. Ibi discipuli suggerunt dño di
centes, Locus desertus est, & hora præterijt, dimit
D te turbas ut euntes in castella emant sibi escas. Hic
penitus tacent discipuli, sed ipse dñs pro eis solici
tus est. Videamus quare tacent. Quia necdũ miss-
si fuerant prædicare gentibus, sed potius ad oues
pditas domus Israel. Prior ergo illa parabola per-
tinet ad Iudæos, ista uero ad gentes. Ibi quinq̃ pa-
nes fuerunt, hoc est quinq̃ libri Moysi. Hic uero
septẽ panes, qui sunt septiformis spiritus dona, si-
cut ait sanctus Esaias propheta, Spiritus sapientiæ Esa.11
& intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiri
tus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus ti-
moris domini. Ibi duodecim cophini pleni spiritu
sancto, hic septẽ ecclesiæ siue septem candelabra
aurea. Ibi duo pisces, qui sunt duo testamenta, siue
unus

unus liber omniũ ꝓphetarũ, uel ſancti Ioãnis prædicatio: hic indefinitus numerus poniť, quæ ſunt
1 Cor.12 dona gratiarũ, ſicut ait Apoſt. Alij per ſpiritũ dať ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientię, alij prophetia, alij genera linguarũ, alij interpretatio ſermonũ, omnia uero hæc operatur unus atq; idem ſpũs. Ibi ſuper fœnũ recumbunt, & hic ſuper terrã. Vtrinq; una cõuerſatio, una gratia, una uirtus, una deitas. Ibi ſuper fœnũ diſcũbunt, hoc eſt, mortificata ope
Eſa.40 ra carnis: quia, Omnis caro fœnum, ait Propheta. Hic ſuper terrã diſcũbunt, id eſt, opera terrena cõculcant. Ibi quinq; milia refecti, qui numerus pertinet ad Iudæos. Nam poſt aſcenſionẽ dñi loquente ſancto Petro, quinque milia ſunt baptizati. Hic aũt quatuor milia, hoc eſt, de tota terra oẽs gentes à quatuor cardinib. cœli, de ſeptiformis ſancti ſpiritus gratia eſſe repletas in uitã æternã. Et ideo dilectiſſimi nos qui nõ per legẽ, ſed per fidem credimus in dño noſtro Ieſu Chriſto, qui nõ ex operib. ſed ipſa gratia ſumus redẽpti, qui nõ ex quinq; panibus, id eſt, ex quinq; libris Moyſi, ſed ex ſeptiformis gratia ſpũs ſancti ſumus repleti, ſicut beatus Eſaias ꝓphetauerat dicẽs, Spũs ſapiẽtiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit illũ ſpiritus timoris dñi. In hac ergo ſeptiformi ſpiritus ſancti gratia maneamus, in qua uocati ſumus, repleti dono ſpiritus ſancti, per dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui uiuit & regnat in unitate eiuſdem ſpiritus ſancti deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

In eadem dominica, de Heliſæo & ſecuri in gurgite lapſa: Sermo II

Ser.CCX C VM diuina lectio legereť fratres chariſſimi, audiuimus quod eunte beato Heliſæo cũ filijs Prophetarũ ad Iordanem fluuiũ, dum ſibi ligna cõciderẽt cecidit ſecuris in aquã, Et ille de cuius manu ceciderat clamauit ad beatũ Heliſæũ, Heu dñe mi, & ipſam mutuo ſuſcepera. Poſt hæc in loco ubi ſecuris illa corruerat, beatus Heliſæus miſit lignũ, & natauit ferrum. Heliſæus fratres dilectiſſimi typum habuiſſe dñi ſaluatoris frequẽter charitati ueſtræ ſuggeſſimus. Sed & in puero, qui erat de filijs Prophetarũ, cui ſecuris de manu lapſa eſt, nõ incongrue Chriſtus dñs intelligiť. Securis illa quæ cecidit, Adam, ſiue totũ genus humanũ ſignificaſſe diciť. Tenebat ergo filius Prophetarũ ſecurim in manu ſua, & dñs ac ſaluator noſter humanũ genus quod creauerat in manu potentiæ ſuæ. Sed quõ ſecuris illa de manu Prophetæ in profundũ corruit, ita & genus humanũ de manu dñi omnipotentis per ſuperbiã ſe excuſſit & cecidit, & in fluuio luxuriæ uel omniũ peccatorũ gurgite ſe ſubmerſit. Securis illa in profundo iacebat, quia genus humanũ in omniũ criminũ abyſſum infelici ruina corruerat, ſicut ſcri-
Pſal.68 ptũ eſt, Infixus ſum in limo profundi. Et iterũ, Deueni in altitudinẽ maris, & tẽpeſtas demerſit me. Fluuius eẽ ille ubi ſecuris cecidit, ſignificat præterfluentẽ & fugitiuã, & in abyſſum deſcẽdentem uoluptatem, uel luxuriã ſeculi huius. Fluuius eẽ à fluẽdo nomẽ accepit. Et quia oẽs peccatores trãſitorijs uoluptatib. inhærentes fluere dicunť, ideo A ſecuris illa in fluuio & in limo iacebat oppreſſa. Veniens uero Heliſæus miſit lignũ, & natauit ferrum. Quid eſt lignũ mittere, & ferrũ in lucẽ producere, niſi patibulũ crucis aſcendere, & de profundo inferni humanũ genus erigere, ac de omnium peccatorũ limo per crucis myſteriũ liberare? Poſtquã uero natauit ferrũ, miſit manũ propheta & recepit illud, & redijt ad utiles uſus dñi ſui. Ita & de nobis factũ eſt dilectiſſimi fratres, q̃ de manu dñi ſuperbiẽdo ecciderамus, per crucis lignũ iterũ ad manũ uel ad poteſtatẽ dñi redire meruimus. Et ideo quantũ poſſumus cum ipſius adiutorio laboremus, ne iterum ſuperbiendo de manu dñi corruamus. Et quia nullis præcedentibus meritis de tenebris producti ſumus ad lucẽ, de morte ad uitam
B reuocati, de multis errorib. in uitã reducti, curramus dum lucẽ habemus, nec prætereuntia ſalutis tẽpora negligamus, nec nos delectet mũdi huius male dulcis & nimiũ periculoſa lęticia: ne iterũ de operibus ſanctis, & de iuſtitiæ uia quaſi de manu dñi corruentes, ad luxurioſum mũdi huius fluuiũ recurramus, & in omniũ peccatorũ limũ infelici iterum ruina mergamur, ſed audiamus Apoſt. dicentem: Si cõſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum Coloſſ.3 ſunt ſapite, ubi Chriſtus eſt in dextera dei ſedens, quæ ſurſum ſunt quærite. Quare dicit, Si reſurrexiſtis, niſi quia cecideramus? Et alibi idẽ Apoſt. Sur Epheſ.5 ge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Quaſi non tibi uideretur ad ſecurim in limo iacentẽ clamare? Surge, inquit, qui in profundo gurgite dormis, & per crucis myſteriũ illumi-
C nabit te Chriſtus. Iam iſta omnia fratres chariſſimi per baptiſmi ſacramentũ, deo auxiliante, ſic agere ſtudeamus, ut nobis beneficia dñi noſtri non iudicium pariant, ſed profectum. Et ita dulcedinẽ charitatis, puritatẽ cordis, & caſtitatẽ corporis teneamus, ne in nobis dei ſacramẽta patiant iniuriã. Si enim uerum eſt, imò quia uerũ eſt quod dicit Apoſtolus, Quia tẽplum dei ſumus, & ſpiritus dei habitat in nobis, quoties aliquod peccatũ aut cogitando, aut loquendo, aut etiã operando perficimus, tẽplum dei deſtruimus, & ei qui in nobis habitat iniurias irrogamus. Et ideo ſi quis in ſe tẽplum dei aut turpibus cogitationibus ſordidauit, aut luxurioſo ſermone polluit, uel quibuſcũq; criminib. for
D te iam uſq; ad fundamenta deſtruxit, dum tempus eſt cũ dei adiutorio ſtudeat reparare perdita, erigere lapſa, deſtructaq; cõſtruere, & cũ dies iudicij aduenerit, etſi coronã nõ meremur accipere, uel ad peccatorũ mereamur indulgentiã puenire. Quod aũt dixi, uel ad peccatorũ indulgentiã, pro humilitate quę nobis ſatis eſt, neceſſaria uideor ſuggeſſiſſe. Nã medicus ille cœleſtis cõpunctis pœnitentibus, & eleemoſynas largius facientibus nõ ſolum ueniã, ſed etiã coronã recõpenſare cõſueuit. Ego fratres chariſſimi, etſi negligens, tamẽ qualiſcunq; præco ueritatis à domino conſtitutus, quod & uobis expedit audire, & me oportet dicere, ſi nõ quãtum debeo, uel quantum poſſum ſuggero, clamo, admoneo. Qui cõtemnit præconẽ, timeat iudicẽ.

Nullus

Nullus ex nobis ante tribunal Chriſti ſe excuſare
A poterit non ſe fuiſſe admonitũ, ut omibus uitijs reſiſteret, & uirtutibus operam daret. Et quia uobis quid uitare uel fugere debeatis aſſidua prædicatione monſtratũ eſt, ſic deo auxiliante agite, ut uobis admonitio ueſtra magis ad præmiũ quã ad iudiciũ ante tribunal æterni iudicis ꝓficiat. Quod ipſe uobis concedere dignetur, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In eadem dominica, De fame Samariæ, Sermo III

SERMO CCXI 4.Reg.6 D VM à cultu dei gens iniqua diſcedit, horrenda fame comprimitur, & iuſta neceſſitate turbatur, Venit, inquit, filius Adadezer regis Syriæ in Samariam & obſedit eam,
B & facta eſt fames magna, ita ut uenundaretur caput aſini quinquaginta ſiclis argenti, & quinque ſiclis argenti quarta pars cabi ſtercoris columbini. Cur famẽ ò miſerrime pateris? Cur inopiam terrimam ſentis? Cur tanta penuria laceraris? Creſcit famis quotidie pœna, quia quotidie creſcit & culpa. Perſeuerant flagella, quia in populo perſeuerant & delicta. Propter te enim hoſtis irruit, inimicus obſedit, aduerſarius tua pabula deuorauit. Tu eſuris, & ille pinguеſcit. Tu famẽ horridã pateris, & ille de tuis pabulis ſuis uacat epulis. Tu aſinorum cadauera, & ſtercora columbarũ argẽto mercaris. Callida deinceps uita, dãna peccata, delicta compeſce, ad deum cõuertere, relinque idolum, abominare figmentum, tunc poteris hoſtes
C diuino adiutorio uincere, & cœleſti prælio ſuperare. Nec quiſquam tibi poterit nocere ulterius, ſi damnato ſcelere diuinus in te germinauerit cultus. Proh nefas, Horrenda cadauera & columbarum ſtercora peccator populus ueſcitur, nec dei cultum quærit. Inquinatas carnes & horrendas eſcas fames & neceſſitas poſcit, & adhuc figmentum hominũ duritia colit. Pabula denegantur, & illicita à peccatorib. exhibenť. Deus à populo peccatore non quæritur, & idolum adoratur. Mutatur in figmentum dei cultura, mutatur religio, mutatur & eſca: mutatur dei ſancta cultura, mutantur & hominibus pabula, interdicta ueſcũtur. Vt eẽ alienum eſt quod coliť, ita alienũ eſt quod contra regulam eſuritur. Nec enim difficile eſt populum famem poſſe ſentire, quem male uiuendo conſtat ſpiritaliter eſuriſſe. Interea creſcunt cum uitijs augmenta famis, & peccata matrum cadauera appetunt filiorum, & alternis uicibus mulieres duæ ſuos natos deuorare diſponunt. Proh dolor, In cibũ pietas uertitur, in pabulũ ſuſcepta ſoboles cõmutatur. Antè parricidiũ geritur, q̃ ad funeſtas epulas ueniatur. Anima artubus elicitur, & matrũ uiſcera polluuntur. Innocens ſanguis effunditur, ut parentum fames rabida ſaginetur. Apud illas eẽ totum crudele, nefandum eſt, inquam, inſontis ſanguinem fundere, innocẽtes carnes concoquere, decoctos artus auidis faucibus tranſuorare, ut natum conuertat in cibum, quem deus condidit in ſolatium. Sed poſtquã ad funeſtas epulas uentũ eſſet, altera mulier alteram exhortatur, Recipe, inquit, recipe miſerãda mater in uiſcera filium nu-
A per uiſceribus procreatum. Eſto tui nati ſepulchrum, eſto eius corporis diuerſorium. Eſto eius, ut ita dixerim, monumentum. Intra te paululum comeſtus infans redeat, qui præ fame uiuere iam iãq; non poterat. Materni ſinus qui uitalem intra ſe enutrierant, & nutritum in luce ꝓtulerant, particulatim ſibi redditum cognoſcant. Recipiat nunc comeſtum uterus, quem uiuum ediderat partus. Repetat habitaculum mortuus, unde nuper exierat uiuus, quoniam fames urget, neceſſitas cogit. Cur eẽ nato ſuperſtite moriar, & non magis natũ ego mater conſumã? Igitur cum hęc mulier comeſtum iam conſpiceret puerum, ſuum ab iſta clade ſubtrahit filium. Negat ſe facturam in proprio,
B quod cum matre fecerat in alieno. Sufficit, inqt, mihi, ſufficit tuo ſceleri mulier conſenſiſſe, ſufficit me funeſtas epulas deguſtaſſe, & innocentis carnibus mea uiſcera polluiſſe. Crudele enim tecum participaui cõſilium, ut nefandum exercerẽ de meo filio parricidiũ, quod tecum admiſi expiare non poſſum, nefandum ſcelus recuſare nõ ualeo. Eſto ſaltẽ reuelata in meo, quæ ſic grauaris in tuo. Deſine meo ſcelere, deſine tuo grauiore commiſſo. Vtinam nec tu faceres quod tu feciſti, nec ego ſcelus admitterẽ quod incurri, ut homicidiũ facerem, & parricidiũ perpetrarẽ. Ex me diſce qd feceris, quia & ego per te merui quod amiſerim. Quare iſtud quod cogis nõ facio, qd ſuades effugio, quod ingeris perhorreſco. Tũc ad regẽ altera alterã pertrahit, ad iudiciũ ducit, cauſam tanti
C ſceleris publicauit, quod enormitas facinoris publicare coegit. Tunc, inquã, ſceleratũ factum prodidit dolor, tunc immane facinus pietas perfida denudauit. Ardet inſana mulier, quia parricidium fecit, ardet quia filiũ ſuum deuorauit, ſed plus ardet quia in illa clade filium ſuũ alia non immolauit. Aut ego cum hac, inquit, moriar, aut certe ut hæc meũ, ita illius natũ inuadã. Pactũ noſtrũ iuſtitia iniqua rex iuſte confirma, quia ego nunquam meum natũ occiderem, niſi ſuum occidendũ amaro placito locauiſſet. Ergo domine rex, aut meum qui comeſtus eſt reddat, aut ſuum qui eſt abſconditus prodat. Certe ut dignum eſt utraſq; nos pari ſententia percute, ne aut ego poſt tantũ facinus ui
D uam, aut hęc ſeſe gaudeat nõ fuiſſe in ſuũ filiũ parricidam. Quo audito rex, ueſtimẽta conſcidit, uultum mutauit, & continuo propheta ad regẽ mandauit, Hæc dicit dñs, Hac hora craſtina die menſura ſimilaginis ſiclo emetur, & duæ menſuræ ordei ſiclo in porta Samariæ ementur. Nunciat propheta ſanctiſſimus ad regẽ cœlitus ubertatẽ, quã ſola fides crederet, & perfidia poſſe fieri denegaret. Nunciat in locũ famis futurã abundantiã ſimilaginis, nunciat ceſſaturã famẽ, ſucceſſuram ubertatẽ. Nunciat ſubito magnalia dei ſucceſſura uirtute altiſſimi, & addiť ꝓprio ſceleri perfidia hominis. Tunc homo qui miſſus fuerat à rege ait, Nec ſi cataractę cœli aperiant poſſunt fieri quę narrant. O perfidia hominis. Non credit promiſſam fieri ubertatẽ, qui horrendam ſenſerat egeſtatem. Nec

considerat deũ promisisse abundãtiam, qui populo irrogarat penuriam. Scelestissime homo cur mirabilibus non credis? Cur farra nõ accipis? Cur promittentẽ dominũ perhorrescis? Crede qd credentibus datur, crede populo futurũ, cuius te iam negauerís sociũ. Et quia bonis tantis indignus es, hæc tibi uidere concedit, & posse perfrui denegatur. Igitur dum hæc gerunt, auditũ fecit dominus in castris Syrię, ut populo promissam tribuerat ubertatem: quadrigarũ strepitus, & curuũ sonitus, & armatorũ tumultus inimicorũ auribus maluit resonare, ut posset iam suũ populũ liberare. Quo strepitu perculsi inimici fugiunt, sine pugna terga uertunt, utensilia relinquũt, & Israelitæ egressi ciuitatem, castra hostiũ inuadunt deprędantes. Reuertente ergo populo onerato, ille qui non crediderat cecidit lapsus, & ubertatem uidens in polo cecidit, pressus est.

V. Beda hunc præfert titul. Ser. de uerbis libri Salomonis: Sũt qui se diuites affectant, &c.

Dominica octaua, de eo quod scriptũ est, Sunt qui se diuites affectant nihil habentes. Et sunt qui se humiliant cum sint diuites, Redemptio animæ uiri diuitiæ eius, pauper aũt nõ suffert minas.

A SERMO CCXII

Sermo I

SANCTA scriptura quæ modo in auribus nostris lecta est admonuit nos, imò per illam deus qui iubet nobis loqui ad uos, quærere uobiscum & pertractare quid sit, & quid sibi uelit quod lectum est, Sunt qui se diuites affectant nihil habentes, & sunt qui se humiliant, cum sint diuites. Non em arbitrandũ est, neq; omnino credendũ, quod de istis diuitijs, quibus inflantur superbi, de uisibilibus istis dico atq; terrenis, curauerit scriptura sancta nos admonere, ut uel eas ꝓ magno habeamus, uel non habere timeamus. Quid em prodest homini, ait aliqs, qui se diuitem uideri affectat, cũ nihil habeat? Istum notauit scriptura atq; reprehendit. Sed nec ille ualde admirãdus aut imitãdus est, & pro magno optandus, quẽ uidet in laude posuisse, si temporales atq; terrenas diuitias intellexeris. Et sunt, inq̃t, qui se humiliãt, cum sint diuites. Ille recte displicet nobis, qui cum nihil habeat, se diuitem affectat. Quid? Iste placet nobis, qui cum sit diues humiliat se? Forte placet, quia humiliat se, non tamen placet, quia diues est. Accipiamus ergo & hoc. Non indecorum est nec inhonestũ, nec inutile qd scripturæ sanctæ nobis cõmendare uoluerũt humiles & diuites. Nihil em tam timendũ est in diuitijs quã superbia. Deniq;

Prou. 13

1. Tim. 6

Apost. Paulus hoc admonet Timotheum, Præcipe, inquit, diuitibus huius mundi, non superbe sapere. Nõ enim diuitias expauit, sed morbum diuitiarum. Morbus autem diuitiarũ, est superbia magna. Nam grãdis animus est, qui inter diuitias isto morbo non tentatur, Maior animus diuitijs suis, qui eas uincit non concupiscendo, sed cõtemnendo. Magnus est ergo diues, qui nõ se ideo magnũ putat quia diues est. Quia autem ideo se magnum putat, superbus & egenus est. In carne crepat, in corde mendicat, inflatus est, non plenus, Vtres aũt duos si uideas, unũ plenũ, alterum inflatum, in utroq; eadem est magnitudo, sed non in utroq; eadem plenitudo. Si attendis falleris, si appẽdis inuenies. Qui plenus est difficile mouetur, qui inflatus est cito aufertur. Præcipe ergo, inquit, diuitibus huius mundi. Non adderet, Huius mundi, nisi quia sunt diuites & non huius mundi. Qui sunt diuites non huius mũdi? Quorũ princeps & caput est ille, de quo dictũ est, Pauper pro nobis factus est, cũ esset diues. Sed si ille solus, quid pro fuit? Vide quid sequit, Vt illius paupertate uos ditaremini. Puto qa paupertas Christi non nobis attulit pecuniam, sed iustitiam. Paupertas aũt illius unde? Quia mortalis effectus est. Ergo diuitię uerę immortalitas. Ibi enim uera copia, ubi nulla indigentia. Quia ergo nos immortales fieri nõ possemus, nisi pro nobis Christus mortalis esset effectus, ideo pauper factus est cum esset diues: & nõ ait, pauper factus est cum diues fuisset: sed pauper factus est cum diues esset: paupertatẽ assumpsit, et diuitias non amisit. Intus diues, foris pauper. Latens deus in diuitijs, apparens homo in paupertate. Vide diuitias eius, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbũ. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt. Quid ditius eo, per quẽ facta sunt omia? Aurũ habere diues potest, creare nõ potest. Cum itaq; eius istæ diuitiæ cõmendatæ essent, uide paupertatem eius, Et uerbum caro factũ est, & habitauit in nobis. Hac eius sumus paupertate ditati qa in sanguine eius qui mãdauit de carne eius, quod uerbum caro factum est ut habitaret in nobis, cõscissus est saccus peccatorum nostrorũ. Per sanguinem illum abiecimus pãnos iniquitatis, ut indueremur stola immortalitatis. Omnes ergo diuites, boni fideles. Nemo se contemnat, pauper in cella, diues in conscientia. Diues quippe in conscientia securior dormit in terra, quàm diues in purpura. Ibi non excitat solicitudo maligna, compuncto corde de scelere. Serua diuitias in corde tuo, quas tibi contulit paupertas dñi tui. Imò ipsum adhibe tibi custodem, ne pereat de corde quod dedit, seruet ipse qui dedit. Omes ergo diuites boni fideles, sed non diuites huius mũdi. Deniq; diuitias suas nec ipsi sentiunt, sentient postea. Viuit radix, sed hyemis tẽpore etiã uiridis arbor aridæ similis est. Tẽpore quippe hyemis & arbor quæ aret, & arbor quæ uiget, utraq; nuda est honore foliorum, utraq; uacua honore frugũ, ueniet æstas, & discernet arbores. Viua radix folia producit, implet fructibus: arida inanis estate, sicut hyeme, remanebit. Itaq; illi horreũ præparatur, huic securis adhibet, ut amputata in ignẽ mittat. Sic æstas nostra Christi est aduentus, hyems nostra Christi occultatio, æstas nostra Christi reuelatio. Deniq; arboribus bonis & fidelibus hanc allocutionem

Col. 3

prębet Apostolus, Mortui em estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Certe mortui, sed mortui specie, uiui in radice, Attẽde aũt uenturum tempus æstatis, quomodo sequatur & dicat, Cum autem Christus apparuerit uita uestra, tũc & uos cum ipso apparebitis in gloria. Hi sunt diuites, sed non huius mũdi. Nec tamen & diuites mundi

mundi contẽpti sunt. Et ipsos lucratus est sua paupertate, qui cum diues esset, propter nos pauper effectus est. Nam si eos contempsisset, & in numero suorum habere noluisset, non Timotheo, sicut

1. Tim. 6

dicebam, Apostolus præcepisset, ut & ipse præciperet, Præcipe, inquit, diuitibus huius mundi non superbe sapere. Inter hos qui fide sunt diuites, sunt quidam diuites huius mundi, Præcipe illis, quia & ipsi membra illius pauperis facti sunt. Præcipe illis quid in illis timeas à diuitijs. Non superbe sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum. Inde enim superbit diues, quia sperat in incerto diuitiarum. Nam si incerta diuitiarum prudenter attenderet, nunq̃ superbiret, sed semper timeret. Quãto esset ditior, tanto fieret solicitior, & secundum hanc uitam, non solum secundũ illam. Multi enim in istis seculi perturbationibus securiores pauperes fuerũt, Multi aũt propter suas diuitias quæsiti & correpti sunt. Multi se habuisse planxerunt, qd semper habere minime potuerunt. Multos pœnituit consilium sui domini non recepisse, qui dixit,

Matt. 6

Nolite uobis thesauros condere in terra, ubi tinea & comestura exterminat, & ubi fures effodiunt et furantur, sed thesaurizate uobis thesaurum in cœlis. Non dico uobis ut perdatis, sed ut migretis. Multi enim hoc facere noluerunt, & non se obedisse doluerunt, quando non solum sua perdiderunt, sed propter illa & ipsi perierunt: Præcipe ergo diuitibus huius mundi non superbe sapere, & fiet in eis quod audiuimus in prouerbio Salomonis, Sũt qui se humiliãt cum sint diuites. Et secundum istas diuitias temporales fieri potest. Sit humilis, plus gaudeat quia Christianus est quàm qui diues est. Non inflet, non extollatur, attendat paupere fratrem, non dedignetur frater pauperis appellari. Quantumcunq; enim diues sit, ditior est Christus, qui fratres suos uoluit esse pro quibus sanguinem fudit. Tamen ne dicerent diuites non se habere quid faciãt de diuitijs suis, admonuit Timotheum ut etiam eos consilio regeret, non solum præcepto cohiberet: cum dixisset, Neq; sperare in incerto diuitiarum: ne se spem perdidisse arbitrarentur, subiecit, Sed in deum uiuum, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: Temporalia ad utendum, æterna ad fruendum. Sed de diuitijs suis quid faciant? Diuites sint, inquit, in operibus bonis, facile tribuant. Hoc prosint diuitiæ, ne sit tibi difficultas tribuendi. Vult enim pauper & nõ potest, uult diues & potest. Facile tribuant, cõmunicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futuro, ut apprehendant

Luce 16

ueram uitam. Nam ista uita falsa est. Huius uitæ falsitate deceptus ille in purpura & bysso, iacentem ulcerosum pauperem ante suam ianuam contemnebat. Sed ille linctus à canibus, thesaurum sibi æternum in Abrahæ gremio comparabat, & si non abundanti facultate, pia tamen & optima uoluntate. Ille aũt diues q sibi magnus uidebatur in purpura & bysso, mortuus & sepultus est in inferno. Et quid inuenit? Aeternam sitim, indeficientes flammas. Successit ignis purpuræ & bysso: ea tunica ardebat, qua se expoliare non poterat. Pro epulis ariditas ei erat & desiderium guttæ de digito pauperis, sicut illi micarũ de mensa diuitis indigentia fuit, Sed illius egestas præteriens, huius pœna permanens. Hoc attẽdãt diuites huius mundi, & non superbe sapiant. Facile tribuant, cõmunicent, thesaurizent sibi fundamentũ bonum in futuro, ubi sunt ueri diuites, sed non huius mundi, ut apprehendãt ueram uitam: forte ergo hoc admonuit scriptura, ubi ait: Sunt qui se diuites affectant nihil habentes, propter superbos pannosos. Si enim uix toleratur diues superbus, pauperem superbum quis ferat? Meliores sunt ergo illi qui se humiliant cum sint diuites. Verũtamen de alijs diuitijs se dicere scriptura testatur, secuta enim adiũxit, Redemptio animę uiri diuitiæ eius, pauper autem non suffert minas. Intelligere debemus ex alia nescio qua paupertate pauperem, & ex alijs nescio quibus diuitijs diuitem. Altius enim diuites in corde, diuites pleni fortitudine, opimi pietate, abundantes charitate, secum sunt diuites, interiores sunt diuites. Sunt autem qui se diuites affectant cum sint pauperes, iusti sibi uidentur, cum sint impij. Diuitias quippe illas intelligere debemus, quoniam aperuit scriptura quid dixerit, Redemptio animæ uiri diuitiæ ipsius. Intellige, inquit, quas tibi diuitias cõmendem, quoniam dixi, Sunt qui se diuites affectant, nihil habentes: & sunt qui se humiliant, cum sint diuites, illas tẽporales & terrenas & uisibiles diuitias cogitabas. Ego autem nõ ipsas dico, sed quas dicam consequenter admoneo. Redemptio animæ uiri, diuitiæ ipsius sunt. Ergo qui non habent animæ redemptionẽ, quia iniqui sunt & iustos se uideri affectant, quia hypocritæ sunt, ipsi sunt de quibus ait: Sũt q se diuites affectant, nihil habẽtes, iustos se uolunt uideri, cum in cella conscientiæ non habeant aurum iustitiæ. Et sunt pleni, tanto humiliores, quanto ditiores, de quib. dictũ est, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cœlorũ. Quid ergo quæris diuitias, quæ oculis humanis & carneis blandiuntur? Lucet aurum, sed plus lucet fides. Elige quid habere in corde debeas. Intus plenus esto, ubi diuitias tuas deus uidet, homo non uidet. Nec tamen quia homo non uidet, ideo debes contemnere quod intus habes. Vis uidere, quia & oculis iniquorum plus lucet fides quã aurum? Quomodo laudat etiam auarus dominus seruum fidelem? Nihil illo dicit esse preciosius, imò eum omnino preciũ non habere testat. Habeo seruum, inquit, non habet preciũ. Expectas tu unde? Forte bene saltat, aut optimus coquus est. Non. Attende interiorem laudem. Nihil, inq̃t, fidelius: Placet tibi homo seruus tuus fidelis, & tu non uis esse deo seruus fidelis? Attendis, quia habes seruum, attende qa habes & dominũ. Seruũ tuũ potuisti cõparare, non creare. Dominus tuus & uerbo suo creauit te, & sanguine suo redemit te. Si uiluisti tibi, recole preciũ: si hoc oblitus es, lege Euangelium, instrumentum tuũ. Fidem amas in seruo tuo, & dominus tuus non quærit eam in suo?

Prou. 13

Matt. 5

Redde quod exigis. Quod tibi gaudes reddi ab inferiore, redde superiori. Amas seruum qui fideli A ter custodit aurum tuũ, noli contemnere dominũ, qui misericorditer custodit cor tuum. Omnes ergo habẽt oculos ad laudandam fidem, sed quãdo illam exigunt reddi sibi. Nam quando ab eis exigitur, claudunt oculos, nolũt eam uidere quã pulchra sit. Aut forte stulta insania propterea nolunt reddere ne perdant, quomodo timet quis reddere pecuniam, cum reddiderit eam, non habebit. Non sic redditur fides, & reddit̃ & habetur. Mirum dictu, imò si non redditur, non habetur. Redemptio animæ uiri, diuitiæ ipsius. Merito illi uanissimo diuiti insultauit deus, ut admoneret nos ne talia imitaremur. Cui regio fructuosa succedens, turbauit hominem copia plus q̃ inopia. Co
Lucæ 12 gitauit enim apud se, dicens, Quid faciã, quo con- B gregem fructus meos? Et cum æstuasset arctatus, tandem sibi uisus est consiliũ inuenisse. Sed uanũ consiliũ. Hoc em̃ consiliũ non inuenit prudentia, sed auaritia. Destruã, inq̃t, ueteres apothecas minores, & nouas faciam ampliores, et implebo eas, & dicã animæ meæ, Anima, habes multa bona, satiare, iocũdare. Ait illi: Stulte in quo tibi sapiẽs uideris? Stulte quid dixisti? Dico animæ meæ, Habes multa bona, satiare. Hac nocte auferetur à te
Matth. 16 anima tua, hæc quæ parasti cuius erunt? Quid enim prodest homini si totũ mundum lucretur, animæ aũt suæ detrimentũ patiatur? Idem redemptio animæ uiri, diuitiæ eius. Has ille uanus & stultus diuitias non habebat. Animam quippe suam elee mosynis non redimebat, fructus perituros conde C bat. Recondebat, inquã, perituros fructus perituros, nihil largiens dño ad quem fuerat exiturus. Quã frontẽ habiturus erit in illo iudicio, cum au-
Matt. 25 dire cœperit, Esuriui em̃, & non dedistis mihi mãducare? Animã em̃ suam superfluis & nimijs epulis satiare cupiebat, pauperum tot inanes uentres superbissimus contemnebat. Nesciebat pauperũ uentres apothecis suis esse tutiores. Quod enim recondebat in illis apothecis suis, fortassis & à furibus auferebatur. Si aũt reconderet in pauperum uentribus, in terram quidem digerebatur, sed in cœlo tutius seruabatur. Ergo redemptio animæ
Prou. 13 uiri, diuitiæ ipsius. Et quod sequitur, Pauper autẽ non suffert minas. Pauper scilicet inanis iustitia, D non habens intus spiritus plenitudinem, ornamẽta spiritalia, suppellectilẽ spiritalem, totũq̃ illud quod oculis non uidetur, sed mẽte plus cernitur. Non habens hæc intus, non suffert minas. Quando ei dictum fuerit ab aliquo potente, dic hoc uerbum contra inimicum meum, dic falsum testimonium, ut ego quem uolo opprimam & domem, forte tentat. Non facio, non mihi adduco peccatum. Tantũ negat, quousq̃ diues minari incipiat. Sed quia pauper est non suffert minas. Quid est, pauper est? Non habet diuitias interiores quas martyres habuerunt, qui pro ueritate ac fide Christi omnes minas seculi contempserunt. Nihil de corde perdiderunt, in cœlo quantũ inuenerunt? Pauper ergo non suffert minas. Non potest dicere diuiti cogenti se ad alicuius iniuriam, aut falsum testimonium, non facio: non habet intus unde respondeat, non est thesauro interiore solidatus & plenus: non est qui dicat, quia non habet unde dicat: non est qui dicat, Quid mihi facturus es qui minaris? Vt multũ, ablaturus quod habeo. Tollis quod relicturus sum. Tollis, quod & si non tollas, dum uiuo forsitan perditurus sum. De arca interiore nihil perdo. Cum mihi minaris auferre quod habeo, uere uis auferre quod intus habeo. Sed illud potes auferre & habere: Fidẽ si minando abstuleris, & ego perdo, & tu non habebis. Non ergo facio quod hortaris, non curo quod minaris. Sed potes sæuiendo etiam de patria me pellere. Nocuisti si illuc me expuleris, ubi deũ meum inuenire nõ possum. Forte ualebis etiã occidere. Ruẽte carnali domino, incolumis habitator abscedo, et ad illum cui seruo fidem securus exibo, et te amplius non timebo. Vide enim quid minaris, ut falsum testimonium dicam, mortẽ minaris, sed corporis. Plus ego eum timeo, qui dixit, Os quod 14.1
mentit̃, occidit animam. His diuitijs intus plenus & opimus, talia minanti uel meliora respondet. Pauper aũt non suffert minas. Simus ergo diuites, & timeamus esse pauperes. Quæramus ergo impleri cor nostrũ diuitijs ab illo qui uere diues est. Et si forte unusquisq̃ uestrũ intrat in cor suum, & illic diuitias istas non inuenit, pulset ad diuitem. Fiat ante ianuam diuitis illius pius mẽdicus, ut sit illo donante diues impletus. Et uere fratres mei paupertatem nostram, egestatem nostram debe-
mus domino deo nostra confiteri. Hanc confite- Luc. 18
batur publicanus, qui nec oculos ad cœlum audebat leuare. Non enim habebat cum qua substantia leuaret oculos suos homo peccator. Attendebat ad inanitatem suam, sed plenitudinem domini cognoscebat, nouerat se uenire ad fontẽ sitientem: Aridas fauces ostendebat, pie ubera implenda pulsabat, Domine, inquit tundens pectus, oculos deijciẽs in terram, propitius esto mihi peccatori. Dico ego, q̃a iam ex aliqua parte diues erat, cũ ista cogitabat & petebat. Nam si adhuc omnino pauper erat, huius confessionis gemmas unde proferebat? Sed tamen abũdantior & plenior de templo descendit iustificatus. Ille autem Pharisæus ad orationem ascendit, & nihil rogauit. Ascen derunt, inquit, ad templum adorare. Iste rogat, ille non rogat. Sed ille unde orat? Sunt qui se diuites putant nihil habentes. Domine, inq̃t, gratias tibi ago q̃a non sum sicut cæteri homines, iniusti, raptores, adulteri, sicut etiã hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omniũ quæ possideo. Iactauit se, sed inflatio est ista, non plenitudo. Diuitem se putauit nihil habens, pauperem se ille cognoscit iam aliq̃d habens. Vt nihil aliud dicã, habebat ipsam confessionis pietatẽ. Et descenderũt ambo. Sed iustificatus, inquit, publicanus ille magis q̃ ille pharisæus, Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

Item in eadem dominica, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Matthæum, Atten-

Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos, &c. quæ habetur in lib. II. de sermone domini in A monte, cap. XXVII. & XXVIII. Et inter sermones de Verbis domini. XII.

Dominica nona, De timore domini & uera humilitate, Sermo I

SERMO CXIII D AVID Propheta & psalmista, qui teste scripta secundum cor dei electus fecit omnes uoluntates eius: ipse fratres charissimi quid creator noster in his appetat & diligat
Psal. 112 quodam loco ostendit, ita dicens, Quis sicut dominus deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Si ergo dominus altissimus cuius excellentiæ & magnitudinis non est finis, in omni creatura sua, & ea quæ in superis, & ea quæ in infimis est constituta, in angelis B uidelicet & in hominibus humilitatem considerat & probat: quantum necesse est nobis humilitati semper studere, ipsamq̃ in omnibus conseruare, ut sic placeamus conditori nostro? Quanta autem sit ueræ humilitatis uirtus, facile ex uerbis domini agnoscitur, qui ut superbiam pharisæorum
Luc. 14. 18 damnaret, dixit: Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabit̃. Humilitatis quippe passibus ad cœli culmina cõscenditur, quia deus excelsus non superbia sed humilitate attingi-
Iacob. 4 tur: de quo dictum est, Deus superbis resistit, hu-
Psal. 137 milibus autẽm dat gratiam: unde & in Psalmis dicitur: Excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Alta posuit pro superbis. Humilia uero respicit ut attollat: alta, id est, super- C ba cognoscit ut deijciat. Discamus humilitatẽ per quam deo propinquare poterimus: sicut ipse in
Matt. 11 Euangelio ait: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Per superbiam mirabilis angelorum creatura cecidit de cœlo, per humilitatẽ dei fragilitas humanæ naturæ ascendit in cœlum. Honesta est em̃ inter homines humilitatis consuetudo, sicut Salo
Prou. 11. mon ait: Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autem humilitas, ibi & sapientia, item alius
Eccl. 3 sapiens, Quanto, inquit, maior es, tanta humilia te in omibus, & coram deo inuenies gratiã: itẽ deus
Isa. 66 per prophetam ait: Ad quem autem respiciam, nisi ad humilem & quietũ & tremẽtem uerba mea? Quicunq̃ humilis & quietus non fuerit, non potest in eo habitare gratia spiritussancti. Deus humilis factus est nostræ salutis causa, erubescat homo superbus esse. Quãtum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelso. Qui enim humilis erit, exaltabitur in gloria. Primus humilitatis gradus est, ueritatis sermonem humiliter audire, memoriter retinere, uoluntarie perficere. Eã quippe quam non inuenerit humilem, ueritas fugit mentem. Quanto qius humilior erit de seipso, tanto maior erit in conspectu dei. Superbus uero quãto gloriosior apparet inter homines, tãto deiectior erit ante deũ. Qui em̃ sine humilitate bona
Eccl. 10 opera agit, in uentum puluerem portat: item scriptura dicit: Quid superbit terra & cinis, dum uento superbiæ dispergitur, quod ieiunijs & eleemosynis congregare uidetur? Noli ò homo in uirtutibus gloriari tuis, quia alterum habiturus eris iudicem, non teipsum. In cuius conspectu teipsum in corde studeas humiliare, quatenus ille te exaltet in tẽpore retributiõis suæ. Descẽde ut ascẽdas, humiliare ut exalteris, ne exaltatus humilieris. Qui em̃ sibi uilis uidet̃ esse, ante deũ pulcher est. Qui sibi displicent, deo placent. Esto igitur paruus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis dei. Tanto em̃ eris apud deũ preciosior, quanto fueris ante oculos tuos despectior. In summo honore summa tibi sit humilitas. Honoris laus est, humilitatis uirtus. Sed hãc ueræ humilitatis uirtutẽ nemo sine timore dei habere potest, quia eorum neuter sine altero esse potest. Quid autem timor dei efficiat, fratres audite, Initium sapientiæ timor domini. Magna est cautela peccati, dei semper præsentiam timere. Qui perfecte deum timet, diligẽter se à peccatis custodit. Timenti deum in nouissimo die bene erit, & merces eius in æternum permanet. Qui erubescit in conspectu hominis peccare, quanto magis dignũ est q̃ erubescat in conspectu dei iniquitatẽ agere, qui non solũ opera, sed & corda cõsiderat? Qui timore sancto deum metuunt, inquirunt quæ beneplacita sunt illi. Alius est timor filiorum, alius est timor seruorum. Serui enim propter tormenta dominos timent, filij uero propter amorem patris timẽt. Si filij dei sumus, timeamus eum ex charitatis dulcedine, non de timoris amaritudine. Homo sapiens in omnibus deum metuit operibus suis, sciẽs se eius nunquã præsentiam effugere posse, sicut Psalmista deo dicit, Quò ibo à Psal. 138
spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Item, Quia neq̃ ab Oriente neq̃ ab Occidente, subauditur, patet locus fugienti deum. Qui timet dominũ accipiet doctrinam eius, & qui uigilauerit in mandatis eius, inueniet benedictionẽ sempiternam. Timentis deum beata est anima, & à tentatione diabolica tuta remanet. Beatus homo qui semper est pauidus, & cui donatũ est dei timorem semper ante oculos habere. Qui timet dominum recedit ab itinere prauo, & ad uirtutũ semitã uias suas dirigit. Timor dei repellit peccata, & adijcit uirtutes. Timor cautũ facit hominem & solicitum, ne peccet. Vbi uero timor dei non est, ibi dissolutio uitæ D est. Qui deum in prosperis non timet, timeat uel in aduersis, refugiat ad illum qui flagellat & sanat. Beatus uir qui timet dominum, in mandatis eius cupit nimis. Timor dei timorẽ expellit gehennæ, quia facit hominem peccatum cauere, & iustitiæ opera augere. Post hæc ad illũ peruenient timorẽ, qui dicit̃ sanctus, & permanet in seculũ seculi, q̃a est in dilectione. Sic ergo fratres timeamus deum, ut diligamus eũ, quia perfecta charitas foras mittit timorem seruilem, atq̃ ita abundantiam habere possumus securitatis & plenitudinẽ omniũ bo-
norũ: unde & Propheta ait, Timete dñm omnes Psal. 33
sancti eius, quoniã nihil deest timentibus eũ. Diuites egerunt & esurierũt, inquirentes aũt dominum nõ minuent̃ omni bono. Quapropter obsecro uos dilectissimi, ut timorẽ dei semp ante men

tis uestræ oculos habeatis, & obliuionem præceptorum dei omnino fugiatis, illudq; sedulo cogitetis, qualiter timentes deũ, & mandatis eius obedientes, ad uitã uadunt perpetuã, contemnentes uero & præcepta eius spernentes in pœnã ibunt æternam: humilitatemq; ueram in corde uestro in tus habeatis, sicq; eam non ficte moribus coram proximis uestris insinuetis, ut & ipsi bonis exemplis uestris instructi glorificent deum, & uobiscũ æternã in cœlis studeant percipere remunerationem, præstante domino nostro Iesu Christo, qui uiuit & regnat, &c.

In eadem dominica, De timore domini,

SERMO CCXIIII

Sermo II

NON dubito dilectissimi fratres insitum esse cordibus uestris timorem dei, quo ad ueram & solidam fortitudinem perducamini. Cum enim fortis ille dicatur qui neminem timet, peruerse fortis est qui primo deum nõ uult timere, ut timendo audiat, audiendo diligat, & diligendo non timeat. Tunc erit uere fortissimus, non superba duritia, sed cura iustitię: sic etiã scriptum est, Timor domini, spes fortitudinis. Cũ enim timetur pœna quam minatur, discitur amari præmiũ quod pollicetur, ac sic per timorem pœnæ bona uita retinetur. Per bonã uitam bona conscientia cõparatur, ut per bonã conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non uult timere. Discat ad tempus esse solicitus, qui semper uult esse securus: ut enim dixit Ioan-
1.Io.4.4 nes, Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Dixit sanè & ueraciter dixit. Si ergo habere non uis timorem, prius uide utrũ iam perfectam habeas charitatem quæ foras mittit timorem. Si uero ante istam perfectionem timor excluditur, superbia inflat, charitas ædificat. Nam sicut in bona ualetudine fames non fastidio, sed cibo pellitur: ita in bona mente timor non uanitate, sed charitate pellendus est. Discute itaq; conscientiam tuam, quisquis timere iam non uis. Noli superficiem compalpare, descende in te, penetra interiora cordis tui. Rimare diligenter, utrum nulla ibi uena uenenata tabificum amorem seculi sugat & sorbeat, utrũ nulla carnalis uoluptatis mouearis & capiaris illecebra, nulla inani iactantia tumidus extollaris, nulla cura uanitatis exæstues, si iam iniquitatis diligentia non fatigat, utrum æquitatis negligẽtia nulla surrepat. Si hæc ita sunt, recte gaudes esse te sine timore. Excluserit eum charitas dei quem diligis ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente tua: excluserit eum & charitas proximi, quẽ diligis tanq; teipsum. Et ideo pro illo satagis, ut etiam ipse tecum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mẽte diligat deum, quia non aliter recte diligis & teipsum, nisi quia sic diligis deum, ut nõ propterea minus eum diligas, quia conuerteris uel ad teipsum. Si autem quãuis intra teipsum nulla irritaris cupiditate, qd quidẽ de se quis audeat gloriari, tamen si teipsum in teipso diligis, & de teipso tibi places, hoc ipsum uehementius timere debes, quia nihil times

A Non enim quacunq; dilectione foras mittendus est timor, sed recta dilectione qua tota diligimus deum, & propterea proximum, ut sic & ipse diligat deum. Se autem in se diligere, & sibi placere non est iustitiæ charitas, sed superbiæ uanitas. Ac per hoc Apostolus iusta reprehensione perculsit seipsos amantes & sibi placentes. Perfecta ergo charitas foras mittit timorem. Sed ea dicenda est charitas quæ est uilitas. Quid autem uilius quã homo sine deo? Ecce quid amat qui seipsum non Prou.13
in deo, sed in seipso amat? Recte huic dicitur, Noli altum sapere, sed time. Qui enim altũ sapit & ideo non timet, utiq; perniciose non timet. Neq; enim mitis & pius est, qui seipsum in seipso amat & laudat, sed elatus & ferox, non nouit dicere, In
B deo laudabitur anima mea, audiant mites & lętentur. Quid eũ boni amat, qui forte hocipsum propter hocipsum amat nihil timere. Potest enim hoc sibi persuadere, non sanitate sed immanitate: uerbi gratia, Est aliquis audacissimus latro, quanto peruerse fortior, tanto periculose crudelior. Qui propter ipsum amorẽ suum quo amat nihil timere, ingentia facinora molíatur, ut quod amat exerceat, & exercendo corroboret: quanto eius fuerint maiora cõmissa, tanto maior erit non timentis audacia. Nõ hoc ergo pro magno bono amandum est, quod & in homine pessimo inueniri potest. Quapropter timeat Christianus antequã perfecta charitas foras mittat timorem: credat et intelligat se peregrinari à domino, quandiu uiuit in
C corpore quod corrumpitur & aggrauat animam. Tanto minor fit timor, quanto patria quò tendimus propior. Maior enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullius peruenientium. Sic & timor perducit ad charitatẽ, & perfecta charitas foras mittit timorem. Timeat autem Christianus non eos qui corpus occidũt et postea non habent quid faciant, sed eum qui habet potestatem & corpus & animam in gehennã ignis occidere. Est autem alius timor domini castus permanens in seculum seculi. Non ergo eum perfecta charitas foras mittit, alioquin non permaneret in seculum seculi: nec frustra cum dictũ esset, Timor domini, additum est, castus, atque ita coniunctum est, permanens in seculũ seculi. Quare,
D nisi quia ille timor, quem foras charitas mittit, propterea pungit animam ne admittatur aliquid quod in creatura diligitur, uel ipsa salus & requies corporalis, aut aliquid tale post mortem? Proptera enim timentur & apud inferos pœnæ & dolores ac tormenta gehennarum. Cum uero cauet animam ne deus illã desertus deserat, timor est castus permanens in seculum seculi. De quo latius dicerem, nisi sermo iam longior & meis senilibus uiribus, & uestræ fortasse satietati parcere cogeret.

Item in eadem dominica, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Lucam, Quidam homo erat diues qui habebat uillicum, & cætera, qui habetur inter sermones de Verbis domini XXXV.

Domi

Dominica decima, de Christiano nomine,

Sermo I

A OGO uos fratres charissimi ut attentius
M.CCXV R cogitemus quare Christiani sumus, & crucem Christi in frõte portamus. Scire eũ debemus quia non nobis sufficit q̃ nomen Christianum accepimus si opera Christiana nõ fecerimus, sicut ipse dominus in Euangelio dixit, Quid prodest quòd dicitis mihi, Domine domine, & non facitis quæ dico? Si te militem Christianum dicas, & iugiter cruce Christi te signes, & eleemosynam secundum uires tuas nõ feceris, charitatem & iustitiam uel castitatem habere noluerís, nihil tibi prodesse poterit Christianum nomẽ. Magna res est signum Christi & crux Christi, & ideo de isto tam precioso signaculo res magna & B preciosa signari debet. Quid enim prodest si de anulo aureo sigillum facias, & putridas paleas intus recondas. Quid prodest si signum Christi in fronte & in ore gestamus, & intus in anima crimina & peccata recondimus? Qui enim male cogitat, male loquitur, male operatur: si se emendare noluerit, quando se signat, peccatum illius nõ minuitur sed augeẽ. Multi enim dum ad furtum aut ad adulterium uadunt, si pedẽ impegerint signant se, & tamen de malo opere non reuocant se, & nesciunt miseri quia includunt in se magis dæmones quàm excludunt. Qui autem à se cum dei adiutorio uitia & peccata repellit, & quod bonum est co
gitare simul & implere contenderit, iuste signum crucis labijs suis apponit, quia talia opera conatur agere quæ signum Christi mereantur accipe-
1.Cor.4 re: & quia scriptum est, Regnum dei non est in ser
Iac.1 mone sed in uirtute: & iterum, Fides sine operibus mortua est, ut nomen Christianum non ad iudicium sed ad remedium habeamus, cõuertamus nos ad opera bona dum in nostra sunt potestate remedia. Et ut hæc deo auxiliante possitis implere, pacem & ipsi habete, & eos qui discordes sunt ad cõcordiam reuocate. Mendacium fugite, periurium uelut mortem perpetuam nolite facere. Ante omnia sicut iam supra dictum est, secundum uires eleemosynam pauperib. exhibete, oblationes quæ in altario consecrentur offerte. Erubescere debet homo idoneus si de aliena oblatione communicauerit. Qui possunt aut cereolos aut oleum quod in
C cicindelibus mittatur exhibeant. Symbolum uel orationem dominicam & ipsi tenete, & filijs uestris ostendite. Nam nescio qua fronte se Christianum dicat, qui paucos uersus in symbolo uel in oratione dominica parare dissimulat. Filios quos in baptismo excipitis, scitote uos fideiussores pro ipsis apud deum extitisse. Et ideo tam illos qui de uobis nati sunt, quàm illos quos de fonte excipitis semper castigate atque corrigite, ut caste & iuste & sobrie uiuant. Et uosipsi ita agite, ut si uos filij uestri imitari uoluerint, non uobiscum in igne ardeant, sed simul uobiscũ ad præmia æterna perueniant. Qui causas audiunt iuste iudicent, nec munera super innocentes accipiant, quia munera excæcant corda sapientium, & immutãt uerba iustorum, ne forte dum acquirunt pecuniam perdãt animam suã. Nemo eũ habet iniustum lucrum sine iusto damno. Vbi lucrum ibi & damnũ. Lucrũ in arca, damnũ in conscientia. Nullus se inebriet, nemo in conuiuio suo cogat alium amplius bibere q̃ oportet, ne per ebrietatẽ & suam & illius animam perdat. Omni die dominico ad Ecclesiã conuenite. Si enim infelices Iudæi tanta deuotione celebrant sabbatum, ut in eo nulla opera terrena exerceant: quanto magis Christiani in die dominico soli deo uacare, & pro animæ suę salute debent ad ecclesiam conuenire? Quando ad Ecclesiã conuenitis, p peccatis uestris orate. Nolite rixas cõmittere, nolite lites & scandala concitare. Qui ad ecclesiam ueniens hæc fecerit, ibi se litigando uulnerat, ubi se orãdo sanare potuerat. In ecclesia stãtes
B nolite uerbosari, sed lectiones diuinas patiẽter audite, Qui enim in ecclesia uerbosari uoluerit, & p se & pro alijs redditurus est rationem, dũ uerbum dei nec ipse audit nec alios audire permittit. Et decimas de fructib. uestris ecclesijs reddite. Qui fuit superbus sit humilis, qui erat adulter sit castus, qui solebat furtum facere, uel res alienas inuadere, etiam de propria substantia incipiat pauperibus erogare. Qui fuit inuidus sit beneuolus. Qui fecit iniuriam, cito ueniam petat. Cui iniuria facta est, cito dimittat. Quotiens aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut il
lud quod scriptum est impleatur in eo, Infirmatur Iac.5
C aliquis, inducat presbyteros & orent super eũ ungentes eum oleo, & oratio fidei saluabit infirmũ, & alleuiabit eum dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatẽ recipere, & peccatorũ indulgentiam merebitur obtinere. Cum ergo duplicia bona possint in Ecclesia inuenirí, quare per pręcantatores, per fontes & arbores & diabolica phylacteria, per characteres & aruspices & diuinos uel sortilegos multiplicia sibi mala miseri homines conanẽ inferre? Sicut iã supra diximus filios & omnes familias uestras admonete fratres semper, ut caste & iuste ac salubriter uiuãt. Nec solũ eos uerbis, sed etiã exemplis ad bona opera prouocate. Ante omnia ubicunq; fue
D ritis, siue in domo, siue in itinere, siue in conuiuio, siue in cõsessu, uerba turpia & luxuriosa nolite ex ore uestro proferre, sed magis uicinos & proximos uestros iugiter admonete, ut semper q̃d bonum est & honestũ loqui studeãt, ne forte detrahẽdo, male loquẽdo & in sanctis festiuitatibus choros ducendo, cãtica luxuriosa & turpia proferẽdo de lingua sua, unde debuerant deum laudare, inde sibi uulnera uideantur infligere. Isti eũ infelices & miseri homines qui balationes & saltationes ante ipsas basilicas sanctorũ exercere nec metuunt nec erubescũt: & si Christiani ad ecclesiam uenerint, Pagani de ecclesia reuertuntur, quia ista cõsuetudo balandi de Paganorũ obseruatione remãsit. Et iam uidete qualis est ille Christianus qui ad ecclesiam uenit orare, & neglecta oratiõe, sacri

lega uerba Paganorum non erubescit ex ore proferre. Videte tamen fratres charissimi, si iustum est
A ut ex ore Christianorum ubi corpus Christi ingredit, luxuriosum canticum quasi uenenum diaboli proferat? Ante omnia quicquid uultis uobis ab alijs fieri, hoc alijs facite. Quod uobis ab alijs non uultis fieri, nulli alij feceritis. Quam rem si uolueritis implere, ab omni peccato potestis uestras animas liberare: quia & qui literas non nouit, istas duas sententias memoriter teneat, & cum dei adiutorio operibus & potest & debet implere. Et licet credam quòd illa infelix consuetudo quæ de Paganorum prophana obseruatione remãsit, iam nobis castigantibus & de locis istis fuerit deo inspirante sublata, tamẽ si adhuc agnoscatis aliquos illam sordidissimam turpitudinem de hinnicula
B uel ceruula exercere, ita durissime castigate ut eos pœniteat rem sacrilegam commisisse. Et si quando luna obscurat adhuc aliquos clamare cognoscitis, & ipsos admonete denunciantes eis quod graue sibi peccatum faciunt, quãdo lunã quæ deo iubente certis temporibus obscuratur, clamorib. suis à maleficijs sacrilego ausu se defensare posse confidunt. Et si adhuc uidetis aliquos, ad fontes, aut ad arbores uota reddere, & sicut iam dictum est, sortilegos etiam & diuinos uel præcantatores inquirere, phylacteria etiam diabolica & characteres aut herbas uel succos sibi aut suis appendere, durissime tanta eorum peccata increpantes dicite, quia quicunq; fecerit hoc malum, perdit baptismi sacramentum. Et quia audiuimus quòd aliquos uiros uel mulieres ita diabolus circumueniat, ut quinta feria nec uiri opera faciant, nec mulieres lanificium, coram deo & sanctis angelis eius contestamur, quia quicunque hoc obseruare uoluerint, nisi per prolixam & duram pœnitentiam tale sacrilegium emẽdauerint, ubi arsurus est diabolus, ibi & ipsi damnandi sunt. Isti enim infelices & miseri, qui in honore Iouis in quinta feria opera non faciunt, nõ dubito quòd ipsa opera die dominico facere nec erubescunt nec metuunt. Et ideo quoscunq; tales esse cognoueritis, durissime castigate, Et si se emendare noluerint, nec ad colloquium nec ad conuiuiũ uestrum eos uenire permittite. Si uero ad uos pertinent, etiam flagellis cędite, ut uel plagam corporis timeãt, qui de animæ suæ salute non cogitant. Nos enim fratres charissimi cogitantes periculum uestrum, paterna uos solicitudine admonemus. Si nos libenter auditis & nobis facietis gaudium, & uos feliciter peruenietis ad regnum. Quod ipse præstare dignetur, qui cum patre & spiritusancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

In eadem dominica. De Christiano nomine.

Sermo II

Ser. CCXVI
G AVDEAMVS fratres charissimi, & deo gratias agamus, quia secundũ desiderią nostra uos incolumes inuenire meruimus. Et uere fratres, iuste & merito pater gaudet quotiens filios suos & corpore sanos, & in dei timore deuotos inuenerit. Et quia tam de uestra quàm de nostra salute duplicatum nobis gau-
A dium nunc pietas diuina concessit, quod ad profectum animarum uestrarum pertinet, debemus charitati uestræ suggerere. Oportet fratres charissimi ut tota mentis intentione inquirere uel intelligere studeamus quare Christiani sumus, & quare crucem Christi in fronte portamus. Agnoscite & intelligite fratres, quòd non ideo Christiani facti sumus ut de ista tantum uita soliciti simus: sicut enim dicit Apostolus, Si enim in hac
1. Cor. 15 uita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Qui enim non cogitat nisi de ista tantũmodo uita, animalibus & pecoribus similis est. Quid enim quærunt animalia, nisi manducare, bibere, luxuriari, & dormire?
B Tales sunt qui plus cogitãt de carne sua quàm de anima, qui plus diligũt gulam ac luxuriam quàm castitatem atq; iustitiam. Scire debetis fratres charissimi, quoniam ideo Christiani facti sumus, ut semper de futuro seculo, & de æterno præmio cogitemus: & plus pro anima quàm pro corpore laboremus: quoniam caro nostra paucis annis erit in mundo, anima aũt nostra, si bene agimus, sine fine regnabit in cœlo. Si uero, quod deus nõ patiatur, mala opera exerceamus, & plus pro carnis luxuria quàm pro salute animæ laboremus, timeo ne quando boni Christiani cum angelis accipiuntur in uitã æternam, nos quod absit præcipitemur in gehennã. Non nobis sufficit fratres quòd Christianum nomen accepimus, si bona opera non fe-
C cerimus Christiana. Illi enim prodest quòd Christianus dicitur, qui castitatẽ diligit, ebrietatem fugit, superbiam detestatur, inuidiã uelut uenenum diaboli respuit. Ille uere Christianus est qui furtũ non facit, qui falsum testimoniũ non dicit, qui nec mentitur nec periurat, qui adulteriũ nõ committit, qui ad ecclesiam frequentius uenit, qui de fructibus suis non gustat nisi prius ex ipsis deo aliquid offerat, qui decimas annis singulis erogãdas pauperibus reddit, qui sacerdotibus suis amorem impendit, qui omnes homines sicut seipsum diligit, qui nullum hominem odio habet. Ille uero non solum Christianus est, sed ipse Christus in illo habitat: qui stateras dolosas & mensuras duplices ue
D lut gladium diaboli pertimescit. Ille bonus Christianus est, qui quando ad ecclesiam uenit, & oblationem quæ in altario mittatur exhibet, & pauperibus secundum quòd uires habet argentum porrigit aut buccellam: qui peregrinos in domũ suam excipit: qui hospitibus pedes lauat: qui non solum lites non concitat, sed etiam discordes ad concordiam reuocat: qui maioribus & parentibus honorem & amorem ueræ charitatis impendit: qui & ipse caste uiuit, & filios uel uicinos suos ut caste & sobrie uiuant, & uerbis admonet, & exemplis docet. Ille bonus Christianus est, qui quoties sanctæ solẽnitates ueniunt, ut securius communicet, ante plures dies castitatem cum propria uxore custodit, ut syncera & secura cõscientia ad altare domini casto corpore & mundo corde præsumat accedere. Qui symbolũ & orationem dominicã memoriter

moriter tenet, & filios uel filias suas ut ipsi teneant fideliter docet. Ecce audistis fratres quales sint
A Christiani boni. Et ideo quantum possumus cum dei adiutorio laboremus ut nomen Christianum non sit falsum in nobis, nec in nobis Christi sacramenta patiantur iniuriam, sed semper opera Christiana & cogitemus in corde & impleamus in opere. Nam ille Christianus qualis est, qui uix aliquando ad ecclesiam uenit: & quando uenerit nõ stat ut oret pro peccatis suis, sed ut causas dicat, aut lites & rixas concitet: & si locum inuenerit usque ad uomitum bibit, & postquam se inebriauerit surgit quasi phreneticus & insanus diabolico more balare & saltare, & incipit uerba turpia & amatoria uel luxuriosa cantare. Iste talis non du-
B bitat furtum facere, adulterium non timet admittere, falsum testimonium dicere, maledicere, periurare. Siue uiri siue mulieres qui talia opera faciunt, non ad remedium, sed ad iudicium, Christianum nomen & baptismi sacramenta suscipiũt, & nisi pœnitentiam egerint, in æternum peribunt. Ecce fratres ostendimus uobis quales sint Christiani boni, & quales sint mali. Et ideo quos bonos uidetis, imitamini: quos uero malos esse cognoscitis, castigate semper, increpate, corrigite, ut de profectu uestro & de illorum perfectione duplicem mercedem habere possitis. Qui ergo boni sunt, casti, sobrij, humiles & benigni, deo auxiliante perseuerent in operibus suis bonis. Qui uero opera mala faciunt, cito se corrigant antequam illorum animæ de hac luce discedant, quoniam si sine pœnitentia mortui fuerint, non ueniunt ad uitam sed præcipitãt ad mortem. De qua pœna nos
C pius dominus liberare dignetur, qui cum patre & spiritusancto uiuit & regnat deus in secula seculorum, Amen.

Dominica undecima, de eo quod scriptũ est, Mulierem fortem quis inueniet &c. Ser. I

Ser. CCXVII
E CCLESIA catholica fratres charissimi non solum post aduẽtum domini & saluatoris nostri prædicata est, sed etiã ab initio mundi multis figuris & sacramentis secretioribus designata. Nam & in sancto Abel ecclesia catholica fuit, & in Noe, & in Abraham, & in reliquis usque ad aduentum domini saluatoris: de ipsa enim ait Salomon, Mulierem fortem quis inueniet? Quod dixit, quis inueniet, difficultatẽ in-
D ueniendi, non impossibilitatem oportet intelligi. Mulier ista fortis, Ecclesia est. Quomodo non est fortis quæ ab initio mundi tantis tribulationibus fatigatur, & tamen non uincitur? Mulierem fortem quis inueniet? Quis alius nisi Christus? Non autem eam fortem inuenit, sed inueniendo fortem fecit. Nam ut eam inueniret, nonagintanouem dimisit in montibus, & quæsiuit unam quæ errauerat, & numeris suis impositam ad ouile proprium reuocauit. Lanam & linum fecit manibus suis. Lanificam & linificam matronam istam sanctus sermo describit. Quæris forte à nobis, quid sit lana, quid linum? Lana carnale aliquid, linum uero spiritale significat, quia in ordine uestimentorum interiora sunt linea uestimenta, lanea uero
A exteriora. Lana etiam de commixtione animalium nascitur, Linum uero sine carnis uoluptate de terra procreatur, ideo castitatis imaginem præferre uideturintantum ut sacerdotes ueteris testamẽti ex præcepto legis, propter castitatis indicium lineis fœmoralibus uterentur. Ergo in lana carnale aliquid, in lino uero spiritale significatur. Pro laude etiam ponuntur. Inuenis em̃ hominem porrigentem manu eleemosynas pauperi, nec tamen de deo ibi cogitantem, sed hominibus placere cupientem, laneam uestem quę uideri potest, habet, interiorem lineam non habet. Inuenis alium dicẽtem tibi, Sufficit mihi conscientia mea, deum colo, deum adoro, quid mihi opus est ad ecclesiam
B ire, aut uisibiliter Christianis misceri? Lineam uult habere sine tunica. Non nouit neque commẽdat talia opera mulier ista. Inuenit hæc mulier lanã & linum & fecit utile. Multi inueniunt, sed non faciunt utile manibus suis. Cum libenter auditis, inuenitis, cũ bene uiuitis, facitis. Brachia sua firmauit in fuso. De fuso isto quod dominus dederit dicã, neq; ista lanificia sunt à uiris aliena. In fuso lanificium signat, in lanificio bonum opus tanquam castæ mulieris & matronæ impigræ. Diligenter tamen attende in lanificio duo instrumenta, colum & fusum. In colo lana inuoluta, quæ filo ducenda transeat in fusum. Quod in colo inuolutum est, adhuc in sinistra & nondum in fuso est. Quod in fuso collectum est, iam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso sit, non in colo. In colo enim est quod facturus es, & in fuso quod fecisti. Vide ergo si habes aliquid in fuso. Ibi enim firmãtur brachia tua, ibi erit fortis constantia tua, ibi securus deo dices, Da, quia dedi, dimitte quia dimisi. Fac quod feci. Quod pendet in colo ad fusum traijciendum est, non aũt q̃d collectũ est in fusum, ad colum reuocãdum est. Ergo uide quid agas, ut habeas in fuso, ut brachia tua firmes in fuso, q̃d te cõsoleẽt, q̃d te confirmet, quod tibi det fiduciã deprecandi & sperandi. Sequit, Manus suas aperuit pauperi. Eia fratres Prou. 13
exercete lanificiũ sanctũ. Si qs habet plenũ cellarium, plenũ horreum, omnia ista in colo sunt, transeãt in fusum. In sinistra sunt quamdiu pauperibus nõ erogaueris, at ubi cœperis eleemosynam facere, transferuntur ad dextrã, & fit opus unde uestis fieri possit. Omnes domestici eius uestiti sunt. Nunquid de nuditate seruorũ suorum solicitus erit uir
D eius habens cõiugẽ talẽ? Quis est iste uir, nisi Christus, aut quæ est cõiunx nisi Ecclesia? Vestiti sunt quotquot in Christo baptizati sunt. Et boni serui & mali uestiti sunt. Non cessat illa mulier omnes uestire, ut nemo queratur & dicat, Ideo nõ sum bene operatus, quia nõ sum bene uestitus. Duplicia pallia fecit uiro suo. Pallia laudes sunt, fides & cõfessiones. Laudas deũ, laudas hominẽ. Dupliciter laudas, & simpliciter laudas. Dupliciter, qa homo est & deus. Simpliciter, nõ ut sis fictus. Photinus à q̃ hęretici Photiniani appellant, quasi simplex pallium fecit uiro suo. Solũ em̃ hominẽ credidit, Christũ deum colere noluit. Existit alter texẽs uiro suo pannosum

pannosum pallium. Ait em̃, Christus deus est tantum, omnino hominis nihil habẽs, hoc Manichęi dicunt. Photiniani dicũt, homo tantum est. Manichæi dicunt, deus tantum est. Ecce de quali ecclesia quàm preciosa uestimenta procedunt. Et propterea de illa scriptum est, quòd duplicia pallia fecerat uiro suo. Duplicia pallia. Confitemur enim deum in homine, & hominem in deo. De bysso & purpura uestimenta spiritalia præparauit. De bysso candidam cõfessionem, de purpura gloriosam passionem. Byssum, cum deum confitemur, agnoscimus. Purpuras in martyrib. collaudamus. Nos fratres quibus deus tantũ bonum conferre dignatus est, ut nec de Iudæis, nec de hæreticis nasceremur, sed catholicæ Ecclesiæ filij esse mereremur, quantum possumus deo gratias referamus, qui nobis fidem rectam, & sibi placitam inspirare uel insinuare dignatus est: & totis uiribus, quia fides sine operibus nos saluare non potest, ad spiritale lanificium illud nostros animos præparemus. Iugiter ideo eleemosynas facientes, de colo trahere festinemus ad fusum, & de sinistra transferamus ad dexteram, ut per eleemosynas pauperum stolam unusquisq; nostrum prępareť in æternum, ut sicut
2 Cor. 5 dicit Apostolus, In cœlesti conuiuio uestiti & nõ
Matt. 22 nudi inueniamur: ne nobis dicatur, Amice quomodo huc intrasti nõ habens uestem nuptialem? Sed magis ab auditu malo liberati, illam felicem & desiderabilem uocem audire mereamur, Venite benedicti patris mei percipite regnũ quod præparatum est ab origine mundi, quod ipse præstare dignetur.

In eadem dominica, De uerbo dei audiendo, & muliere forti: Sermo II

Ser. CCXVIII ROGO uos fratres charissimi, ut secundum consuetudinem fidelium cũ silentio & quiete ea quę uobis prædicãtur accipiatis. Animus enim noster quando donante deo aliquid potuerit de lectione sanctarum scripturarum concipere, spiritalem nidum in cordib. uestris desiderabat inuenire. Et ideo uelut castissimi turtures diuina uerba sanctispiritus feruore in nidum cordis uestri fouere contendite, ne permittatis ut in uobis semen uerbum dei peccatorũ frigore cõgelescat, Propter illud quod scriptum est, Abundauit iniquitas, refrigescit charitas. Estote
Rom. 12 magis sicut dicit Apostolus, Spiritu feruẽtes. Quomodo enim columbæ uel turtures postquã genuerint oua, si illa permiserint refrigerari, perdent fructum illorum: Ita & uos si conceptum uerbum dei per obliuionem refrigerari permittitis, desiderabilem fructum habere nõ potestis. Præstate in uobis nidum sermonibus sanctis, secundum quod scri-
Psal. 83 ptum est, Turtur inuenit sibi nidũ ubi reponat pullos suos. Et quoniam nobis scriptura Salomonis commendat mulierem magnam, habentem magnum uirum, dicẽs, Mulierem fortem quis inueniet? ideo de hac secundum tenorẽ pauca quę deus dignatur suggerere, aurib. uestris cupimus intimare. Mulierem fortẽ quis inueniet? Difficile est inuenire eam, & difficile est nescire eam. Nónne ipsa est ciuitas in monte quæ abscondi nõ potest?
A Quare ergo dictum est, quis inueniet cum dici deberit, quis non inueniet? Sed tu ciuitatem in mõte positam uides. Vt autem in monte ponitur, inuenta est. Ipsa est em̃ ouis illa quæ perierat. Et reuera fratres ecclesia catholica est, quæ iam illustrata est, quis ergo eam non uidet? Quãdo latebat quis eam inueniebat? Sicut enim iam dicta est ipsa ciuitas, ita & ouis quam perdiram quæsiuit pastor. Ipse pastor mons est, ouis ergo in humeris eius ciuitas est in monte. Facile est eam uidere collocatam in monte. Quomodo autem eum inuenires cum lateret inter uepres & spinas, utiq; delictorũ suorum? Ibi eam quæsisse magnum, ibi inuenisse mirabile est. hæc ouis difficilis commẽdatur inuẽ-
B tio, cum dicitur, Mulierem fortem quis inueniet? id est Ecclesiam. Quis non uidet eam iam à Christo inuentam, iam eminentem, iam conspicuam, iam gloriosam, iam ornatam, iam lucidam, & ut cito explicem, toto terrarum orbe diffusam? Mulierem istam ecclesiam qui quæsiuit & inuenit, Christus agnoscitur. Et postquam eam inuenit, non solummodo de spinis peccatorum suorum eripuit, sed etiam lapidibus preciosis ornauit: ideo de ipsa dicitur, Preciosior est lapidibus preciosis. Volo aliud cõmendare charitati uestræ, quantum capitis, quantũ timeo, quantumq; timere debetis de his lapidibus preciosis. Sũt in ecclesia lapides preciosi & semper fuerunt, docti scilicet abundantes scientia & eloquentia & omni instructione legis.
C Preciosi plane isti lapides sunt, de ipsis fuit Cyprianus, de ipsis fuit Ambrosius, & cęteri eorum similes. Ex eorum numero quidam errauerunt ab ornatu huius mulieris.

In eadem dominica: Homilia de eo quod scriptum est in Euãgelio secundum Lucã, Dixit Iesus ad quosdã qui in se confidebant, &c. quæ habetur inter sermones de Verbis domini XXXVI

Dominica duodecima, de reddendis decimis. Sermo I

PROPITIO Christo fratres charissimi iã prope sunt dies in quibus messes colligere debeamus, & ideo gratias agen- Ser. CCXIX
tes deo q̃ dedit, de offerendis, imò reddendis decimis cogitemus. Deus em̃ qui dignatus est totum
D dare, decimã à nobis dignať repetere, nõ sibi sed nobis sine dubio profuturam. Sic em̃ per Prophetam ipse promisit, dicens, Inferte, inquit, omnem decimã in horreis meis, ut sit cibus in domo mea, & probate me in his dicit dñs. Si non aperuero uobis cataractas cœli & dedero uobis fructũ usq; in abũdantiam. Ecce probauimus qũo nobis decimæ magis q̃ deo proficiãt. O homines stulti quid mali imperat deus ut non mereatur audiri? Sic enim dicit, Primitias areæ tuæ & torcularis tui Exo. 23
non tardabis offerre mihi. Si tardius dare peccatum est, quanto peius est non dedisse? Et iterũ dicit, Honora dominum deum tuum de tuis iustis laboribus, deliba ei de fructibus iustitiæ tuæ, ut repleantur horrea tua frumẽto, uino quoque torcularia tua redundabunt. Non pręstas hoc gratis, q̃d cito

cito recipies magno cũ fœnore. Quæris forte cui proficiat quod deus accipiat redditurus? Quæris
A iterũ cui proficiat quod pauperibus datur? Si credis, tibi proficit: si dubitas, perdidisti. Decimæ fratres charissimi tributa sunt egentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus. Quòd si decimas nõ habes fructuum terrenorũ, quod habet agricola, quodcunq; te pascit ingenium, dei est, & inde decimas expetit unde uiuis: de militia, de negocio & de artificio redde decimas. Aliud enim pro terra dependimus, aliud pro usura uitę pensamus. Redde ergo homo, quia possides, redde quia nasci meruisti: sic enim dicit dominus, Dabũt singuli redemptionem animarum suarum, & non erunt in eis morbi neq; casus. Ecce habes in scripturis sanctis cautiones do-
B mini tui per quas tibi promisit, q̃ decimas si dederis, non solum abũdantiam fructuũ recipies, sed etiam sanitatem corporis consequeris. Replebun-
Prouer. 3 tur, inquit, areæ tuæ frumẽto, uino quoq; torcularia tua redundabunt, & nõ erunt in eis morbi neq; casus. Cum enim decimas dando & terrena & cœlestia possit munera promereri, quare per auaritiam duplici benedictione te fraudas? Audi ergo indeuota mortalitas. Nosti, quia dei sunt cuncta quæ percipis, & de suo non accommodas rerum omnium conditori? Non eget dominus deus, nõ præmium postulat sed honorem, non de tuo aliquid exigit quod refundas: Primitias rerum & decimas dignatur petere, & negas auare? Quid faceres si nouem partibus sibi sumptis, tibi decimã
C reliquisset? Quod certe iam factum est cũ messis tua pluuiarum benedictione subtracta ieiuna defecit, & uindemiam tuam aut grando percussit, aut pruina decoxit. Quid auide supputas? Nouẽ tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Constat quidem quod ipse non dederis, sed tamen deus exigit. Hæc enim est domini iustissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris: scriptum est enim, hæc dicit dominus, Quia decima agri tui primitiæ terræ uobiscum sunt. Vidi aũt & fallere me existimastis, intus in thesauris uestris & in domibus uestris erit direptio. Dabis impio militi, quod non uis dare sacerdoti. Conuertimini quoque ad me dicit do
D minus omnipotens, ut aperiã uobis cataractas cœli, & effundam uobis benedictionẽ meã desuper, & nõ corrumpã fructus terrę uestræ, neq; languebit uitis in agro uestro, & beatos uos dicent omnes gentes. Benefacere deus semper paratus est, sed hominum malitia prohibetur: quia à dño deo sibi dari uult omnia, & non uult ei quæ possidere uidetur offerre. Quid si diceret deus, Meus est homo quem feci, mea est terra quam colis, mea sunt & semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, mei sunt imbres & pluuiæ, & uẽtorũ flumina mea sunt, meus est solis calor: Et cũ om̃ia mea sint elementa uiuendi, tu qui manus accõmodas, solã decimã merebaris. Sed quia pie nos pascit omnipotens deus, amplissimum tribuit munus laboranti mercedem, sibi tantum decimam uendicans, nobis omnia condonauit. Ingrate fraudator ac perfi-
A de, diuina te uoce conuenio. Ecce annus iam finitus est, redde domino pluẽti mercedem. Redime te homo dum uiuis, redime te ipse dum potes: Redime, inquam, te dum precium in manibus habes, redime te, ne dum te mors auara præuenerit, & uitam simul & pręmium perdas. Sine causa hoc dimittis uxori, quæ forsitan alterum habebit maritum. Sine causa hoc marito dimittit mulier, quia aliam cupit habere uxorem. Frustra parentibus ac propinquis curã tuam iniũgis, nemo te post mortem tuam fideliter redimet, quia in uita tu te redimere noluisti. Depone iam auaricię sarcinã de ceruicibus tuis, contemne crudelissimam dominam, quæ dum te iugo durissimo premit, iugum Chri-
B sti suscipere non permittit. Sicut enim iugũ auariciæ in infernum premere, ita iugum Christi in cœlum leuare consueuit. Decimæ enim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit: Et quanti pauperes in locis ubi ipse habitat illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorũ reus ante tribunal æterni iudicis apparebit, quia à domino pauperibus delegatum suis usibus reseruauit. Qui ergo sibi aut pręmium comparare, aut peccatorũ desiderat indulgentiam promereri, reddat decimam, & de nouẽ partibus studeat eleemosynam dare pauperibus, ita tamen ut quicquid excepto uictu mediocri & uestitu rationabili superfuerit, non luxuriæ reseruetur, sed in thesauro cœlesti per eleemosynã pau
C perum reponať. Quicquid em̃ nobis deus plus q̃ opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos alijs erogandum transmisit: quod si non dederimus, res alienas inuasimus.

In eadẽ dominica, De eo quod scriptum est in Psalmo, Deus manifeste ueniet &c. Ser. II Hunc sermonem Beda tribuit Aug. Ser. CCXX

A AD exhortandas mentes charitatis uestrę, pauca de pręsenti Psalmo quę donat dominus, gratanter accipite. De domino nostro Iesu Christo prophetatum est in isto Psalmo, ubi audiuimus & cantauimus, Deus manife- Psal. 49
ste ueniet, deus noster non silebit. Ipse enim dominus Christus, deus noster, filius dei, primo aduentu uenit occultus: secundo aduẽtu ueniet manifestus. Quando uenit occultus, nõ innotuit nisi
D seruis suis. Quãdo ueniet manifestus, innotescet bonis & malis. Quando uenit occultus, uenit iudicandus. Quando ueniet manifestus, ueniet iudicaturus. Denique tunc cum iudicaretur siluit, & de silentio eius Propheta prædixerat, Sicut ouis Esa. 53
ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente, sic non aperuit os suum. Sed deus noster manifeste ueniet, deus noster & non silebit. Non quomõ siluit quando iudicandus erat, ita silebit quando iudicaturus erit. Et nunc non silet, si sit qui audiat. Sed dictum est, Tunc nõ silebit quãdo uocẽ eius agnoscent, & qui modo contemnũt. Modo em̃ quando dicuntur præcepta dei, quibusdam in risum ueniunt. Et quoniam quod promisit deus modo non ostendiť, & q̃d minatur modo nõ uideť, quod præcipit irridetur. Modo enim felicitatem

tatem quæ dicitur huius mũdi, habent & mali. Infelicitatem quæ dicitur mundi huius, habẽt & bo- A
ni. Attendunt homines qui credunt præsentia &
non credunt futura, quoniam ista bona & mala
præsentis seculi promiscue habentur bonis & ma
lis. Si diuitias optant, uident habere diuitias & pes
simos homines & bonos homines. Vident etiam si exhorrent paupertatem & miserias huius seculi, laborare in his miserijs non solum bonos, sed etiam malos: & dicunt in corde suo, quia res huma nas deus nec respicit nec regit, sed omnino in intimo quodam mundi huius fundo dimisit nos casibus uolui, nec aliquam prouidẽtiam exhibet nobis. Ac per hoc fit in illis contemptus præcepti, quia non uident manifestationem iudicij. Verum tamẽ etiam modo debet quisque attendere, quia
B quando uult deus respicit & iudicat. Ad horam autem non differt, quando uero uult differt. Et unde hoc? Quia si nunquam in præsenti iudicaret, non esse crederetur: si omnia in presenti iudicaret, nihil iudicio reseruaret. Ad hoc enim multa seruã tur iudicio, & quædam in præsentia iudicantur, ut illi qui differuntur, timeant & conuertantur. Non enim amat deus damnare, sed alleuare. Et ideo patiens est in malos, ut de malis faciat bonos. Sic em
Rom.1 dicit Apostolus, Quia reuelabitur ira dei super omnem impietatem, & reddet deus unicuiq; secundum opera sua. Admonet autem & corripit homi
Rom.2 nem contemnentem, & dicit, An diuitias bonitatis & longanimitatis eius cõtemnis? Quia bonus est in te, quia longanimis est, quia patiens est in te, quia differt te & non aufert te, contemnis, & omnino nullum iudicium dei putas, ignorãs quia pa-
C tientia dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui thesaurizas tibi irã in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuiq; secundum opera sua. Quicquid ergo homo facit modo in thesaurum mittit, sed nescit quid colligat: quomodo diuites qui in thesaurum terræ mittunt quasi sciunt quid colligunt, sed nesciunt cui colligunt. Quis enim possideat diuitias eorum post mortem ipsorum prorsus ignorant, & aliquando diuitiæ eorum ad inimicos eorum peruenium. Et ideo se quisque fraudat nolẽs manducare ut ditescat, ut alius de laborib. eius fluat & luxurietur & dissoluatur. Quomodo ergo colligunt quidem scientes, sed cui colligant nesciunt: sic cõ
D tra in thesaurum cœlestem boni quid colligãt sciunt, mali quid colligant nesciunt. Bonus enim ponit in thesauro cœlesti omnia opera misericordiæ quæ fecit circa homines quibus subuenit, & scit quoniã fidelis est custos, qui illi seruat omnia quæ reponit. Et non ea uidet, sed de thesauro suo certus est, quia neque aliquid à fure surripitur, neque ab hoste inuaditur, neq; ab inimico & improbo & potẽte quasi euicto tollitur, sed semper manebit, quia à domino potentissimo custoditur. Si enim pecunias homines fideli seruo commendãt & securi sunt, misericordias suas commendant potenti domino & soliciti sunt? Nouerunt ergo, quia quicquid reponunt, totum ibi saluum est: qui fide

A les sunt, potentiæ domini sui fidem iungunt. Credunt enim quia seruat, & inueniunt quod seruat. Nam & homines qui pecuniam colligunt, nunquid uident arcam ipsam, aut in arca pecuniã sem per colligunt & mittunt, aut infodiunt & seruant? Nõ uident, & tamẽ quasi conscientia eorum scit, quia ibi est in loco illo ubi posuerunt. Et forte iam fur tulit, & uanus gaudet qui inaniter reseruauit. In thesauro autem cœlesti si quid posuerimus, & de domini custodia securi sumus, & omnino furem nullum patimur, nec damnum aliquod sustinemus. Mali uero & ipsi mittunt, ut in thesauro omnia mala opera sua seruet illis deus. Hoc est q̃d dixit Apostolus, Thesaurizas tibi iram in die iræ
B iusti iudicij dei. Sed quoniam seruatur, quicquid mali faciũt & nesciunt: ubi uenerit deus noster manifestus & non silebit, conuocabit ad se omnes gẽ tes, sicut dicit in euangelio, & separabit, quosdam ponens ad dexteram, quosdam ad sinistram: & incipit iam tractare thesauros utrorunq;, quid quisque posuit inueniat. Venite benedicti, inquit, pa- Matt.25
tris mei, ad eos qui sunt ad dexteram, percipite regnum quod uobis paratum est ab initio mũdi. Regnum cœlorum, regnum sempiternum, societatẽ cũ angelis, eternam uitã, ubi nullus orit, neq; moritur, hoc percipite. Quando enim opera uestra in thesaurum mittebatis, regnum cœlorũ amabatis. Percipite regnũ quod uobis paratum est ab initio mundi. Etiam ostendit illis thesauros suos. Esuriui, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & potastis me. Nudus eram, & uestistis me. Hospes fui, & adduxistis me. In carcere fui, & uenistis ad me. Ae-
C ger fui, & uisitastis me. Et respondent illi, Domine, quãdo te uidimus in his necessitatibus constitutum & ministrauimus tibi? Et ille, Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quia ergo quãdo uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, percipite quod misistis, possidete quod emistis. Mihi enim seruatori ideo credidistis. Deinde cõuertet se & ad illos qui sunt à sinistris, & ostendet illis thesauros suos inanes operis boni, Ite, inquit, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Aut si aliquid inuenistis in thesauro isto, aut aliquid misistis, cogitate & reddetur uobis. Sed nũquam te, inquiunt, ipsi uidimus esurientem. Et il-
D le, Quando uni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis. Forte enim ideo mihi non faciebatis, quia me in terra ambulare non uidebatis. Tam mali estis, ut si uideretis sicut Iudæi crucifigeretis. Hodie enim mali homines qui conãtur, si fieri posset, non esse ecclesias ubi illis prædicent præcepta dei, nõne & ipsum Christum occiderent si in terra uiuentẽ inuenirẽt? Sed audebũt dicere quasi illi qui nesciat cogitationes hominum, Domine, quando te uidimus esurientẽ? Et ille, Quando uni ex minimis meis nõ fecistis, nec mihi fecistis. Minimos meos, egentes posuerã uobis in terrã: ego tanq; caput, dicet, in cœlo sedebam ad dexteram patris, sed membra mea in terra laborabant, membra mea in terra egebant: membris meis si daretis, &

& ad caput peruenisset quod daretis. Et si sciretis
quia minimos meos egentes quando uobis in ter A
tam posui, laturarios uobis institui, qui opera uestra in thesaurum meum portarent: nihil in eorum manibus posuistis, propterea apud me nihil inuenistis. Tunc ergo non silebit, sed apparebit: ideo dictum est, Non silebit. Modo autem dicit illud lector de codice, & contemnitur. Dicit illud de ore suo tractator aut disputator Episcopus, & irridetur. Nunquid sic irrideri habet, quando ab ipso iudice potentissimo dicitur, Vnusquisque recipiet quod fecit, siue bonum siue malum? Tũc dicturi sunt homines sera & infructuosa pœniten tia. O si possemus iterum uiuere, & quod contem psimus audire & facere. Tunc dicent illi quos ex aduerso constituunt iniquitates eorum, sicut di-
Sap.5 citur in libro Sapientiæ. Quid nobis profuit su- B
perbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia sicut umbra. Videtis quia pœnitebit eos: sed ista pœnitentia cruciabilis, nõ sanabilis. Vis habere utilem pœnitentiam? Modo habe. Si enim modo habueris, corrigeris. Cum correctus fueris, fundetur hic thesaurus tuus ubi colligebantur mala opera tua, & implebitur alius thesaurus, ubi bona tua colligantur. Sed forte cõuersus ad dominũ, statim morieris, opera tua nulla forte inuenientur in illo thesauro. Planè ibi inuenies opera tua, quia scriptum est, Pax in terra hominibus bonæ uolũtatis. Deus non annotat facultatem, sed coronat uolũtatem. Scit quia uoluisti &
non potuisti, sic te annotat quasi feceris quod uo- C
luisti. Ergo opus est ut conuertaris, ne differendo subito moriaris, & omnino nihil inueniatur quod in præsenti habeas & in futuro possideas. Conuersi ad dominum &c.

Dominica decimatertia, de eo quod scriptũ est, Deponentes mẽdacium loquimini ueritatẽ unusquisq; cum proximo suo &c. Ser. I

Ir.CCXXI ODO fratres charissimi cum diuina
M lectio legeretur, audiuimus Apostolum dicentem, Deponentes menda
Ephes.4 cium, loquimini ueritatem unusquisq; cum proximo suo. Nemo ita cogitet cum Christiano loquendam ueritatem & cum pagano mendacium. Cum proximo tuo loquere ueritatem. Proximus est omnis homo, proximus tuus ille est qui tecum natus est ex Adam & Eua. Omẽs proximi sumus ratione natiuitatis, & alter alteri frater. Illa spe cœle-
D stis hæreditatis proximum tuum debes putare omnem hominem etiam antequam sit Christianus. Non enim nosti qualis futurus sit apud deum aliquando quem rides idolum adorantem, cõuertetur ut adoret deum, fortassis religiosius quàm tu qui eum pauloante ridebas. Multi qui uidẽt Christiani, male agendo & in malo opere perseuerando ab ecclesia excludendi sunt. Multi qui foris esse uidentur, ita crediturí sunt & in bono opere permansuri, ut in æternum socientur Ecclesiæ. Et ideo nec illi superbiant, nec isti desperẽt, quia quæ futura sunt scire non possumus. Omnem igitur hominem Christianum putemus, non solum condi-

tione mortalitatis humanæ, qua in terra eadẽ sor-
te deuenimus, sed etiam spe illius hereditatis, quia
non scimus quid futurum sit. Qui enim Iudeus est,
hæreticus, aut Paganus, forte sicut dictum est,
per misericordiam dei conuertetur ad deum, ut in
ter sanctos primum locum habere mereatur. Ira-
scimini & nolite peccare. Si propterea irasceris ser
uo tuo quia peccauit, ne tuipse pecces irasce tibi.
Sol non occidat super iracundiam uestram: intel-
ligitur quidem secundum tempus fratres charissi-
mi, quia etsi ex ipsa humana conditione & infirmi
tate mortalitatis quã portamus, surrepat ira Chri-
stiano, non debet diu tenere & fieri pridiana. Eij-
ce illam de corde antequam occidat lux ista uisibi
lis, ne te deserat lux inuisibilis. Sed & aliter meli-
us intelligitur, quia noster sol iustitiæ & ueritatis
Christus, non iste qui sol adoratur à Paganis & B
Manichæis, & uidetur etiam à peccatoribus, sed
ille alius cuius uirtute anima humana illustratur,
ad quem gaudent angeli. Non ergo occidat sol
iste super iracundiã tuam: id est, non deserat Chri
stus mentem tuam, quia non uult deus habitare
cum iracundia tua. Occideris aũt tu ab iracundia
tua, quia ira cũ inueterauerit fit odium: cum factũ
fuerit odium, iam homicida es. Omnis enim qui
odit fratrem suum homicida est, sicut dicit Ioan-
nes Apostolus. Item ipse dixit, Omnis qui odit 1 Io in.2
fratrem suum in tenebris manet. Non mirum si il-
le manet in tenebris à quo occidit sol. Ad hoc per
tinet forte quod audistis etiam in Euangelio, Pe- Matt.8
riclitabatur nauigium in stagno, & dormiebat Ie-
sus. Nauigamus in hac uita quasi per quoddam
stagnum, & uentus est, & procellæ non desunt
tentationum: unde hoc fit, nisi quia dormit in te
Iesus? Si non in te dormiret, tranquillitatem habe
res intrinsecus. Quid est autem quòd in te dicitur
dormire Iesus, nisi quia fides tua quę est de Iesu, so
pita est in corde tuo? Quid facies ut libereris? Ex-
cita Iesũ & dic, Magister perimus. Euigilabit ille
id est, rediet in te fides tua, & manebit tecum in
æternum. Euigilante Christo si tempestas illa im-
merserit, nec oppleuerit nauem tuam, iam fides
tua imperabit uentis & fluctibus, & non transiet
periculum. Fratres sæpe diximus, sæpe dicemus,
& quandiu uixerimus dicere debemus, quia ec-
clesia temporis huius & paleam habet & frumen-
tum, nemo quærat expellere totam paleam nisi
tempore uẽtilationis: nemo ante tempus deserat
aream, ne dum forte non uult peccatores sustine-
re, præter aream inuentus prius ab auibus colliga
tur quàm ingrediatur in horreũ. Quomodo autẽ
fratres dicamus, attendite, Grana cum cœperint
triturari inter paleam, se nõ iam tangunt, & quasi
non se nouerunt, quia intercedit medio palea. Et
quicunq; longius attendit aream, paleam solum-
modo putat, nisi diligẽtius intueatur, nisi manum
porrigat, nisi spiritu oris, id est, flatu purgante dis-
cernat, difficile peruenit ad discretionem grano-
rum. Hæc similitudo ad illum pertinet qui cũ pro
fecerit putat quòd ipse solus sit bonus. Hęc cogi-
tatio fratres etiam Heliam tentauit cũ dixit, Pro-

phetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego remansi solus, & quærunt animam meam. A
Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia uirorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Noli, inquit, te putare solummodo, adhuc septem milia sunt, quid te solummodo putas? Intendat ergo mecum sanctitas uestra, & assit misericordia dei, audite breuiter. Quisquis adhuc malus est, non putet neminem bonum esse. Quisquis bonus est, nõ putet se solummodo esse. Tenete hoc, Ecce repeto. Videte quia dico, quisquis malus est, interrogans conscientiam suam nõ arbitretur neminẽ esse bonũ. Quisquis bonus est, nõ arbitretur se solũmodo esse bonũ. Et nõ timeat bonus immixtionẽ malorũ, quia ueniet tempus ut separentur mali à bonis. Interim sicut dictũ est, qui boni sunt, sustineant malos: qui mali sunt, imitentur bonos. Nec boni in superbiam erigantur, nec mali periculosa desperatione frangantur. Modo enim qui boni sunt possunt deum offẽdere, & qui mali sunt si cito se emendauerint, possunt dei misericordiã promereri. Cum uero de hac luce discesserimus, nec bonus poterit unquam malus fieri, nec malus qui est ad bonitatẽ uenire. Hęc ergo fratres charissimi salubriter cogitantes, pro salute animæ nostræ nõ simus surdi ad illud quod nos dominus
Eccl.5 misericorditer prouocat dicens, Nolite tardari conuerti ad dominum, nec differatis de die in die-
Esa.55 m. Et iterum, Quærite dominum deum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est, Ille enim qui eum dum inueniendi tempus est nõ quæ sierit, in æternum inuenire non poterit. Sic ergo C cum dei adiutorio agere studeamus, ut præcepta & mandata domini nostri magis nobis pariant de sequacitate remedium, quàm de transgressione iudicium, prestante eodem domino nostro qui cum deo patre & spiritu sancto uiuit & regnat deus in secula seculorum, Amen.

In eadẽ dominica, de beato Iob, & de eo quod scriptũ est in psalmo, Cantate & exultate & psallite in cithara & uoce psalmi, &c. Ser. II

Ser.CCXX B EATVS Iob fratres dilectissimi de quo nobis hesterna lectio recitata est, tam sanctus fuit ut in illo cõplere
Psal.97 tur illud quod in psalmo spiritussanctus dixit, Psallite domino in cithara & uoce psalmi. Non uocẽ solam sed opera assumite, ut non tantum cante- D mus, sed & manibus operemur. Qui cantat & operatur, psallit in psalterio & cithara. Qui psallit in psalterio, diuina de cœlo uerba canit. Qui autẽ operatur manibus, humana opera perficit. Extende manus & da pauperi, nudum uesti, hospitio recipe peregrinum. Sed cum facis, pie ac hilariter fac. Recole illi te facere, qui dicturus est, Esuriui & dedistis mihi manducare. Videte qualia organa adiungãtur in similitudinibus. In tubis, inquit, ductilibus. Beatus Iob fratres dilectissimi ita dei spiritu plenus erat, ut uelut ductilis tuba laudes domini dulciter decantaret. Sic enim de talibus sonitus est, In tubis ductilibus & in uoce tubæ corneæ. Ductiles æreæ sunt tubæ, & tundendo producuntur. Quando enim producuntur? Quã- A do malorum hominum persecutionem patimur, si patienter omnia sustinemus, & nunquam contra dispensationem domini murmuramus, uapulando erimus tubæ ductiles ad laudẽ domini productæ, si cum tribulatione proficimus. Tribulatio tunsio est, profectus productio est. Tuba ductilis erat beatus Iob, quando à diabolo percussus tantis damnis, orbitate etiam filiorum afflictus, in nullo contra dominum murmurauit. Tunsione illa tantæ tribulationis factus est tuba ductilis. Ergo audiamus si ipsa tuba bene sonuit. Audi, Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictũ. Videte fratres quomodo & quàm diligenter sonuit, quàm suauem sonum dedit. Nec hoc solum
B sufficit, nisi adhuc tundatur. Datus est autẽ in potestatẽ satanæ, ut caro percuteretur. Percussus est, cœpit putrescere, ita ut eum scatentes globi uermium exararent. Ipse tamen beatus Iob quamlibet esset iustus, non tamen fuit sine peccatis. Neq; enim melior erat sancto Ioanne Euangelista qui
1Ioan.1 ait, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Per illam enim crudelissimam pœnam minuta peccata purgabantur. Quam rem etiam ipse intelligens, deo gratias referebat, & negligentiarum suarum quasi uerissimus iudex non molli linteo, sed testa radebat saniẽ fluentem. Ex omnibus tamen bonis suis, sola ei à diabolo mulier reseruatur. Supposita est uxor Eua, quasi ad seductionem. Hoc erat necessarium, ut uxor eire C seruaretur, equidem non ad solatium mariti, sed ad ministerium diaboli. Suggessit mulier blasphemiam, Iob nõ obtemperat, sed recusat. Euam Adam in paradiso non repulit, repulit Iob Euam in sterquilinio. In stercore sedebat Iob cum flueret uermibus atque putresceret, sed melior Iob uulneribus plenus in stercore, quam Adam integer in paradiso: Equidem adhuc uxor sua Eua erat, sed iam ille Adam non erat. Quid ergo dixit mulier? Blasphema deum & morere. Ecce audiui-
Iob 2 mus quomodo tunditur tuba ista. Percussit eum diabolus à capite usque ad pedes graui uulnere, et putrescens uermibus sedebat in stercore. Audiuimus quemadmodum tunsus est, tubæ huius ductilis uocem dulcem si placet audiamus. Respondit D enim uxori, Locuta es, inquit, quasi una ex insipiẽtibus mulieribus, si bona suscepimus de manu domini, mala quare non toleremus? O sonum fortẽ, ò sonum dulcem, quem non dormientẽ excitet sonus iste? Quẽ non excitet presumptio in domino, ut aduersus diabolum securus procedat in prælium, & nõ se suis uiribus obtecturus, sed dei auxilio protegendus? Ipse enim adiutorium dedit qui eum tentari permisit. Nõ enim tunderet diabolus de se ipso, nihil enim facere poterit, nisi quod dispensatio diuina permiserat. De illius emẽ diaboli
Hier.50 pœna futura Propheta cõmemorans ait, Contritus est malleus uniuersę terræ, Malleum uniuersæ terræ, diabolũ uoluit intelligi. De ipso malleo in manu domini posito, id est, in potestate dei, tunduntur

duntur ductiles tubæ, id est, animæ sanctæ, ut resonent dei laudes. De isto malleo & iustus tunditur A & peccator. Ille ut probetur, ille ut puniatur. Aut certe ut iustus augeatur in bonis, & peccator corrigatur à malis. Sub isto emẽ malleo in manu, id est, in potestate domini constituto tunduntur nõ solum humiles sed & superbi. Sed humiles, pducuntur, superbi cõminuunt ut uitrum. Vna eademq; tunsio bonos producit ad gloriã, malos redigit in fauillam, ut impleatur in eis illud quod scriptum est, Et erit tanquam puluis quem proijcit uentus à facie terræ. De ipso enim malleo quotiens animæ sanctæ deo dispẽsante uel permittẽte tunduntur, in nullo murmurant, in nullo penitus contradicũt, magis humiliter uelut ductilis tuba proclamant, Iustus es domine, & iusta iudicia tua, adhuc minus patimur quàm meremur: & hęc quidem dicunt animæ sanctæ. Animæ uero superbæ & peccatis obnoxiæ, quotiẽs aliqua aduersitate pulsantur, rebelles contra dominum murmurare præsumunt dicentes, Deus quid tibi feci? Quare tanta patior mala? Quibus in conscientia respondet diuina iusticia. Bene dicis, ò deus quid tibi feci? Verum est, quia nihil mihi fecisti, sed totum tibi. Si enim aliquid boni fecisses, mihi feceras. Cum uero peccata & crimina commisisti, tibi omnia fecisti, nõ mihi. Et quia quæcũq; seminauerit homo, hæc & metet: non est iniustũ quòd spinas & tribulos peccatorum colligat qui nequitiã seminauit. Nos uero fratres charissimi audiamus Apost. dicentẽ,
Gal.6 Seminemus quod bonum est ad omnes, maxime C ad domesticos fidei. Timeamus ne forte si in carne seminamus, secundum Apostolum de carne metamus corruptionem, sed ipso attestante seminemus in spiritu ut de spiritu metamus uitam æternam, ad quam nos dominus sub sua protectione perducat, cui est honor & imperium in secula seculorum, Amen.

In eadem dominica, De patientia: Sermo III Quære tom. 4. col. 1005

Item eadẽ dominica, Homilia de eo quod scriptum est in Euãgelio secundũ Lucam, Beati oculi qui uident &c. quæ habetur inter sermones De uerbis domini. XXXVII. Et in lib. Quinquaginta homiliarum, XXXVIII.

Dominica quartadecima, De beato Iob: D Sermo I

SERMO CCXXIIII P ROMPTIOREM me ad loquendum uestra sanctitas præmonet, etiam dudum de scripturis insinuata omni cum deuotione dicendi fiduciam tribuit, quem deus gratanter uobis audire monstrauit. Sic & nos uestra sanctitas de Iob dicentem accipiat, ut audire se tanquam rusticum credat. Non fuco sermones infectos dicere arbitretur, qui illius magisterio simpliciter dicere profitetur. Aduersus Iob diabolus pugnam impetrauit, cuius filios ruina cum extingueret factus post diuitias inops, post familias solus, post numerosam sobolem nullius pater, patrimonio naufragus, in corpore edaces pœnas uno robore fidei sustinebat. Diuitiæ in inopiam ce- A ciderunt. Hic noua expergiscitur nuditate, nullus fuit proximus, quia rara est miseris amicitia. Corporis sanitas uulneribus immutatur, gaudium in dolorem conuertitur, nullus artus qui in flagellis ualetudinum agitetur. Denicq; sub sterquilinio iacuit præclara iustitia, & cum uulnerata caro probaretur in membris, incolume pectus seruabat interius. Nihil erat à capite usq; ad pedes q̃d nõ affligeret pœna. Vndicq; circumuallantibus pœnis stetit, & unde feruebat diaboli inuidia, inde sumpta est fatigata uictoria. In corpore torquebat, & spiritu probabat. Vermibus corpus inquietis doloris tolerabat geminata supplicia, quam fluxæ carnis putredinem prædurabat fœcunda calamitas, non noctibus quies, non diebus requies. Torquebat, & orabat. Aliud postulabat hostis, aliud precabat
B uociferatio cõfessoris. Dissolutis neruis saniei profluuium asperior testa radebat, atrox cruciatus mutabat. Reges non agnoscebat, & confossum corpus in stercore recumbebat. In naufrago corpore incolumis iusticia tutatur, & periclitantibus membris, autori uulnerum pectus seruatur. Omnia excepto spiritu occupauerat hostis. Non fuit q reciprocum redderet munus, mercedibus delicata matrona in alienis domibus seruit, quæ imperare consueuerat. Vbi post solis occasum diurna supplicia dure transigebat, quietem expectabat, & fatigatis matronæ digitis, succedentem diem lachrymantibus oculis deducebat. Orbata in mœrore filiorum mulier locatur ut seruiat, nec ad lachrymas uacat. Adhuc matrona iam uidua, ubique mercenaria, nusquam domina, nec sterilis, nec mater uteri sui laniatus deflet, Ecce, inquit, marite quæ pateris: dic aliquid aduersus deum & morere. Pec cauit sola quæ uiro misericordiam denegabat, obliuisci uxorem Iob in filijs didicerat, & omnibus membris fluens, solus animus fideliter repugnabat. Bellator mundi in uno uiro torquetur, dum torquet & pœna reuertitur in authorem, Ecce, inquit dominus, tradam illum tibi, animam illius tantummodo custodi. Secure pugnat, qui hoste metuente seruatur. Sic hostis furebat ut timeret, infligit dolorem crudelitas, & deficit in suis uiribus. Pœna fugata reuertitur sanitas, & cicatricibus felicior redditur medicina. Celerius curat dominus quàm uulnerat inimicus. In gaudia gemitus migrauere, & in fossis uulnerum numerabant monumẽta uictoriæ. Propter Iob regina, propter quem & mercenaria. Duplici regreditur fœnore, ut amissa possent duplo recipere.

In eadam dominica, de beato Iob: Ser. II

Ser.CCXXV I N lectione quæ nobis lecta est fratres charissimi, audiuimus quòd gloriosissimo dei athleta cõtra hostẽ callidissimũ admirabiliter prælatus sit, & secundũ quod Apo-
1 Cor.4 stolus ait, Spectaculum deo & angelis eius & hominibus dignum non sine ingenti admiratione audire, & quodammodo oculis fidei uidere meruimus. Vidimus beatum Iob non solum contra felicitatem mundi, sed etiam contra paupertatem & asperrimos dolores, & contra filiorum orbita-

tem fortiter & feliciter dimicantem. Qui cum esset diues, nullum contemptũ habuit. Cum penuriam pateretur, neminem blasphemauit, nec contra dei dispensationem murmurare præsumpsit, sed locuples dicebat, Domus mea omnibus uiatoribus patuit, & de uelleribus ouium mearum calefacti sunt humeri infirmorum. Postea uero cum paupertate premeretur, in angustijs loquebatur,
Iob 1 Dominus dedit dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est. Fortiter colluctatus est diabolus, sed athletam dei superare non potuit. Immanes suscitauit fluctus, & firmissimam petram commouere non ualuit. Machinationes suas adhibuit, & turrim ualidissimam non prostrauit. Arborem concussit, & decutere poma non ualuit. Et ramos quidem confregit, sed radici nihil nocuit. Parietem perforauit, sed thesaurum auferre non potuit. Thesaurum autem dico non auri & argenti, sed fidem iusti, Hunc enim eius thesaurum diabolus diripere festinabat, quando eum omni facultate nudatum plaga intolerabili cruciabat. Vidisti augmentari fluctus, uidisti petram firmissimam, uidisti turrim inexpugnabilem, uidisti deum glorificatum & diabolum confractum, & quali nomine hunc iustum appellem, ignoro. Athletã eum uocem? Sed præcellit tantarũ copia coronarum. Petram eum dicam? Sed firmiorem uideo. Militem appellabo? Sed robustiorem cerno constantia. Turrim eum nominabo? Sed eminet sapientia. Arborem eum dicam? Sed decorosior inuenitur. Fructum illum appellem? Sed preciosior demonstratur. Thesaurum eum nominabo? C Sed copiosior esse dignoscitur. Et quali uocabulo appellem sanctum illum non inuenio. Audiant hæc diuites, audiant hæc pauperes, quemadmodum hic beatus in diuitijs suis & felicitatem benignus dispensator extitit diuitiarum, & in tentatione paupertatis patienter & fortiter tolerauit. Vides igitur nõ esse impossibile diuitem esse in operibus bonis, & pauperem per patientiam egestatis posse esse beatũ. Nolo mihi dicas, quia paupertatem timeo. Paupertatem times, & peccatũ non metuis? Nolo timeas paupertatem, sed iniquitatẽ time, quæ mater est tormentorum. Dominus à te stipendium postulat, & dare ei non uis. Cum enim audis eum dicentem: Quãdiu fecistis uni ex
Mat. 25 minimis istis, utiq; si tribuas pauperi, Christo fœneras. Si contrahis à paupertate manum tuam, quomodo & qua fiducia in illa die & tu à domino misericordiam postulabis? Nónne arguet te dicens, Vidisti me nudum & non operuisti, esurientem & non pauisti? Quid tu ad hæc respondebis, & quam ueniam deprecaberis? Nónne conscientia tua reum te faciet & obmutesces? Et tu quidẽ multis & preciosis uel exquisitis delicijs interdum usque ad crapulam satiaris, & pauperi unde esuriem repellat uel cibum simplicem dissimulas erogare. Vestibus etiam nimium preciosis indutus incedis, & pauperi nudo nec uilissimum tribuis uestimẽtum. Domum tuam in omni pompa componere uel ornare cõtendis, forsitan nec in angulo eius peregrinum uel pauperem recipis. Sed qui
A talis est, cum ei irreuocabilis aduenerit finis, si pœnitentia non subuenerit, perget ad inferos nudus bonis operibus, remanẽte domo cum omni ornatu suo in testimonium auaritiæ suæ. Vnusquisque enim prætereuntium dicet, Hæc domus illius fuit raptoris, prædonis, auari. Quantas uiduas afflixit, quantos orphanos denudauit, quantos miseros fecit, ut hanc domum tantis expensis de iniquitate quæsitis regeret. Sed dicet aliquis, Nobilis sum & in honore constitutus. Nobilitatem nemo reprehendit, de istis dignitatibus nemo disputat, quæ à deo bene hominibus conceduntur. Diuites ergo in honoribus constitutos si iuste & caste & misericorditer uixerint, reprehẽdere nemo debet. Illi uero dolendi sunt & lugendi, qui inflati superbia dignitatum, putant se immortales cum
B ipsa dignitate futuros, & non considerant conditionem suam, quia de terra sunt & in puluerem redigentur, & pro parua lætitia uitæ huius, si tamẽ lætitia uel uita dicenda est, perpetua sustinebunt tormenta. Attendis pauperem & despicis, & nõ recogitas quoniam homo est sicut & tu. Homo chara & amica possessio dei, homo cuius causa firmatum est cœlum, & extensum est mare; fundata est terra, propter quem sol oritur & occumbit, luna crescit & deficit, astra micantia surgunt. Tu ne ergo contemnis hominem pauperem propter quem deus talia & tanta constituit? Ad extremũ ut adhuc amplius dicam, propter quem dei filius humanam carnem assumpsit, opprobria & flagella sustinuit, crucem pertulit & flagelli amaritudinem sensit, mortem gustauit, ad inferna descendit, & eos qui à diabolo detinebantur obnoxij, sanguinis sui precio liberauit. Ecce quãta & qualia humano generi pietas diuina concessit. Videte ergo si iustum est ut à nobis pauper quisq; despiciatur, cui tot beneficia pietas diuina largit? Amemus ergo fratres charissimi & non despiciamus pauperes uel peregrinos, ne nos ille despiciat qui propter nos pauper factus est cum esset diues. Cõsiderate fratres & diligenter attendite, quia ab initio nullum pauperem despicere uoluit deus. Nam sicut in scripturis diuinis frequenter & diligenter audistis, ut superbiam & uanitatem mũdi reprimeret deus, non elegit rhetores, non eloquentes, nõ
D cõsules, non diuites, nõ potẽtes, quibus uerbi sui secreta cõmitteret: sed aut opiliones, sicut patriarchas & beatum Dauid, aut piscatores, sicut beatũ Petrum uel reliquos apostolos, ut per infirma destrueret fortia, & per hũilia excelsa & superba deijceret. Amemus ergo pauperes, ut cũ illo partẽ habere possimus qui dixit, Discite à me quia mitis sum & hũilis corde. Nam quia genus humanũ per superbiã mortale uulnus accepat, Christus medicamentũ hũilitatis exhibuit. Noli ergo despicere humilẽ pauperẽ, q cũ sibi paup sit, facere te diuitẽ potest. Qui em diuites sunt, imitent beatũ Iob humiliter largas eleemosynas facientẽ. Nõ extollantur in prosperis, & si sinistrũ aliquid dño permittẽte pertulerint, nõ deprimant aduersis, & in nullo

contra dei iudicia murmurantes, sed humili & pia conscientia cum beato Iob dicant, Dominus de- A dit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictũ, cui est honor & imperium cũ patre & spiritu sancto, in cuncta secula seculorum, Amen.

Item in eadẽ dominica, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundũ Lucam, Et factum est dum iret Iesus in Hierusalem transibat per mediam Samariam &c. quæ sumpta est ex libro secundo de quæstionibus Euangeliorũ, capite quarto. Et ex sermonibus factis ad fratres in eremo. XXXII.

Dominica quintadecima, de beato Tobia: Sermo I

SERMO CCXXVI

B EATVS Tobias qui panem suum no- B uerat frangere esurienti, mercedem celerem mercenario præparat laboranti.

Patienter lectione percepta quæ nuper est recitata, admirabamur patris filijq; tractatum, quemadmodum angelus monet, quem æstimabant terrenum sub cœlesti gloria mercenarium. Ad hoc enim cęcitatis incurrit exitium, ut angelum suscipe ret medicũ, qui diuinis facibus incensus sic anhelauit. Honesta est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Oratio iusti, clauis est cœli. Ascẽdit precatio, et descendit dei miseratio. Licet alta sit terra, altũ cœlum, audit tamen deus hominis linguã, si mundã habeat conscientiã. Cũ sensibus loquit̃, si sit solus noster gemitus. Sufficit aurib. imber oculorũ, fletus citius audit q̃ uoces. Oratio inuidi solet de auribus propulsari. Erat patris & filij anima una, dũ esset proprietas membrorum, erat illis singularis
Tob. 12 germanitas animorum. Filij, inquit, dimittamus istum hominem adijcientes ad mercedem placitam, quia nobis multa opere suo cõtulit bona. Et filius relato tractatu alloquitur patrem, Pater, nunquid nam isti tam benedicto operario merces tantum placita debet pẽsari, cuius bonus ducatus nõ potest ęstimari? Parũ illi honoris reddemus, si eius meritis mensuram figamus. Nunquid ipse id tantum exhibuit quod placuit? Hoc placuerat, ut mihi regionem & uirum cui argentum commendasti demõstraret. Primo iter quasi cœleste carpens, & mihi & tibi parauit necessarium de pisce collyrium, Me deduxit, argentum recepit, Saram mihi uxorem despõsauit. Mercede placita tantum D est dignus, qui mihi tanquam cœlestis extitit paranymphus, & quod plus est bone pater oculorũ tuorum maculas albugine detracta curauit, & totam domum nostram illuminatis oculorum tuorum lampadibus illustrauit? Clarius modo uideo, quia te uidentem aspicio. Nónne iste optime pater dignus est media substantia? Iste talis ductor atq; prouisor, medicus atq; custos, ut dixi, mediæ substantiæ quam ipse mecũ pertulit accipiat portionem, qui mihi ducatu suo tantam præbuit pietatem. Placet bono patri sapientis filij responsio. Rogare cœpit mercenarium, ut mercedis suæ sumat effectum. Frater, inquit, accipe quod tuum est, & tunc uade saluus. Recipe mercedem tuam, A quia præbuisti mihi & filio meo bonam misericordiam. Tolle ut dixi mediam substãtiam quam cum meo filio reportasti, nam gratia quam tibi debemus non potest ponderari. Continuo angelus gaudet de cogitata mercede, qui missus fuerat gratis facere pietatẽ. Tobis, inquit, uel Tobia quid de mea mercede satis superflue cogitatis? Habete quod uobis donauit pater ille cœlestis, Ego minister sum curationis, ille autor sanitatis. Nescitis cuius mercenarij ope perfrui meruistis. Defunctos captiuitatis sepelire nõ timuisti Tobis, ascenderunt ad dominum opera tua, quia relicto prandio reddidisti mortuum sepulturæ. Ego domino medullata intuli sacrificia pro uenerabili sepultura, ego directus sum operarius fori cœlestis. Mortuum sepelistis, & mortis aculeum non timuistis. B Ipse sepultus pro uobis uoce tacita proclamauit. Probationis fuerat cæcitas oculorum, unde patientia tua clarius meruisset de cœlestibus ornamẽtum. Ego sum Raphael, unus ex septẽ angelis qui assistimus ante claritatem dei. Nõ indigeo fructu humanę mercedis, diuitem me facit conuersatio maiestatis. Diues est ille qui me misit, gratis iussit impendi, qui gratis ipse concessit. Nec ipsum honorem gratiarum mihi deputetis, quia nihil meis uiribus percepistis, Deum benedicite & illi confitemini, & ipsum glorificate, quia uobiscum fecit bona. Subito patefacto mysterij cœlestis honore, uoce Raphaelis angeli attoniti, Tobis & Tobias
C collapsi in terram proruerunt, uocem tremulam penitus occultauerunt, quia uocem insolitam audierunt. Quid meruistis pater Tobis filiusq; Tobia? Mercenarium habere cœlestem, & tanquam operarium locare terrestrem? Celauit uobis angelus nomen, Azarias sum, inquit, Ananiæ magni filius, et non dixit, Ego sum Raphael angelus. Celauit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret, Ego sum angelus, non esset Tobiæ mercenarius. Seruata est dignitas nominis, ut postremo magnitudo clarescceret dignitatis. Videte charissimi quantum sit eleemosynæ meritum. Angelum meruit habere operariũ. Videtis quantum proficit mortuos sepelire, ut oblatio eius per angelũ Raphaelem ad cœlestem ascenderet maiestatem. Videtis quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. Facit purgationẽ oculorum, liberat à tenebris peccatorum. Tobis uia sua deducit̃, Sara tot uiris cõtristata per angelum matrimonio copulatur.

In eadem dominica, De faciendis eleemosynis: Sermo II

SERMO CCXXVII

F ACIENDIS eleemosynis fratres charissimi, charitatẽ uestram admonui, & cõsilium dare præsumpsi. Et licet apud plures deo inspirante profecerit admonitio nostra, timeo tamen ne sint aliqui qui aut minus faciant quàm possint, aut nec forte faciãt. Sed dicit aliquis, Pauper sum, ideo eleemosynã dare nõ possum. Vt nullus se pauper excusare posset, domi-

nus & Saluator noſter pro calice aquæ frigidæ
mercedem ſe redditurum eſſe promiſit. Dicis ergo, Pauper ſum. Si nihil amplius habes in ſubſtan
tia tua quàm tibi aut in uictu aut ueſtitu ratiõabili
aut mediocri ſufficiat, ſola tibi poteſt bona uoluntas ſufficere. Sed rogo te, diligenter conſcientiam
tuam interroga, ne forte aliquotiens per ebrietatem perdas quod per eleemoſynã dare potueras,
ne forte per gulã ſtudeas in terra cõſumere, quod
per eleemoſynã debueras in cœlũ recondere. Ne
forte delicias præparando, ornamenta ad luxuriam comparando, non habeas quod pro remedio
animæ tuæ poſſis pauperibus erogare. Et cum pre
cioſæ ueſtes noſtræ à tineis ſoleant deuorari, pauperes nec uilia ueſtimenta merentur accipere. Si
ergo iſta omnia impedimẽta nõ aggrauant animã
noſtram, & hoc ſolũ habemus quod nobis uel no
ſtris ſufficere poſſit, nõ apparebimus rei ſi eleemo
ſynam pauperib. nõ erogamus. Si uero ut iam dictum eſt, frequẽter luxuria deuorat quod miſeri
cordia in cœlo theſaurizare potuerat, corrigamur
dum tempus eſt: & quod hucuſq; aut nõ fecimus,
aut forte minus quàm oportuit fecimus, implere
totis uiribus ſtudeamus. Et ideo ò anima Chriſtia
na quæ mecũ audis & legis, adiuua te conſilio ſan
ctiſſimi Danielis. Sic enim ait, Conſiliũ meum ac- Dan.4
cipe, et peccata tua eleemoſynis redime. Quod cõ
ſilium ſi non libenter audieris, ad cœlum ſine cau
ſa pulſabis. O anima quæ intra carneos & fragiles
parietes habitas, uigila, ora, pete, quære, pulſa. Vi
gila, inquam, petendo, ora quærendo, pulſa ope
rãdo. Vigilanti tibi & petẽti reſpõdet dominus.
Ecce aſſum. Si tranſieris per ignem tecũ eſt domi
nus tuus, & flamma non ardebit in te: quia ſicut
aqua extinguit ignem, ſic extinguit eleemoſyna
peccatum. Si ergo aperueris pauperibus manus
tuas, Chriſtus tibi aperiet ianuas ſuas ut paradiſi
poſſeſſor introeas. Si forte putas quòd finis mundi tardius ueniat, uel tuũ conſidera finẽ. Ecce pau-
latim deficit mundus, ſubtrahuntur omnia bona
quæ fuerant, & accedũt mala quę nõ erant. Quotidie quod prædixit dei ſermo cõpletur, & nec ſic
homo mutatur. Accipe ergo conſilium, dum in
manibus tuis habes precium tuum. Dona tibi de
tuo dum tuum eſt, quia fragile eſt quod tenes, &
cæterorum eſt quod attendis. Cõſidera quale pro
te precium dederit dominus tuus, ſanguinem fu-
D dit. Charum te habuit, quem tam caro precio cõ
parauit. Diuitis purpurati fuge frater exemplum
cuius canes pauper Lazarus ſuis uulneribus pa-
uit, & micas cadentes de menſa diuitis non acce-
pit. Sed poſt non longum temporis interuallum
mutatæ ſunt uices. Pauper beatitudinẽ emit men-
dicitate, & diues ſupplicii facultate. Ille in Abra-
hæ gremio ab angelis eleuatur, diues uero ad in-
ferni profunda perducitur. De quo loco uidit di-
ues pauperem, imò iam pauper diuitem. Deſide-
rat guttam, qui negauerat micã. Hęc ergo cogitẽt
diuites, qui facultatibus ſuis ſe redimere nolũt, ne
ſimilia patiãtur. Diues fuit ille de quo nunc loqui
mur. Sunt & hic diuites ad quos nunc loquimur.

Vnius ſunt nominis, caueãt ne ſint unius cõditio-
A nis. Ergo inter diuitem purpuratũ, & Lazarum ul
ceroſum mutatæ ſunt uices. Diues perdidit quod
habebat, pauper cœpit eſſe quod non erat. Diues
ille in ſeculo apothecas plenas reliquerat, & in in-
ferno guttam ardens petebat, & impetrare nõ po-
terat. Attendite fratres. Totum diuitis corpus flã-
mis gehennæ conſumitur, & ſola lingua amplius
cruciatur. Ideo ſine dubio in lingua maiorem ſen-
tit ardorem, quia per eam ſuperbe loquendo con-
tempſerat pauperem. Ipſa enim lingua quæ nolue
rat dicere ut eleemoſyna pauperi donaretur, gra-
uius gehennæ flãmis exuritur. Clamauit enim &
dixit, Pater Abraham mitte Lazarum ut intingat
digitum ſuum & refrigeret linguam meam. O di-
ues qua fronte quæris guttam, qui noluiſti porri-
B gere micam? Iuſte nunc exigeres ſi dediſſes. O mũ
di bona, apud inferos mala. Acceſſerunt ad ſeruiti
um diuitis ignes, & ad obſequium ſæui tortores.
Patitur duros tartarorum miniſtros. Torquetur
& clamat, O iuſte & integer iudex, uel ſecundũ
peccata mea compenſentur ſupplicia iſta, uel cõ-
tra ſpatia annorum meorum quibus habui bona,
mala recipiam, aut certe in duplum uel quadru-
plum. Cur per tot milia annorum me teneri iubes
in flamma? Peccatorum meorum ſum nexibus al
ligatus ne fugiam. Per momenta compungor ut
doleam. Sęuit in me ignis & non parcit, cruciat
& reſeruat, nec totum eſt quod punit, cui ſæuum
eſt quod ignoſcit. Poſt illas lamentabiles uoces,
potuit ei ſine dubio reſponderi, Quid faciam tibi?
C Eleemoſynas non feciſti, quæ peccatorum tuo-
rum pœnas extinguerent. Clamauit tibi ſcriptura
& non audiſti, Propheta non tacuit, Apoſtolus
prædicauit, Euangelium tonuit. Annunciatum
eſt ſupplicium impiorum, iuſtorum præmium eſt
repromiſſum. Tu umbras & nebulas ſeculi huius
tenere te credens, diuina præcepta uelut inanes
fabulas reſpuiſti. Interueniant pro te pauperes, &
quicquid petieris dono. Sed iuſto iudicio uicem
tibi reddo, Quia iudicium ſine miſericordia ei qui
non fecit miſericordiã. Non tibi poterit præſtare
iuſticia mea, niſi quod merentur opera tua. Sine
cauſa mortuus in poteſtate aliena poſitus clamas,
qui eo tempore quo potuiſti cum me uideres in
paupere cæcus eras. Fratres mei manu dei forma
D ti, magno mecum precio comparati, audite con-
ſilium domini dei noſtri, implete deſiderium pon
tificis ueſtri, ut cum ipſo accipiatis hæreditatem
in regno patris ueſtri. Ex ſeruo factus es amicus,
Cõtemne quod natus es, fac tibi uicem cum Chri-
ſto. Quare non accipiat partem de ſubſtantia tua,
qui tibi præmia præparauit æterna? Quare non ac
cipiat uel decimum, qui contulit totum? Contra
terrenum patrimonium deus offert cœlum. Sic e-
nim ait, Venite benedicti percipite regnum, quia Matt.25
eſuriui & dediſtis mihi mãducare. Tunc uos ſi mo
do eleemoſynas largiter fideliterq; facitis, feliciter dicere poteritis, Domine quando te uidimus
eſurientẽ, & miniſtrauimus tibi? Quid eſt hoc fra
tres? Conuenit fidelis debitor, & creditores excu
ſant

ſant? Tunc uobis reſpondebit pater, dominus &
amicus, cum quo feciſtis cœleſte commercium,
A Quàm diu feciſtis uni ex minimis meis, mihi feci-
ſtis. Nónne ego quæ accepi, terrena accepi? Cœle
ſtia reddam, dabo æternũ præmium, & ad partem
dexteram regnum. Non quia non peccaſtis, ſed
quia peccata ueſtra eleemoſynis redemiſtis. Ro-
go uos fratres ut iſta recipiant in animis ueſtris, &
ita proficiat peregrinis, ut ante tribunal æterni iu-
dicis, & mihi pro benigna admonitione uenia, &
uobis pro eleemoſynarum largitate æterna gloria
tribuatur, præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto,
cui eſt honor cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula
ſeculorum, Amen.

Item in eadem dominica, Homilia de eo quod
ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Matthæum,
B Nemo poteſt duobus dominis ſeruire &c. quæ ha
betur lib. ſecundo, De ſermone domini in monte,
cap. decimoquinto.

Dominica ſextadecima, de Iudith:

Sermo I.

SERMO CCXXVIII

ON ſufficit mortalis eloquentia iuſto-
N rum omnium orationes eximias atque
triumphos grauidasq; referre uirtutes,
quas omnipotens deus dedit eis quibus ſolet cõ-
ferre uictoriam, qui uiros ac fœminas uigere per-
miſit, qui & flãmam camini refrigerio diſperſit, &
inſidioſos exercitus capite ſublato nudauit. Nam
cum Holofernes ille filiorum Iſrael, imo ſui capi-
tis inimicus, exterarum gentium ſibi ius uendica-
ret, atq; obſidione, armis, ignibus quoq; pugna- C
ret, necnon & multarum gentium campos canis
meſſibus oneratos in cinerem paſcente flamma
conuerteret, Iudith ſanctiſſima cuius precibus pa
tuit cœlum, orationis arte arma uictricia fabrica-
uit, quibus aduerſa confligeret, & paueſcentes ui-
ros fœmina uindicaret. Squalebat ciuitas obſi-
dione barbaræ feritatis. Ita enim uniuerſa langue-
bant, ut in manibus hoſtium iam tradi cõmodius
iudicarent, quàm pernicioſæ famis populatione
uexari. Ecce Iudith poſt precem & ſaccum, poſt ci
nerem ad cultus puellares redit, ſpes omnium po-
pulorum procedit, ſolicitos populos redditura ſe-
curos ſua ſapientia conſolatur, quæ promittens ui
ctoriam quam omnis natio miraretur, portam ſibi
paululum remotis obicibus poſtulat aperiri. Pro-
D dijt ſecura unius puellæ comitatu contenta, & ho
ſtium ſecuris greſſibus properauit in caſtra. Intra
muros ſolicita fuit, ſecura fit dum ad timenda per-
uenit. In qua fœmina inſidioſæ pulchritudinis no
uitatem hoſtilis exercitus uehementer expauit, ut
in eius obſequio uires amitterent, arma proijce-
rent, & colla curuarent. Deducitur ad prætorium
ſubiectis ordinibus fraus Holofernis, & lugentis
uictoria ciuitatis. Quam cum uideret Holofernes
ſolutus eſt ſenſibus, animam cum capite perditu-
rus. Iacuit enim dedecus inuentum mulieris uul-
tu captiuus, licuit mulieri exarmare iuuenes, &
debellare uictores, ſolicitam defendere ciuitatem
& barbarum ſubuertere bellatorem. Decepit ſyn
cera corruptum, fefellit caſta pollutum, pudica
perimit adulterum, ſobria iugulat ebrioſum. Illa
A enim tã barbaros animos inſidioſi ſui uultus frau-
de confuderat, ut eum ligaret multarum arte fabu-
larũ, ut redderet inter exercitus uictum, & inter
arma captiuum. Paratur conuiuium regi, Iudith
intereſſe iubetur. Illa conſentit ut uincat, accedit
ad conuiuium, nihil de cibis aut de poculis hoſti-
um guſtatura, quę ſuis utenſilibus uoluit eſſe con-
tenta. Quamuis ille bellator armorum tam caſtiſ-
ſimæ fœminæ male ſanus attenderet uultum, illa
tamẽ quare uenerat de eius capite cogitabat, quo
ſublato defectis ciuibus ſubueniret, & multa ca-
pita tueretur, defenderet, uindicaret. At ubi con-
uiuij ſagina fines exceſſit, & grauis calicibus ſom-
nus ſucceſſit, uidens Iudith inimici corporis incli
natas ebrietate ceruices, ſurgens ipſius cruentum
B arripuit collum, comam quoq; barbari capitis ma
nu occupauit: domine, inquit, cõfirma brachium
meum. Et percuſſit tertio in collo eius, & amputauit caput eius. Exiens foras, tradidit puellæ ca-
put Holofernis, & miſit illud in peram, Et poſt pu
ſillum exiuit foras quaſi ad orationem ſecundum
cõſuetudinem, Ecce caſtitas. Orationis fauore ca-
ſtitas pudorem proprium ſeruauit intactũ & quie
tum, decepitq; alienũ. Iacet incluſum cadauer, &
iam foris eſt caput. Cum palmifera caſtitate Iudith
ad ciues ſoliçite feſtinat, nec prohibetur regreſſu,
cui quaſi ad orationem anteire fuerat conceſſum.
Iam recipit attonita ciuitas tantæ uictricis reditus
triumphales, iam luctus conuertuntur in gaudiũ,
iam portæ pleniſſima ſecuritate panduntur, iam
pendet muris uictoribus caput. Omnis erat in ci-
uitate victoria, & in hoſtilibus caſtris tremor erat
& fuga, Iudith in ciuitate cum ſecuris ſecura. Vbi
enim aſſiduis pulſatur orationibus cœlum, poten
tia ſemper calcatur armorum. Ecce glorioſę fœmi
næ caſtitatem ſeruauit oratio, & hoſtem ſeruare
non potuit multitudo. Lugentem ciuitatẽ una fœ
mina ualuit uindicare, & tantus exercitus regem
non potuit cuſtodire.

In eadem dominica de Iudith: Sermo II

SERMO CCXXIX

VOTIENSCVNQVE bellicus rumor
Q terribili fama crebreſcit, aut horriſono
tubarũ clangore, uel raucíſono æris can
tu increpuerit letiferum murmur, fœminis ac de-
bilibus formidoloſa imago mortis occurrit, intre-
pida uirorum fortium pectora ſolẽt laudis amore
flagrare, atq; bellica ſorte ubi funeſto imbre den-
ſati prælianteſ mortifera obumbratione texerint
partes conſertas ſub ſtridulo telorum curſu, euen
tu iam errantes lætifero, præcipiti ardore trium-
phales propinquãt ad palmas, Iudith bellator ani
mus alienũ pectus obſedit. Illa abiecta formidine
fœminarum victoriam in periculis quærens, nec
mortẽ in periculis timuit, nec ambiguitatẽ formi-
dauit. Cũ igitur Bethuliæ mœnia Holofernes ho-
ſtili obſidione calcaret, & auertens tractus aqua-
rum, prima indiceret certamina ſiccitatem, Iudith
flens ſui coniugis fœdera acerbo diſſidio rupta lu
gubri lamentatione ſeruabat. Quæ ut reperit ca-
ptiuandæ ciuitatis inducias poſtulatas, mox ei

priuatum dolorem congeminauit ciuitatis cõmu
A nis dolor. Quæ exorata consurgens abluit aqua
corpus suum, imponens sibi ornamentum pendu
las aureas diuitias suspendit, & manibus lapilla-
tos circulos splendẽtes induxit, fluentes sinus pur
pureæ uestis gẽmato collegit pectore, casto uultu
prius dimicatura ꝙ ferro. Monilium tela pudori
semper aduersa hostem ferire didicerũt. Gẽtis suæ
uindex sumpsit ornamentorũ arma, non de bello
nuptias subitura, sed de ciuitate bellatrix procedit
sponsa. Nec fuit leuitas ornatus, qui ad homicidiũ
tanti capitis aptabatur. Pergit diuino spiritu du-
cta, & singularis ancillæ solatio contenta. Species
custodit quæ blanditur, & ne uiolenter pudicitia
custodita lædatur, Holofernem alloquitur, ut desi
Iudith 11 derium inane cõcipiatur. Ego, inquit, ancilla tua,
B misit me dominus deus facere rem in qua mirabi-
tur omnis qui audierit eam, quoniam ancilla tua
deum cœli obseruo, & nunc ibo per noctẽ & ora-
bo ad dominum cœli, & nunciabit mihi quãdo fa
ciet hæc, & ducam te per mediam Iudæam, & po-
nam sedem tuã in media ciuitate, & canis non mu
tiet lingua sua contra te, quoniã mihi hæc ostensa
sunt à domino. Non decuit pudicam mentiri, non
intelligentibus dixit, perfecit actibus quod pro-
misit. Dum regi alto sermone imaginariꝭ uerbis
blandit̃, bellator animus lasciuia soluitur, in amo-
re armorum torpẽt uires innumerabiles militum,
luxu regifico nuptiarũ pompa nullo nubente con
struitur, cuncti ebrietate soluuntur. Non delicata
matrona pugnauit, sopor tibi quem ferias præpa-
C rauit. Constructo thalamo concitatur ad ducem
pronum amore, uictũ somno, elisum uirum in stra
to, bellatoris crines implicuit pulchritudine digi-
torum, post teneritudinem fusi, ebeni capulũ quę-
rit, Mucro matronam nõ terruit, sed armauit, quæ
ita pugnauit. Coruscus ensis caput abstulit hosti,
persoluitur, in patriꝭ mœnibus uictoria suspendi-
tur, Armis stupentibus cunei densatur, præposte-
ro ordine triumphant. Sequitur bellum, uino fusi,
soluti somno, in certamen nec clamore prouocan
te consurgunt, teguntur armis coruscãtibus mon-
tes. Quid alienigena fremis? Quid bella compo-
nis? Quid aciem paras habens quem in cubiculo
quæras? Omnem uarium furoris impetum retine,
D tantum uobis reliquimus ducem, agnoscendam
partem habemus in porta pendentem. Tantã ani-
mus de deo suscepit largitatem, quantam creduli-
tas sibi poterit uendicare.

Item in eadem dominica, homilia de eo quod
Luc.7 scriptum est in Euangelio secundum Lucam, Ibat
Iesus in ciuitatem quæ uocatur Naim, & cætera:
quæ habetur inter sermones de Verbis domini,
XLIIII.

Feria quarta de eo quod scriptum est in Euan
Matt.17 gelio secundum Matthæum, Cum uenisset Iesus
ad turbas accessit ad eum, & cætera. Et de ieiunio
& oratione: Sermo I.

SERMO CCXXX

A ADVERSVS dęmonum nequitiam, quę
nobis dominus arma ostẽdit, debemus
utiq; retinere. Hoc ait genus in nullo
eijcitur nisi oratione & ieiunio. Hæc cum plena fi-
de exercentur, pietas est. Pietas aũt ad omnia uti-
lis est, professionem habens uitæ præsentis & fu-
turæ. Inspiciamus ergo utiliter orationis fructus
& ieiunij, quia ipsa sunt arma aduersus improbas
cogitationes. Ieiunium purgat mentem, subleuat
sensum, carnem spiritui subijcit. Ieiunium cor facit
contribulatũ & humiliatũ, quod deus nõ spernit.
Ieiuniũ concupiscentiæ nebulas dispergit, libidi-
num ardores extinguit, castitatis uerũ lumen ac-
cendit. Ieiuniũ uerbositatem non amat, diuitias su
perfluitatẽ iudicat, superbiam spernit, humilitatẽ
commendat, præstat homini seipsum intelligere
quod est infirmũ & fragile: atq; dũ ita se intelligit
imbecillẽ, aptiorẽ uirtutẽ dei adiutorẽ quærit &
accipit, Quęrit aũt per frequẽtes orationes, & ob-
secrationes. Oratio quidẽ est refectio ieiuniorum,
aduocat gratiã spiritus sancti. Oratio duritiã cor-
dis mollit, austeritatẽ temperat, ieiuniũ dulcificat.
Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic &
ieiuniũ sine oratione nõ potest animam perfecte
nutrire. Quid aũt oratio nisi ascẽsio animæ de ter-
restribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, inui
sibilium desideriũ? Abeat dissensio seculariũ mo-
rum quibus premit̃ mens humana quotidie. Ora-
tio cõiunctio spiritus sancti, si tamen orationi in-
tentus sit animus: sicut clamat Propheta, Sitiuit in
te anima mea ꝙ multipliciter tibi caro mea. Quid
aũt sitiendum est sequitur: Vt uideat uirtutẽ. Cre-
dite mihi si ad uidẽdam plenam uirtutem dei, ple-
ne sitiant animæ humanæ substantiæ, nec fastidio
uicta dissimulet, replebitur adipe & pinguedine
spiritali. Et sitiens illam dei uisitationẽ sensu pro-
prio cum fide clamabit: Adhæsit anima mea post
te, suscepit me dextera tua. Ieiunium inertiã tollit Psal.62
de anima, impedimẽta carnalia aufert. Oratio ue-
ro perseuerans iũgit deo, atq; ita gaudens assistere
se domino gloriatur. Adhærẽs autem anima mea
domino, incipit securitatẽ habere & libertatem,
nec pauores sustinet timoris. Suscepta anima tan-
to patrocinio dexteræ dei, quomodo poterit no-
ceri ab aliqua potestate? Sicut scriptum est, quod
nemo illud rapit de manu patris, hoc præstat ieiu-
nium, hoc præstat oratio.

Dominica decimaseptima, de ebrietate
uitanda: Sermo I

SERMO CCXXXI

LICET propitio Christo fratres charissi-
mi credam uos ebrietatis malũ uelut in-
ferni foueã expauescere, & non solũ ipsi
non uelitis amplius bibere, sed nec alios adiurare
uel cogere plus quàm oportet accipere: tamen nõ
potest fieri nisi sint aliqui negligentes qui sobrij
esse non uelint: Vos qui semper conuiuia sobria
exhibetis nolite ad nostram iniuriam reuocare,
quia nobis necesse est aliquos ebriosos arguere.
Cum enim fratres charissimi ebrietatis malum
sit graue uitium & Deo odibile, ita per uniuersum
mundum à pluribus in cõsuetudinem missum est,
ut ab illis qui Dei præcepta cognoscere nolunt,
iam nec putetur nec credatur esse peccatum, in-
tantum ut in cõuiuiꝭ suis irrideant eos qui minus
bibere

bibere possunt, & per inimicam amicitiam adiu-
rare homines non erubescunt, ut potum amplius
accipiant quàm oportet. Qui enim alterum cogit
ut se plus quàm opus est bibendo inebriet, minus
malum ei erat si carnem eius uulneraret gladio,
quàm animam eius per ebrietatẽ necaret. Et quia
corpora nostra terrena sunt, quomodo pluuia ni-
mium grandis & diuturna si fuerit, terra infundi-
tur, & in lutum resoluitur, ut nulla in ea cultura
possit fieri: Sic & caro nostra quando abundan-
tiori potu fuerit inebriata, nec spiritalem culturã
accipere, nec fructus animæ necessarios poterit
exhibere. Et ideo quomodo omnes homines suf-
ficientem pluuiam in agris suis accipere deside-
rant, ut & culturam ualeant exercere & de fru-
ctuum ubertate gaudere: ita in agro corporis hoc
tantum deberent bibere quod oportet, ne per ni-
miam ebrietatem ipsa corporis terra uelut in palu
dem conuersa, magis uermes & serpentes uitio-
rum generare, quàm fructus bonorum operũ pos-
sit afferre. Omnes enim ebriosi tales sunt, quales
paludes esse uidentur. Quod enim in paludibus
nascatur, non ignorat charitas uestra, totum quod
ibi nascitur, nullum fructum habere cognoscitur:
Nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ: nascuntur
ibi ranæ & diuersa genera uermium, quæ magis
horrorem possunt generare quàm aliquid quod
ad uictum proficiat exhibere. Istæ enim herbæ uel
arbores quæ aut in ipsis paludibus aut circa ripas
earum nasci solent, nihil utilitatis habere uiden-
tur, in tantum ut in annis singulis incendio con-
cremẽtur. Videte quod de ebrietate nascitur igni
præparatur. Tales enim sunt sicut iam dixi omnes
ebriosi, quorum prandia ducuntur usque ad no-
ctem, quorum cœnas lucifer uidet, qui stare non
possunt, etiam cum uidentur esse ieiuni, quorum
sensus tardi, graues, obtusi, & quodammodo iam
sepulti. Denique in ipsa frequenter ebrietate nec
seipsos nec alios recognoscunt, nec ambulare ua-
lent, nec stare, dicere aliquid uel audire quod ad
rationem pertineat omnino nõ possunt. Frequen
ter etiam usque ad uomitum ingurgitare se non
erubescunt, & ad mensuras sine mensura bibere.
Maiora enim pocula prouidentur, certa bibendi
lege contenditur, qui poterit uincere, laudem me
retur ex crimine. Inde lites & rixæ nascuntur, inde
diuersis & horrendis saltationibus membra tor-
quentur, inde adulteria & nonnunquam homici-
dia perpetrantur. Et quotiens nimium potum ac-
cipiunt, tanquam in paralysim resoluti dum suis
pedibus ambulare non possunt, fœdissima latera
aliorum manibus portantur ad lectum. Et est in il-
lis oculorum caligo, uertigo, fatigatio & dolor ca
pitis, suffusio uultus, membrorum omnium tre-
mor, animæ ac mentis stupor. In talibus impletur
Prou.23 quod scriptum est, Cui uæ, cui tumultus, cui iræ,
cui rixæ, cui sine causa uulnera, cui suffusio ocu-
lorum? Nonne his qui morantur in uino, & eis
qui inuestigant ubi potus fiunt, & student calici-
bus epotandis. Sed illi qui tales esse uolunt mise-
rabiliter se excusare conantur, dicentes, Ingratum
habeo amicum meum si quotiens illum ad conui-
A uium uocauero, potum ei quantũ uoluerit ipse nõ
dedero, Et non sit tibi amicus, qui te Deo uult fa-
cere inimicum, qui & tuus & suus est inimicus. Si
& te & alium inebriaueris, habebis hominem ami
cum, habebis deũ inimicũ. Et ideo sapienter consi
dera si iustum sit ut te à deo separes, dum te ebrio-
so cõiungis. Ad extremum tu eum noli adiurare,
noli cogere, sed in potestate illius dimitte ut quan
tum sibi placuerit bibat, & si se inebriare uoluerit
uel solus pereat, & non ambo pereatis. O infelici-
tas generis humani, ꝙ multi inueniunt̃ qui ebrio-
sos & luxuriosos amplius ꝙ oportet cogunt bibe-
re, & ante ostium pauperibus petentibus uel unũ
calicem dissimulant dare: nec attendunt, quia il-
B lud quod luxuriosis uidentur ingerere, Christus
in pauperibus deberet accipere, qui dixit, Quod
fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis. Sed qui
tales sunt, quando alios in nimio potu sepeliunt,
pauperi eleemosynam petenti dicunt, uade uade
in ante, & dabit tibi deus, & utiq; dum ambulaue-
rit homo ei daturus est. Quid est ergo quod dicit,
uade in ante & dabit tibi Deus, nisi uade ad illum
hominem qui habet deum quia daturus est deus?
Ac sic ore suo ipse confitetur apud se deum nõ es-
se, quo inspirante possit erogare pauperibus. Ro-
go fratres charissimi, diligenter attendite & uide-
te, quia quando animalia ducuntur ad aquam ubi
saturauerunt sitim suam, etiam si supra aquam ip-
C sam diutius teneantur, repleta siti bibere nolunt
omnino, nec possunt. Considerent ebriosi si non
peiores animalibus iudicandi sunt. Cum enim ani
malia amplius ꝙ eis opus est bibere nolunt, illi &
duplum & triplum ꝙ eis expedit potum accipiũt.
Et unde trium aut quatuor dierum refectionẽ po
tuerant rationabilem habere, uno die cum grandi
peccato contendunt perdere potius ꝙ expende-
re propter inuidiã aut ebrietatem: atq; utinam po
tum tantũmodo perderent & non etiam ipsi peri-
rent. Quantum mali in se habeat ebrietas, rex ma-
gistrum pistorum cruci appendi fecit propter in-
uidiam aut ebrietatem. Populus aũt Iudæorum de
quo scriptum est, Sedit populus manducare & bi- Exod.32
bere, & surrexerũt ludere: postquã uinum plus ꝙ
D oportebat accepit, idola sibi fabricari fecit, & in
honore ipsorum idolorum cœpit phrenetico cho
ros ducere more, diuersis saltationibus membra
torquere. Herodes quoq; ubi nimio uino conca-
luit, ad unius puellæ saltationem sanctũ Ioannem
Baptistã interfecit. Quid adhuc de ebrietatis ma-
lo nascatur, spiritus sanctus per Salomonem te-
statur dicens, Vinum, inquit, & mulieres aposta- Eccl.19
tare faciunt à deo sapientes, & arguunt sensatos.
Et iterum, Ne intuearis uinum quando flauescit, Prou.23
cum splenduerit in uitro color eius. Ingreditur e-
nim blãde, & in nouissimo mordebit ut coluber,
& quasi regulus uenena diffundet. Oculi tui uide-
bunt extraneas, & cor tuum loquet̃ peruersa. Pau
lus etiã Apostolus contra ebrietatis malũ nos ad- Ephes.5
monet dicens, Nolite inebriari uino in quo est lu-
xuria. Iterum atq; iterum quid mali in se ebrietas
habeat

habeat, eis qui illam diligunt sanctarum scriptura
rum testimonijs euidenter ostendimus. In Salo-
Pro.12.13 mone scriptum est, Qui amat uinum & pinguia,
non ditabitur. Et iterum, Noli regibus dare uinũ,
quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas, ne
forte bibant & obliuiscantur iudiciorum Dei, &
mutent causam filiorum pauperum. Item hic ait,
Operarius ebriosus nõ locupletabitur. Et iterum,
Eccl.13 Vinum si bibas moderate, eris sobrius. Item illic,
Vinum in iucunditatem creatum est, non in ebrie
tatem ab initio. Exultatio animæ & corporis ui-
num moderate potatum, & sanitas corporis & a-
nimæ. Vinum multum potatum, ebrietatis ani-
mositas, imprudentis offensio, minorans uirtu-
tem & faciens uulnera. Sed quando ista suggeri-
mus, forte irascuntur contra nos & murmurant e-
briosi: quamuis non desint qui irascuntur, Deo ta-
B men propitio multi erũt qui libenter salubre con-
silium audiẽtes, de isto tam graui peccato per dei
misericordiam liberabuntur. Ipsi tamen qui con-
tra coalumnam & amicã suam ebrietatem loquen
tibus irascuntur, libera à nobis uoce audiant, quia
quicunq; ebriosus pœnitentiam de ipsa non ege-
rit, sed usq; ad mortem suam in ipsa ebrietate per-
manserit, in æternum profecto peribit, quia non
mentitur spiritussanctus per Apostolum dicens,
1.Cor.6 Neq; ebriosi regnum Dei possidebunt. Et ideo
quicunq; sunt ebriosi, melius faciunt ut nõ nobis
sed sibi potius irascantur, & cum Dei adiutorio de
luto fecis se excutiant, uel de cloaca ebrietatis, dũ
adhuc tempus pœnitendi est festinent, quãta pos-
sunt celeritate Deo auxiliante consurgere, & to-
C tis animæ uiribus cum Propheta supplicantes do-
Psal.68 mino dicant, Eripe me de luto ut non inhæream.
Et illud, Non me demergat tempestas aquæ, neq;
absorbeat me profundum, neq; urgeat super me
puteus os suũ. Ebrietas enim quasi inferni puteus
quoscunq; susceperit nisi digna subuenerit pœni-
tentia, & emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter
sibi uendicat, ut eosdẽ ipsos de inferni tenebroso
puteo ad charitatis uel sobrietatis lucem redire si-
ne pœnitentia non permittat. Sed hic ante omnia
intelligere & scire debemus, quia non una die effi
ciuntur homines ebriosi, sed cum paulatim adiu-
rantibus & cogentibus crudelissimis inimicis po-
tius quàm amicis, per singulos dies, singulos aut
binos calices ad potum consuetudinariũ addunt.
At ubi hoc in usum miserint, ita eos ipsius ardor
ebrietatis occupat, ut illos semper sitire compel-
lat. Sed qui se de hoc malo desiderat liberare, quo-
modo sibi interuallo dierum potum addendo ad
ebrietatis tenebras peruenit, ita paulatim subtra-
hendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui si semel to
tum quod amplius accipiebat subtraxerit, ubi ni-
mia siti cœperit exardescere cum grandi amaritu-
dine clamat & dicit, Malle se mori quàm sibi bi-
bendi uel inebriandi consuetudinem tollere: Nec
attendit q̃ tolerabilius erat illi in carne mori, q̃ in
anima per ebrietatem interfici. Et ideo ut nec ar-
dorem nimiũ patiatur, & de tam graui malo quod
patitur liberetur, sicut iam dictũ est, per interualla
dierum sibi aliquid de nimietate potius subtrahat
A quousq; ad rationabilem bibendi cõsuetudinem
redeat. Qui hoc ita ut diximus per partes subdu-
cere uoluerit, & de ebrietate liberabitur, & illã in-
tolerabilem pœnã non patiet. Ergo fratres chariss-
imi dũ hæc suggero, me absoluo apud deũ. Qui-
cunq; me audire contẽpserit, & ad bibendũ pro-
nus fuerit, uel in cõuiuio suo alios adiurare uel co
gere uoluerit, & pro se & pro illis in die iudicij re-
us erit. Et quia quod peius est, aliqui etiam clerici
qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt bibere a-
liquos plus q̃ expedit, amodo incipiãt & seipsos
corrigere & alios castigare, ut cum ante tribunal
Christi uenerint, nec de sua nec de aliorum ebrie-
tate incurrant suppliciũ. Sed magis dum & ipsi se
emendant & alios castigare nõ cessant, peruenire
B ad ęternũ præmium mereantur. Et illud ante om-
nia rogo, & per tremendũ diem iudicij uos adiu-
ro, ut quotienscunq; uobis inuicem cõuiuia exhi-
betis, illã fœdam cõsuetudinem per quam grandi
mensura sine mensura tres homines aut uolentes
aut inuiti solebant bibere, tanq̃ uenenum diaboli
de uestris conuiuijs respuatis, quia ista infelix con
suetudo adhuc de Paganorũ obseruatione reman
sit. Et quicunq; hoc in suo conuiuio aut alieno fie-
ri acquieuerit, diabolo se sacrificasse non dubita-
uerit. De qua bibitione non solum anima occidi-
tur, sed etiã corpus debilitatur. Sed credo de Dei
misericordia quòd ita uobis inspirare dignabitur,
ut tam lugẽdum & etiam erubescendum malum
ita uobis in horrorem ueniat, ut illud nũquam fie-
C ri permittatis, sed quod in illa ebrietate peritu-
rum erat, in pauperum refectionem proficiat, pre-
stante domino nostro Iesu Christo: Qui cum pa-
tre & spiritusancto uiuit & regnat deus in secula
seculorum, Amen.

In eadem dominica, de ebrietate uitanda:

Sermo II.

SERMO CCXXXII

F REQVENTER charitatem uestrã, fra-
tres charissimi, paterna pietate admonui
ut ebrietatis malum tanq̃ inferni foueã
uitare uel fugere deberetis. Et licet apud plures
proficeret castigatio, quàm multi tamen sunt qui
nec deum timent, nec eos qui honesti sunt uel so-
brij reuerentur, & tãtum bibunt ut interdum ne-
D cesse habeant uiscera nimio potu plena per uomi-
tum relaxare: & tanquam fractæ & naufragæ na-
ues, ita ipsius ebrietatis fluctibus fatigãtur ut nec
ubi sunt recognoscãt, & dicere aliquid uel audire,
quod ad rationem pertinet, omnino non ualeant.
Illud uero quale est q̃d ipsi infelices ebriosi quan-
do se nimio uino ingurgitant rident & uituperãt
eos qui rationabiliter hoc tantum quod sufficit bi
bere uolunt, dicentes eis, Erubescite & uerecun-
dia sit uobis, quare non potestis bibere quantum
nos. Dicunt enim eos non esse uiros. Et uidete mi
seriam ebriosorum. Se dicunt esse uiros qui in e-
brietatis cloaca iacent, & illos non dicunt esse ui-
ros qui honeste & sobrie stant. Iacent prostrati &
uiri sunt, stant erecti & uiri non sunt? Victor e-
brietatis uituperatur, & uictus ebrietate laudatur,

Irridetur sobrius, qui & se & alios potest regere:
& non irridetur, imo non plangitur ebriosus, qui
A nec se nec alios potest agnoscere. Solent ebriosi
ita se excusare ut dicant, persona potẽs me coegit
ut amplius bibam, & in conuiuio regis non potui
aliud facere. Ad excusandas excusationes in pec-
catis ista prætendimus, & quod implere nolumus
non potuisse nos dicimus. Nolle in culpa est no-
stra, & non posse prætenditur. Etiam si ad hoc ue-
niretur, ut tibi diceretur, Aut bibas aut morieris,
melius erat ut caro tua sobria occideretur, q̃ per
ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista
falso obijcitur. Ipsi enim reges & quicũq; sunt alij
potentes, quia Deo propitio & Christiani sunt &
prudentes & sobrij, & toto corde Deum timẽtes,
si te uiderent definisse ut ei non acquiescas pro ti-
B more Dei inebriari, si tibi sub mora uideantur ira-
sci, postea uero te in grandi admiratione suscipi-
unt dicentes, Quantum cum illo egimus, quan-
tis eum minis & terroribus fatigauimus, & tamen
nunquã eum à sobrietate separare potuimus. Nã
& Deus qui te uidet per eius amorẽ inebriari non
uelle, ipse tibi gratiam etiam illorum dabit qui te
ut amplius biberes uidebantur hortari & cogere.
Nemo dicat fratres charissimi, quod in istis tem-
poribus martyres non sint, quotidie martyres fi-
unt. Martyr enim testis interpretatur. Quicunque
ergo pro ueritate testimonium dederit, & omnes
causas cum iustitia iudicauerit, quicquid pro te-
stimonio ueritatis uel iustitiæ pertulerit, totum ei
dominus pro martyrio computabit. At sic & ille
C qui ebrietati resistit, si cum Dei adiutorio perseue
rare uoluerit, & pro ipsa ille aliquas pertulerit tri-
bulationes: omnia ei dominus ad martyrij glori-
am reputabit. Velim tamen scire fratres charissi-
mi, cum dominus habet plures seruos, si uel unum
ex illis uelit fieri ebriosum, sine dubio nullus tam
malus qui hoc uoluerit aliquãdo aut uelit. Et qua
fronte, qua conscientia qui seruum non uult ha-
bere ebriosum, ipse uult ebriosus fieri? Ecce de
donis Dei tu habes seruum, & te habet Deus ser-
uum, qualiter uis ut tibi seruiat seruus tuus, tali-
ter & tu seruire Deo tuo debes. Dic mihi rogo te,
si iustum tibi uidetur ut tu habeas seruum sobri-
um, & Deus habeat ebriosum, ac sic te dignum
iudicas, cui seruus sobrius seruire debeat? Hæc er-
go fratres charissimi diligenter attendite & con-
siderate, quia non est iustum ut faciamus Deo
quod nolumus nobis fieri. Forte dices, Quomo-
do Deo facio quod mihi fieri nolo? Aut quomo-
do tibi non placet seruum ebriosum habere, & tu
non uis sobrius Deo seruire? Ideo enim charissi-
mi tanta infelicitate se inebriant homines, quia pu
tant ebrietatem, aut paruum, aut nullum peccatũ
esse. Sed pro ista ignorantia maxime sacerdotes
in die iudicij reddituri sunt rationem, si cõmissis
sibi populis, quæ uel quanta mala de ebrietate na-
scuntur assidue noluerint prędicare. Qui ergo cre
dit ebrietatem esse paruum peccatum, si se non e-
mendauerit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiã non
egerit, cum adulteris & homicidis æterna sine re-
medio illum pœna cruciabit, secundũ illud quod
A ipsi bene nostis beatũ Apostolũ prędicasse, Neq;
inquit, fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; mol- 1 Cor. 6
les, neq; masculorũ concubitores, neq; auari, neq;
adulteri, neq; ebriosi regnũ dei possidebũt. Vide-
te ebriosos cum fornicatoribus & idolis seruienti-
bus, & masculorũ cõcubitoribus & adulteris iun-
xit. Et illud, Nolite inebriari uino in quo est luxu- Ephes.5
ria. Et ideo definiat ac deliberet unusquisq; apud
se ebrietatem graue esse peccatũ, & tunc aut nun-
quam aut difficile eum ebrietas poterit superare.
Cum enim non solum in futuro seculo propter e-
brietatem torquẽdi sunt homines, sed etiã in præ-
senti per ipsam ebrietatem multis frequenter infir
mitatibus fatigantur, uel morbum corporis time-
ant qui de animæ suæ salute non cogitant: oculo-
rum suffusionem atq; caliginem, capitis uertiginẽ
& membrorũ tremorem expauescant, qui inferni
supplicia non formidant. Et hæc quidem non solũ
laicis, sed etiam clericis dicimus, quia quod peius
est, multi sunt etiam maioris ordinis clerici, qui cũ
alijs sobrietatis bonum deberent iugiter prædi-
care, non solum hoc non faciunt, sed etiam & se
aliosq; inebriare non erubescunt nec metuũt. Sed
agnoscant & doleant quicunq; tales sunt, quia si
se noluerint emẽdare, & pro se & pro alijs necesse
est eos æterna supplicia sustinere. Illud uero qua-
le est quòd iam transacto conuiuio explera siti, cũ
amplius bibere non possint nec debeãt, tũc quasi
nouelli, quasi & qui ipsa hora superuenerint di-
C uersis nominibus incipiunt bibere, non solum ui-
uorum hominum, sed etiam angelorũ & reliquo-
rum antiquorum sanctorum, æstimantes q̃ maxi-
mum illis honorem impendant si se in illorum no
minibus nimia ebrietate sepeliant: ignorantes q̃
nullus tam grauem iniuriã sanctis angelis uel san-
ctis hominibus agnoscitur irrogare, quàm illi qui
in eorum nominibus bibẽdo per ebrietatem suas
animas probantur occidere. Sunt enim aliqui qui
sola ex causa aliqua falsa cibaria sibi ordinant fieri,
ut per ipsam fallitudinem nimia se possint ebrie-
tate obruere. Hæc enim si Pagani qui Deum igno
rant faciunt, nec mirandum est, nec nimis dolen-
dum, quia & in Deo spem non habent, antiquam
parentum suorum consuetudinẽ seruant: Christia
D ni uero quos Deus de tenebris duxit ad lucem, de
morte uocauit ad uitam, quibus omnes scripturæ
clamant ebrietatem fugere, sobrietatem diligere,
quare turpissimas illorum ebrietates comitantur,
de quorũ perfidia liberari per dei misericordiã me
ruerunt? Et ideo rogo & per tremendum diem iu
dicij uos adiuro, & ut quantum potestis ebrieta-
tis malum auxiliãte deo fugiatis, & iam uobis in-
cipiat uerecundum esse quod hucusq; gentibus &
Paganis in ebrietatis turpitudine uos uoluistis si-
miles exhibere. Et ideo quia Deo propitio illis
dissimiles estis in fide, similes esse in ebrietate pe-
nitus non debetis: Quia etiam si reliqua peccata
Christiani non admittãt, sola eos si frequens fuerit
ebrietas, & emendatio ac pœnitẽtia non subuene
rit, in inferni profunda prędcipitat, secundum illud

quod iam dictū est, Neq; ebriosi regnū dei possidebunt. Sed dicet aliquis, Ego regnum dei nolo, ęternam requiē tantum obtinere desidero. Nemo se decipiat fratres, duo enim loca sunt, & tertius non est ullus. Qui cū Christo regnare non meruerit, cū diabolo absq; dubitatione ulla peribit. Ad extremum qui amico suo nimium propinat, in anima efficitur inimicus, corpus quoq; eius debilitare & animam probatur occidere. Melius erat ut illud quod una die plus eum bibere coegit q̃ expedit, per duos aut tres dies ipsum amicum ad conuiuium reuocaret suum: & unde una die eum nimiū bibendo debilitauerat, ipsum in alijs diebus sufficiente potu reficeret, nec potum ille perderet, nec amicū deciperet. Aut certe quod est melius, quicquid nimio potu perditum erat gula, pauperibus daretur in eleemosynam: ut & caro rationabiliter bibendo reficeretur, & per misericordiam pauperum animæ redemptio præpararetur. Et nos quidem istam castigationem nō propter eos qui sunt honesti & sobrij diximus, quia cū dei subsidio multos nouimus parca & sobria conuiuia præparare. Et ideo uos qui pro Dei amore hoc tantum sumitis quod oportet, & quod ebriosis in terra perditur, à uobis per eleemosynam in cœlo reponitur: non uobis sufficiat ꝙ uos honesti & sobrij estis, sed quantū potestis ita castigate & corripite ebriosos, ut eis nunq̃ liceat uobis præsentibus amplius bibere q̃ oportet: ut dum & ipsi sobrietatem diligitis, & alios per uestram admonitionem ab ebrietatis perditione reuocatis, non solum pro uestra sed etiam pro aliorū salute duplicia uobis præmia in æterna beatitudine pręparetis. Et illud q̃ lugendum & erubescendum est fratres charissimi, ꝙ dicuntur aliqui rustici quando aut uinum habuerint aut alia sibi pocula fecerint, quasi ad nuptiale conuiuium, ita ad bibendū uicinos uel proximos suos inuitare, ut eos per quatuor aut quinq; dies teneant & nimia ebrietate sepeliant, & tamdiu ad domos suas de illa lugenda potatione non redeant, donec omnem potum quem ille qui eos inuitauerat, habuit, perexpendat, & unde se uel per duos aut tres menses cum omni familia sua rationabiliter reficere potuit, quatuor aut quinq; diebus dolenda aut erubescenda bibitione consumat. Ego fratres charissimi dum hæc humiliter & cum grandi charitate pro solicitudine paterna cōmoneo, absoluo apud deum cōscientiam meam. Qui uero me libenter audierit & fideliter quod ei prædicatum est implere uoluerit, habebit præmiū æternum. Qui aūt contempserit, timeat ne ei æternum necesse sit sine ullo fine sustinere supplicium. Sed credimus de misericordia dei ꝙ ita omnes ebriosi de ebrietatis malo ad bonū sobrietatis sunt per dei gratiam redituri, ut & nobis gaudium faciant, & ipsi feliciter ad æternum peruenire mereātur pręmium, Amen.

Item eadem dominica alius sermo factus ad fratres in eremo, qui inter sermones ad eosdem habetur XXIII.

Feria quarta quatuor temporum occurrentiū post festū exaltationis sanctæ crucis, de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Matthæum, Ecce unus accedens ait illi, Magister bone, &c.

Forte Eru dij presbyteri

Sermo I.

SERMO CCXXXIII

DOMINVS ac redēptor noster in Euangelio suo loquitur dicens, Cum dormirent homines uenit inimicus & superseminauit zizania.

Matt.13

Inimicus, in figura homo dictus est. Audi Apostolū dicentē, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino.

Ephes.5

Audi homo. Non enim ille dedit tibi tenebras, qui dedit tibi lucem. Quò uadis homo, quò traheris? Quid concupiscentias carnales sectaris, quando audis, Spiritu ambulate & concupiscentias carnis nolite perficere?

Gal.5

Audi potius dominum dicentem, Conuertimini ad me & conuertar ad uos.

Zach.1

Accedite ad eum & illuminamini, & facies uestræ non erubescent. Audi homo. Si recesseris à Deo, non effugies manum eius. Si autem ad eum accesseris, illico habebis eum, quia nusquam recedit. Audi Prophetam dicentem, Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero ad infernum ades.

Psal.138

Vbi ergo non est Deus quem tu fugis? Malus es tu, qui bonum fugis. Mors es tu, qui uitam fugis. Inuoluere te uis tenebris, ubi te abscondas, sed illum latere non potes, cuius oculi omnia uident. Ait autem Apostolus, Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?

Rom.6

Sequitur uox iudicis dicēs, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Matt.25

Ergo qui fugit dominum & recedit à Deo, ille confunditur & perit in sua impietate. Vt ergo non pereat tunc, nunc reuertatur ad dominum & illuminabitur, & uultus eius non erubescet. Dicam tamen fratres mei quod sentio, & quod dixero intelligite. Inter uos segetes Dei mixta sunt zizania, id est, amatores mundi, amatores pecuniæ, amatores deliciarum, consultores nugarum, omnes quærētes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. In Ecclesia Christi ficte intrantes, promittentes & non facientes, uouentes & non reddentes, renunciantes malo & iterum idem facientes: hæc amantes, zizania sunt. Non amant illi Christum, qui aliquid plus amant quàm Christum. Audi homo uocem domini Dei tui, Qui diligit, inquit, patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut filias, aut fratres, aut agros super me, non est me dignus.

Matt.10

Si uis tenere quod non habes, dimitte quod habes, ut amor Christi sit in corde tuo. Ecce petis à Deo & dicis, Domine da mihi. Quid tibi dabit, qui aliunde manus tuas uidet occupatas? Ecce dominus uult dare quæ sua sunt, & non habet ubi ponat. Vide ergo, Dimitte quod tenes, & accipis quod quæris. Dimitte tēporalia & caduca, & accipies æternam & perpetuam uitā. Dimitte terrena & accipis cœlestia. Ait aūt quidā ad Iesum, Magister bone quid boni faciam, ut habeam uitā æternā?

Matt.19

Vtiq; qui dicebat, quid boni faciam, uitā æternā desiderabat, sed plus amabat quod tenebat. Vidit dominus occupatas manus, dare uult, & non habet ubi ponat.

Occupatæ

Occupatæ sunt manus accipientium. Dicit enim tibi dominus, Vade uende omnia & da pauperibus, & pone illa in cœlo, quia in terra impediunt. Quid times ò homo dare pauperibus? Nō perdes ea, sed seruātur tibi in cœlo. Nō ut perdas iussi, dicit dominus, sed ubi ponas suggessi. Post hæc habebis homo thesaurum non in terra periturū, sed in cœlo permansurum. Aliquando uenit homini tribulatio, uenit timor dāni. Times ò homo ut nō pecuniam tuam perdas, times ne argentum tuum perdas, times ne possessionē tuam perdas, & non times ne tuipse totus pereas? Pro hoc dicis falsum testimoniū, pro hoc mētiris & rapis aliena, ꝓ hoc iuras & periuras, quod omnino lex uetat. Nónne cum hæc omnia facis, totus fœnum es, totus stipula, totus palea, & non times ne totus ardeas? Semper turbata est anima tua amorib. seculi. Dic, Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Psal.41

Auarus pro auro suo habet tristitiam, patit̃ tribulationem, habet pericula seruorū, pericula latronū. Auarus amat aurum plusquam animam suam, tu Christiane ama Christum plusquam om̄ia tua. Ille feruet in amore auri, tu Christiane ferue in amore Christi, & eris beatus in regno Christi. Audi ò homo: Aurum in terra est, & ex terra est, & terra, & pars terræ est. Impius dum diligit creaturam, offendit creatorem, & amittit eum qui creauit ex nihilo omnia. Audi ò homo nō tu perdis deum, sed ipse peris à deo. Ille est redēptor animæ quem uis amittere. Quid enim proderit tibi si totum mundum lucreris, animæ uero tuæ detrimentum patiaris? Expergiscere aliquando ò homo & ama Christum. Hæc est enim sapientia uera, id est, amare Christum. Multi enim dicunt & scire uolunt, quare illum uocat ad se dominus, & illum non uocat? uni subuenit, & uni non: hunc dignum habet, & illum indignum: istum honorat, & illum cruciat & affligit. Audi ò homo, Hūc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro operibus suis malis: quia debitor est dominus, & reddet bonis bona, & malis mala. Dicturus es forsitā. Quare ille sic? Respondet tibi dominus deus tuus, quia bonum non denegaui, sed dixi prius, Lauamini, mundi estote.

Esa.1

Quid uolebas? Quid quęrebas? Quid cupiebas? Gratiam dei. Ergo si gratiam dei quæris, aufer primū nequitiam ab anima tua, & à conspectu oculorū meorum. Iam cessa à malo & fac bonū, inquire pacē & sequere eam totis uiribus tuis. Et cum hęc feceris, & gratiā meam percipies, & oculi mei super te erunt, & aures meæ ad preces tuas, & priusquam me inquisieris dicam, assum. Faciamus bona fratres charissimi, ut mereamur in futuro seculo inuenire requiem, quā nobis dominus noster promisit dicens, Beati misericordes, quia ipsi misericordiā consequentur.

Matt.5

Et cum Propheta à domino exultātes dicamus, Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine.

Psal.100

Misericordiam inueniūt, qui sunt misericordes. Iudicium timeant contemptores, qui nec sibi parcunt nec miserent̃ alijs, qui dicunt, Peccemus & parcet nobis deus, quia misericors est & bonus. Omnino misericors & bonus est deus: sed q̄modo parcit, in futuro nō parcet. Iudiciū paratum habēt sine misericordia impij. Intelligamus fratres, & uideamus ubi spem nostrā ponere debeamus. Misericordia illi, qui fecit misericordiā. Beati misericordes, quia ipsis miserebit̃ deus. Spes est in dei misericordia, si ab opere misericordiæ nos nō fuerimus aridi. O homo quid quæris à deo misericordiā, si ipse non es misericors? Quid quęris à deo indulgentiā peccatorum tuorum, cum ipse tibi simili non indulges? Audi homo, audi uocē domini dei tui, ubi dicit ipse, Date & dabitur uobis. Dimittite, & dimittetur uobis.

Luc.6

Audi iterū ubi ipse dicis, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si em̄ tu nō dimiseris aduersario tuo, ipse tibi prius eris aduersarius. Ille te læsit auferendo pecuniam tuam, tu te lędis nō indulgendo aduersario tuo. Forsitan dicturus es, Nō illi parcam, quia me læsit multū, & sanguinē meum quæsiuit. Tu si non illi indulges, perditionem animę tuę habebis. Insuper adhuc dicis, Non illi parcam, quia aduersarius mihi fuit. Crede mihi homo, peior tibi eris aduersarius, si non illi parcas. Dicis tu, Ille me non rogat. Si te ille nō rogat, tu ꝓ illo roga, ut ei à domino dimittat̃ quod in te deliquit. Nam si tu dicis, nō illi parcam, litigare uis, non dimittere. Et qua fronte aut qua fiducia dicturus es domino tuo, Dimitte, quia ego dimisi? Considera ò homo & uide aliam legem in membris tuis repugnantē legi mentis tuæ & captiuantem te in legem peccati. Iam ipse captiuus traheris, & expoliatori irasceris? Nemo nobis imputet fratres mei, si per uos dominicam pecuniā duplicare nō potuerimus. Mali serui erimus, si non fecerimus quod nobis præceptum est. Si autem fecerimus, boni serui erimus, & cum domino sine fine lætabimur. Illum omnes amemus, per quem facti sumus. Illum diligamus, per quem redempti sumus. Pro illo nos inuicē diligamus in hoc seculo, ut cum eo gaudere mereamur pariter in futuro, quoniā sic placuit domino deo nostro de nobis, ut hic cōstituti cū uestra charitate cantemus ei. Laudemus dominū fratres lingua, corde, ore, & uoce. Sic enim sibi uult dici laudem, ut non sit inter nos discordia, sed uult esse in nobis concordiā uocibus & moribus. O felix laus in cœlo, ubi templū dei angeli sunt. Ibi est cōcordia summa laudantiū, ubi nulla lex in membris nostris repugnat. Ibi non est rixa, nec ulla cupiditas. Hic ergo cātemus domino laudem soliciti, ut illic possimus esse securi. Quare autē hic simus soliciti fratres mei? Audite quare, Quia tētatio est uita humana. Sic nanq; nos dominus exhortatur suo eloquio dicens, Vigilate & orate ut nō intretis in tētationē.

Matt.26 & 6

Non uis esse solicitus quādo uideris dicere, Dimitte nobis debita nostra? Quō es securus, q̄ quotidie uideris petere remissionē peccatorū? Quomodo es securus quando adhuc dicis, Dimitte mihi peccata mea: & iterū dicis, Et ne nos inducas in tētationem, sed libera nos à malo? Quomodo ergo uideris clamare, Libera nos à malo: si securus es? Audi homo, audi. Tu es malus, quando

te deus

te deus liberat à teipso malo. Vides aliam legẽ in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ & captiuantẽ te in lege peccati. Audi quid sumus nos, quid nobiscũ portamus? Quãdiu in corpore mortis huius continemur, uitium nobiscũ portamus. Psal.141 Audi iterum prophetam dicẽtem, Domine educ de carcere animam meam. Carcer meus est, usque dum in corpore mortis fuero. Nam quando fuero de hoc corpore liberatus, terra terræ redditur, spiritus cœlo recipitur. Vado ergo, dimitto terrã, quia quamdiu hic ium, mente seruio legi dei, carne autem legi peccati. Dicet aliquis perfidorum, Ergo cum fueris ab hac carne liberatus, iam non eris tu nisi spiritus. Audi ergo hæretice. Carnem quã dico, non in æternum pono, sed hic depono. Respõdet incredulus, Ergo rediturus es ad corpus mortis? Et unde tam piam uocẽ clamasti: Educ de carcere animã meam? Audi imperite & cõtra quotidianas lectiones surde: Redeo ad corpus nõ mortis huius, quia corruptibile hoc induetur incorruptione, & mortale hoc induet immortalitate. Modo est animale, tunc erit spiritale. Nemo potest accipere æternale, nisi prius temporale dimiserit. Ergo dimitte tẽporale hoc malum, ut accipias æternale illud bonum. Audite fratres & cauete. Hic enim iter agimus, & in itinere positi sumus, nõdum in patriã peruenimus. Caueamus eos qui in itinere nobis insidiantur, quia hic agunt aduersus nos, ne ad patriã nostram, id est, ad paradisum reuertamur. Terra aũt ista morientiũ est: Illa uero uiuẽtiũ est, de qua Propheta dicebat, Credo uidere bona domini in terra uiuentium. In illa aũt terra semper uiuet & nunquam morietur. Lucet terra illa plus q̃ species argenti, ubi ciues iustorum angeli sunt. Illi in terra illa gaudent, nos in terra ista lugeamus ut ad illorũ gaudia peruenire mereamur. Videte fratres: Ecce hic in itinere positi sumus, insidiator noster diabolus aduersatur in uia, nobis quærit nocere ne in terram uiuentiũ reuertamur. Duo enim sunt præcepta dilectissimi quæ nobis omnino sunt obseruanda, id est, diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tãquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Quicunq; enim in his duobus præceptis ambulauerit, festinet in uia, & perueniet ad patriam paradisi, ubi lætantur omnes sancti in gloria redẽptoris sui & laudem dicunt nomini sancto eius, qui erepti sunt de hac peregrinationis ærumna, & uiuũt semper in lætitia sempiterna.

Sabbato quatuor temporum occurrentiũ post festum sanctæ crucis, homilia de eo quod scriptũ est secundum Lucam, Dicebat Iesus turbis hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam, & cætera, quæ habetur inter sermones de uerbis domini: XXXI.

Dominica decima octaua, de eo quod dominus interrogauit Iudæos cuius filium dicerent esse Christum.

Sermo I

SERMO CCXXXIIII A

INTERROGATI Iudæi sicut nũc ex Euangelio cum recitaret audiuimus, quomodo esset dominus noster Iesus Christus filius Dauid, quem dñm suum dixerit ipse Dauid, respondere nõ potuerunt. Hoc enim in domino nouerant quod uidebant. Apparebat enim eis filius hominis, occultus autẽ erat filius dei. Hinc est quod eum & superari posse crediderunt, & ligno suspensum irriserunt, dicẽtes, Si filius dei est Matt.27 descendat de cruce & credimus in eum. Aliud uidebant, aliud non cognoscebant. Si enim cognouissent, nunq; dominũ gloriæ crucifixissent. Sciebant tamẽ Christum filiũ Dauid. Nam etiam nunc ipsum sperant esse uenturum. Latet eosq; uenerit, sed uolentes latet. Neq; em̃ si pendentem non agnouerunt, & regnantem agnoscere nõ debuerũt. In cuius enim nomine uocantur & benedicuntur omnes gentes, nisi in eius quem putant Christum non fuisse? Ipse enim filius Dauid, utiq; ex semine Dauid secũdum carnẽ, filius est Abraham. Si aũt dictum est ad Abraham, In semine tuo benedicentur omnes gentes, & uident iam in Christo nostro benedici omnes gentes, quid expectãt quod iam non uenit, & non timent quod uenturũ est? Lapidem enim se dixit ipse dominus noster Iesus Christus, prophetico ad se asserendum utens eloquio. Lapidẽ aũt talem, ut si quis in eum offenderit, conquassetur, super quem aũt lapis ille uenerit conterat eum. Quando enim in eum offenditur, humilis iacet, iacendo humilis quassat offendentẽ, ueniẽdo excelsus conterit superbiẽtem. Iam ergo Iudæi illa offensione quassati sunt, restat ut eius præclaro aduentu etiam conterantur, nisi forte cum uiuunt agnouerint ne moriant. Patiens enim est deus, & illos quotidie inuitat ad fidem. Sed cum Iudæi respondere nõ possent domino proponẽti quæstionem & dicẽti, Cuius filium dicerẽt Christum, atq; illi respõderent, filium Dauid: addenti & proponenti, quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum dñm, dicens, Dixit dominus domino meo, sede ad Psal.109 dexteram meam, donec ponã inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo Dauid, inquit, in spiritu dicit eum dominũ, quomodo est filius eius? Non dixit, nõ est filius eius, sed quomõ est filius eius? Quomodo cũ dicit, uerbũ quærentis est non negantis, tanq; si hoc eis diceret, Bene quidem dicitis Christum filium Dauid, sed ipse Dauid dñm eum dicit. Quem dicit ille dominũ, quomodo est filius? Dicerent Iudæi si instructi essent fide Christiana, quã nos tenemus, si contra Euangeliũ corda non clauderent, si uitã spiritalẽ in se habere uoluissent, responderent huic quæstioni & dicerent, Quoniã in principio erat uerbũ, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Ecce quomodo est dominus Dauid. Sed quia uerbũ caro factum est, & habitauit in nobis: ecce quomõ est filius Dauid. Sed nescientes obmutuerunt, nec ore saltem clauso aures aperuerunt, ut quod respõdere nõ potuerũt interrogati, nossent edocti. Sed quia magnum est nosse mysteriũ, quomodo sit dominus Dauid & filius

& filius Dauid, quomodo sit una persona homo & deus, quõ sit in forma hominis minor patre, in forma dei æqualis patri, quomodo iterum dicit, Iohan.14 Et pater maior me est, Et ego & pater unum sumus: quia magnum est sacramentum, ut capi possit, mores informandi sunt. Indignis enim clausum est, promerentibus aperitur. Nec lapides, nec uectes, nec pugni, nec calces sunt quibus pulsamus ad dominum. Vita pulsat, uitæ aperitur. Corde petitur, corde quæritur, corde pulsatur, cordi aperitur. Cor autẽ hoc quod recte petit, rectecq; pulsat, & quærit, pium esse debet. Primo amare deum gratis, Hæc est enim pietas: nec sibi extra illum ponere mercedem, quã expectet ex illo. Illo enim melius est nihil. Et quid charum petit à deo, cui ipse deus uilis est? Terrã dat, & gaudes, amator terræ, & factus terra. Si gaudes quãdo dat terram, quanto amplius gaudere debes cũ seipsum dat tibi qui fecit cœlum & terram? Gratis ergo amandus est deus. Nam diabolus hoc sancto Iob nesciẽs quod in illo intus ageretur, magnum crimen obiecit dicens, Iob 1 Nunquid gratis colit Iob deum? Ergo si aduersarius hoc obiecit, timere debemus ne hoc nobis obijciatur. Cũ magno enim calumnioso habemus negociũ. Si quærit fingere quod nõ est, quanto magis obijcere q̃d est? Gaudeamus tamẽ, quia talis est iudex qui falli ab accusatore nostro nõ potest. Nam si hominem haberemus iudicem, huic quicquid uellet fingeret inimicus. Nemo est em̃ diabolo astutior falsa crimina ad confingendum. Nam & nunc omnia falsa crimina de sanctis ipse confingit. Scit suas criminationes ualere non posse apud deum, inter homines illas spargit. Et hoc ei quid prodest, cũ dicat Apostolus, Gloria nostra 2 Cor.1 hæc est testimoniũ conscientiæ nostræ. Putatis tamẽ qa ille falsa crimina nulla astutia cõfingit. Nouit quid inde mali agat, nisi ei resistat uigilantia fidei. Ideo enim & de bonis mala spargit, ut infirmi non putent aliquos esse bonos, & tradant se rapiendos libidini & dissipandos, dicentes apud seipsos, Quis est enim qui seruat mandatum dei, aut quis est qui seruat castitatem? Dum putat quia nemo, ipse fit nemo. Hoc ergo agit diabolus. Sed talis erat uir Iob, de quo nihil posset confingere. Nota enim erat & nimis clara uita eius. Sed quia multas habebat diuitias, hoc obiecit. Quod & si esset, in corde esse posset, in moribus apparere non posset. Colebat deũ, faciebat eleemosynas, & q̃d corde faciebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus, sed deus nouerat. Perhibet deus testimoniũ seruo suo: diabolus calumniat seruo dei. Permittitur illi tentari, probatur Iob, cõfunditur diabolus. Inuenitur Iob gratis colere deum, gratis diligere. Non quia aliquid, sed quia seipsum non abstulit. Ait em̃, Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomẽ domini benedictum. Ignis tentationis accessit, sed aurum nõ stipulam inuenit. Abstulit & sordes, non conuertit in cinerem. Quia ergo ad sacramẽtum dei intelligendũ, quomodo Christus & homo & deus sit, cor mundandum est. Mundatur autem moribus, uita, castitate, sanctitate, dilectione, & fide quæ per dilectionem operat. Hoc autem quod loquor, totum tanquam arbor est quæ radicem habet in corde. Neq; em̃ facta procedũt nisi de cordis radice, ubi si plantaueris cupiditatem, spinę procedunt. Statim dominus post illam quæstionem propositam Iudęis, illis respondere non ualentibus, subiecit de moribus loqui, ut ostenderet quare illi indigni fuerint intelligere quod interrogauit. Miseri enim, superbi cum respondere non possent, utiq; debuerunt respondere: Nescimus nos, Magister dic nobis. Obmutuerunt in propositione, nec os aperuerũt ad inquisitionem. Et statim dominus de superbia illorum, Cauete, inquit, à scribis, qui amãt præsidere in synagogis, & diligunt primum locum in conuiuijs. Matt.23 Non quia accipiunt, sed quia diligunt. Hic enim cor eorum accusauit. Accusator cordis autẽ esse non posset, nisi cordis inspector. Oportet em̃ ut seruo dei habenti aliquẽ honorẽ in ecclesia deferatur primus locus, quia si nõ deferatur, malum est illi qui nõ defert, non tamen bonum est illi cui defertur. Oportet ergo ut in congregatione Christianorum præpositi plebis eminẽtius sedeant, ut in ipsa sede distinguantur & eorum officium satis appareat, nõ tamen ut inflentur de sede, sed ut cogitẽt sarcinam unde reddituri sunt rationẽ. Quis autem nouit, utrum hoc ament an nõ ament? Res ista cordis est, iudicẽ habere nõ potest nisi deum. Ipse aũt dominus admonebat suos ne incideren in tale fermentum, quod alio loco dicit, Cauete à Matt.16 fermento Pharisæorum & Saducæorum. Et cum putarẽt illi propterea hoc eum dicere quia panes non intulerant: respondit eis, Excidit uobis quot milia saturati sunt ex quinq; panibus? Tunc intellexerunt, inquit, quia fermentum doctrinam eorum dicebat. Amabãt enim illi ista temporalia, æterna uero nec timebant mala, nec diligebant bona. Clauso corde intelligere non poterant quod dominus interrogauit. Quid autem faciat dei ecclesia ut possit intelligere quod prima meruit credere? Faciat capacem animum ad recipiendum quod dabitur. Quod ut fieret, id est, ut capax animus esset, dominus deus noster suspendit promissa, non abstulit. Ideo suspendit, ut nos extendamus. Ideo nos extẽdimus, ut crescamus. Ideo crescimus, ut attingamus. Vide Apostolum Paulum in suspensa extensum, Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim: Fratres, ego me non arbitror apprehendisse. Vnum autem, quę retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ uocatiõis dei in Christo Iesu. Ille in terra currebat sed in spiritu ascendebat. Vide ergo extentum, uide ad suspensa pendentem. Sequor, inquit, ad palmam supernæ uocationis dei in Christo Iesu. Ambulandum ergo est, nec pedes ungendi, nec iumenta quærenda, nec nauis prouidenda. Affectu curre, amore ambula, charitate ascende. Quid quęris? Viam. Inhære Christo, qui descendendo & ascendendo seipsum fecit uiam. Vis ascendere? Ascendentem tene. Tu enim per teipsum leuare te non potes,

Ioan.3 Quia nemo aſcẽdit in cœlum niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo. Si nemo a-
A ſcendit, niſi qui deſcendit: ipſe autem eſt filius hominis dominus noſter Ieſus, uis & tu aſcendere, membrum ipſius eſto qui ſolus aſcendit. Etenim ille caput cum cæteris mẽbris, unus homo eſt. Et cum aſcẽdere nemo poteſt, niſi qui in eius corpore membrum ipſius factus fuerit, impletur quia nemo aſcẽdit niſi qui deſcẽdit. Non em̃ potes dicere, Ecce quare aſcendit, uerbi gratia, Petrus, quare aſcendit Paulus, quare aſcenderunt Apoſtoli, ſi nemo aſcendit niſi qui deſcendit? Reſpondetur tibi, Petrus, Paulus, cęteri apoſtoli, & omnes fide-
1.Cor.12 les quid audiunt ab Apoſtolo? Vos autẽ eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte. Si ergo corpus
B Chriſti & membra ſũt, noli facere duos. Reliquit enim ille patrem & matrem, & adhæſit uxori ſuæ ut eſſent duo in carne una. Reliquit patrem, quia non hic oſtendit ſe æqualem patri, Semetipſum enim exinaniuit, formam ſerui accipiẽs. Reliquit & matrem ſynagogã, de qua carnaliter natus eſt. Adhæſit uxori ſuę, id eſt, eccleſię ſuæ. Quod teſti-
Matt.19 monium & ipſe cum commemoraret quòd ſeparari non liceret coniugium, demonſtrauit, Non legiſtis, inquit, quia deus qui fecit ab initio maſculum & fœminam fecit eos? Erunt duo, inquit, in carne una. Quod ergo deus coniunxit, homo nõ ſeparet. Et quidem duo in carne una. Sequitur & dicit, Igitur iam non duo, ſed una caro. Nemo aſcendit, niſi qui deſcendit. Nam ut noueritis quia unus homo eſt ſponſus & ſponſa ſecundũ carnem Chriſti, non ſecundum diuinitatem: nam ſecun-
C dum diuinitatem quod eſt ille, nos eſſe non poſſumus, quia ille creator, nos creatura, ille effector, nos facti, ille conditor, nos conditi: ſed ut eſſemus cum ullo unum in illo, caput noſtrum eſſe uoluit accipiẽdo carnem ex nobis in qua moreretur pro
Eſa.61 nobis. Vt noueritis ergo quia hoc totum unus eſt Chriſtus, per Eſaiam dixit, Sicut ſponſo alligauit mihi mitrã, & ſicut ſponſam induit me ornamẽto. Ipſe ſponſus, ipſe ſponſa. Ipſe plane ſpõſus in capite, ſpõſa in corpore. Erunt, inquit, duo in carne una, & non iam duo, ſed una caro eſt. Itaq; ad membra ipſius pertinentes, ut hoc ſacramentum intelligamus, ut dixi, fratres pie uiuamus, deum gratis diligamus. Ipſe autẽ qui oſtendit peregrinantibus formam ſerui, ſeruat peruenientibus formam dei.
D De forma ſerui ſtrauit uiam, de forma dei cõdidit patriam. Quia ergo multũ eſt ad nos capere hoc, ſed non eſt multum credere hoc, Niſi enim credideritis ait Eſaias, non intelligetis: ambulemus per fidem quamdiu peregrinamur à domino, donec ad ſpeciẽ perueniamus, ubi uidebimus facie ad faciẽ. Et ambulantes per fidem, bene operemur. In
Pſal.100 bonis operibus gratuita ſit dilectio dei, benefica ſit dilectio proximi. Deo enim quod præſtemus non habemus: ſed quia proximo habemus quod præſtemus, præſtãdo indigẽti promerebimur abundantem. Inde unuſquiſq; quod habet, præſtet alteri. Quicquid plus habet largiatur inopi. Alius habet pecuniam, paſcat pauperem, ueſtiat nudũ, ædificet eccleſiã, operet̃ de pecunia quicquid bo-
A ni poteſt. Alius habet conſiliũ, regat proximum, pellat tenebras dubitationis luce pectoris, Alius habet doctrinam, eroget de cellario domini, miniſtret conſeruis cibaria, cõfortet fideles, reuocet errantes, quærat perditos, quãtum poteſt faciat. Eſt quod ſibi pauperes etiam erogẽt, alius claudo pedes accõmodet, alius cęco ſuos oculos duces prębeat. Alius uiſitet infirmũ, alius ſepeliat mortuũ. Sunt iſta in omnibus, ut prorſus difficile inueniatur aliquis qui nõ habeat unde alteri aliquid præſtet. Et illud extremũ & magnum quod ait Apoſtolus, Inuicem onera ueſtra portate, & ſic adim-
Gal.6 plebitis legem Chriſti.

In eadem dominica, de eodem de quo ſupra:

Sermo II

SEMRO CCXXXV A

QVAESTIONEM propoſitã Iudæis, debẽt ſoluere Chriſtiani. Dominus em̃ Ieſus Chriſtus qui eã Iudæis propoſuit, ipſe non ſoluit Iudęis, nobis autem ſoluit. Et commemorabo charitatem ueſtrã, & inuenietis quia ſoluit, primo nodum uidete quæſtionis. Quæſiuit à Iudæis quid eis uideretur de Chriſto, cuius eſſet filius, quia & ipſi ſperant Chriſtum. In Prophetis legerũt, uenturum expectauerunt, præſentem occiderunt: quia ubi legebant uenturum Chriſtum, ibi legebant quia occiſuri erãt Chriſtum. Sed illius futurum aduentum ſperabant in Prophetis, nã futurum ſuum facinus non uidebant. Sic ergo eos interrogauit de Chriſto, non quaſi de incognito aut cuius nomẽ nunquam audiſſent, aut cuius aduentum nunquam ſperaſſent. Nam quoniam adhuc eum ſperant, ideo errant. Equidem & nos ſperamus eum, ſed uẽturum iudicem, non uenturum iudicandum. Prophetę autem ſancti utrunq; prophetauerunt, Venturũ eum iniuſte prius iudicandum, uẽturum poſtea iuſte iudicaturum. Quid ergo, inquit, uobis uidet̃ de Chriſto cuius filius eſt? Reſponderunt illi: Dauid. Prorſus de ſcripturis. Quomodo Dauid in ſpiritu uocat eum dominũ: dicẽs, Dixit dominus domino meo ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid in ſpiritu uocat eum dominũ, quomodo filius eius eſt? Hic cauendum eſt ne putetur Chriſtus ſe negaſſe filium eſſe Dauid. Non ſe filiũ Dauid negauit, ſed modum quæ-
D ſiuit. Dixiſtis filium eſſe Dauid, non nego: ſed ſi ille eum dominum uocat, dicite mihi quomodo ſit filius, q̃ eſt dominus? Dicite quomodo? Illi non dixerunt, tacuerũt. Dicamus & nos, exponente ipſo Chriſto. Vbi? Per Apoſtolum ſuum. Prius inde probemus, quia ipſe Chriſtus expoſuit. Apoſtolus dicit, An uultis experimentũ accipere eius qui 2.Cor.13
in me loquit̃ Chriſtus? Ergo per Apoſtolũ iſtum dignatus eſt ſoluere queſtionem. Primum per Apoſtolũ loquens Chriſtus, quid dixit ad Timothe- 2.Tim.2
um? Memor eſto Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid, ſecundum Euãgelium meum. Ecce Chriſtus filius eſt Dauid: Quomodo eſt & dominus Dauid? Dic Apoſtole, Qui cũ in forma dei eſſet, nõ rapinã arbitratus eſt eſſe ęqua- Philip.2
lis deo

lis deo. Agnoſce dominum Dauid. Si agnoſcis dominum Dauid, dominum noſtrum, dominum cœ-
A li & terræ, dominum angelorum, æqualem deo in forma dei: ſi agnoſcis unde filius Dauid, attende quod ſequitur. Apoſtolus dominum Dauid tibi oſtendet dicendo, Qui cũ in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ęqualis deo. Filius Dauid unde? Semetipſum exinaniuit formã ſerui accipiẽs, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & deus illum exaltauit. Reſurrexit Chriſtus ex ſemine Dauid, filius Dauid, quia exinaniuit ſe. Quomodo exinaniuit? Sumendo quod non erat, non perdendo quod erat. Exinaniuit ſe, humiliauit ſe. Cum eſſet deus, homo apparuit.
B Contemptus eſt in terra ambulans, qui cœlum fecit. Contemptus eſt quaſi homo, quaſi nullius uirtutis. Non ſolum contemptus, ſed inſuper & occiſus. Lapis erat iacẽs, offenderunt in eum Iudæi, &
Matt.21 quaſſati ſunt. Quid autem ait ipſe? Qui offenderit in lapidem iſtum, cõquaſſabitur. Super quem uenerit lapis iſte, conteret eum. Prius iacuit & offenderunt. Veniet deſuper, & cõteret quaſſatos. Accepiſtis & filium Dauid, & dominũ Dauid. Dominum Dauid ſemper, filium Dauid ex tempore. Dominum Dauid natum de ſubſtantia patris: filium Dauid natum ex Maria uirgine, conceptũ de ſpirituſancto. Vtrunq; teneamus. Vnum horum nobis erit habitatio ęterna, alterum horum nobis eſt à peregrinatione liberatio. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus niſi dignatus eſſet fieri homo, periſſet homo. Factus eſt q̃d fecit, ne periret quod fecit. Homo uerus, deus uerus. Deus & homo totus Chriſtus. Hæc eſt catholica fides. Qui negat dominum Chriſtum, Photinianus. qui negat hominem Chriſtum, Manicheus. qui confitetur dominum ęqualem patri Chriſtum & hominem uerum, paſſum uere, ſanguinem fudiſſe uerum: non enim ueritas nos liberaret, ſi falſum precium pro nobis daret: utrunq; qui confitetur catholicus eſt.
Ioan.1 Philip.3 Habet patriã, habet uiam. Habet patriã, In principio erat uerbum. Habet patriã. Cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis deo. Habet uiã, Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Ipſe patria quò imus, ipſa uia quà imus.
D Per ipſum ad ipſum eamus, & non erramus.

Item in eadem dominica, Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Matthęum, Acceſſerunt ad Ieſum phariſæi, Et interrogauit eum unus ex legis doctoribus &c. quę habetur in libro quinquaginta Homiliarum XXXVIII.

Dominica decimanona, De eo quid ſit homini facere bonum. Sermo I

SERMO CCXXXVI A

LECTIONES diuinorum eloquiorũ cum recitarentur, audiuimus. Ea nobis eſt materies loquendi propoſita, inde ſapere de
Sap.7 bemus, inde ſeminare quod ſapimus, adiuuante illo, in cuius manu ſunt, ſicut ſcriptum eſt, & nos &
Pſal.55 ſermones noſtri. Nec fruſtra alio loco ſcriptũ eſt, Laudabo ſermonem, in domino laudabo uerbũ.

Hoc laudat̃ in domino quod dat dominus. Quan-
A uis ergo infirmi ſimus, uaſa tamen ſumus eius, capimus quantum poſſumus, cõmunicamus ſine liuore q̃d capimus. Suppleat ille in cordibus ueſtris quod nos minus fecerimus, quia & q̃d operamur in aurib. ueſtris, quid eſt, niſi ille agat in cordibus ueſtris? Lectio prima prophetica quid nobis commẽdauerit, me commemorante recolite. Quid dignum, inquit, offeram domino? Quęrebat homo ſacrificiũ quo placaret deũ, uel quo placeret deo, Curuabo, inquit, genu deo excelſo, placabo eum Micheæ 6
in milibus taurorum, aut in denis milibus caprarum pinguiũ, aut offeram deo fructum uẽtris mei pro peccato animæ meę? Reſpõdetur ergo tibi ò homo. O homo à quo reſpondetur, niſi à quo fa-
B ctus es homo? Reſpondetur ergo ò homo quęrẽti quid offeras deo, & unde places dominum, uel unde placeas deo. Reſpõdetur tibi quid ſit bonũ: aut quid aliud dominus requirat à te, niſi ut facias iudiciũ & iuſtitiam, & diligas miſericordiam, paratuſq; ſis ire cũ domino deo tuo? Quęrebas quid offerres pro te, Offer te. Quid em̃ dominus quærit à te, niſi te? Quia in omni creatura terrena nihil melius fecit te. Quærit te à te, quia tu perdideras te. Si autem facias quod iuſſit, inuenit in te iudicium & iuſtitiam. Iudiciũ primo in teipſo, iuſtitiam ad proximũ tibi. Quomodo iudicium in teipſo? Vt diſpliceas tibi quod eras, & poſſis eſſe q̃d non eras. Iudicium, inquam, de teipſo in teipſo ſine acceptiõe perſonæ tuæ, ut non parcas peccatis tuis,
C nec ideo tibi faciant quia tu facis. Nec te laudes in bonis tuis, & deum accuſes in malis tuis. Hoc enim eſt peruerſum iudicium, & ideo nec iudicium. Vt enim oſtẽderet deus peruerſum iudicium non eſſe iudicium, non ait, quid dominus quęrit à te, niſi facere rectum iudiciũ: ſed facere, inquit, iudicium. Si em̃ rectũ, tũc iudiciũ. Si aũt peruerſum, non iudicium, ſed uitiũ. Quid ergo faciebas quando te perdideras, & poſt tuam perditionem ibas? Ibas & non rediba. Quid faciebas? Scio quid faciebas. In bonis tuis te laudabas, in malis tuis deũ blaſphemabas. Hoc eſt peruerſum iudicium, & ideo, ut dixi, nec iudiciũ. Vis ergo facere rectum iudicium? Hoc eſt iudicium, illud q̃d faciebas, corrige præpoſtera & rectũ erit. Quid eſt corrige? Deũ
D lauda in bonis tuis, te accuſa in malis tuis. Cũ tibi ergo peruerſus diſplicueris, tecũ illo qui creauit adiuuante correxeris, rectus ſeruabis iuſtitiã. Placebit em̃ tibi deus, ſi rectus fueris. Nõ diſcrepabis à recto, niſi prauus atq; peruerſus. Rectus aũt recto conuenies, & ſine dubio tibi placebit deus. Quando enim diſplicebat, peruerſitati tuæ diſplicebat. Audi ſanctũ Pſalmum, Quàm bonus Iſrael deus Pſal.72
rectis corde. Iſte q̃ hoc dicit in pſalmo, diſplicuerat illi deus? Abſit à me ut arguam, & non potius confitenti credam. Ecce audite mecum, & conſiderate quid dixerit, Quàm bonus deus, inquit, Iſrael. Quibus? Rectis corde. Mei autem, inquit, quando non eram rectus corde, mei autem penè cõmoti ſunt pedes, paulo minus effuſi ſũt greſſus mei. Quid eſt, commoti ſunt pedes? Hoc eſt, effuſi

sunt gressus mei.Quid est penè,hoc est,paulo mi-
nus. Quid itaq; ait penè? Paulo minus commoti A
sunt pedes mei,effusi sunt gressus mei. Penè,inqt,
lapsus sum,penè cecidi. Vnde in tantũ periculum
peruenisti? Quia zelaui,inquit,in peccatorib. pa-
cem peccatorum intuens.Zelaui,inquit,in pecca
toribus, intuens pacẽ peccatorum, hoc est, malos
homines uidẽdo felices, titubaui sub deo,penè ce
cidi à deo. Ecce unde illi displicuerat deus, quare
mali habent bona? Deniq; uidete uerba titubãtis,
quæ apud se dixerit, Ecce ipsi peccatores. In ipso
psalmo uerba sunt titubãtis, Ecce ipsi peccatores
in seculo obtinuerunt diuitias,& dixi, Quomodo
sciuit deus? Ipse dicit in Psalmo, ipse loquitur,cui
nondum recto deus displicuerat quòd mali abun
darent bonis. Quomodo, inquit, sciuit deus,& si B
est scientia in altissimo? Videte adhuc quid adiun
gat. Videte quemadmodũ titubando propinquet
casui,& sit uicinus perditioni. Videte,inquã,quid
adiungat. Nunquid uane iustificaui cor meum, &
laui in innocẽtibus manus meas? Perdidi, inquit,
totum quod bene uixi.Iustificaui cor meũ, laui in
innocentibus manus meas, ad hoc ut mali sint feli
ces,& ego tribuler,Et fui,inqt,flagellatus tota die.
Gaudẽt illi,& ego flagellor. Gaudẽt qui blasphe-
mant deum,flagellor qui colo deũ.Quomodo sci
uit deus? Hinc titubauit, hinc penè cecidit, hinc
putauit ad deũ res humanas nõ pertinere.Cum er
go hoc putaret, non recto, sed peruerso corde, &
quasi uerisimili ratione duceret propter istam in-
cõuenientiã credere ad deum gubernationem re- C
rum humanarum non pertinere,placuerat illic sic
prædicare,hoc asserere, hoc docere. Reuocatus
est sanctorũ autoritate. Videte enim uerba eius,Si
dicebam,inquit,Si dicebam narrabo,sic prædica-
bo,sic docebo,sic dicam hominibus, ad deum cu-
ram rerũ humanarum non pertinere. Si dicebam,
narrabo sic, Ecce generationem filiorum tuorum
reprobaui. Quomodo ergo narrabo sic? Non sic
narrauit Moyses, nõ sic narrauit Abrahã, Isaac &
Iacob,non sic narrauit Hieremias, non sic Esaias,
non sic cęteri prophetæ. Isti autem omnes filij tui.
Ego ergo si narrabo sic, generationem filiorum
tuorũ reprobabo. Quid ergo faciam? Suscepi,in-
quit, cognoscere. Suscepi,inquit cognoscere,sed
magnum est cognoscere,difficile est cognoscere. D
Hoc,inquit,posteaquam dixi, Suscepi cognosce-
re,hoc labor est ante me. Quomodo cognoscã &
iustum deum esse,& res humanas nosse, & peruer
sis bene esse,rectis male aliquando esse? Quomo-
do sit iustum suscepi cognoscere, & labor est ante
me. Quousq; labor? Donec introeã in sanctuariũ
dei,& intelligam nouissima. Intra ergo in sanctua
rium dei anima fidelis, intra in sanctuariũ dei ani-
ma pia,cui nõ displicet deus in malis tuis,& in bo-
nis malorum cui nõ displicet deus. Et si nescis qua
ratione fiat,crede nõ iniuste fieri quod sinit aut fa-
cit deus.Humana ratione ducebaris,diuina auto-
ritate reuocare,& crede aliquid ibi esse quod te la
tet. Nam deũ peruersum & iniquũ non posse esse,
sic intrans fide in sanctuarium dei, intrans creden
do,discis intelligendo.Sic enim ait, Donec intro-
eam in sanctuariũ dei. Quò intrat fides,& post fi-
dem quid? Et intelligã nouissima. Veniẽt nouissi-
ma,quãdo nulli bono erit male, nulli malo erit be
ne. Venient, inquam,nouissima,quãdo discernen
tur pij ab impijs , iusti ab iniustis, laudatores dei à
blasphematoribus dei. Veniẽt quando discernen
tur,ut nulli,sicut dictũ est,bono sit male,nulli ma-
lo sit bene.Quare ergo modo nõ sic? Forte & mo
do sic.Sed q̃d nunc est in occulto: post erit in ma-
nifesto.Ingredere mecũ,si potes,in sanctuariũ dei,
forte ibi si possum docebo te,imò disce mecum ab
eo qui docet me,etiã nunc malis esse bene, & me-
lius esse bonis q̃ malis,quamuis nondum uenerit
bonorum fœlicitas, nõdum uenerit malorum pœ
na nouissima,Forte intelliges mecum non esse be
ne malis. Rogo enim te & quæro abs te,tibi qua-
re male est? Responsurus es,Egestas angit,premit
difficultas , dolor fortasse membrorum, timor ab
inimico . Tibi ideo male est, quia pateris mala, &
bene est illi qui est ipsum malũ? Multum interest
inter malum esse & malum pati . Tu quod pateris
non es. Malum enim pateris, sed tu malus non es.
Ille aũt malum nõ patitur & malus est . Noli ergo
falli,noli falli.Non potest fieri ut tibi male sit,quia
pateris malum: & illi bene sit,qui est malus. Cum
ẽm est malus , putas quia nõ patitur malum , cum
patitur seipsum? Tibi male est, quia malum alienũ
pateris in corpore tuo, & illi bene qui malum seip
sum patitur in corde suo? Tibi male est,quia malã
hãbes uillam, & bene est illi qui malam habet ani-
mã? Esto bonus qui habes bona? Bonę sunt diui-
tię,bonum est aurum,bonę familiæ, bonæ posses-
siões.Omnia ista bona sunt, sed unde facias bene,
non quę te faciunt bonũ. Habeto bona quæ te fa-
ciant bonum. Quæ sunt, inquis, ista? Fac iudici-
um,fac iustitiam,bona sunt quę habes.Fac iudici-
um,fac iustitiam ,Esto & tu bonus inter bona tua.
Erubesce bonis tuis . Esto bonus mansurus inter
bona peritura. Erubesce bonis tuis.Noli esse ma-
lus in eis,ne pereas cum eis. Cætera quomodo se
habeant fratres charissimi,quomodo sit seruanda
iustitia, & quomõ diligẽda misericordia, & quo-
modo debeat quisq; paratus esse ire cum domino
suo,alio tempore donante domino disputabimus
uobis. Tenete me debitorem,ne diu habeatis fa-
tigatorem.

In eadem dominica, Sermo habitus ad mẽsam sancti Cypriani in die dominico,de iustitia.

Sermo II.

SERMO CCXXXVII

A

LECTIONES sanctas plures cũ recitarẽ
tur audiuimus,& de his nos oportet di-
cere,q̃d dñs fuerit donare dignatus.Sed
lectionẽ omnis auditor quod recentius lectũ est
magis meminit,& ut inde aliquid à tractatore uer
bi dicatur expectat.Cum ergo in ultimum sit san-
ctum Euangelium recitatum, nõ dubito expecta
re charitatem uestram,ut de ista uinea, & de cõdu
ctis,& de mercede denarij aliquid audiatis.Sed e-
go memini superiore dominico quid promiserim,
Cum ẽm de sancto Propheta quod lectum fuerat
aliquid

aliquid exponere uoluissem:lectũ autẽ fuerat quę
renti homini,quibus sacrificijs placaret deum, re- A
nunciatum est nihil ab illo deũ quærere,nisi face-
re iudicium & iustitiã,& diligere misericordiam,
paratumq; esse ire cum domino deo suo : tractaui
quantum potui de iudicio,tantumq; sermo produ
ctus est,ut nõ remaneret tempori spatiũ quo pos-
sem de cæteris disputare. Vnde me promisi ho-
dierno die de iustitia esse dicturũ.Sed qui expecta
batis ut de Euangelio loquerer,nolite uos putare
fraudatos. Opus ẽm in illa uinea, ipsa est iustitia.
Putate ergo uos esse conductos. Qui pueri uene-
runt, prima hora se adductos putẽt:qui adolescen
tuli,tertia:qui iuuenes,sexta:qui grauiores, nona:
qui decrepiti,undecima.De tempore nolite causa
ri.Opus quod facitis audite,mercedem securi ex- B
pectate.Et si attenditis,dominus uester qualis est,
nolite inuidere si merces æqualis est. Quod est o-
pus nostis,sed cõmemorabo.Audite quod nostis,
& facite quod audistis.Diximus opus dei esse iu-
stitiã.Interrogatus autẽ dominus Iesus quod esset
Ioan.6 opus dei,respõdit,Hoc est opus dei,ut credatis in
eum quẽ ille misit.Poterat dicere, Iustitia est opus
dei.Nunquid ergo nos præsumere aliquid condu
cti contra patrẽfamiliâs ausi sumus? Si iustitia est
opus dei, sicut ego dixi , quomodo erit opus dei
quod dominus dixit, ut credatur in eum,nisi ipsa
sit iustitia credere in eũ? Sed ecce, inqs, à domino
audiuimus,Hoc est opus dei,ut credamus in eũ:
à te audiuimus q; opus dei sit iustitia.Proba nobis
credere in Christum hanc esse iustitiam. Videtur C
mihi quoniam iam respondeo quærenti , & iusta
flagitanti,uidetur tibi credere in Christum nõ esse
iustitia? Quid est ergo? Impone huic operi nomẽ.
Proculdubio si bene consideras quod audisti , re-
spõsurus es mihi,Ista fides uocatur,credere in Chri-
stum,fides uocatur. Accipio qđ dicis, credere in
Christum,fides uocatur.Audi & tu alium scriptu-
Abac.2 ræ locum,Iustus ex fide uiuit.Facite iustitiam,cre-
dite, Iustus ex fide uiuit. Difficile est ut male ui-
uat,qui bene credit. Credite ex toto corde, credi-
te non claudicantes, non hæsitantes, non contra
ipsam fidem humanis suspicionibus argumentan-
tes.Fides appellata est ab eo quia fit quod dicitur,
Duæ syllabæ sonant,cum dicitur fides. Prima syl-
laba est à facto,secunda à dicto.Interrogo ergo te D
utrum credas? Dicis, Credo.Fac quod dicis, & fi-
des est.Ego ẽm respondẽtis uocẽ audire possum,
cor credẽtis uidere non possum. Sed nũquid ego
ad uineã cõduxi,qui cor uidere non possum? Nec
ego cõduco,nec opus iudico, nec ego denarium
mercedẽ præparo. Cooperarius uester sum. Pro
uiribus quas ille donare dignatur, in uinea laboro.
Quo aũt animo laborem,qui me conduxit uidet.
1.Cor.4 Mihi ẽm,ait Apostolus, minimum est ut à uobis
iudicer.Et uos uocẽ meã potestis audire,non po-
testis cor uidere. Omẽs cor nostrũ deo uidẽdum
proponamus,& opus ex animo faciamus.Condu
centẽ nõ offendamus,ut libera fronte mercedem
accipiamus. Et nos charissimi uidebimus inuicẽ
corda nostra,sed postea:nunc autem adhuc tene-
bras mortalitatis huius circũferimus, & ad lucer-
nam scripturæ ambulamus,sicut dicit Apostolus
Petrus, Habemus certiorẽ propheticũ sermonẽ, 2.Pet.4
cui benefacitis,intẽdentes tanquã lucernæ in ob-
scuro loco donec dies lucescat, & lucifer oriatur in
cordibus uestris.Proinde charissimi ꝑpter ipsam
fidem qua credimus in deũ, in comparatione infi-
delium dies sumus.In infidelitate nox cũ ipsis fui-
mus,modo lux,dicente Apostolo,Fuistis aliquan Ephes.5
do tenebræ,nunc autem lux in domino.Tenebræ
in nobis,lux in domino. Item in alio loco, Omẽs 1.Thes.5
enim uos filij lucis estis,& filij diei.Non sumus no
ctis,neq; tenebrarũ,sic ut in die honeste ambule-
mus.Dies ergo in comparatiõe infidelium,In cõ-
paratione uero illius diei quando resurgent mor-
tui,& corruptibile hoc induerit incorruptionẽ,et
mortale hoc induet immortalitatẽ,adhuc nox su-
mus.Nobis tanq; iam in die dicit apostolus Ioan-
nes,Dilectissimi,filij dei sumus, Et tamen quia ad 1.Ioan.3
huc nox est,quid sequitur? Et nondũ apparuit qđ
erimus.Scimus quoniã cum apparuerit,similes ei
erimus,quoniã uidebimus eum sicuti est. Sed ista
merces est non opus, Videbimus eũ sicuti est,ipsa
merces est.Tunc erit dies,quo clarior esse nõ pos-
sit. Nũc ergo in isto iam die honeste ambulemus.
In ista adhuc nocte nõ de inuicem iudicemus. Vi
dete enim & ipsum apostolum Paulum,qui dixit,
Sic ut in die honeste ambulemus,nõ resultare, ne Rom.13
que dissonare à coapostolo suo Petro,q̃ dicit,Cui 2.Pet.1
benefacitis intendentes , sermoni scilicet diuino,
tanquam lucernæ in obscuro loco,donec dies lu-
cescat,& lucifer oriatur in cordibus uestris. Vide
te hoc ipsum dicentẽ apostolum Paulum,Itaq; no 1.Cor.4
lite ante tẽpus quicq; iudicare.Et quãdo erit tem-
pus? Donec ueniet dominus,& illuminet abscon
dita tenebrarũ,et manifestabit cogitatiões cordis,
& tunc laus erit unicuiq; à deo. Quid est ante tem
pus,nisi anteq; corda inuicẽ uideatis? Intendite si
hoc est quod dixi,omia uerba ipsius sentẽtiæ pau
lisper audite.Nolite ante tempus quicq; iudicare.
Et quãdo erit tẽpus? Donec ueniat dominus & il
luminet abscondita tenebrarum, & manifestabit
cogitatiões cordis,& tũc laus erit unicuiq; à deo.
Quomodo te reprehendent tenebræ,quãdo à lu-
ce laudaberis? Tũc patebunt corda,modo latent.
Suspectus est nescio quis quasi inimicus, & forte
est amicus. Videtur alter quasi amicus,et est forsi-
tan occultus inimicus.O tenebræ, sæuit & amat,
blanditur & odit.Si ex uocibus iudico, trãquillũ
uitans scopulum incurro.Fugio amicũ,hęreo ini-
mico.Hoc fecit cor latens.Ibi credendũ est, ibi in
tus,ubi latet,ubi occultũ est.Ad hoc excolendum
cõductus es.Ibi credendo cooperare,ubi te nõ ui
det cooperarius tuus,sed uidet te dñs tuus. Iustus
ex fide uiuit.Hoc age.Iam de iudicio priore domi
nico disputaui,ut iudicares teipsum,& cũ te inue-
nires peruersum,nõ tibi blãdireris,sed corrigeres
te,& fieres rectus,& tibi placeret deus rectus. Nã
rectus deus peruerso nõ placet.Vis ut placeat tibi
rectus deus, esto rectus. Iudica teipsum , noli tibi
placere. Quod tibi in te merito displicet, castiga,

emenda

emēda, corrige. Scriptura ſancta ſit tibi tanq̃ ſpe-
culum. Speculum hoc habet ſplēdorem non men A
dacem, ſplendorē non adulātem, nullius perſonā
amantē. Formoſus es, formoſum te ibi uides. Fœ-
dus es, fœdū te ibi uides. Sed cū fœdus acceſſeris,
& fœdū te ibi uideris, noli accuſare ſpeculū. Ad te
redi, nō te fallit ſpeculū, tu te noli fallere. Iudica de
te, contriſtare de tua fœditate, ut cū abieris & diſ-
ceſſeris, triſtis, fœdus, correctus, poſſis redire for-
moſus. Cum ergo iudicaueris teipſum, ſine adula-
tione iudica, & proximū cū dilectione. Eſt enim
quod iudices, quod uides. Fieri enim poteſt ut ali-
qd mali uideas unde ſordeſcas. Fieri poteſt ut ma
lum ſuū ipſe proximus tuus tibi cōfiteatur, & pro
dat amico qd̃ texerat inimico. Quod uideris iudi
ca, qd̃ non uides deo dimitte. Quando autē iudi-
cas, dilige homines, oderis uitiū. Noli propter ho-
minē diligere uitiū, nec propter uitiū odiſſe homi
nē. Homo, ꝓximus eſt tuus. Vitiū inimicū proxi-
mo tuo. Tunc amas amicū, ſi oderis qd̃ nocet ami
co. Si credis facis, qa iuſtus ex fide uiuit. Quod ab
undat in rebus humanis, hoc dico. Aliquādo ami
co tuo chariſſimo inimicus eſt aliquis, q̃ erat ami-
cus amborū. Incipiūt eſſe de trib. amicis duo inter
ſe inimici, quid faciat medius qui remanſit? Vult,
exigit, flagitat à te ut oderis cū illo quē odiſſe cœ-
pit, & hæc uerba tibi dicit, Non es amicus meus,
qui es amicus inimici mei. Quæ uox huius eſt ad
te, ipſa eſt & illius ad te. Tres enim eratis. Tres era
tis, duo cœperunt eſſe diſcordes, remanſiſti tu. Si
huic te iunxeris, illū habebis inimicū: ſi illi, iſtum: C
ſi ambobus, ambo murmurabunt. Ecce tentatio,
Ecce ſpinæ in uinea quò conducti ſumus. Expe-
ctas forte à me audire qd facias. Permane amicus
amborū. Qui diſcordant inter ſe, cōcordēt per te.
Mala ſi quæ audis ab altero de altero, noli prode-
re alteri, ne forte ſint poſtea amici qui modo ſunt
inimici, & proditores ſuos prodant ſibi. Sed hoc
propter homines dixi, non ꝓpter oculos eius qui
nos conduxit. Ecce nemo te prodit. Audiſti, deus
uidet qui te iudicet. Audiſti ab irato uerbum, à do
lente, à ſuccenſente, moriatur in te. Quare prodit̃,
quare profertur? Non em̃ ſi in te fuerit dirūpet te.
Dic ſanè amico tuo, qui uult te facere inimicū ami
ci tui. Alloquere etiā, ægrotantē animū medicinæ
lenitate pertracta. Dic illi, Quare uis ut ſim inimi-
cus illius? Reſpōdet, Quia inimicus meus eſt. Vis
ergo ut ſim inimicus inimici tui? Inimicus eſſe de-
beo uitij tui. Iſte cui me uis facere inimicū, homo
eſt. Eſt alius inimicus tuus, cui debeo eſſe inimi-
cus, ſi amicus ſum tuus. Reſpōdebit, Quis eſt alius
inimicus meus? Vitiū tuū. Reſpōdebit, Quod eſt
uitium meū? Odiū quo odiſti amicum tuum, Eſto
ergo ſimilis medico. Medicus non amat ægrotan
tem, ſi nō odit ægritudinem, Vt liberet ægrotum,
perſequitur febrem. Nolite amare uitia amicorū
ueſtrorum, ſi amatis amicos ueſtros. Sed cui dico?
Putas ne facio ipſe quod dico? Fratres mei facio
in me. Prius facio. In me aūt facio, ſi à domino ac-
cipio, facio. Odio uitia mea, cor meum ſanandum
offero medico meo. Perſequar ea quantū poſſum,
gemo de illis, cōfiteor, quia ſunt in me, & ecce ac-
cuſo me. O qui me reprehēdebas, corrige te. Hæc
eſt iuſtitia, ne dicatur nobis, Stipulam in oculo fra Matt. 7
tris tui uides, & trabē in oculo tuo nō uides? Hy-
pocrita, Eijce primū trabem de oculo tuo, & tunc
uidebis eijcere feſtucam de oculo fratris tui. Ira, fe
ſtuca eſt. Odium, trabes eſt. Sed nutris feſtucam,
fit trabes: ira inueterata fit odium, feſtuca nutrita,
fit trabes. Vt ergo feſtuca non fiat trabes, nō occi-
dat ſol ſupra iracundiam ueſtram. Vides, ſentis te Epheſ. 4
odio liuentem, & reprehendis iraſcentē? Tolle o-
dium, & recte reprehendis. Ira eſt in oculo eius, in
tuo trabes. Nam ſi odiſti tu, quomodo uides cum
trabe? Trabes eſt in oculo tuo. Quare trabes eſt in
oculo tuo? Quia feſtucam ibi natam cōtempſiſti.
B Cum illa dormiſti, cū illa ſurrexiſti. Eam in te ipſo
excoluiſti, falſis ſuſpicionibus irrigaſti, uerba adu
lantium & ad te mala uerba de amico deferentiū
credendo nutriſti. Feſtucam non auulſiſti, diligen
tia tua trabem feciſti. Tolle trabem de oculo tuo,
noli odiſſe fratrem tuum. Expaueſcis an non? Ex-
paueſcis, dico tibi, noli odiſſe & ſecurus eris. Et re
ſpondes mihi, & dices mihi, qd eſt odiſſe? Et quid
mali eſt, quia odit homo inimicum ſuum? Odiſti
fratrem tuum, ſed ſi odium contemnis, audi quod
non attendis, Qui odit fratrē ſuum, homicida eſt.
Qui odit, homicida eſt. Nunquid modo potes di- 1. Ioan. 3
cere, quid ad me ut homicida ſim? Qui odit homi
cida eſt. Non uenenum paraſti, non ad percutien
dum inimicum cum gladio proceſſiſti, nō miniſte
rium ſceleris præparaſti, non locum, non tempus,
poſtremo ipſum ſcelus nō feciſti. Tantum odiſti,
& prius te q̃ illum occidiſti. Diſcite ergo iuſtitiā,
ut non oderitis niſi uitia, homines ametis. Hoc ſi
tenueritis, & hanc iuſtitiam feceritis, ut homines
etiam uitioſos ſanari malitis potius quàm damna
ri, bonum opus in uinea feciſtis. Sed exercete uos
in hoc fratres mei. Ecce poſt ſermonē fit miſſa ca-
techumenis. Manebūt fideles, uenietur ad locum
orationis. Scitis quo acceſſuri ſumus, quid prius
deo dicturi ſumus? Dimitte nobis debita noſtra, ſi Matt. 6
cut & nos dimittimus debitoribus noſtris, Agite
ut dimittatis, agite. Venietis em̃ ad iſta uerba ora
tionis, quomodo ea dicitis, quomodo nō dicitis?
Poſtremo interrogo, Dicitis an non dicitis? Odi-
D ſti, & dicis? Reſpondebis mihi, Ego non dico. O-
ras, & non dicis? Odiſti, & dicis. Oras, & non di
cis? Cito reſpōdeo. Ergo ſi dicis, mentiris. Si nō di
cis, nihil mereris. Obſerua te, attende te. Modo es
oraturus, dimitte ex toto corde. Litigare uis cum
inimico tuo, prius litiga cum corde tuo. Dic cordi
tuo: Noli odiſſe. Illud aūt cor tuū, animus tuus o-
dit adhuc. Dic animę tuę, noli odiſſe. Q̃uo orabo,
quomodo dicā: Dimitte nobis debita noſtra? Poſ
ſum quidem hoc dicere, ſed qd̃ ſequitur quomo-
do dicā? Sicut & nos. Quid? Sicut & nos dimitti-
mus. Vbi eſt fides? Fac qd̃ dicis, Sicut & nos. Et
nō uult dimittere anima tua, & contriſtat̃, qa dicis
ei: Noli odiſſe. Reſpōde illi: Quare triſtis es ani- Pſal. 41
ma mea, & quare conturbas me? Quare contur-
bas me? Quare triſtis es? Noli odiſſe, nec perdas
me

me. Quare cōturbas me? Spera in deo. Langues,
anhelas, ægritudine ſauciaris, non potes tibi tolle A
re odium. Spera in deum, medicus eſt, propter te
pependit in ligno, & nōdum eſt uindicatus. Quid
uis uindicari? Ideo enim odiſti ut uindiceris. Vide
pendentem dominum tuū, uide pendentem, & ti
bi de ligno tanquam de tribunali præcipientē. Vi
de pendentē, & tibi languētī de ſuo ſanguine me-
dicamentum facientem. Vide pēdentem, ſi uindi-
cari uis. Vindicari uis, uide pendentē, audi precan
Luce 23 tem, Pater ignoſce illis, qa neſciunt quid faciunt.
Sed potuit hoc facere, dicis mihi ego nō poſſum.
Ego enim homo ſum, ille deus: homo ego homo,
ille deus homo. Deus ergo ut qd homo, ſi nō cor-
rigitur homo? Sed ecce tibi loquor ò homo, mul-
tum eſt ad te imitari dominum tuum, attende Ste B
phanum conſeruum tuum. Certe Stephanus ſan-
ctus, homo erat an deus? Et homo erat. Planè ho-
mo erat, hoc erat quod tu. Sed quod fecit, non fe-
cit niſi donāte illo quem rogas & tu. Vide tamen
quid fecerit. Loquebatur ludęis, ſæuiebat & dili-
gebat. Vtrunq̃ oſtendere debeo, quia dixi, ſæuie-
bat: dixi, & diligebat. Vtrunq̃ debeo demonſtra-
re, & ſæuientē & diligentē. Audi ſæuientem, Du-
ra ceruice, Verba ſunt ſancti Stephani quando lo
Act. 7 quebatur ludæis, Dura ceruice, & incircūciſi cor-
de & auribus, uos ſemper reſtitiſtis ſpiritui ſancto.
Quem prophetarū non occiderunt patres ueſtri?
Audiſti ſæuientem. Alterū debeo, audi & diligen
tem. Irati illi facti, & grauius inardeſcentes, & ma
la prō bonis reddentes ad lapides cucurrerūt, dei C
famulū lapidare cœperunt. Hic proba ſancte Ste-
phane dilectionē tuā, hic te uideamus, hic ſpecte
mus, hic uictorē diaboli triumphatorem q̃ cerna
mus. Audiuimus ſæuientem aduerſus tacētes, ui-
deamus ſi diligis ſæuientes. Sæuiebas aduerſus ta-
centes, uideamus ſi diligis lapidantes. Si enim odi
ſti, & odiſſe potuiſti, nūc eſt tēpus quando lapida
ris, tūc maxime odiſſe debes. Videamus ſi reddis
duritiā cordis lapidibus duris, lapidibus qui te la-
pidant. Lapides em̃ mittūt lapides, dura duri. Qui
in lapidem legē acceperunt, lapides mittunt. Vi-
deamus chariſſimi, uideamus, ſpectemus magnū
ſpectaculū. Expectemus ut dici craſtino proponē
dum. Videamus, Ecce Stephanus lapidatur, ſit cō
ſtitutus quaſi ante oculos noſtros. Eia membrum
D Chriſti, eia athleta Chriſti, inſpice illum qui pro te
pepēdit in ligno. Crucifigebatur ille, tu lapidaris.
Ille dixit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid fa
ciunt. Tu quid dicis? Audiā, uideā, teneam, forte
poſſū imitari uel te. Primo beatus Stephanus ſtās
orauit pro ſe & ait: Domine Ieſu, accipe ſpiritum
meū. Deinde poſitis genubus pro lapidatoribus
orans, Domine, inqt, ne ſtatuas illis hoc peccatū.
Hoc dicto obdormiuit. O felix ſomnus, & req̃s
uera. Ecce quid eſt requieſcere, pro inimicis ora-
re. Sed paulū q̃ueſo te ò ſancte Stephane, expone
mihi hoc, neſcio quid, quare pro te ſtans oraſti, &
pro inimicis genu flexiſti? Reſponderet fortaſſe
qd̃ intelligimus. Pro me ſtans oraui, quia pro me
qui recte deo ſeruiui, orādo & impetrando nō la-
boraui. Pro me non laboraui, quia qui pro iuſto
orat, nō laborat, ideo ſtās pro ſe orauit. Ventū eſt A
ut oraret pro ludæis, pro interfectoribus Chriſti,
pro interfectoribus ſanctorum, pro lapidatoribus
ſuis, attendit nimiā & magnā eſſe impietatē ipſo
rum quæ difficile donari poſſit, & genu fixit. Fige
genu in hac uinea fortis operatur, Fige, inquam,
genu in opere huius uineæ, fortiſſime operare.
Magnū opus tuū, egregium & laudandum mul-
tum. Multū altum fodiſti, qui odium inimicorum
de corde exuiſti, Conuerſi ad dominum &c.

Dominica uiceſima, De bono diſciplinæ: SER. CC
Ser. I. quære Tomo IX. col. 952. XXXVIII

In eadem dominica, De diſciplina Chriſtia SER. CC
na: Ser. II. quære Tomo IX. col. 910. XXXIX

Dominica uiceſima prima, De tribus pue-
ris miſſis in fornacem ignis: Sermo I

VBET tyrannus fornacē incendi, & quan- SERMO
I tum ipſe igne furoris ardebat, tanto ſanctio CCXL
res pueros conſummabat. Nunc undan-
tis fumi denſitate cœlum contegitur, nunc horrifi
co ſonitu Chaldæi cuncti terrētur, ut magnitudo
diuinæ ſeueritatis per ſupplicia monſtraretur. Sæ
uiebat uiolētus inimicus ſupplicium ſuis famulis
quæſiturus. Sæuiebat, non ut iuſtos trucidaret, ſed
ut ſuis interitum procuraret. Sæuiebat, non ut crē
ſcerent pœnarum augmenta, ſed ut cunctis mon-
ſtraretur diuina poteſtas, ut dum impij ſupplicijs
gloriarentur, flammarum impetu uorarentur. Sæ-
uiebant ſcelerati Chaldæi ſupplicijs præſentibus
perituri, & futurorum ignari miniſtri iuſſa accele- C
rant, parant incendia, flammas exaggerant. Cru-
delitas eius poſſidet mentem, ſæuitia immutat uo
luntatem. In fornacem miſſi ſunt ſancti, fugiunt
flammæ, cedunt ignes, incendia expaueſcunt. Ti-
ment ignes lædere, quos fuerant iuſſi incolumes
reſeruare. Oſtendunt iuſtorum meritum, dum ty-
ranni cōtemnunt imperium. Licet ſanctis cū igne
iocari, quibus cum hominibus nō licuit commo-
rari. Licuit in fornace deum uenerari, quem apud
homines nō licuit honorari. Licet flāmarum me-
reri obſequia, qui non meruerant Chaldæorū ſup
plicia. Licet ignibus cōſeruari illæſos, quos tyran
nus dederat exurēdos. Licet in pœna eſſe ſecuros,
quos extra pœnam non licuit eſſe intactos, ut ubi
interitus, ibi ſalus, ubi ſupplicia, ibi inuenirentur
refrigeria. Accipe hoſtis à ſupplicijs exemplū, qū
humanitatis perdidiſti cōſilium. Fugiunt ignes iu
ſtos, quos iniuſte damnaſti: expaueſcunt flammę,
& innocētes pronunciāt, quos dignos ſupplicio
deputas: & quæ ſæuire conſueuerant, dignos ſan-
ctos in fornace cernebant. Damnant hoſtes, & ab
ſoluunt ignes. Chaldæi adijciunt, & pœnæ defen
dūt. Homines ſæuiunt, & ſupplicia uenerātur. Ty
rannus putabat tantū tormēta poſſe ſæuire, quan-
tū ipſe ſacrilegus exiſtimabat ſe poteſtatē habere.
Ignes iuſti cedunt, ardores flammarum in refrige-
rium uertuntur, & inſtitutæ naturæ uoraces impe
tus obliuiſcuntur, ut iuſtos uenerantes timerent,
& eorū hoſtes perſequētes punirent. Ignes iuſtos
hoſpitio cum omni honore ſuſcipiunt, & libenter
obſequium

obſequium præbet. Hoſtis mutato genere ſæuit,
nec aliqua pietate mouetur, nec humanitate blan A
ditur. Poſſet uincere ſi ignibus imperaret. Offerũ-
tur ergo ignibus iuſti ueſtitu tecti, uinculis colliga
ti: defenduntur ardoribus iuſti, & quos uis huma-
na dãnauit, ignis abſoluit. Nihil cogitat, nihil me-
tuit. Sic namq; crudelitas tyrannica ſuperata pro-
ſternitur, dum ſui ſatellites deuorãtur. Cernit pœ-
nam, & ſeruorum dei aſpicit gloriam. Iuſtis ignes
obſequium præſtant, iniuſtis interitum ſubmini-
ſtrant. Dum uindicat flãma impij necãtur, & iuſti
ſaluantur. Cum ad fornacẽ tyrannus feſtinãter ac-
cederet, ſtupet laudẽ, miratur factũ, ueneratur deũ
cũ tribus pueris in fornace. Aſpicit iuſto diuinoq;
ambitu protegi, quos nuper iuſſerat uiolẽtus ex-
tingui. In illis in fornace uidet, quẽ in illis ante nõ B
eſſe putaret. Quo uiſu territus furori addit lenita-
tem, fit repente confeſſor, qui nuper fuerat perſe-
cutor. Prædicat quem paulo ante negabat, uenera
ri præcipit, qui uenerantes dãnauit. Rogat de for-
nace iuſtos procedere, precatur de igne dei famu
Dan.3 los proſilire. Exite, inquit, ſerui dei excelſi. Nunc
me defenſorem dei profiteor, cuius inimicũ fuiſſe
conſtat, ut cuius ſeruos ignarus perſequebar, eius
inimicos ut defenſor ulciſcar. Tunc de fornace e-
grediũtur illęſi Hebræi, lætanꝰ incolumes, trium-
phant uictores, quòd deo fideliter ſeruierunt, &
furorem tyranni contempſerunt.

In eadem dominica, De augurijs:

Sermo II

SERMO XLI — B ENE noſtis fratres chariſſimi, me uobis C
frequentius ſupplicaſſe, & paterna ſolici-
tudine cõmonuiſſe pariter & cõteſtatum
eſſe, ut illas ſacrilegas Paganorum conſuetudines
obſeruare minime deberetis. Sed quãtum ad me
multorum relatione peruenit, apud aliquos parũ
profecit admonitio mea: quia ſi uobis ego non di
xero, & pro me & pro uobis malam ſum reddítu-
rus rationem in die iudicij, & uobiſcum mihi erit
neceſſe æterna ſupplicia ſuſtinere. Ego me apud
deum abſoluo, dum iterum atq; iterum admoneo
pariter & conteſtor, ut nullus ex uobis caragos
uel diuinos uel ſortilegos requirat, ne de qualibet
eos aut cauſa aut infirmitate interroget. Nullus ſi-
bi præcantatores adhibeat, quia quicunq; fecerit
hoc malum, ſtatim peribit baptiſmi ſacramẽtum, D
& cõtinuo ſacrilegus & Paganus efficitur: & niſi
grandi eleemoſyna, dura & prolixa pœnitẽtia ſub
uenerit, ſtatim in æternum peribit. Similiter & au
guria obſeruare nolite, nec in itinere poſiti ali-
quas auiculas cãtantes attẽdite, nec ex illarũ cãtu
diabolicas diuinationes annunciare præſumite.
Nullus ex uobis obſeruet qua die de domo exeat,
qua die iterum reuertaꝰ, quia omnes dies deus fe-
Gen.1 cit: ſicut ſcriptura dicit, Et factus eſt primus dies,
& ſecundus dies, & tertius, ſimiliter & quartus, &
quintus, & ſextus, & ſabbatũ. Et illud, Fecit deus
omĩa bona ualde. Illas uero nõ ſolũ ſacrilegas, ſed
etiã ridiculoſas ſternutationes cõſiderare & obſer
uare nolite, ſed quoties uobis in quacũque parte
fuerit neceſſitas ꝑperandi, ſignate uos in nomine

Ieſu Chriſti, & ſymbolum uel orationẽ dominicã
fideliter dicẽtes, ſecuri de dei adiutorio iter agite.
Et qa quando ſupradicta omnia ſacrilegia deo uo
bis inſpirante et contemnere uel deſpicere cœpe-
ritis, moleſte hoc accepturus eſt diabolus: qa uos
uidet de amicitia uel ſocietate ſua diſcedere, & ſa-
crilegia per quę uos decipiebat cõtẽnere, aliquas
nequitias uobis facturus, aut infirmitatẽ aliquam
immiſſurus eſt: aut aliquod animal, aut per mor-
bum, aut per euagationem eſt ablaturus, quia ad
uos probandos permittit hoc fieri deus, ut agno-
ſcat utrũ ad ipſum fideliter uenitis: & ſi toto corde
diaboli machinamenta deſpicitis, & utrũ plus ua-
leat apud uos amor ſuus q̃ cuiuſq; animalis amiſ-
ſio. Sed ſi ſemel aut ſecundo nequitias quas diabo
lus immiſerit cũ animo, & tota fide cõtempſeritis,
ita ipſum diabolũ poſtea à ueſtra infeſtatiõe deus
dignabitur repellere, ut nunq; uos poſſit ſua calli
ditate decipere. Homines enim negligentes & fa-
ciles languida deſideria & fidem deſidem haben-
tes, & ideo etiam ſi incidant non diu perſeuerant
in operibus dei: ſed ubi ſe in antedictis ſacrilegijs
abſtinuerunt, & uel unam nequitiã diaboli pertu-
lerunt, ſtatim ſe pœnitent ad dominum cõuerſos
eſſe, & machinamenta diaboli reliquiſſe, iterũ re-
uertuntur ad obſeruationes auguriorum, uelut ca
nes ad uomitũ ſuum. Vos uero quibus deus & ſa-
pientiam contulit, & uerã fidem dedit, ita cito cor
de circumuentiones diaboli deſpicite, & fideliter
uos ad deũ conuertite, & quæcunq; diabolus uo-
luit immittere patienter & fortiter toleretis, ut cũ
beato Iob dicere poſſitis, Dominus dedit domi- Iob.1
nus abſtulit: ſicut dño placuit, ita factum eſt. Simi
liter & cũ Apoſtolo firmo & integro corde dica-
tis, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribu Rom.8
latio, an perſecutio, an anguſtia, an fames, an nudi
tas, an gladius, an periculũ? Boni enim Chriſtiani
nec tormentis ſeparanꝰ à Chriſto. Tepidi uero &
negligẽtes interdũ ocioſis fabulis ſeparantur, & ſi
uel leue damnũ pertulerint, cõtinuo ſcandalizan
tur, & contra deũ murmurare pręſumunt, & ad ne
fanda & deteſtãda auguria rędeũt. Sed forte dicit
aliquis, quid facimus eo q̃ auguria ipſa & caragi
uel diuini frequẽter nobis uera annũciãt? De hac
re ſcriptura nos conteſtaꝰ & monet dicens, Etiã ſi Deut.13
qua uera uobis dixerint, nolite credere illis. Tẽtat
ẽm uos dñs deus ueſter, utrũ timeatis eum an non.
Sed iterũ dicis, Aliquoties ſi pręcãtatores nõ fue-
rint, aut de morſu ſerpentis, aut de alia qualibet in
firmitate propè uſq; ad mortẽ multi periclitantur.
Verũ eſt fratres chariſſimi, quia ꝑmittit hoc deus
diabolo, ſicut iam ſupra dixi, ad probandũ Chri-
ſtianũ: ut cũ interdũ per illa ſacrilegia aliqua re-
media in illa infirmitate percipere, & aliquid ue-
rũ potuerint agnoſcere, facilius propterea diabo
lo credant. Sed qui totam Chriſtianã religionem
deſiderat cuſtodire, oportet ut hęc omnia tota ani
mi uirtute contẽnat, timens illud qđ ait Apoſto-
lus increpans, Dies, & menſes, & tẽpora obſerua- Gal.4
tis, timeo ne ſine cauſa laborauerim in uobis. Ecce
Apoſtolus dicit, q̃ qui auguria obſeruauerit, ſine
cauſa

cauſa doctrinam eius ſuſcipiet. Et ideo quantum
poteſtis circũuentiones diaboli fugite. Et illud an A
te omĩa ſcitote fratres, quòd nec uoſipſos, nec eos
qui ad uos pertinent, nec animalia ueſtra, nec reli
quam ſubſtantiã uel in paruis rebus diabolus po-
teſt lædere, niſi quantum à deo poteſtatẽ accepe-
rit, quomodo nec ſancti Iob facultatem auſus fuit
ſubuertere, niſi domino permittente. Et ſicut in
Euãgelio legimus, quando ab hominibus expulſi
ſunt dęmones, rogauerũt ut uel in porcos ire per-
mitterentur. Si in porcos non ſunt auſi intrare dæ
mones, niſi à deo permiſſionẽ acciperent, quis ita
erit infidelis, ut eos bonos Chriſtianos credat poſ
ſe lædere, niſi deus ꝑpria diſpẽſatiõe permitteret?
Permittit autẽ hoc deus ex cauſis duabus, ut aut
nos ꝓbet ſi boni ſimus, aut corrigat ſi peccatores. B
Sed qui patiẽter diſpenſationẽ domini tolerauе-
rit, & ſicut iã dixi, quando aliquid perdiderit, dixe
rit, Dominus dedit, dominus abſtulit, ſicut domi-
no placuit, ita factum eſt, ſit nomen domini bene
dictum: pro iſta deo placita patiẽtia aut coronam
accipit ſi iuſtus eſt, aut indulgentiã ſi peccator. Et
hæc attendite fratres, quia cum omnẽ ſubſtãtiam
Iob.1 diabolus euertiſſet beati Iob, non dixit Iob, Domi
nus dedit, diabolus abſtulit: ſed, dñs dedit, domi-
nus abſtulit. Vir enim ſanctus noluit iſtam gloriã
diabolo dare, ut aliqd potuiſſet tollere quod do-
minus non permiſiſſet auferre. Cum enim nec fi-
lios, nec pueros, nec camelos, nec aſinos beati Iob
antequam dominus permitteret diabolus lædere
potuiſſet, quare credimus quòd Chriſtianis am- C
plius aliquid faciat quàm quod deifico ac ſecreto
iudicio ſuo diuina potentia ꝑmiſerit? Et ideo cer-
tiſſime credẽtes quòd nihil poſſumus perdere, ni
ſi quantum nobis deus permittit auferri, toto cor-
de noſtro ad illius miſericordiam camus, & ſacrile
gas obſeruationes fideliter relinquentes, de illius
adiutorio ſemper præſumamus. Nam qui prædi-
ctis malis, id eſt, caragis & diuinis, aruſpicibus uel
phylacterijs, & alijs quibuſlibet augurijs credide
rit, & ſi ieiunet, & ſi oret, & ſi iugiter ad eccleſiam
currat, & ſi largas eleemoſynas faciat, & ſi corpu-
ſculum in omni afflictione ſuum cruciauerit, nihil
ei ꝓderit quãdiu illa ſacrilegia nõ reliquerit: quia
impia illa ſacrilegij obſeruatio, iſta omĩa bona ob
ruit & euertit. Et q cũ his malis etiã aliqua opera D
bona exercere uoluerint, eis ꝓdeſſe nihil poſſũt,
1.Cor.5. & 10 quia uerũ eſt quod dixit Apoſtolus, Modicum fer
mentum totam maſſam corrumpit. Et illud, Non
poteſtis calicem domini bibere, & calicem dæmo
niorum. Non poteſtis menſę domini participes
eſſe & menſæ dæmoniorũ. Et dominus in Euãge-
lio, Nemo poteſt duob. dominis ſeruire. Pro qua
re nec ad arbores debent Chriſtiani uota reddere
nec ad fontẽ orare, ſi ſe uolunt per gratiam dei de
æterno ſupplicio liberari. Et ideo quicũq; in agro
ſuo, aut in uilla, aut iuxta uillam aliquis arbores,
aut aras, uel quælibet uana habuerit, ubi miſeri ho
mines ſolent aliqua uota reddere, ſi eas nõ deſtru-
xerit atq; ſucciderit, in illis ſacrilegijs, quæ ibi fa-
cta fuerint, ſine dubio particeps erit. Nam & illud

quale eſt, quod quando arbores illæ ubi uota red
A duntur ceciderint, nemo ex illis arborib. lignum
ad focum affert? Et uidete miſeriam uel ſtultitiam
generis humani. Arbori enim mortuæ honorem
impendunt, & dei uiuentis præcepta contemnũt.
Ramos arboris nõ ſunt auſi mittere in focum, &
ſeipſos per ſacrilegium præcipitant in infernũ. Et
ideo qui hoc malum hucuſq; non obſeruat, gau-
deat, & deo gratias agat, & fideliter in bonis ope-
ribus perſeuerare contẽdat. Qui uero in iſtis dia-
bolicis rebus hucuſq; captiuandum diabolo tradi
dit ſe, toto corde pœnitentiã agat, & illa ſacrilegia
ſupradicta cum omni horrore fugiat & contẽnat,
ut illi deus & indulgentiã dignetur dare, & ad æ-
ternam beatitudinem ob gloriã nominis ſui faciat
B peruenire. Et quia etiam & hoc peruenit ad me, q̃
aliqui aut per ſimplicitatem, aut ignorantiam, aut
certe quod plus credendum eſt, per gulam de illis
ſacrilegijs uel ſacrificijs uel ſacrilego cibo, quę ad
huc ſecundum Paganorum cõſuetudinem fiunt,
manducare ne timeant nec erubeſcant: conteſtor
uos coram deo et angelis eius ac denuncio, ut nec
ad illa diabolica cõuiuia, quæ aut ad phanum ad
fonteſq;, aut ad aliquas arbores fiunt ueniatis: &
ſi uobis inde aliquid tranſmiſſum fuerit, tanquam
ſi ipſum diabolũ uideatis perhorreſcite & reſpui-
te, & ita repudiate ut nec in domum ueſtram per-
mittatis de illo ſacrilego conuiuio aliqd exhiberi:
propter illud Apoſtoli quod iam dictũ eſt, Non 1.Cor.10
poteſtis calicem domini bibere & calicem dæmo
C niorum, neq; menſę domini participare & menſæ
dæmoniorum, & quia ſolẽt aliqui dicere. Ego me
ſigno & ſic mãduco, Nullus hoc facere pręſumat.
Qui ſic eſt qui ſe ſignat & aliquid de ſacrilego ci-
bo manducat, quomodo ſe ſignat in ore, & gla-
diũ ſibi mittit in pectore? Quia quomodo gladio
corpus occiditur, ita de illo cibo ſacrilego anima
occiditur. Sed credimus de domini miſericordia,
quia uobis agere quæ ſancta ſunt inſpirare digna-
bitur, & nunquam uobis nec in augurijs, nec in a-
lijs quæ ſupradicta ſunt ſacrilegis obſeruatiõibus
uel diuinationibus diaboli nequitia poſſit ſurripe
re, ſed totam ſpem ueſtrã in domino poſituri, qua-
tenus ut nunquam ad illa nefanda mala quæ ſupe
rius comprehenſa ſunt redeatis, præſtante domi-
D no noſtro Ieſu Chriſto, cui honor & imperium in
ſecula ſeculorum, Amen.

Itẽ in eadẽ dominica, Homilia de eo qđ ſcriptũ
eſt in Euãgelio ſecundũ Ioannẽ, Erat quidã regu-
lus, cuius filius infirmabaꝰ &c. quæ habeꝰ in expo
ſitione doctoris, ibidem. Tom. 9. col. 142.

Dominica uiceſima ſecunda, De Suſanna.

Sermo I

VOTIESCVNQVE in hoc peruerſo ſe- SERMO
Q culo contra laudabiles uiros multiformes CCXLII
tenduntur inſidiæ, uel diuerſæ calumnia-
rũ emerſerint cauſæ, quid homo peſtilẽs cogitet,
quid diabolus machinetur nõ metuet iuſtus, quia
cum ipſo eſt Chriſtus. Eligatur homo miles in prę
lio conſtitutus, officia ſemper exercere uirtutum.
Vnũ ergo de duobus amplectitur, aut patefactis
inſidijs

insidijs eius innocentia populo clarescit, aut per sequentibus inimicis præuentus cum conditionem mortis excesserit, molestijs secularibus liberatus portum securitatis intrabit. Daniel propheta nec in lacũ proiectus leonum timore perculsus expauit, sed inter ista bestiarum ora consistens dominum tota mente placauit, & tyrãnicas dispositiones illæsus euasit. Zacharias pontifex magnus pro cultu dei, pro legibus sacris, pro censura in tẽplo sacerdotali rebellem increpans populũ, mortem cõstanter accepit, & detestabilis acies Iudæorum eius cruore pauimentum infecit. Zacharias martyr triumphat, & Daniel confessor exultat. Vnus moritur & triũphat, alter euadit & regnat. Sed nec fœmineus sexus suis fraudatur exemplis, qui pudicitiæ ornatũ salubriter reseruauit. Susanna illustris, decus pudicitiæ uicit impudentiam iudicum, petulantiã seniorũ cõpressit audacem, ne castitas in ea pateretur iniuriam. Stabat Susanna in iudicio falsorũ mendacibus oppressa testimonijs damnatorũ, stabat non tanquam rea, sed pro castitate firmiter moritura. Ibat ergo pudica ad supplicium, non adulterorũ corpus, in quo extrema libido exarserat, & diabolus inflammauerat. Quod protexerat uirtus, & ornabat pudor, illæsum ibat in mortis exitium. Egregium portabat caput, cuius uultum integra conscientia sublimabat ad cœlum. Propter damna pudoris salutis uota compressit, & cui fuerũt chara præmia castitatis, uitæ gaudiũ non amisit. Contempsit unũ, & cõsecuta est totũ. Et quæ mori uoluit, cum gloria castitatis euasit. Et quã sentẽtia praua deiecerat, illustris cõscientiæ integritas erigebat, metusq; dei & imminentis sacri iudicij indubitata credulitas. O amor honestatis & legis, Susanna adulterij conscientiam grauiorẽ iudicauit quã pœnam. Cum duceretur non dolebat de supplicio, quoniã gaudebat de testimonio falsidico. Innocẽs accusatur per sententiam, sed nutu dei suspenditur pœna, ut iudicantium falsitas denudaretur, & innocens purgaretur. Infirmus sexus contra uiros surgit fortior, expugnat libidinem castitas & honestas, impulsũ luxuriæ horrẽda prosternitur improbitas. Susanna propriã uirtutem animi seruauit, & iudiciũ populorũ cõstanter excepit. Conflantur de innocente falsa crimina. Ille enim munitus est, qui deũ habuerit defensorẽ. Deniq; Daniel propheta instinctu dei cõmonitus, Redite in iudicium exclamauit. Stupet populus pro iudicio repẽtino, reuocatur addicta, falsos testes pauor inuadit. Gemit diabolus quòd ipsius commenta nudantur, gaudent angeli de pudoris integritate comperta, quod defendatur in terris ueritas fatigata. Interrogatũ est quo in loco Susanna facinus quo arguebatur admisit, Hic sub lẽtisco dicit, ille sub pruno. Cum ergo eorũ discrepant prolata responsa, sic repugnantia dictorum facta nudantur, ut uigore mentis increpato populo, testibus cõfusis ueritas ostenderetur. Gaudet populus de pudoris integritate, triumphat maritus quòd fidam inuenerit cõiugem. Lætatur familia quòd nihil inuenerit in ea quod punìat, q; adulterij factum non inuenerit, nec homicidium diabolus quod procurabat impleuerit.

Dan.13

In eadem dominica, De castitate coniugali.

Sermo II

SER. CC XLIII

VANDOCVNQVE castitatem fratres charissimi, secundum quod decet & expedit commendamus, forte adolescẽtes & adhuc in uiridi ætate positi dicunt, Iuuenes homines sumus, continere non ualemus. Quibus nos respõdere & possumus & debemus, ne forte ideo castitatẽ custodire non possint, quia amplius mãducant quàm expedit, & uinum amplius accipiũt quàm oportet, familiaritatẽ mulierum uitare nolunt, atq; earum suspectam societatem habere nec metuũt nec erubescunt. Qui tales sunt audiant Apostolum dicentem, Fugite fornicationem. Et illud, Nolite inebriari uino, in quo est luxuria. Et illud Salomonis, Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos. Illi uero q; dicunt quòd castitatem seruare non possint, respondeant nobis utrum uxores habeant an non. Si habent, quare non attendunt illud quod ueritas in euangelio ait, Omnia quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis similiter? Et quare non seruant fidem uxoribus suis, quam sibi ab eis seruari desiderãt? Cum em uir à uirtute nomẽ acceperit, & mulier à mollicie, id est, fragilitate, quare cõtra crudelissimã bestiã libidinem uult unusquisq; uxorẽ suam uictricẽ esse, cum ipse ad primum libidinis ictũ uictus cadat? Hoc loco forte qui adhuc uxoribus non sunt coniuncti, dicunt se excusare posse, quia coniugia non habent, quibus fidem seruare debeant, & propterea continere nõ possint. Istis qui istam falsam & miserabilem excusationẽ conantur prætendere, iustissime responderi & potest & debet, quia nullus magis illicita uitare debet, q̃ qui respuit quæ licebant: cũ uxorem accipere liceat, & cõtra omniũ scripturarũ authoritatem adulterium cõmittere nunquã liceat: qua re cum dei gratia non accipis quod licet, & cũ dei offensa præsumis quod non licet? Velim tamen scire si illi qui uxores non habent, & priusquã coniugijs copulẽtur adulteria cõmittere nec metuũt nec erubescunt, utrum uelint sponsas suas anteq̃ ad nuptias ueniant ab aliquibus adulteris uiolari? Cum em nullus sit qui hoc patiẽter accipiat, quare unusquisq; sponsæ suæ non seruat fidem, quam sibi ab ipsa seruari desiderat? Quare uxorem uirginem optat accipere, cũ ipse sit corruptus? Quare uiuenti uxori desiderat copulari, cum per adulterium in anima iam ipse sit mortuus: secundũ illud quod scriptũ est, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur? Et illud quod terribiliter clamat Apostolus, Fornicatores iudicabit deus. Et illud, Neq; adulteri regnũ dei possidebũt. Et iterũ, Omnes adulterãtes & adulteros tanq̃ clibanus corda eorum. Sed forte putãt aliqui, quòd fœminis ante nuptias fornicari non liceat, sed uiris liceat. Ista puniẽda, & nimiũ grauia mala, quod peius est, ideo à multis uiris sine ullo timore domini cõmittuntur, quia ita à pluribus in cõsuetudinẽ missa sunt, & ita uilia uel leuia

1.Cor.6 Ephes.5 Eccl.19 Matth.7 Ezech.18 Heb.13

leuia dicuntur, ut nec iam inter grauia crimina putẽtur. Nam in fide catholica quicquid mulieribus non licet, omnino nec uiris licet. Vno enim precio, id est, Christi precioso sanguine redimunt̃, & uiri simul & fœminæ. In unam fidem uocant̃, & in uno Ecclesiæ corpore cõgregant̃, simul baptismi sacramenta percipiũt, simul ad altare accipiẽdum corpus & sanguinẽ Christi accedunt, simul utriq; sexui præcepta donata sunt. Cum hæc ita sint, qua fronte, uel qua conscientia quod & uiris simul, & mulieribus nõ licet agere, soli uiri se credũt impunè cõmittere? Sed & illi qui hoc facere præsumũt, pro certo cognoscant: q; si cito se non emendauerint, & eis fructuosa pœnitentia nõ subuenerit: & sic subito de hac luce rapti fuerint, æterna illos flãma sine ullo remedio cruciabit. Et illud quale est quod multi uirorũ ante nuptias cõcubinas sibi assumere non erubescũt, quas post aliquot annos dimittant, & sic postea legitimas uxores accipiant. Tractant enim apud se, ut prius de multis calũnijs & rapinis & iniustas diuitias, & iniqua lucra conquirãt: & postea cõtra rationẽ plus nobiles q̃ ipsi sunt, uel ditiores uxores accipiãt. Ecce quãtis malis se obligant, qui non solũ luxuriæ, sed etiã auaritiæ uel cupiditati infeliciter seruire desiderãt. Vnde coram deo & angelis contestor atq; denuncio ista mala & semper prohibuisse, & nunquã ei placita fuisse, quia præcipue temporibus Christianis cõcubinas habere nunquam licuit, nunquam licebit. Sed quod peius est, faciunt hoc multi uiri iure fori, nõ iure cœli, non iustitia iubente, sed libidine dominante. Cũ enim Apostolus coniugia habentibus dicat, Tempus breue est, & superest, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint. Et illud, Abstinete ad tẽpus ut uacetis orationi: Quomodo adulteras concubinas permittit habere qui castitatem seruare & in coniugijs positis præcepit? Pro qua re iterũ atq; iterũ uoce libera clamo, quia qui ante legitimas nuptias concubinam sibi adhibere præsumit, peius peccatũ facit quàm qui adulterium cõmittit: Quia qui adulterat adhuc tã graue malum secrete uult agere, in publico autẽ aut metuit aut erubescit committere: Ille uero qui publice concubinam habere uoluerit, fronte impudẽtissima rem execrabilem toto populo uidente licenter se putat admittere. Sed forte illi qui isto peccato non sunt maculati dicunt, Quare qui hoc agunt à cõmunione non suspendũtur? Ideo enim tantum scelus à sacerdotibus minime uindicatur, quia à multis admittitur. Si enim unus aut duo aut quatuor uel quinq;, mala ista facere præsumerent, & poterant & debebant, nõ solum à cõmunione suspendi, sed etiã à colloquio & cõuiuio Christiani populi separari, secundum illud Apostoli, Cum huiusmodi nec cibum quidem sumere: multitudo tamen peccantium, sicut iam dictum est, prohibet sacerdotes domini in illis distinguere: Faciunt tamen boni sacerdotes quod possunt, & cum perfecta charitate cõtendunt orare & suspirare iugiter, & gemitus ac rugitus effundũt, ut in quibus propter infinitã multitudinem non possunt seuerita-

1.Cor.7 1.Cor.5

tem uel disciplinã ecclesiasticam exercere, monẽdo uel orando pro eis possint eos uel aliquãdo ad pœnitentiã prouocare. Vnde iterũ atq; iterũ rogo pariter & cõtestor, ut qui uxorem optat accipere, sicut illam uirginẽ inuenire desiderat, ita ipse usq; ad nuptias uirgo sit: quia si non fuerit, benedictionem accipere cum sponsa sua non merebitur. Et impletur in eo quod scriptũ est, Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Iam uide si pœnitentiæ remediũ non subuenerit, quid de illo erit, uel qua sententia eum necesse erit in futuro iudicio subiacere, qui iam in hoc seculo benedictionem cum sponsa sua nõ fuit dignus accipere? Et illud attẽdite fratres, si in tam graui periculo sunt qui uxores non habent, & aut concubinas sibi adhibent, aut adulteria admittũt: quid de se infelices illi cogitãt, qui forte coniugia habentes adulterant, & insano furore, uel crudeli infelicitate de iudicio dei desperant, qui nec supplicia inferni formidant, nec desiderãt præmia æterna? Si enim fidẽ haberent, utiq; deo crederent, & uenturũ iudiciũ cũ tremore metuerent. Probat̃ enim quia hominibus credunt, & deo non credunt, ut publice ubi homines uident adulteria timeant, & secrete ubi deus uidet omnino non timeant. Si qualẽcunq; scintillam fidei haberent, sicut nõ permittunt seruos suos in præsentia sua peccare, ita nec illi in conspectu domini sui adulterare præsumerẽt. Sed de talibus clamat per prophetã spiritussanctus, Dixit, inquit, insipiẽs in corde suo, non est deus. Certum est enim quia nõ credit deum esse, qui in tenebris & in occulto illa præsente deo facit, quæ publice facere præsentib. hominibus pertimescit. Nescit infelix, quia uultus domini super faciẽtes mala, ut perdat de terra memoriam eorũ. Sed forte dicit aliquis, Ecce cõpellente negocio, aut iubente rege ab uxore tot mensibus aut annis separatus, quomodo castitatẽ seruare possim? Cui iustissime responderi potest, ut redeat ad uxorẽ suam. Sed cũ hoc negociatori dixero, potest mihi dicere, quia si negociũ dimiserit, nõ habeat unde uiuat. Militãs dicit, Si exercitum dimisero, iracundiã regis incurro. Istis talibus ueraciter dici potest, Si timet regẽ, & ideo non redit ad uxorem suam propriã, debet timere deũ, ut nõ tangat alienam. Nã quomodo illum qui nõ iussus relicto exercitu reuertitur ad uxorẽ suam, rex potest occidere: sic & illum qui longe positus adulterat, potest deus perpetua pœna dãnare. Rogo uos fratres charissimi, si ꝓpter negocij necessitatẽ & regis iussionẽ unusquisq; ab uxore sua interdum etiam lõgo tempore separatur: quare propter deũ & animã suam tam lõgo spacio temporis castitas non seruatur? Meretur ergo negociũ, meretur regis iussio ut tantis diebus nõ agnoscat̃ uxor propria: & nõ meretur amor & iussio dei ut non contingat̃ aliena? Sed qui hoc propter negociãdi lucrum & regis imperium seruãt, & propter deũ seruare dissimulant, sciant qui talia agunt quòd si eis nõ pœnitẽtia subuenerit, cum ante tribunal Christi stare cœperint, ab auditu malo liberari nõ poterunt: sed dicet̃ illis: Discedite à me maledicti in

Psal.108 Psal.13 Matth.25

ignem æternũ. Et illud quale est quòd aliquotiẽs uir fortissimus procedens ad præliũ forte non minus decem inimicos occiderit, & ex ipsa uictoria aliquã puellam de præda accipiens, dum cum illa per adulteriũ iungit̃, anima sua peccati gladio interficitur. Et uidete quantũ malũ sit ut aliquis crudelior existat in se, suam animam occidẽdo per luxuriam, magis q̃ per carnalem uictoriam aduersariorum corpora trucidando. Vere lugẽdum est & dolẽdum, ut ille qui sicut iam dixi, decẽ aduersarios uicit, ab una muliere superet̃: & qui tot inimicos occidit in corpore, ab una puella iuguletur in corde. Vere nimis graue malum est, ut uir fortis qui ferro nõ uincitur, libidine superet̃: & eũ mollia aut blanda subuertãt, quẽ dura non superãt, & qui esse captiuus uel seruus hominibus dedignat̃, seruus esse peccati mereatur, cũ indignius sit mente seruire q̃ corpore: secundũ quod scriptum est, (2 Pet.2) A quo enim quis uincitur, huius & seruus efficitur. Hæc ergo fratres charissimi, si uobis ego non dixero, rationẽ pro animabus uestris in die iudicij redditurus ero. Quicunq; aũt magis mihi irasci, q̃ se emendare uoluerit, non habet unde per ignorantiã se possit ante tribunal æterni iudicis excusare, ut dicat se non fuisse admonitum, nec à malis prohibitũ, nec ad ea quæ sunt deo placita castigatione & admonitione frequentissima prouocatũ. Sed credimus de domini misericordia, ꝙ ita negligentibus quibusq; inspirare dignabitur, ut sibi magis uel peccatis suis q̃ medicamentis sacerdotalibus irascantur. Et quomodo ęgrotantes à carnalibus medicis requirunt sanitatẽ corporũ, sic à spiritalibus medicamẽta desiderent animarũ. Sed confidimus quia præstabit hoc diuina misericordia, ꝙ ita nobis de sua emendatione studebũt gaudium facere, ut ad æternum mereantur præmiũ, feliciter peruenire: Præstante domino, & cætera.

In eadem dominica, De castitate coniugali.

Sermo III.

SERMO CCXLIIII

AGNVM mihi gaudiũ facitis fratres charissimi, dum in solẽnitatibus martyrum tanta deuotione fidei ad ecclesiã conuenitis. Sed si uultis deo auxiliante & uestrum profectum & nostrum gaudiũ spiritaliter adimplere, ita inter uos & pacem & charitatẽ inspirante domino conseruate, ut contra hominẽ nullũ odium habeatis in corde, pro bonis orate ut semper ad meliora proficiãt, pro malis assidue supplicate ut cito (Matt.7) se corrigant: & secundũ pręceptum domini, Quęcunq; uultis ut faciant uobis homines, hæc & uos facite omnibus. Tũc enim in ueritate pax & iustitia & misericordia custoditur, quando non solum nullis hominibus malum facimus, sed etiam ubicunq; poterimus adiuuare contendimus. Si ergo hæc Christo adiuuante fideliter agamus, beatos martyres in his quæ supra diximus, præcipuis & præclaris operibus imitantes, partem cum illis in æterna beatitudine habere poterimus. Et tũc pro nobis absq; ulla dubitatiõe sancti martyres intercedunt, quãdo in nobis aliquid de suis uirtutibus recognoscũt. Castitatem ante omnia cũ dei adiutorio custodite, propter illud q̃d scriptũ est: Neq; (1.Cor.6) adulteri regnum dei possidebunt. Et illud, Fornicatores & adulteros iudicabit deus. (Heb.13) Pueri uel puellæ qui in cõiugio coniungendi sunt, uirginitatem usq; ad nuptias seruent. Nam si ante legitimã coniunctionem per adulteriũ corrupti fuerint, ad nuptias corpore quidem uiui ueniunt, sed in anima mortui comprobantur: quia scriptum est, Anima (Ezech.13) quæ peccauerit, ipsa morietur. Nulla mulier potationes ad abortũ accipiat, nec filios aut conceptos aut iam natos occidat: quia quæcunq; fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illic eorum causam quos occiderit esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debẽt accipere. Mulier aũt quæcunq; fecerit hoc per quod iam nõ possit concipere, quantoscũq; parere poterat, tantorum homicidiorũ se ream esse cognoscat. Mulier autẽ ingenua quæ mortiferas potationes accipit ut nõ concipiat, uelim scire si hoc ancillas uel colonas suas facere uelit? Et ideo sicut unaquæq; uult ut sibi mancipia nascant̃ quæ illi seruiant, ita illa quantoscũq; conceperit, aut ipsa nutriat, aut nutriẽdos alijs tradat, ne forte illos aut concipere nolit, aut q̃d grauius, occidere uelit, qui boni Christiani poterant fieri generati. Quotiens ad ecclesiã in qualibet solennitate uenitis, & sacramẽta Christi percipere uolueritis, ante dies plures castitatẽ seruate, ut cũ secura conscientia ad altare dei possitis accedere. Quam rem etiã per totam quadragesimam, & usq; ad clausulam paschæ fideliter custodite, ut uos solennitas paschalis castos & puros inueniat. Qui eñ bonus Christianus est, non solũ ante dies plures q̃ cõmunicet castitatẽ seruat, sed & uxorẽ suã excepto desiderio filiorum non agnoscit: quia uxor nõ propter libidinẽ, sed propter filiorũ procreationẽ accipitur. Deniq; & ipsæ tabulæ matrimoniales hoc cõtinent, liberorũ, inquit, procreandorum causa. Videte quia nõ dixit libidinis causa, sed liberorũ procreandorũ. Velim tamen scire fratres charissimi, ille qui uxore sua incõtinenter utitur, si quotiens eũ luxuria uictum agnouit, totiens suũ agrũ in uno anno arauerit uel seruerit, qualem messem colligere possit? Qui ergo se cõtinere nolunt, si totiens terram quandã suam quam iam seminauerãt, iterũ arent & seminẽt, uideamus qualiter de eius fructu gaudebũt, quia sicut optime nostis, nulla terra poterit dare legitimũ fructũ, in qua frequenter in uno anno fuerit seminatum: Quòd ergo nõ uult aliquis in agro suo, quare facit in corpore suo? Sed dicet aliquis, homo iuuenis sum, cõtinere non possum. Ne forte ideo te non cõtines, quia plus manducas q̃ expedit, & plus uinum accipis q̃ oportet. Forte etiam turpibus cogitationibus occupas mentem tuam, & luxuriosa uerba non solum libenter, sed etiam frequenter aut ipse dicere aut alijs dicentibus audire nec metuis nec erubescis. Incipe cum dei adiutorio gulæ cõcupiscentias refrenare, castis cogitationib. & honestis sermonibus mẽtem uel linguam tuam iugiter occupare, & uidebis quia deo auxiliante castitatem poteris custodire: nec te pigeat, si corporis infirmitas non

tas non prohibet, frequentius ieiunare, ad ecclesiã maturius surgere, ut possis tuam animam à libidinosis maculis nitidam custodire. Et si hoc non infideliter faciens uides te adhuc carnis impugnationibus fatigari, & forte aliquotiens excepto filiorum desiderio ad cognoscendam uxorem propriam uinci, secũdum uires tuas quotidianas eleemosynas adde: quoniam scriptũ est: (Eccl.3) Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatũ. Et illud quod contra omnia peccata magnum est & salubre medicamentum: Omnibus qui in te peccauerint, plenam indulgẽtiam tribue, ut quod per incõtinentiam inquinatur, ieiunijs, eleemosynis, ac præcipue per inimicorum indulgentiam diluatur. Sed dicis, uxorem excepto desiderio filiorum agnoscere, peccatum non est. In tãtum peccatum (Psal.50) est, ut Propheta pœnitẽs clamet, In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Et sic in Veteri testamento legimus, quando populus Iudæorum accessurus erat ad montem Si(Exod.19)nai, ex præcepto domini dicebatur eis, Sanctificamini & estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus uestris: & illud, Si quis nocturno pollutus fuerit somno, non manducet carnes sacrificij salutaris, ne pereat anima sua de populo. Si post pollutionem quę nobis nolentibus fieri solet, nobis cõmunicare non licet, nisi prius præcedat cõpunctio & eleemosyna: & si infirmitas non prohibet, etiam ieiunium: quis est qui potest dicere illud quod uigilantes & uolentes facimus non esse peccatum? Deniq; mulieres quando maritos accipiunt, per triginta dies intrare in ecclesiã non præsumant. Quod etiam similiter uiri obseruare deberent. Sed dicis, peccatum quidem est, sed tamen paruum est. Nec nos dicimus quia capitale peccatum est: sed tamen si frequentius exerceatur & ieiunijs uel eleemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit. Noli despicere peccata tua, quia parua sunt: nam & pluuiarum guttæ sunt, sed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollũt. Tu qui dicis, quia paruum peccatum est: uelim scire quotiens tale peccatum admittis, si tot paruulas plagas in corpore, & tot maculas aut scissuras in uestibus tuis fieri uelis? Cum ergo in corpore tuo plagas, nec in ueste tua scissuras uel maculas fieri acquiescis, qua conscientia hoc facere in anima tua non metuis? Ac sic quicunq; hoc fecerit plus amat uestem & carnem suam quàm animam. Cum enim ad imaginem dei facti sumus, quotiens aliquid turpe, aut loquimur, aut facimus, totiens dei imaginem sordidamus. Etiam uidete si hoc uos deceat aut oporteat. Vere dico uobis fratres charissimi, quia non hoc de nobis deus meretur, ut in nobis imago ipsius per malas concupiscentias iniuriam patiatur. Et cum nullus homo uelit cum tunica sordibus plena ad ecclesiam conuenire, nescio qua conscientia cum anima per luxuriam sit inquinata, præsumit ad altare accedere, non timens illud quod (1.Cor.11) Apostolus dixit, Qui enim manducat corpus, & sumit sanguinẽ domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Si erubescimus ac timemus eucharistiam manibus sordidis tangere, plus debemus timere ipsam eucharistiam intus in anima polluta suscipere. Et quia, sicut dixi, in anima nostra facti sumus ad imaginẽ Dei, si in tabula aut lignea aut lapidea faceres imaginem tuam, & aliquis impudens homo uellet illam imaginem aut lapidibus frangere, aut aliquibus sordibus inquinare, uelim scire si contra eum nõ moueretur animus tuus? Rogo te si imaginem pictam in tabula mortua sic zelaueris, putas qualem iniuriam patitur deus, quãdo in nobis imago sua per luxuriam sordidat̃? Et ideo si nobis non parcimus propter nosmetipsos, parcamus nobis uel propter imaginem dei ad quã facti sumus. Ante omnia ut quotiens dies dominicus aut aliæ festiuitates ueniunt, uxorem suam nullus agnoscat. Et quotiens fluxũ sanguinis mulieres patiuntur, similiter obseruandum est: propter quod ait Propheta, Ad mulierẽ (Ezech.18) mẽstruatam non accesseris. Nam qui uxorẽ suam in profluuijs positã agnouerit, aut in die dominico aut in alia qualibet solennitate se cõtinere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiã forte dæmoniaci nascentur. Deniq; quicunq; leprosi sunt, non de sapientibus hominibus qui & in alijs diebus & in festiuitatibus castitatem custodiunt, sed de rusticis maxime qui se cõtinere non sapiunt, nasci solent. Et reuera fratres, si animalia sine intellectu non se contingunt nisi certo & legitimo tẽpore, quantomagis homines qui ad imaginem dei facti sunt, hoc obseruare deberent? Sed quod peius est, sunt aliqui ita luxuriosi, uel ebriosi, qui aliquotiens nec prægnantibus uxoribus parcunt. Et ideo si se non emendauerint, ipsi uideant si non peiores animalibus iudicandi sint: istis talibus clamat Apostolus, dicens: Vt sciat unusquisq; suum uas possidere in hono(1 Thess.4)re & sanctificatione, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ spem non habent. Et quia sunt multi qui legitimam non custodiunt castitatem cum suis uxoribus, sicut supra dixi, largas eleemosynas faciant & omnibus inimicis suis indulgeant: ut sicut iam dictum est, quòd luxuria sordidum effecit, assiduis eleemosynis abluatur. Rogo uos fratres, ut mihi indulgeatis, quia pro salute animæ uestræ cum grandi timore & cum uerecundia de talibus rebus uos admonere uideor, quia & hoc mihi expedit dicere & uos oportet audire. Et ideo omnia quæ à nobis audistis, ubicunq; fueritis inuicem uobis dicite, & cum charitate uos admonete. Sicut enim reus ero ante tribunal Christi si uobis non dixero, ita & uos si inuicem quoscunq; negligentes agnoscitis, admonere nolueritis, timere debetis ne uobis necesse sit pro illis reddere rationem. Sed credimus de dei misericordia quòd ita nobis agere inspirabit, ut nobis non solũ de nostra Deo placita conuersatione, sed & pro aliorum salute & in hoc seculo & in futuro duplicata à Deo præmia repensentur, Amen.

Dominica uicesimatertia, De continentia & sustinentia: Sermo I.

SERMO CCXLV A

VO sunt quæ in hac uita ueluti laboriosa præcipiuntur à dño, continere & sustinere. Iubemur enim cõtinere ab his quę in mundo dicuntur bona, & sustinere quæ in hoc mundo abundant mala. Illa continentia, ista sustinentia uocatur. Duæ uirtutes quæ mundãt animã & capacem faciunt diuinitatis. In refrenandis libidinibus & coercẽdis uoluptatibus, ne seducat q̃d male blanditur, & eneruet quod prosperum dicit, continentia nobis opus est, non credere felicitati terrenæ, & usq̃ ad finem quærere felicitatem quæ non habet finẽ. Vt aũt est cõtinentię felicitati mũdi nõ credere, ita sustinentiæ est iniquitati mundi nõ cedere. Siue ergo in affluentia rerũ simus siue in angustia, expectãdus est dominus, qui & quod uere bonum & suaue est, det: & quod uere malum est, auertat à nobis. Bona dei quæ promittit iustis, in finẽ seruantur. Bona & mala quæ uersantur & miscẽtur in seculo, nec boni soli habent nec mali. Quicquid boni in hoc mũdo dixeris, habẽt boni, habẽt & mali. Veluti salutẽ ipsam corporis & boni habent & mali. Diuitias & apud bonos & apud malos inuenies. Successum filiorũ & bonorum & malorũ donum uidemus esse cõmune. Vitam longam diu uiuunt boni, equidem diu uiuunt & mali. Morbi, dolores, damna, oppressiões, orbitates, cõmunis hæc est omniũ materies lachrymarũ. Facile est ergo uidere & bona seculi apud bonos & malos, & mala seculi apud bonos malosq̃ perferri. Et ideo quorundam pedes in uia dei titubãt, & exorbitare conantur. Multi etiam deuiant & exorbitant, cũ instituerint & proposuerint animo, propterea seruire se deo ut bonis terrenis abũdent, & malis careant eaq̃ deuitẽt. Cum enim hoc sibi ꝓposuerint & hanc mercedem constituerint pietatis & religionis suæ, quãdo uiderint se laborare, & florere iniquos, quasi perdiderint spẽ, quasi eos fefellerit qui uocauit, quasi frustra opus indixerit q̃ in mercede decepit, renunciant deo. Et quò se miseri cõuertunt auertẽtes se ab illo à quo facti sunt, & inhærentes illis quæ facta sunt? Cum perierit q̃ factũ est, ubi erit amator temporis qui perdidit æternitatem? Proinde propter illa bona quę nõ dabit deus nisi bonis, & propter illa mala quę nõ inferentur nisi malis, quia in fine apparebunt utraq̃, credi sibi uult Deus. Quæ enim merces fidei, aut quod omnino uel nomen fidei, si modo uis uidere quod teneas? Nõ debes ergo uidere quod credas, sed credere ut uideas: credere quãdiu nõ uides, ne cũ uideris erubescas. Ergo credamus dum tempus est fidei, anteq̃ sit tẽpus speciei: sic em̃ dicit Apostolus, Quãdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à dño. Per fidem enim ambulamus. Ergo per fidẽ ambulamus, quãdiu credimus quod nõdum uidemus. Tenebimus aũt speciem, cũ uiderimus facie ad faciẽ sicuti est. Tempus fidei, & tẽpus speciei Ioãnes etiam apostolus distinguit in epistola sua dicẽs, Dilectissimi, nũc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniã cũ apparuerit similes ei erimus, quoniã uidebimus eum sicuti est. Laboriosum est fidei tẽpus: Quis negat? Laboriosum est, sed hoc est opus cuius illa merces est. Noli piger esse in opere, cuius mercedẽ desideras. Si em̃ & tu ipse mercenariũ conduxisses, non ante mercedem numerares, q̃ in opere exerceres: diceres ei, Fac & accipe: non tibi diceret, da & facio. Sic ergo & deus: Tu non fallis mercenarium tuum timens deũ, & te ipse deus fallit qui iussit ne fallas mercenarium? Tamen tu quod promiseris potes & non dare, & si non est in corde tuo dolus falsitatis, est tamẽ in fragilitate humana inopia difficultatis. Quid de deo timeamus qui nec fallere potest quia ueritas est, & abũdat omnibus qui fecit omnia? Credamus ergo deo fratres, hoc est primum præceptũ, hoc est initium religionis & uitæ nostræ, fixum habere cor in fide, & figendo cor in fide uiuere bene, abstinere ab omnibus seductoribus, sustinere mala temporalia: & quãdiu illa blandiuntur & illa minantur, aduersum utrunq̃ in hoc habere cor, ne in illa defluas, ne in illa frãgaris. Habendo ergo cõtinentiam, & habẽdo etiã sustinentiam, cũ bona tẽporalia trãsierint, & mala quæ inferantur nõ erunt, habebis omne bonum, habebis nullum malum. Ideo in lectione, quid uobis dictũ est? Fili accedẽs ad seruitutem dei, sta in iustitia & timore, & prępara animã tuam ad tentationẽ. Deprime cor tuũ & sustine, ut crescat in nouissimis uita tua. Nõ ut modo, sed ut in nouissimo: ut crescat in nouissimo uita tua. Quantũ putamus quia crescat? Vt fiat æterna. Modo em̃ uita humana quãdiu uidet produci, decrescit potius q̃ crescat. Attendite & uidete, quia decrescit, Natus est homo: Verbi gratia, cõstituit illi deus uitæ suæ septuaginta annos, accedit illi uita dicimus crescendo: accedit, an decedit? Ecce de septuaginta annis uixit annos sexaginta, remanserunt decem. Diminutũ est quod erat propositum, & quanto plus uiuit, tanto minus illi restat. Ideoq̃ uiuẽdo hic decrescit uita, nõ crescit. Tene quod tibi promisit deus, ut in nouissimis crescat uita tua: deinde sequitur quod lectum nõ est, Omne quod tibi applicitũ fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: Quoniam in igne probatur aurũ & argentũ, homines uero acceptabiles in camino humiliationis. Durũ uidetur, defecisti. Nónne illud quod nõ deficit perdidisti? Multi multa patiuntur propter pecuniã periturã, & tu non uis pati ꝓpter uitã mansuram? Sic recusas laborare pro dei promissis, quasi non laborares pro cupiditatibus tuis. Quanta patiunt̃ pro sua iniquitate latrones, quanta patiũtur pro suis sceleribus perditi, pro sua nequitia luxuriosi: ꝓ sua auaritia negociatores mare transmeantes, uentis tẽpestatibusq̃ corpus & animã cõmittentes, sua relinquentes, ignota quærentes? Iudex si pronũciet exiliũ, tremor est: deus mortem minat̃, & lętitia? Quid ergo magnũ tibi imperat sapiẽtia, quod non posset imperare & auaritia? Tamẽ cum imperat auaritia, facis. Et cum feceris quod imperauerit auaritia quid habebis? Plenam domum auro & argento: non legisti, Quanquam in ima-

2 Cor. 5

1 Ioan. 3

gine dei ambulet homo, tamen uane cõturbabit? Thesaurizat & nescit cui ea colligat. Quare ergo cantasti & dixisti deo, Auribus percipe lachrymas meas? Quare tu non percipis aurib. uerba eius, à quo uis percipi lachrymas tuas? Si accusaueris auaritiã tuã, inuitaberis ad sapiẽtiam suam. Sed cum susceperis iugũ sapientiæ, laboriosa erit. Laboriosa planè. Sed uide quo fine, qua mercede. Nunquid quod per sapientiam colligis, nescis cui colligas ea? Tibi colligis. Expergiscere, euigila, habeto cor formicæ, Æstatis tẽpus est, collige quod tibi ad hyemem prosit. Noli esse piger, collige grana de area, de area dominica, id est, uerba Dei de ecclesia dei, & reconde intus in corde. Quis enim est qui dicat, Bene mihi erit, & non moriar. Quãuis amet uitam, mortem timet. Ipse timor mortis, hyems quotidiana est. Et tunc maxime pungit timor mortis, quando nobis bene est. Nam quando male est, nõ timemus mortem. Quando nobis bene est, tũc magis timemus mortem: ideo ille diues quem delectabant multæ diuitiæ suæ, habebat enim magnas diuitias & magnas possessiones, credo q̃d interpellabatur timore mortis, & inter delicias cõtabescebat: cogitabat enim se illa bona relicturum: cõgregauerat & nesciebat cui, & aliquid cupiebat æternũ, & uenit ad dominum, & ait illi, Magister bone, quid boni faciam ut uitã æternam cõsequar? Bene est mihi, sed labitur quod teneo: bene est mihi, sed subito nõ erit quod habeo. Dic mihi unde habeam quod semper erit? Dic mihi quomodo peruenią ad id quod non perdã? Et dominus illi, Si uis uenire ad uitam, serua mandata. Quæsiuit, Quæ mandata? Audiuit, respondit se à iuuentute sua omnia seruasse. Ait dominus consiliarius uitæ æternæ, Vnum tibi deest: Si uis perfectus esse, uade uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cœlo. Nõ enim dixit, perde, sed serua, & ueni sequere me. Ille q̃ delectabatur diuitijs, & propterea quærebat à domino, quid boni faceret ut uitam æternam cõsequeretur, quia à delicijs ad delicias migrare cupiebat, & has quibus delectabat̃ relinquere formidabat, abscessit tristis ad thesauros suos terrenos. Noluit credere domino, quia potest seruari in cœlo quod periturũ est in terra. Noluit esse uerus amator thesauri sui. Malè tenendo perdidit, multũ diligendo amisit. Nam si bene illũ diligeret, migraret quò ipse postea sequeretur. Domum illi deus ostẽdit ubi migraret, non locũ ubi perderet, secutus enim ait, Vbi em̃ fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuũ. Sed uidere nolunt homines diuitias suas. Fac q̃ in terra thesaurizent, nũquid non timent uidere diuitias suas? Et cũ obstruxerint & cooperuerint, nunquid uident quod habent? Nec ipse uidet, et optat ut lateat, timet ne pereat. Esse uult diues in opinione, nõ in ueritate. Quasi sufficit habere in cõscientia, quod seruat in terra? O quãto maior tibi & melior cõscientia erat si seruares in cœlo. Hic cũ obrueris in terra, times ne sciat seruus tuus & auferat & fugiat, Hic times ne auferat tibi seruus tuus: ibi nõ times, quia bene tibi seruat dominus tuus. Sed habeo, inquis, seruũ fidelem, qui & nouerit & nõ prodat & non tollat. Compara illũ domino tuo. Si fidelẽ seruũ inuenisti, dominus tuus quando te fefellit? Et si nõ potest seruus tuus tollere, potest tamẽ perdere: dominus tuus nec tollere nec perdere potest, nec perire permittit. Seruat tibi, manet tibi, liberat te, manentem te facit, nec perdet te, nec perdet quod ei cõmendaueris. Veni, inquit, accipe quod apud me posuisti? Absit, Non hoc tibi dicit deus. Ego, inquit tibi, qui te ꝓhibui fœnerare, fœneratus sum à te. Volebas em̃ fœnora crescere, ut dares homini ut tibi plus redderet, & quãdo accipiebat gaudẽs, & quãdo reddebat plorans. Hoc uolebas, & prohibebã ego: dixi enim, Qui pecuniam suã nõ dabit ad usurã. Prohibebã te à fœnore: hoc tibi dicit dñs tuus, Pauca uis dare, & plura accipere? Relinque hominẽ qui plangit, quando exigis, me inueni qui gaudeo quãdo reddo. Ecce, inquit, assum. Da & sume, tẽpore redditionis reddã tibi. Et quid reddã? Pauca dedisti, plura sume. Terrena dedisti, cœlestia sume. Tẽporalia dedisti, æterna sume. Mea dedisti, meipsum sume. Quid enim dedisti, nisi ex eo quod accepisti? Ergòne q̃d dederis nõ reddo, qui unde dares dedi? Qui teipsum qui dares dedi, qui tibi Christũ cui dares dedi, qui tibi diceret, Quãdo uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Ecce ut des pascit, & esurit ꝓpter te. Donat et eget. Quãdo donat uis accipere, quãdo eget non uis dare. Eget Christus, quando eget pauper. Qui omnibus suis uitã æternã paratus est dare, in unoquoq̃ paupere tẽporaliter est dignatus accipere, & consiliũ dat quò migres. Dedit em̃ cõsilium quò migrare debeas. Migra enim de terra in cœlũ, ne perdas. Quàm multi enim quod seruabant perdiderunt, & nec sic correcti in cœlo ponere didicerũt. Si forte tibi aliquis diceret, Transporta diuitias tuas ab Occidente in Orientẽ si nõ uis ut pereant, æstuares, laborares, satageres, attenderes quæ haberes, uideres te multiplicitate rerũ tuarum facile in longinqua migrare nõ posse. Sed & forte fleres, quia ire cogereris, & quomodo tecum tolleres quod collegeras nõ inuenires. In longinquiora te migrare iussit, qui non ait, Migra ab Occidente in Orientem: sed ait, Migra de terra in cœlũ. Æstuas quasi difficultatẽ maiorẽ tibi uideris pati, & dicis tibi, Si nõ inueniebã iumẽta & naues quibus ab Occidẽte migrarem ad Orientem, quomodo inueniã scalas quibus è terra migrẽ in cœlũ? Noli, inquit tibi deus, laborare, noli laborare, qui te diuitẽ feci, qui tibi quod dares dedi, laturarios tibi pauperes feci. Si uerbi gratia, inuenires aliquẽ inopẽ de transmari, aut quò ire uelles inuenires inde ciuẽ necessitatẽ patiẽtẽ, nónne diceres tibi, ciuis iste inde est quò ego uolo ire? Eget hic, do illi quod ibi mihi reddat. Ecce eget hic pauper, qui ciuis est regni cœlorũ. Quid dubitas facere tra iectitiũ? Sic em̃ dant qui hoc faciunt ut plura accipiant, cũ ad ea loca uenerint, unde est ille qui accepit. Faciamus & nos. Hoc fit si credamus, si fidem excitemus. Nã uane conturbamur, quia dormiente Christo in naui, penè naufragauerunt discipuli.

Psal. 14

Matt. 19

Dormiebat Christus, & turbabant discipuli. Venti sæuiebãt, fluctus excitabantur, nauis mergebat. A Quare? Quia Iesus dormiebat. Sic & tu quãdo tẽpestates tentationũ sæuiunt in isto seculo, turbat cor tuũ tanq̃ nauis tua. Quare, nisi quia dormit fides tua? Sic enim Paulus apostolus dicit, Quia habitat Christus per fidem in cordibus uestris. Excita ergo Christũ in corde tuo, uigilet fides tua, tranquilletur conscientia, & liberetur nauis tua. Senti, quoniam qui promisit uerax est. Nondũ ostendit, quia nõdum est tempus ut ostendat. Multa etiam tamen ostendit, Christum suum promisit & dedit. Resurrectionem eius promisit & dedit. Euangelium eius promisit & dedit. Ecclesiã suam toto orbe diffundẽdam promisit & dedit. Tribulationes ipsas in rebus humanis prædixit & ostẽdit. Quanta sunt quæ restant? Implentur quæ promissa sunt, B implẽtur quæ prædicta sunt, & titubas ne non ueniat quod restat? Tũc timere deberes, si quod prædictũ est non uideres. Bella sunt, fames sunt, cõtritiones sunt. Regnũ super regnum est, terræmotus sunt, abundantia scandalorũ, frigus charitatis, copia iniquitatis. Hæc omnia lege, prædicta sunt, Lege, uide, quia omnia quę uides prædicta sunt, & crede te uisurum esse quod nondum uenit, numerans quanta uenerunt. Tu aũt uidẽdo deum ostendere quæ prædixit, non credis daturũ esse quod promisit? Ibi credere debes, ubi turbari cœpisti. Si finis mundi est, migrandũ est de hoc mundo, nõ amandus est mundus. Ecce turbatur mũdus, & amatur mũdus. Quid si trãquillus esset mundus? Formoso quomodo hęreres, qui sic amplecteris fœdum? C Flores eius quomodo colligeres, qui ab spinis nõ reuocas manũ? Non uis relinquere mundũ, relinquit te mundus, & sequeris mundũ. Cor ergo mũdemus charissimi, & nõ perdamus sustinentiã, sed percipiamus sapiẽtiam, & teneamus continentiã. Transit labor, uenit requies. Trãseunt falsa delitiosa, & ueniet bonũ quod concupiuit anima fidelis, cui inardescit & suspirat omnis peregrinus in seculo. Patria bona, patria cœlestis, patria cũ populis angelorũ, patria ubi nullus moritur, quò nullus hostis admittitur, patria ubi habes sempiternũ deum amicum, ubi nullum timeas inimicum.

Ephes. 3

In eadem dominica, Ad iuuenes ut contineãt.

Sermo II.

SERMO CCXLVI

D uos mihi sermo ò iuuenes, flos ętatis, periculũ mẽtis. Tempus quidem omne atq̃ omnis ætas qua corruptibilis caro illa portatur, uacare à tentationibus non potest. Et tãdiu quisq̃ bonus in agone luctatur, ne ab aduersario superetur, in periculis agit, quãdiu cum illo sicut in arenoso quodã stadio, sic in ista morte cõtendit. Mox enim ut homo seculo nascitur, & uitã plenam miseriæ, uelut propheta futuri laboris sui, præconio lachrymosæ uocis ingreditur, etiã si nondum in animo suo, in animo tamẽ parentum suorum, uel quorumlibet hominũ, in quorum manibus nutrienda eius infirmitas iacet tentari iam potest, & diaboli circũuentionibus rapi, aut per ligaturas execrabilium remediorum, aut per sacrilega sacra gentium, aut si forte mors urget negligentia renunciationis in baptismo salutari: & ut breui complectar, tentatur illa ætas cum à suis in mundo diligitur, & in Christo negligitur. Trahit enim secum propaginem mortis, & in illo peccati uulnere radicatur, quod primo homini ex quo corruptionis originem duximus, uenenoso dẽte serpentis inflictum est. Vnde sanctus Iob neminem esse mundum dicit à peccati utiq̃ sordibus, nec infantem cuius est unius diei uita super terram. Sed de iam nato quid loquar, cum Dauid luctuosa uoce clamet, In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Superflua enim possent uideri baptismata recẽtium paruulorum, nisi omnes homines morerentur, & originale peccatum per parentum uiscera usq̃ ad fructum prolis tramite mortalitatis excurreret: cum & mortalem creaturam dominus omnipotens lege sui ordinis format, & immortalitatem renouationis optimus pater misericordiæ gratia subministrat. Quòd si nec infantia mortalis hominis propter corruptionis uinculũ à tentationibus uacat, quid de cæteris ætatibus dicã? An forte senectus excepta est, & in carne iam uicina cadaueri sanguis ac mẽbra illicitæ concupiscentiæ friguerunt, & à fesso ac propè mortuo iã corpore materies tẽtationis emarcuit? Imò uero tantus est in malis senibus plerunq̃ gurges auiditatis & insatiabilis uorago uentris & gutturis, ut quãta boni senes prudẽtia serenãtur, tanta isti uinolentia sepeliãtur: quasi ad hoc in eis arida uiscera & succo exhausta curuentur, ut ad uigorẽ pristinũ reparandũ ebrietatis inundatione riganda sint. Quid auaritia, quæ radix est omnium malorũ? Nónne in frigidis senibus tanto ad acquirendum feruentius inardescit, quanto citius relictura est q̃d acquirit, mirabili sanè dementia? Grauioribus em̃ sumptibus se onerare festinat, cũ iam peruenerit quò tẽdebat. Si ergo puerilis & senilis ætas non est à tẽtationibus libera, quarum altera, id est puerilis, nõdum bene ingreditur, altera iam egreditur istam uitã, & altera pauloante nõ erat, altera paulopost non erit: quid sentiendũ est de flagrãtia iuuenilis ætatis, quæ utriusq̃ in medio constituta & ab infirmitate pueritiæ iam recessit, & nondum ad torporẽ senectutis accessit? Hæc pluribus atq̃ maioribus tentationum tempestatibus quatitur. D Hæc fluctuum crebriore impetu seculi inundãtis operitur. Præsumit uiribus, formæ dignitate iactatur, pompa rerũ temporaliũ præfulgere aut exoptat aut gaudet. Itaq̃ iuuẽtuti malorum uenenum est quicquid ueritas præcepit, esca est quicquid diabolus suggerit: sed amaritudo iustitiæ medicamentum est uirilis ætatis: dulcedo autem iustitiæ muscipula est temeritatis: ad hoc pertinet q̃d scriptum est, Dulciora sunt uulnera amici q̃ uoluntaria oscula inimici: Et illud quod ait Dauid, Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris nõ impinguet caput meum. Vrat ueritas, & tamen sanet. Nam oleũ peccatoris adulatio assentatoris mulcet, sed decipit. Ibi enim lenit superbia, sed labit uita. Loquitur enim Propheta

Prouerb. 27
Psal. 140

Propheta ex persona eius qui iam medicũ querit, qui manum curãtis etiam cum doloris acerbitate A supportat, qui ægritudinem suam sanari potius q̃q̃ laudari desiderat. Periculosum uero est ulcus iuuentutis quod cupiditatibus cõtabescit. Sed spes ista desperatorũ est, spes rerũ perituratũ, quæ animę miserę nõ soluit, sed inflat affectũ, facitq̃ illam tactum non ferre ueritatis, ut etiam de sua immortalitate desperans, amet dicere, amet etiam ista sibi dici, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur: oderit aũt dicere & audire, Sobrij estote & iusti, & nolite peccare. Amet perniciosam inimici lenitatem, oderit salubrem medici asperitatẽ. Ista peruersitas, ista uęsania in iuuenili ætate maximè formidanda est. Hinc ille nascitur sermo hominũ in flagitia defluentiũ, & inde in scelera crudescentium. Dixerunt enim cogitantes apud se nõ recte, B Exiguum, & cum tædio est tempus uitæ nostrę, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis. Venite ergo fruamur bonis quæ sunt & utamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino precioso & unguẽtis nos impleamus, & cætera quæ in eodem loco attexuntur gestientis uerba luxuriæ, hominũ de uita æterna desperantium, & spem suam tanquã in arena torrẽtis, ita in tẽporali carnis corruptione ponentiũ. Ex hac aũt enumeratione libidinum & putredinum & uermibus flagitiorum, uidete in quæ facinora & in q̃q̃ immania scelera prosiliũt. Exhausti enim atq̃ submersi immoderatorum delictorũ turpium corruptela, uel dum seueritatem ueritatis sibi contradicẽtis oderunt, Opprimamus ergo, C inquiunt, pauperem & iustum, & non parcamus uiduæ nec seni, nec reuereamur canos multi temporis. Sit autẽ fortitudo nostra lex iustitiæ. Quod infirmum est inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iustum quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. Talia de domino nostro Iesu Christo Iudæorum impietas cogitauit. Quod manifestius in uerbis consequentibus inuenitur: paulò enim post dicit, Promittit scientiam dei se habere, & filium dei se nominat: deinde rursus paulò post dicunt, Contumelia & tormento interrogemus illum, ut sciamus reuerẽtiã illius. Morte turpissima condemnemus eum. Erit enim respectus ex sermonibus illius. Sed attendite quam de illis sententiam ferat spiritus sanctus, quando statim subiungit, Hęc cogitauerũt & errauerunt: excęcauit enim illos malitia illorum. Omnia horrenda facinora quæ timentur in sceleratis hominibus, uidete de qua labe cõsurgãt. Quid enim mollius quàm illa luxuria? quid durius quàm ista crudelitas? Iam dudum dicebant, Fruamur bonis quę sunt, & utamur creatura tanq̃q̃ in iuuentute celeriter, & nõ prætereat nos flos temporis, & ubiq̃ relinquamus signa lętitiæ: nunc dicunt opprimentes pauperem, Non parcamus uiduæ nec reuereamur senem: Circumueniamus iustum, contumelia & tormẽto interrogemus eum, morte turpissima condemnemus eum. Vinum sequitur furor, unguẽta tormenta, sanguis rosas, ira lætitiam. A talibus ligatus, cæsus, interfectus est dñs. Quis de coronis florentibus cruenta uincula formidaret? Quis de suauibus poculis dolores sæuissimos præuideret? Quis de mollibus pratis tam dirum crucis lignum prænoscere, & tamen nulla ætas, nulla luxuria, nisi iuuentus flori tẽporis comparata est? Sic enim dixerunt, Vtamur creatura tanq̃q̃ in iuuentute celeriter. Vos ergo, ò iuuenes maximè monemus & hortamur ut ueræ uirtutis pulchritudine capiamini. Nulla species terrena uel cœlestis, nullus fulgor metallorũ, nulla nemorũ amœnitas, nullæ florũ purpuræ, nullus uel naturalis uel adhibitus carnis ornatus, nullus quarumlibet chordarum atq̃ tibiarum sonus, nulla odorum iocunditas, nulla saporũ suauitas, nulli amplexus pulchritudini, inspirationi, dulcedini, fomentis sapientiæ conferant. Ab his enim quæ turpiter amantur non ab ipso amore prohibemur. Amare uultis, amate sapientiã, ambite & perueniatis ad eam, ut nõ uos exhorreat eius aspectus in homine, uos in timore cõponite. Sicut lasciui oculi ornamẽta corporis, sic illa cordis inquirit. Nec de uestris diuitijs hæc ornamẽta proferatis, quia odit superbos, & quasi de suo se iactare cupiẽtes. Quid aũt habes quod non accepisti? Ipsa ergo donat unde illi placeas. Tantũ dilige eam & seruabit te. Circunda eam & exaltabit te; honora eam & amplexabit te, ut det capiti tuo coronam gratiarũ. Clara est & quæ nunq̃q̃ marcescet sapientia, & facile inuenitur ab his qui diligunt illam. Proponite hanc adiungere uobis, in illam suspirate, in illam exardescite, in illã deperite. Teipsum abnega tibi, ne illi te abneges dũ tibi places. C Nõ habet amaritudinẽ cõuersatio illius. Si amatores estis, hãc amate: si formosi estis, deo placete: si iuuenes estis, diabolum uincite. Daniel ab angelo uir desideriorũ appellatus est. Quę illa eius erãt desideria, nisi quibus in sapientiæ pulchritudinẽ ardenter inhiabat: quia in iuuenili ætate calcauit lasciuiã, & regũ superbiã pressit captiuus, & ora leonum clausit inclusus? Nec uos fœminæ adolescentulæ alienũ à uobis arbitremini hũc esse sermonẽ. Ad uos enim, nõ tamẽ ut confundã uos, hęc dico, sed ut filias meas charissimas moneo. Iuuenilia desideria fugite, nuptæ Susannã, uiduæ Annam, uirgines Mariam cogitate. Nec in publicũ propterea procedatis, ut florẽ fœni uestri oculis hominũ ostentare cupiẽtes, in domo uitæ mortẽ quæratis. Omnis enim caro fœnũ, & claritas hominis ut flores fœni. Quid ergo facietis cũ fœnũ aruerit, flos deciderit? Verbũ aũt dñi, quod manet in æternũ, cineres uestros non facile inuenturũ putetis, quod nunc superba ætatis uiriditate cõtemnitis. Stricte iterũ dico atq̃ cõtestor, iuuenilia desideria fugite. Si auditis hoc, si obtẽperatis, si tanq̃q̃ dei uerbum cũ honore & timore suscipitis, nõ solũ pulchri ante oculos dei, sed & sani eritis. Si aũt de hac admonitione nostra etiã iocos fortasse amatorios uobis faciatis, de ipsis ferramẽtis medici mortifera uobis uulnera infligitis. Certe Iudæi qui dominũ crucifixerũt, q̃d cum audimus horrescimus, & ingenti execratione prosequimur: sed tamen illi cum de

ſua luxuria cogitarẽt, delicioſorum agrorum ſoli-
Sap.2 tudines meditabuntur, dicentes, Nullum pratũ ſit A
quod non pertranſeat luxuria noſtra. Quomodo
ergo parceret Chriſto ſi eum inueniſſet in terra,
qui quidem non ſolitaria prata irritandis libidini-
bus ſuis, ſed frequẽtiſſimas eccleſias elegit regnan
tis in cœlo? Ecce tertio conteſtor & dico, deſide-
ria iuuenilia fugite, Danielis deſideriſs æſtuate. Fi
lij à iuuentute ueſtra eligite doctrinam, & uſq; ad
canos inuenietis ſapientiam.

Dominica uiceſimaquarta, De adulterino habitu uirorum ac mulierum.

Sermo I

SERMO CCXLVII

VDIVIMVS ex parabola euangelica
A quendam patremfamiliâs nuptias filio
ſuo feciſſe, & ad eas plurimos inuitaſſe.
Inter quos cum ingreſſus eſſet quidam non ha-
bens habitũ nuptialẽ, uiſus à patrefamiliâs iuſſus
eſt nõ tantũ excludi à nuptiis, ſed in tenebras exte
riores retrudi. Hæc parabola inſenſatos homines
huius temporis euidenter redarguit, quãuis altio-
ri diſſertione aliquid ſecretius & ſacratius poſſit
intelligi. Prius ergo quæramus quis ſit iſte paterfa
miliâs, quis ſit iſte filius, quæ ſint iſtæ nuptiæ. Qui
bus proſpectis facilius intelligere poterimus, cur
ille ab his nuptiis excluſus ſit, qui ad eas cũ adulte
rina ueſte acceſſit. Intelligimus itaq; hunc patrẽfa
miliâs, deũ patrẽ omnipotẽtẽ, cui famulantur uniuer
ſæ familiæ gentiũ, qui coæternũ & coæqualem ſi-
bi genuit filiũ in cœlis ſub patre, in terris ſub ma-
tre. Cui nuptias fecit, quando ei eccleſiam ex om-
ni genere hominũ ſociauit. Ad hanc Chriſti & Ec
C cleſiæ ſocietatẽ conuocati ſunt nobiles & ignobi-
les, diuites & pauperes, omnis cõditio, omnis ſe-
xus, omnis ætas. Inter hos acceſſit unus, qui ſolus
excludi meruit, quia habitũ talium nuptiarum ſan
ctitati congruentẽ non habuit. Attendite fratres,
iſte unus multi ſunt, & tamen hæc tota multitudo
unitatis nomine comprehẽditur. Multi enim ſunt
quãtum ad numerum perſonalis diſcretionis, ſed
unus ſunt per conſonantiam unius prauitatis. Si-
cut enim Eccleſia una eſt per fidẽ ſub capite Chri-
ſto, ita tota reproborũ multitudo, ſiue pateat ſiue
lateat, unum corpus eſt ſub principe diabolo. Qui
ergo per infidelitatem manifeſte à deo recedit, ad
has nuptias non accedit. Qui uero fidelis eſt acce
dit corpore, recedit mente, nobiſcũ intra Eccleſiã,
D cõmunicat nobiſcum Chriſti menſa. Boni & mali
piſces adhuc latent intra retia, donec diuidãtur in
litore. Adhuc toleratur palea, donec uentiletur a-
rea. Tunc manifeſte apparebit, quia multi uocati,
pauci electi. Tunc iſte adulterator habitus nuptia
lis, iuſſu patrisfamiliâs & manifeſte excludetur, &
in carcerem retrudetur. Interim tamẽ amici ſpon
ſi talem ſimulatorem non ignorant, quia habitus
impduicus corporis, nuncius eſt adulterini cordis:
impudicus autem habitus corporis ſui in uiris, ſu-
perflua & inordinata capillatura, ueſtimẽtorumq;
muliebrium affectata ſimilitudo, calciamentorũ
quoq; metas neceſſitatis excedens ſimulata longi
tudo. In mulieribus facies fucata, uirilium ueſtimẽ
torum imitatio, capillorum natiui coloris adulte-
ratio. Hic habitus in utroq; ſexu adulterinus eſt, &
ſanctarum nuptiarum ſocietate indignus, & à con
ſpectu tanti ſponſi & tantæ ſponſæ prorſus amo-
uendus. Nec ſilentio præterire hoc debent amici
ſponſi, diligentes decorem domus dei. Debẽt hu-
iuſcemodi adulteris publice oblatrare, ne dicatur
Eſa.56 de eis, Canes muti latrare nõ ualentes. Qui enim
quantitatẽ uel formam quam omnipotens & pru
dentiſſimus plaſmator finxit, in aliam transfigura
re contendit, nónne euidenter dicere ei uidet qui
ſe finxit, Cur me feciſti ſic? Improba temeritas cõ-
ditoris plaſmata uilificare, ut quantitatẽ ſuam &
formam quantum in ſe eſt, in aliud transfiguret,
quod ſi à natura haberet incõparabiliter ſe habere
doleret. Nec iſta dicimus à nobis tanq; ex nobis.
B Habemus patres noſtros doctores egregios qui
ante nos contra iſta ſcripſerunt, & irrefragabili au
thoritate damauerunt. Audiamus Paulum docto
rem gentium, de ſuperflua capillatura dicentem
1.Cor.11 Corinthijs, Vir ſi comam nutriat, ignominia eſt il
li. Cum enim uir ex dei ordinatione primatum ha
beat ſupra mulierem, qui contra honorẽ ſui ſexus
ſuperfluitate capillorum caput uelat, primatum
ſuum ſibi abiudicat, ut merito de eo dicatur, Ho-
Pſal.48 mo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus
eſt, ut uera dicamus, non tantum mulieribus,
ſed etiam iumentis inſipientibus. Iudicio enim le-
gum iure ab obtenta dignitate deijcitur, qui priui
legio ſibi conceſſo abutitur. Audiamus & beatũ
Cypríanum egregium martyrem & ſuauiſſimum
doctorem, de adulterino habitu diſputantem: di-
cit enim in epiſtola quam ſcribit De habitu uirgi-
num, Opus dei & factura eius & plaſma eius nul-
lo modo adulterari debet in habitu flauo colore
Gen.1 uel nigro, uel quolibet deniq; lineamenta natiua
corrumpente medicamine: dicit enim deus, Facia
mus hominem ad imaginem & ſimilitudinem no
ſtram: & audet quiſquam mutare & conuertere
quod fecit deus? Manus deum offendunt, quãdo
id quod ille formauit reformare & trãsfiguare cõ-
tendunt, ſcientes quod opus dei eſt omẽ quod na-
ſcitur, diaboli quodcunq; mutatur. Si quis pingen
di artifex uultum alicuius & ſpeciem & corporis
qualitatẽ æmulo colore ſignaſſet, & ſignato iam
conſummatoq; ſimulacro, manus alius afferret, &
D iam formata, iam picta, quaſi peritior reformaret,
grauis prioris artificis iniuria & iuſta indignatio
uideretur. Et in ſequentibus. Non metuis ne cum
reſurrectionis dies uenerit, artifex tuus non te re-
cognoſcat, & ad ſua præmia & promiſſa uenientẽ
remoueat & excludat, increpãs uigore cẽſoris &
iudicis dicat? Opꝰ hoc meũ nõ eſt, nec imago hęc
noſtra eſt, cũ te flauo medicamine polluiſti, cũ for
mam quã dederã tibi, mẽdacio deformaſti, facies
corrupta eſt, membra aliena ſunt: deũ uidere non
poteris, quoniã oculi tibi nõ ſunt quos deus fecit,
ſed quod diabolus infecit. Audite me itaq; ut parẽ
tẽ, audite quęſo uos docentẽ pariter ac monentẽ.
Audite utilitatib. ueſtris & cõmodis fideliter con
ſulentẽ. Eſtote tales quales uos deus artifex fecit;
eſtote

eſtote tales quales uos manus patris inſtituit. Ma-
neat in uobis facies incorrupta, ceruix pura, for-
ma ſyncera, à calciamentis ſuperfluis pedes liberi,
crines nullo colore fucati, oculi conſpiciendo de
um digni. Apoſtoli uox eſt, quẽ dñs uas electio-
1.Cor.15 nis appellauit, dicit eũ, Primus homo de terra ter
renus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Sicut por
tauimus imaginẽ terreni, ſic portemus imaginem
cœleſtis. Hanc imaginẽ portat uirginitas, portat
integritas, portas ſanctitas & ueritas, portant diſ-
ciplinæ dei memores, iuſtitiã cũ religione retinen
tes, ſtabiles in fide, humiles in timore, ad omnẽ to
lerantiam fortes, ad ſuſtinendam iniuriã mites, ad
faciendam miſericordiam faciles, fraterna pace u-
nanimes atq; cõcordes: quia omnia obſeruare, di-
ligere & implere debemus, ut Apoſtoli præceptũ
1Cor.6 adimpleamus, Empti eſtis precio magno, glorifi- B
cate & portate deum in corpore ueſtro. Deum e-
nim in corpore noſtro portamus, cũ imaginẽ eius
per immundas & prophanas adinuentiones non
deformamus, cũ per omnia ſeruitutis obſequia re-
demptoris imperio parẽre ſtudemus. Ita enim ima
ginem ſuam in nobis recognoſcet, & nuptiali ue-
ſte ornatos à ſuo ſanctorumq; cõſortio non exclu
det: quod nobis miſericorditer præſtare digne-
tur, qui uiuit & regnat deus per omnia ſecula ſe-
culorum, Amen.

In eadem dominica, De continentia,

Sermo II

SERMO CCXLVIII

DMONET nos lex diuina & exhorta
A tur fratres chariſſimi, ut cõcupiſcentiã C
huius mundi deuitantes, cõtinentiæ ſa
lubri operã demus, ne nos illecebra uoluptatum
per uaria ducat deſideria, & laqueo mortis irreti-
tos, in præcipitiũ & uoraginẽ tradat inferni: loqui
Eccl.18 tur ſapientia homini, & dicit, Poſt cõcupiſcentias
tuas nõ eas, & à uoluntate tua auertere. Si præſtas
animæ tuæ cõcupiſcentiã eius, faciet te in gaudiũ
inimicis tuis. Amor eũ iſtius mundi parit inimici
Iacobi 4 tiam dei: unde ſcriptũ eſt, Qui uult amicus eſſe hu
ius ſeculi, inimicus dei conſtituit: hoc eũ Apoſto
1Ioan.2 lus ſciens Ioannes, perſuadet nos, & dicit, Nolite
diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt. Si
quis dilexerit mundũ, nõ eſt charitas patris in illo,
quia omne quod in mundo eſt, cõcupiſcẽtia car-
nis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia
ſpũs. Hoc & coapoſtolus eius Paulus rurſus mo-
1Cor.7 net & dicit, Qui emunt ſic ſint quaſi nõ poſſiden- D
tes, & hi hoc mundo utuntur quaſi non utantur,
præterit enim figura huius mundi. Vnde & ipſe
ſaluator in parabola ſua oſtendit, q; diuitiæ & uo-
luptates ſeculi ſuffocant uerbum, ita ut non refe-
Matt.16 rat fructũ: & alibi præcepit, dicens, Qui uult uenire
poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſu
Luce 14 am & ſequatur me: & item, Qui non renunciaue-
rit, inquit, omnibus quæ poſſidet, non poteſt me-
us eſſe diſcipulus. Hæc igitur cõſiderantes fratres
chariſſimi, perpendite quantum neceſſaria uobis
ſit continentia, per quam Chriſti diſcipulatui con
digni, ad regnum poteſtis cum eo uenire perpe-
tuum. Continentia uero & ſobrietas non in ſola
integritate carnis conſiſtit, ſed etiã in cultu & or-
A natu, uita pariter & moribus cõſiſtit. Debet enim
unuſquiſq; cõtinens eſſe ab omnibus illicitis. His
aũt quæ licita ſunt debet cum modeſtia & ſobrie-
tate uti, Non enim decet Chriſtianũ ſeculi lucris
inhiare, cui promiſſum eſt regnũ cœleſte, ſed ſuo
domino per continentiã condigne uiuere, ut poſ-
ſit cum eo in perpetuum gaudere. Caſtitatem de-
bet amare, & fornicationem fugere: non auaritiæ
ſtudere, ſed uictu & ueſtitu cõtentus eſſe, non ſu-
perbire, neq; ſperare in incerto diuitiarũ, ſed humi
liter ſentire, & mundi pompam contemnere. Nõ
debet eſſe uaniloquax & arrogans, non mendax
neq; iniurioſus, neq; bilinguis, nõ ſuſurro neq; de-
tractor, ſed ueritatẽ debet ex ore & corde proferre, linguam ſuam à multiloquio tẽperare, quia ſcri
ptum eſt, In multiloquio non effugies peccatum. Prou.10
Oculos contra uanitatem claudere, auditũ à ſcur-
rilitate & falſitate, imò ab omni eloquio malo auer
tere: riſum excelſum & excuſſum non amare: gut-
tur & naſum ad illecebram dulcium ciborũ & ſua
uium odorũ non libenter adhibere, ſed magis bo-
num & ſuauem odorem uirtutum appetere, Ma-
nus & pedes & omnia membra corporis ſolicite
cuſtodire, ne fiãt arma iniquitatis peccato, ſed ma
gis potentiæ arma deo ad deſtruendũ ſpiritalem
inimicum. Cor quoq; debet miles Chriſti ante om
nia ſolicita cuſtodia ſeruare, ne forte illud iactãtia
extollat, ira inflammet, inuidia perforet, auaricia
infeſtet, libido exurat, triſtitia grauet, torpor &
ignauia oneret, & ne illud quod cunctis grauius
eſt, per nouitatũ præſumptiones hæreſis ſcindat.
Qui enim cordis occulta per cõtinẽtiã quieta ſer
uare intus contendit, utiq; & membra corporis fa
cilius contra prauos actus foris cuſtodit: ſcriptum
eſt enim, Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex Prou.4
ipſo uita procedit: item alibi, Mors tecum in intro
itu delectationis poſita eſt: & ſaluator in Euange-
lio, Bonus, inquit, homo de bono theſauro cordis Matt.12
ſui profert bonum, & malus homo de malo the-
ſauro cordis ſui profert malum: & item, De corde Matt.15
ait, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulte-
ria, fornicationes. Cum ergo fratres de cordis radi
ce fructus ſiue boni ſiue mali exeant, neceſſe eſt ut
primũ cor mundemus, deinde carnẽ noſtrã per ie
iunia & uigilias ad laborẽ utilem caſtigemus, ne
carnis libido mentem maculet. Difficile eſt enim
D ut in die delicijs uiuentes mundum cor habeant:
inde dixit Apoſtolus, Caſtigo corpus meũ, & in 1 Cor.9
ſeruitutẽ ſubijcio, ne forte cũ alijs prędicẽ, ipſe re-
probus efficiar: & itẽ, Qui aũt Chriſti ſunt, ait, car Gal.5
nem ſuam crucifixerunt cũ uitijs & concupiſcen-
tijs. Sobrie quippe & pie uiuamus in hoc ſeculo,
expectantes beatam ſpem, & aduentũ gloriæ ma-
gni dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſe
metipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem,
ſectatorem bonorum operum, ut cum uenerit
in maieſtate ſua cum ſanctorum angelorum mili-
bus, pro bonis laboribus & ſancta conuerſatione
reddat nobis præmia uitæ æternæ potius, quàm
pro

pro desidia & uoluptate præsentis uitę cruciatum retribuat sempiternum, quia ueraciter de eo scriptum est, quod reddat singulis secundum opera, Iesus uidelicet Christus qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Dominica uicesimaquinta, de castitate & munditia,

Sermo I

SERMO CCXLIX

G LORIOSVM & insignem inter cæteras uirtutes castitas et munditia locum tenet, fratres charissimi, quia ipsa sola est quæ mundas mentes hominum præstat uidere deum: unde ipsa ueritas ait: Beati mundo corde, quoniã ipsi deum uidebunt. Ac si econtrario diceret, Illi uero miseri sunt quorũ corda sunt carnali concupiscentia polluta, quia æternas mergunt in pœnas. Castitas eñ angelica est uita, castitas cum humilitate spiritus sancti merebitur habitationẽ, quam expellit immundicia libidinũ: dicente scriptura. Corpus peccatis subditũ spiritus sanctus effugiet. Membra nostra debent deo esse dicata, nõ fornicationi. Opponat homo desiderio carnis suę æternorũ flammas tormentorũ. Assuescat iuuenis castitatẽ, ut sit dignus sapientia dei. Vbi immundicia est corporis, ibi habitatio diabolici spũs, qui maxime gaudet in inquinatiõe carnis nostræ. Omnes immũdiciæ deo displicent, & maxime quæ nõ sunt naturales: admonet itaq; nos scriptura sancta, dicens, Post cõcupiscẽtias tuas nõ eas, & à uoluntate tua auertere. Si præstas animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudiũ inimicis tuis uenire. Eiusmodi quoq; Salomon sapiẽtissimus proferebat sententias de cauenda immundicia, dicẽs, Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima aũt illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. Pedes eius descendunt ad mortem, & ad inferos gressus illius penetrant: Per semitam uitæ non ambulant, uagi sunt gressus illius & inuestigabiles. Nunc ergo fili audi me, & ne recedas à uerbis oris mei. Longe fac ab ea uiam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Hoc siquidem non solum de meretricum immundicia dixit, sed etiam de omni carnis concupiscentia, quæ solicitat animam suam consentire suis desiderijs. Sed ratio mentis prohibere debet impetus carnis, & refrenare uoluptates eius iniquas. Item ille qui supra prohibet cohabitationem fœminarũ, iuuenibus dicit, Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut uestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, & non comburentur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cũ tetigerit eam. Similiter & beatus Apostolus admonet nos, Bonũ est, inquiẽs, mulierem non tangere: quasi statim in tactu periculũ esset. Pulchra est enim casta iuuenũ pudicitia & deo amabilis, & ad omẽ bonũ utilis. Qui filios habet spiritales uel carnales, nutriat illos in castitate deo, non in fornicatione diabolo, Quid prodest homini filium habere, nutrire, amare, si æternis eum nutriat tormentis? Qui in castitate uiuũt, angelicam habent in terris cõuersationem. Castitas hominem cœlo cõiũgit, angelis facit ciuem. Qui mulierem habet legitimã, legitimè utatur ea tẽporib. opportunis, ut secũdum Apostolum possit uacare orationi, & benedictionẽ mereatur filiorũ à deo accipere. Nemo dicat à fornicatiõe se custodire nõ posse. Fidelis enim est deus, dicit Apostolus, qui non permittit nos tẽtari supra id quod portare possumus, sed faciet cum tentatione prouentum. Talis unicuiq; homini tentatio datur siue in carnis desiderio, siue in ambitione seculi, uel etiã in quacunq; tentationis molestia, qualem aut cũ laude uincere, aut cũ opprobrio succũbere poterit. Omnibus enim castitas pernecessaria est, sed maximè ministris Christi altaris, quorũ uita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio. Tales enim decet dominum habere ministros, qui nulla contagione carnis corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendeant, & totis honestis fulgeant in populo exemplis, quibus dominus per legislatorem dicit, Sancti estote, quia & ego sanctus sum dominus deus uester. Deus enim lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, nec aliqua fœditas ei sociari potest. Et ideo fratres charissimi, siue uiri, sine fœminæ, siue clerici, siue laici, secundũ Apostoli admonitionẽ, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationẽ in timore dei. Studeamus, ut ei qui ad æternã suã gloriam nos uocauit, placeamus, quatenus cũ eo feliciter in æternũ regnare possimus, præstante domino nostro Iesu Christo, qui cũ patre & spiritu sancto uiuit & regnat, &c.

Mat.5 Gap.1 Eccl.18 Prou.5 1 Cor.7 Leuit.19 Eccl.9

In eadem dominica, De incauta familiaritate extranearum mulierum.

Sermo II

Ser.CCL

N EMO dicat fratres charissimi quod tẽporibus nostris martyrum certamina esse non possint: habet enim & pax nostra martyres suos. Nam sicut frequenter suggessimus, iracundiã mitigare, libidinẽ fugere, iustitiam custodire, auaritiã contẽnere, superbiam humiliare, pars magna martyrij est. Non incongrue dictũ est fratres charissimi, Auaritiam contemnere, iracundiam mitigare, libidinem fugere. Contemnenda est enim auaritia, quæ nobis ideo iniqua lucra procurat, ut suos faciat nos. Nostri enim essemus, si illa nostra nõ esset. Contemnenda est, inquam, auaritia, quæ uelut ignis, quanto magis acceperit, tanto amplius quærit. Iracundia uero mitiganda est, quæ prius nocituris impendit quàm nocendis. Quòd autem libidinem fugiendam esse suggerimus, Apostolus Paulus euidenter ostẽdit, qui cum omnibus uitijs prædicauerit resistẽdum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, Resistite, sed fugite fornicationem. Ac sic contra reliqua uitia, deo auxiliante, debemus in præsenti resistere, libidinem uero fugiendo superare. Sic & alibi in scripturis diuinis legimus, Noli, inquit, in faciem uirginis intendere, ne te scandalizet uultus eius. Et beatus Ioseph ut impudicam dominã posset euadere, pallium quo apprehensus fuerat

fuerat reliquit & fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehẽde fugã, si uis obtinere uictoriã. Nec tibi uerecundũ sit fugere, si castitatis palmã desideras obtinere. Vnde fratres charissimi ab omnibus Christianis, præcipue tamẽ clericis siue monachis indigna & inhonesta familiaritas fugienda est: qa sine ulla dubitatione qui familiaritatẽ non uult uitare suspectam, cito dilabitur in ruinam. Sed forte negligens quisq; & minus de animæ suæ salute solicitus, respondet & dicit, Ecce ego & familiaritatem habeo mulierum extranearum, & tamen castitatis ornamenta custodio. Infelix est & nimium periculosa ista presumptio. Multi enim dum se putabant uincere, uicti sunt. Sed dicit aliquis, Inter mulieres extraneas habitans cõtinentiam teneo, & uolo habere quod uincam. Quid est dicere, Volo habere quod uincam, nisi uiuere desidero sub ruina? Sed ego, inquit, libidinis impetum tanquam adnersarium meum uolo captiuum iugiter retinere. Vide ne contra te incipiat ipsa captiuitas preualere, & ubi te putabat obtinere triumphum, inde in æternum incurras opprobrium. Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna & rara uictoria. Grauem castitas sortita est inimicum, qui quotidie uincitur & timetur. Et ideo sicut iam dictum est, nemo se falsa securitate decipiat, nemo de suis uiribus periculose præsumat, sed audiat Apostolum dicentem, Fugite fornicationem. Dauid enim ille sanctissimus in mille passibus mulierem nudatam uidit, & statim homicidium fecit & adulteriũ. Et aliqui in aliena domo cum extraneis mulieribns putant se castitatis obtinere triumphum, ignorantes dupliciter se apud deum reos existere, dum & seipsos in periculum mittunt, & alijs exemplum peruersæ familiaritatis ostendunt. Quanticunq; enim illorum stultitiã imitantes per inhonestam familiaritatem castitatis ornamenta perdiderint, illorũ animæ ab illis in die iudicij requirent, qui eis exemplũ perditionis ostendũt. Et ideo fratres charissimi cõtra mortifera blandimenta, & contra adiutores diabolo qui familiaritatem suspectam habere nec metuunt nec erubescunt, nec nos exemplo suo decipiant dei adiutorium imploremus iugiter, ut nos de laqueo uenantium liberare dignet, scientes q̃ in malis omnibus quæ supra diximus, Christianis quotidiana martyria deesse nõ possunt. Si enim castitas & ueritas & iustitia Christus est, sic & ille qui eis insidiatur persecutor est, ille qui & in alijs defendere & in se custodire uoluerit, martyr erit. Et ideo qui hæc tota animi uirtute & ipse diligit, & ut alij diligant & uerbis simul & exemplis ostendit, & ubicunq; ueritas uel iustitia siue castitas laborãt, quãtum præualet se etiam ultro iugiter & secundum quod uires habuerit defendere contendit, non unam sed plures coronas deo remunerante percipiet. Et ut hæc obtinere cum dei adiutorio mereamur, non solum ab extranearum mulierum familiaritate, sed etiam ancillarum nostrarum uel quarumcunque uicinarum aut filiæ aut alumnæ aut ancillæ unusquisq; familiaritatem, uel secretam collocutionem uitare contendat: quia quanto earum uilior conditio, tanto facilior ruina est. De familiaritate enim talium Salomon nos admonet dicens, Nunquid alligabit quis ignem in sinu suo, & uestimenta eius non ardebunt? Aut ambulabit quis super prunas, & non comburentur plantæ eius? Et illud, Precium meretricis uix dimidium panis, mulier autem preciosam uiri animam capit. Et quanta iniquitas & quàm lugenda peruersitas, ut animam quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisq; propter unius momenti delectationem libidinis diabolo uendat. Vere enim nimium plangenda & miseranda conditio est, ubi cito præterit quod delectat, & per diabolum in cruce manet sine fine quod cruciat. Sub momẽto enim libidinis impetus transit, & opprobrium infelicis animæ permanet. Sed dicit aliquis, Homo iuuenis sum, facio quod me delectat, & postea pœnitentiam ago. Hoc est dicere, percutio me gladio crudeli, & postea ad medicũ uado: & nescit quòd in unius horę puncto uulnus accipitur & uix longo tempore ad sanitatem pristinã reuocat. Qui enim adulterans dicit se postea pœnitentiam acturum, quare nõ timet ne eum subitum periculum superueniẽs rapiat, & pereat illi delectatio, & succedat illi damnatio? Et de infelici libidine: unde supra diximus, credendum est illud quod propheta dixit, Quomodo confractus est malleus uniuersæ terræ? Quamuis autem post aduentum domini per innumerabilia monasteria, et per cleros uel laicos castitatẽ seruantes quasi cõfractus esse malleus ille uideatur, adhuc tamẽ quod peius est multo plures sunt, qui ab ipso malleo confringuntur, quàm illi qui de ruina uel collisione ipsius liberantur. Vnde iterum atq; iterum rogo, ut diligentius consideremus, & quantum possumus timeamus quod dominus in Euãgelio dicit, Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Pro qua re sicut iam dictum est, non solum ab extraneis mulieribus, sed etiam ab ancillis proprijs refrenanda est & secreta familiaritas & oculorum incauta fragilitas, ne impleatur in nobis illud quod Propheta terribiliter clamat, Intrauit mors per fenestras uestras. Per quas enim fenestras mors ad animas nostras ingredit, nisi per uisum oculorum, & auditum aurium? Si per linguã aut amico tuo aut seruo tuo iusseris ut ad te meretrix adducatur, per os tuum ad animam tuam gladius æternæ mortis ingreditur. Si enim consiliũ malum libenter audietis, si detrahentem, uel aliquid luxuriose loquentem, aut etiam cantica turpia proferentem non respuis, per cordis fenestram mors intrauit in animã tuam. Et quia dominus dixit, Qui uiderit mulierẽ ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo: intelligitur quòd uoluntas perfecta faciendi reputabitur pro opere facti. Ac si dum aliquis libidinoso animo considerat, per fenestram corporis in secretum cordis uenenũ mortis instillat. Talis enim cogitatio etiã si aliquo impedita casu nõ impleat uolun-

1 Cor.10 1 Cor.6 Prou.6 Mat.5 Hier.50 Hier.9

uoluntatē ſuam, nihilominus actionis crimine cō
demnatur à domino, ac ſic illa caſta eſt cum qua li
bidinis malum uoluit exercere, & ille iam adulter
tenetur in corde. Et ideo audiamus Prophetam di
Prou.4 centem, Omni cuſtodia conſerua cor tuum. Et il
Pſal.118 lud, Auerte oculos meos ne uideant uanitatem.
Quomodo enim ſi aliquis carbones ignis appre
hendat, ſi eos cito proiecerit nihil nocebunt: ſi ue
ro diutius tenere uoluerit, ſine uulnere eos iactare
nō poterit: Ita & ille qui ad concupiſcendum ocu
los defixerit, & libidinis malū in corde ſuſcipiens
moras in ſuis cogitationib. habere permiſerit, ex
cutere eas à ſe ſine animæ occiſione uel plaga non
poterit. Et ideo cum Propheta iugiter clamemus,
Pſal.24 Oculi mei ſemper ad dominum, quoniam ipſe e
uellet de laqueo pedes meos &c.

Item in eadem dominica, de eo quod ſcriptum B
eſt in Euangelio ſecundum Ioannem, Cum ſuble
uaſſet Ieſus oculos &c. incipiens, Miracula quæ fe
cit dominus &c. quæ ſumpta eſt de expoſitiōe do
ctoris Ibidem.

Dominica uiceſimaſexta, ſi occurrat, de eo
quod ſcriptum eſt, Vacate et uidete quoniam ego
ſum deus &c.

Sermo I

Ser.CCLI SCIENDVM eſt fratres chariſſimi, ꝙ
ideo à ſanctis patribus noſtris conſti
tutum eſt Chriſtianis & mandatum, ut
in ſolennitatibus ſanctorum & maxime in domi
nicis diebus ocium haberēt, & à terreno negocio
uacarēt, ut paratiores & promptiores eſſent ad di
uinum cultum, cum non haberent quod eos inde
retardaret incōmodum, relinquerentq; eo tempo C
re terrenā ſolicitudinem, quo facilius poſſent dei
intēdere uoluntatem. Inde ipſe dominus per Pro
Pſal.45 phetam dicit, Vacate & uidete, quoniam ego ſum
deus. At hi qui diuerſis curis ac negocijs implica
ti, hanc ſententiam dei ſpernunt, & diuinæ cōtem
plationi uacare nolunt, timeo quod in futuro iudi
cio illis ianuā domini pulſantibus atq; aperiri poſ
Luc.13 centibus, dominus reſpondeat, Amen dico uobis,
neſcio uos. Diſcedite à me omnes qui operamini
iniquitatem. Et qui modo deū quærere negligūt,
ab ipſo tunc reſpuuntur. Idcirco fratres mei nō ſit
uobis moleſtum, in dominicis diebus & in natali
tijs ſanctorum diuino ſtudere cultui. Dominicum
ergo diem Apoſtoli & apoſtolici uiri ideo religio D
ſa ſolēnitate habendū ſanxerūt, quia in eodem re
demptor noſter à mortuis reſurrexit. Quicq; ideo
dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus
uel mūdi illecebris abſtinentes, tantū diuinis culti
bus ſeruiamus: dantes ſcilicet diei huic honorē &
reuerentiam, propter ſpem reſurrectionis noſtræ,
quam habemus in illa. Nā ſicut ipſe dñs Ieſus Chri
ſtus, & ſaluator reſurrexit à mortuis, ita & nos re
ſurrecturos in nouiſſimo die ſperamus. Apparet
aūt hunc etiā in ſcripturis ſanctis eſſe ſolennē. Ipſe
em eſt primus dies ſeculi, in ipſo formata ſunt ele
mēta mūdi, in ipſo creati ſunt angeli, in ipſo quoq;
à mortuis reſurrexit Chriſtus, in ipſo de cœlis ſpi
ritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit, māna in
eodem in eremo primū de cœlo datū eſt. His em
ſpeciebus ac talibus indicijs, dominica dies extat A
inſignis. Ac ideo ſancti doctores Eccleſiæ decre
uerunt omnē gloriam Iudaici ſabbatiſmi in illam
trāsferre, ut quod ipſi in figura, nos celebraremus
in ueritate: quia tunc erit requies noſtra uera, quā
do reſurrectio fuerit perpetrata & remuneratio in
anima & corpore ſimul perfecta. Obſeruemus er
go diem dominicā fratres & ſanctificemus illam,
ſicut antiquis præceptum eſt de ſabbato, dicente
legiſlatore, A ueſpere uſq; ad ueſperam celebrabi Exod.20
tis ſabbata ueſtra. Videamus ne ocium noſtrum
uanum ſit, ſed à ueſpera diei ſabbati uſq; ad ueſpe
ram diei dominici ſequeſtrati à rurali opere, & ab
omni negocio, ſolo diuini cultui uacemus. Sic quo
que ſanctificamus rite ſabbatū dñi, dicente domi
no, Omne opus nō facietis in eo. Veniat ergo cui B
cunq; poſſibile ſit ad ueſpertinam atq; nocturnā
celebrationē, & oret ibi in conuentu Eccleſiæ pro
peccatis ſuis deum. Qui uero hoc nō poſſit, ſaltē
in domo ſua oret, & nō negligat deo ſoluere uotū
ac reddere penſum ſeruitutis. In die uero nullus ſe
à ſacra miſſarum celebratione ſeparet, neq; ocio
ſus quis domi remaneat cæteris ad eccleſiam per
gentibus, neq; in uenatione ſe occupet, & diaboli
co mancipetur officio, circūuagando campos &
ſyluas, clamorem & cachinnum ore exaltans, non
gemitum nec orationis uerba ex intimo pectore
ad deum proferēs. Adhuc quoq;, quod deteſtabi
lius eſt, ad Eccleſiam aliqui uenientes nō intrant
nō inſiſtunt precibus, non expectant cū ſilētio ſan
ctarum miſſarum celebrationē: ſed quando lectio
nes diuinæ intus leguntur, tunc ipſi foris aut cau
ſas dicere, aut diuerſis ſtudent calūnijs impugna
re, aut uidelicet in alea uel in iocis inutilib. inſuda
re. Aliquotiens enim, quod peius eſt, aliqui nimia
iracundia ſuccenduntur, & amariſſime rixantur,
ita ut armis ſe uel fuſtibus alterutrū impetant, &
ſæpe homicidiū perpetrent: & hoc ab illis maximè
fit, qui pleni inuidia & odio, diabolo ductore in
conuentum Eccleſiæ pergunt, non ut ſemetipſos
adiuuent, ſed ut alios lædant. Tales etiam ſi homi
cidio ibi pereunt, aut ſubita morte rapiuntur, quò
aliās, niſi cum ipſo cuius ſecuti ſunt ueſtigia ua
dunt in æterna tormēta? Nolite hæc facere fratres
mei, nolite uoſmetipſos decipere, nolite in cōuen
tu ueſtro locum dare diabolo, ſed magis uoſmet
ipſos præparate hoſpitiū Chriſto. Non ergo foris
fabulis, ſed intus pſalmodiæ & orationibus ſtude
te. Nolite inuicē in Eccleſia uerboſari, ſed quieti
eſtote. Sunt enim plurimi, & præcipue pleræque
mulieres, quæ ita in Eccleſia garriunt, ita uerbo
ſantur, ut lectiones diuinas nec ipſę audiāt, nec ali
os audire permittant. Nunquid talis cōuentus cū
tali ordine in domo dei debet fieri, aut aliter decet
in conſpectu dei & ſanctorum angelorū eius aſſi
ſtere? Adhuc quoq;, quod ualde dolendū eſt, con
queri uobiſcum uolo, quia ſunt aliqui, & maximè
potentes iſtius mundi: qui cū ueniunt ad Eccleſiā,
non ſunt deuoti ad laudes dei celebrandas, ſed co
gunt presbyterū ut abbreuiet miſſam, & ad eorū
libitum

libitū cantent: nec ei licet morem eccleſiaſticū ſe
qui, ꝓpter illorū gulam & auaritiā, quatenus unus A
punctus diei ad dei officiū, & reliquū diurnū ſpa
cium cū nocte ſimul ad eorū deputet uoluptates.
Nolite fratres mei dilectiſſimi hæc facere, nolite
hæc facientibus conſentire, quia non ſolū qui hæc
faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus pe
reunt. Ante omnia ergo cauſas in feſtiuitatib. no
lite dicere neq; audire, ſed alio tempore & cum iu
ſticia: nec munera accipiendo ſubuertatis iuſta iu
dicia, quia ſecundum dñi ſentētiam, quocunq; iu
dicio iudicaueritis, iudicabitur de uobis. Nullus
ſe ueſtrum inebriet, quia ebrius inſano ſimillimus
eſt. Nolite in hominibus bibendo nomina ueſtra
delere de cœlo. Sunt quidē multi, quod peius eſt,
qui non ſolum ſeipſos inebriāt, ſed etiam alios co
gunt & adiurāt, ut amplius quām expedit bibant, B
& inde ſæpe inter eos naſcuntur iurgia & homici
dia. Nunquid perpenditis fratres, cuius iſti in hoc
ſequantur uoluntatem? Ebrioſi enim, ait Apoſto
1Cor.6 lus, & homicidæ regnū dei non poſſidebunt. Ob
ſecro uos dilectiſſimi patres & matres, fratres, &
ſorores, per nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, &
regnum uenturum eius ac iudiciū, ut ſubtrahatis
uos ab omni homine ambulante inordinate, & di
gni ambuletis uocatione qua uocati eſtis, nec ne
gligatis honorem ueſtrum neque paruipendatis
redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Filij dei
nuncupati eſtis, quia uerus filius dei uos libera
uit. Studete bonis moribus tanto parenti placere,
quatenus uos non ut nequiſsimos ſeruos perpe
tuam tradat ad pœnam, ſed ut chariſsimos filios
ſupernam ducat ad patriam, ut ſitis cohæredes fi
lij eius Ieſu Chriſti, cum quo uiuit & regnat deus
in unitate ſpiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculo
rum, Amen.

In anniuerſario dedicationis eccleſię uel altaris.

Sermo I

Ser.CCLII VOTIESCVNQVE fratres chariſſi
mi altaris uel templi feſtiuitatem coli
mus, ſi fideliter ac diligenter attendi
mus, & ſancte ac iuſte uiuimus, quicquid in tēplis
manufactis agitur, totum in nobis ſpiritali ædifica
tione cōpletur. Non enim mentitus eſt ille qui di
1Cor.3 & 6 xit, Templum enim dei ſanctū eſt quod eſtis uos.
Et iterum. Neſcitis quia corpora ueſtra templum
ſunt ſpiritus ſancti qui in uobis eſt? Et ideo fratres
chariſſimi, quia nullis præcedentibus meritis, per
gratiam dei meruimus fieri tēplum dei, quantum
poſſumus cum ipſius adiutorio laboremus, ne do
minus noſter in tēplo ſuo, hoc eſt, in nobis ipſis in
ueniat quod oculos ſuos maieſtatis offendat: ſed
habitaculū cordis noſtri euacuetur uitijs, & uirtu
tibus repleatur, claudat diabolo, & aperiatur Chri
ſto, & ita laboremus ut nobis bonorū operum cla
uibus ianuam regni cœleſtis aperire poſſimus. Si
cut enim malis operibus quaſi quibuſdam ſeris ac
uectibus uitæ nobis ianua clauditur, ita abſq; du
bio bonis operibus aperitur. Et ideo fratres cha
riſſimi unuſquiſq; conſideret conſcientiā ſuam, &
quādo ſe aliquo crimine uulneratū eſſe cognoue
rit, prius orationibus, ieiunijs uel eleemoſynis ſtu
deat mundare cōſcientiā ſuā, & ſic Euchariſtiam A
præſumat accipere. Si em agnoſcēs reatum ſuum,
ipſe ſe à diuino altari ſubtraxerit, cito ad indulgen
tiā diuinæ miſericordiæ peruenietur. Quia ſicut qui
ſe exaltat humiliabit, ita econtrario, qui ſe humili
at exaltabit. Qui enim ſicut dixi, agnoſcens reatū
ſuū, ipſe ſe humiliter ab altari eccleſiæ pro emen
datione uitæ remouere uoluerit, ab æterno illo &
cœleſti conuiuio excōmunicari penitus non time
bit. Rogo uos fratres diligenter attendite, ſi ad mē
ſam cuiuſcunq; potentis hominis nemo præſumit
cum ueſtibus cōſciſſis & inquinatis accedere, quā
to magis à cōuiuio æterni regis, id eſt, ab altari do
mini debet ſe unuſquiſq; inuidiæ uel odij ueneno
perculſus, iracundię furore repletus, cum reueren
B tia & humilitate ſubtrahere, ꝓpter illud quod ſcri
ptum eſt, Vade prius recōciliare fratri tuo, & tūc Matt.5 & 23
ueniens offeres munus tuū. Et iterū. Amice quō
huc intraſti non habens ueſtem nuptialem? Sic e
nim habet textus euangelicæ lectionis, quòd qui
dam fecerit nuptias filio ſuo, & intrauerit ut uide
ret ſimul recumbentes, & uidens ibi hominē non
habentē ueſtem nuptialē, dixit ad eū, Amice quō
huc intraſti nō habens ueſtem nuptialem? Et illo
obmuteſcēte, dixit miniſtris, Ligate illi manus &
pedes & proijcite eum in tenebras exteriores, ibi
erit fletus & ſtridor dentium. Ecce qualem ſenten
tiam merebitur audire qui ad conuiuiū nuptiale,
id eſt, altare dñi, aut ebrioſus, aut adulter, aut odi
um in corde retinens, præſumit accedere. Auer
C tat hoc deus à nobis fratres chariſſimi, & cōcedat
ut mala iſta aut nunquam uelimus admittere, aut
ſi admiſſa fuerint ſine ulla mora pœnitentia uel pa
ce ſtudeamus ſanare, & largioribus eleemoſynis
feſtinemus abluere, ne forte ſi cum peccatorū uul
nerib. ante tribunal æterni iudicis uenerimus, ab
illa æterna eccleſia, & ab illa cœleſti Hieruſalem
perpetua excommunicatione ſeparemur. Conſi
derate fratres, rogo uos, ſi hodie aliquis à conuen
tu eccleſiæ huius pro aliquo crimine proijciat foras,
in quanto dolore uel tribulatione erit anima
ſua? Et ſi intolerabilis dolor eſt de illa eccleſia fo
ras proijci, ubi ille qui proijcitur & manducare &
bibere & cum hominibus loqui poteſt, & habet
ſpem ut iterum mereatur ad eccleſiam reuocari:
D quantus putatis dolor ille erit ſi aliquis pro crimi
nibus ſuis ab illa Eccleſia quæ in cœlis eſt, à con
uentu angelorum uel ſanctorum omniū congre
gatione fuerit ſeparatus: cui nec hoc ſolum ſuffici
et ad pœnam quòd foris proijcitur, ſed inſuper in
tenebras exteriores æterno incendio concreman
dus excluditur? Qui enim in illa cœleſti Hieruſa
lem excommunicari meruerit, non ſolum hoc pœ
næ habebit quòd nec manducare uel bibere pote
rit, ſed etiam flammas infernales ſuſtinebit, ubi eſt
fletus & ſtridor dentium, ubi ululatus, lamentatio
& pœnitētia ſine ullo remedio, ubi eſt uermis ille
qui non moritur, & ignis qui nunquam extingui
tur, ubi mors quæritur, & non inuenitur. Quare
in inferno mors quæritur, & non inuenitur? Quia

quibus in hoc seculo uita offertur & nolunt acci-
pere, in inferno quærũt mortẽ & nõ poterunt in- A
uenire. Vbi erit nox sine die, amaritudo sine dulce
dine, obscuritas sine lumine, ubi nec diuitiæ, nec
parentes, nec coniuges, nec filij, nec uicini pote-
rũt subuenire, ubi nihil peccator inueniet, nisi q̃d
de hoc seculo caste & iuste uiuendo per eleemosy
narum largitatẽ transmiserit. Hęc ergo cogitantes
fratres charissimi, tam casti, & tã sobrij, & tam pa-
cifici ad istud altare, deo auxiliante studeamus ac-
cedere, ut ab illo ęterno altari nõ mereamur exclu
di. Qui enim ad istud altare casto corpore & mun
do corde cum mũda & secura cõscientia uenit, ad
illud altare quod in cœlis est, felici transmigratio-
ne perueniet. Ad extremum fratres charissimi nõ
est graue nec laboriosum quod suggero, hoc dico
quod uos frequenter facere aspicio. Omnes uiri B
quando cõmunicare desiderant, lauant manus su
as, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina
ubi corpus Christi accipiant. Non est graue quod
dico fratres, quomodo uiri lauant aqua manus su-
as, sic eleemosynis lauent conscientias suas. Simi-
liter & mulieres quomodo nitidum exhibent lin-
teolum ubi corpus Christi accipiant: sic corpus ca
stum & cor mundum exhibeant, ut cum bona cõ-
scientia Christi sacramẽta suscipiãt. Rogo uos fra-
tres, nũquid est aliquis qui in arca sordibus plena
uelit mittere uestem suam? Et si in arca sordib. ple
na uestis non mittitur preciosa, qua fronte in ani-
ma quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi
eucharistia suscipitur? Et quia istis uerissimis ex-
emplis loqui cœpimus, etiam & hoc quod nõ no- C
stis insinuo. Nõ puto esse aliquem hominẽ qui in
arca sua ubi preciosas uestes habet repositas, acqui
escat, aut carbonem uiuum aut qualemcunq; scin-
tillã includere. Quare hoc fratres? Quia timet ne
comburantur uestimenta quibus in festiuitate in
duitur. Rogo uos fratres, qui in arca sua non uult
scintillam ignis includere, quare in anima sua flã-
mam iracundiæ non timet accendere? Sed quare
hoc fiat, manifeste & euidẽter cognoscimus. Ideo
enim in arcam ignem non mittimus, quia diligi-
mus uestem nostram: flãmam uero iracundię ideo
non extinguimus, quia non solum non diligimus,
sed etiam odio habemus animã nostram, secundũ
Psal.10 id quod scriptum est, Qui diligit iniquitatem, odit
animam suã. Et ideo fratres charissimi exẽpla ista D
attentius cogitantes, arcellas interiores, id est, cõ-
scientias nostras quantum possumus cum dei ad-
iutorio custodire diligentius studeamus, ut cum
dies iudicij aduenerit, in illa æterna & beata eccle
sia, ubi nunquã habitare poterit malus, unde nun-
quam exiturus est bonus, non cum pannis ueteri-
bus foras in tenebras exteriores exclusi apparea-
mus, sed stola immortalitatis induti, castitatis uel
iustitiæ gemmis ornati, eleemosynarũ luce uestiti,
audire mereamur, Venite benedicti patris mei p̃-
cipite regnũ. Et illud, Serue bone & fidelis intra in
gaudium domini tui. Ad quod gaudiũ nos domi-
nus sua protectione perducat, Qui uiuit & regnat
in secula seculorum, Amen.

Eodem die: Sermo II

RECTE festa ecclesiæ colunt, qui se ec- SERMO CCLIII
clesiæ filios esse recognoscunt. Hęc e-
nim omniũ credẽtiũ mater est, quę na-
tos à morte regenerat ad salutẽ. Hæc est post syna
gogam quidẽ uocata, sed ante synagogã promis-
sa. Hæc em̃ iam in primo homine præfigurata est.
Nam sicut ex Adæ latere fabricata est Eua, ita ex
Christi corpore & uulnere redempta creuit eccle
sia. Hæc intra arcã diluuio exundante seruata, cru
cis beneficiũ & baptismatis mysteriũ præsignauit.
Hanc Sara sterilis & desperata in senectute unico
pignore fœcundata præcinit, q̃ ecclesia unicũ, id
est, dilectissimũ deo populum seculo iam senescẽ-
te progenuit. Hæc est regina illa, de qua ad dñm di
citur, Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaura Psal.44
to circumamicta uarietate: id est, diuersarũ circun
data precioso decore uirtutum. Hęc est illa regina
quæ uenit à partibus Æthiopię audire sapientiam
Salomonis. Sed hæc non tam ex una regione q̃
ex uniuersis mundi partibus reges peritura con-
uenit, sicut etiam Euangelista commemorat: Re-
gina austri uenit à finibus terræ audire sapientiam
Salomonis. Venit ecclesia ad redemptorẽ & eru-
ditorem suum, ut de stultitia erroris doctrinã per-
ciperet ueritatis. De qua plenius sicut audiuimus
Regnorum scribit historia ita dicẽs, Et ingressa re 3 Reg.10
gina Hierusalem cum multo comitatu & diuitijs,
cum camelis portantibus aromata, & aurum infi-
nitum nimis & gemmas preciosas uenit ad Salo-
monem, & locuta est ei uniuersa quæ habebat in
corde suo. Ergo in figura reginæ huius Ecclesia
uenit ex gentibus, & à finibus terræ, imponens fi
nem cupiditatibus uitijsq; terrenis, ut audiret sa-
piẽtiam Salomonis, id est, ueri pacifici domini no-
stri Iesu Christi, qui fecit utraq; unum, soluens ini-
micitias inter deum & hominem in carne sua. Ve-
nit post ueteres & prophanas superstitiones audi
re & discere de fidei illuminatione & iudicio futu
ro, de animę immortalitate, de spe resurrectionis
& gloriæ. Venit ergo in Hierusalẽ cum multo co-
mitatu, id est, nõ iam cum una tantum gente Iudæ
orum, sicut prius synagoga solos habuit Hebræ-
os, sed totius mundi gentibus diuersisq; nationi-
bus. Venit ergo exhibens munera digna Christo,
aurum & gemmas preciosas, & hoc camelis por-
tantibus, id est, ex gentili populo uenienttbus qui
prius fuerant uitiorum fœditate distorti, & malo-
rum onere curui, ac peccatorum prauitate defor-
mes: cum his tanq; muneribus regina hæc ingre-
ditur ad pacificum regem Christũ, exhibens fidei
aurum, puritatis incensa preciosa, splendoresq; gẽ
marum, morum scilicet insignia & ornamenta uir
tutũ, & locuta est ei uniuersa quæ habebat in cor-
do suo: id est, aperuit ei cor suũ, manifestauit ei oc-
culta conscientiæ suæ in cõfessione & pœnitudi-
ne præcedentium delictorum. Videamus quid a-
gat hæc regina, Videns, inquam, regina Saba om-
nem sapientiam Salomonis, & domum quam ædi
ficauerat, & cibos mensæ eius, & holocausta quæ
ferebat in domo domini, nõ habebat ultra spiritũ.
Quid

Quid erat rationis, ut præpotẽs regina domus ex-
pensas, & cibos regios tantopere miraretur? Ergo A
hoc loco aliqua maiora nos oportet inquirere. Vi
dit ergo ecclesia ex gentibus cõgregata sapientiã
Christi, id est, post carnalia instituta gentiliũ, post
humanã & animalẽ doctrinã philosophorũ, acce-
pit intellectũ salutis & uitæ, inspexit spiritalium
mẽbra bonorũ, agnouit uerũ fabricatorẽ cœli &
terræ, & potentissimũ humani generis conditorẽ,
Sap.11 de cuius sapientia dicit̃, Omnia in mẽsura & pon
dere & numero cõstituisti. Vidit & domũ quã ędi
cauerat, id est, incarnationẽ hominis assumpti, in
quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corpora
liter. Vidit & cibos mensæ Salomonis, id est illos
de quibus dñs dicebat, Meus cibus est, ut faciã uo
Ioan.4 luntatẽ eius qui me misit patris. Cibus enim Chri
sti est salus nostra, reficitur cœlestibus epulis, pro- B
fectibus nostris. Cibus eius sumus, dum acquisiti
ecclesiæ in membra eius corpusq; trãsimus. Vel ci
bus eius altaris sacramẽta cœlestia sunt, de quibus
Psal.77 dicitur, Panẽ cœli dedit eis, panẽ angelorũ man-
ducauit homo. Vidit & holocausta eius, orationũ
sine dubio, supplicationumq; mysteria, & obstu-
puit ubi uidit inęstimabiles diuitias domini sui, di
xitq; ad regem, Verus sermo est quẽ audieram in
terra mea super sermonibus tuis & super sapiẽtia
tua, & non credebam narrantibus, donec ipsa ue-
ni et uidi oculis meis, & probaui quòd media pars
nunciata mihi non fuisset. Maiora sunt sapiẽtia &
opera tua, q̃ rumor quem audiui. Cum ergo per-
uenerit regina hæc siue ecclesia siue quęcunq; ani C
ma sancta in ęternam Hierusalem, id est, uisionem
pacis, & ingressa fuerit beatã requiem & gloriam
cœlestiũ promissorum, multo plura & magnificẽ-
tiora perspiciet quàm ei sunt in hac terra per sacra
eloquia per prophetas atq; Apostolos nunciata.
Nunc em̃ tanq; in speculo & ænigmate, tunc autẽ
oculis suis uidebit, id est, facie ad faciẽ. Tunc bea-
ta & illustris anima inter stupẽdas remuneratoris
sui constituta diuitias, ineffabilibus reginæ huius
uerbis uti ad deum poterit dicens, Verus est ser-
mo quem audiui in terra mea super sermonib. tu-
is, maiora sunt opera tua, quàm rumor quem audi
ui. Et reuera id quod parat deus diligentibus se, fi-
de non comprehẽditur, spe non tangitur, charita-
te non capitur, desideria & uota transgreditur.
Acquiri potest, æstimari non potest. Habet de per
ceptione fructũ, non habet de satietate fastidium. D
Ad quæ uos bona perducat, qui uiuit & regnat in
secula seculorum, Amen.

Eodẽ die, Sermo habitus in regione tertia, In ba
silica sancti Petri Carthaginensis. Ser. III

A Ser. CCLIIII DECOREM domus dei, & locum taberna
culi claritatis eius diligimus, si & nos ip
Psal.22 si sumus. Quis ergo decor est domus
dei & locus tabernaculi claritatis eius, nisi tẽplũ
1.Cor.2 eius de quo Apost. dicit, Templum enim dei san-
ctum est, quod estis uos? Sicut ergo in fabricis ma
nufactis cũ eleganter & magnifice construuntur,
corporalis noster mulcetur aspectus: ita cum lapi
des uiui, id est, corda fidelium charitatis uinculo
continẽtur, decor est domus dei, & locus taberna
culi claritatis eius. Discite ergo quod amare debe
tis, ut amare possitis. Qui enim diligit decorẽ do-
mus dei, non est dubiũ quia ecclesiã diligit, non in
fabrefactis parietibus & tectis, nõ in nitore mar-
morum & laquearib. aureis, sed in hominibus fi-
delibus, sanctis, deum diligentibus ex toto corde
suo, & ex tota anima sua, & ex tota mente sua, &
proximũ suum tanq; seipsum. Sed in congregatio
ne Christiana quantum pertinet ad participatio-
nem & communionem sacramentorum, multipli
cati sunt super numerum. Alius est ergo nume-
rus, alij super numerum. Numerus est, de quibus
dicit Apostolus, Nouit dominus qui sunt eius. Su 2 Tim.2
per numerum autem, Quoniam in magna domo
non solum uasa sunt aurea & argentea, sed & lig-
nea & fictilia, alia quidem in honorem, alia in cõ-
tumeliam. Numerus ergo uasorum in honorem:
super numerum autem uasa in cõtumeliam. Cum
ergo sint ista duo genera uasorum, nunquid dubi-
tamus ubi sit decor domus dei? Si ergo uis dilige-
re, agis quod cantasti, decorem domus dei, & lo-
cum tabernaculi claritatis eius. Quære uasa in ho-
norem, & nolo dicas, Quæsiui & nõ inueni. Ideo
enim quæsisti & non inuenisti, quia quod quæsisti
tu non fuisti. Similis simili cohæret, dissimilis dissi
miles refugit. Si fueris uas in contumeliam, pro-
culdubio uas in honorem graue tibi erit ad uiden
dum. Non audis quomodo quidam de quodam
dicant, Grauis est nobis etiam ad uidendum? Sap.2
C Quod tibi graue est ad uidendum, quando erit
apertum ad inueniendum? Vasa enim ista inte-
riorum hominum sunt. Non utique cum uisus fu-
erit iustus, iam agnoscitur iustus. Eundem aspectũ
habet iustus & iniustus. Vterque homo, sed non
uterque domus dei. Et si ambo Christiani appel-
lantur, utrunq; uas, sed nõ utrunq; in honorẽ, sed
aliud in honorem, aliud in contumeliam. Nun-
quid propter mala uasa deserenda est domus ma-
gna? Nouit uti deus, id est, dominus magnæ do-
mus & uasis in honorem & uasis in contumeliam.
Sicuti est malorum, male uti etiam bonis: sic econ
tra dei, bene uti etiam malis. Quantis bonis utun-
tur mali? Omnis enim creatura dei bona est, quo-
modo ea male utuntur mali? Quomodo eos incre
pat scriptura dicens: Petitis & non accipitis, eo Iacobi 4
quòd male petatis, ut in cõcupiscentijs uestris in-
D sumatis. Quod nomen acceperunt isti male uten-
tes bonis dei? Sequit̃ & dicit, Adulteri. Vnde ad-
ulteri? Nescitis quia amicus huius mũdi inimicus
deo constituitur? Adulteri, inquit. Sunt animæ ad
ulteræ, sunt fornicariæ. Discutiamus eas. Fornica-
riæ animæ sunt, multis dijs falsis quodãmodo pro
stitutæ. Adulteræ autem tanquam legitimó iam
coniugio copulatę, & ipsi legitimo coniugio non
seruantes animæ castitatem. Vt hoc dicam expres
sius, pagani anima fornicaria est, Christiani mali
adultera. Pagani anima fornicaria, legitimum ui-
rum non habet, sed per diuersa dæmonia prostitu
ta corrumpitur, Christiani autẽ mali quare adulte
ra est? Quia nec castitatẽ diligit, nec uirum deserit.

Non ergo dicas, Quare sunt isti in domo dei? Respondetur tibi, Vasa sunt in contumeliam. Nouit eis uti deus. Nouerat qui creauit, quoniam qui potuit creare, nouit ordinare. Habent in domo magna locum suum. Si autem quęris à me, quomodo eis bene utatur deus? Fateor, dei consilium sicut homo explicare nõ possum. Noui enim cum Paulo Apostolo expauescere, quod etiam ille cum cõsideraret expauit, & expauescens exclamauit, O
Rom.11 altitudo diuitiarum sapientiæ & sciẽtiæ dei, quàm inscrutabilia sũt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Quis em̃ cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi & retribuetur illi? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. ipsi gloria in secula seculorũ. Nobis consideratio, admiratio, tremor, exclamatio, quia nulla penetratio. Ipsi autem quid? Gloria in secula seculorum. Siue de uasis in honorem, siue de uasis in contumeliam, ipsi gloria in secula seculorum. Alios coronat, alios damnat, nusquã errat. Alios probat, alios de alijs probat, omẽs ordinat. Quid faciũt, inquit, in hoc mundo homines mali? Responde mihi, in fornace aurificis palea quid facit? Puto nõ ibi esse sine causa paleam, ubi aurum purgatur. Videamus quæ ibi sint omnia. Fornax est, palea est, aurũ est, ignis est, artifex est. Sed illa tria, aurũ, palea, ignis, in fornace, artifex ad fornacem. Attende etiã istum mundũ. Mundus fornax est: palea, homines mali: aurũ, homines boni: ignis tribulatio: artifex, deus. Attende & uide, aurum non purgatur si palea non uratur. Vide aurum in
Psal.25 hoc ipso Psalmo, ubi diligimus decorem domus dei, & locum tabernaculi claritatis eius. Vide ibi aurum, uide uocem auri, purgari cupit, Proba me domine & tenta me. Proba me, inquit, domine & tenta me, & uide si non ignem quærit. Proba me & tenta me, ure renes meos & cor meum. Non times ne in igne deficias? Non inquit. Quare? Quia misericordia tua ante oculos meos est. Ecce, inquit, quare securus dico, Proba me domine & tenta me, ure renes meos & cor meum: non quia idoneus sum uiribus meis ignem sustinere tẽtationis, sed qa misericordia tua ante oculos meos est. Qui mihi, inquit, donasti ut aurum probatum essem,
Psal.120 in fornace perire permittis? Prorsus mittis purgãdum, eijcis purgatum. Custodiat dominus introitum tuum & exitum tuum. Vide ipsum exitum, uide ingressum in fornace. Omne gaudium existi-
Iac.1 mate fratres mei, cum in tentationes uarias incideritis. Ecce audisti ingressum, quære exitum. Facile enim est intrare, exire magnum est. Sed noli timere, Fidelis deus. Nempe quia ingressus fueras,
1 Cor.10 de exitu cogitabas. Fidelis deus qui non uos permittit tẽtari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatiõe etiam exitum. Quid est exitum? Vt possitis sustinere. Intrasti, incidisti, sustinuisti, existi. Magna materies est purgationis bonorum, abundantia malorum. Nam in multitudine malorum
2 Tim.2 quamuis permixti lateãt boni, nouit dominus qui sunt eius. Sub manu tanti artificis, auri mica in magna palea perire nõ potest. Quãta ibi palea quàm modicum aurum? Sed noli timere, tantus est artifex ut purgare possit, perdere non possit. Vide aurum beatum Apostolum in ista fornace mundi huius quemadmodum periculis probatur, ut ueniamus ad uasa inhonorata quę intus sunt, quibus nouit bene uti dominus magnæ domus. Apostolus ergo cum periculis probaretur, quid dicebat, Peri 2 Cor.11
culis in mari, periculis in deserto, periculis ex genere, periculis ex gentibus. Ista omnia foris sunt. Intus attende. Periculis in falsis fratribus. Alloquor ego aurum dei, alloquor uasa facta in honorem, alloquor grana in tritura areæ, inter paleam laborãtia. Tibi dici quisquis audis, non me, sed per me: Esto bonus, tolera malum. Nolo dicas quis est bonus, imò hoc uolo dicas, quoniam quantũcunque fueris bonus, nõ eris sine aliquo malo. Vnde rectissi
Luc.18 mè dicitur, Nemo bonus, nisi solus deus. Sed bonus ille qui fecit bona, deus est. Si ergo bonus deus qui facit bona, & solus ille bonus effector bonorum, quõ est effector bonorũ, si nullus est hominum bonus? Secũdum modulum ergo proximũ, est & homo bonus. Qui si non esset, deus ipse non
Matt.12 diceret, Homo bonus de bono thesauro cordis sui profert bona. Esto ergo bonus, & tolera malum. Esto simpliciter bonus, & dupliciter tolera malũ. Bonus, non nisi intus. Nam si non intus, nusquam bonus. Esto ergo bonus intus, malum tolera & foris & intus. Foris tolera hæreticum, tolera paganum, tolera ludæum, tolera & intus malum Christianum, Quia inimici hominis domestici eius. Patiẽs molestos multos intus malos stomacharis, in dignaris, quasi iam uenerit tempus uentilationis. In tritura positus es, in tritura es adhuc, area trituratur adhuc, adhuc grana & manipuli cum gentes credunt ad aream colligũtur. Putas esse te posse in area triticum solum? Erras. Geme in area, ut gaudeas in horreo. Fiunt multa mala à Christianis malis. Illi qui foris sunt & nolunt esse Christiani, inueniunt occasiones ad excusationes. Hortatori suo ut credant, ista respondent, Vis me esse quod est ille? Et nominat illum & illũ, aliquando & uerum dicit. Cum autem nõ potest inueniri, quid magnũ est calumniari? Cum ille non trepidat calumniari, facit alium quod non uidet suspicari. Tu cum hominem audieris ista dicentem, Forte quia nosti fratres tuos malos, dicis apud teipsum: Verum dicit, Periculum in falsis fratribus. Sed noli deficere, q̃d ille quærit, tu esto. Esto bonus Christianus ut conuincas calumniosum paganum. Sed ille calumniatur, & de bonis dicit falsa, plerunque illi creditur. Quid facit aurum? Vndicq palea est. Ignis sordes punit, nõ fidem. Esto mundior ipsa exercitatione, esto mundior, ualet tibi ille qui auferat quo sordidior es, non qui opprimat quod aurum es. Etenim si defeceris, peris in palea: & si peris in palea, aurũ non eras, sed aurum esse te fingebas. Nouit dominus qui sunt eius. Illi autem qui sunt mali, de quibus erubescis quando es inter malos qui sunt foris: memẽto quòd non sint in domo magna ubi es uas in honorem, sed in contumeliam. Instruxit te Apostolus, regat te deus. Si mali nõ essent pro quibus

bus oraremus quãdo nobis diceret, Orate pro inimicis uestris: an forte uellemus bonos habere inimicos? Vnde fieri potest? Non habebis bonũ inimicũ, nisi fueris malus. Si aũ fueris bonus, inimicus tuus nõ erit nisi malus. Orate pro inimicis uestris. Ergo boni orate pro malis. Redi ad cor tuũ. O tu qui in ista fornace purgaris, si potuit esse uox tua: Proba me dñe & tenta me, ure renes meos & cor meum, quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & ecce redi ad cor tuum. Sub deo es, orationem fusurus es. Occurrit tibi qui te læsit, occurrit tibi qui te pressit, occurrit tibi qui te spoliauit, occurrit tibi qui te in carcerẽ misit. Eia attẽde cor tuum, respice dominũ tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus dominus tuus. Nocet tibi inimicus tuus malus, ora pro inimico tuo, dicit tibi dominus tuus bonus. Inter inimicum tuũ malum & dominũ bonum, quid tu facturus es? Cõtra hunc oraturus, aut huic obtemperaturus? Suscipis ex præcepto domini tui orare pro maligno inimico tuo illo: quid facturus es? Dominus iussit, dura iussit, sed magna promisit. Quæ dura iussit? Diligite
Mat.5 inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus uos. Dura sunt, sed propter uerba labiorum tuorũ ego custodiui uias duras. Vnde tibi uiribus tuis custodire uias duras, nisi quia misericordia tua ante oculos meos est? Ecce dura iussit, amara iussit, uide quæ promisit. Orate pro persequẽtibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est. Si tibi diceret, Ora pro inimico tuo, ut sis filius patris tui, ne exhæredet te pater carnalis, quia hoc tibi relicturus est, q̃d hinc nõ est ablaturus, timeres et faceres: promittit tibi pro his duris, ut sis filius altissimi, cogita patrẽ, & agnosce hæreditatẽ. Dic ergo, Incipe ergo orare pro inimico tuo illo magno, qui tibi multa mala fecit, qui in te multa dura congessit. Incipe pro illo orare, & uide cor tuum litigare tecum. Quod ergo uis, quod tibi placet, quo delectaris secundum interiorẽ hominem, quod obtẽperas domino tuo & oras pro inimico tuo, aurum est. Quòd uero cum orare cœperis, incipit tecũ carnalis infirmitas litigare, ipsæ sunt sordes à quibus te uult deus in fornace purgare. Exercere ergo in medijs malis, ò bone, si quis es bonus, nõ de tuo bono quia fuisti malus, sed de dei bonus qui nũcq̃ est malus. Exercere in medijs malis. Nec mihi uolo dicas, saltem si necesse esset propter exercitationẽ nostram ut essent mali, pauci essent mali, & boni multi essent. Non attendis, quia si pauci essent, multis non nocerent. Vtiq̃ cõsidera uir prudẽs, quia si multi boni essent, & pauci mali essent, pauci mali multis bonis nocere non auderent. Si non auderent, non exercerent. Nunc uero qa multi sunt mali, laboratur à paucis bonis inter multos malos. Et cum laboratur, sudatur: & cum sudatur, aurum purgatur. Esto ergo in decorem domus dei. Iam tecum in corde tuo litigauit infirmitas, inuoca & uincas, affit tibi deus, adiuuet qui iubet. Iam factus es uictor infirmitatis tuę, iam suscepisti animo & fructum orandi pro inimico tuo, uide quid boni est. Compara illum tibi. Ille meditatur tentationes, tu fundis orationes. Ille si nocet, palàm nocet. Tu quod pro illo oras, deus nouit, Ille non credit, quia cor tuum non discutit. Cum ergo palàm nocet, tu occultè oras. In isto torculari ecclesia comparata est. Vide si non ille qui palàm nocet amurca est currẽs per publicum. Amurca per publicum currit, oleum autẽ ad sedem suam occultos transitus habet. Vt occultè transeat, in magnitudine apparet. Quàm multi enim, ò fratres mei, quàm multi in ista cõflictatione rerũ, in huius mundi malicia, in ista malorum abundantia subtraxerunt se & conuersi sunt ad deum, & uasa fecerũt mundo, & cœperunt pauperibus res suas donare, qui pauloante rapiebant alienas. Sed multi raptores, inuasores, spoliatores, publicè apparent, amurca illa est per plateam currens. Ille autem, unus hinc, unus inde, corde coniuncto mala faciẽs, mala permanere erubescẽs, dei monita cogitans, spem seculi irridens, spem cœlestem expectans, mutans amores & mores, oleum sanctitatis est in torculari, uas in honorem est in domo magna, aurum est in fornace, granũ est in horreo, ibi est decor domus dei.

Eodem die: Sermo IIII

S ICVT optime nouit sanctitas uestra fratres consecrationem altaris hodie celebramus, & iuste ac merito gaudentes celebramus festiuitatẽ, in qua benedictus uel unctus est lapis, in quo nobis diuina sacrificia consecrantur. Sed quãdo festiuitates istas colimus fratres charissimi: diligẽter debemus attẽdere, & totis uiribus laborare, ut quod in tẽplis uel altaribus uisibiliter colitur, in nobis inuisibiliter cõpleatur. Quia quãuis sancta sint templa quę uidemus de lignis & lapidibus fabricari, tamẽ plus apud deum preciosa sunt tẽpla cordis & corporis nostri: quia illa fiũt ab homine carnali, ista ab artifice mũdi. Tẽpla de lignis & lapidib. humano ingenio cõponũtur, tẽpla corporũ ipsius cœlestis artificis manu fabricanẽ, sicut scriptũ est, Manus tuæ fecerũt me & Psal.118
plasmauerũt me. Et iterũ, Prius quàm te formarẽ Hier.1
in utero noui te. Nam quod templa succẽduntur, ita econtrario qui charitatis luce repletus est, si negligẽs fuerit, cito refrigescit charitas, & cupiditas inardescit. Ergo nec ille desperet qui malus est, qa cito potest resurgere: nec ille qui bonus est, aut negligens remaneat, aut aliquid de sua uirtute præsumat, ne gaudium suum cõuertatur ad luctum. Et ideo dilectissimi fratres, castitatem corporis, puritatem cordis cũ dei adiutorio seruare quãtum possumus studeamus. His em̃ reb. ignis in nobis charitatis uel cõpunctionis semper accendit & nutritur. Qui em̃ nec castitatẽ custodit in corpore, nec puritatẽ tenet in mẽte, quotiens sanctæ solennitates adueniunt, in corpore uidetur habere gaudiũ, in corde non celebrat nisi luctũ. Quale enim gaudium cõscientia illa potest habere, in cuius anima multis uitijs occupata magis diabolus probat habitare q̃ Christus? Quale gaudium potest habere anima, quæ iracundiæ furore succẽditur, cupiditatis nigredine obscuratur, superbiæ amarissimo

felle repletæ, inuidiæ ueneno percutitur, luxuriæ sordibus inquinatur? Nos uero fratres charissimi etiã si nobis aliqua, ut solet fieri, peccata surrepũt, quantũ possumus cũ dei adiutorio laboremus, ieiunijs, uigilijs, oratiõibus, eleemosynis mũdare sordida, lapsa cõstruere, tẽplũ dei uiui reædificare, ut uenias dñs in nobis nihil inueniat q̃d oculos suæ maiestatis offendat, quia de ipso scriptũ est, Ecce sto ad ostiũ & pulso, si quis surrexerit & aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cũ illo et ille mecũ. Et iterũ, Ego & pater ueniemus & mãsionẽ apud eũ faciemus, Quãm beata est illa anima, in qua pater & filius uenientes non solum habitare uel manere, sed etiã cœnare dignantur. Quod aũt dixit, Cœnabo cũ illo & ille mecum: scimus euidenter quia Apostolus Paulus ostendit dicens, Templum dei sanctũ est, quod estis uos. Et per Prophetã dñs dicit, Et habitabo, inquit, in eis, & inambulabo. Et quia, sicut ipsi uidistis fratres, habitare & inambulare desiderat in nobis deus, cum ipsius adiutorio ita cor nostrũ studeamus bonis super cogitationibus occupare, & corpora nostra ab omni sorde luxuriæ munda uel casta iugiter custodire, ut deũ in nobis delectet habitare. In remplo eũ à Salomone ædificato legimus duo altaria fuisse constituta, unũ foris, aliud intus. In illo quod foris erat, animaliũ cædebat sacrificiũ. In illo uero altari quod intus erat, thymiamatis offerebat incẽsum. Videamus ergo fratres, ne forte in nobis duo sint altaria cõstituta, corporis scilicet & cordis nostri. Denique duplex à nobis sacrificiũ quærit deus, unũ ut simus casto corpore, aliud ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est, in corpore nostro offeranturopera bona, in corde odorẽ suauitatis redoleat cogitatio sancta. In altari cordis nostri iugiter quod est deo placitũ operemur. Tunc eũ ordinẽ legitimũ consecrationis altaris cũ gaudio celebramus, quando altaria cordis uel corporis nostri mũda & pura in conspectu diuinæ maiestatis offerimus. Nam nescio qua fronte, aut qua conscientia optat in altaris cõsecratiõe gaudere, qui in cordis sui altari non studet munditiã custodire. Nos uero fratres charissimi, ita agere studeamus ut sempẽr festiuitatẽ duplicẽ celebrare mereamur, et quõ de templi uel altaris cõsecratione gaudemus, sic inuisibiliter de corporis castitate uel animæ puritate spiritale gaudiũ habere mereamur. Et hoc cõsiderate fratres, q̃ in illo altari q̃d à Salomone legimus dedicatũ, iugiter quotidianus ignis ardebat, quod utinã & in nobis pietas diuina perficiat. Vnde nõ solum orationibus sed etiã bonis operibus placandus est deus, ut in altari cordis nostri ignẽ suum semper accendat, illum de quo ipse dixit, Ignẽ ueni mittere in terrã, & quid uolo nisi ut accẽdatur? quia duo sunt ignes, cupiditatis scilicet & charitatis, & unus de parte dei, alter de parte diaboli: unus deuorãs omnia mala, alter uniuersa bona consumens: consideret unusquisq; cõscientiã suam, & si in se uidet ignem cupiditatis ardere, cum dei adiutorio festinet extinguere: quia nihil in illo boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accendit: sicut econtrario nihil in eo mali remanebit, in quo ignis arserit charitatis. Flãma enim cupiditatis in corde peccatorũ uelut in altari deuorans omnia bona, diabolo ardorẽ suauitatis exhalat: in anima uero sancta uelut in sacrosancto altari flamma charitatis quæcũq; superuenerint mala cõsumẽs, deo odorẽ suauitatis exhibet. Et quia uniuscuiusq; cor altare est, aut dei, aut aduersarij, sicut iam dixi, attendat unusquisq; cõscientiã suã, et si cupiditatis igne consumitur, eleemosynarum refrigerio mitigetur, quia scriptũ est, Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit peccatũ. Qui ergo cupiditate cõsumitur, subtrahat à se opera mala, & q̃d bonum est exercere conetur. Qui uero flãma charitatis accenditur, semper bonis operibus augeatur, & nutriat in se ignẽ quẽ in eo Christus dignetur accendere.

Apoc.3 Ioan.14 1.Cor.3 Leuit.26 Eccl.3

Eodem die: Sermo V

ELEBRITAS huius congregationis, dedicatio est domus oratiõis. Domus ergo nostrarũ orationum ista, domus aũt dei nosipsi. Si domus dei nosipsi, nos in hoc seculo ædificamur, ut in fine seculi dedicemur. Ædificium, imò ædificatio habet laborẽ, dedicatio exultationem. Quod hic fiebat quãdo ista fugebant, hoc fit modo cum congregantur credentes in Christũ. Credendo eũ quasi de syluis & montib. ligna & lapides præcidunt, cũ uero catechizantur, baptizantur, formãtur, tanq̃ inter manus fabrorum & opificum dolantur, colliniantur, cõplanantur. Veruntamen domum domini nõ faciunt, nisi quãdo charitate cõpaginantur. Ligna ista & lapides si nõ sibi certo ordine cohærerent, si non se pacifice innecterent, si non se inuicem cohærendo sibi quodãmodo amarẽt, nemo huc intraret. Denique qñ uides in aliqua fabrica lapides & ligna bene sibi cohærere, securus intras, ruinã non times. Volens ergo dñs Christus intrare, & in nobis habitare, tanquam ædificando dicebat, Mandatum nouum do uobis, ut uos inuicem diligatis. Mãdatum, inquit, nouum do uobis. Veteres enim eratis, domũ mihi nondum faciebatis, in uestra ruina iacebatis. Ergo ut eruamini à uestræ ruinæ uetustate, uos inuicem amate. Consideret ergo charitas uestra, ædificari adhuc istam domũ toto, sicut prædictũ est & promissum, orbe terrarũ. Cum enim ædificat domus post captiuitatem, sicut habet alius Psalmus, dicit, Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra, Quod ibi dixit, canticum nouum: hoc dñs dixit mandatũ nouum. Quid enim habet canticum nouum, nisi amorem nouum? Cantare amantis est. Vox huius cantoris, feruor est sancti amoris. Amemus, gratis amemus. Dñm enim amamus, quo nihil melius inuenimus. Ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamẽ propter ipsum. Ille eũ ueraciter amat amicũ, qui deũ amat in omico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. Hęc est uera dilectio, propter aliud si nos diligimus, oderimus potius q̃ diligimus. Quid enim amat? Iniquitatẽ. Quid odit? Forte uicinum suum, forte uicinam suam. Expauescat, odit animã suam. Odium animæ, amor

Ser.CCLVI Psal.95 Ioan.13

amor nequitiæ. Ergo contrà odiũ nequitiæ, amor animæ. Qui diligitis dñm, odio habete quod malum est. Bonus est deus, malum est quod amas, & teipsum malum amas. Quomodo amas deũ, cum adhuc amas quod odit deus? Audisti enim, quia deus dilexit nos, & uerum est. Dilexit nos, & quales dilexerit, si attendamus, erubescimus. Sed ideo nõ erubescimus, quia diligendo tales fecit esse nõ tales. Erubescimus recordatione præteritorũ, gaudeamus spe futurorum. Quare enim erubescamus quod sumus, & non potius confidamus, quia spe salui facti sumus? Denique audiuimus, Accedite ad eum & illuminamini, & uultus uestri non erubescent. Si recedat lumen, redis ad cõfusionem. Accedite ad eũ & illuminamini. Ergo ille lumen, nos sine illo tenebræ. Si recesseris, in tuis tenebris remanebis: si accesseris, nõ de tuo lucebis. Fuistis enim aliquando tenebræ, ait Apostolus fidelib. ex infidelibus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autẽ lux in domino. Si ergo lux in domino, tenebræ sine domino. Porrò si lux in domino, & tenebræ sine domino, Accedite ad eũ & illuminamini. Attẽdite in Psalmo dedicationis, quẽ modo cãtauimus ex ruina ædificiorũ. Conscidisti saccum meũ: hoc pertinet ad ruinã. Quid ergo ad ædificium? Et accinxisti me lætitia. Vox dedicationis, Vt cãtet tibi gloria mea, & non cõpungar. Quis est qui loquitur? In uerbis eius agnoscite. Si expono obscurum est. Ergo uerba eius dicã, continuo agnoscetis loquentẽ, ut ametis alloquentẽ. Quis est qui dicere potuit, Eruisti domine ab inferis animam meam? Cuius anima iam ab inferis eruta est, nisi de qua dictum est alio loco, Non derelinquas animã meam in inferno? Proponit dedicatio & cãtatur liberatio cãticum dedicationis domus, & dicitur, Exaltabo te domine quoniã suscepisti me, & nõ iocundasti inimicos meos super me. Attendite Iudæos inimicos, qui se putabant occidisse Christũ, uicisse tãquam inimicum, perdidisse quasi hominem cæteris similem atq; mortalem. Resurrexit tertia die, & eius uox est, Exaltabo te domine quoniam suscepisti me. Attẽdite Apostolum dicẽtẽ, Propter quod eum exaltauit. Et non iocundasti inimicos meos super me. Ipsi quidẽ in Christi morte iocundabãtur, sed in eius resurrectione, ascensione, prædicatione aliqui compungebantur. In eius ergo prædicatione & per Apostolorũ constantiæ diffamationem aliqui compungebantur & conuertebantur, aliqui obdurabantur & confundebantur, nulli tamen iocundabãtur. Modo quando implentur Ecclesiæ putamus iocũdari Iudæos? Ecclesiæ ædificantur, dedicantur, implentur, quomodo illi iocundantur? Non solum non iocundantur, sed etiam confunduntur, & impletur uox exultantis, Exaltabo te domine quoniã suscepisti me, & non iocundasti inimicos meos super me. Non iocũdasti super me, si mihi credant, iocundabis in me. Ne multa dicamus, ad illa quæ cantauimus aliquando ueniamus. Quomodo dicit Christus, Conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitia? Saccus eius erat similitudo carnis peccati. Non tibi uilescat, quod ait, saccũ meum, ibi erat inclusum precium tuum. Conscidisti saccum meum. Euasimus ad saccum istum. Conscidisti saccũ meum, In passione conscissus est. Quomodo ergo deo patri dicitur, Cõscidisti saccum meum? Quomodo patri dicatur, uis audire, Conscidisti saccũ meum? Quia proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Fecit enim per Iudæos nescientes, unde redimerentur sciẽtes, & cõfunderentur negantes. Nesciunt enim quid boni nobis operati sunt malo suo. Suspensus est saccus, & quasi lætatus est impius. Conscidit saccum lancea persecutor, & fudit precium nostrum redemptor. Cantet Christus redẽptor, gemat Iudas uenditor, erubescat Iudæus emptor. Ecce Iudas uendidit, Iudæus emit, malũ negocium egerunt, ambo dãnati sunt, seipsos perdiderunt uenditor & emptor. Dicat ergo caput nostrum, dicat pro corpore occiso, pro corpore dedicato. Dicat, audiamus, Conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitia: id est, conscidisti mortalitatem meam, & accinxisti me immortalitate & incorruptione. Vt cãtet tibi gloria mea, & non compungar. Quid est, non compungar? Iam cõtra me non ferat lanceam persecutor. Vt non compungar. Christus enim surgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur. Quòd autem mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem uiuit, uiuit deo. Ita & nos, inquit, existimemus nos mortuos esse peccato, uiuere autem deo in Christo Iesu domino nostro. Ergo dum nouam cõstructionem sanctæ huius Ecclesiæ libenter attẽdimus, quam diuino nomini hodie dedicamus, inuenimus à nobis deberi & deo nostro maximam laudem, & sanctitati uestræ congruum de diuinæ domus ædificatione sermonem. Tunc autem sermo noster congruus erit, si in se aliquid ædificationis habeat, quod utilitati animarum uestrarum deo uos interius ædificante proficiat. Quod hic factum corporaliter uidemus in parietibus, spiritaliter fiat in mentibus: & quod hic perfectũ cernimus in lapidibus & lignis, hoc ædificante gratia dei perficiatur in corporibus uestris. Principaliter ergo gratias agamus domino Deo nostro, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, & eius bonitatem tota cordis alacritate laudemus, quoniam ad construendam istam domum orationis fidelium suorum uisitauit animum, excitauit affectum, surrogauit auxilium, inspirauit necdum uolentibus ut uellẽt, adiuuit bonæ uoluntatis conatus ut facerent, ac per hoc deus qui operatur in suis & uelle & perficere pro bona uoluntate, hæc omnia ipse cœpit, ipse perfecit. Et quia opera bona in conspectu suo nunquam esse permittit inania, fidelibus suis quibus operantibus præbuit uirtutis suæ fauorem, tribuet condignam pro tãta operatione mercedem. Adhuc amplius agendæ sunt gratiæ Deo nostro,

Hanc enim Ecclesiam quam fecit nomini suo construi, fecit etiam sanctorum martyrum reliquijs amplius honorari.

Ephes.5 Psal.29 Psal.15 Philip.2

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, OPVS SERMONum de Sanctis, tam in ſpecie quàm in genere ſiue cõmuni, quorum feſtiuitates præcipuè ſancta celebrat Eccleſia, eo ordine quo occurrunt.

DE SANCTO ANDREA.

In uigilia ſancti Andreæ, Homilia de eo q̃d ſcriptum eſt in Euangelio ſecundũ Ioannem, Stabat Ioannes & ex diſcipulis eius duo &c. quę habetur in expoſitione doctoris, Ibidem. Ioan.1

In feſto ſancti Andreę ſermo, Mirum quibuſdã uidetur, &c. qui habetur inter ſermones de Verbis domini, IX.

DE SANCTO THOMA.

In feſto ſancti Thomę Apoſtoli, Homilia de eo quod ſcriptũ eſt in Euangelio ſecũdum Ioannem, Thomas unus ex duodecim, qui dicit̃ Didymus, &c. quę habetur in expoſitione doctoris, Ibidem. Ioan.20

DE SANCTO STEPHANO.

In feſto ſancti Stephani: Sermo I.

Fulgentij epiſcopi SERMO I

FRATRES chariſſimi celebrauimus heſterna die natalẽ quo rex martyrum natus eſt in mundo, hodie celebramus natalẽ quo primicerius martyrũ migrauit ex mundo. Oportebat em̃ ut primũ immortalis p mortalib. ſuſciperet carnẽ, & ſic mortalis pro immortali cõtemneret mortem. Et ideo natus eſt dñs ut morereṫ p ſeruo, ne ſeruus timeret mori pro domino. Natus eſt Chriſtus in terris, ut Stephanus naſceretur in cœlis. Ingreſſus eſt dominus mundũ, ut Stephanus ingrederetur in cœlũ. Altus ad humilia deſcẽdit & humilis ad alta deſcẽdit. Filius dei factus eſt hominis filius, ut filios hominũ faceret filios dei. Fecit Chriſtus mirabilia, fecit & Stephanus. Sed Chriſtus fecit ſine Stephano: Nunquid Stephanus potuit facere ſine Chriſto? Viuebat Stephanus de Chriſto, ſicut ſarmentũ de uite. Miraris fructũ de ſarmento pendentẽ, uide ſarmentũ in uite manentẽ. Eia ſancte Stephane, dic aliquid Iudæis ut incipias lapidari & poſſis coronari. Iaculare uerba, et excipe ſaxa. Dic aliquid de incircũciſis cordibus, & morieris lapidib. Dic aliquid de eo cuius nomen nolunt audire. Erubeſcãt & ſæuiãt, muta efficiantur labia doloſa. Dic eis ubi uides uiuũ, quem irriſerũt crucifixũ. Dic eis ubi eũ uides, & hic nõ uiuis, ſed cũ illo melius uiuis. Dic eis quia nihil eſt quod fecerũt uiuit quẽ occiderunt. Dic eis quia uides ad dexteram dei ſtantẽ, quem irriſerũt in cruce pendentẽ. Et ille inquit, Ecce uideo cœlos apertos & filium hominis ſtantem ad dexterã dei. At illi clamantes cõtinuerunt aures ſuas. Aures clauſerũt & ad lapides cucurrerunt, impetumq̃ fecerũt omnes in eũ, & lapidabant Stephanum inuocantẽ & dicẽtem, Act.7

Adhęſit anima mea poſt te, quia lapidat̃ caro mea pro te. Accipe ſpiritũ meum, & redde mihi p miſſum tuũ. Orauit Chriſtus pro ſuis crucifixoribus, orauit & Stephanus pro ſuis lapidatoribus. Dominus Ieſus Chriſtus orauit affixus ligno, Stephanus genu flexo. Qui ſtando ſuum ſpiritum cõmendauit domino, pro illorum delicto fixo genu orauit. Orabat dominũ pro inimicis ut amicus dicẽs, Certe ego patior, ego lapidor, in me ſæuiunt & in me fremunt, ſed ne ſtatuas illis hoc peccatũ, quia ut hoc dicã tibi, à te primo audiui. Ego ſeruus tuus patior, ſed multum intereſt inter me & te. Tu dominus, ego ſeruus. Tu uerbum, ego auditor uerbi. Tu magiſter, ego diſcipulus. Tu creator, ego creatus. Tu deus, ego homo. Multũ intereſt inter peccatum iſtorum qui lapidãt me, & illorum qui crucifixerunt te. Quando ergo dixiſti, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: pro magno peccato petiſti, & me pro minimo petere docuiſti. Dñe, inquit, ne ſtatuas illis hoc peccatum: tanquam diceret, Ego patior in carne, iſti non pereant in mente. Illi lapides mittebãt, & ſanctus Stephanus orationes fundebat. Magna pietas fratres, magna clementia, prorſus qualia in menſa domini ſui comedit, talia & ipſe in ſuo cõuiuio præparauit. Scriptũ eſt in lege, Ad magnam menſam ſediſti, ſcito quoniam talia te oportet præparare. Talia ergo in oratione exhibuit, qualia in ſui dñi menſa comedit. Dñs Chriſtus dixit, Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt: ſanctus Stephanus dixit, Ne ſtatuas illis hoc peccatũ: & hoc dicto obdormiuit in dño. O ſomnum pacis: Quid illo ſomno tranquillius? Quid illo ſomno quietius? Qualis ibat ad amicos, qui ſic diligebat inimicos? Nam ut nouerit ſanctitas ueſtra, quantũ ualuerit oratio ſancti Stephani martyris, recurrite nobiſcũ ad illum adoleſcentem perſecutorem nomine Saulum, ſicut ex libro dum legereṫ audiuimus: Qui cum Stephanus lapidaretur, & ab ipſo omniũ lapidantiũ ueſtimenta ſeruarentur, ut tãquam in manibus omniũ ipſe lapidare uideretur: hic cũ iret in uia, ſubito circũfulſit eum lumen de cœlo, & audiuit uocẽ dicentem ſibi, Saule Saule quid me perſequeris? Durũ eſt tibi contra ſtimulũ calcitrare. Et ille, Et tu quis es domine? Et dominus ad eũ, Ego ſum Ieſus Nazarenus quem tu perſequeris: Quid mihi & tibi? Quare te erigis contra me, ad tanta mala quæ cõmiſiſti in me. Olim quidem debui perdere te, ſed Stephanus meus orauit pro te. Saule Saule quid me perſequeris? Sed quia inſanis cõtra nomẽ meum, ego te faciam ſeruum meum. O Saule lupe rapax, comediſti, expecta paululũ & digeres. Dicã planè, eliſus eſt filius perditionis. Nã ſi ſanctus Stephanus ſic nõ oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed ideo erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus. Ergo quod fecit Saulus, patitur Paulus. Quod fecit perſecutor, patitur prædicator. Quod fecit lupus, patitur agnus: quia ſic eſt in tali homine uindicandũ, ut diſcat pati quod faciebat. Sentiat & ipſe quod alijs inferebat. Dicitur Ananię à domino Ieſu Chriſto, Vade ad Luc.22 Act.7 Ecclſ.31 Act.9

ad eum & ſigna eum ſigno meo. Multa enim patiẽtur pro nomine meo. Abijt Ananias, Baptizauit Saulum, & fecit ex lupo agnum. Cœpimus habere nos prædicatorẽ, quem ſanctus Stephanus habuit lapidatorem. Sic ergo exauditus eſt ſanctus Stephanus, ut eius orationibus deleretur peccatũ quod cõmiſerat Saulus. Cõmendemus ergo nos orationibus eius. Multomagis enim nunc exauditur pro bene oratoribus ſuis qui ſic exauditus eſt tunc pro lapidatoribus ſuis.

In eodem feſto: Sermo II. Ser.II

POST heſternum feſtiuiſſimũ diem quo ſalutaris noſtri Chriſti nobis natiuitas illuxit, & iam hodiernus dies beati martyris Stephani corona illuſtrat̃. Martyris illius meritа nulla pars orbis ignorat: paſſus enim eſt in ipſo principio Eccleſiæ, id eſt, in ipſa urbe Hieroſolyma. Ibi enim diaconus miniſtrauit, & in ipſo iuuẽtutis flore decorẽ ætatis ſuæ ſanguine purpurauit. Paſſio eius inſignis eſt, multumq̃ mirabilis. Hanc modo de libro Actuum apoſtolorum cum legeretur audiuimus non ſolum, ſed etiam oculis ſpectauimus. Chriſtus ergo caput martyrũ prior paſſus eſt pro nobis, relinquens uobis exemplum ut ſequamini ueſtigia eius. Cuius paſſionis ueſtigia prior ſecutus beatus Stephanus confitendo Chriſtum, lapidatus à Iudæis coronam meruit tãquam ſuo ſibi nomine poſitam. Stephanus enim Græce Latine corona appellatur. Iam corona nomen habebat, & ideo palmam martyrij ſuo nomine præferebat. Qui cum lapidaretur, non ſolum non expectabat de perſecutoribus reportare uindictam, ſed eis potius de deo ueniam poſtulabat. Meminerat enim dixiſſe dominum, Mihi uindictam & ego retribuam dicit dominus. Et iterum, Ne dixeris ulciſcar me de inimicis meis, ſed expecta dominum ut tibi auxilium ſit. Expectare nos iubet dominus deus, ut in die futuræ retributionis cum ſanctis martyribus uindicemur. Beati enim qui expectant dominum, quoniam ipſi hæreditate poſſidebunt terram: illam ſcilicet terrã quæ iuſtis eſt præparata. Tu autem ò Chriſtiane queris uindicari de aduerſario tuo qui tibi forſitan iniuriam fecit, æſtuas, furis, anhelas, feſtinas uindicari, attẽde Chriſtum medicum ægritudinis tuæ, attende redẽptorem animæ tuæ. Propter te pependit in ligno, & nondum eſt uindicatus, & tu uis uindicari, & non uis tantum & talem magiſtrum imitari? ideo pati uoluit, ut tibi patientiæ ſuæ demonſtraret exemplum. Vide pendentẽ, & tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentũ conficientem. Vide pendentem, & tibi de ligno tanq̃ de tribunali præcipientem. Audi precantem, Pater, inquit, ignoſce illis, quia neſciũt quid faciũt. Sed potuit hoc Chriſtus, dicis mihi, ego non poſſum. Ego enim homo ſum, ille deus homo. Deus ergo ut quid homo, ſi non corrigitur homo? Sed hæc tibi loquor ò homo: Multum eſt ad te imitari dominum tuum. Attẽde Stephanum cõſeruum tuum. Certe Stephanus homo erat an deus? Planè homo erat, hoc erat quod tu. Sed quod fecit, non fecit niſi donãte illo quem rogas & tu. Vide tamẽ quid fecit: Loquebatur Iudęis, ſæuiebat & diligebat. Vtrunq; debeo demõſtrare, & ſæuientem & diligentem. Audi ſæuientem, Duræ ceruices. Verba ſunt ſancti Stephani quando loquebatur Iudæis, Duræ ceruices & nõ circumciſi corde & auribus, uos ſemper reſtitiſtis ſpiritui ſancto. Quem prophetarum non occiderunt patres ueſtri? Audiſti ſæuientem, audi & diligentem, Irati illi facti & grauius inardeſcentes & mala pro bonis reddentes ad lapides cucurrerũt, & dei famulũ lapidare cœperunt. Hic probemus ſancti Stephani patientiam & dilectionem. Hic uictorem diaboli triumphatoremq̃ cernamus. Audiuimus ſæuientem aduerſus tacentes, uideamus ſi diligat ſæuientes. Sæuiebat aduerſus tacentes ſi diligat lapidantes. Ecce Stephanus lapidatur, ſic conſtitutus quaſi ante oculos noſtros. Ecce membrum Chriſti, ecce athleta Chriſti. Inſpice illum qui pependit in ligno. Crucifigebatur ille, iſte lapidabatur, Ille dixit, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Iſte quid dicit? Audiamus illum ſi forte uel ipſum imitari ualemus. Primò beatus Stephanus ſtans orauit pro ſe & ait, Domine Ieſu accipe ſpiritum meum. Deinde genu flexit, et flexo genu ait, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum: & hoc dicto obdormiuit. Felix ſomnus & requies uera. Ecce quid eſt requieſcere, pro inimicis orare. Sed paululũ quæſo te ſancte Stephane, expone nobis hoc neſcio quid, quare pro te ſtans orаſti, & pro inimicis genu flexiſti? Reſpõderet fortaſſe quod intelligimus. Pro me ſtans orаui, quia pro me qui recte deo ſeruiui orando & impetrando non laboraui, quia qui pro iuſto orat non laborat, ideo pro ſe ſtans orauit. Ventum eſt ut oraret pro Iudæis, pro interfectoribus Chriſti, pro interfectoribus ſanctorum, pro lapidatoribus ſuis, attendit tam multam & magnam eſſe impietatẽ ipſorum, quæ difficile donari poſſet, genu flexit & ait. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatũ. Ergo chariſſimi ſi nõ poteſtis imitari dominum, imitamini conſeruum, imitamini ſanctum Stephanum, imitamini omnes martyres ſanctos. Homines erant, conſerui tui erant. Sicut tu nati erant, ſicut tu nati, ſed à Chriſto ſunt coronati. Deut.32 Prou.20 Vide eadem ſu pra col.1121 Act.7

In eodem feſto: Sermo III. Ser. III

DONET mihi dominus pauca dicere ſalubriter, qui donauit Stephano tãta dicere fortiter. Sic cœpit ad ſuos perſecutores loqui, quaſi timeret eos. Viri fratres & patres audite. Quid lenius? Quid clementius? Conciliabat auditorem, ut cõmendaret ſaluatorẽ. Blande cœpit ut diu audiretur. Et quia hinc fuerat accuſatus quòd uerba dixerit cõtra dominum & legem, ipſam legẽ expoſuit, ut eius legis eſſet prędicator, cuius accuſabat̃ eſſe uaſtator. Et audiuimus & audiſtis, nõ ſunt noſtra multa neceſſaria, quia multa audiſtis: hoc tantum exhortandam uideo charitatem ueſtram & ædificandã, ut ſciatis ſanctum Stephanum honorẽ Chriſti quæſiſſe, ut ſciatis ſanctũ martyrem teſtem Chriſti fuiſſe, ut ſciatis tãta eum tũc miracula in nomine Chriſti feciſſe. Hoc enim ſalubriter Act.7

ſalubriter ſcitis, ſanctum Stephanum feciſſe mirabilia in nomine Chriſti, nullum autem miraculum A feciſſe dominũ Chriſtum in nomine Stephani, ut diſcernatis ſeruũ à domino, cultorẽ à deo, adoratorem ab adorãdo. Quando enim diſcernitis, tũc uos amat. Non enim ille pro ſe ſanguinem, ſed pro Chriſto fudit. Videte cui animam ſuam cõmendauerit: Ecce, inquit, uideo cœlos apertos, & filiũ hominis ſtantem ad dexterã dei. Vidit Chriſtũ, confitẽs Chriſtũ, moriturus pro Chriſto, perrecturus ad Chriſtũ. Dominus in cruce pendens pro inimicis ſuis ait, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: Stephanus ſub lapidibus genu flexo ait, Domine ne ſtatuas illis hoc delictũ. Secutus eſt ueſtigia paſtoris ſui, tanq̃ bona ouis. Bonus agnus ſecutus eſt agnũ, cuius ſanguis tollit peccata mun-
1 Pet.2 di. Impleuit quod ait apoſtolus Petrus, Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens uobis exemplum ut ſequamini ueſtigia eius. Sequuntur ergo martyres ueſtigia domini. Chriſtus in cruce ait, Pater in manus tuas cõmendo ſpiritum meum. Stephanus ſub lapidibus, Domine Ieſu accipe ſpiritum meũ. Chriſtus in cruce, Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciũt: Stephanus ſub lapidibus, Domine Ieſu ne ſtatuas illic hoc delictũ. Quomodo non poſſet ibi iſte eſſe ubi erat quem ſecutus eſt, ubi erat quem imitatus eſt? Triũphauit, coronatus eſt. Sane corona noſtra eſt ædificatio ueſtra: & gaudium noſtrum ſalus ueſtra, ſalus & tẽporalis & ſempiterna. Promiſſionem enim habemus, ſicut dixit Apo-
1.Tim.4 ſtolus, uitæ pręſentis & futuræ, ſed ſalutem pręſen C tem donat deus & hominib. & pecoribus, donat deus & bonis & malis. Hanc aũt ſalutẽ temporalẽ, pro æterna ſalute martyres contempſerunt. Gaudetis ſine dubio quia ſaluos nos uidetis, & nos in Chriſto de ueſtra ſalute gaudemus, ſed ſatagite ut etiã in illo die de uobis gaudeamus, quia quod ait Apoſtolus, pro ſua diſpenſatione tã magna & amplaut eius uix ueſtigia conſectemur, hoc nobis loquebat quod dicebat. Ei quẽ ædificabat dicebat, Gaudiũ & corona mea. Quicunq; ergo proficiũt in Chriſto de laboribus noſtris gaudiũ ſunt & corona noſtra, quia noſtrũ eſt fideliter diſpẽſare non noſtrã, ſed dominicã pecuniam: ueſtrum eſt cũ cura, cũ ſolicitudine ſuſcipere. Ego enim poſſum eſſe dator, nõ exactor. Et dator nõ quaſi meę rei, ſed D do unde & ego uiuo, quia ad unam domũ magnã omnes pertinemus, unũ patremfamilias dominũ habemus. Cellariũ habet amplũ, unde nos & uos uiuere poſſumus. Tantum enim rogemus faſtidiũ detergat, prius donet eſuriem, & porrigat panem. Vnde uiuo, inde dico. Vnde paſcor, hoc miniſtro. Nam uobiſcum pauper ſum. Diuitiæ omnes deus noſter, uita omnium noſtrorum beata æterna. Ergo qui gloriatur, in domino glorietur.

In eodem feſto: Sermo IIII.

SERMO IIII A I ESVS filius Naue in eremo pugnabat, & Moyſes orabat, Non quia ambo pugnabant, nec ambo orabãt, ſed unus pugnabat & alius orabat. Merito qui pugnabat, non deficiebat, quia ille orãdo uincebat. Ita & ego loqui quidem uideor, ſed alijs orantibus loquor, ut precibus eorũ contingat mihi quod dominus ait, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud, Si ille ab Ezech.2 uno tãtum orante iuuabatur & non ſuperabatur, quantomagis ego ubi non unus ſed multi rogant deum mecũ? Loquendo iam non timebit cor meum, quia laudem domini loquetur os meum. Dominus noſter Ieſus Chriſtus iubet nobis aliquid, & promittit nobis aliquid. Quod iubet hic eſt, q̃d promittit alibi eſt. Quod iubet finitur, quia tẽporale eſt: quod promittit non finitur, quia æternum eſt. Quod iubet opus eſt, quod promittit merces eſt. Hinc aduertat ueſtra ſanctitas quanta eſt eius miſericordia erga nos, ut laborem hic poſuerit eũ fine, mercedẽ in cœlo ſine fine. Et ideo debemus B potius hic laborare & poſtea in cœlo mercedem ſumere, q̃ hic mercedem uelle accipere, & poſtea laborare. De quibuſdam enim dicit, Amen dico Matt.6 uobis, perceperunt mercedem ſuam. Sed forte auidus es ad mercedem & piger ad laborẽ, qua fronte poſtulas quod promiſit deus, ſi non facis quod iuſſit deus? Prius audi monitiones, & ſic exige repromiſſiones. Prius, inquam, audi iubentẽ, & tũc exige pollicentem. Iubet enim nobis & dicit, Dili Mat.5 gite inimicos ueſtros, benefacite his qui uos oderunt, & orate pro perſequentibus & calumniantibus uos. Audiſti opus, expecta mercedem: Vt ſitis, inquit, filij patris ueſtri qui in cœlis eſt, qui ſolẽ ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Attendite ipſum dominum C qui hoc iuſſit quod fecerit. Nonne poſt tanta quę in eum cõmiſerunt impij Iudæi, qui retribuebant ei mala pro bonis, pendẽs in cruce ait, Pater igno- Luc.23 ſce illis, quia neſciunt quid faciũt. Orauit in homine, qui exaudiuit cũ patre. Nam & modo orat pro nobis, orat in nobis, & orat̃ à nobis. Vt ſacerdos noſter orat pro nobis, ut caput noſtrum orat in nobis, ut deus noſter orat̃ à nobis. Quando ergo in cruce pendens orabat, uidebat & præuidebat omnes inimicos, ſed multos ex illis futuros amicos præuidebat, ideo omnib. ueniã poſtulabat. Illi ſæuiebant, & ille orabat. Illi dicebant Pilato, crucifige: Ille clamabat, Pater ignoſce. In aſperis clauis pendebat, ſed lenitatẽ non amittebat. Illis iam petebat ueniã, à quibus accipiebat iniuriã. Illi ſæuie- D bant, illi circũlatrabant, illi inſultando caput agitabant quod ſanũ non habebãt, quia caput quod eſt Chriſtus nõ habebãt, & quaſi in uno ſummo medico in medio cõſtituto phrenetici circũquaq; ſęuiebãt, pẽdebat ille, & ſanabat. Pater, inquit, ignoſce illis. Attendite fratres, Magna pietas: Pendebat & tamen petebat. Et non deſcẽdebat, quia de ſanguine ſuo medicamẽtum phreneticis faciebat. Deniq; fratres poſt reſurrectionem ſanauit, quos pendẽs inſaniſſimos tolerauit, & ſanguinẽ quem fuderunt ſæuientes, biberunt credentes, & facti ſunt ſequentes, qui erãt perſequentes. Ecce quare uenit Chriſtus nõ perdere q̃d inuenerat, ſed quærere & ſaluare quod perierat, ut diligẽdo ſæuiẽtes inimicos, faceret credentes amicos. Sed ne multum graue eſſe dicas imitari dominum tuum qui propter

propter te paſſus eſt, relinquẽs tibi exemplum ut ſequaris ueſtigia eius, attende Stephanum cõſer- A uum tuũ. Homo erat ſicut & tu, de maſſa peccati creatus ſicut & tu, eo precio redemptus quo & tu. Diaconus erat, Euãgelia legebat, quæ legis uel audis & tu. Ibi inuenit ſcriptũ, Diligite inimicos ueſtros. Didicit legendo, perfecit implendo. Qui cũ à Iudæis ſaxorum grandine cæderetur, non ſolum non cõminabatur, ſed inſuper lapidatoribus ſuis ueniam precabatur. Poſitis enim genibus orabat dicẽs, Domine ne ſtatuas illis hoc delictum. Illi lapidabant, & ille orabat. Illi eum furore perſequebãtur, ille pacatus Chriſtũ ſequebatur. Illi malitia cæcabãtur, ille aperto cœlo uiſo dei filio ſapientia illuſtrabatur. Illi lapides mittebant, ille orationes præmittebat, tanq̃ diximſſet, Domine ſi iſtos modo occideris inimicos, quos poſtea facies amicos? De B niq; fratres ut noueritis quãtũ uoluerit oratio ſancti martyris Stephani, recurrite nobiſcũ ad illum adoleſcentem nomine Saulum. Qui, cum ſanctus Stephanus lapidaretur, omnium ueſtimẽta ſeruabat, & tanquam manibus omnium lapidabat. Et poſtea ſicut noſtis accepit epiſtolas à principibus ſacerdotum, ut quoſcunq; inueniſſet Chriſtianos uiros ac mulieres, uinctos adduceret in Hieruſalẽ, torquendos & puniendos. Hic cum iret in uia, ſubito circũfulſit eum lumen de cœlo, cecidit in terram, & audiuit uocem dicentem ſibi, Saule Saule, quid me perſequeris? Et ille, Tu quis es domine? Et dominus ad illum, Ego ſum, inquit, Ieſus Naza renus, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi cõtra C ſtimulũ calcitrare, quia nõ ſtimulũ, ſed pedes quibus calcitras uulnerabis. Quid mihi & tibi? Quare me perſequeris? Quare te erigis cõtra me malo tuo? Sed contra tanta mala quæ committis in me, olim quidẽ debui perdere te, ſed Stephanus meus orauit pro te. Eliſus eſt ſæuiens, erectus eſt credẽs. Eliſus eſt lupus, erectus eſt agnus. Eliſus eſt perſecutor, erectus eſt prædicator. Dicam planius, dicã apertius, Eliſus eſt filius perditiõis, erectus eſt uas electionis. Eliſus eſt Saulus, erectus eſt Paulus. Nã ſi martyr Stephanus nõ ſic oraſſet, Eccleſia Paulũ non haberet. Sed ideo de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus. Ecce quare dominus dicit, Diligite inimicos ueſtros, quia diligendo inimicum, facis amicum. Sed D contra tanta & talia hæc, tu quis es qui nõ diligis? Figis genu, collidis frõtem in terram & dicis. Oro ut moriatur inimicus meus. Deus ſi quid à te promerui, occide inimicũ meum. Et utiq; tu qui oras ut homo moriat̃, malus oras cõtra malum, & facti eſtis duo mali, Ille male agendo, tu male orando. Tu malus orando incipis eſſe quando dicis, Deus occide malũ. Reſpondet tibi ipſe: Quem ueſtrũ? Aduertat ſanctitas ueſtra, Iudex homo per ſeipſum reum non occidit, ſed iubet, & ſpiculator occidit. Iudex dicit, Occide, & tortor occidit. Et tu quãdo dicis, Occide inimicũ meũ, te facis iudicẽ, & deum quæris eſſe tortorẽ. Reſpondet tibi deus, Non ero prorſus, non ero peccatoris tortor, ſed liberator: quia nolo mortem peccatoris, ſed ut cõuertatur & uiuat. Nam ſi uoluntatem tuam habe- A rem, te prius occiderem antequã inuitatus uenires. Nonne me blaſphemaſti? Nonne me in tuis malis operibus irritaſti? Nonne nomen meum de terra delere uoluiſti? Nonne me in præceptis uel in ſeruis meis contempſiſti? Si tunc te occidiſſem inimicũ, quem modo facerem amicũ? Quid ergo male orando doces me, quod nõ feci in te? Imò ergo dicit tibi deus, Doceã te ut imiteris me. In cruce pendens dixi, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciũt. Docui hoc milites meos, docui martyres, Prius eſto & tu martyr meus, tiro meus aduerſus diabolum, aliter inuicte nullo modo pugnabis niſi pro tuis inimicis oraueris. Conuerſi ad dominum deum patrem: &c.

In eodem feſto: Sermo V

SERMO V H ESTERNO die natalem habuimus domini ſaluatoris, hodie ſumma deuotione ueneramur ſancti martyris Stephani paſſionẽ: Heſterno quo redimimur ad præmium, hodierno quo prouocamur ad exemplũ. Bene ergo heſternæ ſolẽnitati feſtiuitas hodierna coniuncta eſt, ut illa credentes eueheret ad uitã, hæc confitentes duceret ad coronam. Omni ergo Eccleſię beatus Stephanus datus eſt ad profectum. Adhuc laicus diaconij meruit electionem, & leuita martyrij obtinuit principatum. In plebe adhuc poſitus erat, ſed iam uirtutibus eminebat. Humilis erat, ſed celſus fide. Diſcipulus erat ordine, ſed factus eſt magiſter exemplo. Quò ſequebatur deuotione fidei, præceſſit uelocitate martyrij. Scriptũ eſt C enim de eo in Actibus Apoſtolorum, q̃ ad miniſterium uiduarum ſit ab Apoſtolis deputatus. Act.6 In hac etiam re quòd præpoſitus eſt fœminis, teſtimonium meruit ſynceriſſimæ caſtitatis. Beatus ergo erit fratres chariſſimi, qui hunc ſectatus, qui hunc imitatus fuerit, & pudicitiæ palmam & martyrij cõſequitur coronã. † De quo & lectio Apo- B. Maximus ſtolorum Actuum quæ nobis hodie lecta eſt, dilectiſſimi fratres, cum plurimum habeat in ipſa ſpecie admirationis, nõ minus tamen continet in myſterio dignitatis. Ecce, inquit beatus Stephanus, uideo cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris dei. Conſiderate attentius dilectiſſimi fratres, cũ beatus martyr dominũ Ieſum Chriſtum ad dexteram dei patris ſtare uidiſſet, cur ſeſe filiũ hominis uidere teſtatus eſt, & non potius filiũ dei: cũ utiq; plus delaturus honoris domino uideretur, ſi ſe dei potius quàm hominis filiũ uidere diximſſet? Sed certa ratio poſtulabat, ut hoc ita & oſtẽderet̃ in cœlo, & prædicaret̃ in mundo. Omniũ enim Iudæorum ſcandalũ in hoc erat, cur dominus noſter Ieſus Chriſtus qui ſecundũ carnem erat filius hominis, eſſe etiã dei filius diceret̃. Ideo ergo pulchre ſcriptura diuina filiũ hominis ad dexteram dei patris ſtare memorauit, ut ad confutandam Iudæorum incredulitatẽ ille martyri oſtẽderet̃ in cœlo, qui à perfidis negabatur in mundo: & illi teſtimonium cœleſtis ueritas daret, cui fidẽ terrena impietas derogaret. Vnde licet iuxta Pſalmũ qui lectus eſt, precioſa ſit in conſpectu dñi mors ſanctorum eius,

eius, si quid tamen distare inter martyres potest, præcipuus uidetur esse qui primus est. Nam cum sanctus Stephanus diaconus ab Apostolis ordinatus sit, Apostolos ipsos beata ac triũphali morte præcessit: ac sic qui erat inferior ordine, primus factus est passiõe: & qui erat discipulus gradu, magister cœpit esse martyrio, cõplens illud quod beatus Propheta in Psalmo qui lectus est dixit, Quid retribuã domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuere eẽ uoluit primus Stephanus martyr domino quod cũ omni humano genere accepit à domino. Mortẽ enim quã saluator dignatus est pro omib. pati, hanc ille primus reddidit saluatori. Post hæc subiecit scriptura sacra quæ ait. Posi
Act.7 tis, inquit, genibus clamauit dicens, Domine, ne statuas illis hoc peccatũ. Videte dilectissimi affectum beati uiri, uidete magnã & admirabilẽ charitatem. In persecutione positus erat, & pro persecutoribus deprecabat, atq; in illa lapidum ruina quando alius obliuisci poterat etiam charissimos suos, tũc ille domino cõmẽdabat inimicos. Quid enim dicebat cum lapidaret? Domine, ne statuas illis hoc peccatũ. Plus itaq; tunc illorum dolebat peccata, q̃ sua uulnera. Plus illorum impietatem, q̃ suam mortem dolebat. Et recte plus. In illorum quippe impietate erant multa quæ plangi potuissent, in illius autẽ morte non erat quod debuisset doleri. Illorum impietatem mors sequebatur æterna, huius autem mortem uita perpetua. Imitemur ergo in aliquo dilectissimi fratres tanti magistri fidem, tam præclari martyris charitatẽ. Diligamus nos hoc animo in Ecclesia fratres nostros, quo ille tunc dilexit inimicos. Sed quod peius est, aliquotiens non solũ inimicos non diligimus, sed ne amicis quidem fidem integram custodimus. Sed dicit aliquis, Non possum diligere inimicũ meũ, quem quotidie uelut hostẽ patior crudelissimũ. O quicunq; ille es, attẽdis quid tibi fecerit homo, & nõ consideras quid tu feceris deo? Cum enim tu multum grauiora in deũ peccata cõmiseris, quare non dimittis homini parum, ut tibi deus dignet dimittere multum? Recole quid tibi in Euangelio ueritas ipsa promiserit, & quam tibi quodãmodo cautionem fecerit, Si enim, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & uobis pater uester cœlestis peccata uestra. Si aũt non dimiseritis, nec pater uester dimittet debita uestra. Videtis fratres quia cum dei gratia in potestate nostra positũ est qualiter à domino iudicemur. Si, inquit, dimiseritis, dimittetur uobis. Nam sæpe dixi, fratres, & frequẽtius dicere debeo, nemo se circũueniat, nemo se seducat, Qui uel unum hominem in hoc mũdo odio habet, quicquid deo in operibus bonis obtulerit totũ perdet, quia non mentitur Paulus Apostolus dicens, Si dedero omnes facultates meas in
1. Cor.13 cibos pauperum, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem aũt nõ habuero, nihil mihi prodest. Quam rem etiam beatus Ioannes confir-
1 Io.4.3 mat dicens, Omnis enim qui non diligit fratrẽ suum, manet in morte. Et iterum, Qui fratrem suum oderit, homicida est. Hoc loco fratrẽ, omnem hominem oportet intelligi: omnes enim in Christo fratres sumus. Nemo enim sine charitate de uirginitate præsumat, nemo de eleemosynis, nemo de ieiunijs, nemo de orationibus cõfidat: quia quandiu inimicitiã in corde tenuerit, neq; in istis, neq; in alijs quibuslibet bonis operib. placare sibi dominum poterit. Sed si uult habere propitiũ dominum, non dedignetur audire consiliũ meum. Audiat non me, sed ipsum dominũ suum, Si offers, inquit, munus tuũ ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & uade prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniẽs offeres munus tuum. Et nos pugnas habemus intrinsecus, & dolos in corde uersantes, & quasi qui bonã consciẽtiam habeamus præsumimus accedere ad altare, nõ ti-
B mentes quod scriptũ est, Qui mãducat & bibit in- 1.Cor.11
digne, iudicium sibi manducat & bibit. Sed dicit aliquis, Grãdis labor est inimicos diligere, & persecutoribus supplicare. Nec nos negamus fratres, nõ paruus quidẽ labor est in hoc seculo, sed grãde erit premiũ in futuro. Per amorẽ enim hominis inimici, efficieris amicus dei: Imò non solum amicus sed etiã filius, sicut ipse dominus dixit, Diligite ini Matt.5
micos uestros, benefacite his qui oderũt uos, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est. Si te aliquis homo diues in hoc seculo uellet adoptiuum filiũ facere, quomodo seruires, quas ei dignitates impenderes, etiã seruorũ eiusq; seruitia durissima, & ali-
C quotiens etiã turpissima sustineres conuitia, ut ad caducã & fragilem hæreditatẽ ipsius peruenires? Quod ergo ille sustinet propter substantiã terrenam, tu sustine propter uitam æternã. Conuincimur enim certissima ratione, quia ꝓpter deũ possumus quidẽ, sed nolumus iniuriam sustinere. Deniq; si nobis aliqua potens persona iniuriã facit, si nos etiã in faciẽ maledicit, nec respondere aliquid asperũ, non dicã uicẽ reddere ausi sumus. Quare hoc? Ne ab illa persona potente adhuc maiora q̃ pertulimus patiamur. Quod à nobis extorquet hominis timor, deberet à nobis exigere Christi amor. Si ergo potẽs persona contra nos sæuit, tacemus & nihil dicere ausi sumus: si uero æqualis aut forte inferior uel leuẽ nobis contumeliam fecerit, quasi feræ bestiæ sine ulla patientia, ac sine aliqua
D dei cõtẽplatione cõsurgimus, et aut in presenti nostram iniuriã uindicamus, aut certe ad maiorẽ uicem reddẽdã nostrũ animũ preparamus: Quid est hoc q̃ quãdo potẽs persona nobis iniuriã intulit, patiẽter accepimus: quãdo inferior, nimio furore succendimur? Quia ibi timuimus hominem, hic deũ timere nolumus. Vnde ergo fratres quantum possumus cũ dei adiutorio cor nostrũ ad patientiã preparemus, & in omnibus malis hominibus medicorũ uicẽ agere studeamus, & non ipsos homines, sed ipsorũ malitiã odio habeamus. Pro bonis oremus ut semper ad meliora cõscendãt, ꝓ malis ut cito ad emendationẽ uitæ per pœnitentiæ medicamenta confugiant. Quã rem orantibus uobis ipso præstare dignet, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

In eodem

In eodem festo, Sermo VI

SERMO VI

QVONIAM uideo nostras disputationes graphio ceraq; ligari, & nequaq; sumus idonei lectitare, adiuuate meipsum queso intercessu uestro apud martyrẽ istum, quem Gamaliel stolatus reuelauit, Saulus spoliatus lapidauit, & Christus pannis inuolutus ditauit, et precioso lapide coronauit. Triumphalis est dies iste beatissimi, triũphalis est dies sancto Stephano martyri, à lapidibus mortuis condẽnato, extra ciuitatẽ lapide præcipitato, corpore pernecato, capite uulnerato, lapide conquassato, & angulari lapide coronato. Pulcher erat minister, qa pulcher erat & magister. Pulcher erat ubiq; Stephanus iste, in corde & in corpore. De magistri pulchritudine cãtatur in Psalmo, Speciosus forma præ filijs hominũ,
Psal.44 B diffusa est gratia in labijs tuis. Et ipsi cantamus in Psalmo, Specie tua & pulchritudine tua, intẽde ꝓsperè procede & regna. Stephano ergo martyri et pulchritudo erat corporis, & flos ętatis, & eloquẽtia sermocinantis, & sapientia sanctissimę mentis, & operatio diuinitatis. Inuidia magna obstiterat Iudęis ob Christianę causam professionis. Videbant em̃ Stephanũ Iudæi Iudæũ, in medio Iudæorum in ciuitate metropolitana parẽtũ suorum disputantẽ contra sacra Iudæorũ, & cõtra sacrificia, & contra legẽ, & contra circumcisionem, contra sabbata, exurgentes in iracũdiam & concipientes uenenata sensa, loquebant ad inuicẽ sibi talia uerba, Quid est istud? quid est hoc qd agimus? quid facimus? quid dicimus? quid uult sibi iste homo et
C iuuenis & pulcher, & eloquẽtissimus & sapientissimus homo? Nam signa magna & mirabilia facit iste homo, & sine causa Christus mortuus est homo. Venite, inquit, fratres: simulq; conueniamus in unũ, faciamus consiliũ, cõfirmemus falsum testimoniũ. Fecimus cõtra deũ, faciamus & contra famulũ. Diximus cõtra dominum: Expedit ut unus moriatur q̃ tota gens pereat: dicamus cõtra famulum, Exterminemus eum de terra uiuentiũ, & nomen eius non memoret amplius, Quãdo consiliũ cõtra Iesum fecimus, multũ nobis profuimus quia pręualuimus, circũuenimus, dedimus, accepimus, ligauimus, tradidimus, supauimus, oppressimus, crucifiximus. Amatori cupiditatis dedimus pecuniam, quam de mãmona iniquitatis distraximus
D unusquisque. Ligauimus incapabilem filium uirginitatis, tradidimus iudici iudicem æquitatis, superauimus superantem imperiũ uanitatis, oppressimus opprimentem superbiam calamitatis, conspuimus faciẽ sanctitatis, & crucifiximus cæci filium maiestatis. Occidimus tamen, sepeliuimus, eiusq; sepulchrũ anulo nostro signauimus, sed ab angelo resignatum inuenimus. Dicamus, iudicemus sepulchrũ signatum custodientibus custodibus, & miraculũ resurrectiõis uidentibus, tantam pecuniã ut Pilato mentirent contulimus, testimoniaq; ꝓduximus, & cõfusione uigilãtes caruimus. Sed & nunc ò uiri quid agemus, quid faciemus, quid dicemus, qui unum Christum occidimus & multos Christianos conspicimus? Ecce inquiunt, in uno Christo à nobis occiso, ducenti sunt discipuli eius de ipso numero nostro translati, & Nico
A demus sacerdos noster est, & tria & quinque millia hominum ad eorum baptismum cucurrerunt, multas Iudæas & Græcas & barbaras nationes baptizauerunt, & suis sacrarijs præposuerunt. Ecce adhuc quod est nobis peius ac deterius, septem diaconos ordinauerunt, inter quos unus qui uocatur Stephanus & iuuenis & pulcher & eloquentissimus & sapientissimus est præ omnibus, signis miraculorũ est plenus, & si est plenus necesse est ut cõfluat ad eum noster populus, & in nostrã confusionem apud omnes Iudæos sit magnificatus, nisi nostris manibus fuerit lapidatus. Cur ergo, inquiunt, adhuc stamus? Quem expectamus?
B Quare tardamus Stephanum istum nostræ confusionis demonstratorem, publicum publice rapiamus ad cõciliũ, in nostrum statuamus mediũ, pontificali perturbemus synodo, testimonio opprimamus falsissimo, faciamus ministro qd fecimus & magistro. Si enim non dubitauimus magistrũ lanceare, non debemus dubitare Stephanũ lapidare. Consenserũtq; omnes Iudæi impij uiri, ad homicidium semper parati. Rapiũt Stephanũ, ad suumq; perducunt conciliũ, Exagitant & perturbant, & interrogant, audiunt & attendũt. Audiunt sapientissimum, & conspiciunt speciosissimum. O Iudæi semper inimici dei, intẽdite bene, qui iudicatis nõ bene. Si ergo iustitiam loquimini, recta iudicate filij hominũ. Intendite simul põtifices & ministri,
C sacerdotes & populi omnes, simul Iudæi intẽdite faciem ministri dei, intendite faciẽ Stephani si potestis. Moyses enim propter excęcationẽ uestram contra faciem suam posuit uelamentum: Stephanus uero ad cõfusionem uestram contra uestrum conuentum resurrectionis annunciat sacramentum. Sed ò Iudæi fidem nullatenus miramur in uobis, per multa cõgruitis iniquitatibus uestris. Qui enim faciem despicitis legislatoris, personã suscipitis delatoris, personã Iudæi suscipitis delatoris. Qui despexistis faciem Moysi legislatoris, personam Iudæi suscepistis crudelissimi delatoris, & ad dedecus uestrum semper additis crimen uestrum. Et Moyses uester quando uelamentum posuit cõtra sanctam faciem suam, nolebat uidere criminosam faciem uestrã: Stephanus uero reuelata facie
D sua, speculabatur in cœlum gloriam dei filij, ideo uidebant uultum eius Iudæi tanquam uultum angeli dei. Et nunc tantummodo beate martyr Stephane terram despice, cœlum conspice, & pontificem sperne, patrem attende. Despice Iudæum & sacerdotẽ & populũ, conspice in cœlo patrẽ & filium & spiritum sanctũ. Indica tamen Iudæo quid sit illud quod diu contemplaris in cœlo. Ecce, inquit Stephanus, uideo cœlum apertum, & Iesum quem crucifixistis, quẽ illusistis moriẽtem, quem signato sepulchro posuistis iacentẽ, uideo ego ad dexterã patris stantẽ. Quid ergo uobis profuit Iudęi, quia crucifixistis filiũ dei, et filij dei martyrem lapidatis? Ecce duplo labefacti estis, quia ciuitatẽ uestram amisistis, & ipsum lapidatorum principẽ perdidistis

perdidiſtis, & de ciuitate ſancta eradicata eſt ueſtra plãta. Impleta eſt enim in Iudęa maledicta ma
Pſal.113 ledictio illa Dauidica, Propterea deus deſtruet te in finem, euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuã de terra uiuentiũ. Silentiũ aũt fecerunt turbæ Iudæorum damnabili animoſitate ſua, & ſuper martyrem Stephanum dentibus colubrinis ſtridebant, quem quaſi ſerpentem in corde habebant, pręcipitantq; martyrem ſanctũ extra ciuitatem ſuã, premittentes teſtimonia, dicẽtes falſitatem: proijciũtq; ueſtimenta ante Sauli ueſtigia, & currunt cum lapidibus, ulnas erigunt, brachia dirigunt, petras iaciunt, lapidãtq; iuſſũ iniuſti procumbentem, morientem, orantem atq; dicentem, Domine Ieſu meus, oſtẽſor meus, defenſor meus, propter quem ſæuit in me nudus lapidator meus, exaudi me, exaudi ſancte meus, uirginis filius, lapis uiuus, ad exaudiẽdum me unus, intende in me ipſum tui fontis lauacro mũdatũ, tui ſalutaris gratia ſine macula conſecratum, pro tuo nomine ſpoliatum, humanis lapidatum manibus, ſed ab amore Sauli non ſeparatum: Et ne ſtatuas illis hoc peccatum miſericors uſq; in finẽ. Stephanus ſanctus moriens, & in æterna pace dormiuit.

Item in eodem feſto: Relatio ſancti Auguſtini de miraculis ſancti Stephani: Sermo VII

SERMO VII A

D aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente
A Proiecto reliqas martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam ueniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus: ibi cęca mulier ut ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur orauit, flores quos ferebat dedit, recepit, oculis admouit, protinus uidit. Stupentibus cunctis qui aderant, præibat exultans, uiã carpẽs, & uiæ ducem ulterius non requirens. Memorati memoriã martyris, quę poſita eſt in caſtello Synicenſi quod Hipponẽſi Coloniæ uicinũ eſt, eiuſdẽ loci Lucillus Epiſcopus populo præcedẽte atq; ſequente portabat, fiſtula, cuius moleſtia iam diu laborauerat, & familiariſſimi ſui medici qui eã ſecaret operiebat manus, illius pię ſarcinæ uectatione repente ſanata eſt: nam deinceps eã in ſuo corpore non inuenit. Eucharius presbyter ex Hiſpania, Calamæ habitãs, uetere morbo calculi laborabat: p̃ memoriã ſupradicti martyris quã Poſidius illò aduexit Epiſcopus, ſaluus eſt factus. Idem ipſe poſtea morbo alio pręualeſcẽte mortuus ſic iacebat ut ei iam pollices ligarent: opitulatiõe memorati martyris cũ de memoria eius reportata fuiſſet, & ſuper iacẽtis corpus miſſa ipſius presbyteri tunica ſuſcitatus eſt. Fuit ibi uir in ordine ſuo primarius nomine Martialis, ęuo iam grauis, et multũ abhorrens à religiõe Chriſtiana. Habebat ſanè fidelẽ filiam, & generũ eodẽ anno baptizatũ. Qui cũ eum ęgrotãtẽ multis & magnis precibus & lachrymis rogarent ut fieret Chriſtianus, prſus abnuit, eosq; à ſe turbida indignatione ſubmouit. Viſum eſt genero eius ut iret ad memoriã ſancti Stephani, & illic p̃ eo quãtũ poſſet oraret, ut deus illi daret mẽtẽ bonam, qua credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingẽti gemitu & fletu, & ſynceriter ardente pietatis affectu. Deinde abſcedẽs de altari aliqd
A florũ quod occurrit tulit, eiq; cũ iam nox eſſet ad caput poſuit. Tunc dormitũ eſt, & ecce ante diluculum clamat ut ad Epiſcopum currereť, qui mecũ forte tũc erat apud Hipponẽ. Cũ ergo eum audiſſet abſentẽ, uenire presbyteros poſtulauit. Venerunt, & ſtatim credere ſe dixit. Admirãtib. atq; gaudẽtibus omnibus baptizatus eſt. Hoc quãdiu uixit in ore habebat, Chriſte accipe ſpiritũ meũ: cũ hęc uerba beatiſſimi Stephani quãdo lapidatus eſt à Iudęis ultima fuiſſe neſciret, Quę huic quoque ultima fuerũt: nam non multo poſt etiam ipſe defunctus eſt. Sanati ſunt illic per eundem martyrem etiã podagrici duo, unus ciuis, peregrinus unus: ſed ciuis omnimodo: peregrinus autem per
B reuelationem q̃d adhiberet quando doleret audiuit, & cũ hoc feciſſet dolor continuo conquieuit.

Audurus eſt nomen fundi ubi Eccleſia eſt & in ea memoria martyris Stephani. Puerũ quendã paruulum cum in area luderet, exorbitãtes boues qui uehiculũ trahebãt rota obtriuerunt, & confeſtim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriã poſuit, & nõ ſolum reuixit, uerum etiam illæſus apparuit. Sanctimonialis quædam in uicina poſſeſſione quę Caſpaliana dicitur, cum ęgritudine laboraret ac deſperaretur, ad eãdã memoriam tunica eius allata eſt. Quę anteq; reuocaretur, illa defuncta eſt. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto ſpiritu ſalua facta eſt. Apud Hipponẽ Baſſus quidã Syrus
C ad memoriã eiuſdem martyris orabat pro ęgrotãte & periclitante filia, eoq; ſecũ ueſtem eius attulerat: cũ ecce pueri de domo occurrerũt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum orante illo ab amicis eius exciperent, prohibuerũt eos illi dicere, ne p̃ publicum plangeret. Qui cum domũ rediſſet iam ſuorũ eiulatibus perſonantẽ, & ueſtem filię quam ferebat ſuper eã proieciſſet, reddita eſt uitæ. Rurſum ibidem apud nos Irenęi cuiuſdã collectarij filius ægritudine extinctus eſt. Cũq; corpus iaceret exanime, atq; à lugentibus & lamentantibus exequię pararent, amicorum eius quidam inter aliorum cõſolãtiũ uerba ſuggeſſit, ut eiuſdẽ martyris oleo corpus perũgeret. Factũ eſt, & reuixit. Itẽq; apud nos uir tribunitius Eleuſinius ſuper memori
D am martyris quę in ſuburbano eius eſt, ægritudine exanimatũ poſuit infantulũ filiũ ſuum, & poſt orationem quam multis cum lachrymis ibi fudit: uiuentẽ leuauit. Vzali etiã quę Colonia Vticæ uicina eſt, multa pręclara per eundẽ martyrem facta cognouimus, cuius ibi memoria lõge priusq; apud nos ab Epiſcopo Euodio conſtituta eſt. Sed libellorum dandorum ibi conſuetudo non eſt, uel potius non fuit, nam fortaſſe nunc eſſe iam cœpit. Cum em̃ nuper illic eſſemus, Petroniã clariſſimã fœminã, quę ibi mirabiliter ex magno atq; diuturno, in quo medicorũ adiutoria cũcta defecerãt, lãguore ſanata eſt, hortati ſumus uolẽte ſupradicto loci Epiſcopo ut libellũ daret qui recitareť in populo, & obediẽtiſſime paruit. In quo poſuit etiam quod hic reticere nõ poſſum: à quodã Iudęo dixit ſibi

Ex ciuitate dei lib. 22. cap. 8

ſibi fuiſſe perſuaſum, ut annulũ capillatio uinculo inſereret, quo ſub omi ueſte ad nuda corporis cingeretur, qui annulus haberet ſub gẽma lapidẽ in renibus inuentum bouis. Hoc alligata quaſi remedio, ad ſancti martyris limina ueniebat. Sed profecta à Carthagine, cũ in cõfinio fluminis Bagradæ in ſua poſſeſſione manſiſſet, ſurgẽs ut iter perageret, ante pedes ſuos illũ iacentem annulum uidit, & capillatiã zonã qua fuerat alligatus mirata tentauit. Quã cum omnino ſuis nodis firmiſſimus ſicut fuerat cõperiſſet aſtrictam, crepuiſſe atq; exiliuiſſe annulũ ſuſpicata eſt. Qui etiã ipſe cum integerrimus fuiſſet inuẽtus, futurę ſalutis quodãmodo pignus de tanto miraculo ſe accepiſſe præſumpſit, atq; illud uinculũ ſoluens, ſimul cũ eodem annulo proiecit in flumen. Non credẽt hoc qui etiã
B dominum Ieſum per integra uirginalia matris enixum, & ad diſcipulos oſtijs clauſis ingreſſum fuiſſe nõ credunt. Sed hoc certe quęrant. Et ſi uerũ inuenerint, credãt. Clariſſima fœmina eſt, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat, ampla ciuitas, ampla p̃ſona, rẽ quærẽtes latere nõ ſinunt.

Vnum eſt apud nos factũ non maius q̃ illa quæ dixi: ſed tam clarum atq; illuſtre miraculũ, ut nullũ arbitrer eſſe Hipponenſium, qui hoc nõ uel uiderit uel didicerit, nullũ qui obliuiſci ulla ratione potuerit. Decem quidam fratres fuerũt, quorũ ſeptẽ ſunt mares, tres fœminę, de Cęſarea Cappadociæ ſuorum ciuiũ non ignobiles: maledicto matris recenti patris eorũ obitu deſtitutę, quę iniuriam ſibi ab eis factam acerbiſſime tulit, tali pœna ſunt diuinitus coerciti, ut horribiliter quaterenť omẽs tremore membrorũ. In qua fœdiſſima ſpecie oculos ſuorum ciuiũ non ferẽtes, q̃ traquauerſum cuiq; ire uiſum, toto penè uagabanť orbe Romano. Ex his etiã ad nos uenerunt duo, frater et ſoror, Paulus et Palladia, multis alijs locis miſeria diffamante iam cogniti. Venerunt autem ante paſcha fermè dies quindecim, Eccleſiam quotidie & in ea memoriam glorioſiſſimi Stephani frequentabãt, orãtes ut iam ſibi placareť deus, & ſalutem priſtinam redderet. Venit & paſcha, atq; ipſo die dominico mane cum iam frequens populus præſens eſſet, & loci ſancti cancellos ubi martyrium erat, idem iuuenis orans teneret, repente proſtratus eſt, & dormienti ſimillimus iacuit, nõ tamen tremẽs, ſicut etiã
C per ſomnum ſolebat. Stupentibus qui aderant, atque alijs pauentibus, alijs dolẽtibus, cum eũ quidam uellẽt erigere, nõnulli prohibuerunt, & potius exitum expectandũ eſſe dixerũt. Et ecce ſurrexit & non tremebat, quoniã ſanatus erat, & ſtabat incolumis intuens intuẽtes. Quis ergo ſe tenuit à laudibus dei? Clamantiũ gratulantiumq; uocibus Eccleſia uſquequaq; completa eſt. Inde ad me curritur, ubi ſedebam iam proceſſurus, irruit alter q̃ſque poſt alterũ, omnis poſterior quaſi nouũ quod alius prior dixerat nũciantes, meq; gaudente, & apud me deo gratias agente, ingreditur etiam ipſe cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigiť ad oſculum meum. Procedimus ad populum, plena erat eccleſia, perſonabat uocibus gaudiorũ, Deo gratias, deo laudes, nemine tacẽte, hinc et inde clamantium. Salutaui populũ, & rurſus eadẽ feruentiori uoce clamabãt. Facto tãdem ſilẽtio, ſcripturarum diuinarũ ſunt lecta ſolennia. Vbi aũt uentũ eſt ad mei ſermonis locũ, dixi pauca pro tẽpore, & pro illius iocunditate lætitiæ. Nobiſcum homo prandet, & diligenter nobis omnẽ ſuę fraternæq; ac maternæ calamitatis indicauit hiſtoriã. Sequenti itaq; die poſt ſermonẽ redditũ, narrationis eius libellum in craſtinum populo recitandum promiſi. Quod cũ ex dominico paſchę die tertio fieret, in gradibus exedrę, in qua de ſuperiore loquebar loco, feci ſtare ambos fratres. Cũ eorum legeretur libellus, intuebatur populus uniuerſus ſexus utriuſq; unũ ſtãtem ſine deformi motu, alterã in membris omnibus contrementẽ: & qui ipſum nõ uiderant, quid in eo diuinę miſericordiæ factũ eſſet, in eius ſorore cernebant. Videbãt enim quid in illo gratulandum, quid pro illa eſſet orãdũ. Inter hæc recitato eorũ libello, de conſpectu populi eos abire præcepi, & de tota ipſa cauſa aliquanto diligentius cœperam diſputare. Cũ ecce me diſputãte, uoces aliæ de memoria martyris nouę gratulationis audiuntur, cõuerſi ſunt eò qui me audiebant, cœperuntq; cõcurrere. Illa enim ubi de gradibus deſcendit, in quibus ſteterat, ad ſanctum martyrem orare perrexerat. Quæ mox ut cancellos attigit, collapſa ſimiliter uelut in ſomnũ ſana ſurrexit. Dũ ergo requireremus quid factũ fuerit, unde ille ſtrepitus lætus extiterit, ingreſſi ſunt cum illa in baſilicam ubi eramus, adducentes eam ſanam de martyris loco. Tum uero tantus ab utroq; ſexu admirationis clamor exortus eſt, ut uox continuata cum lachrymis non uideret poſſe finiri: perducta eſt ad eum locũ, ubi paulo ante ſteterat tremens, exultabant eam ſimilẽ fratri, cui doluerãt remanſiſſe diſſimilem: & nondum fuſas preces ſuas pro illa, iam tamen pręuiã uolũtatem tam cito exauditam eſſe cernebant. Exultabant in dei laude uoce ſine uerbis tãto ſonitu, quantũ noſtrę aures ferre uix poſſent. Quid erat in cordibus exultantiũ, niſi fideles Chriſti, p̃ quo Stephani ſanguis effuſus eſt? Cui niſi huic fidei atteſtanť iſta miracula, in qua prædicatur Chriſtus reſurrexiſſe in carne, & in cœlũ aſcendiſſe cum carne? Quia & ipſi martyres huius
D fidei martyres, id eſt, huius fidei teſtes fuerunt.

DE SANCTO IOANNE Apoſtolo.

In feſto ſancti Ioãnis Apoſtoli & Euangeliſtę, Homilia de eo quod ſcriptũ eſt in Euãgelio eiuſdem, Dixit Ieſus Petro, Sequere me &c. quæ habetur in expoſitione doctoris, ibidem.

DE SANCTIS INNOcentibus.

In feſto ſanctorum innocentum, Sermo I SERMO VIII

C REDIMVS Iudæis quia notus aliquando in Iudæa deus, & ipſi id negant, propter quod credimus quia non patrẽ nouerunt qui filium negãt. Vnum dominum cõmunis natura teſtať, quia unus eſt mũdus. Vnũ deum ſignificat, q̃a una eſt fides noui & ueteris teſtamẽti.

Vnum ſpiritum ſanctũ gratia teſtaẽ, quia unũ baptiſmũ in nomine trinitatis, dum prophetę dicũt, Apoſtoli audiunt. Vnum deum magi crediderũt, aurũ, thus, & myrrhã ſupplices ad Chriſti cunabula detulerũt. Aurũ & thus & myrrha, paſtores, magi, machęra, ut cruẽtis uictimis infantium æterna repleantur altaria, ubi cum paruuli uictimanẽ, matres miſeræ lamentanẽ. Naſcente domino, luctus cœpit, non cœlo, ſed mundo. Indicitur matrib. lamentatio, angelis exultatio, infantibus trãſmigratio. Deus eſt qui natus eſt, innocentes illi debenẽ uictima, qui uenit damnare mũdi malitiã. Agnelli debent immolari, quia agnus futurus eſt crucifigi, qui tollit peccata mundi. Sed oues ululant matres, quia agnos perdũt ſine uoce balantes. Grande martyriũ, crudele ſpectaculum. Eximiẽ machę ra, & nulla interuenit cauſa. Sola ſtridet inuidia, cum qui natus eſt nulli faciat uiolẽtiam. Sed oues
Hier. 31 cernimus matres, q̃ ſuperãt agnos lugentes. Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus magnus. Pignora ſũt nõ credita ſed creata, nõ depoſita ſed expoſita. Teſtis eſt ipſa natura, quæ pugnabat in martyres, cũ tyrannus iactaret infantes. Mater crines capitis diſſipabat quę ornamẽtũ capitis amittebat. Quãtis modis infantẽ uolebat abſcõdere, et ipſe ſe infantulus publicabat. Neſciebat tacere, qa necdũ didicerat formidare. Pugnabat mater et carnifex. Ille trahebat, illa tenebat. Ad carnificẽ mater clamabat, Quid ſeparas à me, quem genui ex me? Vterus genuit, nõ mãſit ille cum uixit, ubera mea fruſtra lacte cõtorquet, caute portaui quẽ à te uideo manu crudeli iactari. Modo eũ effuderũt uiſcera mea, & tu elidis ad terrã. Alia acclamabat mater, cũ exactor latro nõ cõpelleret ſimul occidi cũ paruulo matrẽ, ut qd me dimittis inanẽ? Si culpa eſt, mea eſt. Si nõ eſt crimẽ, iũge mortẽ, & libera matrẽ. Alia dicebat, Quid queritis? Vnũ quæritis, & multos occiditis, & ad unũ q̃ unus eſt attingere nõ poteſtis. Alia cõtra clamabat, Veni iã, uenì ſaluator mũdi. Quãdiu quereris, nullũ times, uideat te miles, & noſtros non occidat infantes. Miſcebaẽ lamentatio matrum, & ad cœlum tranſibat oblatio paruulorũ. Sed ille qui agnũ tentauit, ipſe per Herodẽ agnulos iugulauit. Manet authori & miniſtro ſuppliciũ, diaboli & Herodis iudicium, cum iſta reſurrectio cœperit mortuorũ. Herodes quid putas acturus eris, quando cõtra te tãtorum claſſes infantium iudiciale cœperint exercere litigium? Inuenies clarã linguã, magnã uocem, menſuram perfectã, omẽs iuuenes cãdidatos, in mẽſurã ętatis plenitudinis Chriſti fulgẽtes. Cũ ſtare cœperint ante eũ, quẽ putaueras occidẽdũ, pro quo fuderũt ſanguinẽ precioſum, Ipſum uidebis throno igneo pręſidentẽ, illos ſoliũ dominicũ circumdantes, cãdore rubeo ſplẽdentes, ꝓpter cãdidam ætatẽ & ſanguinẽ paſſionis. Quid acturs es, quid dicturus? Tacebis reus, dũ tantus cantabit exercí-
Apoc. 1 tus ſanctorũ, Vindica ſanguinẽ ſeruorũ tuorum q̃ effuſus eſt. Introeat in cõſpectu tuo gemitus cõpeditorum, ipſo iuuãte qui cũ patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat p omnia ſecula ſeculorũ, Amẽ.

In eodem feſto. Sermo II

A HRISTO igitur ſecundum prophetiæ fidẽ SER. IX
C nato in Bethleem Iudæ, temporibus Herodis regis, de Orientis partibus aduentantes quidam uiri ex magorum gente, percontantur ab Herode ubi nã eſſet rex qui nuper natus eſt Iudęorum, affirmãtes uidiſſe ſe ſtellam eius in Oriente, quæ ſibi etiam dux itineris extitiſſet: cauſam uero tantæ properationis adorandi ac uenerãdi nuper æditi regis eſſe. Quibus ille auditis incredibiliter deterretur, timens & uerens ne ſtatus ſui periclitaretur imperij, aduocatis accerſitiſq̃ legis doctoribus requirens percontatur, ubi nam Chriſtum naſci ſperarent. Vbi uero ex Micheæ oraculis locus natiuitatis eius apud Bethleẽ deſignatus eſt, uno
B præcepto rex omnes lactantes pueros, nõ ſolum apud Bethleẽ, ſed & in omnibus eius finibus à biminis & infra, ſecundum tempus quod explorauerat à magis interimi iubet, ſi q̃ modo etiam Ieſum cũ æquæuis poſſet extinguere. Sed prẽuenit regis inſidias puer abductus in Aegyptũ, parẽtibus de dolo regis angelo prænũtiante cõmonitis. Deceptus itaq̃ Herodes rex & illuſus à magis, mittit in Bethleẽ & in omnes fines eius, ut interficianẽ pueri à bimatu & infra. Occiduntur pro Chriſto paruuli, pro iuſtitia moritur innocentia. Quàm beata ætas, quæ necdũ Chriſtũ poteſt loqui, & iam pro Chriſto mereẽ occidi. Nondum opportuna uulneri, & iam idonea paſſiõi. Quàm feliciter nati, quibus in primo naſcẽdi limine ęterna uita obuiã ue-
C nit. Incurrunt quidẽ inter ipſa primordia acceptæ lucis periculum, & finem ſalutis, ſed de ipſo protinus fine capiũt principia ęternitatis. Immaturi quidem uidentur ad mortem, ſed feliciter moriuntur ad uitam. Vix dum guſtauerant pręſentem, ſtatim tranſeunt ad futurã. Nondũ ingreſſi infantiæ cunas, & iam peruenìunt ad coronas. Rapiũtur quidem à cõplexibus matrum, ſed reddũtur gremijs angelorũ. Nihil ergo egiſti ferociſſimæ auſteritatis audacia, potes martyres facere, Chriſtum non potes inuenire. Putabat ſe infelix tyrannus domini ſaluatoris aduẽtu regali ſolio detrudendũ, Sed non ita eſt. Non ad hoc uenerat Chriſtus, ut alienam gloriã inuaderet, ſed ut ſuã donaret. Non, inquam, ad hoc uenerat Chriſtus, ut regnũ terreſtre
D pręriperet, ſed ut cœleſte donaret. Nõ uenerat ad poteſtates dignitatesq̃ rapiendas, ſed ad cõtumelias & iniurias perferendas. Nõ ad hoc uenerat, ut ſacrum illud caput ad diadema gemmatũ, ſed ut ad coronã ſpineam præpararet. Non, inquam, ad hoc uenerat, ut conſtituereẽ ſupra ſceptra magnificus, ſed ut crucifigereẽ illuſus. Naſcẽte ergo domino conturbatur Herodes, & omnis Hieroſolyma cum eo. Quid mirũ, ſi pietate naſcente perturbeẽ impietas? Ecce iacẽtem in præſepio pertimeſcit armatus, cõtremiſcit humilem rex ſuperbus, obuolutum pãnis metuit purpuratus, cum ſimu-
latione alloquitur magos, Ite, inquit, requirite de Matt. 2
puero, & cũ inuenerìtis renũciate mihi, ut & ego ueniẽs adorem eum. Simulabat adorare ſe uelle, quem conabatur occidere. Sed non timet ueritas

falſitatis inſidias. Quàm cęca feritas, quę credebat quòd deprehẽdere dominũ fraudib. poſſet. Ecce A
cuius terra cœlumq̃ oſtendebat aduentum, qa paſtorum uon latebat ſimplicitatem, quẽ angeli de extrema uenientes Aethiopiæ parte merentur agnoſcere, dolis ſuis ad illum non poteſt rex ſacrilegus peruenire. Fallitur ergo ſtulti furor tyranni, Chriſtum non poteſt inuenire perfidia, quia deus non crudelitate ſed credulitate quærẽdus eſt, qui uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In eodem feſto. Sermo III

SERMO X H ODIE fratres chariſſimi natalẽ illorum infantium colimus, quos ab Herode crudeliſſimo rege interfectos eſſe Euãgelij textus eloquitur. Et ideo cum ſumma exultatione gaudeat terra cœleſtium militum, & tantarum pa
B rens fœcunda uirtutũ. Ecce profanus hoſtis nunquam beatis paruulis tantũ prodeſſe potuiſſet obſequio, quantũ profuit odio. Nam ſicut ſacratiſſimum pręſentis diei feſtũ manifeſtat, quãtũ in beatos paruulos iniquitas abũdauit, tantum in eis gratia benedictionis refudit. Beata es ò Bethleem terra Iuda, quę Herodis regis immanitatem in puerorum extinctione perpeſſa es, quæ ſub uno tempore candidatã plebem imbellis infantiæ deo offerre meruiſti. Digne tamen natalem illorũ colimus, quos beatius æternæ uitæ mũdus ædidit, q̃ quos maternorum uiſcerum partus effudit. Siquidẽ antè uitæ perpetuæ adepti ſunt dignitatẽ, q̃ uſuram præſentis acceperint. Aliorum quidem precioſa mors martyrum laudem in cõfeſſione promeruit,
C horum in conſummatione complacuit. Quia incipientis uitæ primordijs ipſe eis occaſus initiũ gloriæ dedit, qui præſentis terminũ impoſuit. Quos Herodis impietas lactantes matrum uberibus abſtraxit, qui iure dicũtur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, uelut primas erumpẽtes Eccleſiæ gemmas quędam perſecutionis pruina decoxit. Et ideo dignum eſt interfectis pro Chriſto infantibus honores impendere, ceremonias, nõ dolores, ſacramentis dare uota non lachrymas, quia ipſe illis fuit cauſa pœnę, qui extitit & coronę, ipſe odium cauſę, qui præmium. Paran te aũt Herode paruulis necẽ, Ioſeph per angelum admonetur, ut Chriſtũ dominum noſtrum in Ae-
D gyptum trãsferat, Aegyptũ idolis plenam. Nam poſt Iudæorum perſecutionem & ad occidẽdum Chriſtũ profanę plebis aſſenſum, Chriſtus ad gentes idolis deditas tranſire dignatur, & Iudęã relinquens ignorãti ſeculo colendus infertur. Et quia ex ſcripturis diuinis fratres chariſſimi, bonos & iuſtos uiros perſecutionem malorũ ſemper ſuſtinuiſſe cognoſcimus, ſi diligenter cõſideramus, inueniemus illos maiora ſupplicia ſuſtinere. Omis eẽ homo qui aliũ in corpore perſequitur, prius ipſe in corde perſecutionẽ ſuſtinere cognoſciẽ. Nam ſi etiam illi quẽ perſequiẽ aliquid de ſubſtãtia ſua tulerit, maius ſibi ipſe diſpendium facit, quia nemo habet iniuſtum lucrum ſine iuſto damno. Vbi lucrum, ibi & damnũ: lucrum in arca, damnum in cõſciẽtia. Tulit ueſtẽ, & perdit fidẽ: acquirit pecuniam, & perdit iuſtitiã. Sed hoc homines ideo faciunt, quia diem nouiſſimũ attendere nolunt. Si eẽ diem mortis ſuę cogitare iugiter uellent, animum ſuum ab omni cupiditate uel malitia cohiberent. Sed quod modo nolũt ſalubriter cogitare, neceſſe habẽt poſtea ſine ullo remedio ſuſtinere. Veniet eẽ illis dies nouiſſima, ueniet dies iudicij, quãdo eis nec pœnitẽtiã licebit agere, nec bonis operibus ſe ab æterna morte poterũt redimere: quia percutiẽ etiã hac animaduerſiõe peccator, ut moriens obliuiſcatur ſui, qui dum uiueret oblitus eſt dei. Veniet dies iudicij, quando mouebunẽ fundamenta montiũ, & ardebat terra uſq̃ ad inferos deorſum, quando cœli ardentes ſoluenẽ, quando ſol obſcurabiẽ, & luna non dabit lumen ſuũ, quan
B do ſtellę cadent de cœlo, quãdo peccatores & impij mittenẽ in ſtagnum ignis, & fumus tormentorum illorũ aſcẽdet in ſecula ſeculorum, ubi fletus & ſtridor dentiũ. Veniet tempus fratres chariſſimi, quãdo nulli bono erit male, nulli malo erit bene. Veniet, inquã, nouiſſima dies, quãdo diſcernũtur pij ab impijs, iuſti ab iniuſtis, laudatores dei à blaſphematoribus dei. Veniet & quãdo diſcernũ- Hæc ſupra
tur, ut nulli, ſicut dictũ eſt, bono ſit male, nulli malo ſit bene. Quare ergo modo nõ ſic? Forte & modo ſic. Sed quod nũc eſt in occulto, tũc erit in manifeſto. Lege ſcripturã diuinã, ingredere mecũ, ſi potes, in ſanctuarium dei: forte ibi, ſi poſſum, docebo te, imò diſce mecũ ab eo qui docet me, etiã nũc non eſſe malis bene, & melius eſſe bonis q̃ malis,
C quamuis nondum uenerit bonorũ plena felicitas, nondumq̃ uenerit malorum pœna nouiſſima. Si legem dei diligenter attendis, forte intelligis mecum non eſſe bene malis. Rogo enim te, & quero abs te, tibi quare male eſt? Reſponſurus es, Egeſtas angit, premit difficultas, dolor fortaſſe membrorũ, timor ab inimico. Tibi ideo male eſt, quia pateris mala, & bene eſt illi qui eſt ipſum malum? Multum intereſt inter malũ pati, & malum eſſe. Tu quod pateris non es, malum enim pateris, ſed tu malus non es: Ille hoc malum non patiẽ, & malus eſt. Noli ergo falli. Non poteſt fieri ut tibi male ſit, quia pateris malũ, & illi bene ſit q̃ eſt malus. Cum enim malus eſt, putas quia non patitur malum, cum patitur ſeipſum? Tibi male eſt quia ma-
D lum alienũ pateris in corpore tuo: & illi bene eſt, qui malũ ſeipſum patitur in corde ſuo? Tibi male eſt, qui forte malam habes uitam: & bene eſt illi, qui malam habet animam? Eſto bonus qui habes bona. Bonæ ſunt diuitiæ, bonum eſt aurũ, bonum eſt argentum, bonæ familiæ, poſſeſſiones. Omnia iſta bona ſunt, ſed unde facias bene, non quę te faciant bonum. Habeto bona, quæ te faciant bonũ. Quæ ſunt, inquis, iſta? Fac iudicium & iuſtitiam. Bona ſunt quæ habes, Fac iudicium & iuſtitiam. Eſto et tu bonus inter bona tua, erubeſce bonis tuis. Eſto bonus manſurus inter bona peritura, erubeſce bonis tuis. Noli eſſe malus in eis, ne pereas cum eis. Ita ergo aurum & argentũ diſtribuit hominibus conditor rerum et adminiſtrator deus, ut ipſum per ſe natura & genere ſuo bonũ ſit, copig

uero eius non extollat bonos, nec elidat inopia. Malus autem homo, et cum offertur excęcatur, & cum aufertur excruciatur: quia & cum acquiruntur diuitiæ falsam lætitiam tribuunt, & cum perduntur, ueram tristitiam derelinquunt. Discamus amare ueras diuitias, id est, castitatem & iustitiã, pacem & misericordiam. Istæ enim iuste dicuntur diuitiæ, quia bonis meritis iustisq; tribuuntur: illæ ueræ dicuntur diuitiæ, quia quisquis eas habuerit non egebit, dum iuxta Apostolum, habens uictum & uestitum his contentus est. Istas uero terrenas diuitias, iniustũ est putare diuitias, quæ non auferunt egestatem. Tanto enim magis quisq; ardebit egestate auaritiæ, quãtomagis eas diligens maiores habuerit. Quomodo ergo sunt diuitiæ, quibus crescit inopia, quæ amatoribus suis quantum fuerint ampliores, non afferũt satietatem, sed inflammãt cupiditate diuitem? Tu putas quia minus indigeres, si minus haberes. Vnde bene quidam dixit, Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Cum pecuniæ enim incremento rabies cupiditatis augetur. Nam omnes auari uel cupidi uelut hydropis morbo ęgrotare uidentur. Quomodo enim hydropicus, quantum plus bibit, tantum amplius sitit, ita auarus uel cupidus acquirendo non satiatur. Nos uero fratres cogitantes peregrinos nos & hospites esse in hoc seculo, hoc tantum quod ad uictum & uestitũ opus est nobis in itinere uitę istius reseruemus, & quantũ possumus in æternam beatitudinem per eleemosynam pauperum dirigamus, ut cum in die iudicij cupidi & auari pro sterilitate bonorũ operũ audire meruerint, Discedite à me maledicti in ignem ęternum: nos pro bonis operibus audire possimus, Venite benedicti, percipite regnum, quia esuriui, & dedistis mihi mãducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: nudus fui, & operuistis me. Ad istam benedictionem uos dominus sub sua protectione perducat, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Matt.25

In eodem festo, Sermo IIII

SERMO XI

QVOTIESCVNQVE fratres sanctorum martyria celebramus, toties laudes saluatoris edicimus: & quoties eorũ asserimus passiones, toties Christi gloriam prædicamus. Nõ enim suspicimus quod passi sunt, sed propter quẽ passi sunt admiramur. Igit̃ non pœna in laude, sed fides est in honore. Magnificamus ergo martyres, sed præcipue illos qui nascente Christo in ipso exordio non loquẽdo sed moriendo confessi, ad regna perpetua cęteros præuenerũt. Videte autem quem ijdem locum apud homines mereãtur, qui apud deũ locum sub altario meruerunt. Dicit em̃ scriptura sancta. Vidi em̃ sub ara dei animas occisorum propter uerbũ dei, & propter testimonium Iesu quod habebant. Sub ara, inquit, dei uidi animas occisorum. Quid reuerentius, q̃d honorabilius dici potest, q̃ sub illa ara regescere, in qua deo sacrificiũ celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua dominus est sacerdos, sicut scriptũ est, Tu es sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedech? Recte sub altario iustorũ animę requiescũt, quia super altare corpus domini offertur. Nec immerito illic iusti uindictã sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effundit̃. Conueniẽter igitur, & quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors domini quotidie celebrat̃, sicut ipse ait, Quotiescunq; hæc feceritis, mortẽ meam annũciabitis donec ueniã: scilicet ut qui propter mortẽ eius mortui fuerãt, sub sacramẽti eius mysterio requiescãt. Non immerito, inquam, consortio quodã illic occisis tumulus constituit̃, ubi occisionis dominicæ membra ponunt̃, ut quos cum Christo unius passionis causa deuinxerat, unius etiã loci religio copularet. Legimus pleroq; iustorũ Abrahę sinibus refoueri, nõnullos paradisi amœnitate lętari, nemo tamen melius pręter martyres meruit, hoc est ibi requiescere, ubi & hostia Christus est & sacerdos, scilicet ut ppitiationẽ de oblatione hostię cõsequantur, & benedictionem functionemq; sacerdotis accipiant. Inter cęteros igit̃ martyres, quos sub ara dei cõsistere prædicamus, etiã beatos illos infantum lactãtium pro Christo primitias martyrum laudemus, qui nõ loquẽdo, sed moriẽdo confessi coronas meruerũt, Neq; enim dubitandũ est eos in martyrio plura præ cæteris exorare, qui in martyrio præ cæteris præcesserũt. Et clamauerũt, inquit Ioãnes, uoce magna, Vindica domine sanguinẽ nostrum. Et data sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictũ est illis ut quiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus fratrum & conseruorum eorum. Oritur quæstio in hoc loco, cur sancti iam cum domino manentes uindictam de inimicis expetant, cum dominus in Euangelio dicat: Diligite inimicos uestros & orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Sed sciendum quia illi sancti iã in conspectu creatoris sui consistentes uident uoluntatẽ illius, & ideo ab ipso accipiũt quod eum uelle facere nouerunt, & de ipso bibunt quod de ipso sitiunt. Petunt autẽ uindictã de inimicis duob. modis, & hoc causa charitatis: ut scilicet qui ad uitam æternã prædestinati sunt, conuertant̃ à malo ad bonum: qui uero præsciẽte deo damnandi sunt, moriant̃ & peccare desistãt, ut per hoc minorẽ pœnam in inferno habeãt, ubi unusquisq; secũdum qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarũ. Petunt aũt de reprobis uindictã, quia optãt uenire diem extremi iudicij, & resurrectionẽ suorum corporum prestolantur. Et data sunt illis singulæ stolę albæ: per stolas albas debemus intelligere mercedẽ baptismi, præmium martyrij, mercedẽ æternorũ, & gaudiũ cœlestis patriæ. Habent ergo ante resurrectionẽ sancti singulas stolas, quia in sola anima adhuc æternis beatitudinibus perfruunt̃: postea aũt accepturi sunt binas, quando receptis corporibus immutabiles erũt in anima, & incorruptibiles in corpore. De hoc Esaias, In terra sua duplicia possidebũt. Et dictũ est illis ut quiescerent tẽpus adhuc modicũ, donec impleat̃ numerus cõseruorũ et fratrũ eorũ, Dictio ista inspiratio est diuina, qua mẽtib. eorũ desiderãtibus diẽ iudicij, immittit̃ uirtus patiẽtiæ, ut patienter

Apoc.6

Psal.110

1.Cor.11

Matt.5

Esa.61

patiẽter ferant omnia, expectãtes numerũ illorum qui similiter interficiẽdi sunt pro Christo, cum eis postmodũ regnaturi, ut qui desiderãt recipere sua corpora, gaudeãt ex numero colligendorũ fratrũ. Tali modo loquitur deus omnipotens sanctis, ueluti quilibet paterfamilias habẽs multos filios, singulisq; de agro reuertentibus & rogantibus, ut cibum sibi tribuat, respõdet, Refectio quidẽ uestra parata est, sed expectate fratres uestros, ut cum in unum positi fueritis, omnes in commune comedatis & epulemini gaudentes, quia interficiẽdi sunt & illi, uel aperto scilicet martyrio uel occulto. Dicit ergo illis uindictã postulantib. post datum munus, ut quiescant atq; sustineant, donec compleat̃ numerus conseruorũ illorum. Videtis igitur quoniam propter nos martyrũ uindicta differtur. Dũ enim nos retardamus, horum sanguis inultus est. Sed hoc contingit nostra desidia, qui non, sicut dictum est, religiose uiuimus: q̃ non pie, sicut cõgruit, operamur. Nam si bonorũ operum ad dñm iustitia nostra pręcederet, iam conseruorũ numerus qui expectatur esset cõpletus. Nulli autẽ dubium est, uindictam post iudiciũ martyres percepturos, qui etiam ante iudiciũ pręmijs cœlestibus honorãtur. Vnde oportet fratres charissimi q̃a primitias martyrũ hodierna festiuitate ueneramur, de æterna quę in cœlis est martyrũ festiuitate sedule cogitemus, eorumq; uestigia, inquantũ possumus, sequẽdo, & ipsi eiusdem festiuitatis supernæ participes existere curemus, testãte Apostolo, Quia si socij passionũ fuerimus, simul & cõsolatiõis erimus: nec tã de morte eorũ lugeamus, q̃ de iusta palmæ perceptione lætemur. Si quidẽ singulos eorũ cum per tormenta pellerent̃ ex hac uita, Rachel gemebunda, id est, ecclesia gemit luctu lachrymisq; persecuta: sed iam hinc expulsos superna Hierusalẽ, quæ est mater omniũ nostrum, mox in aliam uitã obuijs lętitiæ ministris excepit, atq; in gaudiũ domini sui ppetuo coronãdos introduxit. Vnde dicit Ioannes, Stabant ante thronũ in cõspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manib. eorũ. Stant em̃ modo ante thronũ dei coronati, qui quõdam ante thronũ iudicum terrenorum iacebant pœnis astricti. Stant in conspectu agni nulla ratione illic à contẽplanda eius gloria separandi, à cuius hic amore nec per supplicia poterãt separari. Stolis fulgent albis, & palmas in manibus habẽt, quia præmia in operibus habent, dum corpora quæ pro domino ignibus ustulari, ac bestijs dilacerari, flagris absumi, per pręcipitia dissolui, ungulis abradi, omnimodo pœnarum genere passi sunt dissipari, per resurrectionẽ glorificata recipiunt. Et clamabant, inquit, uoce magna, dicẽtes, Salus deo nostro, qui sedet super thronum, & agno. Magna uoce salutẽ deo decantãt, qui magna gratiarum actione recolunt, non sua se uirtute, sed ipso auxiliante, tribulationum impugnãtium superasse certamina. Dicit iterum eorũ & præteritos agones, & coronas describens perpetuas, Hi sunt qui uenerunt de tribulatione magna, & lauerũt stolas suas, dealbauerũt eas in sanguine agni. Stolas q̃ppe martyres in sanguine agni lauerũt, dum membra sua, quæ oculis insipiẽtium uisa sunt pœnarum squalore fœdari, sic potius fuso pro Christo sanguine ab omnibus mundauere contagijs, insuper & beata immortalitatis luce digna reddidere, quod est etiam lotas habuisse stolas in sanguine agni. Ideo sunt, inquit, ante thronum dei, & seruiunt die ac nocte in templo eius. Non est laboriosa, sed amabilis & optãda seruitus in dei laudib. perpetuo assistere, Dies quippe & nox non uicissitudinẽ temporis proprie, sed perpetuitatem tropice significãt. Nox enim non erit illic, sed dies una melior in atrijs Christi super milia. In qua non plorat Rachel filios suos, sed absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorũ, datq; uocem lętitię & salutis ęternæ in tabernaculis iustorum, qui uiuit & regnat deus &c.

Apoc.7

DE SANCTO VINCENTIO.

In festo sancti Vincentij martyris, Sermo I

Ser.XII

INpassione quæ nobis hodie recitata est, fratres charissimi, euidẽter ostenditur iudex ferox, tortor cruentus, martyr inuictus. In cuius corpore pœnis uarijs exarato, iã tormenta defecerant, & adhuc mẽbra durabant. Tot cõuicta miraculis persistebat impietas, tot uexata supplicijs non cedebat infirmitas. Agnoscatur ergo operata diuinitas. Quando enim corruptibilis puluis contra tam immania tormenta duraret, nisi in eo Christus habitaret? In his enim omnibus ille agnoscendus, ille glorificandus, ille laudãdus est, qui & in prima uocatione dedit fidẽ, & in suprema passione uirtutem. Vultis nosse quia utrunq; donatum est? Audite apostolũ Paulũ, Vobis, inquit, datum est pro Christo nõ solũ ut credatis in eum, uerumetiã ut patiamini pro eo. Acceperat utraq; hęc beatus Vincẽtius leuita, acceperat et habebat. Si em̃ nõ accepisset, quid haberet? Habebat in sermone fiduciã, habebat in passione tolerãtiam. Nemo ergo de suo corde prę̃sumat, quãdo profert sermonem, nemo de suis uiribus cõfidat quando suffert tentationem: quia ut & bona prudenter loquamur, ab illo est, nõ nostra sapientia: & ut mala fortiter perferamus ab illo est, non nostra est patientia. Recolite dominũ Christum suos in euãgelio discipulos admonentẽ. Recolite martyrum regem cohortes suas armis spiritalibus instruentẽ, bella mõstrantẽ, adiutoria ministrantem, præmia pollicentem, quia cũ dixisset discipulis suis, In hoc mundo pressuram habebitis: mox unde territos consolaretur, adiunxit dicens, Sed confidite, quia uici mundum. Quid ergo miramur charissimi, si in illo Vincentius uicit, à quo uictus est mũdus? In hoc, inq̃t, mundo pressurã habebitis, ut si premit non opprimat, si oppugnat nõ expugnet, Duplicem mũdus aciem producit contra milites Christi. Blanditur ut decipiat, terret ut frangat. Non nos teneat uoluntas propria, nõ nos terreat crudelitas aliena, & uictus est mundus. Ad utrosque aditus occurrit Christus, & non uincitur Christianus. Si consideretur in ista passione humana patiẽtia, incipit esse incredibilis si agnoscatur diuina potentia, desinit

Philip.1

Ioan.16

esse mirabilis.Tãta grassabatur crudelitas in mar-
tyris corpore,& tanta tranquillitas proferebatur A
in uoce,tãtaq; pœnarũ asperitas sæuiebat in mẽ-
bris,ut miro modo putaremus Vincentio patien-
te alium loquentem non torqueri. Et uere fratres
charissimi ita erat.Prorsus ita erat.Alius loqueba-
tur. Promisit enim & hoc testibus suis Christus in
Euangelio,quos ad huiusmodi certamina prępa-
Matt.10 rabat.Sic enim ait, Nolite pręmeditari quomodo
aut quid loquamini. Nõ enim uos estis qui loqui-
mini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uo-
bis. Caro ergo patiebatur, & spiritus loquebatur.
Et loquente spiritu non solum conuincebatur im
pietas,sed etiam confortabatur infirmitas.Clario-
rem nobis martyrem tot tormenta faciebãt. Mul-
tiplici enim uulnerum uarietate cõfossus non de- B
ferebat pugnam,sed acrius iterabat.Putares quòd
eum duraret flamma, non ureret, & tanquam fi-
guli fornax lutum molle suscipiens,duram redde-
ret testam.Poterat martyr noster dicere Daciano,
Iam non uret ignis tuus carnem meam, quia exa-
ruit sicut testa uirtus mea, & quomodo scriptum
est ueraciter, Vasa figuli probat fornax,& homi-
nes iustos tentatio tribulationis. Probatus atque
decoctus illo igne Vincentius,Dacianus uero ar-
sit & crepuit. Si enim non ardebat, unde crema-
bat? Quid enim erant uerba irascentis, nisi fumus
ardentis? Ergo martyri nostro refrigerium in cor-
de habenti, flammas extrinsecus admouebat, sed
ipse facibus furoris accensus, tãquam clibanus in
tus ardebat, & habitatorem suum diabolum con- C
cremabat. Per furiosas enim Daciani uoces, per
truces oculos, & minaces uultus, & totius cor-
poris motus ille habitator eius interior moueba-
tur, & per hæc signa uisibilia tãquam per sui ua-
sculi, quod impleuerat, crepantes rimulas,prode
batur. Non tãtum martyrem cruciabant plurima
tormenta,quantum illum uastabat insania. Sed iã
fratres illa omnia transierũt,& ira Daciani,& pœ-
na Vincentij.Nunc autem pœna Daciano, coro-
na uęro manet Vincentio. Denique his pręmissis
futuræ uidelicet retributiõis finibus, etiam in hoc
mundo martyrum gloriam demonstremus. Quæ
hodie regio, quæue prouincia ulla quousque uel
Romanum imperium,uel Christianum nomẽ ex-
tenditur, natalem non gaudet celebrare Vincẽtij D
diaconi? Quis autem hodie uel nomẽ Daciani au
disset,nisi Vincentij passionem legisset? Quod ue
ro tanta cura seruauit dominus martyris corpus,
quid aliud demonstrauit, nisi gubernasse se uiuen
tem,quẽ non reliquit exanimẽ? Vicit ergo Dacia
num uiuens Vincentius, uicit & mortuus. Viuẽs
tormẽta calcauit, mortuus maria trãsnatauit. Sed
ipse inter undas gubernauit cadauer extinctum,
qui inter ungulas animum donauit inuictum. Nõ
flexit flamma tortoris cor eius, non mersit aqua
maris corpus eius. Sed in his & huiusmodi nihil
est aliud,nisi preciosa in cõspectu domini semper
mors sanctorũ eius, cui est honor & imperium in
secula seculorum, Amen.

In eodem festo: Sermo II

VNCTORVM licet dilectissimi glorio Eruditus.
c sas martyrũ passiões, quos distincta re- Ser.XIII
gionibus loca meruerũt,una fides faciat
omnibus indiscreto honore uenerabiles: propriã
tamẽ sibi in hoc uenerationis obsequio uendicãt
dignitatẽ,qui ecclesiã dei & documentis pręcęte
ris erexerũt,& patrociniis adiuuerunt. Inter quos
iuste beatũ leuitam Vincentium,cuius cõfessione
& morte Christũ incredulis pręDicatũ incũctanter
agnoscimus, catholicis studijs celebramus, Qui
ut fideliũ deuotionẽ deo studiosius cõmẽdaret, al
tiori charitatis flammascẽs affectu, morti sese tan
dem fideliter obtulit, quo uidelicet robur fidei in
solidissima petra Christo fundatũ, sequacibus imi
tandũ daretur:necnon & semen Apostolicæ præ-
dicatiõis p eum plurib.disseminatũ ope suę inter-
cessionis tutũ,ac perfectæ cõsummatiõis fruge re
fertũ in cœlestib.demũ horreis cõderet. Hunc er-
go amplius propria uenerenť, quẽ etiã peregrina
miranť:quatenus eis se largiorẽ exhibeat in bene
ficijs,quibus se amabiliorẽ cognoscet in gaudijs:
fiatq; in eius solẽnitate uberior lętitiæ ambitus,de
quo fidei creuit effectus. Huius deniq; spiritus tã-
to uirtutũ munere claruit, ut sacri ministerij fultus
officio, qui filium dei dñm nostrũ secuturus esset
in passione,eiusdẽ Christi calicẽ credẽtibus prius
ministraret in salutẽ. Cuius haustu feliciter mente
ebriatus,rabidi hostis atq; in Christũ sæuientis in-
saniã interritus adijt,modestus sustinuit,securus ir
risit, sciẽs paratus esse ut resisteret, nesciens elatus
esse quo uinceret: quia cuius amore spiritalib. ar-
mis pręmunitus resistebat, eius adiutorio qcquid
pœnarũ in illũ feriẽtis ira excogitabat, insuperabi
lis fortiter patiendo uincebat. Ideo nõ hũc laminę
ignitæ sartaginis, nõ eculei,non ungulæ ferreæq; Lucæ 23
manus,nõ uires pauẽdę cędentiũ,nec dolor scisso
rum mẽbrorum, nõ foci fragor, & strepẽtis in pa-
tientis uisceribus salis iniectio, Daciani quiuerũt
aliquatenus subdere iussioni.Sed dũ intãtum eius
uecordię tumor excresceret,ut tãtis passionis sub
actum doloribus aut uicisse aut interemisse se lęta
bundus extolleret,suscepta spe frustratus,unde ui
ctor uisus est apparere,inde uictus cõpulsus est e-
rubescere: qm̃ quo dei martyr duriori urgebatur
pœna,eo ampliori cõfessionis exultabat cõstãtia.
Vnde ipsius passiõis uel ultima pręuidere,seu mo
rari fratres euidẽtius placet,quatenus animaduer
tat sanctitas uestra,quò diabolus suum perduxerit
dolis ministrũ, uel quomodo Christus suum in fi-
nem usq; quaq; seruauerit famulum.Ex quo illud
sanè erat mirabile,quia quãtũ iste extrinsecus mul
tiplici pœnarũ genere contritus arctabatur,tantũ
intrinsecus exultante interiori homine dilatabať:
quantumq; ille exterius iactantia tẽporalis poten
tię inflabatur, tãtum interius despici se perpendẽs
interiori uexatus homine pręfocabatur.Cõtemni
igitur se uidens sæuiebat, nec in quẽ iam uindictã
inferret inueniebat. Videbat nanq; desæuiẽtium
manus carnificum plus in eo inuenire uulneris q̃
corporis:solumq; ingentem spiritũ ei iustitiã ex-
probrare

probrare suam, quòd puocabat ueritatis normã.
Quapropter credens quòd causam confusionis a-
uerteret, si personã quę se superauerat absentaret,
minusq; Dacianus erubesceret si Vincentium po
pulus non uideret,iussit eum à publico remoueri.
Sed nec sic quidẽ caret supplicio.Contusa quò ia-
cebat testa substernitur,ut uis acuminis,concisam
molẽ superiecti corporis plus discinderet,atq; red
dita tormentis membra quæ secarent obuia susci-
perent fragmẽta.Fallitur tamen uincendi opinio-
ne cæca crudelitas,Nam diuina bonitas dilectum
suum amplius in cõfessione comitata infert nouã
tenebris lucem,& tabernaculum splendidum ob-
scurum reddit ergastulum, Fouebat laceros artus
medica dei manus, & uenustiori pristinę sanitatis
augmento fossi lateris dãna supplebat. Insolita igi
tur huius luminis claritate perculsi,obstupuere cu
stodes, quin & uocem angelis hymnum deo cõci
nentibus,mẽs pallidi ianitoris expauit.Currit ex-
animis minister ad præsidem,quẽ grauius relatio
nuncij quàm ictus percussit gladij: & cum nõ pos
set ex magnitudine rei tacere q̊d uiderat, tremor
iudicem occupat, dolor lacerat,furor inflammat:
& ne in pœnis Vincẽtius uincens gloriam marty
rij obtineret, Citius,inquit Dacianus,producatur
è carcere, ne dum insistimus rebellẽ punire,uidea
mur eum potius uictoria coronare.Profertur itaq;
ex illo tetri carceris barathro cœlesti quidẽ gratia
pulchrior,& si adhuc esset passurus robustior.Sed
ubi desiderium ad regni uocationem tẽdentis nul
lo pœnarum uel mortis genere frangẽdum intel-
ligit, iubet inuida mens lenioris strati fulcra sub-
stitui,ac blandiori eum requie confoueri, scilicet
ut si amoto paululum carnifice animã quietus ex-
halaret, diceretur non esse occisus, sed mortuus:
quasi nõ eum pœna peremerit, cum quo & pœna
simul perierit.Inter ea beatum Vincentium cœle
stis aula suscepit, ac beatæ felicitatis munere do-
nat.Ad cuius ingressum angelici lætanť spũs,om-
nesq; simul cõciues gratulantur sancti. Nosq; tibi
gratias agimus domine Iesu, quòd anima tuo di-
gna consortio quæ pertinax tulit supplicium,mẽ-
dax fugit obsequiũ: & quæ fuit contenta persecu-
tor quo fureret, sit dedignata quòd parceret. Co-
gnito igitur sancto eius abscessu,iudex insanus,&
quia Christus uicisset in Vincentio nescius Dacia
nus,illius sibi promittit cadaueris expositiõe uin-
dictã,cuius gemit ex uirtute uictoriam.Feris nãq;
& canibus decepta furoris superbia absumendum
proijci mandat lictoribus,ut tali pastu eorũ imple
ret uẽtrem,quorum ipse gerebat mentem. Sed ut
diuinis excrescentibus beneficijs maioris uictorię
Vincentio gratia conferať,mittiť coruus auis ini-
mica cadaueribus,expositas corporis dapes serua
tura ieiuna.Hinc fratres dilectissimi, hinc aduerti
te distincta meritorum obsequia. Helias quõdam
impias Achab uel Iezabelis manus caute decli-
nãs,in deserto coruis ministrantib.pasciť: assertor
autem ueritatis Vincentius Daciani rabie perem
ptus, feris exponiť consumẽdus,sed coruo famu-
3.Reg.17 lante seruatur illæsus. Obtinuit ergo Helias diui-
no nutu coruis pręstãtibus quo alereť, præstitum
A est Vincentio,obsequente quoq; coruo ne come
deretur. Qui ut cœlitus se custodem designatũ o-
stenderet,aduentantes reliquas aues eminus non
segni impetu perturbabat, inter quas immanem
quoq; lupum propius accedentẽ, ueluti qui com-
missum thesaurum sacrilega audacia attaminare
præsumeret,pennis & alis deuerberans procul ab
egit.Sed ille quod nõ tam ad inferendã uenisset in
iuriam,quàm ad augendam miraculi põpam,qua
dam sui habitudine stupidus indicabat. O impu-
dens furor,& stulta uęsania. Coruus obsequiť,lu-
pus ueneratur,Dacianus persequiť, nec erubescit
uelle se adhuc ferox perdere, quẽ mansuefacta be
stialis feritas satagebat protegere. Vnde ad occu-
B lendã martyris laudem nõ iam secretũ,sed profun
dum elegit,credẽs sibi ad delitescendã eius glori-
am non claustra fidẽ seruatura,sed maria,quasi nõ
idem elementi dñs esset,per quem dudum ei car-
ceris abdita cœlesti fulgore radiata micuisset.Da-
tur nautis mergendũ corpus in fluctibus, ut ad au
xiliũ saltem æquora proficerent,cui ad uincẽdum
Christi militem terra defecisset.Enauigatis itaque
magna ex parte freti gurgitibus proiectũ inter sor
bentes undas prępotens est dei dextera cõsecuta;
& quę spũm intulerat in cœlum,corpus mox retu
lit ad sepulchrum.Sic pręDicator ueritatis charissi
mi nec tormẽtorũ uinciť pœnis,nec tenebrosi car
ceris superatur angustijs. Non bestijs dilaniatur,
non profundo celatur, sed litori reddiť,pręconio
diffamatur: ut qui uere confessus fuerat nomẽ dei
tatis,ueritate sibi adesse experiretur diuinę suffra-
C gia bonitatis. Cuius gloriosam uirtute uitã ita pre
ciosæ mortis gratia decorauit, ut quod uiuẽdo do
cuit,moriẽdo constãter astrueret: eratq; cõsequẽs
quatenus ad eius uisionem per mortẽ attingeret,
quem probabilis uitę conuersione semper attesta
tus fuisset,sciens quòd de contẽptu præsentis uitæ
gloria surgit beatitudinis æternę, pręstante domi
no nostro Iesu Christo,qui uiuit & regnat &c.

DE SANCTI PAVLI conuersione.

In festo conuersionis sancti Pauli: Sermo I

ODIE de Actibus Apostolorum lectio Ser.XIIII
H hæc pronunciata est, ubi Paulus aposto- A
lus ex persecutore Christianorũ annũci-
D ator factus est Christianorũ.Percutiẽs eũ Christus
& sanans,occidens & uiuificans, occisus agnus à
lupis,& faciens agnũ de lupis. Ita enim erat,ut ait
pręclara prophetia,cũ Iacob Patriarcha benedice
ret filijs suis,pręsentes tangens, futura prospiciẽs.
Prædictum em̃ erat q̊d in Paulo cõtigit. Erat aũt
Paulus sicut ipse testatur de tribu Beniamin.Cum
aũt Iacob benedicẽs filios suos, uenisset ad bene-
dicendũ Beniamin,ait de illo, Beniamin lupus ra Gen.49
pax.Quid ergo? Lupus rapax semp est? Absit,sed
qui mane rapit pręDam, ad uesperas diuidit escas.
Hoc in apostolo Paulo impletũ est,quia & de illo
dictum erat. Iam si placet audiamus illũ mane ra-
pientẽ ad uesperũ escas diuidentẽ.Mane & uespe
re positę sunt p eo,ac si diceret, Prius rapiet,post
ea

Act.9 ea diuidet escas. Attēdite raptorē, Saulus, inqt, ac
ceptis epistolis à principib. sacerdotū ibat, ut ubi-
cunq; inueniret Christianos, ad sacerdotes attra-
heret & adduceret, utiq; puniendos. Ibat spirās &
Act.7 anhelās cędes: Hic est mane rapiens. Nā & quan-
do lapidatus est Stephanus primus martyr ꝑ no-
mine Christi, euidētius aderat & Saulus, & sic ad-
erat lapidantibus ut non ei sufficeret si tantū suis
manibus lapidaret. Vt enim esset in omnium lapi
dantium manibus, ipse omnium uestimēta serua-
bat, magis sęuiēs omnes adiuuādo, quàm suis ma
nibus lapidando. Audiuimus, mane rapiet: audia-
mus ad uesperā qualiter diuidat escas. Voce Chri
sti prostratus de cœlo, & accipiēs desuper interdi-
ctum iam sæuiendi, cecidit in faciem suam, prius
prosternendus, postea sanandus. Non enim in illo
postea Christus uiueret, nisi occideretur in eo q̄d
male ante uixisset. Quid ergo ꝓstratus audit? Sau
le Saule, quid me persequeris? Durum est tibi cō-
tra stimulum calcitrare. Et ille, Quis es domine?
Et uox desuper: Ego sum Iesus Nazarenus, quem
tu persequeris. Membris adhuc positis in terra ca
put clamabat in cœlo, & non dicebat quid perse-
queris fideles meos: sed quid me persequeris? Et il
le, Quid me iubes facere? Iam parat se ad obedien
dū, qui prius sęuiebat ad persequendū. Iam forma
tur ex persecutore prędicator, ex lupo ouis, ex ho
ste miles. Ouis audiat quid facere debeat. Cæcus
sanè factus, ut interiore luce fulgeret cor eius. Ex-
terior lux ad tempus subtracta est persecutori, ut
interior redderetur prędicatori: & tamē in eo tem
pore quo cætera nō uidebat, Iesum uidebat, ita &
ipsa cæcitas eius informabatur ad mysterium cre-
dentium. Quisquis in Christum credidit, ipsum in
tueri debet. Cætera creatura uilescat, & creator in
corde dulcescat. Videamus ergo. Adductus est ad
Ananiam, & Ananias interpretatur ouis. Ecce lu-
pus rapax adducitur ad ouem sequendam, non ra
piēdam: & ne rapiētem ouis expauesceret lupum,
ipse pastor de cœlo qui omnia faciebat, nunciauit
lupū uenturum oui, sed non sæuiturum: & tamen
tam immanis fama lupum illū præcesserat, ut non
posset ouis audito eius nomine nō cōturbari. Nā
cū dominus Iesus eidē Ananiæ nūciasset Saulum
uenisse, iam ut crederet ad eum Ananias ire se de-
bere, ait Ananias, Domine audiui à multis de ui-
ro hoc, quòd multa mala in sanctis tuis operatus
est, & nunc literas accepit à principibus sacerdo-
tum, ut ubicunq; inuenerit tui nominis sectatores
pertrahat. Dominus aūt ad illum, Sine, ego illi o-
stendā quāta illum oporteat pati ꝑ nomine meo.
Mira & magna res geritur. Lupo sæuitia interdi-
citur. Lupus ad ouem captiuus ducitur. Tanta au-
tem præcesserat fama lupi raptoris, ut eius nomi-
ne audito timeret ouis etiam sub manu pastoris.
Confortatur ne iam putet sæuientem, ne timeat ti
mentem. Ab agno pro ouibus mortuo, fit ouis se-
cura de lupo. Ego, inquit, illi ostendam, quanta il-
lū oporteat pati ꝑ nomine meo. Vbi terror? Vbi
salus? Quod faciebat contra nomē pastoris, patiť
pro nomine pastoris. O sęuitia, ò misericordia, Vi
des illum præparare ferrum, secaturus est, non per
A empturus. Curaturus, & non occisurus. Christus
dicebat. Ego illi ostendā quāta illum oporteat pa-
ti pro nomine meo. Sed quo fine? Ipsum qui patie
batur audite, Non sunt condignę passiones huius
temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in
nobis. Ac si dicat, Sæuiat mundus, fremat mūdus,
concrepet linguis, coruscet armis, quod potest fa-
ciat, quid faciet rei quam accepturi sumus? Appē-
do quod patior cōtra id quod spero. Hoc nūc sen-
tio, illud credo: & tamē plus est quod credo quàm
quod sentio. Quicquid est quod sęuit ꝑ nomine
Christi, si potest uiuere tolerabile est, si non potest
uiuere migrare hinc facit. Non extinguit, sed acce
lerat ipsum prēmium, ipsam dulcedinē. Quę cum
B uenerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine
fine, Nam & operarius deficeret in uia, nisi atten-
deret quod accepturus esset. Cum enim attēderis
quid sis accepturus, omnia tibi erūt uilia quæ pa-
teris, nec digna ęstimabis pro quibus illud accipi-
as. Miraberis tātum dari pro tanto illo labore. Vi-
ta nostra Christus est, Christum attendite. Pati ue
nit, sed glorificari: cōtemni, sed etiam exaltari: mo
ri, sed etiam resurgere. Ista cogitantes fratres cha-
rissimi nō desperemus, qa etsi peccatores sumus,
magnum medicum habemus, ipsum medicū audi
te. Non ēm ueni uocare iustos, sed peccatores ad Matt.9
pœnitentiam. Vtilitas autem rei gestę huius hæc
est. Apostolus ipse commemorat in epistolis suis.
Dicit enim ad hoc sibi ueniā datā peccatorū suo-
C rum, ut nemo de se desperet, qui fuerit magnis pec
catis inuolutus, & in magnis sceleribus irretitus,
quasi ueniā non sit accepturus, si conuersus fuerit
ad eum qui pēdens in cruce pro persecutorib. ora
uit dicens, Pater ignosce illis, quia nesciūt quid fa- Luce 23
ciunt. Factus est ille ex persecutore prædicator &
doctor gentiū. Qui prius, inqt, fui blasphemus &
persecutor & iniuriosus. Vides quod meritū pro
pœna consequitur. Gratia ēm salui efficimur de
peccatis nostris, largiēte ipso domino nostro Iesu
Christo, q uiuit & regnat in secula seculorū, Amē.

Item in eodē festo alius sermo, qui habetur de
uerbis Apostoli IX & X.

Itē in eodē festo alius sermo q insertus est in ser
mone XVII in lib. quinquaginta homiliarum.

D Item in eodē festo, Homilia de eo q̄d scriptum
est in Euangelio secundū Lucam, Homo quidam
erat diues, qui habebat uillicum, &c. quæ habetur
libro II de quæstionibus Euangeliorum, capite
XXXIIII & sequentibus.

DE MARIAE VIRGINIS purificatione.

In festo purificationis sanctissimę uirginis Ma
riæ sermo, Hodiernus dies, &c. qui habetur inter
sermones de tempore XX

DE CATHEDRA SANcti Petri.

In festo cathedræ sancti Petri: Sermo I

INSTITVTIO solennitatis hodiernæ
à seniorib. nostris cathedræ nomē acce
pit, ideo q primus Apostolorū Petrus
hodie

hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur.
A Recte ergo ecclesiæ natalē sedis illius colunt quā
Apostolus pro ecclesiarum salute suscepit, dicēte
Matt.16 domino, Tu es Petrus, & super hāc petram ædifi-
cabo ecclesiam meam. Petrum itaq; fundamētum
ecclesię dominus nominauit, & ideo digne funda
mentum hoc ecclesia colit, supra quod ecclesiasti
Psal.106 ci ædificij altitudo consurgit. Vnde conueniēter
psalmus qui lectus est dicit, Exaltēt eū in Ecclesia
plebis, & in cathedra seniorū laudent eum. Bene-
dictus deus qui exaltari in ecclesia hoc pręcepit,
qa dignū est ut fundamentū hoc in ecclesia hono
retur, per quod ad cœlū ascenditur. Quod natalis
ergo cathedrę hodie coliť, sacerdotale honoratur
officium. Sibi hoc ecclesiæ inuicē pręstāt, quia tā-
to necesse plus habet ecclesia dignitatis, quāto sa-
B Inde uiden cerdotale officiū plus honoris. † Cum solēnitatē
tur sumpta hāc ecclesijs merito religiosa obseruatio introdu-
xerit, miror cur apud quosdā infideles hodie tam
perniciosus error increuerit, ut super tumulos de-
functorum cibos & uina cōferāt, quasi egressæ de
corporibus animę carnales cibos requirant. Epu-
las enim & refectiones caro tantū requirit, spiritus
autem & anima his nō indigent. Parare aliquis su-
is charis dicit quod ipse deuorat, quod pręstat uē-
tri, imputat pietati. Cessate ergo fratres ab hoc gē-
tili infidelitatis errore. Animę enim sanctę quę in
hoc seculo, aut per uitę innocentiā puræ sunt, aut
pœnitentię satisfactione purgātur, à saluatore no
stro recipiuntur, & cum eo esse credendę sunt, se-
cundum Apostoli dictum, Cupio dissolui & esse
Phil.1 cum Christo. Animæ ergo fratrū parentumq; no-
strorum minime cibis carnalib. delectanť. Offen-
di his magis possunt q̄ delectari, si cum illę in sa-
cris sedib. sint, uos eas in terra esse credatis. Cessa-
Col.3 te ergo ab his errorib. & sicut scriptū est, Quæ sur-
sum sunt sapite, nō quę super terrā: ut superstitiōes
fidei uestrę cōtrarias repudiātes, dum ea quæ deo
placita sunt faciatis, etiā uos cū Christo in æternū
esse mereamini. Quod ipse præstare dignetur, &c.

In eodem festo: Sermo II

Ser.XVI NOSTIS fratres charissimi beatissimum
Petrū in saluatoris passione suis errori-
bus profecisse, & posteaq̄ negauit do-
minum, fuisse apud dñm meliorem. Fidelior enim
factus est posteaquam fidē se perdidisse defleuit,
atq; ideo maiorē gratiam reperit q̄ amisit. Tanq̄
bonus enim pastor tuendum gregem accepit, ut
qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnib. firma-
mentū. Et quia ipse interrogationis tentatione ne
gauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Deniq;
pro soliditate deuotionis ecclesiarū petra dicitur,
Matt.16 sicut ait dominus, Tu es Petrus, & super hanc pe-
tram ædificabo ecclesiam meam. Petra ēm diciť,
eo quod primus nationibus fidei fundamenta po
suerit, & tanquam saxum immobile totius operis
Christiani cōpagem molemq; contineat. Petra er
go pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro uir-
1.Cor.10 tute dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus, Bi
bebant autem de spiritali sequēte eos petra, petra
autem erat Christus. Recte consortium mereť no
minis, qui consortiū meretur & operis. In eadē do
A mo ēm Petrus fundamentū ponit, Petrus plantat,
dominus incrementat, dominus irriguū submini-
strat. Petrus ergo tentationib. suis proficit, fletibus
suis gaudet, periculis suis crescit. Hinc nāq; in ma-
re dum super undas temerarius uiator ingreditur,
nutat incessu, sed conualescit affectu. Periclitatur
corpore, sed deuotione non labiť. Mergitur pedi
bus, sed Christi dextera sustētatur. Sustentabat e-
nim fides, quem unda mergebat: & quē fluctuum
procella turbabat, saluatoris dilectio cōfirmabat.
Ambulabat enim in mari Petrus magis dilectiōe
quàm pedibus. Non enim uidebat ubi pedum ue
stigium figeret, uidebat aūt ubi figeret uestigium
charitatis. In naui enim positus considerat dñm,
B & amore eius ductus descendit in mare. Non co-
gitat labētes aquas, non fluenta currentia, & dum
Christum respicit, non respicit elementum, dum
credit fide, etiam inter undas solidū inuenit uesti-
gium. Iactetur licet fluctibus mare, uētis pelagus
conturbetur, non tamen turbabatur Petri semita,
quæ ducit ad dominū. Ambulat igiť super aquas
Petrus, & sub pedibus eius mollis unda nō cedit.
Legimus in ueteri testamēto filios Israel per mare
rubrum siccis itineribus ambulasse, & ad securita-
tem gradiētium ne laberentur unda iter solidatū:
quanto hic melius, ubi ambulāte Petro nec muta-
tur unda, nec labitur, nec solidatur aqua nec refu-
git? Melius, inquam, ubi eadē unda quæ fluctuat
& sustentat, ibi idē gurges qui mergit & famulať.
C Illic ut portareť per mare populus Israel meatum
suum natura perdiderat, hic dum portať in aquis
Petrus cursum suū fluentem non perdidit. Teme-
rarius ergo uiator Apostolus noui itineris uiā car
pit, modo curuati gurgitis molem ascēdit, modo
sub labētes sinus undæ descēdit, & inter marinos
fluctus ascensus illi itineris descensusq; non deest.
Sed ubi turbantibus uentis exagitantur procellę,
incipit timere quod credidit, statim ei gurges sub
trahitur, unda subducitur. Mox enim deficiēte fi-
de, defecit semita, Tunc exclamans ad dominū Ie-
sum, saluum se fieri deprecatur. Quem apprehēsa
manu saluator liberat, & subiūgit dicēs, Modicæ
fidei, quare dubitasti? Hoc est, cur tam modicę fi-
dei es, ut qui credendo in mare ambulare cœpe-
D ras, nō id perseuerādo transires? scriptum est ēm,
Qui perseuerauerit usq; in finē, hic saluus erit. Sed
dū cūctaris & dubitas, iter quo ingressus fueras ꝑ-
didisti. Cur, inquam, tam modicę fidei es, ut non
ea fide qua uenire cœperas ꝑuenires? Intellige er
go, qa in mare credulitas te portabat, perfidia sub
mergebat. Igitur sanctus Petrus dū fluctuat, dum
mergitur, dum periclitatur, sic peruenit ad domi-
num, ostendens nobis quòd non nisi per pericula
properetur ad Christū. Multi ēm diaboli fluctus
sunt in hoc mundo, tētationum multa naufragia,
à quibus ita liberari possimus, si clamantib. manū
suam saluator extēderit. Nos ergo clamare ad do-
minū non cessemus, ille auxilium solitum nō ne-
gabit, Iesus dominus noster, qui cū patre & spiri-
tusancto uiuit & regnat in secula seculorū, Amen.

DE ANNVNCIATIONE dominica.

Secundum uener. Bedam, De natiuitate domini

In festo annunciationis dominicæ, de eo quod scriptum est in Esaia, Et requiescet super eum spiritus domini &c. Sermo I

Ser. XVII A

VLTA nobis fratres de dei timore præcepta sunt, & q̃ sit utile timere deum in numerabiliter diuina eloquia sonuerũt. Ex qua uberrima copia pauca me commemorantem, & ad ea quantum pro temporis breuitate potuero disserentem libenter aduertite. Quis non sapientem se esse lætetur, aut si nondum est, esse desideret? Sed quid dicit scriptura? Initium sapientiæ timor domini. Quem nõ regnare delectet? Sed audiamus quid in Psalmo spiritus moneat. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrã. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore: unde & Apostolus dicit, Cum timore & tremore uestram ipsorum salutem operamini: legimus etiam scriptum, Concupisti sapientiam, serua iustitiam, dominus præbebit illam tibi. Multos em̃ reperimus negligentissimos iustitiæ, & auidissimos sapientiæ. Hos docet scriptura diuina peuenire nõ posse ad id quod appetunt, nisi seruando quod negligũt. Serua, inquit, iustitiam, & præbebit tibi dominus quam concupisti sapientiam. Quis autem potest nisi deum timeat seruare iustitiã? Dicit em̃ alio loco, Nam qui sine timore est non poterit iustificari. Porrò si dominus non prębet sapientiam nisi seruanti iustitiam, qui autẽ sine timore est non poterit iustificari: recurritur ad illam sententiam, Initium sapientiæ timor domini. Esaias etiã Propheta cum septẽ illa notissima dona spiritalia cõmendaret, incipiens à sapientia peruenit ad timorem dei, tanquam de sublimi descendens ad nos, ut nos doceret ascẽdere. Inde ergo cœpit quo uolumus peruenire, & illuc peruenit unde debemus incipere. Requiescet in eo, inquit, spiritus dei, spiritus sapiẽtiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus sciẽtiæ & pietatis, spiritus timoris domini. Sicut ergo ille non deficiendo sed docendo à sapientia usq; ad timorẽ descendit: sic nos nõ superbiendo sed proficiendo à timore usq; ad sapientiam oportet ascendere. Initium enim sapiẽtiæ timor domini. Ipsa est enim illa conuallis plorationis, de qua Psalmus dicit, Ascẽsiões in corde eius disposuit in conualle plorationis. Per conuallem quippe humilitas significatur. Quis est autem humilis, nisi timens deũ? & eo timore conterens cor in lachrymis cõfessionis & pœnitentiæ? Quia cor contritum & humiliatum deus non spernit. Sed nõ timeat, ne in cõualle remaneat. In ipso em̃ corde cõtrito & humiliato quod deus non spernit, ascẽsiones per quas in illum assurgeremus ipse disposuit: nam ita Psalmus dicit, Ascensiones in corde eius disposuit in conualle plorationis, in loco quem disposuisti, Vbi fiunt ascensiones? In corde, inquit. Sed unde ascendendum est? Vtiq; à cõualle plorationis. Et quò ascendendũ est? In locũ, inquit, quem disposuit. Quis iste locus est, nisi quietis & pacis? Ibi enim est illa clara & quæ nũquam marcescit sapientia: unde ad nos exercitandos quibusdam doctrinę gradibus descendit Esaias à sapientia usq; ad timorem, à loco scilicet sempiternæ pacis usq; ad conuallẽ plorationis: ut nos in cõfessione pœnitẽtię dolendo, gemendo, flendo, nõ remaneamus in dolore & gemitu & fletu: sed ascendentes ab ista conualle in montẽ spiritalem, ubi ciuitas sancta Hierusalem mater nostra ęterna fœcũdata est, imperturbabili lętitia perfruamur. Ergo ille cum præposuisset sapientiam, lumẽ scilicet mẽtis indeficiens, adiunxit intellectum: tãquam quę rentibus unde ad sapientiam ueniretur, responderet, ab intellectu: unde ad intellectũ, à consilio: unde ad cõsilium, à fortitudine: unde ad fortitudinẽ, à scientia: unde ad scientiam, à pietate: unde ad pietatem, à timore. Ergo ad sapientiam à timore, quia initium sapientiæ timor domini. A conualle plorationis usq; ad mõtem pacis. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorũ. Ipsi sunt in conualle humiles, ipsi in tremore, cor cõtritum & humiliatũ sacrificant deo. Vnde ascendunt ad pietatem ut non resistant uoluntati eius, siue in sermonibus eius ubi non capiũt sensum eius, siue in ordine ipso & gubernatione creaturæ cum pleraq; aliter accidunt q̃ priuata hominis uoluntas exposcit: ibi quippe dicendum est, Verum nõ q̃d ego uolo, sed quod tu uis pater. Beati em̃ mansueti, qm̃ ipsi hæreditate possidebunt terram. Non terram morientium, sed terram de qua dictum est, spes mea es tu, portio mea in terra uiuẽtium. Ab ista quippe pietate merebuntur scientiæ gradum, ut nouerint nõ solum mala præteritorũ peccatorũ suorum de quib. in primo gradu pœnitẽtię dolore fleuerunt, sed etiã prę̃sentia &c. In Christo uidetur fuisse diuinitas. Porrò si fides dñm natum credit in carne, deo nõ dubitet esse utrũq; possibile, ut & corpus maioris ętatis non reserato aditu domus intus positis prę̃sentaret, & sponsus infans de thalamo suo, hoc est, utero uirginali illæsa matris uirginitate procederet. Illic nanq; dei filius humanam sibi dignatus est cõiungere naturã, ut sibi capiti immaculato immaculatã cõsociaret ecclesiã, quã Paulus Apostolus uirginẽ uocat, non solas in ea cõsiderãs corpore uirgines, sed incorruptas desiderãs omnium mentes, Desponsaui, inquit, uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Ergo & ecclesia imitãs domini sui matrem, quoniã corpore nõ potuit, mẽte tamen & mater & uirgo est. Nullo itaq; modo uirginitatem matris suæ nascẽdo Christus ademit, qui ecclesiã suam de fornicatione dæmonũ redimendo uirginem fecit. Ex cuius incorrupta uirginitate procreatę uirgines sanctę quæ terrenas nuptias cõtemnentes esse etiam carne uirgines elegistis, gaudẽtes celebrate solenniter hodierno die uirginis partũ. Ille q̃ppe est natus ex fœmina, qui nõ est à masculo satus in fœmina. Qui uobis attulit q̃d amaueritis, matri nõ abstulit quod amatis. Qui sanat in uobis quod extraxistis ex Eua, absit ut uitiaret q̃d dilexistis in Maria. Ista igitur cuius uestigia sancta sectamini, & ut conciperet cũ uiro non mãsit, & ut pareret uirgo permansit

Eccl. 1

Psal. 2

Philip. 2

Matt. 26

Psal. 141

Isa. 11

Psal. 83

2. Cor. 11

permansit. Imitamini eam quantum potestis, non fœcunditate, quia hoc non potestis salua uirginitate. Sola utrunq; potuit quæ omnipotentem peperit, qui & utrunq; posse concessit. Solum enim unicum dei filiũ, isto unico incorrupto partu fieri oportebat hominis filium. Nec tamen ideo nõ est uobis aliquid Christus, quia unus est uirginis filius. Nam & uos eum & si filium ædere non potuistis in carne, spõsum tamen inuenistis in corde. Et talem sponsum quem redemptorem sic teneat felicitas uestra, ut peremptorem nõ timeat uirginitas uestra. Qui enim matris uirginitatẽ nec corporali abstulit partu, multò magis in uobis eam spiritali seruat amplexu.

In eodem festo, de quo scriptũ est in Euangelio secundum Lucam, Missus est angelus &c.

Sermo II.

Hunc quidã Fulgentio tribuunt

SERMO XVIII

A DEST nobis dilectissimi, optatus dies beatæ ac uenerabilis semper uirginis Mariæ, ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis illustrata die solenni. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est preciosum lilium conuallium, per cuius partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Euæ infelicitatis elogium quo dicitur, In dolore paries filios tuos: quia ista in lætitia dominum peperit. Eua enim luxit, ista exultauit. Eua lachrymas, Maria gaudium in uentre portauit. Quia illa peccatorem, ista ædidit innocentem. Virgo quippe genuit, quia uirgo concepit. Inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Vtrobiq; miraculum, & sine corruptione grauida, & in partu uirgo puerpera. Descendit angelus de cœlo missus à patre deo in nostræ redemptionis exordium, ad beatam salutando Mariam, Aue, ait, gratia plena, dominus tecũ. Impleta est ergo gratia, & Euæ uacuata est culpa. Maledictio Euæ, in benedictionem mutatur Mariæ, Aue, inquit, gratia plena, dominus tecum. Tecum dominus in corde, tecum in uentre, tecum in utero, tecum in auxilio. Gratulare beata uirgo, Christus rex è cœlo suo incarnatur in utero tuo, ex sinu patris in uterum dignatur descendere matris. Benedicta tu, inquit, in mulieribus, quæ uitam & uiris & mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix domini nostri salutem attulit mũdo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria uiuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur. Læta igitur Maria gestat infantem, exultans amplexatur filium, portat à quo portabatur. Nec fortuitu, ut fingunt Sabelliani, reperit paruulum, sed decursis nouem mensibus peperit Christum. Plaudat nunc organis Maria, & inter ueloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur. Audite igitur quemadmodum tympanistria nostra cantauerit: ait enim, Magnificat anima mea dominum: Et exultauit spiritus meus, in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est &c. Causam igitur inualescentis erraticiraculum noui partus euicit, & Euæ planctum Mariæ cantus exclusit. Deniq; post illius benedicibile angeli præsagium, dum tacita secum uirgo mentis altercatione conflixit, qualis esset ista salutatio, nuncius interim cœlestis exequitur, Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dominum, Ecce concipies in utero & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum: at illa, Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam uirum non cognosco? Et angelus ad eam, Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei. Iam audisti quomodo fiet hoc, responde nunc uerbum, Vitam quid tricas mundo? Audisti quomodo fiet hoc, quia spiritussanctus superueniet in te, ut prolem gignas, & uirginitatem non perdas, filium proferas, & post partum incorrupta maneas. O beata Maria, seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit. Noli morari Virgo, nuncio festinanter responde uerbum & suscipe filium, da fidem & senti uirtutem. Ecce, inquit, ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Nec mora reuertitur nũcius, & uirginalem thalamum ingreditur Christus. Efficitur subito prægnans beata Dei genitrix, & cuncta per secula prædicatur felix. Concepit mox ad credulitatem uerbi, uirilis ignara consortij: impletur uterus nullo humano pollutus amplexu. Extat itaq; uirgo cum concepit, uirgo grauida, uirgo cum parit, & uirgo post partum. Præclara ergo illa uirginitas, & gloriosa fœcunditas. Exultat Maria & matrem se læta miratur, & de spiritu sancto se protulisse gaudet, nec quia peperit innupta terretur, sed quia genuerit cum exultatione miratur. Gaudeamus ergo & nos fratres in die annuntiationis quę per angelum hodie facta est ad aures Virginis, quæ dum desponsaretur fabro, cœli nupsit architecto. Promittitur enim ei filius per uisitationem sancti spiritus. Hæc illa audiens gaudet, cupitq; effici mater. Quid igitur mirum si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur? Non enim decebat ut ille qui nobis afferebat salutem, matri præriperet integritatis dignitatem. Nam qui terra, mari, cœloq; non capitur, intra uinius corpusculi membra suscipitur: hæc est illa nouitas, Hieremiæ prophetæ uaticinio prænunciata, Faciet, inquit, dominus nouum super terram, fœmina circundabit uirum. O fœmina super fœminas benedicta, quæ uirum omnino non nouit, & uirum suo utero circundedit. Circundat uirum Maria angelo fidem dando, quia Eua perdidit uirum serpenti consentiendo. Salutat angelus puellam uiri salutationis ignaram, terretur uirgo nouitate uerborum: ad quam angelus, ut superius prætulimus, dixit, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud dominum. Ne, inquit, à con-

Luc. 1

Hier. 31

à conspectu meo terrearis mater domini mei, ego conceptionis tuæ minister aduenì, non ut uirginitatem amitteres interuenì. Ipse me misit ad te, qui est nasciturus ex te. Concipies & paries filium non cuiuslibet meriti hominem, sed totius seculi Saluatorem. Recole Maria in libro Esaiæ Prophetæ uirginem quam parituram legisti, & gaude atq; exulta, quia tu esse meruisti. Tu ibi præfigurata es Virgo, tu ecce concipies in utero, non de uiro, sed de spiritu sancto, & grauida eris & incorrupta permanebis. Paries quidem filium, & uirginitatis non patieris detrimentum. Efficieris grauida, & eris mater semper intacta. Senties pondera uentris, & pudorẽ non perdes castitatis. Intumescent ubera tua, & intacta manent genitalia tua, at illa dixit, Ecce ancilla domini, fiat mihi secundũ uerbum tuum. O felix obedientia, ò insignis gratia, quæ dum fidem dedit humiliter, cœli in se opificem corporauit. Impleuit in ea dominus, quod
Osee 6 dudum prædixerat, Obedientiam, inquit, malo quàm sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta. Hæc fuit uera obedientia omniq; sacrificio gratior, hæc uoluntas cunctis hostijs acceptior: hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum hausit: ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O beata Maria, quis tibi digne ualeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ solo tuo cõmercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaq; quascunque exiles, C quascunq; meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis uota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus, fiat impetrabile quod fida mẽte poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum, per te speramus ueniam delictorum, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu. Sentiant omnes tuũ iuuamen, quicunq; celebrant tuam cõmemorationem. Assiste parata uotis poscentium, & rependе omnibus optatum effectum. Sint tibi studia assidue orare pro populo dei, quæ meruisti benẽdicta redemptorem ferre mũdi, qui uiuit & regnat in secula seculorum.

Non ualet congruit huic diei SERMO XIX

In eodem festo: Sermo III

C ORRVPTVM peccatis originalibus & actualibus mundum mundi conditor secreto & mirabili consilio per mysterium uerbi incarnati, eiusdem mundi lapsum uoluit reparare, qui eo uerbo quo potuit de nihilo cuncta creare, potuit quæ perdita fuerant reformare. Ipse nanq; dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Hanc eius potentiam non credimus imminoratam, non credimus immutatam, apud quem non est transmutatio nec uicissitudinis obumbratio, quo minus esset potens & sapiens in reformando, q̃ fuerat in plasmando. Omnipotẽtis quippe figuli manus, cuius uniuersæ uię misericordia & ueritas, quæ lutum de terra leuatum rationalis naturæ dignitate sublimauerat, sic uoluit ruinam uasis fragilis reformare, ut nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia iustus est: nec insanabile, quia misericors est. Si tantũ iustus esset, cuius sapientia attingit à fine usq; ad finẽ fortiter & disponit omnia suauiter, potuit sua fortitudine aduersus seductorem generis humani contendere, & ouem perditam ad gregem reductam suo domino restituere. Sed hoc modo uideretur eminentiam tantum suæ uirtutis ostendisse,
B non medicinalem misericordiam impendisse redemptis: nec appareret quanta charitate creator creaturam diligebat, à qua se diligendum esse multiplici beneficio expetebat, quatenus miser homo, præcedente gratia, obtineret etiam per meritum, quod ei male merito rependebatur indebitum. Quod ergo Dei sapientia potuit facere sapienter & fortiter, uoluit facere suauiter, uniens sibi infirmitatem carnis nostræ quam primo in se sanaret, & per hanc quasi medicinalem confectionem generi humano sanitatem restitueret, non quòd non potuerit aliter fieri quantum ad peritiam & potentiam medici, sed quia non potuit commodius antidotum procurari quantum ad complexionem ægroti. Quod enim infirmum est C dei, fortius est hominibus: & quod stultum est dei, sapientius est hominibus. Hæc causa nobis specialis esse uidetur cur Dei filius hominem induere uoluerit & inter homines conuersari, ut mortalitatem quam à nobis accepit moriendo superaret, & naturam nostram supra primæ originis dignitatem reparatam secum ad immortalitatem reuocaret, ut eò sequeretur humilitas gregis, quò præcessit celsitudo pastoris. Sic radius solis humorem quem ad se trahit exiccat, ipse tamen uirtutem sui caloris & splendoris nec minorat nec immutat. Sic ignis materiem quam assumit in se conuertit, naturam uero suam ideo nec mutat nec minuit: multo fortius ille ignis, de quo dicitur,
D Deus noster ignis consumens est, mortalitatem Deut.4
nostram in se assumpsit, & inde gratia sanitatis totum corpus resumpsit. Mirabile & incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus uoluit ægrotare, & ægrotos quibus salutis remedium procurabat, sua decreuit infirmitate sanare. In hoc apparet quàm incõparabili charitate nos dilexerit, quia in eo quòd desertores suos quæsiuit, semen Abrahæ apprehẽdit, errantes reduxit, saucios curauit, nihil sibi addidit, Non est inde factus altior, non est factus inde beatior. Tota hæc dispensatio nostræ utilitati consuluit, nostræ saluti militauit, diuinæ potentiæ nil contulit. Nam & cum essemus uasa contumeliæ, omnipotentis figuli manum effugere non potuimus, utebatur uasis iræ, put uolebat ad manifestationẽ suæ gloriæ: sic enim dictum est Pharaoni, In hoc ipsum exei- Exod.9

tauì

tauì te ut ostẽdam in te uirtutem meam, & annuncietur nomen meum in uniuersa terra. Nónne & A dæmones cum à domino eijcerentur de corporibus obsessis dominum glorificabant, quãdo dice-
Matt.8 bãt, Quid nobis & tibi Iesu fili Dei uiui? Quid uenisti ante tempus torquere nos? Constat ergo ex his & huiusmodi alijs, quia diuina uirtus nostra reparatione nõ eguit, sed tamẽ ea bonitate qua nos condidit, eadem nos reformare uoluit: & ad hoc medicamentum nunquam forte posuit, sed quàm lenius cõplexioni ægrotantis cõpetere perspexit apposuit. Solent quippe medicinæ periti ægritudines quas curandas suscipiunt aliquando curare per contraria, aliquãdo per similia. Hoc fecit dominus noster Iesus Christus, sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos subleuans, sua infirmitate B nos sanans, sua morte nos uiuificans. Sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis opponuntur, & minus fortia contraria à fortioribus contrarijs superuenientibus superantur. Simili ratione, similia similibus apponuntur, cum secundum quantitatem uulnerum uel tumorum mensuratur longitudo uel latitudo epithematum. Sic scorpionum carnes oleo coctæ percussionibus medentur scorpionum, sic theriaca de serpentis carne confecta, morsibus serpentinis occurrit, & potiones ueneno infectas in potu sumpta expellit. Ad hãc similitudinem medicus noster mortem carnis nostræ de serpente uenientem, carnis suæ morte sanauit, & ad immortalitatis suæ speciem in tempore restitutionis complendam reformauit. Vbi diligentius attendendum est, quòd mors quæ per lignum uenit, per lignum superata est. Et ipsa ligni forma longitudini & latitudini & altitudini humani corporis configurata est: quorum sicut totum corpus motum est ut manus ad uetitum extenderetur, ita corpus per omnia membra sua in cruce distenderetur: & totum quod reatu paterni delicti confractum fuerat, hoc emplastri malaxatione consolidaretur. Sed huic medicamento per similia composito, admixtum est & medicamentum factum per oppositum. Nam hic sanauit obedientia, quod ibi corruperat inobedientia. Et quod ibi contaminauit gulæ oblectamentum, hic reformat crucis tormentum. Continetur in hac crucis figura altius sacramentũ, quod
D quanto est altius, tanto attendendum diligentius. Intelligit nanq; in latitudine crucis dilectio proximi, quæ non tantum usq; ad amicos, sed etiam extendenda est usq; ad diligendos inimicos. Intelligitur quoque in eiusdem longitudine, longa & perseuerans laborum & persecutionum sustinentia, quam patienter ferre debet ad patriam suspirans nostra peregrinatio, tam pro dilectione proximorum quàm pro exhibitione omnium bonorum operum. Figuratur simili ratione in altitudine eius eminentia spei, penetrans usq; ad interiora uelaminis, ubi uisione pacis perfruentur qui hic à ciuibus Babyloniæ multipliciter exercẽtur, donec in libertatem gloriæ filiorum Dei à seruitute corruptionis huius liberentur. Significauit hanc charitatis latitudinem dominus Iesus in cruce caput ad Orientem erigens, pedes ad Occidentem submittens, manus ad Aquilonem & Austrũ extẽdens, ut adimpleret quod de se ante passionem suam prædixerat, Cum exaltatus fuero à terra, id est, cum crucifixus fuero, omnia traham ad meipsum: id est, uocabo ad me totum mundum. Hoc sacramento crucis sanctus Helisæus Sunamitis filium os ori, manus suas manib. eius applicãs orando suscitauit, & uiuum matri restituit. Eiusdem uirtute sacramẽti Moyses in deserto bis silicem uirga percussit, & sitienti populo aquam de petra produxit. Bina quippe percussio duorum lignorum figurate intelligitur in cruce facta cõpactio. Bis ergo petra percutitur, cũ Christus de quo dicit Apo-
stolus, Petra autem erat Christus, in duobus lignis 1.Cor.10
crucis extensus lancea perforatur. De hac petra aqua profluxit, cum sanguis redẽptionis & aqua baptismatis, quibus in nouum hominem transformamur, de latere Christi manauit. Præterea inter has crucis dimensiones solerter attendẽda est crucis profunditas: quia profundum est mysterium crucis, in quo multorum qui sapientes dicebantur ingenia defecerunt, quòd hoc ausi sunt reprehendere, quod non potuerunt humana ratione comprehendere: uidelicet cur uerbum Deo patri coæternum, omnia continens, omnia implens, in assumpto homine totũ se conclusit, & tamen totum mundum regere, complere & continere non
C desierit: non satis considerantes quod ualet in minori, multomagis posse ualere in maiori, cum uox una & tota de ore loquẽtis prodeat, & tota ad multorum hominũ aures peruenìat. Qui de hac quæstione scrupulosius disputãt, & tanq; clauso ostio ad parietem palpant, audiant primum dicentem Apostolum, O homo tu quis es qui respondeas Rom.9
Deo? Demũ mitescant & cum pietate pulsent ut aperiatur eis: & iustum fuisse conditorem in condemnando, & misericordem in redimendo credant, nec potuisse sanari sine misericordia, quod iuste condẽnauerat omnipotentis iustitia. Hinc consequenter aduertant cur usq; ad captiuati hominis paupertatem & crucis ignominiã se humiliauerit diuina omnipotentia, quæ in paradiso reum hominem condẽnauerat iusta sententia. Cum
D enim de perpetrata à domino argueretur inobedientia, non se humiliter ut culpa exigebat accusauit, sed authorem superbe accusauit, dicens, Mu- Gen.3
lier quam dedisti mihi, dedit mihi fructum & comedi. Hæc dicendo se putauit excusatum, & sic creatorem mulieris conditoremq; ad peccandum uirum traxerat in culpam. Qui si humiliter se accusasset, & in authorem suum culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset. Erat autem contra diuinam iustitiam si reum impœnitentem in pristinum gradum restitueret, & nõ usq; ad dignũ pœnitentiæ fructũ qua uellet ratione cõpelleret. Diuina itaq; sententia morti est iudicatus, & cum tota posteritate quæ de lumbis eius erat processura, eiectus est de paradiso & ærumnoso condemnatus exilio. Et quia sine pœnitentia in statum suum

redire non poterat, monendus & admonendus erat ad pœnitentiam, ut reformaret uoluntaria & A
subiecta humilitas, quod corruperat male erecta iniquitas. Non em conueniens erat, ut inuitus traheretur ad pœnitentiã, qui spontaneus corruerat in pœnam: ne itidem ingratus existeret suæ reformationi, sicut ingratus extiterat primæ conditioni. Prouisum est igitur tale medicamentum quale conueniebat ægroto, quod duritiam tumoris sic emolliret ut mollefactus sponte mortiferum uirus
Psal.62 effunderet, dicente Psalmista, Effundite coram illo corda uestra: id est, per confessionem eijcite de conscientijs uestris omnia immũda. Quod quandiu tardauit facere mundus, tamdiu remansit immundus. Vt ergo hoc fieret misit medicus noster præcones & testes suos ante se legislatores & prophetas, qui corda auditorum ad pœnitentiã præpararent, & ei in tempore gratiæ testimoniũ perhiberent. Venit ipse medicus in tempore plenitudinis publicè, prædicauit causam aduentus sui, fa-
Matt.4 ctus doctor medicinæ, dicens, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum: &
Mar.16 itẽ, Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: hoc consilium medicinæ acceperunt multi. Contemptoribus placuit adhuc magis sibilus serpentis perimentis, quàm persuasio medici redimẽtis. Filius adoptionis audiuit, & obaudiuit uoci promittentis, qui in paradiso non obedierat præcepto mortem cõminantis. Expleta dispensatione doctrinæ suæ, & cæcitate in Israel ex parte perdurante, tandem exhibuit se medicum & fecit de seipso medicamentum. Exhibuit se sacerdotem, & C
fecit seipsum sacrificium, ut cõpleret ad quod uenerat, & probaret quãta dilectione dilexerat eos, pro quibus corpus suum in ara crucis offerebat:
Ioan.15 unde & in Euangelio suo ante prædixerat, Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis: hinc est quod Apo
Rom.5 stolus dicit, Cõmendat charitatem suam Deus in nobis, quia cum inimici essemus recõciliauit nos sibi per mortem filij sui. Et quia naturale est ut homines diligentes se diligant, hac humilitate & charitate humiliata est & liquefacta duritia mundi, ut agnosceret beneficium suæ reparationis, quæ non agnouerat excellentiam suæ conditionis: unde
Psal.49 Psalmista, Homo cum in honore esset non intelle D
xit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Postquã uero ad se reuersus est, & per dilectionem redimentis, & eruditionem admonentis cognouit de quanta corruisset gloria, & in quanta uersaretur miseria expertus est, quàm magna indigeret misericordia, et impletum
Psal.25 est quod dicit Psalmista, Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Prædicata est exin uirtus crucis per uniuersum mundum, quæ partibus suis per quatuor mundi partes est extensa, & totum mundum sua malaxatione complexata. Nec iam potuit mundus ex toto esse ingratus, qui tanta fuerat charitate sanatus. Crucifixus noster à morte surrexit & cœlos ascendit, crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit, crucem reliquit ad sanitatem. Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum est inimicis. Huius crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum eiusdem crucis charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris sacramenta cum interpositione dominicorum uerborum conficiuntur: sacerdotes & leuitæ per hoc idem ad sacros ordines promouentur. Et uniuersaliter omnia ecclesiastica sacramenta, in huius uirtute perficiuntur. Qui hoc mare magnum & spatiosum, in quo sunt reptilia quorum non est numerus, absq; naufragio transire desiderat, crucem sequatur, crucem teneat, & eã non deserat donec ad optatum salutis portum perueniat.
B Hoc cursum nostrum dirigit, hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad uictoriam prouehit, hoc ad coronam peruehit, hoc maleficia destruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilũ redigit. Et quod faciebat in terris corporis Christi præsentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Christi uictoriosę crucis insignita memoria. Longum est per singula uirtutem crucis exponere, Qui uero in angaria Christi crucem portat, poterit plura de eius uirtute experimento cognoscere, quàm possit sermo retexere, uel humana cogitatio comprehendere.

Item in eodem festo, Sermo. Vos, inquã, conuenio ò Iudęi &c. qui insertus est in sermone quarto de tempore.

Item in eodem festo, Sermo. Legimus & fideliter retinemus &c. qui habetur inter sermones de tempore IX.

DE SANCTIS QVORVM FESTA inter Pascha & Pentecosten occurrunt.

DE SANCTIS PHILIPPO ET Iacobo.

In festo sanctorum Philippi & Iacobi Apostolorum, Homilia de eo quod scriptum est secundum Ioannem, Non turbetur cor uestrum, neque formidet &c. incipiens, Erigenda &c. quæ sumpta est ex expositione doctoris, Ibidem. Et ex sermonibus de Verbis domini LIIII, & sequentibus. Et ex libro Quinquaginta Homiliarum, XXXIIII.

DE INVENTIONE SANCTAE crucis.

In festo inuentionis sanctæ crucis, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Ioannem, Erat homo ex Pharisæis &c. Incipiens, Nicodemus ex his erat &c. quæ sumpta est ex expositione doctoris ibidem. Et ex sermonibus de Verbis Apostoli XIIII, Et ex libro Quinquaginta Homiliarum III.

De cęteris sanctis quorum festa eodem tẽpore occurrunt, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Ioannem, Ego sum uitis uera &c. incipiens, Iste locus euangelicus &c. quæ sumpta est ex expositione doctoris Ibidem. Et ex sermonibus de Verbis domini LIX.

De

DE SANCTO IOANNE BAPTISTA.

In uigilia sancti Ioannis Baptistæ, Homilia de A
eo quod scriptum est in Euangelio secundum Lucam, Fuit in diebus Herodis regis Iudææ & cætera, quæ habetur in libro Quinquaginta Homiliarum XLIII.

In festo natiuitatis Ioannis Baptistæ:

Sermo I

SERMO XX

POST illum sacrosanctum domini natalis diem, nullius hominum natiuitatem legimus celebrari, nisi solius beati Ioannis Baptistæ. In alijs sanctis & electis Dei nouimus illum diem coli, quo illos post consummationem laborum & deuictum triumphatumq; mundum in perpetuas æternitates præsens hæc uita parturit. In alijs consummata ultimi diei merita celebrantur, in hoc etiam prima dies & ipsa etiam hominis initia consecrantur, pro hac absq; dubio causa, quia per hunc dominus aduentum suum, ne subito homines insperatum non agnoscerent, uoluit esse testatum. Ioannes autem figura fuit ueteris Testamenti, & in se formam prætulit legis: & ideo Ioannes prænunciauit Saluatorem, sicut lex gratiam pręcucurrit. Quod autem nondum natus de secreto materni uteri prophetauit, & expers lucis iam testis est ueritatis, hoc est intelligendum, quòd latens sub uelamine & carne literæ, & redemptorem mundo spiritu prædicauit, & nobis dominum nostrum de quodam legis utero proclamauit. Ergo quia Iudæi errauerunt à uentre, id est, à lege quæ à Christo grauida erat: Errauerunt à uentre, locuti sunt falsa, ideo hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Quod autem Ioannes in carcere constitutus ad Christum discipulos suos ordinat, lex ad Euangelia transmittit. Quæ lex iuxta typum Ioannis quasi ignorantiæ clausa carcere in obscuro & in occulto iacebat, & Iudaica cæcitate sensus intra literam tenebatur inclusus: de hoc beatus Euangeli-
Ioan.5 sta proloquitur, Ille erat lucerna ardens, id est, spiritussancti igne succensus, ut mundo ignorantiæ nocte possesso, lumen salutis ostenderet, & quasi inter densissimas delictorum tenebras splendidissimum iustitiæ solem, lucis suæ radio demon-
Matt.3 straret, & de seipso dicens, Ego uox clamantis in D
deserto. Videamus in quo deserto, id est, in gentilium populo. Vacua enim timore Dei pectora, & spiritu sancto carentia deserto squalentis eremi comparantur. Desertus enim erat hic mundus ab omni cultura fidei & timoris Dei, & peccatorum spinis obsitus squalebat tãquam ager incultus, & nullam penitus bonorum operum fœcunditatem attulerat, nullum imbrem gratiæ spiritalis acceperat. Mittitur beatus Ioannes qui eum per propheticam atq; apostolicam prædicationem annunciando pœnitentiam, quasi rudem campũ proscinderet, fœcundaret & excoleret, diuini uerbi seminibus impleret, & ad maturam frugem, id est, ad regenerationis gratiã præpararet. Iam illud quantæ glorię est, quòd Zacharię sacerdoti seni & Helisabet sterili à Gabriele, id est, ab illo angelo pro-
A mittitur à quo Marię natiuitas domini nunciatur, & quasi ex aliquo similis domini præmittitur filius sterilis ante filium Virginis, nescio quod maius miraculum ipsa natiuitate declarans. Insperata prole posteritas muneratur, quia nouo partu erat muneranda & ditanda uirginitas. Præmittitur ante Iesum Christum Ioannes, quasi testamentum uetus ante nouum, ut dies diei eructet uerbum, & sacramentorum obscura profunditas euidentioribus nouæ doctrinæ mysterijs reueletur. Præmittitur ergo lucerna ante solem, seruus ante dominum, amicus ante sponsum, præco ante iudicem, uox ante uerbum: & ideo de se dicit, Ego uox clamantis in deserto. Quid est quòd beatus Ioannes uocem se esse dixit? id est, quia uerbi annunciator
B & prædicator erat. Hic iam solicite requiramus, quid inter uerbum sit & uocem. Scripturæ sanctæ uerbum esse definiunt, quod intra animi silẽtium mente concipimus: uerbum esse definiunt ipsam cogitationem quæ adhuc intra conscientiæ secreta retinetur: uocem uero per quam uerbum profertur in medium. Vox sonus est, index cogitationis, uerbum uero ipsa cogitatio. Sicut enim quando uerbum corde concipimus necessaria est uox quasi quoddam uehiculum uerbi, & quãlibet uerbum ipsum per oris sonum ad alium trãsferamus, tamen illud integrum etiam intra nos, id est, clausum à loquente transfertur, ut tamen in sua sede te
C neatur: ita & omnipotens pater innotescere nobis uolens, sapientiam & uerbum illud quod in principio erat deus apud deum, sicut ipse testatur:
Eructauit cor meum uerbum bonum, beatum Io- Psal.144
annem quasi uocem per quam ad nos uerbum suum proferret assumpsit. Quod quidem uerbũ de illa sede ita ad nos descendit, ut in sinu, id est, in profundo paterni pectoris permaneret, terrena uisitans, & cœlestia non relinquens. Hanc itaq; gloriam beatus Ioannes Baptista non de longinquo sicut reliqui prophetę, sed uicinus & proximus antecessit. Illi aduentum regis ante multa tempora prædicauerunt, alij dixerunt: quandoq; uenturus est: alij, ecce cito uenit: iste autem quem uenturum prædixit, digito ostendit, & prophetiam suam per ipsum quem annunciabat assistentem compleuit.
D Adhuc itaq; in utero matris suæ spiritusancto est repletus, & suam ipsius natiuitatem prophetando præuenit. Ad similitudinem domini sanctificatus antequam natus, inter uiscera exultans, & Saluatoris aduentum materno ore protestans. Vere lucerna ardens in quo tam singularis gratia diuinæ dignationis effulsit, ut iam iamq; affore redemptorem sanctæ genitricis uoce narraret, & per eã uelut per quandam ueritatis lucernam, nondum in lucem prolatus ostenderet. Hic est ille qui noui & ueteris testamenti idoneus mediator, & gloriosi agni dignus ostensor, qui dominum suũ & annunciare uno tempore meruit & uidere, una eademq; suæ natiuitatis ætate & noua incipiens & uetera concludens: de persona huius Euangelista testa-
tur: A diebus Ioãnis regnum cœlorum uim pati- Matt.11

tur

tur: Nouimus quia familiariter mẽs humana in diuersis huius mundi illecebris & concupiscentijs deuicta fugit laborem, expetit uoluptatem, & uix adducitur ut cõsuetudinem à se uitæ prioris excludat: sed cum cœperit cogitare ultimi diei necessitatem, ac futuri iudicij pondus, incitata & stimulata uel spe præmij uel timore supplicij, uoluntarium bellum indicit passionibus, & uim facit pristinis suis desiderijs, & uiolenter se uincere ipsa contendit. Non enim sine uiolentia fieri potest, ut de abũdantia & delicijs ad famem & sitim, ad abstinentiam & crucem trãseat, ut somno prius atq; ocio amicam carnem contritione uigilijsq; conficiat. Non, inquam, sine uiolentia fieri potest, ut unusquisq; iracundiam patientia, superbiam humilitate cõmutet, amore paupertatis diuitiarum ac sufficientiæ affluentiam superet, uinolentiam sobrietate, luxuriam castitate condemnet, & homo subito in uirum transformetur perfectũ, & quodãmodo alter reddatur ex altero, ac sic à talibus per uiolentiam regnum cœleste diripitur. Duo autem sunt abstinentiæ & crucis genera, unum corporale, aliud spiritale. Vnũ à potu atq; epulis temperare, appetitum gulæ à delectationibus & mollissimis suauitatibus coercere, ab his quæ per tactum & gustum uisumq; decipiunt sensum uiriliter reuocare, ac uiolenter abstrahere. Alterum abstinentiæ & crucis genus est preciosius atq; sublimius, motus animi regere, & perturbationes illius modestiæ tranquillitate placare, iræ ac superbiæ impetus quasi feram bestiam refrenare, litigare quotidie contra uitia sua, increpare se quadam censura austeritatis & uirtutis, & rixam quodammodo cum homine interiore conserere. Preciosa in cõspectu dei & gloriosa crux, cogitationes malas in potestatem redigere, uoluntates proprias abnegare, easq; interiori examinatione discutere, & regentis imperio subiugare. A sermone atque opere quo animal læditur tanquam à cibis noxijs abstinere, & sensum ab his quæ contraria sunt spiritali temperantia sobrium custodire. Hæc qui facit, prærupto passionis muro uiolenter ad cœlorum regna conscendit. Vim itaq; sibi factura est anima, ut palmam laborum quam sibi subtrahi multis inimicis aduersantibus sentit, uiribus contendat eripere. Necesse ergo est cum summo labore ex hoc mundo rapere palmam salutis, & quasi excubantibus circumiectis hostibus obsessos perui-
gili intentione fructus decerpere, & prędam à thesauro uitæ uelut de medio abreptam seculi huius incendio reportare. Est & aliud direptionis genus, quando alijs promissa & oblata diripimus. Saluator ad hoc uel maxime suscepta incarnatione descenderat, ut Iudæorum populum iustificaret: sicut ipse in Euangelio loquitur, Non sum, inquit, missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Sed & discipuli ita incredulam synagogæ plebem coarguebant, Vobis, inquiunt, prius oporuerat uerbum Dei loqui, sed quia uos indignos iudicastis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Ergo cum Iudæi munera sibi parata respuerent, publicani & peccatores ex gentibus credi
A derunt, ac sic rapit Ecclesia synagogæ regnum. Regnum enim nostrũ Christus est. Rapimus itaq; eum, cum à Iudæis occiditur, sepelitur à nobis. Rapimus itaq; eum illis dormientibus, sicut ipsi in Euangelio confitentur, Dicite, inquit, quia discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Surgat ergo qui dormit, ne forte Christum per negligentiam resolutus amittat, dum mens eius in infidelitate & in torpore dormitat. Rapitur itaque regnum cœlorum, dum negatur à domesticis, & à gentibus adoratur. Rapitur cum alijs ad salutem mittitur, ab alijs inuenitur. Cum enim sui eum recusant, suscipiunt alieni. Insectantur proprij, complectuntur inimici. Quando hæreditatem ciuis respuit, peregri-
B nus inuadit: Filius repudiat, seruus recognoscit. Adhuc & alio ordine, regnum cœlorum uim patitur, quando illud homines acquirunt quod angeli perdiderunt, quando illuc adoptati humiles ascendunt, unde superbi incolæ ceciderunt. Ergo cum inter tantos inuidos, inter tantos latrones & inuisibiles insidiatores uiuamus, quibus tandem uiribus cœlorum regna capiemus? Quis, inquam, nisi obediendo doctoribus, & uitijs & iniustitijs ex cupiditate nascentibus resistendo, deflendo peccata, & ea ieiunijs atque eleemosynis redimendo?

In eodem festo: Sermo II.

SERMO XXI

ATALEM sancti Ioannis fratres cha-
N rissimi hodie celebramus, quod nulli
C unquam sanctorum legimus fuisse concessum. Solius enim domini & beati Ioannis dies natiuitatis in uniuerso mundo celebratur & colitur. Illum enim sterilis peperit, illum uirgo concepit, in Helisabet sterilitas uincitur, in beata Maria conceptionis consuetudo mutatur. Helisabet uirum cognoscendo filium genuit, Maria angelo credidit & concepit. Hominem concepit Helisabet, hominem & Maria. Sed Helisabet solum hominem, Maria Deum & hominem. Quid sibi ergo uult Ioannes? Vnde interpositus? unde præmissus? Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam Saluator testimonium perhibet, dicens, Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Præcellit cæteros, eminet uni-
D uersis. Antecellit prophetas, supergreditur patriarchas, & quisquis de muliere natus est inferior est Ioanne. Dicit fortasse aliquis, Si inter natos mulierum Ioannes maior est, maior est Saluatore. Absit. Ioannes enim natus mulieris, Christus autem Virginis natus est. Ille corruptibilis uteri sinibus effusus est, iste impollutæ Virginis flore progenitus. Ideo autem cum Ioannis natiuitate domini generatio deputatur, ne dominus extra ueritatem uideatur conditionis humanæ si comparetur hominibus, Ioannes præmissus est ante Deum. Tanta in illo excellentia erat, tanta gratia ut ipse putatus sit Christus. Quid ergo dixit de Christo? Nos omnes de plenitudine eius accepimus. Quid ergo nos? Omnes prophetæ, patriarchæ. Apostoli, quotquot sancti, & ante incarnatio-
nem præmissi, uel ab incarnato missi, omnes nos
A de plenitudine eius accepimus. Nos uasa sumus, ille fons est. Si ergo intelligimus mysteriũ fratres mei, Ioannes homo est, Christus deus est. Humiliatur homo ut exaltetur deus, secundum illud quod
Ioan.3 de domino ipse Ioannes dixit, Illum oportet crescere, me autem minui. Vt humiliaretur homo, hodie natus est Ioannes, quo incipiunt decrescere dies. Vt exaltet deus, eo die natus est Christus quo incipiunt crescere dies. Magnum sacramentum fratres charissimi. Ideo celebramus natalẽ Ioannis sicut & Christi, quia & ipsa natiuitas plena est mysterio. Quo mysterio nisi hũilitatis nostræ, sicut natiuitas Christi plena est mysterio altitudinis nostræ? Ergo in homine minuamur, ut in deo crescamus. In nobis humiliemur, ut in illo exalte-
B mur. Humilietur humana præsumptio, ut crescat diuina miseratio. Nam huius rei sacramentum etiam in passionibus amborum impletum est. Vt minuatur homo, caput Ioannis abscinditur: ut exaltetur deus, Christus in ligno suspẽditur. Quare autem beatũ Ioannem dominus & Saluator noster lucernam esse dixerit, & quare eum mitti ante se uoluerit, breuiter, si iubetis, charitatis uestræ auribus intimabo. Præmissus est enim uelut uox ante uerbum, lucerna ante solem, præco ante iudicem, seruus ante dominum, amicus ante sponsum. Et quia uniuersum mundum peccatorum tenebrę & nox infidelitatis oppresserant, & solem iustitiæ aspicere non ualebant, beatus Ioannes quasi lucerna præmittitur, ut cordis oculi qui lippitudine ini
C quitatis oppressi fuerant, magnum & uerum lumen uidere non poterant, ad lumen lucernæ primum quasi tenuem splendorem uidere consuescerent, ut paulatim peccatorum nubilo remoto, & infidelitatis humore digesto, adueniente Christo ab illo cœlesti lumine lætificari possent potius quàm retorqueri. Sicut enim lippientes oculos ad uidendum prouocas, si exiguum splendorem lucernæ ostenderis, & amplius crucias si lumen magnum ingesseris: ita dominus & Saluator noster, qui est lumen uerum, nisi prius beatum Ioannem uelut lucernam præmitteret, claritatem eius totus mundus sustinere non posset. Loquatur Io-
Matt.3 annes & dicat, Ego uox clamãtis in deserto. Vox erat, quia uerbi dei spiritu replebatur. Sicut sermo
D uocis quodammodo ministerio ac uehiculo ad audientem à loquente transmittitur, ita Ioãnes Christum sonans, uerbi erat minister & portitor. Sanctus, inquam, Ioannes typum in se legis, quæ Christum longe per signa & indicia monstrabat, ostendit, & ideo misit ad Christum duos de discipulis suis. Isti duo discipuli à Ioanne ad Christum missi, forte duo populi sunt, quorum unus ex Iudæis credidit, alter ex gentibus. Ioannes dirigit ad Christum, lex mittit ad gratiam, & per Euãgelij fidem ueterem desiderat astrui ueritatem. Nos ergo fratres dilectissimi ut tam sanctam festiuitatem non solum corporali, sed etiam spiritali cum gaudio celebrare possimus, secundum uires nostras ad
A dandas eleemosynas, & ad tenendam cum omnibus pacem nostros animos præparemus: & ab omni scurrilitate uel turpiloquio nõ solum nosmet ipsos, sed & omnem familiam nostram, & uniuersos ad nos pertinentes pro amore dei & zelo sanctæ disciplinæ prohibere totis uiribus laboremus nec permittamus solennitatẽ sanctam cantica luxuriosa proferendo polluere. Tunc enim pro nobis sanctus Ioannes quicquid petierimus poterit obtinere, si nos festiuitatem suam pacificos, sobrios, castos, absq; ullo turpiloquio cognouerit celebrare. Hæc ergo fratres charissimi pro paterna solicitudine suggero, nam do propitio ita de uestra deuotione confido, quòd non solum uosipsos, sed etiam omnes qui ad uos pertinent cum omni honestate castos sobriosq; cõseruetis. Vnde deo gratias agens supplico, ut qui uobis dedit ea quæ sancta sunt fideliter incipere, concedat uobis felicem perseuerantiam custodire, qui cum patre & spiritu sancto uiuit &c,

In eodem festo, Sermo III

Ser. XXII E Petro Rauen. carptim decerpta

VRVM de terra eligere qui noue-
A runt, ubi diuitem senserunt uenam ibi quicquid artis est, quicquid labo-
ris impendunt. Et nos fratres quia in sancto Zacharia cœlestem uidimus latere thesaurum, in ipso totum quod sermonis est nostri, quòd uestri auditus est occupamus, quatenus commune lucrum sit, quod fuerit communi labore acquisitum. Fuit, inquit, in diebus Herodis regis Iudęæ, sacerdos quidam nomine Zacharias, & uxor eius de
C filiabus Aaron, & nomẽ eius Helisabet, Et erant, inquit, ambo iusti ante deum, incedentes in omnibus mãdatis & iustificationibus domini sine querela. Beati igitur fratres quos in seculo isto aliqua culpa non percutit, nullum uulnerat crimen. Beati planè isti quos ulla non potuit aliquando tangere querela. Incedentes, inquit, in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela. Si pueritia, si adolescentia, si iuuentus eorum extitit sine querela, ubi tamen maxime solet esse querela, qualis esse potuit eorum senectus? Si tale fuit initium, qualis esse potuit finis? Et nõ erat, inquit, illis filius, eo quòd esset Helisabet sterilis. Non dixit, non erant illis filij: sed non erat illis filius: quia singularis futurus erat, qui erat de talibus nascitu-
D rus: audi dominum dicentem. Non est maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. Eo quòd esset Helisabet sterilis. Erat quidem sterilis corpore, sed fœcunda uirtutibus. Tarda soboli, sed non tarda deo. Non germine clausa sed tempore non negata pignoribus, sed seruata mysterio. Fratres, Helisabet sanctæ partus non ablatus est, sed dilatus, donec pertrãsiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, uoluptatis causa, cupiditatis sensus, & totũ quod humanam confundit, grauat, onerat conscientiam. Mundabat enim longo tẽpore sacrificij domus, sanctitatis hospitium, metatum metatoris Christi, angeli domicilium, aula spiritus sancti, dei tẽplum. Dei templum estis, inquit
1 Cor.3 Apostolus, & spiritus dei habitat in uobis. Denicq;

ubi tota corporis ſedata eſt querela, & in toto facti ſunt ſine querela, uox ſterilitatis fugit, reuiuiſcit ſenectus, fides concipit, parit caſtitas, naſcitur maior homine, par angelis, tuba cœli, præco Chriſti, arcanum patris, filij nuncius, ſignifer ſuperni regis, peccatorum uenia, ludæorum correctio, uocatio gentium, & ut propríe dicam, legis & gratiæ fibula quæ diploidem ſummi ſacerdotis ſancto patri iungebat in corpore. Euangeliſta ergo uirtutes patris matriſq; deſcribit, ut generantium meritis dignitas germinis noſceretur, & probaret maior homine qui ortu ſuo excedebat leges natiuitatis humanæ. Sed ſi proceſſurus eſt iam naſcatur Ioannes, quia inſtat natiuitas Chriſti. Surgat nobis lucifer quia iubar ueri ſolis erumpit, & uociferet præco quia adeſt iudex. Et quia proceſſurus eſt deus, angelus præcedat. Verum quia quod ſupra hominem eſt, homo referre non ſufficit, uirtutem naſcentis angeli angelus iam loquatur. Dixit, inquit, angelus ad Zachariã, Ne timeas Zacharia, exaudita eſt em obſecratio tua, & Heliſabet uxor tua pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Ioannem, & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram domino, uinum & ſiceram non bibet, & ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael conuertet ad dominum deum ipſorum. Et ecce præcedet ante illum in ſpiritu & uirtute Heliæ conuertere corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare domino plebem perfectã. Vacat hic fratres magnus ſermo, ſilet prædicatio tractatoris, quando Euangelico præconio Ioannis gloria prædicatur, uirtus inſonuit, laus collaudatur, nec eſt quod illi iam adijciat homo cui deus contulit totum. Spiritu, inquit, ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ. Videtis fratres quemadmodum Ioannes ante peruenit ad cœlũ q̃ tangeret terram. Ante accepit diuinũ ſpiritum q̃ humanum. Ante ſuſcepit diuina munera q̃ humana corporis mẽbra. Ante cœpit uiuere deo q̃ ſibi. Imò ante uixit ille domino, q̃ deus uiueret illi: iuxta illud Apoſtoli, Iam non ego uiuo, ſed uiuit in me Chriſtus. Sexto, inquit, menſe ſuæ matris exultat in utero, & in utero uirginis ueniſſe nunciat Chriſtũ. Feruens nuncius, qui ante geſtiuit nunciare q̃ uiuere. Impatiẽs dux qui ante q̃ peruenire ad corpus, peruenit ad regẽ, ante rapuit arma q̃ mẽbra, ante aciẽ petit q̃ lucem, & ut uinceret mũdum, uicit ante naturam. Ipſe enim ſine uiſceribus uiſcera matris exuſcitat, & quia tardabat corpus, ſolo ſpiritu implet euangelizantis officium. Quid dicã fratres? Ioannes ante q̃ Chriſtum præcederet, ſeipſum præceſſit. Patris, matris, filij corda unus atq; idem implet ſpirituſſanctus, ut uno ſanctitatis organo reſonet natiuitatis dominicæ cantilena.

Luc.1

Gal.2

A Eodem die: Sermo IIII

SERMO XXIII

D IEI hodiernæ ſolennitas, ſolennem deſiderat tanta expectatione ſermonem. Ergo adiuuante domino, miniſtrabimus uobis quod dederit, recolentes & animo tenentes noſtræ officium ſeruituitis, ut loquamur non tanquam magiſtri, ſed tanquam miniſtri, non diſcipulis ſed condiſcipulis, quia nec ſeruis ſed conſeruis. Magiſter autem unus nobis, cuius ſchola in terra eſt, & cathedra in cœlo. Cuius præcurſor Ioannes eſt natus, cuius natiuitatis dies hodiernus traditur, Hodie celebratur. Hoc maiorum traditione ſuſcepimus, hoc ad poſteros imitanda deuotione tranſmittimus. Ioannis ergo non Euangeliſtæ, ſed Baptiſtę natalem hodie celebramus. Qua prima repoſita, occurrit quæſtio non prætereunda, quare natalem quo eſt natus ex utero Ioannes potius celebramus, quàm cuiuslibet Apoſtoli uel martyris uel prophetæ uel patriarchæ? Si interrogemur, quid reſpondebimus? Quantum mihi uidetur, quantum mearum uirium mediocritati occurrit, eſt cauſa hæc, Diſcipuli domini nati ſunt, & per ætatis acceſſum ad annos capaciores perducti, in diſcipulatum aſſumpti ſunt. Illorum poſtea fides domino adhæſit, ſed nullius illorum natiuitas domino militauit. Recordemur & Prophetas, recolamus patriarchas, nati ſunt homines, ætatis acceſſu pleni ſpiritu ſancto Chriſtum prophetauerunt. Nati ſunt ut poſtea prophetarent: Ioannis autem dominum Chriſtum ipſa natiuitas prophetauit, quem conceptum ex utero ſalutauit. Iſta ut primus ſoluta quæſtione, alteram aggrediamur, pro uiribus quas dederit dominus. Occurrit enim alia quæſtio aliquanto, ut mihi uidetur, obſcurior, & ad perſcrutandum laborioſior: in qua me multum adiuuabit ueſtra intentio, & pro mea exiguitate ad dominum deprecatio. Ioannes iſte tanta excellens gratia, ut quemadmodum dictum eſt, dominum etiam ex utero ſalutaret, nondum loquendo, ſed exultando, cuius gratia in deum iam tunc erat aperta, quando eius caro in carne erat excluſa. Hic ergo Ioannes non inuenitur inter diſcipulos domini, ſed inuenitur potius diſcipulos habuiſſe cum domino. Quid eſt hoc? Quid eſt iſte homo? Homo tantum. Quis eſt homo tantus? quantus tantus homo? Tamen non ſequebatur inter diſcipulos dominum, & ſequebantur eum diſcipuli: abſit ut dicam contra dominum, ſed tamen quaſi extra dominum. Diſcipulos habet Chriſtus, diſcipulos habet Ioannes. Docebat Chriſtus, docebat Ioannes. Quid iam dicam? Baptizabat Ioannes, baptizabat Chriſtus. Plus hic de baptiſmo dico, à Ioanne baptizatus eſt Chriſtus. Vbi ſunt qui de miniſterio baptiſmi, arrogantia tumidæ animoſitatis inflantur? Vbi ſunt uoces carentes humilitate, elatæ ſuperbia, ego baptizo, ego baptizo? Quid diximſſes, ſi Chriſtum baptizare meruiſſes? Magna iam quantum aduertit ſanctitas ueſtra, apparere & eminere cauſa cœpit, qua fuerat Chriſtus à patre mittendus, & Ioannes à patre præmittendus. Prior miſſus eſt Ioannes, ſed ſicut ab obſequentibus antecedit iudex. Poſterior homo creatus eſt Chriſtus, ſed Ioannem creauit deus Chriſtus. Erat igitur Ioannes homo perfectus quidem, & cuius tãta gratia

tia commendata eſt, ut ipſe de illo dominus dicet, In natis mulierum nemo exurrexit maior Ioanne Baptiſta. Iſte ergo tam magnus, agnoſcit dominum in paruo magnum, agnoſcit homo eum qui uenerat homo deus. Si enim in natis mulierũ, hoc eſt, in hominibus, nemo exurrexit maior Ioanne Baptiſta, quiſquis Ioanne plus eſt, non tantum homo ſed & deus eſt. Debuit ergo tantus iſte, & diſcipulos proprios habere, & cum diſcipulis ſuis magiſtrum omniũ Chriſtum cognoſcere. Quod em eſt maius teſtimonium ueritatis, quàm ſe humiliando eum agnoſcere, cui æmulando potuit inuidere? Putari Chriſtus potuit & noluit, exiſtimari Chriſtus potuit & noluit. Dixerunt homines cum fallerentur in eo, Num forte hic eſt Chriſtus? Reſpondit ille quod non erat, ut maneret quod erat. Inde quippe Adam lapſus perdidit quod erat, quia quod non erat uſurpauit. Recolebat hoc iſte magnus, ſed in paruo Chriſto minimus. Nouerat hoc, recolebat hoc & tenebat, quia recipere quod perdiderat cogitabat. Homo ergo iſte, ut dixi, magnus Ioannes, cui dominus tale perhibuit teſtimonium, quem ſic ueritas commendauit ut diceret, In natis mulierũ non exurrexit maior Ioanne Baptiſta: potuit credi Chriſtus, imò iã ab eis qui eius magnitudinis gratia fallebantur credebatur Chriſtus, & in illo morerentur niſi ab illo cõfitente corrigerentur. Reſpondit ergo putantibus & ait, Nõ ſum ego Chriſtus: tanquam diceret, Certe in honorem meum ita fallimini, & certe mihi hoc putãdo magnam additis laudem, ſed debeo cognoſcere, ut uobis errãtibus ille poſſit ignoſcere. Si enim quod non erat fallaciter putaretur, ab illo qui erat ueraciter amputaretur. Premiſſus eſt ergo Ioãnes, ut dominum humilem baptizaret. Baptizari em dominus propter humilitatem uoluit, non propter iniquitatem. Dominus Chriſtus quare eſt baptizatus? Dominus Chriſtus dei filius unigenitus, quare eſt baptizatus? Inueni quare eſt natus, & inuenies quare ſit baptizatus. Ibi quippe inuenies humilitatis uiam quam pede ſuperbo non capis. Quam niſi humili pede calcaueris, ad celſitudinem quò ducit peruenire non poteris. Baptizatus eſt propter te, qui deſcendit propter te. Vide quantus factus ſit tantillus. Qui cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ęqualis deo. Non enim erat rapina, ſed erat naturæ æqualitas filij cum patre. Ioannes ſi ſe Chriſtum putari uellet, illi rapina eſſet. Non ergo rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis deo. Erat enim & ſine rapina, erat coæternus, ab æterno natus erat. Tamen ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, hoc eſt, formam hominis, Qui cum in forma dei eſſet, non formam dei accepit, ſed cum in forma dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit. Suſcepit q̃d non erat, ita ut non perderet quod erat. Manens deus, hominem aſſumpſit. Formã ſerui accepit & factus deus homo, à quo factus eſt homo. Vide ergo quæ maieſtas, quæ poteſtas, quæ ſublimitas, quæ cum patre æqualitas. Venit propter nos ad indumẽtum formæ, & intellige illam à magiſtro tantæ humilitatis uiam: quoniam plus eſt quòd uoluit homo fieri, quàm quòd uoluit ab homine baptizari. Baptizat ergo, inquam, Ioannes Chriſtum, ſeruus dominum, uox uerbum. Mementote enim, Ego ſum uox clamantis in deſerto: & mementote, qa uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Baptizat ergo, inquam, Ioannes Chriſtum, ſeruus dominum, uox uerbum, creatura creatorem, lucerna ſolem, ſed ſolem qui fecit hunc ſolem, ſolem de quo dictum eſt, Ortus eſt mihi ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, de quo impij ſero pœnitẽtes in fine dicturi ſunt, Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Tranſierunt illa omnia tanquam umbra, & cum umbris qui ſecuti ſunt umbras. Ergo, inquiunt, errauimus à uia ueritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Illis non eſt ortus Chriſtus, à quibus non eſt agnitus Chriſtus. Sol ille iuſtitiæ, ſine nube, ſine nocte. Ipſe non oritur malis, non oritur impijs, non oritur infidelibus. Nam ſolem iſtum de cœlo corporeum, quotidie facit oriri ſuper bonos & malos. Baptizauit ergo, ut dixi, creatura creatorem, lucerna ſolem, & non ſe extulit baptizator, ſed ſubdidit baptizando.

Matt.11

Ioan.1

Malac.4

Sap.5

Item in eodem feſto, Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Lucam, Heliſabet impletum eſt tempus pariendi &c. quæ habetur de quæſtionibus Euangeliorum lib. I. cap. II & libro ſecundo, capite primo.

DE SANCTIS PETRO ET Paulo Apoſtolo.

In uigilia Petri & Pauli Apoſtolorũ, de eo q̃d ſcriptũ eſt in Euangelio ſecũdum Ioãnem, Simon Ioannis diligis me plus his?

Sermo I

A POSTOLVM Petrum primum omnium Apoſtolorum meminiſtis in domini paſſione fuiſſe turbatum. Fuit enim prius audax præſumptor, & poſtea factus eſt timidus negator. Promiſerat ſe pro domino moriturũ, cum prius pro illo eſſet dominus moriturus. Quãdo ergo dicebat, Tecum paratus ſum uſq; ad mortem ire, & animam meam pro te ponam. Reſpondit ei dominus, Animã tuam pro me pones? Amẽ dico tibi, priuſquam gallus cantet, ter me negabis, Ventum eſt ad horam. Et quia deus erat Chriſtus, homo autem Petrus, impleta eſt ſcriptura, Ego dixi in pauore meo, omnis homo mendax. Dicit autem Apoſtolus, Quoniã deus uerax, omnis autẽ homo mendax. Verax Chriſtus, mendax Petrus. Modo quidem interrogat eum dominus, ſicut audiſtis cum Euangeliũ legeretur, & dicit ei, Simon Ioannis diligis me plus his? Reſpõdit ille & dixit. Domine tu ſcis quia amo te. Et iterum dominus hoc interrogauit, & tertio hoc interrogauit. Et reſpondenti dilectionẽ, cõmendauit gregẽ. Per ſingula enim dicebat dñs Ieſus Petro dicenti, Amo

Ser. XXIIII

Pſal. 115

Rom. 13

te, Pasce agnos meos, pasce ouiculas meas. In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum, sed bonorum qui sciant oues Christi pascere Christo non sibi. Nunquid modo Petrus mendax erat, aut amare se dominum mendaciter respondebat? Veraciter hoc respondebat, hoc enim respondebat quod in corde suo uidebat. Quando autem dixerat, Animam meam pro te ponam, de futuris uoluit præsumere uiribus. Omnis autem homo qualis sit tunc cum loquitur forte scit, qualis crastino futurus sit quis scit? Reuocabat ergo oculos suos ad cor suum Petrus quando interrogabatur à domino, & fidens respondebat quod sibi uidebatur, Etiam domine, tu scis quia amo te. Quod tibi dico, tu scis: quod hic uideo in corde meo, uides & tu. Nõ ausus est tamen dicere quod dominus interrogauerat, non enim simpliciter dominus dixerat, Diliges me: sed addiderat, Plus his diligis me: id est, plus me diligis quàm isti? De alijs discipulis ille non potuit dicere nisi amo te, non ausus est dicere plus his. Noluit iterum esse mendax: sufficeret ei testimonium perhibere cordi suo, nõ debuit esse iudex cordis alieni. Verax ergo Petrus, an uerax in Petro Christus? Quando autẽ uoluit dominus Iesus Christus, deseruit Petrum, & inuentus est homo Petrus: quando autem placuit domino Iesu Christo, impleuit Petrum, & inuentus est Petrus uerax. Veracem Petrum petra fecerat, petra enim erat Christus. Et quid ei nunciauit quando tertio respondit amare se Christum, & tertio dominus Petro suas ouiculas commendauit? Prænunciauit ei passionem suam. Cum esses, inquit, iunior cingebas te & ibas quò uolebas: cum autem senueris, extendes manus tuas & alter te cinget, & feret quò tu non uis. Euangelista nobis exposuit quid dixerat Christus, Hoc autem dicebat, inquit, significãs qua morte clarificaturus esset Deum, id est, quia pro Christo fuerat crucifigendus, hoc est enim, extendes manus tuas. Vbi est ille negator? Deinde post hæc ait dominus Iesus Christus, Sequere me, Non sic quomodo prius quando uocauit discipulos. Nam & tunc dixit, Sequere me: sed tunc ad doctrinam, modo ad coronã. Nunquid non quando negauit Christum occidi timuit? hoc timuit pati, quod passus est Christus. Sed iam timere non debuit. Videbat enim in carne uiuentem, quem uiderat in ligno pendentem. Resurgendo Christus abstulit mortis timorem, et quoniam abstulerat mortis timorem, merito interrogabat Petri amorem. Ter negauerat timor, ter confessus est amor. Trinitas negationis, desertio ueritatis: trinitas confessionis, testimonium dilectionis.

In festo Apostolorum Petri & Pauli:
Sermo I

Ser. XXV

F ILIOLI mei audite nos, & liberate uos. Currite pro uobis, & nobis præstatis & uobis. Commune erit gaudium nostrum, si uos uiderimus induere Christum. Iuuenes & uirgines, seniores cum iunioribus ad gratiam festinent. Mater nostra pariendo non discernit ætates. Ipsa genuit Petrum, Ipsa parturiuit & Paulum, ut ex lupo fieret agnus. Tanquam ergo natus est Saulus, creuit & factus est magnus. Baptizatus est à matre, illuminatus à deo patre: & cœpit uelle Petrum uidere, & cum quæreret eum uelle uidere, magis eum Petrus cœpit timere. Audiuit enim Petrus, quia Saulus eum quæreret. Noli timere beate Petre, quia Saulus non te quærit, sed Paulus uas electionis te cupit uidere. O sancte Petre benedic patrem & suscipe fratrẽ, & habes cum quo potes defendere matrẽ. O beate Petre, quia conuersus est Saulus miraris, qualis es tu, erit & ipse talis, & unus uobis erit natalis. Qui fecit ex Saulo Paulum, ipse fecit ex Simone Petrum. Vnus uos honorauit, unus uos coronauit. Mutauit persecutorem, mutauit & piscatorem. Et si te priorem, tamen ambos ditauit honore uno. Veni sancte Paule, ueni sequere Petrum, sed docentem non fugientem. Fugiebat quando te nesciebat. Nam iste beatissimus Paulus, sicut in lectione actuum Apostolorum cum recitaretur audiuimus, cœlesti uoce prostratus est. Dum fureret ad caulas in lupina rabie, et exosum sibi nomen innocentis agni persequitur, dum quærit discerpere aut uexare gregem, audiuit altisonam uocem, Saule Saule quid me persequeris? Quid frustra insanisti contra nomen meum, & occidisti martyrem meum? Olim quidem debui perdere te, sed Stephanus meus orauit pro te. Et ille, Quis es domine? Et dominus ad illum, Ego sum, inquit, Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Caput de cœlo pro membris clamat. Inquietatur corpus, & de cœlo intonat Christus, Saule, inquit, Saule, quid me persequeris? Quid est quod rugiente Saulo mugit arcanum, & contra sæuitiã Pauli militia conqueritur cœli, nisi ut qui non crediderat surgenti, saltem crederet in cœlo sedenti? Nam dicitur Ananiæ, Accede ad eum, & signa eum charactere meo, multa enim patietur pro nomine meo. Et ille, Domine audiui à multis de uiro hoc, quia multa mala fecit sanctis tuis. Ait illi dominus, Vade, quoniam uas electionis est mihi. O beate Anania, merito in timore trepidares, si forti manu nõ esset cui militares. Ideo prosternit superbia, ut erigatur sanctitas. Venit ergo Ananias, baptizauit Saulum, & fecit Paulum. Baptizauit lupum, & fecit agnum, & cœpimus habere prædicatorem, quem habuimus persecutorem. Denique cœpit prædicare Christũ, cui antea resistebat, post ea paratus pati pro eo cõtra quẽ antea pugnabat. Patiẽ Paulus quod fecerat Saulus. Saulus lapidauit, Paulus lapidatus est: Saulus Christianos uirgis affecit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas una minus accepit. Saulus persecutus est ecclesiam dei, Paulus submissus est in sporta. Saulus uinxit, Paulus uinctus est. Et dum Saulus sæuiens quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerũ cõfessorum. Et dum inferret alijs necẽ, suscepit ipse pro eo mortẽ. Dum intrat lupus rapax in stabula pecudis, subito & ipse factus est ouis. Itaque quis iam desperet de magnitudine

tudine criminis, aut de humilitate generis? Nam beatissimũ Petrum piscatorẽ, modo genibus pro uolutis adorat gentiũ multitudo credẽtiũ, per dominum nostrum Iesum Christum &c.

In eodem festo: Sermo II

XXVI Epist. inter Ambrosianas 26

N OTVM uobis omnibus est fratres charissimi & uniuerso mundo notissimum, quòd beatissimorũ Petri & Pauli natalis sit hodie, nec aliquam partem orbis latere potuit tanta deuotio. Siquidem cum de his dicat Dauid Propheta, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum, In omni terra mira Petri uirtus est, & in fines orbis terræ epistolæ Pauli penetrauerunt. Quis enim non audiuit quòd primus Apostolus Petrus sedẽti ad speciosam portam templi claudo, & ex matris suę utero olim iam debili, pedum restituerit firmitatem, ut quod natura minus contulerat, Apostolica gratia repararet? Cum enim claudus ille stipem rogans, aliquid pecuniæ se ab Apostolis crederet accepturum: ait illi Apostolus Petrus, Argentum & aurũ non habeo, sed quod habeo hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Beata planè largitas, quæ petenti argentum quidem non contulit, sed contulit sanitatem. Beata largitas, quæ de thesauris suis aurum non protulit, sed protulit medicinã, Beatus & ille claudus, qui dum stipem quærit pecuniæ, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab Apostolis donum meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primum ergo signum mirabile q̃d beatus Apostolus Petrus fecit, claudo pedum restituendo ut diximus uestigia. Audistis frequenter ipsum Petrum à domino petram nũcupatum, sicut ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est supra quam ædificatur ecclesia, recte prius pedes sanat, ut sicut in ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Recte, inquam, pedes Christiano curat, ut iam non trepidus quis nec imbecillis possit supra petram ecclesiæ stare, sed robustus & fortis incedere. Vbi autem Pauli uerba non leguntur? Quis locus ea literis non scribit, corde retinet, cõuersatione custodit? Qui Paulus à domino uas electionis est nominatus. Bonum uas, in quo preciosa mandatorum Christi præcepta conduntur. Bonum uas, de cuius plenitudine substantia uitæ populis semper erogatur & plenum est. Optima Apostolorum nomina petra et uas necessaria sunt domui saluatoris. Domus enim petrarum fortitudine construitur, utilitate uasis ornatur. Petra ad firmitatem ne labantur sustentat populos, uas ad custodiam ne tententur operit Christianos. Exitus uero eorum de hoc seculo quàm beatus fuerit, nemo qui ignoret. Nam prima hæc in illis beatitudo est, quòd ambo una die passi esse noscũtur, scilicet ut quos una fides seruitio deuinxerat, una dies martyrio coronaret. Deinde ipsa passio licet diuersa in singulis fuerit, tamen una referta est gratia sanctitatis. Nam Petrus crucem sicut Saluator in exitu pertulit, & dominicæ deuotionis simili morte discerptus est: scilicet ut quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli uero ceruice cum eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa nece fecit splendidum potius quàm cruentum, Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum si abundat lacte nutritor ecclesię? sicut ipse ad Corinthios ait, Lac uobis potum dedi non escam. Hæc est planè repromissionis illa terra, quam patribus nostris promisit deus dicens, Dabo uobis terram melle & lacte manantem. Nõ enim de hac terra locutus est, quæ manantibus aquam cœnum inuoluit lutumq̃ permiscet: sed de illa terra Pauli et similium Pauli, quę suauem potum distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior, non lacte candidior? Quæ epistolæ tanquam ubera ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De ceruice ergo Apostoli pro sanguine lac manauit. Legimus in epistola ipsius, q̃ caro & sanguis regnum dei non possidebunt. Iam igitur Paulus possidet regnum, quod caro & sanguis non possunt, quæ impedire dicuntur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris positus iam in regni cœlestis substantiã transformatur. Ideo fratres charissimi quotienscunq̃ martyrum memorias celebramus, prætermissis omnibus seculi actibus sine aliqua dilatione concurrere debemus ad domum dei, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propitiatione domino se obtulerunt, præsertim cum dicat ad sanctos suos omnipotens deus, Qui uos honorat me honorat, et qui uos spernit me spernit. Quis quis ergo honorat martyres, honorat & Christũ: & qui spernit sanctos, spernit Christum dominũ nostrũ, qui uiuit & regnat cum patre & spiritu sancto deus in secula seculorum, Amen.

Mat. 16 — 1. Cor. 3 — Exod. 3 — Lucæ 10

In eodem festo Sermo III

Maximi. SERMO XXVII

C VM omnes beati Apostoli parem gratiam apud dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus & Paulus uidentur præ cæteris peculiari quadam in Saluatore fidei uirtute præcellere. Quod quidẽ ex ipsius domini iudicio possumus approbare. Nam Petro sicut bono dispẽsatori clauem regni cœlestis dedit: Paulo tanq̃ idoneo doctori gentiũ, magisteriũ Ecclesiasticę institutionis iniunxit, scilicet ut quos iste erudierit ad fidem, ille suscipiat ad salutem: ut quorũ corda Paulus patefecerit doctrina uerborum, eorũ animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clauem enim quodammodo à Christo scientiæ & Paulus accepit. Clauis enim dicenda est qua ad fidem pectorum dura reserantur, mentiũ secreta panduntur, & quicquid intrinsecus tenet clausum, in palã rationabili manifestatione producitur. Clauis, inquã, est quæ & conscientiã ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit

dit. Ambo igitur claues à dño perceperunt, scientiæ iste, ille potentiæ. Diuitias immortalitatis ille A dispẽsat, scientię thesauros iste largit. Sunt em̃ thesauri scientiæ, sicut scriptũ est, in quo sunt oẽs thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, Ergo beati Petrus & Paulus eminẽt super uniuersos Apostolos, & peculiari quadã prærogatiua præcellũt. Verum inter ipsos quis cui præponatur incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione, et simili eos fidei deuotione uixisse, quos simul uidemus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa putemus factum quòd una die, uno in loco, tyranni unius tolerauere sententiam. Vna die passi sunt, ut ad Christum pariter peruenirent: uno in loco, ne alteri Roma deesset: sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrunq; constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro uirtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt sancti Apostoli, In urbe Roma quæ principatum tenebat, et caput obtinet nationum, scilicet, ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis: & ubi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum morerentur principes. Cuius autẽ meriti sunt beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere, q̃ cum dñs Orientis regionem propria illustrauerit passione, Occidentis plagam ne quid minus esset, uice sui Apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati Apostoli sanguinem profuderunt, C sed uideamus causam quare ista perpessi sunt, scilicet quod inter cætera mirabilia etiam Simonem magum illum orationibus suis de aeris uacuo præcipitij ruina prostrauerint. Cum enim idem Simon se Christum diceret, & tanquam filium ad patrem assereret uolando se posse cõscendere, atque elatus subito magicis artibus uolare cœpisset: tunc Petrus fixis genibus precatus est dominum, & precatione sancta uicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit ad dominum oratio quàm uolatus, & ante peruenit iusta petitio quàm iniqua præsumptio. Antè, inquã, Petrus in terris positus obtinuit quod rogauit, quàm Simon peruenire in cœlestia quò tendebat, Tunc igitur Petrus uelut uinctum illum de sublimi aere deposuit, & quodam D præcipitio in saxo elidens eius crura confregit. Et hoc in opprobrio factum illius est, ut qui pauloante uolare tentaret, subito ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret. Sed ne forte hoc mirum uideatur, quòd magus iste præsente Apostolo per aerem aliquãdiu uolitauerat, hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illum aliquando sublimius ascẽdere, ut altius caderet. Voluit eum in excelsum leuari à conspectu omnium, ut ruentem illum de excelso omnium peruiderẽt oculi. Hæc igitur est iniquitatis elatio, ut in altum se ferat, in sublime se erigat: sed sancta oratio omnem humiliat superbiam, uniuersam deijcit uanitatem, præstante domino, &c.

In eodem festo, Sermo IIII

P ISCATORIS & persecutoris sacratissimum diem geminæ festiuitatis occursu, deuotione præcipua hodie celebremus. Ille quo retia euasit seculi, iste quo ex prædone confessor factus est Christi. Elegit ecce duos, unum piscatorem, alterum grassatorem. Illum uocat ex litore, istum clamat ex itinere. Illum accersit ex ponto, istum terret de cœlo. Cum igitur Petrus linea castra laxaret in freto, Christus retia misit in uerbo, Cepit Christus, cepit & Petrus. Christus discipulum, Petrus pisciculum: & dum circundat gentem squameam, ipse uenit in retia. Præteriens, inquit, Iesus uidit duos fratres, Simonem, qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius retia mittentes in mare. Erant enim piscatores. B Quibus Christus sic ait, Venite, inquit, post me, & faciam uos fieri piscatores hominum. At illi relictis retibus, secuti sunt eum. Stabat Petrus mobilitate & gurgite pendulus, & inter obscuras aquas inquieti maris, uictum quem non habebat artificio requirebat, nutabat super ambiguam undam, ut posset inuenire capturam. Vario fertur refertúrque uestigio, stat mobilis, & mouebatur stabilis. Rimatur inter cæteros marini germinis fluctus, sub obscura umbra fugitiuam insequitur prædam, maculosus paries fit cæca piscibus in mari custodia. Et dum insidiatur Petrus gregibus æquoreis piscium in mari, ipse in rete incidit Saluatoris. Fit de prædone prædatio, de piscatore piscatio, de pirata captiuitas. Venite, inquit, post me & faciam uos piscatores hominum. At illi relictis retibus suis secuti sunt eum. Dum uellet Petrus inani muro quærens concludere piscem, hamo uerbi Christus & ipsum tenuit piscatorem. Distendebat Petrus sinum lini, uoluit in se uacuam cortinam, & dum insequitur grauidi semper æquoris prolem, captorem suum, emptorem Saluatorem trahebat & trahebatur. Exercebat in æquore uiolentiam, & patiebatur in mente captuam. O aquæ genus, pirata reptilium deseruit artificium hoc, quem mutasti de pisce ad piscem. Est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine uiuus, cuius iecore per passionem assato, fugatus est diabolus, & per amaritudinem fellis afflatus est cęcus, & illuminatus est mundus. D De pisce, inquam, ad piscem, de rete ad ecclesiam, de mari ad fontem, de captura factus est factura. Reliquit ergo salum fluctuantem, & cœpit ambulare post piscem. Similitudo artis inflammat desiderium audiẽtis, ut qui ante capturam latebat in salo, uerbi nunc retia spargat in mundo. Tunc enim pisces induxit, nunc autem homines sagenis spiritalibus irretiuit. Paulus autem paruus, sed ex paruo magnus, dum diceretur Saulus sydereæ uocis tuba cõterritus, certe elisus audacia, ut seminet erectus in mũdo doctrinã. Saule, inquit, Saule q̃d me persequeris? Ibat igitur Saulus furijs inuectus, duri pectoris efflabat incendiũ, sanctorũq; sanguinem sitiens, per totam Iudæam alienus ferebatur insania, ut Christi membra laniaret in terris. Fit una

SERMO XXVIII

una religione crudelis, ut quæstionarius, & innocentium per campos sceleratissimi aggeris euacuatus, ut Iudæa quæ pridem sæuierat in capite, crudelitatem exerceret in corpore. Acceperat enim Saulus potestatem à principib. sacerdotum, ut homines fidei nostræ occideret, & germinantem fidei campum manu nefaria detruncaret. Dũ ergo portat Saulus funereum contra milites Christi gladium, fulmineum de cœlo accepit testimonium. Dum grassatur percutitur, dum Christi sanctos persequitur, uiolento radio cœlestis luminis cæcatur, & qui aduersus deum erigebatur, diuina uoce terribiliter prosternit: Saule, inquit, Saule quid me persequeris? Act.9 Caput pro membris clamat. Inquietatur corpus, & intonat Christus in cœlis, Saule Saule quid me persequeris? Quid B est quod mugit populus, mugit arcanum, & contra sæuitiam Pauli prouincia conqueritur cœli, ut qui non crediderat resurgentem, saltem crederet in cœlis sedentem, & qui defuncto Apostolorum domino asseuerat ex sepulchro mendacium, de cœlo uiuentis acciperet testimonium? Saule, inquit, Saule quid me persequeris? Subito igitur ad istam diuinam uocem increpationis infixus in terram, & sæuitiam perdit & semitam: deponit feritatem & incurrit oculorum cæcitatem. Cœpit habere ductores, quos habuerat antè persecutores. Vbi nam Paule currebas, quando currebas? Ecce nunc aberrans quæris locum, & qui persequebaris Christum, cæcus curris ad manũ. O Saule rapax lupe, comedes, sed expecta paululum, & digerens digereris. Credis ergo Saule in deo, adhibes fidem perfido? Non solẽt istæ manus in sanguine pollui, nisi te adhuc ab eis uideris cruciari. C Parum erat generi tuo quòd crucifixerat Christũ, insuper & manus mittere non formidauit in cœlum. Expressit patibulum, posuit in ostia sepulchri custodes. Iam Christus ascendit ad patrem, & adhuc genitrix tua non caret seueritate. O Iudæa Prophetarum sanguine temulenta, nondum satiata es à sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ? Flumina tui sceleris spumant, & te adhuc usq; non satiant? Ab origine mundi sanguinem bibis & adhuc sitis, nec dum tui facinoris unda siccauit etiam alueo tui sceleris sitim? Modo Christum patibulo crucifixisti, & tam cito crudelitate sanguinis aruisti? Sed ecce prosternitur audacia tua, ut D sanctitas erigatur. Cadit miles diaboli, ut surgat signifer Christi. Mittit Petrus in seculum retiaculũ, circumfert Paulus dominicum in mundo uexillũ. Et iste piscator hominum, & ille titulat signo crucis gentiles. Currunt itaq; uterq; ad palmam martyrij, & uterque perueniunt ad coronam: non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni uertentis occursu. Petrus pro Christo capite deorsum uerso in ligno suspẽditur, Paulus pro Christo gladio trucidatur. Ille proprijs gressibus proficiscebatur ad Christum, oculisq; superiora respiciens beatum spiritum deducebat ad cœlum: iste ceruicem curuat ad pœnam, & offerebat ceruicem capitis ad coronam. Petrum crux necat, Paulum gladius immolat. Duo genera suppliciorum domi- A ni & Christi, in duobus Apostolis Christi. Petrus patitur crucem, Paulus sentit pugionem. Piscatorem suspendit hamus crucis, persecutorem mucro minuit persecutoris. Nunc ad memoriam piscatoris flectuntur genua imperatoris. Ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia piscatoris. Ex piscatore fecit dominus Apostolorum principem, ex persecutore fecit Apostolicum confessorem. Præstitit passio socios, quos fecerat fidei prædicatio copulatos. Veneremur ergo principes gregis nostri, si uolumus caulas intrare pastoris.

In eodem festo, Ser. V

ODIE duos Christiani nominis fundatores exultantis ecclesiæ festa con- Ser.XXI
B H celebrant. Hi enim duo electi sunt ad duorum populorum salutem: Petrus ad Iudæorum, Paulus ad gentium. Petrus ut in Iudæa ueterem ad desertum agrum repararet, atque eum sub umbra legis infructuosum & à calore ueri solis absconditum fidei salubritate & gratię fœcundaret. Paulus uero ad gentes mittitur, & ad terram nouam quæ nullam antè dederat frugem, nullum fuerat experta cultorem, qui aratro dominicæ crucis proscinderet, & in rudi campo Christi nouellam infatigabilis operarius excitaret. Petrus itaque uineam ubi iam fuerat reparat, Paulus plantat ubi non erat. Petrus in Iudæis arborem ab antiqui germinis nobilitate degenerem, in radice sua excolit: Paulus uero in alieno fomite peregrinos ponit gentium ramos. Petrus in Iudæis C terram male fœcũdam excolit: Paulus in gentib. nondum cultam fœcundat. A Petro in Iudæa olea reparatur, à Paulo in gentibus oleaster inseritur. Petrus in Iudæis mollit duritiam, Paulus in gentibus illuminat ignorantiam. Petrus tenebras & uitia pellit ex oculis, Paulus reddit oculos à natiuitate cæcatis. Vario ac diuerso genere innumeri populi ad unius regis militiam congregantur, ac sic duo potentissimi duces Petrus antiquũ de ueteribus reducit, Paulus nouum de tyronibus Christi conducit exercitum. Discurrunt itaque per uniuersum mundum duo splẽdidissimi negociatores, portantes coram gentibus & regibus & filijs Israel, preciosa fidei mercimonia. Circumferunt aromata iustitiæ, thura diuinæ uenerationis, incensum compunctionis, balsamum castitatis. Illi igitur sal prudentiæ spiritalis, de quibus dicitur, Vos estis sal terræ, quibus uticq; animæ condiãtur Matt.5 ut inuiolatæ ab æterna peccati corruptione seruẽtur. Erogant per omnem terram spiritales dispensatores precia salutis, thesauros sanctitatis. Quærunt quos secum ad cœlos attrahant pijssimi animarum parẽtes, dispares partium studijs, operum meritis pares. Aequales em̃ illos ac similes per uaria ac diuersa uirtutum genera dixerim. Nam & si cum Petro Christus uixit in terris, sed Paulum cõpellare non dedignatur è cœlis, adhuc etiam persequentem. Sed in opore persequentis Apostoli fidem præuidebat, & ideo quia prospexit zelum,

honorauit affectum. Et quia ſub propoſito placendi deo agebatur ignarus ad culpam, ſtatim poſt admonitionem cucurrit deuotus ad gratiam. Quam obrem & ſi in corpore non eſt locutus cum Chriſto Paulus, non minus eſt illud quod locutus eſt Chriſtus in Paulo, dicēte eodem, An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Ac ſic quem foris prædicationibus præferebat, intus corde geſtabat. Neſcio igitur quid ei defuerit ſanctitatis, de cuius pectore dominus quaſi de peculiari tēplo ſuo ſalutaria populis reddebat oracula. Petrus ambulare ſuper aquas debita ſoli deo poteſtate præſumpſit, & rerum obſtante natura per inſueti itineris nouas uias pendulum inferens greſſum tumentia maris dorſa calcauit: ſed nō minor Paulus, qui ſicut ipſe de ſe dicit, nocte & die in profundo maris fuit. Non minor, inquam, Paulus quem uelut noui teſtamenti Ionam, die ac nocte per maris profūda iactatum abſorbuit fluctus & reddidit, quaſi ſacrum depoſitum uiolare non audens, quia famulatrix eum unda cuſtodiens illæſum populorum prędicationib. reſeruabat. Hic eſt quoq; beatus Petrus in illa cœleſtium diſcipulorum ſchola præcipuus, ac primus idoneus qui uerba uitæ ex Chriſti ore ſuſcipiens, per Euangelij poteſtatem Iudæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad hæreditatem uocaret, interpres legis, aſſertor gratiæ, deſtructor ſynagogæ, eccleſiæ reparator: & ideo ſolus inter Apoſtolos meruit audire, Amen dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: dignus certe qui ædificandis in domo dei populis, lapis eſſet ad fundamētum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. De hoc ait ſermo diuinus, Et ponebant, inquit, infirmos ſuos, ut umbra ſaltem tranſeuntis Petri obumbraret eos. Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc plenitudo uirtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertrāſeuntis, quantomagis gratia nunc permanentis? Merito per omnes Chriſti eccleſias auro precioſius habet ferrum illud pœnalium uinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio uiſitantis, quantomagis catena uincientis? Vt umbra, inquam, tranſeuntis Petri obumbraret eos. Si inanis quædā ſpecies uacuæ imaginis habere potuit in ſe uim ſalutis, quāto plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis ferreo pondere ſacris impreſſa membris uincula paſſiōis? Si ad prędidia ſupplicantiū tam potens fuit ante martyriū, quanto magis efficax poſt triumphum? Felices illi nexus qui de manicis & cōpedibus in coronam mutandi, Apoſtolum cōtingentes martyrem reddiderunt: felices catenæ, quæ nudatis penè oſſibus inhærentes, uiuas reliquias de ſanguinis ſudore iam attrita carne rapuerunt, tactuſq; membrorum cruciatus ſui ſanctificat inſtrumentum, in quo dum afflictio creſcit ad pœnam, cauſa pœnæ proficit ad gloriam. Felicia uincula quæ reum ſuum uſque ad Chriſti crucem non tam condemnatura quàm conſecratura miſerunt. In illa itaq; cruce imitari metuens ſacrificium redemptoris, capite in terra demergi elegit.

1.Cor.13 — Matt.16

A O uirtus humilitatis ingenitæ, honorari etiā ſupplicij genere pertimeſcit, & qui non recuſat dominici tormenta patibuli, ſimilitudinem expaueſcit triumphi.

Item in eodē feſto, Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecūdum Matthæum, Venit Ieſus in partes Cæſariæ Philippi &c. quæ inſerta eſt in ſermone XXXI. de uerbis Apoſtoli.

Item in octauis eorundē Apoſtolorum, Homilia de eo quod ſcriptū eſt in Euāgelio ſecūdum Matthæum, Iuſſit diſcipulos aſcendere in nauiculam &c. quæ ſumpta ex ſermonibus de uerbis domini, XIII. & XIIII.

B

DE SANCTA MARIA Magdalena.

In feſto ſanctę Mariæ Magdalenę, Homilia de eo quod ſcriptū eſt in Euangelio ſecundū Lucā, Rogabat Ieſum Phariſæus quidā &c. Incipiens, Quod admonemur &c. quæ habet in libro Quinquaginta homiliarum, XXIII.

DE SANCTO PETRO ad uincula.

In feſto ſancti Petri ad uincula, Homilia de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Matthæū, Venit Ieſus in partes Cæſariæ Philippi &c. quæ inſerta eſt in ſermone XXXIII. de uerbis C Apoſtoli.

DE SANCTO LAVRENTIO.

In feſto ſancti Laurentij. Sermo I

Ser.XXX Quamuis non ſit Auguſt. eſt tamen dignus qui legatur

B EATISSIMI Laurentij martyris, cuius natalem hodie celebramus, paſſionem noſſe uos credo, & quanta in perſecutione pertulerit, dilectionem ueſtrā ſcire poſſe non dubito. Tanta enim eius martyrij gloria extitit, ut paſſione ſua mundum illuminauerit uniuerſum. Illuminauit mundum planè Laurentius eo lumine quo ipſe accenſus eſt, & flāmis quas ipſe pertulit, omnium Chriſtianorum corda calefecit. Quis nolit ad horam uri Laurentij igne, D ut æternum gehennæ non patiatur incendium? Beati igitur Laurentij exemplo prouocamur ad martyrium, & accendimur ad fidem, incaleſcimus ad deuotionem, & ſi in nobis perſecutoris flāma deeſt, fidei tamen flamma non deeſt. Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu. Non ſubijcit mihi perſecutor ignem, ſubijcit mihi deſiderium ſaluatoris. Eſſe autem ſaluatoris ignem legimus in Euangelio, dicente eodē domino, Neſcitis quia ueni ignem mittere in terram, & quid uolo niſi ut accendatur? (Lucæ 22) Quo igne ſuccenſi illi duo diſcipuli dixerūt, Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia & aperiret nobis ſcripturas? Hoc igitur igne beatus Laurentius accenſus, flāmarum non ſentit incendium, & dū Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris pœnam non ſentit. Inquantum enim in illo fidei ardor fuerit, intantum ſupplicij flamma frigeſcit. Corporali enim beatus Laurentius laborat incēdio, ſed diuinus ſaluatoris ardor materialem tyranni reſtinxit ardorem. Quamuis enim in fauilla membra ſoluantur, fidei tamen fortitudo non ſoluitur. Corporis quidem detrimētum ſuſtinet, ſed lucrum ſalutis acquirit. Non enim fratres beatus Laurentius breui uel ſimplici paſſione premitur. Nam qui gladio percutitur, ſemel moritur: qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur: hic autem longa & multiplici pœna cruciatur, ut mors ei aſſit ad ſupplicium & deſit ad finē. Dicitur enī ab illo ſęuiſſimo perſecutore hæc beato Laurentio conſtituta pœna, ut ardentium expoſita maſſa carbonum, inſuper eum ferrea crate diſtentum lenta flamma conſumeret, ut non tam inflammando cito interimeret hominem, quàm diu exurendo torqueret, ita ut cum unum latus exuſtum perſecutor cerneret, aliud latus ignibus obijceret exurendum. Legimus Ananiam, Azariam & Miſaelem beatiſſimos pueros à rege in camino ignis incluſos, in pœnarum ſuarum deambulaſſe flammis, & igneos globos pedibus conculcaſſe. Vnde & beatus Laurentius non minori eſt gloria præferendus. Siquidem illi in pœnarum ſuarum flammis ambulabant, hic & in ipſo ſupplicij ſui igne diſcumbit. Illi ueſtigijs pedum conculcarunt incendia, iſte laterum ſuorum diffuſione extinguit. Illi, inquam, ſtantes in pœna eleuatis manib. orabant ad dominum, hic autem proſtratus in ſua pœna, toto corpore dominum deprecat. Iterum ergo beatus Laurentius in dorſum ſupinus uertitur, & renes eius ignibus exuruntur, ut impleretur pſalmi prophetia quæ dicit ex perſona Laurētij, Proba me domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum, (Pſal.25) Vre, inquit, renes meos & cor meum: duplici ſe poſtulat igne comburi. Nam ſi de ſolo mundi igne loqueretur, ſufficeret renes tātum exurendos incendijs obtuliſſe. Cor autem niſi flamma Chriſti non urit: atque ideo ad comprobandam deuotionem ſuam geminum ſibi ignem poſtulat, ut luctamine habito oſtendat in ſe plus poſſe amorem Chriſti, quàm pœnam tyranni. Oremus igitur fratres beatum Laurētium, qui dum fide ſua perſecutoris flammas uicit, oſtendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia ſuperari, & amore Chriſti diem iudicij nō timeri. † Nos uero fratres dilectiſſimi ſi ad conſortium ſanctorum martyrum peruenire uolumus, de imitatiōe martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de ſuis uirtutibus recognoſcere, ut pro nobis dignentur domino ſupplicare. Si enim tormēta quę ſancti martyres pertulerunt, ſufferre non poſſumus, uel contra malas concupiſcentias ipſis intercedentibus repugnemus. Et quia non deſunt quotidiana peccata, non deſint etiam quotidiana remedia. Nemo ſe credat aliquam felicitatem aut aliquod uerum gaudium in hoc ſeculo poſſidere. Beatitudinem hic præparare poteſt, poſſidere nō poteſt. Duo ſibi tempora ordine ſuo ſuccedunt, tempus flendi, & tempus ridendi. A Nemo ſe circumueniat fratres, non eſt in hoc mundo tempus ridendi. Scimus fratres, quòd omnis homo gaudere deſiderat, ſed non toti ibi quærunt gaudium ubi oportet inquiri. Verum in hoc mundo gaudium, nec fuit, nec eſt, nec eſſe poterit. Sic enim ipſe dominus in Euangelio ſuos diſcipulos admonet dicens, In hoc mundo preſſuram habebitis. Et iterum, Mundus gaudebit, uos autē contriſtabimini, ſed triſtitia ueſtra uertetur in gaudium. (Ioan.16) Ac ſic in hac uita cum labore & dolore quod bonum eſt auxiliante domino faciamus, ut in futuro ſeculo bonorum fructus colligere cum gaudio & exultatione poſſimus, præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto qui uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, B Amen.

† Et non habē in antiquis codicib. ſcrip.

In eodem feſto, Sermo II

Ser.XXXI Eſt inter Ambroſianos. Auguſtini non eſſe ſtylus palam arguit.

D ICIT dominus in Euangelio, Cui ſimile eſt regnum dei? Et cui ſimile illud æſtimabo? Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & creuit & facta eſt arbor, & uolucres cœli requieuerunt in ramis eius. Mouet fortaſſe ſenſus ueſtros, quare regnum dei tam præclarum atque magnificum grano ſinapis exiguo comparet, & ſpei noſtræ in ſe tam grande ſolatium rei uiliſſimæ ſimile eſſe dicamus, pręſertim cum alibi idem dominus diſcipulis ſuis dicat, Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, tollere & iactare in mare, & fiet. (Matt.17) Igitur ſi fides tanta eſt quæ C poteſt ab ipſis ſedibus montium fundamenta trāſferre, neceſſario & granum ſinapis magnum eſt, ad cuius ſimilitudinem fidem habere compellimur. Magnum autem dixerimus, non ſpecie ſed uirtute, & fidei non æqualitate oleris comparandum, ſed uigore acrimoniæ coæquandum. Nam ſi diligenter intēdamus, inueniemus à domino rectam hanc ſimilitudinem comparatam. Sicut enim granum ſinapis prima fronte ſpeciei ſuæ eſt paruum, uile, deſpectum, non ſaporem præſtans, non odorem circumferens, non indicans ſuauitatem. At ubi teri cœpit, ſtatim odorem ſuum fundit, acrimoniam exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto caloris feruore ſuccenditur, ut mirum ſit in tam friuolis tantum ignem fuiſſe concluſum. D Cuius etiam ſemen in cibum homines hyemis præcipue tempore magna pro ſuauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, uiſcerum interna calefaciant. Sæpe etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, ut ſi quid inualidum, ſi quid ægrotum fuerit, ſinapis igne curetur. Ita ergo & fides Chriſtiana prima fronte uidetur eſſe parua, uilis & tenuis, non potentiam ſuam oſtendens, non ſuperbiam pręferens, non gratiam ſubminiſtrans. At ubi diuerſis tentationibus teri cœperit, ſtatim uigorem ſuū prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aſpirat, & tanto diuini ignis ardore iactat, ut & ipſa ferueat & participantes ſibi ardere compellat. Sicut in ſancto Euangelio duo ex diſcipulis dixerūt, dum cum ipſis poſt paſſionem ſuam dominus loquere

Luc.24 tur, Nonne cor nostrum erat ardens in nobis in
uia,dum aperiret nobis scripturas dominus Iesus?
Ergo granum sinapis membrorum uiscera calefa
cit, fidei autem uigor cordium peccata comburit.
Et illud quidem asperum algorem frigoris remo-
uet,hæc autem delictorum diabolicum frigus ex-
pellit. Sinapis, inquam, granũ humores decoquit
corporum, fides autem libidinum fluenta consu-
mit.Et per illud medicina capitis procuratur: per
fidem autem spiritale caput nostrũ quod est Chri-
stus dominus sæpius refouetur. Sed & fidei iuxta
comparationẽ sinapis sancto odore perfruimur,
2.Cor.2 sicut Apostolus beatus,Quoniam Christi bonus
odor sumus deo. Igitur sanctum martyrem Lau-
rentium grano sinapis possumus comparare, qui
diuersis attritus passionibus,per totum orbẽ gra-
tia meruit sui fragrare martyrij. Qui ante constitu
tus in corpore erat humilis, ignotus & uilis, post-
eaquam uexatus, laceratus, exustus est,uniuersis
per totum mundum ecclesijs odorem suæ nobili-
tatis infudit. Recte igitur huic comparatio copu-
latur.Siquidem granum sinapis cum teritur accẽ-
ditur, Laurentius cum patitur inflammatur. Illud
feruorẽ attritione sua mouet, hic ignem plurima
uexatione suspirat. Sinapis, inquã,in uasculo ca-
lido decoquitur,Laurentius in craticula flamma-
rum igne torretur.Ardebat itaq; extrinsecus bea-
tus Laurentius martyr tyranni sæuientis incen-
dijs,sed maior illũ intrinsecus Christi amoris flam
ma torrebat.Et quamuis rex improbus ligna sub-
ijceret,incendia maiora supponeret,tamẽ sanctus
Laurentius has flammas fidei calore non sentit:&
dum Christi præcepta cogitat,frigidum est illi om
ne quod patitur. Nec enim potest in uisceribus i-
gnium tormenta sentire, qui sensibus paradisi re-
frigeria possidebat. Licet iaceat ante pedes tyran
ni exusta caro,corpus exanime,nihil tamen detri-
mẽti patitur in terris, cuius animus demoratur in
cœlis.Extenditur ergo super flãmarũ ignitos glo-
bos,& uexatur in latera,sed quantum plus pœna-
rum tormenta patitur, tanto amplius Christũ do-
minum pertimescit. Nouo admirationis genere
alius illum torquet, & alij sæuientis tormẽta profi
ciunt. Deuotiorem Laurentiũ saluatori supplicia
atrociora fecerunt.

In eodem festo, Sermo III

Ser.XXXII VM omnes beatos martyres quos no
bis antiquitas tradit,honorificentia di
gna miremur, præcipue tamen Bea-
ti Laurentij martyris triumphum debemus tota
deuotione suscipere. Maiorem ergo affectum i-
bi debeo, ubi credulitatem meam cogit contem-
platio,quàm ubi fidem meã hortatur opinio. Ma-
iorem,inquam, affectũ ibi debeo, ubi per ea quæ
uidi,compellor deuotione credere etiam illa quę
non uidi.Nam cum audio aliquanta mihi impossi
bilia uidebantur,sed cœpi ea credere potuisse fie-
ri,dum similia facta esse conspexi.Et ideo tempo-
ris nostri passio, hanc nobis tribuit conferre gra-
tiam,ut fidem præteritam confirmaret. Supradi-
ctum igitur uirum beatum tota debemus deuo-
tione suscipere. Primum qui preciosum sangui-
nem suum propter dominum tradidit. Denique
quòd prærogatiuam nobis apud dominum no-
strum non minimam tribuit,ostendens qualiũ es-
se debeat in Christianis fides. Tertiò quòd idem
tam sanctæ couersationis fuerit, ut coronam mar
tyrij tempore pacis inuenerit.Sed cum sanctitate
tanta beatum Laurentium pro Christi nomine ui
dissent certare gentiles,erroresq; eorum manife-
stos rationabili castigatione conuinceret: tunc il-
li inebriati furore rapuerunt eum, & cæde crude-
lissima sauciarunt,tunc beati uiri corpus flammis
in craticula tradiderunt. Vere beatum corpus,
quod non ad pœnam funestus ignis, uel tormen-
ta à fide Christi immutauit,sed ad requiem domi-
nicam sancta religio coronauit. Sed & ipsa flam-
ma ideo suscepit martyrem, non ut eum à fide sua
ignis mutaret, sed ut probatum domino suo red-
deret. Tali enim incendio beata consecrata sunt
uiscera,non condemnata.Conuenit huic passioni
quod ait Apostolus, Ipse autem saluus erit sic ta- 1 Cor.3
men quasi per ignem. Saluus enim iste factus est,
dum uenerabilis confessionis est incendio con-
crematus.Hæc est tota causa passionis fratres pro
pter quam morti addictus est sanctus uir, quòd
sui similes cæteros hortaretur. Nam exhortatio
illa in tantum profecit,ut illo à seculo recedente,
fides eius regiõis ipsius loca uniuersa persuaserit.
Ita Christus tunc in beato martyre suo Laurentio
persecutiones passus est, nunc illic plurimi Chri-
stianorum exultant in populis.Sufficere nobis de Maximus
bent ad profectum salutis nostrę martyrum exem
pla sanctorum, qui propter adipiscendam cœle-
stem coronam omnibus se mandatis dominicis
subdiderunt, & ita cunctis deuinxerunt se legi-
bus saluatoris, ut propter anteactam uitam me-
rerent ad hanc martyrij gloriam peruenire. Non
enim illo in tempore tantum perfecerunt præce-
ptum domini, quo confessionis supplicium per-
tulerunt: sed necesse fuit illis prius secũdum Eu-
angelium uixisse, ut Christi passionibus partici-
parentur. Necesse est, inquam, ut initia bona fie-
rent quorum finis est optimus subsecutus,& mar-
tyres eos non solum fuisse cum passi sunt,sed eti-
am tunc martyres Christi esse cum uiuerent. Mar-
tyr enim Græce,Latine testis dicitur. Igitur quo-
tienscunque bonis affectibus mandatũ Christi fa-
cimus,totiens Christo testimonium perhibemus.
Vnde & crux domini nõ tantum illa dicitur quæ
passionis tempore ligni affixione construitur,sed
illa quę totius uitæ curriculo cunctarum discipli-
narum uirtutibus coaptatur. De qua mihi uidetur
saluator dicere, Qui uult post me uenire, tollat Matt.16
crucem suam & sequatur me. Nunquid enim om-
nes martyres qui secuti sunt dominum, crucifixi
sunt cum domino? Nnnquid omnes uirgines qui
iuxta Apocalypsim sequuntur agnum dei, cruci-
fixi sunt ut sequantur? Nunquid Paulus apostolus
crucifixus fuerat cum dicebat, Mihi autem absit Gal.6
gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi,
per quem mihi mundus crucifixus est & ego mũ-
dó

do? Hoc autem dicit, ut intelligas crucẽ non ligni
esse patibulum,sed uitæ uirtutisq; propositum. To
ta igitur uita Christiani hominis,si secundum Euã
gelium uiuat,crux est atq; martyrium.

In eodem festo: Sermo IIII

Ser.XXXIII VI simile est regnum cœlorum,& cui
Luc.13 simile æstimabo illud,ait dominus,Si-
Inter Ama... mile est grano sinapis.Multa perstrin-
[...]stian.29 ximus, quibus probaremus regnum dei grano si-
napis non immerito comparari, & distantiam in
sola æstimatione esse uerborum, non in collatio-
ne uirtutum. Siquidem Christiana fides,quæ re-
gnum dei est,eandem uirtutem obtinet, quam si-
napis natura depromit.Nam sicut sinapis granum
cum sumimus uultu contristamur, fronte contra-
himur,ad lachrymas permouemur, & ipsam salu-
britatem corporis nostri cum quodam fletu auste
ritatis accipimus, Illinc enim amaritudo nos exa-
sperat,acrimonia penetrat: hinc calor ignei sapo-
ris accendit, & toto perturbati corpore tunc ma-
gis sani efficimur,cum amplius deploramus:Ita er
go & cum fidei Christianæ mandata percipimus,
cõtristamur animo,affligimur corpore,ad lachry-
mas permouemur,& ipsam salutem nostram cum
quodam fletu ac mœrore cõsequimur. Inde enim
nos ieiunia exasperant,illic peccatorum conscien
tia macerat. Hinc patrimonij iactura perturbat,
& toto contristati habitu magis salutem consequi
mur si amplius defleamus,secundum quod ait do
Matt.16 minus, Vos plorabitis & flebitis, seculum autem
gaudebit.Sicut autem cum sinapi caput forte cu-
randum est, iubemur ad rasum capillos demere,
impedimenta cutis uniuersa deponere, ut nudo
corpori perfectius medicina perueniat:Ita &cum
anima per fidem curanda est, præcipimur à nobis
substantiam auferre seculi, impedimenta auri ar-
gentiq; deponere, ut & nudæ & soli animæ con-
gruentius spiritalis medicina cõueniat. Quisquis
enim rebus mundi & diuitijs seculi obuolutus est,
huic fidei medicina non proderit. Ergo quod suc
cus sinapis in corpore, hoc fides Christiana ope-
ratur in anima. Sed quoniam in eadem dominica
sententia scriptum est,Quod acceptum homo mi
sit in hortum suum, & creuit & facta est arbor, &
uolucres requieuerunt in ramis eius: diligentius
requiramus quis iste sit, cui hæc cuncta conueni-
ant.Diximus superius sanctis martyribus,qui di-
uersis attriti sunt passionibus,naturam sinapis pos
se congruere.Sed quoniam dicit scriptura:Et cre-
uit & facta est arbor, & uolucres requieuerunt in
ramis eius: arbitror hoc ipsi Christo domino dice
re & rectius comparari, qui nascendo in homine
humiliatus granum est, ascendendo ad cœlum
exaltatus arbor est. Granum planè est Christus
dum patitur, arbor est dum resurgit, Granum, in-
quam, est cum famis esuriem sustinet, arbor est
cum quinque milia uirorum quinque panibus sa-
turat. Ibi sterilitatem humana conditione pati-
tur, hic satietatem propria diuinitate largitur.Gra
num autem dixerim dominum cum cæditur,cum
contemnitur, cum increpatur : arborem autem

Aug.to.10

cum cæcos illuminat, mortuos resuscitat, pecca-
ta condonat.† Ramos autem huius arboris si re- Hic multa desunt
quiras inuenies, Ramus est Petrus, ramus est
Paulus, ramus est beatus Laurentius, cuius ho-
die natalitia celebramus. Rami sunt omnes apo-
stoli uel martyres saluatoris,ad quos si quis se for-
titer tenere uoluerit, fluctibus seculi minime mer
gitur, quin potius sub umbra illorum latitans ge-
hennæ non patietur ardorem, securusq; de diabo
licæ tempestatis procella erit,& de die iudicij ex-
urentis incendio, ipso adiuuante qui uiuit & re-
gnat in unitate spiritussancti deus, per infinita se-
cula seculorum, Amen.

Item in eodem festo, homilia de eo quod scri-
ptum est in Euãgelio secundum Ioannem, Amen
dico uobis, Nisi granum frumenti &c.incipiens:
Humilitatis magnæ &c. quæ sumpta est de expo-
sitione doctoris ibidem.

IN FESTO ASSVMPTIONIS sanctissimæ dei genitricis uirginis Mariæ: Sermo primus, qui habetur tomo 9.col.904.

Ser.XXXIIII Ne pilum quidem habet Augustini

In eodem festo, Sermo II Fulbertus

DEST nobis dilectissimi fratres dies Ser.XXXV
ualde uenerabilis,dies omniũ sancto-
rum solennitates pręcellens. Adest,in
quam, dies inclyta, dies præclara, dies in qua è
mundo migrasse creditur uirgo Maria. Et ideo
laudes intonet uniuersa terra cum summa exulta-
tione tantæ uirginis illustrata excessu, quia indi-
gnum ualde est ut illius recordationis solennitas
sit apud nos sine maximo honore,per quam me-
ruimus autorem uitæ suscipere. Satisq; præposte-
rum iudicandum est, ut cum sanctorum celebra-
mus uictorias martyrum, illius solennitatem illis
non præferamus quæ huic mundo ædidit princi-
pem martyrum.In hac siquidem die competenter Psal.72
sponso illi cœlesti proclamat beata uirgo, Tenui-
sti manum dexteram meam,& in uolũtate tua de-
duxisti me,& cum gloria assumpsisti me. Hodie,
inquam, & ipsa à sponso filio & domino congrue
audiuit:Iam hyems transijt,imber abijt & recessit: Can.2
Surge proxima mea,spõsa mea, colũba mea & ue
ni.Hæc ideo dicimus fratres, quia sicut iam in con
suetudinem suscepit ecclesia,hodierna die ad cœ-
los assumpta fuisse creditur uirgo Maria.Sed quo
ordine hinc ad superna transierit regna, nulla ca-
tholica narrat historia. Non solum autem respue-
re apocrypha, uerumetiam ignorare dicitur hæc
eadem ecclesia. Siquidem sunt nonnulla sine au-
toris nomine de eius assumptione cõscripta, quæ
ut dixi ita cauentur,ut ad confirmandam rei ueri-
tatem legi minime permittantur. Hinc sanè pul-
santur nonnulli, quia nec corpus eius in terra in-
uenitur, nec assumptio eius cum carne ut in apo-
crypha legitur, in catholica reperitur historia.
Quibus dicendum est, quia si Moysi corpus non

 inue-

inuenitur ab homine in terris cum quo locutus est
deus facie ad faciem: illius quærere dementiæ est, A
per quam idem maiestatis deus incarnatus effulsit
in terris. Neque enim dignum est de corporis eius
notitia solicitum quempiam esse, quam non dubi
tat super cœlos eleuatam cum Christo regnare.
Sufficere debet tantum notitię humanæ hanc ue-
re fateri reginã cœlorum, pro eo quod regem pe-
perit angelorum. Sed nec inuenit̃ apud Latinos a-
liquis tractatorum de eius morte quippiam dixis-
se aperte. Nam illum euangelij uersiculum quem
Lucæ 2 Simeon dixit ad domini matrem, Et tuam ipsius
animam pertransibit gladius, beatæ recordatio-
nis Ambrosius cum tractaret, ait, Nec historia nec
litera docet Mariam gladio uitam finisse. Hinc &
Isidorus, incertum, inquit, per hoc dictum utrum
B gladium spiritus an gladium significet persecutio
nis. Et quid de his de quibus loquor dicam, cum
nec ipse qui hanc accepit ante crucem domini in
sua, id est Ioannes euangelista, de hoc posteris ali-
quid retinendum scriptis mandauerit? Nullus e-
nim hoc fidelius narrare potuit, si illud deus mani
festare uoluisset, quàm ille utique qui hanc nutri-
endam suscepit, nec contra morem filius matrem
reliquit. Restat ergo ut homo mendaciter nõ fin-
gat apertum, quod deus uoluit manere occultum.
Vera autem de eius assumptione sententia hæc es
se probatur, ut secundum Apostolum, siue in cor-
pore siue extra corpus ignorantes, assumptam su-
2. Cor. 12 per angelos eam esse credamus. His igitur premis-
sis, loquamur aliquid in laudibus sacratissimę uir-
ginis. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli,
quid in eius laudibus referemus, cum & si omni-
um nostrum membra uerterentur in linguas, eam
laudare sufficeret nullus: altior cœlo est de qua lo
quimur, abysso profundior cui laudes dicere co-
namur. Hæc est em̃ quæ sola meruit mater & spon
sa uocari. Hæc primæ matris damna resoluit, hæc
homini perdito redemptionem adduxit. Mater e-
nim generis nostri pœnam intulit mũdo, genitrix
domini nostri salutẽ ædidit mundo. Auctrix pec-
cati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo ob
fuit, Maria uiuificando profuit. Illa percussit, ista
sanauit. Hæc enim mirabili atq; inæstimabili mo-
do omnium rerum & suum peperit saluatorem.
Quæ hæc uirgo tam sancta ad quam uenire digna
D retur spiritussanctus? Quæ tam speciosa, ut eam
deus ipsi eligeret sponsam? Quæ tam casta ut esse
posset uirgo post partum? Hæc est dei templum,
fons ille signatus, & porta in domo dei clausa. Ad
hanc nanq; ut dixi spiritus sanctus descẽdit, hanc
uirtus altissimi obumbrauit. Hæc est immaculata
coitu, fœcunda partu, uirgo lactans, angelorum
& hominum cibum nutriens. Merito nanq; bea-
ta singulari à nobis præconio extollitur, quæ sin-
gulare commercium mundo præbuit. Denique
tantum se ad cœli fastigia subleuauit, ut uerbum
in principio apud deum, de superna cœli arce sus-
ciperet. O felix Maria, & omni laude dignissima.
O uirgo dei genitrix gloriosa, ò sublimis puerpe-
pera, cuius uisceribus autor cœli terræq; commit-

titur. O felicia oscula lactẽtis labijs impressa, cum
inter crebra indicia reptantis infantiæ, utpote ue-
rus ex te filius tibi matri alluderet, cum uerus ex
patre dominus imperaret. Nam autorem tuum ip
sa concipiens ædidisti in tempore puberem, quẽ
habebas ante tempora conditorem. O felix puer-
perium, lætabile angelis, optabile sanctis, necessa
rium perditis, cõgruum profligatis. Qui post mul
tas assumptæ carnis iniurias, & ad ultimum uerbe
ratus flagris, potatus felle, affixus patibulo, ut te
ueram matrem ostenderet, uerum se hominem pa
tiendo monstrauit. Sed quid dicam pauper inge-
nio, cum de te quicquid dixero minor laus est q̃
dignitas tua meretur? Si cœlum te uocem, altior
es. Si matrem gentium dicam, præcedis. Si for-
mam dei appellem, digna existis. Si dominam an-
B gelorum uocitem, per omnia esse probaris. Quid
ergo de te digne dicam, quid referam, cum nõ suf
ficiat lingua carnis tuas enarrare uirtutes? Has in-
terim laudes sileat lingua carnis, quas semper ar-
denter profert anima. Nunc nostras peto ut aures
doctrinarum tuarum demulceas organis. Plaudat
nunc tympanis scena tuis, & ueloces articuli pu-
erperæ concrepent. Concinant lætantes chori, &
alternantibus modulis dulcisona carmina misce-
antur. Audiamus fratres, audiamus pio mentis af-
fectu, audiamus quemadmodum tympanistriarũ
doctrinis concrepet beata uirgo Maria. Audia-
mus, inquam, & huic harmoniæ moribus respon-
deamus. Deniq; cum hæc mulier beatissima ab an
C gelo iam salutata, spiritusancto repleta, plenitudi
ne diuinitatis afflata, ad Elisabet uenisset cogna-
tam, post exultationem Ioannis in utero matris,
hæc domino decantauit cantica laudis, Magnifi-
cat anima mea dñm: Et exultauit spiritus meus in
deo salutari meo. Primo igitur in hoc loco quæ-
rendum est, quid sit magnificare dominum: Ne-
que enim magnus fit à creatura creator. Sed sci-
endum nobis est duobus modis dici magnificari,
id est, aut magnum facere, aut magnum adora-
re, magnum admirari. Magnificatur enim deus à
nobis, cum magnificari dignatur à nobis. Sed nũ-
quid sic in nobis sicut in beata Maria eandem car
nem assumpsit pro nobis? Aue, inquit ad eam an-
gelus, gratia plena, dominus tecum, benedicta tu
D inter mulieres. Spiritussanctus superueniet in te,
& uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod
nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei. Quę-
cunque tamen anima sancta uerbum concipere
potes credendo, pare prædicando, magnifica a-
mando. Vnde & Dauid Propheta dicit, Magni- Psal. 33
ficate dominum mecum, & exaltemus nomen
eius in inuicem. Ac si diceret, Magnitudinem
domini mecum prædicate, & nominis eius præ-
conia magna uoce attollite. Hinc iterum dicit,
Domine deus meus, magnificatus es uehemen- Psal. 104
ter. Vnde autẽ magnificetur in nobis idem Pro-
pheta ait, Magnificata est usque ad cœlos miseri-
cordia tua. Hinc nanque optandum est in singu-
lis, ut nostra anima magnificet dominum, con-
cipiat dei uerbum, pariat & nutriat, recordetur
salua-

saluationis suæ pia cõmercia, qũo nullis suis præ-
cedentibus meritis sit ab iniquitate saluata, sed so-
A la dei bonitate gratuita Christi sanguine redem-
Luc. 1 pta: & dicat: Magnificat anima mea dominum.
Ioan. 3 Sic enim dilexit deus mundum, ait Euangelium,
ut filium suum unigenitum daret. Hinc nanq; &
Rom. 8 Apostolus, Qui proprio, inquit, filio non peper
cit, sed pro nobis tradidit illum. O mirę pietatis
affectus, ò inæstimabilis ardor charitatis: Quis an
te tantæ pietatis diuitias non obstupescat? Quis
ante tam ineffabilem charitatem non contremi-
scat? Quis unquam posset sperare, ut ex deo ante
tempora natus, nasceretur pro hominibus in tem
Gal. 4 pore ex fœmina homo factus? Vnde scriptũ est,
Cum uenit plenitudo temporis, misit deus filium
suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos
B qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filio
rum reciperemus. Quis, inquam, posset æstima-
re, ut portaretur manibus fœmineis portator or-
bis, panis angelorum aleretur, uirtus cœlorum
infimaretur, uita omnium moreretur? Magnifi-
cet ergo in his anima gloriosissimæ Mariæ domi-
num, magnificet & nostra. Admiremur, gratu-
lemur, amemus, laudemus, adoremus, gratias illi
agamus, quoniam per eiusdem redemptoris no
stri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad ui-
tam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio
ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cœ-
leste regnum uocati sumus. Qualiscunq; igitur
anima sancta talibus fuerit incitamentis occupa-
ta, nihil concupiscit terrenum, nihil transitoriũ, ni-
C hil quod ad tempus arridet, nihil quod ad pręsens
delectat. Hæc risum luctum computat, & gaudi-
um in mœrorem cõmutat, cui mundus carcer, cœ
lumq; habitatio est: cui exultatio de præsentibus
nulla est, quia in illo tantum gaudere appetit, qui
super omnes est. Vnde in sancto cantico, cum di-
ceret uirgo gloriosa, Magnificat anima mea domi
num, & exultauit spiritus meus: signanter addi-
dit, in deo salutari meo. Ac si diceret: Anima mea
quæ magnificat dominum, non in quolibet, alio,
sed in illo tantum exultat, quem amando magnifi
cat. Nouerat em̃ esse aliam uituperabilem exulta
tionem, qua mundus gaudere dicitur tendens ad
Prou. 2 luctũ. Et de qualibus Salomon ait, Lætantur cum
malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Hinc
D & Apostolus non quodlibet gaudium in sancto-
rum cordibus esse describit, sed in spiritusancto.
Psal. 31. 70 Hinc Dauid cũ diceret, Gaudete iusti: iubilũxit in
domino. Hinc cũ domino diceret, Gaudebunt la-
bia mea dum cantauero: addidit, tibi. Hac em̃ ex-
ultatione nullus eorum gaudet, quisquis de præ-
sentibus tantũ exultat, æternisq; bonis interesse
non concupiscit: cui exiliũ patria esse creditur, &
mors uita æstimatur, cui deus uenter est, & orna-
tus non in moribus sed in actu est: qui cum lauda-
tur extollitur, & cũ uituperatus fuerit magnis ira-
cundiæ stimulis agitatur: qui cum mansuetis non
humiliatur, sed in superbiæ fascibus eleuatus cæte
ros quasi ex alto montis supercilio contẽplatur.
Sed quis hæc ad plenũ ita potest calcare, ut ab hac

exultatione hisdem uitijs interpellantibus, nec
ad momentum se credat abstrahi, cum scriptura
pronunciet, Corpus quod corrumpitur aggrauat Sap. 9.
animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum
multa cogitantem? Ingemisce ergo ò sancta ani
ma quæcunq; in domino exultas, & quotiens te
ab hac exultatione abstractam uideris esse, dici-
to, Ne proijcias me domine à facie tua, & spiri- Psal. 50
tum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi
lætitiam salutaris tui, & spiritu principali con-
firma me. Et hic attentius intuere, quam exulta-
tionem petierit. Quod enim Hebraice Iesus, hoc
Latine salutaris dicitur. Quæ enim hæc lætitia
est Iesu, nisi contemplatio eius, qualis uenturus
est in gloria sua? Sciendum uerò est, quia illi tunc
hac claritate potientur, qui hic positi redempto-
B ris sui uestigia imitantur. Et quidem dominum
Iesum legimus doluisse, fleuisse, ex itinere fatiga-
tum fuisse, opprobria & iniurias sustinuisse, spu-
ta flagella, crucem suscepisse, nunquam tamen
legimus eum risisse, prosperatum in terra fuisse.
Hinc planè, hinc in spe gaudent omnes electi,
cum cœperint aduersitatibus mundi fatigari, &
nullis eius prosperitatibus fallaciter decipi, sci-
entes aliam uitam superesse per quam possint cœ-
los penetrare. Hinc est quod ijsdem dominus
ait discipulis suis, Beati estis cum maledixerint Matth. 5
uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixe-
rint omne malum aduersum uos mentientes pro-
pter me. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim
merces uestra multa est in cœlis. Sed in his pres-
suris atque angustijs nequaquam possent subsiste
re, & quod his maius est gaudere, nisi ueraciter
in cõspectu dei & hominum humiles essent. Qui-
bus dominus eorum ait, Discite à me quia mitis Matt. 11
sum & humilis corde, & inuenietis requiem ani-
mabus uestris. Hinc iterum dicit, Beati mites
quoniam ipsi possidebunt terram. Hinc etiam
hæc uirgo gloriosa beatam se dici ab omnibus
generationibus manifestat, eo quòd eius humili-
tatẽ deus respexit. Nam subdit, Quia respexit hu-
militatẽ ancillę suæ, ecce enim ex hoc beatam me
dicent omnes generationes. O uere beata humi-
litas, quæ deum hominibus peperit, uitam morta
libus ædidit, cœlos inuocauit, mundum purifica
D uit, paradisum aperuit, et hominum animas ab in-
feris liberauit. O, inquam, uere gloriosa Mariæ
humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cœli
constituitur. Facta est certe humilitas Marię scala
cœlestis, per quam descendit deus ad terras. Quia
respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ, ecce
enim ex hoc beatam me dicent omnes generatio
nes. Et quid est dicere, Respexit: nisi, compro-
bauit, placuit ei humilitas mea? Vnde per prophe
tam dominus dixit, Ad quem respiciã, nisi ad pau Isa. 66
perculum & humilem & trementẽ sermones me-
os? Hinc Dauid domino dicit, Quia respexisti hu Psal. 30
militatem meã saluasti de necessitatibus animam
meam. Multi siquidem uidentur in conspectu
hominum humiles esse ut ab eis beatificentur, sed
eorum humilitas à domino nõ respicit̃, quia falsò

& non uere de humilitate gloriantur. Si enim ueraciter humiles essent, deum ab omnibus & non se uellent laudari. Non in hoc mũdo eorum spiritus exultaret, sed in deo salutari. Humilitatẽ suam non ab hominibus conspici, sed à deo optarent. Sequitur in hoc sancto cantico, Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctũ nomen eius. Quæ tibi magna fecit domina, quæ gloriosa uirgo ut dici beata merearis? Puto enim imo ueraciter credo, ut creatura æderes creatorem, famula dominum generares, ut per te deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad uitam reduceret. Hucusq; uirgo beata de te ipsa quæ nos ad amorẽ dei accenderent, fideliter protulisti, ea uero quæ sequuntur humano generi prophetasti. Meum autem uotum extitit ea tantum inde transcurrere, quæ ad tui laudem nominis pertinebant. Sed hæc quæ de te ipsa narrasti, neq; tu ut dignitas tua meretur dicere potuisti. Quas ergo tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo cõmercio recuperãdi aditum inuenit? Accipe itaq; quasçunq; exiles, quasçunq; meritis tuis impares gratiarũ actiones, & cum susceperis uota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: Accipe quod offerimus, impetra quod rogamus, excusa quod timemus, qa nec potiorem meritis inuenimus quàm te ad placandam iram iudicis, quæ meruisti esse mater redemptoris & iudicis. Succurre ergo miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro monachorũ choro, exora pro deuoto fœmineo sexu. Sentiãt omnes tuum leuamen, quicunq; deuote celebrant tuũ nomen. Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cœlorum peregrinis. Et cum te lætantem semper aspicis, fletus nostros quæsumus ipsa ad deum admittas, eumq; ut propriũ filiũ pro nobis interpelles. Nos enim adhuc in hac terra affligimur, persequimur, iniurijs lacessimur, opprobrijs afficimur, esurimus, sitimus, somnum patimur, in carcere retinemur. Tu uero in cœlestibus regnis prælata es cunctis uirginum choris, tu agnum quocũque perrexerit sequeris. Tu uirgineos choros & ab incentiuæ carnis illecebris alienos per albentia lilia rosasq; uernantes, ad fontes perennis uitæ potandos inuitas. Tu in illa beatorum felicissima regia primi ordinis dignitatem adepta plantis roscidis oberrans, inter paradisi amœnitatem gramineosq; crocos tenero poplite pergis, felicique palma uiolas immarcescibiles carpis. Tu concinis sine fine choris cõiuncta summis angelis archangelisq; sociata, indefessa uoce sanctus clamare non cessas, Tu in cubiculo regis beatitudinũ gẽmis ac margaritis ornata assistis. Tibi thronus regius ab angelis collocatur in aula æternI regis, teq; ipse rex regũ ut matrẽ ueram & decoram sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu sibi associat. Nec mirum si dignetur tibi aggaudere deus regnans, quẽ tu paruulũ ex te hominem natum totiens osculata es in terris. Has ergo
A tuas felicitates possidens conuertere ad nostrarũ miseriarum salutem. Inter hæc igitur fratres cum toto mentis affectu beatissimæ uirginis nos intercessionibus cõmittamus, omnes eius patrocinia omni nisu imploremus, ut dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neq; enim dubium quæ meruit pro liberandis proferre precium, posse plus omnibus liberatis impẽdere suffragium. Sed quid nobis pdest hanc interpellare uocibus, nisi etiam humilitatis eius exẽpla teneamus? Curemus ergo dilectissimi fratres ut cũ huius diei festiuitati interesse cupimus, uestimentis humilitatis atq; charitatis induti appareamus. Nõ
B nos inuidia alienæ felicitatis torqueat, non ira usq; ad diuisionem dilaniet, non cupiditas Christum à nobis excludat, non seculi tristitia exurat, non prosperitas eius incaute decipiat, non luxuria inquinet, non immunditia polluat, non elatio corrumpat, non superbia inflet: ut dum nos uirtutibus ornatos, charitate coniunctos, humilitate fundatos beata dei genetrix suæ nos interesse festiuitati pspexerit, ardentius nobis subuenire festinet apud filium & dominum suum Iesum Christum, deum & saluatorem nostrũ, qui coronis perennis regni glorificat sanctos suos, & est æterna laus & expectatio omnibus electis eius, ipsi gloria, uirtus, potestas æterna, & nunc & semper per immortalia secula seculorum, Amen.

C Item in eodem festo, homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Lucam, Intrauit Iesus in quoddam castellum, &c. quæ habetur de uerbis domini XXV. & XXVII.

DE DECOLLATIONE SANCTI Ioannis baptistæ.

In festo decollationis sancti Ioannis baptistæ: Sermo I

SERMO XXXVI

H ODIE, dilectissimi fratres, Ioannis qui domini præcurrit aduentum natalem diem colimus, quod nulli sanctorũ meminimus attributum. Hodie, inquam, natalem diem unica ac singulari celebritate ueneramur. Vnde quia eum recte extollere non ualemus hu-

Eusebij episcopi, nec cõgruit huic diei sed natali eius.

D manæ uocis officio, prædicemus dominicæ attestationis oraculo, proloquẽte Christo, quia inter natos mulierum maior non est Ioanne baptista. Ipse hoc dicit, & ideo cognosce magnificentiam laudis ex dignitate laudantis, ac sic dum nemo illo esse maior asseritur in natis mulierum, datur intelligi quòd Ioannes supra humanorum fuit mensuram meritorum. Ego uox clamantis in deserto. Hoc est dicere, Non sum ego uerbum quod erat in principio deus apud deũ, sed uox potius, id est, minister sum uerbi ut per me ad auditus hominum sensusq; perueniat. Vnde beatus baptista pari humilitate pronunciat: Illum oportet crescere, me autem minui. Illum, inquit, oportet crescere, quia per omnem mundum Christi Euangelium dilatur: me autem minui, quia Ioannis prophetia

phetia finitur. Illum oportet crescere qui erit exal-
A tandus in cruce, me autẽ minui qui sum truncandus in capite. Ioannis eẽ prophetia fidẽ accepit, quia is qui prophetabat aduenit. Ioannes ergo formam uenturi domini natiuitate & conuersatione signauit. Ioannes nascitur de sene patre, Christus ex matre à mundi senescẽtis ætate: ætate, inquam, illa quæ erat fide & operibus infœcunda. Ioannes uenit desperata generatione per sterilem, & Christus natura obstupescẽte per uirginem. Ille salutẽ prædicauit, hic contulit. Ille baptizauit in pœnitentia, iste regnauit in gratia. Hic est enim Ioãnes qui impietatem regis Herodis qui uxorem fratris inuaserat, publica authoritate cõdẽnans, propter iustitiam perdidit uitam, sed lucratus est gloriam. Et nos interdum pro gratia hominum uel timo-
B re offensionum præferimus adulationem & uendimus ueritatem, non timentes illud quod terri-
Ezech. 3 biliter scriptum est, Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram. Solent tamen aliquotiens doctores Ecclesiæ non pro negligentia peccantium ab increpatione cessare, sed quia eos timent ex ipsa castigatione ad peiora mala prorumpere. Quãdo pro hac re non prædicant sacerdotes, non possunt habere de taciturnitate reatum: quia sicut uiri boni interdum ex dura increpatione corriguntur, ita econtra omnes etiam superbi lenissima admonitione ad peiora præcipitia prouocantur. Nam & in tantum prædicatores ecclesiæ aliquotiens non ex uoluntate sed ex necessitate peccatores non ar-
C guũt, ut interdũ per spirituale medicamentũ & charitatis artificiũ superbos quosq; etiã indignis laudibus prosequantur: ut dum erubescunt falsa esse quæ de eis dicuntur, ad emendationẽ uitę & bona opera prouocent, secũdum illud qd scriptum est:
Psal. 9 Qm laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicit. Et quia uera est illa sapientis uiri sententia, Sicut uera laus ornat, ita falsa castigat: non est tamen impossibile apud deum ut etiam illi qui ab humanis laudibus inuitati bona opera exercere cœperint, deus illis hoc in amorem & consuetudinem uertat, secũdum illud quod de sapientibus quidam dixit, Bene consueuisse, pudebit dissuescere. Et iterum, Bona loquamur, transiet sermo in affectum. Beatus tamen Ioannes plena & perfecta libertate maluit iniusta sustinere, quàm iusta non dicere. Vnde Euangelico ipse bẽatus loãnes alloquio corda nostra pulsat salutifero dicens, Ego uox clamantis in deser-
Lucæ 3 to, parate uiã domini, rectas facite semitas dei nostri. Si teneamus in nobis uerbũ ueritatis, affectũ iustitiæ, erit in nobis illa uia per quam humanum pectus Christus adeat. Ideo autem dicit: Ego uox clamantis. Vox præconis iudicem loquitur, clamor iudiciũ comminatur. Et consequenter annunciat: Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, Hoc est ergo, quod alijs uer-
Lucæ. 14 bis euangelista cõmemorat, Qui se exaltat humiliabitur. ✝ Veniet tempus fratres dilectissimi ut se superbos fuisse sine ullo remedio doleant, qui se nunc salubriter humiliare dissimulãt. Veniet tem-
A pus ut humiles eleuentur in cœlis, & superbi in inferni profunditatem mergantur. Veniet tempus ut se auaros omnes fuisse diuites doleant, à quibus nũc Christi irridentur pauperes. Non semper iste qui nunc humanæ est consuetudinis ordo seruabitur: Non semper Lazarus fame torquebitur, nec semper auarus dives deliciarum abundantia perfruetur: sed cito & ille de sterquilinio ab angelis eleuabitur in paradisum: & ille qui eleemosynam noluit dare, si pœnitentia non subuenerit, de luxurioso cõuiuio rapietur in tartarum, ut qui in hoc seculo pauperi noluit dare micam, in inferno non mereatur accipere guttam: & qui pauperem pascere noluit delicijs suis, pascat flammas
B medullis suis. Nos uero fratres quãtum possumus laboremus, ut quod superbia tumidum elatumq; reddiderat in animo, humilitate & mansuetudine complanetur. Quod iniquitas deprauauerat, directione iustitiæ corrigatur, Quod malitia exasperauerat, bonitatis gratia temperetur. Inter hæc studia inueniat in nobis Christus dominus quã ipse conferre dignatus est uiam, per quam nos perducat ad patriã, ut de nobis dicere dignetur, Et inambulabo & inhabitabo cum eis, & ero illorum deus. Si in isto seculo ambulauerit in nobis, in illo habitabit in nobis qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DE OMNIBVS SANCTIS.

In festo omnium sanctorum: Sermo I

Alcuini presbyteri. SERMO XXXVII

C H ODIE dilectissimi omnium sanctorum sub una solennitatis lætitia celebramus festiuitatem, quorum societate cœlum exultat, quorum patrocinijs terra lætatur, quorũ triumphis ecclesia sancta coronatur, quorum confessio quanto in passione fortior, tanto est clarior in honore: quia dum creuit pugna, creuit & pugnantium gloria, & martyrij triumphus multiplici passionum genere adornatur, per quæ grauiora tormenta, gratiora fuere & præmia: dumq; catholica mater ecclesia per totum orbem longe lateq; diffusa, in ipso capite suo Christo Iesu edocta contumelias crucis ad mortem didicit non timere, magis magisq; roborata est non resistendo
D sed perferendo. Vniuersos autem quos agmine inclyto carcer pœnalis inclusit, pari & simili calore uirtutis ad gerendum certamen gloria triũphalis inspirauit. O uere beata mater ecclesia, quã sic honor diuinæ dignationis illuminat, quam uincẽtium gloriosus martyrũ sanguis exornat, quã inuiolatæ confessionis candida induit uirginitas: Florib. eius nec rosę, nec lilia desunt. Certẽt nunc charissimi singuli ad utrosque honores, amplissimas accipere dignitatũ coronas, uel de uirginitate cãdidas, uel de passione purpureas. In cœlestibus castris pax & acies habẽt flores suos, quib. milites Christi coronant. Dei enim ineffabilis & immensa bonitas etiam hoc prouidit, ut laborũ quidem tẽpus & agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternũ, sed breue, & ut ita dicam, momẽtaneum

neum, ut in hac breui & exigua uita agones essent
& labores, in illa uero quæ æterna est corona & A
præmia meritorũ: ut labores quidẽ cito finirẽtur,
meritorum uero præmia sine fine durarẽt: ut post
huius mundi tenebras uisuri essent cãdidissimam
lucẽ, & accepturi maiorẽ passionũ cunctarũ acer-
bitatibus beatitudinem, testãte hoc Apostolo ubi
Rom.8 ait: Non sunt cõdignæ passiones huius tẽporis ad
superuenturã gloriã quæ reuelabit in nobis. Quã
læto sinu de prælio reuertẽtes ciuitas cœlestis ex-
cipit, de hoste prostrato trophea ferẽtibus occur-
rit, cum triũphantibus uiris & fœminæ ueniunt,
quæ cum seculo sexũ quoq; uicerunt, & geminata
gloria militiæ uirgines cum pueris teneros annos
uirtutibus transeuntes: sed & cętera fideliũ turba
aulæ perpetuæ regiã intrabit, qui synceritatẽ fidei B
inconcussis præceptorũ cœlestium disciplinis uni
ta pace obseruauerũt. Ergo agite nunc fratres, ag-
grediamur iter uitæ, reuertamur ad ciuitatẽ cœle-
stem, in qua scripti sumus & ciues decreti. Non
sumus hospites, sed ciues sanctorum & domestici
dei, etiam illius hęredes, cohęredes autẽ Christi.
Huius nobis urbis ianuas aperiet fortitudo, & fi-
Ex D. Ioan. Chrysost. De reparatione lapsi. ducia latũ præbebit ingressum. † Cõsideremus er-
go inclytã urbis illius felicitatẽ, inquantũ conside
rare possibile est. Vt enim uere est, cõprehendere
nullus sermo sufficiet. Dicit de ea in quodã loco
Esa.53 sic, quòd aufugiet ibi dolor & tristitia & gemitus.
Quid hac uita beatius, ubi non est paupertatis me
tus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur,
irascitur nemo, nemo inuidet. Cupiditas nulla ex C
ardescit, nullũ cibi desideriũ, nulla honoris pulsa-
tio, aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli me-
tus, insidiæ dęmonũ nullę, terror gehẽnæ procul.
Mors ibi neque corporis neq; animæ erit, sed im-
mortalitatis munere uita iocunda. Nulla erit tunc
usquam discordia, sed cuncta consona, cũcta con-
uenientia, q̃a omniũ sanctorũ una concordia, pax
cuncta & lætitia continet, tranquilla sunt omnia
& quieta. Iugis splendor non iste qui nunc est, sed
tanto clarior quanto felicior, quia ciuitas illa, ut le
gitur, non egebit lumine solis, sed dominus omni
potens illuminabit eam, & lucerna eius est ag-
nus: Vbi sancti fulgebunt ut stellæ in perpetuas
æternitates & sicut splendor firmamenti qui ad
iustitiam erudiunt multos. Quapropter nox ibi D
nulla, nullæ tenebræ, concursus nubiũ nullus, nec
frigoris ardorisq; asperitas ulla, sed talis quædam
erit rerũ temperies, quam nec oculus uidit, nec au
ris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, nisi illorum
qui ea perfrui digni inueniunt, quorũ nomina scri
pta sunt in libro uitæ, qui & lauerunt stolas suas
in sanguine agni, & sunt ante thronum dei, seruiunt-
q; ei die & nocte. Non est senectus ibi, nec se-
nectutis miseria, dum omnes occurrunt in uirum
perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Chri-
sti. Verum super hæc omnia est consociari ange-
lorum & archangelorũ cœtibus, thronis etiam &
dominationibus, principatibus & potestatibus,
omniumq; cœlestium supernarumq; uirtutũ con-
tubernijs perfrui, & intueri agmina sanctorum
splendidius syderibus micantia, patriarcharũ fide
fulgentia, prophetarum spe lætantia, Apostolo-
rum in duodecim tribubus Israel orbem iudican-
tia, martyrum purpureis uictoriæ coronis lucen-
tia, uirginum quoq; choros candẽtia serta gestan-
tes inspicere. De rege autem qui horum medius
residet, dicere uox nulla sufficit. Effugit enim om
nem sermonem, atq; omnẽ sensum humanæ men
tis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa uirtus,
illa gloria, illa magnificentia, illa maiestas. Vltra
enim omnem sanctorum est gloriam ipsius inæsti
mabilem aspicere conspectum, & splendore ma-
iestatis eius irradiari. Si enim quotidie oporteret
nos tormenta perferre, si ipsam gehennam par-
uo tempore tolerare, ut Christum uidere digni
possemus in gloria uenientem & sanctorum eius
numero sociari, nonne erat dignum pati omẽ q̃d
triste est ut tanti boni tantæq; gloriæ participes
haberemur? † Quæ erit illa fratres charissimi iu- Huc usq; ex Chrysost.
storum gloria, quàm grandis sanctorum lætitia,
cum unaquęq; facies fulgebit ut sol, cũ ordinibus
distinctis populum suũ dominus in regno patris
sui cœperit recensere, & meritis atq; operibus sin-
gulorum præmia promissa restituere, pro terre-
nis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro
modicis magna præstare, adducere sanctos in ui-
sionem paternæ gloriæ, & facere in cœlestibus
consedere, ut sit deus omnia in omnibus, æterni-
tatemq; amatoribus suis & immortalitatem largi
ri, atq; eos quos sanguinis sui uiuificatione repa-
rauit denuo ad paradisum reducere, regna cœlo-
rum fide & ueritate suæ pollicitationis aperire?
Hæc hæreant firmiter sensibus nostris, hæc intel-
ligantur plena fide, hæc toto corde diligant, hæc
indesinentium operum magnanimitate acquiran
tur. Reposita est in potestate facientis, q̃a regnum
cœlorum uim patitur, Res ista ò homo, id est, reg-
num cœleste aliud nõ quęrit pretium q̃ teipsum.
Tantum ualet quantum es tu. Te da, & habebis il
lud. Quid turbaris de precio? Christus semetipsũ
tradidit ut acquireret te in regnũ deo patri: ita &
tu teipsum da ut sis regnũ eius, ac nõ regnet pec-
catũ in mortali tuo corpore, sed spiritus in acquisi
tionem uitæ. Ad hanc igitur operum salutarium
dilectissimi palmam libenter ac prompte certe-
mus, omnes in agone iustitiæ deo & Christo spe-
ctante curramus. Et qui seculo & mundo maiores
esse cœpimus, à cursu nostro nulla seculi cupidita
te retardemur. Si expeditos, si celeres in hoc ope-
ris agone, si currentes dies ultimus inuenerit, nus-
quam dominus meritis nostris ad præmiũ deerit
remunerator. Qui coronam in persecutione pur-
puream pro passione donauit, ipse in pace uiuen-
tibus p iustitię meritis dabit candidã. Nã nec A-
braham, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, & tñ fidei
& iustitiæ meritis honorati inter patriarchas pri-
mi esse meruerunt. Ad quorũ cõgregat conuiuiũ,
quisquis fidelis & iustus & laudabilis inuenitur.
Memores esse debemus uoluntatem nõ nostram,
sed dei facere debere: quia qui fecerit eius uolun-
tatem, ipse manebit in æternum, quomodo & ille
manebit

manebit in ęternum. Quapropter charissimi men
te integra, fide firma, uirtute robusta, charitate per A
fecta parati ad omnem uolũtatem dei simus, con-
seruantes fortiter domini mandata. In simplicitate
seruate innocentiam, in charitate cõcordiam, mo
destiam in humilitate, diligentiam in administra-
tione, uigilantiam in adiuuandis laborãtibus, mi-
sericordiam in fouendis pauperibus, in defensa ue
ritate constantiam, in disciplinæ seueritate censu-
ram, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum
Ex fine ser. D. Cypriani de mortalit. in nobis desit. Hæc sunt uestigia quæ nobis sancti
quiq; reuertentes in patriam reliquerunt, ut illorũ
semitas inhærentes sequeremur ad gaudia. Patriã
quoq; nostram paradisum cum illis computemus,
parentes patriarchas iam habere cœpimus. Cur
non properamus & currimus ut patriã nostram ui B
dere, & parentes salutare possimus? Magnus illic
nos charorũ numerus expectat, parentum, fratrũ,
filorum frequens nos & copiosa turba desiderat,
iam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra sa
lute solicita. Ad eorũ complexum & cõspectum
uenire, quanta illis & nobis in cõmune lætitia est?
Qualis illic cœlestiũ uoluptas conseruorũ societa
tem expectantium? Quàm summa & perpetua fe
licitas? Illic apostolorũ gloriosus chorus, illic pro
phetarũ exultantium numerus insignis, ibi marty
rũ populus innumerabilis ob certaminũ uictoriã
coronatur, illic clarissima uirginum turba lętatur,
illic etiã confessorũ fortitudo laudatur. Sed & illo-
rum numeratio censetur, qui præcepta dominica
seruantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimo- C
nia transtulerunt. Ad hos electos dei auida cupi
ditate properemus, ut cũ his cito esse, & cito nos
ad Christum peruenire contingat, ad eum quem
huius itineris ducẽ habeamus, salutis authorem,
lucis principem, lætitiæ largitorem: Qui uiuit &
regnat cum deo patre omnipotente & spiritusan
cto in secula seculorum, Amen.

Item in eodem festo, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Matthæum, Videns Iesus turbas ascendit in montem & cætera, quæ sumpta est ex primo libro, De sermone domini in monte.

DE ANIMABVS FIDELIVM Defunctorum.

In die commemorationis animarum fidelium D
defunctorum, De eo quod scriptum est in Euan-
gelio secundum Matthæũ, Venite benedicti, &c.

Sermo I

SERMO XXXVIII

MODO cum Euangelica lectio legeretur,
audiuimus dicentem dominum, Veni-
te benedicti, percipite regnum quod uo-
bis paratum est ab origine mundi. Vt ergo istam
uocem desiderabilem audire, & ab audito malo
possitis per dei gratiam liberari, totis uiribus deo
auxiliante contendite lectionem diuinam in do-
mibus uestris frequenter legere, & in ecclesia li-
benter & obedienter audire. Sicut illa uox desi-
derabilis est per quam dicitur misericordibus, Ve
nite benedicti, percipite regnum: ita è contrario
sceleratis & immisericordibus metuenda est &
ualde terribilis, Discedite à me maledicti in ignẽ
æternũ. Auertat à nobis hoc deus fratres charissi-
mi, & ab auditu malo nos liberare dignetur, ut in
nobis impleat illud quod scriptum est, In memo- Psal.111
ria æterna erit iustus, ab auditione mala non timẽ
bit. Hoc est auditum malum quod audituri sunt
impij, Discedite à me maledicti in ignem æter-
num. Irreuocabilis enim sententia erit, quæ à pijs-
simo deo ideo multo antè predicitur, ut à nobis
totis uisceribus caueatur. Si enim nos deus no-
ster uellet punire, non nos ante tot secula commo
neret. Inuitus quodammodo uindicat, qui quo-
modo euadere possimus multo ante demonstrat.
Non enim te uult percutere, qui tibi clamat, ob-
serua. Considerate tamẽ quid dicturus est ad dex-
teram positis, Venite, inquit, benedicti, percipi- Matt.25
te regnum quod uobis paratũ est ab origine mun
di. Aduertite fratres charissimi, quia regnum cœ-
lorum nobis prædestinatum, gehenna autem nõ
nobis, sed diabolo præparata est. Deniq; sic audi-
turi sunt ad sinistram, Esuriui enim, inquit, & non
dedistis mihi manducare. Ergo nec illi qui ad dex
teram erunt, ideo accipiunt, quia nunquam pec-
cauerunt, sed quia peccata sua mundare eleemo-
synis studuerunt. Et illi qui ad sinistram erunt non
ideo mittunt ad ignem quia peccatores fuerunt,
sed quia peccata sua eleemosynis redimere uolue
runt. Ac sic & illos largitas sola glorificabit, & i-
stos sola sterilitas cõdemnabit: quia sicut impossi
bile est ut nullus homo possit sine peccato esse, sic
per dei misericordiam possibile est, ut bonis ope- C
ribus, & præcipue eleemosynis se unusquisq; re-
dimat à peccato, ut tamẽ in malo impleatur quod
scriptum est, Iudiciũ sine misericordia illi qui non Iac.2
fecit misericordiã, Consequenter & in bono illud
in Psalmo, Dispersit, dedit pauperibus, iustitia e- Psal.111
ius manet in seculũ seculi. Et hoc considerate fra-
tres pro qua remittunt in ignem æternũ. Nõ enim
illis dicendum est, quia homicidia fecistis, adulte
ria cõmisistis, quia alienam substantiam rapuistis,
sed hoc solum audituri sunt, quia esuriui, & non
dedistis mihi mãducare. Rogo uos fratres nolite
hæc trãsitorie cogitare, nec credatis q̃ hoc de Iu-
dæis tantũ aut paganis uel hæreticis fuerit dictũ,
sed definitissime credite quia hoc Christiani & ca
tholici qui in malo opere perseuerare noluerint,
audituri sunt. Ad iudicium enim non ueniũt nec
Pagani, nec hæretici, nec Iudæi, quia de ipsis scri-
ptum est, Qui non credit iam iudicatus est. Et i- Ioan.3
deo inter illos qui ad sinistram mittendi sunt, non
solum laici erũt, sed & multi episcopi, quod peius
est, clerici mali, uel monachi cupidi uel superbi,
simul & sanctimoniales & uiduæ iracundæ, su-
perbæ, uel cupidæ, & si eis fructuosa pœnitentia
non subuenerit, audituri sunt illam metuẽdam &
irreuocabilem uocem, Discedite à me maledicti
in ignem æternum. Sententia ista si eam fideliter
eum ingenti timore uoluerimus audire, ab omni
opere malo nos poterit reuocare. Diligenter er-
go cauete & uidete quid ueritas dixit, Discedite à
me maledicti in ignẽ æternum, quia esuriui, & nõ
dedistis

dedistis mihi manducare. Si in ignem mittet qui esurienti non dedit panem suum, putas ubi mittendus est qui tulit alienum? Si in ignem mittetur qui nudum non uestit, ubi mittendus est qui uestitum expoliauit? Si cum diabolo damnat qui hospitibus non prebuit domum suam, putas ubi mittendus est qui tollit alienã? Si periturus est qui carcerem non uisitauit, quid de illo fiet qui forte in carcerem misit? Rogo uos fratres charissimi hinc attendite, quam spem habere possunt qui mala faciunt, quando illi periturí sunt qui bona non faciunt? Deniq; & alio loco dñs terribiliter nos admonet dicens: Omis arbor quæ nõ facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittet: Non dixit, quæ facit fructũ malũ: sed quæ non facit fructum bonum. Hinc ergo possumus euidẽter agnoscere quas pœnas arbor spinosa in die iudicij patietur, qñ illa quæ fructum non dederit excidetur, & in ignem mittet. Nemo se decipiat fratres charissimi, Nemo se falsa spe circũueniat, quia Christiani nominis non facit sola dignitas Christianum, nihilq; pdest quòd aliquis Christianus uocat in nomine, si hoc non ostendit in opere. Scriptum est enim, Fides sine operibus mortua est. Qui enim credit, & opera bona non exercet, clamat illi scri-
Iacobi 2 ptura diuina, Tu, inquit, credis quia deus unus est, bene facis. Et dęmones credunt & contremiscũt. Ac sic qui credunt, & opera bona non faciunt, fidem dæmonum uident habere, Qui uero non credunt, peiores dæmonibus comprobant. Et illud diligenter considerandum est quod dominus di-
Ioan.14 cit: Qui audit mandata mea & facit ea, ipse est qui diligit me. Et iterum: Si quis diligit me, mandata mea seruat, Et sine dubio qui non custodit non diligit. Et illud ualde timendum est, quod iterũ dominus dicit: Quid prodest quod dicitis, Domine domine, & non facitis quæ dico uobis? Scire debemus fratres charissimi, quòd nihil prodest uerbis proferre fidem, & factis deserere ueritatem. Sicut nobis nõ placet si serui nostri uerbis se profitentur esse nostra mancipia, & tamen non uelint implere opera sua: ita nec deo placet, si quisque Christianum uerbis tantummodo esse pronunciat: & opera quæ fieri iussit Christus implere dissimulet. Deniq; beatus Apostolus cum de reddenda ratione in die iudicij loqueretur, ita pronuncia
2. Cor. 5 uit dicens: Oportet nos, inquit, omnes stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum: &
Matth. 16 dominus in Euangelio, Tunc, inquit, reddet unicuique secundum opera sua: Non dixit, secũdum fidem suam: sed, unicuique secundum opera sua: quia sicut iam supra dictum est, Iacobus Aposto-
Iacob. 2 lus clamat, Fides sine operibus mortua est. Nos ergo fratres charissimi, si & pœnam euadere, & ad ęternam beatitudinem uolumus peruenire, nõ solum credamus in deum, sed etiam toto corde diligamus, & quantum possumus, ipso adiuuãte bona opera facere studeamus, ut cum ipso auxiliante fecerimus quæ precepit, mereamur recipere quæ promittit, Amen.

Eodem die, de iudicio extremo, & parabola zi-
A zaniorum. Sermo II

SERMO XXXIX

R ECOGITEMVS fratres charissimi cuncta mala quæ fecimus, ut minis æterni iudicis perterriti, ad ultimum saltẽ studeamus bona facere. Vnde dominus in Euangelio dicit: Non omnis qui dicit mihi Domine domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit uoluntatem patris mei qui est in cœlis, ipse intrabit in regnum cœlorum. Hoc etiam fratres charissimi cogitare debemus, quia in illa die reddet deus unicuique secundum opera sua, bonis bona, malis mala. Bonos mittet in uitam æternam, malos in ignem æternum. Væ illi homini qui cum diabolo mansionem habebit. Pensemus quòd i-
B stud regnum finem habet, regnum dei finem non habet. Ista uita laboriosa, caduca & fragilis, plena scandalis, inuidiosa quid aliud quærit nisi manducare, bibere, inebriari, luxuriari, detractiones facere? Certe ubi uolumus permanere, illuc debemus festinare. Fratres, nos peregrini sumus in hoc mundo, conuertamur ad dominum qui fecit nos. Fratres audistis quòd dominus uindicare uenit, & peccatores mittet in ignem æternum, sicut in Psalmo dicit: Exurgat deus & dissipentur inimici eius. Quid autem suis dicturus sit in die illa audiamus, Venite benedicti patris mei. Et iusti regnabunt sine fine cum Christo, sicut dicit, Et iusti epulentur, & exultent in conspectu dei. Et do-
C mine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo mixtum est zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Primum colligite zizania, & alligate per fasciculos ad comburendum. Messis hæc est genus humanum in consummatione seculi ad iudicium congregandum. Zizania, peccatores. Inimicus homo diabolus, qui superseminauit peccata. Messores sunt angeli, qui eligunt iustos à peccatoribus. Ligate fasciculos, hoc est, rapaces cum rapacibus, adulteros cũ adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracũdis, falsos testes cum falsis testibus, fures cum furibus, derisores cum derisoribus, similes cum similibus. Hi sunt fasciculi ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum, id est, mitti-
D te iustos in paradisum. Fratres expauescere & timere debemus de tam breui satietate, de tam longa fame, de tam longis tenebris, de tam breui luce. Dum tempus habemus, conuertamur ad dominum, qui fecit nos, ut non mereamur introire in illas tenebras, sed in lucem: quia omnis homo cuius opera facit, eius filius est. Si opera dei facimus, filij dei sumus. Quod modo peccamus cito emendare debemus, & non addere peccata peccatis. Vnde Psalmista, Apponite iniquitatẽ sup iniquitatẽ eorũ, & non intrent in iustitiã tuã. Confessionẽ quæramus puro corde, & pœnitẽtiam donatam à sacerdotibus perficiamus. Nolite iram recõdere in cordibus uestris, quia quando iram portamus, nec oblatio nec oratio à deo recipitur. Date eleemosynam, recipite peregrinos in domibus uestris

Matt. 7

Psal. 67

Matt. 25

Psal. 68

stris, pedes eorum lauate, & lectos ipsorum præparate, dolentes consolamini. Nolite despicere
A peregrinos, quia ipsi peregrini estis. Non circumuenias fratrem tuum in negocio, quia deus iudex est. Pauperes & uiduas & orphanos nolite opprimere. Nolite de rapinis pauperum eleemosynas facere. Tristatur qui perdit, gaudet qui acquirit. Lucratur pecuniam, & perdit animam. Attendit quid acquirit, & non attendit quid perdit. Fratres cum domini adiutorio dum tẽpus habemus, laboremus quatenus à malis simus pœnitẽtes aut per ieiunium, aut per eleemosynas, aut per uigilias, aut per orationes, aut per charitatem: ut mereamur peruenire ad regna cœlestia, ubi est satietas sine fame, ubi est lux sine tenebris, iuuentus sine senectute, requies sine labore, gaudium sine fine. Ipse qui nos creauit nos adiuuet, ut ad cœlestia regna mereamur peruenire, per Christum dominum nostrum, Amen.

Eodem die, de iudicio extremo cogitando.
Sermo III

SER. LX

O FRATRES charissimi, quàm timẽdus est ille dies, in quo dominus noster Iesus Christus proponit uenire cũ flãma ignis, qui inflãmabit aduersarios suos, & eos qui
Matt. 24 faciunt iniquitatẽ. In illa die plangent super se omnes tribus terræ, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cœli cũ uirtute magna, & maiestate excelsa, & cõmouebit ante eum terra, & peccatores peribunt, & cœlum plicabitur, & mare sicabit, & montes sicut terra ardebunt, & terra usq; ad inferos, Sol conuertetur in tenebras, & luna
C non dabit lumen suum, & stellæ cadẽt de cœlo in terram, & uirtutes cœlorum commouebuntur, & tunc apparebit signũ filij hominis, quod est crux Christi, in cuius lumine tenebrabitur totus mundus. Tunc sancti uolabunt obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erũt, peccatores autem peribunt & cõfundentur, Et tunc fiet iudicium. Et tũc ueniet dñs noster Iesus Christus, & mittet angelos suos ad quatuor angulos terræ, & congregabunt electos eius à summo cœli usq; ad summum eius, & tũc separabit dñs sanctos suos à peccatoribus, & mittet eos in caminum ignis ardentis, ibi erit fletus & stridor dentium, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Væ illis hominib.
D qui habebũt mansionẽ cum diabolo, ex qua ascendet fumus tormentorũ in secula seculorũ. Quorũ uermes non morientur, & ignis non extinguetur. In qua nulla uox nisi gemitus, ubi nulla requies, sed semper inquietudo. In qua nullũ habebũt refrigerium, sed semper flãmam, ubi lux nunq; uidebit nisi tenebræ, & non ueniẽt unq; in memoriã ante deum. Quorũ cibus est cruciatus, & mansio eorũ cum diabolo, ubi nulla uisitatio nisi pœna. O homo qui desideras regnum dei possidere, cur fecisti malum? Dũ potes emenda, dũ tẽpus habes clama ad omnipotentẽ deũ, dum datur spatiũ luge, dum licentia est pœniteas, festina dum potes, dum anima uersatur in corpore, dum adhuc uiuis futurum remediũ require tibi prius, q; te profundũ absor-
Aug. to. 10

beat pelagus, & prius q; te malignus rapiat infernus, ubi nulla datur indulgentia, ubi nullus regreditur ad ueniã: de qua pœna pius nos dominus eripere dignetur, qui cum deo patre uiuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Eodem die, de igne purgatorij.
Sermo IIII

Ser. XLI

N lectiõe apostolica fratres charissimi audiuimus Apostolũ dicẽtẽ. Fundamentũ aliud nemo potest ponere
1. Cor. 3 præter id quod positũ est, quod est Christus Iesus. Si quis aũt superædificat supra fundamentũ hoc, aurum, argentũ, lapides preciosos, lignũ, fœnum, stipulam, uniuscuiusq; opus manifestum erit. Dies enim dñi declarabit, quia in igne reuelabit, & uniuscuiusq; opus quale sit, ignis cõprobabit. Si cuius
B opus manserit quod superædificauit, mercedẽ accipiet, Si cuius opus arserit, detrimẽtum patietur: ipse aũt saluus erit, sic tamen quasi per ignẽ. Multi sunt qui lectionem istam male intelligentes falsa securitate decipiuntur, dum credunt quod si supra fundamentum Christi capitalia crimina ædificẽt, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, et ipsi postea ad uitam perpetuam peruenire. Intellectus iste fratres charissimi corrigendus est, quia ipsi se seducunt qui taliter sibi blandiuntur. Illo em transitorio igne, de quo dixit Apostolus, Ipse autem saluus erit, sic tamẽ quasi per ignẽ: nõ capitalia, sed minuta peccata purgant. Et quamuis, quod peius est, non solũ maiora, sed etiam minuta, si nimium plura sint, mergunt: de ipsis maioribus
C siue minoribus peccatis, & si non omnia uel aliqua commemoranda sunt, nec aliquis se inaniter excusare conetur, & dicat nescire se quæ sint minuta peccata, uel quæ crimina capitalia. Et quamuis Apostolus capitalia plura commemorauerit, nos tamen ne desperationem facere uideamur, breuiter dicimus quæ sunt illa, Sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, inuidia, auaritia,: & si longo tempore teneatur iracundia, & ebrietas si assidua sit, in eorũ numero computatur. Quicunq; enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognouerit, nisi digne se emendauerit, & si habuerit spacium longo tempore pænitentiã egerit, & largas eleemosynas erogauerit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, pur-
D gari nõ poterit, sed æterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit. Quæ autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamẽ quia longũ est ut omnia replicentur, opus est ut ex eis uel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut in potu plus accipit quàm necesse sit, ad minuta peccata nouerit pertinere. Quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit. Quoties pauperẽ importune petentẽ exasperat. Quoties cũ corpore sit sanus alijs ieiunantib. prandere uoluerit, aut somno deditus tardius ad ecclesiã surgit. Quoties excepto desiderio filiorũ, uxorẽ suam cognouerit. Quoties in carcere clausos & in uinculis positos tardius requisierit. Quoties infirmos tardius

uisitauerit, Si discordes ad concordiam reuocare
neglexerit. Si plus aut proximũ, aut uxorẽ, aut fili
um aut seruum exasperauerit q̃ oportet. Si ampli
us fuerit blanditus q̃ expedit. Si cuicunq; maiori
personæ aut ex uoluntate aut ex necessitate adula
ri uoluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non
dederit, aut nimium deliciosa, aut sumptuosa sibi
conuiuia præparauerit. Si se in Ecclesia aut extra
Ecclesiam fabulis ociosis, de quibus in die iudicij
ratio reddenda est, occupauerit. Si dum incaute iu
ramus, & cum hoc per aliquam necessitatẽ imple
re non poterimus, utiq; periuramus. Et cum omni
facilitate uel temeritate maledicimus, cũ scriptum
1 Cor. 6 sit, Neq; maledici regnum dei possidebunt. Et cũ
aliquid suspicamur temere, quod tamẽ plerunque
non ita, ut credimus, comprobatur, sine ulla dubi
tatiõe delinquimus. Hæc enim & his similia ad mi
B nuta peccata pertinere non dubium est, quæ, sicut
iam dixi, enumerari uix possunt, & à quibus nõ so
lum populus Christianus, sed etiam nullus sancto
rum immunis esse potuit aliquando aut poterit.
Quibus peccatis licet occidi animam non credamus,
ita tamẽ eam uelut quibusdã pustulis, & qua
si horrẽda scabie replentia deformẽ faciunt, ut eã
ad amplexus illius spõsi cœlestis aut uix, aut cum
grandi cõfusione uenire permittant. De quo scri-
Ephes. 5 ptum est, Aptauit sibi Ecclesiã nõ habentẽ macu-
lam aut rugã. Et ideo cõtinuis orationibus, & fre
quentibus ieiunijs, & largioribus eleemosynis, &
præcipue per indulgentiã eorũ qui in nos peccãt
assidue redimant, ne forte simul collecta cumulũ
faciant & demergãt animã. Quicquid emẽ de istis
C peccatis à nobis redemptũ nõ fuerit, illo igne pur
1. Cor. 3 gandum est, de quo dixit Apostolus, Quia in igne
reuelabitur. Et si cuius opus arserit, detrimentum
patietur. Aut enim dum in hoc mundo uiuimus,
ipsi nos per pœnitentiã fatigamus, aut certe uolen
te aut permittente deo multis tribulationibus pro
istis peccatis affligimur, & si deo gratias agimus li
beramur. Quod ita fit, si quotiens maritus, aut ux
or, aut filius moritur, uel si substantia quæ à nobis
plus q̃ oportet amatur, aufertur. Licet plus Chri
stum q̃ ipsam substãtiã diligamus, & si necessitas
fuerit malimus ipsam substantiã perdere q̃ Chri
stum negare: tamẽ quia, sicut iam dixi, si plus eam,
q̃ oportet diligimus, amittere eam aut dum uiui-
mus, aut dum morimur, sine grandi dolore non
D possumus: & tamẽ, si deo, qui illam à nobis auferri
uelut pius pater permittit, tanq̃ boni filij gratias
agamus, & minus nos pati q̃ meremur cũ uera hu
militate proferamus, ita peccata ipsa in hoc secu-
lo purgãtur, ut in futuro ille ignis purgatorius aut
nõ inueniat, aut certe parũ inueniat quod exurat.
Si aũt nec in tribulatione deo gratias agimus, nec
bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiu in
illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu
supradicta peccata minuta tanquã ligna, fœnum,
stipula consumãtur. Sed dicit aliquis, Non perti-
net ad me quamdiu moras habeam, si tamen ad ui
tam æternam perrexero. Nemo hoc dicat fratres
charissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit
quàm qui potest in hoc seculo pœnarũ uideri aut
A cogitari, aut sentiri. Et cum de die iudicij scriptum Psal. 89
sit, q̃ erit dies unus tanquã mille anni, & mille an-
ni tanquam dies unus, unde scit unusquisq; utrum
diebus an mẽsibus, an forte etiã & annis per illum
ignem sit transiturus? Et qui modo nec unũ digi-
tum suũ in ignem uult mittere, timeat necesse est
uel tunc paruo tẽpore cũ anima & toto corpore
cruciari: & ideo totis uiribus unusquisq; laboret,
ut capitalia crimina possit euadere, et minuta pec
cata, ita operibus bonis redimere, ut de ipsis nihil
uideatur remanere q̃d ille ignis possit absumere. Il
li aũt qui capitalia crimina cõmittũt, si quãdiu ui-
uunt, ea redimere pœnitentiẽ medicamẽtis nolue
rint, ad illũ ignẽ, de quo dicit Apostolus, Ipse aũt 1 Cor. 5
saluus erit, sic tamẽ quasi per ignẽ: sic iam dictum
est, uenire nõ poterũt sed magis illam durã & irre-
uocabilem sententiã audituri sunt, Discedite à me Matt. 25
maledicti in ignem æternũ. Et ideo, qui ab ista per
petua pœna, & ab illo purgatorio igne desiderãt
liberari, crimina capitalia nõ admittant, aut si iam
cõmiserunt, fructuosam agant pœnitentiã, & illa
parua uel quotidiana peccata bonis operibus redi
mere non desistant. Quibus tamen operibus mi-
nuta peccata redimantur, plenius uobis insinuare
desidero. Quoties infirmos uisitamus, in carcere
clausos & positos in uinculis requirimus, discor-
des ad concordiã reuocamus, indicto ecclesiæ ie-
iunio ieiunamus, pedes hospitib. abluimus, ad ui-
gilias frequenter cõuenimus, eleemosynam ante
ostium prætereuntibus pauperib. damus, inimicis
nostris quoties petierint ueniã in dulgemus. Istis
C emẽ operibus & his similibus minuta peccata re-
dimunt quotidie. Pro capitalibus uero criminib.
non hoc solũ sufficit, sed addendæ sunt lachrymæ,
rugitus & gemitus, cõtinuata longo tempore ac
protracta ieiunia, & largiores eleemosynæ erogã
dæ, ultro nosipsos à cõmunione Ecclesiæ remouẽ
tes, in luctu & in tristitia multo tẽpore permanen
tes, & pœnitentiã etiã publice agentes: quia iustũ
est, ut qui cum multorum destructione se perdide
rit, cum multorum ædificatione se redimat. Ad ex
tremum non est impossibile uel incõgruum quod
suggero, uel sic lugeamus extinctam nostram ani
mam quomodo alienam carnem mortuam plan-
gimus. Si aut uxor, aut filius, aut maritus mortui
D fuerint, in terram se collidunt homines, capillos
trahendo, pectora tundendo, in luctu & pœniten
tia, uel in lachrymis non paruo tempore perseue-
rant. Rogamus fratres, exhibeamus nos animę no
stræ quod illi exhibẽt alienę carni. Et hoc uidete
fratres q̃ malum sit, ut lugeamus quod nõ possu-
mus suscitare. Carnẽ quam nõ possumus suscitare
plangimus, & animã nostram mortuã non plangi
mus quã possumus per pœnitentiã ad statũ pristi-
num reuocare. Sed quod nobis peius est, corpus
mortuũ plangimus quod amamus: animam uero
mortuã quam nõ amamus, non dolemus, nõ plan
gimus. Et ideo mutata uice incipiamus plus do-
minum amare quàm seruũ, id est, plus factorẽ cor
poris quàm corpus: plus dominã quàm ancillam,
id est

id est, plus animam ad imaginẽ dei factam quàm
carnẽ de limo terræ formatam: ut cum die ultimo
A caro nostra putrescere, & à uermib. deuorari cœ-
perit in sepulchro, anima in Abrahæ gremio ange
lorum manibus eleuetur, & in die iudicij recepto
per resurrectionẽ corpore audire mereamur: Eu-
ge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini
tui. Et ut hæc, quæ supra diximus, cordibus uestris
tenacius ualeãt inhærere, & ipsa apostolica lectio
plenius possit intelligi, breuiter ea charitati uestrę
uolo repetere. Omnes sancti qui deo fideliter ser-
uiunt, lectioni uel orationi uacare, & in bonis ope
ribus perseuerare contendunt, nec capitalia crimi
na, nec minuta peccata, id est, ligna, fœnum, & sti-
stulam supra fundamentum Christi, sed bona ope
ra, id est, aurum, argentum, lapides preciosos su-
perædificãtes, per ignem illum, de quo dicit Apo
B stolus, Quia in igne reuelabitur, absq; ulla uiolati-
one transibunt. Illi uero, qui quamuis capitalia cri
mina nõ admittant, & ad ꝓpetranda minuta pec-
cata sunt faciles, & ad redimenda sunt negligen-
tes, ad uitam æternam pro eo quòd in Christum
crediderunt, & capitalia peccata non admiserunt,
uenturi sunt: sed prius aut in hoc seculo per dei iu-
stitiam uel misericordiam, sicut iam dictum est,
amarissimis tribulationibus sunt coquendi, aut il-
li ipsi per multas eleemosynas, & præcipue dum
inimicis suis clementer indulgent, per dei miseri-
cordiam liberandi, aut certo illo igne, de quo di-
cit Apostolus, longo tempore cruciandi, ut ad ui-
tam æternam sine macula & ruga perueniant. Illi
uero qui aut homicidium, aut sacrilegium, aut ad-
ulterium, uel reliqua his similia cõmiserunt, sicut
iam dictum est, si eis digna pœnitentia non subue
nerit, non per purgatorium ignem transire mere-
buntur ad uitam, sed æterno incendio præcitabun
tur ad mortem. Et ideo quoties in lectione aposto
lica audieritis: Si quis supra fundamentum Christi
superædificat aurum, argẽtum, lapides preciosos,
de sanctis hoc et perfectis Christianis accipite, qui
uelut aurum purgatum merebũtur ad æterna præ
mia peruenire. Illi uero superædificant ligna, fœ-
num & stipulam, de bonis Christianis, sed negli-
gentibus minuta peccata purgare, ut sæpe dictum
est, intelligite: quę peccata si nec diuina iustitia
multis tribulationibus purgauerit, nec unusquisq;
eleemosynarum largitate redemerit, non sine
grandi dolore in illis implebitur illud quod dicit
D Apostolus, Si cuius opus arserit detrimentum pa-
tietur, ipse autem saluus erit sic tamẽ quasi per ig-
nem. Nemo tamen, sicut iam supra dictum est, se-
ipsum circumueniat, ut hoc etiam pro capitalibus
criminibus, si incurata remanserint, posse fieri cre
dat. Et ideo, sicut iam sæpe dixi, quantum possu-
mus, cum dei adiutorio laboremus, ut & maiora
peccata possimus euadere, & minuta sine quibus
esse non possumus, iugiter amore imimicorum
& eleemosynarum largitate redimere, præstan-
te domino Iesu Christo, qui cum patre &
spiritu sancto uiuit & regnat deus in
secula seculorum, Amen.

Aug. to. 10

DE SANCTIS IN GENERE
siue communiter.

DE APOSTOLIS

In festis sanctorum apostolorum, de eo quod
scriptum est in Euangelio secundum Lucam, De
signauit dominus & alios septuaginta duos &c.

Sermo I

A N lectione Euangelij, quæ modo reci Ser. XLII
I tata est, admonemur quærere quæ sit Lucæ 10
messis de qua dñs ait, Messis quidem
multa, operarij autẽ pauci. Rogate dñm messis, ut
mittat operarios in messem suã. Tunc adiecit duo
decim discipulis suis, quos & apostolos nomina-
uit, alios septuaginta duos, & misit illos omnes, si-
cut ex uerbis eius apparet, ad paratã messem. Quę
ergo erat illa messis? Nõ emẽ illa messis in his gen-
B tibus erat, ubi nihil fuerat seminatũ. Restat ergo,
ut intelligamus, istam messem fuisse in populo iu-
dæorum. Ad illam messem uenit dominus messis,
ad illam messem misit messores, ad gentes autem
non messores, sed seminatores. Intelligamus ergo
messem factam in populo iudæorum, sementem
in populis gentium. Ex illa enim messe Apostoli
electi sunt, ubi iam cum meteretur maturum erat,
quia ibi prophetę seminauerunt. Delectat inspice
re agriculturam dei, & oblectari donis eius, & o-
pera in agro eius. In hac enim agricultura operaba 1 Cor. 5
tur qui dicebat, Plus omnibus illis laborui. Sed
uires ei dabantur ad operãdum à domino messis,
ideo subiecit, Nõ ego sum, sed gratia dei mecum.
C Nam in agricultura uersari satis ostendit, ubi ait,
Ego plãtaui, Apollo rigauit. Hic autem apostolus 1. Cor. 3
de Saulo Paulus, hoc est, de supbo minimus. Sau-
lus enim à Saule denominatur. Paulũ enim modi-
cum est. Vnde nomen suum quodammodo inter
pretatus ait, Ego sum minimus apostolorum. Ipse
ergo Paulus, id est, modicus & minimus missus ad
gentes, præcipue ad gẽtes se missum dicit. Ipse scri
bit, nos legimus, credimus, prædicamus. Ipse ergo
dicit in epistola sua quæ est ad Galatas, uocatũ se
iam à domino Iesu uenisse Hierosolymã, & Euan-
gelium cum apostolis contulisse, dexteras sibi da-
tas fuisse, & signum concordiæ, signum consonan
tiæ, quod ab se ipsi didicerant, eis in nihilo discre-
pabat. Deinde placuisse dicit inter se et ipsos, ut ip
se ad gentes, illi aũt in circuncisionẽ irent, ille semi
nator, illi messores. Merito etiam Athenienses,
D quamuis nescientes nomen suum ei dixerunt: Au Act. 27
dientes enim ab eo uerbum, quis est, inquiunt, hic
seminator uerborum? Attendite ergo & delectet
uos mecum inspicere agriculturam dei in messes
duas, unam transactam, aliam futuram. Transactã
in populo Iudæorum, futuram in populis genti-
um. Probemus hoc, & unde nisi de scriptura dei
domini messis? Ecce habemus ibi in præsenti capi
tulo dictum esse: Messis multa, operarij autem
pauci. Rogate dominum messis, ut mittat operari
os in messem suam. Sed quia in illa messe futuri e-
rant contradictores & persecutores Iudæi, Ecce,
inquit, mitto uos sicut agnos in medio luporũ, eui
dentius de hac messe aliquid ostẽdamus in Euan-

gelio ſecundum Ioannem, ad puteum ubi fatigatus dominus ſedit, magna quidem acta ſunt ſacramenta, ſed anguſtum tempus eſt ut omnia pertractentur. Quod autem ad præſentem rem pertinet audite. Suſcepimus enim meſſem eandẽ in populis, in quibus prophetæ prædicauerunt, ideo enim illi ſeminatores, ut Apoſtoli poſſint eſſe meſſores. Samaritana mulier loquitur cũ dño Ieſu, Et
Ioan.4 inter cætera cũ dixiſſet ei dominus quomodo debeat adorari deus: Ait illa, Scimus quia ueniet Meſſias, qui dicitur Chriſtus, & omnia nos docebit. Et dominus ad illam, Ego ſum qui loquor tecum. Crede quod audis, quid quæris quod uides? Ego ſum qui loquor tecũ. Quòd aũt illa dixerat, Scimus quia Meſſias ueniet, quem annunciauerunt Moyſes & prophetæ, qui dicit Chriſtus: Iam enim ſpica meſſis erat gignẽda, acceperat & prophetas ſeminatores, Apoſtolos expectabat matura meſſores. Mox ut hoc audiuit credidit, & hydriam dimiſit, & feſtinanter cucurrit, annunciare dominũ cœpit. Diſcipuli tunc ierunt ad emendos panes, Qui redeuntes inuenerunt dominũ loquentem cum muliere, & mirati ſunt. Non ſunt tamen auſi dicere ei, quid uel quare cũ illa loqueris. Admirationẽ apud ſe habuerunt, audaciã corde preſſerunt. Huic ergo Samaritanæ non erat nouum nomen Chriſti, iam expectabat uenientẽ, iam crediderat eſſe uenturũ. Vnde crediderat, ſine Moyſe ſeminauerat, ſed hoc expeſſius audite. Dominus tunc ad diſcipulos ſuos ait, Dicitis quia adhuc longe eſt æſtas, leuate oculos ueſtros, & uidete albas regiones ad meſſem. Et adiungit, Alij laborauerunt, & uos in labores eorum intraſtis. Laborauit Abrahã, Iſaac, Iacob, Moyſes, prophetæ, laborauerant ſeminãdo, in aduentu dñi matura meſſis inuenta eſt. Miſſi meſſores cum falce Euangelij, portauerunt manipulos ad aream dominicam, ubi Stephanus trituraretur. Hic autẽ accepit Paulus ille, & ad gentes mittitur, & non tacet hoc in commendando gratiã quam præcipue proprieq; ſuſcepit: ait em in ſcripturis ſuis, miſſum ſe eſſe prædicare Euangelium, ubi Chriſtus non erat nominatus. Sed iam quia facta eſt illa meſſis & omnes Iudęi qui remanſerunt: meſſem attendamus quod nos ſumus. Seminatũ eſt em ab Apoſtolis & prophetis. Ipſe dñs ſeminauit, Ipſe em in Apoſtolis fuit, quia & ipſe meſſuit Chriſtus. Non enim illi ali-
Ioan.15 quid ſine illo, ille perfectus eſt ſine illis. Ipſe enim illis ait, Quia ſine me nihil poteſtis facere. Seminans ergo Chriſtus iã in gentibus quid dicit, Exijt ſeminans ſeminare. Ibi mittunt meſſores metere, hic exijt ſeminans ſeminare impiger. Quid enim pertimuit q; aliud cecidit in uia, aliud in petroſa loca, aliud inter ſpinas? Si iſtas difficiles terras timeret, ad terrã bonam non peruenirẽt. Quid ad nos, quid nobis eſt iam de Iudęis diſputare, & loqui de palea: hoc ſolum ad nos ne uia ſimus, ne ſaxũ, ne ſpinę, ſed terra bona. Paratum cor meum unde tricenum, unde ſexagenum, unde millenum & centenum: illud minus eſt, & illud plus eſt, ſed totũ triticum eſt. Via nõ ſit ubi conculcatũ ſemen à transeuntibus uelut auis auferat inimicus. Saxum non
A ſit ubi modica terra ſtatim faciat germinare, quod non poſſit ſolem portare. Spinæ nõ ſint, cupiditates ſeculi, ſolicitudines uitæ uitioſæ. Quid enim peius ſolicitudine uitæ quæ peruenire nõ permittit ad uitam? Quid miſerius q; curãdo uitam amittere uitã? Quid infelicius q; timendo mortẽ cadere in mortem? Extirpenẽ ſpinæ, paretur ager, ſuſcipiantur ſemina, perueniatur ad meſſem, horreũ defideretur, non ignis timeat. Ad nos itaq; pertinet, quos qualeſcunq; dñs in agro ſuo conſtituit operarios, dicere iſta uobis, ſeminare, plantare, rigare, aliquibus etiã arboribus circumfodere, & cophinum ſtercoris adhibere, pertinet ad nos hæc fideliter agere: ad uos, fideliter capere: ad dominũ, nos
B adiuuare operantes, uos credentes, omnes laborantes, ſed mundum in illo uincentes. Quid ergo ad uos pertinet dixi, quid ad nos pertineat uolo dicere. Sed forte alicui ex uobis uidetur, quia dixi ſuperfluũ aliquid me uelle dicere, & apud ſeipſum loquens in cogitatione dicit, O ſi iam dimittat nos, iam dixit, quid pertineat ad nos, quod ad ipſum pertinet quid ad nos? Puto melius eſſe in alterna & mutua charitate pertineamus ad uos. De una modo quidem uos familia eſtis, nos ex eadem quidem familia diſpenſatores ſumus omnes, ad unum dominũ pertinemus omnes. Nec quod do, de meo do, ſed illius à quo accipio & ego. Nam ſi Ioan.8
de meo dedero, mendaciũ dabo. Qui enim loquitur mendaciũ, de ſuo loquitur. Debetis ergo au-
C dire quid pertineat ad diſpenſatorẽ, ſiue ut in uobis ipſis ſi tales inueneritis cõgratulemini, ſiue etiam in hoc ipſo inſtruamini. Quàm multi enim in hoc populo futuri ſunt diſpẽſatores, & nos ibi fuimus ubi eſtis, Et nos qui uidemur modo de ſuperiore loco cõſeruis metiri cibaria, ante paucos annos inferiori loco cũ cõſeruis accipiebamus cibaria. Epiſcopus laicis loquor. Sed inde ſcio q; multis futuris epiſcopis loquor. Ergo uideamus quõ nos intelligamus quod præcepit dñs eis quos mittebat Euangeliũ prædicare, & mente parata meſſem uideamus. Nolite, inquit, ferre ſacculũ aut pe-
Luc.10 ram, aut calceamẽta, & neminẽ per uiam ſalutaueritis, Et in quãcũq; domũ intraueritis, dicite, Pax huic domui. Si eſt hic filius pacis, requieſcit ſuper illũ pax ueſtra: ſi quo minus, ad uos reuertetur. Si
D requieuit, perdidi? Abſit hoc à mente ſanctorum. Ergo nec illud accipiendum eſt carnaliter, ac per hoc forte nec ſaccus nec calciamenta nec pera, maximeq; illud ubi nobis, ſimpliciter ſine diſcuſſione accipiamus, ſuperbia uidetur impoſita, ne quenquam in uia ſalutemus. Attendamus dominum noſtrũ exemplum uerũ & adiutoriũ. Probe-
Ioan.15 mus quia adiutoriũ, Sine me nihil poteſtis facere, Probemus quia exemplũ, Chriſtus pro nobis paſ-
1 Pet.2 ſus eſt, Petrus dicit, nobis relinquẽs exẽplũ ut ſequamur ueſtigia eius. Ipſe dñs noſter loculos habuit in uia, & ipſos loculos Iudæ cõmendauerat. Patiebat quidẽ furẽ. Sed ego à domino meo diſcere cupiens dico, Domine patiebaris furem, unde habebas unde tolleret, me hominẽ miſerum & in

firmum

firmum monuiſti nec ſacculũ portare. Tu portaſti loculos, & erat ubi furẽ patereris. Si non portares, nec ille inueniret quod auferret. Quid reſtat niſi q; hic dicat mihi, intellige quod audis, noli portare ſacculũ. Quid eſt ſacculus? Pecunia clauſa, id eſt, occulta ſapiẽtia. Quid eſt, nolite portare ſacculũ? Nolite fieri ſapiẽtes penes uoſmetipſos. Accipite ſpiritum ſanctum. Fons in te debet eſſe, nõ ſacculus, unde erogatur, nõ ubi includat. Hoc eſt pera quod ſacculus. Calceamẽta quid ſunt? Calceamẽta, quibus utimur, coria mortuorum ſunt, nobis tegmina pedũ. Per hoc ergo iubemur renunciare mortuis operibus. Hoc in figura Moyſes admo-
Exod.3 nebatur, quãdo dñs loquẽs ait, Solue calceamenta de pedibus tuis, locus em in quo ſtas terra ſancta eſt. Quid tã terra ſancta, q; dei Eccleſia? In illa ergo ſtemus, calceamenta ſoluamus, id eſt, mortuis operibus renunciemus. Nam de his calceamentis, quibus calceati ambulamus, cõſolatur me idẽ ipſe dñs meus. Si enim ipſe calceatus non eſſet, nõ de illo Ioannes diceret, Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum. Sit ergo obedientia, non ſurrepat ſuperba duritia. Ego, inquit, Euangelium impleo, quia nudo pede ambulo: Tu potes, ego non poſſum. Quod ſimul accipimus, cuſtodiamus. Quomodo charitate flagremus, inuicem diligamus: Ac ſic fit, ut ego amem fortitudinẽ tuam, & tu portes infirmitatem meam. Quid aũt tibi uidetur qui non uis intelligere quemadmodum iſta dicta ſint, & cogeris prauiter ipſi dño calumniari de loculis & calceamentis? Quid tibi uidetur? Itá-
C ne placet ut iter agẽtes occurramus charis noſtris, & eos non ſalutemus maiores, nõ reſalutemus minores? Iámne Euangeliũ imples, quia ſalutaris & taces? Hic uero non uiatori iter agenti, ſed miliario ſimilis eris iter oſtendenti. Ergo ſtoliditatẽ deponamus, & uerba domini intelligamus, & in uia neminem ſalutemus. Non enim ſine cauſa hoc iubemur, aut nollet nos facere quod iuberet? Quid ergo eſt, neminẽ ſalutetis in uia? Poteſt quidem & ſimpliciter ſic accipi, quia iuſſit nos feſtinanter agere iniuncta. Et hoc ita dixit, Neminẽ per uiam ſalutaueritis: tanquam diceret, Omnia prętermittatis dum quod iniunctũ eſt peragatis, ea locutione qua ſolent dicta exaggerari conſuetudine ſermocinandi. Nec longe pergamus: in eodẽ ſermone paulo poſt dicit, Et tu Capernaum, quæ uſq; ad
D cœlũ exaltata es, uſq; in infernũ deprimeris. Quid eſt, uſq; ad cœlum exaltata es? Nunquid ciuitatis illius mœnia nubes tetigerunt, aut ad ſydera peruenerũt? Sed quid eſt, in cœlũ exaltata es? Nimiũ tibi felix uideris, nimium potẽs, nimiũ ſuperba es. Sicut ergo hoc exaggerandi gratia dictum eſt, in cœlum exaltaris, ei ciuitati, quæ non utiq; exaltabatur in cœlum aut aſcendebat: ſic pro feſtinatione exaggerationis dictum eſt, ita currite, ſic agite quod iniunxi, ut ne nimium quidem uos retardẽt agentes, ſed omnia contemnentes, ad finem propoſitam feſtinate. Sed eſt aliud quod hic magis recogitem non diſſimile intelligere, quod plus pertinet ad me & ad omẽs diſpẽſatores, ſed & ad uos

auditores. Qui ſalutat, ſalutẽ dicit. Nam & antiqui
A in epiſtolis ſuis ſic ſcribebãt, Ille illi ſalutẽ. Salutatio in ſalute nomẽ accepit. Quid ergo eſt, neminẽ in uia ſalutaueritis? Qui ſalutãt in uia, per occaſionem ſalutant. Video uos cito intellexiſſe, nec tamen debeo iam finire. Non enim omnes citò intellexiſtis. Vidi in uoce intelligẽtes, plures uideo ſilentio requirẽtes. Sed quia de uia loquimur, tanquam in uia ambulemus. Veloces tardos expectate, & pariter ambulate. Quid ergo dixi, Qui in uia ſalutat, per occaſionẽ ſalutat? Nõ ad eum ibat quẽ ſalutat, Aliud agebat, aliud occurrit: aliud petebat aliud tranſuerſo quod ageret inuenit. Quid eſt ergo per occaſionẽ ſalutare? Per occaſionẽ ſalutem annũciare. Quid eſt aũt aliud ſalutẽ annũciare, q; Euãgelium prædicare? Si ergo prædicas, hoc age
B per dilectionem, non per occaſionem. Sunt ergo homines qui ſua quærentes, non aliud prædicant Euangeliũ, De quibus Apoſtolus gemens dicit, Omnes enim ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Philip.2
Et hi ſalutabant, hoc eſt, ſalutem annunciabant, Euangelium prædicabant, ſed aliud quærebant, & ideo per occaſionẽ ſalutabant. Et quid eſt hoc? Si talis fueris quiſquis es facis, imò non talis quiſquis facis, ſed forte aliquis talis qui facis. Si talis fueris non facis, ſed fit de te. Nam & tales admiſit Apoſtolus, non tamen ut tales eſſent præcepit. Et ipſi agunt aliquid, & perficitur ex ipſis, aliud quærunt, & uerbum annunciant. Quid quærat annunciator ne cures, quod annunciat tenere
C uelis, Quod uero attendit, non ad te pertineat. Salutem audi ab ore ipſius. Salutem tene ab ore ipſius. Noli iudex eſſe cordis ipſius. Si uides eum alia requirentem quid ad te? Audi ſalutem, Quæ dicũt facite. Securum te fecit. Quid? Quæ dicunt facite. Mala faciunt, quæ facere nolite. Bona faciunt, nõ in uia ſalutant, non per occaſionem Euangelium annunciant. Imitatores eorum eſtote, ſicut & ipſi 1 Cor.4
Chriſti. Bonus tibi prædicat, carpe uuam de uite. Malus tibi prædicat, carpe uuã pendentẽ in ſepe. Botrus implicite in palmite, inter ſpinas creuit, & de ſpinis non germinauit. Planè quando tale aliquid uides & eſuris, ſolicite carpe, ne cũ ad uuam manũ mittis, lacereris à ſpinis. Hoc eſt quod dico, ſic audi quod bonũ eſt, ne malos mores imiteris, Prædicet ex occaſione, ſalutet in uia, illi nocebit quòd non audiuit præceptum Chriſti, Neminem Luca 10
D in uia ſalutaueritis: tibi nõ nocebit, qui ſiue à tranſeunte, ſiue à ueniente ſalutem audis, ſalutem tenes. Apoſtolum audi ſicut præmiſeram admittentem iſta. Quid enim? Dum omni modo, ſiue occaſione, ſiue ueritate Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Scio em ipſum mihi proficere in ſalutem per ueſtram obſecrationem. Tales igitur Apoſtoli Chriſti prædicatores Euangelij non ſalutantes in uia, hoc, non aliud quærentes uel agentes, ſed germana charitate Euangelium annunciantes, ueniant ad domum & dicant, pax huic domui: Non ore ſolum dicunt, quo pleni ſunt fundunt, prædicant pacem, & habent pacem. Non ſunt tales de quibus dictum eſt, Pax

Hier.8 pax, & non est pax. Quid est pax pax, & non est pax? Prædicantes non habent, laudant & amant, dicunt & non faciunt. Sed tamen tu accipe pacẽ, siue occasione, siue ueritate Christus annuncietur. Qui ergo plenus est pace & salutat, Pax huic domui, si est illic filius pacis, requiescet super eum pax illius: Si quo minus, forte enim non est illic filius pacis, nihil perdidit qui salutauit. Ad uos, inquit, reuertetur. Reuertetur ad te, quæ nõ discessit à te. Hoc enim dicere uoluit, tibi prodest quod annunciasti, nihil profuit qui nõ suscepit: nõ quia ille inanis remansit, ideo tu perdidisti mercedem, redditur tibi pro uoluntate tua, redditur tibi pro charitate quam impendisti, reddet tibi qui te securum uelit uoce angelica, Pax in terra hominibus bonæ uoluntatis.

In eisdem festis, Sermo II

Ser.XLIII S I omnium sanctorum martyrum grata nobis debet esse solennitas, fratres charissimi, quãto gratior eorũ qui pręsentẽ secuti sunt principẽ martyrũ? Si agnorũ, quãto magis arietum? Illorũ enim filij non generatione carnis, sed imitatione uirtutis facti sunt oẽs, qui posterius usq; ad mortẽ cõfessi sunt Christũ. Hos obtulerunt populi gentiũ, de quibus Psalmus ante cantauit, dicens, Afferte dño filios arietum. His
Psal.28 primum dñs cum ad confessionẽ sui nominis hortaretur, non solum se promisit uictoriæ coronatorem, sed & certaminis adiutorem: etiam in ipsis & posteros admonebat, quoniam quod dicebat, scriptum posteris relinquebat. Illis ergo ait, exhortãs
Matt.10 eos, Cum aũt adducent uos ad principes & potestates, nolite cogitare quid respondeatis, uel quid loquamini, Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Meditari uetuit, & confiteri præcepit. Maluit enim auferre præsumptionem humanam, & gratiam dare diuinam, ut in semetipsis timidi & mundo essent audaces. Vnde & in alio Psalmo uox martyrum dicit, quasi ex parte humanæ fragilitatis uerendo,
Psal.58 Eripe me de inimicis meis deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. Et paulo post de auxilio diuino diffidens dicit, Fortitudinẽ meam ad te custodiam. Supra cæteras enim turbas fidelium nec non antiquorum iustorũ & prophetarũ eminentes Apostolos suos uolens dñs ostendere dixit ad
Mat.15 eos, Beati oculi qui uident quæ uos uidetis, & ares quæ audiunt quæ uos auditis. Multi enim prophetæ & iusti uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire quæ auditis, & non au-
Ioan.15 dierunt. Item alibi, Iam, inquit, non dicam uos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos aũt dixi amicos, quia omnia quæcũq audiui à patre meo, nota feci uobis. Itẽ ait idem alio loco,
Matt.18 Quęcunq alligaueritis super terrã, erunt ligata & in cœlo, & quæcunq soluueritis super terrã, erunt soluta & in cœlo. Itẽ alibi scisciitanti Petro quid sibi & socijs suis profuisset reliquisse omnia, & sequi
Matt.18 redemptorẽ, respondit dicens, Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione cũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duo
A decim tribus Israel. Isti sunt lux mũdi, quia per ipsos lumen fidei & ueræ scientiæ primum dñs huic mũdo tradidit, & ab errorũ ac peccatorũ tenebris gẽtes & populos eruit, Isti sunt sal terræ, quia per eos terrigenæ cõdimentũ saporis uitæ æternæ perceperunt, ut restringerent carnis lasciuiã, & à putredine peccatorũ & uitiorũ uermibus seruarent illæsi. Isti sunt lapides preciosi, quos in fundamẽto cœlestis ædificij positos loãnes in Apocalypsi sua describit, quia prædicatio eorum Ecclesiæ fundamenta locauit. Vnde et Paulus ait, Vos estis ciues
Ephes.2 sanctorum & domestici dei, superædificati super fundamentum Apostolorũ & prophetarum. Isti sunt duodecim portæ Hierusalẽ nouæ, quæ de cœlo descendit, quia per ipsos ianuam fidei primum
B intrauimus, & inter ciues sanctorum annumerati sumus. Hoc ergo cõsiderantes fratres charissimi, quæ tanti duces populi nos docuerũt, studeamus factis implere quæ illi iusserunt, Discamus eorum exemplo mundi diuitias contemnere, pręsentis seculi uoluptatẽ nõ amare, regnũ cœleste desiderare, Christo nihil præponere, sed eius mandatis in omnibus obedire, paupertatẽ præsentium rerũ diligere, uirtutũ diuitias habere, sapiẽtiæ thesaurum appetere, spiritales delicias quærere, nulli inuidere, sed oẽs homines diligere, amicos in deo & inimicos ꝓpter deũ, quia hęc est uera & sola dilectio. Nam amor carnalis et uitiosus in pręcipitiũ trahit,
Iac.4 et cõparabiẽ odio: unde scriptũ est, Qui uult amicus esse huius seculi, inimicus dei constituiẽ. Isti ergo principes nostri in amore dei perfectissimi, &
C in proximorum dilectione repleti, hinc potuerũt mundi impetum uincere, & cruẽtum seculum domare, quia nihil amauerunt in omni re nisi dei uoluntatem. Ita & nos fratres diligamus in omnibus rebus dei facere uoluntatem, & creatorem nostrũ amemus in semetipso, creaturam uero in conditore suo: & sic habebimus ordinatissimam charitatem, quia deus charitas est: & qui diligit hanc dilectionem, diligit deum. Et si ita dilexerimus, diligit nos ipse deus, diligunt nos & sancti Apostoli iudices nostri, & exorant pro nobis, ut in uniuersali iudicio Christi cum ipsis in perpetuum coronemur. Quod præstare dignetur ipse iudex & dominus noster, qui cum patre & sancto spiritu ui-
D uit & regnat deus per omnia secula seculorum, Amen.

Item in eisdem festis, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundũ Matthæum, Confiteor tibi domine pater, & cętera: quę habetur de Verbis domini VIII.

Item aliæ Homiliæ de eo quod scriptum est in Euangelio secundum Ioannem, Ego sum uitis uera, & pater meus agricola, & cætera: quæ habẽtur in expositione doctoris, Ibidem: Et de uerbis domini LIX.

Item alia Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum eundem, Hoc est præceptũ meum, & cætera: quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem.

Item

Item alia Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secundum eundem, Hæc mãdo uobis
A ut diligatis inuicem, &c. quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem.

DE VNO MARTYRE

In festo unius martyris, Sermo I.

SERMO XLIIII T RIVMPHALIS beati martyris N. dies hodie nobis anniuersaria celebritate recurrit, cuius glorificatione sicut cõgau-
Rom.8 det ecclesia, sic eius proponit sequẽda uestigia, Si eũ cõpatimur, & conglorificabimur. In cuius glorioso agone duo nobis præcipue cõsiderãda sunt, indurata uidelicet tortoris sæuitia & martyris inuicta patientia: Sæuitia tortoris, ut eam detestemur. Patientia martyris, ut eã imitemur. Audi Psalmi-
Psal.36 stam aduersus malitiam increpantem, Noli æmulari in malignantibus, quoniã tanq; fœnum uelociter arescent. Quod autem aduersus malignãtes
B patientia exhibenda sit: audi Apostolum suadentem, Patiẽtia uobis necessaria est, ut reportetis ꝓmissiones. Coronata itaq; est beati martyris patiẽtia, mãcipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerẽ. Ad imi-
Heb.10 tationem capitis sui tolerauit probra, sustinuit irrisiones, flagella nõ timuit, & quot ante mortẽ pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinãte Apostolo biberat, alte retinebat: quia nõ sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriã quę reuelabitur in nobis. Et quia momentaneum hoc & leue nostræ ttibulationis æternũ gloriæ põdus operatur in cœ-
C lis, huius promissionis amore à terrenis suspẽsus, & prægustata supernæ suauitatis dulcedine ineffa-
Psal.72 biliter affectus: dicebat cum Psalmista, Quid mihi est in cœlo, & à te quid uolui super terram? Defecit caro mea, & cor meũ, deus cordis mei, & pars mea deus in æternũ. Contẽplabatur enim quantũ in ænigmate infirmitas humana oculũ mẽtis in æternitate figere potest, quãta sint supernæ ciuitatis gaudia, & ea enarrare nõ sufficiens admirãdo clamabat, Quid mihi est in cœlo? Quasi diceret, Excedit uires meas, excedit facultatẽ eloquẽtię meę, trãscendit capacitatem intelligẽtiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo, quæ nobis à cõturbatione hominũ remotis in abscõdito faciei suæ, Ie-
D sus Christus dñs noster reformauit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suę. Huius perfectæ libertatis cõtemplatione nullum uitabat periculum, nullũ horrebat supplicium: & si milies posset mori, nõ putabat se digne posse aliqua ratione promereri. Patiẽter enim permittũt ægroti se à medicis secari, uri, & uarijs amaritudinum confectionibus anxiari, ut temporali tãdem restituantur sanitati: Quantomagis uir beatus longanimiter tolerauit omnem acerbitatem tormentorum temporalium, ut coronaretur in misericordia & miserationibus, et in bonis satiaretur desiderium suum? In torculari itaq; conculcari uoluit, ut tãquam uua matura in uinum deficeret, & uinum malorum granatorũ dilecto suo propinaret, quo mentes religiosæ ebriatæ sciunt uiriliter conculcare, & ad æterna in retortis oculis anhelare. Qui ergo in tyrocinio suo mundanas contempsit diuitias, qui corporales etiã refrenauit illecebras, qui in prouectu militiæ suæ multas est perpessus iniurias, in perfectione sacrificij nil sibi reseruans, seipsum obtulit holocaustum, bibens illum calicem preciosum, quẽ sedens ad magnã mẽsam sacræ lectiõis sibi prius ab inuitatore suo uideat appositũ. Cuius mors quãtumcunq; uideatur in conspectu reproborum despicabilis, in oculis tamen eius est preciosa qui in sanctis suis est mirabilis. Ipse enim primo uocauit militem suum, ipse iustificauit, ipse magnificauit, ipse dedit ei pugnare, ipse dedit & uincere. Longe est dissimilis hæc militia mũdanæ militiæ, in qua uictores existimantur, qui quod male desiderant assequuntur, qui lętantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. In Christiano ergo agone manifesta est pœna, occulta uictoria, secundum quod ex persona martyrum clamat
Psal.59 Psalmista, Deus tu repulisti nos, & non exibis in exercitibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatiõe, quia uana salus hominis. In deo faciemus uirtutem: tanq; si dicerent, Victoria nostra, gloria nostra intus est, non foris est. Foris despecti, intus dilecti. Hinc est quòd ecclesia in pressuris posita in-
Ioan.16 firmiora mẽbra sua cõfortat, dicẽs, In mũdo pressuram habebitis, sed nolite timere pusillus grex, quia ego uici mũdũ. Sed quomodo uicit mundũ? Factus est obediẽs patri usq; ad mortẽ. Quid autẽ de morte? Propter quod & deus illum exaltauit
C & donauit illi nomẽ quod est super omne nomẽ. Quomodo uicit Christus, uincere appetat Christianus, ut ubi est Christus, esse mereatur & Christianus: audi Christianæ militiæ persecutor ipsum Christum pro militibus suis sic orantem, Volo pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.

Item in eisdẽ festis, Homilia de eo quod scriptũ est secundũ Ioannem. Nisi granum frumenti &c. quæ habetur in expositione doctoris, Ibidem.

DE PLVRIBVS MARTYRIBVS.

In festis plurium martyrum. Sermo I.

SERMO XLV A P SALMVS qui cãtatur domino, uidetur sanctis martyrib. conuenire. Sed si membra Christi sumus, sicut esse debemus, ad
D omnes nos pertinere intelligamus, Qui seminant
Psal.125 in lachrymis, in gaudio metẽt. Euntes ibant & flebant, mittẽtes semina sua. Venientes aũt uenient cum exultatione portantes manipulos suos. Quò euntes, & unde uenientes? Quid seminantes in lachrymis? Quæ sunt semina, qui manipuli? Euntes in mortẽ, uenientes à morte. Eũtes nascendo, ueniẽtes resurgẽdo. Seminãtes opera bona, metẽtes mercedem æternã. Semina ergo sunt nostra quicquid boni fecerimus. Manipuli nostri ꝗd in fine recipiemus. Si ergo bona semina, bona sunt opera, quare seminantur cũ lachrymis, cũ hilarẽ datorẽ diligat deus? Hic primũ uidete charissimi, quomodo maxime ad beatos martyres uerba ista pertineant. Nulli enim tantum impenderunt, ꝗ illi qui seipsos impenderũt, sicut dicit apostolus Paulus,

2 Cor.12 Et ipse impendar pro animabus uestris. Impende-
runt enim seipsos cõfitendo Christum, & implen
Eccl.32 do in eius adiutorio quod dictum est, Ad mẽsam
magnam sedisti, scito quoniã talia te oportet præ-
parare. Quę est magna mẽsa, nisi unde accipimus
corpus Christi & sanguinem? Quid est scito quo-
niam talia oportet te præparare, nisi quod beatus
1 Ioan.3 Ioannes exponit, Sicut Christus pro nobis animã
suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus ani-
mas ponere? Ecce quantũ impenderũt. Sed nun-
quid sancti martyres perierunt, quando securitatẽ
à domino etiam de capillo acceperunt? Perit ma-
nus, ubi non perit pilus? Perit caput, ubi non perit
capillus? Vbi nõ perit palpebra, perit oculus? Hac
ergo accepta magna securitate, impenderũt seip-
sos. Operibus ergo bonis seminemus cum tẽpus
2 Cor.9 est, dicente Apostolo, Qui parce seminat, parce &
Gal.6 metet. Infatigabiles, inquit, cum tẽpus habemus
operemur bonũ ad omnes, maxime autem ad do-
mesticos fidei: & iterum, Bonum inquit facientes
nõ deficiamus, tempore enim suo metemus. Qui
defecerit in semine, nõ gaudebit in messe. Quare
ergo in lachrymis, cum omnia opera bona habere
debeant hilaritatem? Et quidem de martyribus di
ci potest, quia cum lachrymis seminauerunt. For-
titer enim certauerunt, & in magnis tribulationi-
bus fuerunt. Nam ut eorum lachrymas Christus
consolaretur, transtulit eos in se, & transfigurauit
eos & dixit, Tristis est anima mea usq; ad mortẽ.
Matt.26 Verũtamen fratres mei uidetur mihi, quòd caput
nostrum infirmioribus suis mẽbris cõpassum est,
ne de se forte membra desperãtia infirma, sicut est
humana fragilitas, morte propinquante perturba
rentur, & dicerent non se ad dominum pertinere:
nam si pertinerent gauderent: prius ergo Christus
sub persona martyrũ dixit, Tristis est anima mea
usq; ad mortẽ, Pater si fieri potest, transeat à me ca-
lix iste. Quis hoc dicit? Quæ potestas, quæ infirmi
Ioan.10 tas? Audite quę dicit, Potestatẽ habeo ponẽdi ani
mã meã, & potestatẽ habeo iterũ sumendi eã. Ne-
mo tollet eam à me, sed ego pono eã, & iterũ sumo
eã. Hæc potestas tristis erat, quãdo faciebat quod
nõ faceret nisi uoluisset. Potestate enim fecit non
conditione, quia ipse uoluit, non quia ludæus po-
tuit. Transfigurauit ergo in se infirma mẽbra cor-
Psal.125 poris sui: & forte de illis dictum est, Qui seminant
in lachrymis, in gaudio metent: id est, de infirmio-
ribus. Nõ enim in lachrymis seminabat, ille ipsius
1 Tim.4 Christi magnus pręco, qui dicebat, Ego enim iam
immolor, & tẽpus meæ resolutionis instat. Bonũ
certamẽ certaui, cursum cõsummaui, fidẽ seruaui.
De cætero mihi superest corona iustitiæ, corona
de manipulis. Superest, inquit, mihi corona iusti-
tiæ, quã reddet mihi dominus in illũ diẽ iustus iu-
dex: quasi diceret, Reddet mihi messem cui meip-
sum impẽdo sementẽ. Hæc uerba quantũ intelli-
gimus fratres exultãtis sunt, nõ plorãtis. Nunquid
quãdo ista dicebat, in lachrymis erat? Ad infirmos
ergo referamus hæc uerba, ut nec ipsi desperẽt qui
in lachrymis seminauerunt: quia etsi seminauerũt
in lachrymis, transiet dolor & gemitus, transit tri-

A stitia cũ fine, & uenit lætitia sine fine. Verũtamen
audistis fratres charissimi quomodo mihi uidetur
ad omnes pertinere quod dictũ est, Qui seminant
in lachrymis in gaudio metẽt: Euntes ibant & fle-
bant, mittentes semina sua: Venientes aũt uenient
cũ exultatione, tollentes manipulos suos. Audite
si adiuuante domino explicare potuero quemad-
modum ad omnes pertineat, Euntes ibant & fle-
bant. Ex quo nascimur imus. Quis em̃ stat? Quis
non ex quo uiã intrauit cogitur ambulare? Infans
natus est, crescendo ambulat. Mors finis est. In die
iam ueniendũ est, sed cũ exultatione. Quis em̃ nõ
hic plorat in uia ista mala, quãdo ipse infans inde
incipit? Vtiq; infans quãdo nascitur, de angustijs
uteri in huius mundi latitudinẽ funditur, de tene-
B bris procedit ad lucem, & tamen de tenebris ue-
niens ad lucẽ plorare potest, ridere nõ potest. Est
enim uita ista ut quando gaudetur hic time ne fal-
lat, quando hic ploratur roga ut euadas, & transit
tribulatio, & uenit tribulatio: & ridẽt homines &
plorãt homines, & quod rident homines plorandum
est. Sed plorat alius damnũ suũ, plorat alius
pressurã suam, quia in carcere est constitutus. Plo-
rat alius q̃ amiserit mortuũ aliquẽ amicorũ suorũ:
Ille hinc, ille hinc. Iustus unde? Primo de his om-
nibus: Iustus enim plorat ueraciter plorãtes steri-
liter. Plorat plorantes, plorat ridentes, quia & qui
plorãt de rebus uanis, inaniter plangunt, & qui ri-
dent de reb. uanis, malo suo ridẽt. Ille ubiq; plorat,
plus ergo ipse plorat. Sed ueniẽt cum exultatione
C portãtes manipulos suos. Vides ergo hominẽ iu-
stum cum facit opus bonũ hilarem esse? Ita planè
hilarescit, Hilarẽ enim datorẽ diligit deus. Quan- 1.Cor.9
do enim plorat? Quando bona opera sua orando
cõmendat. Orationes sanctorũ uoluit cõmenda-
re psalmus, orationes peregrinantiũ, orationes in
hac uia laborantiũ, orationes amantiũ, orationes
gementiũ, orationes æternæ patriæ suspirantium,
donec ea uisa satient̃ qui nũc in mœrore sunt con
stituti. Etenim fratres mei quamdiu sumus in cor-
pore, peregrinamur à deo. Non desiderat patriam
peregrinatio sine lachryma. Si desideras quod nõ
habes, funde lachrymas: nã unde dicturus es deo:
Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo? Vnde Psal.55
dicturus es deo, Factæ sunt mihi lachrymæ meæ & 41
D panes die ac nocte? Vnde? Dũ dicitur mihi quo-
tidie, ubi est deus tuus. Quis iustus nõ habuit istas
lachrymas? Qui non habuit, peregrinũ se esse non
doluit. Qua fronte ad patriã uenit, qui non absens
suspirauit? Nónne nobis quotidie dicitur, Vbi est
deus tuus? Discite fratres mei, discite de paucis es-
se. Bene uiuite, ambulate uiã dei, & uidete quia au
ditis, ubi est deus tuus? Felices eritis, cũ hoc audie
ritis, infelices si dixeritis. Quãdo em̃ defendimus
fidẽ Christianã, & respondet̃ nobis: Ecce prædica
tur ubiq; nomẽ Christi, quare abũdant mala, quid
aliud dicit̃ nisi ubi est deus tuus? Qui audit gemit,
qui dicit perit. Sunt lachrymæ piorũ, sunt lachry-
mæ sanctorũ quas indicant orationes eorũ. Bene
operatur & hilaris est, & plorat ut bene operetur,
plorat quia bene operatus est. Plorando exigit bo-
num

num opus, plorando cõmendat bonũ opus quod
fecit. Crebræ ergo sunt lachrymæ iustorum, sed in
A ista uia. Nunquid in patria? Quare non in patria?
Quia uenientes uenient in exultatione, portantes
manipulos suos. Felicitas uenit, nũquid lachryma
redit? Porrò aũt illi qui hic inaniter plorant, inani-
ter rident, cupiditatib. suis dissipati, quando frau-
dantur gemũt, quando fraudant exultant. Plorant
ipsi in uia ista, plorãt & ipsi, sed non in exultatione
portãtes manipulos suos. Quid colligũt qui nihil
seminauerunt? imò colligunt, sed quod seminaue
runt, quia spinas seminauerunt, ignem colligũt, &
eunt non de fletu ad risum sicut sancti. Euntes ibãt
& flebant mittentes semina sua, uenientes aũt ue-
nient in exultatione. Illi à fletu ad fletũ, à fletu cum
risu ad fletum sine risu. Quid enim illis fiet? Quò
B eunt quãdo resurrexerint? Quid nisi q̃d dominus
Matt.22 dixit, Ligate illis manus & pedes, proij̃cite in tene
bras exteriores? Age quid postea? Tenebrę erunt
& dolor nõ erit? Forte palpabunt & nõ dolebũt?
nõ uidebunt, non cruciabunt̃? Absit. Non solũ te
nebræ erunt, non eis sola tollitur species qua gau-
debãt, sed datur etiam quod in æternum gemant.
Ne contẽneres enim tenebras, o quisquis es flagi
tiosus, qui soles propter tua mala facta, & propter
lasciua adulteria no solũ tenebras nõ horrere, sed
quærere, qui soles plus gaudere quando lucerna
extinguit̃, nõ tales tenebras habebis ubi gaudeas,
ubi læteris, ubi te uoluptatib. carnis oblectes, non
sic erũt ipsæ tenebræ. Quomodo erunt? Ibi erit fle
tus & stridor dentiũ. Tortor sine defectu, tortus si-
C ne defectu. Nec qui torquet fatigatur, nec qui tor-
quetur moritur. Erunt ergo æternæ lachrymæ illis
qui sic uixerunt, æterna gaudia sanctorũ, quando
uenientes uenient in exultatione portantes mani
pulos suos: dicẽt enim tẽpore messis domino suo,
Domine adiuuãte te fecimus quod iussisti, redde
quod promisisti nobis in æternum.

SERMO XLVI

In eisdem festis. Sermo II.

N ON martyriũ sola effusio sanguinis con
summat, nec sola dat palmã exustio illa
flãmarum. Peruenitur non solum occa-
su, sed etiam cõtemptu carnis ad coronam. Absq;
iniuria sanctorum in persecutionibus defunctorũ
dicere liceat, carnẽ afflixisse, libidinem superasse,
auaritiæ restitisse, de mũdo triumphasse, pars ma-
gna martyrij est. Si uero fratres dilectissimi ad cõ-
sortium martyrũ uel sacerdotum uolumus perue-
nire, de imitatione martyrum cogitemus. Debent
enim in nobis aliquid recognoscere de suis uirtu-
tibus, ut pro nobis dignent̃ domino supplicare. Si
enim tormẽta quæ sancti martyres pertulerũt suf-
ferre nõ possumus, uel cõtra malas cõcupiscentias
ipsis intercedẽtibus repugnemus. Et quia nõ de-
sunt quotidiana peccata, nõ desunt etiã quotidia-
na remedia. Nemo se credat aliquam felicitatẽ aut
aliquod uerũ gaudiũ in hoc seculo possidere. Bea
titudo hic parari potest, possideri nõ potest. Duo
sibi tẽpora ordine suo succedunt, tempus flendi &
tempus ridendi. Nemo se circũueniat fratres, non
est in hoc mundo tempus ridendi. Scio fratres, q̃
omnis homo gaudere desiderat, sed non toti ibi
A quęrunt gaudiũ, ubi oportet inquiri. Verum gau-
dium in hoc mundo nec fuit nec est nec esse pote-
rit: sic enim ipse dominus in Euangelio suos disci-
pulos admonuit dicens, In mundo pressuram ha- Ioan.16
bebitis: & iterum, Mundus gaudebit, uos autẽ tri-
stes eritis, sed tristitia uestra cõuertetur in gaudiũ.
Ac sic in hac uita cũ labore & dolore quod bonũ
est auxiliante domino faciamus, ut in futuro secu-
lo bonorũ fructus colligere cum gaudio & exulta
tione possimus: secundũ illud, Qui seminant in la
chrymis, in gaudio metẽt. In hunc itaq; fratres cha
rissimi mundũ per peccatũ primi hominis de bea-
ta paradisi sede proiecti & quasi in exiliũ missi su-
mus, ac sic in hoc seculo patriam nõ habemus: sic
& Apostolus dicit, Dum sumus in corpore, pere- 2.Cor.5
grinamur à domino. Nõ ergo requiramus gaudiũ
in hoc mundo, quia sicut supra dictum est, uerum
gaudium cõparari hic potest, possideri nõ potest.
Non quæras in uia, quod tibi seruatur in patria. Et
quia cõtra diabolũ Christo duce quotidie tibi pu-
gnare necesse est, præmiũ non requiras in prælio,
quod tibi seruatur in regno. Nõ quæras in pugna,
quod tibi seruat̃ in futuro cum fuerit perfecta ui-
ctoria: magis illud attende quod Apostolus dicit,
Omnes qui uolunt pie uiuere in Christo, perseku- 1.Tim.3
tionem patiunt̃. & iterũ: Per multas tribulationes Act.14
oportet nos intrare in regnum dei. Ita ergo agere
debemus ut ad principalem patriam redire felici-
ter mereamur: ubi nos parentes nostri patriarchæ,
C prophetæ, & Apostoli suscipere uel uidere deside
rant, ubi etiam conciues nostri angeli & ciuitas il-
la cœlestis Hierusalem & rex ciuitatis ipsius Chri
stus expãsis nos brachijs charitatis expectãt, ut ad
ipsos, pstrato diabolo, pleni bonis operibus felici-
ter redeamus. Scitis em̃ fratres quia omnes nego-
ciatores & quicũq; alia agẽtes interim in uia sunt.
soliciti, ut in patria possint esse securi: & tũc habẽt
uerã lætitiã, quãdo cũ magno lucro peruenire me
rẽtur ad patriam: ita & nos dilectissimi fratres tũc
animum nostrum præparemus ad gaudiũ, quãdo
peruenire merebimur ad Christum. Interim mo-
do gaudeamus in spe, uerum gaudium postea ha-
bituri in re. Quod peius est, multi sunt qui peruer-
so ordine de uoluptate & delicijs & luxuria seculi
huius gaudere se credũt, sed quod in gaudio uidẽ-
D tur serere, necesse illis erit cum luctu & lachrymis
recipere, quia nõ mentitur ille qui in euangelio di
xit, Vę uobis qui ridetis nũc, quia lugebitis & fle- Lucæ 6
bitis. Sic fecit & ille infelix diues, qui purpura in-
duebatur & bysso. Gaudium quidẽ habuit in mun
do, sed flammas inuenire meruit in inferno. Lazą-
rus qui iacebat ad ianuã eius, tristitiam habuit in
uia, sed uerum gaudium recepit in patria. Nos ue-
ro fratres charissimi quantum possumus, dei mise
ricordiam deprecemur, ut nobis ita amorem uitæ
æternæ inspirare dignetur, ut plus patriã uelimus
amare q̃ uiam, & amplius de futuro quàm de pre-
senti seculo cogitemus: & sic semper in exilio mũ-
di huius agere studeamus, ut ad futurũ iudicium
cũ libera & secura cõscientia ornati bonis operi-
bus

bus peruenire possimus, præstãte domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria cum patre & spiritusancto in secula seculorum, Amen.

In eisdem festis, Sermo III.

SERMO XLVII

QVOTIENSCVNQVE fratres charissimi sanctorum martyrũ solẽnia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus à domino cõsequi tẽporalia beneficia, ut ipsos martyres imitãdo accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorũ martyrum in ueritate festi uitatum gaudia celebrant, qui ipsorum martyrum exempla sequunt. Solennitates enim martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari nõ pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos uolumus gaudere cũ sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis. Qui enim sanctos martyres inquãtum potuerit imitari noluerit, ad eorum beatitudinẽ non poterit peruenire: Sic & Paulus Apostolus prædicat, dicens, Si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum: & dominus in Euangelio, Si mundus uos odit, scitote quia me priorẽ uobis odio habuit. Recusat esse in corpore, qui odiũ nõ uult sustinere cũ capite. Sed dicit aliquis: Et quis est qui possit beatorũ martyrũ uestigia sequi? Huic ego respõdeo, quia nõ solũ martyres, sed etiã ipsum dñm cũ ipsius adiutorio si uolumus possumus imitari: audi nõ me, sed ipsum dominũ generi humano clamãtẽ, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: Audi & Petrũ apostolum admonentem, Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplũ, ut sequamur uestigia eius. Similiter Paulus apostolus clamat, Imitatores dei estote sicut filij charissimi. Quid ad hæc respondebimus fratres, uel quam excusationem habere poterimus? Non tibi aliquis dicat, ut uirtutes quas fecit deus debeamus imitari. Iusta potest esse excusatio tua, quia uirtutes & mirabilia facere nõ omnibus datum est: iuste & caste uiuere, & charitatem cum omnibus custodire, cum dei adiutorio promptũ est: nam ipse dominus nõ dixit, Discite à me mortuos suscitare, super aquas siccis pedib. ambulare, nõ hoc dixit: sed quid ait? Quia mitis sum & humilis corde, & iterum, Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderũt uos, sicut & pater uester cœlestis, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos: & iterum, Estote perfecti sicut & pater uester cœlestis perfectus est. Et licet sint alia multa in quibus debemus deum & beatos martyres imitari, ista tamen duo præcipua sunt, id est, ut mites simus & humiles corde, & inimicos nostros totis uiribus diligamus. De diligẽdis inimicis fratres charissimi nullus unquã in ueritate se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, Non possum ieiunare, nõ possum uigilare, nũquid potest dicere, nõ possum amare? Potest dicere, nõ possum res meas totas pauperibus dare, & in monasterio deo seruire: Nunquid potest dicere, nõ possum diligere? Si dixeris quia nõ possis à uino uel à carnib. abstinere, credimus tibi: si aũt dixeris quod non possis in te peccantibus indulgere, omnino nõ credimus. Et quia nulla nobis remanet excusatio, dum

2. Cor. 1

Ioan. 15

Matt. 11

1 Pet. 2

Ephes. 5

Matt. 11

non de cellario sed de corde proferamus istã eleemosynã, iubemur implere, ut per uiã uitæ ad æternã mereamur patriã peruenire. Non solũ amicos, sed etiã inimicos diligamus: his emẽ duobus præceptis, id est, diliges deũ & diliges proximum, quasi duobus spiritalib. pedibus si per uiã ueræ charitatis uoluerimus currere, ad æternã patriã possumus feliciter peruenire. Istis pedib. currebat apostolus Paulus quãdo dicebat, Ego aũt sic curro, nõ quasi in incertũ. Qui ergo dilexerit inimicos suos, illud in eo impletum erit quod dominus dixit, Diligite inimicos uestros, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est. Elige modo quod tibi placuerit, Si inimicos dilexeris, non solum amicus, sed etiã filius dei esse mereberis. Si uero inimicos amare nolueris, propitiũ deũ habere non poteris: quia scriptũ est, Qui odit fratrẽ suũ, homicida est. Et iterũ: Qui non diligit, manet in morte: Et iterũ, Qui odit fratrẽ suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò uadat, quoniã tenebræ obcęcauerunt oculos eius. Et iterum alibi scriptum est, Itinera impiorũ, qui iniuriam retinent malefacti in mortem. Nunquid hæc uerba mea sunt fratres mei? De scripturis sanctis & canonicis proferunt. Vt ergo nec homicidæ simus, nec in tenebris remaneamus, studeamus nõ solũ amicos, sed etiã inimicos diligere, ut piũ & misericordem dominũ possimus secũdũ cautionis suæ uinculum libera cõscientia conuenire: ipse enim dixit, Si dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet uobis pater uester cœlestis peccata uestra: si nõ dimiseritis, nec pater uester dimittet uobis debita uestra. Diligẽter attẽdite fratres, & scitote aliud esse in deum peccare, aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines, si pœnitentibus ueniã non indulgeamus, peccatum incurrimus: quando aũt aliqui in deũ peccauerint, si sine discretione grandi indulgere uoluerimus, participes nos eorũ peccati efficimur. Dicit ergo dominus, Si dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & pater uester cœlestis peccata uestra. Rogo uos fratres, quid delicatius, quid benignius dici potest? In potestate nostra posuit, qualiter in die iudicij iudicemur. Non dixit, uade in Orientẽ & quære iustitiam, nauiga usq; ad Occidentem ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittet tibi: indulge, & indulgetur tibi: da, & dabitur tibi, nihil à te extra te quærit. Ad teipsum & ad conscientiam tuam te deus dirigit. In te enim posuit quod requirit. Non enim medicamenta uulneribus tuis lõge opus habes inquirere, peccatorum tuorũ indulgentiã si uis intus in cellario cordis tui poteris inuenire. Sed dicis, tãta mala me inimicus meus cõpulit sustinere, ut eũ nulla possim ratione diligere. Attendis quid tibi fecerit homo, & non attendis quid tu feceris deo? Si cõscientiam tuam diligẽter discutis & inquiris, sine ulla cõpensatione maiora tu peccata cõmisisti in deum quàm in te cõmiserit homo. Et qua fronte uis ut tibi deus dignetur dimittere multum, qui nõ uis dimittere parum? Si hæc quæ supra diximus spiritalia medicamenta, sicut deo propiciãte consuestis, libenter accipi-

1. Cor. 9

1 Ioan. 3

Matt. 6

accipitis, & in ærario sanctæ cõscientiæ uestræ reconditum diligentissime custoditis, auxiliãte domino, uenena diaboli non timebitis, et per odium uel iracundiam aut nunquã nobis animarum uulnera ingerentur: aut si forte surrepserint, per charitatem cito ad pristinam salutem reuocantur.

In eisdem festis, Sermo IIII.

SERMO XLVIII

OMNIVM quidem bonorũ fideliũ Christianorũ, maxime tamẽ gloriosorũ martyrum uox est, Si deus ꝓ nobis quis contra nos? Fremebat mundus aduersus eos, populi meditabant inania, principes cõueniebant in unũ excogitabant nouos cruciatus, & pœnas incredibiles inueniebat ingeniosa crudelitas: Obrueban tur opprobrijs falsis, arguebantur criminibus, custodijs intolerabilibus includebant, ungulis arcta bantur, ferro perimebantur, bestijs subigebantur, ignibus cremabant, & dicebant, Si deus pro nobis, quis contra nos? Totus mundus cõtra uos, & dicitis, quis cõtra nos? Respõdent tibi, Et quis est totus mũdus, quando pro eo morimur per quẽ factus est mundus? Dicant dicant, audiamus audiamus, Si deus ꝓ nobis quis cõtra nos? Sæuire possunt, maledicere possunt, calũniari possunt, falsis opprobrijs agitare possunt, & ut breuiter dicã, postremo possunt non solum corpus perimere, sed etiam dilaniare, & quid facient? Ecce enim deus auxiliator mihi est, & dominus susceptor est animæ meæ. Mundus interfector corporis mei, dominus susceptor est animæ meæ. Et quid mihi obest si sit mundus interfector corporis mei, cũ dñs adiutor est animæ meæ? Quando aũt dñs est susceptor animæ meæ, erit restitutor & corporis mei. Quid mihi deerit si membra mea dilaceret inimicus, quando capillos meos deus dinumerat? Exhortãs martyres suos Christus ne ab inimicis persecutoribus formidarent: Capilli, inquit, uestri numerati sunt. Quid ergo timebo dãna membrorũ, quando securitatem accipio de numero capillorũ? Ergo dicamus, dicamus ex fide, dicamus in spe, dicamus flagrantissima charitate, Si deus pro nobis, quis contra nos? Ecce contra te est rex, si deus pro nobis quis cõtra nos? Ecce contra te est populus, si deus pro nobis quis contra nos? Vnde probas ò beate & gloriose martyr, unde mihi probas q̃d dicis, Si deus pro nobis, quis cõtra nos? Manifestũ est em quia si deus pro nobis quis contra nos, sed proba quia deus ꝓ nobis. Nõ ego probo, quia filio proprio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eũ? Hoc quod sequitur cũ Apostolus legeretur audistis: cũ enim dixisset, Si deus pro nobis, quis contra nos: tanq̃ ei diceretur, proba quia deus pro nobis: continuo attulit grande documentũ, cõtinuo introduxit martyrem martyrũ, testẽ testium, illum scilicet cui pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eũ: hinc probauit Apostolus uere se dixisse, Si deus pro nobis quis cõtra nos, quando filio proprio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ. Quomodo non etiã & cũ illo omnia nobis donauit? Quãdo cũ illo nobis omnia donauit, & ipsum nobis donauit. Terret te fremitus mũdi, cui donatus est artifex mundi? Christum nobis donatũ esse gaudeamus, & nullos inimicos in hoc seculo timeamus, Quis enim nobis donatus sit uidete, In principio erat uerbũ & uerbum erat apud deũ, & deus erat uerbũ. Ipse est Christus, ipse unigenitus filius dei, ipse est gignenti coæternus: Omnia per ipsum facta sunt. Quomodo nobis donata non sunt, quæ per ipsum facta sunt, quando nobis donatus est ipse per quẽ facta sunt omnia? Et ut scias quia ipse uerbum caro factũ est & habitauit in nobis, desidera expetẽdo datam tibi uitã Christi, & donec perueniat tene pignus mortem Christi. Promittens enim nobis uicturũ se esse nobiscum, nõ potuit nobis maius pignus dare q̃ mori ꝓ nobis. Mala, inquit, uestra pertuli, bona mea non reddam? Promisit cautionẽ, fecit pignus. Dedit euangelium, & tu dubitas credere? Promisit cũ hic inter homines ambularet, cautionem fecit cũ euangelium scriberet: Ad pignus ipsius quotidie dicis, Amen. Pignus quod accepisti, quotidie erogat tibi. Noli de spe desperare, qui uiuis ex pignore, præstante domino nostro Iesu Christo, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Hæc citantur ab Algero.

In eisdem festis, Sermo V.

SERMO XLIX

ERTAMINE uniuersorum martyrũ fulciri atq; eorũ uictoria quorum natalis uictricis glorię celebrat, quo robusta fides sit ad agonẽ & passionis cõgressus, roborari debemus, certò scientes quod in omnibus Christus patitur, & quod ad regnũ cœlorum statim cũ exultatione corporis transferuntur: & cũ gentes horreãt in ægritudine mortẽ, hi in ipsa morte consequant perpetuã hæreditatem. Per passionem uero translationem magis credunt esse q̃ finem. Hæc est arcana sapientia quæ in electis tuis domine nõ persuasione colligit, sed de tuis martyribus & de fonte diuino uirtutes oriũtur, quibus uiuere Christus est, & mori lucrum, triumphantes in Christo sua morte peccata lucrantes: quanquã qui in illo patitur, omnino nõ moritur. Confessionis enim mors non est, sed hæreditas uitæ. Martyriũ est igitur indulgentia criminũ, uirtutum caput, occasio iustitię, dominicę passionis imitatio. O felicissimi martyres, renunciantes seculo maluerunt meliora nouissima q̃ prima. Quorũ denicq; consummatio iustum initium facit. Diuino tuo nutu omnipotens deus, gloriosissimi martyres Christi testes esse meruerunt. Victoriam quoq; meditati, confessi sunt Christum in flagellis, in carceribus, in ergastulis, in solitudine. Iustorum enim comes, semper debet esse cõfessio. O inclytæ beatorũ animæ, & gloriosa uictoria martyrum, inter quos deuotissimæ fœminæ simul seculũ sexumq; uicerũt, præliantes cũ diabolo, fortiores uiris torquẽtibus extiterũt, quę carnifici gratias agentes erant sæuienti. Ab omnibus enim fidem expectat deus omnipotẽs magis q̃ mortẽ, sed diabolus qui confitentes odit, coronas præstat inuitus. Facit martyres quos occidit, & cũ dei seruos uincere cõtendit, cõtemnitur ipse dum sęuit. Liberalitas ergo tua deus hactenus nobis martyria proposuit, ut aduersarius quo Adam elisus

elisus est, à filijs Adæ constanter elidi mõstraretur. Voluisti enim hominem non tantũ de diaboli potestate eruere per fidem, sed inculcatorem eius interficere per uirtutẽ, ut qui gaudemus Christi sanguine mortui, facilius liberati ducẽtes martyria in Christo postea triumphemus coronati, per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

In eisdem festis, Sermo VI

Ser.L A QVONIAM dies sanctorũ martyrum est, unde potius aliquid delectet nos dicere nisi de gloria ipsorum? Adiuuet nos dñs martyrum: audiuimus pauloante beatum Apostolum prædicantem: Quis nos separabit à charitate Christi? Ista uox est martyrum, Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius? Sicut scriptũ est, Propter te mortificamur tota die, deputati sumus ut oues occisionis. Sed in his omnib. superamus propter eum qui dilexit nos. Hæc est uox martyrũ omnia tolerare, & de se nihil præsumere, illũ diligere qui glorificatur in suis, Vt qui gloriatur in dño glorietur: nouerãt & illud quod nos cãtauimus pauloante, Lætamini in dño & exultate iusti in deo. Si iusti in dño lætantur, iniusti uero nõ nouerũt lætari nisi in seculo. Sed ipsæ sunt primę acies debellandę, primo uincendæ sunt delectationes, & postea dolores. Quõ potest superare mundũ sæuientẽ, qui nõ potest superare blandientẽ? Blandit hic mũdus pollicẽdo honores, diuitias, uoluptates. Minat hic mũdus intẽdẽdo dolores, egestates, humilitates. Qui non contẽnit quod pollicet, quomodo superare potest q̃d minat? Habẽt delectationẽ suã diuitiæ, Quis nesciat? Sed plus habet delectari iustitia, delectare diuitijs cum iustitia. Vbi aũt talis articulus tẽtatiõis inciderit, ut duo hæc ueniãt in tẽtationẽ, diuitię & iustitia, & nõ possis habere utrũq; æquale, sed si dimiseris manũ ad iustitiã pereant diuitię, si dimiseris manũ ad diuitias necesse est ut amittas iustitiam, modo elige, modo pugna, modo uideamus si non sine causa cantasti, Lætamini in domino & exultate iusti: modo uideamus si nõ sine causa audisti, Quis nos separabit à charitate Christi? Equidẽ prætermisit omnia quibus blanditur mundus, & te uoluit cõmemorare cui blanditur mundus. Quare? Quia certamina martyrũ prænunciabat, illa utiq; certamina, ubi uicerũt persecutionẽ, famẽ, sitim, egestatẽ, ignominiã, ad extremum timorẽ mortis, hostẽ nouissimũ. Sed uidete fratres, totũ ars Christi facit. Admonet Apostolus, ut pręferamus charitatẽ dei mundo. Quantas angustias patiũtur, qui uolunt rapere res alienas? An persecutio ait, & ipsa nõ frangit? Auaritia terretur, auarus rapit ac timet pœnam, æstuat in rapinam. Multi enim famem patiuntur dum acquirunt & faciũt lucra, quibus præcipimus ieiunare, & excusant se stomacho. Vacet illis toto die solidos numerare, & ieiuni dormiũt. An nuditas ait. Quid dicã de nuditate? Quotidie negociatores de naufragio nudi euadunt, & iterũ nauigãt ad periculũ. Vnde quotidie periclitant homines, nisi propter diuitias acquirendas? Nec gladius prohibet. Capitale crimẽ est falsitas, & tamen comitatur hæreditas. Si ergo hoc meretur tẽporalis cupiditas, quare nõ mereatur Christi hæreditas? Auarus dicit in corde suo, qui forte nõ audet lingua sua, Quis nos separabit à cupiditate auri? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Possunt & auari dicere auro, Propter te occidimur tota die. Optime ergo dicunt sancti martyres in Psalmo, Iudica me deus, & discerne causam meã de gẽte nõ sancta. Psal.43 & 42 Discerne, inquit, tribulationem meã, tribulãtur & auari. Discerne angustias meas, patiuntur angustias & auari. Discerne persecutiones meas, patiunt & auari. Discerne famẽ meã, pro auro acquirẽdo esuriũt & auari. Discerne nuditatẽ meã, pro auro despoliantur & auari. Discerne mortẽ meã, pro auro moriunt & auari. Quid est, discerne causam meã? Propter te mortificamur tota die. Ille propter aurum, nos ꝓpter te. Similes pœnæ, sed discreta causa. Vbi ergo discreta est causa, certa est uictoria. Si ergo causam intuemur, solẽnitates martyrũ amamus. Amamus in eis nõ passiones, sed causas passionũ. Nam si amaremus passiones, multos inuenturi sumus qui peiora patiunt in causis malis. Sed si causam attendamus, crucẽ Christi attendite. Ibi erat Christus, ubi & latrones. Similis pœna, sed dissimilis causa. Vnus latro credidit, alius blasphemauit. Dominus tanq; de tribunali inter ambos iudicauit. Illũ qui blasphemauit in tartarũ damnauit, aliũ in paradiso secũ constituit. Quare hoc? Quia etsi æqualis pœna, sed impar erat causa. Eligite ergo martyrũ causas si uultis peruenire ad martyrũ palmas: Per dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Item in eisdem festis, Homilia de eo quod scriptum est in Euangelio secũdum Matthæum, Videns Iesus turbas &c. quæ sumpta est ex libro primo De sermone domini in monte, cap. primo.

DE VNO CONFESSORE.

In festis unius confessoris, De seruo pigro qui talentum acceptum noluit erogare. Sermo I

Ser.LI D OMINI fratres & coepiscopi mei præsentia quidẽ sua nos uisitare et exhilarare dignati sunt, sed nescio quare nolunt me fessum adiuuare. Hoc ideo charitati uestræ dixi ipsis audientib. ut quodãmodo audiẽtia uestra intercedat ꝓ me apud illos, ut quãdo eos rogo faciãt & ipsi sermonẽ. Erogẽt quod acceperũt, operari magis q̃ excusare dignentur. A me aũt fatigato & uix loquente, pauca libenter accipite. Habemus enim & libellũ de beneficijs dei per sanctum martyrẽ datis, pariter libẽtius audiamus. Quid ergo est quod dicam uobis? Audistis in euãgelio & bonorũ seruorũ meritũ & pœnã malorum. Et malitia tota serui illius reprobati grauiterq; damnati ista fuit, quia noluit erogare. Seruauit ad integrũ quod accepit, sed dominus eius lucra quærebat. Auarus est deus ad salutẽ nostrã. Si sic damnatur qui non erogauit, quid debent expectare qui perdunt? Nos ergo dispensatores sumus. Nos erogamus, uos accipitis. Lucra quærimus, bene uiuite.

Lucra

Lucra enim erogationis nostræ ista sunt. Sed etiã ad uos nolite existimare nõ pertinere erogationẽ, A Nõ potestis erogare de isto loco superiore, sed potestis ubicũq; estis. Vbi reprehendit Christus defendite. Murmuratoribus respõdete, blasphematores corripite, ab eorũ uos societate alienate. Sic erogatis, si aliquos lucramini. Agite uicẽ nostram in domib. uestris. Episcopus inde appellatus est, quia superintẽdit, quia intendendo curat. Vnusquisq; ergo in domo sua si caput est domui suę, debet ad eum pertinere episcopatus officiũ, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in heresim incurrant, ne uxor, ne filius, ne filia, ne ipse seruus, quia tanti est emptus. Disciplina apostolica præposuit dominũ seruo, & seruum subdidit domino, Christum tamen pro ambobus unum precium dedit. B Minimos uestros nolite cõtemnere, domesticorũ uestrorũ salutẽ omni uigilantia procurate. Hæc si facitis, erogatis. Pigri serui non eritis, damnationẽ tam detestandam non timebitis.

Item in eisdem festis, Homilia de eo quod scriptum est in euangelio secũdum Matthæum, Vos estis sal terræ &c. quæ sumpta est ex libro primo, De sermone domini in monte, capite secundo.

DE VIRGINIBVS.

In festis sanctarum uirginum, Homilia de eo quod scriptum est in euangelio secundum Matthæum, Simile est regnũ cœlorum decem uirginibus &c. quæ habetur De uerbis domini XXII. & XXIII. Et de quæstionibus Euangeliorum, libro primo cap. XLIII. Et in lib. LXXXIII. quæstionum, quæstione LIX. C

DIVI AVRELII AVGVSTINI SERMONES AD FRATRES SVOS IN EREMO commorantes & quosdam alios.

CENSVRA.

Oratio consarcinata ex Augustini regula, nihil alioqui habens Augustini. Artifex qui finxit, hoc agit, ut ordinem qui Augustinensium dicitur, orbi commendaret. Itaq; quotquot sunt huius generis, θ præfixo notauimus.

De institutione regularis uitæ, Sermo I.

D FRATRES mei & lętitia cordis mei, corona mea & gaudium meũ quod estis uos: Pax uobis & charitas cum fide semper inter uos adimpleatur. Quia me putatis matrem esse animarũ uestrarũ, ideo desidero ita uos cõponere, ut in uobis neq; macula neq; ruga possit ante tribunal iusti iudicis apparere. Animabus enim uestris non solum ornamenta, sed etiam medicamẽta desidero prouidere. Studeo enim dissuta consuere, & conscissa sarcire, uulnerata curare, abluere sordida, & reparare perdita, & ea quæ sunt integra, spiritalib. margaritis ornare. Ego enim margaritas de paradisi patria uobis donare cupiens, nullam mercedem in seculo opto recipere, nisi quòd quæ uobis insinuare intendo, & patienter audire & cum dei adiutorio secundum uires operibus adimplere semper studeatis. Sed ante omnia fratres charissimi, quos iterum parturio donec reformetur in uobis Christus, diligat deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data. Et ideo fratres dilectissimi, cõmorantibus nobis in eremo, in nomine dei nostri placeat secundũ apostolicã uitam unum sentire, & omnia cõmuniter possidere: sicut scriptum est in Actibus apostolorum, Quia Act.4 erant illis omnia cõmunia, & distribuebãtur unicuiq; sicut unicuiq; opus erat. In hac autẽ uita permaneamus, & nosipsos in ipsa deo auxiliante fortiter teneamus: quia qui perseuerauerit usq; in finem, saluus erit. Si quis autẽ de seculo ad nostram congregationẽ uenire desiderat, primo præcipio ut probetur an uoluntas ex deo sit. Non enim debet esse uiolenta, non coacta, nõ mobilis, sed sempiterna, uirilis, utilis, constans, & omni spiritu charitatis plena atq; perfecta. Tunc enim proponatur ei quomodo abneget uoluntatẽ propriã, & sponte sequatur me. Nec uolo q̃ cogitet amplius quid necesse ei fuerit: Scit enim pater cœlestis, quibus indigeamus. Quæramus igitur primũ regnũ dei, & hæc omnia administrabũtur nobis. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factũ est, unde & nomen accepit. Orationibus instate à mane usq; ad sextã tantũ circa missarũ solennia. A sexta uero usq; ad nonã omnes uacẽt lectionibus & pater noster. Ad nonam uero reddant codices, & secundũ naturę conditiones sine tumultu reficiant, audientes uerbum dei. Postq; aũt refecerint, siue in horto, siue in eremo, uel ubicunq; necesse fuerit operentur. Nihil em̃ dei seruis ociositate peius. Operent ergo in nomine domini sacrũ ordinẽ non habentes usq; ad horã luternariam. Nemo tamen ex opere suo aliquid sibi appropriet. Apostolica em̃ uita optamus uiuere. Si quis aũt cõtra fecerit, furti iudicio condẽnetur: & si correptus nõ emendauerit, de uestra societate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plures ex uobis perdat. Cum autem aliquid D fit per uos, cauete ne cum murmure fiat, ne murmuratores in conspectu Dei uocemini, Illum qui uobis præest, post deũ omnes sicut decet dei famulos honorate. Ipse uero qui præest, super omnia solicitus sit de uestra salute, de quibus debet reddere rationẽ. Dominica aũt die qui uolũt uinum cũ dei gratia bibãt: sed qui antiqui sunt & debiles, uinũ bibere cõpellantur, carnẽ tamẽ domãtes quantum ualetudo permittit. Quãdo necesse est ut aliqui ad seculũ uadant, caueant ne uadant minus q̃ duo uel tres. Et si oculi seruorũ dei iaciantur in aliquã fœminarũ, cauete ne in illam figant. Deus autem qui habitat in uobis etiã isto modo custodiet uos ex uobis. Nemo cũ secularibus extra monasteriũ manducare nisi panẽ, uel bibere nisi aquã præsumat, uel aliquid etiã intus manducare extra horam

ram prandij, nisi casus infirmitatis acciderit. Qui uero infirmantur ex uobis cũ omni diligentia per tractentur, etiã si de humillima seculi paupertate uenerint. Nec debet sanis molestũ esse si aliter tractentur in uictu, sed magis cõgratulentur, deo gratias agentes, quia ualent quod non ualẽt illi. Si uero, ut fieri solet, ab hereticis superuenerit incursio repẽtina, uel ab infidelibus, aut hostilitas, ita ut necesse sit fratribus fugam arripere, si deo fauente euaserint, mox ad nemus cũ Helia redire festinent, cogitantes ꝙ nullo modo poterint separari, quos dei charitas sociauit. Si quis autẽ contumaci animo hæc obseruare contẽpserit, capiatur & subijciatur monasterij disciplinæ. Hæc autem quæ dico uobis, sæpe per uos legantur ne obliuioni tradantur. Et ubi hæc omnia seruaueritis, nobis non parua lætitia de filiorũ salute erit. Hæc igitur sunt quæ obseruetis præcipimus in monasterio constituti, propter quod in unum estis in eremo congregati, ut unanimes habitetis in domo, & sit uobis anima una & cor unũ in deo & domino Iesu Christo, qui uos dirigat ad perficiendum mirabilia de lege sua, Amen.

De pace, Sermo II

FRATRES charissimi, ò si sciretis quãta sit uirtus pacis, & quantum uobis in solitudine demorantibus necessaria sit. Tanta emẽ est uirtus pacis quòd in eius dignitate Apostolus omnes suas epistolas scribebat, dicens: Pax uobis & gratia à domino deo nostro. Hanc autẽ salutandi formã nobis primitus donauit Christus, dicens: Pax uobis. Hanc ꝑ testamento Christus apostolis dereliquit, tanꝗ summũ bonũ, sine quo nullus uiuere debet. Sic etiã pater cœlestis elementa & planetas cæteraq; inuisibilia ordinauit, ut uinculo pacis simul complecterentur: Sic etiã ordinauit gloriosus exercitus angelorum, ut post eorũ descensum nulla esset inter eos discordia, sed pax plena atq; perfecta. Hęc est illa gloriosa pax quę fructus malarum cogitationum eructat, mentẽ fluctuantem illæsam reseruat, conscientiã purgat. Qui pacem cordis, oris & operis non habet, Christianus dici non habet. Qui in hac nõ sperat, in lubrico uitam & pedem ponit, in tempestate nauẽ collocat, in prącipitio se illaqueat, in arena semen seminat. Hæc est illa perfecta pax quæ mentem à uitijs purgat, uermem conscientiæ rodit. O pax eremitarũ mater, cœnobitarum pater, monachorum soror, tu patriarcharũ uinculum, tu prophetarum uehiculum, tu apostolorum refugium, tu martyrũ solatium, tu confessorum balteũ, tu uirginum tripudium, tu uiduarum speculũ, tu coniugatorum spectaculum, tu malorum præsidium, tu tyrannorum odium, tu latronũ suspendiũ. O pax dei ædificiũ, te non possunt destruere principũ fulmina, insultus dæmonum te in nullo lædere possunt. Tu pauperem diuitem facis, tu diuitẽ mendicantẽ perducis, tu contenta in cunctis, tu ditior uniuersis, tu homines dei filios facis. O pax sine te reges non regunt, sine te regna non ualent. Nunquid sine te ieiunia, orationes, eleemosynę cęteraq; bona nobis ꝑdesse possunt? Absit. O monache habeto pacẽ in cunctis: nam si fratri irasceris, si proximũ odis, tibi cõtradicis in oratione dominica: clamat enim monachus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. O monache, si pacem non diligis, si proximum odis, quo iure, quo pacto, qua fronte tibi petis dimitti, qui proximo rancorẽ non dimittis? Habete ergo pacem cum omnibus, omniũ tamen uitia odientes. Habete in corde, in ore & in opere pacem. Nam si Cain pacem habuisset in corde, non irruisset in fratrem suum. Si Absolon pacem habuisset in ore, non impugnasset patrẽ. Si Iudas habuisset pacẽ in opere, non fugisset ad laqueũ. O quàm bonum, ò ꝗ iucundum, ò quàm diuinũ est habitare fratres in unum, ut unũ sit cor, una uoluntas, una omnium anima & una forma uiuendi, nam diabolus intrare non potest domum uel mentem in qua pax dominatur. O quàm ergo iocundũ est habitare fratres in unũ. Tanta enim est eminentia istius uirtutis, quòd de ea propheta prius miraretur, quàm ostenderet quid esset, uel quid utilitatis haberet. O quàm grandẽ admirationẽ præposuit, quando dixit: Ecce. O quàm mirabilẽ utilitatẽ prædicauit, quando subiunxit, Quàm bonũ & quàm iocundũ. Sed scire debetis fratres mei quòd quædã sunt bona quæ non sunt iocunda, quędã iocunda quæ non sunt bona: Verbi gratia, Bona sunt ieiunia, uigiliq;, macerationes & similia. Hæc enim bona sunt, sed non iocunda, quia caro in his non iocundatur, sed læditur. Iocũda quippe sunt comessationes, ebrietates, sed non bona. Hæc agentes lętantur cũ malefecerint, & exultant in rebus pessimis. O monache uix poteris inuenire in pręsenti unũ quod sit bonũ & iocundũ. Cupis tamen illud unũ inuenire? Persequere pacẽ & amplectere eã. Hæc est enim sola uirtus, quæ bonum habet & iocundum. Hæc est illa bonitas quæ nos habitare facit unius moris in domo, ut simul uiuere simulq; mori semper optemus. In pręsenti enim simul habitamus, & in futuro capiemus brauiũ iocunditatis æternę. O pax tu mentis serenitas, animi tranquillitas, cordis simplicitas, amoris uinculũ, charitatis consortium. Hæc est illa summa felicitas quæ simultates tollit, bella cõpescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos cõcordat, cũctis placet, à cũctis optatur, sed à cũctis malis illa quæ bona est pax fugitur & oditur ut mors. O pax tu nõ scis extolli, ignoras inflari. Beatus q̃ te habet, maledictus qui te odit et qui te impedit & frangit inter homines, quoniam Antichristus est & filius perditionis. O pax qui te habet, teneat, q̃ te non habet te perquirat, qui te perdit te requirat si filius dei esse peroptat. O pax tale bonũ es in rebus creatis, tam mirificũ, tam gloriosum quòd nihil dulcius solet audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil utilius possideri. Spiritus emẽ humanus sicut nunꝗ uiuificat mẽbra nisi fuerint unita, sic spiritussanctus nunquã nos uiuificat nisi pace uniti fuerimus. Nemo enim est, ut diximus, qui non uelit pacẽ habere. Interroga omnes si pacem

si pacem desiderent, omnes una uoce dicent, Hoc amamus, hoc optamus, hoc cõcupiscimus, hoc uolumus. Si ergo fratres homines pacẽ amãt, ament & iustitiam, quia duæ sunt amicę charissimæ. Iustitia enim & pax ipsæ se osculãtur, sed si amicam pacis non amaueris, nunquid ipsa pax te amabit, & tecum habitare uolet? Absit. Amate igitur pacẽ diligentes iustitiam. Hæc emẽ pax hominibus bonæ uoluntatis datur ab angelis. Nunquid prauę uoluntatis pacẽ offerunt angeli hominibus? Absit. Et qui sunt prauæ uoluntatis tantum quantum illi qui superbo oculo & insatiabili corde nunquã dicunt sufficit, tales nunꝗ possunt habere pacem. Propterea fratres mei ex quo mũdũ calcare cœpimus, & terrena cuncta despicere, diuitias non appetamus, nec nos qui pauperes in eremo sumus, ad superbiam diuitiarum extollamur. Nullo enim modo decet nos ut in hac uita solitaria ubi senatores fiunt laboriosi, fiant opifices ociosi, & qui uenimus relictis diuitijs, qui fuimus prædiorum domini, hic simus rustici delicati. Ille deniq; fratres uere pacẽ habet, qui nil appetit de seculo possidere. Hic tranquillus est, hic gaudet de bonis cũctis, Pagano illo dicente, Quietissimã uitã agerent homines in terra, si hæc duo uerba à natura rerũ omnium tollerentur, scilicet meum & tuum. O beata paupertas, uberib. pacis plena, ubiq; secura, ubiq; illæsa, ubiq; cunctorum amica. Nam qui te amat, ueram pacẽ amat, qui te non amat, tranquillitatẽ omnem ignorat. Sed dicet quis seruorũ dei, Ecce diuites uideo, superbos, elatos, impios, & omni bonitate perfecta carentes, unũ tamen apparet, quia pacẽ habent ad inuicẽ. Quid ergo? Nũquid gaudere debeo de eorum nequã cõcordia nescio uel tristari? O monache scias quòd sicut multum nocet discordia inter bonos, ita ualde dolendũ est dũ uel quando pax est inter malos. Tunc enim augentur omnia pessima quæ fieri uel cogitari possunt inter homines, quando mali pacifice uiuunt: quando uero discordant, tunc mũdus aliqualiter tranquillatur. Nã sicut concordia malorũ contraria est cõcordiæ bonorũ, ita optandũ est quod boni pacẽ habeant, & mali discordes sint. Nã per discordiã mali aliquando optimi efficiuntur, cognoscentes quid sint & quid erũt. Nam dũ tribulãtur, & eorũ facies ignominia replentur, aliquando quęrunt nomẽ domini, quod tamen tẽpore pacis nunquam amabile erat in corde eorũ. Orandum tamẽ est, ut & boni in bono teneãtur usq; ad finẽ, & mali conuertantur anteq; ad finẽ perueniant. Vos autem fratres ad inuicẽ pacẽ amate, quæ quidẽ pax custodiat corda uestra, & intelligentias uestras, quæ exuperat omnem sensum, Amen.

De silentio, Sermo III

SILENTIVM fratres charissimi, inter cætera uobis in eremo summe necessariũ est. Omne enim quod non ædificat, in periculum uertitur dicentiũ & audientiũ. Lingua enim nostra sensum nostrum sequatur & rationẽ, non uoluntatem. Non enim debemus tantum oculos clausos seruare, sed linguas intra dentes reseruare illæsas: sermo enim uanus, uanæ cõscientiæ index est. Qualis emẽ es, tales sermones loqueris, talis & mens comprobatur: & qualis fueris in factis, talis cõprobaberis in uerbis. Stultus emẽ ualde est, qui non prius uerbum ducit ad linguã rationis, q̃ educat ad linguam oris. Qualis est homo in mente, talem uerbositas depingit in ore: uerbositas hominem conducit in ioculatorem, humanæ naturæ dignitatẽ deponit, honores sibi rapit, inimicos infinitos acquirit. Inflammat deniq; linguę mobilitas in adolescentia ad iocosa, in uirili ætate ad fraudulenta, sed in senili ad detractoria. Restringuenda est igitur hæc parua fauilla, ne in magnã uertatur flãmam, surculus ne crescat in syluam, gutta ne tumescat in fontẽ. Maius est deniq; fratres linguam refrenare quàm capere ciuitatem: quia illud insultat exterius, sed istud interius. Hic sumuntur arma contra teipsum, sed ibi de alieno. Sũma tamen uerecundia est & depressa deiectio, nõ posse linguã refrenare, & uile non posse ligare membrum. Ecce lingua egredi quærit, motum perquirit. Tu uero ò monache per temperantiã ipsam refrena, appone ei pessulum rationis, circũcide eam maturitate discretionis. O lingua tu periculum immittis, tu luctum producis, discordiã sæpe spargis, & proditionis uenenũ & detractionis paris, & ad infernum qui tibi credunt cõducis. O monache cognosce linguã nequã, fuge eam, despice eam, si potes confunde eam. Sed uolo instruere tuam linguam bene loqui. Vis bene loqui? Da ei moderatũ motum: preciosa emẽ lingua non nouit nisi uerba diuina semper conferre. O q̃ sanctũ est os, unde semper cœlestia erũpunt eloquia. O monache cõsiderate redditurum rationẽ de omni uerbo ociosO, & tanto magis quanto minus mũdo es obligatus. Non emẽ in foro, sed in cella habitare debes, nõ familiã sed familiarum animas oratione pascere debes. Non est igitur tibi necesse multũ loqui, nec inter homines conuersari, nec mercantias pertractare unde uiuas. Nã mercantiã in monacho usuram occultã existimamus. Ama igitur ò monache solitudinẽ, fuge multitudinẽ, ne comprehendaris in uerbo, ne confundaris in facto. Et si interrogatus fueris, melius est ad singula respondere breuiter, q̃ diutius immorando uerba curiosa & prolixa extendere. Verbositas emẽ quid aliud est q̃ semen quod fructum nõ facit? O uerbose erubesce, & considera tuam grandem miseriã. Quid enim aliud es q̃ sal infatuatum quod ad nullũ ualet cõdimentum? Vere infructiferus es, & infructiferos facis qui te libenter audiunt. O uerbose mendax, qui ueritatẽ raro dicere uoluisti. O loquax cognosce teipsum, nam loqui nunq̃ erubescis, nec consideras quid, sed quantum dicere possis. Non mẽsuras uerborũ sententias, sed tantũ ut satieris. O uerbose erubesce, quia omino cognosceris quid agis. Nam tua cõditio est, occulta manifestare, nota in cõuentibus prædicare: sed si nescis, somnias inaudita, fingis te scire quod nescis ut libenter audiaris à cunctis. O artifex mendaciorum, ò faber fabularum, lege quod dicitur, Quia uir linguosus non dirige

Psal. 139

dirigetur ſuper terram, nec dirigetur in terra pro-
miſſionis. O monache & tu diligenter attendas. A
Nam qui non refrenat linguam ſuam, huius uana
eſt religio. Qui non cuſtodit linguam ſuam, mona
chus nõ eſt: qui autem moderatur linguam ſuam,
prudentiſſimus eſt, uerusq; monachus eſt. Eia er-
go fratres amate ſilentium, ponite cuſtodiam ori
ueſtro. Eſtote ſolitarij, ut ſitis angelis ſociati: eſto-
te ruſtici, ut ſitis ciues ſanctorũ & domeſtici dei:
eſtote muti ut ſitis loquaces: loquimini deo ut ſi-
tis ueraces: contemplate in eremo, ut contemple-
mini à ſanctis in cœlo: eleuate capita ut eleuemi-
ni corde: extendite brachia, ut extendamini toto
corpore uolantes ad cœlũ, ad quod perducat nos
Chriſtus deus noſter, Amen.

De prudentia, Sermo IIII B

FRATRES chariſſimi non ſolum ſilentium
F tenere debetis in eremo, ſed etiam pruden-
tiam rapere feſtinare. Prudentia enim uo-
bis neceſſaria eſt, quia docet quid fugiendum, &
quid tenendum ſit. Prudentia enim docet te ut nõ
ſuperbias, nec innitaris rebus tẽporalibus, nec mi
reris de rebus tranſitorijs, cum ſint caducæ, & ea
quæ poſſides, tãquam aliena poſſidere aduertas.
prudentia docet te, ut quæ non potes perpetuo te
nere, fructuoſe permittas abire. Prudẽtia docet te
ut in cunctis ſemper idem ſis, tam in proſperis q̃
in aduerſis, ſicut manus quæ eadem eſt, & cum in
palmam extenditur & cum in pugnum conſtrin-
gitur. Ipſa te docet quomodo reprehẽſibilis ſit ni-
mia laudatio, & immoderata uituperatio. Illa qui-
C dem adulatione, ſed iſta ſuſpecta malignitate. Pru
dentia teſtimoniũ ueritati, nõ amicitiæ reddit. Pru
dentia cũ diſcretiõe promittit, & promiſſa accele
rat, & amplius q̃ ꝓmiſerat præſtat. Prudentia do-
cet quomodo præſentia ordines, quomodo prete
ritorũ recorderis, & quomodo futura prouideas.
O beatus q prudens eſt, & felix, & uere felix qui
prudens inuenitur. Nam ſi cũcta quæ habet amit-
tit, clamat, omnia mea mecũ ſunt. Quę ſunt iſta quę
ſunt mea, niſi iuſtitia, tẽperantia, fortitudo & pru-
dentia? Obtẽpera teipſum ò prudens, Omnia enim
quæ eripi poſſunt, bona nõ eſſe putes. Cum igitur
prudens ſic in ſe cõtentus ſit, omnia ſecum habet,
in omnibus ſibi ſufficiens eſt, Imprudenti uero ni
hil ſufficit, quia in nullo contentus eſt, quia omnia
D ſine fine ſperat poſſidere, ideo omnib. eget. Eſto-
te igitur fratres mei prudentes ſicut ſerpentes, &
ſimplices ſicut columbæ. Duo enim ſunt quæ con-
nexa adinuicẽ ſunt, ut unũ ſine altero, aut parũ aut
nihil omnino proficiat. Simplicitas enim ſine aſtu-
tia ſtultitia reputat, aſtutia ſine ſimplicitate ſuper-
bia approbat. Aſtutia enim ſerpentis in quatuor di
uiditur partes. Prima eſt: q̃ totius corporis uene-
nũ in gutture colligit, & ibi prudẽter docẽte natu
ra ſeruare ſtudet, ut ſi aliquãdo ſibi neceſſe fuerit,
in prõptu habeat unde ſe defendere poſſit. Sed in
hac parte ſerpẽs quandoq; decipit. Muſtela enim
ſemper ſerpenti aduerſatur, & ante foramẽ cauer-
næ ſerpentis ſe ponit, & eum prouocando tandiu
umbra caudæ ſuæ ſolerter illudit, donec ipſum e-
gredientẽ agnoſcit. Tũc uero muſtela deſup aſcẽ-
dit, inſidias tendens, ut cũ ſerpentis caput uiderit,
capitalem uindictam ſumat de hoſte quem nunq̃
diligere potuit. Prouocatus itaq; ſerpens, extra ca
uernæ foramen caput emittit, & cũ nihil deorſum
uideat, uerſo gutture reſpicit ſurſum. Sed muſtela
cernens tẽpus optatum dentes imprimit circa ue-
nenũ, ſicq; abſq; periculo inimicum occidit. Hæc
eſt enim prima ſerpentis aſtutia, in qua fratres mei
mundi ſapientes notant, quorũ prudentia non in
cœleſtibus, ſed in terrenis tota uerſatur, quib. dia-
bolus in umbra mutabiliũ rerũ alludit, alludendo
decipit, decipiendo occidit. Et ne forte ualeãt aſpi
rare in ipſis terrenis cupiditatibus, ſæpe eos cogit
expirare. Secunda prudentia in ſerpente eſt, quòd
B quãdo in aquã deſcendere cupit, uenenũ reponit
in loco tutiſſimo, ſed recedens ab aquis iterum re
ſumit uenenum. Hęc enim ueſtigia ſerpentis multi
ſequunt, qui poſt abrenunciationẽ mundanę cõ-
uerſationis, poſt habitũ ſanctę religionis, poſt iura
mentũ ſanctę profeſſionis, poſt agnitionẽ ſanctæ
ueritatis, reuertuntur ad uenenũ prauæ cõſuetudi
nis, quibus melius eſſet ueritatẽ non agnouiſſe, q̃
poſt agnitionẽ retrorſum abire. In hoc enim uno fra
tres imitari debemus ſerpentẽ, quia uenenũ depo
nit, ſed non quia iterũ uenenũ reſumit. Tertia pru
dentia ſerpentis eſt, quòd ueterẽ pellem per ſingu
los annos exuere didicit, quã depoſiturus angu-
ſtũ foramẽ ingrit, per quod trãſiens cũ dolore pel-
lẽ derelinquit, ſciẽs quia pelle depoſita pulchrior
apparebit. Per hoc enim fratres mei datur intelli-
gi, ut & nos pellem uitiorũ deponamus, & per fora-
mẽ ſtigmatũ Chriſti trãſeamus, & tũc pulchrior
es apparebimus. Per hoc foramen diues ille Za-
chæus intrauit, quando omnia bona ſua pauperi-
bus erogauit. In hoc foramine Maria illa meretrix
in domo Simonis meretricis habitũ depoſuit, &
plorãs ad pedes ſaluatoris, ueſtem ſibi innouauit.
Quarta ſerpentis natura eſt, q̃ dum lædi quæritur
in capite, ut uitã conſeruet, totũ corpus ad percuſ-
ſionẽ exponit, quia licet corpus percutiatur, ſi ca-
put illęſum ſeruare poterit, dãna tamẽ mortis non
patitur. Sic & nos cuncta nobis aduerſantia amo-
re capitis ſuſtinere non timeamus, ut in beata uita
quieſcere ualeamus. Sic enim fecit Petrus pro eo in
cruce ſuſpẽſus: ſic & Bartholomæus uiuus deco-
riatus: ſic & Paulus capite trũcatus: ſic & Stepha-
nus lapidibus uulneratus: ſic & Laurentius in cra
ticula aſſatus: ſic & uirgo illa ſanctiſſima Agatha
retorta in pectore, quę gloriãter ſic amputata, ſic
uulnerata, ſic afflicta ꝓducebat ad carcerẽ, et qua-
ſi ad epulas inuitata precibus dño agonem ſuum
ſolẽniter cõmẽdabat. Eſtote ergo fratres mei pru-
dẽtes, & uigilemus in oratione, patiẽter omnia tor
mẽta portãtes amore illius in quo ſalus, uita & re-
ſurrectio noſtra cõſiſtit. Stemus prudenter in ora-
tione, Nam ſicut angeli pure laudant deũ in regio
ne uiuorũ, ita & nos qui die & nocte pſallimus do
mino, debemus cũ ſanctis angelis puritatẽ habe-
re: qa & qd̃ angeli peragũt in cœlis, ita & nos mo
nachi facere debemus in terris. In hac igit fratres
mei ſo-

mei ſolitudine conſtituti, toto affectu orare debe
mus & pati. Patiẽter em̃ portare debemus omnia, A
nec dicere præſumamus, Ecce legumina uentoſa
ſunt, caſeus ſtomachum grauat, lac capiti nocet, a-
quę potũ nõ ſuſtinet pectus, caules melãcholiã nu
triũt, cholerã porri accẽdũt, piſces mihi nõ ſapiũt.
Nolite hęc dicere fratres mei, nolite etiã cogitare.
Nõ em̃ ſeculũ reliquimus, ut delicate paſceremur
in eremo. Et licet in eremo nõ ſemper comedatis
lac, butyrũ, caules uel legumina, licet hæc non ſu-
matis niſi tantũ diebus ſolennibus, & illis quibus
uiſitamini à ſancto ſene epiſcopo Valerio, ſed cũ-
ctis dieb. alijs herbas crudas, panẽ hordeaceũ &
aquã ſumatis: nõ tamẽ ſufficit tantũ corpore abſti
nere, ſed etiã mentẽ illæſam ſeruare debemus. Eia
ergo fratres mei dilectiſſimi, qrũ uita ut puto ſan- B
cta eſt, ut multi ex uobis uiderũt & audierũt, ueni
ad ciuitatẽ Hipponẽſem, & ſecure peruenì, qa ibi
epiſcopus erat ſanctus homo ille Valerius. Non
em̃ credebã epiſcopari, ideo ſecure pueni cũ cha-
riſſimis meis amicis Euodio, Simplicio, Nebri-
dio, & Alipio, nil mecũ diuitiarũ portãs, & dei gra
tia me coadiuuãte fauoratus non modicũ à prædi
cto epiſcopo ſene Valerio fui, qui mihi dedit ortu
lum in eremo à gẽtibus ſegregatũ, ubi multo labo
re fatigatus ędificare cœpi monaſteriũ, & cũ lon-
gior anxietate cõgregaui in unum ſeruos dei per
nemora habitãtes, & ſic uobiſcũ pariter uiuere cœ
pi ſecundũ regulã apoſtolicã omnia communiter
poſſidentes. Deinde placuit ei qui me ſegregauit
de utero matris meę, mihi dicere, Aſcẽde ſuperius C
& cũ magna moleſtia factus ſum epiſcopus, preſ-
byter. Et quoniã uobiſcũ eſſe hic nõ poterã, in do
mo epiſcopi preſbyteros mecum habere uolui, &
cũ eiſdẽ pariter uiuere cœpi: uos uero tales inueni
quales deſideraui, caſtos, benignos, modeſtos, hu
miles, omni uoluntate pauperes, obedientes, ſoli
tarios, miſericordes, mundũ cũ omni ſua põpa cal
cantes. Sed quid hæc omnia ſine perſeuerantia?
Eſtote ergo prudẽtes, perſeuerãtes in bono, & ui
gilate in oratiõibus, quia diabolus aduerſarius re-
gnat, à quo uos liberare dignetur dominus omni
potẽs, Amẽ. Supplico uobis fratres mei ut nõ tur-
bemini de receſſu meo. Decreuerã enim diu inter
uos cõſolari, & uobiſcũ habitare uſq; ad feſtũ do-
minicæ aſcenſionis, ſed qa aduerſarius noſter For D
tunatus ad partes peruenit, ideo redire Hipponẽ
omnino cõpellor, cupiẽs illum uidere, & cũ eo pa
riter diſputare. Ipſe em̃ toto affectu diſſipare cona
tur filios quos peperi in uiſceribus charitatis. Ora
te pro me fratres, & nolite deficere, ut Fortunatũ
ſicut publice ſanctæ fidei inſidiat, ita et nos ipſum
cũ ſuis cũ dei gratia coadiuuante publice ſuperare
& conuertere ad uiam ueritatis poſſimus.

De obediẽtia ad ſacerdotes ſuos, Sermo V

IN omnibus operib. ueſtris ſacerdotes dei
I altiſſimi ſemper memores eſtote mandato
rum dei, & in omnibus ſitis obedientes, ut
digni repromiſſione per eius gratiã inueniri poſſi
tis, ſciẽtes quòd ſine obedientia omnia uacua, &
cũ obedientia omnia plena charitate reperiuntur.
Obedire igitur nobis neceſſe eſt, non tantũ bonis
& modeſtis, ſed etiã diſcolis & malis, non tamen
quia mali ſunt, ſed quia bona obſeruare pręcipiũt,
quibus obedire debemus. O uenerabilis ſanctaq̃
obedientia, ſalus omniũ fideliũ, cuſtodia omnium
uirtutũ: tu cœlũ aperis & infernũ claudis, tu etiam
filiũ dei ad terrã poſuiſti, & uenit inter homines,
nõ ut faceret uoluntatẽ hominis, ſed uolũtatẽ pa-
tris eius qui eũ miſit. Voluntas em̃ patris fuit, ut re
dimeret humanũ genus, ut recõciliaret & creatu-
ram ſuã quę perierat. Et ut hęc uolũtas perficere-
retur, filius fuit obediẽs uſq; ad mortem. Vt ergo
non eſſet nobis obediẽtia laborioſa, exitũ pręſen-
tis uitæ ſaluator per obediẽtiã terminauit. Iure er-
go obediẽtia omni ſacrificio præponitur, quia de
poteſtate diaboli nos eripuit, quod nullũ legale ſa
crificiũ facere potuit. Nec mirũ ſi nos peccatores
obedientiæ in hac uita ſubijcimur, quãdo hãc me-
diator dei & hominũ etiã in morte nõ deſeruit, &
ei ſe ſubiecit qui per omnia erat patri æqualis. Nos
aũt propter peccatũ alijs hominibus ſubiecti ſu-
mus. Nam natura oẽs æquales genuit, ſed inæqua
litas quæ acceſſit ex uitio, eſt ordinata ex dei iudi-
cio, unde nos oportet obedire hominibus. Sed ꝑ
obedientiã nunq̃ debet fieri malum, etiam ſi ange
lus uel archãgelus, cherubin uel ſeraphin tibi præ
cipiat. Nec etiam ipſe deus, qui eſt benedictus in
ſecula, poteſt nobis præcipere q̃ toto affectu eum
non diligamus. Sed ſcire debetis ſacerdotes dei,
quia propter inobedientiã aliquãdo debet bonũ
quod agimus intermitti. Verũ quia nonnunq̃ no
bis iſtius mundi proſpera, nonnunq̃ iubentur ad
uerſa: propterea ſciẽdum eſt quòd obedientia ali
quãdo ſi de ſuo aliquid habeat nulla eſt, aliquãdo
ſi de ſuo aliquid nõ habeat minima eſt. Nam cum
huius mũdi proſpera præcipiuntur, cum locus ſu-
perior imperat, is qui ad hæc percipienda obedit,
uirtutem obedientiæ ſibi euacuat, ſi ad hęc ex pro
prio deſiderio anhelat. Rurſum cũ mundi deſpe-
ctus pręcipitur, cũ probra adipiſci & contumeliæ
iubent, niſi hęc ex ſemetipſo animus appetat, obe
dientię meritum ſibi minuit: quia ad hæc quæ in
hoc mũdo deſpecta ſunt inuitus nolẽsq; deſcẽdit.
Debet ergo obediẽtia in aduerſis ex ſuo aliqd ha-
bere, & in ꝓſperis ex ſuo aliqd non habere. Quod
bene oſtendimus, ſi durũ amicorum dei facta in
medio proferamus. Moyſes enim deo iubente ut
Iſraeliticæ plebi præeſſet, apud ſe humilis fuit, &
gloriã tanti regiminis cõſiderãs & expaueſcẽs ne
hoc reciperet, ſe humiliter excuſauit. Sed Paulus
apoſtolus dei reuelatione admonitus ut Hieruſa-
lem pergeret, nec ignorabat ea quæ ibi pati debe-
ret, unde cũ fideles uellent eũ tenere exclamauit,
Ego autẽ non ſolum alligari, ſed & mori paratus Act. 21
ſum pro nomine Ieſu. Ecce Hieroſolymã pergit,
per reuelationẽ aduerſa cognoſcit, & tamẽ hęc li-
benter appetit. Moyſes aũt ad proſpera de ſuo ni-
hil habuit, qa precibus ſupplicauit, ne populo pręſ
eſſet. Paulus etiã ex ſuo uoto aduerſa ſuſcepit, qa
mala imminẽtia cognouit, & ad acriora ſe præpa-
rauit. Moyſes autẽ gloriã poteſtatis uoluit decli-
nare

nare,& Paulus dura & aspera uoluit sustinere.Ergo utrorumq; seruorum dei uirtute instruimur, ut si obedientię palmam cōprehendere nitimur, pro spera mūdi ex sola iussione suscipiamus, & aduersa ex deuotiōe cōplectamur.Ego autē sacerdotes dei altissimi,ut multi uestrū uiderūt & audire potuerunt,ueni ad hanc ciuitatē cū charissimis meis amicis Euodio, Simplicio, Alipio, Nebridio, & Anastasio.Securus denicq; ueni,quia sciebam præsulari sanctum senē Valerium. Propterea securus accessi,non ut haberē in uos potestatē,sed ut abiectus essem in domo domini omnibus diebus uitæ meæ. Nec ut ministrari deberē,sed ministrare,& pacifice optabam uiuere in solitudine,nihilq; diuitiarū mecū detuli,sed dei gratia coadiuuante fauoratus etiam à sancto sene episcopo Valerio monasterium in eremo à gentibus segregatum,multo labore fatigatus ædificaui, & cū longiori anxietate seruos dei per nemora habitantes in unū cōgregaui,& cū eis pariter uiuere cœpi, secundū modum & regulam sub sanctis Apostolis cōstitutam,omnia communiter habentes & possidētes,uiuentes in uigiliis & orationibus ultra id quod explicare possumus.Quorum fama ad aures sancti episcopi Valerij peruenit,& placuit sibi nos in eremo uisitare,& stetit nobiscū tredecim diebus,donās mihi ortum amœnitatibus plenum in planicie positum.Et quia à gētibus segregatus erat locus,libenter illum suscepi,ut ædificarē etiam monasterium fratrum,quos tales inuenerā, quales inuenire desiderauerā. Quo ędificato,placuit ei qui me segregauit de utero matris meę,& uocauit me per gratiam suam,mihi dicere,Ascēde superius. Et sic cū molestia & cum grandi anxietate factus sum episcopus presbyter. Et quia cum fratribus meis ut hactenus fecerā,semper corpore habitare non poteram,propterea infra domum episcopi uos clericos habere uolui,& mox uobiscum secundum formam apostolicam uiuere cœpi.Placuit autem uobis omnibus unum in deo sentire,& omnia cōmuniter possidere.Hæc autē facere uoluistis nō coacte sed sponte,& usq; ad mortē uiuere sine ꝓprio profiteri uoluistis.O presbyter attēde, & uigilanter attende quòd ꝓmittere tuū fuit, sed dimittere non est tuum.Alligatus es uxori,noli iam quærere solutionem. Absolutus es ab uxore,noli iā quærere uxorem,quia mecū habes causam. Ligasti te mihi, nunquid te compuli? nunquid te rogaui ut uenires? nunquid applausi promittēs hæc & illa? Absit omnino.Igitur esto fidelis, & dabo tibi coronā uitæ.Noli mihi resistere,sed esto usq; ad mortem obediens.Noli mihi resistere,quia omnis potestas à deo est,& qui potestati resistit,deo resistit. Non tamen ueni ut potestatē super uos haberem, sed tantū ut cū fratribus meis uiuerē in solitudine. Ecce nūc episcopus sum,& pauperē me esse non erubesco.Quare? Quia pauper,paupertatē seruare promisi.Cauete igitur ne me pauperem derelinquatis. Pauperes mecū esse uoluistis, cauete ne à diuitiis capiamini.Volūtas mea fuit,ut semper toto affectu pauperes simus. Quod & si non fueri-

A mus,hæc paupertas quam foris gerimus,non paupertas,sed grādis miseria æstimāda est. Nolite ergo mihi resistere,quia omnis potestas à deo est.Nō etiā contemnendæ sunt potestates siue mūdi siue ecclesiæ sint.Potestates enim omnes à deo ordinatæ sunt: nam dns dum leprosos curasset, eos ad potestatem misit dicens:Ite ostendite uos sacerdotibus.Et ad Samuelem cum spernereē à Iudæis, ait dominus.Nō te spreuerūt,sed me.Et ad Moysen, Homo quicunq; fecerit superbiā in sacerdotē aut in iudicē,morietur.Cauete ergo sacerdotes,ne aliquis uestrū audeat insurgere contra prępositū uel presbyterum,qui omniū uestrum curā gerit. Ipsi enim positi sunt in ecclesia ad nostrā utilitatē, ut prouideant q̄d agere debeamus,ut etiā pro nobis

B rationē deo reddāt,& unitatē ecclesiæ custodiāt, de qua dominus nos uoluit esse solicitos, ne tanquam oues nō habentes pastorē per diuersos erores ab unitate fidei diuisi essemus. Sicut em̄ unus est dominus et unus pastor,sic et unū ouile esse uoluit.Propterea noluit dns scindi tunicā inconsutilem quæ integra erat,quia nō patitur ecclesiæ uiolari unitatem.Ideo Paulus ait,Obsecro fratres per nomen domini Iesu Christi, ut non sint in uobis schismata,sed seruate unitatem spiritus in uinculo pacis.Nā sicut multi radij ꝓcedūt ab uno sole, & tamē unū lumē est:ita & nos multi ab uno capite procedentes,omnia pacifice & cōmuniter possidere debemus.Insurgit em̄ frequēter inter nos tempestates inimicorū uolentium nostras cōcordias

C rumpere,& discordias seminādo unionē pacis extinguere.Aggrediunt nos frequēter leones teterrimi,ut caput feriendo,mēbra saltem moueantur terrore.Et quod grauius mihi est,non solum à malignis spiritib.sępe mala patimur,sed etiā à domesticis dilaniamur,& frequenter peiora sunt intestina bella,à quibus nō cauetur,q̄ forinseca,quę prę uidentur. Ecce em̄ Abel iustus à domestico fratre occiditur.Esau fratrē fugiētē persequitur. Ioseph à fratribus uenditur,& à discipulo saluator tradit. Hæc omnia mala facta sunt, quia obedire neglexerunt. Similiter accidit Ianuario nostro qui columna obedientiæ & paupertatis inter nos esse uidebat,cuius perditionē frequēter flere & ululare debemus:nam ad nos cū lachrymis uenit, & pau-

D pertatē quādiu uiueret seruare promisit,& tamen uineā & agrū nobis ignorantibus in seculo possidebat. O ꝓfessio mortifera,ò proditoria promissio,ore dicebat quod corde odiebat.Sāctū credebamus,qui omnibus peior erat.Et sic annis duodecim & amplius Ianuarius noster ut uidistis & audistis,male uixit & male moriē. Quare uel quomodo male uixit,nisi quia quod suū non erat, secrete tenuit.Quomodo etiā male moriē,nisi quia in fine se non cognouit,& obstinatus in suo sensu nobis ignorātibus testamētū fecit,& filiū quē habebat in seculo ditauit? O utinā saltē in fine hoc nobis dixisset,ut orantibus nobis ueniā impetrasset: sed nec cōfessus fuit,nec eū fecisse pœnituit, propterea de meis nō est,nec dum uiueret erat. Ligate igitur manus cadaueris eius,ponētes in panno

ligatos

ligatos cētum & undecim siclos,q̄s in pariete cellulę retinebat,flentes & dicentes, Pecunia tua tecum sit in perditionem.Non enim licet nobis seruis dei eam collocare uel ponere in uictu uel in uestitu uel in opere monasterij, quia precium damnationis est.Eia igitur sacerdotes dei cauete ne deficiatis in tentationibus ,cauete ne rebelles mihi sitis publice uel occulte.Sitis mihi fideles,sitis mihi & obedientes. Et si uobis graue est,& molestū, egredimini foras,pergite ad fratres meos,& discite ab eis,quia mites sunt & humiles corde,pauperes spiritu & filij obedientiæ.Egredimini foras,& quid estis, & quid ipsi sint considerare uos uolo. Nunquid & uos tales estis quales & ipsi sunt? O utinam tales essetis, quales & ipsi sunt. Vos enim

B uoratores estis,& ipsi summę sobrietatis,Vos discursores ciuitatis, & ipsi uisus hominum fugiunt. Vos impudici,& ipsi casti. Vos derisores,& ipsi feruētissimi oratores. Vos pellibus cuniculorum uel uariorum ornati inceditis,& ipsi ouino colore nigerrimo asperrimoq; induti sunt: præter ea quæ intrinsecus sunt. Vos delicate pasci summe curatis,carnes uarias affectantes,& ipsi postquam eremum intrauerunt,nunquam carnes sumpserunt. Vos uina electa & inebriātia quęritis,& ipsi pauxillum aquæ recipiunt.Vos balteis militum mundo apparere desideratis, & ipsi zonis camelorum renibus succincti more Heliæ & Ioannis sunt decorati.O uinea mea electa ego te plantaui,caue te deprecor ne conuertaris in amaritudinem, ne me pauperem dimittas, & Ianuarium diuitem sequaris. O uinea mea felix, cuius botrus summe perti-

C mesco ne sit in fine amarissimus.O quid faciemus tunc in die illa calamitatis, in qua deus pater dicet filio, Voca operarios & redde illis mercedē? Tūc ante iudicem audietur uox rebelliōis uestræ quid promiseritis,& quomodo ea seruare uoluistis.Fugere mundum & quæ mundi sunt contemnere ꝓmisistis,& ecce iam rebelles totis affectibus in mūdanis præoccupati estis. Cur ergo murmurastis,si in his paschalibus diebus presentialiter uobiscum non fui? Placuit enim mihi segregare me à uobis, & pergere ad fratres meos in solitudine, quos ut frequenter dixi,tales inueni quales inuenire desideraui. Cur ergo turbamini? Nunquid ipsi uere pauperes? Nunquid obedientes? Nunquid mundum & pompas eius conculcauerunt? Nunquid in forma uiuēdi uos multo tempore præcesserūt? Nūquid uere fratres mei & patres sunt? Nunquid per eorum exempla ad uiā ueritatis peruenit? Nunquid eos semper dilexi,& eorum sanctam conuersationem semper desideraui? Nunquid etiam per Simplicianum Liguriēsem in fide instructus sum? Cur ergo murmuratis? Cur de mea absentia dolorem habere ostenditis? Facite quæ placita sunt mihi,& tunc ubicunque fuero, uobiscum ero usq; ad consummationem seculi.Decreueram enim cum eisdem rusticanis meis in charitate humiliter habitare usq; ad festum sanctæ ascensionis domini,nec ad uos redire optabam, quousq; uos emendatos esse cognouissem.Sed quoniam infortunatum ad

uersarium ad partes occulte uelut lupum peru- *Bellum figmentum*

A nisse iam sentio, ideo compulsus reuersus sum ad uos,cupiens illum uidere,& cum eo pariter disputare, & illum conculcare domino auxiliante, qui totis uiribus dissipare conatur & iugulare filios, quos peperi in uisceribus charitatis. Orate igitur, & nos uobiscū orare uolumus,desinentes de mea absentia amplius litigare. Orate & nolite deficere,ut fortunatum Manichęorum presbyterum sicut publice sanctæ Christianæ fidei insidiatur, ita & nos cum suis dei gratia coadiuuante publice eum superare possimus. Orate sine intermissione,ut manere digne possitis in uocatione clericorum,qua per gratiam dei uocati estis: ut dū uocabimini, mercedem in die nouissimo accipere me-

B reamini,& non sicut ficus absq; fructu maledicamini & succidamini & in ignem mittamini, tanq; destructores legis terram occupātes & pereuntes in iniquitatibus uestris.Adiuuet aūt uos ipse deus ad perficiēdum mirabilia de lege sua, qui est benedictus in secula,Amen.

De misericordia Sermo VI

RATRES charissimi,annūcio uobis gau- *Rursus ex historia sumpsit occasionem*

F dium magnum,quoniā Fortunatum Manichæorum presbyterum dei gratia superauimus, & obstinatus in suo sensu uelut alter filius perditionis à plebe nostra recessit cōfusus.Post cuius recessum baptizaui ferè sexaginta paganos, qui sibi aliqualiter adhærebant.Et ecce modo reuersus sum ad uos cupiēs perficere opus q̄d incepi.Beati igitur misericordes,quoniā misericordiam cōsequentur.O si diligenter consideremus mi

C sericordiā dei,in nobis possemus habere miserendi formam. O fratres mei quid Christū incarnauit nisi misericordia? Quid subiecit nostræ miseriæ,nisi sola clementia? O beata misericordia, quæ sola commercium nostræ salutis agnouit.Sola em̄ misericordia ad deum dirigit hominem, sola ad deū deducit hominem,sola deum deducit ad hominē. Hæc est sola mediatrix, auersos consolans, hæc disiunctos copulat,hæc sola deum humilians nos sublimat.O quàm pia fuit dei descensio, ut nostra esset gloriosa assumptio. O grādis misericordia,ò infinita,tu sola potuisti trahere deum de cœlo ad terram,& nos de exilio ad regnum erigere. O ma-

D gnum misericordiæ uinculum,quo deus ligari uoluit & potuit, & homo ligatus uincula iniquitatis dirumpit. O monache si tuam cōsiderares miseriam,& opera dei erga te non inuenires nisi misericordiam.Misericordia est si flagellat deus ut emēdet,si à peccato per tribulationem liberat,si hypocritas & tyrannos regnare permittit.Hęc enim omnia deus cū misericordia facit,cupiens nobis uitam æternam donare. Attendite ergo fratres mei attendite,nam in pastore uel iudice debent esse simul misericordia & iustitia.Misericordia enim sine iustitia destruitur & in crudelitatē conuertitur. Et iustitia sine misericordia nunquid accepta est apud deum? Absit.Iustis enim & iniustis,beatis & damnatis misericordiam cum iustitia semper agit omnipotens deus; quia beatis dat gloriam,quam

non merentur habere quibuſcunq; bonis commiſ
ſis:& malis dat pœnam,quam maiorem merentur A
habere de malis cõmiſſis. Eſtote ergo fratres mei
miſericordes,ſicut pater ueſter miſericors eſt. E-
ſtote miſericordes pẽſantes quantũ Moyſes in mi
ſericordia floruit propter populum,ꝓ cuius ſalu
te petijt deleri de libro uitæ, & quãto iterum zelo
rectitudinis cũ obtinuiſſet ueniam, ait ad populũ,
Ponat uir gladium ſuper femur ſuum. Ecce qui ui
tã omnium cũ ſua morte petijt,paucorũ uitam gla
dio deſtruxit, intus igne amoris, & foris accenſus
zelo iuſtitiæ & ſeueritatis:utrobiq; fortis legatus,
cauſam populi apud deũ precibus, & cauſam dei
apud populum gladijs allegauit. Studeamus igit
fratres mei, miſericordiã dum uiuimus rapere.Ci-
B
betur à nobis eſuriens,ueſtiatur à nobis nudus,re-
cipiatur à nobis peregrinus, cõſoletur per nos pu
pillus, uiſitetur à nobis infirmus,ſepeliat à nobis
defunctus. Iſta em̃ ſunt opera miſericordię de qui
bus interrogari debemus in die nouiſſimo.Sed di
cetis, Ecce in eremo ſumus,pauperes uidere non
poſſumus & orphanos, pupillos & uiduas quo-
modo conſolari ualemus? Mortuos ſepelire quo-
modo poſſumus? O fratres mei bene ſcio uos in e-
remo eſſe,nec pauperes uos uidere credo,nec uos
monaſterium exire cupio ut matres uel proximos
conſolari poſſitis. Quàm plures enim cognoui ꝓ
hac cauſa monaſterium exiuiſſe,qui tamẽ ad mo-
naſterium nũquam reuerſi ſunt? Sub ſpecie enim
boni multa mala fiunt. Ecce em̃ diabolus dicit, O
C
monache an ignoras tuam matrẽ dolere? Ecce nu
per maritũ amiſit,filium ſepeliuit, poſſeſſionẽ per
didit,infirmatur ad mortem,uellet forſitã confite-
ri,quid in eremo agis? Quid cogitas? Surge uelo-
citer,egredere monaſteriũ,ingredere ciuitatẽ,pe-
netra domos parentum,exerce in eis opera miſeri
cordiæ. Hoc enim deus uult, hoc fieri præcipit.
Dum enim ſeruus dei hoc cogitat,aliquando exit
monaſterium credẽs benefacere. Et ecce em̃ dum
appropinquat,mater filium oſculat,pater ample-
ctitur,fratres applaudunt dicentes,Noli nos dere
linquere, Fratres enim ſumus, pater noſter anti-
quus eſt,tibi incumbit familiam regere. Quid er-
go amplius ad monaſterium redire præſumis? Et
ſic audito conſentit, & conſentiendo remanet, &
in ſeculo remanendo omnibus peior efficitur, &
D
quicquid boni fecit amittit. Cauete igitur fratres
mei,cauete à malitia diaboli,exercere uos uolo o-
pera miſericordiæ,& ſi in ſeculo nõ habitatis, nec
inter gentes, exercere tamen opera miſericordiæ
bene poteſtis orando,obſecrando & deprecando
pro orphanis & pupillis. Et ſi hoc non uidetur uo
bis ſufficere,pẽſare debetis quomodo centum &
plures in monaſterio ſimul habitatis, & ſæpe infir
mamini,ſępe à diabolo affligimini,ſępe patimini,
nũquid & ſæpe moriminí? Exercere ergo poteſtis
etiã inter uos opera pietatis.Sed dicet quis ex uo-
bis, Patrem in ſeculo habeo, & ego uſq; ad mortẽ
in monaſterio uiuere deo promiſi. Ecce em̃ pater
infirmatur, non poteſt ſine me uiuere.Quid ago?
quid eligo? Si exiero uotũ frango:ſi ſtetero, patrẽ
mori permitto. Quid ergo? O fratres mei attẽdite
quid agere debeatis ſicut pro nunc mihi occurrit.
Nã ſi pater alicuius ſine filio monacho uiuere nul
latenus poteſt, ꝓcurare debet filius quomodo de
bonis monaſterij patri ſubueniatur. Et ſi monaſte
rium impotẽs fuerit,filius toto affectu uideat qũo
patri non deficiat.Et ſi non uiderit,cum dei bene-
dictione monaſterium de licẽtia maioris exeat,&
uerbo & opere patri ſubueniat ut non deficiat ex
negligẽtia,nec uotũ frangeret credat. Si poſt eius
patrem uiuẽdo remanſerit,ſtatim ad priſtinam ui-
tam redire nõ pigeat,ſancte & iuſte uiuendo,ſicut
inceperat,& tanto fortius quãto ſenſerit ſe plus in
paterno miniſterio ultra neceſſitatem grauatum.
Nullus igitur erit q̃ ſe à miſericordia excuſare po-
B
terit,nec diues quia habet,nec pauper quia ſaltem
calice aquę frigidę non caret,nec monachus,quia
ſaltẽ & orare debet.O homo qui crudelis es in al-
terius iuſtitia,teipſum prius agnoſce. Nã ſi bonus
es ò monache,cadere facilius potes:ſi diues es,do
num fortunę eſt non naturę:ſi ſanus es:ecce infir-
mitas inſtat:ſi ſapiens es,non habes conſtantiam.
Igitur circa omnes tã ſapientes quàm inſipientes,
tam circa ſanos quàm infirmos, tam circa nobiles
quàm ignobiles miſericordiã habe.O homo quid
de te erit, ſi ſaluator tuus clemens & pius fuerit,&
tu miſericordiam ignoraueris? Naſcat fratres mei
miſericordia inter uos,non tamen ex negligentia,
non ex puſillanimitate,non ex indiſcretione,non
ex animi infirmitate,ſed omnibus modis ſit circũ-
C
ſcripta,ut ſic ſuum retineat proprium, quod iuſti-
tię non auferat debitũ.O monache uide ſancti Io-
ſeph miſericordiam, quę fratrum ſuorum eſt obli-
ta iniuriam.Legite fratres Dauid clementiam,qui
filij perſequentis deflebat demẽtiam.O monache
ſi clauſeris uiſcera miſericordię indigẽti, omnino
claudetur tibi ianua Chriſti.Hęc eſt em̃ porta do-
mini,& iuſti intrabunt in eam. Hæc nouum teſta-
mentum illuminat, & ueteris rigorem extenuat.
Hoc eſt lignũ quo Moyſes aquas dulcorauit, hoc
eſt ſal quo Heliſæus aquarũ ſterilitatem ſanauit,
hæc eſt farina qua Heliſæus mortem quæ in olla
erat extirpauit.Hoc eſt oleum quod Samaritanus
infudit uulnerato,Hęc eſt aqua Iordanis qua cura
tur lepra Naaman Syri, hęc ſola uirtus eſt quæ di-
D
uidit inter crudelem & pium,inter regem & tyrã-
nũ. O monache ubi eſſes, ſi tibi dei miſericordia
nõ ſubueniſſet? Si enim deus tecum ageret diſtri-
cta ſentẽtia,nõ poſſes cogitare pœnam, quæ cor-
reſpõderet tuis meritis.Omia em̃ attribue dei mi-
ſericordię,& ſi à ſimili miſericordiam expendas in
uſum proximi,non ſis auarus in miſerendo, cũ ſis
expertus largitatẽ eſſe in deo.Amate ergo fratres
mei miſericordiam,quia nunquam uidi pium ho-
minem mala morte finiri, quam miſericordiam fa
ciat uobis deus,Amen.

De obedientia Sermo VII

RATRES mei dilectiſſimi,obedire opor
F
tet deo in omnibus ſi ſaluari cupimus in
eremo.Et ſi difficile nobis uidet, cõſide
rare debemus obediẽtiam filij dei,& noſtrã depo-
nere

nere contumaciam non differamus. Ipſe enim dei
filius obediẽs fuit uſq; ad contumeliam crucis, & A
nos contemnimus eius obedire præceptis? Chri-
ſtus enim obediens fuit uſq; ad mortem, non pro
ſua,ſed pro noſtra utilitate. Eſtote ergo non pro
ſua ſed pro ueſtra utilitate & ſalute in omnibus ſi-
bi obedientes. Ecce enim fratres angelus in omni
bus obedit deo,& tu q̃ cinis es & uermis cõtradi-
cis deo? Inſenſibilia obediunt deo, & tu rationalis
reſiſtis deo? Sol à ſua ſemita non deuiat, nec luna,
1.Reg.15 nec ſtellę. Omnia enim cœlica ſuis indulgent offi
cijs, tu uero dei uoluntati in omnib. quaſi reſiſtis.
Ad nutũ dei campi floribus decorantur, terra im-
bribus fœcundatur,frõtibus criſpatur ſylua,in ne
moribus citharizat auicula, omnia deo obediunt,
ſolus homo dei uoluntati reſiſtit.O monache lege
B
quod dicit, Melior eſt obedientia quàm uictima.
Quæ cauſa eſt,niſi quia in uictimis aliena immola
tur caro,ſed in obedientia uolũtas propria & caro
mactatur. Eſtote ergo obedientes,ut deũ placare
poſſitis de peccatis cõmiſſis. Tanto em̃ citius pla
cat homo deum,quanto repreſſa arbitrij ſui ſuper
bia gladio pręcepti ſe immolat.Cauete tamẽ in o-
bedientia fratres mei.Sub ipſa em̃ poteſt latere fel
draconis ſub ſpecie mellis,lupus ſub pelle ouina,
in potu dulci uenenum ſępe latitat,& in olla ſæpe
mors ponit. Attendat ergo q̃ pręcipit,& qui obe-
dire intẽdit,q̃ obedientia ſit honeſta,& omni diſ-
cretione ornata ſeu decorata. Nã ſi diſcreta nõ fu-
erit,crudelitas exiſtimãda eſt.Si honeſta nõ fuerit,
nullatenus obedire debemus. Verbi gratia.Si no-
bis pręcipitur q̃ deũ nõ diligamus,uel q̃ deũ odio
habeamus,nunq̃d obedire debemus? Nũquid uel
C
ipſe deus hoc pręcipere poteſt? Honeſta igit fra-
tres debent præcipi & iuſta, & ſi honeſta uel iuſta
nõ fuerint,nullatenus obedire debemus, etiam ſi
Apoſtolus nobis hoc indicauerit.Tenete igit fra-
tres & in cordib.alligate, q̃ obediẽtia ſine diſcreti
one caſſa eſt & uana,non ex parte obedientis, ſed
præcipiẽtis,& obediẽtia honeſtate priuata ſuper-
bia eſt,& uenit ex utriuſq; parte cõſentiẽtis & pre
cipientis,& in die nouiſſimo pari pœna punient.
Cuſtodite quod præcipitis, cauete & ponderate
quod imponitis. Nam quotienſcũq; obediẽtia ho
neſta & iuſta nõ fuerit, totiens ad irregularitatem
ſe deueniſſe paſtores agnouerint. Obediẽtia igit
D
fratres mei tunc uera, tunc ſancta, tunc meritoria
eſt, quãdo dicata eſt diſcretiõe, honeſtate, iuſtitia
& humilitate.Iſtę em̃ ſunt ſocię ſanctę obediẽtiæ,
ſine quibus omnino obediẽtia uana eſt & inutilis.
Hæc eſt illa obedientia quæ concordiam conſer-
uat in angelis,pacem nutrit in monachis, trãquil-
litatem generat in ciuibus. Hæc eſt illa obediẽtia,
ſine qua reſpublica ſtare non poteſt, ſine qua fami
lia aliqua regi non poteſt.O quàm enorme uitium
quod obedientię cõtrarium fuit,per quod diabo-
lus cœlum perdidit,per hoc homo paradiſum ami
ſit,per hoc Saul regnum, per hoc Salomõ amorẽ
diuinum.O ſancta dei ſpõſa obedientia, tu perfe-
cta ſcala qua cœlũ aſcẽditur, tu quadriga qua He-
lias uectus eſt in paradiſum, tu porta paradiſi fide
lium & clauſura reorum inferni.O ſancta obediẽ-
A
tia,tu humilitatem nutris, tu patiẽtiam probas, tu
manſuetudinem examinas.Eſtote ergo fratres cũ
Abraham obedientes,reddentes quæ ſunt Cæſa-
ris Cæſari,& quæ ſunt dei deo. Tunc uero reddi-
mus Cæſari debitum ſuum, quando duliam præla
tis noſtris reddimus. Hæc enim dulia conſiſtit in
reuerentiæ exhibitione & dilectione.Hoc aũt fa-
cere debemus nõ ſolum paſtoribus, ſed & ſanctis
dei, & tunc reddimus per obedientiam quæ ſunt
Cęſaris Cæſari. Sed tunc reddimus quæ ſunt dei
deo,quando in latria perſeueramus. Hæc enim ſo
li deo conuenit.Hæc enim conſiſtit in oratione &
gratiarum actione,cultus exterioris exhibitiõe,&
interioris mentis deuotione. Quod facere nos &
B
perſeuerare nobis deus præſtare dignetur in æter
num benedictus,Amen.

De perſeuerantia Sermo VIII

RATRES mei, ſicut ait Apoſtolus, non
F
poteſt coronari niſi q̃ legitime certaue-
rit.Nullus em̃ legitime certat,niſi qui in
campo uſq; ad finem certet:& ſi certat uſq; ad finẽ,
legitime certat,ideo merito coronat. Non eſt igi-
tur magnum bonum inchoare q̃d bonum eſt, ſed
conſummare,hoc ſolum perfectũ eſt. Multi enim
magna aggrediũtur,ſed deficiũt in uia,multi exe-
unt in deſertum,ſed pauci perueniũt ad terrã pro-
miſſiõis.O fratres mei nõ tędeat incipere magna,
nec faſtidiat tenere inchoata, ſciẽtes q̃ perſeuerã-
tia informat meritũ,colorat boni propoſitũ,remu
nerat currentẽ,coronat pugnãtẽ,ducit ad brauiũ,
conducit cunctos ad portũ.Hæc eſt tunica talaris
C
ſancti Ioſeph uſq; ad finẽ contingẽs.Hæc eſt tuni-
ca ſacerdotalis uſq; ad pedes perueniens. Hæc eſt
cauda hoſtiæ,quã tenemur reddere deo & offerre.
Hæc eſt calcaneũ bonę operationis, quod contra
ſerpẽtis morſum debemus obſeruare.Hęc eſt uir-
tus quæ deũ ligat.Hæc eſt quæ omne bonũ infor-
mat.Hęc eſt perſeuerantia,qua laureantur marty-
res,qua uirgines coronãtur,qua ſacerdotes ſubli-
mantur & cõfeſſores.Hæc eſt ueſtis ſine ruga, tu-
nica ſine macula,bonitas ſine malitia.O monache
qui bene incepiſti,caue ne cadas,caue ne ad tẽpus
uireſcas,& in tẽpore afflictionis marceſcas. Caue
ne fœno compareris,q̃d nũc naſcit & ſtatim mar-
ceſcit. Laboremus ergo fratres,& laborãtes perſe
D
ueremus,laboremus ut perſeuerantiã habeamus.
Laborent monachi omnes ut retineant, laborent
uirgines ut ſe informent, laborẽt uiduæ ut in ipſa
perſeuerẽt.Attendite tamẽ fratres, nam diabolus
quandoq; ſeruos dei ad bonum inuitat & conduc-
it,ut de bono grauius eliciat malũ. Contra hunc
diaboli inſultũ ualet ſola perſeuerantia,ut bono ſi
ne bona concludãtur initia,ut principium medio,
medium ne diſcrepet ultimo. Bonũ em̃ inchoare
& malo fine concludere,quid aliud eſt quàm mõ-
ſtruoſas res cõficere? Illa em̃ actio quaſi chimæra
eſt,quæ initiũ habet à ratione,ſed finẽ à ſenſualita-
te,Cũ em̃ ſic agitur,Humano capiti ceruicẽ pictor
equinam iungit, & ſuperinducit infructuoſas plu
mas. Caue ergo ò monache ne actio tua monſtrũ
maneat

maneat. Enormis enim erit fœtus uentris, si capiti
non correspōdeat finis. Quidam enim habent ini A
tium bonum, quorum uita mōstrum est mirabile
quasi hominis prætēdens caput, sed medium in lu
xuriam descendit uentremq; ouinum habet, & ad
ultimum in rapacitatē lupi pedes ostendit. O mo
nache, quid tibi prodest bonum inchoare, & nō fi
nem concludere? Si donum uirtutis amittis, dam
num incurris, & grāde supplicium promereris. O
q; tibi melius fuisset uiam ueritatis nō agnoscere,
q; post agnitam retroire per incōstantiam. O mo
nache leuis reputaris per tuam apostasiā, cum Iu
da incurris mentis instabilitatem, postponis deū.
amittis amicos, spūm & spem perdis, odio à cūctis
haberis, & uelut omnibus peior apostata cōpro
baris in uita. O monache attēde, quia nisi perseue
B
raueris, morieris. Igitur si incepisti ędificare, perfi
ce: si nō incepisti, incipe. Si obtulisti florem iuuen
tutis tuę diabolo, saltē fecem senectutis tuę immo
lare non differas Christo. Ipse enim misericors est
& recipiet te libēter, & dabit tibi stolā candidam,
& annulū in manu tua, & calciamentum in pedib.
tuis. Tūc inueterate olim diebus malis, renouabi
tur ut aquilæ iuuentus tua durans in æternum. In
cipite ergo fratres mei & perseuerate reducentes
uobis ad memoriam, à quāto bono recessit Iudas,
& quō feruenter bene agere cœpit, lingua uobis
exprimere nullatenus possem quomō tamen per
seuerauerit, scitis. Ecce enim Salomon per incon
stantiā corruit: sic & Saul, sic & multi alij, quia mul
C
torum incipere fuit, sed pseuerantiū paruus est nu
merus. Cauete ergo qūo caute ambuletis, conside
rātes q̄d qui se existimat stare, caueat ne cadat. Fe
lix ergo est qui benefaciendo perseuerat usq; in fi
nem. Quod donū præstet nobis ille qui pro nobis
mori dignatus est, Amen.

De ira fugienda. Sermo IX.

FRATRES mei dilectissimi, sicut omniū
6 F habere memoriam & in nullo errare nō
humanitatis sed deitatis solum est, ita tur
bari, obliuisci & pati, solum humanitatis est, & nō
deitatis. Nam deus non mentitur ut homo, nec ut
filius hominis irritat. Humanum est ergo fratres
mei turbari & irasci, & iram incurrere, bonorū &
malorum communis est cōditio, sed in ira uel o
dio perseuerare diabolicum est. Ideo uos qui spiri
D
tales estis maximè attendere debetis, ne ira in sinu
stultorum requiescat. Fatuus em̄ statim iram suam
indicat. Fortiter tamen spiritum irascibilem conti
nere magnæ prudentiæ est & perfectionis. O mo
nache noli irasci, nam nomen & habitum sanctæ
religionis in hac uasta solitudine portamus: custo
dite igitur uos ab omni turbatiōe. Non enim de
cet seruos dei turbationem incurrere. Nunquid e
nim proderunt nobis nostra ieiunia, nostra abstī
nentia, nostra sacrificia? Ab ira denicq; fratres mei
procedit rancor, à rancore odiū quod est ira inue
terata in animo, inde nascitur homicidiū, & si non
opere, saltē uoluntate: inde cōtumelia, inde detra
ctio, inde susurratio, suspicio & iniuria, quæ sunt
opera carnis & diaboli. O monache depone iram,
destrue rancorem, mitiga furorē, ne filius perditio
nis efficiaris. O quàm melius esset monacho, in se
culo uiuere pacifice, quàm in monasterio cunctis
bonis ornatus in ira & furore litigare & odium in
corde tenere. Nec deū laudare nec ab eo exaudiri
meretur qui odium seruat in corde. Qua fronte ō
monache, quo affectu, qua deuotione à deo potes
ueniam postulare si fratrem dum odis petis q; tibi
dimittat, sicut & tu debita dimittis? Crede igit̄ mi
hi q; tantum tibi dimittet, quantū & tu dimittis al
teri. Dimittamus ergo fratres mei iram quæ recte
significatur per Lazarum quatriduanū fœtidum,
quia qui iram in corde portat, infamię fœtor sta
tim eum corrumpit. Si ergo ira in animo nascitur,
mox refrena eam, allide eam ad petrā, suffoca eam
exemplo tui saluatoris, qui percussus in unam ma
xillarū mox præbuit alterā. Nam si hoc prior ipse
non fecisset, mihi nunq; facere pręcepisset. Eia ergo
discite fratres mei ab illo qui dixit se esse humi
lem & mitē. Discite opere, quod sæpe legistis ore,
Sol non occidat super iracundiā uestram. Si enim
frater tuus in te peccauit, uade ad eum & inuita e
um ad pacē, da ei osculum & lucratus es fratrem.
Tu uero q; offēdisti non differas pergere, nō diffe
ras fratres reconciliare, uade ad eū, pete ueniā. Et
si uerbo offendisti & tu uerbo recōcilia: si uero fa
cto, quod deus auertat, placa eum facto. Sic em̄ de
cet seruos dei facere, sic decet eos dęmones expel
lere, & sanctos angelos introducere: nā ubi ira re
gnauerit, ibi omnino princeps diabolus erit, nec
C
inde aliq̄d boni exire poterit. Fugiamus igitur irā
fratres mei, quæ rationē suffocat, mensurā iustitiæ
ignorat, solem iustitię nescit, amicitias rumpit, de
facili aufert pacem mentis, sapientiā calcat, sapien
tes infatuat, monachos deuiat, sacerdotes suffo
cat, castitatē euacuat, grauitatē in pastorib. dilace
rat. Nec ira repletus, consilij potest esse capax. O
monache intuere caput tuū, nam in cruce positus
pro suis crucifixoribus exorauit. Et primicerius
martyr Stephanus pro suis lapidatoribus genua Act.7
flectendo clamauit, Dñe ne statuas illis hoc pec
catum. Sed si non tantę perfectionis sumus ut bo
num pro malo soluamus, saltem pro malo malum
non reddamus. Non tamen per pusillanimitatem
remittendæ sunt iniuriæ, sed per sapiētiam quæ est
D
in Christo Iesu. O quanta fratres mei huius peccā
ti labes. O quàm grādis & lata miseria tam corpo
ris quàm animæ: nā corpus quietem, somnum &
alacritatem amittit, sed & anima uitam perdit ęter
nam. Veniūt enim & reuertuntur ad nos per iram
pristina peccata, & sic cōfundimur & damnamur.
Nos uero fratres qui Christiani ueraciter sumus,
relinquamus uindictam illi qui ait, Mihi uindictā, Deut.25
& ego retribuam. Quicquid em̄ ad te pertinet, di
mitte illi. Nunquid ipse mirabiliores uindictas fa
cit q; nos imaginari possumus? Non tamen hoc
sibi petere debemus, nec affectare, sed pro eis mē
te & puro corde orare. Nam dum nostras iniurias
facere petimus, quod dei est usurpamus. Orare
tamen sine intermissione debemus, ut uindicet
sanguinem suorum seruorum, non ad damnatio-
nem

nem, sed ad correptionē, qui est benedictus in se
cula, Amen. A

De puritate conscientiæ, amore tribulationū,
& spe qua per illas ad cœlestia inuitatur.

Sermo X

DSpiritale gaudiū hodierna die fratres di
A lectissimi intēdo uos inuitare. Quod qui
dē gaudium nō operatur diuitiarum co
pia, non fallax mundi gloria, non prolis fœcundi
tas, non corporis sanitas, sed tantum conscientiæ
puritas. O fœlix conscientiæ puritas, ò fœlix san
ctæ conscientiæ iocunditas, quæ uermem interio
rem excludis, quæ à carcere doloris liberas ratio
nem, quæ ab omni immunditia purgas mentē. O
mens sancta, paradisus deliciarū, uarijs bonorum
operū uirgultis cōsita, uarijsq; uirtutū florib. pur
B
purata, & suauiter cœlesti gratia irrigata. Hæc est
fratres mei paradisus in qua plātatur lignum uitæ
& cœlestis sapientia. Hęc est thalamus dei, palati
um Christi, habitaculum sancti spūs. Hęc est thro
nus Salomonis lectus sponsi cœlestis, in quo ipsa
conscientia bona optime delectatur & requiescit
cum sponso suo. O conscientia in te, & tibi occur
rit Rebecca cum Isaac ueniēte de agro. In te dele
ctatur Iacob cum Rachelis cōiugio, in te Sunami
tis Abisac regem Dauid iocundis fouet amplexi
bus. O cōscientia sancta, in terra adhuc es & in cœ
lis habitas. Gaude ò anima anima sancta, sancta
consciētia decorata. Gaude cœlesti & ęterna glo
ria. In ea fratres charissimi Magdalena illa ignife
ra, Christo preciosa offert unguēta. Ibi Maria opti
C
mā partē elegit quæ nō auferet̄ ab ea. Eia ergo fra
tres si ad hanc gloriā cupimus puenire, prædictā
nostrā conscientiam diligenter nūc discutiamus,
& ibi literam luxuriæ perlegamus, apicem super
biæ, notam auaricię & thecam inuidiæ prospiciā
mus, & deleamus ea per cōfessionē, per cordis cō
tritionem, per uerā satisfactionem, & tūc merebi
mur per gratiam adipisci gloriam illam quam nec
oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis
ascēdit, quæ deus præparauit diligentib. se. O fra
tres mei & lætitia cordis mei, festinemus ingredi
hāc sanctam sanctorū. Tunc enim habebimus bo
num quod non perdemus, tunc accipiemus perfe
ctum bonum quod nō amittemus. Amare tamen
debemus si ad hanc gloriā peruenire cupimus, tē
tatiōes, fames tribulationesq; singulas. Nam sicut
in fornace purgatur aurū, sicut lima purgat ferrū,
sicut flagellum separat à grano paleā: sic in forna
ce tribulationū patientia exercet̄, fortitudo robo
ratur, constantia solidatur, spes ad cœlestia inuita
tur. O spes sanctorum & turris fortitudinis eorum
quæ nō confundis, sed te expectantib. gratiam in
fundis, non cæcas sed illuminas, non famelicas sed
reficis. O felix spes cœlestis, tu timorem seculi ex
pugnas, consolationes mundanas extirpas. Per te
timor augetur, per te falsa cupiditas non somnia
tur, per te luxuria conquassatur, per te superbia a
uellitur, per te inuidia non dominatur, per te cun
cta uitia terminantur. O spes cœlestis curiæ, in te
regnat charitas, quæ credit omnia quæ ad salutem
pertinent, omnia sperat quæ promissa sunt. O fra
tres mei, qui hominum potest mentem seruorum
dei infirmare, si apud deum spes cœlestis pro eo al
legat? In quo nocebunt eis tyrannorum fulmina,
fortunæ præcipitia quid agēt? O spes tu cogitatio
nes dirigis, tu in charitate altitudinem ponis, ut in
ea perseueremus usq; ad mortē, tu in charitate lati
tudinem extendis usq; ad inimicum. O spes cœle
stis gloriæ, per te Patriarchę mala patienter susti
nuerūt, per te Prophetę cuncta mala portauerūt,
per te Apostoli ad mortē gaudenter perrexerunt,
per te martyres afflicti sunt, per te uirgines cōbu
stæ sunt, per te confessores uituperati sunt, per te
uiduæ castitatē astringūt, per te maritatæ lumbos
præcingunt, per te pupilli, languentes & orphani
sperant ridere, per te pauperes cōfidunt gaudere,
per te peregrini sperant terminum & ad finem la
boris peruenire. O spes tu omnia portare facis dul
citer & suauiter. Eia ergo fratres hanc amate, hanc
tenete, nō tamē sine timore: quia qui sperat & nō
timet negligens est: qui autem timet & nō sperat,
depressus est & descendit in profundum quasi la
pis. A quo descēsu liberet nos ille qui de cœlo de
scendit ut nobis uitam donaret & ascensum Chri
stus deus noster: Amen.

De lachrymis, compunctione & pœnitentia.

Sermo XI

CITOTE fratres mei charissimi quòd
S post mūdi gaudia sequent̄ æterna lamē
ta, q̄a nemo potest hic & in futuro gau
C
dere: ideo necesse est ut unam amittat, qui aliā uo
luerit possidere. Si ergo ò monache hic gaudere
cupis, scias iā te exulem esse patrię cœlestis: sed si
hic ploraueris, iam patrię cœlestis ciuis constitue
ris. Beati, inquit, qui lugent, quoniam ipsi cōsola
buntur. Sed dicet quis, Quid flere oportet, & qua
re flere debemus? Ego autem filioli & fratres dico
quòd flere debemus peccata quæ cōmisimus. Iste
enim fletus sit panis noster, quem quotidie come
dere debemus die ac nocte. Flere etiam debemus
populorū peccata, quasi nostra uulnera. Sic enim
Paulus faciebat, dum clamabat, Quis infirmatur 2.Cor.11
& ego non infirmor? Flere etiam debemus de di
latione regni æterni, q̄d bene ostendebat ille Pro
pheta Dauid dum dicebat, Heu mihi quia incola- Psal.119
D
tus meus prolongatus est. Istę enim sunt tres mise
riæ, quibus texitur liber Hieremiæ, quibus plan
git peccata animæ, insultum miseriæ, & dilationē
patriæ. Horum fletuum imbrib. debemus irriga
re terrā mentis nostræ, ut pariat fructus bonorum
operum diuersosq; flores uirtutum. Isti quoq; fle
tus sunt tres fluctus per quos filij Israel transierunt
ad terram promissionis. Vere peccatores ex Ae
gypto uitiorum exeunt, mare rubrum transeun
tes, dum submerguntur hostes, & uitia suffocan
tur. Vere cantant domino gloriose, dum intrātes
cœlestem Hierusalē, deposita corruptibili ueste,
sanctis angelis sunt sociati. O monache fac igitur
ut mens tua sit liber quem uidit Ezechiel, in quo
scriptæ erant lamētationes & uæ. O monache ad
has lamētationes te cōuertas, hos dolores ample-
ctere

ctere cunctis diebus uitæ tuæ; flendo tua peccata, & nõ solum ut diximus tua, sed & proximi. Caue-
A to tamẽ ne fleueris mortem corporalem alicuius, nec substantiarũ amissionẽ, nec corporis infirmitatem. Omnia enim necessaria sunt euenire, omnia hæc ualde cõmunia. Ponas ergo te in dei uoluntate, relinquens sibi omnia, & ipse te reducet & conducet: quicquid tibi acciderit, libẽter suscipe, deũ in omnibus lauda, omnem honorem sibi exibeas, gratias ei soluendo. Quotidie fleas peccata quæ cõmisisti, & quę cõmittere ꝓximos uideas, quasi tua sint uulnera. Sic enim peccatrix illa Maria nõ solum in domo Simonis, sed etiam post aduẽtum sancti spiritus hoc idem ardẽter perfecit. Semper enim dolebat, semper in uita sua flebat quæ commiserat. Sic fecit & Maria mater domini, quę dum
B iuxta crucẽ staret, non sua peccata flebat, quia nullum peccatum habebat, sed flebat nõ tantum filij passionem, sed & ludęorum dãnationẽ. Sed dices, Mortuũ fratrem uel amicũ uideo, naturalis infirmitas me inuitat ad planctũ. Ego aũt dico tibi monache, tempera luctũ tuum. Nõ em̃ tuum est mortuos flere, sed seculi. Non tamen prohibeo lachrymas naturales, quas naturalis necessitas exprimit. Nam multi lachrymas fundunt, & quamuis natura nos ad hoc frequenter inuitet, animus tamen sapientis immobilis perseuerat. O tu qui sapiens uideris esse in seculo, caue ne cõsentiat animus tuus mortuos deplorare. Stude ut luctus uincatur ab animo. Caue ne absorbeatur animus tuus ab infirmitate mentis, & extenuet spũs carnem uitio sensualitatis. O monache si mors imminet, noli dolere, præpara te ad mortem ꝑ mentis constantiã. Talem te præpara ut mortẽ timere nõ possis, ut post mortẽ uiuere incipias, qui ante mortem moriẽdo uiuebas, uel uiuẽdo moriebaris. Cupis ergo ò monache semper uiuere, depone fletũ pro terrenis, noli plorare quę mũdi sunt, & quæ necessaria sunt euenire. Depone omnino fletũ pro terrenis, & assume lamentũ pro cœlestibus, Beati, inquit, qui lugent, beati qui fletis, quia ridebitis. Diligamus igitur lachrymas, quia suaues sunt diligentib. deum. Delectemur igitur semper in hac infirma uita fratres mei in fletu & lamento. Simus tantũ proni ad lamentum & fletum, quãtũ fuimus ad culpam audaces. Qualis fuit nobis intentio ad peccandum, talis sit ad pœnitendum deuotio. Grauia peccata
D grauissimis lamẽtis indigent. Accipite fratres mei compunctionẽ, quia sanitas animarũ est, remissio peccatorum est, sacrificium spiritale est, quod deo summe placet. Holocaustum medullatum, est cor peccatoris humiliatum, & quotidianis lachrymis rigatum. O monache punge oculum mentis, ut lachryma prodeat compunctionis. O compunctio quam sancta & mirabilis prędicaris, tu spiritale lauacrum es, tu flagellum dei es per q̃d deus mutat̃, tu stimulus per quem deus ad hominem inclinat̃, tu ligamen per quod deus fortiter astringitur. O cõpunctio sancta & immaculata, sine qua adultis nõ ualet baptismus, sine qua ad iudicium domini corpus recipit̃, sine qua infructuosa est omis confessio, sine qua omis satisfactio inanis est. O com
A punctio lachrymosa, ò lachryma mentẽ purgans, intentionem fœcundãs, cõfessionem irrigans, animam sanctificans. Hęc est lachryma sanctæ compũctionis soror, quæ motus illicitos extinguit, paradisum aperit, infernum claudit, mũdumq̃ despicere in cũctis facit. O felix lachryma, tu carnalem cogitationẽ extinguis, peccatorũ morbum expellis, uirus culpæ euomis. O felix tabula, ò uitalis naucula, per quã naufragus redire potest ad portum salutis. O aqua salutaris, per quam omne peccatũ destruitur. O uia, per quã ad paradisum gradimur. O spiritale conductum, per quod de inuio ad uiã transitur. O felix lauacrum pœnitentiæ lachrymarũ, quod totiens uales ad purgandũ, quotiens pur
B gatione indiget cor humanũ. Hæc est fratres mei herba cœlestis illius fullonis, qua uestes seruorum suorũ deturpatas à sorde quotidie purgat. Hoc est cœleste nitrũ, quod de rore diuinæ gratiæ confectũ, abstergit maculas peccatorũ. Hoc est lixiuiũ, quo interioris hominis caput optime abluitur. O lachryma tu contra ruinas hominũ suaue solatiũ, quæ passionis Christi es uicaria, contra peccatum ponens remediũ, ut per te totiens cogatur Christus mori, quotiens labitur homo in abyssum peccatorũ. O monache ergo à lachrymis quis cõtinere se poterit? Intremus obsecro conscientias nostras, discutiamus eas, & si risimus in iuuentute, saltem in senectute fleamus, cogitãtes quid Christo & quid diabolo tẽpore nostræ iuuentutis persoluimus. Et si antequam ad eremum peruenimus, uisus nos incuruauit per concupiscentiam, si gutta
C per gulã, si auditus per enormitatem uerborũ uel spontaneã detractionis audientiam, si lingua clau dicauit in uerbo, si olfactus errauit in odoramẽto, si tactus fefellit in suauitate, si gressus ad furtũ, si in his uel aliquo istorũ te inueneris culpabilem, ablue culpam per lachrymam: luxta quãtitatem sordis mensura lachrymarũ copiam, assumendo pœnitẽtiam, quæ mater est omniũ bonorum. Timor autem qui pœnitentiam concupiscit, contritionẽ parit. Pœnitentia enim illa digna & bona est, quæ peccata peracta deplorat, sic ut deplorata iterũ non cõmittat. Quid ergo pœnitentia est, nisi anteacta deflere, & flenda iterum non cõmittere? Nam qui sic peccata deplorat ut iterum pecca-
D ta committat, adhuc pœnitentiam agere ignorat, Nunquid & qui dissimulat irrisor est, & non pœnitens qui adhuc agit quod pœnitet? Pœniteamini igitur fratres mei, & pœnitentes pœnitentiã agite in fletu & lamento, ut digne ridere possitis in gloria beatorum: Amen.

De superbia & humilitate: Sermo XII

FRATRES charissimi ubi superbia fuerit, ibi
F discordia & contumelia dominabit̃, Non ergo decet seruos dei in eremo cõstitutos superbos esse sed humiles, non elatos, sed mansuetos, castos, benignos, & omnib. uirtutibus ornatos. Cauete enim fratres & uigilãter semper attẽdite, ne superbia inflemini de bonis cõmissis, scientes q̃ superbia ex angelis dæmones fecit, sed humili-

humilitas homines similes angelis constituit. Superbia gloriam de cœlis deiecit angelicam, sed hu
A militas ad cœlos ascendere fecit infirmitatem humanam. O fratres mei cauete, ne orãtes, uel legentes, uel stantes, uel sedentes, uel uigilantes dicatis ore uel corde, habitantes in cinere & cilicio cum Pharisæo, Gratias tibi ago domine, quia non sum sicut cæteri homines. Hęc enim solitariã uitam ducentes diabolo instigante sæpe cogitant, sępe hoc dicere tentantur ab inimico seruorum dei. Potius enim uolo uos eremũ exire, quàm talia dicere uel cogitare: Sed dum tentamini hoc asserere uel de uobisipsis hoc cogitare, mox clamate, mox ululate & dicite, Ego sum uermis & nõ homo, opprobriũ hominũ & abiectio plebis: Et cũ publicano dicite, quibuscũq̃ uirtutibus sitis ornati, Deus, ꝓ-
B pitius esto mihi peccatori. Attẽdat igitur charitas uestra, quid dixerit ueritas nostra, Qui maior est uestrum, fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut minister. O monache quanto maior es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiã coram deo et hominibus. O sancta uenerabilisq̃ humilitas, tu filium dei de sinu patris descẽdere fecisti in uterũ sanctæ Mariæ uirginis. Tu eũ fecisti inuolui uilibus panniculis, ut nos indueret uirtutũ ornamẽtis. Tu circũcidisti eum in carne, ut nos circũcideret in mente. Tu eũ permisisti corporaliter flagellari, ut nos liberaret à flagello peccati. Tu eum coronasti spinis, ut & nos coronaret suis æternis rosis. Tu eum
C infirmari fecisti, qui medicus cunctorũ erat, & solo uerbo sanat uniuersa, ut nos infirmos sanaret. O sancta humilitas, q̃ dissimilis es superbiæ. Nam ipsa superbia fratres mei Luciferũ de cœlo deiecit, sed humilitas dei filiũ incarnauit. Ipsa superbia Adam de paradiso expulit, sed humilitas latronẽ in paradisum introduxit. Superbia gigãtum linguas diuisit & confudit, sed humilitas cunctas cõgregauit dispersas. Superbia Nabuchodonosor in bestiam transmutauit, sed humilitas Ioseph principem Israel constituit. Superbia Pharaonem submersit, sed humilitas Moysen exaltauit. Hæc est illa sancta humilitas, quæ fecit solitarios, quę fecit nos priuatos seculo, quæ fecit nos in conuentu solitarios omnibus uirtutibus florere perfectis. Hæc est illa sancta humilitas quæ philosophos tradidit in re-
D probum sensum, excæcauit Iudæos, suffocauit Paganos, inflãmat Christianos, perimit obstinatos, deijcit potẽtes de sede, & exaltat humiles. Sed superbia fratres mei nõ sic. Sed quid? Prælatos percutit, diuites tumurosos efficit, religiosos decipit. Hęc homines cæcat ne agnoscant quid sunt. Hæc em̃ fructũ perdit operis, mentẽ hominis ligat, quia ab ea panditur omne malũ. Hæc est illa feruẽs olla, quam Hieremias uidit, in qua decoquunt̃ omnes principes & pastores tenebrarũ, sectatores bonorũ tẽporaliũ, ueneratores diuitiarũ, qui primas cathedras appetũt in synagogis, & salutari in foro, & uocari rabbi. Hãc ollam succendit diabolus, dũ corda patrum inflat ad altiora. Isti sunt quatuor uenti, qui totũ orbem perflant, arrogãtia sibi ascribens quod non habet, insolentia sibi approprians quod alteri debetur, superbia multa de se credens
A ultra q̃ uerũ sit, contumacia se erigens in prælatum. Isti sunt quatuor fabri, qui totũ mundum concutiunt, & corda filiorum dei dissipant, à quibus nos custodiat deus: Amen.

De fortitudine tenenda: Sermo XIII.

QUIA in hac uasta solitudine dei gratia sumus in unũ congregati, ut unanimes habitemus in domo, et sint nobis omnia cõmunia, ꝓpterea inter cæteras uirtutes fortitudinem oportet nos rapere, sequi & imitari. Nã si hãc uirtutẽ amplexi fuerimus fratres, iacula fortunæ nõ timebimus, deridebimus diaboli blandimẽta, & spernemus illata. O fratres mei ligate hęc in cordib. uestris, quoniã qui fortis est, liber est. Non em̃ seruit fortunæ, nõ uanitati mũdanæ. O fratres mei
B & lætitia cordis mei considerate quanta fuerit in martyrib. fortitudo, qui uelut impassibiles tormẽta despiciũt, tyrãnos cõfundunt, cuncta quę mundi sunt despiciunt, qui licet decoriati, licet combusti, licet in cunctis mẽbris afflicti, licet in omnibus corpore sint ꝓiecti, nõ tamẽ legimus eos esse mente mutatos. Sed scire debetis fratres mei q̃ multis modis dicitur fortitudo, hypocritarũ uidelicet & philosophorũ, & bonorũ fidelium. Hypocrita deniq̃ multa sustinet, multa portat, & foris in cũctis apparet. Sed uæ hypocritę, quia uenãdo mũdi gloriam, æternã pœnã meretur: Hic sic trahit gloriã, quòd nõ habeat gloriã. Hæc em̃ fortitudo nõ uir-
C tus est sed uitiũ, non magnanimitas sed infirmitas, nõ bonitas sed imbecillitas appellat̃. Hãc pretendunt hæretici, hãc rapiunt falsi fratres, de quorum numero dei gratia uos nũquã esse cognoui. Quædam etiã fortitudo est philosophorũ, qui calcauerũt diuitias, honores, põpas, dignitates, & aliquãdo mẽbra propriorum corporũ, sed hæc fortitudo insufficiens erat ad æternæ uitæ meritum. Quare? Quia carebant charitate & timore dei. Ipsa deniq̃ charitas est forma omis bonæ actionis. O quãtus rigor fortitudinis fuit in Platone, ò quot & quãta patiebatur cõtraria, sed quia fundamẽto fidei caruit, propterea spes eam fortitudinẽ non erexit: & quia charitate nõ profecit, ideo uirtutis meritum omnino amisit. Sed est & alia fortitudo qua boni quotidie certant usq̃ ad mortẽ. Tales sunt fundati
D in Deo, ideo & supra diximus fratres, nec uerba nec impiorũ uerbera timẽt. Hæc est illa mirabilis fortitudo, qua Moyses asperitatẽ uiæ deserti uicit, hic est panis cœlestis, qui Heliã in deserto pauit. Hæc est fortitudo quæ mortẽ spernit, hæc est clauis qua domus dei patescit & aperit̃. Hæc est quæ habenas uoluptatis sub freno ratiõis iacere cogit. Hæc est qua Ioãnes in deserto decoratur. Hæc est qua Paulus eremitarũ forma beatificat̃. Hæc Antonij aliorumq̃ sanctorũ patrũ lorica est & zona, qua præcincti & armati in excelsis indefessa uoce quotidie clamare nõ cessant. O fortitudo, eremitarũ baculus, cœnobitarũ cingulus, monachorũq̃ omniũ sacramẽtũ, tu cõtra paupertatẽ uales, ut nõ frangatur animus paupertatẽ amãtis, sed amplior sit interius & magis uirescat in mẽte. Quanto mi-

nus abundat in rebus fortunę,tanto plus ualet fortitudo contra mundi insultũ.O fortitudo si dolorē pateris,tu in omnib.gratias agis,tu in tribulatione diuitias spiritales & delicias inuenis,ut potius morbi cedant in mentis cõmodum ꝙ corporis detrimentum. O fortitudo omnem crudelitatem euacuas,carcerem respuis,crucem non metuis,eculeum amplecteris,optas uincula,spontanea semper curris ad mortem. O monache nihil ualet cursus tui brauij,nihil tua operatio, nisi colũna fortitudinis roboretur.Nihil ualet ædificium boni operis, nisi columnam fortitudinis amplexeris.Sed si columna fortitudinis fracta fuerit,totum ędificiũ bonorum operum ruit.Hanc si Dauid tenuisset, homicidium & adulteriũ nõ cõmisisset. Si Sampson hanc seruasset,fœmina eum inimicis non tradidisset.Si Salomon hanc dilexisset, idola non adorasset.Si Petrus hanc tenuisset,ad uocem ancillæ fidē non negasset.Si filij Israel hãc habuissent, minime in deserto murmurassent: Eia igitur fratres estote fortes in bello tentationũ,tribulationum,infirmitatum,iniuriarũ,& pugnate cum antiquo serpente,& accipietis regnum æternum:Amen.

De iustitia & correctione fraterna: Ser.XIIII.

Nusquam impudentius fingit quàm hic.

VT bene nostis fratres charissimi,tria monasteria apud Hipponem dei gratia merui laudabiliter ad honorē sanctæ trinitatis construere. Quorũ primũ hoc est,in quo iam annis multis modico pabulo cõtenti hilariter cõmoramini,bestijs associati,auibus ministrati,ciborumq; spernentes delicias & uisus hominũ fugientes.Et ideo non ego miser, sed uos sæpe angelorũ assueti estis colloquijs.Aliud quoq; monasteriũ in horto quē sanctus noster pater Valerius mihi dedit ędificatũ est.Et quoniã postquã presbyter Episcopus factus sum, nec semper hic uobiscum habitare potui,nec cũ fratribus qui in prædicto monasterio positi sunt, propterea infra domũ Episcopi mecũ habere uolui monasteriũ clericorum, & cũ eisdem pariter uiuere cœpi secundũ regulã & apostolicam traditionē.Ad uos ergo tantũ qui in eremo laudabiliter uiuere uoluistis,pertinet uerbum istud audire & intelligere,atq; operibus adimplere,quo dicitur,Diligite iustitiã. Ad fratres aũt nostros & clericos qui in urbe habitãt, quibus etiam expedit prędicare quotidie uerbũ dei,pertinet nõ solum diligere iustitiã quo ad seipsos,sed etiam iudicare,reprehēdere,obsecrare,increpare,in omni patiētia & doctrina populũ electũ dei. Et licet fratres nostri q collocati sunt in horto sancti Episcopi Valerij satis distent ab urbe,quia eorũ tamen fama diuinitus diuulgata est, ordinaui ut uerbũ dei populo salubriter prædicarent, animæq; fidelium suam uitã,doctrinã & exempla audiēdo & uidendo sponte redirent ad illũ qui ex nihilo cũcta creauit.Ecce quomodo terrã iudicant,ligant,& soluũt quæ uolunt,semper deo fauente. Vos uero qui segregati estis à seculo,qui etiã uitam tutiorē eligere uoluistis,audite quòd in cunctis maxime iustitiam diligere debeatis.O fratres mei & lętitia cordis mei, uultis scire quomodo uos solitarij iustitiã diligere debeatis? Cauete ne sic ab alterius oculo

A

festucam eijciatis,ut in oculo uestro trabē non uideatis: nec sic alterius uelitis reuelare lapsum, ut uestrũ nõ uideatis casum,nec sic alterius curare debetis morbũ,ut & uosipsos postponatis ægrotos, ne cuilibet uestrũ dicatur, Medice cura primò teipsum.Cura ergo primò teipsum ò monache,ut curatus alterius uulnera curare possis.Audite fratres mei,audite quid dominus dixerit Pharisæis adulteram accusantibus,Qui sine peccato est uestrum *Ioan.8* primus in illam lapidē mittat. O monache in quo alium iudicas,teipsum cõdemnas.Qua fronte fratres mei poterimus arguere alios de eo ꝙd in nobis grauius inuenimus? Ad nos igiť fratres pertinet mũdos esse & sanctos, & si tũc fratrē nostrum

B

deuiare uidemus,reprehendere eũ cũ omni mansuetudine sine mora debemus,ne per nostrã negligentiã pereat.Charitas enim non odij,non rancoris,sed zelo iustitiæ gladiũ correctionis euaginare debet, tamē semper misericordia ligata sit in cordib.uestris,ne uelut Iudas ille qui peccauit,desperatus ad suspendium pergat.Hoc aũt ad uos maxime pertinet fratres.Sed quid ad fratres in urbe habitantes pertineat audiamus. Certe non solũ hoc, sed etiã spectat ne iudiciũ odio exasperent, ne crudelitate inflamment,ne amore pecuniæ emolliãt, quia pauperes uere sumus,& spectaculum facti sumus angelis & hominibus,ne timore iustitiã relinquãt,ne eos moueat res purpurea, nec diuitis munera,sed magis saccus pauperis,orphani & pupil-

C

li eos mouere debet dei iustitiã cũ labore exercere.Regia uia qui terrã iudicãt incedere debēt, nec declinare ad dexterã molliēdo iudiciũ,nec ad sinistrã exasperando suppliciũ.Non eṁ crudelitas est punire reatũ,sed iustitia:nõ tyrannicũ, sed diuinæ rectitudinis iudiciũ.Non tamē uolumus, nec consilium damus ut mox iudicent, sed cũ omni maturitate incedãt,& inuēta discussaq; rei causa in Christi nomine iudicent delinquētes:& si publice peccauerint,publice puniant̃,ut & cæteri iustitiã diligentes fortius diligant, & iustitiã odientes metuãt ne delinquãt.O sancta laudabilisq; iustitia, sub te & per te pudicitia regnat, pax per te triumphat & securitas,dignitas per te floret, & fructũ affert in patientia.O iustitia qui te amauerit,qui te strinxe-

D

rit,cũ Moyse mare mundi uitiorũ sanguine rubricatũ,sicco uestigio pertrãsibit. Hæc est uirga qua petra percussa manat in fluenta, quia lapidea subditorũ corda iudicio iustitiæ tacta,in uirtutũ exuberãt flumina.Hæc est uirga Aaron, quæ frõduit, floruit & fructũ peperit, quia iustitia quasi frõdet dum mēte cõcipitur, floret dum uiriliter exercet̃, fructificat dum subditus corrigiť.Hęc est uentilabrũ,quo granũ diuiditur à palea, sanies à morbo eijcitur,quia cõtra morbũ peccati opponendũ est mordax emplastrũ,ne in maius uitiũ tabes exuberet incurata,& in augmentum facinoris redundet iniquitas impunita.Hęc est mēsura, qua debemus metiri pœnas,& merita põderare. Attēdite tamē fratres,attendite pastores qui terrã iudicare debetis,quòd aliquando iustitia est relaxanda propter scandalum

scandalũ multorum,aliquãdo exagitanda est ut sit cautela reliquorũ. Tunc uero iustitia diciť gladius ex utraq; parte acutus, quia hominis defendit corpus ab exterioribus iniurijs,& animam à spiritalibus molestijs.Hæc est medicina uitiorũ, antidotũ peccatorũ.Hæc est pugio, quo Phinees transfixit coeuntē cum Madianitide Iudæũ,& cessauit quassatio.Hæc est lapis quo Dauid percussit Philistæum,& à seruitute Israel liberauit. Hæc aũt sine discretione,gladius est in manu furiosi.Hæc sine prudentia,est mors & bonorum persecutio.Hæc sine misericordia,gladius est in manu tyranni. Cũ summa enim discretione fratres mei tenenda est iustitia, cum summa deliberatione inferenda est pœna,non iudicando ex suspicione,sed ex omni certitudine ueritatis. Attēdite fratres mei & antè ꝓbate,postea recte iudicate, nõ secundũ faciem sed recto iudicio. O quàm facile est iudicare,sed ò ꝙ amarum est quod iudicatũ est retrahere. Ideo non puer,nõ insensatus uobis pręesse debet,sed annosus,prudens,castus,sobrius, ut in progressu & statu sal terræ & lux mundi cunctis appareat:talis iustitiam non poterit ignorare. Tunc enim regnum Romanorum pacifice tãdiu perseuerauit, quãdiu sapientes regere permiserũt: sed dũ iuuenes & inexpertos regere permiserũt,tanq; iustitiã ignorantes,acceptores personarũ facti sunt, & sic iustitiã perdētes dominiũ orbis terrarũ perdiderũt. Iuuenes ergo imprudentes,duces uel ecclesiarũ pastores non constituendi sunt,ne ipsi simul cũ populo pereãt.Tales eṁ si præsunt,nõ solũ præterita & fu

C

tura nõ cogitãt, sed audire quod bonũ est & uerũ aures suas obturant.Taliter etiã non solũ iuuenes, sed etiã antiquos in dieb.malis hoc facere frequenter minime dubitamus. Vita enim pastoris omnibus prodesse debet. Et quomodo hoc quis facere poterit,si iustitiã ignorauerit,& regnare in æternũ crediderit? isti memorari nouissima sua non possunt,quia in æternũ uiuere credunt.O fratres sicut frequenter diximus,pastores & principes Romanorũ scientiã de præteritis habebãt,in quib.& certificari optime poterant,& de futuris aliquid scire semper procurabãt.In hoc aũt exercitiũ eorũ consistebat, ꝙ iustitiã usq; ad mortē sequebant̃, & pro ea moriēdo felices se esse putabãt. Tu uero ò monache qui præes,obsecro memorare quid es,quid

D

fuisti,& quid eris,tunc iustus reputaberis à deo,& in æternum non peccabis. Hæc aũt fratres mei sit semper nostra exercitatio,& si hæc fecerimus,uere fideles & iusti erimus.Sed sunt aliqui, licet dei gratia nõ inter nos,qui spiritu libertatis uiuere uolũt,ut superbi,auari,discoli,gulosi, adulteri, qui si ab aliquo reprehendunt̃,latrãt,ut canes,mordent ut serpētes,deuorãt ut leones, dolēt ut parturientes,dicētes malũ bonũ,& bonũ malũ. Tales aperta facie, uiuoq; sermone negare iustitiã præsumũt dicentes,Ecce quomodo me persequitur hypocrita,qui iustitiã tenere uidetur. Talis deniq; fratres omnibus peior est,& melius illi fuisset si in seculo remansisset.Et ideo si in nostra cõgregatione aliquem talē inuenerimus quod deus auertat, qui sic

iustitiã calcare uoluerit,nõ tenendus est sed expel

A

lendus,tanq; uiuere uolēs in spiritu libertatis suæ. A quibus tamē nos liberet deus sicut hactenus fecit per gratiam suã,ut nostra sancta et immaculata religio de bono in melius semper augmentet̃,per Iesum Christum saluatorem nostrum, Amen.

De fide trinitatis à simplicibus non inuestiganda,& septē donis spiritussancti contra septem uitia, Sermo XV.

SCRIPTVM est fratres charissimi,quòd non debemus loqui sublimia tanquã sapientes mundi gloriãtes. Ait enim Propheta,Nolite multiplicare loqui sublimia.Hoc aũ *1 Reg.2* tē uerbũ ad uos maxime dirigiť qui rusticani estis in syluis habitãtes,licet ciues sanctorũ & domesticos dei uos nullatenus dubitare debeamus. Noli-

B

te igiť multiplicare loqui sublimia. Quæ sunt ista sublimia de quib.nõ licet multũ loqui, nisi de dei omnipotentia,de unigeniti eius coæternitate, de sancti spiritus magnificētia? O fratres mei & lætitia cordis mei si uolumus scire quãtũ pater immensus sit apprehendere nõ ualemus. Si imaginari cupimus quomodo filius coæternus sit & cõsubstantialis,mēs humana omnis naturalis succumbit. Si scire desideramus qualiter spiritussanctus omnia cõtinet & nõ cõtinet̃,oṁis humana ratio deficit. Ideo hæc omnia discutere nõ curemus. Quare nõ nisi quia nullo modo ualemus? Propterea fratres mei sciatis, ꝙ ubicũq; quæriť de unitate trinitatis, magna est adhibenda cautela, quia nec periculo-

C

sius alicubi errat̃,neq; laboriosius aliquid quęriť, nec fructuosius aliquid inueniť. Veniat igitur cõtra uolētes scire ultra id ꝙ necesse est, sanctus ille Salomon,& reprehendendo atq; docendo dicat, Altiora te ne quæsieris,& fortiora te ne scruteris. *Eccl.3* Surgat etiam Paulus colũna fidelium & lumen orbis terræ,& sua uoce cõfundat oṁes philosophantes,nomen Christi portãtes, uolentes sapere plus quàm oportet sapere.Nõ tamē dico fratres, ꝙ omnino non quæratis, sed quæstiones in diuinis uos qui grossi estis multiplicare non debetis. Quęrite tantũ uos qui spiritales estis,quomõ præcepta dei seruare possitis,quomodo diabolũ in eremo superare debeatis,quomodo patientiã quam Christus docuit amplecti ualeatis. Hæc eṁ seruus dei sem-

D

per legere & adimplere debet. Natura deniq; nostra fragilis est,& ea ratione cõprehēdi nõ potest. Philosophus etiã Aristodemus annis multis insudauit naturã apis inuestigare, nec finaliter potuit. Quomõ ergo nos trinitatē capere ualemus? Cur miramur ò fratres qui lutei sumus,& uentrē stercoribus plenũ portãtes, si nescire possimus dei naturam? Nũquid & angeli ipsam in cœlo inuestigare possunt? Certũ est ꝙ non. Quid enim sciunt,nisi ꝙ deus trinus & unus est,& oṁia sine labore & pœna creauit & gubernat? Nolite ergo fratres loqui sublimia,nolite sapere plus quàm oportet sapere. In die enim iudicij nõ dãnabuntur Christiani, nec rationem reddent quia philosophiam uel dialecticam,astrologiã uel musicam ignorauerunt,nec de hoc quòd naturã dei scire nõ potuerunt, sed ideo

damnabuntur, quia deo obedire neglexerũt. Ideo
scitote fratres quòd melius est pie cõfiteri ignorã-
tiam, q̃ temere scientiam uendicare, quia temeri-
tas pœnã habet, sed ignorãtia promeretur ueniã.
Sufficiat nobis scire de mysterio trinitatis tantum
quantum dominus discipulis suis exposuit. Nemo
em̃ nouit sic de natura sua dicere sicut ipse qui ait,
Matt.28 Baptizate gentes in nomine patris & filij & spiri-
tussancti. Tres aperte pronũciat personas, sed uni-
tatem ostẽdit dicens, in nomine, nõ enim dixit in
nominib. Trinitas enim diuidit̃ indiuisibiliter, &
coniungitur diuisibiliter. Singulariter enim una-
quæq̃ persona deus est & uita uel deitas indiuisa
in opere, cõcors in uolũtate, par in potẽtia, æqua-
lis in gloria, nec minoratur in singulis, nec augeť
in trib. Sancta ergo trinitas unus deus est, ex quo
om̃ia, per quẽ omnia, in quo om̃ia sunt. Et ne tres
deos putaremus esse, ait Apostolus, Ipsi gloria, nõ
Gen.1 ipsis. Ipsi quidẽ gloria semper sit, qui ait, Faciamus
hominem ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã. Cum
enim singulariter dicit, imaginẽ, ostendit unã esse
naturam eius ad cuius similitudinem homo fieret.
Cum uero pluraliter dixit, nostrã, demonstrat deũ
non unam esse personam, ad cuius imaginem ho-
mo fiebat. Si enim essentia patris & filij & spiritus-
sancti una esset persona, non dixisset nostram: sed,
meam: nec, faciamus: sed, faciam. Si uero in illis tri
bus personis tres essent essentiæ, non dixisset no-
stram: sed, nostras. Et ideo cum dicit ad imaginem
nostrã, indicat trinitatẽ unitatis, ad cuius imaginẽ
factus homo noster interior, similitudinem sanctę
trinitatis retinet. Sicut em̃ pater deus, filius deus,
spiritussanctus deus, non tres deos credimus, sed
unum deum tres personas habẽtem: ita anima in-
tellectus, anima uoluntas, & anima memoria, nõ
tamen tres animę in uno corpore sunt, sed una ani
ma, quę licet unius sit substantiæ & naturæ, tres ta
men habet dignitates, intellectum, uolũtatem, &
memoriam. Et sicut ex patre generať filius, & ex
patre filioq̃ procedit spiritussanctus, ita per intel-
lectum generatur uolũtas, & ex his duobus proce
dit memoria. Sine his tribus anima perfecta esse
non potest, nec horum trium unum sine alijs duo-
bus aliquid integrũ consistit. Nec solũ sufficit in-
tellectus, nisi sit uoluntas in amore: nec hæc duo,
nisi addatur memoria, quæ semper in mente intel-
ligentis & diligentis manet eligens. Vniuersitatis
enim cõditor deus omnes motus animæ ad bonũ
facit, intellectum ut intelligamus quod iubet, uo-
luntatem ut sit in amore eius, memoriã ne obliui-
scamur quod imperat. Eia ergo fratres mei & co-
rona matris meæ nolite discutere nisi quantum uo
bis necesse est ad salutẽ. Nolite sapere nisi quantũ
oportet sapere. Quid enim oportet sapere nisi q̃
deus trinus & unus est? Quid aliud necesse est no
bis, nisi declinare à malo & facere quod bonũ est?
Quid aliud necesse est nobis, nisi ut bona cogno-
scamus & mala? Bona, ut sciamus ea rapere: mala,
ut sciamus ea deuitare. Non est igitur malum scire
malum, quia, nisi cognoueris quomodo uitare po
Rom.7 teris? Per legem nanq̃ peccatũ cognoui, ait Apo-
stolus, quia ante legem peccatũ non cognoui, sed
post legẽ datã quid tenendũ quid uitandũ erat co
gnoui. Malum ergo scire non est malum: sed malũ
operari, malum esse quis Paganorum unquã dubi
tauit? Necesse est ergo scire q̃ superbia mater est
& caput omnium uitiorum. Ab ea enim descẽdit
inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, uolu-
ptas carnis, in qua cõtinetur gula atq̃ luxuria. A-
scendit quis fratres mei ad sapientiã huius mundi,
& dum cõsiderat honores sibi à discipulis exhibi-
tos, extẽdit alas suas usq̃ ad terminos orbis terræ,
& de se præsumẽs gloriatur, & sic superbiendo &
præsumẽdo mox inanis gloria præsumentem ag-
gredit̃, dum ab alijs quærit gloriosus uideri. Et dũ
sic quęrit, à quibusdã considerat & uidet se despici
dicentibus: Non est quod à multis creditur. Plures
nanq̃ sunt eo acutiores, & plures eo meliores nõ
dubitamus. Inflatus uero ille qui se putat om̃ia sci-
re uel singula possidere, uidẽs quosdã altiores se,
mox eum inuidia aggredit̃, cuius uestigiũ ira imi-
tatur, & non ualẽs iram opere perficere, tristať, &
quærens consolationẽ tristitiæ, auaritia tãgitur ut
habeat unde trãscẽdere ualeat omnes. Et ecce dũ
diuitias congregat & acquisierit, statim in gulæ &
luxuriæ foueam cadit. Sed ò grandis misericordia
saluatoris: Spiritus enim pietatis per cõtemptum
mundi ordinauit ut expelleret auaritiam: sed quia
abiecta auaritia, sæpe mala comprimit tristitia, da-
tur spiritus scientiæ, qui ostendit quæ sit bona uel
mala tristitia. Si ergo sciẽtia bonam tristitiam ad-
ducit, quæ surgit ex dolore peccatorum, expellit̃
tristitia seculi quæ mortẽ operatur. Sed quia multi
sunt istis omnibus carẽtes, sicut sunt iracũdi, ideo
datur spiritus fortitudinis, qui per temperantiã re-
frenat iracundiam. Talis fortis est, imo fortior qui
uincit animum quàm qui capit urbẽ. Sed quia ad-
huc inuidet fortius imperanti, datur spiritus consi
lij, qui per amorẽ proximi eijcit inuidiã. Sed quia
pro tantis meritis sæpius uult laudari, ideo dať spi
ritus intellectus, per quem intelligit quid sit. Sed
quia inuenit se nihil esse, ideo ante deum humilia-
tur, & sic per humilitatem spiritus intellectus eij-
cit inanẽ gloriã. Sed quia aliquando non curat ex-
trinsecus, solet tamen sæpe de se interius gloriari,
ideo datur spiritus sapiẽtiæ, per quẽ incipit deum
cognoscere. Eius autem bonitatem & misericor-
diam quis cognoscẽs, ipsum toto cordis affectu di
ligit, & sic sapientia per charitatem expellit super-
biam, qua expulsa per gratiã efficimur templum
dei & habitaculum spiritussancti, Amen.

De inobedientia, negligentia, patientia & ca-
stitate: Sermo XVI.

FRATRES mei dilectissimi, in omnibus
operibus uestris semper mementote, q̃
omẽs stabimus ante tribunal Christi, ut
referat unusquisq̃ prout gessit in corpore. Cauen
dum est ergo ne ante illud terribile tribunal uacui
uel denudati appareamus. Non enim tunc sancti
nobis subuenient, quia tempus non erit miserẽdi
& misericordiã impetrandi, & iam fugiet à ianua
paradisi Maria. Omnes em̃ contra nos tũc erunt,
Abraham

Abraham cõtra inobedientes, & Isaac cõtra impa
tientes, & Iacob cõtra negligentes, & Ioseph con
tra incõtinentes. O quàm dure reprehendent̃ in-
obediẽtes fratres mei per uenerabilem patrẽ obe-
dientiæ Abraham, q̃ fortiter, quàm turpiter. Ideo
fratres mei attendite, & parati semper estote ad o-
bedientiam mandatorũ dei, paratas semper habẽ-
tes aures auditui, & linguam uoci: Pedes ituros se
stinate, manus ad operam sine mora parate, corde
iocundo, serena facie, ore risorio & oculo ornato
sanctitatis splendore, non tamen amore seruili uel
metu, sed omni charitatis affectu, sanctã obedien-
tiam seruare uos opto. Tũc enim ante tribunal iu-
dicis Abrahã non uos cõdemnabit, sed cõmenda-
bit, nõ uos à se expellet sed cõuocabit, nõ uos ma-
ledicet sed sublimabit in æterna patria. Negligen-
tiam etiã omnem deponere uos deprecor fratres,
ne Abrahã uos cõmendante contra uos surgat ille
sanctus Iacob in die nouissimo. Fugite fratres,
fugite negligentiã: nã sicut in unoquoq̃ opere bo
no mater est diligẽtia, ita uniuersę doctrinę & dis-
ciplinæ nouerca est negligẽtia. Sed & si habuerí-
mus obediẽtiã & negligẽtia omnino carebimus,
adhuc non sufficit nisi & cũ Isaac patientiã habea
mus. Nã sicut per impatientiã omnia destruuntur
bona, omniaq̃ suffocant̃ optima, sic & per patien
tiam omnia generant̃ bona, om̃es iniquitates de-
merguntur in profundũ. Qui uero fratres mei pa-
tiens non est, monachus nõ est. Sed & si habuerí-
mus obedientiã cũ Abrahã, patientiã cũ Isaac, dili
gẽtiam cum Iacob, & castitatem nõ seruauerimus
cum Ioseph, quid hæc omnia nobis proderũt? A-
mare ergo debemus summe castitatẽ, sine qua no-
stra opera nihil ualent. O castitas ornamentũ no-
bilium, exaltatio humiliũ, nobilitas ignobilium,
pulchritudo uiliũ, solamen mœrentium, augmen
tum pulchritudinis, decus sanctæ nostræ religio-
nis, minoratio criminũ, multiplicatio meritorum,
dei amica, angelorũ cognata, Patriarcharum uita,
Prophetarũ corona, Apostolorũ cingulũ, martyrũ
auxiliũ, confessorum uehiculum, uirginũ speculũ,
uiduarum refugiũ, & cunctorũ bonorum gaudiũ
& solamẽ. Sed quidã sunt fratres mei qui in iuuen
tute sua luxuriose uiuere uolunt, & si ad senectutẽ
peruenerint gloriãtur dicentes se cõtinentes esse.
Tunc enim eligũt seruire castitati, quando libido
eos seruos habere contemnit. Nunquid tales con
tinentes dicendi sunt? Absit. Tales em̃ premiũ nõ
habebunt, qui laboris certamẽ nõ habuerunt. Sed
illos uere expectat sempiterna gloria, qui fortes
fuerunt gloriosa certamina supportare: Amen.

De uigilatione & ociositate uitãda: Ser. XVII

POSTOLVS Petrus dilectissimi de no
stra salute solicitus, nos dulciter admo-
net, & ad uigilãdum nos exhortatur in-
1Pet.5 ter cætera dicens, Vigilate fratres, quia aduersari-
us uester diabolus quærit quem deuoret, cui resi-
stere debemus per fidem. Sed fides quærit oratio-
nem, oratio aũt optat prudentiam. Quid ergo nisi
quòd prudẽtes simus in fide fundati & uigilemus
in orationibus? Quare in uigilijs fratres orare de-
bemus, nisi quia si nõ uigilauerimus & ociosi per-
manserimus, quid aliud quàm tepidi in hac solitu-
dine apparebimus? Et si tepidi fuerimus, incipiet
nos euomere saluator de ore suo, de cõsortio suo,
de plebe sancta sua, eo quòd nec calidi nec frigidi
sumus. Vigilate ergo fratres ociositatẽ deponẽtes
in cũctis. Quid enim ociũ est, nisi uiui hominis se-
pultura, ut ait Paganus ille sanctissimi Apostoli a-
micus charissimus? Per ociositatẽ fratres rigorem
sanctæ solitariæ religionis fastidimus, per hãc ere-
mum sæpe exire tentamur, per hãc accẽdimur fre-
quenter ad luxuriã, per hanc animamur ad super-
biam, per hãc ducimur ad mundi gloriã, per hanc
tentamur delicate pasci, per hãc suffocamur preci-
ose uestiri, per hãc ad superfluã dormitionẽ trã-
himur, per hãc ad uerba secularia ducimur libẽter
audire. Hæc est illa ociositas pessima, quę frequen
ter sanctorũ cõuentus destruit, pariens in eis luxu
riam, nutriens in eis gulã, seminans inter eos ziza
niam, generãs inter eos homicidia, & omnia quæ
sunt opera carnis. Quid ergo dicis ò frater? Quid
ociose agere potes, nisi opera carnis? Nunq̃ quis
ciuis cœlorũ erit, si ociositatẽ amauerit. Ergo fra-
ter qui in eremo habitas, si uis perfectus esse, fuge
ociositatẽ, quia in seruis dei nihil peius reperitur.
Surge ergo si dormis ò rusticane mi chare. Surge
tu qui in eremo habitas, si clausos mẽtis oculos ha
bes. Surge tu qui nec ad alta uirtutũ oculos mẽtis
protẽdis, nec ad uidendũ quæ necessaria tibi sunt,
oculos mẽtis aperire uales, fuge ocium, & semper
aliquid facere memẽto. O fratres mei semper oc-
cupatos uos esse desidero, ut brauium salutis per
gratiã dei recipere mereamini. Hãc fugere cupiẽs
sanctus monachorũ pater Antonius, clamauit ad
dominũ in eremo & dixit, O Samaritane domine
deus meus, ò animarũ & corporũ uere custos, su-
scita in me gratiam tuam, & infunde seruo tuo mi-
sericordiã, ut in eremo collocatus, in tuo cõspectu
ociosus non maneã. Et audiuit Antonius: Antoni
cupis deo placere? Ora, & dum orare nõ poteris,
manibus labora, & semper aliquid facito. Fac q̃d
in te est, age quod potes, & nõ deficiet tibi auxiliũ
de sancto. Quid ergo diffidis ò monache? Nunq̃
quid idẽ deus est? Nũquid & pro te idẽ crucifixus
est? Age igit̃ quod bonũ est. Fuge ociũ, q̃d mors
est, & aperi oculos mẽtis & corporis, uidebisq̃ sin
gulas creaturas ad officia singula deputatas. Ecce
enim sol cursum anni perficit, luna etiam mẽsibus
& uicissitudinib. discurrit, & cæteræ stellæ. Om̃ia
em̃ sibi deputata officia sine quiete exercẽt. Nun-
quid etiã animalia bruta ad suæ naturę industriam
ocium fugiunt? Nunquid etiã semper laborant ut
cõseruentur in esse? Nũquid in suis necessitatibus
deficere & pigrescere ea uidemus? Absit. Om̃ia
em̃ sub obedientia sunt, om̃ia agũt quod agere de-
bent. Solus autem miser homo acidia soporatus à
suo officio frequenter recedit, & dei imaginẽ in se
deturpans in acidia perseuerat. Erubesce ò Chri-
stiane & absconde te à facie saluatoris tui, quoniã
insipientior iumẽtis & formicis hodie factus esse
cõprobaris. Vade enim ad formicam & considera
semi-

ſemitas eius, & diſce ab ea miſer qui capite eleuato perambulas, & ſuper aſtra cœlorũ iam aſcẽdere credis: Cõſidera ſemitas eius, quia cum præceptorem nõ habeat, tanquã de ſalute ſua ſolicita, in æſtate grana colligere nõ deſiſtit, quibus uiuere poſſit in hyeme. Non enim ſolum ſeculares hoc attendere debent, ſed & nos qui dei gratia in eremo ſumus, & in hac uaſta ſolitudine habitamus, formicarum cõditiones debemus attẽdere, & eas ſummopere imitari. Laborare enim ſine intermiſſiõe debemus, ut fructũ bonorũ operũ acquiramus in æſtate præſentis uitæ tam ſolicite & ſedule, ut tempore hyemali, tempore frigoris & iudicij nõ fame pereamus, ſed bonis cũctis ornati æternaliter reficiamur in patria. Eia ergo fratres mei dilectiſſimi, corona mea & gaudiũ meũ q̃d eſtis, omnẽ ocioſitatẽ expellite, ſemper aliquid boni facite, & quem tædet orare uel pſallere nõ deſiſtat, quẽ tedet orare uel pſallere, laborare manibus nõ differat, cogitãtes q̃ quãdiu Dauid exercitauit ſe in militia, nõ inſultauit ſibi luxuria, ſed poſtquã in domo ocioſus remanſit, laborauit adulterio, & homicidium cõmiſit. Samſon dum cũ Philiſtæis pugnauit, non potuit capi ab hoſtibus, ſed poſtquã dormiuit in ſinu fœminæ & ocioſe cũ ea remanſit, mox capit & cæcatur ab hoſtibus. Salomon dum occupatus eſſet in ædificatione templi, non ſenſit luxuriã, ſed mox recedens ab opere perſenſit inſultũ luxuriæ, & deficiens fœmina inſtigante ad idola, adorauit in thalamo uitulũ aureũ. Vigilate ergo fratres mei, uigilate & nolite deficere, quia nec ſanctiores Dauid, nec fortiores Sampſone, nec ſapientiores Salomone uos eſſe cognoſco. Deponatis omnem acidiam, quæ ſermonem nudũ reddit, bonis omnibus uos priuat, uirtutũ ueſtimẽtis uos expoliat. O fratres mei, honeſto opere ſemper occupatos uos eſſe deſidero, & q̃d perdidiſtis in ſeculo per præteritum, recuperetis laborãdo in eremo in futuro. Et ſi aliqui ſunt ex uobis qui per annos octoginta & amplius in eremo ſunt ſanctiſſimè cõuerſati, iugo ſanctæ obedientiæ, paupertatis & caſtitatis decorati, iam gaudeãt expectantes beatã ſpẽ & aduentum dñi. Iſti enim ut uidemus qui amplius ieiunijs & orationibus & operib. monaſterij inſiſtere non poſſunt, fecerũt em̃ dũ potuerũt. Propterea filioli mei ſi modo nõ faciũt ea quæ facere conſueuerũt, nõ ſit uobis moleſtũ. Si quieſcũt non miremini, ſi ueneranť à me ut patres, nõ triſtemini, quia ipſi digni ſunt. Nõ em̃ dolere debetis, quia charitas non cogitat malũ, ſed gaudet de alterius bono. Ideo uolumus & in Chriſti nomine ordinamus, ut & ipſi qui centũ annorũ & amplius ſunt, pater noſter ſedẽdo in lectulo dicãt, & diligẽter eis ſine murmure ſeruiatur, ut & ipſi pro nobis intercedant in cœlis, quorum habitatio iam ibi eſt, quã obtinere faciat nos ille qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

De inuidia cauenda, Sermo XVIII

F RATRES mei deſiderantiſſimi, nolite inuicẽ inuidere, ſed ſtudeat unuſquiſq̃ deo in cũctis placere. Inuidia enim omnes uirtutes cõcremat, omnia bona diſſipat, omnia mala generat. Sed dicetis. Nos q̃dã groſſi ſumus, peccare optime ſcimus, ſed uitare peccata uel à peccatis reſurgere ignorantes & fragiles ſumus: Quõ ergo inuidiã habẽtẽ, uel nos ipſam habentes cognoſcere poterimus? O fratres mei cupitis uoſ ipſos ſi inuidi eſtis cognoſcere, cupitis & fratrẽ ueſtrũ inuidiã habentẽ cognoſcere? Attendite q̃ ille inuidus eſt, qui alienũ bonũ ſuum facit: & ſi facere nõ poteſt, clamat per uicos & plateas, & uelut canis latrat & ardet, ſed primo ſeipſum more phœnicis occidit. Quid em̃ agit phœnix, niſi quia dũ ſeneſcit, ad partes calidiſſimas uolat, ligna ſicciſſima cõgregat, & lignis cõgregatis, alis ligna percutit, & ſic ignẽ accẽdit, & in eodẽ ſe cõburi permittit? Ex quib. cinerib. uermiculus naſcit, & poſtmodũ phœnix alia efficit. Sic & hypocrita facit, ſic & inuidus agit cũctis diebus uitæ ſuæ, intus & extra ſeipſum cõburens, ſeipſum primo infeſtãs, primo ſeipſum uulnerans & uexans. O inuide q̃ paucos habes amicos, & forſitan neminẽ habes, de cuius bono nõ doleas, et de cuius malo nõ gaudeas. Merito omni amico priuari debes, eo q̃ de nullo amicorũ bono gaudere probaris. O inuidia omni uitio peior, & omni peſte deterior. O inuide qui nũquam quieſcere potes, an ignoras q̃ omnis malitia habet aliquã felicitatis umbrã? Sed tu ipſa inuidia nequiſſima peſtis, tormentum ſine refrigerio, morbũ ſine remedio, laborẽ ſine reſpiratione, pœnã ſine intermiſſione, famẽ ſine ſaturitate ſemper habere uideris. O inuide uermis mortifere, qui in hedera Ionæ quotidie naſceris. O igneus ſerpens, quo populus Iſrael pungit. Hic eſt em̃ fratres bruchus, quo fructus terrarũ depaſcit. Legimus enim dilectiſſimi fratres mei q̃ filijs Iſrael mãna cœlitus datũ eſt, quo reſeruato ſcaturiebat multitudo uermium. Sic ex cœleſti gratia fideli collata, occaſionaliter in animo ſuperbi inuidia naſcit. Et quanto magis cœleſti gratia fidelis ſolidat, tantomagis ſuperbi mens in inuidiæ uermem reſoluit. Legimus etiã uermem ex hedera natũ, cuius umbra Ionas à calore defendebat, tandẽ hedera corruit, & funditus deuaſtat per uermẽ inuidiæ. Filios etiam Iſrael in Ægypto peregrinãtes, legimus igneos ſerpentes pupugiſſe. Sic & uos eremi ſacri cultores, ueri filij Iſrael, dũ inuidos ueſtros de uobis ſuſurrantes auditis, exultate quoniã filij dei & ſanctorũ patrũ effici meruiſtis. Exultate orãtes pro eis, ut eos ſocios habere in ſanctorũ collegio mereamini, reprehendentes & oſtẽdentes eis, quòd ipſa inuidia eſt illa peſſima tinea, quæ purpuramẽta uirtutum demolitur, ærugo quæ theſaurum ſapiẽtiæ depredatur, bruchus qui terrarum uirẽtia cõburit, quia quicquid boni operis uireſcit in homine, penè peſtis inuidiæ perdit. Hęc eſt quæ angelum de cœlo proiecit, quę hominẽ de paradiſo exulauit, quę filios Iſrael in deſerto percuſſit, quę cõtra Ioſeph fratres armauit, quæ Danielem in lacũ leonum miſit, quæ caput noſtrũ cruci affixit, quæ Iudam ſuſpẽdi fecit. Scitote fratres mei atq̃ diſcite, & ſuper tecta prædicate, quòd inuidia eſt illa fera peſſima, quæ fidem tollit, cõcordiam diſſipat, tertiam linguam multiplicat

multiplicat, iuſtitiã diſperdit, & omnia mala generat. Hæc eſt quæ Abel occidit, Adam onerauit uel exulauit, paſtorẽ ſuſpẽdit, Petrũ iugulauit dũ Chriſtum negauit, Paulũ decollauit & Ioannẽ, Stephanum lapidauit, Goliã proſtrauit, Dauid decepit, muros Hieruſalẽ euertit, Romã depopulauit, Carthaginem deſtruxit, Troiam deuaſtauit, & multa mala per hanc feram peſſimã in orbe terrarũ facta eſſe legimus. O frater mi dilecte, ò ruſticane amande, ò dimidiũ animæ meæ, cur inuidiam nõ deponis? Cur eam diligis? Nunquid mortẽ diligis? nunquid ad ſuſpendiũ pergis? nunquid in lacũ te proijcis? O inuide qui nunquam quieſcis, ſed ſemper cum Saulo ſeruos dei perſequeris, eos ligatos ducens ad principes ſacerdotũ. Ecce em̃ alios laboras tenere, ſed tu teneris ab illis, alios ligare procuras, ſed ecce tu cadens in terrã audis cũ Saulo, Cur me perſequeris? Alios tenere ſolicitas ſed ecce cæcatus teneris à cũctis: Alios defraudare procuras & ecce nequiter defraudatus, mox deportaris ad tartara, Eia ergo fratres deponite inuidiã, & ſi q̃s inuidos inter uos habere uidetis, orate pro eis, qa totiẽs moriunť, quotiens uidẽt uos bonis operib. refulgere. Cupitis ergo eos torqueri? Nunquã enim meliusinuidos torquere poteritis, q̃ uirtutib. & gloriæ ſeruiendo. Tunc enim latrant ut canes, deuorant ut leones, facie palleſcunt, capite minantur, oculis ſcintillant ut ſydera, manus cancellatas aſtringunt, dentibus ſtrident, & ſic anima & corpore moriunť. Vos aũt benefacite, non tamen ut eos ad furorẽ accendatis, ſed ut deo placeatis, orate pro perſequẽtibus & calũniantibus uos, dolentes de malo corporis, ſed fortius de animæ perditione. Cõcedat ergo nobis Chriſtus peccatorum cõtritionem, & proximi amorem infundat, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

De uigilia natiuitatis Chriſti, Sermo XIX

A CCINGIMINI filij potẽtes & eſtote parati, quia die craſtina delebit iniquitas terræ, & regnabit ſuper uos Saluator mundi. Craſtina die tenebrarũ caligo minuet. Craſtina die lux oculis & credentibus reddetur, Craſtina die mundus ſuam reparationẽ amplectetur. Craſtina die conditor ſyderum redẽptorq̃ omnium penditurus eſt ad ubera ſanctæ Mariæ uirginis. Craſtina die ille qui æternaliter præcedit uolubilitatẽ ſeculorũ, ingerere ſe incipiet curſibus annorũ. Craſtina die ſolutis naturæ legibus, ex ſolius diuinitatis potẽtia uirginis Mariæ uiſcera fœcundant, & ex riuulo ſuo fluuius magnus orietur, & fructus apparebit optimus, & ex uirgulto ſuo radix perfectorũ procedet tanq̃ ſpõſus de thalamo ſuo. Craſtina die ò monache ſuſcipies infãtulũ Ieſum, qui tamẽ ante omnia ſecula factus eſt. Para igitur te, quia ipſe dignat uidere te, oſculari te, aſtringere te, & nunq̃ dimittere te niſi tu primo cum dimiſeris. Aſpicite ergo fratres oculis mentis & corporis, & uidebitis dei potentiã uenientem, & procedentẽ à patre tanq̃ ſponſum de thalamo ſuo, quẽ aſpicietis, quem tenebitis, quem adorabitis pura mente & mundo corde. Ipſum fortiter tenete, totum in mundo & totum in cœlo. Totum in mundo ad iuſtificationẽ, totum in cœlo ad glorificationem. Totum in mundo ut educat peregrinãtes, totum in cœlo ut recipiat peruenientes. Totum in ſolio patris, totum in gremio glorioſę matris. Sic em̃ craſtina die patebũt ſignacula figurarũ, fulgebunt oracula prophetarũ, apparebunt miracula naturarum, ſtillabũt ſpiracula gratiarũ, quia naſcet Ieſus Chriſtus filius dei uiui in Bethleẽ Iudæ. Dum em̃ uenerit uidebimus rubũ ardere ſed nõ cõſumi, uirgam Aaron frondentẽ & fructũ facientẽ. Accingimini ergo filij potentes & eſtote parati, ut uidere poſſimus cum Ezechiele portam ſacratiſſimã perpetuo clauſam. Craſtina enim die uidebimus etiã cum Daniele puero ſancto lapidẽ angularẽ. Craſtina die uidebimus regẽ regum mentalibus oculis, & humanis ſub forma panis uiſibilis panem in uiſibilem, alimoniã cœleſtẽ, refectionẽ beatam; cibum æternæ uitæ, pignus noſtræ redẽptionis, hoſtiam ſalutarẽ, quã die craſtina toto affectu mãducare debemus. Iſte eſt ille panis & cibus datus Iſraelitico populo, manna dulciſſimũ habens in ſe omne delectamentũ & ſaporis ſuauitatẽ. Iſte eſt ille cibus quẽ uidit Pharao, in quo ſpicæ pulchræ & formoſæ erant. Iſte eſt ille panis datus Heliæ, in cuius fortitudine ambulauit quadraginta dieb. & quadraginta noctibus, & peruenit uſq̃ ad montẽ dei. Iſte eſt ille panis quo cibantur angeli, quo ſaginantur Apoſtoli, quo reficiuntur martyres, quo paſcuntur confeſſores, quo nutriunť uirgines & ſatiantur electi omnes. Panem aũt hunc ſi quis digne manducauerit non morietur in æternũ, quoniam ſpiritus uitę et ipſa uita eſt. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, quem uirgo nobis cras præſentabit, quem in gremio portabit, quem in uentre baiulauit ſine grauamine, quẽ & peperit ſine corruptione. Cuius mater inuẽta eſt uirgo ante partũ, uirgo in partu, uirgo poſt partum. Ipſa quẽ genuit adorauit, ſed prius mente q̃ uentre, & prius quàm filius in utero conciperetur. Leuate ergo fratres mei, leuate in hac uaſta ſolitudine capita ueſtra: Ecce enim iam eſt in porta redẽptio ueſtra. O q̃ magna magnalia deus propter nos operat, ecce em̃ quõ nos amauit. Ipſe enim deus factus eſt homo, creator creatura, ditiſſimus pauper, conditor legis deſtructor legis propter nos appellat. Amauit enim nos ut reciperet, humiliauit ſe ut exaltaret nos in ſe. Inclinauit ſe, ut erigeret nos ad ſe. Ecce em̃ quomodo nos amauit, quia deſcẽdit ut nos exaltaret, exinaniuit ſe ut nobis poteſtatem donaret. Accingimini ergo ò filij potentes & eſtote parati, quia die craſtina uidebimus irreuerberata acie fidei in uno eodemq̃ deo & domino diuinitatẽ incarnatam, maieſtatem ſubiugatam, libertatẽ captiuatã, uirtutem infirmatã, æternitatem terminatam, uirginitatem fœcundatam, uitam infirmatam. Accingimini ergo & eſtote parati mente pura, fidę integra, charitate ſyncera, ut dum uenerit ille ſanctus ſanctorũ & pulſauerit, confeſtim aperiatis ei. Non igitur tædeat uos modico tẽpore carnem ueſtram domare ieiunijs & abſtinẽtia eſcæ & potus:

quia ecce remunerator adueniet, reddẽs unicuiq; secundũ opera sua. Saluatorẽ igit expectantes, sobrie, iuste & caste uiuamus in hoc seculo, expectãtes beatã spem aduentũ domini, ut digne cum eo gloriari possimus in cœlis: Amen.

De natiuitate domini: Sermo XX

FRATRES dilectissimi homo non solum per sapiẽtiã dei factus erat ut esset, sed etiam ad sapientiã dei factus erat ut beatus esset, ut ille uidelicet frueret eo sensu, quo perc pi sapientia poterat. Sed quia peccando sensum amisit, quo sapiẽtia frui debuisset, quia oblitus est comedere panẽ suũ, et refectionẽ illam qua uiuũt animæ, in corporalẽ cõmutauit delectationem. Terrenis igitur & corporalibus sensu & affectu immersus, non potuit se ad spiritaliũ cognitionẽ sine amore erigere, sed sola ea quę carnis sunt agnoscens, spiritaliũ iocunditatẽ nõ agnouit: Ideo ipsa dei sapiẽtia cũ sursum esset, deorsum hodie uenit ubi homo erat, ut eum reuocaret unde ceciderat. Et ecce uerbũ caro factũ est, ut deus & homo inter homines esset, & sic cõuersus est panis ille in lac, ut à paruulis hominibus sumi posset. Sapiẽtia ipsa sursum panis erat, & eadem ipsa sapientia deorsum lac erat. In diuinitate ipsa sapientia panis erat, & in humanitate panis de cœlo descẽdens hodie lac factũ est, ut tanq; infantes per lac nutriti homines roborati ad panẽ deitatis accedere possent, ut idẽ ipse reficeret, & reficiẽdo languidos ad incorruptionẽ repararet. Dedit ergo reparandis ad incorruptionẽ alimentũ incorruptionis, paruulis quidẽ immaculatã carnem quã sumpserat de uirgine matre, perfectis uero incorruptibilẽ diuinitatẽ quam habuit de æterno patre. Istis ne interim deficerent in uia, sed illis ut reficerent & perficerẽtur in patria. Istis ad consolationẽ, sed illis ad glorificationem. Propter hoc ergo dei filius pro redẽptione hominũ homo hodie factus est, ut caro per carnem liberaretur, & humano generi de sua sumeretur preciũ redemptiõis, & inde remediũ fieret, unde uitium contractũ fuerat, & in eodẽ monstraret & peritia medici & iustitia redẽpti, quãdo de suo & sanando inuenitur remediũ & precium redimẽdo. Quia uero à corruptione liberandũ erat, quia remediũ, idcirco preciũ redemptionis incorruptũ esse debuerat. Propterea Maria mater electa est, & super oẽs creaturas præelecta, omnibus gratijs fœcundata, omni uirtute & sanctitate in utero repleta, ut de mundissima matre mundissimus filius nasceret. Et sicut in cœlo filius habuit patrem immortalẽ & æternũ, sic & in terra haberet matrẽ omni corruptione carentẽ. Igitur in cœlo qualis est pater, talis est filius: & in terra qualis est mater, talis est secundum carnem filius. In cœlo cum patre æternus est & immensus, & in terra cum matre tẽporalis est & mansuetus. In cœlo cum patre sublimis est & incorruptus, & in terra cũ matre hodie in præsepio humilis & corruptibilis apparet. In cœlo imago patris apparet, & in terra Mariæ filius ostenditur. In cœlo syderum & cunctorum factor ostenditur, sed in terra hodie per matrem inter bouẽ & asinum collocat. Mater uirgo est & in humilitate exultat, sed eius hodie filius humilitatem facto cõmendat. Per ignẽ hodie uenit ad nos & per uirginem præcessit nos. Per incorruptionẽ uenit ut peccatũ tolleret, & per incorruptionem præcessit ut uirtutem demonstraret. Venit ad nos hodie ille Iesus Nazarenus ut cõferret remedium, præcessit ut daret exemplum. Non enim potuit arbor bona malum fructũ facere, quoniã omnis arbor ex fructu suo cognoscit. Radix integra, & ramus fructusq; incorruptus est. Saluatoris igitur nostri aduentus Gabriel nuncius missus est, ut nouam in carne natiuitatẽ filij dei prædicaret, in qua forma serui domino sociata hostem potenter deuinceret, fortis in illo, non tamen uiolenta ad inferendam iniuriam, sed efficax ad iustitiam obtinendam. Propterea Gabriel missus est unus de maioribus cœlorũ angelis, sed ideo Gabriel dicit, quia fortior cunctis erat. Gabriel em̃ fortitudo interpretatur, quia ipsa etiam infirmitas fortitudo fuit, quoniã in ea superatus fuit inimicus, & capta præda à uiolẽto reducta est. Tres em̃ perierãt, & subsecutus est quartus, redẽptor eorũ deus. Primus sine masculo & sine fœmina, ut Adam, Secũdus de masculo sine fœmina, ut Eua de Adam, quia tulit unam de costis eius, & repleuit carnẽ pro ea. Tertius de masculo & fœmina, ut Abel. Quartus de fœmina sine masculo, ut Saluator mundi, qui de beata Maria uirgine hodie ꝓ nobis nasci dignatus est. Et quia primus author culpæ deiectus est per fœminã, ideo authorẽ gratiæ sine masculo concepit, & peperit hodie fœmina Maria uirgo. Hęc est fœmina totius mũdi mater & domina, quæ uirgo permanens peperit hodie filium, stella protulit solem, creatura genuit creatorẽ, filia cõcepit patrem & filiũ, simul in unum diuitẽ & pauperẽ. Ipsa filia est, ipsa est & mater, ipsa ancilla, et domina, ipsa genitrix & genita, ipsa cum integritate peperit, cum uirginitate cõcepit: & post partum, ut supra diximus, uirgo permansit, ipsum quẽ genuit mox adorauit. Cuius adorationis & gratiæ participes nos faciat ille qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

De triplici genere monachorum in Ægypto. Sermo XXI

VT nobis per literas declarauit sanctus pater Hieronymus fratres dilectissimi tria sunt in Ægypto genera monachorum, quorũ duo optima sunt, sed tertiũ omnino tepidũ & omni affectu uitandum. Quæ sunt illa duo quæ optima prędicant, nisi Eremitarũ atq; Cœnobitarum genus & ordo, quorum uita clarissima & sancta cõgregatio tempore prædicationis apostolicæ sumpsit exordium? Isti sunt illi uiri perfecti, quibus frequenter adhęsi tempore errorum meorum, per quos etiam illuminari merui, quorũ etiam sanctitatis fama ad aures meas peruenies baptizari nõ diu distuli, Et pia matre me instigãte apud Mediolanũ, ut ad patriam remearẽ, & cupiẽs eos habere in uisceribus charitatis, & cum eis pariter uiuere, ad uirũ illum Simplicianũ, qui à iuuentute sua

sua deuotione deo uixerat in oẽni charitate perrexi, deprecãs eũ cũ fletu & gemitu, ut mihi quosdã seruos dei de suis donaret. Et donauit eos mihi paterne. Quare paterne eos mihi donauit? Quia sciebat me uelle monasteriũ in Africa ędificare, Et assumptis mecũ Anastasio, Fabiano, Seuero, Nicolao,, Dorotheo, Isaac, Nicostrato, Paulo, Cyrillo, Stephano, Iacobo, & Vitali paupculo, qui pecuniæ sacculũ apud Mediolanũ inuenit & non rapuit, de quo iam sermonem fecimus, quia inuenit & nõ rapuit, nec post aurũ abire uoluit. Igit istis mecum assumptis imitari cupiebã cũ charissimis meis amicis, Euodio, Alipio & Pontiano, qui diu mecum fuerãt, & cũ cæteris duodecim, quos nuper assumpserã, illos quorũ famã etiã sanctus presbyter Hieronymus mihi descripserat, & sic perueni ad Aphricã pia matre defuncta, & ædificaui, ut uidetis monasterium in quo nunc sumus in solitudine, & à gentibus segregatum. Et placuit deo centenarium numerũ fratrum mihi donare, illuminãs corda nostra, non solum sanctissimos patres solitarios imitari, sed etiã in hac solitudine more Apostolorum omnia cõmuniter possidere. Hæc deus nos seruare, & postea docere, et per nos uobis prę cipere uoluit. Sic enim uidetis quia ante me multi fuerunt patres, quos sequi & imitari debemus, nõ tamẽ sicut ego secundum Apostolicã uitam alios uiuere docuerunt. Caput igitur & principium omnium uestrũ secundum Apostolicã uitã meipsum dicere non erubesco. Non tamen uos pigeat eos sequi & imitari in omnibus, attẽdentes omnia cõmuniter habere & possidere, quia in celsitudine paupertatis uiuentib. nõ licet nisi ut unũ sit cor, una sit anima, & omnia cõmuniter possideant. Vnde agrorũ precia ponebant ante pedes Apostolorũ, tanq; pedibus cõculcãda, quia ipsi sancti Apostoli & amici dei indigna reputabãt agrorũ precia manibus cõtrectari. Vnde etiã in ueteri lege Leuitis præcipiebat, nihil in terra eorũ possidere. Non ergo habere debemus tẽporalia ad possidendum, nec ego qui Episcopus sum habere debeo, nisi tantum ad dispẽsandũ, quia bona ecclesiarũ patrimoniũ pauperũ sunt. Vnde ego, qui Episcopus sum, summe cauere debeo, ne res pauperum, quas Hipponensis Ecclesia cõseruare uidet, diuitibus largiantur, quod bene feci hucusq;. Nam cõsanguineos habeo & nobiles se esse nõ erubescũt, & ad me Episcopũ ueniunt, aliquando cum minis, aliquando cum blandimentis dicentes, Da nobis aliquid pater, caro enim tua sumus. Et tamen dei gratia, & uestris orationibus mediantibus, cõsanguineum aliquem me ditasse non recolo. Chariores enim mihi reputo pauperes q̃ diuites, quia habentes uictum & uestitum fideles omnes contenti esse debent, maxime nos clerici, in cuius rei signũ capita tonsa & rasa habere debemus, ne diuitiarum capilli occupent mentem seruorũ dei. Eia ergo fratres mei estote pauperes, non solũ uerbo, sed & opere & ueritate, attẽdentes quid uobis dicat qui nostrũ se fecit precium in ara crucis, qui etiã noster est ad uocatus in cœlo, & incercessor ad dexterã dei patris. Dicebat enim ille deus deorum discipulis suis quos de toto mundo præelegerat, ut essent sal terræ, lux mũdi, rectores ecclesiæ militantis, magistri & senatores ecclesiæ triumphantis. Ait enim, Beati pauperes spiritu. Non beati qui sub dura & grandi necessitate patiuntur. Tales enim murmurant, detrahunt, & inuident habẽtibus, rapiũt et furant: sed si non opere, saltem uoluntate hæc adimplere conantur. Ideo tales beatos non appellat Saluator, quia non pauperes sed miseri sunt prædicandi. Quare? Quia de angustijs tẽporalibus educti ad æternas miserias deputati sunt, ubi non solum beatitudinem habere non poterunt, sed nec guttã aquæ inuenient. Beati ergo pauperes spiritu, sed non paupertatem simulantes. Tales sunt hypocritæ, paupertatem foris prædicantes, nullam tamen necessitatẽ portare uolentes. Tales em̃ in cunctis operibus suis sperant reuerentiã honoris, gloriam laudis, à melioribus metui, & uenerari ut deus, sancti ab omnibus uocari desiderãt, sola uoce paupertatem & abstinentiam prædicant, sed digito suo non cogitant ea mouere: corpora despectis uestibus tegũt foris, sed intus ad carnẽ purpura induuntur: in cinere prædicant se iacere, sed excelsa palatia non despiciunt: angelicam faciem foris ostendunt, sed lupina corda eos habere nõ dubitamus. Tales fuerunt illi Sarabaitæ, de quibus tertio nobis scripsit pater Hieronymus, quorum genus est omni affectu uitandum. Ipsi denicq; in Ægypto erant in foraminibus petrarũ habitantes, induti porcorum & boum pellibus tantũ, cincti funibus palmarum, spinas ad calcanea portãtes ad cingulum ligatas, discalceati, & sanguine cruentati cauernas exeuntes, ad festum scenopegię pergebant Hierosolymã, & sancta sanctorũ intrantes, paupertatem & abstinentiam prædicabant omni affectu seruare, barbas postmodũ in cõspectu hominũ sine redemptione euellere festinabant, & sic acquisita fama & lucro ad propria remeabant, solitarie gaudẽtes & epulantes supra id quod explicare possumus. Hos fratres mei & filioli mei quos quotidie parturio in uiscerib. charitatis, nolite obsecro imitari, quia non beatos sed dãnatos eos esse prædicamus. Amate igit paupertatẽ, amate eam oẽmi affectu, & nolite deficere, ut sitis genus electũ non abiectũ, gens sancta non obstinata, populus acquisitionis, sed non perditionis, regale sacerdotiũ, sed non uenale precium. Vos estis illa Apostolica forma, sanctaq; cõgregatio à mundo corde & opere segregata, qui dei uirtute iam percussistis duces Moab, satrapas & tyrannos Hierusalem & Ægyptiorũ hypocritas iam uulnerastis ad mortẽ. Vos estis uinea mea electa in medio Ecclesiæ paradisi plantata, Christi redẽpta sanguine & irrigata. Ad hãc uineam ego solus dei uirtute uos cõgregaui, & operarios meos uos feci, ut laborãtes in ea usq; ad finem dignum fructum percipiatis in tempore suo. Ad hanc uineã uos elegi, ad hãc dei hæreditatem uos cõuocaui, licet fauoratus à sancto Episcopo Valerio, qui de bonis Episcopatus ut monasterium in eremo ędificarẽ mihi multa donauit. Non enim

Mat. 15

Sarabaitæ

enim ſatis fuit patrimoniũ meũ niſi etiã ipſe me co
adiuuaſſet. Ad hanc igit̃ cõgregationẽ uos elegi, A
nõ uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos. Et ecce poſt
quam Epiſcopus factus ſum, Vitalẽ, Nicolaũ, Ste
phanum, Dorotheũ, Paulum, Iacobũ, & Cyrillum
frequẽter rogaui, ut me ſolũ in Epiſcopatu nõ di-
mitterent, quia licet Epiſcopus eſſem, non tamen
credebam paupertatẽ deſpicere, ſed cũ Abrahã,
Iſaac & Iacob inter diuitias uiuere & ueram pau-
pertatẽ ſeruare optabam, ut de numero eorum eſ-
2.Cor.6 ſem, de quibus ait Apoſtolus, Tanq̃ nihil haben-
tes, & omnia poſſidentes. Igit̃ hos frequenter ro-
gaui ut uenirent, non ut eſſent rebelles eremo, ſed
ut ſolitarie etiã in ciuitate uiuentes, habitare poſſe
mus in palatio ſancto, Sed ecce noluerunt uenire
tanq̃ de ſeipſis timẽtes, ne à ſeculo caperẽtur. No
luerunt uenire, Quare noluerunt? Nõ quia nõ di-
gni, ſed quia non ſolum pauperes eſſe uoluerunt,
ſed etiã ſupra id q̃d in ſpeculo noſtro ædidimus fa
cere uoluerunt, calcantes per omnia ſeculũ & pom
pas eius. De quo munere ſummũ gaudiũ omnes
habere debemus, quia facere noluerunt ea quæ
deo & mihi facere promiſerũt. Et quia ſolus ſtare
nõ poterã Epiſcopus, ideo rogaui ſanctũ ſenẽ Epi
ſcopũ Valeriũ, qui mihi iã poteſtatẽ prædicandi
& obſecrandi in populo dederat, ut infra domum
Epiſcopi monaſteriũ clericorũ conſtituerẽ. Et pla
cuit ſancto Epiſcopo mihi cõdeſcendere, & ſic cũ
eiſdem in omni paupertate uiuere cœpi, nõ man-
ducans carnes niſi dum hoſpites ueniũt, ſed tantũ
olera et legumina abſq̃ oleo uel butyro, ſicut ante
uobiſcũ cum gaudio facere cõſueuerã. Igit̃ fratres
mei licet in cathedra epiſcopali me uideatis, pau-
pertatem tamen mihi charam ſponſam tenere cõ-
gratulor, quia ipſa eſt etiã Chriſti ſponſa, ſanctorũ
poſſeſſio, beatorũ uita, fidelium ſecuritas, clerico-
rum ornamentũ, monachorũ uita, nobilium pul-
chritudo, diuitis magnificentia, Hæc enim eſt illa
ſancta paupertas, quã qui tenet & amat, nulla indi
gentia laborare poteſt. Nec mirũ fratres, quia ſibi
datur omniũ dñm poſſidere. Ipſe eſt enim ſperan-
tibus in ſe theſaurus in paupertate, ſolatium in ſo-
litudine, gloria in abiectione, honor in contẽptu,
umbraculũ in omni protectione. Eſtote igitur pau-
peres fratres mei, quoniã deſideriũ pauperũ exau
diuit dominus, & præparationẽ cordis eorũ audi-
uit auris ſua. Tunc enim uere pauperes eritis ſpiri
tu, tunc uere beati, tunc benigni, tunc obediẽtes,
tunc ueraces, tunc nõ ficti, tunc omnis mali ignari,
ſi uero corde & ope pauperes inueniemini. Quã
gratiam nobis impetrare dignetur beatus primi-
cerius martyrum Stephanus, qui pro ſuis perſecu
toribus exorauit dñm noſtrum Ieſum Chriſtum,
qui cũ patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat in ſe-
cula ſeculorum, Amen.

De cõſolatione fratrum in eremo, à quibus ſan
ctus Auguſtinus receſſit, cũ exhortatiõe ad orati-
onem & lachrymas. Sermo XXII

0 RATRES mei & lętitia cordis mei tẽ-
F pus eſt ut reuertar ad eũ qui eſt, & qui
miſit me ad uos, uos uero nolite cõtri-
ſtari, nec turbetur cor ueſtrũ. Rogabo enim patrẽ
ut ipſe uos cuſtodiat, & maneat uobiſcũ in æternũ
ſpiritus ueritatis. Iterum etiã dico, Nolite de meo
receſſu amplius cõtriſtari, ſed ſemper orate pro in-
uicem ut ſaluemini. Valde em̃ ſeruis dei & ſolita-
riis eſt neceſſaria ipſa oratio, per quã deus placat̃,
per quam deus ad nos inclinat̃. Adorauerat enim
populus Iudaicus uitulũ cõflatilẽ, & ait dñs Moy-
ſi, Dimitte ut iraſcat̃ furor meus contra eos. Cui Exod.32
Moyſes, Quæſo ò dñe quieſcat ira tua, & eſto pla
cabilis ſuper malitiã populi tui. Et ecce placatus
eſt dñs. O quàm grandis eſt ipſius orationis cauſa,
ò quàm grande myſteriũ. Ecce Moyſes orabat in
monte, & Ioſue Amalech deuincebat, Per oratio-
nem Ezechias ſanatur, & ſalutẽ animæ & corpo-
ris adipiſcitur, Per orationẽ Saulus efficitur Pau-
B lus, & doctor gẽtiũ, & prædicator orbis terræ. Ob
ſecro ergo fratres ut oretis pro inuicẽ ut ſaluemi-
ni. Deprecor fratres mei cũ Apoſtolo, primũ om-
nium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes
& gratiarũ actiones. Orate & nolite deficere, & ſi
poſſibile eſt lachrymas fundatis. O q̃ magnum ue
ſpertinum ſacrificium deo obtuliſtis, lachrymas
cũ oratione effundere. Diuina em̃ ſcriptura aliquã
do nos ad lachrymas, aliquando ad gaudiũ nos in
uitat. Sæpe enim dicebat Saluator diſcipulis ſuis,
Beati qui lugent in hac uita, quia gaudebunt in ę- Matt.5
terna uita. Prius enim dolendũ eſt, ſed poſt dolo-
rem gaudiũ ſubſequetur, quia beati qui lugẽt. Sed
poſtea dicit Saluator, Gaudete & exultate quoni
am merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Quæ quidẽ
C merces per lachrymas & orationes acquiritur. O-
rate igitur fratres mei in eremo, orate & nolite
deficere, Nam ſicut proprium eſt canibus latrare,
ita propriũ eſt eremi cultoribus orare. Bonorũ em̃
oratio locutio eſt ad deum. Quãdo enim ſerui dei
legunt, deus ſine dubio eis feruenter loquitur, ſed
dum orant cum deo ſuauiter loquuntur. Ipſe enim
ſapiens eſt, quia ſub paucis uerbis multa compre-
hendit, & quicquid neceſſe eſt, hilariter tribuit, &
abundantius atq̃ perfectius quàm homines ſci-
ant uel ualeant cogitare. O fratres mei dilectiſſi-
mi, clamate in eremo, ululate in hac uaſta ſolitudi
ne, uociferari nõ quieſcatis, clamate orãdo & noli
te deficere, Clamate nõ ſolũ uoce, ſed maxime mẽ
te. Ecce em̃ ſemper auditis aues in deſerto cantan
D tes, & laudantes deum factorẽ ſuum. Et ſi cantare
non poteſtis, quia ſenes multi iam eſtis, mẽte ſaltẽ
nolite tacere. Nam & tacẽtes ore, mente aũt oran-
tes exaudit dominus. Nec in oratione locutio tan
tum quæritur, quantum ſenſus. Ecce enim Hiere-
mias confortatur in carcere, Daniel inter leones
exultat, tres pueri in fornace tripudiãt, Iob in ſter-
quilinio nudus triũphat, paradiſum de cruce latro
inuenit, Suſanna inter ſenes defẽditur, Stephanus
de torrente in cœlum ſuſcipitur, & inter lapidan-
tes pro Saulo exauditur. Non eſt igitur locus in
quo orare nõ debeamus, quia deus ubiq̃ eſt, ubiq̃
nos exaudire dignatur. Orate igitur ſemper, &
in omni loco ut ſaluemini. Non ſolum unuſquiſ-
que pro ſe, ſed pro omnibus orare debemus. Nam
ut

ut ait pater Ambroſius, Si pro te tantũ rogaueris,
ſolum tuum meritum poſſidebis: ſed ſi pro omni-
A bus rogaueris, oẽs pro te rogabũt, Oratio ſancta,
columna ſanctarũ uirtutũ, deitatis ſcala, uiduarũ
maritus, angelorũ cognata, fundamentũ fidei, mo
nachorum corona, coniugatarũ leuamen. Beatus
qui te amat, beatior qui te frequentat. Beatus qui
te aſtringit, ſed beatior qui in te pſeuerat. Beatus
qui tecum lachrymas fundit, quoniam holocau-
ſtum ſanctum deo & immaculatum offerre nõ du
bitamus. Flete igitur fratres orando, & nolite qui
eſcere, ut digni efficiamini gratia dei. Sed dicetis,
Ecce multi ſumus, et pręter Euodium, Alipium &
Pontianum, qui de ſcriptura ſancta multum noue
runt, omnes groſſi & idiotæ ſumus, igitur doce nos
orare. O fratres mei licet groſſi ſitis, & ſubtilia
non capiatis, non tamen debiliores uos reputo,
B ſed chariores uos teneo ignaros et humiles, quàm
ſapientes elatos & ſuperbos. Dei tamen gratia
pro ueſtra ſalute ſufficit quod habetis. Licet enim
medullam ſcripturarum non intelligatis ſicut Eu-
odius, Alipius, & Pontianus, qui Romę diu mecũ
cõmorati ſunt, tamen ſcripturarum corticem uos
intelligere non dubitamus. Diximus enim primò
uobis, quòd Pſallere, orare, & manibus laborare
debeatis, quãdo neceſſe fuerit, & ſi uobis tempus
ſuperfuerit, dicere Pater noſter non differatis. Ipſa
enim dominica oratio appellatur, in qua ſeptem
petitiones reperiuntur, in quibus omnes ſpecies
orationis comprehenduntur, quibus deum inter-
pellamus pro appetendis bonis, & pro uitandis
C malis, aut pro defendis cõmiſſis. Tres enim primę
petitiones pertinent ad æternitatẽ, Reliquæ uero
quatuor ad hanc uitã temporalẽ pertinere uiden-
tur, quia & panis quotidianus, ſcilicet ſpiritalis li-
cet ſit ſempiternus, ad hoc tamen tempus etiã per
tinet, inquantum miniſtratur animæ quibuſdam
ſignis, dictis uel ſcriptis. Et ideo panis dicitur, qa
laborando & diſſerẽdo diſcitur, & ita quaſi man-
ducando deglutitur. Nunc quoq̃ peccata dimit-
tuntur nobis, & nos dimittimus alijs, quæ petitio
eſt inter quatuor ſecunda. Et tentationes quæ nũc
noſtram uitam infeſtant, & ipſa liberatio à malo,
ad hanc uitam pertinent, quia dei iuſtitia mortem
incurrimus, unde dei miſericordia liberãdi ſumus.
Quæ cum ita ſint, ipſarum petitionum uerba di-
ligentius pertractanda ſunt, ut intellecta maiorẽ
generent cordis affectum, & quod petitur ad ue-
locior em perducatur effectum. Orate igitur fra-
tres dicentes, Pater noſter, referentes gratias lar-
gitori omnium bonorum, qui dulcedo noſtra eſt,
uita & reſurrectio noſtra eſt, ſpes noſtra eſt, & lu-
men oculorum noſtrorum, baculus ſenectutis no
ſtrę, donans nobis ſenſum ut eũ agnoſcamus, & ſe
creta ſecretorũ ſuorũ intelligamus. Ipſe enim no-
bis dedit efficaciam in opere, gratiã inter electos,
effectum in ſuis, & ſuorum præceptis, ſolamen &
conſtantiam in aduerſis, cautelam in proſperis &
timorem, & quocunq̃ uertimur ſua grandis miſe-
ricordia nos præuenit. O fratres mei non negli-
gamus orare, non carnem domare, non uigilare.
Et tamen quid ei retribuemus, qui non permiſit
A nos ſubmergi cum in mari magno eſſemus? Ecce
enim conſumpti eramus et nos liberauit. Errantes
eramus in ſeculo, & reduxit nos ad uiam, Ignoran
tes eramus, & docuit nos ueritatis uiam. Non igi-
tur tædeat nos orare, quia nõ familiam regere, ſed
tantum deo placere debemus. Et ut bene pſallere
& orare poſſitis, abſq̃ magno corporis impedi-
mento, de bonis epiſcopatus eccleſię Hipponẽſis
centũ & quinquaginta ueſtimenta cũ calceamen-
tis uobis dilectis fratribus deportari præcepi, ut
tempore frigoris quantũ neceſſe fuerit unuſquiſq̃
recipiat, reponentes ea & cuſtodientes in cõmuni
ueſtiario cum omni diligentia & charitate, ſcien-
tes quòd uera charitas nõ quærit quæ ſua ſunt, ſed
quæ dei, Sic aũt facientes non deficiatis. Deus aũt
B pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnũ oui
um in ſanguine teſtamenti æterni dominũ noſtrũ
Ieſum Chriſtum, aptet uos in omni bono, ut facia-
tis uoluntatem eius, faciens in uobis quod placet
coram ſe per Chriſtum Ieſum, cui eſt honor & glo
ria in ſecula ſeculorum, Amen. Orate pro nobis
fratres, & ante meum receſſum cupio uos ſalutare
oſculo ſancto, Amen.

De ieiunio, Sermo XXIII

R E quenter auditis fratres chariſſimi
F quòd ieiunium eſt res ſancta, opus cœ
leſte, ianua regni, futuri ſeculi forma,
quod ſi quis iuſte perfecerit dei ſocius exiſtimabi-
tur, ſibi coniungit̃, & ſpiritalis efficitur. Per ieiuni
C um fratres mei proſternunt̃ uitia, augmentant̃ uir
tutes, humiliat̃ caro, diabolicæ deuincunt̃ uirtu-
tes. O ſacrum ieiunium, tu corpus refrenas ne ſur
gat, tu uirtutes incitas ut reſurgant, tu reum illumi
nas & ſanas ut uiuat. O ieiunium tu ſuaue es bo-
nis, tu odibile es malis, tu delectabile es ſanctis,
ſed deteſtabile prauis. O ſacrum ieiunium, tu di-
uina myſteria pandis, quæ ſapientiæ & prudentiæ
ſunt agnoſcis, recordari præterita facis, ordinare
præſentia non negligis, & præuidere futura feſti-
nas. Sed cauete fratres mei, ne ieiunãdo ſupbi effi
ciamini, ne cupidi, auaritia uel hypocriſi pleni. Nã
ſæpe audiſtis quòd Babylon ciuitas magna & po
puloſa eſt inimica Chriſtianis, idolis ſeruiens, di-
uerſis erroribus mancipata, quam ut dicũt, aliqui
gigantes eam ędificauerunt, ſed ſuperbia inflati fe
cerunt in medio turrem, quæ uocata eſt Babel. Po
D ſtea uero uenit Nabuchodonoſor, & amplificauit
eam & ditauit, & inflatus ſuperbia clamauit & di-
xit, Nonne hęc eſt ciuitas Babylon, quam ego ędi
ficaui in domũ regni in robore fortitudinis meæ,
& in gloriã decoris mei? Et dum rex ſic exclama
ret, uox irruit ſuper eum dicens, Tibi dicitur rex,
Regnum tuum tranſiet à te, ab hominibus eijcie-
ris, & cum beſtijs feriſq̃ erit habitatio tua, fœnum
ut bos comedes, & ſeptem tempora ſuper te muta
buntur, donec ſcias quod excelſus dominatur in
regno hominum. Et ſic uidetis quod ſuperbien-
do regnum terrenum amiſit & ſenſum, quia cum
beſtijs habitare uolebat. Babylon hæc fratres mei
mundus iſte eſt, qui plenus eſt confuſione, plenus
erroribus

erroribus, iniquitatibus, & ueneno malitiæ. Ecce nunc fratres mei quõ totus mũdus in maligno po A situs est. Ecce quõ diabolus regnat in eo, dũ regnat ambitio, dum dominat perfidia, dum conculcatur simplicitas, Et ideo fratres hæc omia agnoscentes caueamus à cunctis malis, scientes ꝙ per solam humilitatẽ omnia mala uincere ualemus, sine qua nostra ieiunia nobis non proderunt. Hæc est per quã ad uitã intrare poterimus. Nõ ergo extolli debemus, si bene uiuamus, sed humilitatẽ seruãtes semper philosophari nõ desistamus. Quid em est philosophari, nisi mortẽ præmeditari? Ad regnum enim cœlorũ non conducit nos gloria mundi, non multitudo diuitiarum, non nobilitas generis, non scientia, non sapientia, non facundia uerborum, sed sola gratia Christi, & uirtutes, & opera. Eia igitur fratres considerate ad quid huc ueni B stis, & quid eremũ concupistis, quid agere uoluistis, quod officiũ habere desideraſtis. Omnes uno ore dicetis, deo seruire optamus, Et qa sic est, propterea attendere frequenter debetis, ꝙ uestrũ officium est non solum carnem ieiunijs & abstinentia escæ & potus affligere quantum ualetudo naturæ permittit, sed etiam mundum contemnere, peccata deflere, & non doctoris appetere cathedrã, sed in cinere & cilicio perseuerare in eremo usque ad mortem debemus, Adiuuet nos Christus filius dei, quem credimus ieiunasse quadraginta diebus & quadraginta noctibus, qui est benedictus in secula, Amen.

De exhortatione ad solitudinẽ exemplo sancti Hieronymi, Ac de ieiunio, & quid sit ieiunium.

Sermo XXIIII

L EGIMVS enim fratres charissimi sanctum patrẽ Hieronymum Cardinalem fuisse in Ecclesia sancti Laurẽtij martyris, & quia Romanos de auaritia et fœtida luxuria fortiter reprehendebat, ab eis per uestẽ muliebrẽ, ut iam audistis, eũ proclamare in populo uoluerunt, sed deo auxiliante sanctitatis fama minime diminuta, Romã tandẽ egressus est, & cũ Paula & Eustochio, quas in fide Christi nutrierat, earũ patre rogante, ut nobis per epistolã scripsit, asperrimam uitã sanctus pater Hieronymus duxit, intantum ut neminẽ legere audiã fidelium modernorũ austeriorẽ fuisse. Itaq; fratres etiam nos, ut uidistis, mundũ deserere uoluimus, & ad nemora cũ Hieronymo fugere cõcupiuimus, & perseuerare secũ dum Apostolicã uitã desideramus, propterea diligenter attendamus, ut sancte & iuste in eremo cõ uiuamus. Scire enim debetis, ꝙ demorantibus in solitudine ieiunium ualde necessariũ est. Sed primo uideamus quid sit ieiuniũ. Quid em est ieiunium, nisi cunctorũ membrorum debita satisfactio? Membra enim satisfacere debent propter peccata quæ cõmiserunt. Vnde si quis in gula peccauerit, satisfaciat ieiunãdo: nã qui solus est sine culpa, solus est & sine pœna. Sed qm nullus est sine culpa, ideo nullus sine pœna uiuere debet. Oculus enim meus frequẽter peccauit, quia per eũ mors intrauit in animã meã. Claudatur ergo oculus, & patiat ne quod eũ delectat uideat. Sic em de singu lis corpris mẽbris faciendũ est fratres. Tũc em magnum, tunc deo acceptũ, tunc sibi deuotũ ieiuniũ reddimus, dum ab iniquitatibus & uoluptatibus abstinemus. Hoc est magnũ et perfectũ ieiunium, Sic em agentes sancte & iuste & pie uiuere dicimur. Pietas em est cultus deo reddere q̃d debet. Sic talis iuste uiuere dicit, qñ deo reddit quod reddere debet, & Cæsaris quæ sunt, Cæsari. Impietas quid aliud est q̃ idololatriã cõmittere? Multi tamen dicunt ꝙ impietas est, quando pauperib. qs sua nõ elargit. Propterea fratres mei scire uos uolo ꝙ aliud est flagitiũ, aliud facinus, aliud impietas. Flagitiũ est dũ peccãdo nosipsos offendimus. Facinus quãdo proximũ. Impietas quando idololatriam cõmittimus, Similiter aliud est misericordia, aliud clemẽtia, aliud pietas. Misericordia circa naturam, clementia erga iustitiã, sed pietas erga deũ uersatur. Et quia grossi estis fratres, ueniat uerbi gratia, Misericordia est dum si quis uidẽdo aliquẽ iuste damnatum duci ad suspendium, naturaliter mouetur eiq; cõpatitur, & ita motus à suspendio eum liberat. Similiter si quis rapit pauperi aliquid boni & ueniat alius & raptori eripiat ea & pauperi reddat, talem dicimus habere misericordiã. Clementia uero est ut si quis iniuste hominẽ punitum uideat, & obijciat se periculis ut illum eripiat, talẽ dicimus clementiam possidere. Pietas aũt quid aliud est, q̃ deum pura mente colere, quæ alio nomine latria nuncupatur? Bene enim tunc dicimur ieiunare, quando pietate, misericordia & clemen C tia refloremus: Adiuuet nos Christus, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

De ieiunio, & ubi fuit institutũ, Ser. XXV

S CIRE nanq; debetis fratres dilectissimi, ꝙ hoc solenne ieiuniũ quod alma mater ecclesia hodierna die præcipit obseruari, à creatione hominis in ipso mundi primordio præcepit deus in paradiso Adæ & Euæ ut à fructu arboris abstinerent. Hoc etiã ante legem Moyses sanctus obseruauit, & legẽ suscepit. Hoc sub lege Helias astrinxit, & ad cœlũ in curru uolauit, Eua quamdiu abstinuit, uirgo fuit, & in paradiso permansit, sed dum ieiuniũ uiolauit, in miseriam corruit, libidinis corruptionem persensit, sub D domino constituta remansit, & de paradiso expulsa fuit. Moyses etiam post ieiunium cum deo facie ad faciem locutus est, qui ante ieiuniũ deum nec uidere nec ad eum accedere ausus fuerat. Hierosolyma à Sennacherib tẽpore Ezechiæ regis & Esaiæ per ieiunium liberatur, & cẽtum & octogintaquinq; milia cœlitus interfecti sũt in nocte una, & ne fœterẽt eorum corpora, incinerati & in pulverem redacti sunt. Tempore etiã Ionæ ieiunium prædicantis incinere & cilicio ueniã impetrauit. Nunquid & Iosue filius Naue ieiunauit, prius q̃ per diem & cursum solis & lunæ temperauit, & hostes superauit? O ieiunium conuiuium animarum, beatus qui te amat, sed beatior qui te frequẽtat. Qui enim ieiunat ut bonus appareat, ut conseruetur

seruetur, ut sanior fiat, & ut ne corpore nimis impinguescat, non beatus est ille, quia ieiuniũ quod A facit non uirtutis est, sed præsumptionis, non uirtutis est, sed attenuatiõis. Ideo non mundo, sed deo ieiunare debemus. Sic enim sancti patres in ueteri lege faciebant: Decimas enim deo dabant, & primitias de omnibus bonis suis, sic & nos deo primitias dare debemus. Quas tunc primitias deo damus, quãdo corpore quidem à cibis eleemosynas etiam dando, & mente à uitijs ieiunamus, Et nũc deo tales primitiæ acceptę sunt. Sed scitote fratres mei quòd antiquitus patres nostri fideles ieiunare consueuerunt, in uigilijs magnarum solẽnitatum usq; ad noctem, quod laudandum erat & bonum. Sed hoc non solum, sed etiam uigilabant per noctem, & ad ecclesiam ludendo & chorizando cõ- B ueniebant, quod detestabile erat & malum. Tales non solum Romani erant, non solum Papienses & Rauennates, sed etiam Mediolanenses, De qua turpi consuetudine dolebat Mediolani mater illa, quæ me carne & spiritu in Christo regenerauit, & institutum est ipsa instigante à patre nostro sancto Ambrosio, ut uigiliæ cessarentur, uel cessarent à cunctis, ut homicidia & fornicationes à fidelibus deponerentur. Solum tamen ieiunium mentis & corporis cum eleemosyna Mediolanensis ecclesia fidelibus reliquit. Sed dicetis, Nunquid in uita nostra semper ieiunare debemus? O fratres mei legem meam recepistis, & audistis frequenter inter cætera, quòd carnem uestram dometis abstinẽtia escæ & potus, quantum ualetudo permittit. Nolo enim meipsum ligare: Nolui onera uestra portare, sed hoc solum super uos ponere uolui, ut ieiu- C netis & abstineatis, quantum facere deo fauente potestis. Nolo tamen quòd diebus dominicis ieiunetis, hoc enim hæretici & infideles faciunt. Omẽ aũt ieiunium, exceptis diebus dominicis, bonum est & laudandum si bene fit. Aliquod tamen est ieiunium deuotiõis, ut ieiunare uigilias sanctorum Cypriani compatriotæ nostri, & Geruasij & Prothasij, & similia. Aliud est ieiunium institutionis, ut assumptionis sanctę Marię, & natiuitatis sancti Ioãnis Baptistæ, sanctorũ apostolorũ Petri & Pauli, Simonis & Iudę, Matthæi & Andreę, & Iacobi maioris. Istorum enim uigilias ieiunare semper debemus, ut sicut ieiunando cũ eis patimur, ita in futurũ cum eis pariter gloriemur. Sed mox mihi fra- D tres dicetis, Cur festum natiuitatis sancti Ioannis celebramus? Nũquid in peccato cõceptus est? Et ideo attendite ꝙ prius seminat homo, postea concipitur in uulua, & ibi caro formatur, deinde post dies quadraginta septẽ creatur anima, & corpori infunditur, secundum sanctũ patrem & martyrem Cyprianũ, cui in omnib. compellor credere, quia per spiritum sanctum optime locutus est. Celebratur tamen natiuitas sancti Ioannis Baptistæ, non prima sed secunda. Prima enim natiuitas fuit in utero, quando anima in utero fuit infusa. Alia uero ex utero, quando uenit ad lucẽ, & hæc sine peccato fuit, quia sanctificatus fuit in utero. Hęc aũt festiuitas nõ solum apud fideles, sed apud infideles uigiliam habet. In hoc festo maxime Pagani infideles ad ecclesiam suam cõueniebant uigilantes, ut supra diximus. Sed destructis uigilijs illis, adhuc tamen antiquitatis nomen tenemus, quia dũ ieiunamus uigiliam nuncupamus. Vel aliter dicamus fratres. Nam dum illa sancta Elizabeth, quæ filia fuit sanctæ Ismaræ, quæ quidem Ismara soror fuit carnalis sanctę Annę matris dominæ nostrę, dum grauida esset de Ioanne, ante aduentum uirginis sanctificatus Ioannes non fuit, sed salutata Elizabet à uirgine, mox Ioannes sanctificatus fuit in utero. Merito ergo eius natiuitatẽ celebrare debemus. Sed nũc de Apostolis, quorum uigiliæ non habentur, dicamus. Festũ enim Philippi & Iacobi ieiunium nõ habet, eo quòd inter Pascha & Pẽtecosten est, quod tempus est gaudij, lætitię & exul- B tationis, quia saluator surrexit à mortuis. Iacobus etiam Zebedęi Apostolus apud quosdam uigiliam non habet, eo quod occisus fuerit in diebus azymorum, nec diem mortis eius celebramus, sed potius translationis. Bartholomæus etiam uigiliã nõ uidetur habere, eo quòd una dierum fuerit decoriatus, & sequenti die obijt, & sic si haberet uigiliam, oportet quòd esset in tertia die, quod est cõtra normam aliorum ieiuniorum. Thomas autem uigiliã non habet, eo quòd tempore aduentus uenit. Barnabas ieiunium non habet, quia de duodecim non fuit. Matthias ieiunium non habet, eo ꝙ tempore ieiunij sit. Ioannes Euangelista ieiunium non habet, eo quòd in gloria in excelsis simus, & gloriam in excelsis deo cãtare debemus. Rogo tamen uos fratres, licet ieiunia ista seruare nõ teneamini, pro remissione peccatorum uestrorũ, uel ꝑ C periculo hostium ieiunare non desistatis, carnem domantes, quãtum portare potestis. Adiuuet nos Christus filius dei, qui pro nobis nasci & mori dignatus est, Amen.

De murmuratiõe & detractione, & de pœnis damnandorum: Sermo XXVI

D EMORANTIBVS nobis in eremo fratres dilectissimi, murmuratores, detractores, uel susurrones nullatenus esse debemus, scientes ꝙ tales regnũ dei nõ consequẽtur. Non igitur stulta loquamur lingua dolosa, sed cum dei adiutorio, sine cuius uolũtate & nutu folium arboris nõ mouetur, omnis murmuratio uel detractio procul sit à nobis, cõsiderãtes quid Mariæ sorori Aarõ & Moysi, quia murmurauit acciderit, Nam murmurauit, quia Moyses uxorẽ Aethiopissam duxerat, & ea murmurãte iratus est dominus ualde, eo ꝙ Moyses esset mitissimus super omẽs homines qui morabantur in terra. Et ait dominus Aaron & Mariæ, Egredimini ad tabernaculum fœderis. Quibus peruenientibus ait dñs. Quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi, cui loquor facie ad faciem? Seruus etenim meus est, & in domo mea fidelissimus est. Et ecce Maria statim repleta est lepra, cadens super eã quasi nix. Quam uidens Moyses exclamauit ad dominum dicens, Deus meus obsecro sana eam. Cui respondit dominus, Separetur septẽ diebus extra castra, & *barbariem*

& postea reuocabitur Maria ad pristinam sanitatem. Ideo attendite fratres q̃ Maria hæc quæ pec-
A cauit, animam subditorum & discipulorum signi ficat, quãdo suo prepositio uel presbytero obedire recusat, & recusando murmurat, & murmurando leprosa efficit, quod apparet dum culpa eius publicatur. Sed bonus pastor qui omnium uestrũ cu ram gerit, querẽs salutem animarum compatitur peccanti, & auxilium diuinę medicinæ precib. po stulat infirmãti, clamatq̃ quotidie indefessa uoce pastor bonus, qui animam suam ponere non desistit pro ouibus suis dicens, Obsecro domine sana eam, sana cõtritiones eius, quia cõmota est. Sana eam quia lepra murmurationis plena est. Reuoca eam, qui à cõsortio fidelium tuorum separata est. Igitur fratres attẽdite ne murmuratores in eremo
B sitis. Nã sicut lepra propriũ corpus deuorat, & sibi adhærentes inficit: sic & murmurator non solum seipsum destruit, sed etiã cunctos audientes inficit & occidit. Ideo fratres attẽdite, ut nõ murmuratores uel loquaces simus, sed ueraces: qa in supfluo eloquio peccatũ deesse non poterit, nec omnino ueritas adesse. O q̃ grande periculũ est non solum dicere falsa, sed & uera prędicare pœnosum & du bium est. Loquaces denicq̃ laudare non audeo, sed tacẽtes beatos prædicare præsumo. Attẽdite ò fra tres mei, attendite ne simul cum presbyteris meis murmurãtib. capiamini. Nã ad uos peruenì, & in diebus paschalib. uobiscum in hac solitudine esse uolui, quia murmurauerunt, & Augustino detra xerũt presbyteri, & noluerũt diuinis obedire pręceptis, ideo leprosi murmurando facti sunt, & im
C mundicia peccatorũ percussi sunt, & à domo mea expulsi sunt, quia uocati non fuerunt digni mecũ perseuerare. Ideo separati sunt & expulsi, quia nõ potuerũt sine murmure stare. Vos aũt quorũ officium est semper orare, feruentius nunc orare uos deprecor, ut tanq̃ sanatos ad cõmunionẽ ecclesię Hipponensis reuocare gaudenter possimus illos, quos tales inuenire credidi, quales inuenire non potui. Hæc tamẽ expulsio est ad salutẽ, nõ ad perditionem: ad correctionẽ, nõ ad damnationẽ. Sic enim expulsus est Adam de paradiso, ut in hoc exi lio miserię corrigeretur, ut in hac pœna temporali per gratiã adipisceretur æternam promissionem. Nam licet Adam peccauerit, dominus tamẽ eum non deseruit, sed ad pœnitentiam eũ & suos semp inuitauit. Postq̃ enim Adam peccauit, latere se uo luit, & abscondit se à facie dñi, quod erat signum doloris & erubescentiæ. Sic em̃ uos facere cupio fratres. Nam & si aliquando murmurastis uel pec castis, quod est conditio cunctorum uiuentiũ, eru bescite & abscondite faciẽ uestram per humilitatẽ à facie saluatoris, ut dum uisitauerit uos in solitudi ne paradisi, & uocauerit uos, dicens cuilibet, Adã ubi es, consideretis in quanta peccatorum miseria positi sitis. Per hoc enim quod uos proprio nomi ne uocat, signũ dat quod ad pœnitentiam uocat. Per hoc quod dicit, Vbi es, ostendit q̃d uiam pec catoris ignorat, non tamen q̃ ignoret, sed quod re probet. Post meridiem apparet, ostendẽs q̃ domi-

nus ab amore peccatorũ refrigescit, quia per pec
A catum in homine refrigeratus est amor charitatis. Hoc enim pensate, & cum Adam uos peccasse co gnoscite & dicite, Domine audiui uocem tuam in eremo & timui, eo q̃ bonis operib. nudus essem, & abscondi me per humilitatem, cognoscens q̃d peccaui in cœlum & coram te. Sed & contrarium facientes, murmurantes & detrahentes proximo suo, & mala portantes in cordib. suis, expellet eos dominus de paradiso, sed tamẽ faciet eis dominus misericordia motus tunicas pelliceas, ne tẽpore frigoris perpetuo moriantur. O grandis dei misericordia, ò infinita dei clementia, ò magna & admi rabilis eius dilectio circa nos. Ecce enim quotidie peccamus, frequenter eum offendimus, & tamen
B nos derelinquere non uult, sed tunicas pelliceas contritionis & ueniæ nobis quotidie donat & lar gitur. Ecce quanta est misericordia nostri saluatoris. Igitur fratres mei & lætitia cordis mei, redeamus ad mentẽ & eam diligenter discutiamus, sciẽ tes quod nunc in paradiso pœnitẽtię & deliciarũ positi sumus, & in ecclesia eius positi & collocati sumus. Dedit enim nobis pręcepta, ut toto corde & tota mente eum diligamus, & proximum no strum. Sed quomodo diligere eum possumus, si su surrones & detractores in eremo facti sumus? O quàm pestis misera & mortalis est ipsa murmura tio, ò quàm uenenosa. Hæc enim est quæ conuen tus clericorum & ciuitates multas destruxit. Et qa grande periculum est inter murmuratores habita
C re, ideo expellẽdi sunt tales, ne cęteri corrumpant̃ per eos. Tertia enim lingua multa mala cõmittit, ideo si semel correpti non se emendauerint, de ue stra sancta & singulari societate expellantur. Nec crudele hoc esse credatis, nec illi qui expulsi sunt ad tempus, de hac expulsione dolere debent, sed cum omni humilitate eam suscipiant, dolentes ta men & flentes quod nondum intellexerunt Apo stolum dicentem, Si quis se putat religiosum esse Iac.1
non refrenans linguam suam, huius uana est reli gio. Melius est enim à congregatione pręsenti ex pelli ad tempus, q̃ à cœlesti regno perpetuo exu lari. Sic em̃, ut supra diximus, expulsus est Adam Gen.3
de paradiso, non ad damnationem, sed ad corre ctionem. Correctus uero & emendatus frater qui
D peccauerit, & qui proximo detraxerit, uolo ut in ter uos fraterne recipiatur. Melius est enim ut re darguamur de misericordia, quàm de crudelitate in die nouissimo. Nam pium hominem quãdo pe rijsse legimus ignoro, sed impium & crudelem fre quenter perijsse audio. Igitur ò fratres mei & lætitia cordis mei, obsecro ut non peccetis, ut in die nouissimo nec crudeles, nec nimis misericordes inuenirì possitis. Deponite murmura, claudite in- Psal.38
fra dentes linguã, ponite custodiam ori uestro & silete: non solum à malis, sed etiã quandoq̃ à bo nis silere laudabile est. Ait enim sanctus Prophe ta, Silui à bonis. Nam bonum ubique proferre non debemus, sed tẽpus proferendi agnoscamus in cunctis. Estote igitur fratres non loquaces, sed ueraces. Calcate murmurationes, & fugite eas ut mortem

mortem. Nam murmurare, detrahere uel despice
re hypocritarum conditio est & ignorantiũ. Mur- A
murare denicq̃ & detrahere hypocrita non satiat̃, de omnibus maledicens ut ipse solis cunctis prædicetur beatus. Omnia iudicat, ut nemo sit qui eum audeat iudicare. Omnia despicit, ut ipse solus sit qui ab omnibus aspiciatur. O hypocrita, caue ne ad mẽsam meam peruenias. Nam ibi antecq̃ ali quid sumas, lectio mea tibi primo legetur. Quid enim primo in mensa mea descripsi? Quid primo in ea habere uel audire desidero? Quid primo in ea seruare præcipio, nisi q̃d, Quisquis amat dictis absentũ rodere famam, Hanc mensam indignam nouerit esse sibi? Quapropter fratres si quis mur murare desiderat, non solum ad nostram apostoli cam congregationem, sed nec ad mensam nostrã
B accedere præsumat. Non enim ad eremum perue nimus ut murmuremus, sed ut mundanis omnib. cõculcatis, in eremo pie, sancte & iuste uiuere ua leamus. Quod si non fecerimus, q̃d deus auertat, melius fuisset q̃ nati non fuissemus. Quare fratres mei melius fuisset, nisi quia melius fuisset non esse q̃ male esse? Nũquid melius carere esse, q̃ esse & perpetuo cruciari? Nam non esse cui possit obesse ignoro, Sed habere esse, & perpetuo cruciari, q̃d aliud est q̃ mortẽ sine morte semper habere? Ve rum & indubitãter uerum uobis fratres mei dice re audeo, melius esset non esse, q̃ cum esse perpe tuo affligi, uel ęternaliter cruciari. Studeamus igi tur fratres semper bene uiuere, ut & semper bene
C esse possimus, & semper bene nos esse possidea mus. Esse enim dei gratiã habere nos scimus, sed semper bene esse omnino ignoramus. Propterea taliter linguam nostram, cæteraq̃ corporis mem bra restringamus, ut mediante diuina gratia, ad perpetuum malum esse nõ peruenìamus. Nec de nobis dicat̃, quod de Iuda proditore discipulo di- Matt.26
citur, Melius ei fuisset, si natus non fuisset homo il le. Quare illi melius fuisset si natus non fuisset, nisi quia melius est omni esse carere, q̃ in inferno iace re, Ibi denicq̃ & si erit stimulus doloris & pœnitu dinis, nulla tamen erit ibi correctio uoluntatis, ut nullatenus à damnatis possit diligi uel desiderari
Luca 16 iustitia. Ideo illi diuiti qui in inferno cruciabatur, quamuis curam de uiuis fratribus gerere uideret̃, non tamen eidem de iustitia cura erat, quia iustiti
D am nullatenus diligere possunt qui in inferno sũt. Iacebat tamen diues, & sepultus erat in inferno, & quid de fratribus suis esset ignorabat, & nesciebat omnino, & tamen curam de eis uidebatur habere, sicut & nos uiuentes de mortuis, quamuis quid agãt utiq̃ nesciamus. Itaq̃ fratres caueamus ne pec cemus, ne ad illã flammam peruenìamus. Ipsa denicq̃ flamma concremationẽ habet, sed lumen nul lum habet. Quare, nisi quia quos gehennæ flãma cruciat, à uisiõe ueri luminis cæcat? Et ut foris eos dolor combustionis cruciet & intus pœna cæcita tis obscuret, ut qui creatori suo corde & corpore deliquerant, corpore simul & corde puniãtur, & utrobicq̃ pœnam sentiant, qui dum uiuerent, pra uis delectationibus seruiebãt. Ecce fratres qũo pu

niuntur peccatores, quibus unus ignis omnib. est,
non tamen uno modo omnes cruciant̃, sed quãto A
quis in delicijs permãserit, tanto fortius cruciabit̃ in æternum. Vnus igit̃ ignis singulis est & corpo reus est, & uti sæuissimos peccatores corporaliter cruciet, nec studio humano accẽditur, nec lignis, pice uel oleo nutritur, sed post peccatum semel ac census in æternum durare nullatenus dubitare de bemus. O inferne tu latus es, & mensuram nõ ha bes. Profundus es, & nullũ fundum te habere co gnosco. Insatiabilis es, quia omnes tam pauperes q̃ diuites te libenter suscipere audio. Plenus ardo re incomparabili, plenus fœtore intolerabili, ple nus omni dolore innumerabili. Ibi omnis miseria, ibi tenebrę, ibi nullus ordo, ibi horror æternus, ibi
B nulla spes boni, nulla desperatio mali, sed omẽ ma lum quod existimari potest, damnatis in æternum erit. Ibi ò fratres mei dæmones flere & clamare nõ cessant, percutere peccatores nunq̃ desistũt, nunc superbum, nunc elatum, nunc gloria mundi pleno, nunc luxuriosum, nunc proditorem, nunc ho micidam, nũc fœneratorem, nunc uerbosum, nũc adulatorem, nunc mendacem, nunc detractorem. Ecce quomodo clamabunt. Sed quid clamabunt, nisi percute, dilacera, interfice, sine morte occide, uelociter spolia, deprædari festina, fer prunas, pi cem para, aurum & argentum liquesce? Et quia dum uixerunt deum intelligere noluerunt, & si in æternũ uixissent, semper male facere uoluissent, ideo sine redemptione merito in æternum crucia
C buntur. Itaq̃ fratres obsecro, ut non peccetis. Cu stodite linguam uestram, seruate eam, claudite eã uecte ferreo, qm̃ sermo uanus in uacuum nõ ibit, sed de omni uerbo ocioso in die nouissimo reddi turi sumus rationem. Adiuuet uos Iesus Christus deus noster ad perseuerãdum in omnibus bonis, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

De filio prodigo. Sermo XXVII

A X uobis fratres dilectissimi, qui opti- θ
P mam partem cum Maria elegistis, dum Lucæ 10
mundum & pompas eius contemne re uoluistis. Voluistis enim terrena despicere. Sa niori enim consilio sanctorum Ambrosij & Sim pliciani patrum uitam tutiorem aggressi sumus
D cum Paulo mundum fugiente, timens ne caperetur ab eo. In eremo denique sumus iocunditatem communicationis & fractionis panis intelligen tes, clamantes cum Propheta, Ecce quàm bonum Psal.132
& quàm iocundum habitare fratres in unum. Tu tior enim hæc uita est & dulcior, ubi unus alium cohortatur, ubi alter alterius exemplo inflamme tur. O uita sancta eremitica, uita solitaria, uita perfectorum, uita angelica non humana, uita pœ nitentium, uita contra mundum pugnantium, ui ta ad deum fugientium, uita deifica non humana, uita filiorum qui errauerunt ad patrem redeunti um. Hæc est domus ubi reconciliatur patri filius, qui portionem substantiæ consumpserat luxu riose uiuendo. Hanc fratres mei si Ianuarius no ster cognouisset, aurum nobis ignorantibus non

retinuisset. Hanc si dilexisset, uineam, agrum, & pecuniam tenere erubuisset. Quare? Quia paupertatem asperiorem presbyteris meis uos sponte tenere uidisset. Nam sicut filius ille, qui peregre profectus est in regionem longinquam, ubi dissipauit substantiam suam luxuriose uiuẽdo: sic & ipse, uel quicunq; peccator, dum carnales uoluptates diligit, à domino peregrinatur, & quanto peccando fit dissimilior, tanto magis à deo elõgatur. Substantia enim hominis est omne quod uiuit, cogitat, sapit & loquitur, quæ deus æque diuidit, Quam substantiam peccator consumit, dum cõscientiam & uitam & cogitationes & uerba in malis actionibus impendit. De filio etiã isto dicitur quòd cœpit egere, & ideo adhæsit uni ciuium regionis, & misit eũ in uillam ut pasceret porcos, & cupiebat implere uentrem de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Eget emẽ peccator dum cupit implere uentrem, non pane uitæ æternæ, sed glandibus, qui porcorum cibus est. Ideo adhæsit uni de principibus mundi, sub cuius fauore pascere porcos, id est, dæmones ualeat. Porcus enim immũdum animal est, & de sordibus saturatur & delectatur. Siliquæ enim sunt nõ solum glandes, sed etiam omne turpe & immundum, q̃d porcus comedere delectatur. Istæ deniq; siliquæ sunt fornicatio, ebriositas, & gulositas. Isti enim sunt dęmonum cibi, quibus peccator repleri desiderat, sed nemo dat illi ad sufficientiam. Peccator enim semper famescit, semper deuorare quærit, nunc luxuriando, nunc faciendo semper delectari desiderat. Sed uisitãte domino patre per gratiam passionis suæ pœnitet miser peccator, dolet iam pascere porcos, cogitat, & cogitãdo surgit pergẽs ad patrem & dicẽs, Pater peccaui in cœlum, quia assumpsi frequenter nomen tuum & sanctorum tuorum inuanum. Peccaui etiam coram te, quia in tua humanitate peccaui, quia nõ cognoui opere tuam infirmitatem, quã pro me passus es. Peccaui coram te, qa deus & homo es. Peccaui in cœlum, quia in patrem & in spiritum sanctum. Non igitur sum dignus uocari filius tuus. Sed quid fecerit pius pater, audiamus, legamus, prædicemus, non sileamus. Nam misericordia motus, uidens illum uenientem occurrit, uidẽs lachrymantem, lachrymatur, uidens eum nudatum, stolam iubet parari, uidens eum discalciatum, calciatur, credens eum debilem & famelicum, occidi iubet uitulum saginatum. O quàm grandis misericordia tãti patris, ò quàm infinita eius pietas, ò quàm dulcis, ò quàm pia miseratio. Ecce emẽ filius peregre fugit, & tamen patienter expectat. Omnia bona destruxit, & tamen ad se reuocare festinat. Porcos pascit, & ei iam uitulum parat. Fame iam ferè moritur, & epulari iam clamat. Nudus apparet, bonis operibus priuatus, & ecce stola pristinę gratię saluatoris quam in baptismo recepit induitur, & annulus fidei desponsationis datur, ne amplius ualeat pascere porcos qui ad domũ patris fugit, sed tanquam ciuis sanctorum & domesticus dei fundetur in domo diuinæ maiestatis in æternum & ultra. Quod bene ostẽdit ille misericordiæ pater, quia uidẽs illum misericordia motus est, & occurrit & brachia extẽdens super collum eius, osculatus est eum, dicens seruis suis, Adducite uitulum & manducemus. Hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat, & inuẽtus est. Similiter hoc idem saluator Petro, quando eum negauit, quando illum respexit, quando respexit mentem eius, tunc fleuit amarè. Occurrit peccatori saluator, quia per se non potest ad deum accedere, nisi ei subueniat, nisi mentem eius respiciat. Sed postquam eum respexerit, flectitur super collũ eius, quia onus eius leue ponit super collum eius dicens, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Tunc stola induitur, dum anima indumento uirtutum uestitur. Duæ enim stolę sunt, Vna uidelicet quando anima in præsenti indumento uirtutum uestitur. Altera uero immortalitatis est, quando corpus in fine seculi etiam resuscitabitur. Et ideo fratres mei licet in eremo sitis, scire tamen debetis, quòd duę stolæ sunt, duæ resurrectiões, quarum una est animæ, quãdo resuscitatur à uitijs, in quibus mortua iacebat: altera corporis, quãdo corpus configuratum erit corpori claritatis Christi, quando in die iudicij reformabitur. Eia ergo fratres mei & corona matris meę, scitote quòd porcos iam pauimus cum multo tempore dæmonibus peccando placuimus. Iam frequenter eorum siliquas desideraiuimus, quando mundo placere uoluimus, quãdo in eo florere concupiuimus, quando delectationibus suis toto affectu adhęsimus. Sed nunc dei gratia serui Christi sumus, clamare nõ cessemus, Peccaui domine, iam non sum dignus uocari filius tuus. Quorum clamorem audiens occurrit nobis osculando, suam pacem donando. Stolam donauit, quando animam uitijs spoliauit. Annulum donauit, quãdo in fide nos sua roborauit. Calciamenta donauit, quando memoriam mortis nobis impressit. Vitulum occidit, quãdo in sacramento altaris memoriam passionis eius in mẽte renouauit, Tunc nobiscũ pater manducat & epulat, quando in operibus suis perseuerãdo delectamur. Tũc sic nobis ornatis pręcipit angelis deus, ut conuiuium pręparent, quia mortui eramus & resurreximus, perieramus & inuenti sumus. Cogitate ergo fratres ad quid uenimus. Ecce in solitudine sumus, elongati sumus à seculo, & lõgo tempore iam mãsimus in solitudine, ut secundum apostolicam formam quietius uiuere ualeamus. Locus enim non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit & nos. Peccauit enim angelus in cœlo, peccauit Adam in paradiso, & tamen nullus locus sanctior illis erat. Si emẽ loca habitatorem beare possent, nec homo nec angelus à dignitate sua corruissent. Pensate ergo fratres quid uestis nigra, quid zona pellicea, q̃d corona capitis persuadeant. Nigra enim uestis quę uilis est, mundi contemptum nobis denunciat, & memoriam mortis. Zona pellicea lumborũ refrenationem declarat. Capilli rasi de uertice, superfluitatem criminũ significant ablatam de mente. Sic enim mihi sanctus pater Ambrosius

brosius, quando me regenerauit in Christo anno ætatis meæ tricesimo mihi petenti respondit. Cogitate ergo fratres, q̃ reprehensibile est si sub tali habitu superbia lateat, uel luxuria. Summe necessaria est igitur nobis in eremo demorantib. ipsa humilitas quæ designatur per uestem, Castitas quæ denotatur per lumborũ pręcinctionem, Obedientia quę intelligitur per subiectionẽ. Portamus etiam baculos, p̃ quos intelligitur disciplina, sub qua semper parati esse debemus. Deus autem qui nos de tenebris gentiũ reuocauit ad gratiã, confirmet etiam in omni bono, ut abundemus in spe & uirtute spiritussancti, Amen.

In cœna domini. Sermo XXVIII

VDIVIMVS fratres charissimi, quòd cũ dominus intinxisset panẽ ut daret Iudæ, quòd post buccellã intrauit in eum Satanas. Et ait Iesus, Quod facis, fac citius. Cum ergo accepisset ille buccellã, exiuit continuo. Erat autẽ nox. Cũ ergo exijsset, ait dominus discipulis suis, Surgite. Et postea ait, Filioli adhuc modicum uobiscũ sum. Anteq̃ tamẽ à uobis recedã, mãdatum nouũ do uobis, ut diligatis inuicẽ, sicut dilexi uos. Satis enim nouit charitas uestra, q̃ tota perfectio nostrę uitæ & ędificatiõis ex euãgelio accipit. Eius uerba à sũmo nostro magistro nobis data sunt, ideo preciosiora sunt, & satis nos hortãtur, nosq̃ ędificãt quotidie: Et ea uobis modo præsẽtamus, ad memoriã uobis reducimus, nõ quia non bene intelligatis licet in eremo permaneatis & segregati à gentibus sitis, etiam corporaliter anteq̃ essem presbyter episcopus pariter uidere potuistis: sed ideo uobis ad memoriã reduco, non ut doceamus sed ut & me & uos fratres moneamus. In euangelio quo dicitur, quod ad præsentem diẽ pertinet, de patiẽtia & dilectione & humilitate instruimur. Ideo fratres ut & ego plenius ualeam una uobiscum corrigi & doceri, relinquere uolui presbyteros meos, quorum uita apostolica uestra & eorũ úna est: Et sanctum senem Valerium etiam corpore hodierna die relinquere nõ curaui, cupiens uos docere & à uobis doceri, ut fructum aliquem deo in die tantę solennitatis offerre digne pariter possimus. Ideo fratres ad expositionem sancti euangelij accedẽtes, primo audire & scire uos uolo quòd dominus Iesus discipulum Iudam multis modis, minis, sacramentis & exemplis & planctu uolens eum corrigere, & prædictis modis ad correctionem inuitare, ad ultimum eum manifestauit in damnationẽ & ruinam iam esse paratum, dum in cœna dixit, Qui intingit mecum manum in parapside, hic me tradet. Cum enim Iudas prauã suam uitam nulli patere putauisset, magistrum audiendo erubuit, sed non pœnituit: multo emẽ ante passionem dixit, Nónne duodecim elegi, sed unus ex uobis diabolus est? Et post cœnam ait. Vos mundi estis, sed non omnes. Hoc autem magister dicebat uolens discipulum uerbo corrigere. Ecce quomodo uerbis timoris eum correxit. Sed uidens dominus quod uerbis eũ corrigere ipso nolente non poterat, studuit eum corrigere, & sibi timorem æternum incutere, dum ait, Væ homini illi per quẽ tradar ego, melius ei fuisset si natus nõ fuisset. Sed dominus cor discipuli nequiter induratum, ad dilectionem sacramenti dulciter inuitauit dicens sibi post Petrum & cæteris, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Sacramentum enim illud ideo hominibus datur, ut corpus in terris capiti coadunetur. Sicut emẽ multa grana unum panem conficiunt, & ex multis racemis unum uinum extrahitur, sic ex multis hominibus Christi corpus conficitur. Obtulit autem dominus discipulo, sacramẽtum unitatis, ut eum inuitaret ad humilitatem dilectionis. Licet etiam propter alios discipulos humilitatis exemplum prębuerit, tamẽ ouem perditam recuperare ualde cupiebat. Sed uidens eum nequiter obstinatum, surgit à cœna, & uestimenta deponit, linteo se præcinxit, & ad principẽ apostolorum primo, ut arbitror fratres, peruenit. Ante eum se genu flexit diuinitas incarnata, deus ante hominem, creator ante creaturam, magister ante discipulum, rex ante piscatorem, doctus ante indoctum, sapientia ante ignorantiam, pulchritudo ante deformitatem. Ideo Petrus diuinitatem incarnatam uidens ante se incuruari, expauit, exhorruit, & per cœnaculum uelut insensatus cucurrit & clamauit, Non lauabis mihi pedes in æternum. Nam inquit Petrus, Domine iam dixi quòd tu es Christus filius dei uiui, & tu mihi lauas pedes? Sed notare debetis fratres qui in eremo habitatis, cur, inquam, cœna facta dicit, cum post ablutionem pedum dicatur buccellam panis Iudæ dominum porrexisse. Non debemus intelligere cœnam finitam, cum dicatur panis esse adhuc super mẽsam. Adhuc enim cœnabatur quando dominus à mensa surrexit, & tamen cœna iam facta dicitur. Intelligere hoc namq; debetis quòd nõ facta erat, sed parata, & ad conuiuantium mensæ usum perducta. Ideo Ioannes aquila grandis istam dicit cœnam, omnia diligenter attendens, prius nostri saluatoris celsitudinem uoluit commendare, dum ait, Sciens Iesus quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à deo exiuit, & ad deum uadit: Magnam Christi potentiam exprimit Ioannes, cum omnia patrem ei dedisse affirmat. Magnam celsitudinem Christi prædicat, cum eum à deo exisse asserit: & tamẽ hodie audiuimus, quòd ille qui habet omnia in manu, uestimẽta etiam deponit. Sed quid mirum, si pro discipulis uestimenta deponit, qui etiam carnem pro inimicis suis dedit? Et quid mirum si more famuli præcinxit se linteo, qui formam serui accipiens, habitu inuẽtus est ut homo? Quid mirum si fudit aquam in peluim, qui dignatus est fundere sanguinem pro nostra redemptione? Et ait Ioannes, Venit ergo ad Simonem Petrũ. Videtur deniq; quibusdam, sic ut fuit martyr ille sanctissimus & doctor Cyprianus, ante Petrũ Iudam lauasse, uolens dominus prædictum discipulum reuocare. Sed non uidetur ratio ponderosa: ex quo enim Petrum iam cunctorum caput fecerat, ad eum accessit primo in honore, ut cæteri postea similiter facerent. Ideo sic intelligendũ est, cum

Matt.11

Ioan.13

Matt.26

Ioan.6

cum summã rei bene transcripsisset dicendo, Cœpit lauare pedes & linteo tergere, redit postea ad
A ordinem rei ostendendo dicens, Venit ergo ad Simonem. Quid est etiam quod dominus postea dicit, Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus? Si mundus est totus, quare necesse est ut pedes lauet? Ideo fratres attendere debetis, quòd hanc mentionem facit dominus de ablutione baptismatis: qui ergo lotus est in baptismate totus, non est necesse nisi ut pedes uenialiũ peccatorum lauet, quibus humana mens obstare non potest, nec infans cuius unius diei uita regnat super terram. Peractis denique & consummatis sacræ cœnæ sacramentis, factis & ordinatis in eadem cœna apostolis, sacerdotib. communicatis, & lotis eorum pedibus, iterum intrauit mensam,
B Ioan.13 & ait, Scitis quid fecerim uobis. Si ergo ego dominus & magister laui pedes uestros, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Si sum magister discite à magistro: si dominus, erubescat hæc despicere seruus: si iam peperci proditori, & uos parcere studeatis: si ante eum genu flexi, humiles ante aduersarios estote: si me ab eo permisi osculari, & uos maxillam præbere digneminí: si proditorem amicum uocaui, & uos inimicum amicum uocare corde & opere non dedigneminí, quia non est seruus maior domino suo. Et post pauca de filio perditionis dolorem ostendens & dolens, turbatus in spiritu & contristatus, ait, Vnus uestrum me tradet. O quàm doluit dominus discipulo perdito, ò quàm studuit eũ ad se reuocare. Doluit quia
C non potuit eum corrigere. Doluit quia obstinatum iam eum esse cum diabolo cognoscebat. Doluit quia super eum sententiam æternę damnationis daturus erat. Et uidentes discipuli faciem quã angeli aspicere desiderant esse turbatam, dixerũt, quis esset ille, quærentes quis eorum esset maior. Sed quare hoc, nisi quia arbitrati sũt ut homines, ille qui maior est ut dominari possit, magistrum prodere procurat. Aliqui tamen de Petro forte suspicabantur, quia plus & plurima se facturum iam promiserat pro magistro, suspicantes quòd ficto corde sic totiens loqueretur, Tu es filius dei. Sed quia Petrus innocentem se sciebat, innuit Ioanni ut peteret, cui dominus, Cui panẽ intinctum porrexero, ille est, sed caue ne Petro dicas. Et cum intinxisset Iesus panem, dedit Iudæ. Non est ergo
D credẽdum quòd dominus alta uoce dixerit, quia si Petrus hoc sciuisset, dentibus proditorem dilacerasset. Nec etiam est putandum, quòd Iudas tũc Christi corpus sumpsisset, quia iam dominus omnes discipulos communicauerat & Iudam, sicut Lucas euidenter ostendit, panem intinctum tamẽ dominus discipulo porrigere uoluit, ut cor intinctum ueneno significaret. Et post buccellã intrauit in eum satanas. Nunquid satanas tamen ante cor eius intrauerat? Omnino fratres ante buccellam cor Iudæ intrauerat, sed affectu & uoluntate tãtum, sed post buccellam intrauit satanas effectu & opere: tamẽ bona fuit buccella quam Christus discipulo dedit. Bonum etiã sacramentum quod ei tribuit, sed aliquãdo bona obsunt, & mala quandoq; prosunt. Corpus enim domini quod bonum est, malis malum est. Et carnis stimulus malus est, & tamen Paulo bonus est, & quod malum est, sibi profuisse cognoscimus. Sicut supra diximus fratres, panis iste porrectus à Christo & indigne receptus à Iuda, fecit ex merito Christus, ut maior esset licẽtia super eum diabolo post manifestationẽ, ideo grauiorẽ uindictam in eum fecit. Subtracta emẽ gratia eum dominus ad malum dimisit, & dimisit eum secundum desideria cordis sui, & iuit in adinuentionibus suis. Et permittens eum in propria uolũtate & arbitrio, ait discipulo, Quod facis, fac citius: quasi dicat dominus, Quia nõ possum te reuocare timore uerecũdię, nec mortis æternæ, nec amore, do tibi potestatẽ ut agas facto q̃d iam uoluntate fecisti. O Iuda quid facis? Attende antequam facias. Nam post factum forte gratiã pœnitendi habere nõ poteris, quid cupis tradere qui tibi multa peccata pepercit? Nunquid à morte te sæpe liberauit? Nunquid tui amore patrem tuum sanauit à lepra, & matrem cum qua concubueras à paralysi etiam liberauit? Nunquid te discipulum constituit? Nunquid te bursarium fecit? Nunquid in furto te sæpe inuenit, & semper tibi pepercit? Nunquid te post Petrum ut plurimum honorauit? Nunquid semper Christus iuxta se te habere uoluit? Nunquid ad pacem postquam te proditurum cognouit sæpe reuocauit? Nũquid tibi suum sacrum corpus donauit? Nũquid ante te genu flexit? Nunquid pedes lauit? Nunquid te osculatus
C est? Cur ergo prodere uis magistrum, à quo tot bona recepisti? Sed hæc omnia non considerans, recepta buccella exiuit continuo. Et bene exiuit, quia uere à deo & à consortio discipulorũ dei exiuit. Et erat, inquit euãgelista, nox. Merito nox discipulo proditori data erat, quia cęcitas mentẽ eius caliga uerat. Qui discipulus postquam ab eis recessit nocte, mox magister undecim cõgregauit, & ait, Filioli modicum tempus adhuc uobiscum sum: Ideo mandatũ nouum do uobis ut diligatis inuicem sicut dilexi uos. Nouus enim erat homo, quia quatuor modis generãtur homines, aut sine matre ut Eua, aut sine patre & matre ut Adam, aut ex patre & matre ut homines, aut sine patre ex matre tantũ
D ut Christus. Bene ergo nouus erat, qa deus & homo erat. Nouum etiã regnum promittebat, quod nemo unquam promittere ausus erat: ideo nouũ mandatũ dedit. In lege autem ueteri dictum erat, Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum Leuit.19 tuum. Sed Christus nouum mãdatum dedit, quia ut amicos inimicos diligere mãdat. Cętere namq; uirtutes, fides scilicet, oratio, eleemosyna, uirginitas, & cęteræ uirtutes corporis & fidelibus & infidelibus cõmunes esse possunt, sed inimicũ diligere tãtum Christianorũ uirtus est: & ideo magister ueritatis dixit, In hoc cognoscent homines quòd mei estis discipuli, si dilectionẽ adinuicem habueritis. Scitote tamen fratres, q̃ talis ordo in diligendo seruandus est. Primo super nos & super omnia deum diligere debemus, deinde animam nostram quæ

quæ nostra proxima est, deinde corpus quia factu
Ephes.5 ra dei est: ideo Apostolus dicebat, Nemo carnem A suam odio habeat. Ideo nutrire debemus corpus, nec ipsum occidere, sed sustẽtare debemus cibo et potu, quãtũ ualetudo permittit. Sic emẽ uult deus, sic uult Apostolus, sic & uobis fratres mei præcepi. Ideo fratres hortor uos & moneo atq; fieri præcipio, ut tantũ carnẽ dometis, quantũ natura portare potest. Nam cum uideã inter uos quosdã sexa
Corpora eorũ genarios, quosdã septuagenarios, quosdam centenarios, uidens eos dei amore feruẽtes, corpora eorum crucifigentes, uinũ etiam non bibẽtes, timeo ne potius deũ offendãt q̃ placẽt: Talibus in Christi nomine præcipio, ut saltẽ diebus dominicis &
Ceruisia in Africa. solennibus uinum uel ceruisiã bibant. Iuuenes autem q̃ fortes sunt, & iam triũphare de inimico cœ-
B perunt, in Christi nomine pœnitentiã agant ne deuincãtur ab hoste. Sic enim uolo, sic sępe prącepi seruari. Sic non occidemus corpora nostra, sed seruiant creatori suo. Deinde diligere debemus ꝓximum sicut fratrẽ nostrum, amicũ nostrũ uel inimicum: ideo attende q̃ si inimicũ uideris esurire, ciba illum, da illi potum, cooperias eum, & carnem tuã ne despexeris. Dilectio enim spiritalis bonorum est, quia omnis habẽs eam bonus est. Nunq̃d etiã cum odio aliquãdo paradisum quis intrauit? Ad infernũ ire odiũ habẽtem sæpe me legisse memoror, sed ad cœlum nunquam uolare cõcedam. Cupimus ergo fratres esse ciues cœlestis ciuitatis, seruemus nouũ mãdatum nouæ ciuitatis. Illa inquam ciuitas, habet pacẽ, præcipit pacem, & dili-
C git diligentes pacem. Sequamur ergo pacem, sine qua deũ nemo uidere potest. Quæramus pacẽ, & postea sequamur pacẽ. In ipsa deus habitat, in ipsa quiescit & pausat, quia factus est in pace locus eius. Non ergo habeamus cor intinctũ odio, ne filij Iudæ proditoris simus: ne cum eo suspendamur, & à diabolo pariter cum eo trahamur ad tartara. Qui odium in corde portat secũdus diabolus est, & qui pacẽ impedit Antichristus est: & qui pacẽ ordinat inter fratres, reuera filius dei est. Attẽdite fratres Mariam, quoniam multum dilexit, dimissa sunt ei peccata multa. Quid etiã Petro dixit dñs, nisi Petre amas me? Et quia amauit, meruit et amari, meruit audire, Pasce oues meas, pasce agnos meos. Quin etiã discipulo ait qui diligebat Chri-
D stum, & quẽ Christus diligebat? Dilecte mi ueni ad me quia tempus est ut epuleris. Pacem ergo habeamus fratres, si pacem cum Christo habere uolumus. Si uis amari à Christo, ama inimicum propter Christum. Si uis ergo amari, ama. Hanc amplectimini, hãc diligite, hanc pacem & concordiam usq; ad mortem seruate, si uultis cum deo pacem habere. Pax enim omniũ custodia & cura uirtutum est. Hanc pacẽ annunciare in suo ortu angelis prącepit, Pacem annunciauit sępe apostolis, pacẽ prædicare præcepit hominibus, pacem protestamento Apostolis reliquit, pacẽ in cruce pendens postulauit, pacẽ in sacrificio totiens in populo pnunciari uoluit. Nulla deniq; dabitur uenia, nisi pacifico uiro. Pellite ergo à uobis hoc odij mortiferum uenenum, et pacem inter uos habete,
A quia estis fratres, qui in hac uasta solitudine simul in unum estis cõgregati. Vno enim pane, uno indumẽto, uno nigro colore, una aqua omnes simul participamus. Reducamus igitur fratres ad nostrã memoriam, q̃ dominus ab inimico osculatus est, & tamen amicum uocat illum proditorem, Amice, inquit, ad quid uenisti? Date igitur reconciliationis pacem, sed non osculum proditionis, Qui enim ficte inimicũ osculatur, uel uerbo blanditur, Iudæ proditoris fratrem & socium & similem sibi esse quis dubitare poterit? Sed qui amore Christi, uerus filius est. Vos enim fratres quorum uita lux mundi est, licet mũdus uos nõ uideat, tamẽ mundi lucẽ uos appello & sal terre. Ideo quia lux estis,
B luceant opera uestra bona. Nos qui uidemur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis, & nomen religionis sanctę habemus, nigrã etiã uestem humilitatis portamus, zonis etiã pellíceis præcincti apparemus, caueamus ne simus sepulchra dealbata, quę foris pulchra & speciosa apparẽt, sed intus plena sunt ossibus mortuorũ occultis: prouideamus ne nobis dicatur, Væ uobis qui clauditis cœlorum regnum ante homines. Timeo enim satis ne paradisum intremus, nec alios intrare ꝓmittamus, Hoc aũt quare dico fratres? non quia credam uos malos esse, sed q̃a doleo de fratre nostro perdito Simplicio, qui ad hunc locum & ad hanc sanctã congregationẽ cum tanto feruore peruenit, & audito patrem interfectum esse, à nobis recessit & mundũ intrauit, ut patris uindictam uin-
C dicare posset. Qui ergo se existimat stare, uigilanter attendat & uideat ne cadat, & sic homines uidentes illos qui columnæ sanctitatis esse uidebantur tam nequiter cadere, non solum ipsis regnum cœlorum claudunt, sed & in seculo demorãtibus. Nobis deniq; fratres qui nomen & habitum sanctæ religionis portamus uita mala periculosior ostenditur, quàm in seculo demorãtibus. Ploremus ergo fratres peccata nostra, & fratris nostri amissi: diligamus & nos inuicem, quia charitas ex deo est. Non erubescat alter alteri ueniam postulare, quia nõ erubuit Christus inimicos ad pacẽ in cruce reuocare. Non erubescat facere seruus quod primũ fecit & dominus. Dominus autem qui habitare facit nos unius moris in domo, qui est uera pax qui fecit utraq; unum, nos in uera pace perseuerare faciat.

De lingua dolosa, Sermo XXIX.

VPIO uos scire fratres charissimi quæ sit
C lingua dolosa, à qua eximius Prophetarum Dauid postulabat à domino liberari, dum dicebat, domine libera animam meam à la- Psal.119
bijs iniqs et à lingua dolosa. Et ideo scitote fratres quòd non solum est lingua dolosa illa quæ seminat inter fratres discordias, quæ suscitat lites, quæ incitat furores, quę etiã conuentus conturbat: sed etiam illam dolosam linguam dicimus, quæ te laudare adulãdo procurat, dicẽs in facie te esse quod non es. A talibus autem deum deprecari debemus ut nos liberet & liberemur. Quare ab his li-

berari debemus petere? Quare eos ut mortem fu
gere debemus, nisi quia adulatores sunt, quia mẽ
dacia diligunt & faciunt, quia falsitatis sunt inuen
tores, quia diaboli fratres, quia ueritatis destructo
res, quia puritatis deuiatores, quia odiorũ inuen
tores, quia diaboli iaculatores, quia Satanę media
tores, quia dei persecutores, qa animarũ inuecto
res, & omniũ malorũ inuentores, mel in ore por
tantes, & uenenũ aspidũ insanabile in corde homi
nũ conspuentes. Ecce ꝓpter quod à domino libe
rari postulare debemus. O iniqua lingua & dolo
sa, ò iniqua proditio, ò pessima diaboli astutia, ò
grandis malitia, non solũ per amara uerba, sed etiã
per dulcia homines illaqueare procurat, ut secum
eos perducat ad tartara. Nam si homo ab homine
læditur, opprobria, cõtumelias & iniurias patitur,
inimicus reputatur ab eo, credo quòd me non di
ligit, omnino oportet me custodire ab eo dicet
homo: sed si deo placere uolo, me oportet alterã
maxillarũ sibi præbere, & totũ portare in patiẽtia,
uel malũ pro malo non reddere. Ecce quõ ad talia
remediũ est. Sed si homo beatum me prędicet, &
uerba adulatiõis non cognouero, quod remediũ
habere potero? Ideo fratres non solũ lingua dolo
sa est illa, quæ mala inter fratres cõmittit, sed & il
la quæ adulatur. Si quis uerbo tamẽ non offendit,
hic perfectus est uir. Sed quia nemo perfectus in
uia, ideo necesse est ut alter alterius onera porte
mus. Nemo tamen alterius onera portare potest,
nisi qui habet charitatẽ. Sed qui charitatẽ non ha
bet, non solũ onera proximi portare non ualet, sed
nec etiã sua. Quid em̃ facere debet qui charitatem
non habet? Ecce statim de festuca trabẽ facit, uer
bum pro facto reputãs factũ fuisse putat: Et sic do
let, clamat, tristatur, minatur uitã proximo dilace
rare, & sic consumitur ille qui charitatẽ non habet
& onera alterius portare nescit, mori etiã frequen
ter desiderans, sed mori non potest. Nos uero fra
tres non sic, sed si uerberamini à lingua dolosa, nõ
turbato animo, nõ corde inflato, sed humili & trã
quillo dicite, Domine libera animã meã à labijs
iniquis & à lingua dolosa. Sic in homine charita
tem habente excitatur frequentius amor charita
tis. Inflãmatur etenim cor & ardet, reuiuiscunt ui
scera pietatis, & sic clamare non cessant qui tãgun
tur à lingua dolosa, Deficit in dolore uita mea, &
anni mei in gemitibus.

Psal. 119

De confessione peccatorũ, Sermo XXX

ICERE solent homines fratres charissimi,
Deus cuncta nouit, apud eum nec præteri
tum nec futurũ est, omnia uidet, & omnia
ponderat, omnia nuda & aperta sunt ei. Quare igi
tur uult ut cõfiteamur hominibus peccata nostra
quæ nequiter gessimus? Nunquid non melius est
cuncta mala tacere, quàm ea prædicare in tectis?
Ecce em̃ quis dicet, peccaui super omnes homi
nes. Sed si cuncta hominibus prædicauero, omni
bus hominibus peior reputabor à cũctis exem
ploq́ meo multi multa mala cõmittent. Quomo
do ergo confiteri debet homo alterutrũ peccata
sua? O homo an ignoras quòd omnes peccatores
sumus? Et si dixerimus quòd peccatũ non habe
mus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non
est. Omnes peccamus, omnes cũ peccato nasci
mur, om̃es in peccata demergimur, etiam infans
cuius est unius diei uita super terram: Cur ergo ti
memus peccata confiteri? Tamen oportet confi
teri deo, quoniã bonus est, & in æternũ misericor
dia eius. Vult enim deus quòd confiteamur, non
quòd ignoret peccata nostra, sed ut diabolus au
diat quoniã confitemur & pœnitet nos peccasse,
& peccatis confessis cũ dolore & lachrymis, non
habeat amplius unde nos incuset. Ecce enim fra
tres diabolus uult ut taceamus, deus uult ut confi
teamur, & cui magis obediendũ sit, certe constat
quòd deo qui salutaria præcepit. Non em̃ sufficit
cessare à malo, nisi peccata quæ fecimus confitea
mur cũ dolore. Nec soli deo sufficit confiteri, sed
alterutrũ peccata nostra confiteri debemus. Non
igitur tardes confiteri deo. Non tardes cõuerti ad
deũ, nec differas de die in diẽ. Subito enim ueniet
ira dei, & tempore uindictæ destruet te. O fratres
mei qui usq́ nunc dormistis, conuertimini ad deũ
in toto corde uestro, in ieiunio, plãctu & fletu. Ec
ce em̃ quia dicit, in toto corde, non docet Prophe
ta, q́ in corde est fons pœnitẽtiæ, fletus uero ad o
culũ, planctus aũt ad os, sed ieiuniũ ad totum cor
pus refertur. O homo ne tardes conuerti ad deũ,
discute mentẽ tuã, ꝓspice singula secreta cordis,
considera antequã ad confessionẽ accedas, q́ cor
peccauit mala appetendo, oculus uanitatẽ uiden
do, os falsitatẽ dicendo, auris mendacia audiẽdo,
manus uerbera & homicidia perpetrãdo, & si nõ
opere, saltẽ uolũtate. Quis se excusare poterit, pe
des etiã ueloces ad malum? Igitur ò fratres mei, si
cut exhibuistis mẽbra uestra seruire immunditiæ,
& iniquitati ad iniquitatẽ, illa & nũc exhibete, mẽ
bra uestra seruire deo in sanctificatiõe. Primo em̃
cor qd̃ mala cogitauit & cõcupiuit, pœniteat &
doleat, & oculus fleat, os sine intermissione oret,
aures audiant uerbũ dei, manus eleemosynã porri
gãt, peregrinos suscipiant, infirmos foueãt, nudos
induant, pedes ueniant ad Ecclesiã, genua flectan
tur & laborẽt, quia sicut nullũ fuit membrum qd̃
peccando deo nõ displicuerit, ita nullum sit mem
brum quod pœnam non patiatur condignã. De
dit enim nobis deus mẽbra, ut sibi seruiamus non
mundo. Sed heu fratres, cœlorum ciues & dome
stici dei facti sunt amatores mundi, fortius diligen
tes terrena quàm cœlestia, transitoria plus quàm
æterna, res suas plus quàm seipsos. Non sic fratres
mei nõ sic, quia ecce iam tẽpus ꝓpe est, ecce iam
nobis minatur. Surgite ergo qui panẽ doloris co
meditis & ad ecclesiã pergere festinemus, & flen
tes peccata nostra cũ dolore cõfiteamur. Sed pri
mo talis ordo tenẽdus est, ut peccata præmediten
tur, ut proferendo taliter modo & circumstãtiam
peccatorum deo & sacerdotibus cõfiteamur, ut à
pedibus suis nõ onerati sed alleuiati discedere ua
leamus. Et nolite fratres mei differre confiteri pec
cata uestra, nam qui usq́ ad ultimum diem quadra
gesimæ uel uitę suę distulerit cõfiteri, dat signum
quòd

quòd hoc libenter non facit: Non gratiose, nõ pu
ro corde, sed coactus hoc facere uidet: sed coacta
seruitia quantum deo uel hominibus placeãt con
siderate. Nõ ergo de die in diem differamus pan
dere cordis nostri secreta. Promisit enim deus ue
niam pœnitenti, sed non promisit usq́ in crastinũ
differenti. Igit̃ non differamus, sed cum ad confes
sionem accesseris tu homo uel fœmina, caue ne ri
deas, uel ornate incedas, ne fabulas primo profe
ras, sed cũ humiliato capite, & dorso cinere & ci
licio infuso, confiteamini alterutrum peccata ue
stra. Sed deprecor te ò homo ut confiteri nõ paue
as: frequenter em̃ diabolus cor tuum astringit, ne
confitearis, dicẽs, Quomodo confitebor hæc & il
la? O homo quandocũq́ hoc persenseris, diaboli
tẽtationẽ esse nõ dubites, q cupit te astringere ne
quiter, ut in peccatis positus sine magna tentatio
ne semper agas quæ placita sunt ei. Nolite ergo ti
mere peccata cõfiteri ò fratres, nã illud quod per
confessionẽ scio, minus scio quàm illud quod ne
scio. Cur confiteri times peccata? Peccator est qui
audit peccata sicut & tu, & forsitan maior. Homo
est nihil differt à me, nihil alienũ habet à me. Cur
ergo times ò homo peccator homini peccatori
cõfiteri? Elige qd̃ uis, si nõ cõfessus lates, incõfes
sus damnaberis. Ad hoc em̃ deus exigit cõfessio
nem, ut liberet humilẽ. Ad hoc damnat non confi
tentem, ut superbum puniat in ęternũ. Confitemi
ni ò fratres mei, nolite differre, ad sacram messem
confessionis accedere festinate. Hæc est em̃ salus
animarũ, dissipatrix uitiorũ, restauratrix uirtutũ,
oppugnatrix dęmonũ, pauor inferni, obstaculum
diaboli, angelorum tunica, ecclesiarum fiducia, sa
lus, dux, baculus, lumẽ & spes omniũ fidelium. O
sancta atq́ admirabilis confessio, tu obstruis os in
ferni, & aperis paradisi portas. O confessio sine te
iustus iudicatur ingratus, & peccator mortuus re
putabitur. O cõfessio uita iustorum, peccatorum
gloria, tu sola necessaria es peccatori, & nihilomi
nus iustus si quis reputabitur, te astringere & fre
quentare debet. Nihil deniq́ remanebit in iudicio
quod fuerit per confessionẽ purgatum. O confes
sio illibata, tãto pondere appensum est, tantũq́ ua
luit apud deũ, quod homo nouit appendere latro
ni qui in cruce cõfessus est domini crucifixũ, quan
tum si fuisset pro domino crucifixus. Ecce quantũ
profuit breuis confessio peccatoris. Sed nos q sa
cerdotes sumus, & utinam boni simus, caute uo
bis uigilare necesse est & solicite, quatenus sic de
linquentiũ cordibus tanto moderamine uerbum
timoris & cõtritionis infigamus, ut eos nequaq́ à
uerbo cõfessionis exterreamus, ut sic corda aperi
ant q́ ora non obstruamus. Sed nec absoluere de
bemus etiam compunctũ, nisi uiderimus confes
sum. Quoniãquidem corde creditur ad iustitiam,
ore aũt fit confessio ad salutem. Qui ergo uerbum
cõfessionis in ore habet & in corde nõ habet, aut
dolosus est aut uanus. Qui uero in corde & nõ in
ore, aut superbus est aut timidus. Decet igit̃ sacer
dotes esse tales, ut cognoscãt & sciant quam, qua
lem, & quantam infirmantibus exhibere debeant
medicinam: Adiuuante domino deo nostro, qui
uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

De fallacia mundi & eius detestatione propter
tria præcipue mala quæ in eo sunt:

Sermo XXXI

SCRIPTVM est fratres charissimi, q́ mun
dum non diligamus, quoniã mundus tran
sit & cõcupiscentia eius. O munde immun
de qui homines illaqueare non desinis, quiescere
non permittis, rapere omnes appetis, occidere
omnes queris. Væ qui tibi credit, beatus qui tibi
resistit, sed beatior qui à te illæsus recedit. O mũde
ꝓditor, cuncta bona ꝓmittis, sed cuncta mala per
fers: promittis uitam, sed donas mortem: promit
tis gaudiũ, sed largiris mœrorẽ: promittis quietẽ,
sed ecce turbatio, ꝓmittis florẽ, sed cito uanescit:
promittis stare, sed cito recedis: Non ergo es dili
gendus, quoniã omnino trãsis, & concupiscentia
tua uelut fumus euanescit. Alloquantur omnes a
matores tui ò munde immunde, quibus aliquãdo
florem serenissimæ iuuẽtutis præstare uoluisti, ui
tam diuturnã, diuitiarum copiam, familiarium a
bundantiam, pacis amœnitatem, dicant omnes, lo
quant̃ cuncti, surgat uenerabilis pater Adam cum
omnibus filijs suis, & uno ore loquãtur, utrum in
hac uita gaudiũ habuerint sine dolore, pacem sine
discordia, quietẽ sine metu, sanitatem sine infirmi
tate, lumen sine tenebris, panẽ sine dolore, risum
sine fletu. Nolite igitur fratres mundum diligere,
quoniam transit & concupiscentia eius. O mũde
immunde, fallax & proditor. Nunquid non peri
culosior es blandus quàm molestus? Nunqd non
magis timẽdus es dum allicis, quàm dum spernis?
Nunquid non magis odiendus dum diligere dis
simulas, quàm dum odire te ostendis? O mũde im
mũde, in te habitare & nõ dolere impossibile est.
In te sperare & non timere uanum est. In te tua a
mare & non periclitari impossibile est. O fratres
mei nolite ergo eum diligere, quoniã trãsit, & cõ
cupiscentia eius. Sed ecce mundus transit & nos
turbat & amat̃, fallit & fidelis reputat̃, occidit ue
lut uita desideratur, flectit & amplectitur. O mun
de immunde, & si floreres quid facerẽt amatores
tui? Sed uere non flores, & stabilitatem nullam ha
bes, sed mella tua & dulcedo tua asperitatem ha
bent, iocunditatem falsam, certum dolorem, in
certam lætitiam, durum laborem, timidam quie
tem, rem plenam miserię, & spem beatitudinis ina
nem. Nolite ergo diligere mundum, quia omne
quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis,
aut concupiscentia oculorum, aut superbia uitæ.
Agamus fratres si possumus hodierna die de sin
gulis, Voluptas em̃ carnis dicit̃ quã per modũ illi
citũ misera caro appetit, ut gulositas, ebrietas, lu
xuria, nimia dormitio, et uanus risus. Et qa caro ui
cinior est, per uitia eius primũ nos aggredit̃. Mũ
dus enim quãto familiarior est, tanto periculosior
est, & multi per uitia eius corruũt. Ecce Adam per
gulã, Loth p ebrietatẽ, Salomon per luxuriã. Ideo
fratres gulositati per abstinẽtiã occurrere festinã
ter debemus. Considerate quòd non propter po
tum, sed

tum,ſed propter pomũ homo primitus mortem
inuenit.Eſau non propter gallinã,ſed propter len A
ticulam primatum ſuum perdidit.Scio enim Noe
omne genus carnis quod cibo eſſet uiſum,mandu
care cõceſſum eſſe: Heliam cibo carnis refectum
legimus.Ioannis mirabilem abſtinentiã prædica-
mus.Sic nos facere debemus,ſed nõ ſicut Eſau lẽ-
ticulæ conſcientia deceptus,nõ ſicut Dauid pro-
pter aquæ deſideriũ reprehenſus:ſed ſicut rex no-
ſter qui nõ de carne,ſed de pane tentatus, tentato
rem ſuperauit teterrimum.O magna & admirabi-
lis abſtinentiæ uirtus,per quã homines filij dei ex
celſi efficiũtur,per quam uitia expelluntur & dæ
mones,per quam non ſolum animarum ſalus agi-
tur, ſed etiam corporum ſanitas poſſidetur. Ecce
em̃ fratres,concupiſcentia carnis qualis & quan- B
ta eſt.Ipſa enim fomentũ & mater aliarum uolu-
ptatum eſt,quia q̃ bene comedit, libidines carnis
frequenter ſentit,dormire quærit, inde uerboſitas
& rixæ quę ſunt opera carnis,inde conſumptio pe
cuniæ.Nolite ergo fratres diligere mundum,quia
in eo ſumma concupiſcentia eſt carnis. Sed quid
aliud niſi concupiſcentia oculorũ? O fratres mei,
fecit em̃ deus uobis oculos uidentes,qui fecit ma-
gnalia,ut toto corde eum laudemus, plorantes ſi
qua mala fecimus.Ecce in miſeria ſumus,& in mi
ſerijs non ridere,ſed flere debemus. Cum enim na
ſcitur puer non ridet,ſed plorat.Quare plorat,niſi
quia uoce teſtatur & confitetur plorãdo ſe ad mi-
ſeriam deueniſſe? Naſcuntur enim filij Adã ad la-
borem & dolorem,quia iugum graue poſitum eſt C
ſuper filios Adam à die exitus de uẽtre matris eo-
rum uſq; in diẽ ſepulturę eorũ. Non igitur ridere
ſed flere debemus,attendentes & ſciẽtes q̃ domi-
num nunquã riſiſſe ſed fleuiſſe legimus.Sed quo-
modo fleamus peccata,quomodo eleuemus ocu-
los ad montẽ unde ueniat auxilium, audiamus Io
annem,Quid enim dicit,niſi quòd omne quod eſt
in mundo eſt concupiſcentia oculorũ? Concupi-
ſcentia oculorũ dicitur, quia per oculos deſideria
auri & argenti,poſſeſſionũ & cunctorum terreno
rum intrinſecus animæ intimãtur.Ideo ſumme cu
ſtodiẽdus eſt oculus,quia ianua cordis eſt & nun-
cius.Nam claude oculum,& uolũtas habendi nõ
erit:ceſſet uolũtas,& ecce infernus clauditur. Ec-
ce em̃ fratres quot mala per oculos fiunt,tot bona D
per eoſdẽ poſſunt adipiſci.Si enim Dauid oculos
clauſiſſet,fœminam non uidiſſet,adulterium non
cõmiſiſſet. Si Iudas pecuniã nõ uidiſſet,magiſtrũ
minime tradidiſſet.Et ſi Sodomitę oculos clauſiſ-
ſent,iuuenes non uidiſſent nec perijſſent. Clauda
mus igitur oculos ne uideant uanitatem,cuſtodia
mus ianuã cordis noſtri ne latro qui quotidie pro
curat intrare,ueniat & cuncta bona ualeat depræ
dari.Claude em̃ oculũ & amittis uitium,claude ia
nuam & latronẽ occides,claude oculũ & uoluntas
non erit habendi,claude oculũ & infernũ clau
ſeris in æternum.Licet tamen multi cęci mali ſint,
ſed peiores eos fore nõ dubitamus ſi hęc quę mũ-
di ſunt uiderent. Ipſa enim uiſio cauſa cupiditatis
eſt & principiũ appetitus. Claudamus ergo ianu-
am, ne mors intrare poſſit per feneſtras noſtras.
Quid em̃ aliud in mundo eſſe legimus,niſi ſuper-
biam uitæ? O ſuperbia cunctarũ uirtutum nouer-
ca,quis te creauit,quis te ad nos miſit,q̃s te ad con
uentum diuitum & pauperum tam miſerabiliter
introduxit? Scio quod deus te non fecit,nec te ad
nos miſit,nec ad cõuentũ monachorũ pauperum
uel diuitũ introduxit,nec te dũ carnem aſſumpſit
aſſumere uoluit,ſed tua inimica humilitate digna
tus eſt habitare inter bouẽ & aſinũ, & ſubditus eſ-
ſe uoluit Mariæ & Ioſeph. Quid ergo agis inter
nos? Nã te natura nõ oſtẽdit qua uno modo gene
rantur, uno modo uiuunt & moriuntur omnes.
Quid ergo agis inter ſeruos dei? Quid oſtendis
eis? Cur eos inflas? Cur inflare eos demonſtras?
Noſti q̃ eis æternã uitã prẽſtare nõ poteris.Quid
eis demõſtras propter quod eleuentur ſuper aſtra
cœlorum, cupientes eſſe ſicut deus,& ſuper eum
aſcendere uellent ſi poſſent? O ſuperbia nouerca
uirtutum, mater uitiorum,porta inferni,magiſtra
erroris,caput diaboli,uitiorum principium, quid
inter homines facis,quid eis ꝓmittis quòd te tan-
tum diligere demonſtrãt? Ecce amatores tui tam
cito de altitudine cadũt. Ecce enim Nabuchodo-
noſor quem tantum diligere uidebaris & tantum
te diligebat,tam fortiter te aſtrinxit,ut credere eũ
faceres quia nullus eo maior eſſet in orbe: & ecce
mox deflectitur & cadit,& demergitur in profun
dum,& quaſi bos fœnum comedit. Ecce quid ac-
cidit te diligentibus? Sed te non amantes de ſter-
core pneitus eleuãtur,& collocantur cum princi-
pibus populi domini,ſolium glorię honoris & di-
gnitatis tenentes in ſciẽtia. Eia ergo fratres diſci-
te humilitatẽ habere,diſcite ſuperbiam conculca-
re,diſcite & eam deuitare,uelut mortem eam con
culcare,ò quàm difficile diuitibus,ò quàm pœno
ſum,ò quàm meritorium.Eſtote ergo pauperes ſi
uere humiles eſſe cupitis. Nam deſtructis diuitijs
& conculcatis,faciliter ſancta perfectaq̃ humili-
tas acquiritur,cum quibus uero potuerũt habitare.
O diuitię dulciſſimę & ſuauiſſimę hominibus inſi
pientibus apparetis,ſed omni ueneno mortaliores
eſtis omnino. Venenum enim quis ſumere pote-
rit,niſi fuerit aliqua dulcedine copulatũ? Sed com
mixtum dulcedini faciliter ſumitur: ſic enim qui
recipit moritur.Sic qui diuitias amat,dulcedinem
uidet guſtare.Sed ecce mors inter diuitias latens,
hominem ſuperbum & elatum,diuitem,inflatum
aggreditur, & aggreſſus occiditur, & occiſus ad
infernum perducitur.Ecce quantum proſunt no-
bis diuitiæ mundi huius per quas occidimur, per
quas mutamur quotidie,per quas inſidiamur fre-
quẽter,per quas eleuamur in uanitatẽ, p̃ quas ue-
neramur mẽdaciter,per quas animã ſuperbam ad
infernũ diabolus ſemper expectat cõducere.Tol-
lite ergo fratres mei diuitias ut facilius tollatis ſu-
perbiam,tollite diuitias & infernus non erit.Date
eleemoſynã & omnia munda dabuntur uobis. O
fratres mei an ignoratis q̃ pauperibus non dare,
tuliſſe eſt? Et merito quando quis poteſt eſurienti
bus ſubuenire ſi non paſcit,merito uitã extinguit
& eos

& eos mori permittit. Pudeat & erubeſcat Chri-
ſtianus tollere pauperibus,quib. iubemur ſemper A
offerre. Vltra omnẽ iniquitatẽ eſt diuitẽ uelle fie-
ri de exiguitate pauperum uel uiduarum. Itaq̃ fra
tres amãda ſunt honeſta lucra,ſed horreãtur dam-
noſa compendia.Nullus audeat inde tollere, ubi
debeat collecta diſpergere.Addẽdo perdit qui re
tinendo collegerit,paupertatẽ potius ad ſe trahit
qui paupertatem ſe exigentiũ pecunia non repel-
lit.O fratres mei ueniet dies illa,ueniet & non tar-
Matt.25 dabit,quãdo nobis dicet: Eſuriui & non dediſtis
mihi mãducare:& ultimo dicetur illis: Ite maledi-
cti in ignẽ æternũ.O fratres ſi in ignem mittentur
illi qui non ſunt elargiti,nec quæ cũ labore lucra-
ti ſunt pauperibus donauerunt, quid dicetur illis
qui aliena rapere non timuerunt? Cũ diabolo ar- B
dent,qui nudũ non induerunt:ubi putamus arſu-
ros qui uiduas & orphanos ſpoliauerũt? Non er-
go ſpoliare debemus pauperes,ut denudati abun
demus in ſuperbia uitæ, ſed eleemoſynas dare ut
pauperes & humiles ſimus,non differamus. Sed
hæc non ſolũ facere nobis ſufficit,ſed & proximũ
etiam ad hæc inducere feſtinemus,dicentes pote-
ſtatẽ habentibus & terrarum rectoribus quod nõ
ſolum eleemoſynã porrigant, ſed & quòd regna
ſua in pace cuſtodiant,ſcientes quòd remota iuſti
tia regna latrocinia efficiuntur. Multi enim ſunt
rectores,ſed pauci iuſtitiæ amatores inueniuntur.
Nam cum quæſitum fuiſſet à Socrate ridente, cur
ſic fortiter rideret,reſpondit, Video magnos latro
nes ad ſuſpendiũ duci facere paruos: & alta uoce C
clamaſſe refertur, O quàm digniores eſtis ſuſpẽdi
qui in cathedris & domib.habitatis latrocinia ma
iora cõmittentes,quàm qui in ſyluis cum tremo-
re quotidie demorari uidentur. Quapropter fra-
tres nolite rapere,nolite fœnerari ut abundetis in
ſuperbia uitæ.Sed diuitiæ ſi affluant nolite cor ap
ponere,ſed diſpergite eas ut humiles ſitis,& imita
ri ualeatis illum qui ſequentibus ſe dicet, Venite
benedicti patris mei poſſidete regnum quod uo-
bis paratũ eſt ab origine mundi, Amen.

Ad leproſos ut patientiã teneãt: Ser. XXXII

F RATRES mei dilectiſſimi ſcio quod per
cuſſit uos deus & leproſi facti eſtis uſq;
ad diem mortis ueſtrę: Ideo obſecro uos
in domino noſtro Ieſu Chriſto,cuius precioſo ſan D
guine redẽpti eſtis,ut nõ deficiatis in tribulationi
bus quæ ſunt pro gloria ueſtra, ſcientes quòd per
carnis afflictionẽ,mẽtis infirmitatem occidimus.
Spiritus enim deficit,dum miſera caro gaudendo
quieſcit.Ergo ſi paupertas urgeat,ſi luctus mœſti
ficat,ſi ſtomachus doleat,ſi pectus uel uẽter infle-
tur,ſi totius corporis dolor uos inquietat, ſi cala-
mitas uos undiq̃ uexat,ſemper uos lętificet in o-
mnibus laboribus & periculis uitę huius amor ue-
ſter in deũ & pia patiẽtia & certa ſpes ſupernorũ.
Deſpiciamus ergo diuitias corde,& erimus locu-
pletes.Deſpiciamus inimicorum ſupplicia,& eri-
mus ſemper uictorioſi.Deſpiciamus corporis ſa-
nitatẽ,& æternã quietẽ & ſanitatẽ recipiemus. Igi
tur uobis infirmantibus & languentibus patiẽtia
ſumme neceſſaria eſt,Nullus em̃ beatus eſſe pote
rit,nullus cœlorũ ciuis efficit, nullus amicus dei
conſtituit,qui inter mala patiens nõ inuentus fue
rit.O patientia tu omnia uincis aduerſa, non collu-
ctando ſed ſufferendo, nõ murmurãdo ſed in omni
bus gratias agendo.Ipſa enim patientia eſt quæ fe
cem totius uoluptatis abſtergit, ipſa quæ limpi-
das animas deo reddit,ipſa nauis quæ ad portum
cũctos ſuos amatores perducit.Ipſa eſt per quam
infernus clauditur,& paradiſus aperitur ſuis amato-
ribus. Ipſa eſt per quã omnis & ſine qua nullus
iuſtificabitur.O ſi graue uobis eſt q̃a leproſi eſtis,
patientiã in cunctis habete.Eleuate capita ueſtra,
& corde aſpicite uulnera ſaluatoris noſtri in ligno
pendentis,pœnas morientis, precium redimẽtis;
cicatrices reſurgẽtis,quid aliud uidere poterimus B
niſi caput inclinatũ ad uocandum & parcendum;
cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad
amplexandum, totum corpus expoſitum ad redi-
mendũ.Hæc quanta ſint cogitate uos qui doletis,
hæc in ſtatera ueſtri cordis appendite ut totus uo-
bis figatur in corde,qui pro uobis totus fixus fuit
in cruce. Et quid plura ſaluator noſter pro nobis
ſuſtinuit, quid plura patiẽter portauit? Tota em̃
uita ſua plena fuit dolore,& tandem ad crucẽ per
ueniẽs per paſſionem ludibrijs exponitur, qui eſt
uere palma uictoriæ.Spinis coronatur,qui ſpinas
peccatorũ uenit confringere.Ligatur qui ſine la-
bore & pœna ſoluit cõpeditos.Ligno ſuſpendit,
qui erigit eliſos.Aceto potatur fons æternæ uitæ;
diſciplina cæditur,uulneratur ſalus, uita moritur.
Occidit ad tempus uitam mors, ut in perpetuũ à
uita occideretur mors. Ecce fratres Chriſti pa-
tientia,ecce Chriſti bonitas & clementia.Et ſi pla
cet etiã plura audire,poſſumus & adhuc plura de
Chriſto prædicare.Non igitur tædeat uos audire.
Nam & ſi fatigaremini,uobis non amplius prædi
carem.Cupio em̃ cõſolari uos & nõ triſtari. Nam
ſi tẽdiũ eſt dicite,ſi uero gaudiũ audite.Ecce enim
uenit ſaluator regens ſydera,et ſugere uoluit ube-
ra.Ipſe qui panis eſt,eſurire uoluit, ipſe fons ſitire,
ipſe lux dormire,ipſe q̃es fatigari, ipſe ueritas oc-
cultari,ipſe iudex uiuorum & mortuorum à mor-
tali iudice condemnari,ipſe iuſtitia ab iniuſtis iu-
dicari,ipſe unitas mutari.Nihil enim tam ſalutife-
rum nobis eſt,quàm quotidie cogitare quanta p̃
nobis pertulit deus & homo. Ecce enim ſaluator
paſſus eſt,leproſus in cruce factus eſt, patiens fa-
ctus eſt,nobis relinquẽs exẽplũ ut ſequamini ue-
ſtigia eius.Quod ſi feceritis, non ſolũ infirmitatẽ
non moleſte portabitis,ſed cũ Propheta clamare Pſal.30
uoce & opere nõ deſiſtetis,Deficiat in dolore uita
mea,& anni mei in gemitibus.Sed dicetis, O q̃
graue,ò quàm inhumanũ,ò q̃ forte eſt inter homi
nes habitare nõ poſſe. Ecce enim ſeparati ſumus
ab urbibus,gentes nos ſpernũt,parentes nos odi-
unt,conſanguinei fugiunt,amici nos deſerũt,ſepa
rati ſumus à caſtris ac ſi ex hominibus nati nõ eſſe
mus.O fratres mei attendite patiẽter & nolite tur
bari:nã uerũ eſt quod dicitis,ſed nolo uos ignora
re quod legitis: ait enim dominus Moyſi, Habi-
tabit

tabit in domo mea plenus lepra. Cur ergo turbamini si inter homines habitare non potestis? Nun A
quid mundi ciues hoc præstare nobis potuerunt? Nunquid domũ dei uobis aperire potuerũt? Nun quid per eorũ cõuersationẽ efficiemini meliores? An ignoratis quid dictũ fuerit sancto uiro Antonio, Si cupis saluari fuge homines, fuge mundum & pompas eius? Cur ergo turbamini si inter homines conuersari non potestis? Ecce em̃ sanctus Iob iustus, sapiens, diues, rectus & timens deum, & tamen leprosus efficitur, tamen nõ conquerit, extra castra proijcitur, ab hominibus despicitur & deseritur. Ab uxore blasphematur, tamen non conqueritur, nec labijs suis contra deum mortaliter locutus est, considerans aliã uitam cito esse uenturam. Non ergo turbemini, sed cõsiderate quia propter
B peccata uestra percussit uos deus, uel ut examinet uos. Ecce enim Maria quia murmurauit in fratrẽ suum Moysen, leprosa est facta. Azarias rex quia præsumpsit, leprosus factus est, & Giezi quia Simonian cõmisit, & Naaman quia se glorificauit. Vos etiam quandoq; modo percussi estis, patientes estote, & gratulanti animo suscipite illam, ne pariter hic & in futuro æterna tormenta patiamini. Confortamini ergo & nolite timere. Ego uobiscum esse credidi tertia die paschę, sed quia Valentinus noster migrauit à seculo, propterea uobiscũ esse non potui. Sed nunc fractis argenteis uasis de bonis ecclesiæ Hipponensis, uobis in necessitatibus & pro captiuis prouidere uolui. Consoletur autem nos deus qui suos consolatur in omni tri-
C bulatione. Amen.

De detestatione ebrietatis, cum terribilis casus enarratione: Sermo XXXIII

NON miremini fratres charissimi si hodie ter sermonẽ deo auxiliãte perfecero. Accidit hodie terribilis casus, ut omnes audistis, propter quem non solũ ad ecclesiã Hipponensem omnes antiquiores habere uolui, sed etiã omnes fœminas & infantes in unũ cõgregari præcepi, Quibus cõgregatis cum dolore & anxietate uobis enarrare intẽdo, anteq; pateat in plebe, qd accidit preclarissimo ciui nostro Hipponensi Cyrillo, Ecce em̃, ut scitis, potẽs erat inter nos opere & sermone, & fere dilectus ab omibus. Filiũ, ut scitis, habebat & eũ unicũ possidebat, & quia unicus
D erat eum superflue diligebat & supra deũ. Ideo superfluo amore inebriatus, filiũ corrigere negligebat, dans etiã potestatẽ faciendi omnia quæ placita essent illi. O dolosa libertas, ò grãdis filiorum perditio, ò paternus amor mortiferus. Ecce filios se dicunt diligere, quos iugulari ꝓcurant. Dicunt eos amare, quibus iam suspendia parãt. Dicũt patres filios se nutrire, sed ecce iam pater & filius ambo in foueã cadũt. Quare pater cum filio cadit in foueã, nisi qa pater cæcus est, quia malus, & quia salutem suam & filiorũ suorũ uidetur negligere? Quo & quomodo pater hęc neglexerit, nisi quando filio libertatẽ donauit, quãdo eũ corrigere neglexit, quãdo uirgæ pepercit, quãdo ei semper serenã faciẽ demonstrauit? Cupitis audire nũc quomodo pater & filius in foueã cadunt? Licet enim
A sciatis, tamẽ quia necesse est ut uos quãdiu uiuitis timeatis, ideo quæ hodie facta sunt iterum dicere non erubesco. Ecce enim Cyrillus uester filiũ habebat, ut scitis, quẽ corrigere negligebat, & luxuriose uiuẽdo cõsumpsit partẽ bonorũ suorum, sed ecce hodie ebrietatẽ perpessus matrẽ prẽgnãtem nequiter oppressit, sororẽ uiolare uoluit, patrem occidit, & duas sorores uulnerauit ad mortem. O magni diaboli dominatio, patrẽ quem post deum reuereri debebat, occidit, matrẽ à qua portabatur prægnantẽ oppressit, sorores quas tenerrime diligere debebat uoluit uiolare, et duas uulnerauit ad mortem. O dolorosa ebrietas omnium malorum mater, omnis luxurię soror, omnis superbię pater.
B O ebrietas tu mentẽ cęcas, iudicio recto cares, cõsilium nullum habes, blandus dæmon es, uenenũ dulce es, peccatũ suaue es. O ebrietas nunquid nõ per te inflatur stomachus? Nunq̃d non per te putrescit anhelitus? Nũquid non oculos cęcas? Nunquid nõ cuncta mẽbra debilitas? Nũquid nõ mortem acceleras? Nunq̃d nõ bursam euacuas? Nunquid non dominium recipis ab homine? Nunq̃d bestialem & irrationabilẽ te diligentẽ tecũ ducis? O ebrietas, discant te diligentes agnoscere, discãt te deuitare, iterũ discãt te deuitare, discãt te uelut mortem effugere, quoniam qui te dilexerit, regnũ dei non consequẽt. Ergo ò fideles abstinete, et nolite inebriari uino. Nõ enim sufficit abstinere, sed abstinẽtes alios abstinere doceatis. Docẽtes quo-
C modo Loth inebriatus cum filiabus iacuit. Sampson etiã uino repletus per meretricẽ inimicis traditur: audite fideles, audite Esaiã dicẽtem, Vę qui Esa.5
cõsurgitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum usq; ad uesperã ut in uino æstuetis. In ueteri etiã lege pręceptũ erat, quòd sacerdotes cum ingrederenẽ templũ ministrare domino, omnino non uinũ biberent, Si ergo hoc erat dum tẽplum tantum ingrederenẽ, & quid nos miseri facere debemus? O quàm plures sunt ex uobis qui prius tabernã uisitant quàm templũ, prius corpus reficiunt, q̃ animã, prius dęmonem sequunẽ q̃ deũ. O fideles nõ fideles, quid uobis cum uino? Nũquid uinum factum est ut deficiatis maledicẽtes nomẽ domini? Abstinete ergo à superfluo potu ne rebel
D les efficiamini. Quãdiu em̃ Adam abstinuit, tamdiu obediẽs fuit, tamdiu bonus, sanctus & iustus permansit. Sic & Helias tãdiu miracula fecit, quãdiu pane & aqua refectus est, sed postquã carnes comedit, & uinum bibit in saturitate, miracula nõ legitur fecisse. Eia ergo fideles, casum superius assignatum inter cætera considerantes deum timete, & timentes eum feruẽter rogate, ut ab his et ab omnibus malis liberet nos semper, Amen.

De duobus generibus hominum mundum derelinquentiũ, qui in sancto Loth & uxore sua designantur: Sermo XXXIIII

VDITIS fratres charissimi, q̃ Loth nepos Abrahæ inter pessimos Sodomitas
A & Gomorræos sancte & iuste moratus est. Quas ciuitates uolens subuertere dominus, ad seruum

ad seruũ suũ Loth angelos misit, ut cũ malis nõ periret. Qui cũ exiret, dixerũt ei angeli, Salua animã
A tuã. Vxor uero Loth quia retro respexit, mox mutata est in statuã salis. Igit̃ fratres mei quæcũq; scripta sunt, ad nostrã doctrinã scripta sũt, ut inde fructum aliquem capiamus. In Loth enim & uxore sua duo genera hominum designãtur, scilicet mũdum derelinquentiũ, quorũ unum perfecte deserit, aliud quoq; tepide, & respiciendo retro uenit ad mortem. Sodoma quoq; quæ cæcitas uel muta uel asperitas interpretatur, mundus est in quo sunt homines muti & cæci, ad quos mittuntur sancti angeli, & sancti prædicatores, ut dicant, Salua animã tuã, et in monte te saluum fac. Fugere enim Sodomã quid aliud est q̃ incẽdiũ libidinis, luxuriæ, superbiæ, & auaritiæ fugere? Quib. & præcipi
B mur nõ retro respicere, quia uictor mundi & mõtem sanctæ religionis ingressus, nõ debet retro respicere. Quare? Quia melius esset uiã ueritatis nõ agnoscere, q̃ post agnitã retro abire. Quid est dicere, nisi quòd melius esset quòd in uita seculari & laicali mansisset, q̃ postmodum solitariam uitam desereret? Apostatare enim nequam est, mortale est, cum damnatione semper uiuere est. Tales em̃ fœminæ & uxori Loth cõparantur, quia morientes, retro aspiciẽtes, cõuertunẽ in statuã salis. Loth præcipitur ut in montẽ se saluũ faciat, per quẽ contemplatiua uita designat̃. Tu uero homo ascende in montem pœnitentiæ, ascende in montem diuinę cõtemplationis. In hunc montẽ te saluum fac,
C in hunc montẽ uolando transmigra sicut passer, & ibidẽ salua animã tuam curis & seculi dignitate denudatus. Sic enim fecit gloriosus ille adolescẽs
Matt.19 Nathanael, de quo legit̃, ait enim, Magister quid faciã ut habeam uitã æternam? Cui dñs, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata: cui adolescẽs, Quæ sunt mandata? Cui dñs. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, non homicidium facies, nõ adulterabis, nõ facies furtũ, nõ falsum testimonium dices, honora patrem tuum & matrẽ tuam, & proximum tuum sicut teipsum. Hæc omnia ad tuam uiam pertinent, cui dixit adolescens, Domine hæc omnia custodiui à iuuentute mea, quid mihi deest? Cui dñs, Si uis perfectus esse uende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me, Et secutus est Iesum adolescens ille, & nunq̃ retro postmodũ respiciẽs, reliquit patrẽ & matrẽ & uxorem, filios & sorores & animã suam. Tunc pru-
D dens adolescens montem dei ascẽdit, Sodomã & Gomorram reliquit, incendiũ libidinis fugit, curã seculi suffocauit, & montẽ summæ cõtemplatiõis ascendens, emit in agro thesaurũ absconditũ, charum eum tenens in uitã sua. Similiter hoc idẽ fecit Petrus quãdo uoluntarie omia deseruit, omia relinquens & secutus est Iesum. Sic & Maria illa Lazari soror cũ Lazaro fratre suo & Maria uirgine prudentissima, quando omnia uendiderũt & precium ante pedes Apostolorum posuerunt. Sic & Heliæ facere placuit, & Ioãni Zachariæ filio, quãdo eremum intrauerunt. Sic & Paulus cum Antonio, quando annis multis eremum coluerunt. Sic
Aug. to. 10

& fratres mei qui sanctorum patrum uitam & exempla imitari & sequi uoluerunt Nunquid nos etiam hoc idem optamus? Etenim in seculo sumus
A semper tamen ut incepimus uobiscum in solitudine esse desideramus, & ostendimus opere quãdo episcopali ecclesia grauati non fuimus. Eia ergo fratres pro deo iugo dei submissi estis, ut sublata licentia peccandi catena obedientiæ in proposito bono retineri possitis. Sed attendite fratres mei & lætitia cordis mei, q̃ nihil proficit bene operari ex coactione nisi ex uoluntate libera faciatis. Qui enim bene faciunt coacta, deo non sunt accepta quæ faciunt, & Simoni Cyrenæo, quẽ Iudæi angariauerunt ut crucem Christi portaret, optime cõparantur. Ecce em̃ Simon crucem portat cũ dolore, quia nõ libenter portat, angariat̃, sed non moratur in ea: ideo non perseuerando fugit, & sine fructu à cruce recedit: quia nihil boni dicitur, nisi usq; ad mortẽ, in bono perseuereĩ. Sic & nos crucifigamus corpora nostra uerberibus, uigilijs, abstinentia escę & potus. Sed timeo ne coacti hoc agamus & corpora macerantes mundo saltẽ uoluntate uiuamus. Ideo fratres in hunc montem obedientiæ ascendamus, et quod deo promisimus attẽdamus. Nihil est enim maius obedientia, nihil peius inobedientia. Adam perijt quia inobediens fuit, Christus resurrexit quia patri obediuit. Ionas inobediens à pisce absorptus est. Saul inobediens à dæmone correptus est. A qua correptione liberet nos ipse Christus, ut digne ad montem contemplationis
C uolare possimus, Amen.

Ad iudices ut caueãt ne odio, amore, precio, precib. uel timore corrũpant̃, cæteraq; uitia declinẽt & iustitiã seruent. Sermo XXXV

ROGATVS à uobis ò iudices, licet cum Fortunato Manichęorũ presbytero lõga disputatione grauatus, sermonẽ uestra dilectione deuictus facere deo auxiliante nõ distulimus. Ecce em̃ nunc congregati estis in domo Episcopi. Conuenistis omnes in unum, non ut sophismata audiatis, non ut poetarum curiositatem intelligatis, non ut beatos uos esse prædicem, sed solum ut quid pro uestra salute necessarium fuerit audiatis, & audientes operibus adimpleatis. Vos em̃ reputati estis ab hominib. duces populi, iudices terræ, orphanorũ patres, uiduarũ mariti, iustitiæ zelatores, reipublicæ amatores,
D Caueté ergo ne corrumpamini odio, amore, precio, precibus uel timore. Decet igitur iudices non solum quæ diximus adimplere, sed cum dei adiutorio calcare superbiam, abominari luxuriam, abhorrere falsitatem, despicere auariciam, quæ nouerca dicitur esse & summa inimica iustitiæ. Ipsa enim est quæ patrem nescit, matrem ignorat, amicos perdit: & seipsam relinquit. Decet igitur iudices non auaritiam sed largitatem sectari, & amare paruulos, pusillis & orphanis faciẽ serenam nõ solum uerbo sed opere demonstrare. Non enim auertere faciem debent à paupere, nec priores dedignentur cõseruare fideles, nec ceruicem erigere debent quosdam despiciendo, scientes q̃ mori-
L1 tur

tur pariter doctus & indoctus. Decet igitur iudices gratiã quã diuinitus receperunt solicita mente
A custodire, fidem ostẽdere, zelum rectitudinis cõseruare, Decet etiam iudices clementiæ esse cultores, detestatores sæuitiæ, cunctis benignos, ad irã tardos, ad misericordiam festinos, in aduersis firmos, in prosperis humiles & cautos, & quibuscũque dignitatibus sublimatos seipsos agnoscãt, & caueant, ne suos inferiores despiciãt. Decet etiam iudices sapientes esse, & in lege doctissimos, ne dicere ualeant tanq̃ legem sanctam ignorantes bonum malum & malum bonũ. Decet etiam iudices plus deũ timere q̃ alij homines, plus de salute animarum curare q̃ corporis, plus honorẽ dei q̃ mar supia plena diligere. Sed uę uobis ò iudices, uę uobis in æternũ & ultra, quia nõ est in uobis ueritas, non misericordia, non pietas, non iustitia, nec scientia dei potest in uobis inueniri. Quid enim inter uos regnat? Auaritia, mendacium, clamor, apparentia, peruersio sacræ legis, dicẽtes malum bonum, bonum malum. Ecce acceptio personarum.
Non est em̃ ueritas in uobis. Diminutæ sunt à uobis ueritates. O patres pauperũ, ò uere non patres sed prædones. Quare non patres? Quia ubiq̃ per uos opprimunt̃, nec est qui misereat̃ pupillis dei, sed si diues locutus fuerit mox tacuistis, causas suas usq̃ ad nubes perduxistis. O iudices scientiam & iustitiam mundi amantes, attendite quid agitis. Nam scientia mundi pleni estis, & in ipsa moriemini. Quæ est enim scientia mundi, nisi thesaurũ congregrare, lucrũ terrenum acquirere, decipere proximum, mentiri, iurare, iustitiã caute peruertere, & similia in cunctis agere? Ista enim est sapiẽtia huius mundi. In istis ferè quasi tota uestra uita cõsistit, & ideo attendite qui iudicatis terrã, q̃ sapientia huius mundi stultitia est apud deum. Sed dicitis, O episcope hãc scientiã non amamus, furtum non cõmittimus, proximũ non decipimus nec offendimus. Quare? Quia nihil aliud recipimus, nisi quantũ nobis donare uoluerit. Ego aũt dico uobis, q̃ tantũ fecistis quantũ facere potuistis. Non plus uobis fuit datum, ideo non plus recepistis. Quantum potuistis fecistis, Leues causas magnas fecistis. Nam & si ui non rapuistis, & proximum in uia nõ deprædati fuistis, latrones tamen esse potestis. Latro enim timet malũ, & ubi nõ potest nõ facit, & tamen latro est. Deus enim cor interrogat
D & non manum. Lupus enim frequenter uenit ad ouile & quærit rapere oues, quærit lacerare, quærit deuorare. Vigilant tamen pastores, latrant canes, & sic lupus timendo fugit. Nunquid non tamen lupũ non esse dicimus? Absit. Sic & uos facitis quantum potestis, si plura possetis plura facere tis. Eia igit̃ ò iudices attẽdite, ne cũ falsis iudicibus Susannę cõfundamini. Suscitabit em̃ dominus spiritum Daniel, & ponet spiritum eius & sapientiã pueri sui Danielis in mentem alicuius iuuenis, & sicut fecit in Susannæ iudicibus, cõfundet omnes falsos testes cum iudicibus, & tunc sciẽt quid profuerit sibi sua scientia. Considerate ergo ò iudices terræ quid per Oseam seruũ suum deus loquatur.

Ait em̃, Visitabo populum meũ, & iudices & uias Osee 4
A eorũ, & cogitationes eorũ reddam eis. O q̃ horrẽ dũ est incidere in manus dñi. O quãta ultio, ò quãta miseria malis erit in die nouissimo. Expellentur enim mali mercatores, falsi iudices de domo dominî, exulabunt à domo dei, expellentur à paradiso, & ibunt in locũ ubi semper erit fletus & stridor dentiũ. Ideo attendite ad cõsiliũ meũ, aperite cordis portas. Surgite qui dormistis, legite Esaiã prophetam, sequimini eum, nõ cras sed hodie, non tamen hodie sed & nunc. Ait em̃ Propheta, Derelin Esa. 55
quat impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dominũ, & miserebitur eius quia misericors est. Currite iudices ne iudicemini ad patrẽ misericordiæ, quærite ueniam, reddite quod recepistis illicite. Quærite ueniã, quoniã
B prope est omnibus inuocantibus eum in ueritate. Ipse est qui sanat cõtritos corde & humiles spiritu, & corde tribulatos saluabit. Ambulate dum lucem habetis, dum dies est. Ecce ò iudices ueniet iam nox, quia uenit iam mors in qua non erit licitum ambulare. Cogitate quid estis, quò ituri estis. Parẽtes em̃ uestri prædicant mortui, sepultura clamat, infernus ululat, dæmones expectant, sacerdotes prædicãt, quid superbis terra & cinis? O iudex qui deum nõ agnouisti, dum iuxta tumulos patrũ Gen. 5
tuorũ transis, scias q̃ mortui clamant, Terra es, & in terrã ibis. Homines enim fuerunt sicut & uos diuitias possidendo. Vbi modo ipsi sunt, sic & nos erimus. Vbi superbia eorũ, ubi cõscientia, ubi cathedra magistralis, ubi honor discipulorũ, ubi indumenta serico & pelle decorata? O cinis & pulu
C is, ò iudex quid es, & quid eris cõsidera. Non ergo tardes cõuerti ad deũ, & ne differas de die in diem. Subito em̃ uenit ira eius, q̃ iuxta est dies perditionis, & adesse quidẽ necesse est & festinãt tẽpora, Nemo ex uobis tñ desperet, nemo diffidat de dei misericordia. Sed attẽdite quia nulla culpa tam magna est quæ nõ habet ueniã. Et ne aliquas desperet, Mariã illam peccatricẽ, dominã luxurię, uanæ gloriæ matrem, sororẽ Marthæ & Lazari in exemplũ assumite, quæ postmodũ Apostolorum apostola meruit nuncupari. Adiuuet aũt nos ipse deus & homo qui pro nobis nasci & mori dignatus est, Amen.

Ad presbyteros suos malam uitam eorum reprehendens: Sermo XXXVI

RATRES charissimi ut nouit charitas uestra, oportet manum mundã esse
F quę polluti uasis maculas debet purgare, ne polluta deterius possit coinquinare cum sordida sordidũ tractat. Propterea sacerdotes altissimi dei uobis dicitur, Mũdamini qui fertis uasa do- Esa. 52
mini. Vos enim estis qui uasa domini ferre debetis, quibus datũ est nosse mysteria regni dei, Vos estis sal terræ, lux mundi, lucerna accensa, ciuitas in monte posita, columnæ templi, lignum scientiæ in medio paradisi positum, patroni & rectores terrę, angelorũ & paradisi ciues, prophetarum filij, patriarcharum cognati, Apostolorum successores. Mundamini ergo ut digne cum patribus ferre

ferre possitis uasa domini. Vasa enim non solum aurea & argentea, sed etiam illa pro quibus redi-
A mendis dominus mori dignatus est. Propterea attendat charitas uestra quales esse debetis, ut digne uasa domini portare possitis. Ait enim Apostolus,
Ad Tit. 1 Oportet Episcopum sine crimine esse, tanquam dei dispensatorem, nõ proteruum, nõ iracundum, non uinolentum, non percussorem, non turpis lucri appetitorem. Hæc autem non solum ego Episcopus seruare debeo, sed & uos unà mecũ deo auxiliante seruare debetis. Per omnia sine crimine sicut Episcopum, ita iubet esse presbyterum, id est, irreprehensibilem, ut non quærat uxores, non diuitias, non honores, ne secularis dicatur. Non enim debet qui animarum curam gerit transire de domo in domum, non frequentare forum cum rusticis, non mercantias acquirere, non commatres
B procurare, non ligonizare, non tabernas intrare, non discurrere, nisi necessitate compulsus. Sic enim facientes irreprehensibiles sunt apud homines. Sic enim uasa domini digne portare poterunt. Sed si contrarium fuerit quod dominus auertat, quomodo poterit auferre malum de medio ouium, si in delicto similiter simili corruerit uel maiori? Nõ enim talis dispensator dicitur, sed potius dissipator. Aliud est enim dispensator, & aliud dominus. Dispensator enim seruus est. Non enim licet dispensatori percutere seruos, non occidere, non iracundiam portare, quia dominus eius humilis, benignus & misericors est. Non ergo licet dispensatori furiosum esse. Nihil enim fœtidius, nihil damnosius, nihil leuius, nihil turpius in
1 Tim. 2 pastore furiositate. Attendat igitur pastor, attendat & dispensator, quid legitur, Seruum dei non oportet rixari, sed humilem ad omnem esse, patientem, doctorem, in mansuetudine erudientẽ eos qui contra moueant. Discant ergo pastores si offenduntur, patientes esse. Et ut ego patientiã merear, oportet presbyteros etiã non solum abstinere à rixis, sed ab ebrietate cauere. Non enim licet clerico extra horam bibere, uel aliquid manducare, uel de domo in domum transire & prandium uel cœnam ordinare. Attendite presbyteri mei, attendite, & si ueritatem dico nolite turbari. Nam ualde despicit̃ clericus, qui sæpe uocatus ad prandium non recusat, etiam necessitate aliqua cõpulsus. Sæpe enim in cœna uel prandio ubi magna
D existit multitudo, rixæ & ebrietates nascuntur, & ea quæ sunt opera carnis. Ideo summe cauere debet clericus ne extra domũ suã uel episcopi prandere audeat, uel in eadem etiam audeat secularib. præparare, Quid enim aliud habere debemus, nisi quòd turpis lucri appetitores non simus? Omne enim lucrum remotum à presbyteris esse debet. Nam non seculi sed eorum quæ dei sunt negociatores sumus, seculares ad nos uenire non possunt, nunquid uel intelligere? Absit. Sermonem nostrum audire uoluistis, & dimisso dentium dolore uolui habere uos, non ut bonos uos esse audiatis, sed ut ueritatem loquendo uestram miseriam intelligatis. Quid enim estis? Dicetis, Pastores

sumus. Ego autem dico quod pastores estis, ut ue-
A rum est quod dicitis. Sed qui pastores uel quales dicere non audeo, quia simul uobiscum mendax. Omnes peccatores sumus, omnes in peccatis nati & concepti sumus, omnes in peccatis uiuimus. Expedit tamen ut uerum dicam, quia Episcopus sum, quia pastor sum, quia pro uobis animam ponere paratus sum. Tacere igitur non debeo, quia licet peccator sim, animam tamen pro uestra salute ponere iam decreui, iam me paraui, ueruntamẽ dicam: & omne quod uerum est à quocunq̃ dictũ à deo est, à patre & filio & spiritu sancto est, dicere expedit non occultare. Nam si uerum tacerem, essem uobis similis in cunctis, quod nolo. Si ergo de us mecum quis contra me? Nunquid Fortunatus uel Arius cum suis insidijs? Nam quia uerum eis
B dixi, ideo in eremo insidias mihi posuerunt, uolentes me comprehendere & occidere, & tamen deus me liberauit. Libenter tamen suscepissem martyrium, & etiam pro ueritate mori semper paratus sum. Audite ergo rebelles, audite lupi rapaces, audite uos derisores. Veniat etiam ille sanctus Ezechiel qui portam clausam uiderat in domo domini, surgat & uobis aperiat uisionem quã uidit & palpauit. Dic dic, ò sancte Ezechiel, dic presbyteris meis. Ait sibi dominus, Fili hominis Ezech. 34
Propheta de pastoribus Israel, dicq̃ ad eos, Væ pastoribus qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? Lac comedebatis & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis, gregem aũt meum non pascebatis. Quod infir
C mum erat non consolidastis, & quod ægrotum erat non sanastis. Quod cõfractum est non alligastis, & quod abiectũ est nõ reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meę. Sed ego super pastores, requiram gregem meum de manu eorum. Ecce quomodo de uobis queritur dominus, quia non estis pastores sed lupi rapaces, quia omnia quasi quæ facitis propter lucrũ facitis, Non solum quæ ecclesiarum sunt quæritis, sed & quę mundanorũ. Ecce enim discutiamus mentem, perquiramus ueritatem. Nunquid missam cantare, nunquid baptizare, nunquid mortuum sepelire sine precio uel promissione dignamini? Nunquid non citius mortem diuitum, quàm
D corporis salutem desideratis uidere? Ecce quomodo lupi estis, ecce quomodo omni simonia infecti estis. O sacerdotes quid agimus, quid sumus, cur tantum dormimus? Ecce latro semel furatur, semel fœnus proximi tollit uel rapit, sed si capitur blasphematur, uerberatur, furtum imponitur, & tanq̃ latro iudicatur ad mortẽ. O sacerdotes mei, si fœnus in laico crimen iudicatur, si propter hoc mori debet & condemnatur ad mortem, quid de uobis erit in die nouissimo? Quid de nobis faceret mundus, si super nos potestatẽ haberet? Quapropter tenete iustitiã, nolite lucrũ facere, sed habentes uictum & uestitum contenti per omnia esse debetis. Sed qui celebrat uel prædicat uel baptizat, ut inde lucrũ acquirat, bonis cœlestibus de fa

cto se priuat. Ecce enim Romani principes quantum necesse eis fuerat de diuitijs suis tantum recipiebant, aliud quoq; pauperibus erogabant, iustitiam mirabilem conseruabant in cunctis, propter quæ & alia bona quæ faciebant & obseruari uolebant, meruerunt magnifico imperio sublimari, & timeri à cunctis in orbe. Ecce enim Pagani erant, & stultissimum putabant pro deo colere crucifixum, & tamen deum suum timebant. Et nos qui nomen Christi in fronte portamus, quid aliud quàm simoniam & latrocinia quotidie procuramus? Ego etiam infidelis eram, & non solum à Carthaginensibus sed à Romanis acutissimus reputabar à cunctis. Copiosa turba circundabat frequenter, & me transire uidentes & audientes manum ori suo ponebant, ciuem Romanum tribunorum caput me fecerant, & uxorem Pontiani filiam mihi æqualem parauerant. Audeo enim dicere, audeo hoc asserere in nullo me mutatum fuisse, omnia contemnens, cuncta quæ promiserãt spernens, diuitias abhorrens, ciuitatem caute relinquens, fugiens Mediolanũ, uxorem non quærens, cogitans nihil peius habere quàm consortium mulierum & societatem. Hæc omnia seruus iniquitatum mearum facere nolebam, qui tamen nunc seruus Christi ea quæ diximus & maiora tentor habere frequenter. Nos autem fratres qui in pugna semper sumus, licet tentemur ad mundum redire, uxorari, negociari, delicate uiuere, cathedram etiam ascendere, caueamus ne cum mundo damnemur. Vos enim estis dij excelsi, in quorum synagoga deus deorum stare desiderat. Vos estis eius uicarij, quia uicem eius geritis. Vos estis filij excelsi omnes, quibus datur potestas ligandi atque soluẽdi, aperiendi etiam cœlum & infernum claudendi. Eia ergo sacerdotes dei excelsi, aperite aures cordis uestri. Quiescite iam agere peruerse, discite bene facere, pascite oues uerbo & exemplo, nolite eis cœlum claudere. Clauditis dum non corrigitis, clauditis dum male uiuere ostenditis. Oculus sitis cæco, & pes claudo. Tunc enim oculus estis cæco, cum eius tenebras effugatis ignorantiæ. Et pes estis claudo, quando uiã ueritatis demonstratis, uel quando fidem eorum roboratis. Sed fidem uestram pro uobis roborare nescitis, quomodo aliorum fidem roborare poteritis? Et ideo attendite nec turbemini si ueritatẽ dico uobis. Scio enim & bene scio quòd uobis amara est ueritas. Quare, nisi quia ueritatem dico non creditis mihi & in melius etiam non mutamini? Amara est ergo ueritas, & qui eam amant uel prædicant, sæpe replentur amaritudine & dolore. Tacere tamen nõ audeo, nec uobis placere intendo: quia si hominibus malis placerem, seruus dei non essem. Vultis ut placeam, desideratis ut diligam, tamen non uultis ut corrigã. Obsecro tamen uos ut uitã emendetis, cõculcantes auaritiã, despicientes luxuriã, uitantes superbiam, Simoniam odientes, pauperes amãtes, pompas huius seculi renuentes, & pro nobis intercedentes, sine intermissione orantes, ut & ego una uobiscũ uasa dñi digne per-

A

gratiam merear portare. Et si quis de me murmurauerit, sciat q̃ de patre episcopo murmurauerit, parcatur illi & oretur pro eo.

Quòd sacerdotes se debeant exhibere sicut dei ministros, & cauere ne dona sancti spũs uendere procurent. Patientiã quoq; & castitatẽ seruare, ac de fornicationis detestatione:

Sermo XXXVII

F RATRES charissimi, sicut Actuum Apostolorum narrat historia, apostatante Iuda à consortio Apostolorum, diuina prouidentia ad structuram ecclesiæ prouidens fundamenta quæ secundum Ioannem sunt duodecim nomina Apostolorum, beatum Matthiam uocauit ad apostolatum. Et sicut suscepit Matthias principatum & surrexit loco Iudæ: sic etiam nos suscepimus principatum in Ecclesia dei, & per gratiam suam suos ministros facere uoluit, & in palatio suo nos constituit, & elegit ut essemus gens sancta, populus dei, sal terræ, lux mundi, & angelici homines absque peccato. Ministri etiam dei sumus & serui. Serui enim dicuntur non qui ad oculum seruiunt, sed qui uoluntati domini in omnibus fideliter obediunt, & tunc in tantam familiaritatem domini mouentur, quòd non amplius serui sed amici uocantur. Ideo tota mente nos exhibeamus in multa tribulatione, in scientia, in charitate non ficta, in uigilijs, in carceribus & plagis, in uerbo ueritatis. Et sic nihil habentes, omnia Christum possidendo simus possidentes. Hæc est enim beatorum uita, hæc est sacerdotum salus. Hæc est seruorum dei requies. Hæc est amicorũ eius uoluntas. Hęc est enim sanctificatio nostra, ut in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut dei ministos in multa patientia, in tribulatione, in necessitate, in castitate, in abstinentia, in scientia, in suauitate, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis: nemini dantes ullam offensionem, ut nõ uituperetur ministerium nostrum, Christi enim serui sumus. Tunc Christianorum ministerium uituperatur, seruitus nostra despicitur, quando ea quæ Christi sunt despicimus, & opere ad implere negligimus. Sed uæ nobis fratres mei, uę nobis, quia falsum nomẽ Christi portamus, falsum nomẽ dei gerimus, quia opere nõ adimplemus quod implere debemus. Discutiamus sacerdotes mentem nostram, & sciamus si serui Christi sumus, Sciamus enim quid facere debeamus, ne serui inutiles simus. Quid enim? Certe nihil aliud nisi quòd exhibeamus nosmetipsos sicut dei ministros in multa patientia. Sed uæ nobis quia nullam patientiam habere uidemur. Nam pauperes esse debemus, quia membra Christi sumus & ministri dei. Sed si paupertas aggreditur, uel aliqua corporis necessitate turbamur & affligimur, dona sancti spiritus uendere procuramus. O sacerdotes mei nolite hoc malum facere, sed mementote q̃ gratis accepistis, & ideo gratis reddite, ne cum Simone mago damnemini, cui dixit Petrus, Pecunia tua tecum sit in perditionem. Qui etiam precium recipit de sacramentis, Giezita est & plenus lepra.

B

C

D

Act. 1

Nam

Nam cum Helisæus mundasset Naaman principem Syriæ in Iordane à lepra, rediens Naaman obtulit Prophetæ multa munera, sed ille noluit recipere. Qui cum recessisset, locutus est ei Giezi discipulus prophetæ, petens à principe Syriæ munera. Quibus acceptis propheta omnia per spiritum nouit, & uidens eum redarguit percutiens eum lepra. Sic etiam percutiuntur omnes qui pro sacramentis pecuniam petunt. Sed dicetis, Nunquid non scriptura dicit, Qui altari seruit de altari uiuat? O sacerdotes hoc quod dicitis omnino negare non audeo, sed scitis quòd deus intuetur corda hominum. Nam si sacramentum dare distuleris, etiam si fueris omni paupertate uallatus non pastor es, non minister Christi es, sed mercator. Non igitur pietas, non etiam tantum pro baptismo recipias si cum Simone perire non uelis. Nam facto pacto, sacramentum uendidisti, & Saluatorem tuum prodidisti cum Iuda. Spontanea & syncera uoluntate porrige sacramenta, nihil petendo, nihil expectando, nihil de promisso desiderando, sed si tibi datur iuste recipis, iuste possidere potes. Memento tamen quòd pauperem uitam sacerdos gerere debet, & ideo si superbiam habet si magno beneficio gaudet præter uictum & uestitum, quod superest pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt. Verbum autem illud quod negare non debet fidelis, Qui altari seruit de altari uiuat, uerum omino est, quia nõ licet sacerdotibus manibus operari, ligonizare, ferrum fabricare, & similia. Hoc autem propter reuerentiam & tanti sacramenti dignitatem. Illud autem magis ad seculares quàm ad sacerdotes pertinet, ne ipsi sacerdotes dei fame pereant uel nuditate, ideo dignum est ut qui altari seruit de altari uiuat. Similiter fratres qui sacramentum emit, uel ecclesiam uel prębendas, uel ecclesiarum introitus, uel seculari potentia hoc pro se procurauit, sciat quòd cum Giezi & Iuda iam damnatus est, iam leprosus factus est, iam de tẽplo domini expellendus est. Quare sic? Quia qui non intrat per ostium in ouile sed ascendit aliunde, fur est & latro. Ideo reprehendendus est, quia ementes & uendentes dominus eijcit de templo: repellendus est, quia leprosi eijci iubentur. Non intrat per ostium ad ecclesiam, qui per laicalem portam intrat. Non enim laicis spiritalia dona tradita sunt, sed domini uicarijs. Vicarij domini sunt, qui uicem Apostolorum tenent. Castella autem & uillas suas laici dispensent, bona autem Hipponensis Ecclesiæ uigilanter attendant ne tangant. Diuites enim raro uel nunquam pauperibus sacerdotibus præbendas procurant, & si procurant non dei amore procurãt, sed ut cum uxore & familia de bonis Ecclesiæ gaudere ualeãt. Et ideo sciat sacerdos qui timore uel amore defraudari à diuite se permittit, quòd impunitus non remanebit, & si non in præsenti saltem in futuro igne æterno non carebit. Redeamus igitur ad propositum fratres, & sciamus quomodo poterimus nos exhibere sicut dei ministros. Cupitis enim scire. Ecce si persecu-

A

B

C

D

tiones ueniunt, non deficiamus, sed patientiam habeamus. Si necessitas paupertatis contingat, non desperemus sed in domino confidamus. Si blasphemamur, nõ respondeamus sed parcamus. Si colaphis uel alapis cædimur, aliam partem parare non differamur. Si uerbo uel murmure percutimur, taceamus. Si occidimur, gaudenter ad mortem pergamus. Quare? Quia non est seruus maior domino suo. Si enim me persecuti sunt, & uos persequentur, ait dominus. Ita enim patientia ornari debemus, si ministri Christi esse optamus. Sed quid aliud, nisi quod in castitate onsmetipsos exhibere debemus? Hæc est illa uirtus sine qua quis est factus omnium reus. Hæc est illa uirtus quæ nos deo commendat, quæ nos angelos facit, quæ nos super æthera uolando conducit. Hæc est illa uirtus sine qua uasa domini ferre non possumus, Hæc est illa sancta uirtus, quam astringere non docet Apostolus, Fornicatio & omnis immũditia nõ nominetur in uobis, ne mens uestra colloquijs malis possit corrumpi. Ideo fratres attendite, quòd non solum à uobis remouenda est fornicatio, sed etiam omnis suspicio falsa. Non decet clericum cum mulieribus sedere uel fabulari uel domum eius frequentare, ne suspicio mala inde progrediat. O quàm utilis, ò quàm miser & pusillanimis reputatur clericus, qui frequenter mulieribus conuersatur. Insipiens ualde est & inexpertus, qui amicitias mulierum procurat. Et ideo uos qui estis lux mundi & ciuitas in monte situata, sic famam uestram custodire debetis, ut non erubescant de detrectatoribus laudatores. Attendite etiam fratres, attendite quod dicit Apostolus, Fornicatio & immunditia. Fornicatio enim est naturalis mulierum concubitus, sed illicitus. Fornicatio est cũ meretricibus agere. Mulier siue adultera siue concubina meretrix uocatur. Fornicatio enim ideo clericis interdicitur, quia cum simus ministri domini, membra meretricis non efficiamur. O q̃ turpe est clericum à meretrice duci captiuum. Qui enim adhæret meretrici, unum corpus efficitur. Et ideo scire debemus quòd malum est fornicari. Nam si coniugium sacerdotibus prohibetur quanto magis crimen fornicationis in nobis æstimabitur? Ecce enim fratres, laicis coniugatis ad tempus abstinere præcipitur ut uacent orationi, & sacerdotes quos corpus domini consecrare omni die oportet, concubinas in domo tenere non erubescunt? Ecce qũo uasa uestra possidere in sanctificatione sciatis. Scitis enim fratres q̃ die quadam Dauid uenit ad Achimelech sacerdotem, & ait Dauid esuriẽs, Da mihi aliquid cibi. Et respondit, Non habeo panes laicales ad manus, sed tantum panem sanctum, & ideo dic mihi ò Dauid, sunt mundi pueri tui à mulieribus? & ait, Sunt ab heri & nudiustertius. Et sic dedit sacerdos eis sanctificatũ panẽ. Si ergo interrogauit sacerdos, utrũ serui dauid mũdi essent propter panes propositionis accipiendos, quid facere nos debemus miseri sacerdotes propter corpus domini accipiendũ? O fratres mei, sic & sacerdos Paganorũ dum offerre

Ephes. 5

1 Reg. 21

debet

debet dijs suis incensa, ab omni malo ut potest ab stinet. Ecce ego iam Episcopus Hipponensis e- A ram, & cum quibusdam seruis Christi ad Æthiopiam perrexi ut eis sanctum Christi Euangelium prædicarem, & uidimus ibi multos homines ac mulieres capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore, cætera membra æqualia nobis habentes: inter quos sacerdotes eorum uidimus uxoratos, tantæ tamen abstinentiæ erant, quod licet uxores sacerdotes omnes haberent, nunquam tamen nisi semel in anno eas tangere uolebant, qua die ab omni sacrificio abstinebant. Vidimus & in inferioribus partibus Æthiopiæ homines unum oculum tantum in fronte habentes, quorum sacerdotes à cõuersationibus hominum fugiebãt, ab omni libidine carnis se abstinebant, & in septimana in qua dijs suis thura offerre debebant, ab B omni labe carnis abstinebant se, nihil sumebant nisi metretam aquæ per diem, & sic contenti manentes digne sacrificiũ dijs suis offerebant. O gran dis Christianorum miseria. Ecce Pagani doctores fidelium facti sunt, & peccatores & meretrices præcesserunt fideles in regno dei. Non ergo sic fratres, non sic, dominum non tantũ diligamus ore, sed opere & ueritate. Tunc ueri eius ministri erimus, si sobrie, & iuste, si caste uixerimus, Qui est benedictus in secula, Amen.

De sacræ scripturæ ingentibus præconijs cum exhortatione ad diligentem ipsius lectionem:

Sermo XXXVIII

6 s CRIPTVM est fratres charissimi C quòd Moyses posuit in tabernaculo labrum æneum in quo lauarentur Aaron & filij eius cum ingrederentur sancta sanctorum. Ideo attendite quia quicquid sub lege antiqua in templo dei efficiebatur, aliquid futurum præsignabat, quod in ecclesia nostra sub figura tegebatur, sicut ait Apostolus, Quæcunque scripta
Rom.15 sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. Non enim sancti patres curassent tot & tanta scriptis memoriæ commendare, nisi ut alios legentes, alios per exempla ædificarent. Legite ergo fratres mei scripturam sacram, legite eam ne cæci sitis & duces cęcorum. Legite sacram scripturam in qua quid tenendum, & quid fugiendum sit plene inuenietis. Legite eam quia omni melle dulcior, o- D mni pane suauior, omni uino hilarior inuenitur. Apprehendite eam & inuenietis quomodo deus deorum sit longitudo propter ęternitatẽ, quomodo sit latitudo propter charitatem, quomodo sit sublimitas propter maiestatem, quomodo sit profundum propter sapientiæ immensitatem, Quærite scripturam sacram, & inuenietis quomodo iste deus deorum natus de Maria uirgine & homo factus nos amat ut charitas, quomodo nouit ut ueritas, quomodo sedit ut æquitas, quomodo dominatur ut maiestas. Legite scripturam sacram & inuenietis quomodo Nazarenus ille Iesus regit ut principium, quomodo tueturut salus, quomodo operatur ut uirtus, quomodo reuelat ut lux, quomodo assistit ut pietas. Et ideo ò fratres mei quan A diu in hac infirma & uana uita fuerimus, hanc sapientiam discere & sapere tota mente curemus. Quid enim homo sine literis reputatur? Quid em est? Nunquid non pecus uel hædus? Nunquid nõ bos uel asinus? Nunquid nõ equus uel mulus, quibus non est intellectus? Eia igitur fratres mei qui pastores rationalium ouiũ nuncupamini, festinate rapere nõ sophismata paganorũ, nõ carmina poetarum, non fallacias philosophorum, de quibus doctores & auditores reddituri sunt rationẽ, sed illam dulcissimam sapientiam sapientiarum, quæ hæreditas dei & filiorum eius chara possessio nuncupat. Hæc est doctrina super omnia diligenda, quam Prophetæ prædixerunt, quam patriarchæ diuinitus hauserunt, quam dei filius postquam in B in terris uisus & cum hominibus conuersatus est aperuit & declarauit, & quid tenendum & quid uitandum est apertissime demonstrauit, & per suos Apostolos nos ipsam docendo illuminauit. Hæc est quæ nos docet amare cœlestia & terrena despicere. Hæc est mater fidelium, quæ quotidie docet nos quomõ credamus deum esse omnipotentem, quomodo ipsum uidebimus in sede maiestatis uenientem, quomodo bonis bona & malis mala tribuentem uidebimus. Hæc est lucerna pedum nostrorum & uia salutis nostræ, in qua instruimur quomodo primo deum super omnia diligamus, quomodo animam nostram postmodum sicut quid propinquius, quomodo postmodum animam proximi, quomodo postmodum corpus proprium, quomodo postmodum proxi- C mi uelut nostrum diligamus. Iste est enim perfectus modus, deum, nos & proximum diligendi. Hæc est illa sacra sapiẽtia quæ ex ore altissimi prodijt, philosophis, sophisticis, astrologis, curiosis ac dialecticis abscondita, sed grossis & rudibus piscatoribus reuelata. Nunquid non & hodie etiam solum paruulis reuelatur. Hæc est omnium sapientiarum & doctrinarũ magistra & domina, quæ etiam nos docet exterius blandos, & interius fraudulentos cognoscere. Hæc est scientia scientiarum, angelorum ferculum, archangelorũ pulmentum, Apostolorũ gloria, patriarcharũ fiducia, prophetarum spes, martyrum corona, uirginũ fortitudo, monachorum refectio, episcoporum uacatio, sacerdotum cellarium, puerorũ principium, uiduarum doctrina, coniugatorum pulchritudo, mortuorum resurrectio, uiuentiũ sempiterna protectio. Hæc est per quam fide ornamur, spe cõfirmamur, & charitate roboramur. Hæc est quã qui inuenerit inueniet uitã, & hauriet salutẽ à domino. Hæc est labrũ uel peluis quã Moyses posuit in tabernaculo, in quo lauarentur Aaron & filij eius cum ingrederentur sanctasanctorũ. Sed dices. Quid per magnum sacerdotẽ Aaron intelligere debemus? Dico enim uobis fratres, quòd per Aaron summũ sacerdotem intelligere debemus, & per filios eius alios sacerdotes minores: per labrum æneum legem domini intelligo, in qua omnes tam magni sacerdotes quàm parui studere debent et legendo

& docendo & opere adimplendo: per mũditiam corporis, compũctionem intelligamus, qua mun- A dari debemus, ut ad sanctasanctorum, id est, ad secreta dei & sanctarum scripturarũ penetranda per purificationem digni inueniamur. Et ideo fratres mei attendite & cõsiderate quòd uas paratum habemus in quo oportet mentis fœditatem abluere, & munditiam mentis in eo præparare. Ecce enim lex sancta & scriptura immaculata parata est, ut uirtutibus decoremur. Sed uæ uobis, quia debemus esse exemplum correctionis, & ecce iam sumus exemplum erroris. Vnde hoc, nisi quia cæci sumus, & idiotæ ignorantes legem, & eam legere fastidimus, & tamen cathedram tenere & animarum curam gerere quotidie procuramus? Quid ergo mirum si cadit sacerdos? Quid mirum si non subleuat delinquentes? Quid mirum si dux cæcorum est? Ecce legem domini conculcauit, despexit eam ut mortem. Sed quid dilexit, quid procurauit, quid toto affectu concupiuit? Vxorem uel concubinam caute tenere, equos uelut miles in B stabulo possidere, canes pro uenatione nutrire, accipitres custodire, & tamen uelut equus & mulus quibus non est intellectus cupit honorari in cœnis, & ab hominibus uocari Rabbi. Ecce quomodo cadit sacerdos, ecce quomodo uiuit. Sed & si cadit qui sibi colũna uidebatur in templo, quantomagis populus peribit? Si deus in angelis suis reperit prauitatem, quantomagis in his qui habitant domos luteas & qui terrenum habent fundamentum? Discite ergo legem sacerdotes, ne surdo maledicatis. Tunc surdo maledicitis, quando con C silium propter ignorantiam dare nescitis. Tunc cęco offendiculum ponitis, quando falsa pro ueris ostenditis. Itaq; fratres nolite iam pigrescere, sed legite scripturam. Discite eam filioli, sæpe eam legite, quia lenior oleo, sublimior auro, argento purior. Hæc est quæ præcipue in deum prouocat, & deum diligere inuitat, corda illuminat, linguã purificat, conscientiam probat, animam sanctificat, fidem confortat, diabolum reijcit, peccatum spernit, animas frigidas calefacit, lumen scientiæ ostendit, tenebras ignorantiæ expellit, tristitiam seculi extinguit, lætitiam spiritussancti accendit, sitienti potum tribuit. Hæc est scriptura sancta, lex nostra immaculata, quæ de insipientibus sapientes facit, D primos de nouissimis ponit, magnos de minimis efficit, nobiles de ignobilibus cõmutat, naturam frenat, prohibet leuitatem, tẽperat dolorem, confert spem, coronat senem, docet iuuenem, mitigat dedignantes, instruit errantes, sanat ægros, roborat infirmos, brutos facit sensatos, mentis stabilitatem donat, excitat somnolentos, ociosos increpat, pigros incitat, credentibus gratiam dat, reges humiliat, humiles exaltat, rectas uias indicat, eleemosynam imperat. Hæc est scientia scientiarum quæ sapientiam dat, gloriam exaltat, honorẽ multiplicat, humilitatem, charitatem, lenitatem, obedientiam & mansuetudinem docet, & intellectus bonus est omnibus benefacientibus & diligentibus deum. Hæc est quæ abstinentiam, castitatem, largitatem & uoluntariam paupertatẽ conseruat. A Postremo doctrinã omnibus, felicitatem, suauitatem, gaudia, stabilitatem cordis, sobrietatem corporis, cõpunctionem mentis, ueram humilitatem donat, charitatem fraternam implet, & timorem domini accendit. Quãobrem fratres mei qui hanc sapientiam diligenter diligit, & diligenter legem implet, maximus uocabitur in regno cœlorum, & principatum ecclesiæ possidebit, & premia & munera copiosa recipiet in die nouissimo. Amen.

De uita solitaria & contemplatiua.

Sermo XXXIX.

PAX uobis fratres & charitas cũ fide uo- 6 bis non deficiat. Pax uobis fratres quoniam electi estis ante mundi cõstitutionem in hac uasta solitudine, ut sitis cũ Helia, Paulo, Hilarione, Antonio & Ioanne sancti & immaculati in conspectu dei. Pax uobis quoniam non estis genus abiectum sed electum, non uenale sed regale sacerdotiũ, non gens obstinata, sed sancta, nõ populus perditionis sed acquisitionis. Pax uobis qui non conuersationem hominũ sed angelorum in syluis & nemoribus adamatis. Pax uobis & uera Apostolorum charitas tanquam nihil habentes & omnia possidentes. Pax uobis fratres mei & filij mei dilectissimi, quos quotidie in Christo parturio in uisceribus charitatis. Pax uobis illa, inquam, Christi, quę exuperat omnem sensum, custodiat ut optamus corda nostra & intelligentias nostras. Pax uobis fratres qui seculum calcastis, mundum despexistis, non laudem mundi usq; nunc adamastis, risum hominum fugistis, ut sanctis agminibus et angeliciscolloquijs uacare possitis. Pax uobis quos in filios & fratres elegi, ut cõsortes & participes uos habeam in tentationibus meis. Ad hanc autem uitam iuxta apostolicam formam uiuere uolentes non me elegistis, sed ego elegi uos. Segregaui uos à seculo isto maligno, & eduxi uos per singula eremi loca, per speluncas & cellas, ut uelut Apostoli ipsi modico contenti pabulo demoretis. Stemus ergo hic fratres in bello pugnantes quotidie cum antiquo serpente. Stemus fortes in bello restringentes & præcingentes lumbos nostros, tenentesq; lucernas ardẽtes charitatis, iustitiæ, pacis & tranquillitatis. Ad hæc enim non me elegistis, sed ego elegi uos, & posui uos in uineam pœnitentiæ, quam quicunq; dissipare præsumpserit, mordebit eum teterrimus inferni coluber. Hæc est uinea illa fertilis quam plantaui anno ætatis meæ tricesimotertio, uelut seruus dei Noe, quam cupimus tota mente deo duce sanctis exemplis & sanctorum documentis ornare, & ornatam taliter custodire ut à nemine transeuntium possit uindemiari, nec aper de sylua possit eam exterminare, nec alieni possint diripere labores eius & fructus. Hæc est illa uinea quã plantaui uelut paterfamiliâs, quam sepe paupertatis, charitatis, obedientiæ & castitatis, ut à Simpliciano charissimo uiro didici, circũdedi, ad quã uelut paterfamiliâs exiẽs primo mane, uos conduxi in

operarios, ut afferatis fructum quinquagesimum, sexagesimum & centesimum secundum abundantiam gloriæ domini Christi. Hæc est illa religio immaculata, cuius sanctitas per totũ orbem terrarum diuulgatur, quorum cõuersatio à cunctis miratur, quorum uita non solum à Christianis, sed à Iudæis & paganis potius angelica ꝗ humana reputatur. Hæc est illa amœnissima paradisus, quam deus à principio plãtauerat, in qua posuit per gratiam & donũ meritis matris meę hominem ut operaretur uirtutem patientiæ, eruditionem doctrinæ, corporis castitatẽ, assiduitatem precũ, confessionem delictorum, abundantiam lachrymarum. Hæc est illa paradisus de qua exeunt flumina sapientiæ & ueritatis, continentiæ & castitatis, in qua deus delectatur sicut in omnibus diuitijs. Hæc est illa norma apostolica, uirga directionis & æquitatis, quæ tempore apostolicæ prædicationis sumpsit exordium, quorum anima una & cor unũ erat in domino, nec quicquam eorum quæ possidebãt aliquid suum esse dicebant, sed omnia erant communia, & distribuebantur singulis prout cuiꝗ opus erat. Nunquid non & nos fratres mei sic usꝗ ad mortem uiuere promisimus? Hæc est ergo religio apostolica & à mundo corde & corpore segregata, quæ percutit duces Moab, interficit satrapas & tyrannos Hierusalem, & Ægyptiorum hypocritas uulnerauit ad mortem. Hęc est uinea serui dei Noe, in medio paradisi situata, Christi sanguine redẽpta & irrigata, quam Sarabaitarũ principes, hæreticorũ pastores uelut aper de sylua tempore illorum magnorum monachorum & eremitarum Pauli uidelicet & Antonij destruere quæsiuerunt, Cuius sepem comburere, cuius gyrum lapideum supplantare, cuius fructus uites & flores incidere, cuius planiciem uirtutum zizania seminare & replere quæsierunt, sed dei uirtute circumdata minime potuerunt. Ad hanc autem uineam fratres mei uos cõduxi, & operarios uos feci meos, ut laborantes usꝗ ad finem, dignum fructum recipiatis in tẽpore suo. Ad hanc nõ me elegistis, ut supradiximus fratres, sed elegi uos: sed post annum factus sum Episcopus, non tamen uos relinquens. Sed compulsus inter gentes habitare, monasterium presbyterorum & clericorum ordinaui, intraui domum Episcopi, ut communiter cum eis uiuerem sicut & uobiscum antea uixeramus. Non igitur me elegistis, sed ego elegi uos. A quo fratres mei maxime hoc dictum sit scitis, à domino dictum est, & discipulis dnmini dictum est: ueruntamen non tantum illis, sed etiam nobis dictũ est, quos uocauit in partem solicitudinis & gloriæ eorum. Sicut dignatus est uocare per gratiam, & participes nos fecit exhortationis, sic & uos. Delicatus est enim qui uult uti parte, & administrationem partis dissimulat ex rata: merito se priuat honore, qui honorem affectat sine onere. Vobis ergo qui pastores estis tantum animarum uestrarum loquitur pastor bonus, qui tertia die ut audistis animam suam posuit pro ouibus suis dicens, Non me elegistis, sed ego elegi uos, non istam tantum desertam habitationem deserendo, sed de uirtute in uirtutem procedendo fructum adferẽtes, ut fructus uester maneat. In his quatuor fratres mei attendere debemus, scilicet dignitatem, officium, cautelam & constantiam. Dignitatem, quia dicit, elegi uos. Officium, ut eatis. Cautelam, ut fructum afferatis. Constantiam, quia fructus uester maneat. Est ergo dignitas in electione, officium in fatigatione, cautela in fructificatione, & cõstantia etiam in fructificatione. Magnũ est enim quod elegit qui non fallitur dum elegit. Maius est quod dei est opus ad quod elegit. Sed maximum quod inter electos præelegit. Est enim sensus talis, Non uos me elegistis, sed ego omni modo eligendi elegi uos. Sunt enim tres modi eligendi, electio, subelectio, & præelectio. Electio est quando de multitudine bonorum & malorum eligitur bonum, sicut de torculari oleum separatur. Subelectio est quando de bonis electis eligũtur meliores. Postea quando de melioribus optimi eliguntur, præelectio est. In hunc ordinem electus est Aaron & filij eius, ut sacerdotio fungerentur coram domino. Primo enim dominus ex omni natione quæ sub cœlo erat, Israel elegit in populum peculiarem sibi. De his autem subelegit filios Leui, qui tanquam ministri spiritales in tabernaculo domini ritu perpetuo deseruirent. De quibus etiã præelegit filios Aaron in sacerdotes, qui precibus & oblationibus suis indignationem domini in populum placarent. Ad hunc sanè modum elegit nos. Subelegit cum in sortem sanctorum uocauit nos & in ordinem clericatus. Sed cum in statum eremitarum promouit nos, cum per aquam baptismatis lauit nos, & in dispensatione familiæ suæ dispensatores suorum ministeriorum, præelegit nos. Magnũ est enim fratres quòd elegit nos, maius est quòd subelegit, sed maximum quòd præelegit. Vere ergo elegit nos & præelegit nos dominus in hæreditatem sibi. Nam ad eleuationem manuum nostrarum, regum capita inclinantur, munera offerunt, etiã patres nos profitentur, expectantes nos esse cum Helia & Paulo eremita & intercessores apud Deum. Væ tamen in eremo habitantibus, si inter malos pisces foras in die nouissimo projicientur. Væ pastoribus ouium, si inter hœdos numerandi sunt. Quid ulterius fratres dicatur audite, Posui uos ut eatis: nam quatuor sunt hominum positiones, accubitus, sessio, statio & ambulatio. Omnis enim homo sic est in loco positus, quòd aut iacet, aut sedet, aut stat, aut ambulat. Hæc autem tantum in se differunt in hunc modum. Nam cum homo iacet, omnes partes corporis quiescunt. Cum uero sedet, inferiores partes corporis quiescunt, quia sedere uidentur, sed superiores laborant. Cum autem stat, totus laborat homo erigẽs se, quia generaliter pondere suo laborat. Cum uero ambulat, additur labori grauis ex motu fatigatio. Ad hunc modũ fratres quatuor sunt hominũ gradus & status in ecclesia dei. Fidelium enim alij boni, alij mali. Numerũ malorum fratres non distinguimus, quoniam multiplicatus

catus est super numerum arenæ maris. Boni uero sicut ordinem recipiunt, sic etiam & distinctionem. Sanè bonorum aliqui sunt actiui, aliqui contemplatiui, aliqui utrisꝗ prælati. Et sic unum malorum genus, & tria bonorum genera. Quatuor enim sunt fidelium genera. Mali aũt sunt iacentes qui in mundo quiescunt, tales totam spem & fiduciam ponũt in numero diuitiarum, quorum deus renter est: Tales in lecto iacentes loquunt̃ animæ suæ & sæpe dicunt, O anima mea habes multa bona reposita, epulare & bibe, oppríme pauperes, despice uicinos, renue natos, dilata te, extende alas, ascende super sydera, non sit pratum quod luxuria tua non pertranseat, dic animæ tuæ, castrum seruat qui seipsum ab omni malo præseruat. O fratres tales prostrati iacent, nocte dormiunt, ebrij sunt, & ecce mox eos iacentes & dormientes aggreditur mors, & sicut fauilla statim deficiunt. Talibus aũt quotidie clamabat Apostolus dum dicebat, Fratres sciẽtes quia hora est iam nos de somno surgere. Inter bonos sunt boni coniugati, qui bene utuntur licitis, sed tales diuisi sunt, quia partim seruiunt deo & partim mundo. De quibus ait Apostolus, Honorant deum de substãtia sua operibus misericordiæ intenti, tamen soliciti sunt ultra modum de uxore, possessionibus, fratribus, filijs & cognatis. Et quia isti partim delectantur in mundo, ideo sedere dicuntur, quia in superioribus laborant & in infimis quiescunt. Sunt & alij contemplatiui, quorum ut diximus supra cõuersatio in cœlis est, de quorũ numero uos esse dei gratia credo, & certus sum. Tales spem omnẽ in deo ponunt, opprobria, famem, nuditatem, pressuras amore Christi sustinere semper desiderant, quibus uiuere mori est, & mori lucrum, clamantes cum Apostolo dicẽtes, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Tales sunt uelut milites, & cœlorũ ciues. Isti laborant super terrã & quotidie ab angelis sustentant̃. Sunt & alij qui ambulant. Istis ambulare incumbit, nõ tantũ ut & nos de uirtute in uirtutẽ, sed plus ꝗ nos inter diuersa hominum genera ambulare, discurrere & examinare quid agat̃. Isti sunt pastores & prælati, quibus incũbit nũc exhortari, nũc increpare, nũc minari, nũc consolari, nũc docere, nũc prędicare, nũc legere, nunc orare, quibusdã ridere, quibusdã flere, quibusdam applaudere, quosdam fugere, quosdam mente & literis uisitare, quosdam præsentia intueri. Tales sunt prælati utiꝗ pastores, ambulantes uelut magister Iesus, qui ambulãs iuxta mare Galilææ, uocauit discipulos & ait illis, Ite in orbẽ uniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ rationali. Tales sunt omnes ecclesiarum pastores, quibus à Christo dicitur. Ite quia periculosum est tantum stare pastoribus & medicis animarum. Ite ergo quia perniciosum est sedere, & peremptorium est iacere. Ite excitate iacentes, & dicite, Iam de somno surgite, quia diu dormistis. Clamate pastores & prædicatores ueritatis, & exaltate uocem uestram, ut in omnẽ terram audiat̃ sonus uestræ correctionis, increpationis, charitatis & sanctitatis uestræ. Nunquid non magister quatriduanũ mortuũ uolens resuscitare, uoce magna clamauit? Vigilate ergo & excitate dormientes, & minas cum terroribus eis adhibete. Deinde ad sedẽtes transite, & exhortantes eos ut ad meliora proficiant, dicite, Super flumina Babylonis sedete & flete dũ recordamini Sion: porrigite manum pauperi, ne obliuioni detur dextera uestra. Frustra enim manus tendit ad deũ, qui pro posse suo manus ad pauperes nõ extẽdit. Si uero qui sedet, aliquãdo stare uoluerit, apponite manũ & dicite, Surge postquã sederis, qui manducasti panem doloris. Stantibus autem dicite quod promissum est, Sedebitis uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Istis autem necessaria est cõsolatio, quia multum laborãt. Dicendũ ergo eis est, Beati pauperes spiritu, quoniam uestrum est regnum cœlorum. Beati qui nũc fletis, quia ridebitis. Beati qui nunc famescitis, quia saturabimini. Beati qui homines fugitis, quia angelis sociabimini. Beati solitarij, quia cœlorum ciues efficiemini. Viriliter ergo agite fratres mei, & cõfortetur cor uestrum, & expectate dominum quia ueniet & non tardabit. Modicum erit & uidebitis remuneratorem militiæ uestræ, pro qua penurias & anxietates sustinuistis. Regnum enim cœlorum uim patitur, & uiolenti multi possidebunt illud. Hic est enim labor officij nostri. Iste enim mũdus fratres mei mari sæpe comparatur, per quod multiplex est transitus. Nam quidam transeunt uado, quidam nauigio, quidam ponte, quidam submersi natant in fluctu. Isti sunt illi quatuor status quos nominauimus. Iacentes enim submerguntur, & descendunt in profundum quasi lapis. Coniugati uado mare transeunt, & medijs fluctibus isti saluabunt̃ igne purgati. Contẽplatiui aquã maris ponte trãseunt, securiorem uiã eligentes, quibus mũdus mortuus est. Isti sunt mundum despicientes, quia sicco pede & uestigio mare magnũ, ut experientia didicimus & oculata fide probauimus, trãseunt in fame & siti, nuditate & frigore, in uigilijs multis & in laboribus plurimis. Vos autem fratres mei estis qui mecum permansistis in tentationibus meis, & mare magnum ponte transimus. Nobis uere incũbit cæteris subuenire, ne descendant in profundum quasi lapis. Subuenite uos omnes orationibus uestris, omnes ieiunate, hoc mare magnum trãseuntes, quia omnes in periculo positi sunt, tam nauigantes quàm submergẽtes, & tam uado mare hoc trãseuntes in periculo sunt. Nunquid etiam & nos qui per pontẽ trãsimus? Nunquid nõ & pons aliquãdo cadit? Orandum est omnino fratres ne de ponte cadamus. Nã si de ponte caderemus, quod deus auertat, citius moreremur, quia de loco sublimiori caderemus. Porrigamus ergo manus de põte ad submergentes ne moriãtur, & laboremus ne etiam puteus inferni aperiat̃ & claudat super nos suũ. Nunc uero fratres de cautela audiamus, & audientes aduertatis, & uideatis quomodo caute ambuletis. Caute autem ambulandum est, ut fructũ afferatis. Tres enim fructus dominus memorat

rat in euangelio, trigesimũ, sexagesimum, & centesimum. Centesimus est uirginũ, trigesimus subdi A
torum, sexagesimus prælatorum, id est, fructus duplicatus. Non enim prælato sufficit seipsum immaculatum seruare, sed expedit, ut bonos, quantum in se est faciat, uita & exemplo relucere. Ad hoc enim significandum data est nobis tunica talaris, ut bene facientes & lucernas bonorum operum tenentes, perseueremus usq; in diem uocationis nostræ, ne dicatur nobis, Hic homo cœpit ædificare,
Luce 14
& non potuit consummare. Aduertere nanq; debent canonici nostri & presbyteri, quòd quanto præ alijs maior dignitas in honore, tanto maior in reddenda ratione difficultas, quia quot graduum culmen ascendunt, tot rationum uinculis erũt alligati. Quis enim tot uinculis alligatur, quot sacerdos, bos uel asinus, latro uel leo captus? O sacerdos cum teipsum induis, primo amictu faucibus
B
circũdatis ligaris, albam postmodum ponis, subcinctorio uel cingulo renes astringis, ac si tibi dicatur, astringe fauces ponẽdo custodiam ori tuo, astringe funiculũ admixti potus, nec cor tuũ mala meditetur: stringe renes, crucifige carnem tuã abstinentia escæ & potus quantum ualetudo permittit. Hæc fratres mei dilectissimi facientes uiuetis, & bene eritis, & bene uobis erit. Verũtamen orate illum sine quo nihil potestis facere, ut sicut elegit uos de mundo & conduxit uos ad hanc singularem apostolicam uitam & societatem, sic uos iuuet ut edatis super mẽsam in regno patris sui. Pensate tamen fratres mei q̃ quãdiu uixerimus in periculo grandi positi sumus, Ideo de bonis suis nemo
C
confidat, sed cogitet sicut dicit Apostolus, q̃ cum quis existimat se stare caueat ne cadat. Nunquid fratres mei nõ Lucifer sic decoratus cecidit? Nunquid non etiam Petrus? Aut qui inter discipulos Christo familiarior Iudas, & quia de se confitendo, nec in bono perseuerando permansit, cecidit & crepuit & mortuus est. Rogate igitur fratres illum sine cuius uoluntate folium arboris non mouetur, ut usq; in finem taliter uos in hac solitudine regat, & dirigat, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Amen. Non turbemini fratres dilectissimi si compello uos uinum bibere, & panem tritici cum betis butyro mixtis simul comedere. Nam hodierna die credimus filium hominis resurrexisse à mortuis, ideo gaudere & epulari oportet, quia frater noster mortuus fuerat & reuixit, & perierat & inuentus est. Ad mensam ergo accedẽtes cum gaudio epulemini, quoniam ego sum Iacob pater uester.

De obseruantia clericorum. Sermo XL

VDISTIS in mensa fratres charissimi, A
qualiter dñs præcepit seruo suo Abrahæ, ut tolleret filium suum, quem super cuncta terrena diligebat Isaac, & offerret eum super unum montiũ quem monstrauerit sibi dominus, quem dicunt nonnulli illum esse montem calu ariæ, in quo crucifixus fuit ille Deus & homo. Series historiæ nuper simpliciter intellecta, primo ædificat obedientiæ filios. Fidelis enim sermo uiuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Sed de modo & uirtute obedientiæ aliquid
A
uobis nunc dicendũ est. Nam sicut obediendum est libẽter, sic hilariter, sic & uelociter. Obedientia enim sine mora esse debet. Non placet deo morosa & disceptatrix obedientia, quæ quidẽ cũ præcipitur, quærit cur, quare, quamobrem præcipiatur. Istius obediẽtiæ exquisitũ nobis hodierna die exẽplum proponit. Abrahã pater noster, sic enim dicitur senex fidelis & prima credendi uia. Sanctus igit pater Abrahã & prima obedientiæ norma, & forma ueræ obediẽtiæ apud omnes esse credatur. Ecce fratres præcepit ei deus filiũ immolare. Sed quem filiũ? Audi & obstupesce qui audis, filiũ dilectum, filium primogenitũ, filiũ magnæ promissionis, filium magnæ generationis. Dictum enim Gen. 22
fuerat Abraham, In Isaac uocabit tibi semẽ tuum,
B
& in ipso erit semen tuum sicut stellæ cœli, & sicut arena maris in extrema tua senectute. Cẽtenarius enim erat Abraham dum genuit Isaac de Sara sterili uxore propria, de Agar ancilla Hismaelem sagittarium: mirabiliter promissum susceperat, mirabilius susceptũ religiose educauit. Inter hæc tamẽ non contradixit Abraham, sed nec murmurauit, nec hæsitauit, nec faciem conturbauit, imò tanq̃ pater exurgens pia crudelitate in filium se armauit, ut mox obediret. Attẽdite uos filij obediẽtiæ, qui uotũ fecistis & professionem. Vade, ò tu frater & fac similiter. Hæc semper adimplere cogita, hoc semper facie læta fac, & uiues, & erit semen tuum benedictum ultra semen Abrahæ. Veruntamen quid maius nescio murmurat, quid affectuo-
C
sius susurrat uox ista in auribus nostris, licet hæc tempore tanto ante nos scripta sunt, quæ sunt per allegoriam dicta. Discutiamus ergo folia uineæ, ut fructũ inueniamus spiritalis intelligentiæ, tanq̃ sub cortice nucleum, tanquam sub palea granum, tanq̃ sub terra thesaurum. Verũ ut hodiernę Christi solennitati satisfaciamus, cõsideremus utrũ ea quæ dicta sunt de tempore Abrahã, inclinare possimus ad me Augustinum patrem uestrum. Tẽtemus super hoc aliquid dicere ad dei laudem, & ad nostram aliqualem ędificationem. Sed secundum Hebræos Abraham sub tribus tẽporibus tria sortitus est nomina. Primo dictus est Illã, quod ibidẽ
D
sonat quod excelsus, cum adhuc esset in Chaldæa in terra & in cognatione sua in domo patris sui. Ascendẽs aũt in terram Chanaan ad uocationem dei, dictus est Abram, quod interpretatur pater excelsus. Tandem in circumcisionis suæ tempore tunc dictus est Abraham, hoc est, pater multarum gentiũ. Attendatis fratres & uos in patrem uestrũ: Nam primo uocatus sum excelsus philosophus. Eram enim inter omẽs magnos nominatissimus, & liberalium artium sagacissimus indagator, Excelsus inquam eram, celsitudine scientiæ quæ inflat, nõ charitatis quę ædificat. Nam cedrum odoriferum uocabant me Romani principes, foliis abundantẽ, sed non habebã fructum. Excelsus erã & impius super omnes coætaneos meos, elatus & superexaltatus super cedros Libani. Et ecce accessit

sit ad me mater pietate plena, prædicatio sancti uiri episcopi, uita & exempla sanctorum patrũ Pau- A
li & Antonij & Simpliciani, & cum his omnibus uox domini confringentis cedros comminuit cedrum libani, & hostia præparata ad uictimam in odorem suauitatis, & sic factus sum pater excelsus. Deinde ad Africam ueni, mecum ducens decem & nouem ex fratribus meis simul uiuentes in palatio sancto, & cupientes separari à seculo. Sanctus pater Valerius cupiens esse particeps fructuum & orationũ, locum istum secretũ, in quo nunc sumus nobis donauit, & multi nostrum uiderunt. Sed loco isto ædificato, in Christi nomine & sanctæ trinitatis pontifex Hipponẽsis factus sum, & uocatus sum pater excelsus multorum. Pontifices enim fratres mei, sicut uocantur pastores gregis,
B
ita & patres plebis pro cura & patria solicitudine, & tunc factus sum sicut oliua fructifera in domo dei. Præsules enim oliuæ cõparantur propter uim olei triplicem. Nam oleũ primo illuminat, pascit, & fessa membra fouet. Sic & præsules illuminare debent uerbo, pascere exemplo & fouere egentes temporali beneficio. Ego enim fratres non dico me hoc facere, studeo tamen sacram scripturam exponere, turrim Dauidicam clypeis fortissimis munire, munitam declarare, & declaratam ordinare. Nam quid per turrim Dauidicam, nisi sanctorum Ecclesiam intelligo? Et sic iam ab ortu & occasu, ab aquilone & austro uiget nostra doctrina & expositio. Non tamen à me, sed de domo dei procedit, & sic nõ solum pater gentium dicor, sed etiam uitis abundans in lateribus domus dei. Cuius domus sunt latera legentes & orantes, & coniugati legentium & orantium & coniugantium. Nam uobis qui estis legentes & orantes abũdanter propinauimus doctrinam, quibus disciplinam Apostolicam tradidi. Coniugatis poculum uitæ etiam propinauimus. Vobis tamen propinaui uinum feruoris, charitatis & æquitatis, illis uero pacem & patientiam donauimus. Reuertamur ergo ad historiam prætaxatam, quæ insinuat nobis tria, scilicet disciplinam regularem, progressum & exitum. Dicitur enim nobis à domino, Tolle filium tuum, quasi dicat dominus, Tu qui monachus es, tolle filiũ tuum Isaac, qui interpretatur risus, hoc
D
est, tuam propriam uoluntatem tolle, in cuius executione homo ridet & delectatur. Et hæc est prima oblatio, quã homo debet deo reddere & offerre super unum montiũ quem monstrat nobis deus. Nam multa genera montiũ demonstrat nobis dominus. Sed de quatuor nobis mediator dei & hominũ homo Christus Iesus mõs dicitur, qui erit in nouissimis diebus mons domus domini in uertice montium. Et iterum, Mons dei mons pinguis & coagulatus. Porrò de hoc monte descendit ros & unguentum pro barba Aaron. Omnes enim de Christi plenitudine unguentum recipere possumus. Apostoli etiam fratres dicuntur mõtes, quia fundamenta eius scilicet Ecclesię in montibus sanctis. Angeli nunquid non & ipsi montes dicuntur excelsi? Porrò Iesus qui mons dicitur sedens in mõte Thabor, sermonẽ discipulis facit, enumerãs septẽ beatitudines spiritus. O fratres attẽdite quã- A
tum sit impedimentum, q̃ graue dispendium inferat sanctæ religioni superfluitas & abundantia rerum, quod lõge magis legimus in libro nostrę cõscientiæ q̃ possumus explicare sermonibus. Nunquid non Sodomitarũ peccatũ fuisse legitur abundantia panis & superbia uitæ? Nunquid nõ angeli uidentes se abundare in pulchritudine & sapientia superbientes ceciderunt? Nunquid non & patres nostri quasi ratione eadẽ expulsi sunt de paradiso? Nunquid non & mundus submersus fuit, quando abũdantes, & in suis abũdantijs deum nõ cognoscentes perierunt? Nunquid non Ægyptij abũdantes iracundia pleni facti sunt & submersi? Nunquid non propter abundantiã idola terræ fa-
B
cta sunt? Nunquid non Amalech quia abũdabat, id est, inuidia plenus desiuit in manu Saul? Nunquid non tempore Dauid multa milia interfecti sunt? Nunquid non Saul abundans superbus efficitur & eijcitur? Nunquid non Herodes Ascalonita iugulatur? Nunquid non Herodes tetrarcha sperans in sua abundantia populo satisfacere, qui credebat Ioannem esse sanctum & iustum, ipsum tamen decollauit? Cogitate fratres quid receperit Holofernes, quid Cæsar, quid Nero, quid Valentinus, quid Constantinus, quid Decius, quid Iulianus? Quid ergo ualuit Cæsari & Neroni abundantia? Quid Assuero pecunia? Quid Antiocho simu-
C
lata & palliata pœnitentia? Colamus ergo Christum pauperem in præsenti, ut simus diuites in futuro. Comes enim diuitiarum superbia & luxuria est. Amemus ergo ò fratres summã Christi & Apostolorum paupertatem, ne in nostra sancta religione mutetur color optimus, & dispergantur lapides sanctuarij nostri. Sanè enim fratres mei ex collatione aliarum paupertatũ cõmendatio paupertatis uolũtariæ plenius inter nos relucet. Sunt enim quinq̃ genera paupertatis, Prima est infelicitas, secũda est paupertas cupiditatis, tertia paupertas superfluitatis, quarta dolositatis, quinta paupertas uoluntatis. Primam habet mendicus, secundam habet auarus, tertiam habet prodigus, quarta est paries dealbatus, quintã habet uir com-
D
peditus. Prima est flagellum, secunda est uenenũ, tertia est uentilabrũ, quarta est umbraculum, quinta ędificiũ. Prima est miseria, quia cruciat: secunda est uenenosa, quia necat: tertia est uẽtosa, quia inflat: quarta dolosa, quia dissimulat: quinta gloriosa, quia coronat. Nec mirum si Christianus amator sobrietatis, sobrietatem spiritus commendat, cum Epicurus præceptor uoluptatis eam cõmendauerit dicens, Quàm felix paupertas est si læta est. Super hanc propriam uoluntatẽ offert homo deuotus, quod precipue fit in pfessione obedienti. Sequit fratres, Strauit Abrahã asinũ, duos pueros secum ducens. Isaac uero ligna cedrina portabat, Abraham autem ignem & gladium. Venientes autem ad montem ligatur Isaac, super ligna ponitur, & scita à patre dei uoluntate, non aperuit os suum. Et extendens manũ Abraham, audiuit, Ne exten-

extendas manũ ſuper puerũ, ſed pro Iſaac tolle arietem unũ de cunctis tuis melioribus, quem inter ſpinas tibi paraui. Attendamus nunc fratres, nam quid per aſinum niſi carnem noſtram intelligo, quæ uelut aſinus domanda eſt uirga, onere, & pabulo, & cinere, & cilicio caro domanda eſt, ne impinguata, incraſſata & dilatata recalcitret, uelut aſinus qui cum domino uelut catellus ludere uoluit. Duo namq; pueri ſunt quinq; hominis ſenſus, quos tamẽ duos dicimus, quia ad uſum & ad executionem eorũ duo intra membrorum manci pata ſunt. Nam & ego uelut Abraham in uobis & canonicis noſtris, ne caro luxuriet, & ne mors per feneſtras intret, duob. pueris uos ſociaui, paupertati ſcilicet & orationi, quibus mediãtibus quinq; ſenſus corporis extinguere poteritis. Nã per hæc
B præterita mala obliuiſcemur, cogitationes malæ non aſcendent in corda ueſtra, affectio cognatorũ non regnabit in uobis. Hæc enim ſunt quæ quotidie monachos cribrãt ſicut triticũ. Iſtæ ſunt morda ces curæ, quæ ſanctũ uiri propoſitũ eneruauerunt. Inter has uir ſanctus coquitur & cruciaẽ. Hęc ſunt monachorum muſcę mordaces & morientes quę perdunt ſuauitatem unguenti. Hæc ſunt uolatilia quæ comedunt frumentum in anima ſeminatum. Vos aũt fratres dum hęc in corda ueſtra aſcendũt, recurrite ad orationem, uel ad operis occupationes, ne uos ſerpẽtinæ muſcæ deglutiant. Nunquid non ſic fecit ſanctus pater Antonius? Qui cũ epiſtolas à charis ſuis in ſeculo morãtibus recepiſſet, nullã legere uoluit, ſed receptas in ignem proiecit
C dicens, Chartæ fallaces eſtis, etiam plenæ mendacijs, cõburo uos, ne cõburar à uobis. Sequitur fratres, Ligaẽ Iſaac. Sic & uos ligamini in hac ſolitudine tam fortiter, ut conſuetudines uitæ ſecularis ignoretis, & ſuauitatẽ ſanctæ religionis capiatis. Placeat uobis ſomni ſobrietas, mẽtis trãquillitas, corporis mũditia, mortis ſeueritas, & cũcta ſalutis expectatio: ſoluiẽ Iſaac, & iocunde ad matrem reuertitur in Berſabee. Sic & uos uertamini ſoluti ad matrem quę ſurſum eſt Hieruſalem. Cum ergo illuc peruenerit is, dabit refrigerij ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem.

De obſeruantia ieiunij quadrageſimalis.

Sermo XLI.

VM ieiunaueris unge caput tuũ & faciẽ
C tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans. Ieiunãtis officiũ eſt, in cinere & cilicio ſedere, ſordidas ueſtes nõ tenere, carnẽ macerare, faciem attenuare, in pallore permanere, non ipſam lauare, non ad menſam opulentã accedere, non conuiuia & feſta uiſitare, non capite inclinato incedere: ſed eleemoſynas dare, caſtitatem ſeruare, iuſte, ſancte, & pie uiuere, ut Chriſti ſanctam reſurrectionem expectans gloriẽtur. Hæc autem omnia facite, nõ ut uideamini ab hominibus, ſed tantum ab illo qui cuncta uidet in abſcondito. Sed ſi contingeret quòd fumus ieiuniorum ſpargeretur inter homines, ſtatim faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunãs. Tria enim fratres proponuntur nobis hodie, ſcilicet ieiunare, faciem lauare, & caput ungere. Hæc tria ſunt, in quibus
A tota uita noſtra cõſiſtere debet. Quæ ſunt iſta fratres niſi declinare à malo, & facere bonum, & totum quod habes deo cõtribuere? Ecce quicquid cõtinet noſtra Chriſtiana ſancta religio. Quid eẽ per ieiunare fratres niſi à malo declinare: per faciẽ lauare, bonum facere: per caput ungere, totũ deo tribuere? Sed dicet quis, Breuis eſt hæc expoſitio, ſed & aquam uiuam ut cupimus non propinaſti. Attendite ergo fratres. Nã hoſtis antiquus ueſtris primis parentibus, primo in paradiſo ſuaſit ut dominum offenderent, ſecundo ut faciem à deo abſconderent, poſt meridiem, tertio ut de ligno uetito comederent. Nam ibi dicitur ut caput pũgeret, ſed hic ut caput ungeret. Ibi abſcondendo faciem
B latitaret, ſed hic lauaret. Ibi ut comederet, ſed hic ut ieiunaret. Credamus illi qui modo hæc præcepit, ſed non illi qui contraria perſuaſit. Ait enim pater. Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Nam ait hodie, Cum ieiunatis. Eſt enim fratres quoddam ieiunium cõmendabile, & quoddam damnabile. Damnabile quod uident homines, quod fit propter homines. Cõmendabile quod ſolum propter deum fit. Sed aliqui ieiunant ut infirmi, aliqui ut faſtiditi, aliqui ut auari, aliqui ut hypocritæ. Ægrotus ieiunat ut ualeat, faſtiditus ut appetat, auarus ut parcat, hypocrita ut appareat. Ieiunium ægroti eſt ſanitatis, ieiunium faſtiditi eſt guloſitatis, ieiunium auari eſt parcitatis, ieiunium hypocritæ eſt ſimultatis. Hæc autem ieiunia etſi non
C ſunt periculoſa ut ægroti, tamen ſunt infructuoſa. Ieiunate ergo fratres propter deum, frangatis nucem ut accipiatis nucleum, proijciamus folia ut inueniamus fructum: purgemus puteũ, ut hauriamus aquas de fontibus ſaluatoris. Ait enim ſaluator, Sitientes uenite ad aquas. Nam triplex eſt *Eſa.55* aqua Saluatoris fratres, Aqua lacrymarum, quãdo fleuit ſuper Lazarũ, & ſuper ciuitatem. Aqua quam poſuit ad peluim, quando diſcipulorum pedes lauit. Aqua quæ de latere eius emanauit. Primam oportet nos habere fratres ſi recte ieiunare cupimus. Eſt ergo prima aqua contritionis, ſecunda confeſſionis, tertia ſatisfactionis. Prima mentem ſanat, ſecunda refrigerat, tertia fœcundat. Ergo fidelis ſi cupis recte ieiunare, iſtas aquas reci
D pe, & laua te, & mundaberis à lepra. Nam niſi habueris has aquas, ieiunium tuum modicum ualebit. Ideo uocati hodie ad nuptias magni regis fratres dilectiſſimi, ornemus nos ueſtimentis, tubis, & cymbalis bene ſonantibus. Laudemus ipſum patremfamiliãs, qui ad ſuas nuptias nos uocare dignatus eſt. Quæ ſunt nuptiæ hodie præparatę fratres, niſi iſti dies quos deus conſecrare dignatus eſt? Iſti enim ſunt dies quos obſeruare debemus, in quibus legem recipere merebimur. Iſti ſunt dies medicinales, qui animę & corpori conferunt ſanitatẽ. Iſti ſunt dies nuptiales, in quibus ueſtimentis ornati eſſe debemus, cymbala & tubas, organaq; beneſonantia ſonantes. Hæc enim ſunt inſtrumẽta quæ in nuptijs quadrageſimalibus ſonare debemus. Nam primo ueſtire nos debemus uirtu-

uirtutibus ſanctis, expoliatis uitijs. Secundo cymbalum percutiendo pectora per contritionẽ ſona
A re debemus. Tertio ut præcones clamare debemus, ſugentes ubera uocãdo paruulos ut ieiunare diſcant, ſenes ut ieiunare doceant, quia ecce nunc tempus acceptabile, ecce nũc dies gratiæ & ſalutis, ecce dies remiſſionis, ecce dies ſatisfactionis. Tu ergo inique qui longo tẽpore dormiſti, ſurge, memento unde ceciderís, & age pœnitentiã dum tẽpus habes, dum ſanus es, dum peccare potes, ut non ex timore, ſed ex amore uidearis pœnitere. Omnis enim fratres mei, qui per pœnitentiam deleuerit peccata ſua, iam angelicæ felicitatis particeps eſt. Ipſa nãq; pœnitentia eſt medicamentum uulneris, ſpes ſalutis, per quã peccatores ſaluanẽ, per quã deus ad miſericordiã inclinaẽ. Dum autẽ
B pœnitentiã fratres feceritis, fundite pro peccatis lachrymas cordis & corporis. Nunqd non lachrymando fratres mei, Petrus à Chriſto reſpicitur? Nũquid non Maria ueniã meretur? Nũquid non Martha lachrymis ſanatur? Nunquid non Chananæa exaudiẽ? Nunquid non Lazarus ad uitã reuocatur? Laua ergo faciem tu qui hodie incipis ieiunare, lachrymis percute pectus, exalta uocẽ tuam confitendo, & annunciãdo ſacerdoti peccata tua. Audite fratres quid Dauid per confeſſionẽ conſecutus eſt. Quid ait, niſi peccaui dño? Et Nathan
Reg.12 propheta ait, O Dauid, trãſtulit deus peccatũ tuũ à te. Cauete tamẽ fratres, ne confeſſio ſit Saul, qui redargutus à Samuele ſuperbiendo dixit, Peccaui. Qui ſtatim audire meruit. Tranſtulit deus re-
C gnum tuũ à te. Sic & dixit Iudas, peccaui, non dolendo, ſed diffidendo. Sic & Caim, Maior eſt iniquitas mea, q̃ ut ueniã merear. Ergo fratres cũ ieiunatis, facies ueſtras lauate lachrymis, caput ungite Chriſtũ qui caput cũctorũ eſt. Ipſum ergo ungite, ſcilicet oleo miſericordiæ, eleemoſynas dando, & uerba contritionis clamando, Peccauimus domine, ſed miſerere. Et ſic uncti erimus à Chriſto oleo lætitiæ. Sic unctũ Dauid legimus, ſic unctum Petrum & Mariam proſpicimus, ſic unctos uolentes ſemper ſpectauimus fratres. Sed quis dicet, quomodo ungendus eſt deus? O peccator uade primo ad Mariam peccatricẽ. Ipſa enim unxit pedes, & poſtea caput, ſcilicet animã, & poſtea accedere potuit ad caput. Nam ſi primo lachrymis
D Chriſti pedes non lauiſſet, ad caput Chriſti accedere ungendo auſa non fuiſſet. Ergo neceſſe eſt primo ad pedes lachrymas fundere, et poſtea ad Chriſti caput accedere. Scitote tamẽ fratres mei, quòd niſi inimicis ueſtris corde peperceritis, omnia quę agitis, ſiue ieiunetis, ſiue eleemoſynam detis, ſiue omnia quæ bona ſunt agatis, omnia uana ſunt, & & ſerui inutiles eſtis, niſi proximo peperceritis. Sed dicetis, ego parcere inimico non poſſum: ex quo ergo mihi bona non ualent ſine hoc, me affligere ieiunando, bona diſtribuendo, non amplius uolo, Ego autẽ dico uobis, Dimittite ut dimittatur uobis. Nullum tamen malũ impunitũ, nec aliquod bonũ irremuneratũ remanebit apud deum, qui nouit abſcondita cordis cunctorum.

Aug.to.10

De uita & moribus clericorũ. Sermo XLII

FRATRES chariſſimi, ſanctus ille Hiere-
F mias conſiderans ſacerdotum & prælatorum negligentiam, lamẽtabiles uoces emittens dicebat, Paruuli petierunt panẽ & non eſt, nec erat qui frangeret eis. Clamabat ergo Hie- *Thren.4* remias, aſpiciens deſtructionem ſanctæ ciuitatis, plorat & lamentatur crudelitatem matrũ, patrum & paſtorum, qui deuorant filios in perditiõe. Væ *Ezech.34* uobis paſtoribus Iſrael, qui quod pingue erat comediſtis, quod confractum erat non cõſolidaſtis, quod erroneum erat non reuocaſtis, quod infirmum erat non ſanaſtis, quod nudũ erat non cooperuiſtis. O fratres lupi rapaces hodie facti ſumus iuſtitiã poſtponẽtes, ueritatem & miſericordiam ignorantes. Cauete ergo ne uobis dominus hodie dicat, Diſpenſatorem te poſui ſuper familiam meam, & tu panem eis non fregiſti. Non ergo diſpenſator ſed diſſipator, non ſpeculator ſed ſpiculator. O ſerue nequam mittam te in tenebras exteriores, quoniã pueri tui petierunt tibi panẽ, nec fuit qui frangeret eis. Itaq; fratres diſtribuendus eſt panis, & frangendus ſubditis antequam fame pereant, nã ſi morientur, de manibus tuis ſanguis eorum exquiretur. Diſtribuendus itaq; eſt panis omnis ſanctitatis eſurientibus. Eſt enim fratres panis mundus qui diſtribuendus eſt & frangendus filijs, Eſt & alter panis immundus, qui diſtribuendus eſt ſeruis. Sunt etiam iſti panes coniuncti in
C domo dei, ſicut in area paleæ cum granis. Tres tamen panes legimus in ſcriptura, panes Pharaonis, oblationis, & propoſitionis. Primi ſunt laici, ſecũdi ſunt ſacerdotes, tertij uero paſtores. Panes Pharaonis diuidunẽ in tres partes, in concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam uitæ. Prima eſt luxuria quæ eneruat, ſecunda eſt auaritia quæ cruciat, tertia eſt ſuperbia quæ uelut ueſica inflat. Luxuria eſt proferens immunditiam, auaritia eſt generans inuidiam, ſuperbia parit iniuſtitiã. Luxuria eſt premens hominẽ intra ſe per pollutionem, auaritia extra ſe per uacationem, ſuperbia ſupra ſe per elationem. Luxuria deprimit hominem intra ſe, quia cum factus ſit ad imaginem dei, uelut porcus in luto uiuere quærit. Auaritia trahit hominẽ extra ſe, quia propter terrena dimittit cœleſtia. Superbia extollit
D ſupra ſe, ut ponat in cœlum os ſuum. Et ſic patres & fratres homo per luxuriã in uanis cupit delectari, per auaritiam in tranſitorijs conſolari, per ſuperbiam de impietate gloriari. Iſti ſunt paſtores quos dominus eiecit de templo uendentes & ementes. Iſti ſunt quinquagenarij, qui per Heliam comburuntur. Iſti ſunt illi falſi prophetæ ueſtiti pellibus caprinis, qui etiam intrinſecus ſunt lupi rapaces. Ergo nos qui paſtores ſumus nominati, luxuriam frangamus per abſtinentiam, auaritiam ſubmergamus per eleemoſynã, ſuperbiam fugiamus per humilitatem & per patientiam. Nam ſicut impoſſibile eſt dæmonem in malo obſtinatum paradiſum intrare, ſic impoſſibile eſt luxurioſis paſtoribus, auaris & ſuperbis ſubditos caſtos & humiles

& bonos facere, quia necesse est ut talis sit grex, qualis sit & rex. Est & alius panis oblatiõis, quem quidẽ nõ solum frangere, sed & deo offerre debe
Psal.140 mus. Dauid dicebat, Intret oratio mea sicut incensum in cõspectu tuo. Iste est panis triplex, quia oratio debet esse ampla, deuota & pura. Ampla ut pro omnibus rogetis etiam pro calumniantibus & persequentibus uos. Deuota ut non remisse petatis, sed deuote, & dabit uobis perseuerantibus. Sed dicet quis, Qualis debet esse qui petit, q̃d petat, pro quo petat, & à quo petatur? Si petis qualis esse debeas, dicimus q̃ bonus, quia scimus q̃ deus peccatores non audit. Sed dicis quid petere debeas, dico q̃ uitã uel meritũ uitę, uel apprehendentiam meritorum uitæ. Sed si dicis pro quo petere debeas, dico quòd pro bene & male uiuentibus, ut bonus perseueret, & malus conuertat, non pro sanctis, non pro damnatis. Nam qui orat pro martyre, iniuriã facit martyri: & qui orat pro damnatis, nullatenus impetrabit. Potẽs tamen est deus ut de lapidibus istis fiant panes. Sed si ulterius adhuc petis à quo, dicitur quòd à patre omnia petere in filij nomine debemus, & sic ueri pastores erimus. Est & alius panis scilicet propitiationis. Et iste est triplex panis angelorũ de quo manducat homo in altari, panis filiorũ, id est uerborum sanctæ doctrinæ. Hic est panis qui cum primo pane de cœlo descendit: Hic est panis quem non est bonum sumere & dare canibus hæreticis, quia panis filiorũ est. Hic est panis petitus, amice accommoda mihi tres panes, scilicet uitæ, doctrinę & exempli. Hic est panis datus Petro ut pascat agnos, nam ter ait dominus Petro ut pascat oues, ut tu pastor intelligas oues pascere doctrina, uita & exemplo, uel Eucharistia, doctrina & uita sancta. Et sicut dominus ait Petro, ita & cæteris Apostolis suis. Ergo pascamus oues nostras, paruulis nostris panem frangamus, ne deficiant in uia, pascamus pane angelico, pascamus uerbo, pascamus exemplo, ne tota gens pereat. Nam capita gentium sumus, cæcorum & ignorantium duces, claudorum baculus, terrarũ principes, regum uiatores, angelis superiores. Sed dæmonibus peiores, dum hæc negligenter prospicimus. Fratres pascamus ergo populũ ne sint uelut oues absq̃ pastore, ut de pascuis solitudinis trahat ad pascua societatis Iesus Christus dominus noster.

De modo quærendi Christum in Epiphania.

Sermo XLIII

VDISTIS fratres mei charissimi sanctissimos reges dominum diligenter quæsiuisse, & quærendo deum & hominem inuenisse nõ dubitamus, & sibi preciosa munera obtulisse firmiter credimus & prædicamus. Vos ergo fratres quærite Christũ, quærite Nazarenũ, quærite floridũ, candidum & rubicundum. Quærite Christũ & hunc crucifixũ, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis, clamate & uocate dilectum, nunciantes quia amore languescitis. O uos mũdi amatores qui terrena sapitis, quorum deus uenter est & uita in cõfusione, quid agitis sine Christo, quid concupiscitis, quid sapitis, quid speratis? Nũquid sine Christo uobis pax esse poterit? Nunquid felicitas uel victoria, dignitas uel securitas, fides uel charitas, spes uel fiducia, cõstantia uel temperãtia, prudentia uel scientia, pulchritudo uel fortitudo, olfactus uel tactus, uisus uel auditus sine Christo uobis esse poterit? O fratres mei absit. Quærite ergo Christum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. In ipso nanq̃ sunt omnes uirtutes, & thesauri sapiẽtiæ & scientiæ absconditi. Quærite Christũ, & inuenietis Christum, pulsate ad Christum, & aperiet uobis Christus. Dirigite uiam Christi, ut dirigat uos Christus. Custodite Christũ, ut custodiat uos Christus. Amate Christum, ut amet uos Christus. Quærite Christum pauperem, & inuenietis Christũ diuitẽ. Pascite famelicos Christi, ut pascat uos Christus. Visitate infirmos Christi, ut uisitet uos Christus. Pacem habete cum proximo Christi amore, ut uos pacificet Christus. Hunc ergo Christũ quæramus, hunc etiam ueraciter cupiamus, hunc semper ut possumus agnoscamus, hunc semper quęramus, & inuẽtum tam fortiter, tam suauiter, tam dulciter teneamus ut eum non amittamus. Quærendus est ergo Christus, sed non in platea ubi est magna uanitas. Quærendus est Christus, sed non in foro, ubi est grandis aduersitas. Quærendus est Christus, sed non in taberna ubi est summa ebrietas. Quærendus est Christus, sed nõ in seculari curia, ubi est maxima falsitas. Quærendus est Christus, sed nõ in scholis mundanorũ philosophorũ, ubi est infinita peruersitas. O uos mundani amatores, qui terrena sapitis, & pro terrenis honoribus & pompis discurrere nõ desistis transuolãtes montes & Alpes, inuestigare uolẽtes alta cœli, lata terræ, profunda maris, in calore & frigore, fame & nuditate, cur Christum non quæritis, in quo hæc omnia & maiora perfecte reperiunt? Quiescite iam agere peruerse, discite benefacere. O uos qui cœlorum motus quotidie inuestigare curatis, non tamẽ ut deum perfectius cognoscatis, sed ut mundo florentes appareatis. Sapientes igit̃ & insipientes quęrite Christũ, sed non cũ luxuria in qua est lata deformitas, nõ cum superbia in qua iacet æterna calamitas, non cũ auaritia in qua est idolorum seruitus, & ęterna infelicitas. Sed heu fratres, quia nõ est hodie qui faciat bonũ, nõ est qui Christũ adorare opere q̃uærat, nec est qui speret in eo, sed miles in ense, rex in diuitijs, puer in pomo, seruus in domino, uxor in uiro, uir in uxore, uetula in parua pecunia, et rusticus in ligone sperat. Ecce fratres, ecce q̃uo unusquisq̃ recedit à deo salutari suo. Ecce q̃uo speramus in uanitate, derelinquẽtes deum factorẽ nostrũ, & recedentes à deo salutari nostro. Non sic igit̃ fratres mei nõ sic, etiam si diuitiæ & honores affluant nolite cor apponere, sed solum in Christo cor apponite, in ipso semper sperate, quia ipsi cura est de singulis nobis. Quæramus ergo Christũ fratres mei, & nũquam quiescamus quousq̃ Christum inueniamus. Quærite eum dum inueniri potest, inuocate eũ dum prope

pe est, Sed ò fratres quomodo eũ quæremus? Ecce enim quæritur hodie Christus, quærunt eũ Pagani, quærunt eum Iudæi. O Christiane caue ne quæras Christum cum Iudæis, sed cũ Paganis regibus perquirere non desistas. Nam Pagani quærunt Christum adorare, sed Iudæi quærunt Christum iam supplantare. Pagani hodie ad Christum ueniunt, sed Iudæi Christum spernunt. Pagani ueniendo ad Christum laborant, sed Iudæi quiescendo Christum ignorant. Pagani Christo munera offerentes ipsum adorant, sed Iudæi iam Christi mortem procurant. Pagani adorando Christum & miracula ibidem uidẽdo, ipsum toto corde magnificant, sed Iudæorũ synagoga iam Christũ spinis coronat. Pagani per aliam uiam reuertuntur gaudentes, sed Iudęi iam incipiunt esse pauentes, ne forte ueniant Romani & tollant eorũ locũ & gentem. Erubescite ò perfidi Iudæi erubescite, quia ueniet tẽpus quando lapis super lapidem in te non remanebit, eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Erubescite quia ecce iam alieni hæreditatẽ uestrã aggrediuntur, & ad uestrũ regem natũ per stellã deducunt̃, cuius preciosa natiuitas fuit ante secula prædestinata, à prophetis prænunciata, à pastoribus annunciata & sapientibus regibus reuelata. O Iudæi semper deo rebelles, ò cæci & obstinati, cur non consideratis mirabilia quæ deus operatur in medio terræ uestręʔ Cur Christum non quæritisʔ Cur deum & hominem non agnoscitisʔ Cur eum ut uerũ dei filium non adoratisʔ O fratres mei, non solum Iudæi, sed & mali Christiani hodie occidere quærunt Christum. Quando hoc quærunt, nisi quando præcepta sua seruare contemnuntʔ Non sic magi fecerunt, sed mox Christo nato credentes, per uiam laborare cœperunt, & sic perseuerantes aliquãdo eum inuenire meruerunt, non in preciositate pannorum, non in multitudine seruorum, non in thalamo picto, non in lecto eburneo, non in aula regia, sed pro thalamo uoluit reclinari in stabulo, pro lecto habere uoluit fœnum, pro seruitoribus bouem cum asino saluator habere uoluit. Eia ergo fratres mei, quærite Christum, quærite Nazarenum, quærite hunc floridum, candidum & rubicundum, ad cuius ortũ angeli cãtant, sancti exultant, sterilis clamat, uidua prophetizat, Simeon senex expectat, Ioseph cogitat, Maria mater reclinat, bos cognoscit, asinus portat, stella demonstrat, magus adorat. Iste est deus deorum in Sion, qui in cherubin apparet terribilis, qui in seraphin apparet mirabilis, qui in uirtutibus ostenditur in comprehensibilis. Iste est qui nuper de Maria uirgine natus est & homo factus est, ut nos deos faceret factus est homo. Iste est qui esuriuit ut nos reficeret, qui sitiuit ut nobis uitæ æternæ pocula ministraret. Iste est qui pro nobis tentat̃ ut nos à tentationibus liberaret, qui pro nobis ligatur ut nos absolueret, qui pro nobis humiliatur ut nos exaltaret, qui pro nobis expoliatur ut nos tegeret, qui pro nobis coronatur ut nos coronaret, qui felle & aceto potatur ut nobis fontes mellifluos aperiret, qui mortem suscepit, ut nobis uitã æternã donaret, qui sepultus est, ut sepulturã suorũ benediceret, Ascendit in cœlũ, ut nobis cœlorũ portam aperiret: sedet ad dexterã dei patris, ut credẽtium preces et uota exaudiret. Ecce ergo ad quid natus est Christus, ecce ergo ad quid uenit Christus, ecce propter quid ad nos descendit Christus. Quid igitur agitis ò uos mundi amatores? Quid uobis cũ carne ò uenerabiles senes? O iuuenes delicati, quid agere creditis, cũ nihil sine Christo potestis facere, quibuscũq̃ etiam bonis terrenis ornati sitis? Quærite ergo ò iuuenes Christum, ut iuuenes maneatis. Quærite uos senes Christũ, ut cũ omni prosperitate uiuere ualeatis. Quærite Christũ & nolite quiescere, illum Christũ, illũ Iesum qui Centurionis seruum sanauit, paralyticum solidauit, Lazarum resuscitauit, cæcos illuminauit, meretricẽ beatificauit, Chananæam exaudiuit, latroni pepercit, & ei paradisum donauit. Hunc Christum quærite fide, spe & charitate. Quærite Christum, & nolite quiescere. Quærite Christum, & nolite sperare in longitudine uitæ uestræ, quia incertus est exitus. Sed attendite ne decipiamini, quia sub specie boni multa mala fiũt. Non enim delinit hostis antiquus figuram assumere angelorũ lucis, laqueos deceptionis ubiq̃ prætendens. Nouit enim ipse malignus naturas hominum, & cui adhibeat cupiditatis calorem, gulæ uoracitatem, luxuriæ fœditatem, inuidiæ calamitatem. Optime nouit quem mœrore conturbet, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Cuncto rum discutit naturas, uentilare & perscrutari cunctorum affectus in nullo desistit, & ubi cognouerit quod delectet, ibi suum exercitum ponit. Tu ergo fidelis cum tẽtationes persenseris, mox Christum quære, mox Christũ inuoca, & mox tibijpsi auxiliabitur, quia fidelis est, & non permittit nos tentari supra id quod possumus portare, Qui est benedictus in secula, Amen.

De pietate, charitate & suffragijs defunctorũ.

Sermo XLIIII

FRATRES mei charissimi nunquam recordor me legisse mala morte perijsse illum qui libenter in hac uita opera charitatis uel pietatis uoluit exercere. Habet enim multos intercessores pius homo, & ille qui opera charitatis exercet hilariter. Quid enim aliud de pijs hominibus dicere poterimus, nisi id q̃d frequenter legimus. Opera enim illorum sequuntur illos? Quare, nisi quia multos habent intercessores? Ideo impossibile est, ut preces multorũ non exaudiantur. Considera ergo ò homo quis est ille qui tibi in uia occurrit, animaduerte quòd homo est ad imaginem dei factus, & tamen pauper est, nudus est, miser est, mendicus est, orphanus & pupillus forsitan est. Caue tamen ne talem despicias, ne eum percutias, ne expellas. Nam licet pauper, licet nudus, licet famelicus, licet miser appareat, licet doleat, licet erubescat, non tamen expellendus est pauper. Nolite igitur fratres mei eos spernere, nec expellere etiam si importune petierint,

nolite de eis aliquando murmurare, quia paupe-
res & inopes non cessant laudare deum. Considera A
tu diues, qui uias perambulas & plateas erecto
capite & collo, quòd tu simul cum paupere natus
es de muliere, & breui uiues tẽpore. Et licet diues
sis, sepe tamen repleris amaritudine, et doloribus.
In sordibus generatus es, in tenebris consoueris.
In doloribus etiam peperit te mater tua, & ante
exitum matrem grauiter onerasti, & in exitu ma-
trem dilacerasti turpiter, fleuisti simul cum pau-
pere & mendico, quando uallem plorationis in-
gressus es. Pares ergo geniti sumus, pariter uiui-
mus, pariter moriemur & omnes. Considera er-
go ò diues, quod pauper & diues pari modo om-
nes nascuntur & moriuntur. Noli ergo eos despi-
cere, noli malũ benedictionis auertere ab eis, sed B
eos facie serena suscipe, eos uerbo & exemplo re
fice. Misericordia igitur ò fratres mei mater no-
stra sit. Nam qui esurientem pane uerbi reficit, qui
sitientem potu sapientiæ refrigerat, qui errantem
in domum patris reuocat, qui innocentem prote-
git, qui infirmum fide & patientia instruit, qui in
tribulatione oppresso consolando uel compatien
do subuenit, hic uerus pius est, uerus misericors
est, uerus amicus dei est, nec eum mala morte peri
turum aliquis dicere audeat. O misericordia salu-
tis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio pec
catorum, tu iustos probas, tu sanctos roboras, ma
los ad bonum perducis, & qui sine te cunctis bo-
nis abundare uidetur, uel castitate apparet deco-
ratus, omnino dicere non desistat, Seruus inutilis C
sum. Sed attendite etiã fratres mei, attẽdite, quia
non solum pauperib. in uia misereri debemus, sed
& defunctis cum omni diligẽtia misereri & subue
nire studeamus, attẽdentes & quid Iudas Macha
bæus fecerit. Dixit enim quòd sancta esset cogi-
tatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluan-
tur. Sciebat enim ipse Iudas, quòd nemo gloriari
poterat castum se habere cor, considerans etiam
quòd astra non erant munda in conspectu dei. Ce
ciderunt enim angeli de cœlo, ideo munda astra
non fuerant: nec etiam infans, cuius uita est unius
diei super terram, sine peccato est. Quid ergo de
nobis dicemus? Nunquid gloriari poterimus ca-
stum habere cor? Absit omnino, quia omnes pec-
catores sumus, & in peccatis concepti sumus & D
nati, omnes etiam uitam peccabilem ducimus, o-
mnes in peccatis uiuimus, & forsitan in uenialibus
morimur. Ergo misericordia indigemus, quia
de hac uita omnes migraturi sumus. Et licet car-
nem dure maceremus ieiunijs & abstinentia, licet
omnia mala patienter ob Christi amorem susti-
neamus, non tamen condignæ sunt passiones hu-
ius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabi-
tur in nobis. Ergo misericordia indigemus, quia
per nostra merita æternam uitam acquirere non
ualeamus. Cupis enim ò homo ut tui misereatur
deus? Fac ut proximo miserearis. Nam tantum ti-
bi miserebitur deus, quantum & tu misereberis
proximo. Tantum recipies in alia uita, quantũ fa-
cies in præsenti uita. Ora ergo pro defunctis, ut
dum fuerint in æterna uita, pro te orare non ne-
gligant. Expectant enim nos ut iuuentur per nos,
Tempus enim operandi iam profugit ab eis. Cla-
mant igitur quotidie qui iacent in tormentis. Cla-
mant & pauci sunt qui respõdeant. Vlulant, non
est qui consoletur eos. O quàm grandis crudelitas
fratres mei, ò quàm grandis inhumanitas, clamãt
ad nos quotidie, qui dum uixerũt, multa mala pro
nobis sustinere uoluerunt, nec eis subuenire cura-
mus. O uere magna inhumanitas. Ecce enim infir
mus iacet & clamat, & à medicis consolatur: cla-
mat porcus, & omnes cũ eo clamare non cessant:
cadit asinus, & omnes eum subleuare festinant:
sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui re-
spondeat. Ecce uestra inhumanitas fratres. Eia er-
go non sic, sed mementote fratres quòd sancta &
salubris, pia & felix & suauis deo & angelis est co
gitatio pro defunctis exorare, ut à pœnis quas p
peccatis patiuntur, soluantur. Sed dicet quis, Ec-
ce patrem bonum, pium & humilem, misericor-
dem & castum, & omnibus uirtutibus plenum &
ornatum habeo, tunc si uera sunt quæ lego, eum
esse beatum nõ dubito. Cur ergo orare pro eo uo-
lo, cur eleemosynam dare, cur ieiunare, cur san-
ctorũ corpora uisitare? Non est ergo necesse pro
eo orare, quia fidelis fuit, pius, castus, humilis, pa-
tiens, & cunctis bonis ornatus, & post aurum nõ
abijt, nec in pecuniæ thesauris sperauit, potuit
transgredi, & non est transgressus, & facere ma-
lum & non fecit. Quid ergo aliud credere debeo
nisi quod lego? Quid enim lego, uel quid prædi-
care audeo, nisi quòd qui bene operatur, bene re-
munerabitur. O homo hæc quæ dicis, ego nullo
modo tibi negare audeo. Quis enim fidelium du-
bitat, quòd qui bene fecerit bene recipiet? Con-
sulo tamen ut pro defunctis exorare non desista-
tis. Dixi enim supra, quòd nemo sine crimine ui-
uit, nemo gloriari potest castum uel mundum se
habere cor. Et quid ergo consulo, quid uolo, quid
uel deprecor, nisi quòd dimittas incertum, & ac-
cipias certum? Quid est quod est incertum, nisi
quòd nescis utrum pater tuus crucieẽ, uel utrum
dignus fuerit odio uel amore? Multi enim fuerũt
qui reputati fuerunt sancti, & tamen in conspectu
dei non boni, sed mali inuenti sunt. Accipe ergo
quod est certum, & dimitte quod est incertum.
Certum enim est quòd peccator fuit, licet bonis
operibus ornatus fuerit, ignoramus tamen utrum
æternam gloriam meruerit possidere. Lege ergo
ò homo, & opere implere festina, quòd sancta &
salubris est cogitatio pro defunctis exorare, & e-
leemosynam dare, & carnẽ affligere, & opera cha
ritatis exercere, & peregrinatiões facere ut à pec-
catis soluant. Nam & si sunt beati uel dãnati pro
quibus rogas, dummodo nescias, & à deo reuela-
tum tibi non fuerit, non beatis uel damnatis iniu-
rias facere potes, uel deum offendere, tunc bono
tuo non indigent, & si damnati obtinere non ua-
lent. Ergo dum certus non sis, quod nec damnati
sint, orare pro eis non differas, quia ut supra dixi-
mus, bonis tuis non indigent qui beati sunt, &
mali

mali non obtinent quia damnati sunt, Scias tamẽ,
& indubitanter credas, quòd licet pro defunctis A
beatis uel damnatis obsecres, bona quæ facis pro
eis non amittis. Sæpe enim prædicauimus, & sæ-
pe integra fide docuimus quòd nullũ malum im-
punitum, & nullum bonum irremuneratum erit,
apud quem non est acceptio personarum. Ora-
tio enim tua in sinu tuo conuertetur. Igitur pro
defunctis semper orandum est, & si non proficiet
eis quia beati uel damnati sunt, oratio in sinu no-
stro conuertetur. Sic enim semper boni erimus,
sic pij & misericordes, sic mala morte perire non
poterimus, quia dominus custodiet nos in tota ui
ta nostra: quam postea deserendo dabit illã quam
nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor ho-
minis ascendere potuit. Festinemus ergo ò fratres B
pro defunctis exorare, ut & ipsi festinent nos ad
se uocare, uident enim sanctam trinitatem tãtum
esse unam, quantum tres simul sunt, nec plus ali-
quid sunt duæ quàm una uel tres, & in se infini-
tæ sunt, & singula sunt in singulis, & omnia in sin-
gulis, & singula in omnibus, & omnia in omni-
bus, & unũ omnia sunt. Et si capere non potestis
quomodo sancta trinitas tres & unum sunt, exem
plum accipite, Vnus enim est sol in cœlo currẽs,
calefaciens & fulgens. Vnus est in terra ignis tria
similiter habens, motum lucem & feruorem, nec
lucem à motu & feruore diuidere potes. Sic est
sancta dei trinitas. Et si eius mysterium capere nõ
ualeamus, bene operari festinemus, ut sicuti est
sanctam trinitatẽ per gratiam uidere mereamur. C
Inhumanum est nanq; patriam deserere, patriam
despicere, uel in ea nolle habitare. Bene ergo o-
perari non pigeat, ut patriam habitare, & ad eam
redire ualeamus. Tanta est enim pulchritudo iu-
stitiæ, tanta iocunditas lucis æternæ, hoc est in-
cõmutabilis ueritatis & sapientiæ, ut etiam si non
liceret in ea amplius manere quàm unius diei ho-
ra uel media, propter hoc solũ innumerabiles an-
ni huius uitæ pleni delicijs & circũfluentia bono-
rum temporalium recte meritoq; contemnerent-
ur hæc omnia. O regnum dei gloriosum, ò patria
nostra desiderabilis, tãtum uales quantum habeo,
tantum emit de te uidua duobus minutis, quantũ
Petrus qui reliquit omnia, quantum Zachæus
dando dimidiã patrimonij partem, quantum Ma- D
ria soror Lazari, quæ omnia uendidit, & ante pe
des apostolorũ posuit. Cur ergo bene operari pi-
gri sumus? Cur p defunctis exorare negligimus?
Intueamur ergo fratres patriã nostrã, non solũ ex
hominibus, sed etiam ex angelis atq; archangelis,
thronis & dominationibus, principatibus & po-
testatibus congregatã. Ibi etiã sanctam & indiui-
duam trinitatem sicuti est homo uidebit, plus ta-
men uel abundantius, quantũ plus in uia operan-
do meruerit clarius uidebit. Non tamen quibus-
cunq; bonis onerati simus, propter hoc eam eme-
re ualeamus, nisi per gratiam possidere. Tũc enim
omnes contenti erimus, omnes felices, omnes io-
cundantes. Hæc est enim illa optima pars, quam
Maria elegit quiescẽdo & sedendo ad pedes dñi.
Contẽplabatur enim ipsa deum & hominẽ, ideo
optimã partẽ elegit. Quare optimã partẽ dicit, ni A
si quia per contemplationẽ æterna uita designat?
Optima uita est enim quia secura est, quia æterna
est, quia uera est, quia felicitas nostra est, deum ha
bere, deum uidere, deũ contemplari. Ideo optima
pars est, quã partem non possumus hic possidere.
Quare? Quia quamdiu uiuimus peregrinamur â
domino, & semper in periculo sumus, & semper
in labore in hac uita cum Martha fatigamur. Su-
mus enim hic cum Martha laborantes, hospites
recipientes, & ministrantes seruis dei quæ necesse-
saria sunt. Hanc partem Martha elegit, & bona
fuit, sed non optima, quia non æterna. Bona ta-
men fuit quia perseuerando in operibus charita-
tis, sedere ad pedes domini in æterna uita cum so-
rore meruit. Festinemus ergo opera pietatis exer-
cere, & pro defunctis exorare, ut uidere possi-
mus & reuerenter salutare prophetas sanctissi-
mos et patriarchas ueraces. Isti enim sunt quorum
nomina manent in æternum, quia deo digni sunt,
fide præclari, hospitalitate præcipui, astuti in sen-
su, sapientes in opere, rebus secularibus locuple-
tes, reparatores orbis terrarum atq; recreatores,
creduli in repromissionibus, angelorũ susceptó-
res, facie ad faciem deum uidentes, prudentes &
uictoriosi, quorum imperij potestas non cessauit,
quoadusq; Christus ex eorũ germine per uterum
beatæ uirginis, quæ est spes omniũ gentiũ, natus
in mundo, coruscando in mundo apparuit. Isti em
sunt sancti uiri, cũ quibus locutus est deus, & ostẽ
dit eis secreta sua, ut ea quę uẽtura erãt quasi præ-
sentia spiritusancto illuminati agnoscerẽt. Festine
mus ergo fratres seculum exire, ut etiã salutare &
uidere ualeamus sanctos apostolos, quorum ocu-
li beati, qui deum in carne uiuentẽ uidere merue-
runt, quorũ fructus in patria in æternũ manet. Fe-
stinemns etiam fratres mei ingredi sanctasanctó-
rum, ut etiam ualeamus uidere sanctos dei mar-
tyres, qui carnem domuerunt, spiritum roborau
runt, dæmonibus imperauerunt, uirtutibus coru-
scauerunt, presentia despexerunt, et illam patriam
de qua nunc loquimur uoce & moribus prædica-
uerunt. Festinemus igitur fratres etiam ingredi
sanctasanctorum, ut uidere ualeamus sanctos dei
confessores, qui licet persecutorum rabiem non
senserint, tamen per uitæ meritum deo digni pre-
mio martyrij non priuantur, quia martyrium non
tantum effusione sanguinis, sed etiam abstinentia
peccatorum, & exercitatione diuinorum præ-
ceptorum perficitur. Festinemus etiam fratres
mei ingredi sanctasanctorum, uidere mereamur
& salutare reuerenter sanctam dei genitricem,
cum sanctis suis uirginibus, quæ suis exemplis
utriusque sexus multitudo eius sequitur uestigia,
& relictis nuptiarum copulationibus, dimissaq;
liberorum propagine, sponso qui in cœlis est per-
enni, mente, actu, habitu & gestu applicari me-
ruerunt. Istæ enim fuerunt uirgines sacræ deo de
uotæ, quæ in uita sua fuerunt orationibus instan-
tes, ieiunijs adhærentes, eleemosynas facientes,
paupe-

pauperes recreantes, in tribulatione gaudentes, in bello potentes, in damnis temporaliũ rerũ deo gratias agentes. Festinemus ergo fratres mei istos imitari sanctos. Discamus ab eis opera charitatis sine intermissione exercere ualenter, ut per gratiam mereamur deũ uidere facie ad faciẽ sicuti est, Quod nobis concedat ille qui est sanctorum omnium uirtus & salus, Amen.

De pœnitentia agẽda, & detractione uitanda. Sermo XLV

EATVS homo cui miserebitur deus. Confiteamur fratres, & miserebitur nobis. Grandia sunt peccata nostra, quia tamen magnus dominus. Sed agamus pœnitentiam, quoniam in secula misericordia eius. Videte fratres quid dicat, In seculum. In inferno quis confitebitur tibi? Nemo est enim qui possit in inferno pœnitentiã agere, infructuosa est enim talis pœnitentia. Hic miseretur pœnitenti, hic porrigit manum cadenti. In cœlo sedet iudex, qui ad conuersionem uos admonet. Beati qui faciunt iustitiam. Iustus septies cadit in die de cogitationibus suis, aut de sermonibus suis, & iterum surgit. In quacunque die conuersus fuerit peccator, & egerit pœnitentiam, miserebitur ei deus. Neque iustus debet esse securus, nec peccator desperare. In utroq; timor sit & spes. Felix est cui hanc uitam Christus notam fecit, Et pater & mater est. Qui sic agit, se liberat, & alios suo exemplo ad uitam æternam perducit. Lex enim est quæ cum Euangelio partẽ habet. Baptizatus homo si peccat & agit ueram pœnitentiam, cito ei remittuntur peccata. Impius est qui Christum negat, neque hic neque in futuro remittetur ei. Diximus de impietate, dicamus de pietate: Primus gradus est humilitas, & in bono opere perseuerare. Secundus gradus est ieiunare, & eleemosynas facere. Tertius gradus est charitatem sectari, & patientiam habere, Quartus gradus est omnia derelinquere propter Christi amorem. Quintus gradus est uitia dimittere. Maior uirtus est uitia dimittere quàm res. Nihil prodest dimittere terrenas substantias, si uitia non dimittimus. Multi diuitias derelinquunt, uitia non relinquunt. Bonum est ieiunare, & eleemosynam facere: Ieiunium sine eleemosyna parum ualet, Ieiunia uero cum alijs uirtutibus proderunt, Quid mihi prodest cum ieiunio si luxuriosus sum, si iracundus sum, si detractor sum? Maiora uulnera sunt linguæ quàm gladij. Gladius corpus interficit, animam autem non interficit. Videte fratres quãta mala habet lingua, in bono magna est, in malo mors est. Diabolus unde cecidit? Nunquid furtum fecit? Nunquid homicidium fecit? Nunquid adulterium fecit? Diabolus non propter hoc cecidit, sed propter lin-
Esa.14 guam: quia dixit, In cœlum ascendam, super sydera ponam thronum meũ, & ero similis altissimo.
Prou.18 Quid dicit Salomon? In manibus linguæ mors & uita est. Detractio grande uitium est. Prophe-
Esa.6 ta dicit, Væ mihi misero, quia immunda labia habeo. Igitur qui immunda labia habet, non potest prophetare. Væ mihi misero si dimisi matrem, si dimisi fratres, si dimisi sorores, si dimisi res perituras, si reliqui seculum, & hic propter res perituras solicitor. Pacem labijs promittimus, & in corde non tenemus. Christianorum arma pax Christi est: Meipsum occido, si alijs detraho. Salomon interpretatur pacificus, sanctæ conuersationis opere præclarus. Vxor tua dicitur sapientia, soror & sponsa. Multos habet diabolus laqueos: homicidium diaboli laqueus est, auaritia diaboli laqueus est, detractio diaboli laqueus est. Quamdiu in sanctitate sumus, animæ nostræ in opere dei sunt. Quamdiu in peccatis ad peccandum uoluntatem dirigimus animæ nostræ turbantur. Vbi enim maior pœna, maior uictoria est. Sed quod aures carneæ non intelligunt, aures Christi in cœlis intelligunt. Iustus & peccator æqualiter habent carnem, æquale patiuntur naufragium, similes exitus, sed diuersa præmia. Iusti ducuntur ad præmia æterna, peccatores ad gehennam sempiternam. Non oportet consentire detrahenti. Tanta enim distantia est inter fornicantem & detrahentem, ut ille qui fornicatur, tantum se occidat: ille autem qui detrahit, & se & eum qui audit perdat. Maledi- Hier. 48
ctus homo qui facit opus dei negligenter: sicut dicit Propheta, Filij gehennæ, filij perditionis, & filij diaboli, & filij dei, quia unusquisque cuius opera facit, eius filius appellatur. Et in alio loco di- Psal.33
cit, Venite filij audite me, timorem domini docebo uos. Declina à malo & fac bonum, inquire pacem, & sequere eam. Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum: Præstante domino nostro Iesu Christo, Qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

De angelis & hospitalitate: Sermo XLVI

VIA à naturis angelicis semper defendimur, ne demergamur fratres dilectissimi, ideo de eis ad eorum honorem sermonem facere ne pigrescamus. Sed quid de angelicis spiritibus loquemur, cum de eis loqui immundi simus? Credimus tamen sanè, & indubitata fide tenemus, diuina eos præsentia, & uisione beatos sine fine lætari bonis domini, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid ergo miser peccator puluis & cinis uobis loquar, quia nec ego eorum gloriã ualeo cogitare, nec uos audire sufficitis? Profecto si ex abundantia cordis os loquitur, ad dei laudem qui nos dignatur ad amatorẽ suũ inflãmare, dicamus quod possumus. In supernis spiritib. non tantum admirabilis dignitas est, & dignatio amabilis inuenitur, sed tãta gloria est quòd lingua uel cor humanũ nullatenus dicere ualet uel cogitare. Ipsi enim deo semper assistunt, domestici dei sunt, cœli ciues, principes paradisi, scientiæ magistri, doctores sapientiæ, illuminatores animarum, custodes earum, corporum zelatores, & defensores bonorum. Quod bene testatur ille doctor doctorum

rum, & ueritatis prædicator, quando raptus fuit usque ad tertium cœlum, & beatæ illi curiæ interesse meruit, & uidere deum sicuti est, atque super omnes homines meruit nosse secreta. Tunc enim ait, tunc enim dixit & exclamauit, quod omnes erant administratores spiritus missi in ministerium nostrum, Ipsi prouinciarũ custodes, dignitatesq; nostras tam spiritales quàm temporales omni diligentia custodientes: Ipsi sunt contra fomitem impetrantes, Ipsi sunt pro nobis cõtra dæmonem uictoriam obtinentes: Ipsi sunt per quos ad fletum contritionis pœnitentiæ & orationis inducimur: Ipsi sunt per quos nostra facta uel cogitata ad cœlum hilariter portantur: Ipsi sunt fratres nostri qui ualde nos diligunt, nos ubiq; instruunt, in cunctis nos protegunt, nostrum aduentum expectantes ad cœlum, & sedes paradisi per nos repleri affectant: Isti sunt sanctissimi spiritus, qui nobis dormientibus adsunt custodes, nobis orantibus assunt tripudiantes. Quis ergo fratres angelorum memoria in mente carebit? Quis eos non diliget? Quis non ueneretur eos, qui in conspectu dei semper assistunt? Isti sunt per quos sustentamur, per quos in mari & in terra iuuamur, per quos mente & corpore illuminamur, per quos in tribulationibus & angustijs consolamur, per quos ab infirmitatibus frequenter liberamur, per quos & à quibus in extremis contemplamur, in fide solidamur, & à maligno spiritu defensamur, & obtenta uictoria ad paradisum uel ad purgatorium per eosdem deportamur, & dum purgamur ab eis sæpe uisitari & consolari non dubitamus, promittentes cœlestem Hierusalem ciuitatem ingressuros. Eia ergo fratres studeamus sanctos angelos imitari, & nõ solum ipsos, sed etiam angelorum amicos. Circunspiciamus enim integra mente, perlegamus scripturas ut possumus, & inueniamus angelorũ amicos, quibus inuentis petamus quid fecerunt, quomodo angelis placuerunt, in quibus eos securi imitati sunt. Veniat sanctus pater Abraham, & quid fecit innotescat. Veniat & nepos eius Loth, & dicat ppter quid uel quomodo à Sodoma per angelos liberari meruit. Veniat & Tobias ducens secum filium, & propter quid per angelum illuminari meruit & filium custodiri doceat. Veniant tres pueri, & quomodo actiuis & passiuis approximatis, non sequatur necessariò actio scribant. Veniat & Petrus, & quomodo per angelum liberari meruit, audiamus, ut & audientes magna magnalia quæ sancti angeli fecerunt, eos sequi & imitari ualeamus. Dic nobis sancte pater Abraham quid fecisti, uel quid facere docuisti ut sanctis angelis tam iocundè placeres? Dic ut à te discamus, doce ut nos à te doceri ualeamus: nam pater es, & quia omnes filij tui sumus, te decet nos docere. O fratres, quid aliud dicere poterit, quid aliud uel docere, nisi quòd hospitalitatem semper seruare uoluit? O sancta ueraq; hospitalitas quæ non solum angelos, sed etiam ipsum deum aliquando recipere meruisti. Ecce propter quid Abraham dei angelis placuit. Ecce propter quid Loth liberari meruit. Ecce propter quid Tobias illuminatur, & filius illæsus reseruatur. Ecce propter quid tres pueri & Petrus illæsus reseruatur in carcere. Discite ergo Christiani, discite hospitalitatem exhibere in cunctis, ne forte cui domũ clauseritis, cui hospitalitatem negaueritis, ipse sit deus. Obuiam enim iuit Loth angelis tanquam peregrinis, qui ex sua laudabili consuetudine iam Sodomitico uitio liberatus est, & inter pessimos optimus conseruatur, à periculo ciuitatis eripitur, & corporale euadit incendium, & ad æternum conseruatus est premium. Nunquid & Abraham deum uidit, quando tres uidit & unum adorauit? Igitur ò fratres recipere peregrinos festinate. Tu em̃ nescis an Christus dignetur te uisitare, licet Christus semper in hospite sit. Pateat enim peregrinis ianua tua, suscipe eos alacriter, ablue pedes, laua eorum capita, purga eorum immundicias, & noli auertere manũ tuam ab illo paupere. Et si cunctis subuenire non uales, saltem uoluntas bona sit circa eos. Suscipite ergo fratres peregrinos, quia qualem mercedem habemus peregrinando, talem habebimus peregrinos suscipiendo. Fiunt enim ambo æquales, & qui propter deum refrigerat, & qui propter deum laborat. O sancta namq; hospitalitas angelorum amica, charitatis soror, humilitatis corona. Nam qui habet te, habet ueram humilitatem: & qui te ò humilitas habet, ueram hospitalitatem habet: nam sine te hospitalitas nulla est. Discamus ergo fratres non solum à patribus hospitalitatem seruare, sed à Christo humilitatẽ astringere. Discamus ab eo non mundũ fabricare, nõ cuncta uisibilia & inuisibilia creare, non in ipso mundo miracula facere & mortuos resuscitare, nõ siccis pedibus super aquas ambulare, non hæc omnia, sed tantum quia mitis est & humilis corde. Hoc est perfectum hospitalitatis fundamentum. O sancta namq; humilitas hospitalitatis soror & amica suauis, qui te in cũctis magis indigniorem se alijs arbitratur, nunquã desiderat superior apparere, primatus & cathedras omnes fugit, omne dominium abhorret, solã hospitalitatem amplectitur, solam eam possidere desiderat. Eia ergo fratres excelsa est patria, sed humilis est uia. Mensuremus ergo eam, perquiramus eam, ambulemus per eam. Sic enim fecit Abrahã & Loth dum peregrinos suscipiebant: Sic Tobias dũ mortuos sepeliebat, Sic enim & angeli de quibus ait Saluator, quòd semper uident faciẽ patris qui est in cœlis, Amen.

De uehementi peccati Sodomitici detestatiõe. Sermo XLVII

VDITE nõ fratres charissimi, sed principes Sodomitarum, percipite auribus legem dei uestri populus Gomorræ. Audite & auditum facite filijs uestris, ò gens plena peccato, graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. Ecce dereliquistis deum, blasphemastis sanctum Israel, & alienati estis iã retrorsum. A planta enim pedis usq; ad uerticem non est in uobis sanitas, ideo terra uestra deserta, ciuitates uestræ succenduntur igni, regionem uestram coram

uobis alieni deuorant, & desolabitur ciuitas sicut in uastitate hostili. Quare hoc patimini nisi quia similes Sodomitis iam estis? Audite ergo principes Sodomorum, audite Esaiam uobis dicentem,
Esa.1 Multitudine uictimarum uestrarum plenus sum, eo quòd indigne mihi offertis. Ne offeratis igitur ultra sacrificium, quia sabbata uestra, incensum uestrum, & solennitates uestras odiuit anima mea, & omnia facta sunt mihi molesta. Cũ extẽderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationes nõ exaudiam, ꝓ eo ꝙ turpitudinem operamini. Quæ est illa turpitudo, nisi illa quæ immũditia per Apostolũ appellatur? Illa denique est turpitudo, illa summa immunditia, illa summa miseria, à qua angeli fugiunt, quam dæmones uidentes oculos claudunt. Illa est enim im-
B munditia & miseria quam masculi in masculos o-
Rom.1 perãtur. De quibus ait Apostolus, Non solum qui faciunt, sed & qui facientibus consentiunt, digni sunt morte. Hæc est merita immunditia, quia est nimia mentis & corporis spurcitia. Et hæc spurcitia non solum peccatum est, sed & pœna peccati. Cum enim deus uidet omnino se contemnentes, & mandata sua cõculcantes, uertit eos in reprobũ sensum, ut illam abominationem exerceãt, & non intelligant & animaduertant, sicut ait Apostolus, Quia non probauerũt deum habere in notitia, tradidit eos dñs ignominiæ: nam masculi relicto naturali usu fœmineo, exarserũt in desiderijs suis, id est, masculi in masculos turpitudinem operantes. O ꝙ abominabile uitium, ò ꝙ detestabile crimen,
C ò ꝙ mortiferum damnum, ò ꝙ pessimum scelus, ò ꝙ inaudibile malum. Ecce enim membrum Christi non solum fornicatur, sed etiam meretrix efficitur. Hæc est enim illa immunditia, quam deus odio summe habet, quam detestantur iancti, quam odiunt beati, quam fugiunt illi qui regnũ dei consequuntur æternum, quam diligunt illi qui cruciãdi & maledicendi sunt cum diabolo & angelis suis. O pessimi Sodomitæ & uiri peccatores, ò pessi-
Gen.15 mi, attestante scriptura, Erãt Sodomitę pessimi & peccatores coram domino, Peccator enim dicit corã domino, cuius peccatũ deus non dimittit impunitum, & non differt qui differens est pœnam. Vnde ait, Clamor Sodomorum & Gomorræorũ multiplicatus est, peccatum eorum grauatũ est nimis. Clamor em̃ dicit peccatum, quãdo nõ solum cogitatur, sed absq; omni timore ad actũ perducitur, & in cõsuetudine multiplicat. Et tũc dominus gladium furoris sui extendens, pluit ignem & sulphur de cœlo, & combustæ sunt ciuitates & submersæ. Merito igitur per sulphur ciuitates illæ submersę sunt & destructæ, quia tam eorum fœminæ quam eorum masculi fœtenti luxuria ardebant. O luxuria pessima uirtutum destructio, uitiorum augmentatio, delectationis combustio, charitatis diminutio, bursarum euacuatio: Dulcis es, sed ecce omnis dulcedo in amaritudinem grandem mox cõuertitur. O luxuria per te pax destructa est, per te homicidium factum est, per te ciuitates combustæ sunt, per te regna perdita sunt, per te omnia fe-

rè mala facta sunt, per te Dauid exulat à deo, per
A te Samson moritur, per te Salomon expellitur, per te Loth patitur, relinquẽs patriam & uxorem amittens. Et ideo præuaricatores legis attendite, legite legem. O Gomorræorũ sequaces quiescite iam agere peruerse, discite iam bene facere, discite iam deum timere. Fugite Sodomitas ut mortẽ. Nolite conuersari cum eis, ne forte cum eis depereatis. Veniet enim tempus & non tardabit, & insurget ille sanctus Ioseph, qui de hoc crimine pessimo suos fratres incusare patri non timuit. Surgat & nunc hoc castitatis exemplum, & interficiat omnes tales operantes iniquitatem. Veniat ille magnus sanctus Paulus, uas electionis, & confundat omnes tales talia diligentes, ut nullus reperiatur
B in orbe. Veniat ille dilectus dei uirginitatis imago sanctus Ioannes, & sua uirginali præsentia tales confundat. Veniat etiam illa lucerna mundi & præcursor dilectus, & sua grandi audacia, omnes tales interficiat spiritu oris sui. Veniat & Loth nepos sancti Abrahæ cum nepotibus suis, & omnes tales expellant de terra uiuentium. Veniant omnes sancti angeli, & comburant omnes qui operantur iniquitatem Gomorręorum. Eia ergo quiescite iam agere peruerse, discite cum Loth & Ioseph benefacere, antequam adimpleant quæ diximus. Mementote frequenter & nolite obliuisci, quid fecerit illa fœmina Romana Tarpeia. Quid enim fecit? Nam luxuria magna regnabat in ea, tamen ipsa pagana caste uiuere uolebat. Quid e-
C nim fecit? Oculos sibi erui uoluit & præcepit, & delicijs cũctis depositis panem tantum cum aqua sumere uoluit ad mensuram. O fratres mirabilis conditio mulieris, mirabilis bonitas, mirabilis fortitudo, quia per hoc non paradisum expectat, nec per hoc laudari desiderat, nec beata prędicari affectat: nam ꝓpter quid hoc fecerit ignoramus, quia paganã eam fuisse prędicamus: Vnum tamen scio ꝙ si consilium ab Augustino petisset, ego tanq; fidelis nihil aliud dicere potuissem, nisi quòd tantum panem & aquam sumpsisset determinato põdere & mensura. Nos ergo fratres scire debemus & nullatenus dubitare, ꝙ castitas cum abundãtia & fertilitate stare nõ potest. Sed si mihi non creditis, Gomorrensibus credite. Abundabant enim
D ualde in cunctis bonis, & postquã comederant & biberant, surrexerunt ludere. Sic & uos operantes uideo: nam fertilitatem habetis, pane, uino & cunctis bonis omnibus quibus indigetis, ideo timeo ne pereatis. Quare? Quia non est malum quod in uobis non regnet. Nunquid superbi? nũquid auari? nũquid gulosi? nũquid puerorum concubitores? O miseri membra diaboli, cur non erubescitis? cur nõ desistitis talia operari? Confundor ego episcopus talia loqui, confundor & alia enarrare. Sed & si tacuero mors mihi est, & si hoc prædicauero non effugiã linguas uestras. Audacter igitur prædicabo, quia & uos publice operari nõ erubescitis. Emundate igitur uitam & emẽdabo uerba, quiescite agere peruerse, & ego quiescam mala uestra uobis improperare. Sic etiam dominus facit,

quia

quia mutata uita mutat sententiam, bene operan-
A tibus promittit gloriam, male uero pœnam æternam. Erudiamus igitur fratres nosmetipsos in scientia & castitate, ut studentes & intelligentes simus, suaues, affabiles & mites in charitate non ficta. Nam si luxuriari uolueritis, nunq; charitatem habere poteritis. Charitas enim est uirtus quę consummatio & perfectio aliarum uirtutum dicit̃, sic & luxuria destructio. Nam nulla uirtus, nulla bonitas, nulla sapientia cum luxuria stare potest, nulla iustitia, nulla laus, sed omnis peruersitas, & personarum acceptio in ea regnat. Ideo attendite, ꝙ necessaria est ipsa castitas. Nam si caste uixerimus, rixæ intus non erunt, non uerba mala. Et si mihi non creditis, quid Loth acciderit legite. Nam sancti angeli domum eius intrauerunt, quo facto So-
B domitæ domum eius circumdederunt, & forsitan nõ solum per ostium, sed per fenestras intrauerũt. Nunquid & Loth cum nepotibus suis uerberauerunt? Omnino ut arbitror non solũ uerba, sed uerbera receperunt, Et forsitã fratres, ideo uxor Loth conuersa fuit in statuam salis, quia Sodomitis non procurabat resistere. In simili etiam scelere, in eodem crimine mulieres etiam erãt, & forsitan in maiori, quia principium tanti criminis in illis ciuitatibus mulieres fuerunt, & homines postmodum ipsæ pessime docuerunt. O mulieres luxuriæ matres, nõ sufficiebat primum hominem decepisse? Ideo conuertamur ad dominum, simus pœnitentes, unanimes in dilectione dei, & ut membra unita simul laboremus. Nam sicut odium dissipat Ecclesiam, ita uinculum dilectionis ædificat eam. O-
C dium enim generat detractionem & inuidiã, quæ pestilentia & pernicies est Ecclesiæ. Per odium amittitur illa sancta utilitas & iocunditas, de qua dicitur, Ecce quàm bonum & quam iocundum, habitare fratres in unum. Per odium expellitur Christus qui est uera sapientia, quia in maleuolam animam non introibit sapientia. Et ideo rogo uos ut uitam uestram emendetis docentes filios uestros & filias quomodo caste uiuant & mature incedãt, abstinentia à cibo & potu, sit eorum sermo pudicus, incessus honestus, uultus inclinatus, lingua affabilis, mens plena dilectione, manus plena operatiõe, ut si sic feceritis fratres, cum sancto Loth libe remini de inferno fugientes & uolantes per gratiã ad gloriam, Amen.

ut lucerent, elementa ut alerent, animalia ut subi-
A rent, & cibaria ut nutrirent, oues & boues, leones & aues omnia obediebant homini sine ulla rebellione. Et quid plura? Etiã hoc q̃d maius est. Quid est quod maius est, nisi quod diuinũ est? Quid em̃ in homine diuinum est, nisi quod imagine sanctæ trinitatis ipse homo decoratus est? Faciamus, inquit sancta trinitas, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quæ est imago dei in nobis, nisi id quod melius reperitur in nobis? Quid est quod melius reperitur in nobis, nisi ratio, intellectus, memoria & uoluntas? O homo audiuisti tuam gloriam, audi nunc tuã miseriam. O homo natus de muliere, breui uiuẽs tempore, repletus multis miserijs, qui quasi flos cãpi egrederis & conte-
B reris, & fugis uelut umbra, nec in eodem statu permanens, nunc diues, nũc pauper, nũc sanus, nunc languidus, nunc gaudens, nunc tristis, nunc sciẽs, nũc ignarus, nunc uidens, nunc cæcus, nunc ciuis, nunc exul, nunc bonus, nunc malus: ecce qũo stabilis, ecce quomodo permanẽs. O homo an ignoras quia potuisses non mori? Vtraq; em̃ potentia in manu tua erat, posse & non posse mori: Cõtempsisti primam & elegisti secundam, contempsisti uitam & elegisti mortem, contempsisti dulce, & elegisti amarum, contempsisti uitam æternam & mortem æternam eligere uoluisti. Et unde hoc homo? Nunquid bonus, rectus, sanctus, & deo dilectus creatus es? Et tamen miserrime incrassatus, impinguatus, dilatatus, recalcitrasti contra deũ factorem tuũ. Et ecce elatus in superbia, ignarus dei gratia, inscius dei iustitia cecidisti in lacũ miseriæ,
C in luto fecis, & in umbra mortis. Ideo attẽde quid sequitur: Putas quòd deus mentiatur, uel ut filius hominis mutetur? Statuit enim ipse & sententiam posuit, ut quotiescunq; comederes ex ligno, mori debuisses. Nũquid ludendo hoc edixit, uel ridẽdo hoc asseruit? Omnino hoc tamẽ mihi nõ apparet. Quare non apparet, nisi quia experiẽtia didici, & oculata fide probaui? Nunquid experior ꝙ post peccatum elemẽta quæ in summa & optima qualitate erant, mox propter peccatũ pugnare cœperunt? Est enim ratio terræ in carne, ratio humoris in sanguine, ratio aeris in spiritu, ratio ignis in calore: & hęc quatuor mox post peccatum adinuicẽ
D præliari cœperunt, & sic nostri primi parentes infirmitatibus aggrauantur, & dolore capitis, stomachi, epatis, omniumq; membrorum uexantur, sicq; moriuntur, sicq; ad sepulchra deducuntur. Sed dicet quis, Quid est homo post mortem? Certum est quòd non est homo, & tñ est aliquid quantum ad duas partes. Quæ sunt illæ partes, nisi anima & corpus, materia & forma? Anima enim non moritur, nec succumbit per mortem cum omnino sit immortalis: nec corporis materia cũ sit una numero: quia licet corpus resoluatur, non tamen deuenit ad tantam resolutionem ꝙ omnino nihil sit, & quod cedat in non ens. Manet eadẽ anima semper & tanquam quid diuinum, deficit tamen homo quantum ad esse. Omnes enim animæ spiritus sunt, & omnia corpora terra sunt, & erunt quousq;

anima

De cura animæ, Sermo XLVIII

A NIMA humana fratres charissimi omnium creaturarum naturam participat, ambit & capit, & tanto amplius quanto gloriosius est dei imagine insignita. Omne enim spiritale suum est, quia cœlum habet ad manendũ, angelos ad congaudendum, gloriam ad habendum, & trinitatem ad fruendum. In ipso denique homine reposita erat etiam corporalis creatura, & omnium corporaliũ naturalium natura in se & ad se & per se, & tãto perfectius quanto mirabilius erat omni corporeo. Omnia em̃ possidebat, om̃a sibi obediebãt, quia om̃ia ei subiecta erant, astra scilicet

anima induet se suo corpore, ut totus homo glorificetur corpore uidelicet & anima. Si ergo petis quid est homo mortuus, quid aliud dicere poterimus nisi q̃ terra, putredo, cadauer & fœtor est? Si petis de suo esse, uides quòd deficit. Si petis de corpore, interroga terrã. Euntes uos, ò iuuenes & potentes ad sepulchra patrũ uestrorum, considerate quid fuerunt & quid sunt. Monumenta eorũ aperiamus & uideamus quis dñs & quis seruus, quis pulcher, quis turpis, quis rectus, quis curuus inter eos fuerit. Aperiamus oculos mentis & corporis, & nostram grandem miseriam frequenter non pigeat considerare. Intremus sepulchra, & quid inuenimus discamus. Quid fratres inuenimus uel quæ? Nam si respexerimus inuenimus mortuorum capita, renes & uentrem. Verum & indubitanter uerum: mihi experto credite quòd in capitibus inuenietis bufones saltãtes generatos ex cerebro. In renibus serpentes generatos, in lumbis ambulantes. In uentre uermes scaturiẽtes generatos ex uisceribus. Ecce quid sumus & quid iam erimus, ecce in quod resoluimur: Quid ergo inflaris, ò diues? Cur non attendis quæ audis? Cur turbaris cum prospicis? Cur nõ conuerteris cum hoc quotidie expiris? Mementote fratres hęc omnia, & agite pœnitentiã in fletu & lamento, anteq̃ ueniant dies illi amari pleni miseriæ & tristitiæ. Audistis iam quid est homo mortuus, restat nunc dicere quid sit de anima. O fratres mei quid de hoc dicere poterimus nisi concordauerimus cum uetulis nostris? Quid enim dicũt nisi quòd uel in paradiso cum gaudentibus, uel in inferno cũ dolentibus: sed in purgatorio, in uia eũti ad patriã sunt, & isti iam bene sunt, quia securi sunt. Orandum tñ pro eis est, & eis toto affectu subueniẽdum est orationibus, eleemosynis, sacrificijs, ieiunijs & macerationibus. Isti sunt deniq̃ illi afflicti, qui ad dñm quotidie clamant & ad illum recurrunt cuius sciẽtia ubiq̃ allegatur, cuius sapientia demonstratur, cuius clementia ubiq̃ ponderatur, cuius potentia ubiq̃ promulgat. Isti quotidie clamãt unusquisq̃ per se suam misericordiam implorantes, & suã miseriam deplorãtes, & dicẽtes, Domine, scias quòd uim patior, ideo ad te recurro, non contemnendo scientiam tuam, non auertendo tuam sapientiam, sed interpello tuam clementiam. Non enim domine iniuste patior, quia non pro alieno delicto, sed pro meo patior, uim tantum domine patior, quia fortiter patior & iuste patior. Peccaui domine substantias & diuitias cõgregando, nec pauperib. ut iusseras sufficienter tribuendo. Sed multa infelix congregaui cum dolore & mœrore, nesciens cui ea dimitterem amico uel proximo. O infelix homo considera & diligẽter aduerte quid agis, quid cogitas, dum cunctis diebus uitæ tuæ congregare non desinis. O homo auaritia plenus, an ignoras quòd tria sunt insatiabilia, & quartum nunq̃ dicit, sufficit? Et qd est quòd nunq̃ dicit sufficit, nisi animus hominis q̃ nunq̃ dicit satis est? O homo an ignoras quòd radix omniũ malorũ auaritia est & seruitus idololatriẽ, mater usurẽ, genitrix Simoniæ, fomes culpæ, ęternæ pœnæ uia, nutrix gehennæ? O auaritia abyssus insatiabilis, quæ nunquam dicis sufficit, semper famescis, semper doles, semper tristaris in cunctis. Nam si sol quotidie oritur, dolendo dicis, siccitas erit. Si pluuia descendit, omnia periclitari asseris. Si temperiem adesse prospicis, solem uel pluuiam adesse desiderabis. O pestis interminabilis, ò famelica rabies: nam omnia suis terminis clauduntur, sola auaritia nullo clauditur fine. Omnia in homine senescunt uitia, sola auaritia iuuenescit. O rabies omni fine carens. Nunquid terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aer suo fine concluditur, cœlum suis terminis arctatur, sola auaritia terminum nescit? O auare si terra tibi cuncta datur, mare quęris. Sed si terra & mare, aerem petis. Sed si terram, mare & aerem possederis, adhuc cœlum ambis & ipsum penetrare affectas. Et si cœlum penetraueris, adhuc non quieueris, donec te deo adequaueris, uel fueris superior altissimo. O pestis dæmone sæuior, nam dæmon similis altissimo esse uoluit, sed auarus super deum si posset ascendere uellet. Merito auaris in die nouissimo loquetur dominus dicens, O homo sine honore mundum intrasti in pellicula sanguine cruentatus, sine diuitijs natus, sine auaritia genitus, & tu in auaritia uixisti & dilatatus es in auro & argento, & oblitus es dei creatoris tui. Vbi enim est fructus & lucrum laborum uestrorum? Ite ergo maledicti in ignem æternum, & sicut uoluistis, ita fiat. Ecce sententiam summi regis. Itaque fratres nolite amare plus corpus quàm animã, & plus filios quàm uosipsos. Ecce enim in ianua dies mortis est. Tunc enim quilibet à suis excluditur, ab uxore dimittitur, à cognatis separatur, & ab eisdem ad sepulchrum ducitur. O magna crudelitas. O magna admiratio. O admirabilis infidelitas, ecce maritus dilectus ab uxore dilecta relinquitur, filius à matre proijcitur, & pater à filijs, & filij à patre sub terra reconduntur. Solus ille dimittitur & quilibet ad propria reuertitur, & cito obliuioni traditur, tanquam mortuus à corde. Ecce fratres mundi amicitia quanta uel qualis est. Non enim est aliquis qui tantum amicum uel cognatum diligat, quòd per noctem unam secum morari cupiat. Vide ergo ò homo quales amicos habes, pro quibus animam perdis, pro quibus deum offendis. Omnes dimittent te, omnes se abscondent, omnes cito fugient à te, & in foueam trium brachiorum collocabunt te. Nam cum essemus apud ostia Tyberina matre charitatis sociati, expectantes temporis tranquillitatem, causa remeandi ad Africam, & gratia illius cui terra & mare obediunt, compulsi à Pontiano præfecto uiro clarissimo qui de Roma ad nos uidendum uenerat, cum eodem iterum reuersi sumus Romam ad intuendum diligentius magnifica ædificia & opera paganorum, Et ductus sum cũ cæteris ad uidendum cadauer Cęsaris in sepulchro, & uidi quòd omnino esset liuido colore ornatũ, putredine circundatum, uẽtrem eius diruptum, & uermium per illum cateruas trãseuntes

tes prospexi: Duo quoq; famelici in foueis oculorum pascebantur, crines eius non adhærebant capiti, dentes eius apparebãt labijs cõsumptis, & reuelatum erat nariũ fundamentũ. Et intuens matrẽ Christianissimã dixi: Vbinam est Cęsaris corpus pręclarum, ubi magnitudo diuitiarum, ubi apparatus deliciarũ, ubi multitudo dominorũ, ubi caterua baronũ, ubi acies militũ, ubi canes uenatici, ubi equi ueloces, ubi aues cantantes, ubi thalamus pictus, ubi lectus eburneus, ubi thorus regalis, ubi thronus imperialis, ubi mutatoria uestimentorũ, ubi capilli solares, ubi facies decora, ubi omnia quę sub cœlo sunt? Te namq̃ uerebant homines, te timebant principes, te colebant urbes, te timebant oẽs. Vbi nam quęso sunt hæc omnia, à quo recessit tanta iactantia? Quo iuit tua magnificentia? Et respõdit mater pietate plena, Fili omnia sibi pariter defecerunt quãdo defecit spũs eius, & reliquerunt eum captiuatum in sepulchro trium brachiorum plenũ fœtore & putredine. Eia ergo fideles Christi cõsiderate quid sumus, animaduertite ad quid uenimus, prospicite quid iam sumus. Agite ergo pœnitentiã filioli mei quos iterũ parturio donec reformetur in uobis Christus. Agite ergo pœnitẽtiam antequam mors inimica naturæ uos aggrediatur. Statuatis uos simplicem, humilẽ, utilem, secretam, frequentem, prõptam, amaram, lachrymosam & festinam confessionẽ, cum etiam horã mortis omnino ignoremus. Nam cũ in extrema ægritudine fueritis fratres, ò quàm forte, ò q̃ durũ, ò q̃ pœnosum, ò quàm lachrymabile erit uobis pœnitere & dolere de malis commissis & de bonis omissis. Quare hoc erit, nisi quia illic capiẽ tota intentio mentis, ubi est uis doloris? Multa enim occurrunt impedimenta cordi. Nam corpus dolet, pœna affligit quia mors appropinquat, intrare filios quos patres summe dilexerunt pro quibus etiam se damnatos existimãt, tenebroso oculo aspiciunt, uxores iam lachrymantes cõsiderant, mundus adhuc eis fiduciã præstat, diabolus ne de peccatis doleant fidem tribuit, & chirographum infirmantibus præbet, caro nõ deficere adhuc satis sperat, medici adhuc ut lucrenẽ ipsum confortãt, parentes applaudunt, sacerdotes alliciunt, & sic diuites moriuntur in inferno. O homo audisti quid locutus sum, omnino crede q̃ hęc omnia cito experieris. Obsecro igitur te ut anteq̃ infirmitate graueris, agas pœnitentiam, disponas domũ tuã. Fac quod fiendum est, fac testamentum dum sanus es, dum sapiens es, dum tuus es: Nã si expectaueris infirmitatem omnino minis uel blandimẽtis duceris quò tu non uis. O homo dum iuuenescis dispone domum tuam, age pœnitẽtiam, dilige deum non solum uerbo sed opere & ueritate. Et si proximũ offendisti uerbo, placa eum uerbo: si facto, placa eum facto, quia eadẽ mẽsura parceẽ nobis qua percimus alijs. O homo fac pœnitentiam, Memorare nouissima tua ut in æternum nõ pecces: Reuertere ad te ipsum memorans quòd fuisti sperma liquidũ, q̃ modo es uas stercorũ, quòd eris cibus uermiũ. Hæc enim sunt nouissima quæ cogitare debet quotidie qui fidelis est. O homo memorare nouissima tua, quia post mortem uermis nascetur tibi de lingua pro peccato linguæ, de stomacho pro peccato gulæ, de spermate renum scorpiones pro peccato luxuriæ, de cerebro bufones pro peccato superbiæ. Memorare nouissima tua ò iuuenis qui floride ambis & pergis capite eleuato cuncta quæ dei sunt despiciendo. Memorare nouissima tua, quia terra es & in terrã ibis. Memorare nouissima tua quia cõceptus es in culpa, natus in pœna, uiuens in miseria, & necessario morieris in angustia. O homo cur te iactas fortitudine? Ecce nunc post modicum infirmaris, & deficis: Cur, inflaris mundi sapientia? Ecce q̃ stultitia est & eam perdes & tuam prudẽtiam reprobabo, dicit dominus. Cur inflaris sciẽtia? Nũquid philosophis obscuratum est cor, & in cogitationibus suis euanuerunt? Nunquid traditi sunt in reprobum sensum? Cur te iactas generis nobilitate? Nunquid omniũ nascendi conditio una est? Nunquid & moriendi una conclusio? Quis nobilium unquã natus est sine sanguinis cruentatione? Nũquid nobilis simul cum paupere pereundem dũ nascitur meatũ transit? A regula etiam mortis nũquid parcitur diuitiis? Cur diuitijs te iactas? Ipsæ enim potius insidię tibi sunt q̃ amicitię. Nam pauper fere nunquam occidi quæritur, diuiti uero semper insidiatur. Memorare ò homo nouissima tua qui quotidie epularis, quomodo nudus de utero matris uenisti, & nudus reuerteris. Eia ergo fratres domos uestras pauperibus aperite, eleemosynas facite, uoluptates uestras rationi subiugate, in cunctis memorantes nouissima uestra ut mortaliter non peccetis in æternum. Adiuuet autem nos deus sine cuius uoluntate folium arboris non mouetur, ad perficiendum ea quæ placita sunt ei, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

De miseria carnis & falsitate præsentis uitę:

Sermo XLIX

Aliacis exordium

O VITA quæ tantos decipis, de proprijs tantos seduxisti, tantos excęcasti: quæ dum fugis, nihil es: dũ uideris, umbra es: dum exaltas, fumus es. Dulcis es stultis & amara sapientibus. Qui te amat, non te cognoscit: qui te contemnunt, ipsi te intelligunt. Timenda es, & fugienda es. Væ qui tibi credunt, beati qui te contemnunt. Vera non es uita quam te ostendis. Alijs ostendis te longam ut perdas in finem. Alijs breuem ut dum pœnitere uolunt, non permittas. Alijs largam ut faciant quid uolunt. Alijs angustam ut non faciant bonum. Quare, ò sapiens fuge quod fugis. Sic enim est uita nostra quasi homo in domo aliena, nesciens qua hora uel die patronus dicat, Vade foras, quia non est tua domus in qua es. O seculum uanum quid nobis tanta promittis, dum decipis? Qui tibi amicus uoluerit esse, inimicus dei constituetur. Amicitia seculi, inimicitia dei est. Caro est quæ animam perdit, caro est quæ recipit inimicum cũ uitijs. Item seminat homicidia, seminat fornicationẽ, seminat concupiscentiam, seminat rixas, seminat libidinem, seminat

Eccl. 7

ſeminat furtũ, ſeminat idololatriam, ſeminat cupiditatem, ſeminat ſuperbiam, & inter fratres diſcordiam, ſeminat inuidiã, ſeminat contra deũ blaſphemiam, prouocat ſchiſmata, irritat hæreſes, & intra Eccleſiam dei infert diuiſiões, inter populos Chriſtianos ponit offẽdicula, & inter gẽtes pugnas, & inter cõſanguinitatem incãtatiões, & q̃d peius eſt in corda ſeruorum dei diuerſa genera cogitationũ immittit, & omnia quę mala ſunt in hoc mũdo caduco, peſſimo & nephãdo, & quaſi orta ſub omni uelocitate trãſit. Carnis etiã poteſtatem habet diabolus & non animę, dicente dño ad diabolũ de beato Iob, Do tibi illũ in poteſtate, ſed nõ animã eius. Caro miſera grauat animam, caro uaga demergit in infernum. Caro inimica eſt animę, quæ ſi inimica non eſſet, nõ utique dilexiſſet iſtius ſeculi uanitatem, & uita uana non frueretur. O uita atrociſſima, quam humores tumidãt, dolores æſtuant, aeres morbidãt, eſcę inflãt, ieiunia macerant, iocí ſoluunt, triſtitię conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, diuitię ſuperbiũt, paupertas eijcit, iuuentus extollit, ſenectus incuruat, frãgit infirmitas, mœror cõſumit, & ſuper his omnib. mors atrociſſima ſuccũbit ui furibunda. O caro cũ deformitate depreſſa, illam debuiſti uitã amplecti quæ in æternitate conſiſtit, ubi uita eſt ſine morte, ubi iuuẽtus ſine ſenectute, ubi lux ſine tenebris, ubi gaudium ſine triſtitia, ubi nobilitas & uoluntas ſine iniuria, ubi regnũ ſine commutatione. Hæc ſunt ſeptem quæ conſequi debueras. O caro miſerabilis quare negaſti dum uiueres? Si perſeueraſſes bona & quibuslibet bonis priuata non fuiſſes ſi bene egiſſes. Illic enim permãſiſſes ubi eſt gaudiũ ſempiternum, ubi immarceſcibilis eſt gloria, ubi incorruptibilis eſt & incomparabilis delectatio, ubi Chriſtus apoſtolorum & prophetarum & ſanctorum omnium eſt iocunditas, nec nõ & ſumma lętitia cum ſanctis angelis canentibus laudes deo, ubi delectatio omniũ bonorũ. Hęc omnia bona delectabilia per huius ſeculi prauitates ſpreuiſti. Ecce poſt finem quamuis in limo terræ manciperis, habes inimicitiam, id eſt, corruptionem, fœtorem & uermem, & diſſolutionem fœtoris pateris, ut uuentes de te exemplum accipiant, quid fuiſti, & quid es: quia à uermibus cõſumeris, poſtremo uero in finem propter nouiſſima, propter redeuntem animam, id eſt, uitam in corpore in quo prius fuiſti, ſupplicijs æternis mancipaberis & ſimul cum anima damnaberis. O miſera anima quã caro perſequitur. Caro concupiſcit, corpus operatur. Caro autẽ cum ſatiatur affluentiſſimis cibis & potibus & delectationibus, hortatur omnia mala facere. Caro prouocat homicidia, caro perpetrat adulteria, caro cõmittit rixas & ſcandala, caro inſerit ebrietatẽ, caro portat omnem concupiſcẽtiam huius ſeculi. O caro miſera quid habes, quid agis, quid tantum grauas animã quæ nihil deſiderat niſi deo ſeruire? Tu ò caro miſera non ſufficit tibi perditio tua, quòd adhuc animam infœlicem tecum demergere conaris? Vę tibi anima quę tibi carnem cõtrariam accepiſti. Caro mala quid quę-

ris, quid deſideras? Non em̃ poterit ſine te anima iudicari in die iudicij. Caro miſera & putribilis & omni ſqualore peccatorum plena, quando uiua eras, pulchra eras ut ſol, ſplendida ut luna, & occuli tui micabant ut ſtellæ, & crines tui longæui, & ungebas te precioſis unguentis, ueſtibus utebaris optimis, & in cibis tuis & potibus condebas aromatum multitudinem. Et ſcito anima dum corpus tenebroſum & fœtidum reficiebas atque fouebas, eſcas uermibus pręparabas. Memorare debuiſti quæ à factore & opifice tuo audieris cum primum peccatum commiſiſti: Terra es, inquit, & in terra reuerteris. Et Iob audi dicentem, Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ & nudus reuertar illuc. Audi etiam Eſaiam uaticinantem, Vere fœnum eſt populus. Caro miſera & nefanda, audi Paulum Apoſtolum prædicatorem egregium dicentem, Nihil intulimus in hunc mundũ, nec auferre quid poſſumus. Nihil aliud caro miſera niſi peccatorum ſarcinam ſecum portat. Non niſi per carnem anima peccat. Anima quomodo poteſt uideat. Anima noſtra carcerem patitur, caro eam tenet incluſam. Anima clamat ad dominum, non caro quæ in malitia perſeuerat. Anima remedium aliud non habet, niſi tollatur à carne, & caro redigatur in puluerem, tollatur ei uinum, & detur ei aqua, auferatur ei ſanguis & detur ei humor terrenus. O caro miſera quid de te agetur quãdo à te egrediar, & uita à te recedet? Tu ſola in utero & ſinu terræ iacebis, & aliud nunquã manciperis, habebis in te hæreditatem peſſimam, id eſt, corruptionem, fœtorem & uermes. Ecce quę acquiſiuiſti dum uiua eras, ecce quid poſſides dum in ſepulchro iaces. Non potuiſti te ieiunijs macerare, ac ieiunijs in cinere & cilicio humiliare? In perpetuum cum anima ſalua fuiſſes ſi ei credidiſſes, quia non bene facere potes niſi alijs benefeceris, hoc eſt, niſi corpus per abſtinentiã afflixeris, animam ſaluare non poteris. Audi quid creator noſter dicat ad carnem: O, inquit, mea creatura, ego te ex limo terrę pulchram & lucidam aſſumpſi, imaginem meã in te cõdidi, ſpiramen uitę tribui, animã inuiſibilẽ tibi conceſſi, immortalitatis tunica te indui, in paradiſo uoluptatis te collocaui, uita angelica perfruebaris, cibos & delectabilia iucũditatis contemplabaris, & omnia quæ creaui in tua dominatione humiliaui, & affluentes diuitias dedi, inſuper & omnia ligna paradiſi tibi ſubdita erant, & pro uno uetito quod ibidem comediſti, ecce ubi cecidiſti, ſcilicet de paradiſo in infernum, de luce ad tenebras, de amœnitatis & iocunditatis loco ad chaos, & ad omnia obſcuriſſima mala: pro delectabili odore nunc putredini & putori manciparis, p eſca angelica in cibo uermibus ſubiacebis, pro immortalitatis ueſte corrupto induta es ueſtimento. Ecce quã conceſſi uitã abſtuli & ſubtraxi, ut tu miſera & putribilis caro in inferno mãciperis, ubi eſt fletus & mugitus atq̃ ululatus, inſuper & ſtridor dentium & teterrima tormenta, & quod peius eſt poſt mortem & corruptionẽ, poſt uermes & fœtorem & cõſumptionẽ

Iob 1 — Gen. 3 — Iob 1 — Eſa. 40 — 1. Tim. 6

poſtea in puluerẽ redacta. O caro quæ igni inextinguibili manciperis: audi animã dicentẽ ad corpus, Ego de cœlo ueni à deo conceſſa tibi. Nam tu de terra es, melius eſt ut mecum aſcendas ad cœlum, q̃ tu me trahas ad infernũ. Dum uiuimus & ſumus in unũ, operemur manibus quod bonum: id eſt, eleemoſynas & ieiunia in caſtitate & in hoſpitalitate egenorũ, & in nuditate pauperũ, & in omnibus bonis operibus, ut per bonã operationẽ quam agimus aſcẽdere ad cœleſtia ualeamus, ubi nõ iam ſolutione corporis, ſed incorruptionis ueſte induamur: ubi nõ iam fœtor, ſed odor ſuauiſſimus: ubi nõ iam tenebræ, ſed lux perpetua micat, ubi nõ iam uermiũ multitudo, ſed caterua angelorum & innumerabilia milia ſanctorũ & prophetarum omniũ chorus cum ſanctis angelis hymnum deo inceſſanter canũt. Cum ipſis nos faciat ęterna gaudia percipere Chriſtus, Qui cum patre & ſpirituſancto uiuit & regnat &c.

De ſalute animæ. Sermo L

QVANTVM ad animæ noſtræ deſideriũ pertinet fratres chariſſimi, uolũtatis noſtræ eſt ut ad uos requirẽdos frequenter ueniamus, ſed neceſſitate tẽporis nunc ueniendi incolumes nos uenire meruimus: & ideo quia de cõmuni corporũ ſanitate gaudemus, de animarũ ſalute quæ uera ſalus eſt inquantũ dominus dederit, colloquamur. Ideo fratres ad imaginẽ dei facti ſumus, ut deo donãte intelligamus quæ ſit deſideranda patria, quæ ſit uera beatitudo, quæ uera uita, quæ perfecta ſanitas, quæ ſit æterna felicitas. Sed intus in corde deo inſpirante cognoſcamus. Nemo ſe excuſare poterit, ut dicat, non noui literas, ideo dei præcepta intelligere nõ poſſum: quia qui literas nõ nouit, quid ſit aut non ſit, intelligere debet. Interroget homo conſcientiã ſuam, & alloquatur ſeipſum, & dicat ſibi ſuis uerbis, O homo, quis es, aut ubi es, & unde ueniſti? Et reſpõde tibi. Homo ſum, & dei creaturã me eſſe cognoſco. Iterũ interroga & dic, Quid in te habes, aut ex quib. rebus te factũ eſſe cognoſcis? Reſpõde & dic, Ex anima & carne me conſtare cognoſco. Quid in te ex his duabus reb. melius habes? Reſponde: Sine dubio animã meliorẽ habeo quã carnem. Optime & ordine legitimo reſpõdiſti, & dixiſti te animam meliorẽ habere q̃ carnẽ. Dic mihi adhuc, Vbi es, ò homo? Reſpõdebis in mundo. Poſtea uero ubi eris? In cœlo. Quãdiu ibi eris? In ſecula ſeculorũ. Iuſtiſſimẽ reſpondiſti & uerũ dixiſti, fac modo rationẽ uitæ tuæ, & eſto iudex iuſtus. Ex omnib. rebus quas dedit tibi deus, ſerua carni tuæ, unde ſuſtentetur in mũdo, & repone animæ tuæ unde in perpetuũ uiuat in cœlo. Attẽde diligẽter cõſcientiam tuã, & uide ſi tantas res animæ tuæ repoſuiſti in cœlo, quãtas habes corpori tuo in mũdo: ſi tot ſolidos repoſuiſti in cœlo, quantos tibi ſeruaſti in mundo. Vide ſi tot modios tritici, ſi tot amphoras uini per eleemoſynam in paradiſo unde uiuat anima tua repoſuiſti, quãtũ tibi reſeruaſti unde uiuere poſſit caro tua in mũdo. Cum ergo iſta diligenter attẽderis, & cõſiderans ſapiẽter, uides te prope

totã librã carni tuæ ſeruaſſe in mũdo, & unam unciam repoſuiſſe in cœlo, erubeſce & cito ad pœnitentiæ medicamẽta confuge, quia inceptũ in teipſum iudiciũ iudicaſti. Aliud uerum dixiſti, & aliud operibus perfeciſti: quia totũ carni non ſolũ fideliter, ſed etiã infideliter deputaſti. Neſcio ſi apud te periclitetur iudiciũ tuũ, quando inter animã & carnẽ tuã iniqua ſunt iudicia tua. Et ubi te iuſtum inuenire potero, quẽ in teipſum iniquum eſſe cognoſco? Et tũc certe nutrimus carnẽ, ornamus carnẽ, aliquotiẽs inebriamus nos, & nimiũ delicioſe paſcimus carnẽ quam uelimus nolimus poſt paucos mẽſes aut annos uermes deuoraturi ſunt in ſepulchro, & contẽnimus animã quæ deo ab angelis præſentatur in cœlũ. O q̃ dura erit animæ peccatrici, & q̃ intolerabilis hora illa quando uiderit bonã animã requiem recipere in paradiſo, ſe uero torqueri in æterno ſupplicio. Ergo conſiderate fratres chariſſimi, ſi nõ maiorẽ certe uel æqualẽ partẽ animę faciamus. Non enim foris in corpore, ſed intus in interiori homine facti ſumus ad imaginẽ dei. Caro em̃ noſtra de limo terrę formata eſt. Nũquid iuſtũ eſt ut limus terræ imagini præponatur? Caro em̃ debet ſeruire, & anima imperare. Iſta debet exercere imperium, & illa ſubiecta ſeruitiũ. In omnibus Chriſtianis bonis anima dominat̃, & caro ſeruire cõpellitur. In peccatoribus uero & amatoribus huius mũdi, inuerſo imo peruerſo ordine caro erigitur & anima humiliatur. Illa delitijs paſcitur, & iſta fame torquetur. Illa luxuriat̃ in ueſtibus precioſis, & iſta uix in ueteribus inuoluit̃ pannis: & ſi peccatis fuerit obnoxia, ęterno iudici pręſentat̃, & tunc uera eius ignominia apparebit. Nã cum anima in corpore ſuo caput eſſe debeat, quicũq̃ carnẽ delicijs aut uoluptatibus nimiũ erigit, nutrit, fouet & palpat, animã uero deſpicit & contemnit, pedes leuat in alto, & caput imprimit in pfundo. Et qualis eſt in oculis hominũ qui inuerſis pedibus ambulare uidet̃, talis eſt in oculis angelorũ, cui caro propria dominat̃. Sicut ergo ſupra dixi, Fecit nos deus ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam: & cũ deberet in nobis homo interior dominari, in tantũ deum contemnimus ut imaginẽ dei miſerabili limo ſeruire faciamus, & hoc eſt iniquũ iudiciũ ut carnem noſtram animæ præponamus. Sed hoc omnes homines recto iudicio nõ faciũt. Multi enim ſunt honeſti, ſobrij & humiles, miſericordes, caſti, in quib. anima tenet imperiũ, & caro ſubiecta ſeruit. Et ideo rogo uos fratres attendat unuſquiſq̃ conſcientiã ſuam: & ſi dominat̃ caro, cito erigat dominã & ſtimulet ancillã, ut non caro uincat animã & ad luxuriã trahat, ſed magiſtra carnem ſuã regat, & per uias caſtitatis & iuſtitiæ ducat. Qui uero in ſe ſentit animam dominari, teneat cũ dei adiutorio diſciplinæ continentiam, & per freta pelagi huius mũdi, ita nauigiũ corporeũ ueritate gubernante contendat, ne inter fluctus iuſtitiæ naufragiũ incautus incurrat. Vt enim agnoſcatur quòd ex nobis in ueritate anima domineť, de ſubſtantia noſtra uictũ nobis ſufficienter & ueſtitum ſimplicẽ reſeruemus, & quicquid ampliũs

deus dederit, animæ in æternã beatitudinem per eleemosynam pauperũ reponamus, ne forte cum carnem nostram ornamentis cõponamus, & mul tis delicijs saginamus, partem cũ illo diuite purpu rato & nõ cũ Lazaro habeamus. Scitis enim ut in Euãgelio frequenter audistis, quòd diues ille qui epulabat quotidie splẽdide, & purpura induebat & bysso, pòst de corpore exijt, & sepultus est in inferno, & ibi inter flãmas aquæ guttam & locum refrigerij requisijt & inuenire nõ meruit. Ecce cu ius caro luxuriat & epulat in seculo, quales diui tias inueniet in inferno. Lazarus uero qui nec diui tias nec ornamenta habuit in seculo, post mortem in sancti Abrahæ requieuit gremio. Sicut ergo su pra dixi fratres charissimi, refrenemus gulam no stram, & uictum & uestitũ simplicem carni nostrę in hoc seculo præparemus, ut remaneat aliquid quod in futuro seculo animæ reponamus. Quod peritura gula cupit, reseruet eleemosynæ: Orna mẽta quæ luxuria ac suauitas requirit in mũdo, mi sericordia & ueritas reponat in cœlo. Si ornati uo lumus esse, quæramus ornamẽta unde nemo or nat indignus. Si delicias cõcupiscimus, nõ quęra mus carnales ac trãsitorias ex quibus stercora cõ ficiunt in mũdo, sed magis spiritales & ęternas un de angeli epulant in cœlo. Et si forte quæris quæ
1.Cor.2 sint illę delicię, audi Apostolũ dicentẽ: Quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit dominus diligẽtibus se. Adhuc quæris & interrogas, quid sit hoc? Si uis uerũ agnoscere, deus est deliciæ tuæ, requies tua, sanitas tua, gaudiũ tuũ, felicitas tua, refrigeriũ tuũ, amœnitas tua, & quicquid sanctè possit desidera re anima tua, totũ tibi deus erit. Sic beatus Apo
1.Cor.15 stolus dicit: Et erit deus omnia in omnibus. Aua re audi me: Quid tibi sufficit si deus tibi non suffi cit? Si ergo ista omnia desideratis, paradisi requiẽ quęrite, pro ęterna beatitudine suspirate, unde nõ exit amicus, ubi nõ intrat inimicus, unde nec bo nus potest exire aliquando, nec malus ullo modo introire. Ad istam ergo primam ornati bonis ope ribus festinemus, ut dum eleemosynã pauperibus dederimus, ad cœlestia regna peruenire possi mus. Ad quæ ille nos perducat qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

Hic sequebat concio, quæ habetur inter Homi D lias Quinquaginta, II. nisi q̃d hic detraxerat initiũ.

August. ad populum Hipponensem, de disqui sitione clericorum suorum. Sermo LII.

P ROPTER quod uolui & rogaui hester na die ut hodie frequẽtius cõueniretis: hoc est quod dicturus sum. Vobiscum hic uiuimus & ꝓpter uos uiuimus: & intentio uo tumq; nostrũ est ut apud Christũ uobiscũ sine fine uiuamus. Credo aũt ante oculos uestros esse con uersationẽ nostrã, ut & nos dicere fortassis audea
1 Cor.4 mus, quãuis multũ illi impares qui dixit: Imitato
12.q.1.nolo res mei estote sicut & ego Christi. Et ideo nolo ut aliquis de uobis inueniat male uiuendi occasio
Rom.12 nem. Prouidemus enim bona, ut ait idem apostolus, nõ solũ corã deo, sed etiã corã omnibus homi-

nibus. Propter nos cõscientia nostra sufficit nobis:
A ꝓpter uos fama nostra non pollui, sed pollere debet in uobis. Tenete q̃d dixi atq; distinguite. Duæ sunt res cõscientia & fama. Cõscientia necessaria est tibi: fama proximo tuo. Qui fidens cõscientiæ suæ negligit famã suã, crudelis est: maximè in loco isto positus, de quo dicit apostolus scribens ad di scipulum suũ. Circa omnes teipsum bonorũ ope Tit.2
rum præbe exemplũ. Vt ergo uos non diu teneã, præsertim quia ego sedẽs loquor, uos stando labo ratis: nostis omnes, aut penè omnes, sic nos uiuere in ea domo quæ dicit domus episcopi, ut quãtum possumus imitemur eos sanctos, de quibus loqui
Act.2 & 4 tur liber actuũ apostolorũ, Nemo dicebat aliquid propriũ, sed erãt illis omnia cõmunia. Quia forte aliqui uestrum sunt nõ tam diligentes uitæ nostræ
B scrutatores: ut hoc sic nouerint quomõ uolo uos
supra Ser. 46 & 5 nosse, dico q; frequenter dixi. Ego quem deo pro pitio uidetis episcopum uestrum, iuuenis ueni ad istam ciuitatẽ, ut multi uestrum nouerunt, & quæ rebam ubi construerem monasterium & uiuerem cum fratribus meis. Spem quippe omnem seculi
Psal.84 reliquerã, & quod esse potui, esse nolui: nec tamẽ quæsiui esse quod sum. Elegi in domo dei mei ab iectus esse magis q̃ habitare in tabernaculis pec catorum, ab eis qui diligũt seculum segregaui me: sed eis qui præsunt populis nõ me coæquaui. Nec in conuiuio domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem abiectum: & placuit illi dicere mi hi, Ascende sursum. Vsq; adeo aũt timebã episco patum, ut quoniam cœperat esse alicuius iam mo
C mẽti inter dei seruos fama mea, in quo loco sciebã non esse episcopum, ne illò accederem cauebam: & hoc agebam quantũ poterã, ut in loco humili saluarer, non alto periclitarer. Sed ut dixi, domino seruus cõtradicere non debet. Veni ad istam ciui tatem propter uidẽdum amicum, quem putabam me lucrari posse deo, ut uobiscũ esset in monaste rio. Quasi securus perueni quia locus habebat epi scopum. Apprehẽsus & presbyter factus, per hũc gradũ perueni ad episcopatũ. Non attuli aliquid, nec ueni ad hanc Ecclesiã nisi cũ his indumentis quibus illo tẽpore uestiebar. Et quia hic dispone bã esse in monasterio cũ fratribus: cognito institu to & uolũtate mea beatæ memoriæ senex Vale
D rius dedit mihi hortũ illũ in quo nunc est monaste riũ. Cœpi boni propositi fratres colligere cõpares meos nihil habẽtes, sicut nihil habebã, & imitãtes me: ut quõ ego tenuem paupertatẽ meam uẽdidi & pauperibus erogaui, sic facerent & illi qui me cũ esse uoluissent, ut de cõmuni uiueremus. Com mune aũt nobis erat, magnum & uberrimũ præ dium, ipse deus. Perueni ad episcopatũ, & uidi ne cesse habere episcopũ exhibere humanitatẽ assi duã quibusq; ueniẽtibus siue trãseuntibus. Quod si nõ fecissem, episcopus inhumanus dicerer. Si au tem consuetudo ista in monasterio permissa esset, indecens esset. Et ideo uolui habere in ista domo episcopi mecũ monasterium clericorũ. Ecce quõ uiuimus. Nulli liceat in societate nostra habere a liquid propriũ. Sed si forte aliquid habent, nulli li cet: &

cet: & qui habuerint faciunt quod non licet. Bene aũt sentio de fratribus meis, & semper bene cre- A
dẽs ab hac inquisitiõe dissimulaui: qua & ista quę rere quasi male sentire mihi uidebat. Nouerã em & noui omẽs, qui mecũ uiuerent, nosse propositũ nostrũ: nosse legem uitæ nostræ. Venit etiã ad nos presbyter Ianuarius, qui uidebat sua honeste ero gando quasi consumpsisse, sed nõ cõsumpsit. Re mãsit illi quædam pars pecuniæ, id est argentum, quod diceret esse filiæ suæ. Filia ipsius, deo propi tio in monasterio fœminarũ & bonæ spei est. Gu bernet illã dñs ut impleat quæ de ea iam speramus in illius misericordia nõ eius meritis. Et quia infra annos erat, & de sua pecunia nihil facere poterat: quamuis ei fideremus fulgorẽ professionis, tamẽ lubricũ timebamus ætatis: factũ est ut ipsum argẽ
B tum quasi puellę seruaretur: ut cũ ad legitimos an nos ueniret, faceret inde quod uirginem Christi deceret, quando optime iam facere posset. Dum hæc expectant, cœpit ille morti propinquare: qui diu tanquã de suo uiuens, quia ipsius erat nõ filiæ, testamentũ fecit. Testamentũ, inquã, fecit presby ter, socius noster, nobiscũ manens, de Ecclesia uiuẽs, cõmunem uitã profitẽs: testamentũ fecit, hæ redes instituit. O dolor illius societatis: ò fructus natus nõ de arbore quã plantauit dominus. Sed ec clesiam scripsit hæredem. Nolo numerare ista: nõ amo amaritudinis fructum. Ego illum deo quære bam, societatẽ professus erat, hãc teneret, hãc exhi beret, nihil haberet, testamentũ non faceret: habe
C bat aliquid, nõ se nostrum sociũ quasi dei pauperẽ fingeret. Magnus inde mihi dolor est fratres. Di co charitati uestræ propter hunc dolorẽ statui he reditatem ipsam in ecclesia nõ suscipere. Filiorum ipsius sit quod reliquit, ipsi inde faciant quod uo luerint. Videt enim mihi quia si eam suscepero: in isto facto q̃d mihi displicet, & quo doleo, eius par ticeps ero. Hoc uolui nõ latere charitatẽ uestrã. Fi lia ipsius in monasterio fœminarũ est: filius ipsius in monasterio uirorum est. Ambos exhæredauit: illam cum laude, istum cũ elogio, id est, cum uitu peratione. Cõmendaui aũt ecclesię ut non accipi ant ipsas portiunculas quæ pertinent ad exhære datos, nisi cum ad legitimam ætatem peruenerint. Hoc eis reseruat ecclesia. Deinde litẽ dimisit inter filios suos, in qua laboro. Puella dicit, meũ est, no
D stis quia hoc dicebat semper pater meus. Puer di cit, credat patri meo, quia moriens mentiri nõ po tuit. Et ista contentio quale malũ est? Sed si pueri isti serui dei sunt: litẽ hanc inter illos cito finimus. Audio illos ut pater, & forte melius q̃ pater ipso rum. Videbo quid sit iuris, sicut deus uoluerit, cũ paucis fratribus fidelibus honoratis, deo propicio de numero uestro, id est de plebe ista. Audio inter illos causam: & sicut dñs donauit finio. Tamen ro go uos, nemo me reprehendat, quia eius hæredita tem nolo q; suscipiat ecclesia. Primo quia factũ il lius detestor: deinde quia institutum meum multi laudant quod dicturus sum, sed & aliqui reprehen dũt. Vtrisq; satisfacere ualde difficile est. Audistis
Matt.11 modo cũ euãgelium legeretur, Cecinimus uobis

& nõ saltastis: lamentauimus & nõ planxistis. Ve nit Ioannes non mãducans neq; bibens, & dicunt dęmoniũ habet. Venit filius hominis manducans & bibẽs, & dicũt: Ecce homo uorax, potator uini, publicanorum & peccatorũ amicus. Quid ergo fa cio inter illos qui parant me reprehendere & den tes in me ducere, si suscepero hęreditates eorũ qui filios suos irati exhæredant? Iterũ quid sum factu rus eis quib. canto & nõ uolũt saltare? qui dicunt, Ecce quare nemo donat Ecclesiæ Hipponẽsi ali quid: ecce quare nõ eam faciunt qui moriuntur hę redẽ: quia episcopus Augustinus de bonitate sua (laudãdo enim mordent, labijs mulcent, dentẽ fi gunt) donat totũ non suscipit. Plane suscipio, ꝓfi teor me suscipere oblatiões sanctas. Si quis autem 13.q.2.si quis
irascit filio suo & moriẽs exhæredat eum: si uiue irascitur.
B ret nõ eum placarẽ? nõ ei filium suum recõciliare deberẽ? Quõ ergo cũ filio suo uolo ut habeat pa cẽ, cuius appeto hęreditatẽ? Sed plane, si faciat q̃d sæpe hortatus sum: unum filium habet, putet Chri stum alterũ: duos habet, putet Christum tertium: decem habet, Christum undecimũ faciat, & susci pio. Quia ergo feci hoc in quibusdã rebus: iam uo lunt bonitatem meam uel cõmendationem famæ meæ in aliud uertere: ut alio modo me reprehen dãt, quia oblationes deuotorũ hominũ nolo susci pere. Cõsiderent q̃ multa susceperim. Quid opus est ea numerare? Ecce unũ dico, Filij Iuliani hę reditatem suscepi. Quare? Quia sine filijs defunctus est. Bonifacij hæreditatẽ suscipere nolui: non mise ricordia, sed timore. Nauiculariã nolui esse Eccle
C siam Christi. Multi sunt quidẽ qui etiã de nauibus acquirunt: tamẽ una tentatio si esset, iret nauis, & naufragaret. Homines ad tormẽta daturi eramus, & de submersione nauis secundũ consuetudinem quęreretur: & torquerentur à iudice qui essent de fluctib. liberati, sed non eos daremus. Nullo enim pacto hoc facere deceret Ecclesiam. Onus ergo 12.q.1.Nol
fiscale persolueret. Sed unde persolueret? Enthe lo ut.
cam nobis habere nõ licet. Non enim est episcopi seruare aurũ, & reuocare à sęl mendicantis manũ. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemũt, tam multi nos inopes interpellant, ut plures testes re linquamus, quia quod possimus dare omnib. non habemus. Nõ habemus ergo Enthecam. Propter
D naufragiũ ergo hoc uitandum feci non donando. Nemo ibi me laudet, sed nemo etiã uituperet. Pla nè quando donaui filio, quod iratus pater moriẽs abstulit: bene feci. Laudẽt qui uolunt, parcant qui laudare nolũt. Quid plura fratres mei? Quicunq; 17.q.1.est.4
uult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, Quicunq;
quærat alterũ qui suscipiat, non Augustinum: imo deo propitio nullũ inueniet. Quàm laudabile fa ctum sancti & uenerandi episcopi Aurelij Cartha ginensis, quomõ impleuit eos omnes qui sciũt lau dibus dei? Quidã enim cũ filios non haberet neq; speraret, res suas omnes retẽto sibi usufructu dona uit Ecclesiæ. Nati sunt filij sibi postea, & reddidit Episcopus, nec opinanti illi, quę donauerat. In po testate habebat Episcopus nõ reddere: sed iure fo ri, non iure poli. Sanè etiam hoc nouerit charitas

uestra dixisse me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicunq; habet aliquid, aut uendat & ero
A get: aut donet & cõmune illud faciat. Ecclesiã habet, per quam deus nos pascit. Ego dedi dilationẽ usq; ad Epiphaniam, propter eos qui uel cum fratribus suis non diuiserunt, & dimiserunt quod habent apud fratres suos, uel nondũ de re sua aliquid fecerũt, quia expectatur ætas legitima. Faciant inde quod uolunt, dum tamẽ sint pauperes mecum,
12. quæst. 2 certe. simul expectãtes misericordiam dei. Si autem nolunt, qui forte nolũt: certe ego sum qui statueram, sicut nostis nullum ordinare clericũ, nisi qui mecum uellet manere: ut si uellet discedere à proposito, recte illi tollerem clericatũ, quia desereret sanctæ societatis promissum cœptumq; consortium. Ecce in conspectu dei & uestro, muto consilium. Qui uolunt habere aliquid proprium, quibus nõ sufficit deus & Ecclesia sua: maneant ubi uolunt & ubi possunt, nõ eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas. Malũ enim esse quis nesciat: Malum est cadere à proposito, sed peius est simulare
Ad. 2 & 4 propositum. Ecce dico audite: Qui societatẽ communis uitæ iam susceptam, quæ laudatur in Actibus apostolorũ, deserit, à uoto suo cadit, & à professione sancta cadit. Obseruet iudicẽ scilicet deum, non me: Ego ei non aufero clericatum. Quantum sit periculum, ante oculos eius posui, faciat quod uult. Noui enim quòd si aliquem hoc facientem degradare uoluero, non ei deerunt patroni, non ei deerũt suffragatores, & hic & apud Episcopos qui dicãt, Quid mali fecit? Non potest tecum
C tolerare istam uitam. Extra episcopatum uult manere, & de proprio uiuere, ideo nõ debet perdere clericatum. Ego scio quãtum mali sit profiteri san
Psal. 75 ctum aliquid, nec implere. Vouete, inquit, & red-
Eccl. 5 dite domino deo uestro. Et, melius est non uouere q̃ uouere & non reddere. Virgo & si nunquam fuit in monasterio & uirgo sacrata est, illi nubere non licet, quamuis esse in monasterio non cõpellitur. Si aũt cœpit esse in monasterio, & deseruit, & tamẽ uirgo est: dimidia ruit. Sic & clericus duas res professus est, & sanctitatem & clericatũ. Interius sanctitatem: nam clericatum propter populũ suum deus imposuit ceruicibus ipsius, cui magis
Deut. 32 onus est q̃ honor. Sed quis sapiens & intelliget
D hæc? Ergo professus est sanctitatem, professus est cõmuniter uiuendi societatem: & professus est q̃
Psal. 132 bonum & quàm iocundum, habitare fratres in unum. Si ab hoc proposito ceciderit, & extra ma-
12. quæst. 1 certe. nens clericus fuerit: dimidius & ipse cecidit. Quid ad me? non eum iudico. Si foris seruat sanctitatem dimidius cecidit. Si uero intus habuerit simulationem, totus cecidit. Nolo quòd habeat necessitatẽ simulandi. Scio quomodo homines ament clericatum, nemini eum tollo nolenti mecum cõmuniter uiuere: habet deum qui mecũ manere uult. Si paratus est pasci à deo per Ecclesiam ipsius, nõ habere debet aliquid propriũ: sed aut erogare pauperibus, aut in cõmune mittere mecum. Qui hoc nõ uult, habeat libertatem, & uideat utrum habere possit felicitatis æternitatem. Sufficiant hæc interim charitati uestræ. Quod egero cum fratribus
A meis, annunciabo uobis. Spero enim bona. Omnes mihi libenter obediunt: nec inuenturus sum aliquos habere aliquid, nisi aliqua necessitate religionis, non cupiditatis occasione. Quid ergo egero post Epiphaniã, charitati uestræ in domini uoluntate, & quomodo litem finiero inter duos fratres, filios presbyteri Ianuarij, non uobis tacebo. Multa locutus sum, Date ueniam loquaci senectuti, sed timidæ infirmitati. Ego sicut uidetis per ætatem iam senui, & per infirmitatem corporis olim senex fui. Tamẽ si deo placet quod dixi, modo ipse det uires, nõ uos desero. Orate pro me, ut quantum inest anima in hoc corpore, & qualescũq; uires suppetunt, in uerbo dei seruiã uobis. Amen.

Acta apud populum Hipponensem de Au-
B gustini clericis. Sermo LIII.

HARITATI uestræ hodie de nobilip-
C sis sermo reddẽdus est. Quia enim, ut ait Apostolus, spectaculũ facti sumus mun- 1. Cor. 4
do & angelis & hominibus: qui nos amãt, quærũt quod laudent in nobis: qui autem nos oderũt, detrahunt nobis. Nos aũt in utroq; medio constituti adiuuãte domino deo nostro, & uitam & famam nostram sic custodire debemus, ut non erubescãt de detractatoribus laudatores. Quomodo aũt uiuere uelimus, quomodo deo propitio iam uiuamus, quãuis de scriptura sancta multa nouerítis, tamẽ ad cõmemorandos uos, ipsa de libro Actuum apostolorũ uobis lectio recitabitur, ut uideatis ubi descripta sit forma quam desideramus im-
C plere. Dum ergo recitatur, uos intentissimos esse uolo, ut post eius recitationẽ, q̃d institui, loquar domino donãte intentioni uestræ. Et Lazarus diaconus legit: Cum orassent motus est locus in quo Act. 4
erant congregati, & repleti sunt omnes spiritusancto, & loquebantur uerbum dei cum fiducia omni uolenti credere. Multitudinis autem credentiã erat anima una & cor unũ: nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erãt illis omnia cõmunia. Et uirtute magna reddebãt apostoli testimoniũ resurrectionis Iesu Christi domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis. Neq; enim egẽs quisquam erat inter illos. Quotquot enim possessores prædiorum uel domorum erant, uendentes afferebant precia eorũ quæ uendebant, & ponebant ante pedes apostolorum. Di-
D uidebatur autem singulis, prout cuiq; opus erat. Cumq; Lazarus diaconus recitasset, & episcopo codicem tradidisset: Augustinus episcopus dixit, Etiã ego legere uolo. Plus enim me delectat huius uerbi esse lectorem, q̃ uerbi mei disputatorẽ. Cum orassent motus est locus in quo erãt congregati, & repleti sunt omnes spiritusancto, & loquebantur uerbum dei cum fiducia omni uolenti credere. Multitudinis autem credentium erat anima una, & cor unũ: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erãt illis omnia communia. Et uirtute magna reddebant apostoli testimoniũ resurrectionis Iesu Christi domini nostri, & gratia magna erat in omnib. illis. Neq; enim

enim egens quisquam erat inter illos. Quotquot enim possessores prędiorum uel domorum erant,
A uendẽtes afferebant precia eorũ quæ uendebant, & ponebant ante pedes apostolorum. Diuidebatur autẽ singulis prout unicuiq; opus erat. Cumq; Episcopus legisset, dixit, Audistis quæ iam uelimus, orate ut possimus. Contigit autem quædam necessitas, ut hęc diligentius agerem: quoniam, sicut iam nostis, presbyter in nostra societate constitutus, quali societati perhibet testimoniũ lectio quam modo cum recitaremus audistis, moriens testamentum fecit, quia habuit unde faceret. Erat quod diceret suum, cũ in ea societate uiueret ubi nemini licebat suum aliquid dicere, sed essent illis omnia cõmunia. Si quis dilector & laudator nostER apud detractorem nostrũ prædicaret istam so-
B cietatem, & diceret, cum episcopo Augustino sic uiuunt omnes cohabitatores eius quomodo scriptum est in Actibus apostolorũ: continuo ille detractor caput mouens, dentem promouens, diceret, Ita uere sic ibi uiuitur, quomodo tu dicis. Quare mentiris? Quare falsa laude honoras indignos? Nónne ibi modo in eorũ societate positus presbyter testamentũ fecit, & quod habuit quomodo uoluit disposuit, & reliquit? Certe omnia ibi sunt cõmunia, certe nemo dicit aliquid suum. Sub his uerbis quid ageret laudator meus? Nónne os eius quasi plumbo opilaret ille detractor? Nónne ille laudasse pœniteret? Nónne reuerẽtia perfusus &
C illius sermone confusus uel nobis uel testatori illi maledíceret? Hæc fuit necessitas, ut ad istam diligentiam ueniremus. Nuncio ergo uobis unde gaudeatis, quia omes fratres & clericos meos qui mecũ habitant, presbyteros, diaconos, subdiaconos, & Patriciũ nepotem meum, tales inueni quales desideraui. Sed sunt qui de sua qualicunq; paupertate, quod statuerant, nondũ fecerunt. Hi sunt Valens diaconus, & paulo antedictus nepos meus subdiaconus: & matris uita impediebat quę inde uiuebat. Expectabatur in illo etiam legitimę ętatis accessus, ut quod faceret, firmissime faceret: nondum autem fecit, quia ipsos agellos habet cũ suo fratre cõmunes, & sub indiuiso possident. Si autem diuisi fuerint, eos cupit Ecclesiæ conferre, ut inde alantur qui sunt in proposito sanctitatis quoúsq; in hac uita degunt. Scriptum est enim, &
D 1 Tim. 5 hoc Apostolus loquitur, Qui autem suis & maximè domesticis non prouidet, fidem denegat, et est infideli deterior. Adhuc autem mancipia sunt ei similiter cum fratre cõmunia, & nondum diuisa. Disponit ea manumittere, sed nõ potest antequã diuidantur. Quid enim ad se pertinet, adhuc ignorat. Ad ipsum sanè, quia maior est, pertinet diuisio: & ad fratrẽ eius electio. Et ipse frater eius deo seruit, & subdiaconus est sub sancto fratre meo, & co episcopo Seuero in ecclesia Mileuitana. Hoc agitur, hoc sine dilatione peragendũ est, ut illi seruuli diuidantur & manumittantur, & sic det Ecclesiæ ut eorum excipiat alimentũ. Nepos autem meus ex quo conuersus est, & mecum esse cœpit, impediebatur & ipse aliquid de agellulis suis agere inui-
A ta usufructuaria matre sua, quę hoc anno defuncta est. Inter ipsum & sororẽ eius sunt quædã causæ in Christi adiutorio cito finiendæ: ut & ipse faciat q̃d dei seruũ decet, & quod ista pfessio, & ista exigit lectio. Diaconus Faustinus, sicut penè omes nostis, hic de militia seculi ad monasterium cõuersus est: hic baptizatus, inde diaconus ordinatus. Sed quia exiguũ est quod uidet possidere, sicut iurisperiti loquunt, iure non corpore reliquerat illud, & ab eius fratrib. tenebat. Nunquã inde cogitauit ex quo cõuersus est, nec ipse aliquid quęsiuit à fratribus suis, nec ab illo est aliquid quæsitũ. Modo qa uentũ est ad hunc articulũ tẽporis, cũ cõsilio meo diuisit ipsam rem: & dimidiã donauit fratrib. suis,
B & dimidiã Ecclesiæ pauperi in loco eodẽ cõstitutæ. Diaconus Seuerus sub qua dei disciplina & flagello sit, nostis: lumen tamen nõ perdidit mentis. Vnã domũ hic emerat propter matrẽ & sororem suã, quas de sua patria huc desiderabat adducere. Emerat aũt non de sua pecunia, quã non habebat: sed ex collatione religiosorũ uirorũ quorũ etiã mihi quærenti nomina indicauit. De ipsa nõ possum dicere quid fecerit aut quid disponet, nisi quia ipse totũ in mea posuit uoluntate: ut quicquid ipse uellẽ, hoc inde fieret. Sed habet quasdã causas cũ matre sua, quarũ me iudicẽ posuit: ut cum illæ fuerint terminatę, fiat de ipsa domo quod ego uoluero. Quid aũt uelle potero deo regẽte, nisi quod iustitia iubet, & pietas postulat? Habet etiã in patria
C sua aliquos agellos, quos disponit sic distribuere, ut etiã illic in ipso loco positæ pauperi largiat Ecclesiæ. Diaconus Hipponensis homo pauper est, quid alicui cõferat, nõ habet: tamen de laboribus suis anteqũ esset clericus emerat aliquos seruulos, hodie illos in conspectu nostro manumissurus est episcopalibus gestis. Diaconus Eraclius ante uestros oculos uersat, & opera eius lucent corã oculis uestris. De opere eius & expensa pecunia, memoriam sancti martyris habemus. De pecunia sua emit etiã possessionẽ ex cõsilio meo: nã ipsam pecuniam uoluit per manus meas erogare, sicuti mihi placeret. Ego si pecuniæ auidus essem, aut necessitates ipsas meas quas pro pauperibus habeo, in hac causa curarem: pecuniã acciperẽ. Quare di-
D cit aliquis, Possessio illa quæ ab illo empta & Ecclesiæ donata est adhuc nihil prestat Ecclesiæ? Minus habebat ad precium, & quia mutuatus fuerat, hoc de eius adhuc fructib. reddit. Homo sum senex, quantũ mihi de illa possessiõe potest fructus accedere? Nunquid promitto mihi tot annos esse uicturũ, donec suum preciũ illa persoluat? Quod ergo uix diu partibus reddet, de proximo haberẽ totũ, si accipere uoluissem. Non feci, aliud attendi. Fateor enim uobis & ipsi, suspecta mihi adhuc eius ætas fuit, & uerebar ne forte ut sunt homines, matri eius hoc displiceret: & diceret inductum à me fuisse adolescentem, ut bona eius paterna consumerem, & eum egentẽ relinquerem. Ideo uolui eius pecuniam in illa possessione seruari: ut si aliquid, quod deus auertat, aliter q̃ uolumus euenisset, redderetur uilla, tic culparetur Episcopi fama. Contra Maximum Cap. I

Scio enim quantũ uobis sit necessaria fama mea, nam mihi sufficit conscientia mea. Emit etiã spatiũ ab ista postea Ecclesia notum uobis, & sua pecunia ædificauit domum. Et hoc nostis. Ante paucos dies priusquã sermonẽ de hac re haberẽ uobiscũ, eam donauit Ecclesiæ. Expectauit enim ut eã perficeret, & perfectam donaret. Fabricandi aũt domũ necessitas illi nulla erat, nisi quia cogitauit matrem suam huc esse uenturã. Si aũt uenisset, in re filij sui habitaret: modo si uenerit, in opere filij sui habitabit. Testimonium ei perhibeo, pauper remansit, sed in charitatis possessione permansit. Aliqui seruuli eius reliqui fuerãt iam quidem in monasterio uiuẽtes: quos tamẽ gestis ecclesiasticis manumissurus est hodie. Nemo ergo dicat, diues est: nemo existimet, nemo male loquatur, nemo seipsum & animam suam suis dentibus laniet. Pecuniã nullam habet seruatam, utinam quam debet restituat. Cæteri, id est, subdiaconi pauperes sunt deo propitio, & misericordiã dei expectãt. Vnde ipsi faciãt nõ habent, & nullas habentes facultates finierunt mundi cupiditates. Viuunt nobiscum in societate cõmuni, & nemo eos distinguit ab eis qui aliquid attulerũt. Charitatis unitas est, præponẽda est terrenæ cõmodo hæreditatis. Restãt presbyteri. Sic enim ad eos gradatim ascendere uolui. Cito dixerim, pauperes dei sunt. Nihil ad domum societatis nostræ attulerunt: nisi ipsam, qua nihil charius est, charitatẽ. Verũtamen quoniã scio natos fuisse rumores de diuitijs ipsorũ: non à me ad aliquid compellẽdi, sed uobis meo sermone purgãdi sunt. Vobis dico qui forte nescitis: nam uestrũ plurimi sciũt presbyterum Leporiũ, quãuis seculi natalibus clarum, & apud suos honestimo loco natũ, tamẽ iam deo seruientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem suscepi: Non quia nihil habuit, sed quia iam fecerat quod lectio ista persuadet. Hic non fecit, sed nos scimus ubi fecit. Vnitas Christi & Ecclesiæ, una est. Vbicunq; fecit bonũ opus, pertinet ad nos ut sibi cõgaudeamus. Hortus est unus ubi nostis, ibi monasterium suis cõstituit, quia & ipsi deo seruiũt. Ille hortus ad Ecclesiã nõ pertinet, sed nec ad ipsum. Et ad quẽ dixerit aliquis: Ad illud quod ibi est monasteriũ. Sed uerũ est, quod usq; ad hoc tẽpus curã ꝓ illis ita gerebat, ut sumpticulos quibus sustentent apud se haberet, & eis ipse ut uidebatur impenderet. Sed ne ꝓpter hoc dareť locus hominibus, suspiciones suas rodẽtibus, & uentrẽ nõ implẽtibus: hoc placuit & mihi & ipsi, ut sic se illi transigãt, quasi iste iam de seculo exierit. Nunquid enim cũ abierit ipse, illis dispẽsaturus est aliquid? Melius est ut uideat illos ibi bene cõuersantes, & regẽte deo in disciplina Christi sic uiuẽtes, ut de illis tantũmodo gaudeat, nõ eorum necessitatibus occupetur. Pecuniã nõ habet quam suã dicere possit. Habebat xenodochiũ ędificãdũ, quod modo uidetis ædificatũ. Ego illi iniunxi, ego iussi. Obtẽperauit mihi libẽtissimè, & sicut uidetis operatus est: quomodo etiã meo iussu basilicã ad octo martyres fabricauit, de his quæ per uos deus donauit. Cepit enim de pecunia quæ data erat Ecclesię propter xenodochiũ: & cũ cœpisset ædificare, ut sunt religiosi desiderãtes opera sua in cœlo scribi, adiuuerũt prout quisq; uoluit & fabricauit. Opus ante oculos habemus. Omnis homo quid factum sit uidet: de pecunia quia nõ habebat, mihi credãt, dentẽ cõpescant, nõ frangãt. Emerat de ipsa pecunia xenodochij quandã domũ in Cararia, quã sibi existimabat ꝓpter lapides profuturã: sed lapides eius domus, fabricæ necessarij nõ fuerunt, quoniã aliunde prouisi sunt. Domus ergo ipsa sic remansit, pensionẽ præstat, sed Ecclesiæ nõ presbytero. Nemo amplius dicat, In domum presbyteri, ante domũ presbyteri, ad domum presbyteri. Ecce ubi est domus presbyteri, ubi est domus mea, ibi est domus presbyteri: alibi nõ habet domũ, nisi ubicunq; habet deũ. Quid amplius quæritis? nisi quia me illud memini etiã promisisse, ut ad uos perferrem, quid egissem inter duos, fratrẽ uidelicet & sororem, filios Ianuarij presbyteri, quia orta inter illos fuerat cõtrouersia pecuniaria. Sed tamen sicut inter fratres salua deo propicio charitate promiseram audire, ut inter illos quicquid esset iudicandũ finirem, parauerã me iudicẽ: sed antequã iudicarẽ, ipsi quod iudicaturus erã finierũt. Non inueni unde iudicarẽ, sed unde lætarer. Acquieuerũt omnino cõcorditer uolũtati meæ & cõsilio meo, ut pares essent in pecunia quã reliquit pater eorũ Ecclesia renunciante. Post sermonẽ meũ locuturi sunt homines: sed & quodlibet homines loquant, qualicunq; aura flãte, perducet inde aliquid ad aures meas. Et si fuerit tale ut sit iterum necesse nos purgare, respõdebo detractoribus, respõdebo maledicis, respõdebo incredulis, nõ uobis credentibus presbyteris suis: respõdebo ut potero quod dominus dederit, interim modo nõ est necesse, quia nihil forte dicturi sunt. Qui nos amant, libere gaudebunt: qui nos oderũt, tacite dolebunt. Tamẽ si linguas exercuerint: audient deo propitio uobiscum responsionẽ meam, non litem meã. Non enim hominem nominaturus sum & dicturus, Ille hoc dixit, iste sic detraxit: cum fortasse etiam ad me falsa, quia & hoc potest fieri, perferantur. Veruntamen quæcunq; perlata fuerint, si opportune uidebitur, loquar inde charitati uestræ. Ante oculos uestros uolo sit uita nostra. Scio, quia quærentes licentiã malefaciendi, quærũt sibi exempla male uiuentiũ & multos infamãt, ut socios inuenisse uideantur. Ideo quod nostrũ est, fecimus: plus quid faciamus, nõ habemus. Ante oculos uestros sumus. Nullius aliqd desideramus, nisi bona opera uestra. Et uos exhortor fratres mei: si aliquid uultis clericis dare, sciatis quia nõ debetis uitia eorum fouere contra me. Omnes offerte quod uultis, offerte de uoluntate uestra. Quod cõmune erit, distribuetur unicuiq; sicut cuiq; opus erit. Gazophylacium attendite, & omẽs bene habebimus: ualde me delectat, si ipsum fuerit præsepe nostrũ, ut nos simus iumenta dei, uos ager dei. Nemo det byrrum uel lineã tunicam seu aliquid nisi in cõmune: de cõmuni accipiam mihi ipsi, cum sciã cõmune me habere uelle quicquid habeo. Nolo talia offerat sanctitas uestra

Act. 2 & 4

stra, quibus quasi ego solus decẽtius utar. Offerať mihi, Verbi gratia, byrrũ preciosum: forte decet episcopũ, cũ quis nõ deceat Augustinũ, id est hominẽ pauperẽ, de pauperib. natũ. Modo dicturi sunt homines, quia inueni preciosas uestes, quasnõ potuissem habere uel in domo patris mei uel in illa seculari professione mea. Nõ decet. Talem debeo habere, qualẽ possim si nõ habuerit fratri meo dare. Qualẽ potest habere presbyter, qualem potest habere decẽter diaconus & subdiaconus: talẽ uolo accipere, quia in cõmune accipio. Si quis melio rem dederit, uendo, quod & facere soleo: ut quando nõ potest uestis esse cõmunis, preciũ uestis sit cõmune. Vendo, & erogo pauperib. Si hoc eũ delectat ut ego habeã talẽ, det unde nõ erubescã. Fateor eĩ uobis de preciosa ueste erubesco: quia nõ decet hanc professionẽ, hanc admonitionẽ, hæc mẽbra, hoscanos. Etiã illud dico, Si forte in nostra societate æger est aliquis, ut post ægritudinẽ necesse sit eũ ante horã prãdij reficere: nõ prohibeo religiosos uel religiosas mittere eis quod eis uideť ut mittant. Prandiũ tamẽ & cœnã extra nemo habebit. Ecce dico, audistis. Qui habere uoluerit ꝓprium & de proprio uiuere, & cõtra ista præcepta nostra facere: parum est, ut dicã, nõ mecũ manebit sed nec clericus erit. Dixerã enim & scio me dixisse, ꝙ si nollent suscipere socialẽ uitã mecũ, nõ illis tollerẽ clericatũ: sed seorsum manerẽt & seorsum uiuerent, quõ nossent, deo uiuerẽt. Et tamen ante oculos posui, quantũ mali sit à proposito cadere. Malui enim habere cæcos uel claudos, cũ plãgere mortuos. Qui eĩ hypocrita est, mortuus est. Quõ ergo quicunq; uoluisset extra manere & de suo uiuere, non tollerem ei clericatũ: ita modo, quia placuit illis deo propitio socialis hæc uita, quisquis cum hypocrisi uixerit, quisquis inuentus fuerit habens propriũ, non illi permitto ut inde faciat testamentũ, sed delebo eum de tabula clericorũ. Interpellet contra me mille consilia, nauiget cõtra me quò uoluerit: sit certe ubi potuerit, adiuuabit me deus, ut ubi ego episcopus sum, illic clericus esse non possit. Audistis, audierũt. Sed spero in deum nostrum & misericordiã eius, qui sicut dispositionem meã istã hilariter acceperũt, sic eam pure fideliterq; seruabunt. Dixi aliquid suũ nõ habere presbyteros cohabitatores meos, inter quos est et presbyter Barnabas. Sed de illo audiui quædam fuisse iactata: ante omnia ꝙ emit uillam à dilecto & honorabili filio meo Eleusino. Hoc falsum est: Monasterio donauit ille, nõ uendidit. Ego sum testis. Quid amplius queratis ignoro. Ego sum testis, donauit ille, nõ uendidit. Sed dum nõ credit donare potuisse, creditus est uendidisse. Beatus homo qui tam bonũ opus fecit ut nõ crederet, tamẽ uel modo credite, et detractores audire libenter desinite. Iam dixi, ego sum testis. Dictũ est de illo & ꝙ anno præposituræ suæ per industriã debita fecerit: ut dum ego uolo reddi debita, darem illi licentiã poscendi fundum Victorianensem: tanquã dixisset mihi, ut reddã debita mea, da mihi in decẽ annos fundum Victorianensem. Et hoc falsum est. Sed fuit rumor unde nasceret, fecit reddẽda. A nobis reddita sunt partim unde potuerunt. Remansit aliquid quod nõ debebat, etiã monasterio illi quod per ipsum deus instituit. Cũ ergo remãsisset, cœpimus quærere unde debitũ redderemus. Ad cõductionem ipsius fundi nullus accessit, nisi quadraginta solidorũ offerẽs pensionẽ. Sed uidimus fundum amplius posse dare, ut celerius debitũ redderetur, & cõmisi fidei eius, ut de ipsa cõductione lucra nõ requirerẽt fratres: sed quicquid daret fundus, de ipsis fructib. imputarẽt ad debitũ. Fide agitur. Paratus est presbyter ut aliũ constituã, qui de fructibus fratrib. debitũ reddat. Ex numero uestro sit aliquis, cui hæc cõmittã: ex numero ipsorũ, qui ad nos talia pertulerunt, Sunt eĩ in uobis homines religiosi, qui eũ rumorẽ falsò reprehẽsum esse doluerunt, & tamẽ crediderũt factũ. Ex ipsis ergo aliquis ueniat ad nos, suscipiat possessionẽ, oẽs tructus precij suis fideliter uendat, ut reddi possit facilius quod debeť, & hodie recedat inde cura presbyteri. Locus etiã ipse ubi monasteriũ constitutũ est à memorato filio meo honorabili Eleusino, ipsi presbytero Barnabæ donatus est, anteq; ordinaretur presbyter in ipso loco monasteriũ instituit. Sed tñ quia nomine ipsius donatus erat locus, mutauit instrumẽta ut nomine monasterij possideať. De fũdo Victorianẽsi, ego rogo, ego hortor, ego peto: ut si quis religiosus est, fide agat, & exhibeat ecclesiæ istã operã, ut cito debitũ reddã. Qd si nemo de laicis fuerit inuẽtus, ego propono aliũ, iste illuc nõ accedet. Quid uultis amplius? Nemo laceret seruos dei, qa nõ expedit lacerãtib. Seruis dei quidẽ merces falsis detractiõib. crescit, sed crescit pœna etiã detrahentibus. Nõ sine causa dictũ est, Gaudete & exultate quando detrahunt de uobis, dicẽtes falsa, quia merces uestra magna est in cœlis. Nolumus cũ detrimẽto uestro magnã habere mercedẽ. Minus ibi habeamus, & tamẽ uobiscum ibi regnemus, Amen.

Mat. 5

Hic sequebať sermo cuius initiũ, Nihil sic deo placet, qui habetur Tomo nono col. 950

De obitu Valentini episcopi Carthaginẽsis.

Sermo LV

LIBER sapientię fratres charissimi multis modis cõmendat hominis sapiẽtiã. Primo quia hominẽ à periculo liberat, secundo quia cõseruat liberatũ, tertio quia coronat conseruatũ. Quomodo autẽ liberat, exemplũ patet de Noe, quem cum aqua deleret terram, liberauit in arca. Quomodo autem cõseruat, patet de Iacob, quomodo duxit eum dominus per uias rectas, & ostendit illi dormienti regnũ dei. Qui euigilãs ait, Vere hic est domus dei & porta cœli. De gloria dei uero quæ coronat subdit, Reddet deus mercedẽ sanctis suis laborũ suorũ, & deducet eos in uia mirabili. Isti enim sunt tres status ecclesiæ: Status uidelicet pœnitentiæ, iustitiæ & gloriæ. In primo liberat, in secundo conseruat, in tertio coronat dominus. In primo afficimur, in secundo reficimur, in tertio perficimur. In primo est labor & dolor, in secũdo sapor & decor, in tertio gloria & ho-

Gen. 28

nor. Veruntamen quia de his ſtatibus frequẽtius fratribus noſtris canonicis frequens fuit lectio & exhortatio, & in menſa quotidiana diſputatio, for taſſe in corde dicetis, Tædium eſt tantum de hoc nobis audire, quia etiã obſequium oportet, ut nos decet reuerẽdo Valẽtino epiſcopo exhibere. Sed non pigeat uos fratres me ſupportare, quod ſi tædium uobis eſſet, ad fratres meos confugiam, qui me audire tota mente & toto affectu deſiderant. Nam uerbũ notũ & antiquum, nouum aliquando fieri poteſt. Cibus etiam diu maſticatus citius digeritur. Vt ergo fratres diſtinctio trium ſtatuum clarius eluceſcat, conatus eis accõmodemus in hunc modum. In ſtatu pœnitentiæ ſecum reducit dominus per uias duras, & ꝓmittit illi regnũ dei patris ſui. In ſtatu iuſtitię iuſtũ deducit dominus per uias rectas, & oſtendit illi regnũ dei. In ſtatu gloriæ iuſtum & ſanctũ educit dominus in uia mirabili, & introducit eum in regnum dei. Ecce fratres quomodo reducitur cæcus de inuio ad uiam, de exilio ad patriam, de manſione ad manſionem, de uirtute ad uirtutẽ, de corporis carcere ad æternam gloriam. Ecce quomodo reducitur cæcus ne ſit ſine Chriſto, deducitur iuſtus ut ſit Chriſtus cũ eo, educitur ſanctus, ut ipſe ſit cũ Chriſto. O fratres mei, ecce quomodo eſſe ſine Chriſto miſerũ eſt, Chriſtum ſecum eſſe tutũ eſt, eſſe cum Chriſto beatum eſt. Non enim exiſtimandũ eſt idem eſſe, ſecũ eſſe Chriſtum, & eſſe cũ Chriſto. Apoſtolus enim habebat ſecũ Chriſtũ dũ dicebat, Nõ ego ſolus ſum, ſed gratia dei mecũ eſt. Nõdum erat cum Chriſto dum diſſoluí cupiebat & eſſe cũ Chriſto. Latro ſecũ habebat Chriſtum, cui promittebat Chriſtus, Hodie mecũ eris in paradiſo. Reducitur itaq; cæcus per uias duras. Sanè durum eſt relinquere conſueta, durius aggredi incõſueta, ſed duriſſimũ eſt in fornace decoqui cõtinua, in qua neceſſe eſt ut decoquaẽ taliter ut uelut carnes poſſit amputari, & uelut uirga ad omnẽ modũ reuoluí. Iſtę ſunt uię peccatoribus duræ ſuper omnia dura, amaræ ſuper omnia amara, odioſæ ut mors. Quæ ſunt iſtæ uiæ fratres, niſi relinquere quæ mundi ſunt? O q̃ durũ eſt, ò q̃ mortale uidetur, ò q̃ amarum relinquere quæ mundi ſunt. Sed quia dura, quia amara, quia pœnoſa, ideo centuplum accipies, & uitã æternã poſſidebis. Eia milites ſurgite iam, quia diu dormiſtis, armate uos cõtritione cordis, cõfeſſione oris, afflictione carnis, quia ecce ueniet Saluator & nõ tardabit. Ecce iã in ianua eſt, ecce iã te uocat, ecce te uenire cõpellit, Sed dices ò miſer: In cõtritione eſt dolor, in cõfeſſione rubor, in afflictione labor, qnid ergo faciã? Eia ò miles Chriſti, ciuis cœlorũ iam denũciaris ab illo qui ſuper te eſt, ipſe qui laborẽ & dolorẽ cõſiderat: Veruntamẽ quanto duriora, tanto utiliora tibi erũt. Veruntamẽ certa ualenter dũ potes, quoniã repoſita eſt tibi corona iuſtitiæ, quã reddet tibi dominus in illa die iuſtus iudex. Poſtq̃ aũt cæcus factus eſt uidens, impius iuſtus, tunc deduxit dominus per uias rectas, cantare poterimus fratres. Sunt em̃ fratres, ut ſcholares noſtri uacui non recedãt, tres ſpecies rectitudinis.

Aliud eſt em̃ regi, aliud dirigi, aliud corrigi. Nam
A Propheta dicebat, Dñs regit me, & nihil mihi de- Pſal.22
erit. Et iterũ, Dirige in cõſpectu tuo uiã meã. Et ite Pſal.5
rũ, In q̃ corrigit adoleſcẽtior uiã ſuã. Et iterũ, Ma- Pſal.118
ne, inq̃t Eſaias, erigit mihi aurẽ, Res em̃ fratres ina Eſaiæ 50
nimata ꝓprie diciẽ regi, ut currus & nauis. Res ſenſata pręter rationẽ dirigiẽ, ut equus et mulus, quib. nõ eſt intellectus. Res rationalis corrigiẽ, ſcilicet corde regiẽ, ut homo. Iuſtus uero erigiẽ ut ſapiat quæ ſurſum ſunt & quærat. Sic em̃ uolebat Hier. Hier.6
dũ dicebat, State in uijs ueſtris & cõſiderate quæ ſit uita æterna. Daniel ad maieſtatis uiſionẽ ꝓſtratus audiuit ab angelo, Sta ſuper pedes tuos. Quod Dan.10
tamẽ ſi nõ credis Prophetæ, crede Poetæ ſcholaris per uerſe, cui deus os ſublime dedit, cœlũq̃ uidere iuſſit, à quo dũ quereret tyrannus & diceret,
B Quare te deus fecit? Reſpẽdit ut cõtẽpler cœlũ & cœlorũ numina. Factus eſt em̃ homo in terra, non ad terrã, ſed ad cœlũ: & factus eſt de terra nõ propter terrã, ſed ꝓpter cœlũ. Quis fideliũ plus diximſſet fratres, aut ꝓbabiliori argumẽto? neſcio. Nunquid etiã animal mutũ & brutũ nouit argumentũ ægritudinis ſuæ? Nũquid leo infirmãs animal q̃d ſimia diciẽ quærit, qua deuorata mox cõualeſcit? Nũquid etiã ſimia ægrotãs quęrit ſanguinẽ canis, urſus formicas, leopardus capreas, uitis ſerpentes ferculũ? Homo uero attritus in phyſica hæc omia ignorare uideẽ. Vnũquodq̃ em̃ felicitatẽ affectat, ſed ſi homo affectat, opere tamẽ affectare nõ uidetur. Quære ergo ò homo cœlũ ad quod factus es: Noli quærere philoſophiã, quoniã ad philoſophi
C am factus nõ es, nec expedit tibi ſcire quæ ſunt ſuper terrã, ſed tantũ quæ ſurſum ſunt. Sta igitur ſup pedes tuos, ſta in uijs tuis naturalibus, ad quas factus es, & dirige eas ſi neceſſe eſt in dãdo & dimittendo. Date & dabiẽ uobis. Et tunc dñs tibi dicet, Amice aſcẽde ſuperius, intra in gaudium dñi tui. Sed dicet quis, Quõ & qualiter egrediẽ ſpũs de corpore? Nunquid Salomon hoc ignorare uideẽ, dum ſe dixit penitus ignorare uiã aquilę in cœlo? Quõ ergo deũ uidet, quõ angelum, quomodo ſeipſum, quomodo ſpiritũ alium bonũ uel malum? Super hoc hodie ille magnificus philoſophus admiratur. Nã in libris de animalibus, quinq̃ ſenſus corporis communes eſſe nobis ad uſum cũ brutis poſuit, nõ ad oblectamentũ. Homo in omibus delectatur, pecus uero tantũ in duobus delectaẽ, ſcilicet in guſtu et tactu, in alijs uero mouẽ quãdoq̃ & excitatur, ſed non delectatur. Vnde ergo eſt q̃ ſpiritus egreſſus à corpore, duos quos habet communes cum beſtijs penitus amittit. Non enim guſtu uel tactu utitur uel oblectatur, ſed alios tres ad uſum retinet & oblectamentũ. Mirabile tamẽ uidetur ei, ſcilicet quòd ſpiritus ſine corpore ſenſib. corporis utaẽ. Qd̃ tamẽ philoſophus ſi forte planè non intellexit, uerũ eſt tamẽ & omino uerum & irrefragabile, quia ſpiritus liber uidet deũ, delectatur in deũ, ne ſemper ſibi dicatur, O anima ubi eſt deus tuus? Audiet etiã angelus cãtantes & iubilantes. Videbit etiã & audiet: Eſto ſuper quinq̃ ciuitates, id eſt, beatitudines, & ſic unicuiq̃ ſecũdum

dum opera ſua. Et ſi diceẽ à nobis, Dñe quid facies, quando hæc omnia meruimus, à te largiri? Por
A rò reſpõdebit ille magnus paterfamiliãs uelut Alexander militi petenti munus, cui ciuitatẽ dediſſe fertur, Si tu tamẽ nõ es dignus tanta recipere, ego tamen ſum dignus & potens tanta donare. Angeli fratres mirabunẽ nõ modicũ de operibus dei in cõiunctione animæ & carnis in homine, in cõiunctione hominis & uerbi in Chriſto, in cõiunctione hominis & dei in cœlo. Nam dicturus eſt dñs,
Ioan.17 Pater uolo ut ſint unum nobiſcum, ſicut ego & tu unum ſumus. De prima admirãtur, ubi unum uni iungitur: de ſecunda plus ubi unum duobus iungetur: ſed de tertia plurimum, ubi unum tribus in trinitate iungetur. Hæc aũt generaliter expoſita, ſpiritaliter tamen ad cõmemorationẽ huius ſancti epiſcopi Valentini trahi poſſunt, Qui dum eſſet
B catechumenus annorũ decem & nouẽ ad baptiſmum peruenit, & ſic reduxit eum dñs per uias rectas, poſtmodum deduxit eum epiſcopum per uias duras pœnitẽtiæ, poſtmodũ eduxit eum per uiam admirationis & gloriæ. Sic ergo poſt eum curramus fratres, ut coprehendamus brauium æternæ uocationis in die illa cũ uenerit Ieſus filius dei, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

De cõmendatione diuinarum ſcripturarũ cum exhortatione ut diligenter legantur:

Sermo LVI

ROPITIO Chriſto fratres chariſſimi
P ita lectionẽ diuinã auido & ſitienti cor de accipiatis, ut nobis ſpiritale gaudiũ
C de ueſtra fideliſſima obedientia faciatis. Sed ſi uultis ut uobis ſcripturæ ſanctæ dulceſcant, & ſecũdũ quod oportet diuina uobis præcepta proficiant, ſubtrahite uos aliquibus horis ab occupationibus mũdi, in quibus etiam in domib. ueſtris diuina eloquia relegentes, ad integrum uos dei miſericordiæ cõſecretis, ut in uobis illud feliciter impleaẽ,
Pſal.118 quod de beato uiro ſcriptũ eſt, Quia in lege domini meditabiẽ die ac nocte: & illud, Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirũt eũ: & illud, In toto corde meo abſcõdi eloquia tua ut nõ peccẽ tibi. Sicut em̃, ut ipſi audiſtis, ille qui in corde ſuo abſcõdit eloquia dei nõ peccat, ita & ille qui nõ abſcõdit peccare non ceſſat. Si em̃ nego
D ciatoribus non ſufficit de una tantum merce lucra conquirere, ſed plures merces cõparant, ex quib. ſubſtantias ſuas augeant, & agricolæ diuerſa genera ſeminũ conanẽ ſerere, unde ſufficiẽter ſibi & ſuis cibũ ualeant præparare, quãtomagis in ſpiritalibus lucris nõ uobis debet ſufficere q̃ in eccleſia lectiones diuinas audiatis, ſed in domib. & in conuiuijs ueſtris, & quando dies breues ſunt etiã aliquibus horis in noctibus lectioni diuinæ debetis inſiſtere, ut in horreo cordis ueſtri ſpiritale poſſitis triticũ cõparare, & in theſauris animarũ ueſtrarum ſcripturarũ margaritas recõdere, ut cũ in die
8.Cor.5 iudicij ante tribunal æterni iudicis ueneritis, ſicut dicit Apoſtolus, ueſtiti & nõ nudi inueniamini. Et illud fratres chariſſimi diligenter attendite quia ſcripturæ diuinæ quaſi literæ de patria noſtra no-
A bis tranſmiſſæ ſunt. Patria em̃ noſtra paradiſus eſt, parẽtes noſtri ſunt patriarchæ & prophetæ & apoſtoli & martyres, ciues em̃ ſunt angeli, rex aũt noſter Chriſtus eſt. Quando em̃ peccauit Adam, tũc in ipſo uelut in exiliũ huius mũdi proiecti ſumus, ſed quia rex noſter plus q̃ cogitari uel dici poteſt pius & miſericors eſt, ſcripturas diuinas ad nos inuitatorias per patriarchas & prophetas dignatus eſt mittere, quibus nos ad æternã patriam inuitaret. Et cũ ſcripturas eius rebelli ſpiritu fragilitas humana cõtemneret, dignatus eſt per ſeipſum deſcẽdere, & nos de tyrãnide & de ſuperbia diaboli liberare, & ad uerã humilitatẽ exẽplo nos ſuæ manſuetudinis prouocare, de poteſtate etiã antiqui ſerpentis per paſſionis iniuriam liberare, ad inferna deſcendere, & antiquos ſanctos qui originali pec
B cato obnoxij tenebantur, ꝓripere, in altum aſcendere, ſpiritum ſanctum qui nos contra omnes inſidias diaboli confortaret de cœlis mittere, etiã apoſtolos ſuos qui regnum dei per uniuerſum mundum euangelizarent dirigere. Et licet nos non ſolum ſuperbos ſed etiam impios, non ſolum originalibus ſed etiam in actualibus peccatis obnoxios inueniſſet, totum tamen nemine ſupplicante diſmiſit: & nõ ſolum ſicut merebamur multis catenis uel cõpedibus oppreſſos ad exercenda laborioſa opera nos traxit, ſed magis pro ineffabili pietate ut cum illo regnemus clementer ac miſericorditer inuitauit. Cum hæc ita ſint fratres chariſſimi, quid de ſe cogitant ſerui qui ita præſumunt domini ſui
C præcepta contemnere, ut nec ipſas inuitatorias literas quibus ad regni beatitudinem eos inuitat, dignentur relegere? Quomodo enim ſi aliquis noſtrũ ad procuratorẽ ſuum literas dirigeret, & ille non ſolum non impleret quod præcipitur ſed etiã ipſa iuſſoria relegere dedignareẽ, non indulgentiam ſed pœnã, nõ libertatẽ accipere ſed carcerẽ merereẽ ſuſtinere: Ita ille qui diuinas ſcripturas de patria æterna tranſmiſſas diſſimulat legere, timere debet ne forte præmia æterna nõ accipiat, ſed etiam pœnã perpetuã non euadat. Nã intantũ periculoſum eſt nobis diuina præcepta nõ legere, ut Pro-
Eſa.5 pheta lugubriter clamet, Ideo captiuus ductus eſt populus meus quia non habuit ſcientiã. Qui aũt ignorat ignorabitur. Sine dubio qui deũ per diuinam lectionẽ in hoc ſeculo diſſimulat inquirere,
D & deus illum in æterna beatitudine dedignabitur agnoſcere. Et timor nobis debet eſſe, ne clauſis ianuis cũ ſtultis uirginibus foris excluſis mereamur audire, Neſcio uos, nõ noui uos, diſcedite à me o-
Matt.25 perarij iniquitatũ. Quid eſt neſcio uos, non noui uos? Quõ eos neſcit quos in ignem mittit? Ideo utrũq̃, quia ſicut iam dictũ eſt, qui eũ in hoc ſeculo legendo nolunt intelligere, in die iudicij illos deus dedignabiẽ agnoſcere. Et illud in Salomone q̃d ſcriptũ eſt, nõ negligenter, ſed cum grandi ſoli-
Prõu.28 citudine ac timore debemus audire, Qui obturat, inquit, aurem ſuã ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Debet prius ipſe audire deũ, qui uult exaudiri à deo. Nam qua fronte uult ut deus eum

exaudiat

exaudiat, quē intātū despicit, ut eius pręcepta lege re dissimulet? Et illud quale est fratres mei ꝙ nonnulli Christiani, & q̃d peius est aliquotiēs etiā clerici qñ iter acturi sunt, panē & uinū & oleū & diuersas sibi impensas ordināt præparari. Et cū tanta unusquisq; in terreno itinere pręparat unde uiuat caro sua, quare tantū libellū legere nō curat, unde hic & in æternū reficiat̃ anima sua? Cū ergo duos quisq; homines habeat, unū interiorē ad imaginē dei factū, & aliū exteriorē de limo terræ formatū, cur tātā solicitudinē pro corpore, q̃d in sepulchro à uermibus deuorādū est habere uidemur, interiorem uero hominē qui ad imaginem dei factus est, tanq̃ uile mancipiū sine pabulo uerbi dei fame & siti cruciare permittimus? Intantum em̃ prauus deum negligit, ut in se imaginē ipsius despiciat & cōtemnat. Hæc ergo fratres charissimi sapiēter & utiliter cogitantes quantū possumus, ociosis fabulis & detractionibus ac scurrilitatibus cunctis finem studeamus imponere, & totis uiribus de impedimentis mundi istius fugiendo, aliquas horas quærere, in quibus pro salute animæ nostræ orationi uel lectiōi possimus insistere, ut in nobis impleat̃
Dan.12 quod scriptū est, Qui docti fuerint fulgebūt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Quod ipse pręstare dignet̃, qui cū patre & spiritu sancto uiuit & regnat deus in secula seculorum, Amen.

Sermo de uanitate seculi, qui hoc loco ferebat̃ habetur im Tomo nono col. 946

De uanitate mundanæ gloriæ,

Sermo LVIII

POSTOLICA lectio fratres charissimi
1.Cor.7 A hūc sonitū reddidit, Tēpus breue est, reliquum est ut & qui habēt uxores tanq̃ nō habētes sint, & qui utunt̃ mundo tanq̃ nō utant̃. Pręterit em̃ figura huius mūdi, & sicut fur dies dñi ita ueniet. Itaq; ò anima quæcunq; audis & legis,
Dan.4 consiliū te iuuet sanctissimi Danielis dicentis, Cōsiliū meū accipe, & peccata tua eleemosynis redime. Quod cōsilium si neglexeris, ad cœlū sine causa pulsas. O anima quæ inter carnis parietes fragiles habitas, uigila, inquit, & pulsa, pete et roga, pulsanti tibi & petenti aperiet̃, dicit dñs. Et si transieris per ignē, tecū sum, & flāma nō cōburet te: quæ orando si quæsieris inuenies, cū pulsaueris rogando Christus tibi aperiet ianuas ut possessor paradi si introeas. Si adhuc frater de fine mundi putas tibi restare aliquid, uel tuum tibi cōsidera finē: scri-
Iob 1 ptū est em̃, Nudus exiui de utero matris meæ, nudus etiā ibo sub terra. Ergo frater nihil tecū attulisti quando ingressus es mundū, nihil tecum tollis quando dimiseris mundū. Audite oēs in populo, & negligentes aliquando cognoscite, Ite ad sepulchra mortuorū & uidete exempla uiuentiū, lacēt ossa & perit caro, & tamen causa eius seruat̃ in iudicio Christi. Fuit & ipse nobis similis aliquādo in uanitate uiuēs, in seculo studens diuitijs, multiplicauit agros, plantauit uineas, implēs horrea in thesis multis, & lętatus est in abundantia sua, & ecce subito ablata sunt omnia ab oculis eius. Plaudebat̃ sibi per schemata multa, sericis uestibus erat indu-

tus, pōpas & luxurias sibi adhibēs, epularū diuitias exercebat, saltatiōes & iocos in ebrietatib. exhibebat, prādia sua cū cœna miscebat, & læticiæ suæ uix uix dabat finē. Et ecce ablata sunt omnia ab oculis eius. Vbi ergo abierūt illa omnia? Vbi pōpa? ubi schemata, ubi exquisita cōuiuia? Vbi nā sunt illi qui eū in foro longius ab omnib. cōspiciebāt? Vbi ornatus domorū & preciosa luxuria uestimētorū? Vbi gēmarum ambitio, & argenti pondus immensum? Vbi postremo ipsa cupiditas quæ cū omnia quotidie quæ uult agit, nescit dū totū habet amittere? Vbi sapientia illa & foris excogitata disertio? Vbi applausus laudū & adulatio amicorū assiduae? Vbi seruorū subditi greges et lampadarū radiantia luminis? Vbi antecedentiū turba clientium? Transierūt omnia ab oculis eius, & ultra nō
B erit memoria eius. Iacet in sepulchro redactus in puluerē, defluxerunt carnes eius quas deliciæ nutriebant: Abscesserunt nerui à cōpaginibus suis, sola remanserunt ossa quæ seruant̃ in exempla uiuentium, ut cognoscant̃ reliquiæ mortuorū. Putatur requiescere corpus eius, abijt autem anima in infernū & nō uidebit ulterius lumē. Circundāt enim eū tenebræ multæ, tremor et afflictio apprehendent eū, uermes & ignis cōsumēt eū, & fletus non desinet ab oculis eius, stridor dentiū frequentat eū eo ꝙ pessimi dolores perurgēt eum, & non desinunt pœnæ ab anima eius. Pœnitet se modo male uixisse in seculo, & hæc sibimetipsi reputans dicit se pietatē & misericordiā nō fecisse: & modo
C quæret eā & nō inueniet, multas diuitias se possedisse & reposuisse, & non eas pauperib. erogasse, perdidisse se tēpus pœnitētiæ & nō se correxisse ab omnibus malis, dies suos negligēdo trāsisse in quibus habuit spatiū bene faciēdi ut nō incideret in talib. pœnis. Expectat enim eū resurrectio magna, ut tradatur peiori iudicio secundū quę gessit. Ibi enim eum cōturbabūt multitudo angelorum, qui super pœnas sunt constituti, improperantes ei quod taliter egerit & eleemosynā nō amauerit, ideo misericordia ei denegat̃. Gehenna ardens eū expectat, quia pauperē & egenū nō amauit, uentrem eius perpetuus penetrat uermis, qui esurientem pauperē non saturauit. O quantū ualet apud dñm misericordia quæ in uita huius seculi exhibetur, quæ dum hic exhibēdo delectat̃, ad recolligē
D dum inueniet̃: sicut dñs noster Iesus Christus in Euangelio dicit, Beati misericordes, quoniā ipsi misericordiā consequent̃. Currite itaq; fratres mei dilectissimi dum lucē huius uitæ habetis, ne tenebræ mortis uos cōprehendant, facite misericordias in hoc seculo quæ deleāt peccata ut succurrāt uobis in die iudicij, quia quod manducatis perditis, & q̃d laboratis relinquitis, q̃d uero pauperib. erogatis, hoc firmiter possidebitis. Eleemosyna enim emūdat peccata & ipsa interpellat pro nobis dñm. Antecedat igit̃ nos misericordia nostra in die iudicij, & ipsa interpellat pro nobis in cōspectu domini, ut misericordes misericordiā cōsequamur: Præstāte dño nostro Iesu Christo cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen. Matt.5

Qui

Qui hoc loco sequebatur, habetur Tomo nono, cuius initium, Audite fratres.

De persecutione Christianorum.

Sermo LX

REquenter diximus fratres charissimi
F quòd semper Christiani persecutionē patiūtur. Mundus in maligno positus est. Aduersarius noster diabolus regnat in mūdo, & nos putamus quia nō patimur persecutionem. Quę enim res non persequitur Christianū? Omnia quæ in mundo sunt persequuntur Christianū. Miramur si nos persequūtur alij si Christo seruire uoluerimus, & parētes nostri nos persequūtur. Quicunq; dissimilis nostri est, persequitur nos & odio nos habet. Miramur si alij nos persequūtur, ipsum corpus nostrū nos persequit̃. Si comedero paululum & corpusculū meū fuit robustū, sanitas corporis mei persequitur animam meam. Quocunq; me uertero, persecutio mihi est. Si uidero mulierē, oculus meus persequit̃ me: cupit enim interficere animā meam. Si uidero diuitias, si aurū, si argentū, si possessionē, si delicias corporales, si pulchra uestimenta, quodcunq; uidero persequitur animam meā. Non putemus tantum in effusione sanguinis esse martyriū, semper martyriū est Christianis et religiosis. Adolescētulum libido persequit̃, & uult libido effundere sanguinē. Quando periclitatur anima tua & quasi in periculo cōstituit̃, tunc astat dñs Iesus à dextris patris & pugnat pro adolescentulo suo. Si ergo sunt martyria in pacis tēpore, sunt & negationes. Nemo ergo dicat non esse martyri
C um negationis. Et martyriū est & negatio. Ego hodie qui uideor monachus, si rupero propositum meum, Christū negaui. Et si in pace Christum nego, in pſecutione quid facerē? Non torqueor neq; exuror & denego, si torquerer & exurerer quid facerem? Qui in persecutione negat, habet ueniam plagæ. Pro illo precant̃ sancti. Quid em̃ dicit? Voluī pugnare, caro mea in colluctatiōe defecit: Nō cessit animus, sed cessit corpus. Aliud mens cogitabat, aliud corpus cōpellebat, & tamē non habet excusationem. Nulla em̃ est plaga quæ debeat ab amore Christi separare. Quid enim tibi dicit? Hoc est, in incendio eras, in eculeo pendebas, pro me torquebaris & dicis, non potui sustinere tormenta: & quomodo sustinuit Petrus, quomodo Paulus, quomodo cæteri martyres sustinuerunt, & habuerunt corpus quale & tu habes? O monache
D qui ieiunium fugis, putas ignē effugere? Hoc ergo dico, quia omni tempore sunt martyria, sunt & persecutiones. Deniq; Apostolus q̃d loquit̃ de uiduis quæ secundos duxerūt maritos? Quid dicit?
1.Tim.5 Habentes dam nationem quia primam fidem irritam fecerunt. Viduæ quid dicit? O uidua anteq̃ promitteres quòd esset uidua, in tua erat potestate ut nuberes. Ex quo tēpore confessa es ut mihi permaneres, ex eo tēpore mea esse cœpisti, si uolueris secundum maritum ducere, me contempsisti, adultera es, quia mihi iam iūcta eras. Sic & tu monache, antequam promitteres, in tua erat potestate facere quod uolebas. Vox tua ligauit te mihi.

Nōne liber eras? In potestate tua erat promittere,
A non tibi licet ea licentia dimittere quod promiseras. Promittere fuit tuum, dimittere non est tuum. Si me dimiseris, nō habeo te in eo gradu in quo prius habui. Primo liber eras, & eras quidē de familia mea, sed non eras ante oculos meos: non eras de ministris meis, sed de familia mea eras, nō tamē eras mecū, sed tamen meus eras. Ex quo mihi militare cœpisti si recesseris, nō habeo te quasi de familia, sed quasi fugitiuū. Hoc totū quare dico? quoniam in nostra est potestate promittere seruire deo & obedire, non est in nostra potestate dimittere. Promisisti, præmiū habes: neglexisti pœnā habes. Nō est meū, utrunq; est tuū, elige quod uelis. Habes uiam mortis & uitæ, ingredere quà uoluerís.
Hoc totū dico fratres charissimi, ne quis de uobis
B putet se habere liberā potestatē & dicat, Ergo illi qui uxores habent, qui sunt in ciuitatib. qui militant, qui negociant̃, ergo totus mūdus in periculo est, soli monachi saluant̃. Nostra & illorū non est æqua conditio. Illi scientes imbecillitatē suā non promiserunt facere q̃d implere nō poterāt. Illi quidem Christiani sunt, sed Christianus quasi secularis, & secularis quasi negociator, & Christianus quasi miles, & Cornelius Centurio miles fuit, sed saluatus est. Ego quidem sum monachus qui desiui esse secularis & factus sum monachus, aut monachus saluor, aut aliter nō saluor, nō est aliud medium. Si uoluero dimittere uitā monachi & sequi
C secularē, non habebit me dñs quasi secularem, sed quasi pręuaricatorem. Non ergo licet nobis dimittere quod habemus propositū, dicit aliquis, Quid facio si peccaui in isto proposito qui factus sum nec secularis nec monachus? Aliqs peccator peccatum maiori pœnitentia cupit emendare. Ergo hoc dico, Non nobis licet dimittere q̃d habuimus propositum, licet dignitatē propositi perdideris: Si peccasti in uita monachi cōstitutus, esto pœnitens quasi monachus patiens nō quasi secularis, aliquis dicit, Fugi dominū meū ne me cædat, semper debeo fugere? Si te pœnitet ꝙ fugisti, debes reuerti ad dominū tuum: nemo dicet, Pœnitet me quia fugi, debeo semper fugere? Si sanctus es, beatus & monachus: si peccator es miser es, & monachus tamē es. Monachus es licet dignitatē propositi perideris. Siue sancti simus siue peccatores simus, non nobis licet mutare propositum, quia
D Christus de cœlis à patre misit spiritū suū, sicut ipse promisit. Non derelinquam uos orphanos, sed mittam uobis spiritum ueritatis qui à patre procedit, ipse docebit uos omnia quæcūq; dixi uobis & cōmonebit uos. Hæc quidem in cōmune loquor, mihi quoq; loquor, ne quis se putet habere potestatem mutare propositū. Et iam, ut assolet, si casu quisq; instigante diabolo ac suadente peccauerit, non ei liceat mutare propositū, sed ad pœnitentiā quæ est medicamen lapsorum tota animi auiditate confugiat. Dominus potens est & præterita indulgere, & ad præsens & me & uos ab omnibus insidijs diaboli tutos saluare, Qui uiuit in secula seculorum, Amen.

Hic finxit Augustinum monachū, quo nomine se nu quā appellat nec suos clericos

De

De Obedientia. Sermo LXI

SI præmia æternæ uitæ uolumus promereri, præcepta dei totis uiribus satagamus custodire. Præcepta nanq; dei nolentibus grauia, uolẽtibus sunt leuia: sicut ipse *Matt.11* ait, Iugũ eñ meũ suaue est, & onus meum leue: audiamus dñm & Saluatorem nostrum præcipientẽ nobis et suo exemplo admonentẽ. Tollite, inquit, iugum meum super uos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde. Quid est iugum dei super se tollere, nisi sanctæ obedientiæ præcepto seipsum propter deum subijcere? Mitis aũt est qui omnes iniurias & cõtumelias quę sibi illatæ fuerint æquanimiter tolerat, qui eam Apostolicam sententiam *Rom.12* opere tenet, qua dicitur, Non reddentes malum pro malo uel maledictũ pro maledicto, sed econtrario benedicẽtes: & iterũ, Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Humilis uero est qui eligit abiectus esse in domo dei, & omnes sibi præferre, qui se semper puluerẽ & cinerem esse penset, & in cunctis quę agit seruũ se indignũ, nõ solum uerbo sed opere, cogitatione, & omni cõuersatione sua semper se abijcit & cõtemnit. Talis proculdubio ad seruandã disciplinã atq; obediẽtiã est idoneus, nec potest perire à uia iustitiæ, neq; declinare ad dexteram siue ad sinistrã, quia in eo ꝙ mitis est nulla aduersitate frangit̃, in eo aũt ꝙ humilis est nulla prosperitate uel gloria eleuatur. Quantus autẽ sit obedientię fructus ostẽditur, cum subinfertur, Et inuenietis requiem animabus uestris. Obedientię quidem disciplina modo in labore est, sed in futuro fructũ habet pacatissimum. Et sciendum quòd quãto modo erimus obedientes patribus nostris, tanto erit deus obediẽs orationib. nostris, & tanto erit nobis iugũ eius suaue & onus eius leue. Scire quoq; oportet, quia superbus & impatiẽs disciplinæ & obedientiæ regulis subiacere non potest. In eo enim ꝙ elate uiuit, cæteros despicit, & suis magis q̃ alterius diffinitionibus obedire appetit: In eo aũt quòd impatiens est, ipsa parua & leuia dura & intolerabilia esse dijudicat, idq; solum rectũ esse ęstimat quod obstinato corde cõceperit, sensuq; proprio pro omniũ utitur ratiõe. Isti tales fratres unanimes sæpe perturbãt, litesq; mouent, nec uolunt ad mensurã aliorũ uiuere, nec sunt contenti his quibus contenta debet esse religiosa paupertas. Et cũ negligentius cęteris uiuant, plus alijs uolũt honorari. Huiusmodi rebelles et inobedientes animæ frequẽter in passionibus suæ carnis decidunt & usq; ad turpia opera dilabũtur, & ex his pleriq; à societate fratrũ & à sancto proposito miserabiliter & damnabiliter discedũt: de talibus ter*2 Pet.2* ribiliter clamat Petrus apostolus, Si, inquit, fugiẽtes coinquinatiões mũdi his rursus impliciti superant̃, facta sunt eorũ posteriora peiora prioribus. Melius enim erat eis nõ cognoscere uiã iustitię, q̃ *Matt.18* post cognitionem retrorsum reuerti ab eo q̃d illis traditũ est sancto mãdato: hinc dominus ait, Vę illi per quẽ scandalũ uenit. Quisquis ergo talem se esse recognoscit, dũ tẽpus corrigendi habet ad lachrymas & pœnitentiam cito redeat, superbiam cũ hũilitate uincat, impatiẽtiã mãsuetudine damnet, uitia in uirtutes cõuertat, ne si in malo perseuerat, ad æterna supplicia perueniat. Debemus ergo eã quã professi sumus obedientiã & uirtute & opere custodire. Quod tũc agimus, cũ eũ qui nobis præest pro amore dei honoramus atq; diligimus, et quicquid ab eo nobis pręcipit̃ tanq̃ ab ipso cœlesti dño fuerit imperatũ, libenter implere festinamus. Prælatus enim Christi uices agit in monasterio: unde ipse suis pastorib. ait, Qui uos audit, me *Lucæ 10* audit: & qui uos spernit, me spernit. Sicut eñ gaudere debẽt & magnũ à dño præmiũ expectare qui libenter obediunt: quia quod ipsi maiorũ iussu faciunt, hoc ipsi authori deo impendũt: sic nimirum magnũ à deo iudiciũ timere & expectare debent qui prælatorũ suorũ iussa despiciũt: quia cũ prælatus cõtemnit̃, non ipse sed is in cuius loco positus est cõtemptui habetur. Nec potest deus à nobis sine magno fructu honorari, nec despici sine magno detrimento. Debet aũt obediẽtia esse sine mora, nõ cũ murmure neq; cũ tristitia animi, sed cum gaudio & hilaritate. Hilarẽ enim datorẽ diligit deus. Bonum aũt quod cũ tristitia fit, deo nõ est acceptabile, quia ipse magis est inspector cordis q̃ corporis. Debet quoq; odedientia esse usq; ad mortẽ, quia usq; ad mortem patri suo propter nos obediuit Christus. Ad hoc sanctum præceptum ipse suo exemplo noster redẽptor nos admonet, dicens, Tollite iugũ meum super uos & discite à me quia mitis sum & humilis corde.

De timore domini & auaritia uitanda, Sermo LXII

TIMOR domini expellit peccatũ. Per timorem dñi nascuntur multa bona: Salomon ait, Principiũ sapiẽtiæ timor do*Eccl.1*mini: & alibi, Beatus homo qui est pauidus. Per ti*Prou.1 & 9 & 28*morem eñ dñi euadunt animæ de pœnis inferni, et per amorẽ eius inuenitur gaudium sempiternũ, quia timor domini & amor proximi charitas est. Qui aũt charitatẽ habet, deum habet: & qui deum habet, secularia fugit. Qui Christũ diligit, infernũ timet, & paradisum desiderat, ubi anhelat peruenire, in quo sperat permanere, in quo non est timor de morte, nec trepidatio de hoste. Qui deum habet in se, diabolũ repellit de se. Per dilectionẽ dei & ꝓximi uita acquirit̃ ęterna, amor dei in deo per*Rom.13*manere facit: Dilectio proximi malũ nõ operat̃. Vnusquisq; quod sibi fieri nõ uult, alteri nequaq̃ faciat: qui sic agit, peccatũ nõ nutrit. Qui terrenis se implicat, cœlestib. se elongat. Gaudet qui acquirit, tristatur qui amittit. Multi sunt qui de alienis lachrymis eleemosynas facere se sperãt, unum expoliãt, alterũ uestiũt: unũ inanẽ faciũt, aliũ alienis reficiũt. Eleemosyna cũ iniq̃tate acquisita abominatio est apud deũ. Qui de iniquitate misericordiam facere putat, nihil est apud deũ. Quid dicemus fratres charissimi de illis diuitibus qui cõgregant *Psal.38* & ignorant cui congregant ea: acquirunt terrena & perdunt cœlestia, lucrantur pecunias & perdũt animas, attendunt quid acquirunt & nõ perpendũt quid amittũt. Multi sunt qui in luce ambulare

se putant

se putant, & foris claros existere se existimãt, cum peccatorũ luto pleni, intus tenebrosi persistant. O cęca cupiditas quę à Christo animas separas, ut il*Lucæ 16*le diues qui quotidie epulabatur splẽdide, ante cuius ianuã Lazarus iacebat mẽdicus. Mortuus autẽ diues in inferno lapsus, Lazarus uero in sinũ Abrahę legit̃ allatus. Quare miseri diuites nõ expauescitis, qui terrenas diuitias cõcupiscitis & cœlestes thesauros perdere nõ curatis? Qui tale exemplũ saluatoris iam dictũ nõ timet, bene cæcus am*Iacobi 5*bulat: Iacobus eñ apostolus dicit, Eia nũc diuites plorate & ululate in miserijs uestris quę ueniũt ad uos. Diuitiæ uestrę putrefactæ sunt, uestimẽta uestra à tineis corrosa sunt. Aurũ & argẽtum uestrũ eruginauit, & erugo eorũ uobis in testimoniũ erit. Væ illis q tales sunt. Auarus misericordiã non habet, cupidus similis est inferno. Infernus quãtumcunq; plus deuorat, tãto magis cupit & desiderat: sic & auarus nunq̃ satiabit̃. Crescit uana potẽtia, *Sap.6* crescit & pœna. Potentes potẽtiora tormenta patientur. Quanto maior honor datur, tanto maius periculum comparat̃. Isti tales sunt elati, superbi, uanitate pleni, luxuriosi; gulosi, & hominibus magis placentes q̃ deo. Hi sunt seipsos amantes, gulę seruientes magis q̃ spiritalibus intendentes, corpus ornantes, & animã fœdantes, Carnalibus consentientes, spiritalia negligentes. Foris ornati, in*1Cor.3*tus tabefacti. Se sapientes æstimantes, ueros se esse stultos non cõsiderantes, cũ sapientia huius mũdi apud deũ stultitia est. Colligẽtes amicitias seculares, perdentes ęternales: dicit namq; Apostolus, *Iacob.4* Quicũq; uoluerit esse amicus huius seculi, inimicus constituit̃ dei. Superbus deum negligit, diabolo seruit, uerba diuina despicit, uana & inutilia diligit, falsas suggestiones amat, instinctiones diuinas recusat. Dum terrena sequitur, fugiũt ab eo cœlestia. Dum trãsitoria cõcupiscit, æterna amittit. Vanitates cõcupiscẽs diabolicas, perpetuas incurrit pœnas. Væ illis quos in talibus rapuerit infernus, qui dũ tẽpus habẽt & in sua sunt potestate & non corrigũt se, nec emẽdant, cũ mors uenerit potẽtia illorũ ubi remanebit? Et sola anima misera nónne in infernũ ibit? O fratres charissimi quid dicemus *Eccl.5* de illis qui uouerũt & non impleuerũt. Melius est nõ uouere, q̃ post uota promissa ipsa non tenere. Multo & melius est nõ promittere, q̃ fidem promissam non adimplere. Peius insuper fuerit si non reddideris quod promisisti, q̃ si uotum nunq̃ emisisses: dicit nãq; Propheta. Vouete & reddite deo *Psal.75 Sap.1* uestro: & in Sapientia dicitur, Os quod mentit̃ oc*Psal.5*cidit animã: & Psalmista, Perdes om̃es qui loquũtur mendaciũ: & alibi, Ex uerbis tuis aut iustificaberis aut condẽnaberis. Multi eñ quod peius est dei promissa dimittũt, diabolica fraude decepti, alijs se operibus malis implicãtes quę sectant̃. Considerate ergo fratres charissimi uosmetipsos, cogitate ubi sint reges, ubi potẽtes, ubi amici, ubi parẽtes. Ecce quomodo de tãta potẽtia uel lætitia tãta prouenit miseria & angustia, de tantis diuitijs tot inopiæ, de tãtis satietatib. tanta fames, de tam breui delectatione tã longa tristitia, de tam breui uita tam longa mors, de tã exigua sanitate tã longa infirmitas, de tã breui luce tã longæ tenebræ, de tam parua suauitate odoris uel luxurię tãtos recipientes dolores & fœtores dãnationis perpetuæ, & de uestimentorũ nostrorũ abundantia, ex qua largiri debuimus eleemosynã pauperibus, tãtã nuditatẽ habentibus. Rogo uos fratres charissimi dum uobis dñs dat intellectum spiritalem, ut nõ ametis omne moriturum & transitoriũ plus q̃ oportet, ne uos confundentes in futurum profundatis: Date parum, accipientes multũ. Qui eñ reliquerit omnia quæ possidet propter Christũ, centuplum accipiet & uitã ęternam possidebit. Et quia licet pauci sint heu hanc salutis uiam arripere uolentes, eo ꝙ multi sint uocati, pauci uero electi: melius est tamen cum paucis ingredi ad uitam æternã, q̃ cum multis perduci ad gehennam. Exinde est melius modicũ iusto super diuitias peccatorum multas: Auxiliante dño nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium in secula seculorum, Amen.

De die iudicij & pœnis inferni, Sermo LXIII

O FRATRES charissimi q̃ metuenda est illa dies in qua dñs noster Iesus Christus cũ flãma ignis aduenire ꝓposuit, qui in circuitu inimicos suos inflammabit, & omnes qui operantur iniquitatẽ. In illa die plãgent se omnes tribus terrę, & uidebunt filium dei ueniẽtẽ in nubibus cœli uirtute magna & maiestate excelsa. Commouebit̃ ante eũ terra & peccatores peribũt. Cœlũ plicabit̃ & siccabitur mare & mõtes sicut cera ardebũt & terra usq; ad inferos. Sol conuertet̃ in tenebras, & luna nõ dabit lumẽ suũ, stellę cadent de cœlo, & uirtutes cœlorũ cõmouebũtur. Tunc apparebit signũ filij hominis in cœlo q̃d est crux Christi. In cuius lumine omniũ manifestabunt̃ abscondita cordiũ. Tunc sancti obuiam uenient Christo in aera, & semper cũ dño erunt, peccatores aũt peribunt & cõfundẽtur. Et tũc fiet iudicium, & ueniet dñs Iesus Christus, & mittet angelos suos ad quatuor angulos terræ, & cõgregabũt electos eius à summo cœli usq; ad summum eius: separabitq; dominus sanctos suos de peccatoribus, & mittet eos in caminũ ignis ardẽtis, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ibi erit fletus & stridor dentiũ. Vę illis qui ibidem suam habebunt mãsionẽ: Hic fumus tormentorũ ascendet in secula seculorũ: Ibi uermis eorũ non morietur & ignis non extinguetur: ibi nulla uox nisi gemitus: nulla requies, sed ardor continuus: ibi nullũ in flãma refrigeriũ, sed ignis perpetui continuũ incendiũ. Ibi lux nunq̃ uidebitur, ibi tenebris nunq̃ carebit̃, ibi nulla est in bono eorũ memoria, sed obliuio dei ipsorũ ęterna. Quorũ cibus eorũ cruciatus, quorũ mansio nõ Abrahę sed satanę sinus. Ibi nulla amicorũ uel parentũ uisitatio, sed incessabilis peccatorũ tormẽtatio. Pensa igitur ò humana natura quæ regnũ dei possidere desideras, cur tãta mala cõmisisti, & tot bona omisisti. Emenda dũ potes, ad deũ clama dũ tempus habes, dũ spatium dat̃ luge, dũ licentia tribuit̃, pœnitere nõ protrahe. Festina dũ

potes, fac bonũ quod uales dum anima tua uersa-
tur in corpore, dum adhuc uiuis futurum tibi ac-
quire remedium. Priusquam dies mortis te preue-
niat, ipsum operibus bonis præuenire nõ tarda. Et
priusq; te profundus absorbeat pelagus, priusq; te
malignus rapiat infernus, unde nulla datur indul-
gentia, ubi nullus amplius regreditur ad ueniã, la-
chrymis pœnitentiæ eruere te accelera, ut sic æter
nã euadas pœnã: De qua & nos pius ac misericors
deus eripere dignetur: Qui cũ patre & spiritusan-
cto uiuit ac regnat in secula seculorum, Amen.

De exhortatiõe ad sacerdotes ut doceant quid
populũ Christianum scire & obseruare oporteat.

Sermo LXIIII

AVDITE filioli mei & intelligite qũo scri
A ptura sancta admonet nos & inuitat ad
regna cœlorum, & ostẽdit uiam qũo ma
la istius mundi euadere possimus, & ad uitam per
uenire æternã Christo adiuuante. Clamat em̃ dñs
per Prophetã ad sacerdotes qui populo præsunt,
ut doceant eũ & admoneant, & uiam ueritatis sibi
Esa.58 annuncient: dicit em̃, Clama ne cesses, quasi tuba
exalta uocem tuam & annuncia populo meo sce-
Ezech.3 lera eorum: & iterum, Quòd si non annunciaueris
iniquo iniquitatẽ suã, sanguinẽ eius de manu tua
requirã. In his igitur grandis necessitas est omnib.
sacerdotibus ut uiã salutis populo demõstrẽt, per
quam uitam æternam acquirere possint. In primis
ipsis explicando quod omnis Christianus scire &
in corde suo firmiter tenere debet, ꝙ primũ est mã
Matt.22 datum dño dicente, Diliges dominum deum tuũ
ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota
uirtute tua, & ex tota mente tua: deinde proximũ
sicut teipsum. Si ista, id est, amorẽ dei & timorem,
ac proximi dilectionem in corde tuo posueris, &
hæc præcepta cum summa reuerẽtia suscipere uo
lueris, tunc ad aliam uoluntatẽ bonã, deo largien-
te, facilius poteris peruenire. Promisit em̃ his qui
diligũt eum, resurrectionẽ post mortem, paradisi
delicias, angelorũ consortium & uitã sempiternã.
Vnde post hæc nec aduersa te molestant, nec infir
mitas grauat, nec senectus occupat, nec mors oc-
currit, sed pax & securitas perpetua, sanitas anima
rũ & corporũ gratissima, iuuẽtus uenustissima &
regni cœlestis uita æterna. Et hæc ꝓmissa sunt bo-
na facientib. & de malis se continentibus. Cogitet
ergo unusquisq; qualiter ad illã bonitatem perue-
nire possit. Sit beneuolus, pius, benignus, miseri-
cors, sobrius, castus, ad om̃e opus bonũ prõptus,
ad mala tardus. Ocia uirtutũ fugiat, & omni uirtu-
tũ exercitio deo placere studeat. Nõ sit detractor,
nõ fornicator, nõ rapax uel auarus, nõ ebrius, non
gulosus, uel in scurrilitate quæ ad rẽ non pertinet
cõstitutus, sed & illa & in ipsis positos quasi serpẽ
tẽ fugiat, ne uitijs & malis huiusmodi animam suã
inquinet. Diligat iustitiam, pacẽ inquirat, amet pa
rẽtes, dilectionẽ habeat ad proximũ. Cum gaudio
peregrinos suscipiat, infirmos uisitet. Et inquantũ
ualet, deo adiuuante, ac sibi copiã bonorũ tempo
ralium ministrante ut habeat unde cum summa læ
titia pauperibus tribuat, & cũ summo gaudio ne-
cessitati eorũ subueniat, credat sibi retributorẽ esse
A deũ qui uidet & cõsiderat uniuersa: pro quo & di-
xit, Quicquid feceritis uni de minorib. istis, mihi Matt.25
fecistis. Et, filioli mei semper cũ gaudio & lęto ani
mo pauperib. manũ porrigite inquantũ præuale-
tis. Et si aliquis est laborator qui terrã colat, de fru
ctibus suis & ex eis omnibus quæ dominus ei do-
nat in decima ecclesiam non defraudet, & de parti
cula sua pauperib. dare nõ negligat. Si negociator
est & in hoc laborat, & ipse deo nõ seruit de suo la
bore, uel decimã reddere noluerit, & de sua parti-
cula pauperibus ministrare nõ curauerit, ad nihilũ
ipse una cum pecunia sua redigetur. Et quacũq; ar
te dñs alicui personę ingenium lucrandi donaue-
rit, unde se & suos nutrire ac uestire potuerit, & cũ
B hoc superlucrari aliqua post decimam, ex ipsa sua
particula quę sibi remanet, ꝓ redemptione animę
suæ ac suorum pauperib. hilariter donet. In his aũt
omnibus caste, sobrie & pie uiuẽdum est, ut opus
bonum q̃d facitis deo acceptabile fiat. Seculares
ad ecclesiam libẽter cõuenite, cõfessiones uestras
humili & puro corde sacerdotib. facite, & illos ro-
gate ꝙ pro peccatis uestris deum ut uobis indul-
geat orare dignent̃. Oblationes per dies domini-
cos pro uobis & uestris secũdum status uestri pos
sibilitatem deo offerẽtes. Dignum namq; & acce-
ptabile sacrificium deo est, ut Christiani q̃d negli-
genter egerint, per sacras oblationes & eleemosy
narum largitionem placare festinẽt, & per ueram,
ut pręmittitur confessionẽ, cordis contritionẽ, ac
omnimodã satisfactionẽ, ꝑ orationem purã, per ie
iuniũ & abstinentiã peccata sua abluere uelint. Et
C uos similiter agẽtes in omnib. uosmetipsos consi
derate, propter quid in hac ualle miseriæ, id est, in
hoc mũdo nati estis. Et cur nisi ut nuduli primorũ
parentum peccato exigẽte, de paradiso in pręsens
exiliũ relegati, benefaciẽdo ad patriã reuertamur.
Si igitur per ignorantiã uel aliâs contra deũ quic-
quã peccãdo egistis, per opera uestra bona id emẽ
dare nõ tardetis. Hoc uobis ad memoriam solicite
reducendo, ut si quis legitimatus sit in domo sua
tranquille & pacifice ut bonũ decet Christianum
uiuat, parẽtibus honorem impendat, uxorem dili-
gat, filios catholicã fidem & dei legem cum sum-
ma disciplina instruat, & deum diligere, timere &
honorare sciãt. Hoc enim beneplacitum est apud
D deum. Super omnia turpiloquia abstinentes cha-
rissimi, proximis uestris detrahere nolite, sed si ali
cui aliquid in aliquo displicet, illam euangelicã se-
ctãtes doctrinã, arguite & monete in charitate, &
si illum lucrati fueritis, uosmetipsos saluabitis. In
omnibus ebrietatẽ cauete. Hęc em̃ subuersio ma-
gna est animæ. Sicut enim ignis facile incendit sti
pulas & leuiter siccas exurit paleas, sic ebrietas
corpus corrũpit & animã simul & corpus in gra-
ue peccatorũ incendiũ deijcit, & præcipue in iuue
nibus. Vinũ em̃ & iuuẽtus, duplex incendiũ. Pro-
pterea qui ab ebrietate nõ cauet, peccatũ nõ eua-
det. Ad ecclesiã quãdo uenitis, cũ summa reueren
tia & timore maximo intrare debetis, cõsiderãtes
quia ad dñm & dominatorem uniuersæ creaturæ

uaditis, eidem ibidem pro negligentijs uestris ue-
niã deprecaturi. Dũ etiã in ecclesia stamus oratio- A
nes domino pro peccatis nostris fundẽtes, prius ta
men operib. fidei inquantũ possibile est iustificati
oculos mẽtis ad deũ leuemus, semper intẽdentes
qualiter de supernis à deo cõsolatio nobis præbe-
tur. Oculi enim domini super iustos, & aures eius
in preces eorũ. Ista si frequenter feceris, & prę ocu
lis deum habueris, inimicus fugiet à te. Angelus
enim domini bonus adiutor tibi erit, si mentẽ tuã
firmam in his existere perspexerit. Considera quia
pius & misericors est deus, & puro corde se depre
cãtes misericorditer recipit, promissiones suas nõ
elongat, & alleuat ac sanat eos qui contriti sunt
corde. Hoc etiam charissimi latere nos non debet,
uerbis Christi per scripturam sacram nobis nun- B
ciantibus, quòd istius mundi finis appropinquat,
& per quotidiana signa quæ per euangelium præ
dicta sunt & quotidie fiunt, spero in proximo eius
esse aduentum ut per ignem omnem iudicet mun
dum. Ecce enim dominus ueniet & omnes angeli
eius cum eo, & uirtutes cœlorũ mouebunt̃. Tunc
sedebit redemptor noster rex omnium in sede ma
iestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes
gentes, & separabit eos ab inuicem sicut pastor se-
gregat oues ab hœdis. Qui boni sũt statuet eos ad
dexteram suam, malos uero ad sinistram. Et his q
à dextris eius erũt, dicet, Venite benedicti patris
mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab
origine mundi. Esuriui & dedistis mihi manduca-
re. Sitiui & dedistis mihi bibere. Nudus eram, &
operuistis me. Infirmus erã & in carcere, & uisita-
stis me &c. Tunc respõdebunt iusti, dicentes, Do C
mine quando te uidimus esurientem & sitientẽ &
nudum & infirmum uel in carcere, & ministraui-
mus tibi? Tunc respondebit illis, dicẽs, Quamdiu
uni de minimis meis fecistis, mihi fecistis. His uero
qui à sinistris eius erũt, dicet, Discedite à me male
dicti in ignem ęternum, qui præparatus est diabo-
lo & angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mi-
hi manducare, & sic de singulis. Et ibunt hi in sup-
plicium æternum, iusti autem in uitam æternam.
Considerate igitur filioli magnã dei pietatẽ, quali
nos in peccatis nostris suffert patientia. Pensemus
iudicium illud futurũ ut peccata nostra nobis non
improperet. Propterea charissimi hoc nobis in o-
mnibus considerandum est dum unusquisque po- D
test, dum tempus habet, dum precium in manibus
tenet, & inquantũ præualet redimat se unusquisq;
ne debitor peccati ac in seruitute diaboli persistat.
Et exinde uos seculares post pœnitentiam & re-
conciliationem actam, secundum sacerdotis cõsi-
lium cõmunicate temporibus pręcipue ad hęc ab
ecclesia ordinatis. Prius tamen ante plures dies à
proprijs etiam uxoribus abstinete, ut mundo cor-
de & casto corpore sanctum sacrificium accipere
possitis. Sacerdotibus uestris honorẽ impendite,
& eis propter deum obedite: ipse namq; dominus
Luce 10 ad ipsos dicit, Qui uos audit me audit, & qui uos
spernit me spernit. Filij honorẽt parẽtes, similiter
& omnes Christiani inuicẽ uos honorate: scriptũ
namq; est, Honore inuicẽ pręuenientes. Esurientes
A pascite, sitientibus potũ porrigite, hospites & pere
grinos pręcipue pauperes suscipite, humanitatem
quã potestis illis impendite, pedes illorum lauate,
uestite nudos, in tribulatione positis subuenite: cõ
solamini dolẽtes, infirmos uisitate, mortuos sepeli
te, in carcere positos requirite, & de bonis uestris
quãtum facultas uobis à domino concessa suppe-
tit subuenite ac eis ministrate, uiduas & orphanos
in tribulatione positos adiuuate, pauperes & op-
pressos à prauis hominibus uel iniquo iudicio, in-
quãtũ uobis possibile est adiuuate seu adiutorium
pręstate, iudiciũ rectũ ac iustitiã seruate, misericor
diam in omnib. facite, pacẽ in uobismetipsis habe
te, & eos qui discordes sunt ad uiã cõcordiæ reuo-
B cate. Symbolũ & orationẽ dominicã tenete, filios
& filias uestras docete ut & ipsi teneãt. Filios q̃s in
baptismo recepistis in fide erudite, & scitote uos
ꝓ eis apud deum fideiussores existere. Et ideo sem
per docete, indesinẽter castigate & corripite illos.
Om̃es uero subiectos uestros ut tenemini admo-
nete, ut sobrie caste pie & iuste uiuant in hoc secu
lo. Veritatẽ corde & ore dicite, castitatem & cõti-
nentiam seruate, sobrietatẽ & parcitateẽ cibi & po
tus habere, ieiuniũ seruate, seniores honorate, iu-
niores in Christi amore diligite, patiẽtes estote ad
oẽs, benefacite his qui oderũt uos. Charitas & gau
diũ, patientia, benignitas, bonitas, spes, fides, mo-
destia, mansuetudo, continentia, castitas & dile-
ctio sint in corde uestro iugiter. Et hęc in cogitati-
onibus sanctis & eloquijs ac operib. pijs conserua
te. Humilitatẽ ante om̃ia custodite & tenete. Spẽ
C uestram totam in dño ponite. Bonũ cum aliquod
in uobis inueneritis, nõ uobis ad laudem uestram
inanem, sed deo ad sui gloriam, qui hoc uobis de-
dit, asscribite. Malũ uero quod in uobis uideritis,
non dei causa sed uestra culpa & negligentijs ue-
stris hoc factũ fore sciatis. Diẽ iudicij timete, gehẽ
nam expauescite, uitã æternam desiderate, cogita-
tiões & opera simul & uerba die noctuq; in bonũ
custodite. Transitũ uestrũ de hoc mundo qui sem-
per appropinquat omni die sperate. Præcepta dei Tob.4
adimplete, & in eius misericordia nunq; despera-
te. Quod sibi q̃s fieri nõ uult, alij nõ faciat. Et pro- Luce 6
ut uultis ut faciãt uobis homines bona: & uos faci-
te illis similiter. Charitatẽ autẽ, quæ est dilectio dei
D & proximi, in omnib. & ante omnia seruate. Ne-
mo se circumueniat fratres, quia omnis homo qui
post baptismũ mortalia crimina cõmisit, seu homi
cidiũ, adulteriũ, fornicationẽ, furtũ, falsum testimo
niũ, periuriũ, & his similia peccata mortalia perpe
tratus fuerit, si pœnitentiã uerã nõ egerit, eleemo-
synã iustam non fecerit, & in bonis operibus non
permanserit, nunq; in regnũ cœlorũ intrabit nec
possidebit gloriã æternam, sed cũ luctu in infernũ
descẽdet. Nam qui talia agunt, regnũ dei nõ possi- Gal.5
debunt: proinde scriptũ est, Nequaq; deus delin- Iob 9
quentibus parcet, quoniã peccator aut flagellum
temporale habebit, aut purgationẽ in hoc seculo
faciet, aut puniendus relinquitur æterno iudicio,
aut quod male admiserit puniẽdum, punit in hoc

ſeculo:ac proinde eſt q̃ delinquentib.non parcet deus:& alibi ſcriptũ eſt,Nulla peccata deus p̃mittet inulta,hoc eſt,ſine uindicta:quia certe aut nos hic uindicabimus peccata noſtra per pœnitentiã, aut illa uindicabit deus per ſeueritatem iudicij & iuſtitiam. Et illud ſcitote certiſſime & firmiter credite, q̃ omnis homo quamuis ſeu quantumcunq̃ criminoſus fuerit,ſeu peccator extiterit,ſi uerã pœnitentiam egerit, ac iuſtas eleemoſynas fecerit, & in bona deuotione cũ operibus iuſtis permãſerit, mortem æternã nõ guſtabit,nec unq̃ in infernum deſcẽdet, ſed ab angelis ſanctis poſt uitam p̃ſentem in cœlũ leuabitur & gloriã poſſidebit æternã: unde deus dixit, Non iudicabitur homo bis in id-
1 Cor. 9 ipſum: & Apoſtolus ait, Si hic iudicaremus nos, nequaq̃ à dño iudicaremur. Hoc eſt q̃ illi qui in hac uita præſenti per uerã pœnitentiam iudicant, in iudicio extremo de his non iudicabuntur, quia ſic eorum iudiciũ in hac uita terminatur. Vnde & alibi ſcriptũ eſt, q̃ ſi nos perfecte pœnitentiã egerimus non ſolum deus culpas noſtras remittit, ſed poſt culpas etiam p̃mia promittit. Ideoq̃ fratres chariſſimi,uitã noſtram in uita p̃ſenti emendare feſtinemus, & quicquid mali contra præcepta dei fecimus defleamus, & ulterius peccare ceſſemus, ac in uoluntate bona,cogitatione recta, & uerbis ac operibus ſanctis nos cõſeruemus,auxiliante & gubernante dño noſtro Ieſu Chriſto, qui uiuit & regnat deus in ſecula ſeculorum,Amen.

De exhortatione ad generalem hominum inſtructionem pro deſiderio uitæ cœleſtis,& contẽ- C
ptu præſentis, Sermo LXV

F RATRES chariſſimi,unuſquiſq̃ peccata ſua emẽdare debet inquãtũ p̃ualet deo auxiliante. Omnis enim homo Chriſtianus deſiderare debet patrem cœleſtẽ & deũ patrẽ omnipotentẽ qui in cœlis habitat,ut dicere mere-
Mat.6 atur, Pater noſter qui es in cœlis: Ibi uidelicet ubi eſt pater de cœlis , ubi eſt patria noſtra cœleſtis,illuc deſiderare debemus ut perueniamus: ibi peruenire ſperemus ut & illic permaneamus. Iſta namq̃ uita non cœleſtis ſed terrena, nõ patria ſed exilium,nec perpetua ſed tranſitoria, quia quotidie ad finem prona.Illa uero patria cœleſtis in qua deus cum ſanctis angelis & electis ſuis habitat, finem non habet. Vere igitur ſtultus eſt qui ad talẽ D patrem talemq̃ patriam ac talem cœleſtium ciuiũ ſocietatem peruenire non deſiderat. Quis eſt ille qui in captiuitatẽ ductus ultra ad patriam redire nollet? Quis in carcere tenebroſo poſitus amplius exire nollet & lucẽ uidere? Quis uſq̃ ad mortẽ famem ſuſtinens,ſi ei manducandi poſſibilitas affuerit,non mãducaret? Quis ſitim patiens,ſi facultas bibendi extiterit,non potaret? Nobis chariſſimi mundus iſte uere non patria ſed captiuitas Babylonica eſt, quia multipliciter diuerſorum inimicorũ noſtrorũ laqueis irretiti, mundi uidelicet carnis & generis humani inimici, uita etiam præſens non libertas ſed carcer peccatorum nobis eſt. De hac igitur captiuitate, de hoc tenebrarum carcere eripi laboremus,& non ut ſerui hunc cibum & potum uanitatis præſentis anxium & laborioſum appetamus, A ſed ut filij liberi cœleſtem deſideremus cibum & potum, hunc uidelicet qui plena ſacietas eſt ciuium ſupernorum. Pro hoc cibo, pro hac cœleſti uita creatorem & gubernatorem noſtrum rogare debemus & orare, ut in hac ualle miſeriæ ſeu exilio p̃ſenti nos cuſtodire & gubernare dignetur,ut opitulante illo,ad portũ ſalutis peruenire ualeamus.Mundus enim iſte ſimilitudinem maris habet.Mare fœtet,ſimiliter & mundus.Ex hoc fœtore, auxiliante deo, extrahere nos debemus. Oportet namq̃ cũ humilitate maxima orare deũ creatorem noſtrũ ſanctoſq̃ ſuos precari,ut ex uallе lachrymarum nos eruẽs,ipſorum ciuium ſupernorum conſortes nos efficiat. Illuc em̃ ſummo ſtudio p̃perare debemus,ubi ſine interruptiõe manere ſperamus, ubi nullus timor de morte, nulla dubitatio de hoſte.Ibi uita ſine fine, iuuentus ſine ſenectute,lux ſine tenebris,gaudiũ ſine triſtitia,uoluntas ſine moleſtia,requies ſine labore,claritas ſine nube.Hæc autem uita horrenda eſt & laborioſa,fragilis & faſtidioſa,caduca ac miſera,deceptrix atq̃ doloſa,& ærumnis ac ſcãdalis plena. In luctu naſcimur, in labore uiuimus, & in dolore morimur. Et quod peius eſt & ſuper omnia magis dolẽdum,quidam peccatis ſuis exigentibus non cõfeſſi,nec cõtriti,de hac uita migrantes, non ſolum tẽporali morte plectuntur,ſed & in infernũ deducti morte moriũtur perpetua. Vitam etenim ſuam ſine omni pietate duxerunt, & ob hoc multa tor- C
menta paſſuri nunq̃ uitam cõſequentur æternam. Dum enim tempus habuerunt, uitã ſuam emẽdare noluerunt: Plus gulam amantes q̃ abſtinẽtiam ſectantes, plus luxuriã q̃ caſtitatem, magis terreſtria q̃ cœleſtia,plus creaturam q̃ creatorem diligentes.Abſtinentia ducit ad caſtitatem, caſtitas p̃ ducit ad gloriã,& fornicatio demergit ad pœnam. Caſtitas ad cœlum ſubleuat, & luxuria ad infernũ profundat.Caſtitas ſanctis angelis unit,fornicatio autem dæmonibus iungit.Sobrietas cogitationes ſanctas inſtituit,ebrietas uero etiam ſi audit uerba ſancta,in corde non ſuſcipit.Oportet ergo unumquemq̃ uerum animę amatorem non ſolum corpus nutriendo diligere,ſed & animam nutriendo nutrire.Videmus naturaliter q̃ ſi corpus eſurit cibum quærit:ſi ſitit,potum appetit:ſi nudum eſt,ueſtimentum deſiderat: Requiem petit cum labore, ſomniũ quærit dum dormire infeſtat, & ſic de cæteris corporis neceſſitatibus.Anima autem omnibus his indiget.Præceptum domini panis eius eſt, oratio ſancta potus, ueſtis eius ueritas & iuſtitia, requies,humilitas & obedientia.In hoc etiam cõ-
uiuio æternę ſocietatis multi ſunt uocati, pauci ue Matt.20
ro electi.Alij accipiunt fructum triceſimũ, alij ſe- Matth.13
xageſimum,alij uero centeſimum. O q̃ beata eſt illa anima cui dominus deus dignatus eſt cõcedere manſionem in æterna requie.Et qui hanc manſionem,regnum uidelicet cœleſte ingredi uoluerit,& non ſuperbus neq̃ auarus, non inuidus nec iracundus,nõ guloſus nec ebrioſus,non cupidus nec luxurioſus,non periurus,non homicida, non falſator

falſator neq̃ adulter,& ſic de ſingulis. Quãuis autem infinita mala perpetrauerit, de dei tamẽ miſe- A
ricordia deſperare nõ debet,ſed ſpẽ habere debet de dei miſericordia & fiduciam recuperandi ſalutem,p̃ uitæ ſuæ emẽdationem & bonorũ operum exercitationẽ.Verba dei libenter audire,& ad eccleſiam diligenter cõuenire,ſacerdotibus ſæpiſſime cõfiteri, omnib. hominibus charitatem firmã tenere.Qui enim charitatem non habuerit,in uitã æternã introire non ualebit. Paruo tẽpore homo
Gal.6 uiuit in hoc ſeculo. Dum igitur tempus habemus operemur bonũ ad omnes, & uias domini præpa
2.Cor.6 remus bonas. Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies ſalutis. Salus hominũ Chriſtus eſt.Si parẽtes noſtros & amicos diligere debemus,quã- B
to magis iſtum diligere tenemur,qui & nos & noſtros fecit & creauit parentes? Hunc amemus qui uniuerſæ dominatur creaturę, ſcilicet deũ. Diligamus proximũ ſicut & nos, q̃a de terra ſicut & nos proximi noſtri ſunt formati,ut per hoc uitã mereamur æternã,ipſo adiuuãte qui uiuit & regnat &c.

De agenda pœnitentia. Sermo LXVI

P IVS & miſericors deus fratres chariſſimi ad compũctionem & pœnitentiam nos
Ezech.33 hortatur,dicens,Conuertimini ad me in toto corde ueſtro,in ieiunio & fletu & planctu,q̃a nolo mortem peccatoris,ſed ut conuertatur & uiuat:& iterum,Noli tardare,inquit Propheta,conuerti ad dominum:Cõuertimini ad me in toto corde ueſtro,id eſt,ad dominum deum ueſtrum.Et ne differatis de die in diem: & iterum, Cum conuerſus ingemueris,ſaluus eris. Conuertimini igit̃ chariſſimi ad dñm deum noſtrum,tanq̃ boni ſerui ad
Pſal.94 fidelem dñm. Humiliemus nos in conſpectu dei, & ploremus ante deũ qui fecit nos.Non dedignemur in hoc ſeculo agere pœnitentiam & peccatorum noſtrorum precari ueniã, ut infernalem euadere poſſimus pœnã ac ad æternã peruenire lætitiam. Emendemus ergo nos in ieiunijs & uigilijs
Pſal.50 & cæteris operibus pijs,ſciẽtes q̃ cor cõtritum &
1 Cor.9 humiliatũ deus non ſpernit:ſic em̃ ait Apoſtolus, Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo. Si pro carne noſtra laboramus, laboremus etiam p̃ anima noſtra quæ dignior eſt. Si curam habemus pro ſatietate miſeræ carnis noſtrę quam poſt paucos annos uermes deuorabunt in ſepulchro: quã- D
tomagis deſpicere non debemus animã, quæ deo & angelis eius præſentatur in cœlo? Cogitate fratres chariſſimi quia abundantia pabuli luxuriã ad miniſtrat,cum caro in tam copioſis delicijs ſatiat̃, & mens tantis mulcet̃ diuitijs,in pinguedine carnium prouidet̃ eſca uermium.Iterum rogo uos fratres, quotiens iuxta ſepulturam diuitis tranſitis ut diligẽter inſpiciatis ubi ſint eorum diuitiæ uel ornamẽta,ubi gloria,ubi unitas,ubi luxuriæ, ubi uoluptas,uel ubi eorum ſunt ſpectacula. Conſiderate diligenter & uidete & agnoſcite,quia nihil aliud in eis eſt niſi cinis & fœtor & uermis.O homo uide ſepulchra mortuorum,& dic tibi tuipſe,& loquens tecum dicere potes,Ecce nunc ex illo miſero qui hic depoſitus fuit,nihil aliud niſi oſſa & puluis euenit. Et uere homo ſi ipſa oſſa arida audire
uolueris, tibi prædicare poterunt & dicere,O miſer quantum pro cupiditate huius ſeculi diſcurris, aut quid ſuperbiæ uel luxuriæ infelicia colla ſubmittis, ut quid te applicaſti ad ſeruiendum crudeliſſimis dominis,uitijs uidelicet & criminibus. At tende ad me & intellige,conſidera me, & uel ſic tibi horreat luxuria tua uel auaritia tua. Hoc quod tu es ego fui, & q̃d ego ſum modo, tu eris poſtea. Si in me permanſit uanitas,te nõ conſumat iniquitas:ſi me luxuria polluit, te exornet caſtitas: uide puluerẽ meum & relinque deſideriũ tuum malũ &c.Ideo quantum poſſumus,auxiliante deo, laboremus ut aliorum uulnera nobis conferant medicamenta,& aliorum mors ad uitam nobis proficiat:& hoc optime fieri poteſt, ſi plus erimus ſoliciti pro anima q̃ pro corpore:ut cũ caro noſtra fuerit in ſepulchro poſita, anima noſtra bonis operibus in cœlos eleuetur ornata.O anima ſi nos deceperit pulchritudo alienæ mulieris,aut concupiſcẽtia carnis,quę eſt ruina animę, ſcito quòd corpus ſimul cum anima pœnas habebunt. Nam cũ caro noſtra putruerit in ſepulchro, anima noſtra torquẽda mergetur in inferni barathro. Ecce quales prædicationes oſſa & cineres mortuorũ quotidie proclamant ad dñm. Vere dico fratres chariſſimi quicunq̃ luxurioſus uel negligens ea quæ dico cũ magno timore ſuſcipere uoluerit, & cito ad medicamẽta pœnitentię cõfugerit & in pœnitentia ex hac uita migrauerit, paradiſi gaudia poſſidebit. C
Quam ſi non egerit & mors repentina eum p̃euenerit,ſine ullo remedio æternę pœnæ cruciatus habebit.Nos igitur dilectiſſimi fratres quantũ poſſumus cũ dei adiutorio contra carnales cõcupiſcentias uiriliter pugnemus,ut deuictis huius ſeculi uoluptatib.æternum p̃mium conſequi mereamur, per infinita ſecula ſeculorum,Amen.

De fuga uanitatis & uirtutum adeptione.

Sermo LXVII

D ILECTISSIMI fratres,oportet humilitatẽ nos habere, præcepta dei cuſtodire,charitatem tenere,ueritatẽ ſequi & fugere uanitatem. Veritas enim mundat,uanitas coinquinat. Veritas Chriſtus eſt ſicut ipſe dicit,Ego ſum uia ueritas & uita. Via recta,lux uera & uita
perpetua. Veraces filij dei ſunt,mendaces uero fi- D
lij diaboli. Vnuſquiſq̃ enim cuius opera agit,eius filius appellatur. Qui ſequuntur deum,ſemper in luce ſunt:qui aũt imitantur diabolum,in tenebris ambulant & lucem nunquam habebunt. O dilectiſſimi filij quàm malum & quàm peruerſum eſt dimittere lucẽ & ſequi tenebras, fugere uitam & appropinquare morti, dimittere ueritatem & ſequi mẽdacium,delectari in uana gloria & ſpernere ſempiterna,iocundari in præſenti dolore & pœna,& amittere lætitiam & quietem ſempiternam? Scriptura enim dicit, Non quæras gloriam & nõ confunderis cũ glorioſus fueris.Beati illi qui oculos habent ſpiritales & cõtemplantur cœleſtia & reſpuũt terrena. Ex hac em̃ fragili miſera & breui uita feſtinant ad illam beatam requiem ſanctorũ
Ioan.14

quæ nunquam finietur, illuc festinant ubi semper
permanere sperant, ubi nõ est timor de morte nec
pauor de hoste. Ibi est uita sine morte, iuuentus si-
ne senectutis expectatione, lux sine tenebris, gau
dium absq; tristitia, uolũtas absq; iniuria, regnum
sine commutatione, requies sine labore, satietas si
ne fastidio, & claritas sine nube. Ibi est uita angeli
ca semper læta. Lętitia huius seculi licet sæpe gau
diũ esse uideatur, sępissime tamen in tristitiam uer
titur. Regnum dei non habet finem, uita huius se-
culi horrenda est. Illa uero amanda atq; desideran
da. Hæc em̃ præsens uita misera & caduca est, imò
incerta, deceptrix & insatiabilis. In pœna & luctu
nascimur, in miseria & angustia nutrimur, in labo-
re uiuimus, in dolore morimur, & in fine quod ma
gis dolendum est, si impœnitẽtes discedimus per
petua tormenta patiemur. Nam ueniam postmo-
dum non consequentur qui dum tempus hic ha-
buerint & pœnitentiã condignã nõ egerint. Nam
qui præcepta Christi nõ habent, uel etiam haben
tes nõ seruant, & promissa cœlestia despiciũt, qui
qui plus amant gulã q̃ abstinentiam, magis luxu-
riam q̃ castitatem sectantur, absq; dubio regnum
dei nõ possidebunt. Fornicatio urget animam ad
pœnam, castitas leuat mortalem ad gloriam. Casti
tas erigit iter ad cœlum, luxuria facit ruere in infer
nũ. Castitas iungit hominẽ moribũdum sanctis &
angelis perpetualibus, fornicatio sociat satanæ &
dęmonibus. Porcus crassus se uoluit in uolutabro,
& si porco margaritas ante ipsum posueris, nõ ad-
uertẽs cõculcabit in luto. Sic & homo ebriosus, ui
no repletus ac crapulosus, ferculis satiatus, diuer-
sis in luxurijs se ꝓruit, & in stercore uitiorũ se uolu
tãs, uerba sanctę scripturę nec ore profert, nec cor
de suscipit. Dulce illi est fornicari, & cõtinentiam
seruare amarum. Ille miser ambulat elatus & super
bus & cupit esse melior q̃ cæteri in hoc seculo, cũ
tamẽ apud deũ deterior sit. Altiorẽ se cæteris exi-
stimat, etiã si omniũ inferior existat. Et sic dũ meli-
us & firmius se stare putat, in pręcipitium cadit, &
in ęternũ barathrũ uadit. Ex quo omnipotẽs deus
nos eripiat, qui sine fine uiuit & regnat: Amen.

Quomodo per uirtutes obuiandũ sit uitijs. Et
de miseria infernali:

Sermo LXVIII

FRATRES satis timere nos oportet pro
pter tres causas, hoc est, gulam, cupidi-
tatẽ, & superbiã, quia diabolus istis tri-
Gen.3 bus circumuenit patrem nostrum Adam dicẽs, In
quacunq; die comederitis ex hoc fructu, aperien-
tur oculi uestri & eritis sicut dij. Nos autem tenea
mus mente & timeamus istas tres causas pessimas,
ne ut Adam nuduli expellamur de paradiso. Con
tra gulam & ingluuiem uentris, abstinentiã, con-
tra cupiditatem & auaritiam, paupertatem spũs &
eleemosynarum largitionem, cõtra superbiam &
elationem, uerã humilitatem & omnimodam sub
iectionem exercentes. Hæc scientes quia angelos
Matt.18 dei custodes habemus, sicut ipse saluator ait, A-
men dico uobis angeli eorum semper uident faci
em patris mei qui in cœlis est. Quapropter certe
credere possumus quia om̃ia opera nostra quæ o-
A peramur die ac nocte siue bona siue mala, ab ipsis
in conspectu dei nũciata erant. Nam angelus bo-
nus hortatur nos cõsilio boni, quia cũ aliquid bo-
ni agimus, ipsum à dextris nostris esse credamus.
Cum uero malum aliquid cogitamus aut facimus
siue paruum siue magnum, hoc nulli dubiũ quin
malignum angelum hortatorẽ habeamus, qui su-
per hoc nos gaudens irridet, cum angelus sanctus
tristatur & dolet. Et ideo cũ uerba ociosa dicimus,
aut quicq̃ mali facimus, diabolicũ consilium est.
Cum aũt ingemiscimus & pro peccatis nostris su-
spiramus, aut opera uirtutum facimus, tũc angelũ
dei sanctum administratorem & consiliatorẽ ha-
bemus. Nã de illis trib. causis quas superius dixi-
B mus, & quas diabolus in Adã subministrauit per
instinctionem mali cõsilij, solerti custodia nos ca-
ueamus. Istæ em̃ tres, gula uidelicet, cupiditas & su
perbia, multa & infinita generant mala. Occasio-
nantur namq; hæ malę & principales uitiorũ radi
ces, sacrilegium, homicidium, fornicationem, fur-
tũ, auaritiam, luxuriam, falsum testimonium, iram,
discordiam, periurium, & his similia. Nos igit̃ fra-
tres charissimi ponamus contra superbiam & ela-
tionem ueram humilitatem, cõtra gulam abstinẽ-
tiam, contra cupiditatem eleemosynam, contra sa
crilegium perfectam pœnitẽtiam, contra homici-
dium dei & proximi dilectionem, cõtra furtũ be-
nignitatẽ, contra auaritiã charitatẽ, contra luxuriã
castitatẽ, contra falsum testimoniũ ueritatẽ cordis
C & oris, contra irã pacem, contra discordiam uerã
concordiam & uinculũ pacis firmum, contra per-
iurium timorem dñi. Et super omnib. spem firmã,
fidem rectam, charitatem perfectam. Taliter per
uirtutes uitijs obuiando, & contraria cõtrarijs cu-
rando, coram deo & hominib. cum iustitia & ęqui
tate uiuamus. Ista em̃ sunt arma angelica, lorica &
arcus uirtutum, scutum fidei firmissimum, & galea
salutis. Qui hæc arma in fide non hæsitans secum
portauerit, nullus ei diabolus nocere poterit. O
fratres charissimi contra pessimum hostem, id est,
immitissimum generis humani inimicum tantum
nos armare debemus, ut ipsum uiriliter superare
ualeamus, qui semper paratus est uelut latro ad su
randũ opera nostra bona, cõsilia mala subministrã
D do. Certe multi audacia diabolica decipiunt̃, & se
curitate propria, quã sibi fingunt, decipiuntur. Di
cunt em̃, iuuenis sum, dum est mihi tẽpus & inte-
rim quòd floret in me iuuentus fruar mũdo, cũ ad
senectutẽ uenero & amplius quæ uolo exercere
nequiuero, tũc pœnitentiã agẽs abstinebo. Et nõ
cogitat ille miser ꝙ nõ habet certũ unius horæ uel
momenti spatiũ, seu etiam potestatem de uita sua.
Eia charissimi fratres nõ uos decipiat aut seducat
ista pessima securitas, quæ nõ securitas, sed potius
periculũ dici potest. Proinde diẽ mortis semper in
memoria habeamus, semper in timore dñi stãtes,
pœnitentiã agamus, quia transitus noster, uita ui-
delicet huius seculi breuis est, & caduca ac fragilis
ista misera pręsentis mũdi tẽporalis potentia. Dic
ubi imperatores & reges, ubi duces, principes aut
barones

barones, ubi aurũ & argentũ ac ornamenta eorũ?
Sap.6 Scriptum est, Potentes potenter tormenta patien
tur. Væ tam obscuræ mansioni, uæ tam languidæ
foueæ, uæ tam tenebrosæ, uæ tam profundæ & o-
pacæ carinæ. Pensemus charissimi quomodo de
tam parua consolatione, tam longa calamitas: de
tam breui lætitia, tam longa tristitia: de tam modi-
ca luce, tam magnæ tenebræ: de tã exiguo lucro,
tam graue damnũ: de tam uana securitate, tam for
te periculum, de tam parua potentia huius tẽpo-
ris, tam longa tormenta sine fine mansura: de tam
breui iocunditate, tam longę & tam amarę lachry
mæ: de tam inani huius mundi põpa, dira gehen-
nalis prouenit pœna, de qua nõ liberabit pater fi-
lium, nec pro patre filius fideiubebit, ubi non re-
perit̃ amicus qui redimat, nec frater qui succurrat.
B Vbi qui ibi sunt mori quærunt, sed mortem impe-
trare nequeunt, ubi amara pœnitentia tarde agit̃,
nec ob hoc sic pœnitens adiuuatur. Ibi nulla uita
sed mansio dura & mors ęterna, ibi tenebrosus ig
nis & locus horribilis, ibi flãma gehennalis & in-
extinguibilis, ibi immensa tormenta & suspiria ua
lida, ibi luctuosi gemitus & languor lõgus, ibi mi
seri cum miseris, superbi cum superbis, homicidæ
cum homicidis, adulteri cum adulteris, auari cum
auaris, fures cum iniquis, falsi prælati cũ falsis sub-
ditis, dissoluti religiosi cum dissolutis socijs & so-
ciabus lasciuis, & sic de singulis. Qui om̃es simul
enarrabiliter cruciabuntur & infernali carcere si-
ne fine torquentur. De quo nos uitijs emendatos
omnipotens deus eripere dignetur, qui uiuit & re
gnat in secula seculorum: Amen.

De exhortatione ad orandũ, cum exemplo cu-
iusdã defuncti in Aegypto. Et de miseria animę:

Sermo LXIX.

FRATRES dilectissimi quãdo orare uul-
tis aut peccata uestra plangere, claudite
ostiũ super uos & orate dominum deum
uestrum in toto corde. Tunc respiciens dominus
super uos ꝓpitius ac pius uobis erit, quasi pia ma-
ter filio suo dum eum dolentẽ & plorantem repe-
rit. Hæc charissimi in cordibus uestris scribite &
intelligite. Et qui non intelligunt, eos qui ratio-
nabiliter sapiũt, interrogent. Acquirite uobis dile
ctissimi thesaurum cœlestẽ mundi huius postpo-
sitis uanitatibus, attendentes & ualde timentes
quoddam exemplũ horribile, quod quidã homo
sanctus in excessu mentis positus uidit & audiuit
de quadã anima de Aegypto exeũte & cõtra cor-
pus suũ contendente. Erat enim homo iste de cu-
ius anima fit ad præsens mentio, corpore fœcun-
dus ualde & temporaliũ stipatus plurimũ, & in ta
li corporis & rerũ prosperitate positus nihil aliud
cogitabat nisi cuncta quæ poterat perficere mala,
nec quicq̃ de animę suę salute tractãs, totus uixit
in peccatis. Accidit ut infirmitate laborans morti
appropinquaret. Et ecce spiritus illius ad ostiũ cor
poris pulsans terrore ac mœrore per maximè con
cussus admodũ exire tardabat, quia diabolus an-
te se præparatos uidebat, ac inter se mussitare di-
centes, Quomodo tardatur? Cur fit hoc? Quare
facit tot moras? Festinemus, forsitan Michael cũ
A socijs suis opprimens nos, ac animam illam nobis
tollens quam per multos annos uinculis nostris
constrinximus. Tunc unus ex diabolis respõdens
dixit: Nolite timere, nostra est. Ego opera eius
scio. Ego semper cum illo diebus ac noctibus fui.
Hęc illa anima misera audiens dixit, Heu mihi
quare unquam nata fui aut creata. Væ mihi qua-
re unquam in hoc corpus intraui. Vę mihi quod
unquam in isto pessimo carcere carnis extiti. Væ
tibi corpus miserum, quare alienas rapuisti pecu-
nias. Tu facultates pauperum & substantias eo-
rum in domũ tuam congregasti. Tu cibarijs de-
licatis te nutriebas, & ego salutem nostrã esurie-
bam. Tu uinum bibebas soporosum, & ego fon-
B tem uitæ sitiebã. Tu te preciosis decorasti uesti-
bus, me nuda existente uirtutibus. Tu quidem fœ
cundum eras, & ego macra. Tu rubicundũ, & ego
pallida. Tu hilare, & ego mœsta. Tu ridebas & e-
go flebam. Tu gaudebas, & ego dolebã. Tu sem-
per mihi contraria egisti, modo es esca uermiũ &
putredo ac puluis. Requiesces per modicũ tem-
pus in terra, & postea mecũ in infernũ deduceris
tormenta sicut & ego passurum æterna. His di-
ctis corpus sudare cœpit ac spiritũ reddere. Tunc
ille diabolus augelus satanæ, qui non in bono sed
in malo custos & instinctor eius perstitit, eam ap-
prehendens dixit: Nolite socij nolite morã face-
re, sed tridentes acutissimos apprehẽdite, & cum
dolore in oculos eius figite. Quicquid enim uidit
C siue pulchrũ siue turpe, totũ concupiuit. Pungite
os eius quia omnia quæ desiderauit siue in come-
dendo siue bibendo uel etiam loquendo iustis
uel iniustis nunquã pepercit. Pungite & cor eius
dolorosum & falsum, in quo nec pietas nec miseri
cordia nec charitas nec bonitas fuit. Pungite etiã
manus eius rapaces, quæ ad furtũ, latrocinium &
rapinam promptę & ad opera pietatis tardę fue-
runt. Insuper & pedes eius, qui ad omnẽ uiam ma
lam ueloces extiterunt. Tunc illam miseram ani-
mam de corpore eiectã sic membratim puniẽtes,
leuauerunt super alas suas nigras tenebrosas &
uespertilioneas, ad infernũ ipsam deducentes. Et
dum sic in itinere esset, uidit anima illa claritatem
magnam, & dixit, ubi uel quid est ista claritas? Re
D sponderunt dæmones dicentes, non agnoscis pa
triam unde exiuisti quando in hanc peregrinatio-
nem uenisti? Tu quondam renunciasti põpis no-
stris & per baptismũ ac signum crucis nos expuli-
sti. Audisti Prophetas & Apostolos, audisti etiam
sacerdotes & curatos tuos, q non cessabãt tibi uiã
uitę prędicare & nomẽ saluatoris tui laudare. Cor
autem tuum à doctrina eorum longe erat. Modo
transis iuxta patriã illam unde prima uenisti, non
tamen ibi diuertes nec uenies. Choros angelorũ
audies, non ad tuam consolationẽ, sed ad tuã per-
petuam desolationem. Claritatem sanctorũ uide-
bis, nec tamen ibi habitabis, quẽadmodum et nos
nõ facimus q de paradiso eiecti sumus, & sicut fui
mus ac sumus in perditione, sic & tu nobiscũ eris.
Vsq; modo fuisti in peregrinatione, nunc mora-

beris nobiscũ in damnatione in qua multos habe
mus socios. Tunc cœpit illa misera anima cũ dolo A
re & fletu ac gemitu ingenti dicere, Heu me mise-
ram quòd unq̃ creata fui ac nata, seu in hoc cor-
pus maculatũ posita. Heu mihi q̃ in ista damnatio
ne posita claritatem ęternam perdidi ex qua olim
sine macula exiui. Modo uideo spatiosam uiã quę
ducit ad patriam, non tamen perambulabo eam.
Tunc perduxerũt eam inimici sic flentẽ & gemẽ-
tem ad perditiõis portas, ubi diabolus ad recipiẽ-
dum eã præparatus erat in similitudine draconis,
et aperiens fauces suas fœtidissimas ac glutiens eã
reuomuit in calidissimũ locum igneum, ubi sui cõ
similes expectãt iudiciũ. Hoc exẽplo dilectissimi
edocti ac admoniti ut aliorũ fera uulnera nobis
sint medicamẽta certa, uitã nostrã hic dũ ualemus B
in melius emẽdemus, carnalia abdicãtes, spiritalia
sectãtes, ut sic lętãter ex hoc corpusculo egredien
Psal.26 tes dicere possimus, Adhęsit anima mea post te,
quia caro mea castigata pro te deus meus. Ob hoc
mi domine me suscipiat dextera tua. Qd nobis cõ
cedere dignet qui saluat omnes sperantes in se, ac
uiuit & regnat deus in secula seculorum: Amen.

De commendatione humilitatis, ac de cõpun-
ctione cordis: Sermo LXX.

6 VANTA sit ueræ humilitatis uirtus fratres
Q facile ex uerbis domini cognoscitur, qui ut
Luca 14 superbiam Pharisæorũ dãnaret dixit, Om-
nis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat
exaltabitur. Humilitatis passibus ad cœli culmi-
Iacob.4 na conscenditur, quia deus excelsus non superbia C
Psal.137 sed humilitate attingitur. De quo dictum est, De-
us superbis resistit, humilibus aũt dat gratiam. Vn
de in psalmo dicitur, Excelsus dominus & humi-
lia respicit & alta à lõge cognoscit. Alta posuit ꝓ
superbia. Humilia uero respicit ut attollat: alta, id
est superba cognoscit ut deijciat. Discamus humi
litatem per quam deo propinquare poterimus, si-
Matt.11 cut ipse in Euãgelio ait, Discite à me qa mitis sum
& humilis corde. Per superbiam mirabilis angelo
rum creatura cecidit de cœlo: per humilitatẽ dei
fragilitas humanę naturæ ascendit in cœlum. Ho-
nesta est enim inter homines humilitatis consue-
tudo, sicut Salomon ait, Vbi fuerit superbia, ibi e-
Prou. 11 rit & contumelia: ubi aũt humilitas, ibi sapientia.
Eccl.3 Item alius sapiens. Quanto magnus es humilia te D
in omnibus, & coram deo inuenies gratiam. Item
Esa.66 dominus per Prophetam, Ad quem respiciã nisi
ad humilem & quietũ & trementem uerba mea?
Quicũq̃ humilis & qetus nõ fuerit, non potest in
eo habitare gratia spiritussancti. Deus humilis
factus est nostrę salutis causa. Erubescat ergo homo
superbus esse. Quãta humilitate inclinatur cor ad
ima, tantũ proficit in excelso. Qui em humilis fue-
rit exaltabitur in gloria. Primus humilitatis gra-
dus est ueritatis sermonẽ audire humiliter, memo
riter retinere, uoluntarie pficere: eam quippe quã
nõ inuenit humilẽ, ueritas fugit mentẽ. Quanto
quis humilior fuerit de seipso, tanto maior erit in
cõspectu domini. Supbus uero quanto gloriosior
apparet inter homines, tãto deiectior erit ante de-
um. Qui sine humilitate bona opera agit, in uento
puluerẽ portat. Quid superbit terra & cinis, dum
uento superbia dispergit, qd ieiunijs uel eleemo-
synis cõgregare uidet? Noli ò homo in uirtutibus
gloriari tuis. Quia iterũ habiturus es iudicem non
teipsum, in cuius conspectu teipsum in corde tuo
humiliare debes, quatenus ipse te exaltet in tẽpo-
re retributionis. Descẽde ut ascẽdas, humiliare ut
exalteris, ne exaltatus humilieris. Qui enim sibi ui
lis est, ante deũ pulcher est: & q̃ sibi displicẽt, deo
placent. Esto ergo paruus in oculis tuis, ut sis ma-
gnus in oculis dei. Tãto em eris apud deũ precio-
sior, quanto fueris ante oculos tuos despectior. In
summo honore summa sit tibi humilitas, honoris
laus est humilitatis uirtus. Cõpũctio cordis ex hu
militatis uirtute nascitur, de cõpũctione cõfessio
peccatorũ, de confessione pœnitẽtia, de pœniten
tia uero pueniet delictorũ indulgentia. Compun
ctio cordis est humilitas mentis cum lachrymis et
recordatiõe peccatorũ & timore iudicij. Ex gemi
no fonte cõpunctionis solẽt profluere lachrymæ,
una dum mens operũ suorum mala considerat, al-
tera dum desiderio ęternę uitę suspirat. Vnde Pro
pheta ait, Sitiuit anima mea ad deum uiuũ, quan- Psal.41 & 83
do ueniã & apparebo ante eũ? Itẽ, Concupiscit &
deficit anima mea in atria domini. Quatuor sunt
qualitates affectionũ, quibus cogitatio iusti tędio
salubri compũgitur, hoc est, memoria pręteritorũ
facinorũ, recordatio futurarum pœnarum, consi-
deratio peregrinationis suæ in huius uitę miseria,
& desideriũ supnæ patrię, quatenus ad eam quan-
totius ualeat peruenire. Quãdo ergo ista in corde
hominis fiunt, signũ est tunc esse deum per gratiã
præsentem. Vnde in Psalmo dicitur, Deus uitam Psal. 55
meã nũciaui tibi, posuisti lachrymas meas in con-
spectu tuo, sicut in promissione tua. Promissio in-
dulgẽtię quã habemus à deo, lachrymas pœniten
tię excitat in corde nostro, thesaurũ desiderabilẽ
in corde hominis cõpũctiõis dulcedo. Anima ho
minis quę in oratiõe cõpungit, ualde illi pficit ad
salutẽ, cum per orationẽ cõpunctio effunditur, spi
ritussancti præsentia cordibus nostris illustratur.

De non tardando conuerti ad dominum
Sermo LXXI.

7 EGITVR in literis diuinitus inspiratis di-
L ctum, Fili ne tardes conuerti ad dominum,
quia nescis qd futura pariat dies. Qui tar-
dat conuerti, periculum facit animæ suæ, qa mors
non tardat, quę si tardantẽ cõuerti inueniet, ad tor
mẽta deducit eũ. Dissoluta et paralytica cogitatio
est de crastina cogitare cõuersione, & hodiernam
negligere. Quid tu peccator cõuerti dissimulas, et
non metuis ne mors repẽtina subripiat diem con
uersionis? Nónne homines subito moriunt? Si bo
num est peccata dimittere & ad deũ se cõuertere,
cito fiat. Deus tibi promittit remissionẽ cõuerten
do à peccatis, securitatem tibi non promisit diu ui
uendi. Ideo conuertat se unusquisq̃ citius ad do-
minum, & derelinquat impius uiã suam. Si subito
intrat dies extremus, perit dilatio & restat damna
tio. Perire nõ uis, redi ad deũ & uiues. Noli de ue-
nia pec-

nia peccatorũ nec de uita longiore cõficere. Con-
uertere ergo & pœnitentiam age. Cras inquis, me A
conuertam. Quare non hodie? Quid male dicam,
si cras dicã? Quid male, si hodie? Forte dicis, Lon-
ga erit uita mea. Dico, Si longa erat bona sit, si bre
uis & ipsa bona sit. Prandium & si longum nõ ta-
men uis habere malũ, & uitã longam uis habere
malam? Villam emis, bonam desideras, uxorem
uis ducere, bonã quæris, filios tibi nasci bonos o-
ptas. Et ut etiã de rebus uilissimis loquar, caligas
emis & non uis malas. Quid ergo uitã amas ma-
lam: si uitam uis malam, inter omnia bona tua eris
malus. Ne tardes conuerti ad dominũ, & ne diffe-
ras de die in diẽ. Verba domini sunt non mea, nõ
à me hęc audisti, sed ego tecũ audio à domino. For
te respondes, cras cras. O uox coruina, coruus nõ B
redijt ad arcam, columba redijt. Si tunc uis pœni-
tentiam agere quando peccare non potes, pecca-
ta te dimiserunt non tu illa. Satis alienus est à fide
qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis
expectat. Metuendũ est ne dum sperat misericor
diam, incidat in iudiciũ. Non enim tunc ueniã in-
ueniet qui modo aptum ueniæ tempus perdidit.
Ibi à deo non potest mereri quod petit, qui hic no
luit audire quod iussit. Qui tẽpus pœnitentiæ da-
tum negligit, frustra ante tribunal Christi preces
effundit. Festinare debet ad deum conuertendo
dum potest unusquisq̃, ne si dum potest noluerit,
omnino cum uoluerit non possit.

De morte, Sermo LXXII.

8 ORS autem uera quam timent homines, C
M est separatio animæ à deo. Et plerũq̃ cum
timent homines mortem istam quæ sepa-
rat animam à corpore, incidũt in illam ubi anima
Psal.48 separatur à deo. Hæc est mors de qua dicitur, Et
mors depascet eos. Cuius pastor est diabolus. Ha-
bemus aũt multis locis in scriptura, quia uita est
Christus, mors autẽ diabolus, non quia ipse mors
est, sed quia per ipsum mors introiuit in hũc mun-
dum. Siue enim illa in qua lapsus est Adam ipsius
persuasione homini propinata est, siue ista ubi ani
ma separatur à corpore, ipsum habet authorẽ qui
primũ per superbiam cadens inuidit stãti, & mor-
te inuisibili deiecit stantẽ. Nos ergo qui de futura
immortalitate cogitamus, non sine causa in frõte
signũ crucis portamus, et non habebimus pastorẽ D
nisi uitam. Fideliũ enim pastor uita est, infidelium
autẽ pastor mors est. Si ergo in inferno sunt oues,
quibus pastor mors est, & in cœlo sunt oues, qui-
bus pastor uita est, quid igitur dicam? Iam in cœlo
sumus? In cœlo secundum fidem. Si enim non in
Philip.3 cœlo, ubi sursum corda? Si nõ in cœlo, unde Apo
stolus Paulus dicit, Nostra em conuersatio in cœ-
lis est? Corpore ambulemus in terra, corde habite
mus in cœlo. Habitamus ibi, si illuc aliquid mitta-
mus quod ibi nos teneat. Nemo enim habitat cor
de nisi unde cogitat. Inde autem cogitat ubi the-
saurizat. Thesaurizauit in terra, cor ipsius à terra
non recedit. Thesaurizauit in cœlo, cor ipsius de
Matt. 6 cœlo non descendit, domino aperte dicente, Vbi
est thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ. Ipsi ergo qui-
bus mors pastor est, uidẽtur ad tẽpus florere, & iu
sti laborare. Sed quare? Quia nox est adhuc. Quid
est, nox est? Non apparent merita iustorũ, & quasi
nominatur felicitas impiorũ. Tamdiu uidetur her
ba lætior, quãdiu hyems est. Herba enim per hye-
mem uiget, arbor autẽ per hyemẽ quasi arida est,
cum sol exierit feruentior æstatis tempore, arbor
quæ per hyemẽ arida uidetur, expletur folijs, pro-
fert fructus, herba autẽ arescit: uidebis honorem
arboribus, herba autem arida est. Sic & modo iu-
sti laborãt antequã uestiat æstas, uita in radice est,
nondum apparuit in ramis. Radix aũt nostra cha-
ritas est. Et quid ait Apostolus, ut sursum habea-
mus cor & uitã in radice, ut pastor noster sit Chri-
stus, quia habitatio nostra non debet recedere de
cœlo, & in hac terra debemus sicut mortui ambu
lare, ut sub umbra uiuentes infrà mortui simus, nõ
ut supra mortui infrà uiuamus. Quia ergo non
debet recedere uita nostra & cor nostrũ desuper:
quid ait Apostolus? Mortui enim estis & uita ue- Col.3
stra abscõdita est cũ Christo in deo. Ecce ubi est ra
dix nostra. Quãdo appareat honor noster tanquã
in folijs & fructibus, sequitẽ & dicit: Cum Christus
apparuerit uita uestra, tunc & uos apparebitis cũ
illo in gloria. Et erit mane. Nã modo non mane.
Tumeant modo superbi aut diuites huius seculi,
impij bonis insultent, infideles fidelibus, & dicãt
uobis prodest qa creditis? Respõdeant fideles &
dicant, si uere fideles sunt, Nox est, nondũ uidetur
qd tenemus, non quiescãt manus bonis operibus
laborare. Vnde alibi dicitur, In die tribulationis Psal.76
meę deũ quæsiui manibus meis, nocte corã eo &
non sum deceptus. Apparebit labor noster mane
& erit fructus mane, ut illi q̃ modo laborãt, postea
dominentur, & illi q̃ modo se iactãt & superbi sunt,
postea subijciantur. Quid enim sequitur, Sicut oues
in inferno positi sunt, mors pastor est eis, & domi
nabuntur eis recti mane. Puto iam planũ esse illud
uerbum, quia prælocuti sumus, dominabuntur eis
recti mane. Expecta mane, desidera mane, ne pu-
tes qa nox habet uitã & mane non habet uitã. Er-
go qui dormit uiuit, & q̃ surgit non uiuit? Nónne
qui dormit, morte mortuus est? Et qui sunt q̃ dor-
miunt? Quos excitat Apostolus Paulus, si tamen
uelint euigilare. Quibusdã em dicit: Surge q̃ dor- Ephes. 5
mis & exurge à mortuis, et illuminabit te Chri-
stus. Qui ergo illuminantur à Christo iã uigilant,
sed nondum apparet fructus uigiliarũ. Mane ap-
parebit, id est, cũ seculi huius incerta trãsierint. Ip-
sa est enim nox, nõ titubet, uidet enim quasi tene-
bræ. Facit aliquis male, uiuit, floret, terret, honora
tur: facit aũt aliquis bene, reprehenditur, blasphe-
matur, accusat, laborat, terret, quasi tenebrę sunt.
In radice aũt uigor, fructus, opulentia, uita nondũ
est in ramis. Sed radix nõ aruit, similis est quidem
arescẽti, sed tẽpus uenit, uestitur honore suo, fœ-
cundatur fructibus suis. Tunc illi de quibus dictũ
est ut non eos zelemus, quid enim addet illis psal-
mus? Quoniã sicut fœnũ cito arescẽt, & sicut ole-
ra prati cito cadent, cũ uiderint ad dexterã maie-
statis iustos, quibus laborantibus insultãt stare,
& dicenti

& dicent inter se pœnitentiā agētes:Hi sunt quos
aliquādo in risum habuimus & in similitudinē im
properij.Sed tunc iam pœnitētiam infructuosam
agunt:dicentes enim,nos insensati uitā illorum ę-
stimabamus insaniam. Quia cū cœperit quis deo
uiuere,mundum cōtemnere iniurias nolle ulcisci,
nolle hic diuitias,nō hic quærere felicitatem terre
nam,omnia cōtemnere,deū solum cogitare,uiam
Christi non deserere,non solum ei à Paganis dici-
tur,insanit,sed quod magis dolēdū est, quia & in-
tus multi dormiūt & euigilare nolunt, à suis Chri
stianis audiūt,Quid patimini fratres mei? Nomi-
ne inuentus secundū uiam Christi, qui dicit, quid
pateris:putamus quid dicit?Horremus Iudæos q
dixerūt domino Iesu Christo, Dæmonium habes.
Et quādo audimus recitari Euangeliū, tundimus
Ioan.7 pectora dicentes,sceleratā rem dixerūt Iudęi Chri
sto,Dæmonium habes. Age tu Christiane quādo
uideris de corde hominis expulsum diabolum &
inhabitare in eo Christū,ne dicas quid pateris.Di
ctum est quidē & de ipso domino quòd insaniret,
quādo loquebatur uerba quę illi non capiebāt.Et
tamē aliqui euigilabāt à somno dicentes,Nō sunt
ista uerba dæmoniū habentis. Sic & modo fratres
mei quamdiu ista uerba audiūt & gētes & qui ha-
bitant orbem,& terrigenæ filij hominum diues &
pauper,id est,& qui pertinet ad Adam & qui per-
Ioan.10 tinet ad Christū. Alij dicunt, Dæmonium habes.
Alij dicūt,Non sunt ista uerba dæmonium haben
tis.Alij enim uitā seculi & ista ad tempus audiunt.
Alij frustra audiunt,sed faciūt quod dictū est,Au-
ribus percipite qui habitatis orbem. Et cum agūt
ista,incertus est fructus. Sed qui male agūt ad uiā
seculi eligunt,mors pastor est eis. Qui aūt eligunt
uiā domini,uita pastor est eis.Veniet ipsa uita iu-
dicatura & dānatura cū pastore suo eos quibus di
citur,Ite in ignem æternū,qui præparatus est dia-
bolo & angelis eius.Illis aūt quibus insultatum est
& qui irrisi sunt quia credebāt, audient ab ipsa ui-
Mat.25 ta quem habēt pastorem, Venite benedicti patris
mei,percipite regnū quod uobis paratū est ab ori
gine mundi.Dominabūtur eis recti mane. Nemo
dicat quia sum Christianus,quare non imperē ini
quis.Noli festinare,dominaberis, sed mane, quia
auxilium illorū ueterascet in inferno à gloria eo-
rum,auxilium de pecunia,auxilium de amicis,au-
xilium de uirtute sua.Sed cum mortuus homo fue
rit, in illa die peribunt omnes cogitationes eius.
Quantum uisus est gloriam habere inter homines
cum uiueret,tantam uetustatem & corruptionem
suppliciorum habebit in inferno.

De illo qui iram diu in pectore retinet & non
uult humiliari. Sermo LXXIII.

MNIS homo qui uult de inimico suo
O uindicari prouocat in se uindictam dei.
Sed hoc facite fratres quod dicit Apo-
Rom.12 stolus,Nulli malū pro malo reddētes. Hoc est em̄
uinci de bono malū. Quando enim uindicari uis,
sine dubio uincere uis:uide ne dum uis hominem
uincere,ab ira uincaris. Quia lęsit,uis & tu lędere:
quia nocuit,uis & tu nocere: & ut tu uincas am-
plius magis q̄ ille nocuit, quomodo uincis malū
A in malo?Nō hoc dixit Apostolus,nō hoc audistis,
Ego nolo uinci à malo audistis?Et forsitan respon
debis,Hoc & ego uolo. Sed nemo me uincit. Di-
xit enim Apostolus, Vince in bono malū.Hoc est
enim,ut qui te læsit sua iracundia,tu illū uince tua
patientia.Qui te læsit sua auaritia, uince illum tua
misericordia. Ecce qui te sua auaritia expoliauit,
ecce eget,ecce esurit,ecce sentit,ecce mēdicat, ini
micus tuus est.Sed si esurit,ciba illum:sitit,potum
da illi.Hoc enim faciens carbones ignis congeres
super caput eius.Si hoc cogitas quasi ad malitiam
nos hortatus est, tanquā dixeris ut plus ei noceas,
ut carbones cōgeras super caput eius.Si hoc cogi
tas,in malo uis uincere malum, & ipsam eleemo-
B synam ut facias,amore uindictæ uis facere.Sed di-
co quid est,carbones ignis cōgeres super caput e-
ius.Carbones ignis sunt in quibus uritur ut pœni
teat illū cōtra te inimicitias habuisse.Homo es,ho
mo est,lædere uoluit,lædere uis.Ecce duo mali e-
stis.Quomodo ergo dicis & ego audio malū, qui
auges numerū malorū? Vis uincere inimicū tuū,
attende intrinsecos tuos ne ibi habeas quod uin-
cere debeas.Et dum ista consideraueris dicis tibi,
Homo est qui me læsit. Rogem pro illo dominū
ut pœniteat eū,& si læsit ex malo factus fuerit bo-
nus.Nec defendi ante dominū serui inuerecunda
festinatione properemus, ut cū dies illæ uindictæ
aduenerit non cū impijs & peccatorib. puniamur,
sed cum iustis & deum timentibus honoremur in
C secula seculorum, Amen.

De futura uita diligenter cogitanda.
Sermo LXXIIII.

RATRES charissimi, quod audiuimus
F dici ut sursum cor habeamus, spe fit ut
de illa futura uita cogitemus.Hic sic aga
mus ut illic semper uiuamus. Ecce enim quāta di-
gnatio domini nostri qui fecit nos, ipse descendit
ad nos.Si ergo descēdit ad nos,leuauit nos,iam in
corpore suo leuauit nos.Caput nostrum ibi est,se-
quant̄ & mēbra.Ille est in cœlo,nos in terra quasi
lōge sit à nobis.Si interroges lōge,charitatem in-
terroga et nobiscū est.Si em̄ ille non esset nobiscū,
nō clamaret de cœlo Saulo persequenti nō ipsum
sed seruos eius, & ut familiarius dicā mēbra eius,
D Saule Saule quid me p̄sequeris?Ecce ego hic sum
in cœlo,& in terra p̄sequeris me.Quare dixit me,
quia quasi de mēbris suis dicebat. Nónne si aliq̄s
calcet plantā tuā,non clamat lingua tua? Ille ergo
per quē factū est cœlū & terra, p̄pter eū quē fecit
de terra,sine terra descēdit in terrā,& in cœlo leua
uit terrā,id est,carnē quam p̄pter nos dignatus est
assumere.Deus factus est homo, ut homo possit
esse q̄d deus est,nā quæ p̄misit dabit nobis.Securi
em̄ sumus,quia cautionē nobis fecit, quā cautio-
nē Euāgeliū scripsit,& ideo reddidit nobis. Quid
putatis fratres nō eum nobis redditurū uitam suā
qui pro nobis dedit mortē suā,humilitatem, iniu-
rias,cōtumelias,passionē in terra suscepit pro no-
bis?Ergo regnū,felicitatem, æternitatē non dabit
nobis qui propter nos mala pertulit? Ergo bona
sua no-

sua nobis negabit? Ad hanc spem fratres quia pro
missor uerax est securi ambulemus. Sed sic uiua-
mus ut semper uiuamus,ut cum ante ipsum uene-
rimus,bona fronte dicamus,Redde quod promi-
sisti,quia fecimus quod iussisti,& uiuere cum illo
ualeamus in secula seculorum,Amen.

De diuite, Sermo LXXV.

VDITE itaq; qui estis in populo, & stulti
Hic sermo habetur supra numero 58. A aliquādo sapite,accedite ad sepulturā mor
tuorum & uidete exempla uiuentium. Ia-
cent ossa & perit caro,& tamē causa eius seruatur
in iudicio Christi.Fuit & ipse similis nobis uiuens
in uanitate repletus diuitijs multis, multiplicauit
agros,plātauit uineas,implēs horrea in thecis mul
tis,lætatus est in abūdantia sua, & ecce subito ab-
lata sunt ab oculis eius.Plaudebatur sibi per sche-
mata multa,preciosis uestibus erat indutus, pom-
pas & luxurias sibi adhibēs,epularū diuitias exer
cebat,saltationes & iocos in ebrietatibus exhibe
bat,prādia sua cum cœna miscebat,& lætitiæ suæ
uix dabat finē, & ecce ablata sunt om̄ia ab oculis
eius. Vbi ergo abierūt illa om̄ia? Vbi pompa, ubi
schemata,ubi exquisita cōuiuia? Vbi nam sunt il-
li q̄ eū in foro longius ab omnibus cōspiciebant?
Vbi ornatus domorū, & uestis preciosę luxuria?
Vbi gēmarū ambitio & argēti pōdus immēsum?
Vbi postremū ipsa cupiditas,quæ cū omnia quo-
tidie quę agit nescit quando totū possit amittere?
Vbi sapiētia illa & foris excogitata dissertio? Vbi
applausus laudum et adulatio amicorum assidua?
Vbi seruorū subditi greges & lampadarū radian-
tia luminis? Vbi antecedentium turba clientum?
Transierunt omnia ab oculis eius,& ultra nō erit
memoria eius.Iacet in sepulchro redactus in pul-
uerē,defluerūt carnes eius quas delicię nutriebāt,
separati sunt nerui à cōpaginibus suis, sola reman
serunt ossa quæ seruantur in exempla uiuentiū, ut
cognoscant̄ reliquiæ mortuorū.Putat̄ requiesce-
re corpus,abijt autem anima eius in infernum &
non uidebit lumen.Circundant em̄ eum tenebræ
multæ,mœror & afflictio apprehēdent eum,uer-
mis & ignis consumēt eum,& fletus nō desinit ab
oculis eius,stridor dentium frequētat ei eo quòd
pessimi dolores perurgent eum,& nō desinūt pœ
næ ab anima eius.Tunc se pœnitet male uixisse in
seculo,& hęc sibimetipsi reputans dicit se pietatē
& misericordiam non fecisse,ut quęrat eam & nō
inueniat, multas diuitias se possedisse & non eas
pauperibus erogasse,perdidisse se tēpus pœniten
tiæ,et nō se correxisse ab omnibus malis,dies suos
negligēdo transisse,in quibus habuit spatiū bene
faciendi,ut non incideret in talibus pœnis. Expe-
ctat enim eum resurrectio magna,ut tradat̄ peio-
ri iudicio secundū quę ut gessit.Ibi enim eum con
turbāt multitudo angelorū,qui super pœnas sunt
cōstituti,& quod taliter egerit & eleemosynā nō
amauerit,ideo misericordia ei denegatur. Gehen
na ardēs eum expectat, quia pauperē & egenum
non amauit,uētrem eius perpetuus penetrat uer-
mis qui esurientē pauperē non saturauit.O quan-
tum ualet apud dominū misericordia quæ in hoc
seculo exhibetur.Sicut dominus noster Iesus Chri
A stus in Euāgelio dicit, Beati misericordes quoniā
ipsi misericordiam consequētur. Fratres mei dile
ctissimi exhibete misericordiam dum lucē huius
uitæ habetis,ne tenebrę mortis uos cōprehēdant.
Eleemosyna enim emūdat peccata, & ipsa inter-
pellat pro nobis dominū:quia quod habemus re-
linquimus,& quod pauperib. dedimus ipsum in-
tegre possidemus.Dies enim domini festinus ad-
ueniet,& misericordes misericordiam cōsequen-
tur à domino nostro Iesu Christo,qui est benedi-
ctus in secula seculorum,Amen.

De cogitationibus Sermo LXXVI.

RIMVM quidem cogitationibus malis re-
P pugnandum est,ut cum aliquid carnale aut
B sordidum susurrauerit aduersarius, prius-
quam sauciet mentem sagitta deleatur & excutia
tur.Solet enim tristitiam afferre & dubitatiōes de
proposito & desperationē bonorū aspirare, & ua
rias cupiditates ingerere,& omnes omnino sagit
tas acuere, ut sicut in decimo Psalmo scriptū est,
Vt sagittēt in obscuro rectos corde.Tu ergo mox
cū senseris ista,molire geminato suspirio ad domi
num mēte cōuersa,ne permittas accedere cōsiliū
qd' sensum possit inquirere. Sicut em̄ uestimentū
candidū si fuerit sanguine aspersum,si mox fuerit
lotum cādorē suum recipit, si aūt insederit & inco
xerit macula uix lauatur:sic & mēs humana, si sur
gentem cogitationē mox deleuerit,poterit suum
retinere candorem:si aūt diutius residere permise
C rit,uix cum magno labore purgatur.Hæc est autē
prima uictoria secreti certaminis nostri,qd' domi
nus expectat & angelus,cum cogitationibus ma-
lignis mēs humana fideliter occurrit,& bonis opē
ribus malos superat cogitatus.Hinc laus nascitur,
hinc crescit gloria,sicut Apostolus ait, Cum uene
rit,inquit, dn̄s & illuminabit occulta tenebrarū,
& manifestabit cōsilia cordis,tūc laus erit unicui-
que à deo.Manifestū est em̄ apud fideliores, quia
non solū de factis sed etiam de cogitatis aut laus,
aut uituperatio à deo iudice tribuatur. Itē qd' in-
uiti patimur cogitationes frequēter,nō nos lateat
fratres,quòd maligni frequēter cogitationes susti
nemus:quando autē contingit,de Apostolo dica
mus,Non quod uolo hoc ago,sed quod odi illud
D facio:& uideo aliā legē in mēbris meis repugnan-
tem legi mētis meæ, & captiuantē me in lege pec-
cati:& reuera unum propriumq; studiū est satanæ,
humanam mentem prauis grauare cōsilijs.Siqui-
dem hanc iniuriā ab exordio sortiti sumus, ut nos
serpentis caput obseruemus,ille autem nostrū cal
caneum,utiq; non nostrorum pedum calcaneum,
sed mētis finē obseruat,ut si quo modo possit cur-
rētem ad cœlestia animā morsu suo ad terrestria
retinere.Aduersus has ergo obscuritates malorū
ut synceris mentibus uiuere possimus, cordis ocu
li bene curandi sunt. Et ut uincamus,arma nobis
sunt ualde necessaria.Arma,inquit,militię nostræ
nō carnalia,sed potentia deo,ad destructionē mū
nitionū,malorū consilia destruentes,Amen.

Sermonum ad fratres in eremo Finis.

De uita

DE VITA CONVERSATIONE AC MORTE SANCTAE Monicæ matris beati Auguſtini, Narratio I.

Eraſ. Hoc opere nihil ineptius, nihil uanius.

MONICA mater ſancti Auguſtini, cuius hiſtoria trahitur ex ſententia ſancti Auguſtini ex IX. confeſſionũ, & ex duabus Epiſtolis quas Auguſtinus ſcripſit ſuæ ſorori Perpetuæ uirgini, Hortor te, inquit Auguſtinus, dilecta ſponſa Chriſti, ut deo ſtudeas in omnibus placere, ſicut & charam matrem nouiſti perfeciſſe. Nam dũ eſſet puella, ad Eccleſiã fugiebat diu in angulo permanens, & uirginales orationes ad Chriſtum fundebat. Dum aũt domum tarde rediret ab auia ſua uerberabatur, eo quod extra domũ ſine pediſſequa receſſiſſet, & totũ ipſa puella patienter portabat. In tota aũt pueritia ſua nunquã cum puellis ludentib. ſe miſcuit, ſed frequenter in nocte adhuc in pueritia de lecto ſurgebat, et genibus flexis orationes quas à matre nomine Facundia didicerat, dño offerebat. Ab infantia aũt cũ ea creuit miſeratio, & naturali affectione pauperes diligebat. Sępe panẽ de menſa in ſinu collocabat, & de paterna domo fugiens pauperibus tribuebat, hoſpites, & infirmos uiſitabat, uicinas litigantes reprehẽdebat, pedes infirmorũ ſæpe lauabat, & eis ut puella poterat ſeruiebat. Cum aũt parentes eius more ſeculariũ ueſtibus delicatis eam ornare uoluiſſent, ipſa contriſtata reſpuebat. Et cũ eſſet annorũ tredecim, eã nobili patricio Carthaginenſi tradiderunt. Quanto aũt timore & honeſtate, quanta etiã ſumma pulchritudine dominus eam dotauerit, quanta etiã pudicitia eã dominus magnificauerit, certe in breui dici nullatenus poſſet. Matrimoniũ tamen optime conſeruauit, filios in omni timore domini ſufficienter erudiuit, thronum immaculatũ cuſtodiuit, & maritum ferociſſimũ cum magno labore in fine lucrata eſt. Cũ autẽ uixiſſet cũ uiro ſuo ferè annis duodecim, reſpexit dominus humilitatẽ ancillæ ſuæ, & exaudiuit lachrymas eius, nam inſpirauit dominus maritũ ut deinceps uxorẽ pudicã & caſtã ſeruaret. O mira res, qa cũ eſſet ferociſſimus, quanto affectu carnali ab eo diuiſus eſt, tanto magis matrimonio ſpirituali & per dilectionẽ coniunctus eſt. Cũ enim uir eius eſſet annorũ ſeptuagintaduorũ, obijt in pace. Quantis aũt ſalutaribus monitis & ieiunijs quantiſq; lachrymis & orationibus illã uiduã ſanctam, caſtã, ſobriã, & piã dominus dotauit, mirũ eſt. Omnia tamẽ poſt mortẽ uiri contẽpſit, omne regnum mundi & omnẽ ornatũ eius reſpuit propter deũ, intantũ ut non ſolũ mater pauperũ uocaretur, ſed ancilla. Et quia dũ uir eius uiuebat, poteſtatẽ proprij corporis non habebat, ideo eleemoſynas non ita largiter tribuebat. Sed poſtea ita uixit, ut non ſolũ eleemoſynas largiter tribueret, ſed etiã cicatrices pauperũ leniret. Propter quod ei dominus centuplũ reddidit, dum crucẽ eius in corde eius infixit & paſſionẽ. Dum autẽ quadã die præuenta & uiſitata à te domine, beneficia tua quæ tu in carne humano generi clemens exhibuiſti ancilla tua conſideraret, tantã gratiã tantãq; lachrymarũ copiã torculari tuæ crucis expreſſam in paſſione tua adinuenit, quòd ueſtigia eius per Eccleſiã lachrymę, deſuper pauimentũ defluentes oſtendebant. Et quãto plus ab effluentia lachrymarũ hortabatur deſiſtere, tanto plus fluuius lachrymarum oriebatur. Tãta aũt gratia ancilla Chriſti ieiunando alios præcellebat, quod diebus quibus ad cœnam uocabatur, tanquã ad amarã medicinã accedebat. Erat aũt ei timor caſtus in corde tanquã faſcia pectoralis, qua cogitationes conſtringeret, in ore tanquam frenũ quo linguã reprimeret, in opere tanquã ſtimulus, ne pigricia torperet, in cunctis tanquã regula ne modũ excederet. Timor autem iſte tanquã ſcopa purgabat cor uiduæ ab omĩ duplicitate, os à falſitate, opera omĩ uanitate. Nũquã uerbũ ſeculare ab ore eius recordor me audiuiſſe, ſed in omnibus uerbis ſuis & factis ſemper Chriſtũ primo nominabat. Tantũ timor domini mentẽ eius occupauerat, quòd non ſolũ ab omni ſpecie mali ſibi cauebat, ſed ſpiritu pietatis ad omne bonũ prona erat. Satagebat mirabiliter opera pietatis pro poſſe cordialiter implere, ſuper omĩa infirmis ſeruire, ſepulturã mortuis prębere, orphanos cuſtodire ut filios, uiduas & maritatas cõſolari, quapropter multa de arcanis cœleſtibus domino reuelante percepit. Vnde tanta ebrietate ſpiritusſancti ſępe rapiebatur, quòd in ea ferè per totũ diẽ quieſcẽs, qum eſſet rex in accubitu ſui cordis neq; uox, neq; ſenſus in ea audiebať. Neq; mirũ qa illa pax quæ exuperat omnẽ ſenſum, ſepeliebat uiduæ ſenſus corporales, intantũ ut uix matronę noſtræ & etiam uicinæ eam pungentes excitare ualerent. In die aũt beati Cypriani dum hæc Chriſti ancilla mereť accipere ſacramenta, dum eſſet in domo, ferè à terra per cubitũ eleuata fuit, clamando quæ quietiſſima eſſe cõſueuerat dicẽs, Volemus ad cœlũ, uolemus ad cœlũ fideles. Quã cum poſt interrogaremus quid ſibi acciderat, non reſpõdebat, ſed tanto gaudio replebatur quòd omnes ad feſtum producebant cantãtes cum Propheta, Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum. Dum etiã in die pentecoſtes eſſet refecta refectione illius panis quæ de cœlo deſcẽdit, poſt ſumptionẽ ſacramenti tanta ſatietate repleta fuit, quòd per diem & noctem abſq; corporali cibo perſeuerauit. Cum apud oſtia Tyberina infirmaretur & ſacramenta à nobis fideliter peteret, nec dolore ſtomachi uexata ualeret retinere, uiſibiliter infantulus nocte media ad lectum dei famulæ uenit, eãq; in pectore amplectens anima illa ſancta ad cœlũ uolauit. ergo die nona ægritudinis ſuæ, quinquageſimo ſexto anno ætatis, triceſimotertio anno ętatis meæ, anima illa pia & religioſa carne ſoluta eſt die quarta Maij. Flebam & effundebam tibi domine preces ꝓ illa famula tua, ut non intrares cum

cum ea in iudiciũ. Gratulabar tamen teſtimonio eius, qa appellabat me piũ, & cõmemorabat grandem deuotionis affectũ, cõmemorãs nunq; ſe audiſſe ex ore meo uerbũ durum aut cõtumelioſum ſermonẽ. Illa famula tua dñe cõtinue ſatagebat uirum ſuum lucrari tibi, quem amabilem & reuerẽtem faciebat ſibi. Expectabat enim ipſam miſericordiam tuã ſuper eum, ut in te credens caſtigaretur. Erat enim iracundus, ſed illa famula tua nõ tantum facto, ſed nec uerbo uiro tribulato reſpondebat, ſed quieto rationem facti reddebat, quem tibi domine in extrema uita corporali lucrata eſt. Erat eñ ſerua ſeruorũ domini, & omnes qui eam uidebant laudabant te domine, ſcientes & credentes præſentiam tuam eſſe in corde eius. Fuerat enim unius uiri uxor, & filios totiens parturiebat, quotiens à te domine deuiare cernebat. Imminente autem die quo ex hac uita erat exitura, nobis ignorantibus domine, ipſa & ego ſoli ſtabamus incumbentes ad quandam feneſtram, & terrena obliuiſcentes, loquebamur ſoli ualde dulciter, qualis eſſet ſanctorum uita, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, & inhiabamus ore cordis pariter in ſuperna flueta fontis uitæ, uileſcebatq; mundus iſte inter uerba cũ delectationibus ſuis. Tunc ait illa, Fili unum eſſet propter quod in hac uita aliquantulum morari cupiebam, ut te catholicũ Chriſtianum uiderẽ priuſquã morerer, & ecce cumulatius mihi deus præſtitit, ut te contempta etiã felicitate terrena uideam dei ſeruum. Quid iam amodo hic faciam neſcio. Quid ſibi tunc reſponderim, nón ſatis recolo, ſed poſt dies quinq; decubuit febribus, & ſubtracta à pręſentibus, cucurrimus, & poſt modicum reddita eſt ſenſui, & intuens nos ait, Ponetis hic matrem ueſtram. Ego flebam, ſed fletum finiebam, frater autẽ meus lętus, quòd non peregre commori, ſed in patria cum uiro ſepeliri debebat. Quo audito, uultu turbato reuerberans cũ oculis quòd talia dixiſſet, ait, Ponite hic corpus meum, nihilq; cura eius uos cõturbet. Rogo tamẽ uos ut ad altare dñi memineritis mei ubi fueritis. Dominus autem illud reſuſcitabit ubicunq; ſepultum fuerit in nouiſſimo die.

Relatio Calixti de cõuerſione, perſeuerantia & quibuſdam dictis ſancti Auguſtini: II

MAGNVS ille doctor & egregius Auguſtinus, qui uere fuit norma & ſpeculum in natura, dũ eſſet annorũ XXX maternis orationibus & Ambroſii prædicationibus mediantibus & fama Antonij audita, ab omni hæreſi purgatus eſt, & apud Liguriam Italiæ aduenientibus diebus paſchalibus baptizatus eſt. Et tunc exultat Ligurienſis eccleſia, pia eius mater gaudet, Ambroſius deũ laudat, Auguſtinus iam confiteť, & fideles omẽs ſibi tanq; ciui fideliſſimo de Babylonica ſeruitute redempto, una uoce omnes applaudũt. Protinus in fide catholica cõfirmatus, ſpem omnem quam habebat in ſeculo dereliquit, & Romanorũ & Ligurienſiũ ſcholas, et cum Euodio & Alipio ſocijs, uiro præclariſſimo ſolitario Simpliciano ſe commiſerunt, ibiq; eum prædicto famoſiſſimo uiro apoſtolicã uitã tenere cœperunt, & ſimul cũ multis erant habitãtes in placito ſancto. In diebus aũt illis dum fama Auguſtini crebreſceret apud omẽs, cõgregatis fratribus ait, dũ in hac ualle miſerię ſumus cõſtituti, utrũ boni ſiue mali ſimus de nobis præſumendum non eſt, etiam quibuſcunq; uirtutibus cognoſcamus dei gratia nos eſſe ornatos. Nam ſi quis noſtrũ bene operať, beatus tamen dicendus nec prædicandus eſt, cum ſimiles ſimus nauibus omnibus bonis oneratis, de quibus tamen incertum eſt utrum ad portum ſalutis perueniant. Nunquid Iudas in apoſtolatu optime incepit, & peſſime finiuit? Nunquid etiã Paulus male incepit, & tamen uas electionis digne uocatus eſt? Nolite obſecro laudare me, ſed orate ut ualeamus uſq; ad mortem perſeuerare, quoniam finem noſtrum deus attendit.

Ex Sigeberto in epiſtola ad Macedoniũ de ortu, cõuerſione & uita ſancti Auguſtini: III

TEMPORE Theodoſii ſenioris, Auguſtinus uir acutiſſimus, nobilibus Carthaginenſibus ortus natalibus, uenit Romam, ibiq; ſcholas liberalium artiũ annis ferè ſex glorioſe rexit. Deniq; Mediolanũ uenit, & dũ eſſet annorum triginta, filiuſq; eius annorũ octo, adueniẽtibus diebus paſchalibus, meritis matris & prædicatiõe Ambroſii, mater eius regenerauit Auguſtinum cũ filio Deodato & multis alijs ferè XLII. Qui baptizatus Auguſtinus mox ad uirũ Simplicianum perrexit, cuius nomẽ celeberrimũ apud fideles erat, qui etiam habebat mauſeolum ſemotum & gentibus ſeparatum. Cum quo Auguſtinum ferè per annum cum dimidio permanſiſſe uidi & occulta fide probaui. Et quoniam erãt in libertate quaſi uiuentes, licet probatiſſimi uiri eſſent atq; perfecti, tandem ex præcepto tanti patris Simpliciani, Auguſtinus poſt inter eos inſtituit, ut uitam apoſtolicam omnes pariter tenerẽt, & nihil inter eos proprium diceretur. Completo uero anno, matre Auguſtini inſtigante ad propria reuertitur, & moriť mater Auguſtini apud oſtia Tyberina, filius autẽ apud Carthaginem anno ætatis ſuæ XXIX. Cum autẽ eſſet Auguſtinus cum amicis in Aphrica, meditabatur in lege domini die ac nocte, ſcribẽs libros, & docebat indoctos. Hoc autem Valerius Hipponenſis audiens præ gaudio lachrymabať, & ſtatim eũ ad ſe accerſiri fecit, & hortum ſecretum & remotũ à ciuitate Auguſtino donauit. Ibiq; pius pater Auguſtinus cũ cæteris amicis & fratribus in deſpecto habitu, & cum incredibili humilitate annis tribus manſit. Deinde cũ inquietudinẽ uenientiũ ferre non poſſet, duobus ferè miliaribus à prædicto loco receſſit, & ad montẽ quendam altiſſimũ abijt, ad quem per uiam ualde aridã & pœnoſam adiri poteſt. Ibiq; Auguſtinus habitationẽ ex lapidibus cũctis cõſtrui fecit, & ſic homines fugiẽs habitabat. Ibiq; compoſuit libros De medicina animę, & de uita monaſtica, de innocentia Ioannis Baptiſtæ & Heliæ. Multi quidẽ ex fratribus infra ſaxa & fiſſuras montiũ receptacula ſibi fecerãt, & ibi prope patrẽ Auguſtinum per ſa-

ctum baliſtæ in omni ſanctitate habitabāt. Erāt aūt ferè CXXII. qui ſub obediētia Auguſtini cōcorditer uiuebāt, omia reputantes eſſe cōmunia. Vinū nemo nouerat, niſi quādo infirmitas cogeret, aut Valerius Epiſcopus ſanctus ad eos uiſitandos ueniſſet, cum aūt appropinquaret feſtū Pentecoſtes, ſāctus Epiſcopus Valerius miſit pro Auguſtino & inuitū presbyterū ordinauit. Factus presbyter monaſteriū clericorū inſtituit in domo Epiſcopi, & infra annū ibidē uiuere cœpit ſecundū regulam apoſtolicā, ut hactenus fecerat. Hoc aūt Valerius Epiſcopus fecit, quia ipſe Græcus erat & indoctus, maxime in reſpōdēdo hæreticis in eorū erroribus. Ideo Auguſtino Epiſcopo poteſtatē plenā dedit prædicandi quotiēs neceſſariū fuiſſet. Nam multi iam hæretici ſurrexerant, contra quos dñs Auguſtinum inſtituit & ordinauit.

De obitu atq; cōmēdatiōe ſancti Auguſt. IIII

A NNO dñi CCCCXXXVII. Sixtus ſedit annis octo & diebus XXX. eo tempore Valla rex Gothorū Vandalos odio inſectans etiā in Aphrica eos perſequi diſpoſuit, ſed morte præuentus obijt, eiq; in regnū Theodoricus ſucceſſit. Vandali Aphricę nauibus irruentes prouinciā uniuerſam deuaſtāt rapinis, cęde, incēdijs, nulli ſexui parcētes, ætati uel ordini. Sub hoc turbine tribulatiōis beatiſſimus Auguſt. amariſſimā & lugubrē præ cæteris diebus ſuæ ſenectutis iam penè extremā duxit uitā: uidēs tantam ſęuitiam ubiq; graſſari, uidens alios hoſtili nece extinctos, alios effugatos, Eccleſias ſacerdotibus uiduatas, ciuitates cum accolis diſſipatas. Accreuit deniq; cauſa mœroris eius q; ſub ipſius tempore Hipponenſem urbem, cui pontifex præerat Barbari obſederunt. Sed ecce tertio obſidionis menſe febribus incubuit, ſibiq; ſeptem pœnitentiales pſalmos ſcribi iuſſit: ipſosq; quaterniones iacens in lecto circa parietem poſitos diebus infirmitatis ſuæ intuebatur ac legebat, & uberrimè ac iugiter flebat. Et ne à quoquā impederetur eius intentio, ante fermè decem dies migrationis ſuæ, petijt ad ſe nullum ingredi: niſi his tantū horis quibus medici ad inſpiciendum ingrediebantur uel eius refectio oferebatur. Obſidionis deniq; menſe XIII. coram poſitis fratribus migrauit ad dñm, anno ætatis ſuę LXXVI. epiſcopatus uero ſui XL. Hiſpaniæ lumen præfulgidum, propugnaculum ueritatis, errorum excidium, fidei tutamentū. Omnes eccleſiæ doctores tam ingenio quàm ſcientia uicit inſuperabiliter, florens tam exemplis uirtutum q̄ affluentia doctrinarū. Etenim tanta ſcripſit, ut non ſolum ab aliquo toto uitæ ſuæ tēpore ſcribi, ſed nec quidē poſſint lectiōe percurri. Obijt aūt anno dñi quadringenteſimo quadrageſimoſexto. Præmiſſa habentur ex chronica Bedæ.

De translatione corporis ſancti Auguſtini de Sardinia ad Papiam: V

A NNO Leonis quarto, Luitbrādus Lōgobardorū rex audiens q; Saraceni depopulata Sardinia, illa etiā loca fœdaſſent, ubi oſſa beati Auguſtini ob uaſtationem Barbarorū olim ab Hippone translata & recondita fuerant: legatos ſuos illuc direxit, qui dato magno auro, precioſas illas reliquias ſecū detulerūt, & ad urbem Ianuenſem regreſſi ſunt, ubi præfatus rex occurrens cū gaudio corpus almificū deuote adorauit & reuerēter accepit. Sanè rex & ſui inde progreſſi cum precioſiſſimo illo theſauro ueniunt ad quandam uillam in Terdonenſi epiſcopatu ſitam: & cū ibi corpus ſanctiſſimū tollere uoluiſſent, ita ſtetit immobile ut nulla uis humana poſſet illud mouere. Quod uidens rex, nouit q; ſibi beatus cōfeſſor ex loco illo ſe tolli pmitteret & traduci Papiam: uillam omnibus appendicijs ſuis concederet ſibi ſeruientibus perpetuo poſſidendam. Voto facto atq; firmato, corpus ſanctiſſimū inæſtimabili facilitate ſuſtollitur, & Ticinum uſq; tranſuectum: clero & pariter populo cōcurrente honorifice ac gaudenter ſuſcipitur, & in baſilica beati Petri in qua præfatus rex conſtruēs cœlum aureū digniſſime collocatur. Facta eſt autem iſta trāslatio anno domini. DCCXXI. annis ab eiuſdem confeſſoris tranſitu iam decurſis CCLXXV. Quod autem in prædicta Eccleſia corporis eius precioſus theſaurus ſit reconditus, ſtupēdo & euidenti miraculo elucеſcit. Siquidem in ſupradicta eccleſia in qua iacet, puteus eſt qui aliquot annis in die feſti eius ſuperabundans, totam ſeptam pereffluxit: in ſignum quia ſicut aqua illa ſordes diluit, ſic ſordes hæreticorum ab eccleſia effluens eius doctrina abſterſit.

Ex Antonio archiepiſcopo Florentino de habitu & conuerſatione ſancti Auguſtini: VI

N OTANDVM etiam q; beatus Auguſtinus habitu religioſo in triplici ſuo ſtatu indutus eſt. Nā primo poſt conuerſionem ſuam & baptiſmum, dicit Ambroſius in ſermone de baptiſmo & conuerſione Auguſtini, Hunc ſcilicet auguſtinum in Chriſto genui, & poſtquam baptizaui eum, indui cucullam nigrā, & ipſe ad differentiam monachorum ſe ſupercinxit zona pellicea, pergens ad Simplicianum qui ei bonus apparebat ſeruus dei, & uere ſic erat, ut ſcilicet de modo uiuendi cum eo conferret. Et ipſe Auguſtinus in quodam ſuo ſermone ſic ait, Duodecim fuimus fratres qui induimus cucullā nigram, calciamenta & zonam nigrā deſuper cinctam ad differentiam monachorum. Nomina autem iſtorū duodecim ſunt, Auguſtinus ipſe primus, ſecundus Nebridius, tertius Euodius, quartus Alipius, quintus Pontianus, ſextus Adeodatus, ſeptimus Simplicianus, octauus Fauſtinus Græcus, nonus Cordulias, decimus Valerius, undecimus Iuſtus, duodecimus Paulus. Remeās igitur ad Aphricam poſt mortem matris in oſtijs Tiberinis, relictis proprijs bonis & pauperibus erogando, monaſterium in nemore apud Hipponem ciuitatem primum conſtruxit: ubi cum amicis ieiunijs & orationibus uacās ſcribebat libros & docebat indoctos: & alios per nemora eremi quæſiuit religioſos ſiue eremitas, & eos ſecū in ipſo monaſterio collocauit: & cum eſſet in itinere, reuertens

tens ad Aphricam, uiſitauit eremitas qui erant in monte Piſano, aliquibus diebus cum eis moram trahens: & alios eremitas qui erant Centumcellis prope Romam.

Oratio de paſſione domini noſtri Ieſu Chriſti quam ſanctus Auguſtinus fertur ędidiſſe, pro qua diligentius dicenda, Bonifacius octauus ſpirituales indulgentias dediſſe narratur: VII

D EVS qui pro redēptione mundi uoluiſti naſci, circuncidi, à Iudæis improbari, à Iuda traditore oſculo tradi, uinculis alligari, & ſicut agnus innocēs ad uictimā duci, atq; ad conſpectus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falſis teſtibus accuſari, flagellis & opprobrijs uexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cędi, arundine percuti, facie uelari, ueſtibus ſpoliari, crucis clauis affigi, in cruce leuari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea uulnerari: Tu domine per has ſacratiſſimas pœnas tuas quas ego indignus recolo, & per ſanctam crucem ac mortem tuam libera me à pœnis inferni, & perducere me digneris quò perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuis & regnas deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

DECEM ET SEPTEM SERMONES NOVISSIME A PARISIENSIBVS ADDITI.

IN EPIPHANIA SERMO AVGVſtini, in quo docet ſtellam biennio apparuiſſe, & de multiplici interpretatione biennij.

ICVT dies hodiernus anniuerſario reditu cōmonet nos, quòd dominum noſtrū Ieſum adorauerunt magi, tanquā primitiæ gētiū: ita huic ſolennitati de iſto tanto myſterio noſter etiā ſermo debetur. Vnde ueſtrā cōmoneo charitatē, recentem diem priſtinum recolite, quo dominus natus eſt. Et huic hodiernū adiūgite, quo à magis adoratus eſt: nec eis ſtella loqui potuit cuius eſſet, nec cuius excellentiam præſignaret. Nouū tamē & ſingulare ſydus effulſit, atq; illos etiā qui ſolent ſydera diligēter intueri nouo miraculo exterruit. Nunquā enim tali ſtella quiſquam eſt ſignificatus, quia nunquam talis eſt natus. Veruntamen quis eſſet, ubi eſſet, quorum rex eſſet, ſydus illud, & ſi tacebat, lucebat. Sed quærentia deus & pulſantia corda non fraudans, alio modo ſine dubio petentibus reuelauit, q; ſtella indicare nō potuit. Quem modum quidem ſcriptura non dicit, ſed intelligendū prudentibus dereliquit: atq; in ipſa narratione, unde hoc intelligere poſſimus, oſtendit. Quum enim Bethleem ciui tas ſecundum ſcripturas à Iudæis commemorata eſſet, ubi Chriſtum naſci oporteret, quia domus latebat ubi dei uerbum infans iacebat, eadem ſtella magos perduxit ad domum, ſub cuius tecto erat qui fecerat mundum; & quem nūciauerat cœlum, hucuſque patuit præcedentis ſyderis fulgor. Sed ut illi ad Herodem regem Iudæorum non reuerterētur, qui ſe uelle dixerat adorare quem cupiebat occidere, per ſomnium legunt admoniti. Ita quod eloqui ſtella nō potuit, alia deus reuelatione monſtrauit. Sic intelligendū eſt, non per ſolam ſtellam, quamuis oculis ſuis inſolita & inexperta luce fulgentē, magos in Oriēte potuiſſe cognoſcere quiſnam eſſet ſignificatiōe tanti ſyderis dignus, cuius teſtis ille fulgor exiſteret, quem clarum tanta claritas nunciaret, ubi quærereturē, quò eundē eſſet ut inuentus adoraretur. Sed alia nimirū reuelatione indicatum eſt diuinitus, quod luce ſyderis tacite ſignabatur. Et cum magna admiratione quęrētib. quid ſibi uellet, & quò pertineret quod nouum apparebat in cœlo, non utiq; loquente ipſo ſydere, ſed aliter intimatum eſt quis deſcendiſſet de cœlo & diuinitate præſidens cœlo, iaceret in carne ſub cœlo. Tunc quippe intelligitur indicatum cuius eſſet ſtella quæ iam diu uidebatur, quando natus eſt qui per illam ſignificabatur. Nam fermè biēnio uiſa eſt mirantibus quid eſſet. Sed poſteaquā Chriſto nato reuelatum eſt magis, iam non ſydus eſſe mirandum, ſed eum qui ſydere prænunciatus fuerat adorandum, regemq; eſſe Iudæorum: ab Oriente uenerunt, & hodierno die adorauerunt, quē ante paucos dies natum eſſe, atque illam ſtellam, quæ ſibi per biennium apparuerat, eius fuiſſe didicerunt. Hic dicit aliquis, Illam ſtellam biennio apparuiſſe, unde monſtrat? Euangelij uerba recolamus. Herodes nempe rex Iudæorum quum à magis fuiſſet illuſus, quòd in ſomnis moniti ad eū redire noluerunt, ne indicaretur ubi Chriſtus fuiſſet inuētus, à bimatu & infra occidit infantes. Hoc autē qua cauſa fecerit, hoc eſt, quare à bimatu & infra occidi paruulos iuſſerit, Euangeliſta nō tacēs: ſecundum tempus, inquit, quod exquiſierat à magis. Ecce unde oſtenditur non tunc primum apparuiſſe ſtellam quādo natus eſt Chriſtus, hoc eſt, ante pauciſſimos dies, ſed biennij tēpore prænunciatione fulſiſſe ſyderea, quæ tūc eſt cognita cuius eſſet, quando miſſi ſunt adorare in terra quē in cœlo iam uiderant præſignatum. Si quis aūt quærit, quare biennium prænuncians Chriſtum ſtella claruit, poſſunt uideri duobus annis duo ſignificata præcepta, Vnum dilectionis dei, Alterum proximi: in quibus duobus præceptis tota lex pēdet & prophetæ. Sic enim quod infinite uidebatur per multa mandata diffuſum, iſta eſt breuitate concluſum. Vt hinc intelligat dixiſſe Propheta, Verbū enim conſummans & breuians faciet dominus ſuper terram. Ipſe igitur duobus præceptis conſummauit uerbum, cuius duobus annis ſtella prænunciauit aduentum. Poſſunt in his duobus annis etiā duo intelligi teſtamēta: Vetus & nouum. Non enim alius author eſt legis qua terremur, & alius gratię

Matt. 22

Eſa. 10 & 18

gratiæ qua fuuamur: quũ ipse dixerit. Si crederetis Moysi, crederetis et mihi: de me em̃ ille scripsit. Ioan.5
Et ipse sit sapientia dei, de qua dictũ est, Legẽ aũt & misericordiam in lingua portat. Sed quoniam per duos annos duo tempora significata potius accipi possunt, etiam duos Christi possumus intelligere aduentus, Vnum humilitatis, alterũ claritatis. Et duas nostras geneses, quia ille per quem facta sunt omnia, utiq; author ambarum est: Vnam qua in carne nascimur, aliã qua in fide renascimur. exultemus ergo, & iocundemur in eo quem panni inuoluerant, & angeli nunciabant: qui in præsepi iacebat, & intra astra fulgebat. Quem regẽ sempiternum, gentibus adorandum, non diadematis gemma, sed cœli stella monstrabat. Qui ubera sugebat, et lactẽtes martyres faciebat. Agnoscamus lapidem angularem: in quo duo parietes de diuerso uenientes, unus ex circuncisione ludęorũ, alter ex præputio nationum, fideli osculo copulantur.
Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraq; unũ. Ephe.2 Ipse ueniens, sicut audistis Apostolum, Euangelizauit pacem his qui longè, & pacem his qui propè. Prope erant pastores, longe erant magi. Vtriq; agnouerunt, utriq; uenerunt: & secundum Esaiam prophetam, utriq; in presepi cibaria sua tanquã bos & asinus inuenerunt. Hos enim populos, ex ludæis & gentibus, Christus glorificatus assumpsit: quorum primitias natus accepit. Ad nos ergo maxime huius diei pertinet gratulatio, qui ex gentibus uenimus. Protulerunt magi quãdo Christum adorauerunt, aurum, thus, & myrrham. Aurum, quia regem uiderunt: thus, quia deum intellexerunt. Cognouerunt & carnem passuram, nam & myrrham protulerũt ad sepulturam. Hæc illi secundũ considerationem suam. A nobis autem aurum accipit, si eleemosynas faciamus: thus, si orationes fundamus: myrrham, si pro illo moriamur. Proinde quia Epiphania manifestationẽ uerbo Græco indicat (Latens quippe Magis domini infantia cupientibus adorare, manifestatur indice stella) nos uiam fulgentis Euangelij sequamur, et sancte adoremus cui manifesti sumus: ut quando deus manifeste ueniet, nec infans erit, quia non silebit, in dextera eius apparere mereamur.

Dominica infra octauas Epiphaniæ, De Christi parentibus: in quo exemplo uirginis Mariæ ad humilitatem fœminas monet, & pueros ad parentum obsequium:

Sermo II

A VVM esset duodecim annorũ dominus Iesus Christus secundũ hominem, Luca 2.
quia secundũ deum est ante tempora & sine tempore, remansit à parentibus in templo, & disputabat cũ senioribus & admirabãtur super doctrina eius. Illi aũt redeuntes de Hierosolymis, quęsierunt illum in comitatu suo, inter eos scilicet qui secum ambulabant. Et non inuenientes eum turbati redierunt Hierosolimam: eumq; disputantem in templo cum senioribus inuenerunt, quum esset ut dixi annorũ duodecim. Sed quid mirum? Verbum dei nunquam tacet, sed nõ semper audit

Inuenitur ergo in templo. Et dicit ei mater eius, Luca 2
A Quid nobis fecisti sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ille. Nõ sciebatis quia oportet me in his esse quæ patris mei sunt? Hoc propterea dixit, quia filius dei erat in tẽplo dei. Templum enim illud non erat Ioseph, sed dei. Ecce, inquit aliquis, non se concessit esse filium Ioseph. Attendite aliquanto patientius fratres, propter angustias temporis, ut sermoni sufficiant. Quũ dixisset Maria, pater tuus & ego dolentes quęrebamus te. Ille respondit, Nõ sciebatis quia in his oportet me esse quæ patris mei sunt? Non enim sic se uolebat esse filium illorum, ut non intelligeretur filius dei. Filius enim dei semper filius dei, creans illos ipsos. Filius autem hominis ex tempore natus de uirgine, sine semine maritali, parentem tamen habebat
B utrunque. Vnde hoc probamus? Iam dixit Maria Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Primo non est prætermittenda fratres, maxime propter disciplinam fœminarum sororum nostrarum, tam sancta modestia uirginis Mariæ. Christum peperat, angelus ad eam uenerat, & dixerat ei, Ecce cõcipies in utero & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum: Hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur. Meruerat parere filium altissimi, & erat humillima, Nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret, Ego & pater tuus: Sed pater tuus, inquit, & ego. Non attendit sui uteri dignitatem, sed attendit ordinem coniugalem. Non em̃ humilis Christus matrẽ suam superbire docu
C isset. Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. pater tuus, inquit, & ego: quia caput mulieris uir. Quanto minus debẽt superbire cæteræ fœminæ? Nam & ipsa Maria mulier dicta est, non corrupta uirginitate, sed appellatione propria gẽtis suæ. Dixit enim de dño Iesu Christo et apostolus, Factum Gal.4
ex muliere: Non tamẽn interrupit ordinem & textum fidei nostræ, qua confitemur natum de spiritu sancto & Maria uirgine. Illa enim uirgo concepit, uirgo peperit, uirgo permansit: Sed mulieres omnes fœminas illi appellauerunt proprietate linguæ Hebręæ. Audi euidentissimum exemplum. Prima fœmina, quam fecit deus sumptam de latere uiri, antequam cum uiro concũberet, quod posteaquam de paradiso exierunt scribitur factũ: tamen mulier iam uocabat̃ dicẽte scriptura, Formauit eam in mulierẽ. Quid ergo respondit dominus Gen.2
D Iesus Christus? Oportebat me esse in his quæ patris mei sunt. Non sic indicat patrem deum, ut neget patrem Ioseph. Vnde hoc probamus? Secundum scripturam quæ sic ait, & dixit ad illos, Non sciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Illi autem non intellexerunt quid illis locutus esset, Et cum descendisset cũ illis, uenit Nazaret, & erat subditus illis. Non dixit, erat subditus matri: aut, erat subditus ei: sed erat, inquit, subditus eis. Quibus subditus erat? Nonne parentibus? Ambo parentes erant, quibus ille subditus erat, ea dignatione qua filius hominis erat. Iamdudum præcepta fœminæ accipiebant: nunc pueri accipiant, ut obsequantur parẽtibus, eisq; sint subditi

diti. Christo mundus subditus: Christus parentibus subditus. Videtis ergo fratres quòd non ita
A dixerit, oportet me in his quæ sunt patris mei esse: ut intelligeremus quasi dictum, Vos non estis parentes mei. Sed parentes illi temporaliter, pater ille sempiterne. Parentes illi filij hominis. Pater ille uerbi & sapientię suæ, pater uirtutis suę, per quam cuncta formauit. Si per illam formantur uniuersa, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: per filium dei & illi formati sunt, quibus idem ipse postea filius hominis subderetur.

In illud Matthæi, Ascendente Iesu in nauiculam &c. Matt.8 Dominica tertia post octauas Epiphaniæ. De diuersis animæ tentationibus, Et quomodo sint uincendæ.

Sermo III

A E lectione recẽtissima sancti Euangelij donante dño, alloquor uos, & in illo B
D exhortor, ut cõtra tẽpestates et fluctus seculi huius non dormiat fides in cordibus uestris. Non enim re uera dominus Christus mortem habuit in potestate, somnum non habuit in potestate: Et forte omnipotentem nauigantem somnus pressit inuitum. Hoc si credideritis, dormit in uobis: si autem in uobis uigilat Christus, uigilat fides
uestra. Ephes.3 Apostolus dicit, Habitare Christum per fidem in cordibus uestris. Ergo & somnus Christi signum est sacramenti. Nauigantes sunt animæ in ligno seculum transeuntes, etiam nauis illa Ecclesiam figurabat. Et singuli quippe templa sunt dei, & unusquisq; in corde suo nauigat, nec facit naufragium si bona cogitat. Audisti conuitium, uentus est: iratus es, fluctus est. Vento igitur flante, fluctu surgente, periclitatur nauis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito conuitio uindicari desideras. Et ecce uindicatus es: & malo alieno credẽs fecisti naufragium. Et quare hoc? Quia dormit in te Christus. Quid est, dormit in te Christus? Oblitus es Christum. Excita ergo Christum, recordare Christum. Euigilet in te Christus, Con-
Luca 23 sidera illum, Quid uolebas? Vindicari excidit tibi, quia ipse quũ crucifigeretur, dixit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Qui dormiebat in corde tuo, noluit uindicari. Excita illum, recole illum: Memoria ipsius, uerbum ipsius: Memoria ipsius, iussio ipsius. Et dices apud te, si uigilat in te Christus, Qualis ego homo, qui uolo uindicari? Qui sum ego, qui in hominem exero comminationes? Morior forte antequam uindicer. Et quum anhelans ira inflammatus & sitiens uindictam exiero de corpore, non me suscipit ille qui noluit uindicari. Non me suscipit ille qui dixit, Da te, & dabitur uobis, dimittite, & dimittetur uobis. Ergo compescam me ab iracundia mea, & redibo ad quietem cordis mei. Imperauit Christus mari, facta est tranquillitas. Quod autẽ dixit ad iracundiam, hoc tenete regulariter in omnibus tentationibus uestris. Nata est tentatio, uentus est: turbatus es, fluctus est. Excita Christum, loquatur tecum. Quis est hic, quando & uenti & mare obe-

diunt ei? Quis est hic cui obaudit mare? Ipsius est Psal.94
mare, & ipse fecit illud. Omnia per ipsum facta Ioan.1
sunt. Magis imitare uentos & mare: Obtempera creatori. Sub iussione Christi mare audit, & tu surdus es? Mare audit, & uentus cessat, & tu sufflas? Quid? Dico, facio, fingo: quid est aliud nisi sufflare, & sub uerbo Christi nolle cessare? Non uos uincat fluctus in perturbatione cordis uestri. Sed tamen quia homines sumus, si uentus impulerit, si affectum animæ nostrę mouerit, nõ desperemus: Christum excitemus, ut in tranquillo nauigemus, & ad patriam ueniamus.

In illud Lucæ, Stetit Iesus in medio discipulorum suorũ & dixit eis, Pax uobis: &c. tempore Paschali:

Sermo IIII

A PPARVIT dominus post resurrectionem discipulis suis, sicut audistis, & salutauit eos dicẽs: Pax uobis. Hæc est pax, Luc.24
salutatio salutis: Nam & ipsa salutatio à salute nomen accepit. Sed quid melius, quàm ut ipsa salutet hominem? Salus enim nostra, Christus est. Ipse est enim salus nostra, qui uulneratus est pro nobis, & confixus est clauis in ligno: Et depositus de ligno, positus in sepulchro. De sepulchro autem surrexit sanatis uulneribus, seruatis cicatricibus. Hoc enim discipulis suis expedire iudicauit, ut cicatrices eius seruarentur, unde cordis uulnera sanarent̃. Quæ uulnera? Vulnera infidelitatis. Apparuit enim oculis eorũ uerã exhibens carnẽ, & putauerunt se spiritũ uidere. Non leue uulnus
C hoc cordis est. Denique hæresim malignam fecerunt, qui in isto uulnere remanserunt. Sed non putamus uulneratos fuisse discipulos, quia cito sanati sunt? Cogitet charitas uestra, si in isto uulnere remansissent, ut putarent corpus sepultum non resurrexisse, sed spiritum imagine corporis humanos oculos illusisse: si in ista fide, imò in ista perfidia remansissent, non eorum uulnera, sed mors plangi deberet. Sed quid ait dominus Iesus? Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cor uestrum? Si ascendunt in cor uestrum cogitationes, de terra ueniunt cogitationes. Bonum est homini non ut cogitatio ascẽdat in cor eius, sed ut sursum ascẽdat ipsum cor eius, ubi uolebat Apostolus po
D nere cor credentium, quibus dicebat: Si con- Colos.3
surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est ad dexteram dei sedens. Quę sursum sunt quærite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Quum Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos cum illo apparebitis in gloria. In qua gloria? Resurrectionis. In qua gloria? Audi Apostolum dicentem de hoc corpore, Seminatur in 1.Cor.15
ignominia, resurget in gloria. Istam gloriam Apostoli magistro suo, Christo suo, domino suo dare nolebant, resuscitare eum potuisse corpus suum de sepulchro non credebant, Spiritum eum putabant, & carnem uidebant, nec ipsis oculis suis fidem habebant: Et credimus eis nos annuncianti-

bus,& non oſtendentibus. Ecce ipſi Chriſto ſeipſum oſtendenti, non credebant. Malum uulnus. A
Prodeant medicamenta cicatricum. Quid turbati eſtis,& cogitationes aſcendunt in cor ueſtrum? Videte manus meas & pedes meos, ubi clauis cõfixus fui. Palpate & uidete. Sed uidetis & non uidetis. Palpate & uidete: Quid? Quia ſpiritus oſſa & carnem nõ habet,ſicut me uidetis habere. Hæc dicens,ſic recitatum eſt,oſtendit eis manus & pedes. Et adhuc trepidantibus & mirantibus præ gaudio: Iam gaudium erat, & adhuc trepidatio permanebat. Res enim incredibilis erat facta, ſed tamẽ facta. Nunquid nunc incredibile eſt quia reſurrexit caro domini de ſepulchro? Totus hoc credidit mundus. Qui non credidit, remanſit immundus. Tunc tamẽ incredibile erat: & perſuadebatur non ſolum oculis, ſed & manibus, ut per ſenſum corporis fides in cor deſcenderet: & in cor fides deſcendens poſſet prædicari per mundum, non uidentibus aut tangentibus, & tamen ſine dubita
Luca 24 tione credentibus. Habetis hic, inquit, aliquid quod manducetur? Quanta addit ad ædificium fidei ſtructor bonus? Non eſuriebat, & manducare quærebat: Et manducauit poteſtate, nõ neceſſitate. Agnoſcant ergo diſcipuli uerũ corpus, quod agnouit ipſis prædicãtibus mundus. Si forte aliqui hæretici ſunt, qui adhuc habent in corde quòd exhibuerit ſe oculis Chriſtus, & uera caro non erat Chriſti: iam ponant illud, perſuadeat illis Euangelium, Nos eos reprehendimus, quia hoc ſapiunt: damnabit ille, ſi hoc ſapere perſeuerant. Tu quis es qui non credis corpus in ſepulchro poſitum reſurgere potuiſſe? Si Manichæus es: qui nec crucifixum credis, quia nec tantum credis, omnia eum falſa oſtendiſſe prædicas. Ille falſa oſtendit, & tu uerum dicis. Tu non mentiris ore, ſed ille mentitus eſt corpore. Ecce arbitraris apparuiſſe oculis quod non erat, ſpiritum fuiſſe non carnem. Audi illum, Amat te, ne damnet te: Audi illum dicentem. Ecce tibi dicit, infelix, tibi loquitur. Quid turbatus es, & cogitationes aſcendunt in cor tuum? Videte, inquit, manus meas & pedes meos. Palpate & uidete, quia ſpiritus oſſa & carnem nõ habet, ſicut me uidetis habere. Hæc dicebat ueritas, & fallebat? Corpus erat, caro erat, q̃d ſepultum fuerat apparebat. Pereat dubitatio, ſequatur digna laudatio. Oſtendit ergo diſcipulis ſe.
Quid eſt ſe? Caput Eccleſiæ ſuæ. Eccleſia futura per mundum ab ipſo præuidebatur, à diſcipulis nondum uidebat. Caput oſtendebat, corpus promittebat. Quid enim ſequutus adiũxit? Hæc ſunt uerba quæ locutus ſum ad uos, dum adhuc eſſem uobiſcum. Quid eſt hoc, dum adhuc eſſem uobiſcum? Nunquid nõ tunc cum illis erat, cum illis loquebatur? Quid eſt, quum adhuc eſſem uobiſcum? Vobiſcum eram, quando moriturus eram. Quid eſt, uobiſcum? Cum morituris moriturus. Modo iam non uobiſcum: quia cũ morituris, nunquam ulterius moriturus. Hoc ergo dicebam uobis. Quid? Quia oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege & pphetis & pſalmis de me. Dixi uobis quia oportebat omnia impleri. Tunc aperuit illis ſenſum. Veni ergo domine, fac claues, aperi ut intelligamus. Ecce omnia dicis, & non crederis. Putaris ſpiritus, tangeris, pulſaris, & adhuc trepidant qui te tangunt. De ſcripturis admones, & adhuc non intelligunt. Clauſa ſunt corda, aperi, & intra. Fecit, Tunc aperuit illis ſenſum. Aperi domine, & dubitanti de Chriſto aperi cor. Aperi ei ſenſum qui phantaſma fuiſſe credit Chriſtum. Tũc aperuit illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas, & dixit eis. Quid? Quoniã ſic oportebat, quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat. Quid? Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die. Viderunt hoc, uiderunt patientem, uiderunt pendentem, uidebant poſt r eſurrectionem præſentem uiuẽtem.
Quid ergo non uidebant? Corpus, id id, Eccleſiam. Illum uidebant, illam non uidebant. Sponſum uidebant, ſponſa adhuc latebat. Promittat & ipſam. Sic ſcriptum eſt, Et ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die. Hoc ſponſus eſt. Quid de ſponſa? Et prædicari in nomine eius pœnitẽtiam & remiſſionem peccatorum, per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Hoc nondum uidebant diſcipuli: Eccleſiam per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem nõdum uident. Caput uidebant & de corpore capiti credebant. Per hoc quod uidebant, quod non uidebant credebant. Similes illi ſumus & nos. Videmus aliquid quod ipſi non uidebant, & non uidemus aliquid quod ipſi uidebant. Quid nos uidemus quod ipſi non uidebant? Eccleſiã per omnes C
gentes, Quid non uidemus q̃d ipſi uidebãt? Chriſtum in carne conſtitutum. Quomodo illi illum uidebãt, & de corpore credebãt: ſic nos corpus uidemus, de capite credamus. Inuicem nos adiuuẽt uiſa noſtra. Adiuuit eos uiſus Chriſtus ut futuram Eccleſiam crederent, adiuuat nos uiſa Eccleſia ut Chriſtum reſurrexiſſe credamus. Impleta eſt fides illorum, impletur & noſtra. Impleta eſt illorum de capite, impleẽ noſtra de corpore. Totus Chriſtus & illis innotuit, & nobis innotuit: Sed totus ab eis non eſt uiſus, nec à nobis totus eſt uiſus. Ab eis caput eſt uiſum, corpus creditum. A nobis corpus uiſum, caput creditum. Nulli tamen deeſt Chriſtus, In omnibus plenus eſt, & adhuc ei reſtat corpus. Crediderunt ipſi, crediderunt per illos Hiero
D ſolymitani multi: Credidit Iudæa, credidit Samaria: Accedant membra, accedat ædificium fundamenti. Fundamentum enim nemo poteſt ponere, 1 Cor.3
ait Apoſtolus, niſi quod eſt poſitũ, quod eſt Chriſtus Ieſus. Inſaniant Iudæi, Impleantur zelo. Lapidetur Stephanus. Seruet lapidantium ueſtimenta Paulus, Saulus futurus Paulus Apoſtolus. Occidatur Stephanus, perturbetur eccleſia Hieroſolymitana: diſcedant inde ligna ardentia, accedant & incendant. Ligna enim quedammodo in eccleſia Hieroſolymitana ardebant ſpiritu ſancto, quãdo erat illis in deum anima una & cor unum. Lapidato Stephano paſſa eſt illa congeries perſecutionem: ſparſa ſunt ligna, & accenſus eſt mundus. Denique hæc ſecutus furens Saulus ille, accepit epiſtolas

epiſtolas à principibus ſacerdotũ, & cœpit ire ſæuiens, anhelans cædem, ſitiens ſanguinem, unde- A
cunq; poſſet, quos poſſet uinctos trahere, ad ſupplicium rapere, ſe diffuſo ſanguine ſatiare. Sed ubi deus, Vbi Chriſtus, Vbi Stephani coronator? ub niſi in cœlo? Videat & Saulum, irrideat ſæuientẽ,
Act.9 clamet de cœlo: Saule Saule, quid me perſequeris? Ego in cœlo ſum, tu in terra: & tamen perſequeris me. Caput non tangis, ſed membra mea calcas. Sed quid facis, quid proficis? Durum tibi eſt contra ſtimulum calcitrare. Quantũcunq; calces mittas, te uexas: pone ergo furorem, cape ſanitatem. Pone malum conſilium, appete bonum auxilium. Voce illa pſtratus eſt. Quid eſt proſtratus? Perſecutor. Ecce uictus eſt una uoce. Quid ibas? quid ſæuiebas? Quos quærebas, modo ſequeris: quos perſequebaris, modo pro illis perſecutionem pateris. Surgit prædicator qui proſtratus eſt perſecutor: Audiuit domini uocem. Excæcatus eſt, ſed in corpore, ut illuminaretur in corde. Perductus ad Ananiam, de pluribus catechizatus, baptizatus, proceſſit Apoſtolus. Dic prædica. Prædica Chriſtum, diſſemina ò bone aries, iamdudũ lu-
Gal.6 pus. Vide illum, attende illum qui ſæuiebat. Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quẽ mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Funde Euangeliũ, Quod corde concepiſti, ore diſſemina. Audiant gentes, credãt gentes, Pullulẽt gentes, naſcatur de ſanguine martyrum ſponſa domino purpurata. Et ex illa q̃ multi acceſſerunt, quàm multa membra capiti cohæſerunt & cohærent nunc & credunt? Et baptizati C
ſunt iſti, & baptizabantur alij: Et poſt nos uenient alteri. Tunc inquam, in fine ſeculi accedent lapides fundamenti, lapides uiui, lapides ſancti, ut in fine ædificetur totum ædificium ab illa Eccleſia, imo ab ipſa Eccleſia quæ modo cantat canticum nouum, dum domus ædificatur. Sic enim habet ipſe Pſalmus, Quando domus ædificabatur poſt
Pſal.95 captiuitatem. Et quid? Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Quàm magna domus, Sed quando cantat canticum nouũ? quum ædificatur. Quando dedicatur? In fine ſeculi. Fundamẽtum ipſius iam dedicatum eſt quia aſcendit in cœlum, & non moritur: quãdo & nos ſurrexerimus, ut nunquam moriamur, tunc de-
D dicabimur.

In die aſcẽſionis, Homilia in illud Marci, Recumbentibus undecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis, quòd ijs qui ſe uidiſſent reſurrexiſſe non credidiſſent &c.

Sermo V

A VDISTIS quid dixerit dominus diſcipulis ſuis poſt reſurrectionẽ: Miſit eos ad Euangelium prædicandum, & factũ eſt. Prædicatum eſt Euangelium, peruenit ad nos:
Pſal.18 Et ecce in omnem terram exijt ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Ambulando & ambulando Euangelium peruenit ad nos, & ad fines terræ. Breuiter conſtituit nobis loquens diſcipulis ſuis, quid faciamus, quid ſperemus. Ait enim ſicut audiſtis quando loquebatur, Qui crediderit Mar.16
& baptizatus fuerit, ſaluus erit. Exigitur à nobis fides, offertur ſalus: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Precioſum eſt quod promittitur nobis: gratis ſit quod iubetur. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Quid enim? Qui hęc audiebant, ſalui non erant? Nonne multi ſalui credunt, ſalui fiunt & antequam credant? Salui planè, ſed uana ſalus hominum. Qualis eſt iſta ſalus Pſal.59
quæ tibi cum iumento tuo communis eſt. Verũtamen etiam ipſa unde, niſi ab illo de quo ſcriptum eſt, Homines & iumenta ſaluos facies domine? Et addidit, Secundum multitudinem miſe- Pſal.35
ricordiæ tuæ deus. Tanta eſt enim multitudo miſericordiæ tuæ: ut ueniat à te ſalus in iſtam carnem
B mortalem hominum, ueniat & ad carnem pecorum. Hæc eſt multitudo miſericordiæ tuæ, Filijs tuis quid? Ecce homines & iumenta ſaluos facies domine. Nihil nobis ampliùs? Quod hominibus quibuſcũq;, quod pecoribus, hoc preſtatur & nobis? Non planè hoc. Sed quid? Audi, Filij autem hominum ſub tegmine alarum tuarum ſperabũt: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons uitæ. Chriſtus eſt fons uitæ. Habebamus ſalutem cum iumentis quouſque ueniret ad nos fons uitæ: fons uitæ uenit ad nos, & fons uitæ mortuus eſt propter nos. Negabit uitam ſuam, qui nobis erogauit mortem ſuam? Ipſa eſt ſalus quæ non eſt uana. Quare? Quia non tranſit. Bene animaduertenda iſta diſtinctio, homines & iumenta ſaluos facies domine. Homines, pertinẽtes ad hominem: filij autem hominum, pertinentes ad filium hominis, ſub tegmine alarum tuarum ſperabunt. Conſtituite uobis ante oculos duos homines. Erigite fidem, euigilet cor ueſtrum: recordamini hominem in quo decepti ſumus, recordamini hominem à quo redempti ſumus. Ille homo nunquid filius hominis? Adam homo erat, filius hominis non erat. Ideo dominus Chriſtus aſſidue ſe dicit filium hominis, ut faciat nos recordari hominẽ qui nõ fuit filius hominis. Vt recordemur in illo mortem, in iſto uitam: In illo peccatum, in iſto remiſſionem peccatorum: In illo uinculũ, in iſto libertatem: In illo damnationem, in iſto abſolutionem. D
Duo ergo iſti homines ſignificati ſunt et in his uerbis, homines & iumenta & cætera. Homines pertinentes ad hominem, & iumenta ſimul cum iumẽtis eos ſaluos facies. Homo enim in honore poſitus non intellexit, ſicut ſcriptũ eſt: Homo in ho- Pſal.48
nore poſitus nõ intellexit, comparatus eſt iumentis inſenſatis & ſimilis factus eſt eis. Propterea homines & iumenta: quibus ſimiles facti ſunt homines, qui nõ intellexerunt, & eis quibus dominari creati ſunt, comparati ſunt, ſaluos facies. Nũquid ipſa eſt ſalus de qua dictum eſt, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit? Alia eſt illa ſalus, longe alia, Angeli hanc habent, nolite eam quærere in terra. Magna eſt, ſed non eſt hic. Non eſt iſta res de iſta regione, non eſt hic talis ſalus. Surſum

cor. Quid hic quæris in terra salutem hanc? Ipsa sa
lus huc uenit, & mortem nostrã hic inuenit. Nun- A
quid dominus noster Iesus Christus quãdo uenit
ad nos in carne, inuenit hic salutem istã in regione
nostra? Magnum quid huc attulit mercator iste
de regione sua ueniens, inuenit in regione nostra
quod hic abundat. Quid hic abũdat? Nasci & mo-
ri. Plena est terra his mercibus: natus est & mortu-
us est. Sed qua uia natus est? Ad istam regionem
uenit, sed non ea uia qua & nos. De cœlo enim ue
nit à patre, & tamen natus est mortalis. Natus est
de spiritu sancto ex Maria uirgine. Nunquid nos
sic de Adam & Eua? Nos per concupiscentiã car-
nis, ille aũt non per ipsam: Maria enim uirgo sine
uirili amplexu, sine cõcupiscentiæ æstu, quoniam
Lucæ 1 ne pateretur hunc æstum ei dictũ est, Spiritus san-
ctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbra
B
bit te. Virgo ergo Maria non concubuit & conce
pit, sed credidit & concepit. Natus est enim morta
lis mortalibus. Quare mortalis? Quia in similitu-
dine carnis peccati. Non in carne peccati, sed in si-
militudine carnis peccati. Quid habet caro pecca
ti? Mortem & peccatum. Quid habuit similitudo
carnis peccati? Mortem sine peccato. Si haberet
peccatũ, caro esset peccati: Si mortem non habe-
ret, nõ esset similitudo carnis peccati. Talis uenit,
saluator uenit: mortuus est, sed mortem occidit, fi-
niuit in se quam timebamus, suscepit illam, & occi
dit illam. Quomodo summus uenator leonem ce
pit & necauit. Vbi est mors? Quære in Christo, iã
nõ est: sed fuit, mortua est ibi. O uita mors mortis.
C
Bono animo estote, morietur & in nobis. Quod
præcessit in capite, reddetur in mẽbris: morietur
& in nobis mors. Sed quando? In fine seculi, in re-
surrectione mortuorum quã credimus, & de qua
non dubitamus. Qui enim crediderit & baptiza-
tus fuerit, ipse saluus erit. Sequere quod timeas,
Qui autem non crediderit, condemnabitur. Ergo
mors morietur in nobis: uictura est in damnatis.
Vbi mors nesciet mortem sempiterna mors erit,
quia æterna tormenta erunt. In nobis morietur &
nõ erit. Vultis nosse? Dico uobis pauca uerba tri-
umphãtium, ut habeatis quod meditemini, quod
corde cãtetis, quod toto animo speretis, quod fi-
de & bono opere requiratis. Audite uerba trium-
phantium quando nõ erit mors, quando & in no-
bis sicut & in capite nostro morietur mors. Paulus
D
1. Cor. 15 apostolus dicit: Oportet corruptibile hoc indue-
re incorruptionẽ, & mortale hoc induere immor-
talitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absor-
pta est mors in uictoriã. Dixit uobis quia morietur
mors in uobis, Absorpta est mors in uictoriã. Ista
est mors mortis, Absorbebitur ut non appareat.
Quid est ut non appareat? Vt nõ sit nec intus nec
foris. Absorpta est mors in uictoriã. Gaudeant tri
umphantes, gaudeant, dicant quod sequitur. Vbi
est mors uictoria tua? Vbi est mors aculeus tuus?
Vbi est? Cepisti, possedisti, uicisti & tibi addixisti,
percussisti, & occidisti. Vbi est mors uictoria tua?
ubi est mors aculeus tuus? Nõnne confregit illum
dominus meus? O mors quãdo domino meo hæ-
sisti, tunc & mihi perijsti. Ista salute saluus erit qui
crediderit & baptizatus fuerit. Qui aũt non credi
derit, condemnabitur. Fugite condemnationem,
amate & sperate salutem æternam.

Dominica post ascensionem domini,
Sermo VI.

SOLENNITATE diei huius admone- A
mus scientes, instruimus negligentes.
Ascensum domini in cœlũ hodie solen-
niter celebramus. Dominus enim saluator noster
posito corpore, & recepto corpore, posteaquã sur
rexit à mortuis, exhibuit se discipulis uiuentem,
quẽ desperauerant morientem. Posteaquã se red-
didit oculis intuendum, manibus contrectãdum,
ædificans fidem, exhibendo ueritatem: quoniam
parum fuit humanę fragilitati & infirmæ trepida-
B
tioni tam magnũ miraculum uno die exhibere &
inde subtrahere: conuersatus est cum eis in terra,
sicut audiuimus quum liber Actuum apostolorũ
legeretur. Conuersatus est cum eis in terra quadra Act. 1
ginta diebus intrans & exiens, manducans & bi-
bens: ut exhiberet ueritatẽ, non quòd haberet ne-
cessitatem. Ipso ergo quadragesimo die, quem ho
die celebramus, eis uidentibus, & uidendo dedu-
centibus ascendit in cœlum. Tũc ergo posteaquã
id quod uidebant ascendere mirabãtur: sursum ta-
men ire gaudebant, Capitis enim præcessio spes
membrorũ est: Audierunt & angelicam uocẽ, Vi
ri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic le
sus sic ueniet quemadmodum uidistis eum eũtem
C
in cœlum. Quid est sic ueniet? In ea forma ueniet,
ut impleatur quod scriptum est, Videbunt in quẽ Zach. 12
pupugerunt. Sic ueniet: ad homines ueniet, homo
ueniet, sed deus homo ueniet. Veniet uerus ho-
mo & deus, ut faciat homines deos. Ascendit iu-
dex cœli, sonuit præco cœli. Bonã causam habea-
mus ut futurum iudicium non timeamus. Ascẽdit
enim, uiderunt qui nobis nunciauerunt. Qui non
uiderunt crediderunt, alij credentes irriserũt. Nõ
enim omnium est fides. Et quia nõ omnium est fi-
des, & nouit dominus qui sunt eius, quid discepta 2 Thess. 3
mus quod ascendit in cœlum deus? Miremur po-
tius quia descendit in infernum deus, Mortẽ Chri
sti miremur, resurrectionẽ uero laudemus potius
q̃ miremur. Perditio nostra, peccatum nostrum:
D
sanguis Christi, precium nostrum. Resurrectio
Christi spes nostra, aduentus Christi res nostra. Il-
le ergo qui est ad dexteram patris, expectãdus est
donec ueniat. Dicat anima nostra sitiẽs illi, Quan
do ueniet? Et, sitiuit anima mea ad deum uiuum. Psal. 41
Quando ueniet? Veniet. Sed quãdo ueniet? Op- & 42
tas ut ueniat, utinam paratum te inueniat. Verun-
tamen ne putemus nos solos habere hoc deside-
rium de domino nostro, ut dicamus quando ue-
niet? Habuerunt hoc desideriũ & discipuli eius. Si
possem uobis dicere inhiantibus, expectãtibus, su
spensis, nosse cupientibus, quãdo ueniat dominus
deus noster, si possem uobis dicere: qualis uobis ui
derer? Sed hoc ex me nõ uos speratis audire pos-
se. Qui si speratis desipitis. Ipsum certe dominum
Iesum Christũ in corpore præsentem, uiuentem,
loquentem

loquentẽ, si ante oculos uestros, & ante manus ue
stras haberetis: scio quia præ isto desiderio interro A
garetis & diceretis ei? Domine quando uenturus
es? Discipuli ipsi dominum Iesum Christum præ-
sentem interrogauerunt. Non potestis interroga-
re quod interrogauerunt, audite quod audierunt.
Etenim illi tunc erant, nos nondum eramus. Qui-
bus tamen si credamus, et nobis interrogauerunt,
& nobis audierunt. Ergo discipuli Christi dedu-
cturi aspectu ascensurum Christum interrogaue-
unt & dixerunt ei, Domine si hoc tempore præ-
sentaberis? Cui dicebant? Quem præsentem uide
bant. Si hoc tempore præsentaberis? Et quid est il
lud? Nõnne præsentem uidebant, nõnne præsen-
tem audiebant? nõnne præsentem etiã tangebãt?
Quid est hoc, si hoc tempore præsentaberis: nisi B
qui nouerant pręsentia Christi futurum iudicium:
ut uideretur à suis & ab alienis? Nam quando re-
surrexit non est uisus, nisi à suis. Hoc ergo sciebãt
& fide retinebant, futurum esse tempus quãdo iu-
dicatus iudicaret, quando reprobatus probaret &
reprobaret, quando conspicuus utrique hominũ ge
neri alios poneret ad dexteram, alios ad sinistram,
dicturus quod utrique audirent: oblaturus quod nõ
utrique acciperent, cõminatus quod nõ utrique per-
timescerent. Sciebant futurum, sed quando quæ-
rebant. Si hoc tempore præsentaberis? Non utique
nobis. Nam & modo uidemus te: sed præsentabe-
ris etiam his qui non crediderunt in te. Si hoc tem
pore præsentaberis dic nobis, & quando regnum
Israel? Hoc quæsierunt, si hoc tempore præsenta-
C
beris, & quando regnum Israel. Quod regnum?
Matt. 6 De quo dicimus, Veniat regnum tuum. Quod re-
gnum? De quo audituri sunt ad dexteram positi:
Mat. 25 Venite benedicti patris mei, percipite regnum
quod uobis paratum est ab origine mundi. Quan
do dicturus est etiam sinistris, Ite in ignem æter-
Psal. 111 num qui paratus est diabolo & angelis eius. Terri
bilis uox, tremẽda uox. Sed in memoria æterna e-
rit iustus, ab auditu malo non timebit. Istis hoc, il-
lis illud: in utroq; uerax, quia in utroq; iustus. Sed
quod quærebant si audierunt, audiamus: si non au
dierunt, quod audierunt teneamus, & quod uen-
turum est non timeamus. Domine si hoc tempore
præsentaberis? Et nos æstimantes nos præsentem
D
uidere dominum in corpore cõstitutum, dicamus
illi, Domine si hoc tẽpore præsentaberis, & quan
do regnum Israel? Quando regnum tuorũ, quan-
do regnum humilium, quamdiu typhus superbo-
rũ? Certe hoc est quod quærebatis, hoc est quod
audire desiderabatis. Videamus quid responde-
rit. Non dedignentur audire agni, quod audierũt
arietes. Audiamus quid dicit ipse dominus, Qui-
bus? Petro, Ioanni, Andreæ, Iacobo, cæteris tan-
tis & talibus, tam dignis. Sed quos inuenit indi-
gnos, & fecit dignos. Quid eis respondit dicenti-
bus, si hoc tempore præsentaberis, & quando re-
gnum Israel? Non est uestrum scire tempora quæ
pater posuit in sua potestate. Quid est hoc? Dici-
tur Petro, non est uestrum: & tu dicis, meum est?
Non est uestrum scire tempora, quæ pater posuit
in sua potestate. Quod creditis, bene creditis: quia
uenturum est. Quando uenturum sit, quid ad te? A
Quando uenerit, præpara te. Non est uestrum sci-
re tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Cu-
riositas abscedat, pietas succedat? Quid ad te quã-
do ueniet? Sic uiue quasi hodie uenturum sit, &
non timebis quum uenerit. Videte autẽ ordinem
& disciplinam magistri boni, magistri singularis,
magistri solius. Non dixit quod interrogauerunt,
& dixit quod non interrogauerunt. Sciebat enim
quod interrogauerunt nõ eis expedire ut nossent:
quod autem sciebat eis expedire, etiam nõ eis in-
terrogantibus dixit. Non est uestrum scire, inquit,
tempora. Quò tibi tempora? Hoc agitur ut euã-
das tempora, & quæris tẽpora? Nõ est uestrũ scire
tẽpora quæ pater posuit in sua potestate. Et quasi
diceretur ei, Et quid est nostrũ? modo audiamus
quid ad nos maxime pertineat, modo audiamus.
Quæsitum est quod non oporteat dici, sed dictũ
est quod oporteat audiri: Non est uestrũ scire tem
pora, quæ pater posuit in sua potestate. Sed quid
est uestrum scire? Sed accipietis uirtutem spiritus
sancti superuenientem in uos, & eritis mihi testes.
Vbi? In Hierusalem. Consequens erat ut hoc au-
diremus, his enim uerbis Ecclesia prædicatur, Ec-
clesia cõmendatur, unitas annunciatur, diuisio ac-
cusatur. Apostolis dictum est, Et eritis mihi testes:
fidelibus dicit, Vasis dei dicit, uasis misericordiæ
dicitur, Eritis mihi testes. Vbi? In Hierusalem ubi
occisus sum, & in tota Iudæa & Samaria, & usq; in
C
fines terræ. Ecce quod audite, ecce quod tenete.
Sponsa estote & sponsum securi expectate. Spon
sa Ecclesia est. Vbi futura prædicata est, quam illi
testes annunciarent: ubi futura prędicata est? Mul
ti enim dicturi sunt, Ecce hic est. Audirem, si non
& alius diceret. Ecce hic est. Quid tu dicis? Ecce Act. 7
hic est. Iam ibam: sed reuocat alius simili uoce,
Ecce hic est. Tu ex parte una, Ecce hic est: alius ex
parte alia, Ecce hic est. Dominum interrogemus,
dominũ interpellemus. Sileant partes, totum au-
diamus. Dicit unus ex angulo uno: Ecce hic est: a-
lius ex alio angulo, Non, sed ecce hic est. Tu domi
ne dic: tu affere quam redemisti, ostende quam di
lexisti. Ad nuptias tuas inuitati sumus, ostẽde spõ
sam tuam, ne uota tua litigando turbemus. Dicit
D
planè, ostendit planè, non deserit inquirentes, nõ
amat litigantes. Dicit discipulis suis, & nõ queren
tibus dicit: quia cõtendentibus cõtradicit. Et ideo
fortasse hoc ab Apostolis nõdũ quærebatur, quia
grex Christi nondum à latronibus diuidebatur.
Nos experti dolores diuisionis, studiose coagulũ
quærimus unitatis. Apostoli quærunt tempus iu-
dicij, & dominus respondet locum Ecclesiæ. Non
respõdit quod quæsierũt, sed nostros præuidebat
dolores. Eritis, inquit, mihi testes in Hierusalem.
Parum est. Non pro hoc tantũ precium dedisti, ut
hoc solum emeres in Hierusalem. Dic adhuc, Et
usq; in fines terræ. Venisti ad fines: Quare conten
tiones non finis? Nemo mihi dicat iam, Ecce hic
est: Non, sed ecce hic est. Sileat humana præsum-
ptio, Audiatur diuina prædicatio, Teneatur uera
promissio

promiſſio:In Hieruſalē & in tota Iudæa & Sama-
ria & uſq; in fines terræ. His dictis nubes ſuſcepit A
eum.Iam nō opus erat ut aliquid adderetur, ne a-
liunde cogitaretur. Fratres pro magno audiri ſo-
lent uerba nouiſſima parentis ituri ad ſepulchrū,
& cōtemnuntur domini uerba nouiſſima aſcēden
tis in cœlum? Exiſtimemus dominū noſtrum te-
ſtamentum ſcripſiſſe & in teſtamento ſua nouiſſi-
ma uerba poſuiſſe: præuidit enim malorum filio-
rum futura litigia,preuidit homines partes ſibi co
nantes facere de poſſeſſione aliena. Quare enim
non diuidant quod non emerunt? Quare non cō-
cidant,pro quo precium non dederūt? Sed ille tu-
nicam deſuper textam nuſquam cōſutilem diuidi
noluit,ſorte prouenit. In illa ueſte unitas cōmen-
data eſt, in illa ueſte charitas prædicata eſt.Ipſa eſt
deſuper texta.De terra eſt cupiditas,deſuper cha- B
ritas.Agite fratres, teſtamētum ſcripſit dominus,
nouiſſima uerba poſuit. Videte obſecro uos: &
moueat uos quomō & nos mouet, ſi fieri poteſt.
Duę ſunt glorificationes ſecūdum ſuſcepti homi-
nis formam. Vna,qua ſurrexit à mortuis tertio die
alia qua aſcendit in cœlum ante oculos diſcipulo-
rum ſuorū.Duæ ſunt iſtæ quæ cōmendantur glo-
rificationes eius iam factæ. Reſtat una & ipſa in
conſpectu hominum, quum ſe iudicio præſenta-
bit.De ſpiritu ſancto hoc erat dictum per Ioannē
Ioan.7 Euangeliſtam.Spiritus autem nondum fuerat da-
tus,quia Ieſus nondum erat glorificatus. Spiritus
autem nondum fuerat datus. Quare nondum fue
rat datus? Quia Ieſus nondū erat glorificatus. Ex- C
pectabatur ergo, ut glorificato Ieſu daretur ſpiri-
tus.Meritoq; bis glorificatus,reſurgēdo & aſcen-
dendo: bis dedit ſpiritum. Vnum dedit, & unus
dedit:unitati dedit,& tamē bis dedit. Primo poſt-
Ioan.20 eaquam reſurrexit dixit diſcipulis ſuis, Accipite
ſpiritum ſanctum. Et inſufflauit in faciem eorum.
Habes ſemel. Deinde promittit adhuc ſe miſſurū
ſpiritum ſanctum,& dicit, Accipietis uirtutem ſpi
ritus ſancti ſuperuenientem in uos.Et alio loco.In
ciuitate ſedete. Ego enim impleā promiſſionem
patris quam audiſtis, inquit, ex ore meo.Poſtea-
quam aſcendit,decem diebus ibi factis miſit ſpiri-
tum ſanctum: ipſe eſt ſolennis futurus Penteco-
ſtes. Videte ergo fratres mei. Quærat à me aliquis
quare bis dedit ſpiritum ſanctum.Multi multa di- D
xerunt,& ſicut homines quæſierunt.Et aliqui di-
xerunt quòd nō eſt contra fidem: Alius hoc, alius
illud.Vtrunq; quod non excederet regulam ueri-
tatis.Si dicam me ſcire quare bis dederit, mentiar
uobis.Neſcio,qui ſe dicit ſcire quod neſcit, teme-
rarius eſt:qui ſe negat ſcire quod ſcit,ingratus eſt.
Ergo fateor uobis,quare bis dederit dominus ſpi
ritum ſanctū adhuc quæro,ad aliquid certius per-
uenire cupio. Adiuuet me dominus orantibus uo
bis,ut quod donare dignatur,& uobis non tacea-
tur.Ergo neſcio.Quid tamen exiſtimem nondum
ſciens,nōdum pro certo tenens,ſicut certiſſimum
teneo dediſſe: Quid ergo exiſtimem, non tacebo.
Si hoc eſt,confirmet dominus:ſi aliud eſt quod ue
rius appareat,donet dominus. Ergo arbitror, ſed

arbitror ideo bis datum eſſe ſpiritum ſanctum, ut
commendarentur duo præcepta charitatis. Duo
enim ſunt præcepta, & una eſt charitas. Diliges Deut.6
dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex to
ta anima tua: Et diliges proximum tuum tāquam Matt.22
teipſum.In his duobus præceptis tota lex pendet
& prophetæ. Vna charitas & duo præcepta:unus
ſpiritus & duo data.Non enim alius datus eſt pri-
us,& alius datus eſt poſtea: quia non alia charitas
diligit proximū,quàm illa quæ diligit deum, Non
ergo alia charitas eſt. Qua charitate proximum,
ipſa charitate diligimus & deum. Sed quia aliud
eſt deus,aliud proximus, una charitate diligūtur:
non ſunt tamen unum qui diliguntur. Quia ergo
magna eſt primitus cōmendanda dilectio dei, ſe-
cunda dilectio proximi, (à ſecunda autem inci-
pitur ut ad primam perueniatur, Si enim fratrem
quē uides non diligis, deum quem nō uides quo-
modo diligere poteris?) ideo forte informās nos
ad dilectionem proximi, dedit in terra cōſpicuus
& proximis proximus ſpiritum ſanctū inſufflan-
do in faciem eorum: Et ab hac maxime charitate
quæ in cœlis eſt, de cœlo miſit ſpiritum ſanctum.
Spiritum ſanctū accipe in terra,& diligis fratrem.
Accipe de cœlo,& diligis Deum: quia & in terra
quod accepiſti de cœlo eſt. In terra Chriſtus de-
dit,ſed de cœlo eſt qui dedit:Ille enim dedit qui de
cœlo deſcendit.Hic inuenit cui daret, ſed inde at-
tulit quod daret. Quid eſt ergo fratres? An forte
cōmemoro & hoc, quomodo charitas ad ſpiritū
ſanctum pertineat? Paulum audite.Non ſolum au Rom.5
tem, inquit, ſed & gloriamur in tribulationibus:
ſcientes quia tribulatio patientiam operatur, pa-
tiētia probationem,probatio uero ſpem.Spes au-
tem non confundit,quia charitas dei diffuſa eſt in
cordibus noſtris. Vnde charitas dei diffuſa eſt in
cordibus noſtris? Vnde? Quid tibi dabas? Quid
quaſi de tuo præſumebas? Quid eñ habes quod
non accepiſti? Ergo unde,niſi quod ſequitur, Per
ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis? Charitas
iſta non tenetur niſi in unitate Eccleſiæ. Non il-
lam habent diuiſores:ſicut dicit Apoſtolus Iudas,
Hi ſunt qui ſeipſos ſegregant animales ſpiritum
non habentes. Qui ſeipſos ſegregāt. Quare ſegre-
gant? Quia animales ſpiritum nō habentes. Ideo
defluunt, quia coagulum non habent charitatis.
Ipſa charitate plena eſt gallina illa propter pullos
infirmata,cum pullis humilians uocem ſuam, ex-
tendens alas ſuas. Quotiens,inquit,uolui collige- Matt.23
re filios tuos? Colligere, non diuidere. Quia ha- Ioan.10
beo, inquit, alias oues quæ non ſunt ex hoc ouili,
oportet me & ipſas adducere, ut ſit unus grex &
unus paſtor. Merito non audiuit fratrem cōtra fra
trem interpellantem & dicētem:Domine,dic fra-
tri meo diuidat mecum hæreditatem. Domine, Lucæ 12
inquit, dic fratri meo. Quid? Diuidat mecum hæ-
reditatē.Et dominus. Dic homo. Quare enim uis
diuidere niſi quia homo? Quum enim dicit alius,
Ego ſum Pauli, alius autem ego Apollo, nónne 1.Cor.1
homines eſtis? Dic homo. Quis cōſtituit me diui-
ſorem hæreditatis inter uos? Colligere ueni non
diui-

Lucæ 12 diuidere.Ideo,inquit, dico uobis cauete ab omni
cupiditate. Cupiditas eñ cupit diuidere ſicut cha A
ritas colligere. Quid eſt autem, cauete ab omni cu
piditate, niſi impleamini charitate? Nos charita-
tem pro captu noſtro habētes interpellamus do-
minum contra fratrem,ſicut & ille contra fratrem:
ſed non hac uoce,non hac poſtulatione.Ille enim
dixit,Domine,dic fratri meo diuidat mecum hæ-
reditatem:Nos dicimus, Domine, dic fratri meo
teneat mecum hæreditatem. Videte ergo fratres,
quid maximè diligatis, quid fortiter teneatis.Glo
rificatus dominus reſurgendo, cōmendat Eccle-
ſiam:glorificandus aſcendendo, cōmendat Eccle
ſiam,Spiritum ſanctum mittens de cœlis cōmen-
dat Eccleſiam.Reſurgens enim,quid dicit diſcipu
Luc.24 lis ſuis? Hæc dicebā uobis,quum eſſem apud uos: B
quia oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in
lege & prophetis & pſalmis de me. Et tūc aperuit
illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas, & dixit eis:
Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chri-
ſtū pati, & reſurgere à mortuis tertio die. Vbi eſt
Eccleſiæ cōmendatio? Et prædicari in nomine e-
ius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Et
hoc ubi? Per omnes gentes,incipientibus ab Hie
ruſalē.Hoc reſurrectione glorificatus.Quid aſcen
ſione glorificandus? Quod audiſtis,Eritis mihi te
ſtes in Hieruſalem,& in tota Iudæa & Samaria, &
uſq; in fines terræ.Quid ipſo aduentu ſpiritus ſan-
cti? Venit ſpiritus ſanctus: quos primum imple-
uit, linguis omnium gentium loquebātur. Vnuſ- C
quiſq; homo loquēs omnibus linguis, quid aliud
ſignificauit q; unitatem in omnibus linguis? Hoc
tenētes,in hoc firmati,in hoc roborati, in hoc in-
concuſſa charitate defixi, laudemus pueri domi-
num & dicamus Halelu ia. Sed in una parte? Et
unde? & quouſq;? A ſolis ortu uſq; ad occaſum
laudate nomen domini.

A

Dominica duodecima poſt trinitatem.

Sermo VII.

Frag. decerptum ex ſer. 18 de uerbis domini

In illud Marci,Exiens Ieſus de finibus Tyri ue-
nit per Sidonem ad mare Galilææ.Et adducunt ei
ſurdum & mutum &c.

MODO aures corporis ſurdæ nō aperiun
tur. Sed q; multi habent clauſas cordis
aures quę tamē uerbo dei penetrāte pa-
teſcunt,ut credant qui non credebant,& bene ui- D
uant qui male uiuebant, & obediant qui nō obe-
diebāt? Et dicimus,ille credit: ac miramur quum
audimus de his quos aliquādo duros noueramus.
Cur ergo nunc miraris credentē,innocētem, deo
ſeruientē,niſi quia conſpicis uidentē quē noueras
cæcum: conſpicis uiuentem quē noueras mortuū,
conſpicis audientem quē noueras ſurdum? Nā ui-
dete taliter mortuos de quibus dicebat dñs cuidā,
ideo tardāti ne dominū ſequereť,quia patrē ſepe-
Luc.9 lire uolebat. Sine, inquit, mortuos ſepelire mor-
tuos ſuos.Certe mortui ſepultores nō ſunt corpo-
re mortui,quia ſi hoc eſſent mortua corpora ſepe-
lire non poſſent. Tamen dñs mortuos eos uocat.
Vbi,niſi intus & in anima? Sicut eñ in domo etiā
plerunq; uiſibiliter integra & ſalua dominus eiuſ-
dem domus mortuus iacet:Sic in corpore integro
multi habēt animā intus mortuā.Et hos ſic excitat
Apoſtolus. Surge q dormis & exurge à mortuis: Ephes.5
& illuminabit te Chriſtus. Ipſe illuminat excæca-
tum,qui excitat mortuū, Voce enim eius clamať
per Apoſtolum ad mortuum, Surge qui dormis.
Cęcus luce illuminabitur,quum reſurrexerit.Sur-
dos aūt quàm multos ante oculos ſuos dominus
intuebatur,quū diceret, Qui habet aures audiēdi Lucæ 8
audiat? Quis enim ante illū ſine corporalibus au-
ribus ſtabat? Quas ergo alias aures niſi interioris
hominis requirebat? Hoc dico fratres,ne forte ſi-
mus ſtrepentes uocibus & muti moribus. A malis
corde ſemper diſiungimini:ad tempus caute cor-
pore copulamini. Nec tamen negligentes ſitis in
corrigendis ueſtris, ad curam ſcilicet ueſtrā quo-
quomodo pertinentibus:monendo,docēdo, hor
tando,terrendo, Quibuſcunq; modis poteſtis a-
gite, ne quum inuenitis in ſcripturis & exemplis
ſanctorū,ſiue qui ante, ſiue qui poſt aduentū do-
mini fuerunt in hac uita, q; mali bonos in unitate
non maculant:efficiamini pigri ad corrigēdos ma
los.Duobus modis non te maculat malus: Si non
conſentias,Et ſi redarguas. Hoc eſt non cōmuni-
care,non conſentire.Cōmunicatur quippe,quan-
do facto eius conſortium uolūtatis uel approba-
tionis adiungitur.Hoc ergo nos admonens Apo-
ſtolus ait,Nolite cōmunicare operib.infructuoſis Ephes.5
tenebrarū.Et quia parum erat non cōſentire, ſi ſe-
quereť negligētia diſciplinæ:magis aūt,inquit, &
redarguite. Videte quēadmodū utrunq; comple-
xus eſt.Nolite cōmunicare:magis aūt & redargui
te. Quid eſt nolite cōmunicare? Nolite cōſentire,
nolite laudare,nolite approbare. Quid eſt magis
aūt & redarguite? Reprehendite,corripite, coer-
cete.Deinde in ipſa coercitione uel correptione
aliorum peccatorū,cauendū eſt ne ſe extollat qui
alterū corripit: & Apoſtolica illa ſententia cogi-
tanda eſt:Quapropter qui putat ſe ſtare,uideat ne
cadat.Foris terribiliter perſonet increpatio, intus 1.Cor.10
lenitatis teneatur dilectio.

In natali beati Vincentij, Sermo VIII

MAGNVM ſpectaculum ſpectauimus o- A
culis fidei,martyrem ſanctum Vincen-
tium ubiq; uincētē. Vicit in uerbis, uicit
in pœnis,uicit in cōfeſſione, uicit in tribulatione,
uicit exuſtus in ignibus,uicit ſubmerſus in flucti-
bus.Poſtremo uicit tortus, uicit mortuus. Quādo
caro eius in qua erat trophęum Chriſti uictoris de
nauicula mittebatur in mare,tacite dicebat. Deij- 2.Cor.4
cimur, ſed non perimus. Quis iſtam patientiam
militi ſuo donauit, niſi qui pro illo prior ſangui-
nem fudit? Cui dicitur in Pſalmo: Quoniam tu es Pſal.70
patientia mea domine, domine ſpes mea à iuuen-
tute mea.Magnum certamen magnā cōparat glo
riam:non humanam nec temporalem, ſed diuinā
& ſempiternam.Fides pugnat:& quādo fides pu-
gnat,carnem nullus expugnat.Quia etſi laniatur,
etſi laceratur: quando perit qui ſanguine Chriſti
redemptus eſt? Potens homo non poteſt perdere
quod emit auro ſuo,& Chriſtus perdit quod emit
ſanguine

ſanguine ſuo? Sed hoc totum non ad hominis, ſed ad dei gloriam referatur. Ab ipſo uere eſt patiẽtia uera, patientia ſancta, patientia religioſa, patiẽtia recta, patientia Chriſtiana. Patientia donum Dei eſt. Nam & multi latrones patientiſſime torquentur: & non cedẽtes & tortorem uincentes, poſtea æterno iure puniuntur. Cauſa diſcernit martyrem à patientia imo à duritia ſceleratorum. Par eſt pœna, ſed diſpar eſt cauſa. Martyrum uoce cantauimus. Dixerat enim iſta Vincẽtius in orationibus,
Pſal.42 Iudica me deus, & diſcerne cauſam meam à gente non ſancta. Diſcreta eſt cauſa eius: quia pro ueritate, pro iuſtitia, pro deo, pro Chriſto, pro fide, pro Eccleſiæ unitate, pro indiuidua charitate certauit. Quis ei donauit iſtam patientiam? Quis? Indicet nobis Pſalmus. Ibi enim legitur, ibi cantatur:
Pſal.61 Nónne deo ſubiecta erit anima mea? Ab illo enim patientia mea. Quiſquis putat ſanctum Vincentiũ uiribus ſuis iſta potuiſſe, nimis errat. Quiſquis enim uiribus ſuis hoc ſe poſſe præſumpſerit: etſi uidetur uincere patientia, uincitur à ſuperbia. Bene uiuere, hoc eſt, uniuerſas machinas uincere. Illecebras dum miniſtrat, uincitur per continentiam. Pœnas & tormenta infligit, uincitur per patientiam. Errores ſuggerit, uincitur per ſapientiã. Ad extremum quum omnia hęc uicta fuerint, ſuggerit animæ. Euge euge quantum potuiſti? quantum certaſti? Quis tibi comparatur? Quàm bene
Pſal.69 uiciſti? Reſpondeat illi anima ſancta, Confundantur et reuereantur, qui dicunt mihi euge euge. Quã-
Pſal.33 do ergo uincit, niſi cum dicit, In domino laudabitur anima mea: audiant mites & iocundentur? Mites enim ſciunt quod dico: quia in illis habitat uerbum, in illis habitat exemplum. Nam qui non eſt mitis: neſcit quid ſapiat quod dictum eſt: In domino laudabitur anima mea. Omnis enim non mitis, ſuperbus, aſper, elatus: in ſe uult laudari, non in domino. Qui autem dicit, In domino laudabitur anima mea: non dicit, audiant gentes & iocũdentur: Audiãt homines & iocundentur: ſed audiant mites & iocundentur. Audiant quibus ſapit. Mitis enim erat Chriſtus, ſicut ouis ad immolandum ductus eſt. Propterea mitis, quia ſicut ouis ad immolandum ductus eſt, Audiant mites & iocũdentur: quia ſapiunt quod dictum eſt, Guſtate & uidete quàm ſuauis eſt dominus, beatus uir qui ſperat in eum. Longam lectionem audiuimus, breuis eſt dies: longo ſermone etiam nos tenere ueſtram patientiam non debemus. Nouimus quia patienter audiſtis, & diu ſtando & audiendo tanquam martyri compaſſi eſtis. Qui audit uos, amet uos, & coronet uos, Amen.

De eodem, Sermo IX.

A M AGNVM, & multũ mirandũ ſpectaculum noſter animus cepit: nec inaniſſimam & pernicioſiſſimam, ſicut ſolet in theatris quarumcunq; nugarum, ſed plane utiliſſimam & fructuoſiſſimã uoluptatem oculis interioribus hauſimus, quum beati Vincentij glorioſa paſſio legereẽ. Erat uidere inuictã martyris animam contra inſidias antiqui hoſtis, contra ſeuitiã impij iudicis, cõtra dolores mortalis carnis, acerri
A ma cõflictatione certantẽ, & in adiutorio domini cuncta ſuperantẽ. Ita planè chariſſimi, ita prorſus fuit: in dño laudemus hanc animã, ut audiant mites & iucũdentur. Quas uoces audierit, quas reddiderit, quæ tormẽta deuicerit, decurſa lectio declarauit, & nobis tanq; in cõſpectu quę geſta ſunt poſuit. Tanta pœna erat in membris, tanta ſecuritas in uerbis: tanq; alius torqueretur, alius loqueretur. Et uere alius. Prædixit enim hoc dominus,
& promiſit martyribus ſuis dicens, Non uos eſtis Matt.10
qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri qui loquit in uobis. In domino ergo laudat hæc anima. Nam Pſal.8
quid eſt homo, niſi q̃d memor eſt eius? Aut quæ uires pulueris, niſi illo adiuuante qui nos fecit ex puluere: ut qui gloriat, in domino glorietur? Si e-
B nim diabolicus & ſeductor ſpiritus plerunq; implet uel fallaces uates, & falſos martyres ſuos, ut tormẽta corporis, uel ipſi ſibi ingerãt, uel ingeſta cõtemnãt: quid magnũ eſt domino deo noſtro ad confirmandũ prædicationẽ nominis ſui ipſorum prædicatorũ, carnẽ quidẽ in manus perſequentiũ tradere: mẽtem uero in arcem libertatis aſſumere: ut etiã dum illa patitur iniquitatẽ, hęc aſſerat ueritatem, ſcilicet ut uictores nõ tolerantia faciat, ſed iuſtitia, quoniã martyres diſcernit cauſa, non pœna? Multi enim dolores tolerauerunt pertinacia, non cõſtantia, uitio nõ uirtute, prauo errore non recta ratione, diabolo poſſidente nõ perſequẽte. In noſtro aũt uincẽte Vincentio, ille quidem uincebat qui poſſidebat, ſed ille poſſidebat qui prin-
C cipem huius mundi miſerat foras: ut etiã pugnans extrinſecus ſuperareẽ qui iam fuerat ſuperatus, ne intus dominaretur. Ille quippe qui miſſus eſt foras non ceſſans tanquã leo rugiens circuit requirẽdo quem deuoret. Sed eum expugnat ille pro nobis, qui eo excluſo regnat in nobis. Denicq; magis diabolus non uicto Vincentio, q̃ Vincentius perſequẽte diabolo torquebat. Quanto enim erant illa truculentiora & exquiſitiora tormenta, tanto magis tortus de torquẽte triũphabat: & ex illa carne tanq; ex terra ſuo ſanguine irrigata, de qua plus dolebat inimicus, palma creſcebat. Sed quia illa latenter ſæuit, & latẽter uictus affligitur: manifeſte apparet in præſide homine quid in occulto diabo
D lus patereẽ, Et ille inuiſibilis aduerſarius per ſui uaſculi quod impleuerat, crepãtis rimulas pdebat. Voces enim huius hominis, oculi, uultus, et turbulentus totius corporis motus, indicabãt, q̃ grauiora tormenta ſentiret interius, q̃ erant quæ martyri infligebãtur exterius. Si conſideremus perturbationem torquentis, & trãquillitatem tormenta patientis: uidere facillimum eſt quis erat ſub pœnis, quis ſupra pœnas. Quæ gaudia erũt in uirtute regnantium, quando tanta ſunt pro ueritate morientium? Quid erit cũ corporis incorruptione fons uitæ, quando ros eius inter tormenta tam dulcis eſt? Et quid faciet impijs æterna flamma, quos ita uaſtat irati cordis inſania? Quid paſſuri ſunt cum iudicabuntur, qui iam cum iudicant cruciantur? Iudicia futura ſanctorũ quid habitura ſunt poteſtatis

ſtatis, quum in hac uita tribunal iudicis cataſta torſerit martyris? Magnum autem dominus teſtimo
A nium prębet teſtibus ſuis, quum ille qui rexit corda certantium, nec corpora deſerit mortuorũ, uelut de huius ipſius beati Vincentij corpore pręclariſſimum miraculũ exhibuit: ut id quod inimicus omnino non apparere cupierat, fategerat, fecerat, tam præſenti nutu diuino proderetur, & religioſius humandum uenerãdumq; demonſtraretur, ut uictricis pietatis & deuictę impietatis pręclara in
Pſal.115 eo memoria perduraret. Vere precioſa in cõſpectu domini mors ſanctorum eius: quando nec terra carnis uita deſerente contemnitur, & inuiſibili anima de domo uiſibili diſcedẽte habitaculum ſerui cura domini cuſtoditur, & in gloriam domini à conſeruis fidelibus honoratur. Quid enim agit de
B us mira opera faciendo circa ſanctorum corpora defunctorum, niſi teſtimonium perhibet ſibi non perire quod moritur, & ut hinc intelligatur in qua li honore ſecum habeat animas occiſorum, quando caro exanimis tanto affectu diuinitatis coronatur? Sicut enim de membris eccleſiæ loquens Apoſtolus, ſimilitudinem adhibuit de membris cor
1.Cor.12 poris noſtri, quoniam quę inhoneſta ſunt noſtra, his abũdantiorem honorem circumponimus: Ita prouidẽtia creatoris cadaueribus martyrum tam præclara miraculorũ teſtimonia præſtando, abundãtiorem honorem exanguibus reliquijs hominum circumponit, & quod uita emigrante tanq; deforme iam remanet, ibi euidentius præſens uitæ dator apparet.

In decollatione beati Ioannis Baptiſtæ.

Sermo X.

A Q VVM ſanctum Euangelium legeretur, crudele ſpectaculũ ante oculos noſtros conſtitutum eſt: Caput ſancti Ioannis in diſco, feralis miſſus crudelitatis, propter odiũ ueritatis. Puella ſaltat, & ſæuit mater: & inter laſciuias & delicias conuiuantium temere iuratur, & impiè quod iuratur, impletur. Factum eſt Ioanni quod ipſe prædixerat. De domino enim Ieſu Chri
Ioan.3 ſto dixerat, Illum oportet creſcere, me autem minui. Iſte minutus eſt in capite, ille creuit in cruce. Odium peperit ueritas. Non potuit æquo animo tolerari quod homo dei ſanctus monebat: qui utique ſalutem eorum quærebat, quos ſic monebat. Reſponderũt illi mala pro bonis. Quid enim ille diceret, niſi quo plenius erat? Et quid illi reſpõderent, niſi quo pleni erant? Ille triticum ſeminauit,
Matt.6 ſed ſpinas inuenit. Dicebat regi, Non licet tibi habere uxorẽ fratris tui. Vincebat enim regem libido, tenebat apud ſe prohibitã uxorem fratris ſui. Sed eum tamen ſic libebat, ut non ſæuiret. Honorabat eum à quo uerum audiebat: ſed mulier deteſtabilis odium concipiebat, quod aliquando dato tẽpore pareret: Quãdo parturiebat, peperit filiã, filiam ſaltantem. Et rex ille qui ſanctum uirum habebat Ioannem, qui eum propter dominum timebat, etſi ei non obediebat, poſteaquam ab illo petitum caput Ioannis in diſco, contriſtatus eſt. Sed propter iurationẽ & propter cõrecumbẽtes miſit ſpiculatorem, et impleuit quod iurauit. Admonet
A nos locus iſte chariſſimi, ut propter uitam & mores ueſtros aliquid uobis de iuramẽto tractemus. Falſa iuratio, non eſt leue peccatum: imò tam magnum peccatum eſt falſum iurare, ut propter reatum falſæ iuratiõis dominus prohibuerit omnem iurationem. Ait enim, Dictum eſt, Non periura- Matt.5
bis: Reddes autem domino iuſiurãdum tuum. Ego autem dico uobis, non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus dei eſt, neque per terrã, quia ſcabellum pedum eius eſt, neq; aliud quodcunq; iuramentum, Neq; per caput tuum iuraueris, quia non potes facere capillum album aut nigrum. Sit autem in ore ueſtro eſt eſt, non non. Si quid amplius eſt, à malo eſt. Inuenimus autem in ſanctis ſcripturis dominum iuraſſe, quando ei uſq; ad immolationem dilecti filij obediuit Abraham. Gen.22
Locutus eſt ei angelus de cœlo, Per memetipſum iuro, dicit dominus, quia obaudiſti uocem meam, & non peperciſti filio tuo dilecto propter me, benedicens benedicam te: & implebo ſemen tuũ ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam maris. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. Quod uidetis totũ orbem terrarũ Chriſtianos implere, exhibet uerax iuratio dei. Itemq; in Pſalmis de domino Ieſu Chriſto prophetatũ eſt, Iurauit dominus, Pſal.109
& non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui nouerũt ſcripturas ſciunt quid protulerit Melchiſedech ſacerdos dei excelſi quando benedixit Abraham.
C Non oportet ut hoc memoremus, ꝓpter catechumenos. Fideles tamen agnoſcunt, quemadmodũ ante prophetatum ſit quod modo uidemus impleri. Et unde hoc? Quia iurauit dominus. Et iurauit dominus & no pœnitebit eum, nõ quomodo Herodem pœnituit quod iurauerat. Quum ergo dominus iurauit, quare dominus Chriſtus ſuos iurare prohibuit? Dico quare. Non eſt peccatum uerum iurare. Sed quia grande peccatum eſt falſum iurare, longe eſt à peccato falſum iurandi qui omnino non iurat. Propinquat falſę iurationi, qui uel uerũ iurat. Dominus ergo, qui prohibuit iurare, ſupra ripam te noluit ambulare, ne pes tuus in anguſto labatur & cadas. Sed dominus iurauit, inquit. Securus iurat qui mentiri neſcit. Non te moueat
D quia dominus iurauit: quia forte non debet iurare niſi dominus. Tu enim quando iuras quid facis? Teſtẽ deum adhibes. Tu ipſum, ipſe ſeipſum. Sed homo, quia in multis falleris, plerunq; adhibes teſtem ueritatem ad tuam falſitatem. Aliquando & nolẽs homo periurat, quũ uerum putat eſſe quod iurat. Non eſt quidem tantum peccatum quãtum eius qui ſcit eſſe falſum, & tamẽ iurat. Quãto melior, & à peccato iſto graui omnino longè fit, qui audit dominum Chriſtum & non iurat? Scio graue eſſe conſuetudini ueſtræ: ſed & graue fuit conſuetudini noſtræ. Timẽdo deum abſtulimus iurationẽ de ore noſtro. Ecce uobiſcũ uiuimus. Quis nos audiuit aliquando iurantes? Nunquid nõ cõſueueram quotidie iurare? At ubi legi & timui, luctatus ſum contra conſuetudinem meam, in ipſa luctatione

luctatione inuocaui dominum adiutorem. Præstitit mihi dominus adiutorium non iurandi: Nihil mihi facilius est quàm non iurare. Hoc ideo admonui charitatem uestram ne dicatis, Quis potest? O si deus timeatur, ò si periuri expauescāt: lingua frenatur, ueritas tenetur, iuratio tollitur.

In eodem festo, Sermo XI

A PROPTER hunc locum quem hodie audiuimus quum Euangelium recitaretur dico charitati uestræ. Videtis miserum istum Herodē, Ioannē sanctū uirum & dei hominem dilexisse. Sed quoniam temere iurauit, ebrius lętitia & delectatiōe saltantis: daturū se promisit quicquid illa puella, quæ saltādo placuerat, poposcisset. At ubi poscit rem crudelem & nefariam, contristatus est quidem. Videbat enim tantū scelus fieri: sed positus inter iurationem suam & puellæ petitionem, ubi uidebat cruentum facinus ibi rursus timebat reatum periurij. Ne deum offenderet periurando, deum offendit sæuiendo. Dicit mihi aliquis: Quid ergo debuit facere Herodes? Si dixero, non debuit iurare, quis non uideat hoc eum non facere debuisse? Sed non cōsulor de homine utrum iurare debeat, sed quid facere debeat qui iurauit. Ipsa est magna deliberatio. Temere iurauit. Quis nesciat? Tamen lapsus est, iurauit. Ecce puella petiuit caput sancti Ioannis. Quid facere debuit Herodes? Demus illi consilium. Si dixerimus, Parce Ioanni ne facias scelus: periuriū suademus. Si dixerimus noli periurare: ad scelus implendum prouocamus. Mala conditio. Antequā ueniatis ergo ad istum bicipitē laqueū, tollite de ore uestro temerarias iurationes: antequā ueniatis ad istam consuetudinem malā, moneo fratres meos, moneo filios meos. Quid opus est ut ueniatis ad hunc articulum, ubi non possumus inuenire consilium? Tamen scripturis diligentius perscrutatis occurrit mihi unum exemplum, ubi uideo pium hominem & sanctum in temerariam iurationem cecidisse: & maluisse non facere quod iurauerat, quàm iurationē suam fuso hominis sanguine implere, Cōmemoro ergo charitati uestræ, quando Saul sanctum Dauid persequebat̄ ingratus ille cum suis ibat quocunq; poterat, ne inueniretur à Saule & occideretur. Et quodam die ab homine
1.Reg.13 diuite qui uocabatur Nabal, & tondebat oues suas, petiuit sustentaculum uictus sibi & eis qui cum illo erāt: immisericors dare noluit, & quod est grauius, cōtumeliose respōdit. Iurauit sanctus Dauid eum occisurū se esse. Erat enim armatus. Et quod facile fuerat, & iustè facere ira persuadente uidebatur, incautus iurationem fudit: & cœpit ire ut faceret quod iurauerat. Occurrit Abigail uxor Nabal, & tulit ei necessaria quæ poposcerat. Supplíciter eum rogauit, flexit: & à mariti sanguine reuocauit. Iurauit temere, sed nō impleuit iurationem maiore pietate. Proinde charissimi iterū redeo ad monendos uos. Ecce sanctus Dauid, non quidem iratus, sanguinē hominis fudit: sed eum falsum iurasse negare quis poterit? De duobus peccatis elegit minus: sed minus fuit illud in cōparatione maioris. Nam per seipsum appensum, magnū malum est falsa iuratio. Prius ergo laborare debetis, & cōfligere aduersus consuetudinē uestram malam, malam, malam, & ualde malam: & tollere iurationē de oribus uestris. Si quis autē prouocauerit te ad iurationē, ut forte sic sibi æstimet satisfieri posse: si iurauerís de illa re quam putat te commisisse aut fecisse, & forsitan non fecisti: ne remaneat in illo mala suspicio, si iurauerís tu, non sic peccas quomodo ille qui te prouocauit: quia dixit dominus Iesus, Sit in ore uestro est est, non non. Si quid amplius est, à malo est. Loquebatur autem de iuratione, ubi nos intelligere uoluit ipsam iurationē à malo esse. Si ab alio prouocatus fuerís: ab ipsius malo erit quod iuras, non à tuo. Et hoc est prope à malo communi generis humani, quoniam corda nostra uidere non possumus. Nam si corda nostra uideremus, cui iuraremus? Quando à nobis exigeretur iuratio, quando uideretur oculis proximi ipsa cogitatio? Scribite in cordibus uestris quod dico, Ille autē qui hominē prouocauit ad iurationē, & scit eum falsum esse iuraturū, uincit homicidā: quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imò duas animas, & eius quē iurare prouocauit, & suam. Scis uerum esse quod dicis, & falsum esse quod ille dicit, & iurare compellis? Ecce iurat, ecce peierat, ecce perit. Tu quid inuenisti? Imò & tu peristi, qui de illius morte te satiare uoluisti. Aliquid dicam quod nunquam dixi charitati uestræ in hoc populo, quod contigit in hac ecclesia. Fuit hic homo quidem simplex, innocēs, bene fidelis, à multis uestris, id est, Hipponēsibus, imò ab omnibus cognitus, Tutuslymeni uocatus. Tutumlymeni quis uestrū non nouit qui estis ciues? Ab illo audiui qd̄ dico. Nescio quis negauit ei, uel qd̄ ei debebatur: & hominis fidei se commisit. Commotus prouocauit eum ad iusiurandum. Iurauit ille, iste perdidit: sed isto perdente ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymeni homo grauis & fidelis, ipsa nocte se exhibitū fuisse ad iudicem, & cum magno impetu atq; terrore se peruenisse ad præsidentem excelsum quendam & admirabilem uirum, cui parebat officium similiter excelsorum, istum fuisse perturbatum retro reuocari, & interrogatum fuisse his uerbis, Quare prouocasti hominem ad iurationem, quem sciebas falsum esse iuraturum? Respondit ille, Negauit mihi rem meam. Respōsum est illi, Et nonne melius erat ut rem tuam quam exigebas perderes, cū animā hominis istius falsa iuratione perimeres? Prostratus iussus est cædi. Cæsus est tam grauiter, ut in dorso euigilantis uestigia plagarū apparerēt. Sed dictū est illi, posteaquam emendatus est, Parcitur innocentiæ tuę, de cętero caue ne facias. Fecit quidem ille magnum peccatū, & emendatus est. Sed multo grauius peccatum faciet, qui post istū meū sermonem, & istam meam admonitionem, & exhortationem tale quid fecerit. Cauete à falsa iuratione, cauete à temeraria iuratione. Ab his duobus malis securissime cauebitis, si consuetudinem iurandi à uobis abstuleritis.

In natali

In natali beati Cypriani, Sermo XII

A SERMONEM à nobis debitum auribus & cordibus uestris exigit tam grata et religiosa solennitas, qua passionem beati martyris celebramus. Tristis proculdubio tūc Ecclesia fuit, non damno cadētis, sed desiderio recedentis: semper cupiens uidere præsentem tam bonum rectorem atq; doctorē. Sed quos afflixerat solicitudo certaminis, consolata est corona uictoris. Et nunc non solum sine ulla tristitia, uerumetiam cum ingenti lætitia cūcta quæ tūc gesta sunt legendo recolimus: diecq; isto gaudere nobis concessum est, non timere. Neque enim formidamus terribiliter uenientē, sed expectamus hilariter redeuntem. Placuit itaque uniuersam illam fidelissimi, & fortissimi, & gloriosissimi martyris passio-
B nem cum exultatione recordari præteritā: quam tunc fratres cum solicitudine sustinuere futuram. Primo igitur quòd pro fide cōfessionis Christi in exilium Curubin missus est, non sancto Cypriano aliquid nocitum, sed multum illi præstitum ciuitati. Quò enim ipse mitteretur, ubi ille nō esset propter cuius testimonium mittebatur? Christus ergo qui ait, Ecce ego uobiscum sum omnibus die-
Matt.28 bus usque ad consummationem seculi, in omni loco membrum suum excipiebat, quocunque furor inimici pellebat. O stulta infidelitas persequentis. Si quæris exilium quo Christianus iubeatur ire, prius si potes inueni unde Christus cogatur exire. De patria sua in alienā te arbitraris excludere homi-
C nem dei, in Christo nusquam exulem, in carne ubique peregrinum. Sed iam considerare & commemorare delectat post illud qd̄ Cyprianus non senserat, sed inimicus putabat exilium: quid ex ordine passionis ipsius consecutū sit. Cum enim Cyprianus sanctus martyr electus à deo de ciuitate Curubitana, in quā exilio pręcepto Aspasij Paterni proconsulis missus fuerat, regressus esset: in ortis suis manebat. Et inde quotidie sperabat ueniri ad se, sicut ostensum erat illi. Quid iā fremeret persecutoris impetus aduersus cor semper paratū, accedente etiam domini reuelatione firmatū? Quādo ēm desereret patientem, quem non est passus præoccupari nescientem? Iam ergo quod ad eum passioni exhibendū duo missi sunt, qui eum etiam secum in curriculū leuauerunt, in medioq; posuerunt, & hoc diuinę admonitiōis fuit: ut gaudēs recoleret ad eius se corpus ptinere, q̄ inter iniquos deputatus est. Christus nāq; inter duos latrones ligno suspensus, ad exemplū patientiæ præbebat̄. Cyprianus autem inter duos apparitores, ad passionē curru portatus Christi uestigia sequebatur. Quid illud quod quū in alium diem dilatus apud custodes esset, atque illuc se multitudo fratrum ac sororum cōgregans, pro fratribus pernoctaret, custodiri puellas pręcepit, Quanta intentione considerandum? Quanta laude prædicandum? Quanto præconio cōmendandum est? Vicina corporis morte, non moriebatur in animo pastoris uigilantia pastoralis: & cura tuendi dominici gregis usq; ad extremum uitæ huius diem mente sobria tenebatur, Nec excutiebat ab animo diligentiam fide
A lissimi dispensatoris, manus tam proxima cruenti carnificis. Ita se martyrem cogitabat futurum, ut esse non obliuisceretur episcopum: magis curans quam rationem pastorem principi de cōmissis sibi ouibus redderet, quàm quid infideli procōsuli de fide ,ppria respōderet. Amabat quippe eū, qui Petro dixerat, Amas me? Pasce oues meas. Et pa- Ioan.21
scebat oues eius, pro quibus sanguinē fundere illum imitans præparabat. Custodire puellas præcepit, sciens non solum se habere simplicē dominū: sed etiam uersipellem aduersarium. Itaq; aduersus leonem aperte frementē in confessione uirile pectus armabat, aduersus lupū insidiantē gregi sexū fœmineū muniebat. Ita uere sibi cōsulit qui deum
B iudicem cogitat, apud quem causam gestæ huius uitæ atq; ab illo sibi muneris iniuncti quisq; dictu rus est, Vbi omnis homo recipit sicut testat̄ Apo 2.Cor.5
stolus quę per corpus gessit siue in bonum siue in malū: ita sibi cōsulit q̄ ex fide uiuēs & satagens ne ab extremo pręoccupet̄ die, extremū computat omnē diē, & sic deo placitos mores perducit usq; ad extremū diem. Ita sibi beatus Cyprianus Episcopus misericordissimus & martyr fidelissimus cōsulebat, nō sicut eū lingua subdola diaboli per os possessi à se impij iudicis monere uidebatur dicens: Consule tibi. quū enim eius immobilē mentem uideret quādo ei dixit: Iusserūt te principes ceremoniari. Respōditq; ille, nō facio: adiecit & ait: cōsule tibi. Ipsa est lingua subdola diaboli: & si nō huius qui nesciebat quid loquerет, illius tamē qui
C per eum loquebat̄. Loquebat̄ ēm proconsul non tam secūdum principes homines quorū iussa sibi met iniuncta iactabat: cū secundū principē potestatis aeris de quo Apostolus dicit: Qui operatur Ephes.2
in filijs diffidentiæ: quē per huius quoq; linguam operari Cyprianus nouerat, q̄d ipse non nouerat. Nouerat, in quā, Cyprianus quū à proconsule audiret, consule tibi, qd̄ caro & sanguis diceret stolide, hoc diabolū dicere subdole: atq; intuebat̄ in uno opere duos, istū oculis, illū fide. Nolebat eum iste mori, nolebat ille coronari: ,pinde circa istum placidus, circa illū cautus. Huic aperte respondebat, illū occulte uincebat. Fac, inq̄t, qd̄ tibi præceptum est. In re tam iusta nulla est consultatio. Di-
D xerat q̄ppe ille, cōsule tibi. Ad hoc responsum est, In re tā iusta nulla est cōsultatio. Consulit ēm qui consiliū uel impertit uel quęrit. Sed ,pconsul non à Cypriano cōsiliū accipere uolebat, sed eum potius ut à se acciperet monebat: at ille, In re inq̄t, tā iusta nulla est cōsultatio. Non adhuc cōsulo, quia nō adhuc dubito: abstulit ēm mihi dubitationem ipsa iustitia. Iustus aūt ut securus moriat̄ in carne, certus uiuit in fide. Præcesserāt Cyprianum multi martyres quos flagrantissimis exhortationibus suis ad uincendū diabolū accenderat: & erat utiq; iustum ut quos uerídicus loquēdo pręmiserat, patiendo intrepidus sequerет: ergo in re tā iusta nulla est cōsultatio. Quid ad hęc dicamus? q̄d ad hæc exultemus, tanta cōceptione gaudiorū in q̄d erūpat cor nostrum & os nostrum, nisi in ipsam uene-

rabilis martyris ultimã uocem? Quum enim Galerius Maximus decretũ ex libello recitasset: in Cyprianum gladio animaduerti placet. Respondet ille, Deo gratias. Habentes igitur de re tanta memoriam præsentis loci, festiuitatem solennissimi diei, propositionẽ saluberrimi exempli, omnibus medullis nostris dicamus & nos, Deo gratias.

Sermo Augustini de uerbis domini secundum Matthæum. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere:

De martyribus, Sermo XIII.

A DMONENT nos eloquia diuina quæ
A lecta sunt timendo non timere, & non timendo timere. Aduertistis quũ sanctum Euangelium legeretur dominum deum nostrum antequã pro nobis moreretur firmos nos esse uoluisse: sed admonendo ne timeremus, & admonẽ-
Matt. 10 do ut timeremus. Ait enim, Nolite timere eos qui corpus occidunt: animam autem non possunt occidere. Ecce ubi monuit ne timeremus. Videte ubi monuerit ut timeremus. Sed eũ, inquit, timete qui potestatem habet corpus & animam occidere in gehenna. Ergo timeamus ut non timeamus. Timor uidetur ad ignauiam pertinere. Timor infirmorũ uidetur esse non fortiũ. Sed uidete quid ait scriptura. Timor domini spes fortitudinis. Timeamus, ne timeamus: hoc est prudenter timeamus ne inaniter timeamus. Martyres sancti propter quorum solennitatẽ hoc ex Euangelio recitatum est timendo non timuerunt: quia deum timendo homines cotẽpserunt. Quid enim ab hominibus homini metuendũ est? Et quid est unde alterum terreat, homo hominem? Terret & dicit, occido te: & non timet ne quũ minatur prius moriatur. Occido, inquit. Quis dicit? Cui dicit? Duos audio, unum terrentem, alterũ metuentẽ: quorum duorũ unus est potens, alter infirmus, sed ambo mortales. Quid se ergo extẽdit in honore inflatior potestas, in carne ęqualis infirmitas? Securus minetur mortẽ, qui non timet mortẽ. Si uero unde terret, timet: attendat se, & ei cui minatur comparet se. Inueniat in eo cui minatur parẽ conditionem: & à domino simul cũ illo petat miserationẽ. Homo est eẽ & homini minatur, creatura creaturæ: sed una inflata sub creatore, altera fugiens ad creatorẽ: Dicat ergo fortissimus martyr stans homo ante hominẽ. Non timeo, quia timeo: tu quod minaris si ille nolit non facis. Quod aũt ille minatur: ut faciat à nullo impeditur. Deinde tu qd minaris, & si permitteris quid facis? Vsq; ad carnem sæuis, anima tuta est. Non occides quod nõ uides: uisibilis uisibilẽ terres. Habemus ambo inuisibilẽ creatorẽ quẽ simul timere debeamus, qui hominẽ ipsum ex uisibili et inuisibili creauit: uisibilẽ de terra fecit, inuisibilẽ flatu suo animauit. Substantia ergo inuisibilis, hoc est, anima quę iacentẽ terram erexit de terra, non timet quũ percutis terrã. Potes ferire habitaculũ, nunquid habitatorem? Fugit percusso uinculo colligatus, & erit in occulto coronatus. Quid ergo minaris, qui animæ nihil facere potes? Per meritũ eius cui facere nihil potes, resurget cui facere aliquid potes. Per meritũ enim
A animæ resurget & caro: & habitatori reddetur iã non ruitura, sed mansura. Ecce uerba martyris dico, Ecce propter ipsam carnẽ meã timeo cõminãtem. Caro mea subiacet potestati, sed etiã capilli capitis mei numerati sunt creatori. Quid timeo ne carnẽ perdã qui nec capillũ perdo? Quomodo non attendit carnem meã, cui sic nota sunt uilia mea? Ipsum corpus quod percuti & occidi potest, ad tẽpus cinis erit, mortale erit. Sed cui hoc? Cui reddetur corpus ad uitã æternã etiã occisum, peremptũ, dissipatum? cui reddetur? Ei qui non timuit ponere animã suam, quũ non timet ne occidatur caro sua. Etenim fratres anima immortalis perhibetur, & est immortalis, secũdũ quendã modum suũ: quia est quædã uita quæ potest præsen
B tia sua carnem uiuificare. Per animam quippe caro uiuit. Hæc uita mori non potest: & ideo anima immortalis est. Quare ergo dixi, secundũ suũ modũ? Audite quare. Quoniã est quædã immortalitas uera, immortalitas quę est omnimoda incõmutabilitas: de qua dicit Apostolus loquens de deo. Qui solus habet immortalitatẽ, & lucẽ habi- 1. Tim. 6
tat inaccessibilẽ, quã nemo hominũ uidit, sed nec uidere potest, cui est honor & gloria in secula seculorũ, amen. Si ergo deus solus habet immortalitatẽ: certe anima mortalis est. Ecce quare dixi immortalẽ esse animã secundum modum suum. Nam potest & mori. Intelligat charitas uestra, & nulla quęstio remanebit. Audeo dicere, anima po
C test mori, potest occidi. Certe immortalis est. Ecce audeo dicere, & immortalis est, & occidi potest, & ideo dixi, quoniã est quædã immortalitas, hoc est, omnimoda incõmutabilitas, quã solus deus habet, de quo dictũ est, Qui solus habet immortalitatem. Nam si anima non potest occidi, q̃modo dixit ipse dominus quũ terreret nos, Eum time Matth. 5
te qui potestatẽ habet & corpus & animã occidere in gehenna? Adhuc cõfirmaui, non solui quæstionem. Probaui quia potest anima occidi. Cõtradici nõ potest uitę, nisi ab anima mortua. Euangeliũ uita est, impietas & infidelitas mors animę est. Ecce potest mori, et immortalis est. Quo
D modo ergo immortalis est? Quia semper aliqua uita est, quę in illa nunq̃ extinguitur. Quomodo moriẽ? Non ut nõ sit uita: sed amittendo uitã. Et enim anima & uita est alicui rei, & habet etiã ipsa uitam suam. Ordinem attende creaturarum. Vita corporis anima est: Vita animæ deus est. Sicut ad est uita corpori, id est, anima ne moriatur corpus: sic debet adesse uita animę, hoc est deus, ne moriatur anima. Corpus quomodo moritur? Anima deserente. Anima, inquã, deserente moriẽ corpus: & iacet cadauer paulò ante appetibile, modo aspernabile. Insunt mẽbra, oculi, aures: sed hæ fenestræ sunt domus, habitator abscessit. Qui plangit mortuũ, ad fenestras habitaculi frustra clamat: Nõ est intus qui audiat. Quanta dicit plangẽtis affectus, quanta enumerat, quãta cõmemorat: & quãta, ut

ita

ita dixerim, doloris insania quasi cum sentiente loquitur, quũ loquaẽ cum absente? Enumerat mo-
A res, enumerat indicia beneuolentię circa se. Tu es qui mihi illud dedisti. Illud & illud prestitisti: tu es qui sic & sic me dilexisti. Si attendas, si intelligas, si insaniã doloris premas, qui te dilexit abscessit: frustra te domus patitur pulsatorẽ, in qua non potes inuenire mãsorẽ. Redeamus ad causam quam paulo ante dicebã. Mortuum est corpus, Quare? Quia discessit uita eius, hoc est anima. Viuit corpus, & impius est, infidelis est, ad credendũ durus, ad corrigendos mores ferreus: Viuente corpore mortua est anima, per quã corpus uiuit. Tanta eẽ res est anima: ut idonea sit uitam prestare corpori etiã mortua. Tãta, inquã, res est anima, tã excellẽs creatura: ut idonea sit etiã mortua carnẽ iustifica-
B re. Nã ipsa anima impij, anima infidelis, anima peruersi, duri, mortua est: & tamen per ipsam mortuã uiuit corpus. Ideo ibi est. Mouet ad operandũ manus, ad ambulandum pedes, ad uiuendum intendit obtutum, ad audiendum auribus inclinatur, sapores diijudicat, dolores refugit, appetit uoluptates. Omnia hæc corporis uiuentis indicia, sed ex animæ præsentia. Interrogo corpus an uiuit. Respondet mihi, Vides ambulantem, uides operãtẽ, audis loquentẽ, cernis appetentem & fugiẽtem, & non intelligis corpus uiuere? Per hęc opera animę intus constitutę, intelligo corpus uiuere. Et interrogo ipsam animã, an uiuat. Habet & ipsa opera sua, per quę ostendat uitã suam. Pedes ambulãt, intelligo corpus uiuere, sed animę prę sentia. Quę
C ro utrum uiuat anima. Pedes isti ambulant. Ecce de uno motu, De uita interrogo & corpus & animam. Ambulant pedes, intelligo corpus uiuere. Sed quò ambulãt? Ad adulteriũ, inqt. Ergo mortua est anima. Sic eẽ ueracissima scriptura dixit,
1. Tim. 5 Mortua est uidua q̃ in delicijs uiuit. Quũ multum interfit inter delicias & adulteriũ, q̃modo potest anima, quę in delicijs mortua dicitur, in adulterio uiuere? Mortua est. Sed nec sic quidẽ agens mortua est. Loquẽtem audio, uiuit corpus. Non enim lingua in ore moueretur, & percuteret quibusque locis articulares sonos, nisi intus habitator esset, et quasi ad hoc organũ musicus qui lingua sua uteretur. Prorsus intelligo. Hoc modo corpus loquitur: corpus uiuit. Sed interrogo utrum & anima ui
D uat. Ecce loquiẽ corpus, uiuit. Quid loquiẽ? Quomodo dicebã de pedibus, ambulãt: ecce uiuit corpus. Quò ambulant? Et quęrebã ut intelligerẽ utrum & anima uiueret. Sic etiam quum audio loquẽtem, intelligo quia corpus uiuit. Quæro quid loquaẽ, utrũ & anima uiuat? Mendaciũ loquitur. Si mẽdaciũ loquiẽ, ergo mortua est. Vnde & hoc probamus? Ipsam ueritatẽ interrogemus, quæ ait:
Sap. 1 Os quod mentiẽ occidit animam. Quæro, Quare mortua est anima? Quod paulo ante dicebã, quę-ro, Quare mortuũ est corpus? Quia discessit uita eius anima. Quare mortua est anima? Quia deseruit eã uita eius, deus. Breuiter ergo his cognitis, scitote cerũq̃ tenete corpus mortuũ esse sine anima: animã mortuã esse sine deo. Omis homo sine deo, mortuã habet animã. Plangis mortuũ: magis
A plange impium, plange infidelem. Scriptum est, Luctus mortui, septem dies: fatui aũt & impij, omnes dies uitæ illorum. Eccl. 23 An uero nõ in te sunt uiscera Christianæ miseratiõis, ut plãgas corpus à quo discessit anima: & non plangas animã à qua recessit deus? Hoc tenẽs martyr respõdeat cõminatori. Quid me cogis? ut negẽ Christum? Ergo ut negem ueritatẽ. Si noluero, quid facis? Percutis corpus meũ, ut recedat inde anima mea, Sed ipsa anima mea ad se habet corpus. Non est imprudẽs, nõ est insipiens. Tu uis ferire corpus meũ, Vis ut quũ timeo ne ferias corpus meũ, & recedat inde anima mea, ego feriã animam meã, & recedat inde deus meus? Nõ ergo timeas martyr gladiũ percusso-
B ris: linguam tuã time, ne tu te percutias, et occidas non carnem sed animam. Animã time ne moriaẽ in gehẽna ignis. Inde ergo dominus, Quia habet potestatẽ & corpus & animam occidere in gehenna ignis. Quomodo, quando mittetur in gehennã impius ardebit? Ibi corpus, ibi anima. Mors corporis, sempiterna pœna: mors animę, dei absentia. Vis nosse quæ sit mors animæ? Intellige prophetam dicentem, Tollaẽ impius ut nõ uideat claritatem dñi. Isa. 26 Timeat ergo anima mortem suã, & non timeat mortem corporis sui. Quia si timuerit mortem suam, & uixerit in deo suo, nõ eum offendendo & à se repellẽdo: merebitur in fine recipere corpus suum non ad pœnam æternam sicut impij, sed ad uitam æternam sicut iusti. Illam mortem timen-
C tes, & illam uitam martyres diligentes, promissa dei expectantes, minas persecutorum contẽnentes: & ipsi apud deum coronari meruerunt, & nobis celebranda ista solennia reliquerunt.

In festo omniũ sanctorũ Homilia in illud Matthei, Beati pauperes spiritu: &c. Sermo XIIII.

A OLENNITATE sanctæ uirginis quę testimoniũ dixit de Christo, & testimoniũ meruit à Christo, palã occisæ, occulte coronatę: admonemur charitati uestræ de illa exhortatione loqui quam modo dominus ex Euãgelio proferebat, dicẽs multas causas beatę uitę, quã nemo est q̃ non uelit. Nemo quippe inueniri potest, qui beatus esse nõ uelit. Sed ò homines quomodo desiderãt mercedẽ, sic opus mercedis nõ recusarent. Quis nõ alacriter currat, quũ ei dicitur, beatus eris? Libenter audiat & quũ dicitur, si hoc feceris. Non recusetur certamẽ, si diligitur præmium: & accendatur animus ad alacritatẽ operis cõmendatione mercedis. Quod uolumus, quod desideramus, quod petimus, post erit: qd aũt iubemur ut faciamus, propter illud qd post erit, modo sit. Ecce incipe diuina dicta recolere, & ipsa Euãgelica
pręcepta uel munera, Beati pauperes spiritu, quo- Matt. 5
niam ipsorũ est regnũ cœlorum. Postea erit tuum regnum cœlorũ, modo esto pauper spiritu. Vis ut postea regnũ cœlorũ tuum sit? Vide modo tui pser cuius sis: Ego pauper spiritu. Quæris à me fortasse quid sit esse pauperẽ spiritu. Omis inflatus nõ est pauper spiritu. Ergo humilis paup est spiritu. Altũ est regnum cœlorũ, sed qui se humiliat exaltabiẽ.

Attẽdite quod sequitur, Beati, inquit, mites: quoniam ipsi hereditate possidebunt terram. Iam uis possidere terrã: uide ne possidearis à terra. Possidebis mitis, possideberis immitis. Nec cum audis præmium propositum ut possideas terram, extendas auaritiæ sinum, qua uis possidere modo terrã, excluso etiam utcunq; uicino tuo: non te ista fallat opinio. Tunc uere possidebis terram, quando inheseris ei qui fecit cœlum & terram. Hoc est enim esse mitem, nõ resistere deo tuo: ut in eo quod bene facis, ipse tibi placeat, nõ tu tibi: in eo quod mala iuste pateris, ipse tibi non displiceat, sed tu tibi. Neq; enim parum est quia placebis ei, displicens tibi: displicebis autem ei, placens tibi. Attende tertium. Beati lugentes quoniam ipsi consolabũtur. In luctu opus est, in cõsolatione merces est. Nam qui lugent carnaliter, quas consolationes habẽt? Molestias metuendas: ibi consolatur lugẽs, ubi timet rursus ne lugeat. Verbi gratia. Cõtristat filius elatus, lætificat natus. Illum extulit, hunc suscepit, In illo tristitia, in isto timor: in nullo ergo consolatio. Ergo illa erit uera consolatio, qua dabitur qd non amittatur: ut illi se postea gaudeant cõsolari, qui modo se lugent peregrinari. Accedat & quartum & opus & munus. Beati qui esuriunt & sitiũt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Saturari uis. Vnde? Si caro saturitatem concupiscit, digesta saturitate famem iterum patieris. Et qui biberit, inquit, ex aqua hac, sitiet iterũ. Medicamentũ quod ad uulnus ponitur, si sanauerit iam non dolet: qd autem ponitur contra famem, hoc est, esca, ita ponitur ut ad modicum releuet. Transacta enim saturitate redit fames. Accedit quidem quotidie remedium saturitatis, sed non est sanatum uulnus infirmitatis. Esuriamus ergo sitiamusq; iustitiam, ut ipsa iustitia saturemur quam nunc esurimus & sitimus: inde enim saturabimur quod esurimus & sitimus. Interior homo noster esuriat & sitiat: habet enim cibũ suũ, habet potum suum. Ego sum, inquit, panis qui de cœlo descendi. Habes panẽ esurientis, desidera & potum sitientis: Quoniã apud te est fons uitę. Attẽde qd sequitur. Beati misericordes, quoniã ipsorum miserebitur deus. Fac & fiet. Fac cum altero ut fiat tecũ, quia abundas & eges. Abundas tẽporalibus, eges æternis. Mendicum hominẽ audis, mẽdicus ipse dei es: petitur à te, & petis. Quod egeris cum petitore tuo, hoc aget deus cũ suo. Et plenus & inanis es. Imple inanẽ de plenitudine tua, ut de dei plenitudine impleatur inanitas tua. Attende qd sequit, Beati mundicordes: hoc est, qui mũdi corde sunt, quoniã ipsi deũ uidebũt. Hic est finis amoris nostri, finis quo perficiamur nõ quo cõsumamur. Finitur cibus, finitur uestis. Cibus, quia consumit edendo: uestis, quia perficit texendo. Et illud finit, & illud. Sed finis iste pertinet ad cõsumptionẽ, ille ad perfectionem. Quicqd agimus, quicqd bene agimus, quicquid nitimur, quicqd laudabiliter æstuamus, quicquid inculpabiliter desideramus, ad dei uisionem quũ uenerit plus nõ requiremus. Quid emẽ querat cui adest deus, aut quid sufficiat ei cui non sufficit deus? Videre deũ uolumus, uidere deũ quærimus, uidere deũ inardescimus. Quis non? Sed uide qd dictum est, Beati mundicordes, quoniã ipsi deum uidebunt. Hoc para unde uideas. Vt enim secundum carnem loquar, quid desideras ortũ solis cũ oculis lippis? Sani sint oculi, & erit illa lux gaudium. Non sint oculi sani, erit illa lux tormentũ. Nõ enim corde non mundo uidere permitteris, quod non uidetur nisi corde mundo. Repelleris, aufereris, non uidebis. Beati enim mundicordes, quoniã ipsi deum uidebunt. Quoties beatos iam numerauit, quas beatitudinis causas, quæ opera, quæ munera, quæ merita, quæ præmia? Nusq; dictum est, ipsi deum uidebũt. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnũ cœlorum. Beati mites: ipsi hereditate possidebunt terram. Beati lugẽtes: ipsi consolabunt. Beati esurientes & sitientes iustitiã: ipsi saturabuntur. Beati misericordes: ipsi misericordiam consequentur. Nusquam dictum est, ipsi deum uidebunt. Ventũ est ad mundicordes, ibi uiso dei ꝓmissa est. Non sine causa, nisi quia ibi sunt oculi unde uidetur deus. De his oculis Paulus loquens ait: Illuminatos oculos cordis uestri. Modo ergo isti oculi pro sua infirmitate illuminantur fide: postea pro sua firmitate illuminabuntur specie. Quandiu enim sumus in corpore peregrinamur à domino. Per fidẽ enim ambulamus nõ per speciem. Quãdiu autem in hac fide sumus quid de nobis dicitur? Videmus nunc per speciem in ænigmate: tunc autẽ facie ad faciem. Non hic corporea facies cogitetur. Nam si ascensus desiderio uidendi deum, faciem tuam præparaueris corporalem ad uidendum: talẽ faciem desiderabis & dei. Si aũt iam saltem de deo spiritaliter sapis, ut deum non cogites esse corporeũ (unde diutius heri egimus, si tamẽ aliquid peregimus) si in corde nostro tanquam in templo dei formæ humanæ fregimus simulachrũ, si iam nobis bene uenit in mentẽ & uiscera nostra interiora possedit, ubi detestat Apostolus eos q dicẽtes se esse sapientes stulti facti sunt, & immutauerũt gloriã incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: Si iam tale malum detestamini, si aduersamini, si creatori mundatis templũ suum, si uultis ut ueniat & mansionẽ apud uos faciat: Sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Videte cui dicatis, si tamẽ dicitis, si uere dicitis: Tibi dixit cor meũ, quæram faciem tuã. Dicat & cor tuum, & adde, Vultum tuum domine requiram. Bene enim requiris, quia corde requiris. Dicitur dei uultus, dicitur dei brachiũ, dicitur dei manus, dicũtur dei pedes, dicitur dei sedes, dicitur scabellum pedum eius: sed noli mẽbra humana cogitare. Si uis esse templũ ueritatis, frange idolum falsitatis. Manus dei, potentia dei. Facies dei, notitia dei. Pedes dei, præsentia dei. Sedes dei, si uis tu es. An forte negare audebis deũ esse Christũ? Non, inquis. Concedis & hoc, Christũ dei uirtutẽ & sapiẽtiã dei? Cõcedo, inquis. Audi, Anima iusti sedes est sapientię. Vbi enim sedem habet deus, nisi ubi habitat? Vbi autem habitat, nisi in tẽplo suo?

Ioan. 4 — Ioan. 6 — Psal. 35 — Rom. 1 — Sap. 1 — Psal. 26

Templum

2. Cor. 6 Templum enim dei sanctum est, quod estis uos. Vide ergo quomodo excipias deum. Spiritus est deus, in spiritu & ueritate oportet adorare deum. Iam in cor tuum si placet, intret arca testamenti: & ruat Dagon. Audi ergo nũc & disce deũ desiderare, disce unde deũ uidere possis præparare. Beati enim mundicordes, qm ipsi deum uidebũt. Quid ꝑparas oculos corporis? Si sic uidebitur, in loco erit quod uidebitur. Non est in loco qui ubiq; totus est. Munda unde uideatur. Audi & intellige, si ipso iuuante potero explicare. Adiuuet nos ad intelligendum omnia supradicta opera & munera, quẽadmodum congrua cõgruentib. apposita sint. Vbi enim dictum est de præmio q; non cõgrueret operi & consonaret? Quia humiles quasi à regno uident alieni: Beati, inquit, pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum. Quia mites homines facile excluduntur de terra sua: Beati, inquit, mites, qm ipsi hæreditate possidebunt terram. Iam cętera aperta sunt, clara sua sponte cognoscuntur: disputatore non egent, commemoratore opus habent. Beati qui lugent. Quis lugens nõ consolationem desiderat? Ipsi, inquit, cõsolabũtur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Quis esuriens & sitiẽs non satietatẽ requirit? & ipsi, inquit, saturabuntur. Beati misericordes. Quis misericors, nisi q optat ex ipso opere reddi sibi à deo uicem, ut circa se fiat quod circa pauperẽ facit? Beati, inquit, misericordes, qm ipsorum miserebitur deus. Quomodo per ipsa singula singulis propria apposita sunt, & nihil adhibitum est in præmio qd non congrueret præcepto? Præceptum est enim ut sis pauper spiritu: præmium est, ut habeas regnum cœlorũ. Præceptũ est, ut sis mitis: præmium est, ut possideas terram. Præceptum est, ut sis lugens: præmium, ut consoleris. Præceptum est, ut esurias & sitias iustitiã: præmiũ, ut satureris. Præceptum est, ut sis misericors: præmium, ut misericordiam consequaris. Sic præceptum est, ut mũdes cor: præmium, ut uideas deum. Nõ ergo ita sapias in his præceptis & præmijs, ut quum audis, Beati mundicordes, qm ipsi deum uidebunt, putes pauperes spiritu non uisuros, aut non uisuros mites, non uisuros lugentes, non uisuros esurientes & sitientes iustitiam, nõ uisuros misericordes. Non arbitreris eos tantũ quasi uisuros qui mũdo sunt corde, illis à uisione separatis. Omnia enim hæc idem ipsi sunt. Ipsi uidebunt, sed non ideo uidebunt quia pauperes spiritu sunt, quia mites sunt, quia lugentes, quia esurientes & sitientes iustitiam, quia misericordes: sed quia mundi sunt corde. Quemadmodum si corporalia opera membris corporalibus coaptaret ac diceret (uerbi gratia) quisq;, Beati qui pedes habent quia ipsi ambulabunt: beati qui manus habent quia ipsi operabũtur: beati qui uocẽ habent, qm ipsi clamabunt: beati qui os & linguam habent, qm ipsi loquent, beati qui oculos habent, ipsi em uidebunt. Sic tanquã spiritalia membra componens docuit quid ad qd pertineat. Apta est humilitas ad habendũ regnum cœlorum, apta est mansuetudo ad possidendã terram, aptus luctus ad consolationẽ, apta fames & sitis iustitiæ ad saturitatem, apta misericordia ad impetrandam misericordiã, aptum mundũ cor ad uidẽdũ deũ. Si ergo desideramus uidere deũ, oculus iste unde mundabit? Quis em nõ curet, quis non quærat unde mundet quo uidere possit quẽ toto affectu desiderat? Expressit hoc diuina testatio. Fide, inquit, mundans corda eorum. Mundat cor fides dei, mundũ cor uidet deũ. Sed quia ipsa fides aliquando ab hominibus, qui seipsos fallunt, talis determinatur, quasi sufficiat tantũmodo credere (promittunt em sibi quidã etiã conspectum dei regnumq; cœlorum credẽtes & maleuiuentes) contra hos succẽsus & spiritali charitate quodãmodo stomachãs Iacobus apostolus in epistola sua dicit, Tu credis qm unus est deus. Plaudis tibi de fide: attendis enim multos impios æstimare multos esse deos, & tu tibi gaudes credendo q; unus est deus. Bene facis. Et dęmones credunt & contremiscũt. Nunquid & ij deũ uidebunt? Videbũt qui mundo sunt corde. Quis aũt mũdicordes dicat spiritus immundos? & tamẽ credũt & cõtremiscũt. Discernẽda est fides nostra à fide dæmonũ. Fides enim nostra mundat cor, fides aũt illorum reos facit. Male quippe operant, & ideo dño dicũt, Quid nobis & tibi est? Quum audis hoc dæmones dicere, putas eos nõ agnoscere? Scimus, inquiunt, qui sis, Tu es filius dei. Dicit hoc Petrus & laudat: dicit hoc dęmõ & damnat. Vnde hoc, nisi quia uox par & cor impar? Discernamus ergo fidẽ nostram, nec credere sufficiat. Non est talis fides quæ mundat cor. Fide, inquit, mundans corda eorũ. Sed qua fide, quali fide, nisi quam definit Apostolus Paulus ubi ait, Fides quę per dilectionem operatur? Ista fides discernit à fide dęmonum, discernit ab hominũ flagitiosis ac perditis moribus. Fides, inquit. Quæ fides? Quę per dilectionem operat, sperat qd deus pollicet, Nihil ista definitiõe perpẽsius, nihil perfectius. Ergo tria sunt illa. Necesse est ut in quo est fides quæ per dilectionem operatur: speret quod deus pollicet. Comes est ergo fidei spes. Necessaria quippe spes est, quãdiu nos uidemus quod credimus: ne forte non uidendo & desperando deficiamus. Contristat nos, quia nõ uidemus: sed cõsolatur nos, quia uisuros nos speramus. Adest ergo spes, & fit comes fidei. Deinde & charitas, qua desideramus, qua pertingere conamur, qua inardescimus, qua esurimus & sitimus. Adhibetur ergo & hæc: & erit fides, spes, charitas. Quõ enim nõ erit ibi charitas, quũ nihil sit aliud charitas q; dilectio? Ipsa aũt fides definita est, quæ per dilectionẽ operatur. Tolle fidem, perit qd credis: Tolle charitatem, perit qd agis. Fidei enim pertinet ut credas: charitati ut agas. Si enim credis & non amas, non te moues ad bonum opus. Et si moues, ut seruus moues nõ ut filius: timẽdo pœnã, nõ amando iustitiam. Illa ergo fides, inq;, mundat cor quæ per dilectionem operat. Et modo ipsa fides quid agit? Tãtis testimonijs scripturarũ, tam multiplici lectiõe, tam uaria copiosaq; exhortatiõe quid agit, nisi ut uideamus nũc ꝑ speculum in ęnigmate, postea facie ad faciẽ? Sed nõ iterum tu redeas ad istã faciẽ?

2. Cor. 6 — Act. 15 — Iacobi 2 — Luca 4 — Matth. 16

tuam. Faciem cordis cogita. Coge cor tuũ cogitare diuina, cõpelle, urge, Quicquid ſimile corporis cogitãti occurrerit, abijce. Nondum potes dicere, hoc eſt: ſaltẽ dic, nõ eſt hoc. Quãdo emẽ dices, hoc eſt deus? Nec quũ uidebis, qa ineffabile eſt q̃d uidebis. Raptum ſe dicit apoſtolus in tertiũ cœlum, & audiſſe ineffabilia uerba. Si ſunt ineffabilia uerba, quid eſt cuius ſunt uerba? Cogitãti ergo tibi de deo occurrit aliqua fortaſſe in humana ſpecie mira & ampliſſima magnitudo: cõſtituiſti eã conſpectu cogitatiõis tuæ tanq̃ magnũ aliquid, ampliſſimum, grande ingentiſſima mole diffuſum. Finiſti alicubi. Si finiſti, deus non eſt. Si non finiſti, facies ubi eſt? Cogitas molem, & ut membra diſtinguas definis molem: Aliter emẽ membra diſtinguere nõ potes, niſi moli dederis finem. Quid agis ſtulta & carnalis cogitatio? Grandẽ molem feciſti: & tanto grandiorem quãto te putaſti deum amplius honorare. Addit alius unũ cubitum & facit maiorẽ. Sed legi, inquis. Quid legiſti, qui nihil intellexiſti? Et tamen dic, Quid legiſti? Non repellamus paruulũ corde ludentẽ. Dic quid legiſti. Cœlum mihi thronus eſt, terra aũt ſcabellum pedum meorum. Aio, Legi & ego: ſed tu forte potiorẽ te putas quia legiſti & credidiſti. Credo & ego q̃d dixiſti. Simul credamus. Quid dico? Simul queramus. Ecce tene q̃d legiſti, & credidiſti. Cœlũ mihi thronus eſt, id eſt, ſedes: thronus emẽ Græce Latine ſedes eſt: terra autem ſcabellũ pedum meorum. Nõ legiſti & aliud, Quis palmo mẽſus eſt cœlum? Puto te legiſſe: cognoſcis, & te credere confiteris. Ibi emẽ utrunq; legimus: utrunq; credimus. Modo iã cogita & doce me: adhibeo te doctorẽ, me paruulum facio, Doce me, obſecro te. Quis eſt qui ſedet in palmo ſuo? Ecce figuras liniamenta membrorum dei à corpore humano duxiſti. Sed forte ſurrepſit tibi, ut ſecũdum corpus putares nos factos ad imaginem dei. Interim accipio conſiderandum, diſcutiendum, requirendum, diſputando excutiendum. Si placet, audi me: quia in eo q̃d tibi placuit, audiui te. Sedet deus in cœlo, & palmo metit cœlum. Idem cœlũ ſit latum quũ ſedet, & anguſtum quum metit? An ipſe deus tantus eſt in ſedendo, quantus in palmo? Si hoc ita eſt, non ad ſimilitudinẽ ſuam nos fecit, Nos enim palmum anguſtiorẽ ualde habemus, q̃ partem corporis qua ſedemus. Ille aũt ſi tam latus eſt in palmo ſuo, q̃ latus in ſeſſiõe ſua, diſparia mẽbra nobis fecit. Non eſt iſta ſimilitudo. Erubeſcat ergo tale idolũ in corde Chriſtiano. Proinde cœlum accipe pro omnibus ſanctis: quia & terra dicitur pro omnib. qui ſunt in terra. Omnis terra adoret te. Si bene dicimus ſecundum eos qui habitant in terra, Omnis terra adoret te: bene dicimus etiã ſecundum eos qui habitant in cœlo, Omne cœlũ portet te. Nam & ſancti ipſi qui in terra habitant, carne terrã calcant, corde in cœlo habitant. Non enim fruſtra admonent ſurſum habere cor, & quũ admoniti fuerint ita eſſe reſpondent: aut fruſtra dicitur, Si conſurrexiſtis cũ Chriſto, quę ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera dei ſedẽs. Quę ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terrã. Inquantũ

Eſa.66
Eſa.40
Psalm.65
Col.3

ergo ibi cõuerſant, & ipſi deum portãt, & cœlum ſunt: quia dei ſedes ſunt. Et quũ annunciant uerba dei, Cœli enarrant gloriam dei. Redi ergo mecum ad faciẽ cordis: ipſam præpara. Intus eſt cui loquit deus. Aures, oculi, cętera membra uiſibilia, interioris cuiuſdam habitaculum uel organum ſunt. Interior eſt homo ubi habitat Chriſtus interim per fidẽ: ibi habitaturus præſentia diuinitatis ſuæ, quũ cognouerimus quæ ſit latitudo, longitudo, altitudo, profundum, cognouerimus etiã ſupereminentem ſciẽtiæ charitatẽ Chriſti, ut impleamur in omnem plenitudinẽ dei. Nunc ergo ſi tibi intellectus hic non diſplicet: aduoca te cõprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem, profundũ. Nõ diſcurras imaginatione cogitatiõis per ſpatia mũdana, & molis huius tam magnę incõprehenſibilẽ granditatem. In te attende q̃d dico. Latitudo eſt in bonis operibus, longitudo in lõganimitate & perſeuerantia bonorum operum, altitudo in ſuperna rum expectatione præmiorum: Propter quam altitudinem tibi dicit ut ſurſum cor habeas. Bene operare, & in bonis operibus perſeuera propter beneficia dei. Terrena ꝓ nihilo æſtimes: ne quum tibi aliquo ſapiẽtis illius flagello terra iſta fuerit perturbata, dicas te ſine cauſa deũ coluiſſe, ſine cauſa bona opera feciſſe, ſine cauſa in bonis operib. perſeueraſſe. Faciendo emẽ bona opera, quaſi habuiſti latitudinem. Perſeuerãdo in eis, quaſi habuiſti lõgitudinem: ſed terrena cõquirendo non habuiſti altitudinem. Attende profundũ. Gratia dei eſt in occulto uolũtatis eius. Quis emẽ cognouit ſenſum dñi? Aut quis conſiliarius eius fuit? Et iudicia tua ſicut multa abyſſus. Hanc cõuerſationẽ bene operandi, in ea perſeuerandi, ſuperna expectandi, gratiam dei occulte dãdi, ſapientia nõ ſtultitia, nec reprehendendi quare alius ſic, alius aũt ſic (non emẽ eſt iniquitas apud deũ) Hanc ergo cõuerſationẽ, ſi placet, coapta etiam cruci dñi tui. Nõ emẽ fruſtra talem mortẽ elegit, in cuius poteſtate erat uel mori uel non mori. Si in poteſtate erat mori & nõ mori, quare non in poteſtate ſic uel ſic mori. Non fruſtra ergo crucẽ elegit, ubi te huic mũdo crucifigeret. Nam latitudo eſt in cruce trãſuerſum lignum, ubi figuntur manus: propter bonorum operum ſignificationẽ. Longitudo eſt in ea parte ligni, quæ ab ipſo tranſuerſo ad terrã tẽdit. Ibi emẽ corpus crucifigit & quodãmodo ſtat: & ipſa ſtatio perſeuerãtiam ſignificat. Altitudo aũt in illo ligno eſt, q̃d ab eodem tranſuerſo ſurſum uerſus ad caput eminet, & ea ſignificatur ſupernorum expectatio. Vbi ꝓfundũ, niſi in ea parte quæ terrę defixa eſt? Occulta eſt enim gratia: & in abdito latet. Non uidet, ſed inde eminet q̃d uidetur. Poſt hæc ſi comprehenderis hæc omnia, nõ ſolum intelligẽdo uerum etiam agendo: Intellectus enim bonus omnibus qui faciunt eum: tunc iam extende te ſi potes ad agnoſcẽdam agnitionem charitatis Chriſti ſupereminentẽ ſcientię. Quum peruenerис, impleberis in omnem plenitudinem dei. Tunc erit illud facie ad faciem. Impleberis autem in omnem plenitudinem dei, non ut tui plenus ſit deus, ſed ut tu ſis plenus deo.

Psal.18
Ephes.3
Rom.11
Psal.35
2.Para.19
Rom.9

Quære

Quære ibi, ſi potes, faciem corporalem. Iam tollãt nugæ à mentis aſpectu. Abijciat paruulus ludicra, diſcat tractare maiora. Et nos in multis paruuli ſumus: & cum plus q̃ ſumus eſſemus, à maiorib. tolerati ſumus. Pacem ſectamini cum omnibus, & ſanctificationem: ſine qua nemo poterit uidere deũ. Hac enim cor mundatur: quia ibi eſt fides quæ per dilectionem operatur. Hinc beati mundicordes, quoniam ipſi deum uidebunt.

Heb.12

In feſto ſanctę crucis: In illud apoſtoli, Mihi aũt abſit gloriari, niſi in cruce &c. Sermo XV

A E C eſt Chriſtiana doctrina, humilitatis pręceptũ, humilitatis cõmẽdatio: ut nõ gloriemur, niſi in cruce dñi noſtri Ieſu Chriſti. Nam non eſt magnum in Chriſti ſapiẽtia gloriari, magnũ eſt in cruce gloriari. Vnde tibi inſultat impius, glorietur inde pius. Vnde exultat ſuperbus, gloriat Chriſtus. Noli erubeſcere de cruce Chriſti. Ideo in fronte, tanq̃ in ſede pudoris, ſignũ ipſum accepiſti. Recole frõtem tuam: ne linguam expaueſcas alienam. Signũ ueteris teſtamẽti circũciſio in latenti carne: ſignum noui teſtamẽti crux in libera fronte. Ibi occultatio eſt, hic reuelatio. Illud eſt ſub uelamine, hoc in facie: Quãdiu emẽ legitur Moyſes, uelamen ſuper cor eorum poſitũ eſt. Quare? Quia nõ tranſierũt ad Chriſtum. Cum emẽ tranſieris ad Chriſtum, auferetur uelamen: ut qui habebas in occulto circunciſionẽ, in fronte portes crucem. Non enim reuelata facie gloriam dñi ſpeculantes in eandem imaginem, inquit, trãsformamur de gloria in gloriam, tanq̃ à dñi ſpiritu. Ne tibi tribuas, ne hoc tuum putes: ne ignorans dei iuſtitiam, & tuam uolens conſtituere iuſtitiæ dei nõ ſis ſubiectus. Tranſi ergo ad Chriſtum, ò qui gloriaris de circunciſione: Inde enim uis gloriam habere, quod uerecundaris oſtẽdere. Signũ eſt, uerũ eſt. A deo præceptũ eſt: ſed occultationis ſignum eſt. Nouum enim teſtamentum in ueteri uelabat, uetus teſtamentum in nouo reuelat. Ideo ſignum ab occulto tranſeat in manifeſtum, & incipit eſſe in fronte quod latebat ſub ueſte. Nam in eo ſigno Chriſtum eſſe prænunciatum quis ambigat? Inde cultelli petrini: petra aũt erat Chriſtus. Ideo octauus dies circũciſionis, & dominicus reſurrectiõis. Ideo Apoſtolus inde tranſiẽs, inde ueniens: tranſiens ſcilicet ad dñm, ut auferat uelamen, nouit unde glorietur, Mihi aũt abſit gloriari, niſi in cruce dñi noſtri Ieſu Chriſti. Quid emẽ prius dixerat? Neq; enim qui circunciſi ſunt legem cuſtodiunt, ſed uolunt uos circuncidi, ut in carne ueſtra glorientur. Tu quid Apoſtole trãsferens ſignũ? Mihi aũt abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Hinc habeo, inquit, q̃d ignorabam. Venit teſtamẽtum nouum, reuelatum eſt quod occultabat. Qui ſedebant in umbra mortis, lumẽ ortum eſt eis. Reuelatum eſt eis quod occultabat, quod latebat in aperto eſt. Venit ipſa petra, omnes nos ſpiritu circũcidit, & ſuæ humilitatis ſignum in redemptorũ frõte defigit: iam gloriatio in cruce ſit Chriſti. Nõ nos pudeat humilitatis excelſi. Quamdiu diſcretio ciborum & carnis circunciſio, quorum deus uẽter

2 Cor.3
2 Cor.3
Rom.10
1 Cor.10
Gal.1

eſt, & gloria in pudendis eorum? Illis futura prænunciabantur, iam facta credantur. Nõ ſimus ingrati ei q uenit, ſi expectauimus ut ueniret. Sed unde Iudęi ab hac gratia extorres, alieni, fugitiui? Quia zelum dei habent, ſed nõ ſecundũ ſciẽtiam. Quã ſcientiam? Ignorãtes, inquit, dei iuſtitiã, & ſuam uolentes conſtituere: nõ tenentes deum niſi in præceptis, & ſuis uiribus ſe arbitrãtes implere poſſe pręcepta, adiutoriũ deuitarunt. Finis enim legis Chriſtus, perfectio legis Chriſtus, ad iuſtitiã omni credenti. Et quid facit Chriſtus? Iuſtificat impium. Credendo quippe in eum qui iuſtificat impium, non pium, ſed impium: faciẽs pium quẽ reperit impium. Credenti ergo in eũ qui iuſtificat impiũ, deputatur fides eius ad iuſtitiam. Si emẽ Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, tanq̃ ipſe fecerit, tanq̃ ſibi hoc ipſe pręſtiterit: habet gloriam, ſed nõ apud deum. Qui aũt gloriat in dño glorietur: & ſecurus dicat: In tua iuſtitia erue me & exime me. Eruit emẽ & eximit in ſe ſperantes: non ſuis uiribus, q̃d acceperant, tribuentes. Et hoc ipſum emẽ eſt ſapientiæ: ſcire cuius eſt donum. Quis hoc dixit? Qui rogauit deum ut daret illi cõtinentiã. Quæ iuſtitia, quę particula iuſtitiæ impleri poteſt ſine aliqua cõtinẽtia? Delectat emẽ peccare: nã ſi nõ delectaret, non fieret. Minus aũt delectat iuſtitia, aut nõ delectat, aut minus q̃ dignũ eſt delectat, Vnde hoc niſi de lãgoribus animæ? Panis in faſtidio eſt, & delectat uenenũ. Vnde iſte langor ſanabitur obſecro uos? Itane à nobiſmetipſis & per noſmetipſos, qui oẽs idonei fuimus uulnerare nos? Quis noſtrum eſt idoneus curare quod fecit? Sic & in ipſis delictis, quis nõ quum noluerit uulnerat ſe? Sed non quis quum uoluerit ſanat ſe. Sit ergo animus pius, ſit fideliter Chriſtianus, ſit gratiæ non ingratus. Agnoſcatur medicus. Nunq̃ ſe ſanat ægrotus.

Rom.16
Rom.10
Rom.4
Psal.70
Sap.8

In dedicatione Eccleſiæ:

Sermo XVI

O N A opera fideliũ de ſuo tẽporali terrenaq; ſubſtantia, quũ in theſauris cœleſtib. recõduntur, fides hoc uidet, quæ pietatis oculum habet in corde. Vnde & iſta ędificia, quæ congregandis religioſis cœtibus extruũtur, quum oculo carnis inſpexerit: laudat interius q̃d cernit exterius, & uiſibili accipit lumine ad q̃d gaudeat inuiſibili ueritate. Neq; emẽ occupata eſt fides inſpicere q̃ pulchra ſunt mẽbra huius habitatiõis, ſed de quãta interioris hominis pulchritudine procedãt hęc opera dilectiõis. Retribuet ergo dñs fidelibus ſuis tã pie tam hilariter tam deuote iſta operantibus: ut eos quoq; ipſos in ſuæ fabricæ conſtructiõe componat, quò currũt lapides uiui, fide formati, ſpe ſolidati, charitate compacti. Vbi ſapiens ille architectus Apoſtolus ſcilicet fundamentũ poſuit Chriſtum Ieſum, ſummũ ipſum lapidẽ angularẽ, ſicut & Petrus de prophetica ſcriptura cõmemorat: ab hominib. quidem reprobatum, à deo aũt electum & honorificatum. Huic adhęrẽdo pacamur, huic incumbendo firmamur. Simul enim eſt & fundamentum, quia ipſe nos regit: & angularis, quia ipſe coniungit, Ipſa eſt petra, ſuper

quam

quam uir ſapiens ædificans domũ ſuã, contra omnes huius ſeculi tẽtationes tutiſſimus perſeuerat. A
Nec pluuia irruente illabitur, nec flumine inundãte ſubuertitur: nec uentis flantibus commouetur.
Ipſe eſt & pax noſtra, qui fecit utraq; unum: in ipſo enim neq; circuncíſio quicq; ualet neq; præputium, ſed noua creatura. Hi em̃ duo tanq; parietes
ex diuerſo ueniẽtes, longe ab inuicẽ fuerãt: donec ad illũ tanq; ad angulũ ducti, etiã in illum ſibimet
copũlati ſunt. Itaq; ſicut hoc ædificium uiſibile factum eſt nobis corporaliter cõgregandis: ita illud
ædificium, q̃d nos ipſi ſumus, deo ſpiritaliter habitaturo conſtruit. Templum em̃ dei ſanctũ eſt, inq̃t
1.Cor.3 Apoſtolus, quod eſtis uos: ſi hoc nõ terrenis molibus erigamus. Hoc em̃ nunc uiſitantibus nobis, illud in fine ſeculi domino ueniente dedicabit: quã
do corruptibile hoc noſtrum induet incorruptionem, & mortale hoc noſtrũ induet immortalitatẽ,
quia corpus humilitatis noſtrę cõformabit corpori glorię ſuę. Videte em̃ quid dicat in Pſalmo dedi
Pſal.29 cationis. Conuertiſti luctũ meũ in gaudium mihi, cõcidiſti ſaccũ meũ & accinxiſti me lętitia: ut cantet tibi gloria mea & non cõpungar. Quũ em̃ ædificamur, gemit ei humilitas noſtra, quum aũt dedicabimur, cantabit ei gloria noſtra: quia in ędificatione labor eſt, in dedicatiõe lętitia. Dum cædunt̃
de mõtib. lapides, & ligna de ſyluis, dum formantur, dolant̃, coaptant̃: labor & cura eſt. Quum aũt
perfecti ędificij dedicatio celebrat̃, gaudiũ & ſecuritas laboribus curiſq; ſuccedunt. Sic etiã ædificatio ſpiritalis: cuius habitator deus, non ad tempus
ſed in ęternũ erit. Dum ex infideli uita homines ſe
greganť ad fidẽ, Dum quicquid nõ bonũ atq; per C
uerſum eſt amputat̃ & cęditur, dum fiunt aptę, pacificę pięq; iuncturę: quãtę tẽtationes timent̃, quãtę tribulationes ſuſtinent̃? Quũ uero aduenerit dies dedicationis domus ęternę, quũ dicetur nobis,
Matt.25 Venite benedicti patris mei, percipite regnũ q̃d uobis paratũ eſt ab initio mũdi: quę illa exultatio, quæ ſecuritas erit? Cantabit claritas, nec cõpungetur infirmitas. Quũ oſtẽdet ſeipſum nobis qui nos dilexit, & tradidit ſemetipſum pro nobis, Quũ apparuerit hominib. quod eſt factus in matre, apparebit eis deus factor quod erat in patre, Quũ ingredietur perfectã & ornatã, unitate ſtabilitã, immortalitate ueſtitam æternus ipſe habitator domũ ſuam, implebit omnia, fulgebit in omnibus, ut ſit deus D
omnia in omnibus. Hãc unã uiſionẽ petiuit à dño quidam: & ipſe quidã, ſi uolumus, nos ſumus. Huius deſiderio laborauit in gemitu ſuo, hinc lauit p ſingulas noctes lectũ ſuum: & lachrymis ſtratum
ſuum rigauit. Propter hanc em̃ fuerũt ei lachrymę
Pſal.41 ſuæ panis die ac nocte: dũ dicerẽt̃ ei per ſingulos
Pſal.26 dies ubi eſt deus tuus. Ipſe quippe ait, Vnam petij à dño hanc requiram, ut inhabitẽ in domo dñi per oẽs dies uitæ meæ, ut cõtempler delectationẽ dñi & protegar in templo ſuo. Ipſe habitator, ipſe habitatio. Qui em̃ habitãt in domo dei, ipſi ſunt etiã domus dei: quæ contemplat̃ delectationem eius, & protegitur in templo eius, & abſcondit̃ in abſcondito uultus eius. Hanc ſpẽ tenemus, rem nõdum uidemus: ſi aũt quod nõ uidemus ſperamus,
per patientiam expectamus & per patientiam ædificamur. Eia ergo fratres ſi reſurrexiſtis cũ Chriſto quę ſurſum ſunt quęrite, ubi Chriſtus eſt in dextera dei ſedẽs. Quę ſurſum ſunt ſapite nõ quę ſuper terrã. Ideo em̃ & Chriſtus fundamentũ noſtrũ
ibi poſitus eſt, ut ſurſum uerſus ædificemur. Sicut
enim terrenis molibus conſtruendis, quarũ grauia
corpora non utiq; niſi ad ima deuergũt in imo ponitur fundamẽtum: ſic nobis ecõtrario ſurſum eſt
poſitus lapis ille fundamentũ tale, ut ſurſum nos
rapiat etiã pondere charitatis. Alacriter ergo cum Philip.2
timore & tremore ueſtrã ipſorũ ſalutẽ operamini.
Deus enim eſt qui operatur in uobis uolẽtibus operari per bonã uoluntatẽ. Omnia facite ſine mur
B muratione: & tanq; lapides uiui coædificamini in
templum dei, & tanq; ligna imputribilia de uobis
ipſis facite domũ dei. Conquadramini, dolamini,
in laboribus, in neceſſitatibus, in uigilijs, in negocijs, ad omne opus bonũ paramini: ut in æterna uita uelut cõpage in ſocietate angelorũ requieſcere
mereamini. Iſte enim locus tẽporaliter ędificatus,
propter quorũdã neceſſitatẽ, per opera miſericordię factus eſt, nec durabit in ęternũ: ſicut & ipſa noſtra corpora nõ ſũt utiq; ſempiterna, ſed tẽporalia
atq; mortalia. Habitationem aũt habemus ex deo
domũ non manufactã, æternã in cœlis: ubi & ipſa
noſtra corpora cõuerſione reſurrectiõis cœleſtia
& ſempiterna futura ſunt. Et nunc quãuis nõdum
per ſpeciem, ſicut erit facie ad faciem, & tamẽ per
fidem habitat in nobis deus: & ei ſic habitãti habitaculũ p bona opera efficimur, quæ opera æterna
nõ ſunt, ſed ad æternam uitã perducũt. Ex quibus
eſt & hoc opus, quo iſta baſilica fabricata eſt: Non
em̃ tales fabricas ibi operabimur. Nullus ibi locus
ruituru ædificatur, quò nullus habitator moriturus ingreditur. Nunc tamen ſit bonum temporale
opus ueſtrũ, ut æterna ſit merces ueſtra. Nunc, inquam, fidei & ſpei domum ſpiritali dilectione cõſtruite in omni opere bono, quod tũc nõ erit: quia
indigentia nulla erit. Fundamenta ergo in cordibus ueſtris apoſtolica & prophetica monita iacite, humilitatem ueſtram ſicut pauimentum ſine offenſione proſternite: ſalutarem in corde ueſtro doctrinam orationib. & ſermonibus tanq; firmis parietib. cõmunite, diuinis eos teſtimonijs tanq; luminarib. illuſtrate, infirmos ſicut colũnæ ſufferte,
inopes ſicut tecta protegite: ut dñs deus noſter, p
temporalib. bonis æterna reſtituat, & uos in æternum perfectos dedicatosq; poſſideat.

In eodem feſto: Sermo XVII

QVANDO bona opera, etiã quæ propter A
deũ fiunt, hominib. oſtẽdunt̃, quũ ea faciũt boni & religioſi: nõ laudes humanę appetunt̃, ſed imitanda proponuntur. Duplex eſt
em̃ miſericordia quę fit in bono opere, Corporalis & ſpiritalis. Eſuriẽtibus, ſitientibus, nudis, peregrinis corporali miſericordia ſubuenit̃. Eadem tamen iſta quũ oſtendunt̃, & ad imitationẽ cæteros
prouocant, etiam ſpũs mentesq; paſcuntur. Alius
paſcitur opere bono, alius exẽplo bono: ambo em̃
eſuriunt

eſuriunt. Ille uult accipere unde alatur, iſte uult uidere q̃d imitetur. Monet nos de hac ueritate etiã A
ſancti Euãgelij lectio. Chriſtianis em̃ dicit̃ in deũ
credentibus, bene operantibus, ſpem uitę ęternæ
Matt.5 p bonis operib. expectantibus, Vos eſtis lux mundi: & uniuerſæ ubiq; eccleſiæ diffuſę dicit̃, Nõ po-
Eſaiæ 2 teſt ciuitas abſcõdi ſupra montẽ cõſtituta. Erit, inquit, in nouiſſimis temporibus manifeſtus mons
Dan.2 domus dñi, paratus in cacumine montiũ. Ipſe eſt
mons q ex paruo lapide creuit: & totum orbẽ crescendo impleuit. In illo ædificat̃ eccleſia, quę abſcondi nõ poteſt: neq; accendũt lucernã & ponũt
eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat
omnibus qui in domo ſunt. Bene occurrit lectio
quando candelabra dedicantur, ut ſit q operat̃ lucerna poſita in candelabro. Lucerna eſt em̃ homo B
Gal.6 qui bene operat̃. Quod autem candelabrũ? Mihi
aũt abſit gloriari, niſi in cruce dñi mei Ieſu Chriſti.
Qui ergo ſecundum Chriſtũ facit, & propter Chriſtum facit, ut non glorietur niſi in Chriſto: candelabrum eſt. Luceat omnibus, uideant quod imitentur, non ſint pigri, non auari, proſit q̃d uident.
Matt.6 Non ſint oculis uidentes & cordibus cæci. Sed ne
forte occurrat alicui quod dominus bona opera
uelut iubet abſcondi, ubi dicit, Cauete facere iuſtitiam ueſtram coram hominibus ut uideamini ab
eis, alioquin mercedẽ nõ habebitis apud patrem
ueſtrum q in cœlis eſt, debet quęſtio iſta diſſoluí:
ut nouerimus quemadmodum domino obtempe
remus, nec obtemperare illi non poſſimus cũ eum
contra iubere audimus. Hãc dicit, Luceant opera C
ueſtra coram hominibus, ut uideãt bona facta ueſtra: Hãc dicit, Cauete facere iuſtitiam ueſtram coram hominibus, ut uideamini ab eis. Vultis noſ-
quàm ſit iſta quæſtio diſſoluenda? Et niſi diſſoluatur, moleſte erit ſi remaneat inſoluta. Quidam homines faciunt bene & timent uideri: & omni ſtudio quãtum poſſunt, cooperiunt bona opera ſua.
Captant quando neminem uideant. Tunc aliquid
porrigunt, timentes ne offendãt in illud præceptũ
ubi dictum eſt, Cauete facere iuſtitiam ueſtram coram hominibus ut uideamini ab eis. Non autẽ deus iuſſit bona opera abſcondi, ſed in bonis operibus laudem humanam non cogitare. Deniq; cum
dixit, Cauete facere iuſtitiam ueſtrã coram hominibus: ubi finiuit? ut uideamini ab eis. Vt ideo faciant ut uideantur ab hominibus, hunc fructum boni operis quęrãt, hunc ferant, nihil aliud expectẽt,
nihil ſuperioris & cœleſtis cõmoti concupiſcant.
Sed ſi ideo ſolum faciat ut laudetur: hoc prohibuit
deus. Cauete facere. Quomodo? Vt uideamini ab
eis. Cauete hunc facere fructum, id eſt, uiſionem
hominum. Iubet autem uideri opera noſtra, & dicit, Nemo accẽdit lucernam & ponit eam ſub mo Lu.8.& 11
dio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat hominibus
qui in domo ſunt. Et ſic luceant opera ueſtra corã
hominibus ut uideãt, inquit, bona facta ueſtra. Et
non ibi remanſit: ſed glorificẽt, ſubiunxit, patrem
ueſtrum qui in cœlis eſt. Aliud eſt in bono opere
quęrere laudem dei. Quando quæris laudem dei,
æternam gloriam acquiſiſti. Sic ergo faciamus ut
non uideamur ab hominibus: hoc eſt, ſic faciamus
ut uiſionem hominum pro mercede non quæramus. ſed ſic faciamus, ut uidentibus & imitãtibus
gloriam dei cognoſcamus, quòd ſi nos tales nõ faceret, nihil eſſemus.

SEQVVNTVR TRACTATVS QVINQVE ERVDITI ET VTILES EX AMPLISS. D. MARTINI bibliotheca apud Louaniens. nunc primum nobis ſuppeditati, quos Eccleſiæ communicamus & legendos & expendendos: Videlicet,

De Iacob & Eſau
In prouerbia Salomonis
In orationem dominicam
De parabola ſeminantis
De capite Euangelij: Si quis uult me ſequi &c.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE IACOB ET Esau in festo sancti Vincentij martyris ad populum sermo.

Testimonium ipsius authoris de hoc sermone habetur in quæstione super Genesin 74.

Iacob autem erat homo simplex habitans domum. Quod Græce dicitur ἄπλαστος, hoc Latini simplicē interpretati sunt. Proprie autem ἄπλαστος nō fictus, unde aliqui Latini interpretes, sine dolo interpretati sunt, dicentes: Erat Iacob sine dolo habitās in domo: ut magna fit quæstio, quomodo per dolum acceperit benedictionem qui erat sine dolo. Sed ad significandum magnum aliquid quod scriptura prętermisit. Hinc enim maxime cogimur ad intelligenda illo loco spiritalia quia sine dolo erat qui fecit dolum. Vnde quid sentiremus in sermone quodam in populo habito satis diximus.

Est in Indiculo Posidonij

H ESTERNAE lectiōis debitores nos esse meminimus: sed sicut nos debemus sermonem, ita & uos debetis audientiam. Et lectio quidē illa carnaliter sonat, qui autem spiritum dei accepit, spiritaliter sapit. Dixit enim Apostolus, sapere secundum carnem mors est: & ad hoc promisit dominus spiritum paracletum ueritatis, ergo sicut promisit & misit, ut unusquisq; iam qui eum spiritum recepit, non sit temporalibus uoluptatibus seruus, sed dominus corporis factus & seruus creatoris dirigat se in uia præceptorum dei. Nec uestigia eius nutent, nec oculi eius palpitent, sed intētione fidei proficiat ut ueniat ad id quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quod creditur antequam uideatur, ut cum uenerit, qui credidit non confundatur. Intendat ergo ambulans in spe sperans quod nondum tenet, credens quod nondum uidet, amans cui nondum hæret. Exercitatio autē animę in fide & spe & charitate, facit eum idoneū capere quod uenturū est. Cum ergo carnaliter adhuc saperet Petrus turbatus ad interrogationem ancillæ, negauit dñm ter, prædixerat enim medicus ægroto quid in illo futurum erat, qui æger casus ægritudinis suæ nō nouerat, & plus de se ægrotus prę sumpserat, sed uerus medicus uidebat. Dixerat enim se cum domino & pro domino moriturum. Nondū em poterat qui infirmus erat. At ubi uenit postea spiritus sanctus missus de cœlo & cōfirmauit eos, in quos uenit: impletus ille fiducia spiritali, cœpit iam uere paratus esse mori pro eo quē ante negauerat. Hac fiducia repleti omnes martyres tenentes rectam fidem, non morientes nec patientes pro falsa fide pro uano phantasmate, pro spe inani, pro re incerta, sed pro ueritatis pollicitatione, certum habentes eum qui promisit potentē esse qui exhibeat, omnia præsentia contempserūt, in futura exarserunt. Quæ cum fuerint illis presentia, non erunt præterita.

Recordamini ergo, qui interfuistis hesterno die, duos filios Isaac, Esau & Iacob, quomodo maiori præponitur minor: ut ad Iacob pertineatis, Esau non ametis. Erit autem Esau: qui uult carnaliter uiuere, uel carnalia in futuro seculo sperare. Siue ergo carnaliter uiuens & talibus gaudēs in hoc tempore, & talia de deo sperans qualia habent & mali, & totam felicitatem suam in ipsa ponens de qua gaudent & iniqui, aut certe cōtemnens istam præsentem & talem sperans in futuro: carnalis est, carnalem fidem habens, carnalem spem, carnalem charitatem. Fides autē spiritalis est credere quod protector sit temporaliter dominus tuus, ut uenias ad illud quod temporale non erit, & sperare te habiturum uitam angelorum, non in corruptionibus carnis, non uoluptatibus & illecebris, non in fornicationibus & ebrietatibus & gaudio epularum carnalium, non in superbia possessionum dominationis terrenæ: sed tantummodo quomodo Angeli uiuunt. Viuūt autem angeli in gaudio nō creaturæ sed creatoris: Gaudiū enim creaturæ est quicquid uidetur: Gaudiū creatoris est, quod non uidetur oculis corporis, sed purgata acie mentis. Beati mundo corde. Ad quam uisionē beati sunt? quoniam ipsi deum uidebunt. Non enim putetis fratres quia gaudent angeli ex eo quia uident terram & cœlum: sed quia uident eum qui fecit cœlum & terram. Ille autem qui fecit cœlum & terrā, nec cœlum est nec terra, nec quid terrenum potest cogitari, nec quid cœleste, nec quid corporeū uel spiritale cogitare poteris. Non hoc est deus. Non tibi facias hominē aliquem grandem & pulchrum: non circunscribitur humana forma deus, non continetur loco, non tenetur spacio. Non tibi facias quasi aureum deum. Nō hoc est deus. Nā aurum unde tibi uis facere deum, ipse fecit deus, ipse fecit deus, & hoc infirmum quia in terra. Non tibi proponas quia aliquid tale est deus, quale uides in cœlo, uel lunam, uel solem, uel sydera, uel quicquid fulget & splendet in cœlo, non hoc est deus. Sed nec iterum ideo tibi non uideatur deus quod sol, quia sol tanquam rota quædam est, non immēsum lucis spacium, & dicas tibi: Ergo deus infinitę lucis est & immensæ, & quasi tendas ipsum solem, & facias illum nō habere finem, nec hac nec illac, nec sursum nec deorsum, & tamen lucem tibi immensam proponas deum, nec hoc est deus. Deus quidem habitat lucē inaccessibilem, sed talis lux nō est rota, nec potest esse nota oculis carnis. Sed si uidere potes quid est ueritas, quid est sapientia, quid iustitia, quomodo dictum est Accedite ad eū & illuminamini, quomodo est illud lumen uerum de quo dicit Ioānes: Erat lumen uerum quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mūdum, quomodo Ioannes ipse Baptista non erat lumen uerum, dicit enim Ioannes Euangelista. Non erat

erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Non solum autem Ioānes Baptista uerum lumen non erat, sed nec Paulus uerum lumē erat, nec Petrus uerum lumen erat, nec aliqui Apostoli uerum lumen erant. Etenim uerū lumen est quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Illi uero lumina erāt, quia illuminabantur: nam & oculi carnis nostræ dicūtur lumina, & unusquisq; iurat per lumina mea. Lumina ista qd sunt? si desit sol, si desit luna aut lucerna certe in tenebris remanēt. Vbi sunt lumina, uideant ante se, præbeant ducatum pedibus si lumina sunt: & tamen lumina sunt. Quare lumina sunt? Quia possunt lumen recipere, etenim cum fuerit lumen illatum, lumen ipsum non sentit frons tua, nec auris tua, nec olfactus tuus, nec manus tua, nec pes tuus sola membra in te qui uocantur oculi, sola sentiūt lumen illatum, absente lumine tenebrantur, sed illato lumine sola illuminantur, id est quia sola sentiunt lumen. Illuminantur quidem & cętera membra tua, sed ut uideri possint, nō ut uidere possint, nam lux quæ oritur uel quæ infertur omnia membra perfundit, oculos ut uideant, cætera ut uideantur. Sic omnes sancti illuminati sunt, ut uiderent: & ut quod uidebant, prædicarent. Ideo illis dictū est: Vos estis lux mundi. Sed lumen, non uerū lumen. Quare? Quia erat lumen uerum quod illuminat omnem hominem. Omnem hominem dicit. Si de isto sole diceret, non diceret omnem hominem: quia iste sol non à solis hominibus uidet. Vident illum & pecora, & minutissima animalia, & muscæ uident istū solem. Illud aūt lumen quod deus est, nemo uidet nisi de quibus dictū est: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Conamini cogitare fratres lumen ueritatis, lucem sapientiæ, quomodo ubiq; præsens est omnibus: conamini cogitare lumen iustitiæ, præsens est enim omni cogitāti. Quid enim est quod cogitat? Qui uult iniuste uiuere, peccat. Deserit iustitiam, diminuta est? Conuersus est ad iustitiam, Quid? aucta est? Deserit eam, integram eam relinquit. Conuertitur ad eam, integram illam inuenit. Quid est ergo lumen iustitiæ? De oriēte surgit, & in occidentem uadit? An est alius locus unde oritur aut quo uenit? nónne ubiq; prę sto est? Homo certe qui est in occidente si uult iuste uiuere, id est secūdum iustitiam, nūquid deest illi quam intueatur & uideat secundum ipsam iustitiam? Iterum in oriente positus si uelit iuste uiuere, id est, secundum eandem iustitiā, nunquid deest illi? Ibi enim est iustitia: prę sto est iustè uiuenti, secundum enim regulam uidet, quemadmodum iuste uiuant & illi: sicut iusti bene uiuendo eam uidēt, ita & iniusti male uiuendo non eam uident, nam & ille iustè uiuit cū eam uidet, & ille ipsam uidet ut secundum eam actus suos dirigat, quia nisi secundum iustitiæ regulā direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur: quia ergo & huic prę sto esse potuit ibi consistenti, nullo loco est & ubiq; est, sic iustitia, sic sapientia, sic ueritas, sic castitas. Conamini ergo uidere talem lucem sed non potestis, palpitat mentis acies, purgetur, ut uideat. Vt autem purgetur & uideat, credat ut purgari mereatur. Quod ergo uidere non potestis, differte ut curemini & uidere possitis, non tamen tale aliquid in futuro seculo cogitetis, quale nunc uidetis, quia si tale aliquid cogitaueritis & tale aliquid dilexeritis cum ipso mundo uultis ire extra mundum, tollere uobiscū uultis mundū. Non erunt ibi ista. Lux ibi erit quędam, unde hoc rorat nescio, quid quod modo intelligimus & gaudemus, sed si habemus benedictionem à rore cœli, habemus abundantiam à fertilitate terræ: sic est enim benedictus Iacob: ad eū pertineamus & non carnaliter uiuamus. Quia unusquisq; incipit carnaliter uiuere, ideo maior dictus est Esau. Duo testamenta dicuntur in lege, unum uetus & alterum nouum. Vetus promissiones habebat temporales, sed significationes spiritales intēdat charitas uestra. Si promissa est Iudęis terra repromissionis, significat aliquid spiritaliter terra repromissionis. Si promissa est Iudęis ciuitas pacis Hierusalem, significat aliquid nomen ciuitatis Hierusalem. Si data est Iudæis circūcisio carnis, significat aliquam spiritalem circūcisionem. Si iussi sunt Iudæi unum diem sabbatū obseruare de septem diebus, significat spiritalem quietem quæ non habet uesperam: nam & in ipsis septem diebus, in Genesi in omnibus diebus dictū est: Factum est uespera: in septimo die non dicitur facta est uespera. Septimo die qui uesperam non habet, significatur nobis requies sempiterna ubi nullus est occasus. Si data sunt sacrificia Iudæis carnalia, per uictimas carnalium omnia significātur sacrificia spiritalia. Ergo qui sic intellexerunt quasi præsens illis aliquid daretur pro magno, & futurum nihil quæsierunt, nec spiritaliter ea quæ carnaliter gerebantur intelligere ualuerunt. Ad maiorem filium pertinent, ad uetus testamentum pertinent. Vetus testamentum est promissio figurata: nouum testamentum est promissio spiritaliter intellecta. Quam enim Hierusalem quæ fuit in terra pertineat ad uetus testamentum, imaginem habet ad Hierusalem quæ est in cœlo, & pertinet ad nouum testamentum, liberatur secundum uetus testamentū populus de Ægypto, liberatur secundum nouum testamētum populus à diabolo, persecutores Ægyptij & Pharao persequūtur exeuntes de Ægypto Iudæos, persequuntur populum Christianum peccata ipsorum & diabolus princeps peccatorum. Sed sicut Iudæos usq; ad mare persequuntur Ægyptij, sic Christianos usq; ad baptismum persequuntur peccata. Intendite fratres & uidete: liberantur per mare Iudęi, obruuntur in mari Ægyptij, liberantur Christiani in remissione peccatorum, delentur peccata per baptismum, exeunt post mare rubrum & ambulant per eremum, sic & Christiani post baptismum nondum sunt in terra repromissionis, sed sunt in spe: seculum autem hoc eremus, & uere Christiano est eremus post baptismum si intelligat quod accepit. Si non solum signa corporalia in illo fiant, sed si etiam in corde spiritalis effectus intelligit sibi ere-

mum esse istum mundum, intelligit in peregrinatione se uiuere, patriam desiderare. Quamdiu autem desiderat in spe est: Spe enim salui facti sumus, spes autem quæ uidetur non est spes, quod enim uidet quis, quid sperat? si autem quod non uidemus speramus, per patientiam expectamus. Ista patientia in eremo facit aliquid sperare, si iam se putat in patria, non peruenit ad patriam: si iam se putet in patria, remanet in uia: ut autem non remaneat in uia, speret patriam, desideret patriam, ne deuiet, nam occurrunt tentationes: ita post baptismum occurrunt. Sicut enim non soli erant hostes Iudeorum Ægyptij, qui illos ab Ægypto persequebantur, ipsi enim præteriti hostes sperant, quomodo unumquemque persequitur præterita uita sua & peccata præterita sua cum principe suo diabolo: sed extitere & in eremo qui uellent impedire uiam, & pugnatum est cum illis & uicti sunt: Sic post baptismum cum cœperit ambulare Christianus uiam cordis sui in spe promissorum Dei, non deuiet. Nam occurrunt tentationes aliud aliquid suggerentes, delicias huius mundi, aliam quandam uitam, ut unumquemque de uia detorqueant & à proposito abducant. Si autem isto desiderio istas suggestiones euiceris, uincuntur hostes in uia & perducitur populus ad patriam. Audi Apostolum, quia ista figuræ nostræ fuerunt. Nolo enim (inquit) uos ignorare fratres quia omnes patres nostri sub nube fuerunt, si sub nube fuerunt, sub caligine fuerunt. Quid est, sub caligine fuerunt? non eis intelligentibus spiritaliter, quæ cum eis corporaliter agebantur. Et omnes per mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt, & omnes eundem spiritalem cibum manducauerunt. Datum est enim illis manna in desertum, sicut nobis datur dulcedo scripturarum ut duremus in isto eremo uitæ humanæ, & norunt quale manna accipiunt Christiani, quibus dixit ipse Psalmus: Gustate & uidete quàm suauis est dominus. Et omnes, inquit, eundem cibum spiritalem manducauerunt. Quid est eundem? idem significantem. & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Et attende quomodo unam rem exposuit, & cætera tacuit. Bibebant enim de spiritali sequente petra, petra autem erat Christus, hæc autem figuræ nostræ fuerunt, quia illis sunt exhibitæ, sed figuræ nostræ fuerunt, quia illis corporaliter exhibebantur, nobis spiritaliter significabantur, ergo illi qui corporaliter ea tenuerunt, ad uetus testamentum pertinuerunt. Iam uidete quia senuerat Isaac. Cuius personam gessit Isaac, quando uoluit benedicere filium suum maiorem? iam senuerat, ubi senectus, uetustas, per senectutem enim intelligo uetustatem, & per uetustatem intelligo uetus testamentum. Hoc ergo uetus testamentum quia illi non intelligebant qui sub nube fuerunt, ideo dicuntur caligasse oculi Isaac. Caligo oculorũ corporis Isaac, caliginem significat mentium Iudæorum. Senectus Isaac, uetustatem significat ueteris testamenti. Quid ergo fratres? uult tamen benedicere, & maiorem filium Esau minorem amabat mater, & maiorem pater, tanquam primogenitum: nam æqualis in ambos iustitia, sed erat charitas maior erga primogenitum. Vult ille benedicere maiorem, quia uetus testamentum primo promittebat: Promissiones non loquitur nisi ad Iudæos, ipsis uidetur promittere, ipsis omnia polliceri. Vocantur ab Ægypto, liberantur ab hostibus, per mare ducuntur, pascuntur manna, accipiunt testamentum, accipiunt legem, accipiunt promissiones, accipiunt ipsam terram repromissionis. Non mirum, quia ipse benedicere uoluit primum filium, sed sub figura maioris benedicitur minor, mater enim typum gestat ecclesiæ. Ecclesiam autem accipite fratres, non in his solis qui post domini aduentum & natiuitatem esse cœperunt sancti, sed omnes quotquot fuerunt sancti ad ipsam Ecclesiam pertinent. Non enim non ad nos pertinet pater Abraham, quia ille fuit antequã Christus nasceretur de Virgine & nos tanto post, id est, post passionem Christi facti sumus Christiani, cum dicat Apostolus: Quia filij sumus Abrahæ, imitando fidem Abrahæ. Ergo nos imitando illum ad Ecclesiam admittimur, & ipsum ab Ecclesia exclusuri sumus? Hæc Ecclesia significatur in Rebecca uxore Isaac, hæc Ecclesia erat in sanctis etiam Prophetis qui intelligebant uetus testamentum, quia promissiones illæ carnales spiritale nescio quid significabant. Si spiritale, spiritales ergo ad minorem filium, quia prior est carnalis & postea spiritalis. Iam hesterno die premisimus sanctitati uestræ, ideo maiorem filium dici Esau, quia nemo fit spiritalis nisi ex carnali, sed si perseueret in prudentia carnis, semper erit Esau, si autem fiat spiritalis est filius minor, sed ipse minor erit maior, ille enim tempore præcedit, iste uirtute. Nam cum coxisset lentem Iacob, desiderauit Esau accipere antequam ueniret ad istam benedictionem, & ille ait illi, Da mihi primogenita tua, & dabo tibi lentem quam coxi. Vendidit primogenita sua minori, abstulit ille uoluptatem temporalem, abstulit ille dignitatem sempiternam. Ergo qui temporalibus uoluptatibus seruiunt in Ecclesia, lentem manducant, quam quidem coxit Iacob, sed non manducauit Iacob, idola enim magis in Ægypto uiguerant: lens cibus est Ægypti, per lentem omnes errores gentium significantur. Quia ergo Ecclesia eminentior & manifestior in filio minore de gentibus uentura significabatur, lentem coxisse dicitur Iacob & manducasse Esau, etenim dimiserunt idola gentes, quæ colebant, Iudæi autem seruiebant idolis: nam conuersi corde in Ægyptum ducebantur per eremum, & cum interfecti essent in mari hostes eorum, & fluctibus obruti essent inimici eorum, desiderauerunt idolum facere, quia non uiderunt Mosen, & non intellexerunt secũ præsentem Deum, sed in præsentia hominis habentes spem non uiderunt oculis hominem, & putare cœperunt, quia non ibi esset Deus, cum ipse solus per Mosen tanta patraret. Quæsierunt hominem

minem oculis carnis, quia non habebant oculos cordis, unde Deũ in Mose uiderent, perdiderunt ergo primatum suum, quia conuersi corde in Ægyptum manducauerunt lentem. Accipite, populus Christianus est, sed in ipso populo Christiano illi primatum tenent, qui pertinent ad Iacob: qui uero carnaliter uiuunt, carnaliter credunt, carnaliter sperant, carnaliter diligunt, adhuc ad uetus testamentum pertinent, nondum ad nouum, adhuc in sorte sunt Esau, nondum in benedictione Iacob. Intendat sanctitas uestra, benedicere ergo uolebat maiorem filium Isaac senex caliginosis oculis, quia uetus testamentum ad Iudæos directum erat. Quod uetus testamentum non ab eis intelligebatur, ideo caliginosi oculi dicuntur. Vt dixi fratres ad maiorem loquitur, ad minorem peruenit benedictio. Etenim mater ista quæ in sanctis omnibus intelligitur, id est, Ecclesia quæ intellexit prophetiam, ipsa dat consilium filio minori, & dicit illi: Ego ipsa audiui patrem tuum dicentem fratri tuo: Vade & adfer mihi uenationem ut manducem, & benedicat te anima mea antequam moriar. Nunc ergo fili audi me. Et dedit illi consilium ut iret, ferretq; duos hœdos de proximo grege & faceret illos mater, quẽadmodum delectabatur pater eius, & manducaret, & benediceret filium suum minorem absente maiore. Ille autem timuit & ait: Frater meus pilosus est, ego autem lenis sum, ne contingat me & compalpet pater meus & intelligat quia ego sum Iacob, & acquiram non benedictionem, sed maledictionem. At illa: Vade, inquit, fili, audi me, maledictio tua super me sit. Perrexit & attulit duos hœdos, facti sunt, & apposuit patri suo, & quẽadmodum prædixit, quia non illum agnoscebat in uoce, tetigit, inuenit pilos, quia pellis hœdorum circundederat mater brachia eius, credidit maiorem esse & benedixit, In benedictione maiorem intendebat, & benedictio ad minorem perueniebat. Quid est ergo, quod sub specie maioris benedicitur minor, nisi quia sub figuris Veteris testamenti promissi populo Iudæorum, peruenit benedictio ad populum Christianorum? Attendite fratres, audiunt illi terram promissionis, audimus & nos, tanquam ad Iudæos uidetur scriptura loqui de terra promissionis, & ad nos peruenit intellectus terræ promissionis, qui dicimus Deo: Spes mea es, tu portio mea in terra uiuentium. Sed hoc ut diceremus, mater nos docuit, id est, in sanctis Ecclesia. Ipsa Prophetis docet, quemadmodum spiritaliter intelligamus ipsa promissa carnalia. Sed non posset ad nos peruenire benedictio, nisi iam mundati à peccatis, per natiuitatem regenerationis, aliorum peccata per tolerantiam portemus, genuit enim mater ambos filios, Intendite fratres, genuit unum pilosum, alterum lenem, pili peccata significant, lenitas autem mansuetudinem, id est, mundiciem à peccatis. Duo filij benedicuntur, quia duo genera benedicit Ecclesia. Quomodo duos peperit Rebecca, generantur in utero Ecclesiæ duo: unus pilosus, alter lenis, quorum diuersitatem exposuimus. Sunt enim homines qui nec post baptismum uolunt dimittere peccata sua, & ea uolunt facere, quæ antea faciebant. Verbi gratia: si faciebant fraudes, uolunt iterum fraudare, si mendacium iurabant, uolunt adhuc peierare, si circumueniebant dolis innocentes, uolunt adhuc circumuenire, si homicidia cogitabant, eadem cogitant, si fornicabantur, si inebriabantur, ea ipsa nihilominus faciunt. Ecce Esau natus pilosus. Quid facit Iacob? dicitur ei à matre. Vade, benedicat te pater tuus, & dicit: Timeo: non accedam. Sunt enim homines in Ecclesia, qui timent misceri peccatoribus, ne quasi per consortium peccatorum in unitate maculentur, & per hæreses & schismata pereãt. Quid ergo dicitur huic piloso Esau, qui non bene conuersatus est in domo? nam & hoc de illis dicitur: Erat ille agrestis uenator. Iacob autem sine dolo conuersabatur in domo, ideóque eum amabat mater, cuius conuersationem dulcem sentiebat. Ipse est Iacob qui postea appellatus est Israel, cum luctaretur cum Angelo, & hoc in magno mysterio. Benedictus appellatus est Israel, ideoq; quia sine dolo erat. Intendite fratres mei, & uidete quàm sine dolo fuerit. Nathanaelem dominus cũ uidit, quia nouerat qualis esset, ait: Ecce uere Israelita in quo dolus non est. Si ergo ideo iste Israelita quia non est in eo dolus, in ipso Israel utique non erat dolus. Quid sibi ergo uult quod dicitur: uenit frater tuus cum dolo & abstulit benedictionem? Sine dolo eum commendat scriptura conuersantem in domo, dominus etiam perhibet testimonium quia sine dolo erat, cum dicit de Nathanaele: Ecce uerè Israelita in quo dolus non est. Quid sibi ergo uult cum dicitur, accessit cum dolo & abstulit benedictionem? Dolus interim quid significet attendamus, & uideamus quid debeat facere Iacob. Portat aliena peccata, & portat cum tolerantia quamuis aliena: hoc est enim habere pelles hœdinas, id est patienter aliena portat, non hæret suis. Sic omnes qui pro unitate Ecclesiæ tolerant aliena peccata, Iacob imitantur, quia & ipse Iacob in Christo est, siquidem Christus in semine Abraham, dictum est enim: In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Dominus ergo noster Iesus Christus, qui nullum peccatum fecit, portauit aliena peccata, & dedignatur portare aliena peccata, cui peccata dimissa sunt? Sic ergo Iacob transit ad Christum post aliena peccata, id est, hœdinas pelles. Et quid est dolus? Venit enim ille sero & affert quod iussit pater, & inuenit fratrem suum benedictum pro se, & non benedicitur altera benedictione, quia duo illi homines duo populi erant, Vna benedictio, unitatem significat Ecclesiæ, duo autem populi ipsi sunt, qui est & Iacob. Sed alio modo figurati duo populi pertinentes ad Iacob. Etenim dominus noster Iesus Christus qui ad Iudæos & Gentes uenerat,

nerat, repudiatus est à Iudæis qui pertinebant ad filium maiorem, elegit quosdam tamen qui pertinebant ad filium minorem, qui spiritaliter cœperant desiderare & intelligere promissa domini, non carnaliter aliam terram, quam desiderabant accipientes, sed spiritalem illam ciuitatem desiderantes, ubi nemo nascitur carnaliter, quia nemo ibi carnaliter, nemo spiritaliter moritur.

Hanc ergo cum cœpissent desiderare, cœperunt pertinere ad Iacob, qui crediderunt in Christo, & factus est grex domini in ipsa Iudæa. Sed quid dicit dominus de ipso grege? Habeo alias oues quæ non sunt de hoc ouili, Vado adducam eas, & erit unus grex & unus pastor. Quas alias oues habet dominus Iesus Christus, nisi de Gentibus quæ accesserunt Iudæis ouibus? De Iudæis enim Apostoli, inde erant & quingenti fratres qui uiderunt Dominum post resurrectionem. Inde erat ipse Nathanael, cui perhibuit testimonium dominus, in quo dolus non esset. Inde erant centum uiginti, qui cum essent in domo, uenit spiritus sanctus ut eos perfunderet, quem promiserat discipulis. Inde erant tot millia hominum quæ legimus in Actibus Apostolorum baptizata in nomine Christi, & hi qui crucifixerant Christum. Ergo inde erant oues & multæ oues sed non solæ, habebat dominus alias de Gentibus. Ipsi duo populi tanquam de diuerso uenientes, etiam duobus parietibus significantur: Venit enim Ecclesia Iudæorum de circuncisione, uenit Ecclesia Gentium de præputio, de diuerso conuenientes in domo coniuncti sunt. Ideo Dominus dictus est lapis angularis, dicit enim Psalmus: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Dicit Apostolus: Ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Vbi est angulus, duo parietes copulantur, in in angulo duo parietes, nisi de diuerso non conueniunt: nam si ex una parte ueniunt, angulum non faciunt: duo ergo hœdi ipsi sunt duo populi, ipsa sunt duo ouilia, ipsi sunt duo parietes, ipsi sunt duo cæci qui sedebant in uia, ipsi sunt duæ naues in quas leuati sunt pisces, multis in locis scripturarum intelliguntur duo populi, sed unum sunt Iacob. Quare hœdi dicet aliquis? hœdi nostis quia peccatores sunt, nam ad sinistram erunt hœdi & ad dexteram agni, sed qui perseuerauerint, hœdi ipsi erunt ad sinistram, nam nisi prius hœdi essent, non diceret dominus: Non ueni uocare iustos, sed peccatores. Quando enim dominus conuersabatur cum peccatoribus & manducabat cum publicanis, Iudæi quasi agni, id est, quasi iusti & per superbiam magis hirci, obiecerunt domino tanquam crimen, imo discipulis eius dixerunt: Quare magister uester cum publicanis & peccatoribus mãducat? Respondit dominus: quomodo se defendit? Non est opus, inquit, sanis medicus, sed male habentibus, non ueni uocare iustos sed peccatores, uocat ergo hœdos, sed non ut perseuerent hœdi. Occidit enim illos Iacob & præparauit inde epulas patri suo, id est, ad intelligentiam spiritalem, quæ in illa benedictione habebat intelligi, quamuis figurabatur in filio maiori, ad hoc occisi sunt hœdi & manducati sunt, & traiecti in corpus unum, sic occiduntur peccata in peccatoribus, & transeunt interfecti in corpus unum Ecclesiæ, cuius Ecclesiæ figuram gerebat Petrus, quando ei dictum est: Macta & manduca. Ergo ille agrestis, iste in domo mansuetus, ille maior, iste minor, ad illum uidebantur respicere benedictiones, ad istum perueniebant, quia spiritaliter intelligenda erant, & accipienda Christianis. Ad istum benedictio perueniret nisi portaret peccata, quæ ipse iam non faciebat: intelligat itaque sanctitas uestra, quomodo sint portanda peccata. Sunt enim qui portare sibi uidentur peccata & tacent peccatoribus, iam ista simulatio detestanda est. Porta peccatorem non ut ames peccatum in illo, sed ut persequaris peccatum propter illum. Dilige peccatorem non quantum peccator est, sed in quantum homo est. Quomodo si diligis ægrum, persequeris febrem, nam si parcis febri non diligis ægrum. Dic ergo quod uerum est fratri tuo, noli tacere, quid enim aliud agimus, quàm dicere uobis quod uerum est. Noli mendaciter. Aperta ueritate dic quod uerum est, sed donec corrigatur portetur. Diuersis temporibus fieri potuerunt occisio hœdorum & portatio pellium, rem tamen significant quæ uno tempore fieri potest. Diuersis temporibus simul enim & arguit iustus peccatores, quod est hœdos occidere, & peccata eorum misericorditer tolerat, quod est pelles portare. Quantum in ipso fuit occidit hœdos, occidit peccatores, sed portabat aliena peccata & portabat cum tolerantia, benedici meruit, quia charitas omnia tolerat. Ipsa charitas est in matre, & figuram charitatis ipsius gerebat mater, quæ figura omnium Sanctorum erat, figuram charitatis gerebat, quia Sancti non sunt nisi qui habuerint charitatem. Quid enim proderit, si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam? factus sum æramentum sonans & cymbalum tinniens. Et si habuero omnem fidem ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si sciero omnia sacramenta & omnem prophetiam, & tradam corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Qualis est ergo charitas quæ sola multum prodest, si qua cætera nihil prosunt? ergo ipsa charitas dat consilium & obedit filius charitatis. Quale consilium dat? ut accipiat ille pelles hœdinas & accedat ad patrem. Maiorem quærit, & minorem benedicit: Vetus testamentum Iudæos intuetur per literam, & spiritalem eius intelligentiam Christiani in illo benedicuntur, intendat sanctitas uestra, magnum mysterium, magnum sacramentum ad credendum. Dicit Isaac: Venit frater tuus cum dolo, de homine

homine sine dolo. Sine dubio Isaac ille ut erat spiritu prophetico, nouerat quid agebatur, & ipse figuratè agebat, omnia ponit in magna altitudine sacramentorum, nam si nesciret quid ageret, irasceretur fallenti se filio. Venit maior & dicit: Ecce pater manduca, sicut iussisti mihi feci. Dicit ille: quis es tu? respondit: Ego sum filius tuus maior Esau. Et quis, inquit, ille, à quo iam manducaui? & benedixi eum, & benedictus erit. Irasci uidebatur, expectabat ab ore ipsius Esau maledictionem aliquam in fratrem, cum expectat ille maledictionem, confirmat iste benedictionem. O irasci ò indignari, sed nouerat mysterium & caligo oculorum eius corporeorum, significabat caliginem mentis Iudæorum, oculi autem cordis eius uidebant altitudinem mysteriorum. Et uenit, inquit, frater tuus cum dolo & abstulit benedictionem. Dicebamus uidete: quid est cum dolo? Dolus hic, non est dolus. Quomodo dolus non est dolus? Quomodo petra non est petra, quomodo mare dicitur, & non est mare: quia aliud significat. Sic dicitur terra, & non est terra, quia aliud significat, sic dicitur petra & non est petra quia aliud significat: sic dicitur mons & non est mons, sic dicitur Leo de tribu Iuda dominus noster Iesus Christus, & non est Leo dominus Iesus Christus, sic dicitur agnus, & non est agnus, sic dicitur pecus & non est pecus, sic dicitur uitulus, & aliud est, sic dicitur dolus & non est dolus. Quare ergo dicitur dolus quæramus, quare dicta sint illa omnia quæramus. Quare dictus est Leo? propter fortitudinem: quare dictus est petra? propter firmitatem: quare dictus est agnus? propter innocentiam: quare dictus est pecus uitulus? propter uictimam: quare dictus est mons? propter magnitudinem: quare manna? propter dulcedinem. Quare ergo dolus? iam quid sit dolus uideamus, & inueniamus quare dictus sit dolus: nouimus enim quid sit petra, & tamen dicitur de homine absurdo & duro petra, & de homine robusto & immobili dicitur petra, & ad laudem inde duxisti firmitatem, & ad uituperationem duritiam. Nouimus in petra firmitatem, & accepimus Christum petram, petra autem erat Christus. In Leone fortitudinem nouimus, & tamen Leo etiam diabolus nominatus est, in dolo quid nouimus, ut accipiamus in figura dolum, quemadmodum accipitur & mons, quemadmodum accipitur Leo, quemadmodum accipitur petra & cætera? Dolus ergo quid est? quando aliud agitur, & aliud simulatur. Quando itaq; aliud est in intentione, aliud in factis dolus dicitur. Dolus ergo in proprietate reprehensibilis, quomodo petra in proprietate. Qui dixerit petram in proprietate fuisse Christum blasphemat, quomodo uitulum qui dixerit Christum in proprietate blasphemat. Vitulus in proprietate pecus est, in figura uictima, in proprietate lapis terra obdurata est, in figura firmitas. Dolus in proprietate fraus, in figura ipsa figura, omnis enim figurata & allegorica lectio uel locutio, aliud uidetur sonare carnaliter, aliud insinuare spiritaliter. Hanc ergo figuram doli nomine appellauit. Quid est ergo, uenit cum dolo & abstulit benedictionem tuam? Quia figuratum erat quod agebatur: ideo dictum est, & uenit cum dolo: nam illi doloso homini benedictionem non conformaret, cui debebatur iusta maledictio. Non ergo erat uerus ille dolus, maxime quia non est mentitus dicendo, ego sum filius tuus maior Esau: iam enim ille pactus erat cum fratre suo, & uendiderat primogenita sua. Hoc si dixerat habere patri quod emerat à fratre, quod ille perdiderat, in istum transierat: iam enim primogeniti honor exclusus erat de domo Isaac. Primogeniti honor ibi erat, in illo non erat, qui cum uendiderat: ubi erat si non in minore erat? Ideo sciens hoc in mysterio Isaac confirmauit benedictionem, & dicit filio: Quid tibi facturus sum? & ille, benedic & me pater, non enim una tibi est benedictio. Isaac autem sciebat unam. Quare unam? aderit spiritus ut intelligatis. Videamus ipsas benedictiones, qualem benedictionem accepit Iacob, & qualem benedictionem accepit Esau. Ipse Isaac ad Iacob: tu es filius meus Esau? respondit Iacob, ego, & dixit: appone mihi, & manducabo de uenatione tua fili, & benedicat te anima mea antequam moriar, sed admoue mihi osculum: illum enim est osculatus. A pace cœpit eius benedictio, quare osculo confirmauit pacem? quia & ille propter pacem portabat aliena peccata. Et accessit & osculatus est eum: & odoratus est odorem uestis eius, stolam enim habebat fratris sui: id est, dignitatem primogenitorum, quam ille perdiderat, iste habebat. In isto iam bene olebat quod ille male perdiderat. Odoratus est odorem uestis eius, & benedixit eum, & dixit: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni quem benedixit dominus. Odorem uestimenti accepit & benedixit odorem agri, intellige Christum in mysterio interiori, & intellige uestem Christi Ecclesiam. Intelligat sanctitas uestra, multis enim modis significatur una res, id est, Ecclesiam quam significant illi duo hœdi, ipsam significat uestis ista, quia una res multis modis significatur, quæ nihil horum est per uidentiam, omnia sunt per figuram. Agnus non potest esse Leo. Leo non potest esse agnus. Dominus autem noster Iesus Christus, & leo potuit esse & agnus.

Sed quia nec leo nec agnus per uidentiam, & leo & agnus per figuram: Sic hœdi non possunt esse uestis, & uestis non potest esse hœdi: Ecclesia uero quia nec hœdi nec uestis per uidentiam, & hœdi & uestis est per figuram, & quicquid aliud dici potest. Odoratus est uestimenta eius, & dixit: ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit dominus. Ager iste, Ecclesia

Ecclesia est, probemus quia ager iste Ecclesia est: audi Apostolum dicentem fidelibus: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Non solum ager iste Ecclesia, sed & agricola Deus. Audi ipsum dominum: Ego sum uitis, uos sarmenta: pater meus agricola est. In hoc ergo agro laborans operarius & sperans mercedem sempiternam ipse Apostolus nihil sibi arrogat, nisi quantum decet operarium. Ego, inquit, plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit, itaque neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quomodo seruabit humilitatem, ut ad Iacob pertineret, ut ad ipsum agrum, id est Ecclesiam, ne amitteret stolam cuius odor erat, sicut odor agri pleni, & transiret ad superbiam Esau, carnaliter intelligens, typho plenus? Olet ergo ager de ueste filij, sed non ager ille ex se aliquid est, ideo adiecit quem benedixit dominus, & dabit tibi dominus de rore cœli desursum, & ab ubertate terræ, & multitudinem frumenti & uini, & seruient tibi Gentes, & eris dominus fratris tui, & adorabunt te filij patris tui, qui maledixerit te, maledictus erit, & qui benedixerit te, benedictus erit. Hæc benedictio Iacob, si non benediceretur & Esau nulla esset quæstio, benedicitur & ipse, sed non ipsa benedictione, nec tamen ab hac penitus aliena. Audiamus ergo quomodo benedicitur Esau: & uideamus quid interfit, inter spiritales Ecclesiæ filios & carnales, inter eos qui semper spiritaliter uiuunt, & eos qui semper carnalibus gaudijs delectantur. Respondens autem Isaac dixit ad Esau: quis ergo uenatus est mihi uenationem & intulit mihi? benedictus sit. Factum est autem ut audiuit Esau uerba Isaac patris sui, exclamauit uoce magna, & dixit: benedic & me pater, & dixit ille: uenit frater tuus cum dolo, & accepit benedictionem tuam, & dixit Esau, iustè uocatum est nomen eius Iacob. Supplantatio enim uocatur Iacob, & nec ipsa supplantatio inanis est, quia in figura accipitur quomodo dolus, non enim iam erat tanta malitia in fratre, ut uellet fratrem suum supplantare, tunc enim dictus est supplantator, quando manu fratris sui nascentis pedem tenuit, tunc supplantator est dictus. Supplantatio autem carnalium, uita spiritalium est. Omnes enim carnales, cum in Ecclesia inuident spiritalibus, supplantãt & fiunt peiores. Audi Apostolum hoc ipsum dicentem maxime, quia ibi commemorauit odorem quem hic expressit Isaac dicens: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni quem benedixit dominus: Ait ergo Apostolus, Christi bonus odor sumus in omni loco, & dicit, alijs quidem odor uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem, & ad hæc quis idoneus? id est, ut intelligat, quomodo odor mortis in mortem sumus hominum, nulla nostra culpa.

Ambulant etenim uias suas spiritales, nihil aliud norunt quàm bene uiuere, & qui innocenter uiuentibus inuident, faciunt peccata grauia, unde illos puniat Deus, & fit eis ille odor in mortem, qui est alijs odor ad uitam. Nam ipse Dominus priùs factus est odor bonus ad uitam credentibus, & odor malus ad mortem persequentibus: quia enim multi illi crediderant, inuiderunt Iudæi, & fecerunt tantum scelus occidendo innocentem sanctum sanctorum, quod si non facerent ad mortem eis non ualeret bonus odor Christi. Ergo supplantatus est Esau in benedictione patris. Respondit autem Isaac & dixit ad illum: dominum illum feci tuum, non enim aliud potuit accipere Esau quod dictum est: & omnes fratres eius seruient illi, tibi autem quid faciam fili? & dixit Esau ad patrem suum: benedic tamen & me. Cum strangulatus esset Isaac, id est, cum coactus esset. Magna res, magnum sacramentum, utinam capiamus: coactus benedicit, & quod benedicit uerum est, sed tamen coactus benedicit. Quid sit hoc attendite. Videamus ipsam benedictionem, & intelligamus quid sit coactus benedicere. Respondit autem Isaac, pater sanè Esau non est osculatus, & ait illi: Ecce à fertilitate terræ erit habitatio tua, & à rore cœli desuper. Dixit hoc & illi: ab ubertate terræ & à rore cœli, hoc ergo commune est Iacob & Esau. Quid est proprium Iacob? Seruient tibi Gentes: Quid est proprium Iacob? Omnes fratres tui tibi seruient, & qui te benedixerit benedictus erit, & qui te maledixerit, maledictus erit. Habet & iste nescio quid proprium, quod non est dictum Iacob: Et gladio uiues, & fratri tuo seruies: sed ne tolleret liberum arbitrium, iam hinc & hesterno diximus, adiecit: erit autem cum deposueris, & solueris iugum de collo tuo. Quid est: erit autem cum deposueris & solueris iugum de collo tuo? liberum tibi est si uolueris conuerti, non quasi duo eritis, sed unus Iacob. Omnes enim qui conuertuntur ab Esau ad Iacob pertinent. Similitudo unum facit, dissimilitudo diuersitatem facit. Quid ergo? A rore cœli, & à fertilitate terræ ambo habent. Seruiant tibi Gentes & fratres tui, & filij patris tui, solus Iacob habet: in gladio autem tuo uiues solus Esau. Quiddam commune habent, quædam singuli. Sunt mali in Ecclesia pertinentes ad Esau, quia & ipsi filij Rebeccæ filij matris Ecclesiæ, de utero ipsius nati, & pilosi in peccatis carnalibus perseuerantes, de illius tamen utero nati.

Habent ergo à rore cæli, & à fertilitate terræ. A rore cœli omnes scripturas omnem sermonem diuinum. A fertilitate uero terræ, omnia uisibilia sacramenta, uisibile enim sacramentum ad terram pertinet. Hæc omnia communia habent in Ecclesia & boni & mali. Nam & ipsi habent & participant sacramentis, & quod norunt fideles, à tritico & uino, habent de rore cœli, quia super omnes descendit sermo Dei de cœlo. Venit sermo Dei & irrigat, sed qui irriget & qui irrigentur

gentur attende, nam & illos irrigat & illos, id est, malos & bonos, sed illi mali bonam pluuiam in radicem spinarum conuertunt, illi autem boni ad fructum bonum pluuiam trahunt. Nam simul pluit Dominus super segetem & spinas, sed seget pluit ad horreum, spinis ad ignem, & tamen una est pluuia, sic uerbum Dei omnes compluit. Videat quisque qualem radicem habeat. Videat quisq; quo trahat pluuiam bonam, si eam trahit, ut generet spinas, nunquid ideo pluuia dei accusanda est? antequã ueniat ad radicem dulcis est pluuia illa, dulce est uerbum Dei donec ueniat ad cor malum, & conuertat ad hypocrisin, cõuertat ad radices malarũ cõcupiscentiarũ, ad peruersitates & deprauationes suas. Incipit quidem generare spinas, sed de pluuia bona, habet enim à rore cœli, & quoniam non excluduntur omnes mali à sacramẽtis dei, habet & ab ubertate terræ quod norũt illi, qui iam uoluerunt esse participes mysteriorũ fidelium. Cum ad ambos pertineãt ista, nõ tamen pertinent omnes gentes nisi ad spiritales quia ipsi pertinent ad Ecclesiam, quæ impleuit totum orbẽ terrarum. Attendite fratres & discernite quantũ potestis, uel quantũ uobis dominus dat. Omnis spiritalis uidet, quia Ecclesia per totum orbem terrarum est una uera catholica, & nihil sibi arrogat, & tolerat peccata hominum quos non potest purgare de area dominica, antequam ueniat ille ultimus uentilator qui falli non potest ut purget aream suam, & frumentum mittat in horreum, paleas autem det ad comburendum, quia ipse habet excludere paleam, & segregare à frumento & præparare horreum tritico, paleis ignem. Itaq; quia nouit tolerat peccatores in fine separandos. Per omnes gentes peccatores & omnes carnales mixti sunt spiritalibus & seruiunt eis spiritales autem non seruiunt, quia de illis proficiunt, cum ipsi deficiunt. Attendite fratres mei, dicam si possum & non timeam, non tacebo, urgeor enim ut dicam, & si mihi fortè aliqui succensuerint, sed dent ueniã, timeo enim ut dixi, timori dent ueniam, Christus neminem timuit, nos autem Christum timendo non parcimus, ne nobis dum tales nolumus contristari ille non parcat, quid uelim dicere dignamini audire, & intentissime aduertere. Acceperunt ambo à rore cœli & ab ubertate terræ Iacob & Esau, ambo illud habent quod iam diximus, cognouimus quod nostis, sed ut seruiant ei gentes, non accedit nisi Iacob, quia carnales in Ecclesia per totum orbem terrarum non seruiunt, nisi spiritalibus. Quare? quia de illis proficiunt spiritales nam ideo carnales homines serui dicuntur, & si quod nolunt faciunt, prodest tamen spiritalibus mala conuersatio carnalium, quia & ex eadem conuersatione proficiunt, & per tolerantiam coronantur. Intendat sanctitas uestra quod dicimus. Illi autem Esau non sunt datæ gentes, quia omnes carnales qui sunt in ecclesia aut diuisi sunt, aut faciles sunt ad diuisionem, ecce pars Donati inde facta est, inde est de ipsis carnalibus carnaliter sentientibus. Carnales erant, sed quia quæsierunt honorem suum, uel patientiam perdiderunt, inuenerunt aditum & diuisi sunt, amauerunt honorem suum, multum ei tribuerunt, typho superbiæ tumuerunt, non habuerunt tolerantiam, id est, non habuerunt charitatem, scriptum est enim, Charitas omnia tolerat, omnia sustinet, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam. Itaque quicquid aliud haberent, quia illud non habebãt per quod prodest quicquid habetur, diuiserunt se, & quotquot hæreses uel præcisiones & schismata facta sunt, per hos carnales facta sunt. Aut enim carnaliter senserunt & fecerunt sibi imagines phantasmatum suorum & errauerunt & reprehendit eos fides catholica, & cum arguerentur exclusi sunt foras pondere suo, aut inuenientes sibi lites & simultates cum hominibus diuiserunt. Qui se ergo diuiserunt nisi ad quos pertinet gladius ille de quo dictum est, in gladio tuo uiues? Non quia gladius non accipitur in bono, nam quemadmodum dicta sunt illa superiora, id est, quomodo accipitur lapis ille & ad firmitatem propter Christum, & ad reprehensionem propter stultum: quomodo leo dictus est Christus propter aliud, & leo dictus est diabolus propter aliud, sic accipitur gladius aliquando in bono, aliquando in malo: sed hic non sine causa non datus est Iacob, sed datus est Esau, nisi aliquid mysterij significatur in malo, quomodo & ipsa seruitus non est aliena à mysterio, id est, quod dictum est, seruies fratri tuo nam & hoc in magno mysterio dictum est. Ergo fratres qui se diuidunt ipsi habent gladium diuisionis, & in gladio suo moriuntur, & in gladio suo uiuunt. Sed quia uerum dixerat dominus: Qui gladio percutit, gladio morietur. Videte illos fratres mei qui se ab unitate præsciderunt, in quot frusta præcisi sunt. Nostis autem quot partes fecit pars Donati, nec arbitror latere sanctitatem uestram quia qui gladio percutit gladio perijt. Dictum est illi in in gladio tuo uiues, sic & illi qui non recesserunt ab Ecclesia, & tales sunt, quales si foris essent, qui enim amant honores suos, in Ecclesia omnino tales sunt, qui enim amant in Ecclesia sua commoda secularia, & ipsi palea sunt, sed uentus deest, ideo non uolant de area, hoc est, quod dico breuiter, tentatio deest, nam uolarent de area. Denique quando contra illos aliquid egerit Ecclesia, quomodo facile se præscindunt, quomodo facile extra colligunt, & nolunt dimittere principatus suos, quomodo pro ipso principatu mori uolunt, quomodo tenere uolunt sub se plebes, & non dimittere plebes unitati Christi, quomodo uolunt facere oues suas: quas suo sanguine non emerunt, ideo uiles habent quia non emerunt. Quid opus est hinc diutius disputare. Attendite illos per uniuersam Ecclesiam uidete tales, & eos qui intus sunt, & eos qui inuenta occasione

casione area uolauerunt, & uolunt secum grana trahere sed grana uera & plena tolerant paleam, & manent in area usque in finem quousque ueniat ultimus uentilator sicut ille cum pellibus hœdi nis tolerauit aliena peccata & meruit accipere benedictionem paternam. Quare autem sugillatus benedixit Isaac? Iam enim necessitate, iam coactus pater eius dixit illi, ecce ab ubertate terræ erit tibi habitatio, & à rore cœli, & ne ideo te putes bonum, in gladio tuo uiues, & fratri tuo seruies, sed ne de te desperes quia potes corrigere, eris autē cum deposueris & solueris iugum de collo tuo. Ecce ab ubertate terræ & à rore cœli accipiet, sed Isaac sugillatus proijcit illi benedictionem, non dat. Nonne fit modo in Ecclesia malis hominibus qui uolunt perturbare Ecclesiam ut tolerentur ad necessitatem ipsius pacis, ut admittantur, ut habeant sacramenta communia? & aliquando scitur quia mali sunt, & conuinci forte nō possunt ut emendentur & degradentur, ut excludantur, ut excommunicentur non possunt conuinci, si institerit aliquis, aliquando itur in diruptiones Ecclesiæ. Cogitur gubernator Ecclesiæ tanquam dicere: Ecce ab ubertate terræ erit tibi, & à rore cœli, utere sacramentis, tibi manducas iudicium, tibi bibis iudicium, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Nosti quia admitteris ex necessitate pacis Ecclesiæ, non habes in corde nisi perturbationes & diuisiones: Ideo gladio tuo uiues: nam in eo quod accipis à rore cœli & ab ubertate terræ, non tibi uiues, non enim hoc te delectat, aut suauis est tibi dominus, si enim hoc te delectaret, & suauis tibi esset dominus, imitareris humilitatem domini, non superbiam diaboli. Quamuis ergo accipiat mysterium humilitatis domini à rore cœli & ab ubertate terræ, non tamen deponit superbiam diaboli, cui nihil faciam, qui semper dissensionibus aut gaudes aut terreris, muta ergo te & tolle iugum à collo tuo. Hæc uobis fratres pro magnitudine mysteriorum forte pauca pro tempore, tamen & pro uiribus nostris & pro uestris multa dicta sunt, & si forte enucleatius hæc quęstio discussa non est, partim tamen magna mysteria quæ postea si tractentur inueniuntur. Date ueniam & angustiæ temporis, & uiribus nostris, & capacitati uestræ. Vultis plus capere, crescite: uultis crescere, bene uiuite, qui enim non uult bene uiuere, non uult crescere. Has uobis epulas exhibuerit sanctus dominus deus noster per natalitia martyris sui Vincentij. Nomen uictoriæ est. Amate autem ut uincatis, non enim deest persecutio, diabolus persecutor est, nunquam deficit occasio coronæ, tantum miles Christi intelligat pugnam, & sciet quem uincat. Nunquid quia non te urget hostis manifestus corporis, non urget persecutor occultus illecebris carnis? quanta suggerit mala, quanta per cupiditatem, quanta per timorem? quibus illecebris persuadet ut eas ad Sortilegos, ad Mathematicos quando dolet caput? Qui dimittunt deum & eunt ad ligamenta diabolica, uicti sunt à diabolo. Contra: Si cui suggestum fuerit secundum corpus, fortasse efficit remedia diaboli, unde alius sanatus esse dicitur, quia accepto ab illo sacrificio suo deserit persequi corpus quia cor obtinuit. Ergo quæcunque suggesta fuerint ista remedia scelerata, & dixerit: moriar potius, quam talibus remedijs utar: si uult deus flagellat & liberat me, si nouit quia necessarium est liberet me, si autem scit quia debeo exire de hac uita, siue contristor siue lętor sequar uoluntatem domini. Ecce enim post paruum tempus qua fronte excursurus sum ad dominum? non enim hoc mihi præstant remedia diaboli, quod præstat deus uitam æternam. Quare ergo damno animam, emo paucos dies corpori meo? Qui hæc dicit & non id, nec applicat cor suum ut faciat mala remedia, utique uincit, Vnam rem dixi exempli gratia: uidetis certè iam quanta diabolus suggerit. Videtis illum certè languere, uides anhelantem in lecto, uides uix mouentem membra, uix mouentem linguam, lassus iste diabolum uincit. Multi coronati sunt in amphitheatro pugnantes ad bestias, multi in lecto uincentes diabolum coronantur, ac uidentur non se mouere posse, & intus in corde tantas uires habent, tantam pugnam exercent, sed ubi est occulta pugna ubi occulta uictoria. Quare ista diximus fratres? ut quando celebratis natalitia martyrum, imitemini martyres, nec putetis ideo uobis deesse posse occasiones coronæ, quia modo desunt tales persecutiones. Nec modo enim desunt quotidie persecutiones à dabolo, siue per suggestionem, siue per molestias aliquas corporis. Tu tantum scito te habere imperatorem, qui iam processit in cœlum, dedit tibi uiam qua sequaris, tene te ad illum. Noli cum uiceris, per superbiam tibi tribuere, quasi de uiribus tuis luctatus fueris, sed pręsume de eo qui dedit uires ut uinceres quia ipse uicit seculum, & semper coronaris & martyr hinc exies si omnes tentationes diaboli superaueris.

FINIS TRACTATVS

TRACTATVS DIVI AVGVSTINI DE PROVERBIIS SALOMONIS, ab eo loco ubi dicit, Mulierem fortem quis inueniet: usq; Laudēt eā in portis opera eius. Prouerb. 13

RAESTABIT nobis, qui diem istum cōmendauit in sanctis suis, ut infirmitas uocis nostræ sufficiat intentioni uestræ. Hoc ideo commendaui, ut me silentio uestro adiuuare dignemini, animus enim promptus est ad uos, sed caro infirma. Et ipse animus quæcunq; forte gaudia de scriptura dei concipit, parturit: & parere quęrit, in auribus & mentibus uestris. præstate in uobis nidū sermoni. Cōmendatur enim & in scriptura turtur, quęrere nidū sibi ubi ponat pullos suos. Et hoc quod gestamus in manibus, scriptura scilicet quā uidetis, cōmendat nobis in quirendam & laudandam mulierē quandam, de qua paulo ante quū legereē audistis: magnā, habentē magnū uirū, eum qui inuenit perditā, ornauit inuentam. De hac secundum lectionis tenorē quam me portare conspicitis, pauca pro tēpore quæ dns suggerit dicam. Dies enim est martyrum: & ideo magis laudanda est mater martyrum. Iam quæ sit ista mulier, me proloquente audistis: uidete etiam ut me legente agnoscatis. Omnis nunc auditurus, quantum ex affectu uestro satis apparet, dicit in corde suo: Ecclesia debet esse. Confirmo istam cogitationem. Nam quæ potuit esse altera martyrum mater? Ita est, quod intellexistis hoc est: de qua muliere uolumus aliquid dicere, Ecclesia est. Non enim licet nobis loqui de quacunque alia muliere: quamquam & in recitatione passionis martyrum audiuimus fœminas, de quibus decenter loquamur. Sed nec eas prætermittimus, quando earum matrem laudamus. Attendite cuius membra estis: inspicite cuius filij estis. Mulierem fortem quis inueniet? Congruit diei martyrum, fortitudo mulieris: nisi enim fortis esset illa, membra eius in passione defecissent. Mulierem fortem quis inueniet? Difficile est inuenire eam, imò difficile est nescire eam. Nonne ipsa est ciuitas in monte quæ abscondi non potest? Quare ergo dictū est quis inueniet: cum dici debuerit, quis non inueniet? Sed tu ciuitatem in monte positam uides. Vt autem in monte poneretur, inuenta est quæ perierat. Quando illustrata est, quis eam non uidet? Quādo latebat, quis eam inueniret? Ipsa enim ciuitas, est una illa ouis, quam perditam quęsiuit ille pastor: & inuentam, gaudens in humeris reportauit. Ipse pastor, mons est, ouis autem in humeris eius, ciuitas in monte. Facile est ut uideas eam collocatam in monte. Quādo eam inuenies, cum lateret in uepribus, in spinis utiq; delictorum suorum? Ibi enim quæsisse magnum est: ibi inuenisse mirabile est. Hęc eius difficilis inuentio commendatur, cum dicit: Mulierem fortem quis inueniet? Quis enim quia unus: non, quia nec unus. Quomodo dictum est de ipso uiro eius, leone de tribu Iudę, de quo propheta ante prædixit. Ascendisti recumbens: utiq; in cruce. Ascēdisti, crux est: recumbens, mors est, Quid est enim ascēdisti, nisi quòd scriptum est: Et crucifixerunt eum? unde & ipse ait, Sicut exaltauit Moyses serpentem in eremo, sic exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitā æternam. Quid est recumbens? Et inclinato capite tradidit spiritum. Cum ergo & ibi diceretur: Ascendisti recumbens, secutus est: Dormisti ut leo. Dormisti sicut leo: nō fugisti sicut uulpes. Quid est dormisti sicut leo? De potestate, non de necessitate. Cū autem dictum est, dormisti sicut leo, secutus ait: Quis suscitabit eum? Quis suscitabit: neque enim nemo, sed quis hominū? Quia non nisi deus, qui eū exaltauit à mortuis: & donauit einomē, quod est super omne nomen. Suscitauit & ipse se. Vnde ait, Soluite templum hoc: & triduo suscitabo illud. Et modo quando audistis, Mulierem fortem quis inueniet, nolite putare de Ecclesia dici quæ latet, sed de illa Ecclesia quæ ab uno inuenta est, ut neminem lateret. Ergo describatur, laudetur, commendetur, amanda ab omnibus nobis ut mater: nam unius uxor est. Mulierem fortem quis inueniet? Mulierē istam tam fortem quis non uidet? Sed iam inuentam, iam eminentem, iam conspicuam, iam gloriosam, iam ornatam, iam lucidam: iam ut cito explicem, toto terrarum orbe diffusam. Preciosior est autem lapidibus preciosis, quæ eiusmodi est. Quid magnum, quia preciosior est mulier hæc lapidibus preciosissimis? Humanas auaritias cogitetis: si ad proprietatē accipiantur lapides preciosi. Quid magnū est, quod quibuslibet lapidibus preciosior inuenitur Ecclesia? Nulla talis cōparatio est: sed sunt lapides preciosi in illa. Tam preciosi sunt lapides isti, ut uiui dicantur. Sunt ergo lapides preciosi ornātes eam, sed est ipsa preciosior. Volo aliquid commendare charitati uestræ quantum capio, quantum capitis, quantum timeo, quantum timere debetis, de his lapidibus preciosis. Sunt in Ecclesia lapides preciosi, & semper fuerūt: docti, abundātes scientia, & eloquio, & omni instructiōe legis. Preciosi plane lapides isti sunt, sed ex eorū numero quidā aberrauerūt ab ornamēto mulieris huius. Quātū em pertinet ad doctrinā & eloquiū unde fulget, lapis preciosus erat Cyprianus: sed mālit in huius ornamēto. Lapis preciosus erat Donatus, sed resiliuit à cōpage ornamēti. Ille qui mansit, in ea se amari uoluit: ille qui inde excussus est, præter illam nomen sibi quæsiuit. Ille permanens cum illa, ad illam collegit: ille resiliens, non collígere sed spargere concupiuit. Mali filij, quid sequimini lapidem preciosum, de ornamentis huius multum excussum? Respondetis mihi. Quid em? Tu sic intellígens quō ille? Aut tu tam doctus es, quā ille? Sit licet intelligens: intellectus bonus, omibus facientibus eum. Sit licet doctus, licet liberalibus disciplinis & mysterijs legis instructus, lapis est preciosus, redi ab illo ad istam, preciosior est lapidibus preciosis. Lapis preciosus si nō sit in ornamēto mulieris huius, iacet in tenebris. Lapis preciosus quolibet iacet;

Gen. 49
Ioan. 3
Ioan. 19
Psal. 83
Ioan. 2

iacet in tenebris: opus illi erat ut in ornamento
huius fœminæ permaneret, & esset in compagine A
ornamenti eius. Ego autem fidenter dixerim; pre
ciosi lapides ideo dicti sunt, quia charitate ua-
lent. Iam ille uilis est: precium perdidit, qui non
habet charitatem. Doctrinam suam iactet licet,
linguam suam iactet licet: audiat æstimatorem ue
rorum lapidum matronę huius, audiat inquã quẽ-
dam artificem ornamenti inspectorem. Quid ia-
ctat linguam suam, non preciosus sed uilis lapis?
1 Cor.13 Si linguis hominum loquar, inquit, & angelorũ,
charitatem autem non habeam, factus sum æra-
mentum sonans, aut cymbalum tinniens. Cymba
lum est lapis ille: iam non fulget, sed tinnit. Ergo
discite lapides æstimare negociatores regni cœlo
rum: nullus lapis uobis placeat, præter huius mu-
lieris ornamentum. Hæc quæ preciosior est lapi-
dibus preciosis: ornamenti sui ipsa precium est.

Confidit super eam cor uiri eius. Planè confidit,
& ut confidamus docuit. Commendauit enim ec-
clesiam usque ad terminos terræ, per omnes gen-
tes, à mari usque ad mare. Hæc si non usque ad fi-
nem perseuerauerit: nõ super eam cor uiri eius cõ
fidit. Confidit super eam cor uiri eius: præscius cõ
fidit, falli non potest qui confidit. Non dictum est,
Confidit super eam cor filiorum: poterant enim fi
lij eius paruuli falli, illius cor nullum mendacium
decipit. Verum est ergo quòd confidit. Quæ talis
est, Spolijs non indigebit. Non quia non quę-
rit spolia, ideo nõ indigebit: sed quia multis abun
dabit. Quæ talis est, spolijs non indigebit: undiq;
spoliat mundum, ubique diffusa: rapit undiq; tro-
phæa diabolo. Hoc enim & promisit uir eius, cui
Psal.118 dicit in alio Psalmo: Exulto ego in uerbis tuis, si-
cut qui inuenit spolia multa. Quẽadmodum spo-
lijs indiget, quæ undiq; rapit, undiq; trahit, undiq;
acquirit? Operatur enim uiro suo bona & non
mala, in omni tempore. Hinc est quòd expoliat
mulier ista gentes: operando uiro suo bona, & nõ
mala. In omni tempore operatur bonum & non
malum: nec sibi, sed uiro: ut quæ uiuit iam sibi nõ
uiuat, sed ei qui mortuus est pro omnibus & resur
rexit. Viro ergo operatur bonum, coram deo o-
peratur bonum: illi seruit, illi deuota est, illum di-
ligit, illi placere semper studet. Non se ornat, nec
propter oculos suos, nec propter oculos alienos.
Non est de sibi placentibus, non est de sua quæ-
rentibus, operatur enim uiro suo. Qui autem sibi
operãtur, omnes sua quærunt, non quæ Iesu Chri
sti. Inueniens lanam & linum, fecit utile mani-
bus suis. Lanificam & linificam matronam istam
sanctus sermo describit. Quæritur autem à nobis
quid sit lana, quid sit linum. Lanam carnale ali-
quid puto: linum, spirituale. Hon conijcere au-
deo, ex ordine uestimẽtorum nostrorum, interio-
ra sunt enim linea uestimenta: lanea exteriora.
Quicquid carne operamur, in promptu est, quic-
quid spiritu, in secreto. Operari enim carne & nõ
operari spiritu, quamuis bonum uideatur, utile
non est. Operari autem spiritu, & non operari car
ne: pigrorum est. Inuenis hominem porrigen-
tem manum uel eleemosynam pauperi, nec tamẽ
de deo ibi cogitantem, sed hominibus placere A
cupientem: Lanea uestis uideri potest, interiorem
lineam non habet. Inuenis alium dicentem tibi,
sufficit mihi in cõscientia deum colere, deum ado
rare: quid mihi opus est aut in Ecclesiam ire, aut
uisibiliter misceri Christianis? lineam uult habere
sine tunica. Non nouit neq; commendat talia o-
pera mulieris. Docenda sunt quidem & dicenda
spiritualia carnalibus: sed illi qui accipiũt debent Lucæ17
& tenere spiritualia, & non carnaliter operari car-
nalia. Inuenit hæc mulier lanam, linum, & fecit uti
le manibus suis. Lanæ istæ & linum hoc, in scriptu
ris sanctis est. Multi inueniunt, sed nolunt facere
aliquid utile manibus suis. Inuenit & fecit. Cum
auditis, inuenitis: cum bene uiuitis, facitis. Inueni-
B ens lanam & linum, fecit utile manibus suis. Vide
te illam cui dicitur: in dexteram & sinistram exten
de, semen enim tuum hæreditabit gentes. Non est
quod parcas, porrige longius funiculos tuos. Vi-
dete illam. Facta est quasi nauis, quia negocia-
tor à longe congerit sibi diuitias. Diuitiæ mulie-
ris huius: laudes uiri eius. Videte quàm à longe cõ
gerit sibi diuitias. A solis ortu usque ad occasum: Psal.112
laudabile nomen domini. Exurgit de nocti-
bus, & dedit escas domui, & opera ancillis. Exur-
git de noctibus. Quid ualent noctes? Non eam
premunt, non eam in tenebris iacere cogunt. Et
de noctibus exurgit. Noctes, tribulationes sunt.
Sed cui hæc? Et de noctibus consurgit, & in tri-
bulationibus proficit. Et dedit escas domui, in no
C ctibus prębuit se imitandam: faciẽs docuit, quod
faciendum dixit, & tunc dedit eis escas. Quis cõ-
edat de nocte? Prorsus & tunc dedit escas: qui-
bus enim dedit, semper esuriunt. Beati enim qui Matt.5
esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabun-
tur. A nocte spiritus meus uigilat ad te deus. Me Esa.26
dia nocte surgebam ad confitendum tibi. Hæc ali Psal.118
menta nocturna, abundant in domo mulieris hu-
ius. Nemo ibi famem patitur, nec palpat ut inue-
niat quod manducetur. Ardet lucerna Prophe-
tiæ. Sed nunquid manducandum est & uacan-
dum? Illa enim quæ dedit escas domui, dedit &
opera ancillis. Ancillæ istæ ipsius sunt, an uiri ei-
us? An quia uiri ipsius sunt, & ipsius sunt? An
multæ ancillæ, ipsa est? Ipsa enim quanquam ma-
D terfamiliâs, tamen ancillam se non dedignatur.
Attendat precium suum, diligat dominum suum.
Agnoscat inquam se ancillam, nec timeat condi-
tionem. Nec enim dedignatur ille coniugem fa-
cere, quam tanti emit. Et unaquæque coniunx
bona, maritum suum dominum uocat. Prorsus
non solum uocat, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc ge
stat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimo-
niales instrumenta emptionis suæ deputat. Est er-
go ancilla, dans opera ancillis. Est ancilla, eius
enim filius, eius est seruus. Quidam, Ego ser- Psal.115
uus tuus, & filius ancillæ tuæ. Quæsiturus eras
quid agat illis operibus tuis etiam nocturnis: au-
di quid agat. Prospiciens agrum mercata est.
Prospiciens, non in præsenti sed in futuro, mer-
cata

cata est agrum istum. Prospiciens fide, spe: in-
Rom.8 de & de noctibus surgit. Si enim quod non uidemus speramus, per patientiam expectamus. A
In omnibus tribulationem patiens, prospicit a-
grum quem mercatur. Inde mulier fortis dicitur.
Quid sunt noctes illæ præ agro illo? Quòd enim
ad præsens temporale est & leue tribulationis no
stræ (cum de noctibus surgimus) in incredibilem
modum æternum gloriæ pondus operatur in no-
2.Cor.4 bis, cor habentibus ad agrum illum, non respi-
cientibus quæ uidentur, sed quæ non uidentur.
Quæ enim uidentur, temporalia sunt: quæ autem
non uidentur æterna. Qualis est ager ille? Quæ
pulchritudo eius est? Inardescamus ad eum pos-
Psal.94 sidendum. Putamus non ipse est, de quo dixit de-
us, Et species agri mecum est? Prospiciens a-
grum mercata est. Vnde mercata est? Ne forte B
tu desperes & suspires, & nihil agas, ager iste seg-
nem amatorem non amat. Ibi certe cum ad eum
ueneris, forsitan requiesces: nec opus erit ut la-
bores, Non enim est talis ager ille, qualis iste, ubi
Adam in sudore uultus sui comedit panem suum.
Prospiciens agrum mercata est. Habet ibi agrum.
Vbi agrum? Vbi mercata est, ubi posuit & the-
saurum suum, ut fieret ei, Vbi est thesaurus tuus,
ibi & cor tuum. Modo tamen ut ad illius agri spe-
ciem peruenias: compara tibi, unde compares a-
grum ibi. Quid? Collige precium. Hoc enim
agit hæc mulier. Vide si tacitum est, cui dictum
est, prospiciens agrum mercata est. Tanquã di-
ceres unde mercata est? De fructibus autẽ ma-
C nuum suarum plantauit possessionem. Ipsa erant
opera quæ dabat ancillis, ut de fructibus manu-
um suarum plantaret possessionem in æternum.
Illam enim possessionem dixit, quæ futura est.
Hoc insinuat uerbo quod ait, prospiciens. Suc-
cincta fortiter lumbos suos: firmauit brachia sua.
Vere fortis. Vide si non est ancilla. Quam deuo-
tè seruit, quam parate: ne fluitantes sinus carna-
lium cõcupiscentiarum, impediant operantem,
Succingit lumbos: ut nihil superfluum calcet,
dum in opere festinat. Ibi enim castitas mulieris
huius, zona præcepti constricta, & ad omne o-
pus bonum semper parata. Succincta fortiter lum
bos suos: firmauit brachia sua non defectura. Vn-
de hoc? Gustauit quia bonum est operari. Vbi
est palatum quo gustatur hoc? Fugiunt homines
laborem, quasi amarum: timendo gustare, nesci-
D unt quid amare. Bonum opus facit conscientia
bona. Et quid dulcius fratres conscientia bona?
Quæ si non est, & male pungit: amara sunt om-
nia. Gusta ergo gusta, & uidebis quomodo sapi-
at, quàm te delectabit, quàm postea non desines,
nisi totum consumas. Gustauit quia bonum est
operari. Non extinguetur lucerna eius tota no-
Matt.5 cte. Nemo accendit lucernam & ponit sub mo-
Psal.17 dio. Tu illuminabis lucernam meam domine. Lu
cerna eius, spes eius. Ad illam operatur omnis
homo, quicquid boni ad spem facit. Et in nocte
ardet lucerna ista. Quod enim non uidemus spe-
ramus: ideo nox est. Si autem & non uidemus,
& non speramus: & nox est, & lucerna non ar-
det. Quid infœlicius talibus tenebris? Vt au-
tem non deficiamus in tenebris, & per patienti-
am expectemus: quod non uidemus, speramus.
Tota nocte ardeat lucerna nostra. Qui enim no
bis quotidie loquitur uerbum: tanquam oleum
infundit, ne lucerna extinguatur. Manus suas ex
tendit ad utilia. Quantum extendit has manus?
A mari usque ad mare, & à flumine usque ad ter- Psal.71
minos orbis. Quo peruenit? Vnde non frustra
dictum est: In dexteram & sinistram extende. Ex- Esa.54
tendit manus suas, sed ad utilia. Brachia quoq;
firmauit sua in fusum. Non ab infundendo: sed in
illud instrumentum lanificij, quod uocatur fusum.
De fuso isto, quod dominus donat dicam: neque
enim ista lanificia sunt à uiris aliena. Audite quid
B sit, brachia sua firmauit in fusum. Potuit dicere in
colum. Fusum dixit, forte non frustra: quamuis
possit uideri nec absurde intelligi, de fuso lani-
ficium significatum, de lanificio bonum opus,
tanquam castæ mulieris, & matronæ impigræ
& diligentis. Tamen ego charissimi in isto fuso,
quod intelligo non tacebo. Omnis qui uiuit
in bonis operibus in sancta Ecclesia, non negle-
ctor sed effector præceptorum dei quid facit cras
nescit, quid fecerit hodie scit. De futuro opere
timet, de præterito gaudet. Et ut perseueret in
bonis operibus uigilat: ne forte negligens futu-
rorum, perdat præteritum. In orando tamen do-
mino, in omni deprecatione sua, non habet fir-
C mam conscientiam de opere futuro, sed de præ-
terito: ex eo quod fecit, non ex eo quod facturus
est. Iam ergo si hoc uerum esse mecum uideris: at-
tendite in lanificio duo instrumenta ista, colum
& fusum. In colo lana inuoluta est: quæ filo du-
cenda & nenda transeat in fusum. Quod in colo
est inuolutum, est futurum: quod in fuso collectũ
est, iam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso
est, non in colo. In colo enim est quod facturus
es, in fuso quod fecisti. Vide ergo si aliquid ha-
bes in fuso, ubi firmentur brachia tua. Vbi erit
fortis conscientia tua ibi securus eris: Deo enim
dices, Da, quia dedi: dimitte, quia dimisi: fac quia
feci. Non enim petis precium nisi opere gesto;
non gerendo. Quicquid ergo operaris, totus a-
nimus ad fusum sit: quia & quod pendet in colo
ad fusum trajciendum est, non autem illud quòd
D collectum est in fuso, ad colum reuocandum est.
Ergo uide quid agas, ut habeas in fuso, ut bra-
chia tua firmes in fusum, ut totum coletur ad fu-
sum, ut habeat aliquid fusum quod te consoletur,
quod te confirmet, quod tibi det fiduciam depre-
candi & sperãdi promissa. Et quid agam? forte di
cis. Quid me iubes habere in fuso? Audi quid se-
quitur. Manus aũt suas aperuit pauperi. Eia nõ
nos pudeat lanificium sanctum docere. Vos uide
te si quis habet plenum saccellum, plenum horre-
reum, plenam apothecã. Omnia ista in colo sunt,
transeant in fusum. Videte quõ neat, imò uidete
quomodo neet. Dum omnes instruunt, grãmatí-
ci nõ timeant. Manus aũt suas aperuit pauperi,
fructum

fructum autē porrexit inopi. Manus pauperi, fructus inopi est. Quidā pauper, manus tuas quærit: & quidam inops, fructum tuum quærit. Qui uero non uult à te nisi q̃ necessitati suæ poscit, pauper
2 Cor.6 est, manus tuas quęrens. Est aūt alius inops qui dicit: Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Nō quasi necessitati suæ uult satisfieri de dato tuo, sed tanquam in arbore dominica quam plantauit & rigauit fructum quærit. Ipsum audi de quibusdam dicentem, cum de talibus loqueretur. Non quia
Philip.4 quæro datum, sed requiro fructum. Non est solicitus de his quæ in domo sunt uir eius, cum alicubi demoratur. Non est solicitus quæ in domo sunt uir eius, quia nouit dominus qui sunt eius. Quomodo sit solicitus: quando quos prædestinauit ipsos & uocauit, & q̃s uocauit ipsos & iustificauit,
Rom.8 quos iustificauit ipsos & glorificauit? Si deus pro pro nobis, quis contra nos? Non est solicitus uir eius: nouit suos, nouerūt eum sui. Cum alicubi demoratur. Vbi demoratur, nisi unde uenturus est? Demoratur ibi, quasi tardat ibi. Multi enim iam desiderant aduentum eius: & desyderium eorum differtur, donec impleatur numerus membrorum matronæ huius. Multi ad suam impietatem tardi-
Luce 12 tate illius abutuntur: & dicit malus seruus, Tardat dominus meus. Et incipit cædere conseruos, & inebriari cum malis. Veniet dominus eius, in die qua nescit, & hora qua ignorat: & diuidet eum. Ministrorum enim & præpositorum corpus est, quod dat in tempore cōseruis cibaria. Diuidet, inquit, eum. Habet bonos & malos, & separat malos à bonis. Et partem eius cum hypocritis ponet. Non totum ministrum, quia sunt ibi & desyderantes aduentum domini. Sunt ibi & ex
Ibidem illo numero de quo dicitur, Beatus ille seruus quē cum uenerit dominus, inuenerit ita facientem. Ergo ueniet & diuidet eum. Nunc interim demoratur alicubi, sed non est solicitus quid agatur in domo. Omnes enim apud eam uestiti sunt. Nunquid de nuditate seruorum suorum solicitus erit cum alicubi demoratur, habens coniugem talem? Vestiti sunt, optime. Quam optime uultis nosse?
Gal.3 Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Omnes omnino apud eum uestiti sunt: & boni serui & mali serui uestiti sunt. Sed boni serui uestiti sunt, qui Christum induerunt non tantum in forma sacramenti, sed etiam in opere exempli, sequentes uestigia domini sui: alij uero usque ad sacramētum, reddituri de sua ueste rationem. Nō cessat illa mulier omnes uestire: ut nemo queratur, nemo dicat, ideo non sum bene operatus, quia nō sum uestitus. Videte ergo quemadmodum induti esse debeatis. Pro uestibus nostris, etiam opus faciamus. Omnes enim apud eam uestiti sunt. Quid uiro suo? Quæ seruos uestit, uiro suo nihil operatur? Duplicia pallia fecit uiro suo. Iam acclamatis: credo quòd agnoscitis quæ sunt duplicia pallia, quæ facit Ecclesia uiro suo. Pallia quæ illi facit, laudes sunt: laudes fidei, laudes confessionis, laudes prædicationis. Quare duplicia? Christum laudas, deum laudas & hominem. Dupliciter lau-

A da, simpliciter lauda. Dupliciter, quia homo est & deus: simpliciter, ut non sis fictus. Nescio quæ mulier apud Photinum quēdam, lapidem quasi preci Photinus
osum de ornamēto huius mulieris excussum, iam uilem & abiectum, unde hæretici Photiniani appellantur, hoc elegit quasi simplex pallium facere uiro suo. Non accipit ille utique à sua coniuge, uere sua, sicut scriptum est, Vnius duplicia sunt pallia. Ille enim Christum solum hominem dixit. Rursus extitit nescio quæ alia detestanda mulier, quasi & ipsa texens uiro pallium, texens autē pannosas fabellas. Ait enim, Christus deus est tantum,
omnino hominis nihil habens. Hoc Manichæi di Manichæi
cunt. Photiniani, homo tantum: Manichæi deus Photiniani
tantum. Illi nihil diuinum in domino confitentur, isti totum diuinū: & tamen tam falsum, ut nec sal-
B tem humanum. Si enim homo non erat: ergo mortuus non est, crucifixus non est, ergo nec resurrexit. Qui ille resurgere potuit, qui mortuus nō est? Ergo & dubitanti discipulo falsas cicatrices ostendit. Proculdubio enim falsæ cicatrices illæ fuerūt, si uera uulnera non præcesserunt. Si autem uera uulnera præcesserunt, uera caro. Si uera caro, uera mors, uera crux, uerus homo, & totus ueritas: laus abundās de colo huius mulieris. Qui autem ista laudabiliter duplicia pallia timuerunt, mendacio duplices remāserūt. Duplicia pallia fecit uiro suo. Prorsus duplicia pallia fecit. Confitere deum, confitere hominem, lauda deum in homine, lauda hominem in deo. Texuit preciosissimum illud pallium laudis, In principio erat uerbum, & uerbum Ioan.1
C erat apud deum, & deus erat uerbum: hoc erat in principio apud deum. Texuit & aliud pallium, propter conuersationē inter homines uqotidianam: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Duplicia pallia fecit uiro suo. De bysso & purpura uestimenta fecit sibi. Non enim decebat matronam tanti uiri, uel nudam incedere uel panno sam. Fecit de bysso & purpura uestimenta sibi. De bysso, candida confessione: de purpura, gloriosa passione. Huius byssum cū oramus agnoscimus, huius purpuram in martyribus mane laudamus. Conspicuus fit in portis uir eius. Ille qui alicubi demoratur, ille qui pro tali coniuge de domo sua solicitus non est, ille quem demorantem alicubi nunc nemo non uidet, conspicuus fit in portis.
D Attende quando, audi quid sequitur. Quum sederit in concilio cum senioribus terræ. Nihil euidentius, lege aliam prophetiam. Veniet ad iudi- Esa.3
cium, cum senioribus populi sui. In illo concilio, hoc est, in illo iudicio, iudicantibus secum sanctis quibus dictum est, Sedebitis super sedes iudican Matt.19
tes duodecim tribus Israel, conspicuus erit. Veni- Matt.25
et enim filius hominis, sicut dixit, in maiestate sua: & omnes angeli cum eo. Ibi omnes angeli & archangeli cœlorum, & angeli annunciatores uerbi dei. Etenim & propheta dictus est angelus: angelus enim nuncius est. Et, Ecce ego mitto ange- Malac.3
lum meum ante faciem tuam, de Ioanne dictum est. Et sicut angelum dei excepistis me, loquitur Gal.4
Apostolus. Ille ergo ille alicubi nunc demorans,

de quo

de quo multi dicunt: quando uenturus est, aut qs uenturus est, cōspicuus erit in portis, hoc est in a- A
perto, in manifesto. In portis conspicuus erit: sed alios admittet, contra alios claudet. Erit conspicuus in portis uir eius, cum sederit in concilio, cum senioribus terræ. Quod donec fiat, hoc interim faciat quod faciebat: operetur, non cesset, expectet illum futurum conspicuum in portis, non contremiscat sanctum concilium iudicij dei, cum bona cōsciētia ueniat, gloriosa ueniat, quia ipsius membra sunt, & ipsius filij sunt, qui sunt cum eius uiro iudicaturi. Sindones fecit, & uēdidit. Bene quia sindones fecit. Quare uendidit, nisi quia non quęrit datum, sed requirit fructum? Venditionē istam primo intelligite fratres gratuitā. Et aliquis emit gratis? Si gratis tollit, non emit. Si emit: precium B
Esa.55 dat, non gratis tollit. Et ubi est, Qui sitis uenite ad aquam, emite uobis sine argento? Quando emis, non argētum das: & tamen emis. Si emis, aliquid das: non tamen argentum das: teipsum das. Sindones autē referte ad illa linea spiritualia, quæ facit & prædicat ista mulier per omnes terras. Et forte uendere dicenda est, quia dixit Apostolus:
1.Cor.9 Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnū non est si uestra carnalia metamus. Etenim illa ratio est dati & accepti: nam in omni uenditione ratio dati & accepti uersatur. Contristatur autem Apostolus aduersus fora quædam, ubi non uēdidit sindones. Nulla, inquit, mihi ecclesia communicauit in ratione dati & accepti. Sed ille qui sic uendit, non quærit datum, sed requirit fructum: ne quasi C
uenditorem Euangelij putetis. Est quidē ille mercator domini sui, sed magis precium quærit. Nam quicquid prorsus uendit, dat spiritualia. Et quid quærit? forte carnalia? Debentur quidem & ista: sed non ista quærebat Apostolus, dicens, Non enim quæro uestra, sed uos ipsos. Date ergo precium, date uosipsos. Neq; em̄ & Ioseph in Aegypto frumenta non uendebat: & tamē ipsos ementes, seruos regios faciebat. Volentes uiuere in illa fame, accipiebant frumenta: & fiebāt serui. Timemus nos fieri serui? Væ nobis si nō fuerimus illius serui. Quid nobis prodest recusare talem dominū? Et sub diabolo erimus, & famem patiemur, & potestatem ueri domini non effugiemus. Teipsum da, eme tibi sindonem, id est, spiritualē amorem. D
Sic etiam cuiusdam panis preciū tuipse es. Quid enim? Quia das te uoluptati, nónne pro concupiscentiæ carnis tanquam emas meretricē, teipsum das precium? Quantum est ut deo te des, panē uiuum tibi emas qui de cœlo descendit, eodem ipso
Prou.6 precio quod tu ipse es? Precium enim meretricis tantum est, quantum panis unus. Sindones fecit, & uēdidit Cinctoria Chananæis. Cingāt se, operentur, ueniāt, sint serui de domo ista: ut omnes uestiti, omnes pasti sint. Cinctoria eis fecit, utiq; ad opus: nā & ipsa opus faciens, accinxit fortiter lumbos suos. Qui sunt Chananæi? Vicinę populo Isra
Ephes.2 el gentes, alienigenæ. Aliquando qui eratis lōge, facti estis prope in sanguine Christi. Qui eratis aliquando peregrini testamentorum, & promissionis spem non habentes, & sine deo in hoc mūdo,
nunc autem ciues sanctorum & domestici dei: A
ceptis cinctorijs operamini in domo dominica, iā facti domestici ex Chananæis, unde erat illa mulier modo in Euangelio recitata. Chananæa erat, ad mensam filiorum accedere nō audebat, sed tanquam canis micas requirebat. Vide quemadmodum præcinxit se ad opus. Præcinctorium eius, fides: hoc laudat ille. O mulier, magna est fides tua. Cætera uideamus. Fortitudine & decore induta Matth.15
est. Decore, tanq̃ bysso: fortitudine, tanq̃ purpura. Quia enim fortis, ideo in passione sanguinea.

Et lętata est in dieb. nouissimis. Hic ergo diu tribulata. Nam unde haberet purpurea uestimenta, sine tribulatione? Os suum aperuit attente, Præstet nobis in illa constitutis, ipsam laudantibus, illi cohęrentibus, cum illa & in illa uirum eius expectantibus: ut & nos aperiamus attente ob nostrū, non temere, sed caute, attente, solicite. Cum timo- 1.Cor.2
re & tremore multo fui apd uos, Apostolus dixit, tanquam dicens: Os meum aperui attente, os no- 2.Cor.6
strum patet ad uos ò Corinthij. Os suum aperuit attente. Et ordinem posuit linguæ suæ: laudans creaturam tanq̃ creaturam, creatorem tanq̃ creatorem, angelos tanquam angelos, cœlestia tanq̃ cœlestia, terrestria tanquā terrestria, homines tanquam homines, pecora tanquā pecora. Nihil perturbatum, nihil inordinatum. Non accipiens in uanum nomen domini dei sui, non substantiam creaturę sentiēs de creatore: ita ordinate tecū loquēs, ut non proponāt inferiora potioribus, nec subdat potiora inferioribus. Disposuit ordinem linguæ suæ. Nihil pulchrius hoc ordine. Vnde & ipsa dicit: Ordinate in me charitatem. Nolite prępostere agere, nolite perturbare & confundere quæ deus ordinauit. Ordinate in me charitatem. Amate me tanquam me, amate deum tanquam deum, ne deum offendatis propter me, nec me offendatis propter alium quēlibet. Ordinate in me charitatem. Beata filia eius in hoc ordine constituta, cuius inter cæteras celebramus hodie passionem, paulo ante audiuimus, confessione ordinans linguam suam: honorem, inquit, Cæsari, timorem autē deo. Os suum aperuit attente, & ordinem posuit linguæ suæ. Seueræ conuersationes domorum eius, D
seueræ fortes, districtæ, non est ubi defluatur, non amat dissolutionem. Cibos autē pigros non comedit, merito tantum acquisiuit. Hic ergo ista laboriosa, uigilans, solicita, seuere castigans domū suam, surgens de noctibus, intuens lucernā ne extinguatur, in tribulatione fortis, nondum receptis promissis pauēs, brachia sua in fusum confirmās, non pigrum panem manducans. Ob labores istos quasi paupertatis & necessitatis secularis, q̃d erit quia in diebus nouissimis lętata est? Quid erit? audire uultis? Audite. Propter quam spem ardeat lucerna nostra tota nocte, nūc audite. Surrexerūt filij eius, & ditati sunt. Modo in paupertate uiuimus, in paupertate uigilamus, & cum morimur in pauptate dormimus: sed surgemus & ditabimur. Tunc ditabuntur filij eius. Surrexerunt filij eius,

& ditati

& ditati sunt. Compara nūc quaslibet diuitias terræ huius, obnoxias furibus & tineis. Quid te lactas? Quia infirmus es, ideo sunt tibi multa necessaria. Opus est multum uestiaris, quia frigus pati non potes: iumentis utaris, quia pedibus ambulare non potes. Ista fulcimenta sunt infirmitatis, non ornamenta potestatis. Quæ illæ diuitiæ sunt angelorum? unam uestem habent lucis: nunquam teritur, nunquam sordidatur. Illæ sunt ueræ diuitiæ, ubi nulla erit inopia, nulla indigentia. Quid modo quæris hoc, antequam surgas? Si filius es mulieris huius, attende quoniam tibi diuitiæ promittuntur. Surrexerunt filij eius, & ditati sunt, parati resurrectionis diuitias accipere. Noli has amare, ut merearis ad illas uenire. Surrexerunt filij eius, & ditati sunt, & uir eius laudauit eã. Nos eam laudabimus, sed non de nostro. Ipse uir eius laudabit eam. Quando surrexerunt filij eius, & ditati sunt: attendit eam, inspexit eam, laudauit eam. Quis nolit audire quomodo laudauerit? Si tam iocunde audistis cum laudaretur à nobis, quomodo audiremus si possemus audire quomodo laudauit uir eius? Laudauit eam in resurrectione: cum resurrexerimus audiemus. An & modo non tacuit laudẽ ipsius? Hæc est ipsa laus, ipsa sequetur. Audiamus, audiamus quemadmodum eam laudauerit uir eius, uidens eam iam cum tanta beatitudine filiorũ, diuitum in resurrectione mortuorum. Multæ, inquit, filię fecerunt potentiam. Laudes sunt, quibus eam laudat uir eius. Multæ filiæ fecerunt potentiam. Quæ filiæ? Quibus hæc comparatur? Non comparatur. Multæ filiæ fecerunt potentiam, tu autem superasti. Attendite ergo uos, iam in fine lectionis sumus. Metuo enim ne ibi habeam uos fatigatos, ubi maxime exigo intentos. Audiamus laudes illius. Multæ filiæ fecerunt potẽtiam: tu autem superasti & superposuisti omnes. Tu inquit omnes superasti, & superposuisti. Quæ sunt ergo aliæ filiæ quæ fecerunt potentiam, quas ista superauit, & super quas ista posuit? Aut quam potentiam fecerunt, aut unde ista superauit? Sunt enim malæ filiæ, quæ sunt hæreses. Quare filiæ? Quia & illæ & ista natæ sunt. Sed filiæ malæ, filiæ non similitudine morum, sed sacramentorum. Habent & ipsæ sacramenta nostra, habent scripturas nostras, habent Amen, & Alleluia nostrũ habent. Pleræq; symbolum nostrum habent, multæ baptismum nostrum habent. Ideo filiæ. Sed huic mulieri uultis nosse quid alibi dictum sit, in Canticis canticorum? Sicut lilium in medio spinarum: ita proxima mea in medio filiarum. Mirum dictu, easdem & spinas dixit & filias: & illę spinæ faciunt potentiam. Plane non uidetis quemadmodum ipsæ hæreses orent, ieiunent, dent eleemosynas, laudent Christum? Possum dicere ibi esse pseudoprophetas, de quibus dictum est: Faciunt signa & prodigia multa, ut fallant si fieri potest etiam electos. Ecce prædixi uobis. Faciunt potentiam & spinæ: de qua potentia dicitur, Nonne in nomine tuo manducauimus & bibimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Manducauimus & bibimus, non

Can. 2

Matt. 24

Mat. 7

de quocunq; cibo, dicere nostis de quo dicere potuit, uel cibo uel potu. Et uirtutes multas fecimus. Faciunt potentiã multæ filię, non negamus: & spinæ florem habent, fructum non habent. Hoc autẽ cui dixit, tu aũt superasti & superposuisti oẽs? Vnde superauit, nisi quia non solum florem sed & fructũ habet? Quem fructũ habet? Vnde superauit? Dicat mihi. Supereminentẽ inquit uiam uobis de monstro. Quam supereminentẽ uiam? Quia inde ista superauit, inde ista superposuit omnes. Si linguis hominum loquar & angelorũ, charitatem autem non habeam, factus sum ęramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Loquitur linguis, ad potentiam illam flores pertinent. Si sciam omnia sacramenta, & omnem scientiam, & habeam omnẽ prophetiam, & omnẽ fidem ita ut montes transferam (quanta potẽtia) charitatem aũt nõ habeam, nihil sum. Audi adhuc tales potentias: ad florẽ pertinentes non ad fructum. Si distribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum, ut ardeã, charitatem autẽ non habuero: nihil mihi prodest. Hanc habet ista supereminentem uiam, unde illi dixit: Multæ filiæ fecerunt potentias, multę locutæ sunt linguis, scierũt omnia sacramenta, fecerũt uirtutes multas, dæmonia excluserũt, res suas pauperibus distribuerunt, corpora sua ignibus tradiderunt: inflatæ sunt, quia charitatẽ non habuerũt. Tu autem superasti & superposuisti oẽs, non solũ flore sed & fructu grauida abundans. Vide ipsum florem, unde incipiat. Cũ enumeraret opera carnis, Fornicatiões, inquit, immũditiæ, luxurię, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contẽtiones, emulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, cõmessationes, ebrietates, & his similia: quæ prædico uobis sicut prędixi, quoniã qui talia agunt, regnũ dei non possidebunt. Spinis omnib. enumeratis in ignẽ mittendis: Fructus aũt spũs est inquit, charitas. Et ab hoc apice, ab hac tanquã radice cętera contexuntur: Gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, cõtinentia. Vnde iste botrus pulcher? Quia pendet à charitate. Multæ filię fecerunt potentiam, tu autem superasti & superposuisti omnes. In illis quid remansit? Falsæ gratiæ, & uana species mulieris. Quia si charitatem non habeo, factus sum æramentum sonans, & cymbalum tinniens: nihil sum, nihil mihi prodest. Falsæ sunt ergo gratiæ, & uana species mulieris. Mulier enim sapiens benedicitur. Ista quæ quęsiuit quid intelligeret, quę intellectum custodiuit, ista sapiens, ista benedicit: nõ illę falsæ species, nõ illa uana gratia. Sapiẽs mulier benedicit. Timorẽ aũt dñi ipsa collaudet. Ipsa quę benedicit, collaudet aliquid unde benedicat, qa sapiens est. Quid collaudet? Timorẽ dñi, quo perducta est ad sapientiam. Initium enim sapientiæ timor domini: timorẽ autem dñi ipsa collaudet, laboriosa tot laudibus, inter tot scandala patiẽs, pro uida ad expectandum, fortis ad tolerandum, constans ad perseuerandũ. Laborib. finitis, date illi de fructibus manuũ eius. Quid date? Venite bene dicti patris mei. Date illi de fructib. manuum eius.

1. Cor. 12

Gal. 5

Ibidem

Matt. 25

Quid date? Percipite regnum quod uobis paratũ est ab origine mundi. Ecce inquit date. De quibus fructibus manuum eius? Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Date illi de fructibus manuum eius. Et quid illi deinde negocium erit finitis laboribus? Et laudetur in portis uir eius. Ipse erit portus laborum nostrorum: uidere deum, laudare deum. Non ibi dicetur, surge, labora, uesti seruos, uesti teipsam, ornare purpura, da escas famulis, attende ne lucerna extinguatur, solicita esto, surge de noctibus, aperi pauperi manũ, trajice de cœlo in fusum. Non erunt opera necessitatis, ubi nulla necessitas. Non erunt opera misericordiæ, ubi nulla miseria. Non frangis panem pauperi, ubi nemo mẽdicat. Non suscipis peregrinum, ubi omnes in patria sua uiuunt. Non uisitas ægrum, ubi omnes perpetuo sani sunt. Non uestis nudum, ubi omnes æterna luce uestiti sunt. Nõ sepelis mortuum, ubi omnes sine termino uiuunt. Nec tamen ista non agens, nihil agis: uidebis enim quem desiderasti, & siue defectu laudabis. Istum accipies fructum. Tunc erit una illa quam petisti. Vnam petij à domino, hanc requiram: ut inhabitẽ in domo domini per omnes dies uitæ meæ. Et quid ibi facies, ut compleas delectationem domini, & laudetur in portis uir eius? Beati qui habitãt in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te.

Psal. 36

Psal. 83

Sermo de capite Euangelij ubi Iesus parabolas seminantis exponit.

Thesterno die & hodie, loquente domino nostro Iesu Christo, parabolas seminãtis audiuimus. Qui adfuistis heri, recordamini hodie. Heri lectũ est de illo seminante, qui cum semina spargeret, aliud cecidit in uiam, quod aues collegerunt: aliud in petrosis locis, quod ęstu exaruit, aliud inter spinas, qd suffocatũ est, & fœcundari non potuit: aliud in terram bonã, & attulit fructum centenum, sexagenum, trigenum. Hodie autem aliam parabolam rursus dominus de seminante narrauit: qui seminauit bonum semen in agro suo. Dormientibus hominibus, uenit inimicus: & superseminauit zizania. Quando herba erat, nondum apparebat, ut cœpit fructus boni seminis apparere, ibi etiam zizania claruerunt. Offensi sunt serui patrisfamiliâs, uidẽtes in bona segete multa zizania, & uoluerunt eradicare, & permissi non sunt: sed dictum est eis: Sinite utraq; crescere usq; ad messem. Exposuit aũt etiam dominus Christus istam parabolam: & boni seminis seminatorem se dixit: seminatorem zizaniorũ, inimicũ hominem diabolum ostendit. Tempus messis finem seculi, agrum suum, totũ mundum. Sed quid ait? In tempore messis dicam messoribus, Colligite primum zizania ad comburendum ea, triticum aũt meum recõdite in horreo. Quid festinatis inquit, serui zelo pleni? Videtis zizania inter frumentũ, uidetis malos Christianos inter bonos: eradicare uultis malos, quiescite, nõ est tempus messis. Veniat, & frumentum uos inueniat. Quid stomachamini? Quid ægre toleratis malos permixtos bonis? In agro uobiscum esse possunt, in horreo non erunt.

Matt. 13

Nostis autem illa tria hesterno die cõmemorata, ubi semen non profecit: uiam, loca saxosa, loca spinosa, ipsi sunt zizania. Aliud nomen in alia similitudine acceperunt: quia quãdo similitudines dantur, uel ꝓprietas non exprimit, per eas nõ ueritas, sed similitudo ueritatis exprimit. Quod dico, scio paucos intellexisse: sed ꝓpter omnes loqmur. In rebus uisibilib. uia est, saxosa loca loca saxosa sunt spinosa loca loca spinosa sunt. Qd sunt hoc sunt: qa ꝓprie nominant. In parabolis aũt & similitudinibus, potest una res multis nominibus appellari, ideo non est incongruũ ut dicerẽ uobis: uia illa, loca illa, saxosa illa, spinosa illa, Christiani mali sunt: ipsi sunt & zizania. Nónne agnus Christus? Nónne & leo Christus? Inter feras & pecora, qui agnus agnus, qui leo leo: utrũq; Christus. Illa singula per proprietatem: ista utrunq; per similitudinem. Plus etiam est q; accidit: ut per similitudinẽ multũ à se res distantes, uocẽtur uno nomine. Quid enim tam distat ab inuicem, quã Christus & diabolus? Tamen leo & Christus est appellatus, & diabolus. Christus leo. Vicit leo de tribu Iudæ. Diabolus leo, Nescitis qa aduersarius uester diabolus circuit, quærẽs quẽ deuoret? Ergo & ille leo & ille leo. Ille leo propter fortitudinem: ille leo propter feritatem. Ille leo ad uincendũ: ille leo ad nocendum. Ipse coluber diabolus est, serpens antiquus. Nunquid iussi sumus diabolũ imitari, quando nobis dixit pastor noster: Estote simplices ut colũbæ, & astuti ut serpẽtes? Ergo heri allocutus sum uiã, allocutus sum loca saxosa, allocutus sum loca spinosa: & dixi: Mutamini cum potestis, dura corda uersate, de agro lapides proijcite: de agro spinas euellite. Nolite habere durũ cor: unde cito uerbum dei pereat. Nolite habere tenuẽ terram, ubi radix charitatis alta non sedeat. Nolite curis & cupiditatibus secularibus offocare bonum semen, qd uobis spargit laboribus nostris. Etenim dominus seminat: sed nos operarij eius sumus. Sed estote terra bona. Heri diximus, & hodie omnibus dicimus: ferat alius centenum, alius sexagenum, alius trigenum. In alio maior, in alio minor est fructus: sed omnes ad horreum pertinebũt. Heri ista diximus, hodie zizania alloquor, sed ipsi sunt oues zizania. O Christiani mali, ò qui implẽdo premitis ecclesiã male uiuendo: corrigite uos antecq; messis ueniat. Non dicatis, peccaui, et quid accidit mihi? Non ꝑdidit deus potentiã: sed à te deus exigit pœnitentiã. Hoc dico malis, & tamẽ Christianis, hoc dico zizanijs. In agro em̃ sunt, et fieri potest ut qui hodie sunt zizania, cras sint frumẽtũ. Ideo & triticum alloquor. O uos Christiani qui bene uiuitis, pauci inter multos suspiratis, pauci inter plurimos gemitis. Transiet hyems, ueniet æstas: ecce aderit messis. Venient angeli, qui possunt separare, & nesciunt errare. Nos in hoc tempore, similes seruis illis de quibus dictũ est, Vis imus & colligimus ea? Volebamus enim si fieri posset, nullum malum remanere inter bonos. Sed dictum est nobis: sinite utraq; crescere usq; ad messem. Quare? Tales enim estis ut falli possitis. Denicq audi, Ne

Ratio explicandi parabolas.

Matt. 10

Apoc. 5

1. Pet. 5

forte dũ uultis eradicare zizania: eradicetis ſimul
Noxia diligentia. & triticum. Quid boni facitis? Nõne meſſem meã A
ueſtra diligentia uaſtabitis? Venient meſſores, &
expoſuit qui ſunt meſſores, meſſores autem ange
li ſunt. Nos homines ſumus, angeli meſſores ſunt.
Erimus quidem & nos ſi curſum perfecerimus, e-
quales angelis dei: ſed modo quando ſtomachamur
contra malos, adhuc homines ſumus: Et nos
modo audire debemus, quia qui ſe putat ſtare, ca-
1 Cor. 10 ueat ne cadat. Putatis enim fratres mei, quia iſta zi-
zania non aſcendunt, apiſidas? Putatis quia deor-
1. Cor. 4 ſum ſunt, & ſurſum non ſunt? Vtinam hoc non ſi-
mus. Mihi autem minimum eſt ut à uobis diiudi-
cer. Dico ſane charitati ueſtræ, & in apiſidis ſunt
frumenta, ſunt zizania, & in populis ſunt frumen
ta, ſunt zizania. Boni tolerẽt malos: mali mutenẽ,
& imitenẽ bonos. Omnes ſi fieri poteſt ad deũ pti B
neamus: Omnes malicia ſeculi huius in illius miſe
ricordia euadamus. Quæramus dies bonos, qa in
diebus malis ſumus. Sed in diebus malis nõ blaſ-
phememus, ut ad dies bonos puenire poſſimus.

Sermo de capite Euangelij ubi ait Ieſus, Si quis
uult me ſequi, abneget ſemetipſum, & tollat cru-
cem ſuam. Et qui diligit mũdum, non eſt dilectio
patris in eo.

VRVM uidetur & graue quod dñs impera
Matt. 16 D uit: ut ſi quis eũ uult ſeq, abneget ſeipſum.

Sed non eſt durũ nec graue quod ille impe
rat: qui adiuuat ut fiat quod imperat. Nam et illud
uerum eſt quod ei dicitur in pſalmo: Propter uer-
ba labiorũ tuorũ, ego cuſtodiui uias tuas: Et illud
Pſal. 16 C uerum eſt quod ipſe dixit: Iugũ meum lene eſt, &
Matt. 11 onus meũ leue eſt. Quicquid enim durũ eſt in pręce
Amor. ptis: ut ſit leue, charitas facit. Nouimus quãta ipſe
amor faciat. Plerũq; etiã ipſe amor reprobus atq;
laſciuus eſt. Quanta homines dura perpeſſi ſunt,
quãta indigna & intolerabilia pertulerũt, ut per-
uenirent ad id q amauerunt: ſiue ſit amator pecu-
niæ qui uocatur auarus, ſiue ſit honoris amator q
uocatur ambitioſus, ſiue ſit corporum pulchrorũ
amator qui uocat laſciuus? Et quis poſſet enume
rare oẽs amores? Cõſiderate tamen quantũ labo-
rent omnes amatores: nec ſentiunt q laborant. Et
tũc ab eis plus laborat: quãdo à labore quiſq; phi
betur. Cum ergo tales ſint homines plures, quales
ſunt amores, nihilq; aliud curę eſſe debeat quõ ui
D uatur, niſi ut q̃d amandũ eſt eligat, quid miraris ſi
ille q diligit Chriſtũ, & qui uult ſeq Chriſtũ, aman
do negat ſeipſum? Si enim perit homo amãdo ſe: pe-
fecto inuenit negãdo ſe. Prima hominis perditio,
fuit amor ſui. Si enim ſe non amaret, & deũ ſibi pre-
poneret: deo eſſe ſemper ſubditus uellet. Non aũt
conuertere ad negligendã uoluntatẽ illius, & fa
ciendã uoluntatẽ ſuã. Hoc eſt enim amare ſe: uelle fa
cere uoluntatẽ ſuã. Prepone his uolũtatẽ dei, prę-
pone melioris uoluntatẽ: diſce amare te, nõ aman
do te. Nã ut ſciatis uitiũ eſſe ſe amare, ſic Apoſto-
lus dicit. Erũt enim homines ſeipſos amãtes. Et nun
qd qui amat ſe, fidit in ſe? Incipit enim deſerto deo
amare ſe, & ad ea diligẽda quę ſunt extra ſe pellit
à ſe: uſq; adeo ut cũ dixiſſet idẽ Apoſtolus, erũt enim
homines ſeipſos amãtes, cõtinuo ſubiecit, amato-
res pecunię. Iã uides quia foris es. Amare te cepi-
ſti: iſta in te ſi potes. Quid is foras? Nunquid pecu-
nia diues factus es amator pecunię? Cœpiſti dili-
gere q eſt extra te, pdidiſti te. Cũ ergo pgit amor
hominis etiã à ſeipſo ad ea q̃ foris ſunt, incipit cum
uanis euaneſcere: & uires ſuas quodãmodo ſui pdi-
gus erogare. Exinanit, effundit, inops redditur,
porcos paſcit: & laborãs in paſtione pecorũ, ali-
quãdo recordat et dicit: Quanti mercenarij patris
mei panẽ manducant, & ego fame hic pereo. Sed
hoc quãdo dicit, qd narratũ eſt de ipſo filio q om-
nia effudit in meretricib. q habere uoluit in pote
ſtate q̃ bene illi apud patrẽ ſeruabant: habere illa
uoluit in abitrio ſuo: effudit ea, factus eſt inops.
Quid de illo dicit? Et reuerſus eſt ad ſeipſum. Si re
uerſus eſt ad ſe: exierat à ſe. Redit prius ad ſe: ut re
deat in illo unde ceciderat à ſe. Sicut enim cadẽdo à
ſe remãſit in ſe: ſic redeũdo ad ſe nõ debet remane
re in ſe, ne iterũ exeat à ſe. Reuerſus ad ſemetipſũ,
ut nõ remaneret in ſemetipſo qd dixit? Surgã &
ibo ad patrẽ meũ. Ecce unde ceciderat à ſe, cecide
rat à patre ſuo: ceciderat à ſe: ad ea q̃ foris ſunt ex-
ijt à ſe. Redit ad ſe: & pergit ad patrẽ, ubi tutiſſi-
me ſeruet ſe. Si ergo exierit à ſe, et à quo exierat, re
deũdo ad ſe, ut eat ad patrẽ, neget ſe. Quid eſt ne-
get ſe? Non preſumat de ſe, ſentiat ſe hominem: &
reſpiciat dictum ppheticũ: Maledictus omis qui
ſpem ſuã ponit in ſe. ſubducat ſe ſibi: ſed nõ deor-
ſum uerſus. Subducat ſe ſibi ut hæreat deo. Quic-
quid boni habet illi tribuat à quo factus eſt: quic-
C quid mali habet, ipſe ſibi fecit. Deus quod in illo
malũ eſt non fecit, perdat qd fecit, qui inde defe-
cit. Abneget inquit ſe, & tollat crucẽ ſuã, & ſequa
tur me. Quo ſequendus eſt dominus? Quo it no-
uimus: eandem ſolennitatẽ ante dies pauciſſimos
celebrauimus. Reſurrexit enim & aſcendit in cœ-
lum: illo ſequendus eſt. Plane deſperandũ non eſt,
quia ipſe promiſit: non quia homo aliquid poteſt.
Longe à nobis erat cœlum: anteq; caput noſtrum
ijſſet in cœlum. Iam quare deſperemus, ſi membra
illius capitis ſumus? Illo ergo ſequendus eſt. Et qs
nolit ſequi ad talem ſedem, maxime quia multum
timoribus & doloribus laboratur in terra? Quis
nolit illo ſeq Chriſtũ ubi ſumma eſt felicitas, ſum-
D ma pax, perpetua ſecuritas? Bonũ eſt illo eum ſe-
qui, ſed uidendum eſt qua. Etenim uerba iſta do-
minus Ieſus non tunc dicebat, quãdo à mortuis iã
reſurrexerat. Nondum erat paſſus, uenturus erat
ad crucem, uenturus ad exhonorationem, ad con
tumelias, ad flagella, ad ſpinas, ad uulnera, ad inſul
tationes, opprobria, mortẽ. Quaſi exaſperata eſt
uia, pigrum te facit, non uis ſequi. Sequere. Aſpe-
ratum eſt quod ſibi fecit homo, ſed contritum eſt
quod Chriſtus redeundo calcauit. Nam qui non
uelit ire ad exaltationẽ? Omnes delectat celſitudo:
ſed humilitas gradus eſt. Quid tẽdis pedem ultra
te? Cadere uis, non aſcendere, à gradu incipe: &
aſcendiſti. Iſtum gradum humilitatis nolebant at-
tendere illi duo diſcipuli qui dicebãt. Domine, iu
be ut unus noſtrũ in regno tuo ſedeat ad dexterã Matt. 20. & Marci 10
tuam:

tuam: & alius ad ſiniſtram tuam. Sublimitatẽ quæ
rebant: gradum non uidebant. Dominus autem A
oſtendit gradum. Quid enim reſpondit? Poteſtis
bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Qui quę
ritis apicem ſublimitatis, poteſtis bibere calicẽ hu
militatis? Ideo non utrũq; ait, abneget ſeipſum &
ſequatur me, ſed addidit, tollat crucẽ ſuam, & ſe-
quatur me. Quid eſt tollat crucem ſuam? Ferat qc
quid moleſtum eſt: ſic me ſequat. Cum enim cœ-
perit me moribus & pręceptis meis ſequi, multos
habebit cõtradictores, multos prohibitores, mul-
tos habebit diſſuaſores, & hoc de ipſis quaſi comi
tibus Chriſti. Cum Chriſto ambulabant, qui cæ-
cos clamare prohibebant. Siue ergo minas, ſiue
blandimenta, ſiue quaslibet prohibitiones, ſi ſe-
qui uis, in crucẽ uerte: tolera, porta, noli ſuccum- B
bere. Videntur his uerbis domini exhortata mar-
tyria. Si perſecutio eſt, nõne pro Chriſto debent
cuncta contemni? Amatur mundus: ſed prępona-
tur à quo factus eſt mundus. Magnus eſt mundus:
ſed maior eſt à quo factus eſt mundus. Pulcher eſt
mundus: ſed pulchrior eſt à quo factus eſt mũdus.
Blandus eſt mundus: ſed ſuauior eſt à quo factus
eſt mundus. Malus eſt mundus: ſed bonus à quo
factus eſt mundus. Quomodo potero abſoluere
& explicare qd dixi? Adiuuet deus. Quid enim
dixi? Quid laudaſtis? Ecce quæſtio eſt, & tamen
iam laudaſtis. Quomodo malus eſt mundus, ſi bo
nus eſt à quo factus eſt mundus? Nõne fecit deus
omnia? Et ecce bona ualde. Nõne per ſingula te-
ſtatur ſcriptura, q bona fecerit deus, dicẽdo, & ui- C
dit deus quia bonum eſt? Et uniuerſa ita in fine cõ
cluſit, quẽadmodũ fecit deus omnia: & ecce bona
ualde. Quomodo ergo malus eſt mundus, & bo-
nus eſt à quo factus eſt mundus? Quomodo?
Ioan. 1 Quoniã mundus per eum factus: & mundus eum
non cognouit. Mũdus per eum factus eſt, cœlũ &
terra & omnia quę in eis ſunt: mũdus eũ nõ cogno-
uit, amatores mũdi. Amatores mũdi, & cõtempto
res dei: iſte mũdus eũ non cognouit. Sic ergo ma-
lus eſt mũdus: qa mali ſunt qui deo præferũt mun
dum. Et bonus eſt qui fecit mundum, cœlũ & ter-
ram, & mare, & ipſos qui amant mundum. Solum
enim q amant mundũ & non amant deum: in illis
non ipſe fecit. Ipſos autẽ quod ad naturã pertinet
ipſe fecit, q ad culpã pertinet non ipſe fecit. Hoc D
eſt quod paulo ante dixi, deleat homo q fecit: &
placebit ei qui eum fecit. Nã eſt & mũdus bonus
in ipſis hominibus: ſed ex malo factus. Totũ eum
mundũ, ſi homines ponas mundũ, excepto q dici
mus mundũ, cœlũ & terrã & omnia q̃ in eis ſunt: ſi
homines dicas mundũ, totũ mundũ malũ fecit, qui
primo peccauit. Omnis maſſa in radice uitiata eſt.
Bonũ hominẽ fecit deus: ſic habet ſcriptura, fecit
deus hominẽ rectũ: et ipſi homines adinuenerunt
cogitatiões multas. A multis curre ad unũ, diſper-
ſa collige in unũ: cõflue, munitus eſto, mane apud
unũ, noli ire in multa. Ibi eſt beatitudo. Sed diffluxi-
mus, in perditionẽ perreximus, omnes cũ pecca-
to nati ſumus, & ad id q nati ſumus, male uiuẽdo
& nos addidimus, & totus mundus factus eſt ma-
lus. Chriſtus aũt uenit, & elegit q fecit, nõ q inue-
nit: nã omnes malos inuenit, & gratia ſua bonos fe-
cit. Et factus eſt alter mũdus: & mundũ perſequit
mundus. Quis eſt mundus qui perſequit? de quo Mundus per-
nobis dicitur. Nolite diligere mundũ, & ea quę in ſequens.
mũdo ſunt. Quiſquis dilexerit mundũ: nõ eſt cha- 1. Ioan. 2.
ritas patris in illo. Quia omnia quæ in mũdo ſunt,
concupiſcentia carnis eſt, & cõcupiſcentia oculo
rũ, & ambitio ſeculi, quę nõ eſt à patre, ſed ex mun
do eſt. Et mundus trãſit & cõcupiſcẽtia eius. Qui
aũt perfecit uoluntatẽ dei, manet in æternũ: ſicut
& deus manet in æternũ. Ecce ambos mũdos dixi:
& perſequentẽ & quẽ perſequit. Quis eſt mũdus
perſequẽs? Omnia quæ in mundo ſunt, cõcupiſcen
tia carnis, & concupiſcentia oculorũ, & ambitio
ſeculi: quę nõ eſt à patre, ſed ex mundo eſt, & mun
dus trãſit. Ecce iſte eſt mũdus perſequẽs. Quis eſt
mundus quẽ pſequit? Quiſq; fecerit uolũtatẽ dei Mundus per-
manet in æternũ, ſicut & deus manet in æternum. petiens.
Sed ecce, ille qui perſequit mundus uocat: probe
mus ſi & ille qui perſecutionẽ patit mundus uo-
catur. An uero ſurdus es aduerſus uocẽ Chriſti di-
centis, uel potius ſcripturę ſanctę atteſtãtis: Deus
erat in Chriſto mundũ recõciliãs ſibi? Si odit uos
mundus ait, ſcitote quia me prius odio habuit. Ec
ce odit mũdus. Quẽ niſi mundũ? Quem mũdum?
Deus erat in Chriſto mundũ recõcilians ſibi. Per 2. Cor. 5
ſequitur mundus damnatus: perſecutionẽ patitur Ioan. 15
mundus reconciliatus. Mundus damnatus, quic-
quid pręter eccleſiã: mũdus recõciliatus eccleſia.
Non enim uenit filius hominis ait, ut iudicet mun Ioan. 3
dum: ſed ut ſaluet mundus per ipſum. Sed in hoc
mundo ſancto, bono, recõciliato, ſaluato, imo ſalu-
ando, nunc aũt ſpe ſaluato, ſpe enim ſalui facti ſu-
mus, in hoc ergo mũdo, hoc eſt eccleſia quæ tota
ſequit Chriſtũ, uniuerſaliter dixit: Qui uult me ſe-
qui abneget ſemetipſum. Nõ enim hoc uirgines de-
bẽt audire, & maritatę nõ debẽt, aut uiduę debẽt,
& nuptę nõ debẽt: aut monachi debẽt, & cõiuga-
ti nõ debẽt: aut clerici debẽt, & laici nõ debẽt: ſed
uniuerſa eccleſia, uniuerſum corpus, cũcta mẽbra
per officia, ppria diſtincta, & diſtributa, ſequãtur
Chriſtũ. Tota ſequatur ipſa unica, ſequat colũba,
ſequat ſponſa, ſequat redẽpta & dotata ſanguine
ſponſi. Habet ibi locũ ſuũ integritas uirginalis, ha
bet ibi locum ſuũ continentia uidualis: habet ibi
locũ ſuũ pudicitia coniugalis. Non ibi habet locũ
ſuũ adulteriũ, non ibi habet locũ ſuũ illicita & pu-
nienda laſciuia. Iſta aũt mẽbra quæ ibi locũ ſuum
habent in genere ſuo, & in loco ſuo, & in ſuo mo-
do: ſequantur Chriſtũ, abnegẽt ſe, non præſumant
de ſe. Tollant crucẽ ſuã, id eſt, tolerent in mundo Crucem tolle-
pro Chriſto, quicquid intulerit mundus. Ament re quid.
eũ, quia uerũ eſt q pmittit. Sed qa non modo dat,
titubat fides. Dura, perſeuera, tolera, porta dila-
tionẽ: & tuliſti crucẽ. Nõ dicat uirgo, ſola ibi ero:
non enim ſola ibi erit Maria, ſederit ibi & Anna ui
dua. Non dicat uidua, uirgo ibi erit non ego: non
enim erit ibi Anna, & nõ ibi erit Suſanna. Sed pla
ne inde ſe probent qui ibi futuri ſunt: ut qui habẽt
hic inferiorẽ locum, non inuideant ſed diligant in

alijs meliorem locum. Etenim uerbi gratia fratres mei, ut aduertatis: coniugalē uitā quisq; elegit, cōtinentē uitā quisq; elegit. Si ille qui elegit uitā coniugalē cōcupiuerit adulteria, retro respexit: illud concupiuit q̄ illicitū est. Qui uerò à cōtinentia ad nuptias postea redire uoluerit: retro respexit. Licitum elegit, & retro respexit. Ergo damnandæ sunt nuptiæ? Non. Non sunt damnandæ nuptiē: Sed ille qui eas elegit, quo accesserat uide. Iam ante ierat. Quādo uiuebat lasciuè adolescens, nuptiæ ante illum erāt: ad eas se extēdebat. Cum uero elegit continentiā: nuptiæ post illum sunt. Memores estote ait dñs uxoris Loth. Vxor Loth, retro respiciendo remāsit. Quisquis ergo potuit peruenire, inde timeat retrospicere: & ambulet in uia, sequat̄ Christū. Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extensus: secundū intentionē intus sequatur ad palmam uocationis dei in Christo Iesu. Coniugati præponant sibi innuptos: fateant̄ esse meliores. In eis diligant quod ipsi non habent: & in illis Christum ament.

Luca 17

Philip. 3

Tractatus D. Aurelij Augustini episcopi Hipponensis in Orationem Dominicam.

Est in Indiculo Possidonij.

B EATVS Apostolus tempora ista quando futurū erat ut omnes Gentes in deum crederent, prænunciata fuisse à Prophetis ostendens, hoc testimonium posuit quod scriptum est: Et erit, omnis homo qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Antea enim apud Israelitas inuocabatur nomen domini qui fecit cœlū & terrā: cęterę Gētes idola muta & surda inuocabāt, à quibus non audiebant̄. At ubi uenit plenitudo tēporis, impletur quod dictū est, Et erit, omnis qui inuocauerit nomē domini, saluus erit. Deinde quia inuidebant ipsi Iudæi Gētibus Euangeliū, etiā illi qui crediderunt Christū, & dicebāt nō debere annunciari Euangeliū Christi eis qui circuncisi non essent, quia cōtra istos posuit hoc testimoniū Apostolus Paulus, Et erit, omis qui inuocauerit nomē dñi, saluus erit: subiūxit statim ad illos cōuincēdos qui nolebāt euangelizari Gētibus, & ait: Quō aūt inuocabūt, in quē non crediderūt? aut quomodo credēt quē nō audierūt? Quomodo aūt audiēt, sine prædicāte? Et quō prædicabūt, si non mittant̄? Quia ergo dixit, quō inuocabūt in quē non crediderunt: ideo nō accepistis prius Orationē, & postea Symbolū: sed prius Symbolū ubi sciretis q̄d crederetis, & postea Orationē ubi nosset̄is quē inuocaretis. Symbolū ergo ptinet ad fidē, oratio ad precē: qa qui credit, ipse exaudit̄ inuocans. Multi aūt petūt q̄d petere nō debēt, ignorātes quid eis expediat. Duo ergo qui inuocat cauere debet: ne petat q̄d nō debet, & ne ab illo petat à quo nō debet. A diabolo, ab idolis, à dęmonibus nō est petēdum aliq̄d: à dño deo nostro Iesu Christo, deo patre Prophetarū, Apostolorum & martyrū, à patre domini nostri Iesu Christi, à deo qui fecit cœlū & terram, mare et omia quę in eis sunt, ab illo petēdū est, si quid petendū est. Sed cauendū est, ne & ab illo petat̄, q̄d petere nō debemus. Vitam humanā qa petere debemus, si petis ab idolis surdis & mutis, quid tibi prodest? Itē à deo patre qui est in cœlis si optas mortē inimicorū tuorū, q̄d tibi pdest? Non legisti in Psalmo in q̄ prędictus est dānabilis traditor Iudas, quo Prophęta dixit de illo, Oratio eius fiat in peccatū? Si ergo surgis & oras mala inimicis tuis, oratio tua fiet in peccatū. In pphetis sanctis legisti ueluti multa imprecari mala inimicis suis, eū qui loquit̄ in pphetis. Et utiq; ait aliquis, qui loquit̄ in prophetis iustus est, quare tam mala optat inimicis suis? Non optat, sed preuidet: prophetia est prenūciātis, nō uotū maledicētis. In spiritu em̄ illi nouerāt quibus habebat euenire malè, quibus benè: & per prophetiā dicebāt tanq̄ optarent quod preuidebāt. Tu aūt unde scis, meliórne te futurus sit, cui hodie male petis? Sed scio illum malignū dicis. Et te scis malignū. Quamuis forte audeas & de corde alterius iudicare q̄d nescis: sed & te scis malignū. Non audis Apostolū dicētem, Qui prius fui blasphemus & pſecutor & iniuriosus, sed misericordiā cōsecutus sum, qa ignorās feci in incredulitate? Quādo Apostolus Paulus persequebat̄ Christianos ligās ubi inueniebat, & puniēdos ad sacerdotes attrahebat, quid putatis fratres, Ecclesia cōtra illū orabat, an p illo? Vtiq; ecclesia dei quę dedicerat à dño suo qui pendens in cruce dixit: Pater ignosce illis, quia nesciūt quid faciunt, talia prędicabat̄ p Paulo, imò adhuc p Saulo, ut hoc in illo fieret q̄d & factū est. Namq; dicit: Eram aūt ignotus facie ecclesijs Iudęę quæ sunt in Christo, tantū autē dicebant, quia ille qui nos aliquando persequebat̄, nunc euāgelizat fidē quam aliquādo uastabat, & in me magnificabant deum. Quare magnificabāt deū, nisi quia antecq̄ esset factum, rogabāt deum? Dñs ergo primo amputauit multiloquiū, ne multa uerba afferas ad deū, quasi uelis multis uerbis docere deū. Quando ergo rogas, pietate opus est, nō uerbositate. Scit em̄ pater uester quid uobis necessariū sit, priusq̄ petatis ab eo. Nolite ergo multū loqui, quia nouit deus quid uobis necessariū sit. Sed ne forte hic dicat aliquis: Si nouit quid sit nobis necessariū, ut quid uel pauca etiā uerba dicimus? Vt quid oramus? Ipse scit: det deus q̄d nobis necessarium scit. Sed ideo uoluit ut ores, ut desideranti det, ne uilescat quod dederit, quia & ipsum desiderium ipse insinuauit. Verba ergo quæ dominus noster Iesus Christus in oratione docuit, forma est desideriorum. Non tibi licet petere aliud, quàm ibi scriptum est. Vos ergo, inquit, dicite: Pater noster qui es in cœlis. Mementote uos de patre Adam natos in mortem: de patre deo regenerandos ad uitam. Quæ dicitis, & in cordibus uestris dicite. Sit orantis affectus, & erit exaudientis effectus. Sanctificetur nomen tuum. Quid rogas ut sanctificetur nomen dei, quod iam sanctum est? Deinde cum rogas ut sanctificetur nomen ipsius, nūc quasi pro illo illum rogas, non pro te. Intellige, & pro te rogas. Hoc em̄ rogas, ut q̄d semper sanctū est in se, sanctificetur in te. Quid est sanctificet̄? Sanctū habeatur, non contemnatur. Ergo uides quia cum optas, tibi bonum optas. Tibi enim malum est si contem-

contempseris nomē dñi, nō deo. Veniat regnum tuum. Cui dicimus? Et si nō petamus, non est uenturum regnum dei? De illo em̄ regno dicitur: q̄d erit post finem seculi. Nam regnum semper habet deus, & nunquā est sine regno, cui seruit uniuersa creatura. Sed q̄d regnum optas? De quo scriptum est in Euangelio: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis paratū est ab initio seculi. Ecce de quo dicimus, Veniat regnū tuum. Vt in nobis ueniat optamus ut in illo ueniamus optamus. Nam ecce ueniet. Sed quid tibi prodest, si ad sinistram te inueniet? Ergo & hoc bene tibi optas: pro te oras. Hoc desideras, hoc cupis orādo, ut sic uiuas, ut ad regnum dei quod est dandum omnib. sanctis, pertineas. Ergo ut bene uiuas, tibi oras cū dicis: Veniat regnū tuum. Pertineamus ad regnū tuum: ueniat & nobis quod uenturum est sanctis & iustis tuis. Fiat uoluntas tua. Si nō illud tu dicas, non faciet deus uoluntatem suā? Memento quod in symbolo credidisti, Credo in deū patrem omnipotentem. Si omnipotens est, cur oras ut fiat uolūtas eius? Quid est ergo, fiat uolūtas tua? Fiat in me, ut non resistam uolūtati tuæ. Ergo & hic pro te oras, & non pro deo. Fiet enim uolūtas dei in te, & si non fiat à te. Nam & quibus est, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi, fiet in illis uoluntas dei, ut iusti & sancti accipiant regnū, & quibus dicturus est, Ite in ignē æternum qui paratus est diabolo & angelis eius, fiet in eis uoluntas dei, ut mali damnentur in ignē ęternum. Aliud est ut fiat in te. Vt ergo fiat in te, non sine causa oras: nisi ut bene sit tibi. Siue ergo bene sit tibi, siue malè, fiet in te: sed fiat & à te. Quare ergo dico, fiat uolūtas tua, sicut in cœlo & in terra, & nō dico, fiat uolūtas tua à cœlo & à terra? Quia quod fit à te, ipse facit in te: nunquam fit à te, quod nō faciat ipse in te. Sed aliquando facit in te, q̄d non fit à te: nunq̄ aliquid fit à te si non facit in te. Quid est aūt in cœlo & in terra, uel sicut in cœlo ita & in terra? Faciunt angeli uoluntatem tuam, faciamus & nos. Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Mens cœlum est, caro terra est. Quando dicis, si tamen dicis, quod ait Apostolus, Mente seruio legi dei, carne aūt legi peccati: fit uoluntas dei in cœlo, sed nondum in terra. Cum uero caro menti consenserit, & absorpta fuerit mors in uictoriam, ut nulla desideria carnalia remaneant cum quibus mens conflígat, cum transierit quod dictū est, Caro cōcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc enim inuicem aduersantur, ut nō ea quæ uultis faciatis: cum ergo hoc bellum transierit, omnisq̄ concupiscentia in charitate fuerit commutata, nihil in corpore remanebit quod spiritui resistat, nihil quod dometur, nihil quod frenetur, nihil quod calcetur, sed totum per cōcordiam perget ad iustitiam. Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Perfectionem optamus, quando hoc oramus. Item fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra. In Ecclesia, spirituales sunt cœlum: carnales, sunt terra. Fiat ergo uoluntas tua sicut in cœlo & in terra: ut quomodo tibi seruiunt spirituales, sic tibi mutati in melius seruiant & carnales. Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Est & alius sensus pius ualde. Moniti enim sumus orare pro inimicis nostris. Ecclesia, cœlum est: inimici Ecclesię terra sunt. Quid est ergo, Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra? Credant inimici nostri, quomodo & nos in te credimus: fiant amici, finiant inimicitias. Terra sunt, ideo nobis aduersantur: Cœlum fiant, & nobiscū erunt. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et hinc iam manifestum est, quod pro nobis oramus. Quando dicis, Sanctificetur nomen tuum, exponendum est tibi, quia pro te oras, nō pro deo. Quando dicis, Fiat uoluntas tua, & hic exponēdum est tibi, ne putes quòd deo bene optas, ut fiat uoluntas ipsius, & nō potius pro te oras. Quādo dicis, Veniat regnum, & hoc exponēdum est, ne putes quia deo bene optas, ut regnet. Ab isto autem loco deinceps usque in finem orationis, apparet quia pro nobis rogamus deum. Quando dicis, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, profiteris te mendicum dei. Sed noli erubescere, quantumlibet quis sit diues in terra, mendicus dei est. Stat mendicus ante domum diuitis: sed & ipse diues stat ante domum magni diuitis. Petitur ab illo, & petit. Si non egeret, aures dei oratione non pulsaret. Et quid eget diues? Audeo dicere, ipso pane quotidiano eget diues. Quare enim abundant illi omnia? Vnde, nisi quia deus dedit? Quid habebit, si deus subtrahat manum suam? Nonne multi dormierunt diuites, & surrexerunt pauperes? Et quod illi non deest, misericordię dei est: non potentiæ ipsius. Sed istum panem charissimi quo uenter impletur, quo caro quotidie reficitur, istum ergo panem uidetis deum dare non solum laudatoribus suis, sed etiam blasphematoribus, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Laudas, pascit te: blasphemas, pascit te. Vt pœnitentiam agas, expectat te: sed si te non mutaueris, damnat te. Quia ergo panem istum accipiunt à deo boni & mali, putas non est aliquis alter panis quem petunt filij, de quo dicebat dominus in Euangelio, Non bonum tollere panem filiorum & mittere canibus? Est plane. Quis est iste panis? & quare dicitur quotidianus & iste? Necessarius est enim: sine illo uiuere non possumus. Imprudentia est ut à deo petas diuitias: non est imprudentia, ut petas panem quotidianum. Aliud est unde superbias, aliud unde uiuas. Tamen quia iste panis uisibilis & tractabilis datur bonis & malis, est panis quotidianus quem petunt filij. Ipse est sermo dei, qui nobis quotidie erogatur. Panis noster quotidianus est, inde uiuunt non uentres, sed mentes. Necessarius est nobis etiam nunc operarijs in uinea: cibus est non merces. Operario enim duas res debet, qui illum cōducit ad uineam: cibum ne deficiat, & mercedē unde gaudeat. Cibus noster est quotidianus

in hac terra, ſermo dei, qui ſemper erogatur eccle-
ſijs: merces noſtra poſt laborem, uita æterna nomi A
natur. Iterũ in iſto pane quotidiano ſi intelligas q̃d
fideles accipiunt, quod accepturi eſtis baptizati,
bene rogamus & dicimus, Panem noſtrũ quotidi
anum da nobis hodie, ut ſic uiuamus ne ab illo al-
tari ſeparemur. Et dimitte nobis debita noſtra: ſi-
cut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et iſta
petitio nõ eſt exponẽda, quia pro nobis petimus.
Nobis em̃ debita dimitti poſtulamus: debitores e-
nim ſumus, non pecuniarũ, ſed peccatorũ. Dicitis
modo forte & uos: reſpondemus & nos. Et uos E-
piſcopi ſancti, debitores eſtis? Et nos debitores ſu
mus, ſicut & uos. Abſit domine, noli tibi facere in
iuriam. Non iniuriam mihi facio, ſed uerum dico: B
debitores ſumus. Si dixerimus, quia peccatum nõ
habemus, noſipſos decipimus, & ueritas in nobis
non eſt. Et baptizati ſumus, & debitores ſumus.
Non quia aliquid remanſit quod in baptiſmo di-
miſſum non fuerit: ſed quia uiuendo contrahimus
quod quotidie dimittatur. Qui baptizantur & ex-
eunt: ſine debito aſcendunt, ſine debito pergunt.
Qui autem baptizantur & tenẽtur in hac uita: de
fragilitate mortali contrahitur aliquid, unde & ſi
non naufragat̃, tamen oportet ut ſentinetur. Quia
ſi nõ ſentinatur, paulatim ingreditur unde tota na
uis mergatur. Et ob hoc orare, ſentinare eſt. Nec
tantum debemus orare, ſed & eleemoſynam face-
re: quia quando ſentinatur ne nauis mergatur &
uocibus agitur & manibus. Vocibus agimus, cum
dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos
dimittimus debitoribus noſtris: Manibus autem
agimus, cum facimus, Frange eſurienti panem tu-
um, & egenum ſine tecto induc in domũ tuam: in-
clude eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſe pro
te exorabit ad dominum. Dimiſſis ergo peccatis
omnibus per lauacrum regenerationis, in magnas
anguſtias contruſi fueramus, ſi non nobis daretur
quotidiana mundatio ſanctę orationis. Eleemoſy
næ & orationes mundant peccata: tantum ne talia
committantur, unde neceſſe ſit nos ſeparari à pa-
tre quotidiano, uitantes debita quibus debeẽt cer-
ta & ſeuera dãnatio. Nolite uos iuſtos dicere, qua-
ſi non habeatis unde dicatis, Dimitte nobis debi-
ta noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus no-
ſtris. Abſtinentes à deceptionibus hęreticorum, à
conciſionibus ſchiſmaticorum, abſtinentes ab ho
micidijs, ab adulterijs & fornicationibus, à furtis,
& rapinis, à falſis teſtimonijs, & ſi qua forte alia,
non dico quæ exitiales exitus habent, unde neceſ
ſe ſit præcidi ab altari, & ligari in terra ut ligetur
in cœlo, ualde periculoſè & mortiferè niſi ſoluat̃
in terra quod ſoluatur in cœlo: iſtis ergo exceptis,
non deeſt unde homo peccet. Quod non oportet
libẽter uidendo, peccat. Et quis teneat oculi uelo-
citatem? quandoquidem & à uelocitate dicitur o-
culus nomen accepiſſe. Quis autem uel oculum
teneat? Oculi, cum uolueris, claudi poſſunt, & ci-
to clauduntur: aures cum ſonitu claudis: manum
leuas, peruenis ad illas: & ſi tibi aliqs manus tene-
at patẽt: nec potes eas claudere aduerſus uerba ma
ledica, impura, blandientia & decipientia. Cum a-
liquid quod non oportet audieris, & ſi non fece-
ris, nonne aure peccas? Audis mali aliquid liben-
ter. Lingua mortifera quãta mala cõmittit? aliquã
do talia, quibus homo de altari ſepareẽt. Ad illam
pertinet materies blaſphemiarũ, & multa etiã ina-
nia dicunt̃ quę ad rem nõ pertinent. Nihil mali fa-
ciat manus, nõ currat pes ad aliquid mali, nõ diri-
gatur oculus in laſciuiã, non libenter pateat aũris
turpitudini, non moueat̃ lingua ad id q̃d non de-
cet: dic, cogitatiões quis tenet? Fratres mei, plerũ-
que oramus, & aliunde cogitamus, quaſi obliti an
te quẽ ſtemus, aut ante quem proni iaceamus. Iſta
omnia ſi colligantur cõtra nos, nõ ideo non pre-
munt, quia minuta ſunt? Quid intereſt utrũ te plũ-
bum premat, an arena? Plumbũ una maſſa eſt, are-
na minuta grana ſunt, ſed copioſitate premũt. Mi-
nuta ſunt peccata. Nõ uides de guttis minutis flu
mina impleri & fũdos trahi? Minuta ſunt, ſed mul
ta ſunt. Quotidie ergo dicamus, & corde uero di-
camus, & q̃d dicimus faciamus: Dimitte nobis de
bita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitorib. no-
ſtris. Sponſionẽ facimus cum deo: pactũ & placi-
tũ: Hoc tibi dicit dñs deus tuus: Dimitte, & dimit-
to. Non dimiſiſti, tu cõtra te tenes, non ego. Sane
chariſſimi filij q̃m ſcio q̃d uobis expediat in orati-
one dominica, & maxime in tota oratione iſtius
ſententia, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos
dimittimus debitorib. noſtris: audite me. Baptizã
di eſtis, omnia dimittite: quiſq; q̃d habet aduerſus a-
lium in corde ſuo, dimittat ex corde. Sic intrate, &
certi eſtote prorſus uobis omnia dimitti quæ con
traxiſtis, & ex parentibus naſcendo ſecundũ Adã
cũ originali peccato, propter q̃d peccatum cũ par
uulis curritis ad gratiam ſaluatoris, & quicquid ui
uendo addidiſtis dictis, factis, cogitationibus, om
nia dimittũt̃: & exibitis inde tanq̃ à cõſpectu dñi
dei ueſtri, cũ ſecuritate omnium debitorũ. Iam pro
pter illa quotidiana peccata de quib. locutus ſum,
quia neceſſariũ eſt uobis dicere, uelut quotidiana
mundatiõe, iſta, dimitte nobis debita noſtra, ſicut
& nos dimittimus debitorib. noſtris: quid facitis?
Habetis inimicos. Quis em̃ uiuat in hac terra non
habẽs inimicũ? Intẽdite uobis, diligite illos. Nul-
lo modo nocere tibi poteſt inimicus ſęuiẽs, quãtũ D
tibi noces ſi nõ diligis inimicũ. Ille em̃ nocere po-
teſt aut uillæ tuæ, aut pecori tuo, aut domui tuæ,
aut ſeruo tuo, aut ancillę tuæ, aut filio tuo, aut con
iugi tuæ: aut, ut multũ ſi illi data fuerit poteſtas, car
ni tuæ? Nunquid quõ animæ tuę? Extendite uos
ad iſtam pfectionẽ chariſſimi, exhortor uos. Sed
nũquid illud donaui uobis? Ille uobis donauit, cui
dicitis, Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra.
Tamen non uideatur impoſſibile: ego ſcio, ego
noui, ego probaui eſſe homines Chriſtianos qui
diligunt inimicos ſuos. Si uobis impoſſibile ui-
ſum fuerit, nõ faciatis. Primò credite poſſe fieri, &
orate ut fiat in uobis uoluntas dei. Quid enim tibi
prodeſt malum inimici tui? Si malum nullum ha-
beret, nec inimicus tuus eſſet. Bonum eſt illi op-
ta, finiat mala, & non erit tibi inimicus. Non enim
inimica

inimica tibi eſt illo natura humana, ſed culpa. Nũ-
q̃d ideo tibi eſt inimicus, q̃d habet animã & carnẽ? A
Hoc eſt q̃d tu: animã habes, animã habes, carnẽ ha
bes, carnẽ habet. Cõſubſtantialis tuus eſt, ſimili de
terra facti eſtis, à dño animati eſtis. Hoc eſt ille q̃d
tu, reſpice fratrem tuum. Primi duo parentes no-
ſtri erant Adam & Eua: ille pater, illa mater. Ergo
nos fratres. Omittamus originem primam, deus
pater, Eccleſia mater: ergo nos fratres. Sed inimi-
cus meus Paganus eſt, Iudæus, Hęreticus, unde
iamdudum dixi, Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo &
in terra? O Eccleſia, inimicus tuus eſt Paganus, Iu
dæus, Hæreticus: terra eſt. Si cœlum es, inuoca pa
trem qui eſt in cœlis, & pro inimicis tuis ora: quia
& Saulus inimicus erat Eccleſiæ, ſic oratum eſt p
illo, factus eſt amicus. Non ſolum deſtitit eſſe per- B
ſecutor, ſed laborauit, ut eſſet adiutor. Et ſi uerum
quæras, oratum eſt contra illum: ſed contra eius
malitiam, non naturam. Ora & tu cõtra malitiam
inimici tui: illa moriatur, & ille uiuat. Si enim mor
tuus fuerit inimicus tuus, quamuis inimicum eua
ſiſti, non tamen amicum inueniſti. Si autem mor-
tua fuerit malitia eius: & inimicum amiſiſti, & a-
micum inueniſti. Adhuc dicis: Quis illud poteſt?
quis illud fecit? Deus illud faciat in cordibus ue-
ſtris. Et ego ſcio, pauci illud faciunt, magni illud
faciunt, ſpiritales illud faciũt. Nunquid tales ſunt
omnes in Eccleſia fideles ad altare accedẽtes, cor
pus & ſanguinem Chriſti ſumentes, nunquid om
nes tales ſunt? Et tamen omnes dicũt, Dimitte no
bis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debito-
ribus noſtris. Si reſpõdeat illis deus, quid à me pe-
titis ut faciam quod promiſi, quando uos non faci
tis quod præcepi? Quid promiſi? Dimitte debita
ueſtra. Quid præcepi? Vt & uos dimittatis debi-
toribus ueſtris. Quomodo poteſtis hoc facere, ſi
non diligitis inimicos? Quid ergo facturi ſumus
fratres? Ad tantam paucitatem rediturus eſt grex
Chriſti? Si ſoli illi debent dicere, Dimitte nobis
debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus
noſtris, qui diligũt inimicos: neſcio quid dicã, ne-
ſcio quid faciam. Dicturus uobis ſum, ſi non dili-
gitis inimicos ueſtros, nolite orare? Non audeo:
imò ut diligatis orate. Sed nunquid uobis dictu-
rus ſum, ſi non diligitis inimicos ueſtros, nolite in
oratione dominica dicere, Dimitte nobis debita D
noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus no-
ſtris? Puta quia dico, Nolite dicere. Si non dixeri-
tis, non dimittuntur: & ſi dixeritis & non feceritis,
non dimittuntur. Ergo dicendum eſt & faciẽdum,
ut dimittantur. Video aliquid unde poſſum non
paucitatem Chriſtianam, ſed multitudinem con-
ſolari: & ſcio quia hoc deſideratis audire. Dimitte,
ut dimittatur uobis, dixit Chriſtus. Et uos in orati-
one quid dicitis? unde modo tractamus. Dimitte
nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debi-
toribus noſtris. Sic dimitte domine, quomodo di
mittimus: hoc dicis. Sic dimitte pater qui es in cœ
lis debita noſtra, quomodo & nos dimittimus de-
bitoribus noſtris. Hoc enim facere debetis, quod
ſi non feceritis peribitis. Quando inimicus ueniã
petit, continuo dimittatis. Et hoc multum ad uos?
multum ad te erat diligere inimicum ſæuientem? A
multum eſt ad te hominẽ diligere ſupplicantem?
Quid dicis? Sęuiebat, & oderas. Mallem nec tunc
odiſſes: mallem tunc cum ſæuientem patereris, do
minum recordareris dicentem: Pater ignoſce illis,
quia neſciunt quid faciunt. Hoc ergo magnopere
uellem, ut etiam eo tempore cum in tè ſęuiebat ini
micus, reſpiceres dñm deum tuum iſta dicentem.
Sed forte dicturus es: Fecit ille, ſed ut dñs, qa Chri
ſtus, quia dei filius, quia unigenitus, quia uerbum
caro factum eſt. Quid ego malus & inualidus ho-
mo? Si multum ad te dñs tuus, cogiteẽ ad te ſeruus
tuus. Stephanus ſanctus lapidat̃, & inter lapides
genu fixo orabat pro inimicis, & ait, Domine, ne
ſtatuas illis peccatũ. Illi lapides mittebãt, nõ ueniã
poſtulabãt: & ille pro eis orabat. Talẽ te eſſe uolo:
extẽde te. Quid trahis cor ſemper in terra? Audi,
ſurſum cor: extende, dilige inimicos. Si non potes
diligere ſæuientem, dilige uel petẽtem. Dilige ho
minem qui dicit tibi, Frater peccaui, ignoſce mi-
hi. Tunc ſi nõ ignoueris, non dico, deles orationẽ
de corde tuo: ſed deleberis de libro dei. Si aũt uel
tũc ignoueris, uel tũc ex corde dimitte odiũ. Odiũ
dico dimittas ex corde, nõ diſciplinã. Quid ſi ille
qui petit ueniam caſtigandus eſt à me? Fac quod
uis: puto em̃ quod filium tuũ diligis, & quãdo cæ-
dis. Lachrymas uapulantis non curas, quia ei hęre
ditatem ſeruas. Ego hoc dico, ut de corde dimittas
odiũ, quando à te ueniã petit inimicus. Sed forte
dicis, Mentit̃, fingit. O iudex cordis alieni, dic mi- C
hi cogitationes fratris tui, dic mihi heſternas tuas.
Rogat, ueniã, petit. Dimitte, prorſus dimite. Si nõ
dimiſeris, non illi nocet, ſed tibi. Nam ille ſcit quid
eſt facturus. Non uis tu dimittere conſeruus cõſer
uo tuo, ibit ad dñm ueſtrum, & dicit ei: Dñe roga-
ui conſeruum meũ ut dimitteret mihi, & noluit di
mittere: tu mihi dimitte. Nunquid nõ licet dño re-
laxare debita ſerui ſui? Ille accepta uenia à dño, re
cedit abſolutus, tu remanes obligatus. Quõ obli-
gatus? Venturũ eſt tẽpus orationis, uenturũ eſt ut
dicas, Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos di-
mittimus debitorib. noſtris. Reſpõdebit tibi dñs,
Nequaq̃. Cum tanta mihi deberes, rogaſti me, &
dimiſi tibi: nõne oportebat & te miſereri cõſerui
tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? De Euãgelio uer
ba iſta ſunt, nõ de corde meo. Si aũt rogatus dimi-
ſeris ueniã poſtulãti, iam potes dicere orationem
iſtam. Et ſi nondũ idoneus es diligere ſęuientẽ, ta-
mẽ orationẽ iſtam potes dicere, dimitte nobis de-
bita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitorib. no-
ſtris. Tranſeamus ad reliqua. Et ne nos inferas in
tentationem. Dimitte nobis debita noſtra ſicut &
nos dimittimus debitorib. noſtris propter peccata
præterita dicimus: quæ non poſſumus facere ut
facta non ſint. Potes tamen facere, ut non facias
quod feciſti. Sed quomodo ages, ut nõ ſit factum
quod feciſti? Propter illa quæ iam facta ſunt, iſta ti
bi ſententia orationis ſubuenit. Dimitte nobis
debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitori-
bus noſtris. Propter illa quæ potes incidere, quid
facies?

faciesſ Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo, hoc eſt ab ipſa tentatione. Et erũt peti A tiones illę tres, Sanctificetur nomen tuum, Veniat regnum tuum, Fiat uolũtas tua ſicut in cœlo & in terra: tres iſtę petitiones ſunt propter uitam humanam. Semper enim in nobis ſanctificatum debet eſſe nomẽ dei, ſemper in regno eius eſſe debemus, ſemper uoluntatem eius facere. Hoc in æternum erit: panis quotidianus modo eſt neceſſarius. Iam ab hoc articulo cætera quæ oramus, ad præſentis uitæ neceſſitatem pertinent. Panis quotidianus in hac uita neceſſarius eſt, dimitti debita noſtra in hac uita neceſſarium eſt. Nam cum ad illam uenie mus, debita finiemus. In hac terra tentatio eſt, in hac terra periculoſe nauigatur, in hac terra per rimas fragilitatum, ſubintrat aliquid quod debeat ſentinari. Cum autem facti fuerimus æquales angelis dei, abſit ut dicamus ut rogemus deum ut dimittat debita noſtra, quæ nulla erunt. Hîc ergo panis quotidianus, hîc ut debita dimittantur, hîc ut non intremus in tentationem, quia in illa uita tentatio non intrat, hic ut liberemur à malo, quia in illa uita malum nullum, ſed bonum ſempiternum permanebit.

•

DECIMI TOMI FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

INDEX TERNIONVM

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z
A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo
Pp Qq Rr Ss.

BASILEAE PER HIER. FROBENIVM ET NIC. EPISCOPIVM AN. M. D. LVI.


FRO
BEN.